Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bibliotheca



Palatinæ
Düsseldor-
piensis.

A. D. 9. No 64

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ERNEST. JOACH. DE WESTPHALEN

MONUMENTA INEDITA

RERUM GERMANICARUM

PRÆCIPUE

CIMBRICARUM

ET

MEGAPOLENSIUM.

TOMUS SECUNDUS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MONUMENTA INEDITA

RERUM GERMANICARUM

PRÆCIPUE

CIMBRICARUM,

ET

MEGAPOLENSIUM,

QUIBUS

VARIA ANTIQUITATUM, HISTORIARUM, LEGUM JURIUMQUE GERMANIÆ, SPECIATIM HOLSATIÆ ET MEGAPOLEOS VICINARUMQUE REGIONUM ARGUMENTA ILLUSTRANTUR, SUPPLENTUR ET STABILIUNTUR.

E CODICIBUS MANUSCRIPTIS, MEMBRANIS ET CHARTIS AVTHENTICIS,

ERUI STUDUIT NOTULASQVE ADJECIT

ET CUM PRÆFATIONE

INSTRUXIT

ERNESTUS JOACHIMUS DE WESTPHALEN,

AURATI ORDINIS SLESVICENSIS HOLSATICI EQVES, REGIÆ CELSITUDINIS DUCIS SLESVICI ET HOLSATIÆ REGNANTIS CANCELLARIUS AULÆ ET SENATUS INTIMI HUJUSQUE CONSILIARIUS, SUPREMI CONSISTORII MILITARIS ET ECCLESIASTICI PRÆSES, ACADEMIÆ CHILONIENSIS CURATOR.

TOMUS II.

CUM TABULIS ÆRI INCISIS.



LIPSIÆ

IMPENSIS JO. CHRISTIANI MARTINI

MDCCXL.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A.D.G.64



KÖNIGL.
BIBLIOTHEK
ZU
DÜSSELDORF



del. Gravé par Fritzsch, 1740.

PRÆFATIO AD TOMUM II.

Qui monachis & cœnobitis male precari ſolent eosque nunc delectabilis deſidiæ, nunc ignorantiæ, multiplicis aberrationis & vitii incuſant; ii vel ingrati in merita invidique in fortunam cœnobitarum exiſtunt, vel re nondum ex utroque latere perſpecta, judicis partes ſibi inconſiderate ſumunt *a*) Præſtat æqua lance cauſam ponderare, ſuumque plane cuique diſtribuere, nec reticere virtutes & promeritas virorum in eccleſiis & monaſteriis Pontificiis olim agentium laudes & operas, quarum fructus hodieque percipiuntur & perennabunt. Digna omnino elogio eſt ſacrorum collegiorum antiſtitum & monachorum auſpicatiſſima cura, quam in deſcribendis vetuſtis codicibus *b*), in conſignandis & cuſtodiendis rerum geſtarum Germaniæ annalibus pertinaciter adeo defixerunt, ut, quicquid fere codicum anecdotorum, tabularum, bullarum, litterarum, privilegiorum, epiſtolarum, donationum annaliumque ex ævo medio ad noſtram ætatem memoriamque derivatum fuerit, id tantum non omne acceptum referamus beneficio ſacrorum collegiorum aſſiduisque curis cœnobitarum. Notiſſima

Merita monachorum in rem hiſtoricam.

a) BARTH. GERMONIUS, *diſceptat. de vet. Reg. Franciæ diplomatibus &* CLERICUS *art. crit. P. III. Sect. 1. c. 1.* aliique, qui monachorum eruditionem ac ſtudia humaniora non niſi temere ſugillant & ad normam exigunt noſtri ævi litterarii, tot adjumentis ſcientiarum adaucti: nec tamen plene adeo inſtructi, ut ſeculis futuris nihil expoliendum ſuperſit, reſtetque invehendum & emendandum venientis ævi litteratis. Scite alicubi SENECA majorum ſtudia hereditatem vocat non contemnendam nec dilapidandam, ſed cuſtodiendam, emendandam & augmentandam. Faciunt huc VERULAMIUS in libris de augmentis & dignitate ſcientiarum & qui veterum & noſtratium eruditionem invicem comparare ſatagunt BOUHOURSIUS PERALTIUS & VIGNEUL MARVILLE *dans les me. ges de literature & d'hiſtoire.*

Notatur Germonius & Clericus.

b) Haud incogniti ſunt indi librorum & codicum interpolatorum planeque deperditorum, quorum longe major nu rus foret, niſi monachi innumeros ab oblivione & interitu vindicaſſent. Quorum providentiæ & induſtriæ dandum eſt, quod tot hiſtoriarum & antiquitatum Germanicarum codices, quin ipſius TACITI integros annales, a monachis quippe Corbejenſibus ſervatos, inter ſuperſtites numeremus. De quo argumento plura habent VOSSIUS, FABRICIUS, REIMANNUS, HEUMANNUS, STRUVIUS.

Induſtria clericorum in ſervandis codicibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ma ſunt nomina abbatum, epiſcoporum & monachorum *c*), a quibus haud flocci pendenda hereditate accepimus rerum geſtarum præſidia, inque rebus turbatis Ariadnes auxilia, in obſcuris perſpicuitatis, verique in diſſenſu ordinem & rationes. Laudabimus ſaltim in præſenti cœnobitarum adhibitam in ſervandis omnis ævi diplomatibus induſtriam immortalem, ita, ut monaſteria merito dixeris numina omnis rei literariæ & hiſtoricæ tutelaria, monumentorumque rerum, cum ſacrarum tum civilium cum privatarum tum publicarum, viva conditoria. Quæſo quis eſt, quem fugiant, quantivis pretii cimelia diplomatica e ſcriniis & penetralibus ſacrorum collegiorum ab AUBERTO MINEO, CHRISTOPH. BESOLDO, MEICHELBECIO, D'ACERY, MABILLONIO, MARTENE, DURANDO, PEZIO & novo primæ magnitudinis ſidere ordinis Benedictini MARQUARDO HERRGOTTO feliciter producta? etiam a noſtratibus viris meritorum cumulo & gloria ſupra laudes poſitis, JO. PETRO DE LUDEWIG, GEORGIO CHRIST. JOANNE, JAC. FRID. SCHANNAT, VAL. FERD. DE GUDENUS, JO. CHRISTOPH. HARENBERGIO, JO. GEORG. LEUCKFELDIO, B. KETTNERO, HENRICO FRID. OTTONE, JO. MART. SCHAMELIO, aliisque e monaſteriis Germaniæ, præcipue Auſtriacis, Quedlinburgenſibus, Colonienſibus, Fuldenſibus, Moguntinis, Gandersheimenſibus, Brunſuicenſibus & Thuringicis in lucem protracta? Teſtatiſſimum eſt, quod ſolis fere monaſteriis diplomatum memoriam ſervatam certe fortunam debeamus, quod poſt tot exactas noſtræ negligentiæ noctes illa rediviva quaſi conſurgere potuerint, prodierintque ex ſpatiis illis ac cellulis cœnobiorum, ceu ex officinis & alveis ſtupendæ induſtriæ, in ſpatioſiſſimum orbem, ut, ſi rite recteque intellecta, explicata & adplicata fuerint, nunc patriæ ubique & reipublicæ inſerviant. Qui enim illotis manibus ad deſcribendas vel legendas veteres chartas accedunt, cognitione literarum medii ævi earumque compendiorum haud tincti nec criteriis manuſcriptorum inſtructi, ii quidem illas non tam legunt, quam rodunt omniumque maxime deformant perduntque literas lituris. Merito igitur de erroribus ex imperita & vitioſa diplomatum lectione admiſſis non ſemel conqueſti ſunt HICKESIUS *in theſauro lingu. ſeptentrionalium archæologico*; *illuſtris autem* SCIPIO MAFFEI *in hiſtor. diplomat. critica edit. Mantuæ a. 1727.* & DAVID CASLEY *in catalogo hiſtorico critico bibliothecæ regiæ Londinenſis* plura egregia ſcripturarum veterum ſpecimina præcipue a Sæc. VIII. usque ad ſæc. XVI. recenſens. Equidem MABILLONIUS *de re diplom. L. 3. c. 6. L. 5. §. 11.* RUINARTUS *ibid. in præf.* & ECKARDUS *in animadverſ. ad* SCHANNAT. *Hierarch. Fuld. §. 32.* adſtruere ſatagunt, quod malæ lectionis errores in apographis admiſſi veritati rei diplomaticæ parum officiant & vel ex curatoribus apographis vel ex ipſis avtographis ad ſanitatem facile revocari poſſint; ſed negandum non eſt, quod lubricum hoc remedium nec fidei & dignitati diplomaticæ conveniat, nec ſcrupulos omnes evellat, præcipue cum non ſolum apographum ab originali & ab aliis apographis, ſed & ipſa chartarum plura interdum avtographa in formulis, nominibus, cognominibus, indictionibus & annis invicem diſcordent. Quod idem opponendum putaverim GABR. BUCELINO, monacho litteratiſſimo, qui in præfatione ad Germaniam Topo-Chrono-Stemmatographicam, laudabiliter quidem gloriatur, quod geneſes illuſtrium familiarum ex diplomatibus ac indubitatis fundamentis eruerit; ſed inconſiderate ſimul ibi perſvaſit, chartas & codices omnes recte adeo a monachis deſcriptos & ingenue conſervatos fuiſſe, ut in tot chartatum myriadibus nec apex de induſtria mutatus reperiatur. Contrarium potius ex cumulatis erroribus & variantibus chartarum lectionibus ſive incuria ſive impoſtura admiſſis conſtat, & vel abunde ex unius diplomatis Ludovici Pii de archiepiſcopatu Hamburgenſi a. 834. ſcripti lectionibus apud HENSCHENIUM *T. I. act. ſanct.* LINDENBROGIUM *ſcript. rer. Germ. p. 143.* RENNERUM *chron. Brem. T. I. MSC.* LAMBECIUM *orig. Hamb. L. 1. p. 35.* aliosque cumu-

Præcipue diplomaticam.

Requiritur lectio diplomatum fida.

Exempla lectionum vitioſarum in chartis Hamburgenſibus.

Et annalibus patriis.

c) Liceat nominare LAMBERTUM de SCHAFNABURG monachum Hirſfeldenſem, MARIANUM SCOTUM monachum Fuldenſem, HERMANNUM KORNERUM ordinis prædicatorum monachum, RADEVICUM eccleſiæ Friſingenſis canonicum, FRODOARDUM presbyterum Remenſem, GUNTHERUM LIGURINUM, monachum Elnonenſem, ALBERICUM monachum trium fontium, ANSELMUM, monachum Gemblacenſem, item monachum Pegavienſem, Egolismenſem, Coloniенſem, monaſterii S. Galli, Cluniacenſem, HELMOLDUM, ADAMUM BREMENSEM, ALBERTUM STADENSEM, pluriumque chronicorum & annalium omnis ævi ſcriptores ordinis clericorum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cumulate variantibus liquido patet. Cujus generis vagas admodum variationes in Caroli M. privilegio ecclesiæ Bremensi impertito, MADERUS, MEIBOMIUS aliique usque adeo observarunt, ut, si vel exemplar apud CRANTZIUM *in Sax. L. 2. c. 15.* cum eo quod est apud ADAMUM *Bremensem L. 1. c. 10.* contuleris, facile ultra 60. lectiones & defectus conspexeris variantes nonnisi ex avtographo repurgandos. Quibus erroribus etiam scatet diploma fundationis ecclesiæ Sigebergensis & Lubecensis ab Imp. Lothario datum Bardevici a. 1137. & a BANGERTO *ad Helmoldum L. 1. c. 53. p. 129.* exhibitum, nimium quantum dissonans ab apographis apud SLOEPKENIUM *Chron. Bardev. P. I. c. 13. §. 5.* & STAPHORSTIUM *T. I H.E. H. p. 138.* qui & plures variantes lectiones in diplomatibus hujus Imperatoris & archiepiscoporum Hamburgensium adnotavit Ut vero inter sexcenta alia e diplomatibus Megapolitanis paucula adjiciantur, copias quæso confer diplomatis Henrici Leonis de fundatione episcopiæ Sverinensis de a. 1171. *d*) sæpe editas, quæ & inter se variant, & testantibus tot deformatis & diverse scriptis, tot plane omissis vocabulis mirifice ab ipsis dissentiunt avtographis, quorum duo in archivis ducalibus Megapolitanis, Gustrovienſi & Sverinensi in membranis asservata sunt, quæ & ipsa a se invicem non uno loco dissident. Quot quæso in chartis Mecklenburgicis ex avtographis & apographis in publicam lucem editis occurrunt lectiones cum circa pagorum, tum testium nomina variantes; ut, qui nunc Luchow, Hermannelberg, Richling, Benthem, Mulburg, Erteneburg dicuntur in uno, in altero appellentur de Linclowe, Hirmansberg, Vielingen & Rielinge, Benetsein, Buchiburg, Erteneborg. Provocare liceat ad chartas, quas e codicibus probæ fidei in lucem protraximus Raceburgenses, quarum pauculas Dn. de LUDEWIG *reliqu. MSCt. T. 6. p. 231. seqq.* PFEFFINGERUS *histor. Brunsuic. Luneb. P. II. p. 673.* & nuper M. SCHRÖDERUS *Megapoleos Papisticæ P. 3.* evulgare cœperunt, multis in vocibus & argumentis ad ann. 1154. 1158. 1167. parum consentientes &, si saltim ad annos 1162. 1167. 1194 pagorum testiumque plane omissorum nomina ac formulas spectes, a nostris etiam recedentes ac aberrantes. Occurrit & apud REHTMEYERUM *chron. Brunsvic. T. I. p. 334.* & LUNIGIUM *spicil. eccles. P. II. p. 293.* diploma Henrici Leonis de immunitatibus trium Slaviæ transalbinæ episcopatuum de anno 1170. VI. Idus Novembr. ubi vocabulum *e*) *Wogiwotinza*, h. e. census *Ducum*, Slavico idiomate *Majorum terræ*, erronee legitur *Gwogonitraba.* Quam lectionem nuper CHRIST. ULR. GRUPENIUS *in origin. & antiquit. Hanover. p. 124.* retinuit, alii vero, quos LUDEWIGIUS *d. l. p. 236.* & SCHRÖDERUS *d. l. p. 442.* secuti sunt, in voces *Wogimotinza & Wogiwatenza* commutarunt, addito etiam laudato diplomati die alio & anno. Pertinet huc inter plura de nominum varia lectione exemplum, quod in Holsaticis & Lubecensibus chartis animadvertit litteratissimus REIMMANNUS *observ. de necessitate scepticismi in stud. geneal. §. 8.* ubi diploma quoddam avtographum laudat Joannis & Gerardi comitum Holsatiæ, in cujus initio miles quidam. Marquardus di Genvlet, in medio autem de Begenvlet appellatur. Idem & duas de episcopatu Lubicensi ad manus sibi esse profitetur ejusdem argumenti epistolas, in quibus annus 1256. nunc tertius, nunc secundus annus dicitur pontificatus Joannis episcopi Lubecensis. Plures hujus generis hallucinationes ex incuria vel insciția præcipue legentium & describentium oriundas facile notabit, cui datum est scriptas vel evulgatas chartas ad normam veteris scripturæ exigere & cum avtographis sollicitius conferre. Multas hac ratione lectiones mendosas in diplomatibus Corbeiensibus a doctissimo P. SCHATENIO, annalium Paderbornensium scriptore, editis investigavit PAULINI *in syntagm. germ. p. 533.* Quas etiam in chartis ab HENRICO BODONE syntagmati *de constructione coenobii Gandersheimensis*, & a CHRIST. SLÖPKENIO *chronico Bardevicensi*, item ab ANDREA HOPPENRODIO *annalibus Gernrodensibus* in textis observarunt GUNDLINGIUS *in observatt.* & REIMANNUS *c. l.* Proficuam igitur rei diplomaticæ recte intelligendæ operam præstiterunt, qui scripturarum gene-

Bremensibus.

Lubecensibus.

Megapolitanis.

Holsaticis aliisque.

d) a LINDENBROGIO inter diplomata scriptoribus rer. Germ. adjecta, num. 59. p. 166. MADERO *in antiqu. Brunsv. p. 234.* LUNIGIO *spicil. eccles. P. II. append. p. 152.* REHTMEYERO *hist. Brunsv. P. I. p. 332.* STAPHORSTIO *hist. eccles. Hamb. P. I. p. 582.* TOB. ECKARDO *Tr de Henrici Leonis autoritate circa sacra p. 60. seqq.* SCHRODERO *primit. Wismar. P. 2. n. 3.* acab aliis.

e) Quod vocabulum sæpius occurrit in diplomatibus Mecklenburgicis. Vide hoc loco *diplomatarium Raceburgense ad a. 1158. 1169. 1174. sqq.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

genera varia & alphabeta ſcribendique medii ævi compendia e Germaniæ bibliothecis & e tabulariis variis expoſuerunt, atque ære excudenda curarunt, præcipue MABILLONIUS *de R. D. lib. 1. c. 11.* PAPEBROCHIUS *in propylæo antiquario;* RAYM. DUELLIUS *excerptorum genealogico-hiſtoricorum præf.* SCHANNATUS *in Vindem. litterar. p. 228.* & in *vindiciis diplomatum archivi Fuldenſis* ibique in XII. tabulis adjectis; JO. JAC. SCHEUCHZERUS *in alphabetis e diplomatibus Thuricenſibus;* PHILIP. HUEBERUS *in Auſtria ex archivis Mellicenſibus illuſtrata append. II.* & qui ſecundum ſæculorum & Imperatorum ordinem *f*) ſpecimina ſcripturarum ex avtographis curate exhibuit examinavitque *R. Abbas de* BESSEL *prodromo chronic. Gotwic. L. I. & II.* Præterea vero opus omnino eſt noſſe vim ac poteſtatem lectionum diplomaticarum inque explicandis vocibus & argumentis veterum chartarum circumſpectione uti, cum non ſolum verba obſcura & dubia, ſed & plana & luculenta *ff*) haud raro decipulas ponant. Certe, quam notam Jureconſulti incurrere ſolent, qui in explicandis Germaniæ legibus, conſuetudinibus & ſtatutis, in patria natis rationes & commentarios ex Græcorum Romanorumque juribus & inſtitutis inepte conducunt, vel ſignificatuum verborum formularumque juris *Germanici* inſcii illos ad Romanorum ſcriptorum uſum exigunt; eandem merentur ſæpius incauti diplomatum, tot patriis antiquatibus, moribus & nominibus conſpicuorum interpretes, qui ad peregina & a reipublicæ patriæ ſtatu aliena confugiunt vel curiæ imperiique ſtilum & rationes negligunt, ipſisque adeo vocum corticibus & elementis inhærent. Docent hoc ſuis exemplis ERNESTUS COTHMANNUS in explicationibus chartarum Megapolenſium reſponſis academicis inſertis; ROTHIUS in notis ad diploma Ottonis IV. & LAMBECIUS in variis ad chartas, quas originibus Hamburgenſibus innexuit, obſervationibus. Quod idem litteratiſſimus MICH. RICHEY *in hiſtoria ſtatutorum Hamburgenſium c. 1. §. 16 p. 12.* in Lambecio notavit, merito ægre ferens eorum morem, qui vel ad jus Romanum, vel ad ſcriptores veteres latinos uſum verborum formularumque quæ in diplomatibus occurrunt, harum præcipue regionum æſtimare ſatagunt. In quorum cenſum ii referendi ſunt qui ſolemnes diplomatum formulas, præcipue de præſtatione *Orbedarum* h. e. præſtationum a betis ſeu areis vel prædiis, ad latinitatem veterem exigunt & fide monachorum, theotiſcæ, Gothicæ & Anglo-Saxonicæ etymologiæ oppido inſciorum, has ipſo jure magiſtratui ſuperiori debitas præſtationes, ſaltim petitiones & precarias a precando vocari ariolantur, poſthabitis horum cenſuum genuinis rationibus, indole, ſignificatu, uſu & effectibus, ex tot patriæ diplomatibus, annalibus & documentis conſpicuis. Idem fere omni jure objiciendum eſt AUTORI, qui in *Gerdeſii collection. documentorum Mecklenb. P. 6. obſer. V.* ex Friderici I. Imperatoris & Henrici Leonis diplomatibus, verba de cæſarea munificentia autoritateque & permiſſione Imperiali, æque ac de epiſcopatibus *ex bonis regni & Imperii* dotatis, ſecundum literarum cortices explicat eumque in finem quædam comminiſcitur, ut jam tum Mega-

Præſidia & adjumenta lectionum diplomaticarum.

Cautiones circa explicationem diplomatum.

Exempla explicationum incongruarum.

Promiſſa Maffei.

f) Fidem etiam dedit illuſtriſſimus marchio SCIPIO MAFFEI integrum de characterum omnis ætatis ſcribendique veterum modis & compendiis ſyſtema, critica methodo adornatum conficiendi, ut de eorum criteriis & arte dijudicandi ſecernendique documenta ſimul abunde conſtet. Spem

Staphorſtii.

æque concepimus fore, ut NICOLAI STAPHORSTII, qui *Tomo IV. hiſt. eccleſ. Hamb. p. 348.* ſpecimen lectionum ſeculi XIV. ſeqq. inſeruit, poſthumum brevi prodeat opuſculum ſpeciale, limatum ſatis, & lucernam olens de abbreviaturis veterum Germanorum & inprimis Saxonum hactenus omnino deſideratum, juxta ſæculorum ordinem, Germanorum genium & ſcribendi modum ſpeciatim conſignatum. Cui tamen, quod Saxonum veterum ſcripturas ſpectat, haud parum luminis addi poterit ex Cimbricis antiquis codicibus & HICKESII *inſtitutionibus Grammaticis Anglo-Saxonicis*, ejusdemque diſſertatione *de antiquæ litteraturæ ſetentrion. utilitate.* Nec laude merita defraudandum eſt utile ſtudium DAN. EBERHARDI BARINGII, qui in clave, quam edidit, diplomatica cognoſcendis compendiis ſcripturarum medii ævi, varia & curata præſidia attulit. Qui & ipſe p. 10. malæ lectionis inſigne exemplum in hiſtoria rerum Laudenſium a Leibnitio T. I. ſcriptorum Brunſuicenſium evulgata obſervavit, aliudque ſimul notavit de varia lectione vocis *cariſſimam*, quæ in diplomate Erici Daniæ Regis a. 1278. reperitur. De erroribus ac fraudibus circa ſigilla & monogrammata ſeu nominum characteres commiſſis legi meretur HEINECCIUS *de ſigill. P. I. c. 8. c. 17. §. 2.* & BAUDISIUS *analyſ. monogrammat. Imp & Regum Germ. §. 7.* Hos tamen & alios hujus generis errores in anno & indictione commiſſos ex apographorum quippe curatis lectionibus reſtituendos nec veritati quicquam præjudicii afferre vel fidei nonnihil detrahere valuiſſe cum rationibus tum exemplis docent MABILLONIUS *de R. Diplom. L. 3. c. 6. L. 5. §. 11.* ECKARDUS *in animadverſion. ad Schannati Hierarch. Fuldenſ. §. 32.* ERN. SAL. CYPRIANUS *diſſ. de Siglis c. 5. ſeqq.*

Obſervatio Baringii.

Hergotti.

ff) Quod formulis loquendi de nexu ſanguinis itemque formula illa: *ſanctæ, beatæ memoriæ*, viventibus etiam tributa docuit M. HERGOTT *Genealog. diplom. Habſpurg. Prol. 1. p. 13.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Megapolenſes imperantes in nexu quodam Germaniæ Imperii fuiſſe evincat, de quo quidem nemo unquam dubitavit. Rectiores horum verborum ſignificationes jurium-que Henrici Leonis territorialium rationes expoſuimus forte in notulis, quas Friderici & Henrici Leonis diplomatibus de a. 1154. hoc Tomo num. XXI. ſubjunximus. Ex quibus ſimul, puto innoteſcunt arduæ ſtatus rationes, quæ Henricum Leonem Ducem Saxoniæ & Bavariæ & tunc omnis Megapoleos victorem incitarunt ad aucupandam cæſaream auram, ſibique conciliandam quovis ſtudio benevolentiam Friderici I. Fruſtra vero optima cauſa defenditur, ſi nexum veterem imperantium Mecklenburgenſium cum Imperio Germaniæ non aliunde vindicaveris quam ex chartis & confirmationibus Fridericianis, quibus & ipſe Henricus Leo Imperii princeps & totius Megapoleos dominus anſam & argumentum demum præbuit. Quin, ſi verbis Friderici I. inhærendum fuerit, Megapolis demum ad Germani Imperii complexum & nexum referri coepit ſub ipſius auſpiciis. Manifeſta enim ſunt verba in charta confirmationis epiſcopiæ Sverinenſis de anno 1170. *Ad ultimum principes terræ Megapolenſis cum omni populo in plenitudine gratiæ & defenſione majeſtatis noſtræ ſuscipimus, ut liberius in conſtruendis clauſtris & ædificandis eccleſiis &c. Domino DEO noſtro vacare valeant; ipſos etiam principes &* MAJORES TERRÆ *attenter monitos eſſe volumus, ut quia in gratiam noſtri & honores principum terræ noſtræ recepti ſunt, ipſis impares in cultu Dei non exiſtant, ſed more* OMNIUM *Chriſtianorum decimas ſuas in illo excepto Dei fideliter perſolvant, rapinas prohibeant pacemque cum vicinis Chriſtianis teneant.* Quod vero, ne de Carolingico ævo *g*) dicam, jam ab Henrici aucupis & Ottonis Magni Imperatorum regimine ditiones Vandalicæ ſeu Megapolenſes earumque reges nexui Imperii & juris Germanici ſubjecti & adſcripti, vel Imperatoribus & victoribus tributarii & homagiales facti, vel ſubordinato & acceſſorio jure tituloque aliquando receptæ clientelæ & protectionis Saxonicæ *h*) ad Germanorum Imperium relati fuerint; id quidem ex coævis & fide dignis ſcriptoribus *i*) rerumque geſtarum fidis annalibus & monumentis facile poterit commonſtrari. Quamvis vero hæc ita ſint, aliud tamen plane ac diverſum eſt, in nexu civitatis Teutonicæ eſſe, ad cenſum & homagium inter-

Sigillatim Megapolenſium.

Reſponſio ad dubia anonymi.

g) De quo teſtantur ANNALES *Francorum* ad a. 789. AUCTORES *de vita Caroli M.* apud PITHOEUM *p. 254.* & FREHERUM *T. II. rer. Franc. p. 437. 554.* REGINO & ADELMUS *ad ann. 789. 808. 809. 815. 818.*

h) Annales Hildesheimenſes apud LEIBNITIUM *T. I. R. B. p. 719.* CHRONOGRAPHUS *Saxo* apud eundem *in acceſſion. hiſtoricis ad ann. 983. p. 196. 203.* ubi ita: *Slavi Saxonibus* REBELLES *facti ſunt, quos Saxonici principes poſtmodum collatis viribus ſine Rege, ſine homine duce, divinitus adjuti glorioſiſſime vicerunt. Anno 987. Saxones iterum Slaviam invaſerunt & ad ultimum ipſi Slavi* OTTONIS *ditioni ſubduntur & caſtella juxta Albiam denuo reſtaurata ſunt a. 994. Slavi vero omnes exceptis Sorabis a Saxonibus* DEFECERUNT *ſed anno 996. pax inter Saxones & Slavos compacta.* Et HELMOLDUS *chron. Slav. L. I. c. 22. mortuus eſt a. 1061. Bernhardus Dux Saxonum, qui res Slavorum & Saxonum quadraginta annis ſtrenue adminiſtravit; cujus hereditatem filii Ordulfus & Hermannus inter ſe partiti ſunt: Poſt mortem patris vix quinque tranſierunt anni, dum Slavi rebellare parantes primo omnium Godeſchalcum interfecerunt.* Idem L. I. c. 25. §. 1. teſtatur, quod Saxones, mortuo Duce Saxoniæ Magno, in cujus clientela & protectione Henricus Rex Slavorum fuerat, Imperator, ducatum dederit Ludero comiti, eo quod Magnus non haberet filium, ſed filias, *& obtinuerit Luderus ducatum* SAXONIAE *a. 1106. & gubernaverit cum modeſtia tam* SLAVOS *quam* SAXONES. Et L. I. c. LXV. ad annum 1148. de ſatellitibus Henrici Leonis Ducis Saxoniæ & Adalberti Marchionis refert, quod Slaviam dixerint terram Saxoniæ adſcriptam: *Nonne*, inquiunt, *terra, quam devaſtamus, terra noſtra eſt, & populus quem expugnamus, populus noſter eſt? Quare ergo invenimus hoſtes noſtrimet & diſſipatores vectigalium noſtrorum, nonne jactura hæc redundat in dominos noſtros?* Idem *L. I. c. 69. §. 7.* ipſius Henrici Leonis expoſuit teſtimonium, quo Slaviam laudat terram, quam patres ipſius in clypeo & gladio obtinuerint ipſique poſſidendam hereditario jure reliquerint. Addatur Idem *d. l. c. 83. ad a. 1154.* quo Dux Henricus Leo Slavorum principes Pribislaum & Nicolotum ad colloquium evocat Ertheneburgum, qui comparentes ibidem *jura Saxonica* ſibi dari a Duce poſtulant; ut hujus argumenti alia ab HELMOLDO *L. I. c. 86. Chron. Slavico apud* LINDENBROGIUM *c. 27. ſeqq.* ALBERTO *Stadenſi, Chronographo Saxone, Presbytero Bremenſi* & domeſticis annalium ſcriptoribus paſſim ab a. 1158. 1160. 1163. usque ad ann. 1180. commemorata prætereamus.

Teſtimonia Hiſtoricorum.

i) DITMARO *Merſeburg. L. I. p. 326. ad ann. 925. 959.* apud LEIBNITIUM T. I. p. 326. WITICHINDO *L. 3. p. 658.* OTTONE *Friſingenſi L. 6. Chronic. c. 20. 21.* LAMBERTO *Schafnaburgenſi*, MARIANO *Scoto*, SIGEBERTO *Gemblacenſi ad a. 931.* MONACHO *Hersveldenſi* apud SCHARDIUM *T. I. p. 374.* CHRONOGRAPHO *Saxone ad ann. 959. ſeqq. 983. 987. 994. 995. 996.* ADAMO *Bremenſi* L. 2. c. 3. 7. 8. 33. 39. ALBERTO *Stadenſi ad a.* 1027. 1032. 1133. ſeq. 1106. AUTORE *annalium Hildesheimenſium* apud LEIBNITIUM *T. 2. ad ann. 987. 995.* WIPPO *ad a. 1035.* AUTORE *chronicæ Slavicæ* apud LINDENBROGIUM *c. 12.* HELMOLD *chron. Slav.* L. I. c. 9. §. 8. *ad an.* 1020. *L. I. c. 18. §. 5. 9. L. I. c. 25. §. 1. a. 1106. c. 26. §. 6. cod. a. c. 49. §. 4. 7. 8. 53. §. 3. c. 54. §. 1. L. 2. c. 14. L. 3. c. 22.*

interdum obligari jureque accessorio aliquando ad civitatem Imperii Germanici referri; aliud omnino in nexu & corpore Imperii systematici, in communione esse Imperii jurium & effectuum publicorum; jure nexuque frui clientelari & vasallitico Imperiali seu inter principes ac status Imperii Germanici adsumi. Quod ultimum anno 1348. demum factum *k*) esse, ipsum Caroli IV. Cæsaris diploma receptionis Ducum Megapolensium inter Imperii proceres testatur. Quibus nec obstare puto, quod SIFFRIDUS PRESBYTER *apud Pistorium p. 700.* & AUTOR *additionum ad Lambertum Schafnaburgens. ad ann. 1290.* Ducem de MECKILBURG in censum principum sæcularium numerent, qui hoc anno comitiis Rudolphi Regis Romanorum Erfordiæ celebratis interfuerunt. Vocati enim ad illa principes etiam multi ex longinquis regionibus comparuerunt, & diversa invicem plane sunt, comitiali jure quoad effectus solemnes & Imperiales frui seu in comitiis Imperii ex juris publici rationibus & potestate versari, & saltem comitiis vel solemnitatis vel subjectionis vel querelarum & litium tractandarum causa interesse. Quibus juribus modisque principes Obotritarum Slavorumque Megapolensium & Wagirorum jam tum curiæ Henrici II. Imperatoris in castro Werbene juxta Albiam celebratæ a. 1020. iterumque comitiis apud villam Kambam ad eligendum Cæsarem Conradum II. habitis anno 1124. interfuerunt, teste HELMOLDO *L. I. c. 28. §. 5.* & WIPPONE *in vita Conradi Salici p. 463.* Haud igitur satis perspicio, quid nævi & erroris subsit in illa, quam alibi per transennam & nostram fecimus, opinione, quod Megapolitana terra ad Imperii Germanici provinciam Vandaliam pertinuerit, ejusque principes & Imperantes suo jure gavisi fuerint territoriali vixerintque a nexu vasallitico imperii *mutuo & systematico* immunes, usque ad sæculum decimum quartum. Quo sensu & PFEFFINGERUS *in Corpore jur. publici T. II. p. 135. & 486.* Henrici Regis Slavorum, anno 1125. defuncti, regionem Megapolensem liberam plane neminique nec Imperatori Lothario obnoxiam, terramque vocat avitam & hereditariam, cujus ipsius inter fratres Zwentopolcum & Canutum, Henrici filios, hereditatis litigiosæ & erciscundæ judicium Lotharius neque Imperatoris neque Ducis Saxoniæ nomine & jure sibi vindicaverit vel jure alio sibi asserere potuerit, adeoque hanc litem determinandam ipsorum fratrum reliquerit arbitrio & compositioni. Jurisprudentiam itaque, quam observator anonymus d. l. sectatur, publicam me non satis capere, mirari magis, lubenter fateor. In eum enim finem Megapolin ex Imperatoris Friderici I. ævo in nexu civili cum Imperio existentem asserere sollicite annititur, ut inde probet, dominis terrarum Mecklenburgensium non nisi adductam competiisse regiminis formulam & adstrictiora iis saltim relicta fuisse jura superioritatis territorialis, quam laudatus observator voce inter principes Imperii Teutonici insueta & Germaniæ JCtis inaudita *Souverainitatis* nescio, an illuminare an deformare gestit. Quæso quis est, qui Principum Germaniæ regimina destituta putaverit norma imperandi Germanica, hoc est, formula domestica legali & consuetudinaria, nixa quippe æqitate & rationibus cum jurium territorialium, judicialium, provincialium & civicorum, tum & immunitatum avito justoque titulo cum ipso regimine conjunctarum? Quotusquisque vero dubitaverit, nexum civilem, quin ipsum clientelarem & vasalliticum Imperii Germanici non nisi salva superioritate territoriali salvisque avitis cum ea connexis juribus Potentatus, a Principibus recipi vel adquiri, tantumque abesse, ut ista jura per accessionem nexus feudalis vel alterentur vel in præcipitia cogantur, ut potius Imperiali dignitate adaugeantur, certe firmentur & stabiliantur. Quod quidem ex tot rationibus historicis et legalibus feudorum Imperii seu principatuum, suoque jure & modo ipsorum feudorum provincialium & Landsassiacorum Germaniæ manifestum est adeoque apud jurium feudalium Germaniæ scriptores nostri ævi testatissimum, ut haud indigeat novis accessionibus. Sed revertimur ad argumentum de diplomatum interpretatione hujusque cura & rationibus, quarum haud ultimæ sunt, ut Germaniæ & cujusvis principatus, ubi illa scripta sunt, origines, formulæ & indoles sæculi, locique antiquitates, status

Præsidia & regulæ interpretandi & applicandi diplomata.

k) Quod explanatius recensent *chronicon Slavicum*, apud LINDENBROGIUM p. 208. *Presbyter Bremensis* seu continuator Helmoldi in chronico Holsatiæ apud LEIBNITIUM *T. I. accessionum historicar. c. 22. 23.* SCHURTZFLEISCH *de reb. Mechlenb. §. 10.* CHYTRAEUS *L. 5. Saxon. p. 137.* CRANZIUS *L. 8. Vand. c. 23. p. 260.* SPENERUS *op. Herald. p. sp. L. I. c. 61.* CHEMNITIVS, LATOMUS *ad a. 1348.* & qui de nexu Megapolis, ducatui Saxonico olim clientelaris nuper dispexit ERN. AUG. RUDLOFF. *observ. inter collectiones* D. GERDESII *P. 6. p. 526.*

ſtatus publicus ac civilis, leges ac conſuetudines circumſpecte expendantur. Docuit hoc nuper R. P. MARQUARDUS HERRGOTT *T. I. genealogiæ diplomaticæ auguſtæ gentis Habsburgicæ Proleg. I. f. XII. ſeqq.* ubi hoc argumentum non ſolum notionibus & exemplis inſtruxit, ſed & ipſi addidit cautiones ac regulas de recta ratione applicandi argumenta diplomatum ad facta, ut inde probentur veritates omnis generis hiſtoriarum & doctrinarum, non ex annaliſtarum autoritate & privatis teſtimoniis *l*), e communi opinione pluriumque ſuffragiis vel affectu, odio & adulatione ſcriptorum æſtimandas, ſed ad genuinam fidem veterum monumentorum publicorum, temporumque & rerum circumſtantias ac rationes exigendas. Quanta enim pondera & ampliſſima momenta habeant omnis ævi diplomata & documenta genuina recte intellecta riteque explicata & adplicata, nemo facile ignorabit, cui tot rationibus & exemplis exploratiſſimum eſt, quod fide diplomatum omnis Germaniæ veteris mediæque facies & ſtatus pagorum, comitatuum terrarumque termini & tractus, pertinentia & fines inveſtigentur, forma jurisdictionum & judiciorum, ſtilus judiciarius, formulæ contractuum, legatorum, donationum, teſtamentorum, transactionum, inveſtiturarum, harumque modi & ſigna, ſolennitates, ritus, veterumque conſuetudines & genera probationum exponantur; jura item conſuetudinaria, provincialia, beneficialia & civica, domeſticæ leges harumque origines & rationes enucleentur; indoles feudorum bonorumque allodialium, nexus inter Imperatorem & Imperium, inter principes & vaſallos, horumque omnium jura, regalium indoles & regiminis forma, indeque qualitas tributorum, cenſuum, præſtationum & privilegiorum in lucem conſtituantur; præcipue vero in caligine hiſtoriæ, chronologiæ & geographiæ medii ævi lumina præferantur, immo quid falſum quid ſubleſtum ac fabuloſum irrepſerit, detergatur omnisque adeo ævi ac provinciæ annales a fabulis, hallucinationibus & hiſtoriolis repurgentur, ſcriptores etiam coævi vel corrigantur *m*) vel illuſtrentur & ſuppleantur; innumera vero argumenta hiſtoriarum & jurium ſolidioribus rationibus corroborentur, nomina & jura perſonarum eccleſiaſticarum, principum, nobilium, comitum, baronum, ingenuorum, liberorum, militum, miniſterialium, vaſallorum, armigerorum, fidelium & ſervorum exponantur; Heraldica quoque Germaniæ imaginibus & ſigillis illuminetur, principumque propagines, illuſtrium ac nobilium familiarum origines inter antiquitatis rudera fere ſepultæ in apricum proferantur, &, quod primo loco reponendum erit, integræ ſæpius regiones vindicentur, poſſeſſiones ſtabiliantur & maximi momenti lites ad cynoſuram demum revocentur definianturque. Tollas ergo præſidia diplomatica, tolles omnis fidæ hiſtoriæ & jurisprudentiæ lumina; quin ſi nulla damna forent alia, id detrimenti ſat erit, quod de rerum doctrinarumque veritate non niſi ex traditionibus vel auditu & ingenio privatorum conſtet, regnoque præjudiciorum & opinionum via denuo paretur, ſtudia & doctrinæ ad tenebras & defectus relabantur vel ſimilia ſane evadant Polyphemi ſtatuæ, ea parte imaginis deſtitutæ, qua vel maxime rei indoles ac virtutes repræſentantur. Nec eſt, quod objicias arietes, quibus GODEFRIDUS HENSCHENIUS *n*), DANIEL PAPEBROCHIUS *o*), JOSE-

Uſus diplomatum patentiſſimus.

l) *Dn. de* GOEBEL *in notis ad Conringium de prud. civili c. 14.* GUILLIMANNUS *in Habspurg. L. I. c. 2.*

m) Quod enim in pugna & conflictu ſcriptorum coævorum ceu teſtium privatorum, veritas latentis vel dubiæ hiſtoriæ ad publicam & luculentiſſimam fidem diplomatum revocanda ſit, contra BOLLANDI ſocios tam rationibus quam exemplis evicit MABILLONIUS *de R. D. & RUINARTUS in præfat.* Idem argumentum MABILLONIUS *T. III. annal. Bened. p. 255.* ſtabilivit diplomate Caroli Craſſi de Pariſiis ab obſidione Normannorum a. 886. liberatis. Aliud exemplum idem de Re Diplomat. L. IV. n. 68. aliique noſtrates ſuppeditarunt, contra *Gottfridum Viterbienſem* & plures veteres ſcriptores ex fidis documentis oſtendentes, Caroli M. nativitatis locum non fuiſſe palatium Ingelheimenſe utpote ab ipſo demum exſtructum. Dubia vero denuo contra ſententiam de fide rei diplomaticæ hiſtoricorum autoritati præferenda a PALIGNESIO *in monitis genealogicis monito II.* obmota, recte examinavit diluitque HERRGOTTUS *d. l. f. 4.* Eandem prærogativam ex evidentia ſignorum authentiæ, quibus chartæ avtographæ librorum codices vincunt, recte aſſeruerunt FONTANINUS *in vindic. diplomat. L. I. c. 3. §. 6.* & DN. ABBAS *de* BESSEL *chron. Gotwic. P. I. L. 2. p. 77.* Licet haud inficiemur, quod quæſtio, diplomatumne an hiſtoricorum auctoritas in conflictu ſuperior ſit? curatius ſigillatim quam univerſim decidatur. JO. GUILIELMUS HOFFMANNUS *de lubrico artis diplomat. p. 50* *Diplomatum præſtantia in conflictu hiſtoricorum.*

n) *Diatribe de tribus Dagobertis, & commentario prævio ad vitam S. Sigeberti Regis Francorum, inſerto* ACTIS *ſanctorum T. I. p. 206. ſeqq.* *Diſſenſus Henſchenii.*

o) *In propilæo antiquario circa veri ac falſi diſcrimen in vetuſtis membranis ed. a. 1673.* Cui tamen opuſculo, lectis Mabillonii libris de re diplomatica, ipſe *Papebrochius* parum in archivis volutatus & tanta re dignis monumentis deſtitutus dicam ſcripſit, data eum in finem epiſtola ad *Jo. Mabillonium* a. 1683. *Papebrochii.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Oppugnatores & vindices rei diplomaticæ.

JOSEPHUS PEREZIUS *p*), JOANNES HARDUINUS *pp*), præcipue facundiſſimus presbyter BARTHOLOMÆUS GERMONIUS *q*) fidem & uſum diplomatum impetere auſi fuerunt, tantum enim illis negotii faceſſerunt tantumque roboris oppoſuerunt JO. MAILLONIUS *r*), JUSTUS FONTANINUS *s*), PETRUS CONSTANTIUS *t*), THEODORUS RUINARTUS *u*) DOM. LAZARINUS *v*) ANTONIUS GATTUS *w*) SCIPIO MARANTA *x*), GODEFRIDUS DE BESSEL *y*), MARQUARDUS HERGOTTUS *z*) ut dubia a ſcepticis obmota non labefacta ſed fracta fere & contuſa videantur. Et quamvis ſit manifeſtum ac tot exemplis ac bellis diplomaticis *a*) cum in Gallia & Italia tum in Germania excitatis longe teſta-

tis-

Perezii. Harduini.

p) Ex ordine Benedictinorum in diſſertationibus *ad rem diplomaticam* facientibus ed. a. 1688.

pp) *Proluſione chronologiæ ex nummis antiquis reſtitutæ, Pariſiis 1693.* & *chronolog. veteris Teſtam.* ad vulgatam verſionem exacta *ibid. a. 1699.* & in *operibus ineditis Amſtelod. ed. 1733.* De quibus ſcriptis vide *ill. Dn. de* LUDEWIG *præfat. ad reliqu. MSCt. T. I. p. 35.* VIGNOLIUM *in epiſtola chronologica adverſus Harduinum*, cui adnexæ ſunt CROZII *vindiciæ ſcript. veter. contra Harduinum Pariſ. a. 1708.* AUTOREM *des nouvelles de la Rep. des lettres a. 1709. p. 95.* ubi recenſuit declarationem patris provincialis & ſuperiorum ſocietatis Jeſuitarum contra ſcripta Harduini a. 1708. Amſtelod. recuſa.

Germonii.

q) *Duabus diſceptationibus* de veterum Regum Francorum diplomatibus & arte ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis ad Jo. Mabillonium Pariſiis ſcriptis *a. 1730. 1706.* Quibus poſtea acceſſerunt diſceptationes ejusdem argumenti adverſus RUINARTUM, FONTANINUM, LAZARINUM & GALLUM *Venet. ao. 1707. 1078.* ac *Tractatio* de veteribus hæreticis eccleſ. cod. corruptoribus adverſus P. CONSTANTIUM *ed. Pariſ. 1713.* Quamvis vero Germonius omni ferè antiquitati artique antiquariæ & diplomaticæ bellum indixerit ſuasque ſecernendi diplomata regulas acrius et callidè interdum adeo excogitaverit, ut, ſi illis inſtiteris, pauciſſima numeraveris documenta ab impoſturis igne, vetuſtate ac fatis edaciſſimis intacta et haud devorata; negandum tamen non eſt, quod acutum ſæpius viderit, vereque aliquando et curate contra Mabillonii regulas, teſtimonia, uſumque illum et guſtum antiquitatis et praxeos diplomaticæ diſputaverit, dederitque ſubinde monita, ad rem diplomaticam ſcrupuloſius tractandam omnino facientia. Quare ingenue HOFFMANNUS *c. l. p. 16.* notavit, quod noſtris temporibus evitandum omnino ſit, *ne prope ob ſolum Germonii nomen optima monita peroſa habeantur, vel quicquid ex adverſariorum ſententia rei diplomaticæ opponitur, iniquis de pyrrhonismo quiritationibus excipiatur.* Oppoſuit etiam Mabillonii regulis dubia quædam GEORGIUS HICKESIUS *in præfat. theſauri archæologici linguarum ſeptentrionalium p. 36. ſeqq.* quibus vero modeſte docteque ſatisfecit RUINARTUS *in præf. ad libros Mabillonii.* Argumenta vero Mabillonii et argutias Germonii omnes in ſummam contulit AUCTOR (*Ludovicus Raguet*) *de l'hiſtoire des conteſtations ſur la diplomatique avec l'analiſe de cet ouvrage compoſé par le R. P. Jean de Mabillon ed. Pariſ. ao. 1708.* Qui tamen Germonio aperte paſſim favens, a partium ſtudio haud ita alienus fuit, ut quidem videri voluit. Nondum vero vota et ſpes evanuerunt, fore, ut illuſtriſſimus rerumque diplomaticarum peritiſſimus SC. SCIPIO MAFFEI promiſſis ſatisfacturus *monita in regulas Mabillonias* cum republica litteraria communicet, quibus dignitas ſua indubie conſtabit, præcipue cum ipſe *in Iſtoria diplomatica che ſerve d' introduzzione all arte critica* circa finem fidem fecerit, ſe in eo operam collocaſſe, ut in critica univerſali diplomatica nonſolum univerſim arte etregulis ſed ſigillatim etiam perpetuis exemplis, media ſecernendi diplomata genuina a ſuppoſititiis tradat uſumque patentiſſimum diplomatum in omni genere hiſtoriarum et dogmatum manifeſtet.

Vindiciæ Mabillonii.

r) *Libris VI. de Re Diplomat. Pariſiis anno 1681.* et cum præfatione THEOD. RUINARTI denuo editis 1709. Acceſſit ſupplementum, in quo archetypa in libris de re diplomat. pro regulis præpoſita, ipſæque regulæ denuo confirmantur novisque ſpeciminibus et argumentis illuſtrantur, Pariſ. 1704.

Fontanini.

s) *Vindiciis antiquorum diplomatum adverſus Germonium Romæ a. 1705.* De Fontanini elogiis et ſcriptis legi merentur: *Memoires de Trevoux pour l' hiſtoire de ſciences a. 1706. p. 729.* ſeqq. DN. *de* MEYERN *Act. P. IV. T. III. præf. F. 9.*

Conſtantii.

t) *Vindiciis MSCt. codicum a Germonio impugnatorum ed. Pariſ. 1707.* et in *vindiciis confirmatis, ed. a. 1715.*

Ruinarti.

u) de *eccleſia Pariſienſi* vindicata adverſus Germonium, Pariſ. 1706.

Lazarini.

v) *Epiſtola ad amicum Pariſienſem* pro vindiciis antiquorum diplomatum Juſti Fontanini ed. Romæ 1706. et in epiſtola ad Fontaninum ed. 1707. ac defenſione edita ſtudio Cajetani Lombardi Philoſophi Neapolitani ed. a. 1708.

Gatti aliorumque.

w) Profeſſor Ticinenſis et JCtus *in epiſt. ad Jac. Bernardum pro vindiciis antiquorum diplomatum ed. Amſtelod. 1707.*

x) *Expoſtulatione in Germonium pro antiquis diplomatibus & codicibus, Meſſanæ 1708.*

y) Tomo prodromo *chronici Gotwicenſis ed. 1732.*

z) *In prolegomenis genealog. diplomaticæ auguſtæ gentis Habspurgicæ ed. Viennæ 1737.*

Frequentia bellorum diplomaticorum.

a) De quibus inſigni ſtudio egit GABR. NAUDAEUS *in rationibus peremtoriis*, viginti contentiones diplomaticas extra Germaniam concernentibus et excerptas e CONRINGII *cenſura diplomat. Lindav. p. 376. ſqq.* JO. PETR. *de* LUDEWIG *laudata ad T. I. reliqu. MSCt. præfatione de bellis diplomaticis*, cum in Gallia, tum in Italia, et in ſupremis Germaniæ tribunalibus excitatis; quam CASPAR BERETTI cenſuris ſuis et reſponſis pro ANONYMO *diſſertationis in Italiam medii ævi*, anno 1729. Mediolani editis Italico ſermone ſub titulo: *Storia della guerra diplomatica p. III. ſeqq.* inſeruit auxitque ſimul et examinavit, ſtilo etiam æquiori in illis locis temperare ſtuduit, ubi verbis dentatis et facetiis in ordines pontificios mordacibus nimium paſſim indulſit *illuſtris* LUDEWIGIUS, qui nec noſtri ordinis cleris parcens ſæpiuscule humanas aberrationes

tissimum, quod impostura & fictiones, falsitas & adulteratio *b*) chartas & codices sæpe corruperint, interque tot chartularia diplomataria & regesta passim etiam nunc compareant specimina, quæ vel lubricæ & subleſtæ fidei videntur, vel antiquitatem ipsam

rationes vel nævos et defectus rerum ecclesiasticarum aculeis acerbe nimis compungere consuevit. Nuper telam historiæ belli diplomatici recepit pertexuitque JO. GODOFR. DE MEIERN *præf. ad T. III. actor. pac. Westphal. f. 5. seqq.* Speciatim vero viginti quinque bella diplomatica in Germaniæ provinciis et civitatibus enata recensuit eorumque scriptores indicavit BARINGIUS *clav. diplom. append. p. 9. seqq.*

b) Exempla adulteratorum veterum codicum tum *patrum* et *conciliorum*, tum ipsarum *sacrarum litterarum* ex instituto recensuit et examinavit GERMONIUS *Tract. de veteribus hæreticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus*, quorum infimus haud fuit insignis hæreticus FELIX, qui ut DEI filium solummodo adoptivum fuisse traderet, pro verbo *adoratur*, verbum *adoptatur* in codicibus S. Augustini impudentissime substituit. De impostoris circa *profanos codices* MARIANI *Scoti*, SIGEBERTI *Gemblacensis*, MARTINI *Poloni* pluriumque aliorum commissis dispexit laudatissimus auctor *chronici Gotwicensis L. 1. f. 2. seqq.* Quibus addenda sunt exempla adducta a JO. CHR. WENDLERO *tr. de libris a pontificiis aliisque in præjudicium doctrinæ puioris suppressis & corruptis ed. Jen. 1714.* THOMA REINESIO et CHR. ADAMO RUPERTO *epist. 19. 21. 35. p. 47. 63. 252.* et a GRYPHIANDRO *Tr. de Weichb. Saxonicis c. 4.* de fraudibus et fictionibus, quas *Franciscus* SANSONIVS, *Stephanus Vinandus* PIGHIUS, *Jo.* LETZNERUS aliique in condendis annalibus suis et genealogiis admiserunt. Suspectorum vero et suppositiorum diplomatum ac instrumentorum cum Carolingici tum nostri ævi exempla plura ab indagatoribus veritatis notata sunt, præcipue a PAPEBROCHIO *in propylæo antiquario c. 2. seqq.* NICOLAO ZYLLESIO *in instructissima defensione Abbatiæ Imperialis S. Maximini p. 38. seqq.* PAULINO *histor. de Walone Abbate Corbeiensi p. 460.* BOXHORNIO *histor. univers. p. 276. seqq.* JO. GEORG. ECCARDO *in critica & censura diplomatis Osnabrugensis p. 4. 6.* JO. ERID. SCHANNAT *in vindiciis diplomatum archivi Fuldensis, sigillatim Zachariæ pontificis, Pipini & Caroli M. in præfat. de suspectis duobus Ottonis III. diplomatibus a. 1000.* D. HEINECCIO *synt. de sigill. p. 176.* CONRINGIO *operum a Dn.* DE GÖREL *editor. T. I. p. 851. seqq.* TENZELIO *in historicis vindiciis pro Conringii censura in diploma fictitium de Lindaviensis coenobii præ civitate prærogativa;* quibus syllabum diplomatum Carolingicorum maxime suppositiorum adjecit cum observationibus; POLYCARPO LEYSERO *in Consultat. de Diplomatico corpore historiæ Germaniæ concinnando p. 10. seqq.* *Dn.* GRUBERO *histor. urbis Götting. præf. p. 42.* et præcipue *ill.* LUDEWIGIO *d. l. p. 28. 62. 73. 112.* ubi vir doctissimus, more suo, solide et acute, ordine saltem temporis neglecto, diplomata Dagoberti Franciæ Regis *Horreense* s. coenobii in urbe Trevirensi de anno 646. *Erfurtense* de a. 706. Caroli M. *Gleichense* de a. 746. *Aquisgranense de a. eod. Ottenburgense* de a. 769. *Campidonensia* a. 773. 777. *Bremense a. 788. Westphaliæ* et *Saxoniæ* episcopatuum de a. 789. *Caroli Crassi de exp. Rom. a. 790. Caroli M. Frisicum orientale* pro libertate ordinum de a. 802. *Osnabrugense* de a. 803. 804. *Reichenauense* de a. 813. item *Lindaviense* Ludovicianum, *Magdeburgensia* Ottonis M. de a. 940. 968. variaque documenta apud FRANCISCVM *de* ROSIERES *in libris Stemmatum Lotharingiæ*, CHRISTOPHORUM BÜTKENIUM *in trophæis Brabantiæ* et alias obvia in censum commentitiorum retulit. Quibus addenda sunt falsorum diplomatum cæsariorum et papalium exempla montis Cassinensis, quorum insignem numerum ex cryptis illis Cassinensium LAURENTIUS VINCENTIUS Venetiis produxit a. 1513. et ANTONIUS GALLONIUS, congregationis oratorii presbyter, in libro apologetico pro assertis annalium ecclesiasticorum de monachatu S. Gregorii papæ adversus CONSTANTINUM BELLOTUM *monachum Cassinatem*, ed. Romæ a. 1604. luci exposuit. Quod mirum sane non est, cum non solum, Papebrochio et Germonio notantibus sæculum XI. ac XII. ad Friderici I. Cæsaris, quem *Severum Archontium* Germonius appellavit, ætatem usque, sed omne fere ævum callidissimos homines, falsarios et suppostores tulerit, qui vel singulari beneficio et protectione vel promissis pinguissimis atque spe accessionum inducti in confingendis vetustis chartis artifices exstiterunt; poenæ etiam, quam falsi crimine deprehensi luere debent, formidine ad supremam acerrimamque ad apices usque circumspectionem excitati, ut nec scripturae prisci temporis, nec formulae temporumque notae, monogrammata et sigilla vetera eorum artem et peritiam excesserint, teste CRAGIO *L. 2. juris feud. Tit. 3. §. 3.* Venit in horum censum temerarius ille PAULUS CATELLUS, de quo JO. DALLAEUS, et ex illo CASP. LÖSCHERUS *dissert. de latrociniis in scriptores publicos §. 94* retulit, quod tria de rebus Venetis instrumenta, proxime ad verum effictis rerum, temporum et personarum circumstantiis, versutissime confecerit, ipsasque sacri senatus tabulas miro mendacio praetexerit. Junxeris huic merito suo monachum S. Medardi apud Suessionenses GERMONIUM, qui teste AUTORE *historiæ des contestations sur la diplomatique p. 75.* ex instituto textrinam diplomatum instituere didicerat, mortique vicinus ingenua confessione adstantium fratrum memoriae prodidit, adhibitam insignem curam in confingendis, ut e causa requirentium fuerat, documentis iisque ex artis suae officina ad S. Medardum ex coenobia alia, etiam remotissima, feliciter deportatis. Vicit tamen hunc falsarium, vaferrimus ille suppostor, qui Lindaviensis coenobii diploma Ludovicianum, luculentis νοθείας indiciis ac fidissimis argumentis nostra aetate aperti falsi convictum, externo omni habitu et sæculi characteribus vestire et ornare scivit, ut peritissimi viri MABILLONIUS, TENZELIVS et qui alii ad illud inspiciendum examinandumque coiverunt, severissimo scripturae, sigilli et externorum omnium habito examine nec quicquam illis sincerius et adcuratius videri dixerint. Claudant falsariorum classem duo in fraude sua artifices olim in Megapoli famosi, *monachus & scholasticus quidam Zwerinensis Sec. XII.* et *Wilh. Ulenogius* recentioris aevi suppostor. Ille enim non solum falsa diplomata scite efformare, iisque sive ad membranas et atramentum sive ad sigilla respexeris, improbo artificio vetustatis speciem proxime veram induere scivit; sed et confictis diplomatibus, vera sigilla a genuinis aliquando divulsa adji-

Codicum adulteratorum.

Et diplomatum corruptorum.

Præcipue artificio falsariorum.

ipſam mentiuntur; tot tamen ſolidæ ſuppetunt diſcernendi genuina a ſuppoſititiis notiones, obſervationes *c*) & regulæ criticæ *d*), nunc ex characteribus externis, membranis, litteris, ſigillis impreſſis & penſilibus, bullis earumque forma, materia & figuris conductæ, nunc ex ſtilo diplomatico, titulis, lingua, orthographia, ſiglis & abbreviaturis, monogrammatibus, ſubſcriptionibus, chronologia, variis formulis, conſuetis ſolennitatibus, teſtium nominibus & cognominibus paganis & gentilitiis, ac ipſo præcipue argumentorum hiſtorico examine ſollicite repetitæ *e*), ut verum

cere auſus fuit, quorum exempla alibi notabimus ad a. 1160. Hic vero commentitiis ſuis inſtrumentis cum publicis tum privatis variique generis diu ſatis patriae impoſuit fallendique artem et technas imitandi aliorum manus et ſigilla, ſigillorumque figuras ex inſtituto fere calluit, ut fraude ipſius parata haud facile diſcerni potuerint ab avtographis et genuinis. Quas impoſturas criminis falſi poena demum luit. Plurium hujus furfuris homuncionum fraudes in re ſigillari commiſſas notavit *Heineccius ſyntagm. de ſigillis veter. Germ. P. I. c. 13. p. 174. ſeqq.*

Criteria diplomatum varia.

c) Inter quas ſunt rationes et obſervata de diplomatibus in membranis ſcriptis usque ad ann. 1280; de chartis paganis circa medium Saec. XII. et de regiis et principalibus poſt a. 1280. idiomate germanico ſcribi coeptis; de uſu et deſuetudine majoris litterae S. in fine, uſuque litterarum infractarum, quas curſivas vocant rotundarumque et Gothicarum; de duplicatione ſeu germinatione literarum; de more praenominum binorum ante exitum ſaeculi XV. inſolito; de appoſitione cognominum a caſtris et villis et gentilitiorum cognominum omiſſione ac uſu; de ſigillis ad annum usque 1190. diplomatibus impreſſis non adpenſis, nec e funiculis aut filis ſericis aut membranis transfixis pendentibus; de origine ſigillorum cereorum ex aevo Friderici I., qui primus inter Imperatores ſigillo cereo penſili uti coepit; item de cerae albo et ſubluteo, raro ante Saeculum XIII. viridi, rarius rubido colore; de inſignibus gentilitiis aut ſcutis ad heraldices artem compoſitis ante Sæculum XII. merito in re ſigillari ſuſpectis; de monogrammatibus cum Friderico I. & II. fere deſinentibus; de ſubſcriptionibus per manum propriam a Maximiliano in locum monogrammatum ſurrogatis; ut plures de uſu numerorum Romanorum, nominum, feſtorum, membranarumque et papyri adhibitione ac qualitate obſervationes taceamus; de quibus explicate diſpiciunt *illuſtriſſ. Dn.* MAFFEI *hiſtor. diplomat. lib. 2. Reverendiſſ. Dn. Abbas de* BESSEL *Chron. Gotwic. L. II. Dn.* HERGOTT *d. l. Proleg. I. f. 6.* VAL. FERD. DE GUDENUS *ſylloge variorum diplomatariorum præf. p. 2.-28.* HEINECCIUS *d. l. p. 177.*

Regulæ de cognoſcenda eorum authentia exploratæ. a Mabillonio. Hertio. Beſſelio.

d) Primus, qui regulas criticas rei diplomaticæ explorare et ad illas diplomata expendere ſtuduit, celebratiſſimus fuit MABILLONIUS, qui tamen ſubſtitit in diplomatibus a Regibus Merovingicae, et quæ in Ludovico infante a 911. plane exaruit, Carolingicæ ſtirpis conceſſis plerumque res Gallicas continentibus. Non ſine laude igitur præclariſſimus Germaniæ JCtus NICOL. HERTIUS veſtigia Mabillonii premens periculum fecit progredi ad Cæſarum Imperii, quod tempora Carolingica inſequitur, Germanici tabulas et diplomata, quorum examen inſtituit ſingulari *de fide diplomatum Germaniæ Imperatorum & Regum* diſſertatione, quæ inter ejus opuſcula T. II. p. 589. ſeqq. exſtat. Sed operam denique tanta re dignam præſtitit dominus GODEFRIDUS, *Abbas Godwicenſis*, qui, incomparabili rerum apparatu inſtructus, primus omnium rem diplomaticam Regum ac Imperatorum Germanorum inveſtigavit eamque a *Conrado I.* Imperatore usque ad *Fridericum II.* perpetuo examini critico ſubjecit nec quicquam omittens, quod ad cenſenda eorum diplomata et ad expoliendam perficiendamque rem diplomaticam, ſive limatum ſpectes judicium ſive ordinem, videbitur pertinuiſſe. Nec quod contra regulas doctiſſimi Abbatis paſſim notavit JO. GUILIELMUS HOFFMANNUS *de lubrico rei diplomaticæ p. 9. 40. 41. 42. ſeqq.* tanti momenti eſſe puto, ut induſtriae ipſius et circumſpectioni, qua omnes alios ſuperavit, artique criticæ, quae nunquam ſevere & caute nimis tractari poterit, vel quicquam detrahere poſſit exiſtimationis. Eam vero teſtor opinionem, ante rei diplomaticæ criticæ haud fore integram, certam ubique et expletam, quam telae ab Abbate Gotwicenſi in re diplomatica Imperiali Germanica coeptae ulterius proferantur, et ſingularium etiam provinciarum et principum Imperii diplomata eodem critico examine ita expendantur, ut de eorum characterismis et genuinis criteriis, cum externis tum interioribus, recte conſtet, adeoque ex ſingularium principatuum notitia et arte diplomatica tota demum componatur, certe ſtabiliatur et illuſtretur maxime noſtris temporibus, quibus controverſia Germonia fere refrixit.

Quibus accedunt hiſtorica examina diplomatum.

e) Quamvis enim regulis et characterismis rei diplomaticæ uſu comprobatis ſua omnino dignitas conſtet; dandum tamen hoc eſſe exiſtimo, quod difficultatibus multis ex ipſa et ampliſſimæ et diffuſæ rei indole oriundis admodum premantur et in applicatione ſæpiuscule fallant adeoque univerſalem in expendendis diplomatibus Germaniæ valorem haud ſuſtineant. Singulares quippe ſunt et ad omne genus diplomatum haud accommodatæ ſæpe & variantes, ſive chartas Imperiales ſive principales Germaniæ provinciarum ſpectaveris. Quid? quod exploratæ leges de characteribus et ductibus ſcribendi ſigillandique modis et rebus formulariis in unius etiam imperantis et principis diplomatibus interdum discrepent, et probatiſſimæ regulæ fallaciarum expultrices, limitationem aliquando patiantur, Quin etſi invito licet GERMONIO, et qui eum nuper ſequutus eſt, HOFFMANNO admittamus, regularum ope diplomatum genus omne ita explorari poſſe, ut nullum ſubditititium ſive refectum & reſtauratum ſive adulteratum cenſuram fugiat, nullum genuinum ei ſuccumbat; ad momentoſum tamen hoc negotium præſtandum perficiendumque opus erit inſtructiſſima hiſtoria et critica diplomatica cum Imperiali tum provinciali ſingulorum Germaniae principatuum, numeris ſuis ſideque et induſtria abſoluta. Quum ea vero noſtra adhuc aetate careamus, ægre accedere audemus MABILLONIO, qui *in ſupplementis libroxum de R. D. c. 4. §. 4. ſeqq.* univerſam regularum certitudinem et infallibilitatem urget, earumque veritatem ac falſitatem cum notis et criteriis genuini ſpuriique metalli comparare conatur, notatus propterea a GERMONIO *diſcept. II. p. 60.* Praecipuam igitur, certe haud minimam operam ii navant, qui authentiam diplomatum ad ſtateram hiſtoriarum omnis generis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verum chartarum pretium definire haud difficile fuerit, harumque quisque dignoverit ſanitatem ac avthenticam, cui animus eſt æquum compoſitumque ad tuendam veritatem, non vero adaptatum ad propellendum pyrrhonismum, judicium ſtatuere. Id tamen largiendum omnino eſt, quod in foro rei & artis diplomaticæ Germaniæ multa expolienda & accuratius conformanda reſtent, præcipue in hiſtoria & critica diplomatica ſingularium provinciarum tot lacunæ explendæ, tot momentoſa argumenta deſiderata eruenda ſuperſint, ut vel Hercules ſatis laboris habeat, in quo deſudet. Cum vero plurima principatuum & provinciarum diplomata carceribus mancipentur & incluſa detineantur, optandum valde & requirendum eſt, ut eorum præfecti & cuſtodes veternum excutiant, virique autoritate pollentes aditum ad hæc ſacra pandant vel nullos ipſi faſtidiant labores, qui perferendi ſunt agentibus in hac arena ſqualore ſæpius quidem obſita, ſed quæ rerum peritorum neminem unquam recedere ſinit niſi doctiorem longe & inſtructiorem. Nec multum abeſt, quin in eam facile conceſſerim opinionem, reipublicæ patriæ notitiam mediique ævi cum civilem tum ſacram hiſtoriam tam diu fore mutilam lacunoſam & tenebris involutam, quamdiu reſerata et perquiſita haud ſunt ſacra ditiſſimaque domicilia cujusvis principatus diplomatum, principum puto, nobilium, civitatum, præcipue vero ECCLESIARUM et MONASTERIORUM archiva, quæ haud una ratione reliqua conditoria illuſtriumque tabularia antiquitate et apparatu chartarum vel vincunt, vel, ubi coenobiorum in uſum ſecularem converſio contigit, ipſa Principum archiva ſuis divitiis inſtruxerunt et locupletarunt. Teſtatum enim eſt, quod collegia ſacra, pietate ſua et dignitate bonarumque artium doctrina non ſolum privatos omnes, quibus religio finxerat pia grataque præcordia; ſed etiam Reges ipſos, Principes et Magnates in ſui cultum et amorem rapuerint, ut veteri medioque ævo ſacri ordinis viri ab Imperantibus ad conſilia et ſanctiora miniſteria *f*) vocati, rebus

Cujus lacunæ explendæ ex archivis Principum.

Et monaſteriorum.

præfecti

---

ris rerum civilium et literariarum expendunt adeoque ipſa eorum contenta et argumenta cum exploratiſſima fide ordine et ratione temporum, ſcientiarum ac doctrinarum ſeu cum originibus conſuetudinum, legum juriumque, et rerum geſtarum cujusvis aetatis ſollicite conferunt. Quaeſo enim quis eſt, qui diplomata patriae a ſpuriae originis ſignis abſolverit, quae Carolingico aevo formulis utuntur Saxoniae Ducatus, conſilii fidelium, Imperii feudorum, conſenſus Regis Bohemiae, Marchionis Miſniae? Quis ferret, quae ſaeculo X. XI. Epiſcopis formulam: *DEI & Apoſtolicæ ſedis gratia* tribuunt? quis laudaverit ea, quae ſaeculo X. archiepiſcoporum Bremenſium, non Hamburgenſium memoriam produnt? vel quae regalium et Juris feudalis Longobardici formulis, a Friderico I. demum invectis, referta ſunt; itidem quae ſaec. X. XI. electores, civitates Imperii, nobiles immediatos, juraque et nomina alia, quae junioris ſaeculi ſunt, in orbem propellunt? Multum etiam in hujus generis examine hiſtorico et critico proſunt chronologia, genealogia, loca, dignitates et nomina teſtium cum annalibus rerumque geſtarum commentariis collata. Quod ECCARDUS *in animadverſionib. Hiſtor. ad Hierarchiam Fuldenſem §. 32.* pluribus docuit.

f) Utpote ad officia admoti intimorum ſummaeque fidei adminiſtrorum, qui iſto aevo veniunt, ſub elogiis Capellanorum, Archi-Cancellariorum, curiae Notariorum, Protonotariorum. Docent hoc catalogi et claſſes Cancellariorum cum Caeſarum Romanorum tum Regum Franciae et Germaniae, quas ad corroborandam veterum membranarum authentiam MALLINKROTIUS, DUFRESNE, MABILLONIUS & BESSELIUS ſtudioſe conſignarunt. Acceſſit nuper ſtudio VAL. FERDINANDI *de* GUDENUS *in ſylloge variorum diplomatariorum p. 505 - 556.* elenchus & ordo ſucceſſionis Cancellariorum Moguntinenſium ex diplomatibus & actis publicis ab a. 1093. quo ETELGERUS, *Præpoſitus Northunenſis*, huic officio praefuit usque ad a. 1711. Recte vero laudatiſſimus autor d. l. *in præfat. p. 500.* adſtruit: *conſtare inter omnes, quos nunc vocamus in curiis Principum Cancellarios, illos olim pro ſimplicitate ſæculi ab omni titulorum vana pompa abhorrente dictos fuiſſe capellanos, notarios, ſcribas, ſecretarios; hæcque nunc tenuia nomina ſero cum Cancellarii elogio commutata fuiſſe.* Inde eſt, quod omnes hujus generis officiales, qui ad a. usque 1440. ſub Notariorum Moguntinenſium nomine veniunt, a GUDENO adſcripti ſint ordini et elencho Cancellariorum, quamvis demum Theodericus, praepoſitus Heyligenſtadenſis, primus hoc nomine in actis publicis a. 1440. compelletur. Certe enim, quae his demandata legitur hodieque committi ſvevit dignitas negotiorum expediundorum, ſubſcribendorum diplomatum chartarumque publicarum cura vel in dicendo jure ac reſpondendis cauſis auctoritas; illa omnis antiquiori aevo, inter cetera ſubeunda negotia, data fuit incubuitque Capellanis et qui ipſorum vel vices vel ipſa officia ſubierunt, archinotariis, notariis, apocriſariis, ſcribis; quos ideo cum laudatis adminiſtris et conſiliariis palatinis recentioris aevi, haud adeo incongrue comparaveris. Docet hoc munerum ac negotiorum a notariis, archicapellanis ſeu cancellariis olim geſtorum deſcriptio HINCMARI RHEMENSIS *in epiſtolis de ordine palatii a* JAC. SIRMONDO *editis c. 16.* Cui accedit teſtimonium apud MARTENE *T. I. Theſaur. anecdotor. p. 1844. Et ſocium ſibi adſciverit Carolum ex illuſtri vice comitum familia natum, qui ſcriba erat ſive cancellarius apud dominos conſilii ſecreti ipſius.* Ut plura taceamus illuſtrium virorum judicia praecipue LUDEWIGII *T. 4. reliqu. præf. p. 14. Tom. II. ad aur. Bullam p. 1291.* MASCOVII *diſſ. de originibus officiorum aulicorum R. R. J.* PFEFFINGERI *corp. Jur. publ. T. I. p. 1073. ſeqq.* Potuis-

De Clericorum dignitate in aulis Principum.

Rationes hujus argumenti.

præfecti fuerint auctoritate ſua publice gerendis, conſignandis, judicandis, decidendis, et expediendis. Inde factum eſt, quod ipſa monaſteria eccleſiæque cum cathedrales et collegiorum tum coenobiorum tot ſenſim inſtrumentis et inſtitutionibus, prærogativis, dignitatibus et privilegiis, juribus et regalibus inſtructa, ſervandisque et cuſtodiendis principum chartis *g*), largitionibus et arcanis aptiſſima tutiſſimaque

ſet itaque ſtudium critices, ne dicam partium, temperare JO. DAV. KOELERUS *diſſert. de orig. jurium nobilitat. Meckl. p. 40.* ubi officia veterum miniſterialium, palatinorum, vocisque notarii & ſcribæ poteſtatem ex cortice ipſius & grammatico ſignificatu æſtimare ſatagit eum in finem, ut principum ſententiæ & negotia e conſilio nobilium provincialium, non officialium & miniſterialium olim pependiſſe videantur. Quo ipſo in argumento cenſor rem acu parum tetigit, vel ſi ad conſilia nobilium in conſtituendis legibus provincialibus vel dicendis juribus in judiciis provincialibus a Principibus rogata & requiſita mentem intenderit, aperte aberrat & utrumque momentum parum diſtinxit; ex hiſtoria quippe territoriali, patriæ moribus & rationibus, diplomatibus & documentis, tum etiam ex originibus & officiis curialibus, ſtatuque & indole rerum agendarum & judicialium veteris & recentioris ævi præcipue dilucidandum. Taceo, quod ipſe, quem in quæſtionem vocavit, *Bertramus Bere*, non ſub Notarii amplius ſed ſub Cancellarii nomine in charta Alberti Ducis Megapolitani a. 1358. citatus æque ac alii teſtes in diplomatibus Megapolitanis ſæpe ſub nomine conſiliariorum laudati, conſiliis & regendis principum negotiis omnino admoti, nec e fæce & trivio, ſed ex ingenua & nobili proſapia ut plurimum oriundi fuerint, ſitque ex tot diplomatibus longe expeditiſſimum, quod qui Sæc. XII. XIII. notarii & capellani, deinde Cancellarii laudantur, præ reliquis miniſterialibus & ipſis militibus, recentiori ſtilo nobilibus, haud raro gaviſi fuerint præcipuo quodam jure & prærogativa. Quod idem exemplis rationibus & teſtimoniis ex HUNDIO & WECKIO petitis docet b. HERTIUS *conſultat. de Legibus & judiciis ſpecial. Imp. rerumpubl. §. 2.* Plura dabunt diplomataria Mecklenburgica & hoc loco num. XXI. diplomatarium RACEBURGENSE, quo a. 1158. & 1169. Balduinus de Brunſvic *capellanus*, HARTWICUS *notarius* curiæ Ducis Henrici Leonis; a. 1225 Thomas *capellanus* curiæ principis Wicislai Rugiæ; a. 1257. Bernardus de Leeſten *capellanus* epiſcopi Raceburgenſis; a. 1277 Henricus *notarius* Ulrici epiſcopi Raceburgenſis; anno 1289 Johannes de Brote *capellanus & notarius* Alberti Ducis Saxoniæ; anno 1294. 1295. 1300. 1301 *conſiliarii & vaſalli* de Ribo, de Perckentin, de Schacke, Jo. de Camin, Henricus de Stralendorp, Otto de Lu; ao. 1301. Barolery, Gaquinus cancellarius Alberti Ducis Megapolitani; a. 1376. Albertus de Conow *præpoſitus* monaſterii in Eldena & *cancellarius*; a. 1377. Albertus Svederus *notarius* Alberti Ducis: a. 1379. Bertoldus de Ritzerow, Valquinus de Scarpenberg, *armigeri & conſiliarii* laudantur.

De archivis eccleſiarum & Principum, clero demandatis.

g) De tempore Francorum teſtes ſunt ANNALES *Francor. ad a. 813.* & GREGORIUS *Turonenſis L. 9. hiſt. c. 42. ſeqq.* ubi univerſalis eccleſiæ archivi meminit, pluraque alia de dignitate & autoritate epiſcoporum diſſerit. Et liquet e concilio Francoford. a. 794. c. 3. quod in conſuetudinem tempore Regum Francorum abierit, in capellis ſ. aulæ archivis, quibus cleri capellani præerant, diplomata & monumenta Regum cuſtodire. Unde obſervante *v. Cl.* JO. GEORG. ESTORE *in commentariis de miniſterialibus p. 37.* cleri anſam arripuerunt jura cancellariæ ſibi vindicandi, præcipue cum ipſi tunc fere ſoli elogio eminuerint litteratorum, adeo ut notante MATTHAEO *in notis ad Olivarium de la Marche T. 1. annal. p. 460* ipſa vox *Clerck* idem ſignificaverit ac doctrina imbutum. De *archivis* vero *eccleſiarum & capellis* ſeu tabulariis palatii regii, curæ eccleſiaſticorum demandatis vide BALUZIUM *T. 2. capitular. 214.* FLODOARDUM *L. 2. hiſt. Rhemenſ. c. 19.* unde ab archivorum cuſtodia ad cleros nomen *primiſcriniorum* transiiſſe conſtat ex *annaliſta Hildesheim.* ad ann. 1008. p. 722. & MABILLONIO *act. ſanct. ordinis S. Benedicti T. 1. p. 227.* Quin etiam capellanos, quos alii a capa, veſtis ſpecie, vocatos volunt, a capellis regiis nomen accepiſſe facile innoteſcit ex MATTHAEI *analect. veteris ævi T. 1. p. 56.* Plura de archivis monaſteriorum eorumque cuſtodia egregie diſſeruit JUSTUS FONTANINUS *in vindiciis art. diplomat. L. 1. c. 12.* Adde, quod ipſi cleri non ſolum fuerint, Regibus ab archivis, conſiliis ac libellis ſecretioribus; ſed adeo etiam a legibus conſtituendis, quod in Rege Wiſigothorum Alarico laudavit BARONIUS *annal. eccleſ. ad ann. 506.* Eandem epiſcoporum abbatumque autoritatem aperte comprobant lex Alemannorum, conſenſu epiſcoporum lata, capitularia Regum Francorum, aſſidentibus ſacri ordinis proceribus conſtituta, leges plures Germanorum & præcipue ipſe *Codex Legum Scanicarum* a Waldemaro I. ope Archiepiſcopi Eſcilli & epiſcopi Abſolonis circa a. 1158. confectus, item *Codex Legum Cimbricarum*, vulgo *Lobuch*, opera Uffonis Archiepiſcopi Lundenſis anno 1240. confectus, et a Canuto epiſcopo Viburgenſi ſæc. XV. Legum Romanarum aliarumque concordantiis mirifice expoſitus & illuſtratus. Quin etiam in Holſatia, Megapoli & pluribus fere Germaniæ provinciis cleros olim judiciis ac ſententiis dicendis præfuiſſe, ex innumeris diplomatibus patet. Quin apud Ditmarſos olim communem juſtitiæ præſidem ex ordine cleri electum fuiſſe, exemplo *M. Günther Warneri*, presbyteri eccleſiæ Neoſaniæ, Hinrici Zutphanienſis tempore ſuperſtitis, docuit JO. ADOLPHI *Chron. Ditmars. MSC. f. 450.* ubi addit: *Es hadde dat Land Ditmarſen ok ſinen gemenen Cantzler*, cancellarium univerſitatis ſeu *communis* provinciæ. Quo ſenſu in chartis Ditmarſicis *mene Warke* explicantur *gemeine Anlagen*, præſtationes & ſervitia, quæ communitatem ſeu omnes & ſingulos tangunt. Quamvis *Dn.* VIEHTIUS *Chron. Dithmars. 136.* verba ex Adolpho citata explicuerit de Cancellario *intimo*. Laudat etiam RENNERUS *Chron. Bremenſ. MSC. ad a. 1441. presbyterum* dioeceſeos Bremenſis cancellarium & ſcribam, qui indubie ipſe presbyter eſt, qui Continuator Helmoldi audit et ſupra notatum illud Chronicon Holſatiæ conſcripſit. In *codice enim MSC. vernaculo f. 21.* diſerte vocatur *een preſter des Stichts to Bremen un deſſelben Landes en Cantzler*. De quo argumento vide BARTHOLINUM *de ſcriptor. Dan.* OSTERSONIUM *in Gloſſario p. 525.* et quae diximus *in præfat. ad T. 1. p. 108.* Plura de epiſcopis cum ad jura ferenda tum in judiciis dicenda vocatis leguntur apud BIGNONIUM *ad Marculfi Formulas.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que *b*) judicata fuerint, ut mirum haud esse possit, quod sanctiorum coetuum et collegiorum archiva tumeant et abundent medii ævi litteris et documentis, quæ res pagorum, civitatum, regum, principum complectuntur, ad probandas et illustrandas historiarum origines, rerumque sacrarum provincialium, privatarum, publicarum et feudalium rationes natis et factis nostroque ævo commendatissimis. Apposite in hunc sensum scripsit AUTOR *præfationis Thuringiæ sacræ i*), ubi minus prospere rem diplomaticam succedere judicavit, nisi inprimis monasteria, quæ olim fuerunt et quæ etiamnum exstant, perquirantur, studiumque diplomaticum cum accuratiori ipsorum coenobiorum historia conjungatur. „Probe, inquit perspexe„runt viri litterati, quam imperfecta, quantis obfuscata tenebris et quam manca „multis in locis sit civilis pariter ac sacra medii ævi historia: Sed iidem intellexerunt, „huic malo melius parari remedium non posse, quam si coenobiorum historiæ ma„jor subinde lux affundatur; non tamen huic tantum inopiæ inserviunt monasterio„rum monumenta, sed eorum usus multo patet latius; permulta enim dubia, quæ ju„ris publici doctorum ingenia exagitant, duce coenobiorum historia salvantur; Im„perii Germanici historia multis in locis vacillat nisi coenobiorum notitia suffulcia„tur; Genealogia, Geographia et Chronologia, omnis historiæ fundamenta dici „non potest, quantum inde foenerentur. Quæ cum ita sint, nemini adeo mirum „debet videri, unde tot diversorum monasteriorum historiæ, antiquitates, chroni„ca, monumenta tam brevi temporis spatio nobis subnata sint. Cum enim coeno„bia nosse penitius, tantam aliis disciplinis, quibus carere humana vita nequit, ad„ferat utilitatem; doctissimus quisque hac in re omni elaborandum opera merito „arbitratus est.„ Dabunt et hoc, ut ad Cimbriam et Megapolin respiciamus, propediem testatissimum copiosa pariter ac instructissima diplomataria, quorum nunc Bordisholmense et Neomonasteriense ab a. 1130. usque ad ann. 1565., quo reformatio coenobii evenit, ultra quadraginta chartas complexum carceribus demum, quibus diu nimis mancipatum fuit, erumpit inque lucem communem emergit. Prodit illud e codicibus *k*) membranaceis, ex ipsis diplomatum avtographis, quæ plena fide consignata non solum et a coenobii Bordisholmensis Præpositis recognita *l*); sed

Diplomatarii Neomonasterienſis & Bordisholm. dignitas. Authentia & fides.

b) Quod comprobat instrumentum de actu infeudationis comitatus Holsatiae de a. 1438. ubi formula: *Reverenter precatus est Dux & comes Adolphus pro Imperialibus litteris bulla aurea fignatis, jus infeudationis pro episcopo Lubecensi in se continentibus, quas ipse dominus episcopus in suis tenuit manibus, ut hujusmodi litteræ in loco* TUTO, *ubi privilegia* PRINCIPIS *custodiuntur, ponerentur ad usum tam episcopi, quam comitis.*

i) *Seu historiæ monasteriorum, quæ olim in Thuringia floruerunt*, e codicibus MSCt. membranis authenticis, diplomatibus, monumentis, lapidibus, et sigillis laudabili studio collectae *ed. Francof. anno 1737. f.*

k) Primus codex publica autoritate conscriptus est anno 1482. hoc titulo insignitus: *Transumta litterarum, confirmationum & redituum in Bardesholm.* Alter hunc titulum praefert: *Copiarius litterarum nostrarum relectus & collatus anno 1564.* Constat e CIV. foliis membranaceis et XVI. chartaceis. Adjectus est ordo et index litterarum coenobii originalium; ad quas ipsas denuo hic codex recognitus et expensus est anno M D CC IX. et M D CC XII. accurantibus CHRIST. HINR. STRYKIO consiliario cancellariæ et BRAMMERO archivi Gottorpiensi praefecto. Nolumus hic sine censura dimittere Legulejos illos a GRASSIO *Vol. V. consil. Tubing. conf. 6.* LEYSERO *medit. ad ff. spec. 266.* adductos, qui quod de vagis, nullaque publicae autoritatis recognitionis nota instructis documentis seu instrumentorum exemplis vi *Legis 2. ff. de fide instrumentor. & c. 1. 2. & ultimo X.* statutum inveniunt, infelici studio adplicant ad integros codices diplomatum, publica probatissimaque archivorum, officialium et avtographorum praecipue fide consignatos. Singulare hujus legulismi exemplum ex ZYPAEI *consult. canon. L. II.* adduxit communiumque doctorum ratiunculas confutavit laudatus WALDSCHMIDIUS *comment. de probatione per diplomataria §. 10.* quam subjunctis responsis JCtorum Witebergensium, Tubingensium, Marpurgensium, Giessensium et Francofurtensium edidit occasione contentionis de fide vetustae schedulae a. 1481. scriptae, inque archivo camerae ducatus Cellensis repertae, quae ipsa ad avtographas Ducis Magni Torquati litteras ao. 1370. supra venditione teloni Ulzensis, salva reluitione, consignatas provocat. Addi merentur rationes et judicia pro fide diplomatariorum apud MABILLONIUM *L. 2. c. 5.* GYLLMANNUM *symphorem. votorum T. 1. P. 5. 23.* BÖHMERUM *consultatt. vol. 1. P. 2. conf. 73. num. 99.*

Authentia diplomatarii Bordisholmenſis.

l) Dandum universim est curae coenobitarum, quod diplomatibus servandis intenti haud una ratione id egerint, quo illa adversus temporis injuriam et vetustatem omnem munirent. Unius enim ejusdemque chartae plura avtographa, nunc in gratiam rogantis nunc memoriae caussa et pro aliis non solum exarari; sed plura etiam exempla describi multisque in locis asservari, quin singula demum diplomata in unum pluresve codices colligi sollicitius curarunt. Inde frequentissima saec. XIII. XIV. occurrunt nomina *codicum litterarum, chartulariorum, regiſtrariorum, antigraphorum, regestorum & transsumtorum*, communi quippe et quotidiano usui destinatorum. Quo modo usi sunt indubie in eum finem, ut avtographis, alioquin saepius circumferendis ma-

Cura monachorum in describendis avtographis.

ſed & noſtra ætate cum ipſis authenticis membranis & chartis autographis, quæ temporum injuriæ & improbis olim fatis *m*) erepta ſunt, ſollicitius comparata ſunt. Ne enim mancа, incerta & erronea quævis in publicum protrudantur, opus omnino eſt

nuque terendis parcerent. Quod fuſius docent MABILLONIUS *de re diplomat. L. 1 c. 2.* ENGELBRECHT *de jure diplomat. c. 5. §. 3.* Singula haec fide diplomatariorum, quae hoc Tomo prodeunt, ſtabiliuntur; duo enim et aliquando tria unius diplomatis avtographa inter Bordisholmenſia non ſolum ſaepiuscule inveniuntur, id quod paſſim in ipſo diplomatario notavimus; ſed et illorum quaedam, item tranſumta diverſis in locis, Lubecae, Kiliae, Windesheimiae, Bremae, cuſtodiae tradita fuiſſe conſtat. Idem dicendum eſt de chartis Raceburgenſibus et Sverinenſibus, quarum plurima unius chartae avtographa haud raro inſpeximus. Fruſtra igitur GERMONIUS *in diſceptatione de veterum Regum Francorum diplomatibus* contrarium comminiſcitur, confutatus a MABILLONIO *de re diplomat. L. 1. c. 2. §. 7.* P. CONSTANTINO *in vindiciis cod. MSCt. c. 1.* et FONTANINO *in vind. diplom. contra Germ. c. 3.* LUDEWIGIO *præfat. ad reliqu. T. 1. §. 6.* Pertinet huc teſtimonium autoris anonymi de rebus geſtis archiepiſcopi Trevirenſis Balduini apud BALUZIUM *miſcellan. T. 1. L. 1. c. 2.* ubi diſcreta proviſione archiepiſcopi factum eſſe inquit, *quod eccleſiæ omnia privilegia Papalia, Imperatoria, homagialia, aliaque in unum volumen congregari & tranſcribi curaverit illudque triplicaverit, & unum ſuæ eccleſiæ & capitulo, aliud ſuæ & ſucceſſorum cameræ in Trevirico palatio, tertium vero ſacrum & ſucceſſorum feriato ſemper camerario ad omnia & ſingula, ubi diverteret loca, devehendum, provide deputaverit, ut in omni loco archiepiſcopus poſſet ſua homagia, litteras & privilegia ſaltem ſub copia providere, nec non unicuique dum opus eſſet, recitare.* Laudem vero merentur antiſtites Bordisholmenſes et ideo, quod non in coenobii ſui juriumque ſuorum tantum praeſidiis tuendis acquieverint; ſed etiam in patriae documentis aliis et codicibus etiam hiſtoricis deſcribendis, quin ab interitu vindicandis, induſtriam poſuerint ſingularem. Docent hoc plures codices MSCti et praecipue chartularia de litteris et reditibus Kilonienſibus vulgo ſub titulo *libri rubei* allegata. A ligatura enim vel colore externo majores noſtros diplomataria, chartularia et legum veteres codices ſaepius denominaſſe conſtat. Probat hoc TRANII conſulis Crempenſis *codex ruber MSCt.* conſuetudinibus patriis et rebus judicatis refertus; item *codex caeruleus Kilonienſis*, vulgo *das blaue Buch*, antiquas chartas litteras et documenta complexus, in curia hodieque inter praecipuos adſervatus. Alia exempla vide apud LUNIGIUM *P. u. archiv. Imperial. ſpicil. ſæcular. p. 1642.* ubi diplomatarium Iſenburgenſe publica autoritate a. 1464. confectum venit ſub nomine codicis rubri *das rothe Buch*; & DUFRESNE *Gloſſar. medii ævi T. 5. p. 88.* ubi Regeſtum ſeu codicem chartarum eccleſiae S. Martini Turonenſis a nigro corio, quo involutum erat, *Panchartam nigram* ſ. chartularium nigrum inſcriptum & appellatum fuiſſe refert. Nec ſilentio hoc loco praetereundum eſt praeſulum coenobii Holſatici Prezenſis, ordinis olim Benedictini, induſtria, cui debemus codicem membranaceum diplomaticum hoc titulo inſignitum: *Regiſtrum praepoſituræ & conventus in Poreze, continens omnia ejus privilegia & univerſas poſſeſſiones nominatim expreſſas, deinde ſingulares cauſas & cauſarum diſpoſitiones, quæ locum iſtum tangere reputantur a MCCLXXXVI. procurante domino Conrado dicto Bocholt, praepoſito noſtro, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus.* Quo ipſo contra VAL. FERD. de GUDENUS & qui illum ſequitur Dn. JO. WILH. WALDSCHMIDIUM *diſſert. de probatione per diplomataria p. 4.* conficitur, quod non demum poſt, ſed jam ante finem ſaec. XIII. diplomataria colligi coeperint in monaſteriis Germaniae. Laudatum vero Prezenſe ſaeculi XIII. diplomatarium & Regiſtrum egregio ſupplemento et novo chartarum codice ab a. 1286. usque ad a. 1524. adauxit DETLEVUS SEESTADIUS, praepoſitus Prezenſis et Eutinenſis, Danorumque Regis Chriſtiani II. conſiliarius. Acceſſit etiam codex ritualia coenobii et hiſtorica miſcellanea de ejus aedificiis, antiſtitibus, virginibus nobilibus complectens, ſub auſpiciis, antiſtitae *Annae de Bockvvold* a. 1471. ſcribi coeptus, ac a. 1487. finitus per ſcribam Thomam Schröder, de de quo vide JO. MOLLER. *in MSC. inventario membranarum chartarumque avtographorum coenobii Prezenſis a. 1691. confecto, & iſagoge hiſt. Cimbr. p. 382.* Ut plura nunc ſaec. XIII. et XIV. diplomataria monaſteriorum Itzehoenſis praecipue et Dobberanenſis taceamus. Videantur MABILLON. *de re diplom. L. 3. c. 5.* et qui ingens diplomatarium *monaſterii Caſaurienſis* a JO. BERARDO monacho ejusdem monaſterii Benedictino a. 1169. exaratum in lucem produxit LUCAS D'ACHERY *in ſpicileg. veter. ſcriptor. T. 1. p. 927.* Quod vero ſupra diximus de cauſa frequentiſſimae tranſumtionis, aperte id comprobatur diplomate, quod in chartulario Raceburgenſi ad a. 1493. proſtat. Eſt illud Epiſcopi Raceburgenſis teſtimonium hujus argumenti, quod, rogantibus Holſatiae principibus, Sigismundi Caeſaris litteras originales de Holſatia, epiſcopatui Lubecenſi clientelari nexu addicta, per Notarios fideliter tranſumi mandaverit, ut evitetur ipſius apographi *circumportatio & transmiſſio ob viarum quippe diſcrimina & varios eventus periculi plena.* Notam etiam merebitur hoc, quod allegati diplomatis tranſumtio ſeu exemplatio plane ad omnes regulas Juris Canonici *in capitulo ultimo X. de fide inſtrum.* praeſcriptas facta videantur. Non ſolum enim cauſae cognitio praeceſſit ipſumque authenticum integrum & illaeſum Judex inſpexit, Notarius vero magiſtratus mandato illud transcripſit auſcultavitque; ſed et in valvis eccleſiarum ſolemnis prodiit citatio omnium eorum, quorum, ut exemplationem videant aut ſuo jure prohibeant, interfuit, abſentibus in contumaciam declaratis actuque ipſo exemplationis redacto in inſtrumentum a Notariis *ingroſſatum, ſignatum, ſubſcriptum & publicatum.*

Speciatim Holſaticis.

Obſervatio Gudeno oppoſita.

Fata diplomatum Bordisholmenſium.

m) Referunt annales et ex iis CORONÆUS *in antiquitat. Bordisholm. h. l. p. 602.* quod, quum Dux Johannes rationes redituum a coenobio reddi ſibi poſtulaſſet, praeſul et monachi e re eſſe duxerint, privilegia et tabulas exemtionum ac immunitatum convaſare et cauſae perorandae patronum iis inſtructum Spiram a. 1565. ablegare. Quo conſilio factoque has chartas Andreas (Otto) Lüneburg recuperaverit et ad Ducem pertulerit, idem *Coronæus* plenius percenſet. Cui adde, quod Luneburgius in ſervitii ſui remunerationem a Duce acceperit villam praefecturae Bordisholmenſi innexam, *Schulenſee* ſeu *Schulenhoff* vocatam cum pertinentibus et juribus titulo quodam feudali

nunc

eſt in publicandis diplomatibus haec cura & circumſpectione *n*), quæ vitiatas variantes, & dubias lectiones ad integritatem non ſolum reducit *o*); ſed ipſis etiam contentionibus diplomaticis, ſæpius quippe inde oriundis, obicem obdit easque & reprimit & ſopit. Quam multa vero in hoc diplomatario occurrant egregie & utiliter dicta, quibus res Germanicæ ſacræ & civiles illuminantur, ſigillatim patriæ annales ſupplentur multaque minus recte tradita *p*) emendantur, judiciorum & jurisdictionis indoles, jura provincialia patriæque avitæ conſuetudines probantur, nobilium familiæ & origines in lucem producuntur, variæ contractuum, obligationum, alienationum, donationum, oppignorationum, poſſeſſionum acquirendarum, teſtamentorum, inveſtiturarum, transactionum ac traditionum formulæ ac ſolennitates exponuntur, cenſuum, decimarum, bedarum, præſtationum, exactionum, ſervitiorumque rationes ſuppeditantur, pagorum & villarum bonorumque allodialium & feudalium *q*) hiſtoria, *Utilitas.*

nunc poſſidendam ab ipſo et heredibus ſtirpis maſculae. Unde eſt, quod mutato vel poſſeſſore villae vel domino territoriali, litterae confirmationis, germanice *Veſte, Brief, Beſeſtigung* etiamnunc exiguntur, nec, ſoluto ad aerarium praefecturae Bordesholmenſis laudemio centum thalerorum ſeu *Veſte-Geld*, recuſantur; ſalvo tamen canone XXV. olim, nunc XXX. thalerorum et XXIV. ſolidorum quotannis praeſtando; cujus ratio in regiſtris praefecturae de a. 1630. 1661. ſeqq. ex conductione et uſu piſcationis repetitur. Cognoſcuntur haec ſingula plenius ex actis inter filios *Marci Poppen & Andream de Luneburg* ventilatis a. 1589. iterumque deciſis a Duce JO. ADOLPHO a. 1613; et ex litteris confirmationis et inveſtiturae hereditariae *der Erbveſte*, datis a FRIDERICO Duce anno 1646. d. 27. Januar. 1661. d. 4. Jan. a CHRISTIANO ALBERTO a. 1682. d. 7. Aprilis; a Duce FRIDERICO 1695. d. 24. Aug. et a CAROLO FRIDERICO Duce glorioſiſſimae memoriae a. 1734. d. 26. Octobr. Sed aliud adhuc fatum idque acerbius eodem fere tempore chartis et diplomatariis Bordesholmenſibus imminuit. Cum enim MARQUARDUS STAMMERUS *a Schonenhorſt*, praepoſitus Bardesholmenſis, a. 1565. conſilium coepiſſet inſtituto Ducis de reformando coenobio ejusque bonis rei ſcholaſticae dicandis, objicere, quicquid ipſi virium ſupererat; eo demum audaciae proceſſit, ut coenobio plures chartas, diplomata, tabulas redituum et rationum, res pretioſas et ſigilla ſubduxerit ipſeque aufugerit. Delegato vero a Duce ad illum PAULO TESMARO Canonico Hamburgenſi, ad meliorem frugem redire ſimulavit ac iniens cum illo conventionem Swollis a. 1566. chartas reſtituit, reddiditque, quicquid ex rebus expilatis ſalvum fuit; quod amplius cognoſcitur ex actis inquiſitionis in cauſa Stammeriana fuſe ventilatis coram commiſſariis a Caeſare ac principe denominatis *Ottone de Lüneburg*, *Johanne Berner* praefecto Pinnebergenſi et Licentiato *Angenſtein* Decano Collegii Canonicorum Lubecenſium. Ejusdem generis ſpolia et expilationes tempore ingruentis evangelicae reformationis et alibi eveniſſe dubium non eſt; quin, ſi fidem dederis majorum traditioni, multa diplomata et chartularia coenobiis Germaniae ſurrepta tunc ad Hiſpaniam et Italiam, praecipue monaſterium Benedictinum montis Caſſini deportata dixeris, notante Dn. de LUDEWIG *in diurnis Halenſ. a. 1732. n. 28. p. 439.* Idem h. l. et *in praefat. ad Reliqu. Tom. V. p. 7.* recenſuit facinus Alberti archiepiſcopi Magdeburgenſis, qui metu ingruentium ſacrorum evangelicorum a. 1543. ſacra cimelia Magdeburgenſia praecipue pretioſa et aureas reliquias ſanctorum eccleſiae cathedralis Halenſis et coenobii novi operis prope Halam, tranſtulit Moguntiam, ubi ſervantur etiam nunc ipſaque translationis memoria recolitur quotannis d. 29. Auguſti ſingulari feſto ſanctarum reliquiarum.

n) Apprime in hunc ſenſum diſſerit Dn. HERGOTT *d. l. proleg. 1. ff. 5.* exprobrans clariſſimo SENCKENBERGIO, quod fategerit ex vagis codicibus et nudis exemplis chartas plures in ſelecta ſua juris et hiſtoriarum ingerere. Idem doctiſſimo FALCKENSTEINIO codicis diplomatico Eichſtadienſis editori objecit rerum hiſtoricarum inſigniter peritus JO. DAN. GRUBERUS *praef. ad hiſtor. urbis Gottingae p. 18.* ubi vitioſas chartarum lectiones et copias parum ſolertes recte accenſet praecipuis errorum et difficultatum hiſtoriae medii aevi occaſionibus et cauſis. Quam cumulate etiam erroneae lectiones et naevi plures irrepſerint diplomatibus a b. KETTNERO *antiquitatibus Quedlinburgenſibus* inſertis, id abunde docent collationes ab ECCARDO *hiſtor. geneal. principum Saxon. ſuper. p. 188.* et a Dn. de LUHE cum autographis in tabulario ad S. Servatium ſervatis inſtitutae, quarum ſpecimina exhibuit BARINGIUS *clave diplom. p. 19. ſeqq.* *Notantur Falckenſteinius.* *Kettnerus.*

o) Quod facile animadvertet cui placuerit pauculas a LINDENBROGIO *d. l.* STAPHORSTIO *c. l.* et b. MUHLIO *diſſert. hiſtor. Theolog. p. 543. ſeqq.* de rebus Neomonaſterienſibus et Bordisholmenſibus evulgatas chartas cum iis comparare, quae hoc loco cum avtographis collata prodeunt. *Aliique.*

p) Praecipue ab autoribus chronicorum rerum Lubecenſium et Slavicarum, quas LINDENBROGIUS, LEIBNITIUS aliique ediderunt, tum et a ſcriptoribus apparatu diplomatico plane deſtitutis, SOLINO, ANGELO, PETERSENIO, HENNINGESIO, OLEARIO et ipſo MÖLLERO et DANCKWERTHO, qui in deſcribendis originibus, nominibus et juribus ac familiarum ſaepe fallunt, ob non inſpecta patriae diplomata et documenta. Quod ipſum in Danckwertho notarunt b. MUHLIUS *d. l. p. 476.* & MOLLER. *iſagog. ad hiſtor. Cimbr. P. 3. p. 380.* Occurrunt etiam inter Bordisholmenſia noſtra haud pauca, quae *Lindenbrogio*, *Lambecio*, *Staphorſtio*, praecipue in rebus Bremenſibus et Hamburgenſibus, vel ſuppetias ferunt vel faculas addunt. *Praecipue ſcriptores annalium Holſatiae.*

q) Fidenter Dn. de LUDEWIG *in juribus Feudorum p. 153. 369.* adſtruit, Holſatiam neſcire Feudalem nexum, praedia nobilium audire allodia neutiquam equeſtria, poſſeſſores eorum nobiles Holſatos dici non equites, nec allodiales nobilium fundos acquiri poſſe ab hominibus civici ordinis. Quae ſingula ſponte concidunt, ſi indolem veterem et praeſentem bonorum nobilium conſulueris, eruendam ac illuſtrandam ex antiquitatibus hiſtoricis, diplomatibus, actis et receſſi- *Ludevvigii opinio de feudis Holſatiae.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſtoria, fines, pertinentia, immunitates & incrementa declarantur & copioſa alia antiquitatum eccleſiaſticarum & civilium argumenta *r*) eruuntur; hæc omnia quidem ipſa diplomatarii inſpectio docebit, & ex inſtituto probatum teſtatumque dabitur in *Digeſtis*, quibus operam addicere cœpimus, *diplomaticis annalium juriumque Cimbricorum.* Nec minus copioſa de cœnobii Neomonaſterienſis, quod a Faldera pago Falderenſe audit, fundatione a S. Vicelino *s*) circa annum 1124. *t*) adornata, ſitu *tt*) ordine & regulis b. Auguſtini *u*), dignitate, prælatura ſeu

Singularia.

receſſibus provincialibus & ex ipſis litteris inveſtituræ feudalis veteris & recentioris ævi. Adponimus nomina eorum ſaltim feudorum provincialium Holſaticorum, de quibus ex litteris, quæ nunc ad manus ſunt, inveſtituræ hujusque vel dominio vel vaſallo mutato petitæ renovationis conſtat. Sunt vero illa: *Aſcheberg, Boſee, Barenſleth, Bornitz, Bothkamp, Breitenburg, Daſſvvitz, Doberſtorff, Ehlerſtorff, Futterkamp, Glaſau, Grönenberg, Gartz, Gerebey, Hagen, Hanrau, Hornſtorff, Haſſelburg, Haſſeldorp, Helmſtorff, Hindenburg, Kleetkamp, Koſelau, Lammershagen, Lenſahn, Nutzkau, Niendorp, Neverſtorp, Nempten, Obbendorff, Ovelgonne, Petersdorff, Pronſtorff, Perdöhl, Putloſſ, Pancker, Priſovv vel Priſan, Petersdorff, Rethvviſch, Roleffſtorp, Redingſtorp, Rixſtorff, Schvvalbeck, Schaphueſſ, Satkevvitz, Saltzau, Schönvveide, Schönhorſt, Schönmehl, Wittenberg, Wandesbeck*, aliaque nonnulla, quæ in diplomatibus & documentis aliis laudantur. Quorum tamen qualitas & jura ad peculiares rationes juris feudalis Germanici & patrii provincialis, neutiquam ad communem normam juris Longobardici exigenda ſunt; id quod ex indole præſtandorum ſervitiorumque feudalium, *Mann und Roſs-Dienſte* onerumque provincialium, debitorum ex feudis ſolvendorum, juriumque oppignorationis, hypothecarum, alienationis, ſucceſſionis teſtamentariæ & legitimæ viduarumque beneficiis & proceſſuum ſingularibus facile eſt ad demonſtrandum.

r) Recte MUHLIUS *in præfat. ad orationem*, qua hiſtoriæ cœnobii Bordisholmenſis lineamenta vel argumenta quædam inter *diſſertationes ipſius hiſtorico-Theologicas p. 478.* ex donationum, ceſſionum & acquiſitionum tabulis expoſuit a. 1715. *Dignus* inquit *labor eſt, quem foveant omnes, quotquot de eo recte exiſtimant & dignitatem inſtituti aſſequuntur, quod nempe hiſtoriam etiam Holſatiæ noſtræ civilem, principum jura, tot nobilium & ſummatum decora, beneficia ſacra aliaque ſub oblivione hucusque ſepulta non minus adjuvare, quam ornare ſicque publico, ut mea opinio eſt, egregie prodeſſe poterit.*

De meritis S. Vicelini teſtimonia.

s) Quem *Viſcelinum* appellat HERMANNUS DE LERBECK; *Chron. Schauenb.* apud MEIBOMIUM *T. I. p. 498 503. ſeqq.* Unde conjeceris cum MEIBOMIO *T. III. in notis ad Hiſtor. Bard. p. 79.* nomen idem eſſe cum *Weſſel, Weſſelino, Wicislao* vel *Wentzel, Wencislao.* Vitam, elogia, virtutes & res geſtas S. Vicelini delineatas vide *in Originibus Bordisholmenſibus.* Quibus adde HELMOLDUM, Vicelini diſcipulum, in CHRON. SLAV. *L. I. c. 41. 42. 43. 73.* ANONYMUM *in Chronic. Slavor.* apud *Lindenbrogium c. 16. 17. ſeqq. c. 22. 23. ſeqq.* HISTORIAM *archiepiſcoporum Bremenſ. in vita Adalberonis & Hartwici p. 100. 103.* PRESBYTERUM *Bremenſ. continuat. Chron. Slav. c. 19.* KORNERUM *in chron.* apud ECCARDUM *in corp. Hiſtor. medii ævi ad ann. 1122. ſeqq.* CENTURIATORES *Magdeb. Cent. XII.* SOLINUM *Chron. Holſat. p. 23. & in Chronologia p. 120.* WOLTERUM *chron. Brem. ap.* MEIBOMIUM *T. II. p. 49. ſeqq.* CRANTZIUM *Saxon. L. 6. c. 15. p. 146. ſeqq. Metropol. L. 6. c. 13. 14. 15. ſeqq. p. 150.* HENR. MEIBOMIUM *in notis ad hiſtoriam Bardewici T. III. rer. Germ. p. 79.* & plures teſtes, quos citavimus *d. l. num. XXII.* In catalogo Bibliothecæ Bordisholmenſis laudatur etiam opuſculum *de Vicelini vita*, & ipſius Vicelini *epiſtola de Novo monaſterio*, quod utrumque B. MUHLIUS inter deperdita retulit. Sed primum ſupereſt etiam nunc, nec quicquam tamen diſtat a poemate, quod diplomatario Novimonaſterienſi hoc loco præmiſſum legitur. De viſionibus & miraculis Vicelini vide ALBERTUM STADENSEM *ad a. 1128. p. 162. 164. 189.* PRESBYTERUM BREMENSEM *apud Leibnitium in acceſſion. hiſt. p. 21.* CRANZIUM SAX. *Lib. 10. c. 36.* Effigiem ipſius ad archetypum in æde ſacra Neomonaſterienſi olim conſpicuam a. 1590. adumbratam diplomatario præfiximus. De ſatis effigiei ipſius feneſtræ cuidam ſacrarii Bordesholmenſis artificio veterum inuſta & colorata vide *in originibus Bordisholm. d. l.*

Opinio variorum de origine novi monaſterii.

t) Poema antiquum de vita S. Vicelini indicat annum 1124. verbis: *anno milleno centeno bis duodeno.* Plures fide ALBERTI STADENSIS, WOLTERI *chron. Bremenſi apud* MEIBOM. *T. II. p. 49. & inſcriptionis templi Bordesholmenſis in latere occidentali h. l. p. 101.* fundationem ad annum 1125. II. Id. Decembr. referunt. Quos ſequitur SOLINUS *chron. & chronograph. Holſat. p. 113.* CAESO GRAMMIUS *in Chilonio novo Holſatiæ Parnaſſ. p. 29.* Sed BANGERTUS *ad Helmoldum L. I. c. 47. &* DANCKWERTH *deſcript. Holſat. p. 193.* initium cœnobii circa annum 1127. vel 1128. factum exiſtimant. A quibus iterum diſſentit STAPHORSTIUS *T. I. eccleſ. Hamb. p. 531.* ubi pro anno 1130. militat. Auctor vero Chronicæ Holſatiæ apud LEIBNITIUM p. 44. originem adeo rejicit in annum 1110. *Tum*, inquit, *primum fides chriſtiana in terra Wagriæ; tunc Slaviæ Holtzatiæ per S. Vicelinum incrementum cœpit a. 1110. & hæc eccleſia ſeu novum monaſterium in honorem B. Virginis Mariæ fundatum eſt ab comite Adolpho I.*

Situs Neomonaſterii inamoenus.

tt) Plerumque monaſteria in locis formoſis & fœcundis condita fuiſſe ipſe obtutus facile oſtendit. Cecinit hoc HENRICUS RANZOVIUS, qui *Svaveſtadium* Anglo-Cimbricum, quod alii ab *Anglis Svevis* dictum volunt, a ſvavitate loci appellatum putat apud LINDEBERGIUM *in hypotypoſi p. 213.*

Quod ſvavi ſim ſtructa loco *Svapſtedia* dicor,
Svavia enim mihi ſunt paſcua, ſvavis ager.
Accubat a dextra tellus jucunda *paluſtris:*
A leva variis *florida ſilva* feris.
Non mirum Sleswiga tui, quod præſulis arx ſit,
Hi plerumque ſolent SVAVI *habitare loco.*

Sed

seu præpositura *v*), incrementis *w* occasu & translatione circa annum 1326. *x*) in Bardesholmiam, hujusque novis jurium & bonorum accessionibus,

---

Sed fallit hoc, si ad Novi monasterii oras, in quas S. Vicelinus vir doctrina & morum sanctitate pioque & stabili animo conspicuus, religionis causa commigravit, respexeris. Regionem enim ac loci situm HELMOLDUS *L. I. c.* 47. CRUMMENDICKIUS *Chron. Lubecensi*, AUTOR *poematis de vita S. Vicelini* & diplomata ipsa describunt *horroris & vastæ solitudinis plenum, campum vasta & sterili myrica perhorridum, terram inhospitam, in medio nationis Slavicæ pravæ & perversæ sitam, locum famis & egestatis, humano solatio destitutum, sedem spiritus immundi, accolarum agrestium & incultorum, piratarum & idololatrarum; habitationem gentis, Christianismi tantum nomen & umbram habentis, brutæ & cervicosæ.* Cujus generis appellationes de terra Slavorum plures leguntur in diplomatibus Sverinensibus ad a. 1170. 1177. 1185. 1191. Perstiterunt tamen S. Vicelinus & post ejus fata fratres ultra bini sæculi spatium in cœnobio Neomonasterienſi, in Bordisholmiam, locum silvarum umbris, aquis, pascuis, pagis undique ditatum sero satis translato. Nihilominus fratres Augustiniani & *Bardesholmiam* vocant locum solitarium ac malignis hostibus, quos *Tetmarcos* vocant, obnoxium. Quod patet ex antiquo MSCto Bordesholmensi, cui inserti sunt *articuli quidam interrogatorii cum responsionibus*, quorum numerus II. & III. hæc tradit: *Scit & credit, quod locus in Bardesholme, in quo dictum monasterium consistit, fuit & est locus solitarius nulli adjacens a duabus maximis leucis villæ, omni carens defensione & minime securus, in medio IIII. nemorum nuncupatorum Emekenby, Dudendorpe, Bellenbusen, & Brügge: Scit & credit, quod sæpissime venerunt & veniunt gentes nuncupati Tetmarci (Dithmarsi) & malignantium insultus devastantes & consumentes & rapiunt bona dictorum conventus & monasterii & eorum domus incendio supponunt & colonos atrociter occidunt, ita & taliter, quod dicti præpositus, prior & conventus sæpe perpessi sunt & patiuntur notoriam inopiam & famem.*

u) Libertatem vero augendi minuendique B. Augustini regulas nacti sunt ab Archiepiscopo Bremensi a. 1458.

v) Quem titulum salvis cæteroquin cœnobii juribus & honoribus abrogare & cum elogio *Prioris* commutare decreverat Dux Fridericus I. litteris ad a. 1490. adductis. Idem in aliis monasteriis factum esse refert BUSCHIUS *in historia visitationum & reformationum plurium monasteriorum inter Codices Bordisholmenses MSCt. f. 91.* & AUTOR *de origine & dilatatione Capituli* WINDESHEIMENSIS *L. I. c. 37.* cujus instituta & normam plurima monasteria certatim adoptarunt. Constat tamen ex chartis sæc. XVI. quod, qui post a. 1490. cœnobio Bordisholmensi præfuerunt, titulum Præpositi sibi vindicaverint & hæc dignitas ipsa demum cœnobii reformatione interierit. Vide Diplomatarium ad a. 1561. p. 549. *Cœnobii dignitas.*

w) Faciunt huc *bullæ papales* monasterio Neomonasterienſi & Bordisholmensi concessæ de a. 1229. 1232. 1233. *indulgentiæ* a. 1254. 1280. 1283. 1285. 1332. 1400. 1424. 1426. 1463. 1483. *pauperum curæ, hospitale & xenodochium* instituta, testantibus chartis ad a. 1237. 1265. 1294. 1349. *cœnobium novum* virginibus sacris dicatum a. 1265. seqq. *decimæ, donationes & acquisitiones*, quas in originibus Neomonast. & Bordish. summatim enarravimus. Adde confœderationes, societates, fraternitates & conventiones initas cum conventu generali *ordinis Cistercienſis* a. 1280. cum fratribus *Augustinianis* monasterii & ecclesiæ montis S. Mariæ in *Jasenitz*, apud Pomeranos a. 1334. item cum fratribus de observantia *conventus Halensis novique operis prope Hallas* a. 1302. 1487. & cum fratribus Benedictinis monasterii *Zismariæ* a 1389. præcipue conjunctionem cum inclyto capitulo generali *Windesemensi* Trajectinæ dioeceseos, de qua ex diplomatibus ad a. 1486. 1490. 1495. 1499. & libris bibliothecæ Bordisholmens. MSCt. varia ratione constat. In quorum numero sunt (1) liber *de illustribus viris ordinis Canonicorum regularis monasterii in Windesheim* (2) *Breviarium consuetudinum & Canonicorum regularium instituti divi Patris Augustini episcopi congregationis Windesimensis ad ordinis exemplaria diligenter recognitum, addito Calendario magno, in quo omnia secundum ordinarium Capituli præscripta, seorsim tamen addita sunt, quæ etiam aliis extra diœcesin degentibus convenire possunt, a. 1510. 1519. fol. CXLII.* (3) *Calendarium Bordisholmense de rebus & negotiis cœnobii Bordisholmensibus* ad instituta & consuetudinem Windesheimensium conformatis. (4) *Libri IV. de origine modernæ devotionis nec non de origine monasterii Windesemensis & de origine Capituli ejus generalis & de dilatione ejusdem.* In cujus voluminis Libro I. c. 1-36. agitur de NICOLAO DE CASA *Cardinali Legato, & quomodo ille visitaverit Alemanniam veneritque anno Jubilæi in Windesemen. & cap. 37. de historia visitationum primorum trium monasteriorum, de fundatione monasteriorum in Amsterdam, & de privilegiis a sede Apostolica & episcopo Trajectensi impetratis, de monasteriis Capitulo Windesemensi successive incorporatis, de monasteriis septem in Brabantia aliisque quatuor virorum & sanctimonialium, iterumque de XII. monasteriis & tribus aliis Capitulo laudato unitis, deindeque de aliis triginta quinque monasteriis novis & antiquis utriusque sexus capitulo Windesemensi postmodum incorporatis.* Liber II. exhibet vitam venerabilis Magistri GERARDI M. Liber III. vitam FLORENTII devoti presbyteri & vicarii ecclesiæ Daventriensis. Liber IV. vitam *discipulorum & congregationes clericorum in Deventria.* *Incrementa eorumque media & rationes.*

x) Vide diplomata ad a. 1290. 1291. 1328. seqq. Quin ædificium ipsius monasterii Bordisholmensis jam a. 1219. exstrui cœpisse contendit VICOSTADIUS *in miscellaneis MSCt.* provocans ad lapidem quadratum ædificii parti, quæ boream respicit, subjectum cui numerus 1219. insculptus reperitur. Idem autor est, templum Bordisholmense conditum fuisse a. 1209. quod asserit fide annotationis cujusdam in templo versus meridiem reperiundæ. Translationem vero Neomonasterii Bordisholmiam factam plures rejiciunt demum in a. 1332. præeuntibus BANGERTO, DANCKWERTHO, CORONÆO in originibus Bordisholmensibus h. l. Quos secuti sunt PONTANUS *hist. Dan. L. VII. p. 454.* GRAMMIUS *c. l. p. 29.* MÖLLERUS *isagog. in histor. Chersonesi Cimbricæ P. 3. p. 376.* NODT *in spicilegio memorabil Bordisholmensium.* Exempla vero alia translationis monasteriorum in loca tutiora & amœniora vide apud PAULINUM, BUSCHIUM *d. l.* LEZNERUM *in chronico Heynensi* & LEUCKFELDIUM *in antiquitatibus Michaelsteinensibus*, aliosque qui speciatim referunt de Cistercienſium cœnobio *Morimundo* olim in *veterem campum* *Translationis in Bardesholmiam auspicium.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus *y*), officialibus, advocatis *z*), beneficiis, privilegiis ab Imperatoribus Regibus, pontificibus, archiepiscopis, comitibus, ducibus & nobilibus indultis, impetratis etiam sæpe exemtionibus ab omni potestate, onere & servitiis, concessis immunitatibus, judiciis majoribus & minoribus, latifundiis, ædificiis, cimeliis sacris *) & reliquiis, casibus adversis, & decrementis **), reformatione ***) aliisque memorabili-

---

prope Coloniam, hinc *Lolbachum* Hassiæ, porro in novum monasterium *Rieffenstein* apud Eichsfeldenses & inde demum in *Michaelsteinum* noviter ab iis exstructum translato. Pertinet huc, ut plura taceamus, exemplum monasterii Megapolensis *Soliscampi*, vulgo *Sonnenkamp*, translati in *Novomonasterium*, vulgo *Neumünster* prope Wismariam exstructum. Unde in notula ad diploma Athelberti Archiepiscopi Hamburgensis *h. l. p. n.* & in originibus Neomonasterienſibus in conjecturam concessimus, quod cœnobium quoddam *Münsterdorpium*, cujus nominis villa inter Itzehoam & prædium Bredenburgum sita hodieque supereſt, translatum fuerit a S. Vicelino in Falderam, *novum* inde *monasterium* appellatum. Forte etiam *coenobium novi operis*, in vernacula *Neue Werck*, inter Halam & Givekenstein ab archiepiscopo Adelgoto a. 1116. conditum, denominatum est a nova institutione seu *renovatione* veteris alicujus monasterii. Quamvis *Dn.* DE LUDEWIG *præf. ad T. V. Reliq. p. 2.* causam adpellationis in eo reposuerit, quod hoc cœnobium ingenti statim apparatu opum ac reliquiarum ditatum haud provenerit creveritque ex tenuibus initiis sed statim acceperit perfectionem & complementum. Unde infert: *ad stuporem excitandum ejus spectatori illud dictum fuisse arbitror novum opus tempore quidem sed non re ac divitiis, quibus illud posset certare cum antiquissimis.*

Cœnobii Bardesholmiæ incrementa.

y) Ad quas refer *adjunctionem ecclesiæ parochialis Kilienſis & Bruggenſis* cum omni jure patronatus de qua ad a. 1322. 1328. 1341. 1301. 1400. 1415. 1416. 1422. 1424. 1472. 1479. 1481. *curam ac tutelam Pontificum ac Ducum* ad a. 1332. 1334. 1374 *protectionem* capituli Bremensis a. 1482. *jus visitandi ecclesias Zverinenses* ab Archiepiscopo Borchardo concessum a. 1333. De donationibus & accessionibus aliis supra diximus, quibus præcipue munificentiam comitis Holsatiæ Hinrici adnumerant PETERSENIUS *Chron. Holſ. a. 1421.* ZEILLERUS *topograph. Saxon. inferioris, voce Bardesholm p. 41.* PONTANUS *histor. Dan. L. 9. p. 565.* qui ibidem *in Chronographia Dan. 669.* Bordisholmiam Abbatiam vocat. Adde SVANINGIUM *in vita Christierni Lib. 3. c. 1 p. 407.* ibique de Christiani II. et Friderici I. Ducis Gottorp. conventu in cœnobio Bardesholmensi.

Memoria Pogwischiorum.

z) Quorum partes privato instituto præcipue *Pogwischiis, Wulfiis & Wischiis* ob bene merita in cœnobium collata traditas fuisse constat ex chartis a. 1463 1490 In templo Bordisholmensi memoria Hans Pogwischii mortui a. 1418. et Wulfgangi Pogwischii a. 1554. defuncti legitur *in lapide sepulchrali* haud procul a veteri suggestu posito, et *in suspenso epitaphio*, quod vide apud NATHAN. CHYTRÆUM *in deliciis Europæ itinerum p. 589.* adde ELVERFELD *de Holsatia* ibique *de familia Pogwisch. class. 2.* ab a. 1239-1581. ANGELUM *Chron. Holsat. P. 2. in familia Pogwisch. p. 90.* DANCWERTH *d. l.* Monumenti, quod Friderici I. Regis Daniæ conjugi in templo Bordisholmensi sepultæ exstructum est, sepulchralis ex orichalco facti mentionem injicit ERP. LINDENBROGIUS *in edita anonymi historia compendiosa Regum Daniæ p. 165.*

Reliquiæ sanctæ.

*) Quarum præcipuus supereſſe dicitur apparatus, exhibitus in imaginibus, quas a. 1526. haud imperita manus integro libello expressit et recensuit, additis nonnullorum vasorum sacrorum rerumque aliarum Bordesholmensium lineamentis. Singulare S. reliquiarum festum septimo Kalend. Octobris Bordisholmiæ celebratum fuisse constat ex Henrici archiepiscopi Bremensis diplomate a. 1470. De exuviis S. Vicelini Novimonasterii sepultis et circa a. 1332. Borsholmiam translatis, ibique ante summum altare in medio sanctuarii depositis, iterumque a. 1490. erutis, et haud procul a sacrario ad septentrionis plagam terræ mandatis, vide compendium vitæ ac translationis S. Vicelini ex antiquo epitaphio templi Bordisholmensis editum ab HELDUADERO *in silva Chronologica circuli Balthici p. 52. seqq.* STRUVIO, LEIBNITIO, MUHLIO et ex CORONÆI MSCto præmissum *diplomatario Neomonasterienſi h. l. p. 8.* Quibus adde narrationem veridicam de S. Vicelini corporis translatione e codice MSCto mox adponendam. Miraculum quod CORONÆUS *in antiquitatibus Bordisholmenſ. h. l. p. 593.* die transportationis ossium S. Vicelini factum comminiscitur, facile inde subleſtæ fidei postulabitur cum in memoriam miraculi pagus *Mödebrock* proxime post a. 1332. a monachis ædificatus dicatur, cujus tamen jam mentionem chartæ a. 1238. injiciunt teste *Diplomatario num. 29. 31. p. 36. 37.* Inde forte autor, qui *narrationem veridicam* scripsit, miraculum illud paulo meliori ordine proposuit, nec isti illud fabulosum de originibus pagi *Mödebrock*, additamentum adsperſit. Qua vero occasione ossa S. Vicelini denuo a. 1613. effossa et in alium locum transportata sint, dictum est in originibus Bordisholmensibus ad a. 1613. Nostra etiam ætate, qua Regiæ Celsitudinis Ducis regnantis CAROLI FRIDERICI auspiciis et opera templum Bordisholmense instaurari et ad usus sacros iterum dicari cœpit, cineres et reliquias ossium S. Vicelini reperta denuo ac in locum sacrum, licet incertum, reconditas fuisse ex relationibus et mandatis forte haud vane colligitur. Quod idem renovationis negotium et plurium sanctorum reliquias detexit, inter muros loci sacri quem vulgo *sacristam, sacristiam* dicimus, reconditas, et capsulis, quibus nomina sanctorum in membranis adscripta fuerant, mira industria, arte et circumspectione inclusas. In quo loco nunc molliter recubant sanctissimæ reliquiæ ipsius religiosissimi ædium sacrarum restauratoris Ducis CAROLI FRIDERICI Principis magnanimi, pii, sapientis, ecclesiæ præcipue et patriæ indulgentissimi, vita non longæva sed æterna simul et glorioſa nunc inter sanctos fruentis beatissime. Cujus cineres in benedictione quiescant memoriaque condigne perennet sempiterna recordatione.

Decrementa.

**) De quibus testantur Albertus Archiepiscopus Bremensis in charta ad a. 1361. 1364. & documenta alia de violentia & exactionibus, quibus fratres adacti sunt cœnobium transferre, & in Kiliam commigrare. Vide ad a. 1375. 1379. Refer huc catalogum contractorum debitorum, quibus cœnobium oneratum fuit a. 1376. item turbatæ jurisdictionis documentum a. 1371. & charta de prædiis, urgente ære alieno, divenditis & in Henricum Ranzovium & Casparum Wittorpium translatis a. 1526. 1535. 1543.

***) De

rabilibus argumenta ſelectiora e diplomatario ſponte eluceſcunt, quæ conſignandæ accuratiori cœnobii hiſtoriæ apprime inſerviunt vel quæ ab aliis delineata ſunt, amplificant & emendant. Nolumus nunc his delitiis immorari, nec alia ad jura vetera patriæque ſtatum & antiquitates illuſtrandas ſpectantia diplomatum argumenta hoc loco pluribus perſequi. Formula ſaltim SELLANDIÆ, quam omnium frequentiſſime in diplomatibus Holſaticis & Bordisholmenſibus, in aliis rariſſime obſervaveris, ſibi demandare nunc viſa eſt meditationis nonnihil & luminis. Nec quicquam enim, quod ad vocem, ejusque ſignificatum faciat, reperiundum eſt apud Lexicographos rerumque hiſtoricarum & etymologicarum medii ævi peritos interpretes. Solus LAMBECIUS *L. 2. rer. Hamb. p. 80.* in mantiſſa diplomatum ad chartam Thitlevi de Biſtecſe de poſſeſſionibus quibusdam eccleſiæ Novimonaſterienſis not. 5. paucula hæc notavit: *De Selandia, cautionis ſpecie, quæ olim in uſu fuit, nondum ſatis mihi liquet; id tamen moneo, eam in alio quodam antiquo diplomate appellari cautionem vulgariter dictam Sele.* Quæ quidem formulæ in Diplomatario Neomonaſterienſi ſponte ſe offerunt. In charta de emta a. 1265. a fratribus de Rolverſtorpe parte molendini & terræ in uſum hoſpitalis Neomonaſterienſis hæc leguntur: *Hujus venditionis certitudinem, quæ vulgariter dicitur Sellandia & Warandia, ſecundum terræ conſvetudinem fecerunt prædicti fratres in præſentia & audientia plurimorum.* Eadem occurrunt in diplomatibus ad ann. 1298. p. 65. & ad a. 1300. p. 69, ubi Selandia ac Warandia dominica poſt feſtum omnium ſanctorum in eccleſia Brugge factæ dicuntur ſecundum jus & conſuetudinem terræ. In charta Eleri Friſonis ad annum 1308. p. 71. Selandia præſtita legitur in cemiterio coram pluribus fide dignis. Et in documento venditionis Henrici Reventlow ad ann. 1331. p. 108. occurrit formula: *Et cautionem, quæ vulgariter dicitur Sele, fecimus coram plebe.* Quæ repetitur in diplomatibus ad ann. 1334. p. 116. In charta vero a. 1339. p. 140. famuli Rughemor, emtori Thomæ Delf ſecundum Jus Holtzaticum promittunt præſtationem *Zele & Ware*, ſi congruum emtori viſum fuerit, penitus faciendam propriis expenſis. Idem fere in documento venditionis trium arearum in villa Brugge & villa Gripesbarge ad a. 1349. p. 183. patet ex formula venditoris: *Ceterum cautionem, quæ vulgariter* SELE & WARE *dicitur, coram tota parochia more & jure terræ in cimiterio villæ Brugge & prædicta villa manifeſte præſtiti.* Cujus argumenti formulas plures vide in chartis ad annos 1358. p. 210. 1362. p. 232. ſignificantius ad annum 1376. p. 257. in charta Joannis Præpoſiti & conventus Zeghebergenſis aſſeritur, quod conventui Bordesholmenſi *juxta ritum terræ coram Parochianis cum firma Warandia & ZELANDIA dimiſerint & reſignaverint ſex meſas ſiliginis in villa Rycklingen.* Quod idem innuunt formulæ chartarum ad a. 1386. p. 280. 1392. p. 289. ubi ita: *In dieſem vorbenömeden Gude ſchal Tödecke* (venditor) *unde ſine rechte Erven den Herrn van Bordisholm* UPLATEN *enen fryen* ERFFZELEN *und fürtho entfryende unde tho* WARENDE *Jahr und Dach, unde als in dem Lande en Recht iſt.* Et infra: *Wann de Bethalinge geſcheen ys, ſo ſchal Tödeke deme van Bordisholm antworten all dit vorbenohmte Guth frey unde unbeworen Leen,* ZELE *unde* WARE, *als hier beſcreven ſteyt, ane vor Anſpracke der Herren des Landes; dat waret he nicht.* Quæ omnia luculenter repetuntur & declarantur in chartis ad eundem annum p. 291. 293. & ad annum 1394. p. 300. 1408. p. 310. ſeqq. Ex his ſponte naſcitur conjectura, quod formula *Selandiæ* accipienda ſit pro ſolemnitate reſignationis dominii hujusque inveſtituræ, quæ jure veteri Germanico *a*) hodieque in Holſatia & Saxonia

Formula Sellandiæ ſeu inveſtituræ judicialis.

Hujus ſignificatio ex moribus Germanorum.

***) De qua diximus in fine originum Bordisholmenſium. Adde paucula, quæ de cœnobii reformatione evangelica, obnitentibus patribus quidem *Windeſemenſibus, M. Stammero, Jo. & Bertramo Pogwiſchiis a. 1544.* auſpicata, deinde gymnaſii erectione hujusque fatis & demum in Kiliæ academiam translatione notarunt MUHLIUS *d. l. p. 534. ſeqq.* TORQUATUS *panegyrica inaugurationis acad. Kilon. deſcriptione edita 1666.* WINCKELMANNUS *Chronic. Oldenburg. ad a. 1659. p. 489. ſeqq. & in Amphitheatro orbis hiſtor. Polit. p. 160.* GRAMMIUS *d. l. p. 30. ſeqq.* HENNINGES *oratione panegyrica hebraico-latina dicta in funere Friderici Ducis Holſatiæ p. 5.* LAURENTIUS Paſtor inſulæ Föhrenſis, *in epigrammatibus MSCtis* et viri rerum hiſtoriarumque patriæ inſigniter periti, LACKMANNUS *P. 1. introduct. in hiſtor. Sleſv. Holſat. p. 581. ſeqq.* NODTIUS *ſpicileg. de memorab. Bordish. ad a. 1565. p. 8. ſeqq.* *Reformatio.*

a) Teſtantur de hac inter Germanos recepta inveſtitura & alienatione rerum allodialium judiciali antiquæ Leges Salicæ, Ripuariæ, Alemannorum, Bojorum, Oſtrogothorum, Longobardorum, Danorum, Suecorum, quas LINDENBROGIUS *in Gloſſar.* & VERPOORTENIUS *de inveſtitura allodiali* *Inveſtitura rerum allodialium Germanis conſueta.*

nia *b*) fieri ſolet in emtionibus & venditionibus rerum allodialium immobilium *c*) præcipue urbanarum; quam reſignationem judicialem vocamus *die Gerichtliche Verlaſſung*. Facta illa olim eſt diebus Dominicis in templis vel cemiteriis, vel ſub dio in campis, in mallis ac judiciis veterum paganis & provincialibus; prouti ex chartis d. l. ad annos 1349. 1462. 1496. facile colligitur. Ex eo vero, quo judicia civica & pagana ordinatius conſtituta ſunt, recentiori noſtroque ævo, illa quidem ſolemnitas ſecundum normam ſtatutorum vel ordinationum forenſium obſervari cœpit die quodam judiciali in curiis ac judicio, addita ſolemni, quam Magiſtratus prælecto publico venditionis contractu pronunciare ſolet, formula traditionis *d*): *Venditor rem venditam reſignat*, nimirum Judici, *emptor accipit eandem in dominium, ſalvo cujuscunque, ſi intra quatuor hebdomadas id docuerit jure; reſervato, ſpeciatim jure civitatis.* Quam formulam traditionis emtor & venditor vel eorum mandatarii erectis digitis adſtantes juramento obſignant, in cujus rei fidem teſtes nonnulli e civium præſentium numero advocantur, ipſeque reſignationis & inveſtituræ actus judicialis & teſtibus corroboratus in protocollum deſcribitur & in cataſtro ſeu matricula civitatis adnotatur, nomine priſtini poſſeſſoris ædium in eadem deleto. Olim majores, qui fide germanica, verbis ſaltim, non ſcriptura declarata, innitebantur, hunc actum ſymbolis *e*) & ſignis externis, haſta, ſtipulis, ſagittis,

Holſatorum.

---

allodiali §. 27. 28. ſeqq. recenſuerunt. Idem patet ex iure *provinciali Saxonico L. 1. artic. 8. 9. 34. 52. L. 2. art. 24. 26. 30. Weichbildico art. 60. 61. feudali Saxonico c. 69. & Suevico* ſeu Alemannico *c. 308. 311. Lubecenſi Lib. III. tit. 6. artic. 1. & Hamburgenſi* docente SLÜTERO *tr. de reſignatione judic. Hamburgenſi.* De aliis legibus provincialibus & ſtatutariis ſpeciatim Auſtriacis, Brunſuicenſibus, Luneburgenſibus, Bremenſibus, Antwerpienſibus, Hollandicis. vide LAUTERBACHIUM *ad Jus Würtenb. P. II. Tit. 9. §. 20.* SCHILTERUM *exercitat. ad ff. 30. §. 41. ſeqq.* Concentum *Budiſſinenſium* ſtatutorum docuit D. HOMMELIUS *diſſert. de ſolemnibus vendition. §. 12.*

Hodieque in Saxonia uſitata.

b) Teſtes ſunt BAYERUS *delin. Jur. Germ. L. 1. c. 19. §. 4. 25.* CARPZOVIUS *L. 1. Reſponſ. 102.* B. KLEINIUS *diſſert. de reſignatione judiciali c. 1. n. 19. 137. ſeqq.* HENR. BALTHAS. ROTHE *de reſignatione dominii judiciali Jure Saxonico electorali neceſſaria p. 9. ſeqq.* Quibus præcipue addi merentur L. B. de WERNHER *diſſert. de effectu traditionis rerum immobilium allodialium ſine judiciali inveſtitura edit. 1727. & in obſerv. forenſ. P. 3. obſerv. 25. n. 6.* AUGUSTINUS LEYSER *meditat. ad Pandect. ſpecim. 446.*

c) Quod argumentum de inveſtitura rerum allodialium immobilium ſpeciatim egregio ſtudio explicuerunt JO. PHIL. SLEVOGT *diſſert. de allodialis inveſtituræ renovatione:* JOACH. DECHERUS *de inveſtitura Saxonica in rebus allodialibus p. 5. ſeqq.* VERPOORTENIUS *in doctiſſimæ commentatione de inveſtituræ allodialis originibus edit. 1715;* GEBH. CHRISTIAN. BASTINELLER *diſſert. de inveſtitura bonorum allodialium immobilium, habita Viteb. 1738. c. 2. & 4. 5.* in quibus agitur *de origine, qualitate & effectu inveſtituræ Saxonicæ intuitu allodiarum.*

Ratio hujus inveſtituræ.

d) Rationem hujus inveſtituræ allodialis ejusque originem JO. MEYERUS *comment. de inveſtituræ Saxonica in rebus allod. c. 2.* male repetit a veteri jure Romanorum *Quiritario & bonitario*, quod ab inſtitutis & moribus Germanorum fere ut palma a pugno diſtat. Vide BYNCKERSHOEKIUM *opuſc. Tom. II. p. 196.* GRAVINAM *in orig. Jur. civ. p. 202.* Rectius hanc in Germania natam conſuetudinem reſignationis judicialis deduxeris a temperato dominio directo vel jure ſuperioris in bona ſubditorum. Docent hoc Dn. BÖHMERUS *Jur. publ. univerſ. L. 1. c. 2.* HERTIUS *diſſ. de ſuperiorit. territor.* BAYERUS *ſpec. Jur. Germ. d. l.* JO. BURCH. VERPOORTEN *de inveſtitura allodialium ejusque originibus auctoritateque præſenti §. 4. ſeqq. §. 7. ſeqq.* SPERLE *de clypeis militaribus p. 227.* Præcipue BASTINELLERUS *d. l. c. 1. p. 8. ſeqq. c. 2. §. 3. p. 15. ſeqq.* hoc argumentum erudite ſtabilivit, illuſtravitque tam rationibus quam exemplis repetitis a prædiis cenſiticis, curmedicis, landfideliis, eccleſiaſticis ſeu precariis, aliisque villis reipublicæ cauſa inter incolas diſtributis vel in beneficia conceſſis, tum & ab ipſis originibus & rationibus jurium indigenatus, Albinagii & detractuum. Quibus accedit locus e *Wendelino* infra adſcribendus. Recte omnino HEINECCIUS *Element. jur. Germ. L. II. p. 382: Inveſtitura hæc non datur a judice ſed a magiſtratu, vera quoque eſt inveſtitura non nuda confirmatio. Ex quo recte colligitur, morem hunc non ex ſervili municipum conditione repetendum eſſe, ſed ex dominio illo univerſitatis in agrum univerſum, ex quo collegerunt, univerſitati eamque repræſentanti magiſtratui dominium directum in fundos omnes competere adeoque novos poſſeſſores obſtrictos eſſe ad petendam inveſtituram.* Formulam modumque Saxonibus olim, & Anglis hodieque uſitatum transferendi prædia refert SPELMANNUS *Gloſſ. Archæol. p. 234: Mevius terras vendidit Sempronio, veniunt ambo in curiam, & Mevius, venditor, virgæ ſeu* FESTUCÆ *finem unum manu ſua aſſumens, alterum in manum Seneſchalci curiæ, qui domini vicem ſuſtinet, tradit, inquiens:* SURSUM *reddo in manus domini illa prædia ſeu terras illas ad opus & uſum Sempronii & heredum ſuorum; prodit deinceps Sempronius, emtor, cui Seneſchalcus ſimili modo virgam porrigens ait: Dominus iſtius Manerii per manum mei, Seneſchalci ſui, concedit tibi illa prædia ſeu terras tenendum tibi & heredibus tuis per virgam ad voluntatem domini ſecundum conſuetudinem Manerii &c. dominique nomine fidelitatem accipit a Sempronio modo, quo dicitur jam admiſſo.* Plura de hoc alienationis modo & ſolennibus *Anglo-Saxonum* legi meretur GEORGIUS HICKESIUS *diſſert. epiſtolari de antiquæ literaturæ ſeptentrionalis utilitate*, quam præfixit tom. II. theſauri linguarum ſeptentrionalium.

Ejusque ſolemnium & ſymbolorum.

e) Ingenuo animo fideique Germanorum hoc tribuendum eſt, quod ſymbolorum amantiſſimi fuerint iisque animi mutuam voluntatem & actionem palam oſtenderint. De ſymbolis veterum Germa-

gittis, glebis manifeſtarunt, ut vel ex iis actio & ſenſus contrahentium explanatius innoteſceret. Quæ vero aliaque ſymbola ex eo puto ævo in deſuetudinem ſenſim abierunt *f*), quo in Germania loco contractuum oralium pactorumque conſenſualium invaluerunt contractus libellarii, conventiones in ſcripturam redactæ, donationes inter vivos, teſtamenta ſolemnia, ne dicam de aliis inſtitutis & ſolemnitatibus in curias & judicia introductis. Paſſim tamen illæ ſolemnitates etiam nunc ſuperſtites ſunt vel veſtigia produnt. Teſte enim *L. B. de* BERGER *in Oeconom. Juris L. 2. Tit. 2. §. 19.* BAYERO *Specim. Jur. Germ. L. I. c. 19. §. 11.* in antiqua urbe electorali *Libenwerda* inveſtitura allodialium immobilium hodieque peragitur *fronde viridi interveniente.* Quod & Torgaviæ fieri iidem notant. Præſtat vero ex ipſis antiquis ſtatutis civitatis Torgavienſis de anno 1537. c. 4. recenſere verba ſingularia: Der, ſo ein Haus verkaufft hat, ſoll das nach gebetener Laube mit dem *Reiſſe* (ramo, feſtuca) in die Gerichte auflaſſen und nach beſchehener Anzeige, vvie theuer und in vvelcher Geſtalt der Kauff geſchehen, den Lehnſchatz, als von jedem Schock 4. neue Pfennige geben; nach dieſem läſst der Richter den Kauff und das eingelegte Reiſs ausruffen, das vver davvider zureden hat, der ſoll es jetzo thun; nach dem Geruffe, und vvann der Käuffer das Haus und angelegte Reiſs ihm zu erkennen und zu leihen bittet, nimmt der Richter daſſelbe und reicht es dem Käuffer ſprechend: vveil das Reiſs ausgeruffen und niemand davvieder iſt, ſo leihe ich es euch von Gottes, Rechts und

Solemnitates apud Saxones.

Torgavienſes.

Germanorum in cultu divino, in comitiis ac mallis, in nuptiis aliisque inſtitutis adhibitis teſtes & interpretes ſunt TACITUS *de moribus Germ. c. 11. 18. 19.* HACHENBERGIUS *in Germ. media p. 282.* Derivata inde ſunt alia plura negotiorum monumenta & ſigna, quorum veſtigia reperiuntur in *Chrenechruda* LEGIS *Salicæ Tit. 61.* in manumiſſione per ſagittam & denarium lege *Ripuaria, Salica & Longobardorum* introducta; in adoptionibus Germanorum per clypeos, capillos, chirothecas; in baculi fractione in criminalibus; in cambocæ ſeu baculi paſtoralis traditione; in dationibus *des Hafftgeldes*, ſeu arrharum, annulorumque ſponſalitiorum; in veteri modo creandi Scabinos horumque indumentis, palliis, pileis a *Speculatore Saxon. l. 3. art. 69.* laudatis; in diſtinguendis & memoriæ commendandis finibus per lapillos, carbones, alapas adſtantibus inſligendas; in clavium traditionibus; in executionibus per ſciſſuram fruſtuli ex janua & hujus generis aliis, quas recenſent DU FRESNIUS *c. l* EVERARD. OTTO *in jurisprud. ſymbolica exerc. I. c. 10. 11. ſeq.* & HOFFMANNUS *de Jurisprud. ſymb. c. 34.* Præſtat hoc loco ſpeciatim ſymbola a Germanis in dominiis transferendis ſeu in negotiis inveſtituræ allodialium adhibita evolvere. Conſtat de iis ex *Lege* SALICA *Titulo 9.* qui agit de *adramire ſeu adframire*, hoc eſt de deſignatione heredis facta per ramum vel feſtucam in alicujus ſinum projectam; et ex *formulis* MARCULPHI *apud* BIGNONIUM *F. 153. 154. 155.* quæ dominii translationis ſymbola dicunt *feſtucam & durpilum, portas & oſtia, herbam & ceſpitem vel terram de ipſo prædio vel manſo.* Spectat huc charta Liemari epiſcopi de traditione *Asbecke* & *Alersbecke* per chirothecam facta, in privilegiis Bremenſis apud LINDENBROGIUM *ſcriptor. rerum german. p. 147. Et ipſe cum herede traditiones omnes ex novo fecit & eorum prædiorum, quæ prius pro emendatione dederat & ejus prædii, quod in hoc chirographo pro pactione beneficii dediſſe eum apud Alarbecke commemoravimus, ipſe cum* CHIROTHECA, *ſicut* MOS *eſt, tradens hæc omnia prædicta ſuper crucem & reliquias noſtras ex novo dedit.* Accedit teſtimonium INGULPHI *in hiſtor. monaſterii Croylandenſis apud* SAVILIUM *in ſcript. Anglic. p. 70. Conferebantur*, inquit, *primo multa prædia nudo verbo abſque charta, tantum cum Domini gladio vel galea vel cornu vel cratera & plurima tenementa cum calcari, cum ſtrigili, cum arcu & nonnulla cum ſagitta.* Idem docent GONZALEZIUS TELLEZ *in comment. ad tit. de conſuet. X. p. 171.* LEHMANNUS *chronico Spirenſi, L. 12. c. 30.* SCHILTERVS *praxi Jur. Rom. exercit. VIII. 8. p. 164.* aliique a DU FRESNE citati. Adde HEINECCIUM *element. jur. German. L. 2. Tit. 3. §. 77. p. 426. ſeqq.* BASTINELLERUM *programm. de ritibus inveſtitura concedenda uſitatis edit. 1720.* aliosque qui ſymbola Germanis in tradendis allodiis uſitata recenſent ſequentia, glebae injectionem, feſtucam, haſtam, virgam, guantonem ſeu guantum, hoc eſt chirothecam, culmum, ſtipulam, fuſtem, cultellum, amphoram, claves, cornu, corrigiam, denarios, lapides, libros, lignum, pallia, bibliothecam, candelabrum, linteum, ſpathicapulum, zonam, tactum oſtii, gramen, juncum, vel ſcirpum viridem, calceos, cingulum, mappulas, malleos, nodos, floccum capillorum, coronam aliaque ſigna affinitatem plerumque quandam habentia cum re, quæ vendebatur vel reſignabatur.

Horumque varietas in transferendis rebus allodialibus

f) Non tamen, quod HOFFMANNUS *diſſ. de Jurisprud. ſymbol. c. 4. §. 5.* aſſerit, hanc inveſtituram ſymbolicam a feudalibus rebus ad allodiales, ſed ab his potius ad illas extenſam et adplicatam fuiſſe putaverim. De ſymbolis vero in inveſtitura feudali olim adhibitis, qualia fuerunt haſtæ, clypei militares, veſtes, bireta, pilei, ſceptra, baculi, enſes, vexilla, annulli, ſcuta, coronæ, cruces, claves, arma, funis, campanæ, conſule GUNDLINGIUM *diatribe de feudis vexilli:* SCHILTERUM *commentar. ad jus feudal. Allemann. c. 1. §. 1. c. 4. §. 9. & de inveſtitura ſimultanea principum c. 1. Dn.* DE LUDEWIG *in form. Duc. Brandeburg. c. 3. §. 4. lit. e.* PHILIPP. SPERL *tr. de clypeis militaribus Germanorum §. 3. p. 185.* STRUVIUM *ſyntagm. jur. feudal. c. 8.* CAMERARIUM *hor. ſubciſiv. cent. 1. c. 6.* CIRONIUM *in compil. decretal p. 87.* SIMON *von* LÖWEN *cenſ. Forenſ. p. 1. L. 2. c. 21. p. 149.* et qui hoc argumentum omnium pleniſſime excuſſit DU FRESNE *gloſſar. inveſtitur. T. IV. p. 1520. - 1539.* Spectant et huc ſymbola illa, quibus præſtationem ſervitiorum vel recognitionem feudorum olim comitati ſunt vel hodie comitari ſolent, de quibus infra dicendi locus erit ad conjecturam V. de origine Martinalium Sverinenſium.

Et bonis feudalibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

und Gerichts vvegen und gebiete euch Frieden. Ex quibus verbis plura innoteſcunt, quæ ad veterum Germanorum *adrhamitionem* & inveſtituram bonorum allodialium, a magiſtratu rempublicam repræſentante olim requirendam facere videntur. Eandem conſuetudinem apud marcarum *Horn & Jubin*, propre urbem Dommitſch ſitarum incolas uſitatam appoſite ex actis judicialibus obſervavit laudatus BASTINELLERUS *d. l. c. 5. §. 16.* ubi ita: *Dominus dictarum marcarum ab emphyteuta quodam a. 1697. litteris ſupplicibus exoratus fuit: Daſs der Herr als Erb-Lehn- und Gerichts-Herr der beyden Marcken ihm ſeine in Horn gelegne Wieſe durch das* REISS *in Lehn und Würden reichen und geben vvolle; cujus precibus gratificatus eſt dominus & literas inveſtituræ ei dedit, quibus inſerta ſunt verba: daſs demſelben obgedachte Horn-Wieſe gerichtlich durch das Reiſs in Lehn gereichet vvorden.* Idem de moribus Torgaviæ civitatis ex uſu hodierno addit, quod prætor reſignatione dominii coram Senatu facta inveſtituram per traditionem feſtucæ ſeu ramuli & quidem tricipitis a betula exciſi perficiat. Ritum a civitate Halenſi receptum deſcripſit LUDEWIGIUS *de jure clientelari Germ. p. 52. in notis: In Halenſi*, inquit, *civitate antiqua conſuetudine Lehn auflaſſen, in Lehn und Würden geben ille actus dicitur, quo ædes urbis, quæ cujusque civis privati propriæ ſunt, in matricula reipublicæ emtori novo adſcribuntur. Quid! quod etiam ſymbola feudis ſolemnia adhibeantur in novi civis inauguratione, quippe Conſulis pileum is attrectat.* Collineat huc, quod *Dominus de* LUDOLF *T. IV. der Schau-Bühne der Welt c. 2.* notavit de inveſtitura per pileum in Pomerania uſitata. In Saxonia ritus inveſtituræ peragitur apertis januis judicii præviaque præconis denunciatione & vel præſentibus in tribunali ſcabinis judicioque annunciato vor gehegter Banck; vel porrecta dataque manu, ut Wittebergæ conſuetudo eſt, vel interveniente baculo, quem emtor vel acquirens attingit, prouti de Lipſienſium moribus teſtatur MEYERUS *de inveſtit. Saxon. in rebus allod. c. 5. §. 5.* Forte igitur haud aberraverim, ſi *Sellandiam*, vel quod in chartis ad a. 1327. 1331. legitur, *Sele, Salle, Seliam*, ipſam dixerim refutationem judicialem ſeu translationem venditæ rei immobilis in emtoris dominium, cui jure contractus hodieque accedere ſolet evictio ſeu Warandia, vulgo Ware, Gewehr, Warſchop, Thoſtand, de quibus alibi. Quod originem vocis Selandiæ attinet, petendam illam duxerim ex antiquo *Sellen*, vendere, tradere. Apud Anglo-Saxones enim vox *Sellan* notat idem ac offerre, tradere, & *Selle, Selde* idem eſt ac taberna *g*), locus vendendis rebus aptatus, docente LITTLETONIO & ad illum EDW. COKO *Sect. I. p. 4.* Unde profluxit & vox *Seller* hodie in Saxonia inferiori uſitata, ſignificans ſcrutarium, veſtium venditorem, unde *Verſellen* idem eſt ac minutum vendere, docente PALTENIO *in notis ad Tatianum p. 275.* & *V. cl.* WACHTERO *in gloſſario p. 1505.* Suecis quoque & Islandis *Saelia* idem eſt ac alienare, *Sela, Sala*, venditio, *Arfſal* translatio hereditatis, probante VERELIO *in indice* & BENSONE *in vocabulario Anglo-Saxonico.* Inde *Handſele* eſt donum manu datum, notante STIERNHELMIO *Gloſſ. Ulph. Goth. p. 93. Urſele, Urſal* in vetuſtis codicibus MSCtis Juris Lubecenſis item in Speculo Saxonico L. I. art. 44. accipitur pro traditione neceſſaria ſeu principali, vel ſi mavis, manifeſta, publica, *Ur*, h. e. *coram*, præſente judice facta. Ad manus nobis eſt vetuſtum Protocollum civitatis Oldenburgenſis, quod inſcribitur: *Sellebock, copiarius*, h. e. copiæ & extractus poſſeſſionum judicialiter venditarum ſeu reſignationum judicialium. Cujus generis liber apud *Saxones & Francos* paſſim audit *Sal-Buch*, liber poſſeſſionum allodialium. Inde patet, quod *Seleman, Salman, Saleburgius, Seleburg*, ſit venditionis fidejuſſor, & *Sellandia, Salandia* idem ac terra Salica, Salmatica translata in alterius allodium; *Selehof* vero indigitet curiam dominicalem avitam ad allodialia bona pertinentem, docente SCHILTERO *de curiis Dominical. p. 598.* Teſtis eſt ECCARDUS *in comment. ad Leg. Salicam p. 107.*, quod *terra Salica, Seliland* ſæpius veniat ſub explicatione & nomine *terræ datæ in poſſeſſionem ſ. traditæ in hereditatem ſeu allodium.* Quod ipſum argumentum diplomata Conradi epiſcopi Patavienſis aliorumque egregie confirmant apud HUNDIUM *in Metropoli Salisburgenſi T. III. p. 11. T. II. p. 340.* & apud SCHANNAT *in vindem. litterar. p. 189. in traditionibus*

Halenſes.

Vitebergenſes & Lipſienſes.

Selandiæ etymon a Sellen, vendere, tradere.

Seldæ vox.

g) Docent hoc chartæ Richardi I. Regis Angliæ de menſura apud ROGERUM HOVEDENUM *p. 774. Prohibitum eſt, ne quis mercator* SELDAE *ſuæ pannos rubros vel nigros prætendat, per quos viſus emtorum ſæpe decipiuntur.* Et diploma anni 1294. apud HUNDIUM *in Metrop. Salisburg. tom. II. p. 358.* quo quatuor *Seldarum* ſeu tabernarum mentio injicitur. Alia ex monaſtico Anglicano tom. 2. p. 86. T. 3. p. 124. adducta vide apud DU FRESNE *tom. VI. p. 332.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nibus Fuldenſ. DU FRESNE *gloſſ. edit. noviſſimæ Tom. VI. p. 76. 88.* SCHILTERUM *Theſaur. antiquitat. Teutonic. Tom. III. in gloſſ. Teuton. p. 679.* qui ita finit: *Sellan proprie vendendi actum denotat, & quia venditio naturaliter traditione perficitur, hinc factum videtur, ut ad omne dandi tribuendique genus ſignificatus vocabuli proferatur.* Adde ex OTFRIDO *L. 5. c. 1. 91. 92.* illuſtrationem per verba: *Er ſelte in themo &c.* hoc eſt, & *tradidit* in illa arbore ſuam animam; ubi *ſelta*, *ſalta*, dedit, eſt a *ſellen*, tradere, dare. Quo ſenſu verba apud POETAM *de S. Annone, archiepiſcopo Colonienſi v. 624. Die dir* SELIDE *nicht hatten*, accipienda & recte reddita ſunt a SCHERZIO *in notis p. 25.* qui *domicilium* nullum habebant. Et *in Lege Salica Tit LXII. artic. 6. juxta Gloſſas MSCt. Florentinas*, SELILAND eſt terra allodialis in manum ac poſſeſſionem tradita. Facit huc charta de terra Salica *eccleſiæ Tigurinæ*, quam PITHOEUS, LINDENBROGIUS, SCHILTERUS de terra a Carolo M. eccleſiæ reſignata & tradita interpretantur. In *Lege Ripuariorum* dicitur terra *aviatica*, *patrimonialis*, *in patrimonium* data, de cujus tamen vocabuli vario ſignificatu alii varia docuerunt præcipue PITHOEUS, ECKHARDUS, FREHERUS, COCCEJUS, HEINECCIUS *elem. jur. Germ. L. 2. Tit. I. & præf. ad corpus Juris Germanici antiqui.* Præcipue Selandiæ vocabuli ſignificatum illuſtrant voces in chartis antiquis & aliis obviæ. Egregie CÆSARIUS apud LEIBNITIUM *in collect. Etymol. p. 415.* teſtatur, manſos, agros curiæ dominicæ vocari *dominicatos* ſeu domino reſervatos, vulgo SELGUET *ſive* ATTEN *&* KUNDEN. Quæ ultima vocabula oppido innuunt poſſeſſionem & dominia bonorum AVITORUM ſeu *hæreditariorum* ac *allodialium*, quod ex rationibus etymologicis a doctiſſimis viris STIERNHELMIO *Gloſſar. Ulph. Goth. p. 7.* WACHTERO *Gloſſar. Germ. p. 25. & 893.* expoſitis plene cognoſcitur. Collineant huc formulæ in laudatis chartis Holſaticis emtionum & venditionum uſitatiſſimæ: vendere cum conſenſu & voluntate *proximorum & heredum:* ipſumque diploma ad a. 1339. p. 140. quo *Sel* & *War* requiri dicitur in emtione *hereditaria ac perpetua.* Idem comprobat feudum Sele, vulgo *Seel-Lehn*, quod in documentis notat bona tradita in uſum, teſte ERTELIO *in praxi aurea l. 2. c. 35.* Forte etiam decantatum illud *Selhave* vel *Selave*, quod in *Lege Salica Tit. 58. §. 4.* dicitur monumentum ſepulchri, idem eſt ac ſepulcrum atavito ſeu hereditario jure acceptum, quamvis nec aliorum conjecturæ ab HOFFMANNO *in obſerv. Jur. Germ. p. 272. ſeqq.* erudite expoſitæ dignitate ſua deſtituantur. Quicquid res ſit, id haud obſcure ex allatis colligitur, quod vox SELLANDIA jure etymi a SELLEN, in poſſeſſionem dare, & a *Land* ſeu terra deducta denotet *traditionem terræ, allodii, poſſeſſionis, reique immobilis generatim.* Suppetit vero & alia derivatio a veteri Saxonico *Syll*, *Sell*, quod aliquando ſulcum, aratrum, ſæpius vero agri quandam particulam denotat, unde *Sillion* vel *Sellio* eſt agri arvalis ſeu terræ portio, quæ Anglis, ad quos Saxonum veterum plures voces & mores tranſierunt, hodieque dicitur *Selion b*) teſtibus COWELLO, SPELMANNO & præcipue COKO *ad Litletonum*, qui formulam *Selion of Land* aperte *Sellionem terræ* h. e. terræ vel agri fruſtum, *Seliuncam* vero vel *Seliunculam terræ* tumulum vel agri particulam explicuit. Unde facile in novam conjecturam conceſſerim, quod *Selave* illud, quod in Lege Salica porticulus ſuper hominem mortuum, & ab ECCARDO tegmen animæ ſeu ædicula ſuper defunctum vocatur, indigitet tumulum ſeu terræ portionem, more veterum Germanorum elevatum ſuper ſepulcrum. Plura diſcimus ex chartis apud THOMAM BLOUNTIUM *in Nomolex. Anglicano & in monaſt. Anglic. T. I. p. 111. 531. 676. T. II. p. 141.*

Aliud a Syll vel Sellione, h. e. terræ parte.

b) Gallis dicitur *Seillon* h. e. tumulus, terra editior vel elevata. Qui vocis cum Saxonica et Anglica concentus doctiſſimis monachis ordinis S. Benedicti impoſuit, ut vocem *Selionis* a Gallico *Siller*, ſecare derivarint, Selionem dicentes *agri modum, quem unus meſſium ſector per diem* SECARE *poteſt.* Vide DU FRESNE *gloſſar. voce Selio p. 333.* Rectius omnino *Selio* eſt agri portio, elevata, foecunda; a quo ſignificatu haud alienum videtur nomen utriusque *Selandiæ*, provinciæ Daniæ et Belgii vide STEPHANIUM *in notis ad Saxonem p. 17. ſeqq.* et PONTANUM *Chorograph. Dan. 724.* qui ita differit: Etymon Selandiæ venari nonnullos ex eo video, quod in mari poſita, aquis undique ſit cincta. At alii, hanc rationem haud ſufficientem judicantes, quod ita omnes inſulæ dicerentur Selandiæ, maluerunt a *ferendo* hoc appellatam nomine; quodque creditam ſibi ſementem *ampliſſime & absque ſtercoratione refundat.* Nam et *Seien* ferere et *Saed* ſegetes indigenis notat. Unde et Saxo Grammaticus *Sialandum*, non *Selandum* ſcribit, ut vitaret fortaſſe vocis ab æquore deductæ ambiguitatem. Memorabile eſt, quod habet Zelandicum Chronicon c. 7. de Zelandia Belgii, hujus nimirum conditores eſſe Daniæ Zelandos. Et Rollonem, Danorum Ducem, Valachriam aliquamdiu eique vicinas inſulas tenuiſſe, oſtendit hiſtoria; idioma quoque Zelandorum multos hodieque retinere ex Danorum dialecto voces alibi monſtrabitur. *Selio.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

p. 141. 279. 281. T. 3 p. 57. 161. copioſe obvijs, quæ de *Sellionibus*, *Seilliis*, vel *Sellivis* multa proferunt *i*), etſi in quantitate vel latitudine Sellionum definienda nil quicquam certi conſtituant. Forte igitur ipſam *Sellandiam* dixeris *Sellonem* ſeu *Selliunculam terræ* vel ideo, quia expedita res eſt, quod traditionibus ſeu reſignationibus rerum venditarum ſæpius inſtar ſymbolorum acceſſerit terræ portio, ceſpes, gleba, e vendito prædio eruta, vulgo *Guaſio*, *Waſo*, Saxonibus etiam nunc vocata *Waſen*, terræ portiuncula. Cujus apud Germanos, Saxones præcipue, Flandros & Anglos uſum in alienationibus & inveſtituris rerum immobilium WENDELINUS *k*), MIRÆUS, *l*) BOLLANDUS, *m*) HEMERUS, *n*) MABILLONIUS *o*), CHIFLETIUS, *p*) LEIBNITIUS *q*), aliique *r*) ex conſuetudinum rationibus & diplomatibus ſiſtunt ac evolvunt. Quibus multum ponderis accedit ex documentis & teſtimoniis, quæ ſpeciatim apud *Cimbros* ac *Danos* in alienandis rebus immobilibus ſymbolicam traditionem per glebam ſeu terræ portiunculam obtinuiſſe evincunt. Audiamus principio magni Daniæ Regis Waldemari I. conſtitutionem *s*): *in venditione terrarum ad tranſitionem dominii eſt neceſſe, ut interveniat quædam ſolennitas, in qua* TERRÆ MODICUM *emtoris pallio t) extento manibus aſſiſtentium apponit venditor, qui deſignatam terram, quam diſtrahit in emtorem, in ipſius ſe transferre dominium profitetur; hæc autem ſolennitas ex vulgari noſtro producto vocabulo competenter ſatis poteſt* SCOTATIO *nominari.* Conſonant leges ejusdem Regis Sialandiæ, Lalandiæ Falſtriæque circa annum 1171. Wordenburgi latæ *u*), & filii Waldemari II. accuratiſſima Jura

Ratio hujus etymi e moribus Germanorum.

Et Scotatione Danorum.

Sellvvode. *i*) Adde *Tabularium eccleſiæ Gratianopolitanæ ſub Hugone epiſcopo fol. 56. 58.* ubi occurrit *unus* SELLIO *terræ infra terram epiſcopi; unus* SELLONUS *ultra rivum.* In *Polychronico* RANULPHI HIGDENI, *monachi Cheſtrenſis*, apud THOMAM GALE *in hiſtor. Britann. Saxonicæ & Anglo-Danicæ ſcriptoribus vol. I p. 258.* reperitur vox *Selvode*, quæ dicitur terra ſylvoſa. Unde forte eſt, barbaro-latinum *Silvaticum* in charta apud MURATORIUM *T. IX. col. 821.*

Conſenſus Wendelini. *k*) In *Gloſſario Salico d. l. Cum fundus*, inquit, *vel donatur vel venditur, vetus ejus dominus ceſpitem ex illo fundo fodiat cultro orbiculatum, cui, ſi pratum eſt, inſigit herbam, ſi ager, ramusculum, hac imagine fundum repræſentans cum omni, quod ſolo continetur. Hunc ceſpitem ſic inſeſtucatum defert traditque in manus* DOMINI *ſeu* MAJORIS, *quem his verbis alloquitur: Ego domine* MAJOR *transporto in tuas manus meum illum fundum ſitum in illo loco idque ad opus titulo venditionis &c.* et *pretii tanti, quam pecuniam agnoſco me recepiſſe.* MAJOR *deinde* (magiſtratus, dominus provinciæ vel praefectus judicii) *acceptum ceſpitem cum ſua feſtuca tradit emtori ſub hac formula: Ego hunc fundum mihi per venditorem N. in manus præſenter deportatum trado in manus tuas N. atque immitto Te in realem actualem & corporalem poſſeſſionem ejusdem fundi cum banno & fredo ſecundum hujus Salæ ſeu curtis Legem* SALVO *cujuslibet jure.*

Mirei. *l*) *In codice donat. & diplomat. Belg. Tom. I. p. 370. Et per præſentem chartulam offertionis ibidem habenda confirmo, inſuper per feſtucam nodatam guantonem & guaſcionem terræ atque ramum arboris.* Plura vide apud eundem in *notitia eccleſiarum Belgii p. 135.* ibique chartam ad ann. 993.

Bollandi. *m*) *d. l. p. 60.* ubi anonymus in vita S. Gertrudis: *Quicquid habuit in prædiis cum* CESPITE *&* RAMO *cultelloque cum manubrio albo ſanctiſſimæ Gertrudi tradidit.*

Hemerei. *n*) *In auguſta Viromand in charta ad ann. 1213. p. 234.* qua laudatur traditio per ramum & Weſonem. Quæ formula occurrit etiam in chartis ad a. 1145. 1208. p. 195. ſeqq.

Mabillonii, Chifletii. *o*) *d. l. p. 542. Juxta legem meam per feſtucam nodatam* ſeu GUASONEM TERRAE *vobis exinde ad veſtram partem corporalem facio* VESTITURAM, *ad veſtram* PROPRIETATEM *habendam.* Adde *annal. Bened. T. III. p. 403.* in charta ad annum *935.*

p) *In luminibus Salicis p. 249. ſeqq.*

Leibnitii. *q*) *Script. rer. Brunſv. T. I.* ibique monachi Brunwillerenſis narratio de venerabilibus palatinis Rheni Ezone ſeu Ehrenfrido & Matthilde *n. 27. p. 315. In Brunwilre prædio nuptiæ parantur, ubi Ezo* RAMUSCULUM *arboris ejusdem terræ involutum ceſpite accepit & cum eodem prædium & alia proprii juris plura venerabili ſuæ ſponſæ in dotem* TRADIDIT.

Aliorumque. *r*) Quos laudat DUFRESNIUS *d. l. p. 1523. ſeqq.* Præcipue ad rem faciunt chartæ ex conſuetudine Hannonienſi & tabulariis Lehunenſi, Molismenſi, Caſſinenſi, Caſaurienſi & Burgundico ad a. 1043. 1128. 1186. adductæ, quæ formulam habent: *tradere in ſignum conceſſionis per* WASONEM *terræ rem venditam vel donatam abſque dominii cujusquam retentione.* Quæ ipſa formula per *Wazonem & feſtucam tradere* ſolennis fere eſt in plurimis donationum & venditionum tabulis UGHELLUM *T. III. Ital. Sacr. p. 49. ſeqq. 61. 415. ſeqq T. IV. p. 1442. ſeqq.*

Solennitas Scotationis ex legibus Scanicis. *s*) Apud HARALDUM HUITFELDIUM *in legibus provincialibus terræ Scanicæ L. IV. c 12. 13.* ubi porro ita: *Sufficit et brevis poſſeſſio, ad cujus defenſionem obtinendam, quæ munitur emtor contra proprium venditorem, pro jure obſervatur, quod ſtatim dimiſſo pallio poſt* SCOTATIONEM *non poſſit venditor convictus duobus legitimis teſtibus, qui præſentes fuerunt, diffiteri, quod factum fuerat, ſed cogatur potius adimplere.* Adde L. II. c. 3. - 7. L. IV.

t) In rerum vero eccleſiis donatarum vel venditarum alienationibus terræ illud modicum ad pallium altaris vel ſuper altare depoſitum fuiſſe patet ex INNOCENTII III. litteris mox adponendis, & e WENDELINO *d. l. Hujusmodi*, inquit, CESPITES *traditionum ſymbola cum ſua* FESTUCA *multis in eccleſiis ſervantur hactenus viſunturque nivellæ & alibi juſta magnitudinis forma quadrata vel etiam latereulari.* Plura exempla de ſymbolis hujus generis ad altaria ſanctorum in templis depoſitis, vide apud WILHELMUM MALMESBURIENSEM *de geſtis Anglorum l. 2. c. 8.* & in *tabulario Vindocinenſi anno 1075.*

Selandicarum veterum & novarum. *u*) Editæ Hafniæ 1505. recuſæ a. 1576. curante MATTHIA WINGAARDIO; auctæ a Rege Erico

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Jura Jutica in codice Legum seu *Lovv Buch* Cimbris præscripta, in quibus traditio illa rerum solemnis seu judicialis patrio idiomate dicitur SKIÖDE, ex quo illud SCOTATIONIS verbum barbaro-latinum confinxerunt. Adponimus e lib. I. cap. XXXVII. verba huc spectantia: *Up dem Dinge schall man Land* VERSCHÖTEN, *unde nergends anders, dat is up dem Hardesdinge, dar dat Land inne belegen is, edder up dem Syssseldinge edder up dem Landes dinge edder vor dem Könige.* Et libro VII. cap. XCIII. *beschleit dar vvol einem deve Gut in den Händen, dartho de deef nenen Thostand v) hefft, von vveme he dat gekregen hefft, so mach man en vvohl binden, berüpt he sick överst up* SKIÖDE, *dat is Thostand, unde bricht em* SKIÖDE *oder* HIEMLE *w), so is dat glick datsulwige.* Clarius hoc Scotationis ænigma ejusque effectum præcipue describit BLASIUS ECKENBERGERUS & EMANUEL WÖLFFEL in repertorio, ad Codicem Juris Jutici voce *Laghefft*, ubi ita: Ohne vorhergehende rechtliche Schöte, das ist Uberlassung, Übertragung des Eigenthums kann niemand über ein Guht erlangen *Laghefft x)*, das ist Erbe und eigen, ein ruhiger Besitz eines Gutes; keine Uberlassung aber im Gericht kann gethan vverden ohne allein von dem rechten Eyermann oder Eygenthums-Herrn. Sed ut formulæ *Skiotæ* genuinus significatus, in quo divinando tot clarissimi interpretes ingenium & calamos conseruerunt, paulo exploratior fiat, subjungendæ nunc sunt luculenta rerum Danicarum alia monumenta, quæ Scotationis usum in apricum proferunt. Præcipue occurrit Innocentii III. Pontificis ad literas Absolonis, archiepiscopi Lundensis, antea Roht Schildensis, responsio *y)*, qua exortam olim circa scotationem ejusque effectum contentionem composuit his verbis: „Ex literis, quas tu nobis, frater Archiepiscope, de„stinasti, intelleximus manifeste, quod regnum Daciæ, quantum ad ea, quæ jus fo„ri contingunt, consuetudinibus suis & institutionibus Regum suorum omnino „regatur. Unde nullum usum testamentorum illius provinciæ habere contingit, qui „alibi in ultimis decedentium voluntatibus secundum legalem observantiam custodi„tur. Si vero aliquis possessiones aliquas claustris, vel aliis religiosis locis in bona „valetudine vel voluntate ultima constitutus vult pro suorum remedio peccatorum „conferre, hanc ecclesiæ conferendi formam esse proponis, quod in hujusmodi do„nationibus MODICUM *terræ consuevit* assumere, aut in *extremitate pallii*, quod ma„nu episcopi vel cujuslibet alterius Prælati ecclesiæ sustinetur, aut super *ipsum altare* „*aliquo involutum* PANNICULO cum debita humilitate ponendum sub testimonio „viden-

Quæ dicitur Skiöde.

Ex literis Innocentii III.

docente OSTERSONIO *d. l. in catalogo Legum Danicarum p. 526.* Quibus legibus cautum est, ut dominia prædiorum ad emtorem non nisi facta prius SKIODE seu resignatione judiciali transeant. Recentiori ævo quidem vox *Skiode* in usu esse desiit et plane expuncta est in *novo codice Juris Sialandici* a Rege FRIDBRICO III. *anno 1669.* compilato & a CHRISTIANO V. revisо ac promulgato a. 1683. sed res ipsa tamen neutiquam evanuit, quin potius perstitit immutata & repetita plane sub formula *resignationis judicialis.* Ita enim legitur in laudato Legum codice Christianeo ab HENRICO WEGHORSTIO, germanice edito *L. V. cap. 3. §. 12. Wer ein Haus oder Land verkaufft, der soll ihm vermittelst gnugsamer gerichtlicher Auflassung solches gewehren und vertheidigen. §. 28. Haus und Land sollen nirgends, als vor Gericht aufgelassen vverden, nehmlich vvann es Stadt- oder Bürger-Guth oder Bauer-Land ist, an dem Herrets- Birck- oder Stadt-Gericht; Wann es aber frey Land-Guht ist am Land-Gerichte. So sollen auch alle Auflassungs-Brieffe den ersten oder andern Gerichts-Tag den nechsten, nachdem sie datiret, verlesen und gezeichnet vverden, so fern sie in der Provintz, vvo das Guth belegen, datiret seyn. §. 33. Hat der Mann Land an sich erhandelt, vvorauf keine Auflassung, ehe er seine Frau geheirathet, empfangen, vvird hernach solch Land ihm aufgelassen, so gehöret es ihnen beyden, massen es noch nicht völlig vor der Auflassung seines gevvesen. Dasselbe Recht ist auch an Seiten der Frauen.* Quæ in eum quidem finem adduximus, ut infra significatui vocis SKIÖDAE generaliori luminis nonnihil adfundant.

v) Hoc est venditore vel eo, qui evincit. Constat hoc ex *L. II. c. 106.*

w) Quod vocabulum recurrit *L. II. c. 105. §. 2. Saget he ock, dat he dat Veh edder gute &c.* quod sibi alter vindicat & possessori eripere gestit: *gekofft hefft, so mot he sinem Kopmann thor Stede bringen, de eme dat* SIEMLET *effte besteit.* Et cap. 106. *Böde sick de Döf* (in via apprehensus) *tho* SKIÖDE, *dat is Thostand, entvveder tho enem Dörpe vorvverts edder tvveen Dörpe thorügge, dar schal em de Bonde* (proprietarius, colonus, colonus propriis prædiis instructus) *henfolgen, dar he sick up* SKIDDE *oder up* TOCH, *dat is Thostand effte up Borgen beropen deit; entbrickt he overst* SKIÖDE *edder* KEMLE, *dat is Thostand edder sin Affnehmer, so bevvart de Bonde sinen Deefft.* Adde *L. I. c. 36. 41. 42. 44. L. II. c. 74. L. 3. c. 55. 58.*

Cimbricarum.

x) Rectius *Lavvhefft*, hoc est Legalis possessio, dicta a *Lavv*, lege & *höfft* dominio, prædio, possessione. Quæ quidem per triennium acquiritur ipso jure Jutico *L. I. c. LVII. §. 4.* ibique *Lavvhefft is de rovvige Besitt drier Jahre.* adde *L. I. c. 41. 42. 44. 74. 51. 55. 57.*

Lavvhefft quid?

y) Apud BALUZIUM *in collectione epistolarum Innocentii III. L. I. Lit. 422.* Excerpta hujus epistolæ exhibita sunt *in Capitulo X. de consuetudine*, in quo explicando interpretes mirifice oberrant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„videntium & audientium, forma donationis hujusmodi subsequente, quæ SCOTA-„TIO vulgariter appellatur. Verum quia hujusmodi donatio malitiose a quibus-„dam cavillatoribus, sicut asseris impeditur, a nobis humiliter postulasti, ne loca „religiosa & ecclesiæ, quibus multæ possessiones sub Scotatione hujusmodi sunt col-„latæ, ab aliquibus possint vel debeant temere perturbari, paterna debeamus solli-„citudine providere. Nolentes igitur, ut tales constitutiones, quas diuturnitas tem-„poris, ut asseris, observavit & usus consuetudinis hactenus approbatas retinuit, te-„meritate qualibet infirmentur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, „quatenus donationes eorum, quæ sub obtentu consuetudinis clausstris, ecclesiis vel „quibuslibet locis religiosis pie ac provide conferuntur vel etiam sunt collatæ, facia-„tis irrevocabiles observari, cum hujusmodi signum, quod *Scotatio* dicitur, non tam „factæ donationis, quam TRADITÆ POSSESSIONIS sit evidens argumentum. Si „quos contradictores inveneritis aut rebelles; autoritate freti Apostolica per censu-„ram ecclesiasticam, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo compe-„scentes. Datum Laterani XVI. Kalend. Decembr.„ Aperte ex his innotescit, ter-ræ portiunculam, cespitem seu glebam apud Danos possessionis seu translati vel ven-diti domini symbolum ac documentum fuisse probatissimum, sub *scotationis* nomine observatum. Subjungimus ipsius Archiepiscopi Absolonis, qui 1201 fatis cessit,

In testamento Absolonis. testimonium ex tabulis testamenti z) ipsius desumtum: „Quæ præsenti pagina con-„tinentur, ex testamento legavit & donavit venerabilis dominus Absolon Lunden-„ecclesiæ Archiepiscopus Sveciæ Primas ad hoc vocatis et præsentibus domino „Esberno fratre suo, & domino Gaufrido, Abbate de Sora, & Tochone & Achone „præpositis, & Magistro Johanne & Tordone capellano suo Lundensis ecclesiæ ca-„nonicis, & Anfrido presbytero & Haquino camerario suo & Paulo & Simone pue-„ris suis & Henrico converso de Sora, totum videlicet patrimonium suum, excepto „Fialensleve, quod fratri suo contulit, monasterio de Sora donavit. Monasterio „de Aas in Hallandia Vathby cum *omnibus attinentiis suis*, *excepto molendino*, „DONAVIT ET SCOTAVIT. Ad mensam Canonicorum Lundensis ecclesiæ Es-„biruth cum molendino in Rogen & ceteris suis attinentiis, silvis omnibus & terris „*donavit & scotavit*. Similiter Saxulstorp in Ruma cum ecclesia & ceteris suis atti-„nentiis eisdem fratribus *ad mensam donavit &* SCOTAVIT.„ Constat etiam de usu Scotationis ex chartis & diplomatibus Danicis, quorum paucula sæculi XII. XIII. &

Et diplomatibus Danicis. sequentium adjicimus. In Canuti regis Daniæ charta ad a. 1184. apud STEPHANIUM *in prolegomenis ad Saxonem Grammat. p. 17.* hæc formula exstat: *Mansionem vero nostram in Syndrup, Saxo Griis a patre meo emit & pro animæ suæ salute ipsis fratribus* SKOTTAVIT. Plenius hæc dicuntur in Christierni Ripensis episcopi litteris fundationis & dotationis ludi litterarii Ripis ab ipso conditi a. 1299. apud JO. ISACIUM PONTANUM *histor. Dan. Lib. VII. p. 383.* Constare volumus universis, „nos omnia & singula bona mobilia & immobilia inferius annotata cum eorundem „attinentiis, quæ tempore administrationis, quo Ripensi ecclesiæ præsedimus, ex no-„stro patrimonio acquisivimus, in honorem & gloriam DEI ex unanimi consensu & „consilio capituli nostri ad sustentationem viginti pauperum Scholarium idoneorum „ad litteras discendas undecunque de episcopatu Ripensi assumendorum sub com-„muni cohabitatione & convictu eorundem, secundum formam & regulam eis com-„petentem Ripis in perpetuum faciendam ac de consilio Archidiaconi pro tempore „& capituli ordinandam existentium, contulisse, SCOTASSE & sub *reali possessione* „TRADIDISSE jure perpetuo possidenda. Bona autem sunt hæc: una curia in Ve-„xeby, quam a Nicolao Horck *justo* SCOTATIONIS *titulo* obtinuimus, quatuor „curiæ in Methim cum molendino ibidem; cetera.„ Accedunt Regis Erici litteræ de a. 1303. quæ SCOTATIONIS LITTERÆ appellari solent, hac formula instructæ: „ Eidem domino Isarno archiepiscopo Lundensi, Sveciæ primati electo & ecclesiæ „suæ Lundensi pro memoratis decem millibus marcarum argenti puri *assignavimus*, „SCOTAVIMUS *&* *dedimus in solidum.* Item pro evictione & cautela evictionis dictorum

2) Quod e MSCto HUITFELDIANO edidit et notis illustravit OTTO SPERLINGIUS *anno* 1696. Qui recte observavit *p. 51.* quod archiepiscopus in testamento suo res mobiles & immobiles ipsa scotationis voce distinxerit. Usus enim est hac voce tantum in donationibus immobilium, non mobilium, quas sine scotatione amicis tradidit. Nuper hoc testamentum Absolonis vitamque ipsius laudabili studio recensuerunt *doctissimi* AUTORES *Bibliothecæ Danicæ P. II. p. 25.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„dictorum bonorum de Borendeholm assignauimus, *scotauimus* et dedimus in soli„dum domino Archiepiscopo & ecclesiæ supradictæ, si evincerentur ab iis in toto „vel in parte *Wemundherrid* adiecto, si ipsi heredes nobilis viri Uffonis militis quon„dam dapiferi omnes & singuli dicta bona de Borendeholm libere demiserint & re„stituerint archiepiscopo & ecclesiæ supradictis prædictum *Herrid* pro dictis bonis „SCOTATVM, ad nos et eius ad proprietatem nostram libere redeant, ipso facto „renunciantes actioni cuiuslibet doli & deceptionis, & generaliter omni juri & actioni. Idem fere repetitur in charta Waldemari Regis Daniæ de immunitatibus & bonis Lundensium ad a. 1327. apud PONTANVM *d. l. L. 7. p. 444. Considerans Rex Ericus mirabilem statum, in quo ipsum regnum Daciæ positum fuerat, pro utilitate & liberatione omnium de regno, ut ipsum interdictum eo facilius ac citius potuisset relaxari, majorum ac meliorum regni ad hoc accedente consilio & unanimi consensu, Herrwidstadherrid in Scania & Rodneherrid in Borringholm cum omni jure regio, Lundensi ecclesiæ pro dictis decem millibus marcarum argenti dedit in solidum*, SCOTAVIT & *assignavit jure perpetuo possidenda.* Et paulo post: *Quod si a praedictis heredibus domini Uffonis dapiferi prædicti sæpe dictum Rodneherrit in Borendeholm quocunque tempore contigeret evinci seu ad ipsos et ipsorum aliquem aliquo jure redire, ex tunc Wemundehoigsherred cum omni jure regio, villa Aasydstad et suis attinentiis excepta, cum omnibus aliis bonis regalibus quibuscunque in eodem Herret ipsi Lundensi ecclesiæ loco praedicti Rodneherret, ut prius est expressum, absque omni alia* SCOTATIONE *cedat jure perpetuo possidendum.* Ex his aliisque huius *a*) argumenti chartis & documentis *b*) puto haud obscure Scotationis Daniæ significatus colligitur, ut in illo explicando opus non sit cum FRANCISCO FLORENTE *c*) ad Scotos populos confugere, vel cum CVJACIO *d*) & JOANNE a COSTA *e*) Scoticam seu Scudiciam hoc est fossorium illud et rastrum, quo terræ vertuntur, a rusticis mutuari; vel præeunte GIBALINO *f*) quotam *donationis* ex verborum quodam lusu confingere; vel cum INNOCENTIO CIRONIO *g*) & ALTASERRA *h*) significatum vocis theotiscæ *Schot*, hoc est census, tributum, conjectio, græce symbola, huc accersere. Quamvis enim negandum non sit, quod ultima hæc opinio significatui vocis scotationis apud Germanos plures usitato satisfaciat, rationibus quippe, exemplis, usu et documentis *i*) haud destituta; trahenda tamen hæc formula non est ad

Opiniones variorum. Florentis. Cujacii. Costæ. Gibalini. Cironii. Altaserra.

investi-

a) Vide Constitutionem seu Recessum Regis Daniæ Christiani III. datum Coldingæ *a. 1518. art. 49.* quo nobilibus conceditur facultas alienandi bona sua allodialia adhibitis tribus testibus nobilibus *sine scotatione*, vel uti verba habent *unvorskiotet und ohne Lagbedinge* h. e. sine scotatione & prævia declaratione de alienando coram judicio. Vide LOW-BUCH *L. 1. c. 34 & c 50. L 2. c. 61. 81. L 3. c. 42.* & codicem CHRISTIANEUM *L. V. c. 3. art. 1. 2. p. 33. c. 10. art 5 p. 70.*

b) Quorum nonnulla, quæ investituram allodialium Germanorum moribus receptam describunt, e sæculis IX. X. XI. XII evolvit VERPOORTENIUS *schediasm. de investitura allodialium §. 34. 35.* Quibus adde testimonia de *scotatione* apud ANTONIUM AUGUSTINUM *antiqu. collect. 3. L. 1. Tit. 3. c. 1.* et STIERNHOECK *de jure Sveonum & Goth. vetust. L. 2. c. 5.* Inprimis subjungendæ sunt litteræ WALDEMARI *de a. 1345.* a JO. LOCCENIO ex archivo descriptæ, in quibus TRANSLATIO *legitime facta in Wardberg* dicitur SCOTATIO *terrarum.*

c) *Tractat. IV. ad Decretales L. 1. Tit. 4. de consvetudine* aliique decretalium interpretes, quos fugillat JO. STRAUCHIUS *amœnitat. jur. Canonici Ecloga 5.* Quibus forte, quod MATTHÆUS *VVestmonasterienſis ad. ann. 77.* de Scotorum etymo differuit, fuit loco decipulæ: *Ex Pictis*, inquit, *& Hybernensibus Scoti originem habent, quasi ex diversis nationibus compacti, Scot enim illud dicitur, quod ex diversis rebus in unum acervum congregatur, deinde vero terra illa, quæ prius Albania dicebatur, a Scotis Scotia nuncupatur.* Veriora vide apud CAMBDENUM *in Hibernia &* BEDAM *L. 2. c. 4.*

d) *L. 1. observat. c. 18.*

e) *Commentar. in Decretal. Tit. de pactis.*

f) *de negotiation. T. 2. L. 4. c. 2. art. 2.*

g) *Observation. L. 1. c. 9.*

h) *In Decretal. Innocent. L. 1. Tit. 4. c. 2.*

i) Ita enim apud SOMNERUM *in tractatu de Gavelkind p. 29. si Dominus fecerit* SCOT, *Scotallum infra boscum, quilibet terram tenens dabit ibi pro se & uxore pro sua 52 obolos.* Et p. 183. *Scien-dum, quod prædictus Jo & heredes sui curiam nostram de Leysdun sequentur & in auxiliis dandis &* SCOTTIS, *sicut alii tenentes nostri,* SCOTTABUNT. Eodem sensu legitur in *breviloquio Saxonico* apud ECCARDUM *in notis ad legem Salicam p. 174: Exactio dicitur, quando aliquis accepit a suis subditis &c. quod dicitur Teutonis* SCOT. Et *in* MONASTICO *Anglic. T. 1. p. 169: Sint quieti & soluti ab omni* SCOTTO & GELDO. Accedunt charta Henrici II. Regis Angliæ *in dicto monastico T. 1. p 66. Et de tota terra sua extra Burgum de Theodförde, de qua non* SCOTTAVERUNT *tempore Rogeri, vel de aliqua terra, quæ est circa Theodfordam* (Teutschford), *prohibeo, ne* SCOTTENT; charta WILHELMI *Angliæ Regis* apud THOMAM BLOUNT *in nomolexic.*

Skot, conjectus, census.

investituræ allodialis consuetudinem nec confundenda cum Danicæ vocis *Skiodæ* originibus et significatu. Idem dixerim de conjectura NICOL. HIER. GVNDLINGII, *k)* qui in vocabulo germanico SCHVTT, terræ quisquiliis seu terræ excussæ portiuncula significatum scotationis Danicæ invenisse sibi visus est, seductus descriptione solemnium scotationis, quae in Lege Waldemari & epistola Innocentii supra laudata recitantur, et præcipue in *terræ modico*, quod emtoris pallio adponendum vel iniiciendum fuit, definiuntur. Plures vero adsunt rationes, quae hanc opinionem labefactant, præcipue multiplicium symbolorum ac solemnium in Scotationis Danicæ actu adhibitorum variatio et ipsa Danicæ *Skiotæ* ratio etymologica a laudatis aliis plane diuersa. Quod enim solennitates decantatæ scotationis attinet, exploratum satis et tot documentis, legibus & chartis Germanorum, speciatim Cimbrorum Danorumque & Suecorum testatissimum est, quod illæ non semper glebæ vel terræ portionis traditione, sed sæpius ligni, baculi, sagittæ, rami, & omnium fre-

Gundlingii.

---

molexic. Anglic. Terram quietam semper & liberam ab omnibus SCOTIS *& Geldis dedimus:* ut & chartæ laudatæ a PRYNNÆO *in libertatibus eccles. Anglic. T. III p. 216.* Ut plura taceamus patriæ diplomata, quæ vocibus *Grevenscot, Grevenscat, Herren Geschöt* indicant censum comitibus vel Dominis præstandum vulgo & præcipue exactionem arearum seu orbedam a prædiis praestandam. Vide explanatius DIPLOMATARIUM *Bordesholmense ad a. 1248. 1327. 1334. 1413. p. 41. 98. 118. 316.* LINDENBROGIUM *in collectaneis ex statutis ecclesiast. Hamburg* apud STAPHORST *Volum. I. p. 614 seqq.* CHARTAM *Arnoldi Comitis de* LOS *a. 1230. apud* MIRÆUM *T. 2. p. 853.* Facile inde explicantur voces *Garba* SCOTALIS in FLETA *seu commentario Juris Anglicani L. II. c. 41. §. 25. p. 91. Scoteria* domus, agri *Scoterii* vel scotales, hoc est pensitationi obnoxii; SCOTALLIUM seu census conjectio, contributio. *Talla* enim *Tolta* vel *Tallium* idem est ac exactio, docente SPELMANNO *gloss. archæol. p. 506.* Cui addenda sunt *feudorum talliatorum* argumenta ut & diplomata, quae tallias aperte explicant apud LAMBECIUM *L. 2. Bibliothec. Cæsar. c. 5. p. 29.* MARTENE *anecdot. T. I. p. 596. 647. 649. T. 3. p. 439. T. 5. p. 1899. collect. ampliss. T. I. p. 1145.* BALUZIUM *miscellan. p. 291.* utut dissentiat DU FRESNE *T. VI. p. 251.* ubi *Scotalium* interpretatur censum cereviliae vel potationis. Originem vero ipsius vocis SCOT vel SCAT haud obscure perspexit, dum ex Anglo Saxonico SCEAT, h. e. conjectus, illam formatam esse asserit. Explanatius SPELMANNUS *d. l. p. 505.* SCOTTA, Saxonice SCEAT, *pecunia, census, pars, symbolum proprie est id, quod mediorum saeculorum auctores* CONJECTUM *vocant, quia a plurimis conjiciebatur in unum, a* SCEOTE *jacio; unde Sceodan, jaculare, & anglicum* TO SCHOET *contributiones: contributiones enim publicæ conjecta, tallagia, scota pariter appellarunt veteres, a quo illud adagium: juxta* SCOT & LOT *seu secundum Legem Angliæ persolvere.* Quam aperte hoc etymon tuentur ECCARDUS *ad Legem Salicam p. 174.* Dn. WACHTERUS *Glossar. Germ. p. 1462.* SCHOSS *census, proprie,* inquit, *est pecunia conjecta a schiessen, jacere, conjicere, inde Schösser est exactor redituum,* WERSCHOTT *tributum militare & alia. Item Schoss,* germen, *rebschoss* palmes, *refer ad schiessen, fruticari, nam proprie est id, quod a frutice protruditur & quasi ejaculatur.* Quam sententiam VERELIUS *in indice &* SPEGELIUS *in glossario Sueo-Gothico* Islandicis Suevicis & Danicis vocibus illustrant. SKUT enim ac SKOT census & telum significat, SKATMANN est exactor, *Skutabot* mulcta, SKOTTDAG dies intercalcaris, *Maatskott, Samskott* conjectus in commune seu a pluribus in unum; *Skottayra* currus, quo ligna, lapides conjiciuntur; *handskott,* telum, quod manu in hostem conjicitur; *skiuta,* Danice *skiude, skyde,* configere, jaculari; *skuten* confixus, *skiold,* scutum, clypeus; *skiachta,* sagitta, jaculum, quod Anglo-Saxonibus dicitur *sceftar,* Germanis *Scheffte.* Qui etiam sub voce *Geschoss* omnis generis jacula indigitant. Observante vero VERELIO, priscis septentrionalibus tria solennia fuerunt genera armorum, *hogvvopn,* quibus caesim feriebant, ut gladius, securis, bipennis; *lagvvopn,* quibus pugnabant, ut hasta, pilum; & SKOTWOPN, arma, quae in hostem jaculabantur, ut sagitta. Vide infra *not. m.* Refert in hunc censum LOCCENIUS vocem Gothicam SKYD, qua ligna fissa, sagittulis, vel rectius, scissuris notata significantur; quibus a scriptoribus latinis medii aevi inditum est nomen *talliarum,* h. e. laterculorum ligneorum, in quibus per caesuram solutiones adnotabantur, ut essent instar apocharum. Inde est quod sub *talliarum* voce ipsi demum census aliaeque hujus generis exactiones venerint. Quod patet ex charta Reinboldi Rhemensis episcopi a. 1094. ubi ita: *Et vvirpivit* (conjecit) *exactiones, quas tallias vulgo vocant, quas in villa S. Remigii exercebat:* Et ex diplomate Conradi Imperatoris in historia Corbeyensi MSC. ad a. 1024 c. 15. §. 4 ubi talliae vocantur *conjectus.* Quod nomen item in *capitularibus Caroli M. & Caroli Calvi tit. 5. 52.* censui viritim exigendo & in commune conferendo impertitum legitur. Quin, quum conjectus vel census plerumque in denariis olim constitit, nummuli etiam & monetae inde appellatae sunt *scat, scott,* quod docent chartae apud LUDEWIG *reliqu. T. 6. p. 375. p. 42.* & testimonium RANULFI *Cestrensis L. 5. c. 24.* quod ab Anglis denarius S. PETRI, tempore Etelardi Regis ex singulis domibus regni solvendis, diu dictus fuerit *Romesscot.* Accedit alia observatio RUDBECKII *Atlant. T. 1. p. 407.* ubi a Suevico *Skytt* telo, et *Skytte, Skiuta,* jaculari, Anglo-Saxonico *Scytta,* Anglico *Schooter,* Scythas dictos fuisse recte conjicit *jaculatores,* qui Venedis & Russis audiunt STRELETZ, a *Strela,* sagitta, *Streli,* jaculari; unde STRELITZENSIUM nomen idem erit ac jaculatorum, sagittariorum, arcum olim & sagittas tendentium, verbo militum, regiorum venatorum, docente eodem *p. 444.*

k) In *Gundlingianis P. 7. p. 169. seqq. §. 12. p. 181.* Cui accedere videtur HEINECCIUS *element. jur. Germ. L. 2. tit. 3. §. 74. p. 424.*

l) Pro-

frequentiſſime ſtipulæ, haſtæ, fuſtis, vel feſtucæ *l*) jactioni conſueuerint celebrari. Unde ſi non verborum magis, quam rerum & circumſtantiarum rationes ſequi malueris, pronam facile & Gundlingianæ haud imparem inveneris conjecturam, quod ſcotatio

De inveſtiturae per feſtucam frequentia ex moribus Germanorum & gentium aliarum.

l) Probant hoc LEX SALICA *tit. 48.* MARCULFI *formulæ F. Lib. 2. f. 14. L. 3 f. 21. & 52.* apud LINDENBROGIUM *p. 337.* ibique: *Si vero nec fidem factam in placito legitimo ſolvere voluerit, tunc ille, cui fides facta eſt, ambulet ad Graſionem loci* (Comitem, iudicem) *in cujus pago manet, accipiatque* FESTUCAM *& dicat verbum illud: Graſio, rogo te, quia ille homo, qui mihi fidem fecit & quem legitime habeo admallatum ſecundum Legem Salicam, quod ſecurus mitto manum in fortunam illius.* Et LEX RIPUARIA *tit. 30. §. 1. 2.* ibique: *cum* FESTUCA *fidem fecit.* Prolixiores ſunt MARCULFI *formulæ F. 155.* & aliae plures, quae de dimittendis & transferendis terris per feſtucam agunt. De *Francorum* fide data per feſtucam ſeu ſtipulam e manibus ejiciendam vide CAPITULARIA *Caroli M. L. 6. c. 285. &* ADEMARUM *Cabanenſem p. 164.* Spectat huc charta evindicationis in *Chronico Laurishamenſi a. 776.* & charta Ottonis III. Imperatoris apud STANGEFOLIUM *annal. circuli VVeſtphal. Lib. 2. p. 203.* ubi ita: *Et ſicut mos eſt Laicorum, ſemet cum* FESTUCA *ab eo exuit prædio.* Confirmant idem DITMARUS *Merſeburgenſis L. 6. p. 60. L. 7. p. 99.* SIGEBERTUS GEMBLACENSIS & OTTO FRISINGENSIS, qui omnes traditionis per *feſtucam*, praecipue a Germanis obſervatae mentionem injiciunt & exemplis ex aevo Imperatoris Henrici IV. petitis illuſtrant. Venit inde hic ritus ſub ſolemni nomine *ex-* & *infeſtucationis*, hoc eſt abdicationis & traditionis rei donatae vel venditae docente ex inſtituto FRIDERICO A SANDE *Tr. de effeſtucatione edit. Arnhem. a. 1658.* Qui effeſtucationis ritus in Geldria hodieque obtinet venitque ſub appellatione *Opdracht* & *Tranſport*, quemadmodum eodem ſenſu apud Gallos dicitur *VVerpitio a VVerpir*, conjicere, notante HUBERO *prælect. ad audit. inſtitut. L. 2. Tit. 1. §. 58.* SANDE *d. l. c. 2 n. 8.* HEINECCIO *d. l. L. 2. T. 3. §. 79. ſeqq.* Occurrit ipſa effeſtucationis vox in charta Conradi III. Imperatoris a. 1143. apud HUNDIUM *in Metropoli Salisburgenſi T. 1. p. 158. Poteſtatem, quam jure Advocatiæ ſuper miniſteriales habere videbatur ſecundum conſuetudinem curiæ, omnino* EXFESTUCAVIT. Ut & apud OTTONEM FRISINGENSEM *L. 7. Chron. c. 24.* Et *de geſtis Friderici I. Lib. I. c. 6.* BUSCIUM *in Chronico VVindeſem. L. 1. c. 7. &* GALBERTUM *in vita Caroli comitis Flandriæ n. 65.* ibique: *fidem & hominia, quæ hactenus vobis ſervavimus,* EXFESTUCAMUS *damnamus, abjicimus, arreptis* FESTUCIS *exfeſtucavimus omnia, nihil ipſis retinentes.* Quae formula luculentiſſime in chartis apud DUCHESNIUM *in hiſtoria Guinenſi p. 497. 499. 668.* explicatur vocabulo *reſignationis & traditionis*, per verba: *In manu mea rem legitime* RESIGNAVIT *&* EXFESTUCAVIT: ac *legitima donatione* TRADIDIMUS *coram his teſtibus feſtucavimus ſeu infeſtucavimus.* De moribus Italorum abunde conſtat ex chartis apud UGHELLUM *T. 1. Ital. ſacræ P. 852. 960. 994. T. 3. p. 49. T. 4. p. 812. Per fuſtem, quem in ſuis tenebat manibus, comitiſſa inveſtivit homines.* Et in appendice a. 963: *His auditis Archipræſul cunctorum, qui aderant, conſilio per acceptam* FUSTEM *capellas* TRADIDIT. De Anglis teſtatur charta in *monaſtico Anglic. T. 2. p. 1056. & Tabulario majoris monaſterii* apud GALLANDUM *de Franco allodio p. 342. Quodam* FUSTE, *quadam feſtuca, quæ nomine ejus inſcripta ſervatur, in teſtimonium præſente Abbate fecit* GVERPITIONEM *ſeu* GUERPILLUM h. e. jactionem rei ſeu abdicationem, barbaro vocabulo, *diveſtionem.* Quod patet non ſolum ex formula: *cum exfeſtucatione vverpire*, quae apud eundem exſtat *p. 325. ſeqq;* ſed etiam fide ADAMARI *in vita Caroli M.* & CONCILII *Francofordenſ. a. 774. c. 3.* ubi formula occurrit: *allodium ſeu rem proprietatis manibus* GUERPIRE *atque* PROJICERE. Et apud PERARDUM *in Burgundicis p. 32. 65: Feſtuca vero easdem res legaliter guarpiverunt, ſeque per omnia exutos fecerunt;* vel quod idem eſt, poſſeſſione rei ſe abdicarunt eamque in alium tranſtulerunt. Plura exempla effeſtucationis referunt GALLANDUS *d. l. p. 342.* MIRÆUS *T. 1. diplom. Belgic. p. 141. 370. ſeq.* DUFRESNIUS *d. l. p. 412. ſeq. p. 1526. ſeq.* praecipue SPELMANNUS *gloſſ. archæol. p. 233.* ubi de feſtuca vel ſtipula, ſymbolo conferendi praedia, dominium & poteſtatem uſuque ejus in manumittendis ſervis, in ſacramentis praeſtandis, in herciſcundis hereditatibus, in procuratoribus inſtituendis aliisque cauſis ac ceremoniis curialibus luculenter egit. Recte proinde BIGNONIUS *ad Marculfi formulas* translatae poſſeſſionis modum per *feſtucam* omnium vocat frequentiſſimum. ISIDORUS vero *L. 4. Orig. c. 24.* illum a veteribus receptum fuiſſe aſſerit ita, *ut ſi aliquando ſibi promiſerint ſtipulatores ſeu promiſſores,* STIPULAM *tenentes fregerint eamque iterum pungentes ſponſiones ſuas agnoverint.* Quid? quod haec conſuetudo ſtipulas projiciendi ſolemnis adeo & poſterorum memoria digna exiſtimata fuerit, ut chartae & conceſſiones immunitatum & beneficiorum non ſolum *ipſis ſtipulis* confirmatae ſed etiam imis limbis chartarum ipſae intextae fuerint. Docuit hoc MABILLONIUS *de Re Diplomatica Lib. 5. & Act. Bened. T. IV. in Fulrado n. 19.* ubi complures chartas attulit, quibus ipſae feſtucae vel fruſtula ligni alligata reperiuntur. Quibus e tabulario Angeriacenſi fol. 48. accedit teſtimonium: *Ema de Maſtacio dedit S. Joanni & B. Reverentio per quoddam* LIGNUM, *quod huic pergameno* CONJUNCTUM *eſt, quicquid allodii habuit.* Aliquando etiam ſymbola traditionum, feſtucae, ſtipulae, in templis apud altaria vel in archivis vel apud ipſos emtores vel donatarios cuſtodita, multisque modis ab interitu ſervata fuiſſe docent chartae apud DUFRESNE *T. 3. p. 1521.* Inde enaſcitur conjectura, quod decantata apud Germanos ſtipulatio vel poſſeſſio, quae fit ſtipulata manu origines debeat ritui ſtipulas projiciendi & intexendi eas chartis & contractibus. Quamvis plures ſint, qui ex verbis ISIDORI minus recte explicatis vel ex ſubleſta formula *de fuſte, manu accepta* apud BRISSONIUM *de formul. populi Romani p. 476.* Romanis vindicare ſatagunt, quorum tamen Aquiliana lex, ſtipulatio & formulae huc neutiquam trahendae ſunt; recte docente STRAUCHIO *amœnitat. Jur. p. 401.* HOFFMANNO *de Jurisprud. ſymbol. p. 68.* & BÖHMERO *Jur. Eccleſiaſt. P. II. L. 3. tit. 7. §. 4.* Germanis hoc ſymbolum ſtipulatae manus in corrupta vernacula audit olim *Andelago, Andelagum*, quod ECCARDUS *ad Legem Salicam p. 79.* explicuit *Handſchlag*, mallem vertere *Handlegung, Handlangen*, hoc eſt e manu in manum conjectio, traditio ſtipula accedente ceu ſymbolo fidei promiſſionis. Inde & ipſa vox *Handeln* dicitur a manu ſtipulata, obſervante WEDE-

Obſervatio ex Mabillonio.

Alia ex moribus Germanorum.

Alia explicatio a Danico Skiuda, feſtuca.

ſcotatio a Danico *Skiuda*, *Skyde*; Gothico *Skott*, Suecico *Scydda*, *m*) Anglo Saxonico *Geſcheat*, h. e. haſta, telo, feſtuca, ceu communi fere inveſtituræ & reſignationis immobilium ſymbolo, rationem denominationis adepta ſit. Sed his aliisque conjecturis demum obex figitur, ſi genuinam ipſam, qua in deſignando hoc transferendi dominii negotio Leges Danicæ & Suecicæ in vernacula utuntur vocem SKIÖDE, SKIOT, SKIÖTE perſpexeris; quippe quæ non ſigillatim pulverem vel glebam, nec haſtam & feſtucam; Sed gremium ſeu jactum in ſinum *n*) denotat. Sponte inde prodit generalior vocis notio, hæc quidem, quod *Skiotatio* univerſim conjectionem rei alienandæ in ſinum ſeu dominium & poteſtatem alterius ſignificaverit, planeque adeo cum veterum Germanorum LAISOWERPO *o*) ſeu in gremium jactatione, & cum Suecorum *Skötlæggia* vel *Skiotihalda* aliisque in hoc argumento inter Germanos uſitatis reſignationis ſeu abdicationis, traditionis & inveſtituræ judicialis *p*) formulis generalioribus coincidat. Explicate igitur Dani, Sueci Cimbri-

Noſtra a Skiöde, gremio.

Convenientia morum Germanorum & Svecorum.

Cimbrorum.

LINO *in Gloſſario Salico.* Faciunt huc voces Saxonibus & Alemannis *Handmahl*, *Handgemahel* h. e. judicium data manu compromiſſum, forum competens ſtipulatum apud SPECULATORES *Saxonem L. 7. c. 51. Suevicum c. 384. §. 2.* Quin dubium non eſt, quod Leges *Cimbricæ & Danicæ* plures a Regibus Waldemaro, Johanne & Friderico I. & II. Chriſtierno Rege & Duce Friderico aliisque conſtitutæ a ſtipulis & ſtipulata fide inſcriptionem obtinuerint *Handfeſte*, *Handfeſting.*

De formula Schotzmahl ejusque etymo.

m) Vide ſupra *in nota l.* Reliquiæ ſolennium per *feſtucas* & *haſtas* celebratorum etiam nunc ſuperſunt apud *Cimbros* & *Holſatos*, quorum quippe jura & judicia pagenſia, haſtis, fuſtibus, vulgo *Dingeſtöcke*, *Kluen*, ſeu *Klubba* & ipſis veridicis judicibus *Stock-Næffe* vocatis hodieque ſunt inſtructa. LEHMANN *in obſervat. ad Holſatica jura pagorum p. 19. ſeqq.* JOACH. BLÜTINGIUS *in commentar. ſeu gloſſa juris Jutici L. 2. c. 6.* Referunt huc nonnulli originem formulæ, quæ in judiciis Holſaticis, cum civicis tum provincialibus hodieque & ſolemnis & prævia eſt appellationis a ſententia ad Judicem ſecundæ inſtantiæ interponenda, *das Schotzmahl legen*, Danice *Skudzmaal*, Svecice *Scotsmæl.* Olim enim hunc ritum non per nummulos, ſed per jacula vel conjectionem ſagittæ vel feſtucæ factum ferunt; ut igitur *Schotzmæl* idem fuerit ac ſymbolum exfeſtucationis ſeu abnegationis judicii vel abdicationis ſententiæ pronunciatæ in MALLO, h. e. *in judicio*, quod a *mahl*, ſigno judiciali, arbore, gladio ita vocatur, teſte BRUMMERO *tr. de Scabinis c. 5.* Aliis placet vocem interpretari *tributum fori*, penſitationem litis, excuſſionem ſententiæ, translationem judicii. Ut ſupra enim diximus *Schotten*, Anglo-Saxonice *Scotzen*, idem eſt ac abjicere, conjicere, transferre in alterius poteſtatem. Inde *ab Schodden* vel *Schütten* idem eſt ac excutere teſte TATIANO *c. 44.* OTTFRIDO *L. 3. c. 4. 23.* Nec inficiari poteris, formulam hanc ac vocem admittere haud incongrue multiplices explicationes; mallus enim non ſolum judicium, ſed & ſignum, monumentum, terminum, metam, pactum, ſponſionem, litem, ſæpius etiam *ſermonem, querelam, accuſationem* ſignificat. Quo poſtremo ſenſu mallus forte dicitur a Gothico *mala* loqui *mæl* loquela, unde *tilmæle* eſt actio, *wienermæl* probatio per teſtes, *widermæl* reconventio, docente LOCCENIO *in Lexico Sveo Gothico.* Haud incongrue inde alii vocem *Schotzmahl* explicaverunt *ſymbolum accuſatæ ſententiæ* vel *provocationis*, olim *feſtuca* nunc nummis declaratum. Vide THORDEG. *§. 79. Conſtitutionem Chriſtiani IV. de* SCOTOMALLO *de a. 1590. d. 14. Auguſt. & L. G. O. P. I. tit. 2. ſeqq.* De vario vero malli ſignificatu legi merentur leges veteres Germanorum citatæ a LINDENBROGIO *in gloſſar. p. 1429.* & etymologicæ rationes a WACHTERO expoſitæ *in Gloſſar. Germ. p. 1026. ſeqq.*

n) Ipſe ſinus, qui Islandis *Sköt*, Francis *Scozza*, nobis *Schoſs* dicitur, nomen ſortitum eſt a *jaculando*, conjiciendo, *ſchieſſen.* In illum enim ceu angulum vel locum cavum fit conjectus. Unde & Mathematici ſpatium, ubi linea in lineam incidit, ſinum appellare ſolent. WACHTERVS *Gloſſar. p. 1461.*

Laiſovverpitionis Germanorum ſignificatus.

o) Hoc eſt jactatio, traditio in ſinum. Ita *Lex* SALICA: *Hoc convenit obſervare, ut Tunginus* (Decanus) *aut centenarii mallum indicent & ſcutum in ipſo mallo habere debent & poſtea tres homines tres cauſas demandare debent, poſtea in ipſo mallo requirant hominem, qui ei non pertinet, & ſic* FISTUCAM *in* LAISAM *jactet & ipſe in cujus laiſam fiſtucam jactaverit, dicat verbum de ſortuna ſua, quantum ei voluerit dare; poſtea ipſe in cujus laiſam fiſtucam jactaverit, in caſa ipſius manere debet, &c.* Et formulæ MARCVLFI: *villas nuncupatas per feſtucam viſus eſt* LEUSO WERPISSE. Quod vero WERPIRE ſeu GUERPIRE idem majoribus notaverit, quam jactare, nobis *werffen;* & LAISA, LAISUS ipſis fuerit gremium, ſinus ſeu apertura, vel fiſſura veſtis ad ſinum ducens, vulgo *Schlitze*, *Latze*, id quidem eruit ECCARDUS *ad Leg. Salicam p. 91. ſeqq.* Quamvis nec deſint, qui forte *laiſe* a *Loſe* derivaverint dixerintque *laiſovverpum* idem fuiſſe ac *jactatio ſortis*, ſeu deſignatio portionis bonorum heredi deputato relinquendæ. Ut alia taceam. Vide ECCARDUM *d. l. p. 158.* & VERPOORTENIUM *de inveſtitura allodiorum.*

Inveſtituræ effectus & etymon.

p) Hac enim, præviis *reſignatione & traditione venditoris judiciali* dominium & poſſeſſio rerum immobilium a *domino inveſtiente* in emtorem confertur demum ac confirmatur. *Contractus* ſaltim nudam obligationem ad rem tradendam & cedendum dominium operatur. *Traditio* dominium naturale in acquirentem transfert; *inveſtitura* vero a magiſtratu facta dominium naturale confirmat ipſumque demum civile & legitimum adeoque jura habendi & poſſidendi cum effectibus civilibus impertit. Male igitur vocis inveſtituræ originem a veſtibus clericorum vel a pallio, quo epiſcopi inveſtiri ſolent, vulgo repetunt. Quorum errorem GROTIUS, *tract. de Imper. poteſtate circa ſacra c. 10.* confutavit: *Fefellit*, inquit, *nonnullos inveſtituræ vocabulum, quod quia hodie de feudis potiſſimum uſurpatur, ideo omne id, quod de inveſtituris epiſcoporum dicitur, ad territoria & fundos pertinere putaverunt. Craſſus error. Nam veſtire & inveſtire vetera ſunt vocabula origi-*

Cimbrique adhibita voce *Skiote* indicarunt ipſam negotii alienationis indolem, formam & neceſſitatem dimittendi transferendique dominii, neutiquam vero reſpexerunt ad traditionis vel reſignationis ritum acceſſorium, ſolemnitatem vel ſymbolum adhibitum, ſive hoc fuerit gleba, ſive haſta, ſagitta, fuſtis vel hujus generis ſignum aliud. Habuerunt tamen laudatiſſimæ gentes vocem quoque vernaculam, qua ſpeciatim *modum* ſolemnitatis explicuerunt, & quid ſymboli in actu traditionis ſeu *Sciotæ* ab alienante adhibitum fuerit memoriæ prodiderunt. Ritum enim, quo GLEBAM *vel terræ partem* ſymboli loco venditor emtori obtulit vel in ſinum conjecit, ſolemni nomine vocare ſueverunt Sveci *Hemulan* vel *Heimula*, *q*) Dani vero Cimbrique *Hiemmel-Sköde*, *Grund Shöde*. Ritum vero, cui ſymbolum FESTUCÆ *vel haſtæ* acceſſit, nomen *Stöffenſcöte*, *Skiutning*, *Schäfftding*, a Svecico *Skäfwa*, feſtuca, forte repetitum impertiti ſunt. Optime hoc docuit D. JOACHIMUS BLUTINGIUS, *JCtus Cimber*, *in Pentade obſerv. Juris Jutic. MSCt. obſerv. 5. c. 3. von den Land-Kauff nach den Jütiſchen Low-Buch.* Ex quo opuſculo adhuc inedito non poſſumus non adponere argumentum, quod ritum ſcotationis Danicæ hujusque ſignificatum generalem in lucem ponit: „Wenn ein Kop um Erve und egen „Huſs, Hoff, Land, Sand und unbeweglich Güther unter den Contrahenten vol„lentagen is, ſo ſchall men darup den Köper de *Schöte* geven up dem *Staddinge*, „*Herdesdinge*, *Süſſel Landes* und *Birckdinge*, ock vor dem *Könige* in alle Wege an „dem Orte, wor dat Land effte Guth, dat verkofft werd, belegen is, und daru„pen Dingeswinde ſick mitdehlen laten, wo ſolcke *Kope* und *Seel* ergangen iſt. „*Schöden* averſt, Danice *Skiöde* het ener vor Gericht wat avergeven, uptragen und „in antworten uth ſines in eines andern Gewalt und Geſchott alſo: de Verkoper „ſchnett uth der Erden eine kluenrunde *Soden*, da ſtecket he en klene *Stöckſchen* „in, dat in der Höhe gerichtet is, dat bedütet des *Södeckens* (Sodens) Grund „und Boden, dat *Stöckſchen* bedütet, dat darup ſtande Erve und Gebæuden; dat „nemt de Verkoper in ſine Hand und avergifft dat dem Köper binnen 4. Dinge„ſtocken in ſine Hant mit Worden: vor Juw N. N. allhier beſettete Dinge *ver„ſchæte und verlate* ick N. N. dat Hus, Hoff, Grund und Boden N. mit allen ſinen „Thobehöringen N. N. als des Ortes Wiſe und Wahnheit is, dat ſchöden kann „werden dem, de Köper is, tho rügge, aver de Schulder van ſick. In Kopſteden, „ock alſo op dem Hardesdinge, is ſo mit de Wiſe: ſo Kerken effte Geiſtliche in „ſolche liegende Gründe Rente und Hovetſtoel heden, dat dem Burgermeiſter „und Hardes Voigt dat *Schædecken* mit dem *Stæckſchen* von dem Köper in dat „Hand gegeven werden, tho dem Bekanntniſſe dat he tho der Bethalinge desje„nigen ſich verpflichtet, wat Hovetſtoel in dem Gude effte Huſe geweſen is der „Karcken, oder wat Geiſtlicken tho verrenten. Werd de Grund, als Acker, Wiſch,

Explicatio vocis Hemulæ, Hiemmelsköde. Stöffensöte. Conſenſus Blutingii.

---

originis Germanicæ, quæ juris & rei qualiscunque collationem ſignificant, & verbum veſtire eſt jus alicujus ſolenniter adfirmare, ut ſine vitio poſſeſſionem adipiſci poſſit. Rectius itaque inveſtituræ vocem deduxeris vel ab Anglo-Saxonico *Fæſt*, *Fæſten*, Gothico *Fæſen*, infeſtare, ſtabilire, munire, rem immobilem reddere; vel a veteri theotiſco *Viſt*, praeſentia, ut inde inveſtire idem notet ac praeſentare, vel conferre per ſymbolum, obſervante Dn. WACHTERO *Gloſſ. Germ. p. 792.* Faciunt huc Anglo-Saxonicum FAESTENNE, firmamentum, theotiſcae voces, *Veſtung*, locus munitus; *Veſtland* terra firma, continens, *Feſt*, dies feſtus ſeu firmus; Latinum *Veſta* ſeu terra; *veſtire*, *inveſtire* h. e. firmare, ſenſu forenſi *factam conventionem*, *reſignationem ac traditionem ſtabilire & acquirenti poſſeſſionem civiliter conferre.* Docent hoc VERELIUS, BENSONIUS, LOCCENIUS & SOMNERUS *in indicibus & Lexicis.* Sunt tamen, qui vocem inveſtiturae repetere malunt a *feſtuca*, ſymbolo reſignatae & traditae poſſeſſionis olim inter Germanos communi. Quorum opinionem praeferrem errori eorum, qui cum GUNDLINGIO *Part. 12. obſ.* GUNDL. *c. 2. §. 7. ſeqq.* originem vocis *Veſt* in Latio ſciſcitantur & in denominatione et ſignificatione *contractus veſtiti Romanorum* inveniſſe ſibi blandiuntur.

q) *Hemula* eſt ab *Hem*, fundo, proprietate, et *mull*, pulvere, in gremium quidem emtoris per venditorem excuſſo. Sveci igitur hac formula jus transferendi dominii adſerunt, et *hemulsmann* eum vocant, qui jure dominii transferendi vel rei vindicatae potitur; *hemuld* vero dicunt legitimum titulum poſſeſſionis; *oheimult*, illegitime translatum. Danis vero et Cimbris *hiemmel*, *hiemle*, idem eſt, ac facultas transferendi dominium, poteſtas alienandi, venitque in *jure* JUTICO *L. II. c. 106.* ſub ipſo nomine SKIOTÆ. Eodem jure *L. 2. c. 104. Hiembus* dicitur *eigen Land*, *eigen Hoff*, et HIEMMELGIELD explicatur EIGENSCHULD *L. 1. c. 36. L. 3. c. 58.* Occurrunt etiam eodem ſenſu *L. 1. c. 15. L. 2. c. 105.* voces *hiemförd*, elocatio, dotatio; *hiemfoddis-vidne*, teteſtimonium juratum de dominio pecoris litigioſi. Plura vide *L. 1. c. 36. 41. ſeqq. L. 3. c. 58. & L. 6. juris* NOVI SELAND. *c. 17. a. 6. Conſtitut. Regis* CHRISTIANI III. *a. 1558. art. 68. Conſtitut. Regis* CHRISTIANI IV. *de* HIEMMELA *& evictione a. 1589. d. 30. Jun.*

Hemulæ ſignificatus apud Svecos.

Danos & Cimbros.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Wiſch, allein verſchötet, ſo vverd dem Köper dat *Södeken* allene; alſo ock dat Gebuede allen, dat *Stöckiſchen*, ock allen, als gemeldet is, avergeven, und heet de erſt GRUNDSCHÖTE, de ander STOCK edder STÖFFEN - SCHÖTE. Patet igitur ex hac commentatione, quod Dani in hoc ritu vel imitati ſint vel comitati veterum Germanorum plures, qui in alienationis judicialis negotio ſymbola non promiſcua, ſed rei vel ipſius eſſentiæ plerumque conformia *qq*) adhibuerunt, quin ipſi reſignationi ſymbolicæ per *feſtucam* celebratæ ſpeciale nomen *adrhamiæ r*) vel *adframitionis* & *effeſtucationis s*) indiderunt. Conſentiunt nobiscum duumviri celeberrimi Daniæ Sveciæque Polyhiſtores OTTO SPERLINGIUS *t*), qui ſcotationem Danorum adpoſite comparavit cum Francorum *Laiſovverpitione*; & JO. LOCCENIUS, *u*) qui latino-barbaram ſcotationem a Scandica SKÖT, ſinu, repetiit, eamque generatim explicuit per traditionem in ſinum emtoris. Si itaque dicendum, quod res eſt *ſcotationis* vocabulum potiſſimum in Waldemari Legibus Scanicis & Innocentii litteris ad denotandam Danorum *Skiotam* ſeu *Skiotationem*, parum congrue & invito vocabuli vernaculo ſignificatu adhibitum fuit, impoſuitque omnibus fere laudatæ Danicæ conſuetudinis interpretibus, qui, non inſpectis ejusdem patriis natalibus & rationibus, in confiſto illo barbaro-latino-Germanico ſcotationis vocabulo acquieverunt inque eo explicando mentem operamque ſaltim defigentes dilapſi ſunt ad varios, quos conſonantia ultro ſuppeditat, verborum luſus & apud gentes uſus multiplices. Subjunximus Diplomatario Bordesholmenſi MARTINI KREY ſeu CORONÆI V.D.M. Flintbeccenſis *) antiquitates, quæ in vernacula ſcriptæ varieque interpolatæ circumferri ſolent, Bordisholmenſes usque ad annum 1637. perductæ; quas luce publica non indignas fore judicat JO. MOLLERUS **), qui & ipſe ex hoc libello

Legum Germanicarum.

Sperlingii. Loccenii.

De Coronæi antiquitatibus Bordisholmenſibus.

Teſtimonia variorum.

qq) Recte BAYERUS *ſpec. iur. Germ. d. l: Res magni momenti, haſtae; mediocres virgæ; minimæ culmi vel ſtipulæ interventu tradebantur.* Et DUFRESNE *T. 6. p. 15. 21. Ea potiſſimum adhibuere veteres ſymbola traditionum, quæ cum re ceſſa adfinitatem haberent, ita, ut agri vel prædii inveſtituram factam denotarent per* CESPITEM *ſeu* GLEBAM *exipſo agro deſumtam, & in manus emtoris vel donatarii traditam, quo ſymbolo ſolum vel fundi proprietas in eum translata innuebatur; at etiam* RAMUS, *quo comprehendebatur ſoli ſuperficies, i. e. ſi quid ſatum & ædificatum eſſet, addebatur, ut ſuperficies cum ſolo, cujus pars eſt, traderetur.* Cujus rei veritatem comprobant teſtimonia et diplomata ſupra citata. Quorum argumenta omnia eo collineant, quod inveſtitura agrorum et praediorum plerumque per *ceſpitem, glebam, vaſonem* vel *herbam*; aedium vero per *ſuſtem, feſtucam, baculum* fuerit celebrata. Idem docet CIRONIUS *comm. ad tit. ff. de novi operis nunciat. p. 445.*

Explicatio adrhamitionis.

r) Quae dicitur a *ramo* vel *feſtuca*, uti liquet ex Lege *Salica* tit. 40. 49. Lege *Ripuar.* tit. 15. *Capitular.* L. 3. c. 58. Lib. 4. c. 28. et in chartis pluſculis de inveſtitura per ramum facta diligenter collectis a DUFRESNIO *T. 6. p. 1524 ſeqq.* Inde in legibus veterum ADRHAMIRE vel ADFRAMIRE idem ſignificat ac jactato in ſinum ramo invicem obligari, ad tradendum dominium vel praeſtandum promiſſum. Hinc etiam *adrhamitio* vocatur in jus citatio, et *adrhamitus* ſeu *admallatus* is dicitur, qui data acceptaque in ſinum feſtuca vel ramo fidem ſolemniter dedit coram judicio comparendi. Quarum formularum *adrhamire* et *in ſinum jactare*, reliquiae hodieque ſuperſunt in vocibus conſuetis judicialibus *inſinuare*, h. e. citationem annuntiare vel judicialia decreta tradere; et *berahmen, anberahmen*, h. e. terminum ſeu diem comparendi in judicio praefigere, olim, diem *dato ramo* denuntiare et *accepto* agnoſcere vel mutuo convenire. Sunt equidem, qui adrhamitionem vel cum BARONIO ab arrha data vel cum WENDELINO a rhamalibus vel ramis, ſub quibus judicia, aliquando inde *ramalia* vocata habita vel indicta dicuntur, repetere malunt; ſed ſatisfecit eorum rationibus ECCARDUS *ad Leg. Salic. tit. 40. p. 73. ſeqq.*

s) Vide ſupra *not. l.*

t) In *obſervationibus ad teſtamentum archiepiſcopi Abſolonis p. 49.*

Significatus Skötæ apud Svecos.

u) In *Lexico-Sveo-Gothico* vocibus SKÖT & LUTH. SKÖT inquit, *eſt ſinus, gremium, inde Skiotlaggia luth, it. ſköt laggia, ſkiötibalda, proprie idem, quod partes in ſinum conjicere, metaphorice in medium conferre & ſingulis partiri; inde eſt vox latino barbara ſcotatio;* LUTH *vero eſt portio, ſors,* LUTHA *ſortiri, dividere.* Idem in *antiquitatibus Sveo Gothicis L. II. c. 16. p. 80. ſeqq.* ita: *Emtionem autem vel permutationem* PRAEVIIS *ſolennibus lege requiſitis excipiebat* TRADITIO *rei mobilis de manu in manum aut translatio rei immobilis ejusque poſſeſſionis per* FESTUCAM *aut tactum baculorum a XII. firmatoribus factum aut* PULVERIS *partisve de terra vendita e ſinu venditoris in* SINUM *emtoris excuſſionem; unde iſtae translationis formulae natae ſunt: emere, vendere aut permutare cum parte* TERRAE, *cum* FESTUCA, *vel tactu baculi, & aliae hujusmodi item voces Latino-barbarae* SCOTATIO & SCOTARE *a Scandico* SKÖT, ſinu & HEMULA, *a* HEM *fundo, ac* MULLA, *pulvere, in gremium emtoris per venditorem excuſſo; quae erant ſymbola vel ſigna traditionis, quibus jus transferendi domini in rebus venditis ſignificabatur.* Addit elegantem e STIERNHOECKIO *L. 2. de Jur. Sveon. & Goth. c. 5.* obſervationem, quod ex iſto veteri more etiamnunc ſuperſit formula apud Svecos inſtrumentis venditionis fundorum hodie inſeri ſolita, cum FESTUCA ET GREMIO *vendere.*

*) Cujus etiam *narratio de caſibus tragicis nobilium Holſatorum & Slesvicenſium*, ſub titulo *epitaphiorum* conſcripta a WEIDEMANNO *in Progenealogicis nobilium Holſat. MSCt.* laudatur.

**) *Introd. in hiſt. Cimbr. P. 3. p. 377.*

libello præcipuos verbi divini miniſtros & rectores gymnaſii recenſuit, eorumque vitas obſervationibus illuſtravit ***). Addidimus paſſim ſupplementa præcipue ex *M.* JANI VICOSTADII Lectoris olim Bordisholmenſis, miſcellaneis MSCtis aliisque documentis e tenebris protractis. Tenuis tamen hæc eſt ſcriptio, viſceribus et rebus ad hiſtoriam coenobii & patriæ pertinentibus parum inſtructa. Operæ igitur pretium eſſe viſum eſt, lacunas iſtas aliquantulum explere opuſculo, præcipue ex diplomatibus et fidis patriæ annalibus editis & manuſcripris collecto de *originibus Neomonaſterienſibus & Bordesholmenſibus*, quod novi monaſterii fundationem, incrementa & fata, vitam, virtutes & obitum S. Vicelini, initia coenobii Bordisholmenſis ejusque acceſſiones & mutationes perſequitur usque ad annum 1666. quo academia Kilonienſis e reliquiis & pulvere coenobii & ſcholæ Bordisholmenſis feliciter exſuſcitata eſt. Paucula ſunt, quæ hoc loco adjicere juvat ad S. Vicelini memoriam & utriusque monaſterii nominum origines facientia. De S. Vicelino ad manus pervenit nuper monumentum a viro induſtrio & litteratiſſimo *M.* JO. CHRISTOPHORO HENNIGS, *anteceſſore Academiæ Kilonenſis & bibliothecæ ejusdem præfecto* e latebris demum protractum, quod inſcriptum eſt: Narratio veridica de translatione corporis venerabilis Vicelini a novo monaſterio in Bardesholm circa ann. Domini CIↃ CCC XXXII. Scriptum illud eſt characteribus & litteris more monachorum & Sæculi XV. contractis circa annum 1481. Innoteſcit hoc inde, quia hoc documentum ultimæ plagulæ *Repertorii cujusdam & directorii aurei biblie Anthoni, Rampigolis de Senis ordinis fratrum eremitarum ſancti Auguſtini Noribergæ a. 1481. impreſſi* inſtar colophonis adſcriptum eſt & cum bino alio opere, altero eadem manu exarato *v*), altero impreſſo, *w*) uno nexu & volumine cohæret. En integrum ipſius tenorem: *Factum eſt poſt obitum viri DEI Vicelini anno Domini CIↃ CCC XXXII. Henricus cognominatus Swyneborg Novi monaſterii præpoſitus & fratres ſui dilecti DEO ſervientes, cum ita rei popoſciſſet utilitas monaſterium in locum, ubi modo ſituatum videtur, transferre ſtatuerunt majoris ſcilicet gratia tranquillitatis, & congregati de corpore Sti Vicelini tractare coeperunt maxime ſe arbitrati tardari, ſi tanta patris præſentia eos contingeret defraudari, quapropter canonice conſiliati ſunt facto quid opus eſſet, & inſpirante DEO incidit eis conſilium bonum nam ſicuti olim filii Iſrael de Egypto exeuntes oſſa Joſephi ſecum detulerunt ita & iſti oſſa beati patris exhumare ſecumque ad locum deſtinatum decreverunt transportare. Præparantur etenim ſarculi ſoloque disjecto invenerunt rem plenam miraculi. Etenim foſſa ubi perventum eſt ad reliquias ſti Viri invenerunt carnibus quidem conſumtis oſſa ejus intra caſulam ſanctam, in qua more epiſcoporum corpus ejus fuerat terræ conditum, honeſte compoſita, ipſa caſula penitus incorrupta. O! vere glorioſum DEUM in ſanctis ſuis, qui hunc quoque famulum ſuum tanto dignatus honore eſt adornare miraculo. Quid enim aliud hoc miraculo voluit probari divinitus, niſi quod omnibus liquido daretur integrum, cum quanta innocentia ipſe veſtitum anime ſue, corpus dico incontaminatum ſervaverit, cujus corporis veſtitum terra mater corruptionis tanto intervallo temporis expers omnino ſervaſſet putredinis. De hinc ſumma cum devotione & gaudio ſemper venerandas illas reliquias ſublevandas atque vehiculo imponendas cum multa frequentia fidelium in hymnis & laudibus divinis a novo monaſterio Bardesholmum transtulerunt, ubi usque in hodiernum diem in evidens teſtimonium tanti miraculi caſula ſua ſervatur, & ea præpoſitus, qui pro tempore fuerit, certis feſtivitatibus ſacra miſſarum ſolemnia celebraturus induitur. Sed et hoc ſilentio tegi minime permittit de novo, quod in eius factum translatione fidiſſimorum patrum continuata ſuccedens probat narratio. Cum enim, ut prædictum eſt, reliquias viri ſancti transferendo occuparentur, nihilque id proſpere progredi pertenderet, ſubito virtus emicuit divina beato; & tam incomprehenſibilis divina Majeſtas corpus illud ſanctum pondere depreſſit, ut non ſolum deportari non poſſet, verum etiam nec omnino potuit ab omnibus promoveri. Quapropter tanto miraculo fratres conſternati animo, ſolitam partem offerunt domino ſimulque votum vovent ſancto, ut ſi inde ad locum optatum ſe transferre permitteret,*

Eorum accurationes & ſupplementa.

Memoriæ S. Vicelini.

***) Quibus plures addidit laudatus NODTIUS *d l p. 33 - 42.*

v) Cujus inſcriptio: *Incipiunt capitula Evangeliorum per annum legendorum.* Et paulo poſt: *Incipit præfatio b. Hieronymi presbyteri in IV. Evangelia ad Damaſum Papam.* Finito Evangelio Joannis leguntur verba: *finivit quatuor evangelia anno Domini 14. - 4to in Raceburg completa.*

w) Sub titulo: *Legendæ ſeu vitæ ſanctorum, quas collegit in unum frater Jacobus Januenſis de Voragine de ordine Prædicatorum.* In fine fol. CLXXXIII. exſtant verba: *Finit Lombardica hiſtoria per mandata Antonii Koburger, Nüremb. impreſſa anno MCCCCLXXXII. Cal. Octobr.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ret, ſingulis annis ipſo depoſitionis ejus die ſolemne omnibus pauperibus Bordesholmis adventantibus devote ſtipendia expenderent, quod usque in præſentem diem devote obſervarunt. Nam omnes pauperes eo, ut prædictum eſt, die Bardesholmis, ubi nunc reliquiæ ejus conſervantur, advenientes accuratius reficiuntur & ſinguli panibus ad hoc ſpecialiter coctis cum denario datis caritative dimittuntur. Quo voto devotiſſime emiſſo, omni ſemota difficultate venerandas ſancti viri reliquias ad locum optatum, dictum Bardesholm ſcilicet, cum gaudio transportarunt. Huic facto ſimile in translatione beatiſſimi patris Auguſtini factum miraculum. Quid enim? numquid DEUS Auguſtini Deus non eſſet Vicelini? Ita plane. Quid enim mirum eſt. notiſſimum illud miraculum in hoc ſervo ſuo optime Deus voluit innovari, quem ipſe non tam vita & morum honeſtate verum etiam honore dignitate excellentiſſime viſus eſt imitari. Ergo non immerito crebre ad cor revocandus eſt ſanctus Vicelinus; pro cujus ſtudio & DEUS reverenter eſt amandus. luce enim clarius patet qualiter ejus induſtria vinea domini Sabaoth in Epiſcopatu Lubicenſi primo effloruit, & fructus faciens quomodo palmites ſuos extendit usque ad maria & ultra in Lyflandiam propagines ejus. Per Vicelinum quippe epiſcopum primum plantari in antiquipoli coepit, demum per Everhardum epiſcopum contemporaneum ſuum in Magnipolin radios primum extendit. per Evermodum epiſcopum in Raceburgh dilatari coepit, & conſequenter per Meynhardum epiſcopum quondam fratrem in Sygeberg in Lyflandiam transplantata creſcit in augmentum honoris DEI. Quatuor hi conſecrati in Bremenſi eccleſia & eorum ſucceſſores ſupplent defectum ſuffraganeorum, qui ſubtracti in borea. Adaugeat dominus DEUS ad hunc numerum & decuplet eum creſcat & confortetur eccleſia & in timore Domini ambulans conſolatione ſancti repleatur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Quod præterea ſpectat ad WIPPENTHORPII & FALDERÆ nomina, quibus Novimonaſterium a S. Vicelino conditum ſæpius in diplomatibus compellatur *ww*), communi haud ſubſcribere exiſtimo opinioni, quæ *Wippendorpium* quidem venditat Saxonicæ originis, *Falderam* vero Slavicæ denominationis. Ita BANGERTUS *ad Helmoldum L. I. c. 47: Tribus nominibus locus appellatus eſt, in quem Vicelinus venit, nam ab* HOLSATIS *Wippendorp, forte ab aliquo ſuo conditore Wippone; a* VENEDIS *Faldera, & poſtea Novimonaſterium, dictus fuit, cum Vicelinus auſpiciis præſulis Adalberonis illuc veniret reperiretque inibi ſacellum ligneum, quod longo tempore deſertum ipſe reſtauravit, ibidemque monaſterium exſtruere coepit.* Idem adſtruit HELMOLDI *continuator*, presbyter & ſcriba ſeu cancellarius Bremenſis dioceſeos *in chronico Holſatiæ*, quod e latino & imperfecto codice *x*) edidit LEIBNITIUS

Falderæ & Wiperdorpii etymon Bangerti.

Presbyteri Bremenſis.

---

ww) Vide *Diplomatarium Neomonaſt. ad ann. 1136. 1141. 1142. 1144. 1146. 1148. 1158. 1164.* & plures ſequentes. Ut & HELMOLDUM *L. I. c. 47. 55. 69. 70. Chronic. Slavic.* apud LINDENBROGIUM *d. l. c. 26.* ADAMUM BREMENSEM, CORNERUM, ceteros, qui Neomonaſterium vocant eccleſiam in pago Falderenſi, monaſterium in villa Wipendorp, domum Falderenſem, fratres de Faldria.

De Chronici Holſatiæ a Leibnitio editi lectionibus vitioſis & codicibus vernaculis.

x) Teſtatur hoc lacuna poſt caput 41. obvia, ut & inſpectio aliorum codicum, quorum nonnulli ad manus ſunt latinorum MSCt., præcipue Germanicorum. Scriptum enim eſt avtenticum chronici idiomate Saxonico inferiori, inſignitum hoc rubro: *Holſteiniſche Chronicke der olden Geſchichte unde Feide des Landes tho Holſten angaende na Chriſti gebohrd vom uto. Jahre beth an des Graven Dieterichs von Oldenborg, de des Koniges Chriſtiani des Nahmen des erſten Vader gevveſen, endiget ſick im Jahr MCCCC XXVIII.* Dicta vero hujus chronici verſio latina coacta eſt, ſæpius & invita adeo vernacula reddita, ut latinus interpres verbis paullo obſcurioribus vel vim intulerit vel ſenſum adfinxerit alienum. Exempla adſunt copioſe in codice, quo utor vernaculo, quem venerabili *domino* KIRCHOFIO viro, munere, doctrina & meritis maxime conſpicuo, conſiliario Regio eccleſiaſtico, & conventus Münſterdorpienſis Præpoſito acceptum refero. Leguntur verba fol. 45: *Do ſede de König Waldemarus uth Spotte* THOM THAGE *iſs idt* (ſc. miles CALEF dictus, regi tria caſtra reſtituens) *en gudt Kalf.* Reddit hæc interpres latinus apud Leibnitium d. l. p. 54.: *Tunc Rex deriſorie dixit* TERGAGHE *bonus vitulus eſt;* vox vero *tom tage* vel *tor thage* idem eſt ac *zur Zucht*, ad augmentum gregis, non nomen proprium, quod interpres ſibi finxit. Idem. c. 30. p. 81. de Ditmarſis: *Fruſtra contendunt & minantur in propria in invicem verbis contumelioſis* SPICULA *& non auſi ſunt gladium evaginare.* In codice vernaculo hæc ſignificanter ita: *Sic kiven underlangs drovven ſick in erem Lande und geven malkandern de ſchmelikeſten Wörde,* SPIEN *ſick in de Ogen und dörven doch nicht vom Scheden theen.* Verba igitur, quæ de *ſputo* vel EXSPUITIONE *in oculos* explicanda fuiſſent, interpres latinus non aſſecutus eſt, concentu quodam vero vocum inductus explicuit per *ſpiculam*, cui tamen haſtæ vel lancearum forma eſt. Plura argumenta & copioſos præcipue interpretis latini germanismos recenſuit vir πολύμαθεστατος, cui Minerva Cimbrica litteras & ſcientias patriæ reconditas omnes aperuit, *Dn.* RHEINBOTHIUS *conſiliarius juſtitiæ Regius Danicus*, diſſertatione MSCta de presbyteri Bremenſis Chronico Holſatiæ cum tribus codicibus germanico idiomate ſcriptis, *Hafnienſi, Goſſeliano,* & qui his curatior eſt *Kirchhoſiano* collato; quam pace viri doctiſſimi cum ipſo chronico vernaculo hujusque & latini codicis variantibus lectionibus Tom. III. monu-

TIUS *in acceſſionibus hiſtoricis p. 44. Monaſterium in villa* WIPPENDORPE, *vel* FALDERA *ſecundum* SLAVICAM *linguam antiquis dicta, nunc Nigemünſter vocitata, per Adeweronem archiepiſcopum Bremenſem translatum eſt in inſulam Bardesholmenſem y), fundatum poſt eccleſiam Hamburgenſem per primum Adolphum comitem.* Repetit hoc cum pluribus RUTGERUS HERMANNIDES *T. II. Dan. Norweg. Holſatiæque deſcript. nova T. II. p. 945. Nienmünſter* inquit, *hodie aurigarum ſeu agricolarum ſedes ad Swalam fluvium olim Wippendorp &* VENETICO *nomine Valdera nuncupatum, Novimonaſterii nomen a coenobio accepit, quod Vicelinus ibi exſtruendum curavit.* Probat idem DANCKWERTHUS *Deſcript. Ducatus Holſat. p. 192.* qui tamen parum ſibi conſtans mox a Slavis ſeu Venedis ad Svevos & Vandalos progreditur & a fluviolo loci *Swala*, Svevico idiomate *Wala*, vicum Falderam ſeu Walderam denominatum conjicit. Ultra vero proceſſit MARESCHALCUS *d. l. p. 331.* ubi urbem Falderam Danorum (rectius omnino regionem Falſteram, Lalandiæ proxime vicinam) cum Holſatorum Faldera &, quæ ab hac coepit, villa Neomonaſterio comparat, quin, ut alibi minus obſcurum videtur, Barnholmium ſeu Bordingholmium z) Seelandiæ cum Bordesholmia Holſatiæ confundit. Circumſpecte B. MUHLIUS *in etymologicis MSCtis a)* Wippendorpium a *Wipp b)*, aſpectu, nictu oculi, repetiiſſe videtur, dum provocat ad communem incolarum hodieque loquendi conſuetudinem, qua vicum Neomonaſterienſem in partem minorem olim Wippendorpium, & majorem, olim Falderam, diſtinguunt, illamque *den kleinen Blick*, vicum, qui minori nictu oculi circumſpicitur *c)*, hanc *den groſſen Blick* appellitare ſolent. Quamvis vero de hac vici diſtinctione nunc conſtet; illam tamen Vicelini ætatem attingere haud dixerim *d)*, nec vocula *Wip* ab aſpiciendo ſemper dicitur; ſed ſæpius a *Wipa*,

Rutgeri Hermannidis.

Danckwerthi.

Mareſchalci.

Muhlii.

Explicatio vocum Marckfleck & Marketing, juris marcalis.

---

monumentorum prodituro dicare conſtituimus. Aliud hujus generis exemplum habes in ANONYMI, *Helmoldi Continuatoris chronico Slavico*, quod LINDENBROGIUS *inter ſcriptores rer. Germ. p. 189.* latino idiomate edidit, lectionibus inſcitiam theotiſcæ linguæ & Germanismos interpretis latini redolentibus, cumulate refertum. Cujus authenticum ab autore presbytero provinciæ Wagrienſis exaratum eſt idiomate Saxoniæ inferioris conſueto & hac inſcriptione inſignitum: WENDESKE KRONEKE.

y) Optime in vernaculo codice: *In de* BESLATEN *Land Bordesholm.* Unde MARESCHALCUS THURIUS *in commentariolo ad annal. Herul. Vand. T. I. monument. inedit. p. 331* inſulam ſeu *holmum* minus recte ſinum maris vel fretum explicuit.

z) De cujus antiquitatibus nominisque rationibus vide WORMIUM *monum. Dan. p. 223.* HUITFELDIUM, PONTANUM, & nuper MELLENII & DIPPELII ſcripta eriſtica.

a) Adde *ipſius lineamenta, hiſtor. coenob. Bordisholm. d. l. p. 482. Vicelinus firmo id animo agebat, ut ſacellum ligneum in villa Wippendorp, poſtea Niemünſter dicta, plane collapſum inſtauraret, monaſteriumque juxta ibidem exſtrui curaret, atque hæc aedicula ſacra, capellam vocant, tunc renovata auctaque in tota Holſatia prima erat, atque in vico minori ſive Wippendorff, ubi hodienum lapideum templum cernitur, locum habebat; coenobium autem in Faldera, quod majori vico tunc nomen erat, autoritate Vicelini fundabatur, hincque monaſterium ſuo merito nomine primum nuncupabatur* Noſtra ætate hoc ædificium paulo ante a locis præfectis inhabitatum, in ergaſtulum converſum eſt.

b) Voce Celtica, quæ Cimbris effertur *Gvvep*, Francis *Wipph*, unde *Gvvep*, facies, vultus, docente BOXHORNIO, OTTFRIDO *apud* WACHTERUM *hac voce p. 1913.*

c) Sed poterit vox *blick* videri corrupta a theotiſco *vvick, vvic* ſeu vico, ſicuti a *vvelle* domuncula, corruptæ ſunt voces *vvedel* & latinum *villa*, docentibus MEIBOMIO & SAGITTARIO *in explicatione vocis Bardevvici.* Forte vox BLICK coincidit cum voce FLECK, qua item vicus, vel etymi jure ſegmentum loci, locus exſciſſus, in partes ſectus ſignificatur. Unde *Flicken* eſt aſſuere, ſcindere, ſecare; *Marckfleck* vicus e tractu limitaneo vel e ſilva proſciſſus inque locum habitabilem converſus; *Marck* enim non ſolum limitem, ſed ſæpius *ſilvam* denotat; unde *jus marcale*, quod in diplomatibus *Marcething* vocatur, interdum jus regionis vel placitum *provinciæ, pagi, diſtrictus;* aliquando vero *jus foreſtale* innuit, pluribus docente JO. JAC. REINHARD *tract. de jur. foreſt. Germanor.* dicto *Mærcker-Recht p. 123. ſeqq.* Vide Diplomatarium *Raceburgenſe I. ad ann. 1170.* quo Henricus Leo epiſcopatibus Transalbinis exemtionem ab oneribus indulget & colonos ad obſervanda placita *Mardthinck* obligat. Fruſtra doctiſſimus GRUPENIUS *diſcept. forenſ. Obſ. 2. p. 743.* pro hac ſubſtituendam eſſe cenſet vocem *Hardesding;* quod vocat judicium provinciale in Holſatia, rectius pagenſe judicium in præfecturis Ducatus Slesvicenſis, *Herritzding* vocatum; a quo dicuntur *Herritz Vogt*, judex, Danice *Döhmer*, a *Dohm*, judicio; *Herritz* vel *Hartes neffn*, Judices adſciti; *Herritzmannen*, aliique, de quibus videantur *Lovvbuch L. I. c. 2. L. 2. c. 54. 56. L. 3. c. 64.* BLUTINGIUS *in gloſſis ibid.* OSTERSONIUS *in catalogo & gloſſario Legum Danic. p. 91.* SVANINGIUS *in chronol. p. 84.* WEGHORSTIUS aliique, qui differentias judiciorum *Harritzding, Landesding, Birckding* ſeu *Birckrett*, juris Bircæ deſcribunt. Mallem tamen vocem *Blick* vel *Blec*, vici ſeu villulæ, derivare a matrice ſeu e lingua Gothica *blez*, fruſtulo, ſegmento, cum quo coincidit Cimbricum & Francicum *Blezza* apud TATIANUM *c. LVI. 7.*

d) Fuit enim Wippendorpium a Faldera per interfluentem rivulum Swalam disjunctum; plateæque, quibus nunc cohærent, recentiori ævo demum acceſſerunt, uti patet ex ſchedis MSC. *de obſervantiis & juribus vetuſtis in Nienmünſter.*

pa, *Guifa e*), ſigno prædii, ſigno poſſeſſioni vel ædibus appoſito; interdum etiam ab Anglo Saxonico *Wipe f*), dolo, explicationem requirit: quam ultimam quidem antiqui mores Wippenthorpienſium & Falderenſium facile admiſerint. Non ſolum enim adductis ſupra teſtimoniis Helmoldi aliorumque in apricum poſitum eſt, quod Wipendorpium numeratum ſit inter habitationes hominum perverſi pravique & indomiti animi *g*); ſed accedere etiam videtur Falderæ etymon a theotiſca *fale*, *falle*, ſeu *valla*, h. e. decipula, tendiculis inſidiis; explanate ita docentibus BOXHORNIO, VERELIO, BENSONE in lexicis & indicibus Anglo-Saxonicis, Britannicis & Islandicis. Cum vero in antiquis chartis ſcriptio non occurrat *Fallera h*) ſed *Faldera*, aliæque ſponte adſint rationes, quæ illas conjectiones labefactent; dicam nunc per tranſennam, quid videatur mihi opinabilius. Non Slavicam, ſed antiquam Saxonicam voci Falderæ originem adſcripſerim repetitam a voce Anglo Saxonica *falt*, qua ſtabulum ovile & crates *i*) ſeu quodvis ſeptum, tum ad animalium tum ad hominum & ſilvarum præſidia confectum ſignificatur. k) Explicant hoc voces patriæ & in chartis vetuſtis Cimbricis obviæ *Faldpenning*, *Faldgang*, *Faldegangspennighe l*), *Faldſoc m*), *Faldwurth n*), aliæque a Saxonibus ad *Anglos* derivatæ, quorum annales & char-

Noſtra opinio de etymo Falderæ.

---

c) Conſtat hoc ex Legibus Germanor. Bojorum *tit. 9. c. 10. 12.* Longobard. *L. 1. tit. 17. §. 8. L. 3. tit. 3. §. 6. conferatur* LINDENBROGIUS *gloſſar. p. 1492.*

Wippen quid?

f) Unde *Wipper* eſt deceptor, *Wipper* & *Kipper*, qui monetam circumcidunt & adulterant. GOLDASTUS vero aliique illos a WIPPE, flagro, belgice *Wipp*, *Wippen*, flagellare, dictos autumant, ideo forte quia monetas verberant & percutiunt. vide HAGELSTEIN *in actis monetariis P. 3. p. 60. Lünig in Conſil. p. 149.*

g) Perfidos illos appellat Chronicon Slav. apud LINDENBROGIUM *c. 5. 21. 29.* Doloſi vero animi eosdem arguit POETA *de vita S. Vicelini verſ. 18.*

Illuſtremque virum ſupradictum Vicelinum
Ad Nordalbingos tranſmiſit FRAUDE MALIGNOS.

Falt unde?

h) Nec *Faltera*. Quam vocem expoſuerim ab Anglo-Saxonico FEALT, h. e. multiplici, diſpari, vario. Unde FALT plica. Francicum FALDAN, plicare, *faltig* plicatus, allegorice multiplex. Quo ſenſu igitur *Faldera* diceretur locus diſpar, multivarius, diſperſus. Adde WACHTERUM *d. l. p. 411.* ubi *falten* ex dictione Latina *plicare* factum eſſe conjicit per literas convertibiles.

Curtis.

i) Seu *curtem*, unde Germanicum *Hürde*. Ex cratibus enim ſepimenta conficiebantur. Unde in FLETA *L. 2. c. 76. §. 11.* laudatur FALDA *bene ſtraminata* ad cuſtodiendas juvenculas; & in MONASTICO *Anglico T. I. p. 165. Et de boſco meo ſive arborum ſucciſione ſufficientem materiam ad faciendas domos & FALDAS duarum vaccariarum.*

Villæ a fald, ſtabulo dictæ.

k) Convenit loci ipſius ſitus veterumque incolarum indoles & conditio. Idem etymon admittunt villa FALDUN præfecturæ Cimbriæ Haderslebienſis prope *Wonsbeck*; pagus *Faldera* Friſorum aliaque hujus nominis prædia; de quibus UBBO EMMIUS, SUFFRIDUS PETRI, PETRUS SAXIUS *in rebus Friſicis.*

Faldpenning

l) Qui eſt cenſus vel numulus pro uſu faldæ ovilis ſeu ſtabuli cujuscunque datus, vel ſpeciatim a colonis ſervientibus *domino fundi* ſeu *manerio* exſolvendis pro obtinenda libertate a *falda dominica* & agris dominicalibus ſimo ſaturandis. Quam ſervitutem *Sectam Faldæ* vocatam ex chartis antiquis & recentiori conſuetudine deſcripſit SPELMANNUS *d. l.* Adde *Monaſticum Anglicanum d. l. p. 302. Habeat & FALDAS, ubi omnes homines villæ præter Mareſchalcum, qui propriam faldam habet, tenentur ponere oves ſuas.*

Faldſock apud Cimbros.

m) Hoc eſt Faldæ habendæ poteſtas vel locus, Faldæ exſtruendæ præſtitutus. SOCK enim Anglo-Saxonibus eſt jus, libertas, docente *Somnero.* Interdum vero locus, tractus, qui poteſtati alicujus ſubeſt; Sæpius vero aratrum vel agri partem notat, fuſius obſervante DUFRESNIO *T. 6. p. 548. ſeqq. &* WACHTERO *gloſſ. p. 1530.* Frequentius in Legibus Cimbricis & Svecicis actionem, rixam ſignificat, docente OSTERSONIO, BLUTINGIO *in explicatione vocum Soken, Sökia*; unde vox SACHE, cauſa in forum deducta. Si huic ſignificatui ſubſcribere placuerit, FALDESOC idem eſt ac falda litigioſa. Sed cum in chartis *Cimbricis* formulæ occurrant: *præſtare ſervitia ſocci & rodæ* h. e. novalis terræ; quin SOCCAGIUM, præſtatio agriculturæ, & RODAGIUM h. e. cenſus agri novalis, item BEDAGIUM ſeu penſitatio a fundis & prædiis debita ſæpius conjungantur, mallem equidem *Fald Sockam* interpretari *Faldam, cum aratro, agricultura vel agri particula conjunctam.* In FLETA tamen *L. l. c. 47. §. 6. Sake* vel *Soca* accipitur pro libertate a curia dominica, adeoque Faldſoccum apud Anglos coincidit cum FALDGANG ſeu *Faldæ ſecta* vel cum libertate habendi Faldas. Quo ſenſu SOOKMANNUS recte dicitur homo liber, vel ruſticus, qui jure ſocagii terras vel colit vel poſſidet. Quam ipſam explicationem ſuppeditat FLETA *L. l. c. 8. L. 3. c. 12. § 5. c. 16. §. 3.* & JO. SKENAEUS *de verborum ſignificat. voce Sokmannria p. 153.*

Item Faldvvurth.

n) Hoc eſt Falda cum area vel poſſeſſione. Unde *Würtzinſs* eſt cenſus arearum, *Grundzinſs*, qui in diplomatibus venit ſub nomine bedarum. *Beda* enim dicitur a Gothico & veteri Saxonico *beth*, h. e. fundo. Plura de etymo vocis WURT *vide in præf. ad Tom. I. monument. p. 97. not. H.* Adde chartas, quibus voces *Wurt*, *Wurtzius* apprime explicantur apud GRUPENIUM *in origin. & antiquitat. Hannov. p. 107. 125. ſeqq.* Fruſtra igitur SPELMANNUS *c. l. p. 211.* FALD-WURTHOS interpretatur ſtabula *digna*, ſtationes *aptas, idoneas.* Quam explicationem repetit DUFRESNE *gloſſar. p. 321.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& chartæ refertæ ſunt vocibus *faldſoca* ſeu *faldagio* o), *faldiſtorio vel falderſtolio* p), *falderava* q), *falda* & *faldare*, r) *faldwurtis* s), ceterisque quorum interpres eſt HENRICUS SPELMANNUS *gloſſar. archæologic. p. 210. ſeqq.* Quod Wippendorpium ſpectat, parum obſtat, quin illud vel a potteſſore quodam *Wippone* vel *Wippera* t) vel rectius a theotiſco *Wippen* u), flagellare, verberare, frumentum excutere, denominatum putaveris, pagumque dixeris areis præcipue vel horreis, excutiendo & cuſtodiendo frumento dicatis inſtructum; ſicuti *Falderam* vocaveris vicum habitationi colonorum & ſecuritati gregis vel pecoris inſervientem v). Villæ vero & coenobii Bardesholmiæ etymon multiplex videtur & ambiguum. Si Monachum, cujus MSCtum Bordisholmenſe & articulos interrogatorios ſupra citavimus, audiendum dixeris, nominis origo repetenda erit a *Bargis*, pugnatoribus w), quaſi locus cer-

Wippendorpii.

Et Bardesholmiæ.

o) *Vide chartas in Monaſtico Anglic. T. I. p. 337. 340. 412. 478.*

p) h. e. ſella conſepta, plicatilis, a *falten* ſepire, plicare, docente SKINNERO *in Etymologicis* & SPELMANNO *d. l.* Quid, quod epiſcopi ſedes cancellis circumcluſa ſub ipſo Faldiſtolii nomine in antiquis membranis indigitetur. *Faldiſtorium.*

q) Seu *Faldrovve*, *faldraub*, quod vel e faldis raptum vel in campis & agris collectum in poſſeſſionem, ſtabulum ſeu ſaltam delatum eſt. Cujus generis ſunt exuviæ, manipuli e campis & agris conquiſiti in uſum pecudis. Plura diximus de voce *rove* in notis ad fragmenta Jur. Sverinens. T. I. p. 2015. Fruſtra igitur apud DUERESNIUM *Gloſſar. T. 6. p 321.* Faldrave dicitur *hoedus e capra campeſtri ſeu domeſtica progenitus.* *Faldrovve.*

r) Exempla cumulate exſtant in *Monaſtico Anglic. d. l.* Quibus addatur FLETA *L. 2. c. 73. §. 5: Faciunt terras dominicas compoſtari de ovili faldari* (e falda ſtercorari) *applicari & emendari.*

s) Vide chartam Edwardi apud SPELMANNUM *d. l.*

t) In chartis Holſaticis Sæculi XII. XIII. teſtes citantur *Conradus*, *Wipera*, *Ludolphus de Wipper*; in diplomate de villis & decimis, eccleſiæ Lubicenſi competentibus, ab Henrico Leone dato a. 1164. apud LUNIG. *ſpicil. eccleſ. P. II. p. 291.* inter teſtes laudatur *Ludovicus de Wippera*, Magdeburgenſ. Canonicus. Stemmata vero *Antonii Wipper*, *Joannis a Wipper* filiorumque Hermanni & Conradi pluriumque officialium Widenburgenſium, Lemgowienſium, Paderbornenſium & Luneburgenſium recenſuit HAMELMANNUS *oper. geneal. hiſtoricis de Weſtphalia & Saxon. inſer. p. 233. 245. 250. 822. 866. 902. 978. 1057.* Qui etiam *Wippermannorum* gentem inclytam a *Wipperis* orium dam laudavit, notavitque, hos nomen traxiſſe a *Wippera* flumine Ducatus Bergenſis in Weſtphalia. De alio fluvio ejusdem nominis *Stolbergenſi* agunt BEGMANNUS *hiſt. Anhalt. L. 3. p. 106.* & *Kettnerus antiqu. Quedlinb. p. 14.* De fluvio *Wippera in* pago *Saxoniæ & Nordthuringiæ Haſſagoo & in comitatu Mannsfeldenſ.* prope *Ramelburgum vide chronic. Gottvvicenſ. T. I. p. 625. 789.* Et quod oſtium *Wipperæ*, cui Rugenwaldum oppidulum Sæculo XIII. impoſitum eſt, ſpectat, conſule clariſſimum ALB. GEORGIUM SCHWARTZIUM *docta commentat. critico hiſtorica de Jomsburgo Pomeraniæ Vandalo Slavicæ inclyto oppido p. 21. ſeqq.* Videtur vero opinabile, fluvios hujus nominis vocari a Saxonico *Wippen*, flagellare, ſeu motu continuo moveri; unde *Wipa* vel *Wippa* apud BUSCHIUM *de reformat. Monaſter. Libr. 3. c. 31.* edita a LEIBNITIO *T. II. p. 934.* denotat profluentiam vini; *Vipida* vero vel *vipila* in *pactu Legis Salicæ T. 43. §. 10. 13. Tit. 44. §. 3.* pelagum vel aquæ gurgitem. Etiam nunc Belgis, Anglis, Germanis vortices & vela navium dicuntur *Wippel*, *Wimpel*, quin obſervante WENDELINO *in gloſſar. Salico* duobus fluminibus circa Liram in Brabantia nomen WIMPE & WIMPEDE inditum eſt, quia continuo æſtu aërem tremule vibrant facileque exiſtunt vorticoſa & periculoſiſſima. Quamvis vero non inficier, etymi hujus rationem aptam adeo videri, ut ad plures fluvios illa pertineat, facile tamen puto hæc objectio retunditur etymologicis rationibus & exemplis nominum affirmative recte procedentibus. Adſunt quoque nomina villarum pagorumque alia hoc nomine inſignita. Quorum præcipui ſunt *Cimbriæ* pagi *Wippendorff* in Nienharda præfecturæ Flensburgenſis, & villa aquæ impetu ſubmerſa *Wippenbüll* in Horsbullharda præfecturæ Tunderenſis; item oppidum *Wippere*, cujus ex charta Marchionis Geroni meminit CHRONICON *Gotwic. d. l.* nec non oppidulum *Wipperwordum* Weſtphaliæ, cui a trajectu per fluvium Wipperam nomen inditum videtur. De *Wippendorpio Holſatiæ* vide quoque laudatum *Chronicon Gottvvicenſe p. 637.* *Varia nomina Wipponum, & Wipperorum.* *Fluviorumque.* *Et pagorum.*

u) Vide WACHTERUM *d. l. p. 1914.* Sunt etiam, qui ab hac voce repetunt nomina theotiſca *givvepen*, *givvaffene*, hodie *vvapen*, arma & hujus generis alia, quibus ex *ligno* olim confectis uſi ſunt ad verberandum. Quo ſenſu armiger dicitur *Wepener*. Vid GRUPEN *obſervat. d. l. p. 924.* *Wippen, flagellare.*

v) Concidit igitur fabella, quam ex CORONÆO & VICOSTADIO repetit B. MUHLIUS *d. l. p. 502.* aſſerendo, quod fratres Falderenſes opibus & beneficiis ſenſim ditati in illecebras & præcipitia ruerint, foedaque pergræcandi licentia id demum effecerint, ut conſueta perbachantium formula: *juch heyſa faldera lalla!* a *Falderæ* fratribus ad alios traducta in circulis hodieque reſonet. Mallem formulam referre ad ſonum & luſum illorum, qui debachando muſice in verbis luxuriantur & rationem captivando ineptiunt; vel ſi voci *Falderæ bacchanali* ſignificatum ineſſe putaveris, hunc repetendum conjecerim a *phalera*, vario capitis & crinium ornatu, quo convivæ interdum honoratiores & præcipue Poetae inter ſolennitates & pocula agentes olim uſi ſunt. De quo ritu intelligendi ſunt venerandi eccleſiæ patres, qui phaleras ſeu ornamenta damnant, et *vana mundi* GAUDIA, dicunt PHALERATA, quin eloquentiam coloratam, doctrinam fucatam et futilem inter *phaleras* reponunt. Vide *S.* AMBROSIUM *in Lucam L. II. c. 18. & vitam S.* REMIGII *apud* MARTENE *anecdot. T. 3. f. 1667.* ibique: *Non oblectabant ejus animam* FALERAMENTA DIVITIARUM, *nec* AULICORUM *copia miniſtrorum, cujus erat omnis ab* INTUS GLORIA *de* CONSCIENTIA PURA *&* FIDE *non* FICTA. Certe ornatus, qui nec fato eripi nec tempore abſumi poteſt, cujus poſſeſſio æterna eſt et cælo proxime vicina! *Fabula de origine formulæ perbachantium.*

w) Provocat ad codicem Bibliothecæ Bordisholmenſis, qui inſcribitur *Teuthoniſta ſeu materia vocabulo-* *An dicatur a Bargis pugnatori-*

certaminis exſtiterit olim, pugna ac victoria clarus *x*). Alii huc *Bardos*, Germanicos & boreales ſacrorum cantores & antiſtites accerſunt *y*), quos quidem plures cum LAZIO fruſtra in Bardorum Gallorum Dalmatarumque veterum ſocietatem referunt coguntque. Nec a *Bardo* vel *Bardone quodam* z), poſſeſſore & domino loci

---

bulorum a GHERHARDO *de* SCHUEREN *contexta a. 1475.* ubi de Barginis ita: *Barginus & Barginis, ein vvremt buten Mynſch of Pelegrym; Bargines, die ſtarck in dem Stryde ſind.* Vide plura de *Baris* ſeu *Bariginis*, quos vulgo præcipuos ſatellites dicunt, apud SAX. GRAMMAT. *pr. L. 8. hiſt. Dan.* et SPELMANNUM *gloſſar. p. 64 ſeqq.*

Vel a barten ſecare.

x) Non opus eſt *Bargis*, ſi etiam vel maxime etymon a pugna derivatum arriſerit. Suppetit enim vox Germanica *barten*, h.e. pugnare, item ſecare, Unde ſunt Gothica *Barda*, cædere, *bard* percuſſus, prociſſus, *Hellebarte* aſcia militaris, bipennis, *barte*, *bardeke* ſecuris, ſecuricula, inſtrumentum ruſticum, quo apud Saxones etiam nunc ligna finduntur. Adde Anglo-Saxonicum *bearden*, ſecare, *beart* ſeu barba, ſciſſio, cui eodem cenſu conſonat Slavicum *brada*, *broda*. Litera enim r. natura ſua inter mobiles refertur. Inde villas Slavicas *Brode* in Wagria, *Groſen Brode* in *Megapoli Strelizenſi*, etymi jure terras transſciſſas, dixeris, ubi vel eſt inſulæ facies vel trajectus, maris affluentia, ejusque et terræ cohærentis diſſectio. Quod alii facile adplicaverint traxerintque ad Bardisholmiam.

Convenientia vocis Slavicæ.

An a Bardis ſacerdotibus Germanorum.

y) B. MUHLIUS *c. l.* et ARNKIEL *de Relig. Cimbr. P. I. c. 32.* qui originem nominis antiquæ urbis Bardewici Bardis Saxonum tribuit. Hos vero MEIBOMIUS *in Hiſt. Bardevici T. III. Rer. germ. p. 55.* dictos exiſtimat a dignitate & cultu quaſi *die Werthen.* Aliis placet derivatio a *Bardone* ſeu *Bardocucullo*, veſtium Gallicarum genere; a Celtico *bardo*, video; theotiſo *Warte*, ſpecula, vel a veteri *Waert*, verbo. Accedimus vero iis, qui Bardos ſacerdotes patriæ veteres dictos volunt a *baren*, cantare. Unde apud veteres *Bar* eſt cantus, vocis elevatio, *bæren* attollere, *baren* referre, manifeſtum reddere; *Bard* cantor, qui voces attollit, item recitator, qui voce res manifeſtat; *bardoneg* poema, carmen, *barditus* clamor terrens, claſſicum veterum Germanorum, *bardicare* inepte clamare, rugire, *bardicatio* ululatus excelſus pro pœnitentia vel pro mortuis, *Bardæa* vel *Bardala* alauda vocis muſicæ modulamine prædita, docente TURNEBO *L. 13. adverſ. c. 25.* Cum hac explicatione convenit denominatio, qua gentes Arctoæ Bardos Poetas illos oratores et hiſtoricos veteres compellant *Scaldros* ſeu *Scaldos*; quorum nomen indubie eſt a *Skall* cantu canoro, ſono, *Skalda* poeſi, explicate docentibus LOCCENIO *antiqu. Sveo-Goth. L. 2. c. 15.* OLAO VERELIO *in Runograph. c. 6.* et præcipue WORMIO *diſſert. de priſca Danorum poeſi p. 7. Literatur. Dan. p. 2. 401. & in Faſt. Danic. L. I. c. 6.* Cujus etiam eſt elegans obſervatio, quod a voce *Skall* nata ſit *Skella*, nobis *Schelle*, tintinnabulum, nolæ, campanulae, quibus et principes nobiles et honoratiores olim incedere conſueverunt. Nolo tamen cum TILLEMANNO FRIESENIO *in ſpeculo monet. L. 4. c. 4.* huc trahere etymon *Schilling*, quaſi dixeris nummulum tinnientem, ſonantem ob craſſitatem, qua opponebatur bracteatis tenuiſſimis, panningis aliisque hujus generis laminis minime ſonoris. Cui derivationi favet JUNIUS *in obſervat. ad Willer. p. 80.* Rectius illud vocabulum repeti videtur ab Anglo-Saxonico *Scyllan*, dividere, *Scylung* ſeparatio; cum quo convenit Svecicum et Danicum *Skylia* ſeparare, *Skillmünt*, qua ſolidi majores dividuntur vel emtor et venditor ſeparantur, vulgo *Scheidemüntze.* Licet non deſinit, qui hanc vocem vel a *Schillingio*, cive Poruſſo, vel cum ECCARDO a latino *ſolido*, cum SCHILTERO a *ſiliqua* et cum DIECMANNO a Saxonico et Belgico *ſchälen, verſchillen* diſtinguere, repetere ſatagunt. Ceterum de Scaldis Germanorumque Sacerdotibus, arte poetica, officiis et dignitate clariſſimis legi merentur BARTHOLINUS *antiquitat. Dan. L. I. c. 10.* SNORRO STURLÆUS *præf. chron Norvvag.* JO. DAV. KOELERUS *proluſione de poetis gentium arctoarum vetuſtiſſimis Altdorf. a. 1724. emiſſa*, et qui Germanorum phonaſcos *die Meiſterſænger* Bardorum ſucceſſores laudant MORHOFIUS *de lingua & poeſi Germ. p. 276. 306.* GOLDASTUS *in animadverſ. ad* WINSBECKII *paranetica f. 387.* WAGENSEILIUS *peculiari libro de collegiis phonaſcorum.* Quibus adde, quod inter alia egregia, de CYRIACI SPANGENBERGII *opere MSCto hujus argumenti* obſervant *literatiſſimi* AUTORES *der Beyträge zur Critiſchen Hiſtorie der Teutſchen Sprache P. II. p. 390. ſeqq.* De BARGILDIS veterum Germanorum ſeu de *Parochi* cenſualibus vide ECCARD *R. F. Tom. I. p. 393.*

Scaldis ſeptentrionalium.

Bardone, poſſeſſore, vel nomine familiæ.

z) *Bardonis* cujusdam Advocati in Nienmünſter mentionem injiciunt *Schedæ MSCt. de obſervantiis antiqu. in Nienmünſter* Fide CRANTZII *Vandal. L. 3. c. 6. Saxon. L. 7. c. 2.* & ADRIANI ROMANI *in parvo urb. theatro:* urbs Bardevicum nomen obtinuit a fundatore BARDONE *Saxone*; ſed HINRICUS BUNTINGIUS *chron. Brunſvic. P. 1. p. 5.* & THOMAS MAWERUS *in deſcript. originis urbis Luneburgæ* Regem & Ducem *Bardonem* laudant Bardewici conditorem. De quibus certe Bardonibus nil quicquam veri conſtat. Et licet reperiantur hujus nominis illuſtres viri, inter quos ſunt *Bardo* Abbas Werdünenſis et Hirſchfeldenſis, poſtea Archiepiſcopus Moguntinus, *Bardus Snæfelroſſ* in Norwagia, *Agobardus* Archiepiſcopus Lugdunenſis apud Gallos, *Bardo* de Sichelſtein, monachus Corbeyenſis, notatus *in hiſt. Saxoniæ MSCt. Thiatmari Abbatis Corbejenſis ad a. 1196.* et a JO. LEZNERO *Chron. Corb. II. p. 131*; his tamen aliisque vel a memoria Sacerdotum *veterum Bardorum* GALLORUM & TEUTONUM, vel a BARDIS *antiquiſſimis populis* & *colonis Germaniæ* mox laudandis nomina remanſiſſe putaverim. Quibus quippe gentibus, cum dicta utraque Bardorum ſacrorum claſſe nil quicquam commune habentibus tribuo origines & reliquias vocum virilium Germanicarum: WIGBART *ſeu* WICKBERT, DAGOBERT, LAMBERT, HERIBERT, HAGOBARDUS, SIGEBERTUS *vel* SIGEBARTUS. Quamvis WOLFGANGUM LAZIUM *de migrat. gent. L. 5.* nomina hæc a *Bardis ſacerdotibus* Gallorum repetere juvet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

loci *a*); neque ab abundantia *percarum b*); multo minus ab *urſis c*); ſed a veteri Saxonico BARD vel BORD loco uberi & plano, terra frugifera ſeu colonaria *d*) & HOLM, loco inſulari *e*), nomen petendum eſſe exiſtimaverim; quam ipſam explicationem populi & coloni veterum Germanorum, præcipue Saxonum, *Bardi vel Bordi* dicti *f*) pluraque hujus nominis & ſignificatus oppidula & villæ *g*) & ipſe Bor-

An a bard, domo?

a) Si a *domino* vel hujus generis voce originem nominis repetere ſategeris, opus non eſt ſpeciali nomine alicujus domini et fundatoris, cum adſit vetuſta Saxonica VOX BORD *borda*, domum, hoſpitium, ſeptum ſignificans, uti conſtat ex chartis *in Monaſtico Anglic. T. I. p. 37. T. II. p. 951. T. 3. p. 181.* Hinc in Lege Friſionum Tit. 13. *bord magad* dicitur *ancilla domus.* Quo ſenſu *bordarii* dicuntur ſervi ædibus adſtricti ſeu *domeſticis* officiis operam navantes; *Bordimanni* homines fideles, qui bordam, tugurium tenent, vel qui domino fundi obligantur ad *bordagium*, ſeu *bordelagium*, germanice *Bordlode* h. e. ad prædii onera, ad ſervitiorum praeſtationem jure prædii vel domeſtico jure debitam. Faciunt huc voces *Bordveal*, *paries domi*, *bordaria*, praedium ruſticum, *terra borderiata*, teutonice *Bordland*, terrra dominicalis, ad *domum* pertinens; *barecæ* gallice *baraque* ædicula, ſaepius *bordellum* ſeu domuncula, tentorium, caſa apud MABILLONIUM *Annal. Bened. T. 2. p. 708.* et in *Monaſtico cit. T. 2. p. 206.* Fuſius hoc docuerunt SPELMANNUS *d. l. p. 85.* Somnerus *Diction. Anglo-Sax. voce* BORD et LINDEBROGIUS *gloſſar. p. 1365.* ubi ad epiſtolam Alfredi Regis Angliae ad Wulfligaeum epiſcopum provocat. Facile igitur Bordisholmiam dixeris *domum inſularem* vel ſi mavis *inſulam munitam*, *habitationibus ſeptam.* Veteres enim Germanos a munitione domos appellaſſe ſepta, eruditiſſime oſtendit WACHTERUS *in vocibus Gard, hagen, Dunzaun.* Saepe etiam vox *bord* dicitur de margine, limbo. Unde *bardatus locus*, *bardatura*, *bordura* in chartis apud RYMERUM *act. Angl. T. 5. p. 6.* ACHERIUM *Spicil. T. 7. p. 222.* ſignificat oram loci vel locum limbo circumdatum. Quo ſenſu Bordesholmiam vocaveris terram margine cinctam, limitibus aquae incluſam.

An a percis?

b) Quod etymon VICOSTADIO aliisque perplacuit, qui Bordisholmiam ſcripſerunt *Barsholmiam.* Quamvis percarum lacuſtrium Bardisholmenſium tanta non ſit copia, ut cum marinarum ubertate in ſinubus Chilonienſi & Eckerfordenſi poſſit comparari. Vide STEPHANUM A SCHONEVELDE *in Ichtyologia ſeu nomenclatura animalium aquat. in Ducat. Slesv. & Holſat. p. 55.* Forte Vicoſtadii opinionem alii colorare putaverint nomine *bardi*, piſcis alicujus, percae majori haud abſimilis. De quo apud ACHERIUM *Spicileg. T. 7. p. 509: Piſces qui afferebantur de Moſa, quas poetica licentia vocare poſſumus roceas &* BARDAS.

Ab urſis.

c) CORONÆUS *in antiquitat. coenob. Bordisholm. h. l. p. 593.* cui ſuppetias fert Anglo-Saxonicum *bærs*, lupus.

Rectius a borde, fundo plano & uberi.

d) Docet hoc CHRISTOPH. ENTZELIUS in CHRON. VET. MARCHIÆ. *Borde iſt auf alt Teutſch quaſi horreum, ein fruchtbar Land von Korn.* Quod idem PEUCERUS *L. IV. Chron. Carionis* notavit, dum *Börde* agrum vocat *oneratum frugibus*, HORREUM *ceterarum partium* ARIDIORUM. Quibus conſona teſtimonia JOANNIS NEOWALDI *Tr. de antiquis Weſtphaliæ colonis* & SPANGENBERGII, quae ſubjungit MEIBOMIUS *Hiſt. Bardevvici d. l. p. 55.* qui et ipſe obſervat, *Bordam* Magdeburgicam altam et ſilvaticam *die hohe Börde & Holtzbörde*, item *Bardam Gottingenſem* & *Embeccenſem* cis Viſurgim et ultra eum *Suſatenſem* et *Wedenam* in agro Lippienſi dici a fertilitate, qua reliquos locos in vicinia vincunt. Adde ſequentem *notulam g*). Voci vero huic *barde* vel *borde* originem forte adſcripſeris a veteri Saxonico *bören*, *baren*, proferre, progignere. In qua ſententia eſt SPANGENBERGIUS *chron Saxon. c. 13.* Sed NEOWALDIUS et PEUCERUS *c. l.* illam a BÜRDE, re onuſta, onere proventuum repetunt; convenientius vero MEIBOMIUS *d. l. p. 56.* et SAGITTARIUS *in hiſt. Bardev. p. 31.* illam a formula *Bauerde*, terra colonis addicta, profluxiſſe putant. Addimus MEIBOMII verba: *Conjectura mea eſt, Börde nihil aliud eſſe quam* Bauerde, *terra cultui apta, vel ſi mavis,* Bauart, *nam & hodie nobis* arthafft Land *eſt terra frumentaria; eodem modo* garde, *latine hortus, Saxonibus eſt idem quod* Garerde, *terra ſtercorata ſive pinguefacta ſive* garart; *vocabulum autem triſyllabum* Bawerde, *vel ſi id magis placet,* Bawörder, *per ſynæreſin factum eſt diſſyllabum* Börde: *eodem modo quo* Bawer *agricola, ex diſſyllabo abiit in monoſyllabum* Bawr, *& ex illo compoſitum* Naherbawr *ſive* Nacherbawr, *hoc eſt colonus vicinus, fit* Nachbawr.

e) Vide *præf. ad monum. T. I. p. 81.* & *Chronic. Gotvvicenſ. P. I. p. 635.*

A quo Barbis, populis antiquis nomen.

f) Teſtes citamus ADAMUM BREMENSEM *L. I. c 3.: Quippe primi circa Albiam & in reliqua Germania Sveci habitarunt, quorum confines erant, qui dicuntur* BARDI, *Sicambri, Vandali, populis Sarmatæ, Longobardi, Heruli, Dacæ, Marcomanni, Gothi, Nordmanni, Slavi;* et HELMOLDUM *Holſatiæ L. I. c. 25,* ubi Bardos Stormariis & Holſatis aperte jungit: *Et ſenior,* inquit, *filius Godeſchalci Buthue declinavit ad* BARDOS, *quærens auxilium a Saxonum principibus, quibus pater ejus ſemper devotus &* FIDELIS *exſtiterat; confugit ad Ducem Magnum, qui ad ipſius allocutionem reſpondit: Non poſſum hac vice ipſe egredi, ſed dabo tibi* BARDOS, *Sturmarios, Holzatos atque Thietmarchios, quorum auxilio fretus hoſtium impetus ad tempus excipere valeas; aſſumtis ergo Buthue fortiſſimis* BARDORUM *tranſiit Albiam & præcurrit in terram Wagirorum.* Bardi igitur ſunt populi et incolae Nordalbingiae coloni ſeu populi agrarii, praediorum cultores a *bard*, terra feraci et frumentaria vocati, ſicuti vicini, cum quibus conjunguntur, *Holſati* a ſede ſilveſtri, *Stormari* a habitatione circa Storam et paludes, *Ditmarſi* vero a regione ripuaria et paluſtri et pascuoſa ſibi nomina vindicarunt. *Vide præfat. ad T. I. p. 94. ſeqq.*

Item locis & pagis Cimbriæ, Holſatiæ Pomeraniæ. Saxoniæ.

g) Refer huc pagos Cimbriae BARDERUP praefecturae Flensburgenſis, BARDESBÜLL praefecturae Haderslebienſis, pagum Wagriae BARDIN prope Oldenburgum; BARDAM tractum Rugiae fertiliſſimum, et vicos plures *Bardingthorpum* Paderbrunenſem, *Bardorp* Gvelpherbytanum, *Bardenburgum* Abbatiam ordinis Ciſtercienſis, *Bardonem* pagum Misniae ipſamque antiquiſſimam urbem *Bardevvicum* notantibus MEIBOMIO & SAGITTARIO *d. l.* agris jucundis et fructuoſis circumdatam Bardisque olim patriae populis et colonis inſtructiſſimam. Praecipue in hunc ſenſum veniunt pagi Magdeburgenſes *Bardeleben, Bardenbeke, Ekenbardeleben,* ut et

Lange-

Dordesholmiæ ſitus *b*) patentiſſimus, campi plani & uberes, lucus magnus & feraciſſimus, paſcua & proventus, non ut in vicinia Neomonaſterienſi exiles & macri, ſed largi & fructuoſi facile comprobant & tuentur. Accedimus nunc ad OTTONEM SPERLINGIUM *i*), cujus tantum inter hiſtoriarum & antiquitatum ſeptentrionalium ſcriptores nomen eſt, ut religioni duxerim, notas, quas in Adamum Bremenſem hiſtoricum rerum ſacrarum ſæculo XI. clariſſimum conſcriptas reliquit diûque deſideratas prætermittere. Ut enim reliqua hujus viri ſcripta ob præſtantem, quam præ ſe ferunt cognitionis copiam ac apparatum rerum inſignem, facile eruditorum omnium applauſum meruerunt; ita & has annotationes, quæ varia ad priſtinorum rituum illuſtrationem facientia complectuntur dignas cenſebunt æqui rerum judices, quæ ab interitu vindicentur. Quamvis perſvaſum nobis habeamus, quod, ſi autori ultimam manum huic, quod bene coepit, ſcripto adjicere per fata licuiſſet, alio plane illud habitu aliquando in lucem proditurum fuiſſet: ita enim in illo volumine, quo uſi ſumus, ægre vel minus apte pleraque cohæſerunt, ut facile apparuerit, eſſe illas lacinias ex ſchedis diſperſis conſarcinatas; quas ideo, ut aliorum ſtudio inſervirent commode in concinniorem quendam ordinem redigi ac commodo loco conjungi invicem curavimus. Condonandi igitur ſunt, ſi qui exſtant, errores, clariſſimo autori ad ornandas res patrias nato, in ſtudio antiquitatum verſatiſſimo & in labore quam maxime aſſiduo, qui morte interceptus telam ſuſceptam nec ornare nec perficere potuit, ſubſiſtens quippe in capite XXXIV. ſecundum editionem Maderianam Lugd. Batav. ann. 1595. quam hic inprimis ſecuti ſumus. Quicquid tamen harum reliquiarum ad nos pervenit, id locum omnino inter reliqua hiſtoriarum monumenta mereri, gravi teſtimonio docuit *B.* JO. ALB. FABRICIUS, vir de aliorum ſcriptis ad poſteros conſervandis quam maxime ſollicitus & de republica litteraria meritiſſimus, qui hoc Sperlingii fragmentum, ut Adamo Bremenſi ab ipſo inter ſcriptores rerum Septentrionalium Lindenbrogianos denuo in lucem emiſſo illud ſubjungeret, enixe quidem ſed fruſtra quæſivit. Quod CLAUDII LYSCHANDRI *Chriſtophori* filii & *Joannis* hiſtoriographi regis Chriſtiani IV. & parochi Herföglienſis *origines Cimbricæ & Obotriticæ Megapolenſes* latino ſermone veſtitæ *k*) hoc loco num *IV.* et *XV.* prodeant, id quidem præcipue fit hortatu eorum, qui libros ipſius ob ſingularem induſtriam & antiquitatis curam commendant & ſva-

De Ottonis Sperlingii notis ad Adamum Bremenſem.

Claudii Lyſchandri origines Cimricæ & Obotriticæ.

Langebörde, locus terrae frumentariae patens longoque tractu inter Magdeburgum et Halberſtadium ſitus, cujus primis incolis, Bardis colonis, originem famoſi nominis *Longobardorum* recte tribuunt REINECCIUS, *B.* RHENANUS, GEORGIUS TORQUATUS, quos cum AYMONIO *de geſtis Francorum L. 2. c. 13.* appoſite in rem citant MEIBOMIUS *d. l. p. 78.* SAGITTARIUS *d. l. p. 32.* Adponere lubet PEUCERI verba, quibus *L. IV. Chron. Carionis* hoc argumentum munit: *Longobardorum ſedes fuit circa medium Albis ad ripam Occidentalem, ubi ditiones ſunt epiſcopatuum Magdeburgenſis & Halberſtadenſis, cum parte Marchiæ veteris. Hi Duce Alboino per Noricum & Pannoniam intrarunt in Italiam imperante Juſtino, totaque pene Ciſalpina Gallia ad Apenninum usque occupata regnum excitarunt. Reliquum adhuc eſt* LONGOBARDORUM *nomen in eo tractu ad Magdeburgum, qui vocatur auf der* BORD. *In hiſtoriis etiam incolæ* BARDI *vocantur. Nec a longis barbis, ſed vel a longis ſecuribus, quibus uſi ſunt pro armis, vel ab hoc loco, qui* FERTILIS *eſt &* PLANUS, *nomen Longobardorum factum eſſe exiſtimo, quod longam planitiem montibus ſubjectam denotat. Vocabulum* BORD *videtur ſignificare agrum oneratum reditibus de proventu annuo frugum, & exiſtimo, hanc regionem propter ubertatem ac foecunditatem fuiſſe velut horreum ceterarum partium aridiorum.* Male igitur SOMNERUS *d. l.* CRANZIUS *L. 3. Dan.* etymon Longobardorum in longis bardis ſeu bipennibus & PAULUS DIACONUS *Lib. I. Hiſt. Longob. c. 9.* in longis barbis inveniſſe ſibi viſi ſunt. Ceterum adſunt et rivi et fluvii, qui a foecunditate appellati ſunt *Bart.* Inter quos ſunt *Barde* prope Lipſiam et *Barta* Sileſiæ, quem fluvium HENELIUS *in Sileſiographia P. I. c. 5. p. 565. laudat luciorum eximie bonorum* FERACEM, *flumen amoenum, paluſtribus aquis ripas herbidas lambentem.*

b) CÆSO GRAMMIUS *in Chilonio Holſatiæ Parnaſſo p. 28*: *Bardesholmenſe*, inquit, *coenobium in aprica valle, ex quodam intervallo ſilvarum umbris circumvallata, ſedem obtinuit, aquis lupipercas, praſſinos, lucios, percas &c. advectantibus circumſonum; unde inſulæ nomen ipſi ab Helmoldi continuatore impoſitum legimus, quod tamen, ſi rigide inquiras, huc quadrare non poteſt, ſed potius peninſulæ, cum pars coenobii reſtet, quæ aquæ interventu non dirimatur.*

i) Cujus vitam et ſcripta exhibet RAUPACH *de ſtatu rei ſacræ & literar. in Dania ed. 1717. p. 77. ſeqq.*

De ipſius Synopſi hiſtoriarum Daniæ.

k) Danico idiomate ſcriptae leguntur in ipſius *Kort Summa offver den Danske Hiſtorie, Danske Kongers Slagtebog* h. e. *ſynopſi hiſtoriarum Danicarum ac genealogia regum Danorum ab orbe condito usque ad Regem Chriſtianum IV. ed. Hafniæ 1622.* Argumenta hujus operis ſingula recenſuit SIBBERN *bibliothec. hiſt. Dan. c. 1. p. 49.* Potiores libri Partis I. et II. in latinum idioma translati delitescunt adhuc inediti, quorum nunc tertius partis I. et nonus partis II. prodeunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& ſvaſores nuper exſtiterunt, ut inedita *l*) ipſius hiſtorica, quorum apographa nacti ſumus, opuſcula in lucem protraherentur. Nec defraudandum eſſe arbitramur autorem inſigni, qua excelluit, laude ſedulitatis & diligentiæ, quam doctiſſimi etiam viri JO. ISACIUS PONTANUS, JO. SVANINGIUS *m*), JO. MÖLLERUS *n*) agnoverunt; diſſimulandum tamen non eſt, quod ingenii & induſtriæ impetu magis excitatus, quam candoris ac veritatis ſtudio rerumque ac ſcientiarum apparatu inſtructus acceſſiſſe videatur ad ſacraria hiſtoriarum. Spem enim lectoris ſæpius deluſit judicii imbecillitate, fabulas vagique ingenii documenta immiſcuit, plura non tam ſuſpecta quam falſa & a comperta fide oppido aliena tradidit, quorum prima ſunt Gothlandica illa monumenta *o*), mythologica varia & origines Danorum a Gomero II. dicaci admodum & licentioſo ſtudio repetitæ. Ne plura dicamus de ipſius aliis erroribus plagiique illo ſtudio quo CRAGII *hiſtoriam Regis Chriſtiani III.* expilare ſuisque paſſim additamentis interpolare coepit. De quibus ſingulis cum quæ ad Lyſchandri elogia tum ad ipſius vituperia ſpectant, recto judicio diſpexit vir præſtantiſſimæ eruditionis JO. GRAMMIUS *Reg. Maj. Daniæ hiſtoriographus & conſiliarius* in *præfatione* rerum ſelectu & eruditionis affluentia elegantiſſime inſtructa quam NICOLAI CRAGII *annalium libris IV. ſeu hiſtoriæ Regis Chriſtiani III.* præmiſit *p. 32. ſeqq. 37. 38. 40.* Deducimur ad monumentum, cupreſſi inſtar inter viburna eminens JO. ISAACI PONTANI ſcriptoris rerum Danicarum inter præcipuos annumerandi, cujus hiſtoriam rerum Danicarum, res a Regibus e domo Oldenburgico oriundis CHRISTIANO I. JOANNE I. CHRISTIANO II. FRIDERICO I. CHRISTIANO III. & FRIDERICO II. geſtas complexam, hactenus inditam publica luce digniſſimam judicavimus *in præfat. ad T. I. monument. p. 46.* Mirari omnino ſubit, qui factum ſit, quod opus tam dignum, utile & jucundum, in rebus etiam quibus tot eruditi inhiant, patriis quam maxime deſideratum nec tenebris hucusque ereptum nec alio modo publico commodo aſſertum fuerit, quin adeo ex eo, quo prima ejus pars cum chorographica regni Daniæ deſcriptione anno 1631. Amſtelodami prodiit, ultra integri ſeculi ſpatium intra privatorum carceres detentum delituerit. Id itaque egimus, ut ſumtibus noſtris acquiſitum hoc inſigne hiſtoriarum monumentum e tenebris nunc eluctetur prodeatque in ſcenam ac communem uſum. Optandum quidem foret, fuiſſe nobis occaſionem, exemplum illud, quod ad manus noſtras transiit conferendi cum eo, quod quondam aſſervatum eſt in bibliotheca academica Hafnienſi; ſed cum id ipſum exemplum, quo uſi ſumus, vir,

Pontani Hiſtoria rerum Danicarum

---

l) In quorum numero ſunt 1) ejus *Adverſaria* in hiſtoriam Chriſtiani III. & Friderici II. a litteratiſſimo *Dn.* JO. GRAMMIO *in præf. ad Cragii hiſtor. p. 34 &* STEPHANO JO. STEPHANIO *in indice auctorum, libris II. hiſtoriæ Danicæ* ſubjuncta: 2) CATALOGUS *ſcriptorum Danicorum præcipuorum*, qui ad ann. usque 1622. inclaruerunt, ordine Alphabetico conſignatus. Quo ALBERTUM BARTHOLINUM & ERASMUM VINDINGIUM uſos fuiſſe obſervavit MÖLLERUS *Spicileg. hypomnemat. ad* BARTHOLINUM *p. 2.* 3) *Hiſtoria Chriſtiani III Danorum Regis*, cujus fragmentum a LYSCHANDRO olim poſſeſſum ex codice MSto. bibliothecæ Roſtgardianæ num. 648. ad noſtras manus pervenit. Scriptum tamen hoc neutiquam eſt foetus *Lyſchandri*; ſed expolitum opus annalium NICOLAI CRAGII, ſcriptoris ob candorem rerumque ad hiſtoriam pertinentium ampliſſimum apparatum & orationis venuſtatem inter præcipuos commendatiſſimi. Cujus annales ſeu hiſtoriam Chriſtiani III. neſcio quo jure Muſis ſuis adeo vindicavit, ut primis plagulis fuſiora paſſim & ampliora quædam admiſcuerit, in reliquis interdum nomina propria expreſſius addiderit, pleraque tamen argumenta ipſis plane verbis Cragii recitaverit, ſicuti ex utriusque ſcripti collatione patet. Specimina quædam dedit laudatiſſimus GRAMMIUS *d. l.* De aliis Lyſchandri MSCtis vide MÖLLERUM *P. I. Iſagog. c. 12. §. 5. p. 185.* & ipſum LYSCHANDRUM *in epiſt. ad Melch. Goldaſtum.* Edita ipſius recenſent BARTHOLINUS *de ſcriptis Dan. p. 33.* MÖLLERUS *in Hypomnem. p. 200. ſeqq.* SIBBERN *d. l. p. 150. 200.* *Et ſcriptis ineditis.*

m) *Prolegom. ad chronol. Dan. p. 29.* ibique citatus PONTANUS, qui tamen ipſe *in epiſtolis 101. ſeqq.* & *ſylloge antiqu. Matthæi p. 275. ſeqq.* nonnulla a LYSCHANDRO *in ſynopſi hiſtoriar. Danic.* audacius dicta notavit.

n) *Hypomnem. ad Bartholini librum de ſcript. Dan. p. 200. & ſpicileg. p. 2.*

o) Quorum primus coryphæus exſtitit *M.* NICOLAUS PETREJUS Jutiæ Auſtralis Superintendens, in *libris II. de Cimbrorum & Gothorum originibus* circa ann. 1570. conſcriptis et a. 1695. *latine editis*; in Germanicum etiam ad Danicum ſermonem anno 1699. et 1706. translatis. Quem autorem ſecuti ſunt JO. NICOLAUS STRELOVIUS *in chronic Guthilandor. p. 6. ſeqq.* uterque LYSCHANDER *Chriſtophorus &* JOANNES, JO. DAN. MAJOR *in prodromo Atlantices* aliique, quorum dicacitas et næniæ caſtigatae ſunt a WILLICHIO WESTHOFIO, JO. MÖLLERO, JO. SVANINGIO, VERELIO, *in not. ad hiſt. Gothrici & Hrolfi p. 7. ſeqq.* TORFÆO *ſerie Reg. Daniæ L. I. c. 8. p. 66. ſeqq.* *Nicolai Petrei Sectatores.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vir, ſi quis alius, harum rerum amantiſſimus ac ſtudioſiſſimus FRIDERICUS ROSTGAARDIUS ex laudato Codice Academico deſcribi anno 1689. curaverit, nos etiam operam dederimus, ut, ſi quæ defecerint vel corrupte ſcripta apparuerint, emendarentur; dubium non eſt, quin operæ pretium fecerimus operis hujus cum publico communicatione. Quod ſi vero aliquis, cui licuerit inſpicere exemplum Hafnienſe, forte obſervaverit ab eo recedere hæc noſtra alicubi, grates ipſi debebimus omnino, ſi has variationes nobis vel publico impertiri haud recuſaverit. Atque ita ſperandum eſt, fore ut poſt *Cragii & Pontani* labores in lucem protractos, porro iſtiusmodi monumenta e tenebris in lucem exeant, pleniorque tandem evadat hiſtoria Septentrionis atque adeo inſignes in dies lucretur acceſſiones, ut cum reliquarum regionum omnium ſcriptoribus non elegantia tantum, ſed & numero certare poſſit. Tanta enim noſtro etiam ævo illorum frequentia eſt, ut dudum bibliothecas noſtrorum hiſtoricorum ſatis amplas condere licuerit Mollero Sibbernoque. Sed cum poſt eorum labores ſpicilegium ſuperſit, recenſionem ſcriptorum potiorum ſub iis regibus, quos Pontanus hoc opere exhibuit, paulo pleniorem hic ſuppeditare & ſubjungere, ex re lectoris fore judicamus Regum ſeriem ſecuti. Præter vero ANDR. HOYERUM, J. B. DES ROCHES, LUD. HOLBERGIUM, qui generalibus in hiſtoriam Danicam introductionibus id egerunt, ſigillatim res geſtas CHRISTIANI I. complectuntur 1) HUITFELDII *hiſtoria Regis Chriſtiani I.* Danice Hafniæ 1599. 4. junctim deinde cum reliqua ejus hiſtoria Danica edita ibid. 1652. tomis II. f. 2) JO. MEURSII *Chriſtianus pater* ſeu hiſtoria Chriſtiani I. Hafniæ 1630. 4. iterumque in hiſtoriæ Danicæ opere Amſterd. 1638. fol. Et 3) quæ HERMANNUS HAMELMANNUS habet *Chron. Oldenb. Part. III. cap. I. p. 197.-216.* Huc referenda ex ineditis ſunt: JO. SVANINGII *Hiſtoria MSCt Danica III. tomis*, quorum ultimo vitam Chriſtiani I. una cum vitis Joannis & Chriſtiani II. complexus eſt: THOMÆ WILHELMI *narratio de Regum quorundam Daniæ, inprimis Chriſtiani I. religione peregrina* cujus ex LYSCHANDRI catalogo MOLLERUS *hypomn. ad Bartholin. de ſcriptis Dan. p. 49.* mentionem injicit. Pertinent huc ſcripta publica & inter hæc *diploma evectionis Holſatiæ Comitatus in Ducatum datum a. 1474. d. 14. Februar.* Rotenburgi ad Tauberam, quod HENRICUS MEIBOMIUS *in opuſc. hiſtoricor. ſylloge a. 1660. p. 515. ſeqq.* & *Tom. III. ſcriptor. rer. Germ.* itemque LEIBNITIUS *Cod. jur. gentium diplomat. Tom. I. p. 431. ſq.* exhibuerunt: NICOLAI V. *ſuſpenſio proceſſus appellationis & declaratio* de non curſuris fatalibus, cum Carolus R. Sveciæ tanquam gravatus, ad ſedem Rom. appellaſſet *cet. Romæ 1451. Cal. April.* data, quam vide apud LEIBNITIUM *c. l. Tom. I. p. 404.* CHRISTIANI I. *Regis Daniæ literæ ad Carolum Galliæ Regem* de proroganda diæta inter ſe & Scotiæ Regem coram Rege Galliæ ad controverſias eorum ſedandas ob novum emergens, quod intervenerat nave Islandica a Scotis intercepta, *Hafniæ Dominica in ramis palmarum 1457.* apud LEIBNITIUM *p. 414. c. l.* TRANSACTIO *Oldesloenſis Chriſtiani I.* cum Schawenburgicis proceſſione juris in Holſatiam anno 1460. erecta. Ad JOHANNIS Regis hiſtoriam pertinent: HUITFELDI *Chronicon Regis Johannis, Danice Hafn. 1599. 4to.* quod inter reliqua tomum VIII. conficit, junctim deinde prodiit anno ſupra citato: JO. MEURSII *ſen. hiſtoria R. Johannis, Hafniæ 1630. 4. & Amſterd. 1638. fol.* & quæ HAMELMANNUS *Chronico Oldenb. P. III. c. IV. p. 217-227.* inſeruit. Quibus accenſenda ſunt: PETRI PARVI ROSÆFONTANI *equitis Dani & eloqu. Prof. Hafnienſis* hiſtoria *de Rebus Johannis Regis Daniæ, Hafniæ ed. 1560. 4. & 1597. 4.* cui præmiſſa eſt refutatio calumniarum Joannis Magni Gothi, de qua prolixius vide apud SIBBERN *p. 170. ſeqq.*; itemque *de retorſione Jani minoris Suemenſ.* ſive JO. MESSENII adverſus P. Parvum edita Holmiæ 1611. & Sveciæ dein a. 1612. cui reſpondit WILLICHIUS WESTHOFIUS, *Canonicus Lundenſis* in expoſitione veritatis hiſtoriæ contra Scythicam Jani minoris in Petrum Parvum retorſionem; quod ſcriptum lucem nondum vidit publicam. Inter MSCta eminet: JO. SVANINGII *hiſtoria Daniæ* paulo ante laudata. Publica ſcripta huc faciunt: *Diviſio inter Johannem Regem & Fridericum Ducem Holſatiæ* de anno 1483. *Enarrationes de bello Dithmarſico*, quæ in variis Chronicis MSCtis reperiuntur, inter quæ JO. DETLEUI præ ceteris cognitum eſt. Inprimis huc facit *Codex Germanicus bibliothecæ Hamburgenſis MSCt. n. 71. fol.* & quæ de eodem argumento habent *Cranzius* & *Hamelmannus.*

Vita Chriſtiani I.

Johannis I.

Chriſtiani II. Hiſtoriæ CHRISTIANI II. Regis præter ſcripta illorum, quos jam aliquoties laudavi-

laudavimus *Huitfeldium, Meurſium p)* & *Hamelmannum c. l. p. 225. 234.* præcipue inſerviunt 1) JAC. ZIEGLERI *Mathemat. Profeſſoris Upſal.* relatio de Chriſtierni II. Daniæ Regis attentatis in Sveciam & crudelitate perpetrata in proceres ejus, quæ habetur in FREHERI *ſcriptor. hiſt. Germ. Tom. II.* adjecta etiam *Alb.* CRANZII *hiſt. regnorum ſeptentr. Francof. 1575.* una cum Scandiæ deſcriptione autore JO. WOLFIO, & alibi docente SIBBERN *p. 174.* 2) *Incerti autoris rerum geſtarum ſuccincta narratio*, quæ in Dania & Svecia aliisque finitimis locis ab anno 1510. - 1520. Chriſtiano II. Rege, Sveciæ imperante acciderunt, quibus abjecta eſt ejusdem Regis vitæ & coronationis brevis hiſtoria, quæ exſtat apud SCHARDIUM *T. II. rer. Germ. p. 48. ſeqq.* 3) JO. OLAI *Conſulis Lincop: relatio de Chriſtierni II. tyrannide*, rhythmis Svecicis conſcripta, quam interpolatis & emendatis verſibus denuo edidit ERIC. BENED. SCHRÖDERUS interpres librorum Regius, *Holmiæ 1644.* 4) AUCTOR *hiſtoriæ viciſſitudinum religionis & Imperii in regno Sveciæ*, gallice editæ Pariſ. 1695. & Amſtelod. 1696. Inprimis 5) JO. SVANINGII *Speculum Regis Chriſtierni II. Magni, crudelis, infelicis, exulis, Francofurti 1658. 12.* ex libro III. ejus *hiſtoriæ Dan. MSCt.* editum, *q)* Quo refer 6) Codicem MSCt. bibliothecæ Hamburg. publ. num. 29. 4to. qui hiſtoriam Chriſtiani II. varie illuſtrat. Quibus addendæ ſunt 7) *vindiciæ pro Chriſtiano II.* quæ leguntur in *Obſervat. Germ. Halenſ. T. II. p. 50. ſeqq.* Faciunt etiam huc acta publica 1) *Corn. Dupplicii* SCEPPERI *Regis Chriſtierni Cancellarii & in exilio comitis* reſponſio adverſus emiſſos contra Chriſtianum II. Daniæ Regem Lubecenſium articulos ejus belli 1524. 4to. qua refutatur Scriptum Reipublicæ Lubecenſis: *De Orſaken, wo de van Lübeck mit aeren Verwannten uth rechter Unumgänglichkeit thor Gegenwehr gegen König Chriſtiern ſind gedrungen. Lub 1523. 4.* quod idiomate Miſnico JO. PETERSENIUS *Chronico Holſatiæ P. IV. p. 144. ſeq.* & Danice HAR. HUITFELD *Chronico Tom. VI. 1226. ſeq.* inſeruerunt 2) FRIDERICI I. *epiſtola binæ ad Reges & Principes* adverſus Chriſtianum II.; cum quibus conferenda eſt 3) SCEPPERI *reſponſio pro Rege Dan. Chriſt. II. ad duas epiſtolas Friderici illius patruelis Ducis Holſatiæ, quibus rationem belli adverſus ipſum ſuſcepti & cur eundem Regem regnis & ducatibus ſuis ſpoliarit reddere conatur ao. 1524. 4.* Cui Fridericus I. Rex oppoſuit. 4) *Apologiam ſive reſponſionem* ad patruelem a. 1625. autore, ut putant, PETRO SVAVENIO, equite Pomerano, & Friderici I. conſiliario, cum qua ob argumenti ſimilitudinem commode jungitur 5) PII SERVILII *Ligurini defenſio Principis Friderici contra immodeſtiam & maledicentiam Chriſtiani II. MSCt.* 6) SCEPPERI *epiſtolarum ad Jo. Dantiſcum, epiſcopum Culmenſem faſciculus MSCtus.* 7) CANUTI GULDENSTERNII toparchæ Suerneſ. & præpoſiti Wiburg. *apologia nobilitatis Danicæ* contra Chriſtianum II. regem expulſum atque captum. 8) *Nobilitatis declaratio adverſus Chriſtianum II. Regem MSCt.* 9) *Bulla Papæ Julii incitatoria ad cædem Holmenſem*, quam ſervat archivum commune Slesvicenſe: 10) *Sententia Bordesholmenſium commiſſariorum Cæſareorum de ann. 1515.* pro Friderico II. Taceo diplomata, quæ habentur in codice MSCto bibliothecæ Hamburgenſis. Ad FRIDERICI I. hiſtoriam ſpectant laudati ſupra autores & HAMELMANNUS *c. l. c. VI. p 235-238.* Inter inedita ſcripta laudatur JO. MEURSII de eo hiſtoria. Citat vero & NICOLAUS PETRÆJUS *in origin. Cimbr. & Gothor. p. 11.* Friderici I. orationem habitam coram Imperatore Carolo V. in bello adverſus patruelem Chriſtianum II. quæ, an publice proſtet, ignoramus. Scriptores hiſtoriæ CHRISTIANI III. recenſuit SIBBERUS *bibliothec. hiſtor. Dan. Norveg. p. 181.* & ex eo HÜBNERUS loco infra allegando *p. ult.* Sunt vero ſcripta quæ manu exarata deliteſcunt, 1) JO. MEURSII *hiſtoria Chriſtiani III.* usque ad ann. 1550. quam LAUR. ULEFELDT arcis Stiernholm: præſes in ſuppellectile libraria quondam aſſervavit. 2) CLAUDII LYSCHANDRI *hiſtoria ejusdem* una cum ipſius adverſariis MSCt. in vitam Chriſtiani III. Stephanio in Indice hiſtor. Dan. memorata 3) PETRI OXE *Dani*, hiſtoria rerum Slesvicenſium Chriſtiani R. Daniæ, LYSCHANDRO *in catalogo ſcriptorum Danicorum MSCt.* laudata. 4) *Documenta hiſtorica varia* ad tempora & res geſtas Chriſtiani III. pertinentia, quæ ſervata ſunt olim in bibliotheca

Friderici I.

Chriſtiani III.

p) Hujus *Chriſtianum nepotem ſive hiſtoriam Chriſtiani II.* inter MSCta refert SIBBERUS *p. 173.* cum tamen ipſo teſte *p. 38.* in *ejus hiſtor. Danica ed. Amſterd. 1638. fol.* comprehendatur.

q) Adde SIBBERIUM *d. l. p. 179.* ubi et ejus argumentum prolixius recenſet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

theca Regia Hafnienſi, itemque ejus diplomata & plura edicta. Inter typis exſcriptos libros publice proſtant: 1) HAMELMANNI de eo relationes *Chron. Oldenb. l.c. p.341.* 2) HUITFELDII *hiſtoria R. Chriſtiani III.* Danice edita *Hafniæ 1595.* ſeu *tomus ultimus hiſtoriæ Danicæ*, cujus editio iterata prodiit ibidem 1652. fol. 3) STEPHANI JO. STEPHANII *hiſtoriæ Danicæ libri II.* qui res memoratu dignas complectuntur in Dania geſtas regnante Chriſtiano III. ab a. 1550.-1559. cura JO. SVANINGII *jun. Soræ 1650. 4to.* Qui denuo prodierunt una cum Cragii annalibus mox memorandis. 4) PONTANI *vita Chriſtiani III.* Daniæ & Norvagiæ Regis cura JO. HUBNERI *jun.* J. V. L. *ed. Hannov. 1729. 4to.* 5) NICOLAI CRAGII *annalium Libr. VI.* quibus res Danicæ ab exceſſu Regis Friderici I. ac deinde a glorioſiſſimo Rege Chriſtiano III. geſtæ ad annum usque M D L. enarrantur annexa STEPHANII *hiſtoria* cura JO. GRAMMII editi *Hafniæ a. 1737.* Quod opus, cum diu omnium votis expetitum eſſet, jam ante viginti annos in lucem ſtilo immutato, protrahere fruſtra anniſus eſt CHRIST. REITZERUS conſiliarius ſtatus & juſtitiæ regius. Grates igitur debentur *celeberrimo* GRAMMIO, qui ampliſſimam præfationem præmiſit atque ad calcem operis ſubjunxit, quæ ad hujus Regis res præclare geſtas illuſtrandas faciunt, ſcripta IV. proxime ſequentia, NIC. HEMMINGII & JAC. BORDINGII *orationes funebres in memoriam ejus habitas*, quæ ſeorſim antea prodierant Hafniæ 1559. 4. poſteriori recuſa eodem anno, Wittebergæ; Cujus & pleraque capita excerpta & in Germanicam linguam converſa ſeparatim exiiſſe idem literatiſſimus GRAMMIUS teſtatur: JO. THOMÆ, Ripenſis Paſtoris, *oratio in eund. funebris*, quæ typis exſcripta *Baſiliæ 1560. 8.* & a SIM. SCHARDIO *Tomo III. orationum funebr. in principes fol. 1 - 22.* inſerta eſt *Francofurt. 1567.* deinde vero cum binis prioribus communis uſus facta a THEOPH. GLASER *eccleſiæ Dresdenſis Paſtore, Dresdæ 1594. 8.* Ultimum vero locum inter ea, quæ Cragianis annalibus acceſſerunt, occupat JO. SASCERIDIS, *Warmenbuſ. Belgæ*, *epicedium in R. Chriſtiani III. obitum.* Utrique autem Thomæanæ quam indicavimus, orationis editioni adhæret PETRI HEGELUNDII *epicedion de Chriſtiano III. Dan. Rege.* Exſtant præterea teſte MOLLERO *Iſagog. parte I. p. 183.* 1) LUDOLPHI PRIGGII *Hamburgenſis, Profeſſoris Philoſophiæ Hafnienſis, poema heroicum de coronatione Chriſtiani III. Witteb. 1593. 8.* 2) HIERONYMI OSII, Thuringi, *elegia in laudem Chriſtiani III. Regis Daniæ ibidem 1559. 8.* 3) EJUSDEM *res Chriſtiani III. geſtæ*, metrice deſcriptæ *ibid. 1563. 8.* 4) PETRI PALLADII, *Theologiæ Profeſſor. Hafn. & Seelandiæ epiſcopi, narratio de exceſſu Chriſtiani III. Hafniæ 1559. 8.* ſub quo nomine PHILIPPUM MELANCHTHONEM ſe ipſum autorem epiſtola ad CHYTRÆUM ſcripta profeſſum eſſe perperam tradunt nonnulli notante GRAMMIO *lib. citato p. 116.* Addit porro SIBBERUS *c.l. p.179.* 1) FURMANNI *orationem funebrem in eundem Regem 1586. 4.* 2) JO. LAURENTII Ripenſis, *alias* AMERINI *dicti*, *querela Daniæ ob mortem Chriſtiani III. Hafn. 1570.* cujus editionis loco GRAMMIUS citat ejusdem carminum varii generis librum I. Witteberg. 1576. 8. quo epithaphium in Regem exhibetur, idem forte cum iſthac elegia ſive querela. Orationes vero III. in Chriſtianum III. junctim Dresdæ 1594. editas, quas alii in hanc rem adducunt, easdem eſſe cum illis, quas paullo ante indicavimus, ſatis apparet. His ſcriptis adjungit Hübnerus: SIM. SCHARDII *epitomen rerum geſtarum in variis orbis partibus, ſub Ferdinando I. Imperatore*, in qua ad annum 1559. Chriſtiani vita & mors deſcribitur. *r*) Qui vero plurimorum inquirendi in res patrias induſtriam effugerunt ſcriptores, eos in ſcenam produxit laudatiſſimus JO. GRAMMIUS *præfat. cit.* præcipue RUPRECHTI GEISSPUCHER (Chyrurgi, qui Chriſtiano Regi ultimum decumbenti adſidue adſtitit) *Wahrhafftig und gelowwerdige Bericht van dem Chriſtliken und ſaligen Affſchede des Dorchluchtigſten, Grodtmaechtigeſten, Hochgebarnen Fürſten und Herrn Chriſtian tho Dännemarck* &c. 8. mox in Saxonicam dialectum translata prodiit Hamburgi 1559. Ne quid de JO. STIGELIO dicamus, qui vitam hujus Regis deſcribere tentavit: An vero quicquam ejus præfecerit, dubium eſt, cum triennio tantum ipſi Regi ſuperſtes fuerit. Nec plura adjicimus de PETRI OLAI *Dani*, monachi ordinis Ciſtercienſis Roſchildenſis, Minoritæ, ut appellari maluit, collectaneis hiſtoricis de rebus eccleſiaſticis & politicis ex *Saxone*, *Cranzio*, *Hartmanno Sche-*

r) Inſerta eſt *Tomo II. Oper. hiſtoric. R. G. ed. Baſil. 2147.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Schedelio aliisque; quorum volumen alterum, *paralipomena hiſtoriæ Danicæ* s) inſcripſit. Inprimis vero, quæ SVANINGIUS, BARTHOLINUS, MOLLERUS, SIBBERUS, HÜBNERUS haud commemorarunt, notari merentur: 1) JO. BOCERI *carminum de origine & rebus geſtis Regum Daniæ & Ducum Holſatiæ Comitumque Schawenburgenſium libri V. ad Sereniſſ. & Potentiſſ. Regem Daniæ Chriſtianum III. anno Domini 1557. 8.* quorum libro III. elegiam operoſiſſimam in Chriſtiani III. laudes exhibuit. 2) NIC. SELNECCERI *Pieridum planctus*, quem concioni funebri de hoc Rege in arce Dresdenſi habitæ ſubjecit, poſtea inter cætera ab eodem ſcripta epitaphia, cum paraphraſi pſalmi Davidici XC. *Henricopoli 1573.* recuſus. 3) DAVID. CICELERI, *Magdeburgenſis, carmen paucis poſt diebus, quam ex miſeris humanis in caelum evocatus eſſet Chriſtianus*, (ut habet inſcriptio) *ad filium novum Regem ſcriptum, Witteb. eod. anno editum.* 4) ERASMI MICH. LAETI *gratulatorium in reditum Regis in urbem Hafnienſem anno 1551. 4. Ej.* DAPHNIS, *virtutum ac pietatis imperiique felicis Chriſtiani III. ſanctiſſimi Danorum Regis teſtimonium continens*, quæ eſt in bucolicis ejus ecloga VI. EJUSDEM *narratio perampla de eodem ac ejus geſtis rer. Danicar. libri VI.* Oratio vero Latina, quam ex mandato in Regis funere dixit lucem haud adſpexit. Huc & ea referas, quæ JO. GRAMMIUS ex ejusdem epiſtola inter carmina de republica Noribergenſi, quorum libri VI. proſtant, exhibita, inſeruit laudatæ præfationi. Scripta publica hujus Regis vitæ illuſtrandæ inſervientia a Sibbero c. l. hæc recenſentur. 1) Transactio vel diviſio inter Chriſtianum III. Daniæ Regem & Joannem & Adolphum fratres de anno 1544. 2) Unio & communio repetita idiomate Saxoniæ inferioris conſcripta 1533. 3) Scriptum, quod circa belli tumultus a factione Lubecenſi Wollenweber. concitatos prodiit: *Der Stadt Lübeck Ausſchreibung gegen König Chriſtianum III. und Chriſtiani III. erwæhlten Königes zu Dænnemarcken Antwort auf der Lübeckſchen Ausſchreiben a. 1535. 4.* 4) GERHARDI KORBMACHERI, *nautæ Lubicenſis*, hiſtoria vernacula inauſpicatæ, cui interfuit, expeditionis Lubecenſium navalis ad ſuppetias civitati Hafniæ a Chriſtiano III. obſeſſæ ferendas a. 1535. ſuſceptæ cet. Quam JO. REGKMANNUS *chronico Lubecenſi germanice edito Spiræ 1619. f. p. 191. - 204.* inſeruit. Adde tractatum Spirenſem inter Carolum V. Imperatorem & Regem Chriſtianum de anno 1544., quem LEIBNITIUS *mantiſſæ codicis diplomatici* adjunxit. Laudatus vero Grammius præter ordinationem eccleſiaſticam regnorum Daniæ & Norwegiæ & Ducatuum Slesvici Holſatiæ de a. 1537. ut & fundationis Univerſitatis Hafniæ litteras de anno 1539. operi Cragiano annexuit *ſanctionem ſive decretum*, quod vulgo Receſſus dicitur, *a Rege & ordinibus factum in comitiis Hafnienſibus anno 1536. ex autographo Danico una cum verſione latina.* De Regis FRIDERICI II. vita rebusque gloriose geſtis tum impreſſa exſtant, tum MSCta deliteſcunt ad huc, benigniori aliquando fato in lucem vindicanda. Inter hæc ſunt 1) PETRI HEGELUNDII epiſcopi Ripenſis res geſtæ Friderici II. Danice deſcriptæ; citante KRYSINGIO *præfat. ad vitam Friderici II. p. II.* 2) Hiſtoria Friderici II. Regis Daniæ, Danice, cujus autorem aliqui CLAUDIUM LYSHANDRUM hiſtoriographum Regis Chriſtiani IV. plures vero HUITFELDIUM regni Daniæ ſenatorem & cancellarium ferunt. 3) NIC. EGGEBRECHT, *Cancellariæ German. Secretarii* hiſtoria Friderici II. quam e Danico in Germanicum ſermonem transferre affectavit. 4) PETRI SPORMANDI *Geographiæ & Hiſtoriæ Profeſſoris Hafnienſis* MSCtum rerum geſtarum Friderici II., quarum novem jam quaterniones 1658. in officina Lamparti prelo commiſerat teſte MOLLERO *in hypomn. ad Barthol. p. 13.* belli tumultibus a perficiendo opere impeditus. Typis exſcripta multorum manibus teruntur, 1) PETR. JO. RESENII, *Dani, conſiliarii ſtatus & juſtitiæ, civitatis Hafnienſis præſidis & academiæ Profeſſoris* chronicon t) Friderici II. Danice editum *Hafniæ a. 1680 f.* 2) PONTANI *vita Friderici II.* quam luculenta præfatione inſtructam ex MSCto edidit GEORG. KRYSINGIUS MED. D. *Flensb. 1735. 4.* 3) CASPAR ENS *Lorchenſ.* hiſtoria rerum Danicarum Friderico II. inclitæ memoriæ rerum potiente terra marique geſtarum, bella Ditmarſicum & Svecicum maxime memorabilia complectens cum recenſione eorum etiam, quæ in vitam & mortem prædicti Regis incide- *Friderici II.*

s) *Dn.* GRAMMIUS *c. l. p. 105.* SIBBERUS *d. l. p. 24.*
t) Quod prolixius recenſent SIBBERN *d. l. p. 181. ſeqq.* KRYSINGIUS *c. l. p. 14. ſeqq.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inciderunt cum figuris æneis Francof. 1593. fol. cui & appendicis loco acceſſerunt JO. LAUTERBACHII aliorumque epigrammata cet. 4) ANDREÆ SEVER. VELLEJI *Theologi Ripenſis & hiſtoriographi Regii* brevis chronologia rerum maxime memorabilium, quæ imperante Friderico II. ab anno 1533. ad anno 1588. geſtæ ſunt, Danice ſcripta. Subjunxit eam una *cum genealogia Regia* orationi ſolenni in obitum Regis ex Jeſ. LXI. in templo cathedrali Ripenſi habitæ, Hafniæ. 1588. 4. impreſſæ. 5) JACOBI KRUGERI *u)* hiſtoria Regis Friderici II. germanice edita Helmſtad. 1583. 4. In hunc cenſum quoque veniunt: JO. HUASSII idyllium ad Fridericum II. Daniæ Regem de laudibus ipſius Hafn. 1581. 4: JO. LAUTERBACHII de rebus geſtis Friderici II. epigrammata, quibus intertexta ſunt aliorum ejusdem argumenti poemata JANI DOUSAE *fil.*, PETRI LINDENBERGII, *Geo.* WIPPERMANNI, *Alb.* LOHMEYERI & *Geo.* ENSII *Francof. 1592. fol.* quæ ſubjuncta etiam eſt Enſii hiſtoriæ paullo ante laudatæ: JO. LAURENTII, *Preifswürdigſtes Gedæchtniſs des Groſsmæchtigſten Königes Friderici II. zu Dænnemarck und Norwegen in ſeinem Leben Regierung und Abſterben, aus verſchiedenen alten Geſchrifften und Uhrkunden Kronicken zuſammen getragen* ed. Hafniæ 4. ſine mentione anni. Huc referas, quæ non parum lucis huic rei conciliant, ſcripta hæcce: DAV. CICELERI *Magdeburgenſis* carmen gratulatorium ad Fridericum II. cet. 1559. 4. HIERONYMI OSII *Prof. Witteb.* elegiam de laudibus Chriſtiani III. Daniæ Regis, Friderico II. & Ducibus Magno ac Joanni ipſius fratribus inſcriptam, Witeb. 1589. 8: ERASMI JO. RERAVII hiſtoriam coronationis & nuptiarum Friderici II. Regis cum Sophia, metro Danico a. 1574. exaratam ed. Hafniæ 1576. 8. ERASMI MICH. LÆTI *rer Danic. L. XI.* carm. her. in nuptias Frider. II. Hafniæ 1573. 4. NATHANAEL CHYTRÆI *votivum genethliacum* pro ſobole maſcula Regis Friderici II. propemptico pro felici navigatione & reditu Udalrici Ducis Megap. ſubjuncto. Roſtoch. 1577. 4. JO. SASCERIDIS carmen gratulatorium ad Fridericum II. de nato illi filio primogenito, cui accedit ejusdem eugnomon liber unus in laudem S. R. Majeſtatis de liberali ſtudiorum augmento Hafniæ 1577. 8. JAC. HASEBARD panegyricum Regis Friderici II. filiolo ſcriptum *Hafn. 1577. 4.* JAC. PLACOTOMI *Dantiſcani* carmen gratulatorium ad Fridericum II. de nato filio regni hærede Roſtoch. 1577. JO. SECCERVITII *Profeſſoris Gryphiswald.* Daneidum ſeu carminum de rebus Danicis libros IV. *Stettini 1581.* 8. De bello, quod Rex feliciter geſſit, Ditmarſico ſcripſerunt 1) *Anonymus*, qui eſt JO. RANZOVIUS *in der wahrhafften Verzeichniſs des Krieges, welchen Friedrich II. König in Dannemarck und Johann und Adolphus Hertzogen zu Holſtein anno 1559. wider die Dithmarſen geführet, Straſsburg 1569. 4.* 2) CHRIST. CILICIUS *ſ.* HENR. RANZOVIUS in vera deſcriptione belli Ditmarſici edita Baſileæ 1570. & Argent. 1574. 8. quæ & ſubjuncta eſt ALBERTI CRANZII *chronico regnorum* boreal. *Francof. 1573.* (Sibbero 1575.) & 1583. *fol.* 3) HIERONIMUS OSIUS in hiſtoria belli Ditmarſ. 1559. & coronationis Friderici II. *v)* *Witeb. 1589.* 8. inſerta SIM. SCHARDII *Scriptoribus rer. Germ. Tom. III. Baſil. 1574.* 4) JO. SASCERIDES in carmine gratulatorio de victoria Dithmarſ. ad Frid. II. una cum hiſtoria coronationis ejusdem Regis, epicedio in obitum Chriſtiani III. Hafniæ 1559. excuſo ſubjunctum 5) FEDDERUS *præpoſitus inſulæ Moen.* carmine adhuc inedito. Addit SIBBERUS *c. l.* JO. DETLEVI *Windtberga-Ditmarſi* chronicon Dithmarſicum MSCt. cujus libro VI. idem fuſius tractatur omniaque diplomata ac inſtrumenta publica adjunguntur. De JO. POMARII, ERPOLDI LINDEBROGII, KELLINGHUSII, HAMELMANNI aliorumque laboribus non eſt, quod plura addamus. Svecicum vero bellum ſcriptis perſecuti ſunt 1) JO. ENS, qui hiſtoriam hujus belli ſeptennalis pertractavit in rebus Danicis: 2) AXILIUS GÜLDENSTERN in MSt. de bello Svecico Regis Daniæ FRIDERICI II. cum Erico XIV. & Joanne Regibus Sveciæ. Quod BARTHOLINUS *de ſcriptis Dan. p. 13.* ad impreſſa haud obſcure refert; LYSCHANDER vero & RESENIUS *w)* ineditis adnumerant. 3) JO. TURO *in annalibus belli a Frid. II. Dan. Rege geſtis* MSCt. 4) ANONYMUS in hiſtoria vera ac ſincera belli inter Danos & Svecos a 1563. geſti, quæ in bibliotheca

u) SIBBERN *d. l. p. 184.* KRYSINGIO *d. l. p. 15.* audit Joannes.
v) Quod ſcriptum germanice prodiit, Witebergæ a. 1560. 8. *Wahrhaffte und gründliche Beſchreibung des Sieges zwider die Dithmarſen und der Königlichen Krönung.*
w) Vide KRYSINGIUM *in præfat. ad vitam Friderici II. p. 10. ſeqq.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

theca Hamburg. delitescit n. 28. 4. 5) JO. LAURENTIUS *Amerinus Ripensis* in eclo-ga festiva de pacis foedere inter Daniæ & Sveciæ regna inito, in qua simul belli Du-ces & Danicæ nobilitatis familiæ recensentur, edita Witteb. a. 1573. & inserta parti Imæ ejusdem carminum varii generis ibidem a. 1576. Huc refer, quæ SIBBERVS in rem advocat: *Abdruck des Königl. Däniſchen und Lübeck Abſags Brieffs vvider den König von Schweden, Copenhagen 1563. 4: Des Raths zu Lubeck vvahrhafftige und beſtändige Urſachen, warum ſie als dazu genothdrenget in jetzt erwehnten Defenſions-Krieg vvider die Königl. Würde zu Schveden ſich begeben müſſen &c. Lübeck 1564. 4: Der Lubecker-Bericht gegen die Schveden ibid. 166. fol: Transactionem Stetinenſem* inter Fridericum II. Regem Daniæ Joann. III. R. S. & civitatem Lubecensem a. 1570. initam, latinitate donatam a JO. MESSENIO *Holmiæ 1611.* Legationem eo regnan-te ad Moschas institutam descripsit JAC. ULEFELDT *eques Danus;* quam histo-riam MELCHIOR GOLDASTUS hodoeporici Ruthenici titulo evulgavit Francofurti a. 1608. & 1628. 4. & Danice versam P. J. RESENIUS *Chronico Frid II.* annexuit. Investituræ actum Ducum Holsat. in feudo Slesvicensi celebrarunt JAC. KRÜGER *in der Hiſtoria von dem herrl. Triumph Leben und Ehren-Tage &c. ed. Hamburgi 1580. 4.* & ANDR. SEV. VELLEJUS *x)* latina oratione panegyrica edita Hafniæ a. 1580. 4. Denique exsequias hujus Regis prosecuti sunt ANDRÆAS LAURENTIUS, *Theologiæ Doctor & Profeſſor, Roskildiæ*, NICOL. LAURENTIUS ARCTANDER *concionator aulicus Hafniæ*, JO. OL. SLANGENDORPF *Theologiæ Profeſſor in academia Hafnienſi*, habitis orationibus latinis, ac editis *Hafniæ 1588. 1590. y)* Quibus acce-dunt JAC. JACOBÆI WOLFII, *ſcholæ Rectoris Asloae*, & JO. GRONBECCI, *Da-ni*, declamationes, quæ lucem adspexerunt *Rostochii* & *Witteb. anno 1588.* Danico idiomate singulatim prodierunt ALBERTI JOANNIS, *eccleſiaſtæ aulici*, oratio ha-bita in arce *Antvoorskovienſi* & ANDREÆ SEVERINI VELLEJI *Ripis Cimbrorum.* Germanicis vero scriptis funus regis comitati sunt CHRISTOPH. KNOFF, *concio-nator Regius*, oratione Roskildiæ habita ac edita *Hafniæ 1588:* JO. ANDREÆ *verbi divini miniſter* sermone in arce Mecklenb. Myrovvienſi recitato & edito *Rostochii eod. a.* CHRISTOPH. WINERIUS & NICOL. SELNECCERUS concionibus in memoriam Friderici II. habitis, quæ leguntur in THOMÆ STYBARI *Hiſtoriſcher Erzehlung der Leich-Predigten etl. Hocherl. Kayſer, Könige, und Chur-Fürſten P. I. p. 88. ſeqq.* His adde MARCI SIMONIS, *Hatherslebienſis*, parentalia piis manibus Regis Friderici II. consecrata *Witteb. 1589.* IVARI STOBBÆI *Profeſſoris Hafnienſis* la-crymas fusas ad tumulum Friderici II. cum salutatione ad Christianum IV. *ibid 1588.* JO. CASELII *Profeſſ. Rostoch. dein Helmſtadienſis* Ἐπιτάφιον Friderici II. ad Daniæ se-natores *Rostoch. 1588:* OLAI PETRI *Regioſtad. Graf-Schrift ofver Konig Friederich den andern, Kiobvenhav. 1589:* HENRICI RANZOVII *deſcriptionem pompæ funebris hab. Roskildiæ* in exsequiis Friderici II. Dan. & Norvveg. Regis una cum epitaphiis nonnullis in obitum ejusdem *ed. Hamb. 1588:* EJUSDEM *pompæ funebris d. 5 Januar. 1588. celebratæ typus*, consilio & opera *Henrici Ranzovii* efformatus & æri eleganter inciſus in forma patenti: ANONYMI *Zvveyerley Verzeichniſs und Gerichte, Erſtlich auf welchen Tag und Stelle Friederich II. König zu Dännemarck in GOtt dem HErrn Chriſtl. verſtorben nebſt Beſchreibung der Ceremonien bey der Königl. Leiche &c. Leipzig 1588. 4.* Acta quædam publica hujus Regis historiam illustrantia recensuerunt KRY-SINGIUS *c. l. p. 22.* SIBBERN *c. l. p. 192.* qui etiam ex MÖLLERO *d. l.* de Joanne Regis Friderici II. filio scriptores binos indicat. Ut plura taceamus, quæ aliquando addere licebit ex JO. MOLLERI Cimbria litterata dudum desiderata. Supereſt ut paucula addamus de Pontani vita & scriptis, de quibus post BARTHOLINUM *de ſcript. Dan. p. 73.* MÖLLERUM *ad eundem p. 271.-279.* quædam ediderunt JO. HUB-NERUS *V. Clariſſ. d. l.* Quorum tamen in enarranda ipsius vita defixa solertia in-tra conatus fere substitit. Quod si vero fiet, ut supra laudatus *Dn.* RHEINBOTHIUS vir rerum patriarum peritissimus atque in monumentis quibusvis, quæ ad historiam Cimbriæ facere possunt, indagandis indefesso studio otium ponens, vitam, quam haud

x) BARTHOLINUS *de Script. Dan. d. l.* habet WELLEJI nomen; KRYSINGIUS vero *d. l. & p. 29.* WEDELII.

y) Ultima harum orationum adjuncta translatione Danica per *Nicol. Jo.* SAXILD seorsim prodiit *ibid. a. 1589.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

haud ita pridem parat, *Pontani* proxime in publicum prodire jubeat, plane non dubitamus, quin ea omnium reſponſura votis atque accurata induſtria defectus omnes facile ſit expletura. Ut tamen, dum illa caremus, aliorum quodammodo deſiderium ac ſitim reſtinguamus, potiora hic ſubnectere lubet vitæ PONTANI momenta, autoritate inprimis opuſculi quod *Hardewici a. 1640.* emiſſum eſt ſub titulo: *Vitæ & obitus* JO. ISAACI PONTANI *Medicinæ D. & in illuſtri gymnaſio Gelro-Velavico Philoſoph. ac Hiſtoriar. Profeſſoris, Sereniſſ. Daniæ Regis & Ducatus* GELRIÆ *Hiſtoriographi cum adjunctis XV. epicediis, ab amicis* z) *in obitum ejus conſcriptis.* Natus eſt Pontanus in Dania a. M. DLXXI. d. 21. Januar. Helſingoræ, ſitæ ad Oreſundam fretum ſive pontum, unde & *Pontanum* dictum ſtatuit SAM. AMPSINGIUS *in deſcriptione & laude civitatis Haerlem. belgice edita p. 116.* patre quidem *Iſaaco Petrejo*, Harlemenſi, matre Margaretha, filia *Valerii a Delen*, Gelri, qui comiti Egmondano fuit a ſecretis. Eo namque hic Petrejus, gliſcente bello Belgico, una cum parentibus ſe contulerat adoleſcentulus, honeſtiſſimoque dein inter cives loco habitus ac nobilitati ipſique Regi haud ingratus, plures iannos ibidem exegit. Poſt aliquot luſtra in patriam Hollandiam rediens Amſtelodami cum familia ſedem fixit, ibique mercaturæ operatus, regis Daniæ negotiorum ſimul procurationem in ſe ſuſcepit, factoris, ut vocant, regii nomine inſignitus. Mox vero ab ordinum Belgii foederati præfectis generalibus in Daniam redire juſſus in oppido jam dicto annos circiter viginti usque ad obitum commorans, commiſſarii ſive agentis munere functus eſt non ſine laude. Uxor ei fuit Helena ſeu Hedewigis, quæ Campis, urbe Tranſiſalanæ, orta eſt, patre *Rudolpho Backero* matre Anna filia *Georgii Voochtii*, qui fidus quondam Chriſtiani II. Regis aſſecla Bergarumque in Norwegia arcis præfectus Regius, exulem Dominum in Belgium ſecutus huc ſeceſſerat. Ab his majoribus ortum ducens, Pontanus, prima litterarum rudimenta Helſingoræ poſuit. Inde, cum pater matre jam defuncta Hollandiam repetiiſſet, Amſteledami trivialem ludum

Pontani vita.

Pontani elogia.

z) Nominatim *Erneſto Brinck* & *Jo. von Winbergen*, conſulibus Hardevicenſibus, *Adriano Hoffero*, Regalium Zelandiæ ad orientem Scaldis quaeſtore generali, *R. Moyghe* Senatore Zirizano, *D.* CASPARO BARLÆO, *H. Buchelio Ultrajectino, Hinr. a Dieſt.* S. S. Theolog. Doct. Daventriæ, *Antonio Matthæo* Pontani genero J. U. D. & profeſſore in acad. Trajectina, *Marco Ivero Boxhornio, Godeſchalco Altio* V. D. M. apud Arnhemienſes, *Jac. Revio, Jo. Ketteniſio* V. D. M. apud Neomagenſes, *Jo Witten* Hardewico Gelro, *Rocho Hoffero* Andr. filio, *Arn. Schlichtenhorſtio.* Placet addere inſcriptionem, qua carmine lugubri in Pontani obitum ad Anton. Matthæum perſcripto inter epicedia n. XIII. p. 37. tumulum Pontani ornavit JO. WITTENIUS.

Phoebi utriusque decus virtutum nobile centrum
Gelriaca & patria primus in hiſtoria.
Dania quem genuit, ſeptem qui luſtra Sophiam
Gymnaſium docuit non ſine laude meum.
Pontanus fuit, heu! tacet heic ſine luce cadaver;
Vivit at in patrio mens ſua tota polo.

Adde illud, quo SVANINGIUS *in prolegom. ad chronol. Dan. p. 30.* Daniæ, hiſtoriam Pontani commendavit:

Pontanus Danos, Trojanos ſcripſit Homerus,
Magnus hic eſt Græcis, major & ille Gothis.

Et licet SVANINGIUS *d. l.* & SCHURZFLEISCHIUS *diſſert. de rebus Danic. §. 1. in not. 6.* opus hiſtoricum laudatum ex SAXONE *Grammatico*, HUITFELDIO præcipue, et reliquis cum domeſticis tum aliis ſcriptoribus collectum arbitrentur; certe tamen hiſtoriam inſtructiorem reddidit et expolivit, tantumque non omnes, ſi induſtriam accuratiorem, dictionis venuſtatem et rerum ad hiſtoriam pertinentium amplitudinem ſpectes longo intervallo poſt ſe reliquit. Merito inde ipſe Svaningius d. l. Chorographiam regni Daniæ Hiſtoriæ adjecit, cedro et ſole digniſſimam judicavit. Elogia et judicia literatorum ſpeciatim *Caſp.* BARLÆI, BOXHORNII, HEINSII, VOSSII, OLAI BORRICHII, JO. ANDR. BOSII, SCHURZFLEISCHII aliorumque quibus Pontanus vir admirandæ induſtriæ, raræ variæque eruditionis audit, indicavit MOLLERUS *in hypomnem. ad Barthol. p. 272.* Præcipue annales ipſius Daniæ miris elogiis mactant BOECLERUS *in bibliograph. cur. lit. k. 2.* CONRINGIUS *de prud. civili c. 14.* HEINSIUS *poem. p. 576.* BARLÆUS *P. 2. poemat. L. 2. eleg. p. 103.* BOXHORNIUS *Poem. p. 6.* ERICUS MAURITIUS *Specimin. de principiis juris publici c. 2. p. 14.* THOMAS BARTHOLINUS *diſſert. de Holgero Dano p. 126.* CLAUD. LYSHANDER, HENR. DIETIUS, BOSIUS aliique citati a MÖLLERO *d. l. p. 275.* Equidem *B.* HECTOR GOTTFRID MASIUS *in epiſt. apolog. ad Botſaccum anno 1691. ed. p. 15.* fidem Pontani ac autoritatem ipſius hiſtoriæ Danicæ impugnare audet; ſed tangunt ipſius argutiæ ſaltim res paucas, quæ Pontani ſtudium in religionem Reformatorum impenſum produnt; ſiquidem ex tribus ipſius epigrammatibus anno 1617. ſcriptis conſtat, quod dogmata rigidiſſima de *prædeſtinatione* adverſus confeſſionem miniſtrorum coetus Campenſis Remonſtrantium ſtrenue ſatis & aculeate defenderit. Pro candore vero Pontani & fide ipſius hiſtoriæ, quam in uſum civilem rerumque patriæ, non ſacrarum religionis compoſuit, vindicias ſcripſit, dubiaque a *Maſio* obmota diluit SAM. ANDREÆ *in epiſtola apologetica contra Maſium p. 53.*

Cenſura Maſii.

Apologia pro Pontano.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ludum in ea urbis parte, quæ latus novum dicitur, celebratiſſimum frequentavit præceptore uſus PETRO VEKEMANNO, *Meerhoutano*, cui & *Pauli Merulæ* & *Pancratii Caſtricomii* diſcipulorum ipſius induſtriæ Willerami abbatis Eberspergenſis paraphraſin in canticum canticorum debemus. Atque ex ejus inſtitutione in Latinis Græcisque litteris ita profecit, ut in academiam Franeckeranam cum fructu poſſet ablegari. Hic vero viris litteratiſſimis JO. DRUSIO in Hebræis, JO. ARCERIO in Græcis, ALARDO REINALDÆ in eloquentiæ ac hiſtoriarum ſtudio operam ſedulam dedit, ac præterea reliquis ſcientiarum profeſſoribus MART. LYDIO, SIBRANDO, LUBBERTO, ANTONIO ANTONIDI Theologis, & inter Medicos EILHARDO AULETIO præſtantiſſimo, inter Philoſophos autem diligentius LOLLIO in diſciplinam ſeſe tradidit. Familiariter ibidem inprimis utebatur GODEFR. SOPINGIO, linguarum græcæ, latinæ, hebreæ aliarumque ſtudioſiſſimo, cum quo aſſiduus erat in lectione Homeri poetarum principis, atque Heſychii Lexicographi doctiſſimi; ex hiſtoricis vero eodem duce Thucydidem & Salluſtium, quorum concinnam brevitatem junxit cum Herodoti lepore ac Livii Vellejique Paterculi ubertate, atque ex poetarum latinorum numero Auſonium ac Martialem diligenter manibus verſavit. Parem e conſvetudine cum ADR. METIO poſtea mathematum ibidem profeſſore fructum percepit, quippe cujus ope Arati caelum Dioniſiique terras & æquora perluſtrabat. Biennium ea ratione cum hic loci exegiſſet, fama eruditionis inſignis JUSTI LIPSII motus Lugdunum Batav. ſeceſſit, atque a MART. LYDIO facile impetravit, ut viro huic incomparabili litteris ad eum datis de meliori commendaretur. Agebatur jam annus a. C. N. CIↃ IↃ XCI. cum non tantum prælectionibus illius ſedulo vacaret, ſed et RUDOLPHUM SNELLIUM in mathematicis, JO. RAMSEUM *Scotum*, qui philoſophiam peripatheticam edocebat ac præcipue JO. HEURNIUM, qui illius ævi inter Medicos eruditionis gloria plurimum excellebat, ſtrenue audivit. Juſtus hinc Lipſius, quum ad Eburones reverſus Batavos relinqueret, iter in Italiam Pontanus ſuſcepit, fratrem, qui arti pictoriæ deditus jam ante eo conceſſerat, ſecutus. Ibique annum circiter verſatus, poſtquam Venetias, Patavium, *a*) Bononiam, Ferrariam, Florentiam, Senas, Romam denique ipſam luſtraſſet, virosque clariſſimos MANUTIUM BENZIUMque Romæ, JO. ANT. MAGINUM & AQUAPENDENTEM Patavii aliosque ſalutaſſet, in Daniam rediit. Alpes vero tranſiens Germaniam peragravit & Auguſtæ quidem Vindelicorum VELSEROS, Monachiique aula Ducis Bavariæ viſa inſignem artificem JO. SADLERUM *Belgam* occaſione fratris ejusdem *Ægidii*, quo Romæ apud fratrem Pontanus familiariter uſus fuerat, ſibi devinxit. Ingolſtadium profectus nec ultra biduum ibi hærens Noribergam florentiſſimam acceſſit. Hac relicta Francofurti ad Mœnum per aliquot dies in familia GEORG. HOEFNAGELII commoratus eſt, ac inde per inferiorem Saxoniam digreſſus, Lubecæ navem conſcendit & Helſingoram advectus eſt. In inſula vero Venuſina, Huena vulgo, ad illuſtrem TYCHONEM BRAHEUM ſæculi iſtius Hipparchum, cui jam ex litteris patris de adventu ejus innotuerat, acceſſit, & in arce ejus Vraniburgica amice ab eodem in convictum receptus illi ab epiſtolis latinis aliquamdiu fuit. Aſtronomicis hic diu noctuque obſervationibus, quoties per cæli temperiem licebat, indulgens in ſpagyrica ſimul arte induſtriam aliquam collocavit. Hinc ad peregrinationem in Angliam ſeſe accinxit, ibique adventans in utraque Academia doctores celeberrimos, Oxonienſi quidem præter ceteros REINOLDVM, Cantabrigienſi WITTAKERUM Theologos audivit; ſed & inprimis bibliothecæ, & numero & præſtantia librorum, inter quos plurimi autorum veterum codices manu exarati proſtant, abundantes, facile eum ita ceperunt, ut ibi diutius commorari ſecum conſtitueret. Macrobium vero dignum præ reliquis cenſuit, cui ibi accuratius cum impreſſis exemplis collato operam præcipuam impenderet eumque recenſeret ſolertius: quem & Lugduni Batavorum, cum ex Anglia rediens huc diverteretur, ut JOSEPHUM SCALIGERUM paulo ante ex Gallia illuc evocatum ſalutaret, ipſius Scaligeri autoritate typis Raphelengianis a. 1596. vel 97. una cum JO. MEURSII notis *b*) vulgari curavit. Quo ingenii fœtu hominum, præſertim ejus academiæ

a) Ubi teſte HÜBNERO, MÖLLERO aliisque diſputationem *de rationalis animæ facultate 1593.* euulgavit. *Judicium Boxhornii.*
b) Recuſis deinde *a. 1628. 8.* Laudat Pontani ſtudium in Macrobio impenſum præcipue BOXHORNIUS

miæ doctiſſimorum JO. WOUWERII, *Franciſci & Juſti* RAPHELENGIORUM, *Franc.* DOUSÆ, HUGONIS GROTII, JO. MEURSII, & qui mutuo ipſum ſemper complexus eſt amore ſingulari, PETRI SCRIVERII favorem facile ſibi conciliavit. Eodemque labore inſumto in Dania tum eruditiſſimum NIC. CRAGIUM regium tunc Sorani gymnaſii præſidem ſibi adjunxit, tum & illuſtris ARNOLDI HUITFELDII regni cancellarii, cujus nomini id ſcriptum conſecraverat, benevolentiam ac favorem ſibi paravit. Roſtochii quoque, ubi unius hiemis moram fecit, editis ibi a. 1599. analectorum libris III. in quibus ad *Plautum*, *Apulejum*, *Senecam* ac paſſim ad hiſtoricos antiquos & poëtas cenſuræ exhibentur, in amicitiam polyhiſtoris clariſſimi DAV. CHYTRÆI annis ac laboribus propemodum jam confecti, ſeſe inſinuavit. Haud multo poſt STENO BRAHE, *Tychonis frater*, regni Daniæ ſenator eundem filii ſui utriusque *Erici* & *Georgii*; ut & cognati *Falconis Brahei* moderatorem in exteris oris eſſe voluit. Atque ea occaſione cum CHRISTIANO FRISIO, Regis dein Daniæ cancellario magno, conſuetudinem Marpurgi Cattorum junxit; in Germaniæ vero academiis cum longiorem moram traheret, Baſilea ipſi præ ceteris arriſit. Maxime medicinæ itaque ſtudium priſtinum recolens ac ſubinde doctiſſimorum in ea arte virorum quotidianis colloquiis ac familiaritate utens, edito ſolenni eruditionis ſpecimine propoſitisque ad diſputandum de affectu hypochondriaco theſibus a. 1601. medici Doctoris dignitatem eſt adeptus, promotore JO. COCCIO, Decano, CASP. BAUHINO, illo medicinæ, hoc anatomiæ profeſſoribus inclytis. Quo auctus honore ſcientiam amplificare ſtatuit atque Baſilea miſſa, Genevam pervolavit, ſalutatoque ibidem THEODORO BEZA octogenario, Lugdunum Sequanorum, inde Valentiam, Avenionem Arauſiumque, ſecundo amne Rhodano, navicula delatus ac itineris comites ſibi junxit juvenes nobiliſſimos *Ulefeldium* & *Guldenſternium*, hinc *Marſiliam*, *Arelatam*, *Nemauſum* ac denique *montem Peſſulanum*, quo tendebat, eodem adhuc anno terreſtri itinere acceſſit. Ibi tum inter artis Medicæ doctores florebant HUSERUS, SAPORTA atque CABROLIUS anatomiæ peritiſſimus. Hinc *Narbonem Martium* profectus poſt viſam *Tholoſam*, *Aginumque* ſecundo Garumna, *Burdigalam* attigit, conſpectisque, quæ ibi præter alia inprimis admiratione digna videri poterant *c*), totam ab ea parte Galliam emenſus eſt, luſtratisque *Rupella*, *Pictavio*, *Turonibus* atque *Aurelia*, Lutetiam poſtremo Pariſiorum pervenit. Hic poſtquam ISAACUM CASAUBONUM, NIC. RIGALTIUM, AUG. THUANUM ac qui ex Arvernis huc profectus erat JO. SAVERONEM conveniſſet, poſt unius menſis ſpatium ad Belgas diſceſſit. Ubi cum inter amicos ageret, & iter in Daniam ad patrem maturaret, illuſtres Velaviæ Gelricæ ordines ſub annum 1604. ipſi in novo, quod Hardevici inſtaurabatur, gymnaſio, philoſophiam ac hiſtoriam edocendi munus detulerunt. Matrimonio tum ſibi junxit *Annam ab Hede*, Antverpienſem, viri apud Amſterodamienſes perhoneſti *Philipp. van den Hede* & *Annæ Zueriæ* filiam, cum qua connubium haud improle tranſegit. Mox ei tabularia ac monumenta Ducatus Gelriæ ac Zutphaniæ patebant omnia, ut hiſtoriam illius provinciæ paulo pleniorem conderet adjunctoque annuo ſtipendio hiſtoriographi titulo ornatus eſt *d*). Eandem vero dignitatem cum redituum acceſſione inſigni jam ante tulerat a potentiſſimo Daniæ Rege Chriſtiano IV. commendatione CHRIST. FRISII *magni ejus Cancellarii*. Quo tempore indefeſſa opera hiſtoriam *Danicam* a Dano usque ad Chriſtophori III. Regis ævum ſeu usque ad Dynaſtiæ Oldenburgicæ initium A. C. 1448. Libris X. conſignavit; *Gelricam* vero, ad quam inſtruendam permulta ex archivis & a liberali manu JOHANNIS SLUYSKENII *ſupremæ curiæ Ducatus Gelriæ ac comitatus Zutphaniæ graphiarii*, ſuperiorum juſſu acceperat, XIV. libris abſolvit, & ad illa usque tempora, quibus ſub ordinibus respublica conſtituta eſt, pertexuit; quod inſigne opus poſt ejus ex hac vita diſceſſum Hardro-

---

NIUS *in epiſt. dedicator. præmiſſa Ammiano Marcell.* ubi p. 17: *Tua, Pontane, eruditio tanta eſt, ut affectata aliis, tibi ingenita videatur. Loquuntur id tot illuſtria ingenii tui monumenta, quæ principes litterarum admirantur. Macrobii vitam & ſimul tibi famam propagaſti: in ceteris etiam autoribus non calore cum vulgo criticorum, ſed ratione cum paucis tibi datum fuit judicare.*

c) Quæ ipſe carmine, cui titulum fecit *itineris Galliæ Narbonenſis* celebravit.

d) Vide epiſtolas ab ANT. MATTHÆO *editas p. 249.*

e) Et

Hardrovici 1639. fol. typis exſcriptum publici demum juris factum eſt *e*). Neque tamen arduo hoc labore diſtentus quicquam diligentiæ in imbuenda optimis ſcientiis juventute in ſe deſiderari paſſus eſt, ſed hiſtoriæ, philoſophiæ naturalis ac matheſeos doctrinam auditoribus ſedulo tradidit, ac miſſis difficilibus nugis rejectoque vano auctoritatis ſtudio utilem ubivis ſobriamque ſectatus eſt ſcientiarum & veritatis rationem. Quem & in finem ROBERTI HUESII tractatum *f*) de globis eorumque uſu obſervationibus Amſterodami 1617. 4. auctum illuſtratumque explanavit. Horas vero ſubſecivas, ut erat in diſtribuendo tempore parciſſimus, in elegantiores litteras collocavit, & ad eas ornandas, quanta fieri potuit induſtria, incubuit. Hinc tanta eximiorum ſcriptorum ab eo profecta eſt ſeges, quæ apud eruditos non ultimum locum occupant. Plura vero, quæ partim vix inchoata, partim ad finem ferme perducta præloque parata publico deſtinavit, mortis neceſſitas intercepit. Quamvis enim valetudine uteretur ſatis commoda ciboque ac potu frueretur moderate, adeo ut bis tantum vel ter, per totam vitam tentatus fuerit gravioribus morbis, peſtilentia inprimis, qua a. 1629. cum aliquot ipſius liberis filiolus magnæ ſpei ipſi ſubreptus eſt. In eo tamen peccaſſe videtur, quod parum ſibi a laboribus temperaverit vitæ ac virium non ſatis habens rationem, neque etiam, cum ætas ingraveſceret, quicquam de conſueta ipſi diligentia remittens. Ita enim bene mereri de republica litteraria cupiit, ut reliqua facile vilipenderet, quin & commoda quæſtumque adeo non expetivit, ut etiam opimiores aliquot conditiones ultro ſibi oblatas haud ægre repudiarit ſuaque ſorte contentus vixerit; quippe & in Daniam a Rege accitus, eo commigrare abnuit & ab illuſtribus Grœningæ ac Omlandiæ ordinibus in locum UBBONIS EMMII *hiſtoriti clariſſimi* ſufficiendus ſtationem mutare noluit. Dum vero in eo maxime eſſet, ut hiſtoriam Gelricam perficeret, ſuppreſſo primum ventre accedentibus deinde fluxu internarum hæmorrhoidum nec non tuberculis, quae condylomata vocantur Medicis, magnam virium jacturam fecit: hinc teneſmus ſubſecutus eſt, quem alvi fluor adeo pertinax ac vehemens excepit, ut lectulo exinde fere perpetuo affixus teneretur nec remediis morbi vehementiam lenire aut tollere ſenili præſertim ætate prorſus potuerit, in conſilium licet adhibitis doctiſſimis quibusdam Medicis. Debilitato vero corpore animi vires adeo non fractæ ſunt, ut inter ipſos morbi inſultus & tormenta graviora, valido ingenio memoriaque non infirma pollens ſtudia ipſi conſueta haud tractaverit commutaveritque cum amicis litteras, quarum lectione admodum lætabatur, ut erat ergo eos ſingulari fide integritate ac candore, morumque facilitate eximia. Tandem cum repente morbo levatus videretur, mox pejus habere rurſus cœpit, & acerbis correptus ventris doloribus vires omnino a. 1640. deficere ſenſit. *g*) Magna tamen conſtantia mentis ſerenitatem tuitus, conſolationes adſtantium lubens admiſit & ſapienter ad interrogata reſpondit; donec tandem vox quoque circa medium noctis, quæ diem VII. Octobris præcedit, illum deſtitueret, ipſeque enimam DEO placide redderet, cum inter mortales annos LXVIII, menſes VIII, dies XV. variis laboribus perfunctus exegiſſet, quorum fructus ad poſteros haud exiguus redundat, cum orbem litteratum non paucis ſcriptis exornarit. Hæc enim ejus exſtant: (1) *Hiſtoriæ urbis ac rerum Amſtelodamenſium tabulis æri inciſis illuſtratæ libri III. b*) editi *a. 1611. Amſt. fol.* (2) *Originum Francicarum libri VI. ed. Hardrov. a. 1616. 4.* (3) *Diſceptationum chorographi-*

Ejusdem ſcripta edita.

e) Et Belgico idiomate recuſum & auctum cura ARN. SCHLICTENHORSTIO *Arnhemiæ a. 1654.* Elogia hujus operis vide apud MÖLLERUM *d. l. p. 276.*

f) Qui denuo prodiit *Oxoniæ a. 1663. 8.*

g) HALLERVORDIUS *bibliothec. curioſ. p. 195.* BOXHORNIUS *epiſt. p. 112.*

b) Qui in librorum prohibitorum indicem relati ſunt *Romæ a. 1616.* Quod fatum etiam experti ſunt *Libri* PONTANI *originum Francicarum libri*, quos ob varia argumenta, ad tuenda ſacra Reformatorum adſperſa, eccleſiæ Romanæ noxios judicavit CONTZENIUS *Ieſuita Moguntinus in chronologia Iubilæi evangelici ed. 1619* Quare eodem anno peculiari edicto a ROBERTO BELLARMINO *Cardinali* ſubſcripto damnati & indici expurgatorio inſerti ſunt. Vide BERNARDI de SANDOVAL *indicem libr. prohibit. ed. Panormi a. 1628. fol.* et ALEXANDRI VII. *indicem expurgat. ed. Romæ a 1667.* A pluribus opus illud originum Francicarum laudatur ob accurationem & eruditionem teſte HERTIO *in notitia R. Franc. Sect. I. & bibliothec. Germ. P. I. ſect. 4. titulo Rheni, num. 126.* Hiſtoriam quoque rerum Amſtelodamenſium ipſe *Pontanus* vindicavit *apologia* ſcripta contra PONTUM HEUTERUM *ad Arnoldum Buchelium ICtum a. 1628. 1634.* teſte HALLERVORDIO *d. l p. 195.* *tani prohibiti.*

graphicarum libri II. de Rheni divortiis & ostiis eorumque populis accolis, in quibus CAESAR, STRABO, MELA, PLINIUS, PTOMOLÆUS & maxime TACITUS illustrantur & a pravis interpretationibus vindicantur, præcipue adversus PHIL. CLUVERIUM, *i) Amst. 1614. 8.* (4) *Macrobii opera* cum notis ejus ac JO. MEURSII *Lugd. 1597. 1628.* (5) *Itinerarium Galliæ Narbonensis* cum glossario prisco Gallico sive dissertationibus de veteri Gallorum lingua *ed. a. 1606. k)* (6) *Poëmatum libri VI. l) Amst. 1634. 12.* (7) *Discussiones historicæ ae mari clauso & libero m)* contra SELDENUM *Argent. 1617. & Harderv. 1637. 1640. 8.* (8) *Plautus* cum notis *ed. Amst. 1620. 16.* (9) *Cornelius Tacitus*, integritati suæ restitutus: *Amsterd.* circa annum *1633. ed.* (10) *Epistolæ argumenti multiplicis*, quas partim notis illustratas a. 1695. 8. ejus ex filia nepos ANT. MATTHÆUS publicavit, partim vero inseruit *Analectorum veteris ævi tomo I. V. VI. & X. ab a. 1698. ad 1710. editorum* & nuper demum typis iterum exscriptorum. (11) *Satyræ quinque, de quercu, de avibus, de cane, de nocte & somnio, de laude mendicitatis*, quibus CASP. DORNAVIUS *in amphitheatro sapientiæ Socraticæ joco-seriæ Hanov. 1619. fol. ed. Tom. II.* locum fecit. Memorantur præterea in vita ejus ante laudata ac apud AMPSINGIUM *l. c.* (12) *Epistola contra Suertium ac* (13) *Notæ ad* M. ANNÆI SENECÆ *controversias ad Petr. Scriverium Lugd. Batav. 1619.* (14) *Notæ in Tragœdias Luc. Annæi Senecæ & aliorum ad eundem a. 1620.* (15) *Veterum historicorum fragmenta & analectorum libri III.* in quibus ad *Plautum, Apulejum, Senecam*, ac passim ad historicos antiquos & poetas censuræ habentur *ed. Rostochii 1599. 4. & apud Commelin. anno 1622.* (16) *Disputatio de rationalis animæ facultate Lugd. Batav. 1593. Præterea* in vita ejus supracitata asseritur, recensuisse illum ac observationibus partim additis illuminasse *Martialem, Sallustium, Suetonium, Curtium, Justinum, Julium Cæsarem, & Valerium Maximum;* collegisse etiam JUSTI LIPSII epistolarum, quæ in centuriis ejusdem non exhibentur, decades octodecim cum ejus poematibus. Principem vero inter omnia ejus scripta locum sibi facile vindicat, laudatissima historia Danica, quam studiose admodum elucubratam conscripsit & cui immortuus ille dicendus est, cum alteram illius partem paucis ante obitum diebus, curis recensitam posterioribus, demum perfecerit. Inter ipsius scripta nondum edita hæc feruntur: *Apologia pro originibus Francicis adversus Antagonistas duos*, Gallum alterum, alterum Leodiensem, MARCO ZUER. BOXHORNIO inscripta & Leidam a. 1639. ut in vulgus exiret, transmissa, sed adhuc fato retardata: *Bibliotheca feminarum doctrina & fama illustrium.* Affecta & *Notæ in Petronii satyricon*, quæ a GEORGIO ERHARDO *in indice exegetarum notis ipsius in Petronium præfixo* laudibus afficiuntur.

Et inedita.

P. Saxii Exercitationes historicæ.

De PETRI SAXII *Eydora Frisii n)* exercitationibus historicis, quibus errores quosdam

---

Controversia ejus cum Cluvero.

i) Qui commentationem *de tribus Rheni alveis, ostiisque Batavis, Frisicis & Marsacis una cum tabulis Geographicis* edidit, a PETRO SCRIVERIO *antiquitatibus Germaniæ inferioris, editis Lugdun. Batavor. a. 1611.* insertam. Cui PONTANUS *L. I. orig. Franc.* & prolixius in *disceptationibus chorographicis* non sine bile & aculeis dubia obmovit.

k) Laudatur ab HEINSIO *poemat. p. 576.*

Poemata.

l) In quibus tamen nativam venustatem & florentem dictionem desiderasse videntur GROTIUS, RUTGERSIUS, PETRUS SCRIVERIUS, teste BORRICHIO *diss. ult. de poetis p. 171.* qui tamen cum BOXHORNIO *d. l.* Pontani poemata ob argumentorum ubertatem & præstantiam optimis adnumerat.

Controversia cum Seldeno.

m) Quibus Danis præcipue & Norwegis jura quædam a SELDENO *in tractatu de mari clauso* Britannis asserta vindicavit. Legi de hoc argumento merentur JO. HENR. BOECLERUS *tractat.* cui titulus: *Minos maris dominus p. 3. seqq.* GROTIUS *dissert. de mari libero seu jure, quod Batavis competit ad Indiæ commercia edit. Francofurt. p. 19. seqq.* SERAPH. DE FREIDAS *tr. de justo Imperio Lusitanorum Asiatico adversus Grotium ed. Pinciæ a. 1625. p. 115. seqq.* THEOD. GRANSWINCKEL *in vindiciis maris liberi contra* SELDENUM & VELVOODUM *ed. Hagæ a. 1643. pr.* MARTINUS SCHOCKIUS, CONRADUS LERCH, JO. LOCCENIUS aliique, qui de *mari libero* scripserunt. Quibus adde ALB. GENTILEM in libro *de jure maris & Oceani* Anglis vindicato: JO. BOUROUGH *tract. de imperio maris Britannici ex monumentis historicis & legibus Angliæ demonstrato p. 6. seqq.* BYNCKERSHOECKIUM JCtum celeberrimum, *libro singulari & dissert. de dominio maris.*

Vita ipsius.

n) Munus senatoris olim tractus Coldenbuttelensis provinciæ Eyderostadiæ subiit & Dranderfumi consedit. Ipse vitæ suæ curriculum conscripsit; ex quo luculenter cum documentorum tum rationum fide constat de variis officiis ac commissionibus ipsi demandatis, de integritate, justitia ac amore in proximos; quorum nemini uni vel minima in re unquam offendiculo fuisse testatur. Singulare vero & instar miraculi illud est, quod a sexu sequiori fere abhorruerit, & si quæ fœmella in conspectum ipsius venerit, mox oculos vel occluserit vel averterit. Ipsum vitæ hujus autographum in bibliotheca Perillustris viri Domini de GERSDORFF Augustissimæ Regiæ Majestati Daniæ a consiliis intimis conferentiæ, adservari relatum accepimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quosdam JO. ADOLPHI CYPRÆI, MATTHIÆ BOETHII, NICOLAI HELDUADERI, JO. POMARII, *Caſparis* HOYERI, *Laurentii* ADZENII, *Matth.* PAMPI, *Iven* CRUTZEN, *Adami* TRAZIGERI, *Henrici* BUNTINGII, *Joannis* RANZOVII, PETERSENII, CARIONIS aliorumque ſcriptorum Eydoroſtadenſium notare vel corrigere geſtit, non eſt, ut quicquam moneamus, cum de iis aliisque hujus viri ſcriptis dixerimus *in præfatione ad Tom. I.* Id ſaltim adjicimus, quod præſens hoc Saxii opuſculum recognoverimus ad duos codices apographos, quorum alterum ex autographo bibliothecæ Kielmannseggianæ deſcriptum, alterum ex apparatu librario Viri *Reverendi* P. PETREII *Gardingenſis eccleſiæ præpoſiti reique litterariæ promovendæ amantiſſimi* accepimus. Quod ad Chronicon attinet Hamburgenſe autore ADAMO TRAZIGERO ſcriptum, haud indignum illud plures judicarunt, quod publici demum juris fieret, poſtquam per integra fere ſæcula in publicis ac privatis muſæis detentum fuit innumerisque vicibus deſcriptum, depravatum etiam & adauctum apud multos delituit. Subſiſtit vero ipſius Trazigeri labor circa a. 1557. & quæ ad recentius noſtrumque ævum perducta vel exemplis, quæ proſtant, adſuta reperiuntur, ſtudio & arbitrio debentur litteratorum aliorum. Quorum acceſſionibus etiam ipſum Trazigeri chronicon paſſim interpolatum fuiſſe, facile oſtendunt copioſa, quæ circumferuntur, exempla, ipſa haud parum diſcrepantia. Inter apographa vero curatiora haud ultimas partes tribuerim *Matfeldianis*, *Schröderianis & Rulandinis*, quippe antiquiſſimis & ſedula manu exaratis. Nec illud forte inter infima referendum, quod bibliothecæ commerciorum ex *Capelli* quondam ceſſit apparatu, atque forte ex publica Hamburgenſium penu libraria illuc derivatum. Egregiam hinc variantium lectionum copiam viro eruditiſſimo MICHAELI RICHEY *Hamburgenſis gymnaſii Profeſſori celeberrimo* ſubnatam tradunt, qui ipſe exemplorum pari gaudet, quorum alterum forte non minoris faciendum eſt, quam quæ indicavimus. Verſantur etiam in quorundam manibus, quæ ſcripta ſunt idiomate Saxoniæ inferioris circa ann. 1590. 1596. ſed qui iis præcipuam præ reliquis antiquitatis laudem vindicare nituntur, illi temere nonnihil facere videntur, cum Saxoniæ ſuperioris, quippe patriæ dialectus TRAZIGERO *Franco* familiarior omnino fuerit, eaque illum inprimis in ſcribendo uſum fuiſſe & alia ipſius ſcripta facile probent. Elogia & judicia, quibus Trazigerum ejusque præcipue *Chronicon Hamburgenſe* proſecuti ſunt eruditi nolumus proſixe adferre, lectoremque remiſſum cupimus ad SAMUELEM ROSENBOMIUM *p*), utrumque

Adami Trazigeri Chronicon Hamburgenſe.

Trazigeri elogia.

o) In quo ſequentes codices manu exarati digni, qui innoteſcant, ſervantur. Et quidem autore Petro Saxio (1) *Friſia borealis, Nord-Freſsland A. C. 1636.* (inſerviit Heimrichio) *plag. 75. fol.* adjuncta ſerie verbi divini miniſtrorum Eyderſtadenſium, mutila tamen ac manca. (2) *Nordſtrandia A. C. 1637. plag. 76 fol.* Scriptum ſtudioſe cum avtographo collatum, quod fruſtra quondam ab Heimrichio quæſitum eſt. (3) *Deſcriptio inſulæ Nordſtrandiæ* paucis conſtans plagulis. (4) *Dithmarſia conſcripta A. C. 1640. plag. 95. fol.* ex avtographo. (5) *Stamm Baum etlicher Frieſiſchen Eyderſtædtiſchen Geſchlechter* in tabulis A. C. 1655. Quod ſcriptum auctum eſt a JO. SIEVERS *Ao. 1664.* (6) *Annales Eydorſtad. plag. 50. 4 A.C. 50-1645.* collati cum avtographo. Autore HEIMRICHIO WALTHERO ſequentia avtographa: (1) *Zugabe in den folgenden 10. Jahren zur erſten edition der Nord-Frieſiſchen Chronick*: (2) *Supplementum zu dem Nordſtrandiſchen Land-Recht*: (3) *Geænderte und verbeſſerte Nordfreſiſche Chronick manu filii ejus ſcripta*, recognita ad avtographum quod Tönningæ delitescit. Debentur etiam filio ipsius (1) *Continuatio der Norderfreſiſchen Chronick* usque ad a. 1725. (2) *Nordſtrandiſches gedrucktes Land-Recht cum obſervationibus MSCtis.* Ab ipſo vero Domino PETREJO elaborata ſunt hæc: (1) *Oratio de Friſiæ borealis viris eruditis 4. plag. 5.* (2) *Hiſtoriſche Nachricht vom Teichweſen im Amte Tundern.* (3) *Hiſtoriſche Nachricht vom Saltzweſen im Amte Tundern.* (4) *Excerpta ex ſcriptis Heimrichii 4.* (5) *Collectanea ad hiſtoriam eccleſiaſt. Eidoroſtadienſem*, in quibus reperiuntur ſeries verbi divini miniſtrorum, Præpoſitorum item & conſtitutiones ac privilegia &c. (6) *Collectanea politica & eccleſiaſtica præfecturæ & civitatis Tunderenſis.* (7) *Privilegia & Leges Stapelholmenſium, Tonningenſium, Apenradenſium, Eckerfordenſium.* (8) *Documenta Slesvico Holſatica rariora, excerpta MSCta.* (9) *Allerhand Octroyen und Freyheits-Briefe zwegen verſchiedenen Bedeichungen.* (10) *Collectanea ad hiſtoriam inſularum Foræ & Syltæ ſpectantia.* Quibus accedunt (1) SIBBERII *Regiſtratura des Ladſchafftl Archivs in Eyderſtadt fol. 9. Alphab.* (2) *Deſcriptio der Belägerung von Rendsburg im letzten Schwediſchen Kriege. 4.*

MSCta Eydoroſtadenſia.

p) Ditmarſiæ poetam non inelegantem *in P. I. poematum p. 30.* ibique:

Abdita Gambriviæ priſcis annalibus acta
Clauſerat irrupta bibliotheca ſera.
Ut prope Lethæa dici ſubmerſa palude
Poſſent, per longi temporis invidiam.
Tratſiger hæc tandem Iurisconſultus in oras
Luminis obſcuris eruit e latebris,

Judicium Roſenbohmii

MEIBOMIUM *q*), KIRCHNERUM *), WERDENHAGIUM *r*), CASELIUM *s*), OLEARIUM *t*), MÖLLERUM *u*), GRAPIUM *v*), BERTRAMUM *w*), KOCHIUM *x*), DANCKWERTHUM *y*), HOFFMANNUM *z*), LINDEBERGIUM *a*), MART. ZEILLERUM *b*), STIEBERUM *c*), RICHEYUM *cc*), LAMBECIUM *d*), & FABRICIUM, qui in ipso *Lambecio* pruritum carpendi Trazigerum notavit *) his verbis:

Membraque in integrum rursus coalescere corpus
Tot male divulsis fecit hiulca locis,
Ut nunc agnoscat genuinam splendida prolem
Mater & accepta læta triumphet ope.
Namque quod Hammopolis caput inter nubila condat,
Debet id auspiciis, Carole Magne tuis.
Quod vigeat nunquam morituris illita chartis
Id debet genio, Tratsiger, omne tuo.

Meibomiorum.

q) *In opuscul. histor. p. 312. & introduct. ad histor. Saxon. inser. p. 61. seqq.* cujus junioris Meibomii verba, quibus laudes & nævos *Trazigeri* & defectus *Lambecii* indicat summatim refero: *Post medium superioris sæculi Adamus Tbraziger primo Theologiæ professor in academia Rostochiensi, dein syndicus Hamburgensis ac demum cancellarius Ducis Slesvici ac Holsatiæ* HAMBURGENSIS, URBIS CHRONICON *lingua vernacula scripsit, quod licet nunquam editum sit, tamen ut in mea, ita plurimorum bibliothecis MSCtum exstat, de quo varie judicatur. Nonnulli illius turbulentum ingenium culpant, quod nec dissimulat ejus in cathedra Theologica Rostochiensi successor* DAVID CHYTRÆUS *l. 18. Saxon. p. 489. plura quoque, quæ famam ejus imminuant, adducuntur ab* ADAMO OLEARIO *in chronico Holsat. quæ tamen non impediunt, quo minus res Hamburgenses, fideliter narrare potuerit & plene etiam, cum syndicum urbis egerit & ad ejus chartophylacia aditum haberet, uti certe ab ipso tabulæ memorantur, quæ, valde licet desideratæ, nullibi jam amplius reperiri possunt. Interim dum varia cum fortuna inter initia sua luctata est urbs, toties vastata, incensa & desolata, non potuit quoque non jacturam veterum chartarum suarum facere, iisque destitutus Thraciger, cum aliunde idoneis monumentis colligendis & dijudicandis debitam operam non impenderet & Cranzium inconsiderate sequeretur, in multos errores incidit, & temporum rationem inprimis confudit, uti a doctis animadversum est. Minuunt etiam ipsi Hamburgenses fidem operis, dum illud nunquam typis excusum sed scriptum modo ab hoc, modo ab illo auctum vel mutatum magno urbis suæ præjudicio circumferri queruntur in apologia. Ast, omnem illum defectum supplere visus est magni ingenii & judicii & historiæ scribendæ peritus vir,* PETRUS LAMBECIUS, *qui junior licet operam, quam hactenus græcis latinisque scriptoribus recensendis feliciter impenderat, patriæ urbi in concinnanda ejus historia consecravit. Tanta autem felicitate materia ex omnibus scriptoribus & monumentis curiosissime conquisita, id præstitit, ut prima parte rerum Hamburgensium cum plausu excepta altera post novennium addita majorem etiam in erudito orbe meruerit. Dolendum autem, quod in a. 1292. substiterit, & aliis dein laboribus occupatus tandem a. 1680. 24. Martii peste Viennensi mortuus sit, ut nihil ab ipso amplius exspectare liceat. Postquam tamen ille doctissimus vir glaciem fregit, & antiqua sepulta vetustate eruit, non adeo difficile fuerit res celeberrimæ urbis ad nostra usque tempora pertexere nullibi jam deficientibus subsidiis.*

Kirchneri. Werdenhagii Caselii aliorumque.

*) Tractat. *de officiis & dignitate Cancellarii, L. 2. c. 3. n. 23. p. 132.*

r) Tractat. *de rebus publ. Hanseat. P. 3. p. 319.*

s) *In epistola ad Trazigerum JCtum & oratorem clarissimum, quam* NATHAN CHYTRÆUS *nomenclatori Latino Saxonico edit. a. 1582.* præfixit. Et epistola 9 ex editione HENRICI VAGETII *p. 171.* ubi *mores, eruditionem & eloquentiam* Trazigeri prædicat, & ita pergit: *Tunc, qui sæculum in rebus publicis & regiis maxima negotia tractasti, versatus in foro & in curia, quid in hoc consilio verum sit, quid falsum statim videre & verbis explicare potes. Assentiar tibi, si meliora ostenderis: sin eadem nobiscum senties, autoritas tua plurimum faciet ud rudium, qui rationes non vident, in exempla oculos coniiciunt, animos informandos, confirmandos etiam aliorum, qui rectam viam ingressi sunt.*

t) *Chronic. Holsat. p. 54. 55.*

u) *Isagog. P. IV. c. 8. §. 5. p. 534. seqq. & in Cimbria litterata MSCt.*

v) *In Rostochio evangelico p. 376.*

vv) *Histor. ecclesiast. Luneburg. p. 161.*

x) *In deliciis & otiis litterar. p. 10. 13.*

Danckwerthi.

y) *Descript. Ducat. Slesvic. Holsat. P. III. c. 12. p. 250.* ubi tamen Trazigero exprobrat, quod scriptores & documenta, quibus relata sua debet, haud adscripserit.

z) *De notabil. delict. matrim. temporibus c. 2. p. 41.*

a) *Chronico Rostochiensi L. 5. c. 11. p. 127.*

b) *In Topographia Saxoniæ inferioris p. 206.*

c) *In histor. litteraria Mecklenb. Sec. 16. c. 2.*

Richeyi.

cc) *In Hist. Statut. Hamb. c. 1. p. 11. not. (dd)* ubi Trazigerum scriptorem instructum vocat, liberatque ab incusatione insignis metachronismi, quem ipsi LAMBECIUS multis exprobrat *ad a. 1226.*

Lambecii.

d) *Lib. I. orig. Hamb. præf. ad L. 1.* ibique: *Quamvis non negem, Adamum Thracigerum in Chron. Hamb. Germanica lingua compositio prolixius aliquanto & latius de rebus nostris egisse, in hoc tamen ceteris eum similem reperio, quod nec chronologiæ satis accuratam habuit rationem nec suis oculis ad veritatem indagandam in antiquissima quæque monumenta inquisivit, sed Cranzii tantum judicio & autoritati confisus, ut quæque ab illo narrata & tradita sunt, contentus fuit referre.*

*) *In præfat. ad Lambecii origin. Hamburgens.* Plane tamen Trazigerum ab erroribus alienum fuisse, nemo asseruerit, qui Chronicon illud attentius perlegerit & præcipue temporum rationes & opiniones a Cranzio adoptatas examinaverit. Vide aberrationes quasdam ipsius historicas notatas a STAPHORST. *Hist. Eccles. Hamb. Vol. I. II.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verbis: *Unum tamen non ab re fortaſſe his in rerum Hamburgenſium libris reprehendas, frequeus ſcilicet alios ac cumprimis nobiliſſimum virum* ADAMUM TRAZIGERUM *carpendi ejusque nomini detrahendi ſtudium, quod uti pluribus in locis, ita iis ſubinde elucet, in quibus nulla erat, quamobrem eum reprehenderet, vel de ejus fide addubitaret, ratio. Fuit enim* TRACIGERUS *non modo vir rerum patriæ apprime callens & magnis in ea dignitatibus functus, ſed cui plures patebant memoriæ antiquæ diplomataque & ſcripturæ, quarum dum partem tantum viderit* LAMBECIUS, *circa eas, quas non vidit, male prorſus fidem* TRACIGERI *ſollicitat. Quod prolatis ipſis, ad quas provocat Trazigerus, tabulis atque diplomatis demonſtrabitur, ut ſpero, alias, ſi patronorum dignatus fuerit adſpirare favor.* Vitam Trazigeri delineavit ediditque in lucem *Hamburgi a. 1722.* autor anonymus, quem virum dicunt meritiſſimum B. NIC. WILKENS D. *& archivi Hamburgenſis præfectum;* quamuis tenuia paſſim ſint, quæ ſuppeditavit partim dubia varieque deficientia. Lucem Thrazigerus adſpexit *Norimbergæ*, ipſo teſte in oratione, quam in conſequendo in utroque jure baccalaureatu Lipſiæ a. 1543. recitavit *de dignitate & excellentia jurium e);* ut igitur alii *Berolinum f)* vel *Hamburgum g)* fruſtra ſubſtituant. In ſchola patria poſitis litterarum rudimentis, academiam præter reliquas in primis frequentavit Lipſienſem, ubi & juris ſtudium diligenter colens baccalaurei dignitatem 1543. conſecutus eſt. Hinc jura in Academia Viadrina alios edocens, mox a. 1546. Roſtochium evocatus eſt ad inſtitutionum Juſtinianearum profeſſionem ornandam, quam æque ac Syndici civitatis munus, quod ob ingenii elegantiam memoriæ dexteritatem atque eloquentiæ vim ſingularem ipſi acceſſerat, per aliquot annos non ſine laude explevit *h)*. Ad Theologiam vero ibidem edocendam illum fuiſſe admotum, quod quidam perhibent *i)* parum cum re videtur convenire. Verum cum vir ceteroquin

Judicium Fabricii.

Trazigeri vita.

---

e) Ubi ita: *Poterit exemplo dari* NORIMBERGA *nobiliſſimum totius Germaniæ Superioris emporium* PATRIA MEA *dulciſſima.* Et in *Epiſtola dedicatoria* laudatæ orationi *præmiſſa ad D. Lud. Fachſium ceterosque Juridicæ Facultatis Lipſienſ.* de avo ſuo materno diſſerit: *acceſſerunt & doctorum virorum tum & patris mei crebræ adhortationes, inſuper & domeſticum familiæ noſtræ exemplum avus meus Jo. Letſcher, qui & juris peritia & eloquentia haud mediocri apud* NORIMBERGENSES *floruit.* Idem docent Libri & MSCta *de familiis Patritiorum Norimbergenſium,* ut & AUCTOR *der hiſtoriſchen Nachricht von der Stadt Nürnberg,* qui ſpeciatim memoriam & merita ABRAH. LETSCHERI ſeu LÖSCHERI *J. U. D. Cameræ Imperialis aſſeſſoris & poſtea Reipublicæ Noribergenſis conſiliarii* laudat ex monumento ipſi a vidua & liberis poſito a. 1675. Alicujus etiam *Henrici Tratzigeri, V. D. M. Hohenſteinenſis* & antea ſcholæ *Nordhuſanæ miniſtri* mentionem injicit M. KINDERVATERUS *in Nordhuſa illuſtri p. 329.*

Patria Trazigeri.

f) Ita MÖLLERUS *P. IV. iſagog. ad Hiſtor. Cimbr. p. 531.* ſeductus poëmatibus ALB. FRIDERICI MELLEMANNI, *Berolinenſis,* nepotis ipſius ex ſorore, SIMONI MELLEMANNO *advocato Berolinenſi* nupta. Mollerum ſecutus eſt MEIBOMIUS *junior d. l. p. 61.* & LUCAS BACKMEISTER *hiſtor. eccleſiæ Roſtoch. in Tomo I. monument. ineđit. p. 567.* Quem errorem idem repetit *in antiquitatibus Roſtochienſibus MSCt. f. m. 719.* ſine dubio motus *fide matriculæ ſeu albi Roſtochienſis,* quod TRAZIGERUM BEROLINENSEM *Legum Doctorem ſub Rectoratu* M. CONRADI PEGELII *a. 1546.* menſe Decembri inter Academicos cooptatum fuiſſe teſtatur. Eundem errorem ex *Actis Miniſterii Roſtochienſis T. 10.* B. OTTO FRID. SCHÜTZIUS *in Excerptis MSC.*

Errores plurium notati.

g) AUCTOR *Remonſtrationis Danicæ contra apolog. Hamburg. p. 4.*

h) Teſtis eſt JO. BERNHARDUS ZINZERLINGIUS Juris D. ac humaniorum profeſſor Roſtochienſis, qui ADAMUM TRAZIGERUM in faſtis Rectoralibus Laciburgicis Roſtochii 1668. fol. editis retulit inter Rectores academiæ *a. 1547. d. 10. Octobr. a. 1548.* Idem teſtatur NICOL. GRYSE *in catalogo Rectorum acad. Roſtochienſis,* quem ſubjunxit hiſtoriæ de doctrina vita & morte M. JOACHIMI SLÜTERI primi verbi divini miniſtri eccleſiæ Lutheranæ addicti; quæ idiomate Germaniæ inferioris edita eſt *Roſtochii a. 1593. 4.* De ſyndicatu Trazigeri apud Roſtochienſes vide WOLFG. JUSTUM *tr. de academiis ed. a. 1554. n. 66.*

Teſtimonium Zinzerlingii. Gryſii.

i) MEIBOMIUS *d. l. p. 62.* HELDUADERUS *in ſilva chronolog. circuli Balthici P. II. pag. 222. ad ann. 1518.* ubi ita: *Adam Traziger J. U. D. der ſich in der Univerſität Roſtock a. 1549. für einen Theologum laſſen beſtellen und annehmen, da er dann für erſt epiſtolam Pauli ad Titum profitiret, weil er aber in einer diſputation defendirt, quod ſcortatio ſimplex non ſit peccatum, haben ihm ſolches die Theologi nicht gut heiſſen wollen; worüber er anno 1550. von Hertzog Hinrichen ſeiner Beſtallung enturlaubet und hat D. Chytræus Theologiæ Doctor ſeine profeſſion bekommen.* Eadem verba repetit ADAMUS OLEARIUS *im kurtzen Begriff der Holſteiniſchen Chronick ed. anno 1663. p. 148. ſeqq.* & ex hoc iterum AUCTOR *der ausführlichen refutation deſſen, ſo von dem Fürſtl. Hauſſe Holſtein-Gottorp in puncto Oldenb. und Delmenhorſtiſcher Succeſſion contra das Hauſs Holſtein-Plön & Conſortes bißhero einbracht,* edita a. 1671. & inſerta *actis publicis Sleſvico Holſaticis de Succeſſione Oldenb. P. II. c. 7. §. 166. fol. 535. ſeqq.* Quin ZACHARIAM GRAPIUM ab hac opinione parum alienum fuiſſe, patet ex ipſius *Roſtochio Evangelico c. 13. §. 2. p. 376.* Errorem tamen hunc & Academiæ Roſtoch. Album & ipſe TRAZIGER refellit ſcriptis *Roſtochii* elaboratis. Et conſtat *ex actis acad. MSCt.* illum in profeſſione & ſyndicatu ſucceſſorem fuiſſe D. JOANNIS STRUBII Daven-

Error Helduaderi, Olearii, Grapii Meibomii.

quin litteratiſſimus opinionem, quam amplexus erat, a vero non parum recedentem, quod ſcortatio ſimplex non ſit peccatum, ſcripta quadam diſſertatione incautius proponeret, publiceque tueretur, controverſiæ ipſi cum Theologis in miniſterio & urbe MATTHÆO EDDERERN, PETRO HAKENDALE, JOACH. SCHRÖDERO, HENRICO SMEDENSTEDE, qui quidem unicus tunc erat in illa Academia Theologiæ Doctor & Profeſſor paſtoris ſimul ad S. Nicolai ædem munere fungens, & cum aliis pluribus ſunt enatæ: ad quam litem demum dirimendam Dux Henricus pacificus Hamburgo accerſiri juſſit D. JOANN. ÆPINUM ibidem Superintendentem. Quo Roſtochium veniente, cum Trazigerus palinodiam canere recuſaret, non multum poſt ex academia atque urbe a Duce laudatiſſimo fuit dimiſſus: qua quidem occaſione Æpinus quoque principis juſſu Academiam *k*) viſitavit. Ille vero Roſtochium relinquens ad Hamburgenſes conceſſit, locumque ibi inter Canonicos *l*) nactus eſt, obtinuitque ſyndici civitatis ſpartam *m*) poſt FRANCISCUM PFEILIUM ipſi a. 1552. demandatam. Atque ex hoc tempore multis negotiis civitatis cauſa tractandis *n*) interfuit, quin &, ut quidam tradunt, inclytæ

Daventrienſis, ſub a. 1545. ad munus Syndici Lubecenſis evocati, de cujus meritis & aliis officiis videatur FABRICIUS *in memoria rer. Hamb. vol. I.* ubi illum inter ſyndicos urbis Hamb. a. 1551. retulit; adde teſtimonium MATTHÆI RÖSELERI *in epithalamio nuptiarum Ludovici Diezii a. 1551.* ſcripto:

Traziger, Hoffmannus IVRISque volumine tradunt
Utilis & trepidis eſt is uterque reis.

k) Quod idem aſſerunt WOLFFG. JUSTUS *tr. de academiis n. 66.* LINDENBERG *Chron. Roſtoch. L. 5. c. 11.* De qua viſitatione quæ effectu tamen caruit, vide CHYTRÆUM *in Chron. Saxon. p. 453.* Addatur LINDENBERGIUS *Chron. Roſtoch. L. 5. c. 7. p. 165. ad ann. 1545. 1563.*

l) Vide FABRICII *Memor. Hamburg. Vol. IV. p. 612.* ibique in ſerie Canonicorum Hamburgenſium.

De ſyndicatu Trazigeri apud Hamburgenſes ab a. 1552. Diſſenſus ſcriptorum.

m) WILKENIUS *in vita Trazigeri p. 11.* annum citat 1550. provocans ad B. GERHARDI SCHRÖDERI conſulis olim Hamburgenſis deſignationem ſyndicorum faſtis proconſularibus & conſularibus adnexam. Idem annus repetitur in variis tum editis tum manu exaratis & auctis faſtis conſularibus Hamb. ab a. 1292. usque ad recentiſſimum ſæculum. In nonnullis tamen MSCtis adducitur vel a. 1553. vel 1552, quem ultimum ſequitur HERMANNUS ROEVERS *in annotationibus & catalogis conſulum, ſenatorum & ſyndicorum Hamburgenſium ab a. 1534. usque ad a. 1662. MSCtis pluriumque inſignibus illuminatis.* Cujus variationis rationem ſuppeditat laudatus autor vitæ Trazigeri §. 8. p. 5. ubi aſſerit, quod Trazigerus præſcitu & conſenſu ſenatus Hamburgenſis in ſubeundo officio profeſſoris academiæ & ſyndici civitatis Roſtochienſis perrexerit, adeoque negotiis & Roſtochienſium & Hamburgenſium ſimul præfuerit. Cui rei fidem faciunt documenta. Teſtatur enim *Protocollum commiſſionum & legationum Hamburgenſium MSCt.* quod nomine ſenatus Hamburgenſis, Syndicus Trazigerus a. 1553. cum duobus Senatoribus *Vincentio Möllero & Garlevio Lungenbeck* Bergedorpium ablegatus ſit, ut litem inter Hinricum Ducem & civitates Hamburgum & Lubecam gliſcentem ſuffocaret. Eodem vero anno etiam a Senatu Roſtochienſi Trazigerus litteras accepit, ex quibus manifeſtum eſt, Senatum urbis, tum uſum fuiſſe adhuc officiis & operis Trazigeri, quem profeſſorem Academiæ & civitatis Roſtochienſis advocatum ſeu Syndicum appellant. Verba ipſius recitant ſolertiſſimi AUTORES *rer. litterar. Roſtoch. a. 1738. p. 549. Un vvy etlicher anliggenden Geſchäffte halber ehrgenanten Doctorem in Kort tho gebrukends van nodden hebben; iſs desvvegen Unſe Bitt, Gy vvolden ehn mit ſinen Saken uppet erſte, darmede he ungeſtüret vviderum anhero ſick verfogen mochte, beforderen.* Quin in hac communi officiorum præſtatione illum usque ad a. 1556. perſtitiſſe conjicio, commotus fide & rationibus, quæ conſtant *ex Actis MSCt. Roſtoch.* & ex BACKMEISTERI *antiquitatibus citatis.* Sollicitavit enim Senatus Trazigerum, qui ab officio dimittendus erat, ut dignum Succeſſorem commendaret, doctrina non ſolum, ſed & ætate graviori conſpicuum. Circumſpexit Trazigerus, qui illud in contemtum ætatis ſuæ dictum putavit & requirenti Senatui D. WILHELMUM NOVESIANUM indicavit his verbis: *eſſe hunc ipſo ætate majorem, ſed induſtria & ingenio inferiorem.* Fuit iſte natus *Noveſii* apud Colonienſes in vicinia Weſtphaliæ ideoque a patria cognomen adeptus eſt. Hunc vero WILHELMUM NOVESIANUM anno demum 1556. ſucceſſiſſe in Trazigeri locum & officia, verbis enarrabimus laudati BACKMEISTERI: *Venit autem Noveſianus ex commendatione Trazigeri Roſtochium a. 1556. ejusdem in inſtitut. profeſſione & Syndicatu urbis ſucceſſor, ſemel autem a. 1558 Academiæ Rector. Aſt hujus viri opera magis nocuit, quam profuit reipublicæ. Etenim cum* TILEMANNUS HESHUSIUS *Paſtor Jacobæus una cum collega* PETRO EGGERS *profanationem Sabbathi taxaret et publice e ſuggeſtu denunciaret, ſe non poſſe probare, quod diebus dominicis nuptiæ celebrarentur & commeſſationibus ac compotationibus homines a cultu divino & auditu verbi divini horis pomeridianis arcerentur, quare ſibi propoſuiſſe, non amplius deſponſatos diebus dominicis copulare &c. ægre admodum hoc tulit Senatus inprimis* Conſul PETRUS BRUMMERUS & WILHELMUS NOVESIANUS *noſter Syndicus, qui ſtatim per mandatum omnibus templorum valvis adfixum et ex ſuggeſtu Senatus lectum* (cujus autor fuit *Wilhelmus Noveſianus*) *imperavit Tilemanno Heshuſio ac Petro* EGGERS, *ut ex urbe migrarent; unde multæ turbæ & motus excitati ſunt, qui per aliquot annos durarunt.*

Eorumque conciliatio.

Trazigeri legationes.

n) Quorum recenſionem ab a. 1553. usque ad a. 1557. exhibuit AUCTOR *vitæ Trazig. p. §. 11.* ex qua conſtat, Trazigerum a. 1553. et 1554. aliquoties *Bergdorpium & Segebergam*; a. 1555. *Lubecam, Bruſſellas, Itzeboam, Oſnabrugam, Bremam & ad Electorem Marchiæ Brandenburgenſis*; a. 1556.

ad

clytæ hujus reipublicæ nomine duas ad Eliſabetham Angliæ reginam legationes *o*) obiit. Poſtea a. 1558. inter aulæ proceres ab Adolpho ſereniſſimo Holſatiæ Duce cooptatus ac cancellarii munere ac honore inſignitus agere inſolentius cœpit, nova moliens Principique ſuggerens conſilia, plerorumque judicio non parum noxia. Quo factum, ut peſtis audiret plurimis. In eo enim dignitatis gradu conſtitutus, optimi Principis aures aſſentando atque adulationibus occupavit ipſumque ad minus ſalutaria ſuſcipienda movit *p*). Peſſimam vero ingenii indolem animumque ad nocendum proniorem ſibi eſſe, hac re inprimis prodidit, quod non ſolum collegio Canonicorum Hamburgenſi, cujus ipſe pars erat, detrimenta non una afferendi occaſionem ſtudioſe captaret, ſed & ducalibus forte commodis nimium adeoque cum tertii, ut loqui ſolemus, præjudicio & juſtitiæ detrimento intentus, Principem laudatum eo devocaret, ut omnibus fere privilegiis Canonicorum apud Slesvicenſes ordinem privarit, quemadmodum DAV. CHYTRÆUS *Chron. Saxon. Lib. XIX. p. 136. ſeq.* aliique *q*) clariſſime teſtantur. Immo & ipſius ſuaſu factum eſſe tradunt,

---

ad Ducem Franciſcum *Saxoniæ* Lauenburg. *Luneburgum, Francofurtum ad Mœnum, Ultzenium, Oſnabruggam, Verdam,* & ad Ducem *Holſatiæ* Adolphum ac vicarium regiminis Regis *Joannem Ranzovium* et a. 1557. *Ultzenium, Lubecam & Luneburgum* in comitatu aliorum e Senatu deputatorum, ablegatum fuiſſe.

o) Quas merito in dubium vocaveris, cum regina Eliſabetha ſceptra regia nacta ſit a. 1558. quo ipſo Traziger non civitati amplius ſed Duci Holſatiæ ab officiis fuit. Nec MELLEMANNUS, ad quem *Möllerus d. l. p. 532.* aliique diſſentientes provocant, huic rei favet. In carmine enim, quod in obitum Trazigeri ſcripſit et WILKENIUS *vitæ ipſius n. 14. p. 118.* integrum ſubjunxit, aperte innuit, Trazigerum hac legatione perfunctum eſſe autoritate Ducis Holſatiæ. Ipſa ejus verba haec ſunt: *Error Möllerii.*

Dein' Syndicus elegantis urbis,
Cujus mœnia ſuſcitavit ampla
Ad ripas refluentis Albis Hammo,
Eſt factus, celebris magis magisque;
Tandem a conſiliis Duci eſt Adolpho,
Factus præcipuus Duci potenti,
Fortis Cimbrica quem veretur ora.
Hic archiva Duci regebat aptus
Cancellarius, ordinique equeſtri.
O quam Dux bene Adolphe congruebat
Tecum conſilio intimoque ſenſu,
Summe in legibus eminens Adamus!
Vir doctus, bonus & diſertus ore,
Fundens verba gravis Periclis inſtar,
Largos præcipitans Ulyſſis imbres,
Grandes Neſtoris excitans procellas
Lingua, quam ſtupuere bis Britanni
Et regina celebris orbe toto
Florens imperium Angliæ gubernans;
Nam non vox modo ſuavis & canora,
Verum pectus erat quoque eruditum
Huic in legibus utriusque juris.

p) De quibus CHYTRÆUS *in Saxon. Lib. ult.* OLEARIUS *Chron. Holſat. p. 97. 148.* AUTOR *refutationis ſcriptor. Holſat. in cauſſa ſucceſſionis Oldenburgicæ pro domo Ducali Ploenenſi edit. 1671. f. 2.* Fruſtra vero in hunc cenſum refertur *bellum Ditmarſicum*, judicio quippe Regis Friderici II. & Ducum Joannis et Adolphi fratrum, accedente conſilio plurium adminiſtrorum a. 1559. ſuſceptum, ipſo teſtante JO. RANZOVIO libro ſingulari Germanico *de belli Ditmarſici hiſtoria* et CHRISTIANO CILICIO *tractatu de bello Ditmarſico ed. Argentorati a. 1574.* Qui poſtremus libellus HENRICO RANZOVIO, vicario ſeu Propraefidi Regio in Ducatibus Holſatiæ Sleſvici et Dithmarſiæ dicatus eſt, ſine dubio ad fucum lectori faciendum, cum ipſe Hinricus Ranzovius ſub nomine Cilicii lateat, libri ipſius autor. Præmittitur ipſius Thracigeri ad Henricum Ranzovium epiſtola, quam ob argumentum huc ſpectans adponimus: *Nobilis & magnifice Domine. Abs veſtræ Excellentiæ miniſtro litteras V. E. una cum belli Ditmarſici ante paucos dies promiſſa mihi hiſtoria recepi. Quod munus mihi pergratum fuit. Et cum arbitrarer, principem meum ex quartana adhuc male affectum memoria illarum rerum in Dithmarſia geſtarum affici, principia ſecundi libri decumbenti in lecto prælegi. Conveniunt omnia conſiliis & rebus patratis. Stilus etiam concinnus & ſatis elegans eſt ad hiſtoriæ contextum. Quod attinet ad catalogum Bibliothecæ meæ hiſtoricæ, eum nunc miſſurus eram. Sed cum V. E. miniſter abitum nimis maturaret, deſcribendi facultas mihi data non fuit: præſertim cum illa hiſtoriarum mearum annotatio inter reliquam meam ſuppellectilem Sleſvici eſſet, atque mihi facultas a decumbente Principe diſcedendi non daretur. Sed E. V. ex Dania redeunti datam fidem præſtabo, ut V. E. omnia integre annotata recipiat. Confido etiam, me quasdam hiſtoricas farragines maxime ad res Saxonicas pertinentes V. E. communicaturum, quas V. E. pro ſuo judicio & conſideratione non diſplicaturas, ſpes eſt. Interim V. E. omnia mea officioſa obſequia de me ſibi polliceatur. Ex Gottorpio II. Novembris Anno 1571.* *Vindiciæ pro Trazigero quoad Bellum Ditmarſicum.*

q) OLEARIUS *d. l. p. 36. 97. ſeqq. Autor apologiæ ſcriptor. Gottorp. & cauſæ Oldenb. p. 61. ſeqq.* Referunt huc etiam OLEARIUS, HELDUADERUS *& nonnulli annalium MSCt. conditores*, conſtitutionem *Consilia ipſius intuitu Slesvicenſium.*

tradunt, ut *templum* in oppido Sleſvicenſi *Holmienſe* antiquiſſimum e porphyro lapide nitidiſſime ſtructum, dirueretur; cujus rudera dein in materiam palatii ſplendide excitandi ceſſiſſe feruntur *r*). Inter præcipua ejus fata adverſa recenſetur matrimonium minus tranquillum, cum parum ipſi cum uxore convenerit *s*), inprimis vero infeſtus vitæ exitus; ſiquidem die XVII. Octobris a. 1584. prope villam Raleſſted, Hamburgo reverſurus Gottorpium, e curru excuſſus animam miſere efflavit *t*), quemadmodum inter alios luget ejus ex ſorore nepos ALB. FRID. MELLEMANNUS Berolinenſis, in hendecaſyllabis *u*). Corpus exanime in baſilica Hamburgenſi terræ conditum adjecta ejus lapidi ſepulchrali brevi hac inſcriptione:

Fata & obitus.

Inveni Chriſtum; ſpes & fortuna valete.

Inter ingenii ejus monumenta, quorum quædam indicavimus, connumeranda ſunt ſequentia, partim edita, partim manu exarata. Et quidem (1) *Topographia Slesvicenſis MSCta* 4. quæ laudatur in bibliotheca Danneſchioldiana p. 426. (2) *Collectanea*

Scripta inedita & edita

---

tionem pædagogii Sleſvicenſis ex arbitrio et ſine eorum, quorum intereſt, præſcitu factam; ut et autoritatem D. PAULI *ab* EITZEN Eccleſiarum Hamburgenſium antiſtitis, ſuaſu et commendatione Trazigeri in conſilia eccleſiaſtica *a. 1556. & ſeqq.* ſæpius a Duce Adolpho adſciti demumque a. 1562. inſigniti officiis et dignitate Superintendentis Ducatuum Sleſvico-Holſaticorum et ſupremi concionatoris aulici. De quo plura conſtant ex *litteris & actis MSCt.* Paucula adducta vide apud HELDUADERUM *Chron. circ. Balthici P. 2. p. 157.* HEIMRICHIUM *Chronic. Nordfriſic. p. 236.* JO. KRAFFTIUM *in hiſtoria eccleſiaſtica Huſumenſi, memoriæ Jubilæi ſacræ reformationis a. 1522. addita p. 124. ſeqq. 368. 371.* MÖLLERUM *Iſagog. P. 2. c. 7. p. 177.* et B. HENRICUM MUHLIUM *elaboratiſſima commentat. de reformat. religionis in Cimbria p. 97.* ibique in acceſſionibus documentorum p. 183 - 208. Quo ipſo etiam loco p. 94. VOLQVARDVM JONAM, *aulicum concionatorem* et de eccleſiis Gottorpianis et Eyderoſtadiæ præcipue meritiſſimum ab ADAMO TRAZIGERO male ac inconvenienter habitum fuiſſe coniicit, ut ille aulæ demum ac moleſtiarum pertæſus munus eccleſiaſticum aulicum commutaverit cum paſtoratu Gardingenſis eccleſiæ in Eyderoſtadia. Obſtant vero huic conjecturæ ipſius JONÆ *litteræ ad Joannem Piſtorium Paſtorem Tettenbüllenſem exaratæ Sleſvici anno 1559. d. 10. April.* in quibus de Canonicis quos ipſe Trazigerus odio proſequebatur, Slesvicenſibus ſerio quidem conqueritur, ſed Trazigerum in ſuas partes citat et laudat. *Cum mihi*, inquit, *a Celſitudine Sua mandatum eſſet, ut a viſitatione eccleſiarum ceſſarem usque ad ipſius reditum, hoc mandatum, quod Princeps non male intellexit magno ipſos Canonicos affecit gaudio; adeo ut in vulgus ſparſerint, me ab officio remotum eſſe. Commovit me quidem id, at conjugem omnino nihil. Conſolabatur tamen me hoc, quod certo ſciebam me clementem habere Principem. Nam ante triduum fueram cum Dn. Cancellario in prandio apud Principem, qui, cum forte ſermo incidiſſet de Canonicis, ad me dixit, me debere ipſorum calumnias ad tempus negligere et cogitare: Idt vvære gelick, effte my en Hore lavede edder ein Deeff laſterde. Ad quæ Dn. Cancellarius ſubjecit: Des guden Gerüchtes mügen ſie ſich erfrouvven. Hoc ſermone & multis aliis indiciis clementiæ & ſingularis benivolentiæ ipſius me tum reficiebam.*

D. Pauli ab Eitzen.

Volquardi Ionæ ex Muhlii conjectura. Cui obſtant ipſius Jonæ literæ.

Vitia Trazigeri.

r) Teſte CHYTRÆO *d. l.* curia quædam cum area deſolati templi & coemiterii vicini ceſſit Trazigero ex donatione & indulgentia Principis. Audi HELDUADERUM *in deſcriptione urbis Slesvvici c. 9. Auf dem Orth, der Holm genandt, vvar auch im Pabſthum eine herrliche ſchöne Kirche, vvelche die Engelſchen erſtmals zu einem Kauff-Hauſe in groſſer Pracht und Herrlichkeit aufgebauet und hernachmals zu einer Kirche gevveyhet. Dieſe Kirche hat D. A. Traziger für vvenig Jahren abgebrochen, niedergevvorffen und ſich ein Haus davon helffen bauen. Iſt aber auf der Reiſe zvviſchen Hamburg und Schlesvvig bald hernach von Wagen geſtürtzt und einen ſchnellen Todt genommen. Der Kirchhoff aber vvird den armen Leuten noch zur Zeit vergönnet ihre Begræbniſs alda zu haben.* Idem repetit OLEARIUS *d. l. p. 148.*

s) Quod ex literis familiarium Trazigeri teſtatur MÖLLER. *Iſagog. hiſt. Cimbr. P. 3. c. 8. §. 4.*

t) CHYTRÆUS *in epiſtola ad Henricum Ranzovium p. 755.* aliique citati.

Fata ultima funeſta.

u) Seu *in carmine lugubri* ſupra laudato:

Heu, mors, Thrazigerum nimis cruentis
Fatis interituque ſuſtuliſti!
Nam dum carpit iter rotis citatis,
Turbati rapide trahunt caballi
Rhedam per loca non ſat expedita.
Hic ergo fugiturus hoc periculum
De curru exſiluit gravis ſenecta:
Sed dum deſilit impeditus annis
Seſe præcipitat ſuamque vitam
Exhalat volucres miſer ſub auras.
Ah quanam ratione ſortiuntur
Præſtantes homines & innocentes
Finem tam miſerum exitumque triſtem?
Cum ſic Hippolytus ſit interemtus
Raptatus propriis ſuis quadrigis,
Cum turpes fugeret faces amoris
Belli ſemina fœminæque bilem:
Hoc certo ſtatuamus eſt neceſſe,
Vivendi ratio quod æſtimanda
Nec mortis facies ſit intuenda.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lectanea histor. Saxonicæ MSCta. v) (3) *Series seu epitome successionis consulum & senatorum Hamburgensium* affecta & a Friderico filio ipsius w) absoluta teste RICHEY *hist. stat. Hamb. p. 23.* (4) *Tabulæ chronologicæ MSCtæ.* (5) *Relationes variæ & deductiones de curia dominica Hamburgensi* vulgo *Königshoff* seu *Mühlenhoff* ejusque jure investiendi ad Ducem Adolphum perscriptæ x) a. 1586. 1587. Quibus plures relationes TRAZIGERO autore de *sumtibus in Wandesburgum impensis,* y) *de litteris & juribus prætensis Canonicorum Slesvicensium horumque cum Duce contentionibus* z), *de jure ducali in causa investituræ Comitatus Oldenburgensis* a), *de actu & juramento homagiali ab incolis Nordstrandiæ a. 1582. præstito* b) aliisque ipsius *commissionibus* c) *& negotiis exantlatis,* adjectæ reperiuntur. (6) Theses, *quibus omnia fere in pandectis & codice ad edictum Prætoris de edendo scripta & a modernis Legum interpretibus tradita breviter comprehensa sunt, disputatæ in academia Francofurt. ad Oderam a. 1546.* (7) Theses *ex L. si creditores,* & quæ ibi notantur per gloss. & Doctores *C. de pactis,* respondente JOANNE BOUKE *Hamburgensi, Rostochii a. 1551. d. 23. Apr.* (8) *Conclusiones ex jure canonico & civili* respondente *Hermanno Lasterpagio* propositæ *in acad. Rostochiensi a. 1551. 27. Junii.* (9) *Consilium Juridicum nomine Facultatis Rostochiensis a. 1551. scriptum* quo proneptem neque ex testamento neque ab intestato Proavo succedere posse docet. d) (10) *Novum Statutum Capituli Hamburgensis de anno deservito & gratiæ pro Canonicis ecclesiæ B. Mariæ Virginis, Hamburgi conscriptum a. 1580. d. 5. Maji.* (11) *Gründlicher Bericht, dass Hamburg viel älter als Stade und Alter halben die 5. Wendischen Städte übertreffe, verfasset in dem Jahre 1557.* quod opusculum e MSCto bibliothecæ Hamburg. edidit autor vitæ Trazigeri *in appendice n. 25. p. 122. seqq.* (12) *Brevis narratio de Dithmarsorum historia & cum familia Holsatica controversiis scripta a. 1559.* e) Quibus denique accedunt præci-

v) Quorum ipse meminit in epistola ad HENRICUM RANZOVIUM supra adducta. Aliam *Trazigeri* ad eundem epistolam *a. 1565. d. XVI. Decembr.* in obitum Patris ipsius IOANNIS RANZOVII scriptam vide apud M. GEORGIUM LUDOVICUM FROBENIUM *in epistolis consolatoriis Regum, Principum ac nobilium ad Henr. Ranzovium ed. Francof. a. 1593 p. 30 33.*

w) Sed nepoti J. V. L. et ejusdem cum avo nominis hunc catalogum, *Stadæ a. 1664. 4* editum, tribuit WILKENIUS *d. l. p. 24.*

x) Quibus accedunt *protocolla & rescripta Ducalia in hac causa* pro Friderico Trazigero, Adami filio, a Duce cum aula dominica investito, exarata *a. 1585. seqq.* quorum nonnulla vide in *Responsione Hamb. ad speciem facti Danicam p. 137.* et D. SURLANDII *Nachricht von der eigentlichen Bewandniss des Schaumburgischen Hofes in Hamburg, ed. a. 1734. p. 51. seqq.* *Filii ipsius memoria.*

y) Hodie *Wandesbeck,* quod prædium et castellum ab ADAMO TRAZIGERO, cujus dominio ex donatione Ducis accesserat, emtionis titulo a. 1568. transiit ad HENRICUM RANZOVIUM, hoc ipso teste in *descriptione nova Chersonesi Cimbricæ, T. I. Monum. ined. p. 18.* Idem testatur ANDR. ANGELUS *Chron. Holsat. p. 193.* et LINDEBERGIUS *in hypotyposi artium & palatiorum Henrici Ranzovii ed. Francofurti 1592. p. 54. seqq.* ubi et castelli ectypus conspicitur legiturque HENNINGII CONRADINI in Wandesburgum epigramma et elogium. *Bona fortunæ Trazigeri*

z) Quibus inserviunt documenta, quæ leguntur in *appendice Remonstrationis Danicæ de a. 1642.* Adde CHYTRÆUM *Chron. Saxon. p. 568.* et plures supra laudatos.

a) Documenta quædam huc facientia *laudatæ vitæ Trazigeri* adnexa reperiuntur *num. 9. 10. 11. p. 100. seqq.* Plura suppeditantur *P. II. actorum publicorum,* quæ de *controversa causa successionis Oldenburgicæ & Delmenhorstæ inter Duces Holsatiæ & Ducem Plænensem Joachimum Ernestum,* conjunctim prodierunt integro volumine, quo XIII. scripta apologetica ab utraque parte prolixe edita et documentis copiose instructa, exhibentur, addita *fol. 727. cap. XIV. epistola amici ad amicum pro jure Gottorpiensi contra sententias in hac causa latas a. 1673. seqq.* *Trazigeri labores in causa Oldenburgica.*

b) Ad hunc enim actum celebrandum Trazigerus a Duce fuit deputatus; de quo argumento ANTONIUS HEIMREICH *in renovata Chronica Nordfresica ed. Slesvici a. 1668. L. 3. c. 2. p. 215.* hæc adfert: *drauf hat 1582. hochgemeldten Hertzog Adolphs halber dessen Cantzler D. Adam Traziger die Huldigung empfangen, so von den Einvvohnern kniend ist geleistet vvorden, ohne dass die Herren Prediger den Huldigungs Eid besonders in des Nordstrandischen Landschreibers Haus abgeleget, und seyn auf solche Huldigung 6375. Marck Unkosten gegangen.* *Ejusdem ablegatio solemnis ad Nordstrandiam.*

c) Inter quas refer *contentionem de limitibus circa pagum Warmsen* inter Ducem et Hamburgenses sopitam translatione cura Trazigeri literis mandata a. 1582 d. 9. Septembr. ut et *acta publica in conventu circulari Lüneburgi a. 1581. interprete Trazigero consignata & Recessu singulari finita;* præcipue vero curam, quam in comitiis a. 1570. Ducibus Holsatiæ probavit, impetrato ab Imperatore Maximiliano II. *privilegio de non adpellando,* confirmato dein a Rudolpho II. a. 1578. extenso a Matthia a. 1617. usque ad 1000. aureos fl. et ab Imperatore Ferdinando II. a. 1621. *Commissiones & negotia.*

d) Exstat hoc apud LAURENTIUM KIRCHHOFFIUM *Consilior. & Respons. præstantissim. JCtor. ed. Francof. a. 1605. Tom. II. fol. 99-104.* Quod Responsum *Trazigerus* ita subscripsit: *Ita me sentire ego* ADAMUS TRAZIGERUS JURIS *Doctor &* LEGUM *in Academia Rostochiana* PROFESSOR *ordinarius manu atque sigillo appositio testor, salvo semper rectius sentientis judicio, Rostochii pridie Calend. Januar. anno Christi MDLI.* *Responsum juridicum.*

e) Quo ipso anno contra Ditmarsos arma ferebantur. Laudat hoc Trazigeri MSCtum CASELIUS *de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.* *MSC. Ditmarsicum.*

præcipuæ curæ, quas impendit elaborandæ & consignandæ ordinationi judicii provincialis Slesvico Holsaticæ *f*) Regis Friderici II. & Ducum Joannis senioris & Adolphi autoritate & nomine promulgatæ anno 1573.

Hinr. Schröteri de Gustrau Origines & res Hassiacæ.

Occurrunt inter monumenta hujus Tomi num. VIII. JANI HINRICI SCHRÖTERI de GUSTROW *g*) *Megapolitani equitis & poetæ Cæsarei* originum & rerum gestarum principum Hassiæ Landgraviorum commentarii tres, quos fide duorum venuste scriptorum codicum, quorum alter arboribus genealogicis & Landgraviorum eorumque conjugum imaginibus *h*) illuminatus est, prodire jussimus. Si quæ alia, sane Hassiaca historia, nostro ævo secunda fata experta est & cultores invenit ingenuos, industrios & de re historica & litteraria patriæ præclare meritos, quorum primos laudaverim WEBERUM, WALDSCHMIDIUM, JO. HERMANNUM SCHMINCKIUM, JO. JAC. HOMBERGIUM, JO. ADOLPH HARTMANNUM, LIEBKNECHTIUM, CHRISTOPH. FRID. AYERMANNUM, JO. GEORG. ESTOREM, JO. PHILIPP. KUCHENBECKERUM, HENR. CHRISTIAN. SENCKENBERGIUM, scriptis quippe historicis, collectionibus, observationibus & analectis Hassiacis celebratissimos. Superesse tamen etiam nunc historiæ Hassiacæ non spicilegia quædam tenuia, sed integras & divites messes facile judicaveris, si vel oculos intenderis ad solos codices & libellos manuscriptos, quorum adhuc ingens cumulus in archivis & musæis Hassiacis & Suecicis delitescit. Præcipuos horum recensuerunt WINCKELMANNUS *i*), HARTMANNUS *k*), AYERMANNUS *l*), SENCKENBERGIUS *m*), & HOMBERGKIUS *n*), qui & ipsi GOLDASTIANI *MSCti o*) quod *Tomo I. monumentorum* edidimus & hujus SCHRÖTERIANI

---

citata epistola ad Thrazigerum a. 1582. scripta, NATHANI CHYTRÆO *nomenclatori præfixa &* a VAGETIO *epistolis Caseliamis Rostoch. p. 170. seqq.* inserta. *Ab eo,* inquit, *tempore, quo primum legi, quæ de Ditmarsia erudite & diserte annotata una pagina explicaveras, te colui nec ante visum nec ex eo tempore.*

Aliique labores.

f) De forensi hujus sanctionis historia, editionibus, revisione & augmentis vide ERICUM MAURITIUM *in præfat. specimini consiliorum Kilonienſium præmissa.* Item MÖLLERI *Isagog. P.I. p. 277. seqq.*

Schröteri patria.

g) Oriundus enim est e gente antiqua *Schröteriana* apud Gustrovienses olim celebrata. E qua adhuc exeunte superiori sæculo superstes fuit CHRISTOPHORUS SCHRÖTERUS *Medicinæ Doctor, consiliarius aulæ & archiater Ducis Gustavi Adolphi Gustrovienſis;* quem ob insignem pietatem & eruditionem laudat THOMAS *in catalogo biographico personarum de ecclesia ac politia Gustrovienſi a tempore Reformationis meritarum Class. III. p. 158.*

Monumenta Principum Thuringiæ & Hassiæ Kilonienſia.

h) Quas tamen refero ad lusus inventoris vel ipsius pictoris. In Ducali enim arce Kilonienſi hodieque haud interrupto ordine exstant mediæ magnitudinis simulacra succinctis inscriptionibus ornata singulorum Thuringiæ & Hassiæ Principum, Gubernatorum, & Landgraviorum horumque conjunctim conjugum graphice & affabre delineata; ad quorum tamen similitudinem nec quicquam accedunt imagines in codice laudato repræsentatæ. Desinunt vero istæ, quæ hoc loco in arce Ducali conspicuæ sunt, Hassiacorum Principum monumenta in Guilielmo IV. sub cujus imagine hæc exstat inscriptio: *Guilielmus Land-Grafe zu Hessen hælt hart über die wahre Christliche Lehr und Religion, ist ein hochvorstændiger erfahrner weiser und gelahrter Fürst, derwegen auch mannlichen bey ihm Zuflucht gehabt, die Astronomia, hohen Künsten, Sprachen und gelahrte Leute hochgelobet und gefordert, legt den ersten Grund zum Passauischen Vertrage, zum Religions-Frieden, herrliche schöne und köstliche Gebæude vorrichtet, fundiret eine Stifftung vor Prædicanten Wittiben, hælt gute Justitien, und fallen ihm an die Herrschafft Plesse, die halbe Stadt und Amt Smalcalden, Auburck, die UTHTE und Freudenberg, regieret XXV. Jahr. Legt sich zur Ruhe anno ætatis LX. salutis vero 1592. den 25. Augusti. Seine Gemahlin Sabina Hertzog Christoffern von Würtenberg Tochter.*

Laudes Winckelmanni.

i) In *præfatione ad Tomos V. descriptionis principatuum Hassiæ & Hersfeld. ed. Bremæ 1697.* Sextus Tomus ineditus adhuc delitescit. De quo vide HARTMANNUM *in histor. Hassiac. p. 63.* SENCKENBERGIUM *in præloquio ad Tomum III. selector. Iur. & historiar. p. 63. seqq.*

Hartmanni.

k) *In histor. Hass. in auditorum usum concinnata ed. Marpurgi 1726.*

Ayermanni.

l) *Einleitung zur Hessischen Historie der ältern und mittlern Zeiten Francofurti a. 1732. 8.* Cui plura sua debet M. JO. JAC. SCHATZIUS *im Abriss der Sæchsischen Thüring- und Hessischen-Historie edit. Ienæ 1734. 8.*

Senckenbergii.

m) *Laudato ad Tomum III. selectorum præloquio,* quo *bibliothecam historicam Hassiacam* exhibuit *p. 51-88.*

Hombergkii.

n) *In supplemento bibliothecæ rerum Hassiacarum,* quod literatissimus SENCKENBERGIUS *Tomo V. selectorum* praefixit *p. 31-84.*

o) Testem citamus AYERMANNUM *d. l. in der Vorbereitung c. 1. §. 14. p. 8.* in notis: *Goldasti MSCt von der Grafschafft Schaumburg, worauf sich Winckelmann Chron. Hassiac. p. 329. beziehet, könnten ebenfals der Hessischen Historie Licht geben.*

p) De

RIANI *p*) mentionem injiciunt. Et fuit certe *Schröterus* vir laboris non minus patiens, quam litterarum amans; qui celebriores musarum sedes pervagatus multa egregia scripta litteraria & historica in summulam collegit & in succum convertit, præcipue vero in eo operam defixit, ut ex variis D. MATTHIÆ CASTRITII, *Darmstadini*, rerum Hassicarum manuscriptis & fragmentis optima quævis seligeret & cum historicorum præcipuorum annalibus conferret, hos etiam subinde illustraret et emendaret. Et quamvis ipsiusmet commentarij nec mendorum expertes nec numeris omnibus videantur absoluti; postremo plane tamen loco neutiquam habendi, nec in vasto adeo, vario et patenti argumento admissi defectus auctori severius exprobrandi sunt, qui solertiæ potius, ingenii & fidei laudem promeruit, nec in meris momentis genealogicis evigilavit, sed de veterum Cattorum & Hassorum originibus, priscis moribus, Regibus & gubernatoribus, præliis, negotiis, Hassiæ statu recentiori, Principumque Hassiæ historia, vitis & rebus gestis plura alibi in scriptis & annalibus dispersa brevius exposita cum historiarum cupidis communicare studuit. *Ejus Elogium.*

Prodeunt nunc demum MARESCHALCI *Thurii* vitarum Obetritarum libri quinque, opus in rarissimorum numero repositum diuque hactenus desideratum, quod haud pauci scriptis nunquam existentibus temere adnumerarunt; plerique vero vel cum *annalibus Herulorum* vel cum *chronico rhythmico* ipsius confundere sveverunt. Duo hujus operis nobis innotuerunt avtographa, quorum alterum e Bohemia in Lusatiam superiorem delatum transiit in possessionem illustris quondam viri de Vitzduhm, alterum hodieque asservatur *q*) in bibliotheca Regia Holmiensi; utrumque vero olim, quod conjectari licet, inter sacraria archivi Ducalis Sverinensis locum occupavit, ex quo demum adverso belli fato in manus incidit Ducis *Wallensteinii*, qui tabulariis forte plura cimelia subduxit, ipsius licet dominio iterum demum anno 1634. erepta & post ultima ipsius fata hinc inde dilapsa partimque in Sveciam transvecta *r*). Usi vero sumus duobus apographis iisque collatis denuo cum utroque laudato autographo; quæ in eo tantum differunt, quod Holmiensis codex careat tabulis imaginum Regum & Principum Megapolensium eorumque conjugum & insignium; alter vero illas miro artificio & deauratis coloribus depictas exhibeat singulari, qui illi adjungitur, libro membranaceo. *s*) *Mareschalci Vitæ Obetritarum.*

Ad

p) De quo AYRMANN *c. l. §. 23. p. 18: Winckelmann in der Dedication seiner Chronick meldet, Dilich habe auch eine Descriptionem totius Hassiæ mit einer subtilen Feder die Stadte abgerissen und in folio Land-Graf Moritzen offeriret. Desgleichen habe ein Mecklenburgischer Ritter* JAN HENRICH SCHRÖTER *die Land-Grafen zu Hessen von Graff Ludvvigen mit dem Bart bis auf Land-Graff Philippsen den Grosmüthigen nebst ihren Gemahlinnen sehr künstlich in Farben gemahlet, und eines jeden Kinder mit einem hinauf ragenden Baum künstlich fürgestellet. vvelche beyde Bücher in der Casselschen Bibliothec vervvahret vvürden.* *MSti Schroteriani.*

q) Quem codicem anno 1719. describi curavit vir genere, virtute et doctrina nobilissimus, heros Megapolitanus in toga, *Dn. de* BASSEVITZ armis olim, hodieque patriæ musis faventissimus.

r) Testes cito JO. ARNDIUM *in vita Wallensteinii:* CARAFFAM *in Germania sacra restaurata;* BOGISL. PHILIPP. CHEMNITIUM *in descript. belli Svecici in Germania gesti P. 2. ed. Holm. anno 1653.* aliosque, qui cura Mareschalli militaris JOANNIS BANIERII caput Wallensteinii Sveciam translatum fuisse asserunt, notantibus autoribus *Lexici histor. univ. T. IV fol. 657.*

s) Conficit iste quinquaginta folia, quorum quodvis unius principis ejusque conjugis imaginem & integrum utriusque corporis ornatum refert, subjunctis utriusque insignibus et nominum inscriptionibus. Quas quidem hoc loco summatim indicare operæ pretium videtur. Praefixa sunt insignia Magni Ducis Megapolensis, Vandalorum Principis, ut et stemmata et insignia sedecim illustrium virorum & feminarum, e quibus Principes Megapolenses feruntur procreati. Insequuntur invicem ordine et codicis *prima sectione*, simulacra Ducum Megapolensium originis Regiae ex Obetritis ab Anthyrio Herulo ejusque conjuge Symbulla usque ad Pribislaum Nicoloti Regis filium in regno trigesimum sextum Regem Herulorum Obetritarumque, Dominum Kyssinorum, Polaborum, Venetorum, Rhetariorum et Tholensium ultimum ejusque conjugem Voislavam filiam Regis Noricorum. Accedunt *altera sectione* Principum imagines ab Henrico Burewino Pribislai Regis filio Herulorum & Vandalorum principe ac domino, hujusque conjuge Mattildi Regis Sarmatarum filia usque ad Albertum filium Magni fratrem Henrici Ducis Megapolensis Vandalorum Principem Comitem Sverinensium Rostochiorum & Stargardiorum dominum, ejusque conjugem Annam filiam Marchionis Brandenburgensis. Pereximii tamen hujus operis archetypi unum adhuc ejusdem dignitatis et artis codicem membranaceum in archivo Ducali Sverinensi hodieque superesse comperimus. Quin etiam id memoriæ proditum legitur, quod illustrissimus Dux Christianus Ludovicus hunc codicem non solum tabulis ectypis exprimi et refingi, sed his etiam icones Ducum, qui post Albertum pulchrum usque ad ipsius aevum regimini praefuerunt, graphice addi jusserit. Cujus tamen illustrissimi Ludoviciani monumenti sinistra fata dolent *annales MSti de regimine Ducis Christiani Ludovici*, ex quibus paucula subjungimus: *Der 3te Tag des Monaths Maji* *Monumenta iconica Regum & Principum Megapolensium.*

Memoria Adolphi IV. Comitis Holſatiæ.

Ad memoriam Adolphi IV. comitis Holſatiæ *t*) notulis quibusdam illuſtratam plura ſpectant, quæ relegenda ſunt apud *annalium Saxoniæ & patriæ* ſcriptores CRAN-

Maji a. 1673. war zum Abzuge der Hertzogin Iſabella Angelique bereitet, da ſie dann morgens von Swerin nach Ratzeburg ſich begeben; vvie aber alda ein groſs Coffre mit des Hertzogs Inſiegel verpettſchieret geſtanden, hat ſie ſolchen eröffnen laſſen, vvoraus ſie nebſt andern ein Buch von Pergament, ſo Hertzog Chriſtian Ludvvig durch einen kunſtreichen Mahler verfertigen laſſen, darinn aller Könige, Herren, und Fürſten Portraits von Anthyrio an bis auf ihm ſelbſt, nebſt deren Gemahlinnen, Nahmen und Wapen verzeichnet zu ſich genommen hat, ohne dem Hof Meiſter des Ohrts desfals einen Schein des Empfangs verlangter maſſen zu ertheilen. Und hat der Hertzog hoch empfunden, daſs ihm dieſes als eine evvige Nachricht vom Hauſe Mecklenburg entführet worden. Et paulo poſt: *Anno 1680. d. 10. Novembr. iſt die zu Speier von Hertzoglicher ſeiten verfaſſete Duplica vvider die Hertzogin in cauſâ alimentorum von Licentiato Kühorn übergeben nebſt einigen additionalibus, annexa petitione, dabey unterſchiedl. Zeugen Verhör vvider die Hertzogin als Klagerin eingebracht, auch vvie ſie unter andern ein Buch darinn der Mecklenburgiſchen Hertzogen Genealogie von Anthyrio an bis zu ihres Herrn Gemahls Zeiten begriffen, mit genommen, vvorinn der Hoffmeiſter Georg von Wort an derſelben ſolches zu reſtituiren geſchrieben; hat es aber nicht erlangen können.* Olim etiam monaſterium Dobberanenſe imaginibus Regum Obotritarum artificiose delineatis ornatum fuiſſe fidem facit chronica Dobberani ſcripta a. 1541, cujus initium tale: *Idt is vor allen Dingen erſtlick tho vveten, dat diſſes Ordes Landes Regenten ſin vor etlicken hundert Jahren gevveſen ſehr hoge und grote Potentaten, ock genomet vvorden Koninge der Obetriten, vvo ſe denne der loeffliche Frede Forſt Hertzog Heinrich to Meckelnborck des Nahmens de VI. ein Sohn Hertzog Magni hefft in dat Kloſter Dobbaran anno 1539, do idt noch etlicker maten in Flore ys geſtanden, in eyne nie Lucht des Creutzeganges gar heerlichen, doch kortlichen mit eren Nahmen, Herkümſten, drachte ock Gemahlen affconterfeyen laten, darut ock geſchreven ys dit erſte Deel der Chronicken Anno 1541. am Dage Eſto mihi.* Deſinit vero hæc prima pars in Joanne Rege Obotritarum XXII.

Adolphi Comitis ſimulacrum campanulis conſpicuum.

t) Cujus ſimulacrum hodieque conſpicitur Hamburgi in templo, Mariæ Magdalenæ dicato, et in æde monaſterii olim Franciſcanorum apud Kilonienſes lapidi ſepulchrali inſculptum. Quod notulam vel ideo meretur, quia uſum campanularum in veſtitu honoratiorum hujus ævi comprobat. Subicula enim comitis ornata eſt cingulo militari, cui tintinnabula quædam adhærent. Plura hujus moris exempla & figuras nolarum, quæ cingulis cum virorum tum feminarum adfixæ reperiuntur, exhibuerunt ECKHART *in der Erklärung eines alten Kleinod Kaſtgens p. 14. 17. ſq.* & TENTZELIUS *ad* SAGITTARII *hiſtor. Sagittarii hiſtor. Gothanæ ſupplem. II. p. 249. 247. 278. 383. 414. 417. ſeqq.* ibique laudati SPANGENBERGIUS *chronico Henneb. L. 2. c. 17.* & BUCELINUS *hiſtoria Agilolfingica*, qui multos ſpectandos ſiſtunt Germaniæ comites, principes & electores cingulo nolis undiquaque circumdato incedentes. Quem ritum & apud Gallos & Batavos olim obtinuiſſe oſtendunt Regum illuſtriumque Galliæ & comitum Hollandiæ, cingulis, quibus nolæ appendent, conſpicuorum variæ recenſiones *in ceremoniali Francico* & picturæ apud THOMAM ROUCKIUM *Feciali Belgic. C. I. n. 39.* & CHRISTOPH. PLATINUM *in epigrammat. & effigiebus comitum Holland. ed. Antvverpiæ a. 1586.* Soepius tamen tintinnabula etiam collaribus & humeralibus adhæſiſſe probant figuræ apud HADR. BANLANDUM *in hiſtor. comitum Hollandiæ:* NICOL. REUSNERUM *in effigie Rudolphi I. Electoris Saxoniæ inter imagines Ducum Saxoniæ:* & MATTHÆUM *doctiſſ. tract. de nobilitate p. 1132.* ex quo illas nuper WILHELMUS FRID. DE PISTORIUS repetit inſeruitque præfationi *ad Tom. III. amoenitatum hiſtorico juridicar. §. 7.* Quin teſte ECKHARDO *d. l.* ſceptra CÆSARUM; obſervante autem AUCTORE *ſelectarum obſervationum Germ. Halenſ. P. I. Obſ. 16. p. 405. ſeqq.* etiam SANCTI & ſpeciatim S. MAURITIUS, cujus ſimulacrum a *Conrado ab Eimbeck anno 14u.* lapidi inſculptum & cingulo nolarum pleno inſtructum in templo Mauritiano apud Halenſes hodieque conſpicitur, hoc ornatu abundant; docente quoque DUFRESNIO, *T. II. voce* CAPPA *p. 208. T. VI. p. 1152.* cappæ, ſtolæ & veſtes SACERDOTALES decora ſua acceperunt a tinniolis & campanulis aureis & argenteis mire perſonantibus. Addit, quod ad ſacerdotum morem ſpectat, divus & facundiſſimus AUGUSTINUS *L. II. quæſt. in Exod. c. 119.* factum id eſſe, *ut clangore tintinnabulorum nota fieret ſacerdotum converſatio.* Aliquando etiam catenis muliebribus, gladiis & roſtris calceorum, tinniola adpenſa ſpectari præcipue ex picturis Sæculi XIII. XIV. notavimus *in præfat. ad Tom. I. p. 21. not. s. & p. 23. not. c.* Accedunt teſtimonia PAULINI *in otiis & delitiis obſervat. German. P. II. p. 679.* & TREUERI *tract. de Anaſtaſi veteris Germani Germanæque p. 15.* Sine dubio & dignitatis, ſolennitatis & clangoris, qui greſſibus incedentes comitatur & a plebe dignoſcit, conſideratio movit majores, ut demum etiam equorum inſtrata tintinnabulis & phaleris exornaverint, teſte ARNOLDO LUBECENSI *L. II. c. 16.* & COLUMBERIO *in theatro honoris Tom. I. p. 60.* Ex quibus moribus explicandæ veniunt Lex SALICA *Tit. 29. §. 2.* WISIGOTHICA *L. 7. Tit. 2. §. 11.* BAVARICA *Tit. 8. §. 11.* BURGUNDICA *Tit. 4. §. 5.* aliæque citatæ a LINDENBROGIO in *Gloſſario.* Originem tintinnabulorum in re veſtiaria GERMANORUM ad ſeculum XII. retulit ECKARDUS *c. l. p. 14.* cui *Dn.* PISTORIUS *laudata præfat.* opponere ſatagit teſtimonium APULEJI, *Platonici Philoſophi*, qui *Metamorphos. L. X.* Procerum Sæculi II. veſtes deſcripſit *pictilibus baltheis & TINTINNABULIS perargutis exornatas.* Attulit tamen & alia argumenta et exempla, e quibus haud temere colligitur, morem hunc incedendi cum ſonitu nolarum apud Germanos antiquiorem eſſe Sæculo XII. Romanis enim hujus generis ſolennitates forte ab antiquo ævo perlacuiſſe docent & tinniolorum, bullarum, armillarum, torquium et phalerarum apud eosdem uſus; de quibus peculiares libelli SCHEFFERI, CAUSEI, BELLORII exſtant apud GRÆVIUM *Tomo XII. Theſauri antiquit. Romanarum.* Inter picturas vero, quas ex tabulis membranaceis ſupra laudavimus, Regum & Principum Mecklenburgenſium prima occurrit *Thieterici Regis Wandalorum*, initio Sæculi III. defuncti, cingulo militari ſex nolis conſpicuo circumdati: ſequentis ævi præcipue Carolingici & Sæculi IX. exempla oſtendunt comitum *Theodorici I. Theodorici II. & III. Roberti*, aliorumque effigies, quas luci expo-

Collaribus & humeralibus.

Sceptris Cæſarum & veſtibus Sanctorum.

Item Sacerdotum.

Et catenis mulierum ac calceis virorum.

Denique inſtratis equorum.

Remiſſio ad Leges veterum Germanorum.

Origo hujus ritus antiquior eſt ſeculo XII.

Quod docent exempla

CRANTZIUM, ANGELUM, PETERSENIUM, HERM. LEERBEKIUM, præcipue CYRIACUM SPANGENBERGIUM *in Chronico Schaumb. L. I. c. 28. 29. 30. 31. p. 65.-75.* Errore vero typothetæ factum est, quod *h. l. p. 1585.* omissum fuerit *documentum de comite Adolpho clerico ordinis minorum Kiliæ* ex laudato supra *codice MSCto bibliothecæ Academicæ Chilonienſis* descriptum, quod jam h. l. subjungendum est: *Ut cunctos venerabiles patres eos nobis tradit antiquitas, ita monent fratres, Adolfum comitem Holzatie Schowenborg atque Stormarie ut totius perfectionis exemplar pie matris intuitu ſpectemus. Hic est, qui a Ceſarea militia dignitatem adeptus rempublicam admodum ſtrenue gubernavit; hic est, qui A. D. cIↃ cxclx. cum Kanuto rege Danie, dum Hamborgh & Stadium expugnare propoſuit, juxta Eyderam bellum forte iniit & adoleſcens ipſum regem cum adjutorio Hartvvici Bremenſis epiſcopi in fugam vertit; poſtea compluries cum ipſo Kanuto & ſuo ſucceſſore Woldemaro rege idem bellando congrediens, quaſi miraculoſe ſemper triumphat: hic est, qui anno domini MCCXXVII. prædictum regem Danorum in ſancte Marie Magdalene profeſto Bornhouede bellando devicit & penitus de regno fugat: hic est, qui pro his & pluribus DEO gratias referens largas eleemoſynas pauperibus fecit, clauſtra monialium plurima eccleſiasque diverſas, unam in villa, que Krempe dicitur in honorem S. Franciſci conſtruxit, alteram in villa Blekendorff in honorem S. Clare virginis, tertiam in villa Nyghenkerken in honorem S. Antonii ordinis fratrum minorum, ac plures alias fundavit & reditibus copioſe dotavit, fratribus autem minoribus in Hamborgh & Kyl ſuis civibus areas latas & liberas tradidit & eis ibidem primo conventus edificari vel fieri fecit. Hic anno Domini M. CC. XXXVII. filiam ſuam domicello Abel Duci Sleswicenſi ac filio Waldemari regis Dacie tradidit deſponſandam & eundem tanquam tutorem totius terre ſue ac filiorum deſtinavit & A. D. M CC. XXXVIII. devotionis cauſa & indulgentie cum uxore ſua Helwyga in Livoniam cum maximis laboribus peregrinatus est. Omnibus his expeditis de peregrinatione rediens ſe minus feciſſe eſtimans ſe ipſum ſponte DEO & b. Franciſco obtulit vitam habitumque Fratrum Minorum aſſumendo. Sicque anno Domini M. CC. XXXIX. in die S. Ypoliti Martyris cum duobus militibus, de Gycowe dictis, infra hoc in loco est veſtitus. Et ſicut prius de ſeculo glorioſe, ſic in ordine XXIII. annis Chriſto devote militavit. Reliquit autem in ſeculo tres filios ſcilicet Johannem, Gerhardum & Luderum, qui exemplo patris tractus & ex conſenſu ejusdem a fratribus in Kylone ad ordinem est receptus in juventute bona & ibidem mortuus et ſepultus est. Interim anno Domini M. CC XLII.* Jo-

---

expoſuit ſupra laudatus *Chriſtophorus* PLATINUS *a. 1586.* Ex Sæculo XII. exſtant monumenta *Friderici Barbaroſſæ* Imperatoris & comitis Hennebergici *Popponis III.* pluriumque aliorum apud SPANGENBERGIUM & BUCELINUM *cit. loc.* Præcipue in rem vocandæ ſunt tabulæ pictæ Regis HENRICI AUCUPIS uxoris *Mechtildis*, *Ottonis M.* Imperat. *Ottonis II.* et uxoris *Theophaniæ* item *Mariæ*, conjugis *Ottonis III.* Ducis HINRICI LEONIS, *Wilhelmi* & *Mechtildis* conjugis, *Ottonis* Ducis Saxoniæ & Bavariæ, quas ære inciſas exhibuit RHETMEYERUS *chron. Brunſwic. Lun. tabulis I. II. III. Tom. I. operis* præfixas. Ut reliquas hujus argumenti probationes præteream. Multiplices vero ritus hujus abuſus, forte etiam valor argenti, rerum pretia & res monetaria effecerunt, ut mos iſte vileſcere vel obſoleſcere, certe ab ingenuis rerum cenſoribus ludibrio haberi coeperit Sæculo XVI. & XVII. prouti ex *ſpeculo fatuorum a. 1511. edito a* KAYSERBERGIO & ex *figuris Holbeinianis*, quibus GAUDEWILLIUS *Erasmi Roterodami encomium* ornavit cumulate patet. Qui vero hunc ritum jam Sæculo XV. eviluiſſe perhibent, facile in viam reducuntur a PETRO DRESDENSI, a loco nativitatis Dresdâ ita vocati et a. 1440. vita functi, qui docente JACOBO THOMASIO *in peculiari de eo diſſertatione* autor eſt hymni, qui incipit: *In dulci jubilo:* cujus ſingulares ſunt rhythmi: *Ubi ſunt gaudia? Nirgends mehr denn da; da die* SCHELLEN *klingen; Regis in curia; Eya vvaren vvir da!* De quibus cantici verbis fuſius egit clariſſimus CHRISTIANUS SCHÖTGENIUS *ſingulari diſſert. edit. Stargardiæ. 1725.* Appoſite huc facit aſſertum *continuatoris annalium Urſinianorum MSCt.* quod TENZELIUS *d. l. p. 246.* affert: *Anno 1400. bis daſs man ſchrieb 1430. vvard ſo ein groſſer Uberfluſs an prächtigen Gevvand und Kleydungen der Fürſten Graven und Herren Ritter und Knechte auch der Weiber, als vor niemahls gehöret vvorden, da trug man ſilberne Fäſſungen oder Bänder mit groſſen Glocken von 10. 12. 15. und bisvveilen von 20. Marcken.* Cui *Dn.* PISTORIUS *laudat. præfat. §. XI.* addidit teſtimonium SEBASTIANI FRANCKII *in chronica Imperatorum ſub regimine Caroli V.* aſſerentis, quod ſolennitatibus coronationis hujus Caeſaris *a. 1520.* plures interfuerint Magnates aureis et argenteis nolis ſuperbientes. Immo et circa medium Sæculi XVI. ritum iſtum nondum plane evanuiſſe nec ab illo ubique omnes deſciviſſe teſtatur JOANNES MLETIUS *in epiſtola de ſacrificiis & idololatria veterum Boruſſorum vicinarumque gentium ad D.* GEORGIUM SABINUM *Ducis Pruſſiæ conſiliarium ſcripta & a. 1551. edita* denuoque *Actis Boruſſicis Vol. II. P. III. p. 401. ſeqq.* inſerta, ex qua paucula verba adponimus: *Hactenus*, inquit, *de ſacrificiis; nunc de nuptiarum ritibus funerum & parentalium narrabo non minus ridicula quam ſuperſtitioſa: apud Sudios, Curonenſes, Samogitas & Lithuanos nubiles puellæ multis in locis geſtant* TINTINABULUM, *quod funiculo alligatum e cingulo dependet usque ad genua.*

præcipue e ſeculo VIII. IX. ſeqq. usque ad ſeculum XVI.

Quo demum ritus vileſcere coepit.

Johannes & Gerhardus ſæpedicti Adolphi filii de ſtudio Pariſienſi venientes & eodem anno 4to. Idus Novembr. in Hamburg cum magno gaudio Cleri & populi ſunt ſuſcepti. & eidem Johanni Eliſabeth filia Ducis Saxoniæ in conjugem eſt promiſſa & permiſſa. Sic ab illis duobus filiis prædictis ſcilicet Joanne & Gerardo tota Comitia Holſatie, Schowenborgh & Stormarie usque ad preſentes dominos deducta eſt. Interea idem frater Adolphus ſedem Apoſtolicam pro diſpenſatione adiit a Domino Innocentio Papa 4to eſt receptus, DEI autem providentia & Apoſtolicæ ſedis gratia ad omnes ſacros ordines eſt admiſſus; ordinatus autem in curia ſubdiaconus: ad partes rediens a Johanne epiſcopo ordinis Prædicatorum in Diaconum & a Domino Johanne Epiſcopo Lubecenſi in presbyterum eſt poſtea ordinatus; primam autem miſſam ſuam anno Dni M CC XLIII. in die S. Gregorii in Hamborgh civitate ſua apud fratres minores ſolenniter & devote celebravit. Rediens autem de curia litteram ſuam bullatam detulit, cujus tenor talis eſt: Univerſis has literas inſpecturis frater Reynardus & frater Gerardus Domini Papæ penitentiarum ſalutem. Noveritis, quod nos audita confeſſione fratris Adolfi ordinis ſanctorum fratrum præſentem portitantis eidem ſuper omnibus articulis, pro quibus duxerat ad ſedem Apoſtolicam laborandum & de ſimilibus ſive minoribus, ſi quando in oblivionem deduxerit de ſpeciali mandato venerabilis Patris noſtri Ottonis S. Nicolai in carcere Juliano Dyaconi Cardinalis, cui dominus Papa plenariam conceſſerat poteſtatem beneficium abſolutionis impendendo & ut ad omnes ſacros ordines promoveri valeat diſpenſatus cum eodem injuncta ſibi penitentia ſalutari. Datum Laterani X. Kal. Maji, Pontificatus Domini Innocentii Papæ quarti anno primo. Sertum ergo doctorum promeruit anno Domini M CC LXI. confeſſor obiit, miraculis claruit & in Sanctuario fratrum minorum in Kyl exſtat tumulatus, metra lapidi funerali ejus inſculpta:

Quondam noſtrorum pater & ſpeculum dominorum
Laus Holzatorum, comes Adolf, regula morum,
Fragrans flos florum lux Schowenborg gemma bonorum
Sertum doctorum cui contulit ordo minorum
Ne fraus pravorum ſeducat demoniorum
Nos prece juſtorum conducat ad aſtra polorum.

Quibus accedit ex Chronico Alberti Abbatis in Stadio in Lib. VIII. Anno Dni M. CC XXXIX. Adolphus comes de Schowenborg reddit ſe ad Minores in Hamburg, relinquens poſt ſe tres filios. Anno Dni. MCCXLIIII. Adolphus comes in Dominica omnis terra &c. miſſa in Zwentina loco valde ſolitario & fratrum minorum heremitario & in Hamburg, ubi comes fuerat, in Quadrageſima apud minores fratres die Gregorii celebravit. Anno Dni M. CC XXVII. Bellum habuit idem comes cum Waldemaro Danorum in Bornhövede adjunctis pluribus Archiepiſcopo Bremenſi Duce Saxoniæ comite de Zweryn & dominis Slaviæ. Ita Albertus in Stadio! Sit vero memoria Adolphi pia cum juſtis in æterna potentia Amen! Accedimus *ad Stemmatum Regum & Principum Herulorum ac Vandalorum ſeu Megapolenſium* brevem recenſionem, quam fide hiſtoricorum, præcipue tabularii ducalis & cura ejus præfectorum congeſtam ex ſcriniis MSCt. tradimus. Prima iſtius particula complectitur compendiolum vitarum Regum XXIV. ab Anthyrio usque ad Aribertum, præeuntibus *Mareſchalco, Schedio, Latomo, Chemnitio, Henningeſio & Reusnero.* Secunda pars ſtemmata undecim Regum Megapolenſium fide præcipue *Eginhardi, Helmoldi, Arnoldi, Adami Bremenſis, Ditmari Merſeburgenſis, Corneri, Kirchbergii* recenſet a Bilungo Rege Herulorum usque ad Pribislaum II. Tertia demum parte Dominorum & Ducum Megapolenſium ſtemmata evolvuntur ab ævo Henrici Burevini I. usque ad Ducem Jo. Albertum II. fide inprimis archivi & documentorum, poſthabitis ſcriptorum laudatorum & Chytræi, Cranzii, Lindenbrogii pluriumque opinionibus. Nemo puto, cui hiſtoriæ ingenuique ſtudii dignitas perſpecta eſt, ægre feret, quod in Regum filiorumque Regis Buthui numero compareat Nicolotus, quem recentiſſimo ævo nonnulli *u*) ex

Stemmata Regum & Principum Megapolenſium.

u) D. GERDES *collect. document. Mecklenb. P. 3. p. 214. ſeqq.* ANONYMUS *obſervatiuncularum ad deſcriptionis Kluverianæ caput 33. edit. a. 1739.* J. P. W. *in epiſt. ad amicum Megapolenſem de origine Nicoloti I.* & JOACH. DIETERICUS *de* PREEN, *eques Mecklenburgicus, diſſert. hiſtorica de origine jurium nobilitatis Mecklenb. ſub præſidio Viri cl.* JO. DAVIDIS KOELERI *habita Göttingæ a. 1739.* Quorum dubiis repoſuit quædam, necdum a diſſentientibus labefactata, vir rerum Mecklenburgenſium ſtudioſiſſimus & de hiſtoria Patriæ præclariſſime meritus JARGOWIUS *appendice I. ad Partem II. deſcript. Kluverian. p. 707. & in præfat. ad part. III. ac h. l. p. 113. ſeqq.* Conferantur argumenta ab ALB. GEORGIO SCHWARTZIO Viro doctiſſimo hiſtoriarumque patriae peritiſſimo, *in hiſtoria finium principatus Rugiæ p. 56. 70. allata.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex regum ſtemmate, quo connato jure conſedit, facto deturbant & in ordinem *nobilium Slavicorum* ſeu *provincialium Megapolenſium* rejiciunt, ingenio ſuo & aſſentationis forte ſtudio adeo innixi, ut ab hoc Nicoloto, viro nobili & Landſaſſiaco, Principes Megapolitanos recta linea deſcendiſſe confidentius glorientur. Quæ ſane opinio, ſi unquam alia, oppido repugnare videtur ſcriptoribus coævis & ex omni ætate collectis fide dignis monumentis, chartis, annalibus rerumque hiſtoricarum & genealogicarum patriæ rationibus & circumſtantiis, vicinarum quoque regionum Cimbriæ & Sveciæ ſingulis, quotquot evolvimus, tam antiqui quam recentioris ævi Hiſtoricis; qui uno fere ore omnes Nicolotum ſiſtunt Regem Obotritarum, Buthui filium, fratrem Pribislai I. a Canuto Duce Danorum cum dicto fratre Sleswvici in captivitate detentum & maritum Ameliæ Svecæ, quæ ſingula ſuo loco luculentius dicentur. Quamvis enim non inficiemur, circa Scriptorum tradita de Nicoloti origine & nos hærere etiamnunc haud una ratione ancipites; oppido tamen fruſtra, etſi ſvaviter & ingenioſe, inventa illa videtur aſſertio de natalibus Nicoloti e gente Mecklenburgica militari. Nec immerito mirabuntur plures, quod diſſentientes principia ac fundamentum novellæ opinionis repoſuerint præcipue in *Helmoldo*, qui ab iis alibi, ſicubi illorum traditis adverſatur, elogio rudis monachi, ſcriptoris ex ſæculi genio æſtimandi, adeoque cognitione rerum civilium & provincialium patriæ haud adeo conſpicui *v*) paſſim dimittitur. Audiamus HELMOLDUM *L. I. c. 49. n. 8. p. 119. Adiit* CANUTUS *Lotharium Imperatorem emitque multa pecunia regnum Obotritorum, omnem ſcilicet poteſtatem, qua præditus fuerat Henricus. Et poſuit Imperator coronam in caput ejus, ut eſſet Rex Obotritorum recepitque eum in hominium. Poſthæc tranſiit Kanutus in terram Wagirorum & occupavit montem, qui antiquitus Alberg dicitur, impoſuitque illic manſiunculas, intendens ibidem communire caſtellum. Et ſociavit ſibi in terra Holzatienſium, omnem virum fortem fecitque cum eis incurſationes in terram Slavorum occidens & ſternens omnes ſibi adverſantes. Sed & fratruelem Henrici Pribislaum & majorem terræ Obotritorum Niclotum duxit in captivitatem poſuitque Sleswich in cuſtodiam aſtringens eos manicis ferreis, quousque pecunia & vadibus redemti, ea, quæ ſubjecta ſunt, ſentirent.* En! itaque Nicolotum non Regem appellatum & principem; ſed diſtinctim vocatum MAJOREM TERRÆ, quem comminiſcuntur & explicant *nobilem provinciæ. w*) Multa vero omnino ſunt, quæ hanc explicationem reprobant, annalibus quippe, fidis rationibus & diplomatibus plane deſtitutam. Manifeſtum enim eſt & innumeris chartis teſtatiſſimum, quod non ſolum duces & principes hoc ipſo & ſequiori Sæculo XIII. ſub *nobilium* elogio, *x*) illi vero, qui nunc ita ſalutantur, ſub *militum*, *militarium*, *armigerorum* nomine venerint *y*); Sed & inter *majores terræ* nunquam relati fuerint milites Slavi vel nobiles Obetritæ vel qui alibi vocantur nobiles Landſaſſiaci. Indubie *Helmoldus*, qui ex idiomate Slavico plures formulas latine reddidit, explicandus eſt ex mente ipſorum Obotritarum vel Slavorum, qui dominos territoriales & principes vocare conſueverunt *majores terræ*, vernacule WOJIWODA. Docet hoc FRANCISCUS *a* MESGNIEN MENINSKI *in theſauro linguarum Orientalium Vol. II. p. 5424.* ubi *Woywodam* ex Slavico idiomate explicat MAJOREM TERRÆ, *majorem pagi*, *palatinum principem & nomarcham*, addita obſervatione, quod palatini ſeu principes Tranſylvaniæ, Moldaviæ & Wallachiæ, a Slavis quippe oriundi, hodieque appellentur WOJEWODA WOLOSKI. Explicant id ipſum diplomata Megapolenſia, ſpeciatim quæ hoc loco num. XX. eduntur Raceburgenſia *z*) quæ vocabulo *a*) *Wogiwotinska* ſæpius utuntur illudque aperte deſcri-

Vindiciæ pro Nicoloto Principe regio ſeu majore terræ.

Explicatio vocis ex idiomate Slavico.

Ex diplomatibus.

---

v) Aliter ſentiunt CONRINGIUS *ad Lampadium P. 3. c. 5. §. 22.* MADERUS *in præfat. ad Lindenbrog.* aliique laudati a JO. MOLLERO *in Diatriba hiſtorico-critica de Helmoldo.*

w) Quam interpretationem nec ipſi HELMOLDO in mentem veniſſe ex aliis locis facile patet. Ita *L. I. c. 52.* pergit: *Poſtquam mortuus eſt Kanutus cognomento Lovvardus Rex Obotritarum,* SUCCESSERUNT *in locum ejus* PRIBISLAUS atque NICOLOTUS BIPARTITO PRINCIPATU, UNO *ſcilicet Wagirenſium atque Polaborum,* ALTERO *Obotritorum provinciam* GUBERNANTE.

x) Vide ſaltim hoc loco *num. XX. diplomatarium Raceburgenſe ad ann. 1236. 1268. 1289. 1292. num. 98. & ad ann. 1294. 1399.*

y) *Eod. loco ad ann. 1230. 1273. 1277. 1286. 1287. 1292. 1293. 1294. 1295. 1300. 1302. ſeqq. 1313. 1323. ſeqq. 1334. ſeqq.*

z) *Diplomatarium Raceburgenſe I. num. V. XII. XV.*

a) Qui hoc vocabulum pro Germanico forte venditabunt, facile illud reddent *vectigal viæ* ſeu *cenſum prædii* vel *terræ*, *Wege-Zinſs.* In qua opinione verſari videtur *illuſtris* DELUDEWIG *præf. de Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.* *Wogiwotinska Slavis eſt ad Tom cenſus, Duci*

deſcribunt *cenſum Ducis b*). Quid? quod in ipſis chartis Megapolenſibus Sæculi XII. & XIII. paſſim occurrat formula MAJORUM TERRÆ, non tamen unquam de militibus & nobilibus ſed de Ducibus ipſis ultro intellecta. Ad ipſas provocamus litteras

territoriali ſolvendus.

Seu penſitatio a prædiis debita, vulgo urbeda.

Notatur Preenii & Köleri opinio.

ad Tom. VI. Reliquiar. §. 6. p. 13. Sed Slavicae id eſſe originis ſponte ex chartis innoteſcit et explicatius cognoſcitur ex gloſſariis Bohemicis & Luſaticis, praecipue EX FRENZELII *Sorabicis* & MENINSKIO *ll. ll.* ubi voce WOJIWODALICK explicuit PRINCIPATUM, *præfecturam, palatinatum, Maggioranza.* Quicquid demum ſit, id ex eo ſponte colligitur, quod Slavi æque ac populi alii & ſubditi dominis tributa & cenſus præſtiterint nec ab oneribus omnibus vixerint plane immunes. Gratis hoc aſſerit DE PREEN *cit. diſſert. §. 15.* qui Slavos tributa ſervitutis intolerabilis notam ſemper averſatos fuiſſe & prædia tam propria quam feudalia ab omni cenſu libera in Megapoli poſſediſſe comminiſcitur. Quod quidem aſſertum adductis Helmoldi teſtimoniis neutiquam ſtabilitum ivit. Hæc etenim non probant, Slavos dominis territorialibus tributa terræ denegaſſe; ſed luculenter innuunt, Slavos ſaltim Pontifici Oldenburgenſi tributa Pontificialia ab Ottone M. victore inſtituta ſolvere noluiſſe, *Saxonumque principibus* jure armorum utentibus eadem recuſaſſe. Et conſtat omnino, quod Venedi ſervitutis jugum vel ab Imperatoribus vel a Saxonibus, vel, ut putarunt, ob Chriſtianismi titulum ipſis impoſita, pertinaci ſtudio & armata ſæpe manu excuſſerint vel ſubmovere laboraverint, teſte ADAMO BREMENSI *L. 2. H. E. c. 30.* HELMOLDO *L. I. c. 15.* PRESBYTERO BREM. apud LEIBNITIUM *acceſſ. hiſtor. c. XI. p. 19.* Inde vero haud procedit conſecutio ad dominos territoriales, quibus ſubditi ipſo, quo reguntur, jure publico univerſali, territoriali & civili ad præſtationem cenſuum onerumque obligantur. Quod quidem JO. BERNH. MULTZIUS *Tract. de Majeſt. Imperat. P. 2. c. 18. n. 7.* L. B. de RHETIUS *diſſert. de antiquiſſima civitat. Germ. penſione Orbeda ed. a. 1681:* KEMMERICHIUS *de jure collectar. provincial. §. 2.* LYNCKER *de cataſtris §. 6. Dn. de* LUDOLPH *ſymphor. conſultat. X. §. 12. §. 2. p. 10.* rationibus hiſtoricis & legalibus curate adeo docuerunt, ut facile appareat, quid dicendum ſit de laudati autoris, eorumque opinione, qui cenſuum originem repetunt ex ævo, quo bona Principum allodialia, fiſcalia & domania exhauſta vel imminuta apparuerunt, vel aulici ſplendoris magnificentia excrevit, vel, quod DAVID GEORG. STRUBENIUS *comment. de jure villic. c. 6. §. 1 & in dem Unterrichi von Regier- und Juſtitz-Sachen p. 187.* urget, ſtatus demum rei bellicæ & militaris mutationem ſubiit. Sed confundendæ non ſunt origines et principia Ducalium bedarum vel cenſuum ac præſtationum agrariarum cum augmentationibus earum & novis incrementis; quin ſeparandæ invicem ſunt cenſus a fundis jure dominico & ordinario præſtandi, antiquiſſimi, originarii & æquiſſimi a recentioribus novationibus, augmentis, numeroſioribus bedarum, cenſuum ac contributionum, redhibitionum, ſteurarum, expeditionum, operarum onerumque publicorum generibus, præcipue a violentis illis exactionibus & ſervitiis, quibus ſub titulo bedarum advocati pagorum, miſſi & comites provinciæ aliique officiales ſubditos inprimis *Sæculo IX. X. & XI. ſeqq.* iniqua & arbitraria fere ratione divexare & opprimere, quin denique etiam ipſi Principes, ob mutatas domeſticas reipublicæ, belli, pacis, imperii et regiminis rationes aggravare haud deſiterunt. Quas exactiones præcipue violentas, plures ipſorum Principum conſtitutiones, leges et chartæ ſub denominatione *nimietatum, depecuniationum, importunitatum, divexationum* et *extorſionum illicitarum* damnant et merito extorres et exterminandas eſſe edixerunt. Vide chartas & teſtimonia apud MARTENE *T. I. collect. p. 64.* SCHANNAT *vindem. litter. Vol. I. p. 48. n. 13.* MEICHELBECK *Part. inſtr. T 2. p. 81.* LEUCKFELDIUM *antiquit. Poeldenſ. Append. IV. Dn. de* LUDEWIG *Reliquiar. T. VII. p. 76.* ECCARDUM *in originib. Habsburgic.* ibique in *actis Murenſ. p. 224.* Quibus adde copioſiſſimum numerum diplomatum, quæ bedarum et ſteurarum mentionem injiciunt, apud illuſtrem GLAFFEYUM *in regiſtro regiſtrandorum Caroli IV. collect. I. anecdotorum S. R. J. hiſtoriam illuſtrantium edit. a. 1734. p 225. 309. 335. 322. 425. 434. 539. 581. 623. 628. ſeqq. & Dn.* GRUPENIUM *diſceptat. forens. & obſervation. Obſ. IV. c. 1. & 2.* Redeo ſpeciatim ad Slavos, de quorum WOGIWOTINZÆ ſeu *bedæ vel cenſus ducalis præſtationibus* veteris et recentioris ævi graviſſimus teſtis eſt HENRICUS LEO *in charta fundationis eccleſiæ Raceburgenſis ad a. 1158. h. l. p. 2030.* Luculenter enim teſtatur, ſe HEREDITARIO *jure a* PROGENITORIBUS *Slavos* accepiſſe TRIBUTARIOS; ita tamen ut ob eorum nequitiam tributum multum SUPER PRIORA tributa ADAUXERIT. Plura de cenſu Slavorum addunt chartæ Raceburgenſes ad annos 1174. 1183. *ſeqq.* 1201. ſeqq. Nec eſt, ut hujus generis penſitationes quiſpiam ſervitutis indiciis & effectibus accenſeat. Neutiquam enim inferunt ſtatum ſervilem, ſed obligationem ſaltim univerſalem civilem et territorialem, cum fructus ſint, effectus et recognitiones, non poteſtatis et violentiæ dominicæ, ſed juris domini cujuscunque directi et territorialis. Quod GRUPENIUS *d. l. p. 1029. 1040. ſeqq. Beselinius MSCt. de rebus provincialibus Megapol.* aliique, qui de jure collectandi et ſubcollectandi Megapolenſi diſpiciunt, explicatius docuerunt. Abſit itaque ut exactiones violentas juri publico univerſali, provinciali, civili, æquitati, pactis et juribus adverſas tueamur; abſit etiam, ut jura quæſita et territorialia dominis competentia impetamus, temereque ſugillemus vel cum monachis faciamus, qui ex ſono vocis ſignificatum, adeoque ex rana Dianam quaſi fingentes, *bedas* a *petendo* ſ. *rogando* dici ſibi imaginantur. Sequitur tamen illorum cognitionem et autoritatem laudatus eques Mecklenburgicus *Dn.* DE PREEN *citat. diſſert. p. 35.* ubi pro monachali etymologia non ſolum ſeu pro aris militat, ſed ut hiſtoricis ſimul ac moralibus obſervationibus abundare videretur, dictatorium judicium ſubjunxit, quod præpoſtero et adulatorio ſtudio abripiantur, qui *bedas* vocaverint *juſſiones* vel, quod ad idem recidit, *præſtationes debitas*, quae ipſo jure vel æquo juſſu domini exiguntur. Nolumus quidem iis aſſentiri, qui in laudatum autorem culpam, quam redarguit, non una ratione retorquent eumque multiplicis adulationis et aſſentationis poſtulant; nihil enim ingenuo homine doctrinamque amanti indignius eſt, quam litare pruritui plebejo et ſcholaſticis cavillis cauſam et doctrinam inſtruere. Bona tamen fide uſus non eſt doctus et generoſus Preenius, dum privilegium Ducum Magni Alberti et Balthaſaris, quam ipſi citavimus *ſpecim. docum. Mecklenb. ed. 1726. p. 75.* mutilate in rem affert, omiſſis verbis. *Men von eren Landhoven*

Alia eſt originis, alia augmentationis cenſuum ratio.

Nec confundendus uſus cum abuſu.

Teſtimonium Henrici Leonis de Slavis Domino territoriali tributariis.

Etymon Urbedarum a petendo debetur errori monachorum

Diſſenſus Preenii.

Ad cujus dubiola reſpondetur.

SCHÆLEN

teras Imperatoris Friderici I. anno 1170. in gratiam Bernonis episcopi Sverinensis scriptas, quae circa finem hac formula instructae sunt: *Ipsos etiam Principes & MAJORES TERRÆ attenter monitos esse volumus, ut qui in gratiam nostri & honores Principum terræ nostræ recepti sunt, ipsis Saxonibus & Pomeranis impares in cultu DEI non existant.* Quo sensu etiam majores terræ laudantur a Scriptoribus *Francicis, Saxonicis* teste HINCMARO *c*), ERCHANBERTO *d*), AIMONIO

Ac historiar. scriptoribus.

SCHÆLEN *se nich entfryet syn, vvann so dann Landbede, daran* SCHÆLEN *und* WILLEN *se geven glick* ANDEREN *unsern* MANNEN *unde* STEDEN *und anders nicht.* Quod CHEMNITIUS *in vita Magni Ducis* explicat verbis resolutionis Ducalis eodem anno scriptae: *die Orbede* (h. e. antiquissima praestatio a fundis debita) *vvelche von den Hertzogen* VERSETZET *vvorden,* SOLLEN *die Rostocker einlösen und den jetzigen Hertzogen qvitt und frey überlieffern.* Taceo, quod Rostochienses immunitatem a BEDIS CIVITATENSIBUS ipso hoc privilegio demum ONEROSO *titulo* consecuti sint, uti verba diplomatis principio luculenter produnt. Et clare haec declarantur in transactione hereditaria inter Duces *Jo.* ALBERTUM et ULRICUM et *Rostochium civitatem* inita anno 1573. ac ab Imperatore Leopoldo anno 1660. confirmata §. 23. *So* SOLL *auch die Stadt Rostock Ihro Fürstlichen Gnaden zu Erkanntniss der* SUBJECTION *und* UNTERTHÆNIGKEIT *alle Jahr, vvie* BISHERO *geschehen, die* ALTE GEWÖHNLICHE URBÖERDE *geben und entrichten.* Plures hujus tenoris formulae relegendae sunt in chartis Mecklenburgicis, quarum vel unam adponimus ex charta GERDT *de* NEGENDANCK *de anno 1412.* apud virum reverendum patriaeque historiae indagatorem industrium et meritissimum *Dn.* M. DIETER. SCHRÖDERUM *primit. Wismar. p. 254.: Vort mehr vvillen und* SCHOLEN *de van Reinvelde liden und fründlicken dulden, da Herr Gerd Negendanck und sine Erven der* HERREN *van Mecklenborg* SCHLICHTE WÖHNLICKE BEDE *in den vorschrevenen tvven Dörpern,* VAN DERSÜLVEN HERREN *van* MECKLENBURG WEGEN *alle Jahr uphöhren, so lange vvende desülben Herren edder ere Erven den Herrn Gerd effte sinen Erven ere Geld, dar se* (Duces) *Hern Gerd de Bede vor* VERSETTET *hebben, vvedder gegeven hebben.* Et quamvis bedarum denominationem ab Anglo-Saxonica et Gothica *Baet*, fundo, supra deduxerim, hoc etiam etymon vocibus theotiscis *beten* praediis, *Bethgarben, Bethzehenden* herbis, decimis garbalibus, aliisque a CRAGIO *Tract. de feudis p. 102.* LOCCENIO *in Lexico Sveo-Gothic.* et MAGERO *de advocat. arm c. 7. n. 213.* expositis, praecipue vero historicis rationibus, origine ac indole ipsius praestationis facile stabiliatur; haud tamen perspexerim, quo jure vel ingenuae rationis argumento damnari possit eorum opinio, qui etymon, rei ipsius indoli apprime congruum a jubendo *bieten, gebieten* derivatum praeferunt aperto errori monachorum, qui petitiones et precarias fingunt invitis originibus, rationibus qualitate, essentia, jure, obligatione et usu praestationum, censuum antiquorum seu bedagiorum. Quod si enim vel solas chartas Raceburgenses *h. l. num. XX.* evolveris ad annos 1190. 1205. 1222. 1225. 1261. 1273. 1280. 1245. 1282. 1288. 1291. 1295. 1299. 1300. 1302. 1325. 1360. 1366. 1376. 1377. 1412. cumulate luculentissimas reperies formulas et explicationes, quod in venditionibus villarum et territoriorum Principes sibi et suis heredibus servitia et *precarias seu bedas & ALIA DOMINORUM ONERA* et jura ab agris et mansis debita diserte *reservaverint,* saepius *superioritatem, dominia, homagia, servitia, jussiones, mandata & bedas* invicem uno nexu conjunxerint, has etiam donaverint, oppignoraverint, et cum villis, quas cum OMNI *adnexo* JURE vendiderant, alienaverint, haud raro vero praestationes bedarum ex speciali beneficio *remiserint* iisque RENUNCIAVERINT, adeoque saepissime ecclesias et subditos, expressa in chartis formula, a praestatione BEDARUM *&* SERVITIORUM *Dominorum* EXEMERINT, quin eis jura et bona sua vendiderint SPECIATIM *liberata a* JURE DUCALI *exigendi* BEDAS *minores & majores.* Cujus argumenti diplomata plura digna sunt, quae legantur apud GRUPENIUM *d. l. p. 1027.* MATTHÆUM *de jure glad. c. 17. in charta Wilhelmi episcopi anno 1298:* LINDENBROGIUM *in collectaneis* apud STAPHORSTIUM *vol. 1. p. 614. seqq:* JARGOWIUM *P. I. descript. Kluver. p. 147. seqq. P. III. p. 227. 233. seqq.* PFEFFINGERUM *ad Vitriarium L. I. T. 22. 669. seqq.* RODERIUM *in chr. Bremensi MSCt. in chartis de incolis a bedis liberatis, Bedesryen, ad ann. 1215. seqq.* DIPLOMATARIUM *Dobberanense ad annos 1192. 1218. 1231. seqq. 1306. 1328. 1329. 1350. 1353. 1359. seqq.* et *Holsaticum Prezense ad an. 1222. 1226. seqq. Pomeranicum ad ann. 1273. 1290. 1322. 1450. 1452. 1454. 1455.* ut innumera Megapolitana & Holsatica diplomata nunc taceamus. Additmus saltim, quod hodieque praestationes bedarum provincialium in Megapoli nondum in desuetudinem abierint, quin cum rationibus et modo praestationum bedarum, quas descripsimus simplicium et antiquissimarum etiamnunc conveniant, prouti facile animadvertet, qui ad utrasque invicem conferendas et examinandas ingenuo studio accesserit. Vide *Reverss. assecuration. de a. 1572. p. 10. 11. Reverss. de a. 1621. p. 46. Mandatum a. 1672. Resolutiones ad gravam. 7. class. 3. & ipsas decisiones Imperiales in causis Mecklenb. Class. I. Tit. 5. Class. III. Tit. 3. seqq.*

Verbis charactæ ab ipso laudatæ. Chemnitii. Transactionis Ducalis. Diplomatum Quibus accedit usus juris bedarum ex legibus novissimis.

b) Qui, ut supra docuimus, ab agris, fundis et praediis ipsa jubente aequitate & rei publicae ratione, pareius tamen, quam recentiori aevo in recognitionem dominii, in commodum et necessitatem domini territorialis praestabatur. Quae quidem pensio omnium antiquissima et olim simplicissima varia appellatione indigitatur. Et quidem apud Germanos venit sub nomine *Geschott, Schoss, Landschatz, Grundzins;* speciatim apud Cimbros, Gothos et Saxones *Orbede* vel *Urbetha*, h. e. *praestatio a fundo* seu *praedio;* apud Frisios et Marsos *Wurtzins Wurtpfenning;* apud Stapelholmenses *Landgülde;* et in Latinis chartis et diplomatibus Megapolitanis et Holsaticis Cimbricis *census Regis, census Comitis, Ducis, census arearum,* BEDAGIUM, TERRAGIUM, quod ultimum in chartis Svabstedensibus Cimbricis occurrit. In Theotiscis chartis haec exprimuntur *Königs-Zinss, Grevenschatt, Landgülde, Landbede, Bedezinss, Erdzinss, Vestgülde.* Quae singula ad Tomum III. ex instituto explicabimus fide diplomatum patriae et regionum vicinarum.

Censuum Ducalium et Urbedarum varia nomina.

c) *De ordine palat. epist. XIV. c. 29.*

d) *In breviario majorum domus,* quo recenset MAJORES *domus Franciæ* eosque appellat *Duces regni, Rectores*

Testimonium Erchanberti.

NIO *e*), BZOVIO *f*), LUPOLDO *de* BABENBERG *g*), WITICHINDO CORBEJENSI *h*), ADELBOLDO *i*), CHRONOGRAPHO *Saxone k*), BARTHIO *l*), CRANZIO *m*) allisque, quorum testimonia alibi adducuntur. Nec constare sibi invicem videntur viri præclarissimi hic dissentientes, qui passim Nicolotum, quem nunc MAJOREM TERRÆ seu *nobilem provincialem* laudarunt, mox honorifico Baronis nomine compellant, eumque referunt inter BARONES REGNI, quos tamen Megapolis eo nomine & sensu, nisi me omnia fallunt, olim & hactenus ignoravit. Apud Anglos enim nati quidem & celebrati leguntur *Barones regni n*) insigni dignitate & prooedria conspicui, invecta etiam eorum elogia reperiuntur in Germaniæ Imperium *o*); sed tantum abest, ut hæc unquam in Megapoli ad nobiles Megapoleos pertinuerint, ut potius universim militum, equitum & nobilium provincialium dignitatem longo intervallo superaverint. Inseruimus huic Tomo JOHANNIS FRIDERICI CHEMNITII Genealogiam Regum Dominorum & Ducum Megapolensium ejusque succinctam explicationem, quæ ex majori ipsius opere historico, ipso autore congesta est. Fuit iste MARTINI CHEMNITII *Cancellarii demum Holsatici* filius quintus ordine & minimus, nepos magni ac incomparabilis Theologi D. MARTINI CHEMNITII scriptis celeberrimi & conciliorum Tridentinorum censoris accuratissimi. Quæ quidem KEMNITIORUM nobilissima gens inter primarios conditores Pritzwaldiæ urbis in Marchia Prignicensi sitæ annumeratur, unde etiamnunc privilegiis venationis, aliisque ibi gaudet singularibus & ad magistratus continua fere inde

Fabula de Baronibus regni apud Megapolenses.

Jo. Frid. Chemnitii genealogia Regum, Dominorumque Mecklenb.

Chemnitiorum gens clarissima.

Rectores a Rege in palatio secundos, aliquando *ipsos Regum* FILIOS, *Principes* REGALI *potestate* PROXIME *gaudentes*, VICE-DOMINOS, SUBREGULOS. Quod uberius probant LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS *ad ann. 1066.* et Testimonia apud DU CANGE *glossar. ad scriptor. med. & infer. latinitat. T. VII. p. 818. voce Subreguli.* Accedit OTHLONUS *L. 2. in vita S. Bonifacii c. 19.* ita scribens: *Hic itaque accepit paternæ & fraternæ potestatis monarchiam, quæ tunc* MAJOR DOMUS *seu* MAJOR DOMATUS dicebatur. Quod vocabulum saepius occurrit *in gestis rerum Francorum c. 43. 48. seqq.*

Othloni.

Aimonii.

e) *Lib. IV. histor. Franc. c. 44. 56.* ibique de MAJORIBUS NATU seu MAGNATIBUS et MAJORIBUS REGIONUM. Quo sensu etiam occurrit apud BROWERUM *antiquitat. Fuldens. L. 2. c. 158.* et BARONIUM *ad ann. 419. n. 32.*

Bzovii.

f) *In articulis contra Dionysium Regem ad ann. 1289. n. 5. ubi* MAJOR TERRÆ REGIS dicitur *Princeps ipsi* PROXIMUS *in domo.*

Lupoldi Babenbergii.

g) *De jure Regni & Imperii c. 5.* apud SCHARDIUM *de Jurisd. Imp. p. 179.*, ubi ita: *Ipsi et* NATU MAJORES *Francorum, Saxonum & Bojorum, qui repræsentabant totum populum Germaniæ, Henricum I. Ducem Saxoniæ elegerunt in Regem Germaniæ.*

Witichindi.

h) *L. I. annal.* apud MEIBOMIUM *T. I. c. 9. p. 637.* ubi: *Congregatis Principibus &* NATU MAJORIBUS *seu qui regnantibus Principibus* PROXIMI *erant, Regem Conradum designatum fuisse asserunt coram populo Francorum & Saxonum.*

Adelboldi & Chronographi Saxonis.

i) *In vita Ottonis apud* LEIBNITIUM *Tom. I. S. R. B. p. 432.* ubi ita: *Tunc temporis post Henricum* DUCEM *magnificum* MAJORES *erant in regno Benno* DUX *Saxon. Herimannus* DUX *in Alemannia, Theodoricus in Lotharienſi regno, Ekehardus* MARCHIO *in Toringia.* Inde hi, qui MAJORES *terræ vel regni* dicuntur, mox alibi vocantur DOMINI TERRÆ. Vide *Diplomatarium Sverinense ad a. 1221.* et *Raceburgense h. l. p. 2061.* Aliquando etiam *Domicelli terræ* h. e. Principum filii, Principes regnantibus proximi. Inter quos recte retuleris Nicolotum.

Barthii.

k) Apud LEIBNITIUM *in access. histor. ad annum 1134. p. 190*, ubi *primus filius Regis Daniæ refertur inter primores seu* MAJORES regni Daniæ.

l) *Glossar. latino barbaro* apud LUDEWIGUM *T. III. Reliqu. p. 12.* ubi MAJORES vocat *præsides Christiani exercitus.*

Cranzii.

m) *Vandal. Lib. 3. c. 39.* ubi *Raze*, consanguineum Principis Critonis vocat MAJOREM *Vandaliæ.*

De Baronum regni dignitate in regno Galliæ.

n) Qui inter pares regni numerantur, de causis regiis fiscalibus et ad aulam Regiam delatis cognoscunt, Regi in Parlementariis comitiis assident, nomine etiam Baronum MAJORUM *& perpetuorum, Baronum* CAPITALIUM MAJORUM NATU *Angliæ, Baronum* REGIS *&* REGNI *fulgent,* PROCERES *etiam regni* audiunt *ac Maneriorum & Tenentium*, h. e. feudorum et vasallorum *Domini.* Quid? quod post Regem in regno et in familia Regum non solum PRIMI dicantur; sed et autoritas ipsorum in dicundo jure tanta feratur, *ut quod fuerit ab ipsis constitutum, inviolabili jure subsistat.* Quae singula ex instituto docent et explicant, HENRICUS SPELMANNUS, *Eques Anglo-Britannus, diatriba de Baronibus in glossario archæologico p. 64. seqq.* MATTHÆUS WESTMONASTERIENSIS *a. 1140. 1245. 1253. 1264. p. 320. 352. 385. 429.* Qui et de *Baroniis* seu *regalibus & dominiis prælatorum* item de *Baronali jure*, h. e. SUPREMO *dominio*, plura ex Angliæ institutis observant.

Et in imperio Germaniæ.

o) Probant hoc *tabulæ solemnes Alberti Regis*, quibus filio primogenito Rudolpho Ducatum Austriæ & Styriæ contulit ac sponsae ipsius NOBILI *Dominæ Blanchæ*, sorori Philippi Pulchri Regis Franciae dotalitium constituit, quae leguntur, apud LEIBNITIUM *Cod. Jur. Gent. diplomat. T. I. §. XXII. p. 39. Damus & concedimus prædictæ sorori dotalitium comitatum Alsatiæ & terram de Feribourc cum omnibus juribus, ac secundogenitum aliosque minores liberos nostros renunciare faciemus expresse & cum autoritate & decreto nostro ac* ELECTORUM, PRINCIPUM *ac* BARONUM REGNI ALEMANNIÆ *& alia quavis autoritate & forma, de quibus dicto Regi Franciæ expediens visum erit.*

inde ab hominum memoria ſerie præ aliis fuit adhibita, ſiquidem ab ævo JO. CHEMNITII, qui a Martino decimus in linea aſcendenti anno 1287. vixit, XVI. numerantur ex ea ſtirpe Conſules atque Senatores. Inter JCtos ex ea gente inclaruerunt MATTHIAS CHEMNITIUS J. U. D. & Conſiliarius Brandenburgicus, Vice-Cancellarius & Conſiſtorii Eccleſiaſtici per totam Marchiam Præſes, & JOACHIMUS *J. U. D.* & Conſiliarius Brandenburgicus. In Medica arte NICOLAUS per Marchiam Brandenburgicam clarus exſtitit. In militia eminuerunt JOACHIMUS *a. 1552.* ſub Carolo V. Imperatore ſtipendium merens, JOANNES a. 1570. tumarum Dux in Livonia, HENRICUS in caſtro Geldrienſi, quod dicitur *Neuen-Res* gubernator ac chiliarcha, NICOLAUS clariſſimus Stralſundiæ urbis centurio, hujusque frater JOHANNES, qui litteras cum armorum ſtudio laudabiliter conjungens Warſoviæ apud Regem Dantiſcanorum res egit. Dignus vero inprimis eſt D. MARTINUS CHEMNITIUS laudati JO. FRIDERICI pater, cujus hic paullo renovemus memoriam, quippe qui ſuo jure ad Holſatiam propius ſpectat. Natus is eſt anno 1561. d. 15. Octobr. Brunſwigæ. Inter alios HENRICO MEIBOMIO, poeta clariſſimo, hiſtorico ac Profeſſore Helmſtadienſi, præceptore domeſtico quondam uſus a. 1578. d. 3. Octobr. Lipſienſem academiam adiit ibique *1579. d. 28. Februar.* baccalaureus philoſophiæ ſalutatus eſt; quo tempore hiſtoriam *de veſperis Siculis* carmine heroico complexus publice recitavit. Biennio hinc transacto a. 1581. d. 26. Februar. præſentibus *Jo. Caſimiro* & *Jo. Erneſto Saxoniæ* aliisque principibus, comitibus dominisque illuſtribus a WOLFG. HARDERO, *S. S. Theolog. D. ac tum Academiæ Procancellario*, artium liberalium Magiſter eſt creatus: qua occaſione *hiſtoriam navigationis Luſitanorum in Indiam Orientalem* verſibus heroicis expreſſam publice pronunciavit ac typis poſtea evulgavit Eberhardi epiſcopi Verdenſis ac Lubecenſis nomini inſcriptam: cujus generis plura deinde dedit in ſcriniis relicta. Juris ſtudio per ſeptennium inhians Francofurti ad Oderam a. 1588. d. 1. Octobr. poſt ſolennia experimenta Doctoris Juris utriusque dignitatem adeptus eſt. Roſtochium hinc concedens, praxique indulgens anno 1593. a Bugislao Stettinenſium Duce Philippi Julii Ducis Wolgaſtenſis tutore evocatus eſt, ut ipſi eſſet a conſiliis in moderandis rebus Wolgaſtenſium. Matrimonio ſibi junxit D. HENR. CAMERARII, *Cancellarii & Conſiliarii Brunſwico Luneburgenſis & Pomeranici JCti & Profeſſoris Roſtochienſis celebratiſſimi* filiam Margaretham anno 1595. ſed defuncto ipſius ſocero ſenatus civitatis Roſtochienſis ad edocendam in illa academia Jurisprudentiam ipſum anno 1601. accerſivit, dieque 14 Octobr. introductus die 21. ejusdem ſpartam Rectoris magnifici obtinuit, quam die 20. Maji anni ſequentis ULRICO *Duci Pomeranorum* tum apud Roſtochienſes litteris operam danti detulit. Deinde a Bugislao Duce *a. 1604. d. 21. Januar.* delectus & *Stettini* conſtitutus eſt *Cancellarius ac Conſiliarius intimus*; hoc vero Duce vita defuncto ab ejusdem filio Philippo Duce eundem tulit dignitatis gradum ac præcipuo in honore ibi habitus legationes quasdam non ſine laude ac ſingulari moderationis animi gloria obiit, inprimis comitiis Ratisbonenſibus a. 1613. præſens fuit, ut Domini ſui nomine feudum a Cæſare ferret. Cum vero Philippus Dux a. 1618. ex vita decederet, Martino ſui juris facto mox denuo a FRIDERICO *Slesvici & Holſatiæ Duce regnante*, Cancellarii munus anno 1619. Slesvici demandatum eſt. Hic ſtrenue laboribus continuis variisque legationibus ad Regem Daniæ ac Electores S. R. Imperii in comitiis magna fide defunctus eſt. Omnibus fuit comis, nemini gravis, juſtitiæ amantiſſimus, pietatis inprimis ſtudioſus; inter cujus exercitia hanc conſuetudinem tenuit, ut templum frequentaturus *b. Patris* ſui harmoniam Evangeliſtarum vel etiam *Balduini* & *Meiſneri* meditationes in evangelia recoleret, quorum etiam ſummam rhythmis germanicis reddidit. Ceterum in litterarum ſtudiis aſſiduus fuit, egregia inſtructus librorum ſupellectile, ac ſatis firma uſus valetudine, usque dum decumbens diem ſupremum obiret Slesvici 1627. d. 26. Auguſti poſt horam nonam; quemadmodum refert D. CHRIST. SLEDANUS *in Oratione funebri Germanica, Roſtochii typis exſcripta p*). Frui vero coepit JO. FRIDER. CHEMNITIUS luce publica a. 1611. d. 17. Junii, Stettini, ac juris ſtudio operam dans a. 1630. cum fratre Martino ad diem collegialem Ratisbonæ agendam abiit, ubi aditum

Mart. Chemnitii Cancell. Holſ. vita.

Jo. Frid. Chemnitii vita.

p) Totam vero Chemnitiorum ſtirpem percenſet RHETMEYERUS *Hiſtor. eccleſ. Brunſuic. P. II. p. 433. ſeqq.*

aditum ad Magnatam favorem ſibi parans innotuit Legato Saxonico *comiti a Brandenſtein*, cancellario *Loeſflero* Philippi Eberhardi comitis Solmenſis commiſſario, *Dallwigo*, Ducis Wurtemberg. & *Regnero Sixtino* Landgravii Caſſellarum legatis. Anno 1632. conceſſit Roſtochium, & poſt circa annum 1636. Francofurtum ad Oderam petiit; cum vero Sveci apud caſtrum Steinauienſe a militibus Cæſareis depulſi Francofurtum confugerent, hinc properans Stetinum per hiemem apud matrem hic commoratus eſt. Anno 1634. verno tempore Roſtochium rediit; anno 1636. circa pentecoſtes feſtum Belgium ac Angliam tranſiens in Galliam profectus eſt, & Flexia viſa a. 1637. Lutetiam Pariſiorum revertitur, ubi MARTINUS CHRISTOPHORUS *L. B. a Degenfeld*, legatus inſtituendo ipſius filio natu majori Ferdinando illum præeſſe juſſit. Anno 1639. die Quaſimodogeniti Hamburgum redux Slesvvicum contendit ibique moram trahens anno 1642. circa S. Johannis diem Sverinum evocatus dicitur, ut Secretarii intimioris partibus fungeretur. Non vero ipſe archivarius ibi conſtitutus fuit, ut tradit RHETMEYERUS *hiſt. eccleſ. Brunsv. P. III. p. 441.* in ejus vita, hunque forte ſecutus D. GERDESIUS *in collect. documentor. Mecklenb. P. I. p. 15.* qui etiam porro P. III. præfat. hinc occaſionem arripuit conjectandi, Chemnitium in opere hiſtorico Mecklenburgico per ſæpe laudata documenta ſcripta (*Briefliche Uhrkunden*) nihil aliud intellexiſſe, quam repertorium ſive, ut vocant, regiſtraturam archivi Sverinenſis, quam SAM. FABRICIUS *q*) *a. 1582.* inſertis plerumque ipſis chartarum ac diplomatum formulis vel harum ſaltim argumentis in ſummam collectis, perfecit. Quod tamen aſſertum dubiis valde obnoxium eſſe videtur, ſiquidem collatio operis Chemnitiani ac repertorii Fabriciani clare docet, ibi ſæpius provocari ad documenta ſcripta ac litteras, quæ hic plane non reperiuntur. Exſtant præterea litteræ CHEMNITII ad JOHANNEM EMMIUM tum temporis tabularii Sverinenſis præfectum & Ducis ſecretarium a ſanctioribus datæ a. 1677. quibus admodum queritur, ex tabulario Sverinenſi quasdam chartas deſideratas ſecum communicandas a Duce ſibi eſſe denegatas. Unde forte eſt, quod in præfatione operis ſcripſerit, ſe bina quædam antiqua volumina hiſtorica *r*) quæ Balthaſar I. Dux Megapolenſis epiſcopo Havelbergenſi monſtraverat, inveſtigare haud potuiſſe. Deinde circa annum 1648. in Daniam venit & ſecretarii vices Nieköpingiæ apud principem feminam Gottorpienſem *Magdalenam Sibyllam* ſuſtinuit, ubi tum ipſi ſuppetebat librorum & inter illos non paucorum manu exaratorum copia. Poſtea cum illa Guſtavo Adolpho Duci Mecklenburgico nuberet, a. 1654. ad *Secretarii Cancellariæ* GÜSTROVIENSIS, & ibidem ad *s*) *Archivarii munus in aula* admotus eſt; ob ſtipendium tamen exiguum ao. 1667. exeunte æſtate protonotarii ac ſecretarii in tribunali provinciali ac aulico, quod Parchimi tum conſtituebatur, officium ipſi petenti demandatum eſt *t*). Ex conjugio cum *Margaretha Grotia* haud ignobilis apud Roſtochienſes originis, ſeptem ipſi nati ſunt liberi, ac inter eos duo filii *Carolus Guſtavus* ac *Martinus Fridericus*. Frater ipſi fuit BOGISLAUS PHILIPPUS CHEMNITIUS, qui ſcriptum de ratione ſtatus Imperii Germanici a. 1647. evulgans ſub *Hyppoliti* a LAPIDE nomine latere voluit; quod inde originem duxit, quia KEMNITZ lingua

Non præfuit archivo Sverinenſi.

Officia varia

Frater Bogislaus Philippus.

Samuelis Fabricii, archivarii merita

q) Archivarius Sverinenſis aſſiduo et indefeſſo ſtudio clarus. Quamvis enim ante illum juſſu Ducum CASPARUS A SCHÖNEICHEN et D. WOLFGANG KETTWICHIUS alter Ducis Sverinenſis, alter Guſtrovienſis Cancellarius archivo in ordinem revocando operam dederint; ſucceſſu tamen eorum labores caruerunt, quorum reliquias nequidem *Samuelis Fabricii* ævo, amplius exſtitiſſe, opinabile eſt, quippe qui nec quicquam eorum meminit, ex mandato Ducali eidem labori demum manum induſtriam admovens et colophonem imponens anno 1582. Utiliſſimum tamen illud repertorium indice deſtitutum reliquit, quem defectum B. JO. SCHULTZIUS *archivarius & conſiliarius aulæ Sverinenſis meritiſſimus* explevit.

Duo antiqua MSC. Mecklenburgica.

r) Digitum forte intendit ad origines MSCt dominorum Mecklenburgenſium in coenobio *Sonnenkampii* quondam aſſervatas & ad *Dobberanenſem codicem*, chronicis Megapolenſibus refertum, cujus reliquiæ etiamnunc ſuperſunt.

Documenta inedita a Chemnitio laudata.

s) Inter fratres enim Duces Henricum pacificum et Albertum pulchrum archivum Ducale Sverini adornatum et inſtitutum, diviſum fuit anno 1621. adeoque ejus pars, quæ præcipue ad res Guſtrovienſes pertinebat, Duci Guſtroviæ ceſſit. Documenta igitur inedita, ad quorum fidem CHEMNITIUS *in majori opere hiſtorico Mecklenb. MSCt.* provocat, procul dubio ſunt ipſa monumenta hiſtorica, diplomata, chartæ et literæ MSCtæ, quibus archivum Guſtrovienſe inſtructum fuit. Ut taceam chronica, annales, codices rerum Mecklenburgenſium ineditos & collectanea MSCta, quæ debuit inprimis *Mylio*, *Simoni Pauli* & *Henrico Huſano*.

t) Ita refert FRID. THOMAS. *Catal. Biograph. Güſtrow. p. 86.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lingua Slavonica idem est ac lapidisu). Unde & factum puto, quod etiam JO. FRIDERICUS noster in litteris ad amicos se ipsum aliquando vocaverit *a Lapide*. Naturæ vero hic satisfecit Parchimi a. 1686. d. 11. Decembr *v*). Præcipuam vero industriam posuit in elaborando vasto illo Chronico Mecklenburgensi, quod ipsius manu coarctatis litteris descriptum ultra nongentas explet plagulas, atque ab Anthyrio usque ad ætatem recentissimam res Mecklenburgensium prolixe sistit. Quanta vero huic scripto tribuenda sit autoritas facile patebit, si fontes, ex quibus hausit, indicaverimus. Sunt vero præcipue *manu exarati annales* veteris ævi & *chronica Mecklenburgica* MARESCHALCI *w*), KIRCHBERGII, RIXNERI, LATOMI, ANDR. MYLII, porro *tabularii* GUSTROVIENSIS *documenta*, ut & *Chronica* edita *Slavorum*, *Annales Marescalci*, *Lindenbergii*, *Cranzii*, *Chytræi*, *Boceri*, *Bernh. Hederici*, *Ditmari Merseburgensis*, *Alberti Stadensis*, *Helmoldi*, *Arnoldi*, *Angeli*, *Pomarii*, *Albini*, *Petersenii*, *Hammelmanni*, *Clempzenii*, *Micrælii*, & scriptores rerum DANICARUM *Huitfeldius*, *Pontanus*, *Strelovius*, *Jo. Magnus* itemque Lubecensis & Hamburgensis civitatum *Kochius* & *Thrazigerus*. Forte & ipsi suppetias tulerunt MSCta quin & præcipue annosæ industriæ scripta SIMONIS PAULI, Ducum Ulrici Caroli & Adolphi Friderici secretarii intimi & feudalis ut & archivarii, in rebus genealogicis & historicis antiquioribus Mecklenburgicis non mediocriter versati, nec non HENRICI HUSANI apud Lucem Joannem Albertum Directoris quondam cancellariæ Suerinensis; quorum quidem scripta ipsi in manus facile incidere potuerunt, quamvis ipsorum nullum fere nobis ulibi pateat vestigium. Operi vero hujus prolixi epitomen sistit genealogia Ducum Megapolensium ejusque brevis explicatio ab ipso Chemnitio concinnata, quam hic exhibemus. Atque illa

Chemnitii subsidia in conscrib. chronico Meclenb. prolixiori.

Cujus operis epitome laudatur.

u) Docet hoc AUTOR *libelli de Regno Slavorum*, quem Presbyter Antibarensis e Slavico idiomate in latinum vertit & JO. LUCIUS *in opere de regno Dalmatiæ & Croatiæ anno 1668* recensuit; Cujus observationem M. ABRAH. FRENZELIUS *in dedicatione ad librum II. de originibus linguæ Sorabicæ p. 2.* ita declarat: *Nostis, apud Sorabos nostros* Kamen, *cum quo facit* Kamich *petram valere sive lapidem, & differre parum lingua Slavos & Sorabos: nostis quoque* Camenitam, *urbem, petram sive lapideam domum* Steinheim *Jos. 15 58. appellari: Polonis enim* Kamienicza *est domus lapidea; id nominis autem a situ loci ei impositum fuisse cum* DRESSERO *de urbib. Germ p. 140. suspicor.* Scitissime nuper hoc *Chemnitii* etymon illustravit ornavitque JO. CHRISTOPH. MANZELIUS *V.D.M. Mutschensis prope Grimmam*, cujus cogitata de vera nominis origine eruditissimi ingenuoque doctrinæ & virtutis studio conspicui autores *des Jurist. Bücher-Saals P. 6 p. 514. seqq.* cum publico communicarunt: *Certissimum*, inquit, *est, vocabulum* Chemnitz, RECTIUS *Kemnitz scribitur, quemadmodum & MARTINUM CHEMNITIUM no fratre Jo. Fristri avum quandoque* KEMNICIUM *se vocitasse constat, Slavonicæ esse originis ac lapidem designare. Unde Camenciam Soraborum ac Camenicium Sarmatarum domos lapideas, si etymologiam spectes, appellari posse asserit* ABRAH. FRENCELIUS. *Apud Ruthenos, quorum lingua pariter Slavonicis est annumeranda, eadem quoque significatio obtinet, quam in rem* STEPH. JAVORSKII *famosum illud opus a. 1728. primum in lucem editum, quod* KAMIENWERY *seu* LAPIDEM *fidei vernaculo idiomate inscripsit, excitasse sufficiat. Quin Chemnitium, urbem in Hermunduris haud incelebrem, a regione montosa, & lapidibus abundante nomen consecutam fuisse, præter formam res ipsa loquitur. Ex quo facile intelligitur,* BOGISL. PHIL. CHEMNITIUM *cognominis sui Germanam originem paucissimis ista ætate quidem cognitam lapidis notionibus ita involvere studuisse, ut verum quidem nomen, quamvis in aliam linguam traductum, retineret, ac nihilo tamen secius litterato orbi (quod sua maxime intererat) ignotus plane tectusque maneret.* Etymo huic Slavico argumentum addit *versio Sacri Codicis* WENDICA *ed Budissini a. 1727.* quæ in dicto Matthæi *Cap. XXI. v. 42 p. 42.* verba lapidis & fundamentalis lapidis explicat *Kamen, Kamenej.* Sed & condigno pretio haud defraudanda est elegans & non minus conspicua conjectura, quam literatissimus & de republica literaria excellenter meritus CHRISTOPH. AUGUSTUS HEUMANNUS *conspectu reipublicæ litterariæ p. 331.* attulit. *Quod si quis*, inquit, *ex me quærat, cur Bogislaus Philippus Chemnitius adsciverit nomen Hippolithi a Lapide, haud equidem dubitaverim, eum significatam voluisse patriam suam Holsatiam, quæ germanice* Holstein *vocatur & in Principis sui insignibus præter cetera candidum vidit equum Ditmarsiæ, quæ pars est Holsatiæ, proprium.* Quamvis enim facile concidat etymon Holsatiæ a saxis vel lapidibus repetitum, per errorem tamen, illud nonnullis placuisse constat ex notulis ad GOLDASTI *memoranda Holsatica Tomo I. inserta.* Ceterum plura de BOGISLAO PHILIPPO CHEMNITIO ejusque *historia belli a Gustavo Adolpho in Germania gesti, edita Stetini a. 1648 f.* legi merentur apud SCHEFFERUM *de Svecia literata* & B. HÜBNERUM *bibliothec. Hamb. histor. Centur. III. art. 47.*

Etymon Ketmitii derivatur a lapide.

Observatio de Hippolithi a Lapide Chemnitii.

v) B. THOMAS *d. l.* & GUNDLINGIUS *histor. rei literar. Part. II. p. 2462. not. k.* substituunt annum 1687.

w) Unde suos irrigaverit campos Marescalcus, id quidem me nescire fateor, nisi forte ad manus habuerit binos istos codices jam supra memoratos. Ex *Marescalco* JO. BOCERUM sua derivasse, quæ carmine elegiaco 1561. prolixius expressit, constat. Quibus aliisque JO. LATOMUS Wismarienſis, Henrici filius, facile palmam extorsit *genealo chronico suo Mecklenburgico*, quod jussu & autoritate Ducum Adolphi Friderici II. & Joannis Alberti ex tabulariis & scriniis passim latentibus diligentissime compilavit & in certas epochas divisum parallelismo Cæsarem & Pontificum instruxit a. 1610.

Elogium Jo. Latomi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

illa ideo non parvi facienda videtur, quod isto majori opere careamus *x*), quippe quod duobus spissis voluminibus in fol. absolutum a. 1683. die 14. Martii pretio 400. floren. archivo Suerinensi cessit; in quo tamen præcipue index desideratur. Tribus id opus partibus constat, quarum duæ comprehenduntur *volumine I.* quod res ab anno ante Christum natum 333. usque post Christi nativitatem 1361. gestas exhibet; & prima quidem pars complectitur reges Vandalorum, Herulorum, Slavorum, Obetritarum ab Anthyrio usque ad Nicolotum III. fide *Maresealci;* altera vero vitas 1) principum & dominorum Megapolensium ab Henrico Burevino I. usque ad Johannem V. 2) Principum & dominorum Slavicorum sive de Werle a Nicolao V. usque ad Wilhelmum; 3) Dominorum Rostochiensium ab Henrico Burewino III. usque ad Burewinum IV. 4) Dominorum Richenbergensium & Parchimensium Pribislai III. & IV. 5) Comitum Suerinensium & Wittenbergensium a Guncelino I. usque ad Henricum V. & Nicolaum, ubi etiam agitur de episcopis Suerinensibus. *Volumen II.* ab a. 1321. orditur, operis partem III. comprehendens & usque ad a. 1670. attingens. Continet vitas 1) Ducum Megapol. stirpis Suerinensis ab Alberto II. & Joanne VIII. filiis Henrici Leonis a Carolo IV. imperatore principum imperii titulo & jure ornatis, usque ad Adolphum Fridericum & Joannem Albertum II. exclusive, a quibus lineæ Suerinensis & Gustroviensis rursus divisæ ortum trahunt. 2) Vitas Ducum Megapolensium Dominorum Stargardiæ ab Johanne VIII. usque ad Ulricum II. inclusive. Eandem annorum ac rerum seriem epitome complectitur. Quæ vero huic subjunctæ sunt observatiunculæ, pleræque debentur JO. CHRISTIANO BESELINO. Additæ præterea erant variæ tabulæ genealogicæ affinitatem & consanguinitatem Ducum Megapolit. cum Imperatoribus, Regibus, Principibus & Comitibus contractam exhibentes, quas tamen in tanta harum copia sine dispendio negligi ac resecari posse judicavimus. Progredimur ad JO. CASELII breve *de originibus Ducum Megapol.* præcipue *de laudibus Jo. Alberti* opusculum *y*) quod manu exaratum cum aliis ipsius autoris scriptis una cum BERNHARDI HEDERICI *Megapoli divisa z*) ab amico Megapolitano in eum finem nobiscum communicatum est, ut huic loco inserviret. De HEDERICO ejusque meritis & scriptis dicendi occasio suppeditabitur ad Chronicon Suerinense ipsius latinum ineditum adhuc, quod Tomo III. nuncupabimus. Caselius vero scriptor est celebratissimus ex generosa Casseliorum in Geldria gente oriundus. Patrem habuit Matthiam Caselium divini verbi ministrum apud Gottingenses; in qua civitate & ille a. 1533. d. 18. Maji lucem primum adspexit, matre Catharina Calebradea. Prima litterarum elementa percepit Gandersheimii auspiciis Christophori Norici; quas dein amplius excoluit Nordhusæ ductu *Basil.* FABRI ac *Mich.* NEANDRI. Hinc gymnasium Gottingense frequentavit. Ex academiis sibi delegit Witebergam, ubi PHILIPPI MELANCHTHONIS, VITI VINSEMII & GEO. CRACOVII prælectionibus, assiduus interfuit. Postea Lipsiam concedens Camerarios docentes audivit. Musas deinde Francofurtenses ad Viadrum, hincque Rostochienses secutus est, uti ex ejus carmine a. 1560. conjectura fit, quod inter *scripta publica academiæ Rostochiensis p. 24.* legitur: quanquam in albo academiæ ad istum annum nomen ejus haud appareat. Jam tum commercio litterario, quo amicitiam virorum eruditissimorum favoremque Mæcenatum atque patronorum ambiit, inclarescere cœpit. Nec male quidem ubivis fere id institutum ipsi succesſſit sibique benevolos facile invenit, quoscunque litteris compellaret. Inprimis vero liberalissime a JO. ALBERTO *Duce* sustentatus, hujusque singularem in se clementiam expertus est, quod passim ipse magnopere prædicavit *a*). Hujus etiam Princi-

Operis majoris divisio & argumenta.

Jo. Caselii opusc. de originibus Ducum Megapol.

Ejusdem vita.

Jo. Christ. Beselinii.

x) Ex quo assidua cura *B. avus* JO CHRISTIANUS BESELINUS serie haud interrupta consignavit *historias & res Rostochium concernentes*, ut & vitas Ducum Megapolitanorum *Alberti II. Henrici VIII. Alberti III. Regis Sveciæ* & Ducum sequentis ævi usque ad a. 1592. Idem ex opere laudato in summulam collegit res ad historiam Ducum lineæ *Stargardiensis* & præcipue ad historiam Comitum & Episcoporum *Sverinensium* ac Comitum *Wittenburgensium* pertinentes.

y) Quod typis tamen expressum reperio sub inscriptione *orationis habitæ in funere Jo. Alberti Ducis.*

z) Quam Tomo huic inferuimus *num. XVI.* Impressum tamen hoc ipsum opusculum est Rostochii a. 1605. sub titulo: *Parentationis Reverendissimi & Illustrissimi principis domini Udalrici administratoris diœceseos Sverinensis Ducis Megapolensis.* Quod vero nobis transmissum est manuscriptum, ab ipso autore passim correctum, summariis & additamentis in fine auctum tituloque Megapoleos divisæ insignitum reperitur, cui fine dubio novas curas impendere quondam intenderat auctor, aliis laboribus vero & ultimis fatis impeditus.

a) Præsertim *in epist. edit. 1718. p. 70. seqq. & oratione hab. in funere Jo. Alberti Duc. p. 63.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Principis beneficentiſſimi ſumtibus Italiam petiit, cum antea in academia Witebergenſi Magiſtri philoſophiæ dignitate eſſet condecoratus & aliquamdiu Bononiæ commoratus JCtis ibi ac præcipue *b*) CAR. SIGONIO litteris elegantioribus præſtanti, operam dedit *c*). Inde ſub finem a. 1561. Florentiam profectus eſt ad Petrum Victorium, ut illo doctore uteretur; ubi permanſit, donec ad Mecklenburgenſes rediret, quod an. 1562. *d*) vel demum a. 1563. *e*) contigerit, certo definire haud licet. Reverſus apud JO. ALBERTUM Ducem aliquod tempus exegiſſe videtur, illi exponens de iis, quæ in itinere ſingularia & memorabilia obvenerant vel litteraria ipſi innotuerant *f*). Tandem Roſtochium ſe contulit juſſu clementiſſimi Principis, & menſe Aprili, cum faſces Academicos teneret D. Laur. Kirchhoffius, albo academico nomen dedit, licet jam antea hic fuiſſet verſatus. In convictum ſuſcepit juvenes ſtudioſos aliquot, quorum ſtudia moderabatur. Poſt duorum menſium ſpatium, die nempe 13. Octobr. facultatis philoſophicæ membris honorifice adjunctus & inter profeſſores, extraordinarios puto, cum nunquam dignitatem Rectoris ſuſtinuerit, cooptatus eſt, forte ut Græcam linguam & philoſophiam *g*) edoceret. At nimia forte in dicenda ſcribendave libere ſententia animi uſus, non paucorum incurrit odium atque invidiam: de quo *in epiſtolis p. 498.* queritur *h*). Non diu poſt, ſub æſtatis 1565 primordia rediit in Italiam, cui profectioni motus civiles in ditione Mecklenburgenſi exorti peſtilentiaque inceſſens anſam dediſſe videtur. Bononiæ vero in gravem incidit morbum; quo factum eſt, ut menſe demum Decembri ejus anni Florentiæ advena factus ſit. Hic familiaritate ac conſuetudine PETRI VICTORII plurimum uſus eſt. Neque tamen reliqua Italiæ loca celebriora viſendi doctiſſimorumque ubivis virorum amicitiam ſibi conciliandi vel inſtaurandi ac recolendi occaſionem prætermiſit. Piſis, ubi tum aderat vir nobilis JOACHIMUS *de* BASSEWITZ, *Doctor Juris* ſalutatus ex Italia demum ſolvit menſe Aug. a. 1567. & Tirolim peragrans Viennam contendit, ubi ad breve tempus ſubſtitit, familiaritatem contrahens diverſorum. Ac Cæſarem adeo ipſum in ſe tam clementem expertus eſt, ut ipſi nobilitatem ſatis vetuſtam ſolemni diplomate *i*) d. 14. Decembr. dato renovaret ac in ordinem nobilium Torneariorum receptione augeret inſigniter. Inde in Saxoniam iter dirigens ac Dreſdam Lipſiamque tranſiens a. 1568. menſe Januario in Mecklenburgum redux factus eſt. Roſtochium itaque repetens ad prælectiones inſtituendas ſe accinxit, ac præter reliquos labores, quos prolixe ipſe indicat in oratione, quam in honorem *Joannis, Ducis*, diſcipuli quondam ſui habuit a. 1592. operam in explicando Homero poſuit, valetudine non ſatis commoda uſus. A. 1570. die Tiburtii decani facultatis philoſophicæ provincia ipſi delata eſt. Poſt aliquot annos ad JO. ALBERTI filium utrumque, JOANNEM & AUG. SIGISMUNDUM litteris imbuendum in aulam Suerinenſem evocatus eſt, ubi a. 1571. d. 30. Septembr. uxorem ſibi adjunxit Gertrudem, ANDREÆ MYLII *primarii conſiliarii* filiam. Ex cujus fœcundo connubio octo liberos vidit; quorum plerique tamen haud diu ſuperſtites fuerunt. Quadriennio fere exacto hinc dimiſſus, non parum ea de re gaudens ad Muſas Roſtochienſes reverſus eſt, ibique docendi officio ſtrenue præfuit.

---

b) Ita quidem tradunt in ejus vita, ſed ex epiſtolis ejus *p. 480.* facile patet, eum tunc temporis Sigonium non vidiſſe, quippe qui tunc Patavii egit.

c) Videantur ejus epiſtolæ *p. 470-494. & p. 536-543.*

d) Ita habetur in ejus *epp. p. 1-7. p. 12-15. p. 495.*

e) Sic traditur *progr. Roſtoch.*

f) Etenim PETRUS VICTORIUS *literis ad Caſelium datis* gratias agit, quod ejus commendatione epiſtolam favoris plenam a Duce acceperit.

g) Ita *in Albo Academiæ* eſſe perhibetur; *in programmate Helmſtad.* vero philoſophiæ & eloquentiæ profeſſione functus dicitur.

h) Ut conjicimus *ex epiſtola Petri Victorii*, adhuc a. 1565. ex Italia ad illum perſcripta.

i) Quod vide *in opere epiſtolarum editarum* a DRANSFELDIO *p. 23.*

fuit. Isto tempore, cum Julius Dux instituendæ academiæ Helmstadiensis consilium cepisset, Princeps hic laudatiss. Caselium eo pertrahere allaboravit atque ea de re tum ipso tum apud Mecklenburgensem Ducem Joannem Albertum prolixe egit; sed cum Dux hicce optimus a. 1576. supremum diem obiret, res diu hæsit, atque ipsa Julii Ducis morte mora huic instituto interjecta est. Sed Henricus Julius Brunsv. Dux rem iterum tentavit ac tandem Caselium in partes suas vocans perfecit. Academiæ itaque Rostochiensi a. 1589. mense Novembri valedixit: ac apud Helmstadienses Musas consedit perstititque ad obitum usque, quo octogenarius a. 1613. d. 9. Aprilis inter vivos exstinctus est. Sed ne prolixiores simus in vita ejus enarranda, lectorem ablegamus ad ROLLII *memorias philosophorum*, quorum *Decade I. p. 192. seqq.* exhibetur programma in exsequias ejus *a. 1613.* a D. JO. SIGFRIDO tum *Prorectore academiæ Helmstadienf.* publice expositum; in compendio vero ejus vitam legas præmissam *operibus* illius *politicis*, itemque *epistolis* per JUSTUM *a* DRANSFELD *a. 1687.* denuoque *a. 1718.* editis ac paullo prolixius in ADAMI *vitis German. Philos. p. 239. seqq.* Plura suppeditabunt ipsius epistolæ jam dictæ. Copiosissime vero omnium id egit JAC. BURCKHARDUS *epistola de viri clarissimi* B. JO. CASELII *præclaris erga bonas litteras meritis, ejusque lucubrationum magnopere desiderata adhuc editione ad* JUST. CHRISTOPH. BOEHMERUM *1707.* perscripta quam & ROLLIUS *c.l. Decad. I. p. 218-339.* integram inseruit. Scriptorum ejus, in quibus nativus quidam flos atque dictio nitida eminet, insignis est multitudo ac numerus, quorum aliquam vel potiorem partem in margine enarrare lubet *k*).

Scripta varia.

Variæ

Scripta Caselliana.

k) Sunt illa (1) JO. CHESSELII (ita enim hic vocatur) *epicedion scriptum Joach. Mollero Hamb. Senatori*, quod junctim cum *Casp. Cruzigeri & Io. Majoris* in eundem epicediis prodiit *Witteb. 1559. 4.* (2) Epicedion scriptum *D. Io. Bugenhagio Pomerano*, quod subjunctum est *Petri* VINCENTII, *Vratislavienfis collegii philosophici Decani*, orationi de ejusdem vita hab. *a. 1558. d. 4. Augusti*; Et quæ posthæc in academia Rostochiensi proposuit sequentia. (3) Oratio *pro arte poëtarum habita 1568.* 4. (4) Epistola ad illustrem Principem Albertum Fridericum Ducem Borussiæ & aliæ Rostoch. 1569. 4. (5) Procœmium in librorum Aristotelis de vita & moribus interpretationem a. 1569. 4. (6) De nuptiis illustr. Joachimi Friderici Electoris Brandenb. & Catharinæ cet. 1570. 4. (7) De laudibus Justinæ Rudeliæ liber a. 1575. 8. (8) De nuptiis Ottonis Prænii nobilis, cameræ Imperial. assessoris & nob. virginis Annæ Ursiniæ Pomeranæ eod. a. (9) Oratio in funere JO. ALBERTI *Ducis 1576. 8.* (10) PETRI VICTORII orationes in funere *Cosmi Medici* magnæ Etruriæ Ducis, altera Eleonoræ Toletanae uxoris Cosmi habita a. 1576. 8. (11) Capita pietatis christianae versibus graecis divinitus expressa a Cl. viro *Joach. Camerario.* (12) Oratio pro studiis bonarum litterarum 1577. 4. (13) Επιθαλαμιος nuptiis illustriss. Principis *Jo. Frider.* Ducis Pomer. & illustr. Principis *Erdmudæ, Io. Georgii Marchionis Brandenburg. filiæ*, carmen a. eod. (14) ÆSCHINIS epistolae graecae 1578. 8. (15) In explicationem Xenophontis primi Cyri paediae procœmium a. eod. 8. (16) De ludo litterario recte aperiendo liber a. 1579. 8. tertium editus Helmstad. 1669. 12. (17) ANTON. SANFELICII Campania, libellus in Germania ante non editus, qui poetas & historiam legentibus, etiam Geographiae studiosis, cupidis denique longinquas regiones visendi non minus utilis sit futurus, quam jucundus 1580. 4. (18) Oratio de laudibus JO. HOBII, item memoriae amicorum carmina *1581.* 4. (19) XENOPHONTIS Cyripaediae liber quartus, cum interpretatione; & Chionis Platonici epistolae latine redditae 1584. 4. (20) THUCYDIDIS orationes pleraeque IO. CASA interprete 1584. 4. (21) Laudatio nobilis matronae *Elisab. ab Heiligen* eod. a. (22) De dictis & factis memorabilibus *Socratis*, libri IV. 1585. 4. (23) Philosophus e quinto & sexto Platonis de republica, *anno eod.* 4. (24) HENRICI IULII *Guelphii*, & dominae *Dorotheæ Saxonicæ* laudatio a. eod. (25) De laudibus ELISABETHÆ CIMBRICÆ liber a. 1586. (26) Elogium PETRI VICTORII *anno eod. mens. April.* (27) Memoriae illustrissimae dominae URSULÆ *Megapolitanæ, Abbatissæ collegii virginum Ribnizensis e.a.* (28) In libros *Aristotelis* de optimo statu reipublicae ad auditores politices procœmium 1587. 4. (29) FRIDERICO II. *Regi Daniæ* ad regni senatores επιταφιος, 1588. 4. (30) Ad sereniss. Principem CHRISTIANUM IV. designatum Daniae Regem παραινετικος eod. mense Majo 4. (31) Memoriae nobilis IOACH. RANZOVII *equitis Holsati, domini in Smolda*, επιταφιος eod. a. 4. (32) Ad illustrissimum Principem IOANNEM *Ducem Megapolitanum*, ducentem Principem *Sophiam* ADOLPHI *Ducis Holsatiæ filiam*, gratulatio. Sive pro gratulatione non aliena a convivio Magnatum oratio a. e. 4. (33) Ad eundem ingredientem *Rostochium* XIV. Kal. Quinctil. ut postridie inter ipsum Ducem & rempublicam fides solemni ritu sanciatur, ut fit Principe primum iuente imperium, *gratulatio a. eod. mens. Iunio.* (34) *Luhiades s. laudatio* IOACH. LUHII *equitis Megapol. a. eod.* 4. (35) Illustrissimo Principi domino ULRICO *Duci Megap.* ducenti illustrissimam *Annam Philippi Pomeraniæ Ducis filiam* gratulatur & clarissimis convivis problema nuptiale ponit a. eod. Mens. Dec. 4. (36) Nuptiis RAMELII & RANZOVIÆ a. 1589. (37) PLUTARCHI liber *de garrulitate græce eod. a. 4.* (38) Ejusdemque libellus *de loquacitate* latine redditus 4. (39) Memoriae clarissimi & doctissimi viri NIC. DOSSII *Philosophiæ & artis Medicæ Doct.* carmina Caselii et aliorum *a. eodem.* (40) Ad nobiliss. et clariss. viri SAL. HENNINGII *consiliarii Ducis Curlandiæ præcipui* filios παραινεσις *a. eod.* (41) Επιταφιος illustrissimo Prin-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Variæ etiam ſcriptorum illius proſtant collectiones. Ac quidem opera ejus politica, in quibus continentur *προπαλίτικος, παραδοξα* de victu & ſplendore principum, *πολιτευσομενος* junctim primum edidit CONR. HORNEIUS *Francof. 1631. 8.* Operum ejusdem *pars II.* qua continentur ſcripta, quæ ad artem dicendi pertinent, prodiit ibidem *a. 1633. 8.* HENRICUS vero VAGETIUS *epiſtolas ejus* bonæ frugis plenas *Hamburgi a. 1641. 8.* idemque epiſtolarum Roſtochienſium mantiſſam edidit *ibidem 1643. 8.* Ampliorem ejus *epiſtolarum ad principes, nobiles, viros celebres farraginem* dedit JUSTUS a DRANSFELD *Francofurti 1687. 8.* quæ cum acceſſionibus quibusdam denuo editæ ſunt *Hanoveræ a. 1718. 8.* Hinc M. JO. HENR. ACKERUS edi curavit *amœniora ejusdem;* in quibus, præter *commentationem* MAX. TYRII *& epiſtolam genethliacam* ad HULDARICUM *Daniæ principem, epiſtola παραινητικη* ad CRANICHFELDIUM exhibetur *ed. Jenæ 1707. 8.* Poſt horum diligentiam ſimile quid molitus eſt, exiguo ſane ſucceſſu, JO. CHRIST. KIESEWETTERUS, qui *Conlectionis Caſelianorum faſciculum unicum* emiſit; quo præter ejus *παιδαγωγικον* vel *orationem de obedientia & proœmium in explicationem Xenophontis* complexus eſt ejusdem *διασκεψιν de peregrinationibus doctrinæ virtutisque gratia inſtituendis præcipue in Italiam.* Fertur etiam ſcripſiſſe *de vita* CAROLI, accepto ab Adolpho Friderico & Jo. Alberto præmio; ut & conſignaſſe quædam de gubernatioe optima ſapientiſſimi & beneficentiſſimi Ducis JO. ALBERTI. Sed plura ejusdem ab eo ſtudioſe elaborata alibi latent, quæ, ut junctim cum reliquis prodirent, aliquando non unius fuit ex viris eruditis deſiderium præcipueque MORHOFII *l)* & REIMANNI *m)*, qui & ipſe quinque ſpiſſa eorum volumina apud ſe eſſe ait, interque ea manu exarata non pauca ac alia ſine ipſius nomine data foras. Tentavit illud quondam HENRICUS ERNSTIUS qui ejus *librorum in certas claſſes diſtributionem* publice propoſuit *Hamburgi 1651.* juxta quam, ut habet titulus, *emittentur in lucem:* ſed præterquam, quod index ille mancus admodum ſit, promiſſa hæc parum exſolvit. Ceterum de epiſtolis ejus ineditis egit HERM. CONRINGIUS *epiſtola, præmiſſa editioni Caſelianarum iteratæ a. 1718.* quam ante commemoravimus. Non pauca ſub ejus nomine typis exſcri-

---

Principi Dno. IULIO *Duci Brunſvicenſi & Luneburg.* ſcriptus Helmſtad. 1589 4. (42) Oratio, qua valedicit auditoribus Roſtochienſibus eod. a. 4. In Academia vero *Iulia* haec ejus ſtudio prodierunt: (43) Nuptiis herois HENRICI IULII, Guelfii, et heroinae ELISABETHÆ CIMBRICÆ *Τριτεξιον* 1590. 4 (44) MAX. TYRII commentationis, quemadmodum diſcernendus ſit adulator ab amico, interpretatio eod. a. (45) Nuptiis *Ieremiæ* RICHELMII et *Eliſabethæ* BORCHOLDIÆ carmen cum alio ALB. CLAMPII eodem prid. Kalend. Junii. (46) Oratio, qua illuſtriſſ. Principi ac Domino ULRICO *Duci Megapolit. &c.* de nato pronepote gratulatur *a. 1591. m. Apr.* (47) Ad reverendiſſimum et illuſtriſſimum Principem Dn. HENR. IUL. *præſulem Halberſtad. Ducem Brunſvic. & Luneb.* de nato filio gratulatio eod. m. (48) Ad cl. virum THOMAM FRANCIUM J. U. D. legum interpretem in academia Witteberg. ducentem virginem eximiam Annam JCtiſſimi viri et oratoris praeſtantiſſimi VITI WINSHÆMII *conſiliarii regii Danici & Megapolitani* filiam gratulatio cum altera *Alb. Clampii*, eod. a. (49) Ad ALB. CLAMPIUM virum clariſſimum epiſtola, qua illi de dignitate JCti gratulatur *a. eod.* (50) Oratio funebris reverendiſſimo et illuſtriſſimo Principi Domino CHRISTOPHORO *adminiſtratori epiſcopatus Raceburgenſis, Ducis Megapolit.* a. 1592. m. Maji 4. (51) Oratio funebris illuſtriſſimo Principi IOANNI *Duci Megap. a. eod.* 4. (52) Ad illuſtriſſ. Principem Dn. HULDERICUM *Sereniſſ. Regis Daniæ Friderici II. filium* epiſtola genethliaca anno eod. 4. (53) Secundus *Lubiades* ſeu oratio, qua laudatur Henricus et ipſe ejus familiae princeps anno eod. 4. (54) *Ιελειον* ad reverendiſſ. et illuſtriſſimum *Henr. Iulium* epiſcopum Halberſtadienſ. cet. 1596. 4. (55) Ad cl. virum Dn. D. WINHOLDUM SIBRANDUM *ICt. conſiliarium Megapolitanum* conſolatio 1598. m. Maji. (56) Oratio de bono academiae a. 1599. iterum edita cura IO. GEORG. KRIEGK *Ienæ 1702. 8.* (57) *Νυχθήμερον* ſ. carmen monitorium, quibus rebus et ſtudiis tam noctem quam diem occupare deceat adoleſcentem ſtudioſum cet. *a. 1607.* recuſum cum commentatione HENR. VAGETII *1673. 8.* (58) *Ακαδημιαρχης* ad D. LAUR. SCHEURL ſcriptus abhinc anno undecimo, cum primum gereret primarium in academia Iulia magiſtratum, quem hodie gerit tertium 1609. 4. (59) *Κερασιαδης* ſ. aulae magiſter *anno eod.* 4. (60) Ad EOBALD. BRUMMEMERUM *ICt.* ſuper ſecundae conjugis obitu conſolatio cum aliis paucis epiſtolis 1610. 4. (61) Ad ARNOLDUM ENGELBRECHTUM *Philoſoph. & ICtum* epiſt. in qua nonnulla de ampliſſima primarii JCti dignitate differit a. 1613. 4. (62) Documentum publicum de IO. CASELIO in acad. Piſana utriusque Juris Doctore renunciato cet. anno eodem.

l) Polybiſt. lib. I. c. 24. n. 42. ſeqq. p. 322.

m) Bibliothecæ biſt. litterar. Tom. II. p. 413.

exſcripta recenſent ſolertiſſimi litteratiſſimique AUTORES *rer. litterar. Roſtoch. a. 1739. p. 89. 123. 151. 380. 644 ſeqq.* Quibus nonnulla hic ſuppeditata accepta referimus.

Friedlibii a Friedensberg ius Feudale Pomeranicum.

De CONRADI FRIEDLIBII *a Fridensberg* Regis Sueciæ olim in Pomerania conſiliarii *Jure Feudali Pomeranico veteri & novo*, quod e codice MSCto integræ fidei hoc Tomo in publicum protruditur, paucula monuimus *in præfatione ad Tom. I. p. 31.* Nec indiget illud ſuſpenſa hedera & prolixiori commendatione. Utilitatem enim præ ſe fert, opuſculum hoc omnibus aliis inſtructius, quippe quod ex receſſibus, privilegiis, conſtitutionibus, reſcriptis, reſolutionibus, decretis & ſententiis provincialibus præcipue congeſtum, in Pomeraniæ non ſolum ſed ob parem fere feudorum indolem etiam in Megapoleos uſum adornatum eſt. Quamvis non inficiandum, a Jure communi ſeu Longobardico ſolertiſſimum autorem patriæ jura ſæpe quidem, ſed ubique tamen haud accurate, nec allatis genuinis differentiarum principiis ac rationibus diſtinxiſſe, quin a Doctoribus Juris Romani & Longobardici eorumque opinionibus aliquando imponi ſibi paſſum eſſe. Siquidem ſolidiori cognitione hiſtorica & diplomatica jurium Germaniæ, medii ævi antiquitatum, principiorum ac rationum feudalium patriæ haud adeo tinctus campum, quem ingreſſus eſt ampliſſimum fontibus adſcititiis ac communibus irrigavit, vel genuinis præſidiis juris feudorum & ſtatus feudalis provinciarum & nobilium Landſaſſiorum Germaniæ deſtitutus, a via regia paſſim aberravit & in erroribus ac vulgaribus rationibus ſubſtitit. Unde etiam eſt quod de originibus feudorum patriæ eorumque indole & qualitatibus, nonniſi ex rationibus & fundamentis domeſticis hiſtoricis & diplomaticis eruendis ac dilucidandis, parum circumſpexerit. Sed hos quidem & plures alios defectus facile & cumulatius quoque notaveris in SAM. STRYCKII, DAVIDIS MEVII aliorumque de feudis Pomeranicis ſcriptorum commentariis, quos & induſtria, amplitudine & ordine hactenus ſuperavit laudatus Fridensbergius.

Diplomataria Raceburgenſia.

Diplomataria Raceburgenſia, quorum duo ab a. 1154. usque ad a. 1524. congeſta, blattis, cum quibus colluctabantur, erepta in lucem nunc prodeunt, collectores ſuos præcipue agnoſcunt HINRICUM a WITTORP *n*) & GEORGIUM de BLUMENTHAL *o*) epiſcopos quondam Raceburgenſes, quibus curantibus illa olim e chartis authenticis collecta & in perennem memoriam conjunctim redacta ſunt in plenæ fidei codices, quos archivum olim Guſtrovienſe cuſtodivit. Intelligentes certe rerum æſtimatores copioſa in iis ſponte notabunt argumenta perutilia, quibus origines epiſcopatus Duci, non Imperatori, addicti, res geſtæ Henrici Leonis, jura epiſcoporum & quibus hæc denuo vindicata ſunt, principum territorialium evolvuntur, hiſtoria Guelphica, Saxonica, Megapolitana & vicinarum regionum illuſtratur, rerumque civilium feudalium & eccleſiaſticarum cum paganarum tum chriſtianarum momenta cumulate eruuntur & explicantur. Adjecimus pauculas de epiſcopatus Oldenburgenſis in Lubecenſem, & Megapolitani in Sueriniſem translatione a. 1154. facta, de allodiis & novalibus provinciarum ſeu de bonis

---

n) De quo vide PFEFFINGERUM *hiſtor. Lüneb. P. I. p. 761.* CHRONICON, *quod diplomataria præmiſimus, Raceburgenſe n. XIX. p. 1987.* CHRIST. SLÖPKENIUM *ſcripto vernaculo hiſtorico de paganiſmo & chriſtianiſmo Lauenburgenſium capite 3. n. 17. p. 54.* Quod ipſum caput epiſcopos Raceburgenſes recenſens plurima debet Chronico citato, latino idiomate ſcripto.

o) *Chron. Raceb. d. l.* SLÖPKEN. *d. l. p. 60.*

Bona regni dicuntur bona provincialia.

Allodia.

Novalia, germanice Rodeland.

Eorum explicatione char-

p) *H. e.* bonis territorii vel principatus. Quod ex ipſis diplomatibus clarum eſt, quibus Henricus Leo dotaſſe dicitur epiſcopatum de *allodiis & novalibus* trium provinciarum, Raceburgi, Wittenbergæ & Gadebuſi; videatur *diplomatarium Raceb. l. ad a. 1154. p. 2002.* Allodia vero ſunt bona avita ſeu aviatica, proprietates univerſæ, poſſeſſiones propriæ, bona paterna & hereditaria, bona ingenuitatis, prouti in *lege Salica Tit. 58. Ripuaria Tit. 56.* dicuntur & egregie explicantur a THEODULPHO *hiſt. ad a. 777.* GROTIO *in flor. ſparſ. ad jus Juſtin. p. 339.* WORMIO *ſpecimine Lexici Runici p. 5.* STIERNHOECRIO *de jure Sveo-Goth. L. 2. c. 5.* LOCCENIO *Lexico Svec. in append.* & omnium explicatiſſime ab *illuſtr. Domino* DE LUDEWIG *de juribus feudorum c. 6. qu. 11. p. 80-103.* Novalia vero in chartis Germanicis dicuntur *Rodeland.* *Rot* vero, puto, eſt a theotiſco *roden, rotten*, veteri Saxonico *raden, reuten*, rumpere; unde *utroden* idem eſt ac eradicare, terram erumpere, excolere. Docent hoc inventaria nonnulla vetera & chartæ Megapolitanæ, e quibus haud obſcure innoteſcit, pagos *Radesfal, Radum, Radow, Raddien, Hoppenrade, Rodderſtorff, Voltzrade*, a rupta terra ſeu agris novalibus nomina accepiſſe. Et in chartis theotiſcis Holſaticis ac vetuſtis Saxoniæ inferioris novalia explicate dicuntur *Rodeland, Rodeacker, Rodezinſe, Rodezehenden*, h. e. cenſus ruptura:

nis Imperii & regni, *p*) quibus Henricus Leo non ex munificentia Cæsaris, sed proprio jure *q*) terræ Slavorum Dominus episcopatum instauravit dotavitque, item de oblatione allodiorum in feudum, de nobili gente Hagenia seu ab indagine, de nobilibus a possessionibus & villis Slavicis sæpius appellatis *r*), de tempore & rationibus scripti a Friderico I. Imperatore diplomatis ad jura investituræ trium episcopatuum pertinentis, de jure regio & territoriali cum Cæsarum tum Ducum & Principum investiendi episcopos *s*), de episcopatu Ixscolanensi aliisque historicis & etymo-

---

pturæ & decimæ novalium Domino præstandæ. Quin in antiquis Kilonienſibus & Oldenburgenſis civitatis regiſtris agrariis ſeu indicibus prædiorum vulgo *Erd-Bücher* laudantur *Rodeherren*, qui novalia adminiſtrarunt curamque geſſerunt, ut inculti agri ad cultum uſumque redigerentur. Quod idem docent vetuſta *Ditmarſiæ*, *Eidorſtadiæ* inventaria; quorumque fide id ſimul conſtat, quod *eremi*, *terræque incultæ* mari ſenſim detractæ & novales aliæ pertinuerint ad curam uſumque privatorum. Fidem vero laudato etymo conciliant DUFRESNE *T. 5.* voce *Rupturarius p. 1543.* & SPELMANNUS *gloſſar. p. 495.* ubi rutarius vel rotarius dicitur agricola ſeu colonus, qui agros proſcindit. Explicatu inde facile eſt vocabulum in chartis Holſaticis ſpeciatim *Bordesholmenſibus ad a. 1245.* & paſſim occurrens *Rutha* ſeu *Roda terræ & eccleſiæ*, germanice *eine Rute Landes*, agri novalis tractus, emenſuratus, hodie aliquando terræ portio, quæ complectitur XL. perticas. Cum thetiſco illo, quod raro fit, coincidit Slavicum *radaju*, quod Sorabis hodieque denotat *radere*, incultum agrum rumpere, teſte FRENZELIO *Orig. Sorab. p. 733.* Nec multum recedit Suevicum *Rættare*, *rættareting* ruſticorum judicium; *rodoriitt* jus roslagiorum, docente LOCCENIO *Ant. Sueo-Goth. L. 2. c. 6.* Accedit concentus vocis Islandicæ *rota*, *rioda*, exſtirpare, novalia facere, excolere, docente VERELIO *in indice.* Quin Gallicum *roturier* cum Germanico *roden* & latino *rodario* convenit; denotans hominem ruſticum, plebejum prædio colonario, non libero & feudali ſeu nobili, dignum vel inſtructum. Accedit vox *banqueroutier*, qui menſam ruptam habet & numulos perdidit. Forte etiam in *Speculo Saxonico L. 3. art. 51.* canis, qui oves contra lupos tuetur, a lacerando dicitur *Scaprode*. Et notum eſt linum frangendum vel macerandum hodieque venire ſub formula *röde*. Cum quo convenit Anglo-Saxonicum *forrotten*, marceſcere, culturam uſumque amplius non admittere. Non dubito, a *rote* ſeu rumpendo explicandum eſſe hodieque uſitatum nomen *Rottmeiſter*, magiſter catervæ coadunatæ, catervæ ruptorum tumultuantium. Quo ſenſu vox *Roudæ* ſeu *Rotte* a RYMERO explicatur ex chartis Anglicis. A quo parum abeunt, qui *Rotte* dicunt conglomeratam ſocietatem, radicibus quaſi inter ſe cohærentem. Quorſum faciunt Suecicum *rotta* conglomeratio, *root* radix, græcum ῥίζα, docentibus prolixius STADENIO *in Voc. bibl. p. 514.* WACHTERO *Gloſſar. p. 1309. ſeqq.* Forte antiquum illud Cimbriæ oppidum *Apenrade*, vulgo a *Rede*, *offne Rede* deductum, hunc ſignificatum ultro admittit. Quemadmodum oppida *Hartzgeroda*, *Wernigeroda*, *Reutlingen*, *Bareuth*, a novalibus agris & rupturis originem denominationis traxiſſe videntur; eruta quippe & exciſa ſunt e ſylvis, montibus & terris incultis, coacta in locos novales cultos & habitabiles.

Concentus linguarum ſeptentrionalium aliarumque.

q) Perſpexit hoc PHILIPP. JULIUS REHTMEIERUS *Theologus Brunſuicenſis & de hiſtoria patriæ præclariſſime meritus Tomo II. Chron. Brunſv. Luneburg. in append. p. 1787.* Poſtquam enim occaſione laudati diplomatis Friderici I. de inveſtitura epiſcopatuum transalbinorum recte notaverat, quod imperantes ad gratiam & poteſtatem, quibus alios vincunt, deſignandam ſæpiſſime voce munificentiæ & donationis utantur, etiam in illis caſibus, quibus juſtitiam adminiſtrant vel non nova jura & beneficia conferunt, ſed vetera & pleno jure antea poſſeſſa ſaltim confirmant, appoſite ſubjunxit hoc judicium, quod ipſius verbis repetimus: *Iſt nun die Frage, vvas für ein genus munificentiæ zu verſtehen? Originaria, daſs Henricus Leo das Land ultra Albim von der Freygebigkeit oder Schenckung des Kayſers gehabt, kann nicht verſtanden werden, nachdem er das Land vom Kayſer* FRIDERICO I. *nicht gehabt, geſtalt er es ſchon vorhin gehabt; vom vorhergehenden Kayſer* CONRADO III. *noch weniger, als welcher ihm und ſeinen Vater vielmehr das ihrige nehmen vvollen, ſondern durch die geführte Kriege gehabt; und alſo jure belli; daher dann der Kayſer Fridericus I.* HINRICO *Leoni nicht etvvas, vvelches er juſto & ad acquirendum idoneo titulo ſchon gehabt, ſchencken können; iſt alſo ein alterum genus munificentiæ, acceſſoria noch übrig, daſs nehmlich der Kayſer genehm gehalten und beſtætiget habe, daſs Henricus Leo das Land unter ſich gebracht habe.* Illud vero, quod de Friderici I. ſtatus ratione, ſtilo curiali & invectis in Germaniam juris Longobardici formulis aſſeruimus, eximio teſtimonio comprobat reverendiſſimus Abbas DE BESSEL *prodromo chronici Gottvvic. p. 369.* *Jungimus*, inquit, *his*, *quod* FRIDERICUM I. *vocabulo* REGALIUM *inter ceteros primum fuiſſe uſum inveniamus, ut ex capitulatione ejus de a. 1159. apud* LUNIGIUM *T. I. Cod. Ital. diplomat. p. 391. ſeqq. & ex famoſa ejusdem de regalibus conſtitutione, quam de feudorum uſibus inſertam habemus, pateſcit, unde etiam ſingularibus* MERI *ac* MIXTI IMPERII *in diplomatibus utitur. Ex quibus eruitur, Fridericum I. circa terras beneficiales præter conſuetudines in* IMPERIO HACTENUS USURPATAS *plurima ſimul ex jure feudali* LONGOBARDICO *traxiſſe.* Quod ulterius probant RADEVICUS *Ottonis Friſingenſis continuator, de rebus geſtis Friderici I. L. 2. c. 7. Guntherus in Ligurino L. 8.* OTTO de S. BLASIO *in Continuat. ad Radevicum c. 14.*

Vocis munificentiæ imperialis explicatio.

Friderici I. formulæ juris Longobardici.

r) Quod argumentum luculenter inſtruunt GUDENUS *Syllog. diplomat. præf. p. 9-12.* Dn. DE BESSEL *d. l. p. 27.* HERGOTTUS *geneal. Auſtr. diplom. p. 8. ſeqq.*

s) In notis ad diplomatarium Raceb. I. num. 1. diſſentientem citavimus Dn. DE LUDEWIG, qui tamen

etymologicis argumentis observatiunculas sub manu natas. Quibus plures rerum, verborum formularumque de Sadelbandia *t*), Marcethinc *u*), Bedis *v*), servitiis, decimis, justitiis *w*), feudis concessis et resignatis *x*), jurisdictione colli & manus, advo-

---

Principum jura investiendi episcopos.

men in nuperrimo doctissimo libro *de juribus feudorum* aliter statuit, & de Henrici Leonis jure nominandi episcopos rectissime ita sentit: *In Germania*, inquit, *episcopum aut sacrum antistitem inauguravit olim ille, qui largitus fuerat patrimonium sacrum ecclesiæ & collegii, principio Duces, deinde Reges, post iterum Duces jure postliminii: specimen luculentum est in Arnulpho Bojoariæ Duce, in* SAXONIÆ *Ducatu Henricus* LEO, *qui ut conditor novorum episcopatuum sibi jus adpellandi episcopos pariter ante tribuit, quam ejus sibi ab Imperatore rogaret indulgentiam. Loquatur* HELMOLDUS *L. 1. c. 87. Henricus Leo posuit episcopum in terra Obotritorum Bernonem, & facta postulatione obtinuit apud Cæsarem autoritatem episcopatus suscitare, dare & confirmare in omni terra Slavorum, quam vel ipse vel progenitores sui subjugaverint clypeo & jure belli. Verum Dux ille ante jam instituerat episcopatus, quam a Cæsare hanc indulgentiam impetrasset. Ultimum ergo tribuendum est Ducis prudentiæ, qua in tanta Imperatoris adversus ipsum suspicione eam noluit vehementius irritare. Verum diu post Pomeraniæ Duces Caminenses episcopatus conditores sibi Cæsare insalutato ideo jus episcopum & nominandi & inaugurandi sumserunt. Quod abunde declaravit* VALENTINUS WINTHERUS, *qui sub fictitio* WUJÆ *nomine Caminensia descripsit, a nobis tom. II. rer. Germ. exhibita ultimo loco.* Quod ipsum argumentum illustris autor *d. l. & p. 712.* ulterius persequitur. Eandem sententiam tam rationibus historiarum quam jurium ecclesiasticorum & territorialium egregie stabilivit summe Reverendus Nostras PHILIPPUS FRIDERICUS HANE *Consiliarius supremi consistorii S.S. Theologiæ D. & Professor in hac Alma meritorum laude conspicuus, in antiquitatum ecclesiasticarum Mecklenburgensium spec. I. de Episcopis in Megapoli primitivis ed. Rostochii a. 1712. sect. 2. §. 5. seqq.* ubi jura sacrorum & potestatem constituendi episcopos Henrico Leoni optime vindicans rem acu tetigit, asserens, *quod in diplomate Friderici I. Imperatoris concessum denuo legatur Henrico Leoni, quod jam antea* HEREDITARIO *jure possederat, legitimum in Saxoniæ Ducatum & Slavorum terram* DOMINIUM.

Sadelbandiæ mentio in diplomatibus Raceburgens.

t) Cujus terræ tractus mentio singularis sæpius injicitur in diplomatibus Raceburgensibus. Præcipue a. 1154. *in memoria & registro villarum ac redituum episcopatus;* a. 1157. *in privilegio confirmationis Adriani Pontificis IV.* a. 1158. *diplomate Hinrici Leonis de fundatione ecclesiæ Raceburgensis ejusque libertatibus:* a. 1170. *charta Henrici Leonis de villis donatis in usus episcopales;* a. 1174. *in litteris Henrici Leonis de villarum ecclesiæ libertatibus & exemtionibus;* a. 1236. *in charta Friderici II. Imperatoris de privilegiis & investitura bonorum Raceburgensium;* a. 1247. *in tabulis Ludolphi de banno Episcopi in Sadelbandia.* Ut plures taceamus. Inter diplomata Bordisholmensia a. 1349. occurrunt non solum litis inter Wilstrienses & Neomonasterienses circa bona in Wilrekesmore sita exagitatæ compositio, qua memorabili formula provocatur ad *adjudicationem* JURE CIVILI & BANNO SAXONUM *de minori judicio ad majus de primo ad tertium more terræ factam sententionaliter;* sed etiam notabiles litteræ leguntur, quibus terra ZASSENBANN *cum pascuis & pratis & cum omni proprietate, sicut jacet in suis distinctionibus in terra Wilstria, a conventu Bordisholmensi a. 1377. vendita est* KÆDINGIO *cuidam ejusque heredibus.* Vide *Diplomatarium Bordisholm. num. 199. & 246. p. 189. 249.* Nec destituta sunt diplomata Sverinensia memoria SADELBANDIÆ, quam & Henricus Leo in *supra laudata charta fundationis episcopiæ seu ecclesiæ Sverinensis de a. 1170. 1171.* a LÜNIGIO, LINDENBROGIO aliisque edita, & Pontifices Alexander et Coelestinus *in tabulis confirmationis hujus episcopiæ de a. 1177. & 1191.* luculenter indicant. Demum etiam hanc formulam observavimus in *instrumento divisionis & transactionis inter Duces Saxo-Lauenburgenses, Ericum seniorem & juniorem ac Albertum ab una & Electores ac Principes Saxoniæ lineæ Wittenbergensis Rudolphum, Albertum & Wenceslaum ab altera parte initæ a. 1312.* quibus terra Sadelbandiæ castello principali *Lauenburgo* perenni jure addicitur, ac Sadelbandiæ termini ac fines ita describuntur: *Das beschlossene Land zwischen allen Herrschafften, Voigtheyen, Gerichten und Herrlichkeiten, das genennet und geheissen ist das Land zu* SADELBENDEN, *das sich anhebet vor der Landwehre zu Lubeck, auf jene halbe zu Crummesse, auf dieser Seiten des Wassers nach der Traven, das sich menget mit der Gravschafft zu Stormarn and fort zwischen der Traven und alle in die Länge nieder für alten* MÖLLEN, BREDENFELDE *und* HERGENBECKE, *und fort gräntzet und rühret auf die Bille und sich breitet und vvendet bis an die Vogthey zu Lauenburg zvvischen allen andern Vogtheyen.* Quod instrumentum editum est in actis Holsaticis vel Saxo-Lauenburgicis ad oppidi Mölleni reluitionem pertinentibus a. *1670.* et nuper a JO. GEORGIO DE PLOENNIES *adsessore cameræ Imperialis Schediasmate de Ganerbinatu Saxoniæ inferioris* SADELBAND *dicto* apud doctissimum D. ESTOR *in select. German. opuscul. p. 7. p. 517. seqq.* Qui et ipse succinctam veteris de Sadelbandiæ in Saxonia inferiori situ et terminis relationem ex actis in camera Wetzlariensi olim ventilatis laudabili studio erutam *parti XI. opusculorum p. 399. - 415.* inseruit. Amplior vero de Sadelbandiæ originibus, indole, significatu, marchia et regionibus horumque colonis, foedere, jure singulari & banno olim, hodieque præcipue in terra Wilstriæ coadunatis, dicendi locus alibi patebit.

Bordesholmensibus.

Sverinensibus.

Saxonicis.

u) De quo vide *chartas Raceburgenses ad ann. 1169. 1170.* & *Dn.* GRUPE *laud. Observat. p. 747. seqq.*

v) Præcipuas, quæ Bedarum indolem in lucem constituunt chartas Raceburgenses citatas vide *supra not. a.*

w) Quarum varius significatus nunc juris, nunc judicii, nunc bonorum, redituum et prædiorum e diplo-

advocatis terræ & civitatum *y*), miniſterialibus & militibus *z*), communibus terræ placitis & conſuetudinibus *a*), vara ſeu warandia *b*), alienationibus nonniſi prævio conſenſu heredum factis *c*), de Cimbriæ Holſatiæque colonis adſtrictis ex ſola

---

plomatibus optime explicatur; vide *h. l. chartas ad a. 1205. 1217. & diplomatarium Mecklenburgicum a. 1232. 1240. ſeqq.*

x) Vide chartas *ad ann. 1246. 1252. 1264. 1273 1286. 1302. 1377.*

y) De quibus diplomatarium ad ann. *1238. 1273. 1277. 1282. 1285. 1288. 1291. 1376. 1377.* Addatur GRUPENIUS *antiquit. Hannover. p. 149. - 223.*

z) *Diplomatar. d. l. ad ann. 1286. 1289. 1291. 1292. 1293. 1294. 1295. 1299. 1313.*

a) *Diplomat. d. l. ad ann. 1302. ſeqq.* Adde chartas apud GOLDASTUM *antiquit. Alemann. T. II. P. I. n. 93.* LUDEWIGIUM *reliquiar. MSCt. T. 7. p. 30. T. 9. p. 542. ſeqq.* STAPHORSTIUM *T. I. p. 648.* SCHANNAT *Corp. Trad. Fuldenſ. n. 313.* Fruſtra Saxonicae terrae placita et Leges Holzatorum pro ſpeculo Saxonico accepiſſe videntur plures cum ENGELBRECHTIO *commentat. de utilitate ſtudii jur. German. p. 58.* Intelliguntur enim rectius avitae conſvetudines et Leges patriae, non Speculatoris collectiones, argutiae et additamenta. Quod vel ſponte patet ex chartis antiquis Holſaticis, quae conſuetudinis & *Euvvæ* h. e. Legis ſeu juris patriae mentionem luculenter injiciunt; ut et plenius cognoſcitur ex HELMOLDO. *L. I. c. 48. Presbytero Bremenſi c. l.* ADAMO *Bremenſi L. 2. c. 19.* et *ipſo Speculatore Saxon. L. 3. art. 64.* Quorum aſſerta optime explicantur ex reliquiis MSCtis ſententiarum in judiciis Holſaticis et Cimbricis vulgo *Ding und Recht* Saeculo XIII. XIV. pronunciatarum, quarum vetuſtus codicillus *Dingboc* inſcriptus h. e. *liber ſententiarum judicialium* nuper in manum incidit; inter quas tamen nullae quidem inveniuntur attemperatae ad normam ſpeculi Saxonici. Facit huc quod SCHILTERUS *in præfat. juris Alemann. p. 6.* ex GVILIELMI LOMBARDI *gloſſis, Legibus Anglorum adjectis* obſervavit, quod Saxones veteres uſi ſint libro judiciali DOMBEC vocato, h. e. judicii protocollo ſeu libro ſententiarum, teſte ipſo BEDA *L. 2. hiſt. eccleſiaſtic. c. 5.* ubi *Ethelberti* regis *decreta* judiciorum idiomate Saxonico ſcripta laudat. *Dohm* enim Cimbris idem eſt ac ſententia, *Domer* vero judex, *Eröffnung des Dohms* ſententiae publicatio. Vide *conſtitutionem Friderici II. regis a. 1586. ordinat. provinc. Holſat. P. 3. T. 24. Jus Juticum L. 2. c. 1. & notulam ad diplomatar. Neomonaſter. num. 6. p. 16.* *Jura Holzatiæ antiquæ.*

b) *Diplomatar. d. l. ad annum 1373. 1376. 1377. & diplomatar. Bordisholmenſe ad ann. 1470. 1475. 1479. ſeqq.* Addi merentur monumenta et chartae apud b. HEINECCIUM *lib. 2. antiquitat. Goslar. p. 219.* LEIBNITIUM *T. III. ſcript. Brunſvicenſ. p. 522. ſeqq.* LUDEWIGIUM *Reliquiar. Tomo I. n. 1. p. 6.* BECKMANNUM *Hiſtor. Anhalt. P. 5. p. 27.* PFEFFINGERUM *hiſt. Luneb. T. 2. p. 606. 610.* GEORG. ROTHIUM in notis *ad diploma Ottonis IV. Stadenſibus anno 1209. irrogato c. 2. p. 13. ſeqq.* Quo loco eruditus ROTHIUS vocem *Varam*, quae in diplomate laudato JURICAPIUM dicitur, interpretatus eſt *Varech* ſeu occupationem, jus, quo uſi ſunt judices et advocati pagorum olim contra eos, qui in via publica bonorum vel mercium jacturam fecerant. Plures vero Varam ſeu juricapium accipiunt cum LEIBNITIO *in præfat. ad Tom. III. ſcript. Brunſvic. p. 17.* pro evictione ſeu Warandia, quam tamen explicationem vox, prouti diplomatum tenor docet, haud ubique admittit. Judicii ſignificatum ipſi tribuunt MUSHARDUS *in monumentis nobilium familiarum Ducatus Brem. & Verd. Tit. van der Vare p. 523. ac* WALLICHIUS *relat. de incendio Stadano p. 109.* Rectius ſpeciatim ad jura advocatiae illud retulit DN. GRUPENIUS *obſervat. 4. p. 919. ſeqq.* Placitum ſeu conventum juris dicundi cauſa indictum vir excellentiſſimae eruditionis HEINECCIUS *elem. jur. Germ. Tom. II. p. 411.* intelligit, ratione haud tamen congrua motus, quod ſuo quisque periculo *Vara*, *ut putat*, *germanice Gefahr*, ſeſe ſtiterit huic judicio. Cui explicationi adducta nomina placitorum, *lotdĕng* et *botding* parum favent. Alii illud juricapium explicant deprehenſionem, cuſtodiam, arreſtum, detentionem civilem, captionem, docente DUFRESNIO, SCHILTERO et SPELMANNO in vocibus *Vara & Vare* iterumque alii malunt forum competens, VAERNETING dictum, de quo vide LUDOVICUM HOLBERGIUM *virum doctiſſimum in hiſtoria ſtatus & Imperii Daniæ p. 775.* Nonnulli obſtagii jura, jus capiendi obſtagii violatores comminiſcuntur; quibus item illi contrariantur, qui nunc præſcriptionem jurisdictionis, nunc et expeditiones, quae jure feudali Saxonico *Hervard vare* dicuntur, indigitari exiſtimant, nunc poenam juris, iterumque exceptionem ante litis conteſtationem opponendam, et demum jura intelligi ſtatuunt naufragorum ſeu jura capiendi *bona* WRECCA, h. e. peregrina, e naufragio ad littus appulſa vulgo *Strand-Recht Fahr-Recht*, barbaro Latina et Anglo-Saxonica voce WARECHIUM, *Wareck*, explicantibus BENSONE, HICKESIO et ECCARDO *in Anglo-Saxonicis & rebus Francicis.* *Opinio Rothii.* *Leibnitii.* *Muchardi, Wallichii.* *Grupenii.* *Heineccii.* *Schilteri, Spelmanni.* *Aliorumque*

c) Quæ formula diplomatibus et inſtrumentis alienationum rerum allodialium et immobilium ex rationibus juris Germanici plerumque inſerta legitur. Docet hoc *diplomatar. Raceb. h. l. ad ann. 1245. 1291. 1299. ſeqq. & diplomatar. Mecklenb. ad ann. 1167. 1172. 1190. 1192. 1198. 1219. 1220. 1224. 1240. 1244. 1249. 1250. ſeqq. 1299.* Dignae omnino ſunt, quae addantur tabulae alienationum hac formula luculenter inſtructae apud PONTANUM *hiſt. Geldriæ L. 5. p. 73.* SCHATENIUM *annal. Paderborn. ad a. 1237. p. 33. a. 1265. p. 168. p. 416.* CAROLUM MEICHELBECK *hiſtor. Friſing. Tom. I. P. 2. n. 55. ſeqq.* HARENBERGIUM *hiſt. diplom. Gandersheim p. 245. ſeqq.* RETHMEYERUM *hiſt. eccleſiaſt. Brunſvic. Luneb. T. 1. addit. p. 32.* GUDENIUM *ſyll. diplomat. 83. ſeqq.* SENCKENBERGIUM *ſelect. jur. & hiſt. T. 2. p. 502.* SCHANNATUM *vindem. litterar. p. 65.* *De conſenſu hæredum in alienationibus.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sola & gratuita dominorum conceſſione & inveſtitura prædia poſſidentibus *Lanſten, Lanten, Landbo* d) vocatis, & de colonis proprietariis prædia ſeorſim ſuoque jure poſſidentibus, *Bunden* vel *Bönden* appellatis *e*), de jure uſufructuario filiarum nobilium

---

p. 65. 67. 88. 124. LEUCKFELDIUM *in antiquitat. nummor. Halberſtad. p. 105. illuſtr. Dn. de* LUDEWIG *T. I. Reliqu. MSCt. p. 14 29. 35. 48. 52. 53. 63. 65. 109. 249. 286. 296. 300. 304. 313. ſeqq. T. 2. p. 253. ſeqq. 365. ſeqq. T. IV. p. 31. 43. 53. 117. 119. 123. 125. 165. 169. T. V. p. 93. ſeqq.* CHRIST. GOTTLIEB BUDERUM, *virum clariſſimum in collectione documentorum ineditorum num. 16. 20. ſeqq.* HERGOTTUM *genealog. Habspurg. diplomat. cod. prob. n. 524. T. II. P. 2. f. 433.* JOH. GOTTLOB HORNIUM *in collect. bibliothec. hiſt. Saxon. p. 5. p. 493.* FRIDR. GVIL. PISTORIUM *amoenitat. hiſt. juridic. P. 3. p. 531.* Inſignes hujus formulae rationes Germanorum domeſticas et effectus legales ex jure Saxonico & Alemannico et avitis veterum Germanorum inſtitutis doctiſſime eruunt et exponunt DE LUDEWIG *differ. jur. R. & G. in donationibus differ. 5.* BÖHMERUS *diſſ. de fundam. pactorum familiæ ad fidei comm. inclinant. c. 2. §. 4. ſeqq. & diſſ. de fundamentis retractus duplicis in agris Hamburgenſ. c. 1. §. 26.* HEINECCIUS *elem. jur. German. T. I. p. 489. ſeqq.* BUDERUS doctiſſima *diſſertat. de juris retractus gentilitii in Germania origine §. 51. ſeqq.*

Lanſten apud Holſatos.

d) Quorum ſæpius mentio injicitur in laudatis chartis præcipue Holſaticis et Cimbricis. Vide *Diplomatarium Bordisholmenſe ad a. 1462. 1465. 1485. 1488. 1502. 1512.* Dictos illos haud putarim a *laza* ſilva, nec a lanceis ruſticis docente SPERLINGIO; nec a LASSEN remittere, putante LUDEWIGIO *jur. client. p. 226.* multo minus a *laten* tolerare, permittere, ſervare, quaſi homines dixeris in occupatis Slavicis provinciis indultu victorum Saxonum vita non privatos ſed ſervitutis cauſa ſervatos, vti opinantur ECCARDUS *ad Leg. Salic. Tit. 15. gloſſar. V.* aliique a gloſſatore ſpeculi Saxonici *L. 2. art. 57.* et ALBERTO STADENSI *ad ann. 917.* ſeducti; nec a voce LOT vel *löſen* tributum, vectigal ſolvere, cenſum praeſtare, docente GUNDLINGIO *diſſert. an nobilitet venter? c. 2. §. 3.* neque a Letis populis antiquis ſub Conſtantino M. docente POTGIESERO *de ſtatu ſervorum L. I. c. 4. p. 247.* nec ab Anglo-Saxonico *læſſa* homine plebejo, infimo, conjiciente WACHTERO, *gloſſar. h. v.* nec ab Anglico *Lid* vel *lad*, mamo juvene, homine ſervo, putante BURIO *in commentar. ad Schilteri jus feudale p. 67. & 1050.* neque a *laßen* dimittere, manu mittere, quae eſt opinio *domini* DE GOEBEL *diſſert. de ſingularib. quibusdam prædiis in terris Brunſvv. p. 102.* nec denique a barbaro Latino *Litone, Litis* vel *Leegiis*, ſeu theotiſco *Lüde*, populo ſerviente, ſubjecto, aſſerentibus EYBENIO *in elect. feud. p. 534.* STRUVIO *jurisprud. feud. p. 1691.* ſed vel a *Land* & *ſaten*, quaſi illos Landſaſſos ignobiles, ſervos ſeu homines fundis domini adſcriptos vel adpoſitos dixeris, eo jure modoque, quo alii dicuntur *coſati, inſeten* vel *inſten* ſeu inquilini; vel rectius a Cimbrico *Lan*, quod cum Danico & Gothico coincidit, et idem ac *commodatum, gratuitum, ex beneficio conceſſum* ſignificat, et a *ſeten* vel *ſitten*, ſedere, poſſidere, quaſi illos appellaveris beneficiarios poſſeſſores, colonos prædiorum conductitios vel ſervientes. Quod etymon *Franciſcus Junius in gloſſar. Goth. p. 232.* LOCCENIUS *ſynopſi juris Sveo-Goth. voce Lan* & STIERNHELMIUS *gloſſar. Ulph. Gothico* explicate probant, quin UBBO EMMIUS *in rebus Friſ.* & MATTHÆUS *tractat. de nobilitat.* appoſite illuſtrant ex moribus Friſiorum et Batavorum, quibus hæc ſervorum genera vocantur *Lanten*, et prædia eorum *Landgod* prædia conceſſa. Praecipue illud ſtabilitur antiquis documentis et diplomatibus dignis omnino, quae evolvantur apud LUNIGIUM *ſpicil. eccl. P. II. p. 400. 408.* LEIBNITIUM *T. III. ſcript. Brunſv. p. 437.* GOEBELIUM *diſſ. de jure & judicio ruſtic. p. 161. 163.* SCHATENIUM *annal. Paderb. p. 144. 195. ſeqq.* SCHOTTELIUM *in ſingular. antiquis jur. Germ. c. 2. §. 1.* Quibus addenda ſunt diplomata Holſatica Sæculi XIV. & XV, quae Lanſtorum cum prædiis ſervitiis et operis aliquando venditorum mentionem injiciunt, ut et ipſa jura *Danica & Cimbrico-Jutica*, quae vocibus *Laan, Lanſten, Landbo* vel *Landbauer, Kandbo Töffte* ſæpe utuntur, iisque nonniſi prædia vel bona in beneficium conceſſa, ruſticos et homines ſervientes eorumque ædiculas, domicilia & horrea, vulgo *döfte* ſeu *hoffſtäde*, luculenter indigitant. Vide *Lovvbuch L. I. c. 55. L. 2. c. 33. c. 114. L. 3. c. 11. 12. 13.* OLAVI *Regis Dan. conſtitutionem de ann. 1376. §. 24. jus novum Selandicum L. 3. c. 13. L. 5. c. 8.* Videtur et idem fere innuiſſe GLOSSATOR *ſpeculi Sax. ad L. II. art. 57.* ubi ita: *We in Saſſen tho Tinsgude gebohren is, dat is en* LATE, *und he mag des Gudes ane ſines Herrn Orlof nicht vortyen.* De indole vero operis et ſervili *Latorum* ſeu *Lantorum Laſſorum* et *Lanſten* conditione ex moribus veterum Germanorum, Batavorum et Holſatorum egregia multa obſervarunt POTGIESER *comment. jur. German. de ſtatu ſervorum L. I. c. 3.* RÖHMERUS *diſſertat. de imperfecta libertate ruſticor. per Germaniam §. 7.* DANCKWERTH *deſcript. Ducatus Cimbr. P. I. c. 3. p. 22. & obſervat. peculiari in diurnis Halenſibus a. 1733. p. 673. ſeqq.* GRUPENIUS *d. l. obſervat. 4. c. 2. p. 1018. ſeqq.* De colonis eccleſiaſticis *Kirchen Lanſten, Cloſter Lanſten, Capituls Lanſten, Corpus mannen* plura occurrunt in diplomatariis Cimbricis et in inventario reditvum Capituli Slesvicenſis de anno 1161.

Eccardi.

Gundlingii.

Potgieſeri.

Wachteri.

Burii.

Goebelii.

Eybenii.

Alia ex idiomate Cimbrico & Gothico.

Fideque diplomatum.

Juri um Cimbricorum & Danicorum

& JCtorum.

Bondonum etymon ex idiomate & moribus Svecorum.

e) Quorum praedia dicuntur *Bondehufen*, agri jure proprio adquiſiti, hereditarii, gentilitii. *Bond* enim idem eſt ac proprium vel certo modo liberum. Quod apud LOCCENIUM *d. l.* & SCHEFFERUM *Upſal. ant. c. 16. p. 322. ſeqq.* abunde docent Svecica vocabula *frälſisbönder* h. e. cives vel ruricolæ immunes, *Landbo* vel *Landbönder* coloni de prædiis ſuis tributum pendentes, *Allemenningsbönder*, qui partem publici fundi conduxerunt, *Skattebönder* cives tributarii, *boandismann* poſſeſſor proprii fundi, *Odalbonde* allodialium et avitorum bonorum Dominus, *bonde rykr*, ruſticus opulentus. Quid? quod apud Svecos nomen *Bonde* vel *Bondonum* inditum olim fuerit civibus omnibus, domicilium et familiam ſibi habentibus, docente JAC. WILDIO *in Svecia*

lium Mecklenburgenſium *f*), de originibus & rationibus obſtagii *g*), de nexu Holſatiæ Imperiali & feudali ejusque hiſtoria ab Ottone M. usque ad Sæculum XVII. & de rationibus collatæ ab epiſcopo Lubecenſi anno *1438. 1489. 1493. ſeqq.* nomine & vice Cæſaris inveſtituræ Holſaticæ *h*) & de aliis momentoſis cauſis explicationes hoc

Sveciæ hiſtor. pragmatica c. 3. ſect. 1. §. 11. p. 296. ſeqq. ubi præcipue eruendo hujus vocabuli ſecundum temporum varias vicissitudines varianti ſignificatui operam addixit. Conſonant egregie Danica et Cimbrica nomina *Atelbonde*, avitus dominus, ingenuus poſſeſſor; *Hoſsbonde* prædii vel domi proprietarius, pater familias; *Indebonde*, inquilinus, colonus domeſticus quem dominus ſeu proprietarius prædio inveſtitit; *Bondens Bryde* Bondonis villicus, vulgo Meyer; *Selveyer bönderſen, Jordegne Bönder*, qui jure emtionis vel hereditatis prædia eaque a præſtationibus pecuniariis immunia poſſident; *Oldesbönder*, poſſeſſores praediorum avitorum jure nobilium proxime inſtructi; *fæſtebonde, Leyebonder, Büxelbönder* ſeu *Miethebönder, Pacht Bauern*, coloni conductitii inveſtiti adeoque et ad operas & ad annuam praeſtationem *Landgilde, Landbede* Domino obligati; *Frybonde* praedii liberi, ſeu allodii proprietarius a cenſu & praeſtationibus immunis; *bönderſache, bondebrüche, bonde rechte*, aliaeque voces; quae ſingulae explanatius leguntur in *jure* JUTICO, quod *Lovvbuch* dicitur, *L. l. c 3. 34. 35. 36. L. 2. c. 51. 98. 103 L. 3 c. 7. §. 40. Codice juris Chriſtiani V. L. 3. c. 12. L. 5. c. 3. Ord. Holſat. provincial P. I. Tit. 3. p. 3. Tit. 16. §. pen.* Quibus commentarii inſtar accedunt argumenta varia de ſignificatu et ſtatu *der Bönder* ſeu *Bondonum ruſticorum* antiquis et noviſſimis ex idiomate, moribus et inſtitutis Danorum egregio ſtudio conducta ab HOLBERGIO *hiſt. ſtatus et regni Dan. c. 7. p. 609*, qui praecipue jura et indolem *Selveyer & faſtebönder*, ut & *ſervorum* et *Vornedum*, h. e. hominum propriorum ſeu glebæ adſcriptorum luculentiſſime deſcripſit. Nec deſunt Germaniae documenta et diplomata quibus *Bunnariorum* ſeu *Bonnuariorum* ſtatus, jura et praediorum indoles in apricum proferuntur, quae exſtant et laudantur apud DACHERIUM *Spicil. T. IV. p. 9. T. XII. p. 499. 501.* BALUZIUM *in notis ad Reginonem de diſcipl. eccleſ. L. I. c. 12. illuſtrem Dominum* DE LUDEWIG *jure clientel ſect. I. c. 3. §. 5. p. 52. ſeqq.* POTGIESERUM *d. l. p. 194. ſeqq.* Quibus accedunt Leges et formulae veterum Germanorum, quas recitavit LINDENBROGIUS *in gloſſario ad codicem Legum antiqu. p. 1366.* Sponte igitur puto concidit eorum opinio, qui *Bundarios* dici malunt *Wunnarios* eosque vocare ſatagunt hortulanos a *Wunne*, paſcua, horto, de quibus POTGIESERUS *d. l. p. 196.*

Danorum & Cimbrorum

Germanorumque.

f) Quod vulgo ex privilegio Alberti II. Ducis Megapolitani et Regis Sveciae a Daniae Semiramide Regina Margaretha victi repetitur, addita ratione, quod Nobiles feminae Megapolitanae illum mundo muliebri e captivitate redimerint. Quod fide MARESCHALCI *annal. Herulor. L. 7. c. 3. Tom. I. monument. p. 307. & vit. Obotritarum L. I. c. 90. h. l. p. 1554.* omnes fere patriae ſcriptores fidenter incruſtant. Licet inter Alberti Ducis diplomata, quae in archivo Ducali et in codicibus MSCt. fide dignis ſervantur, ne veſtigium quidem privilegii laudati reperiatur; argumenti etiam ipſius hiſtoria origines et rationes rerumque circumſtantiae communi aſſerto oppido contrarientur; quin ipſi omnes, quotquot conſuluimus cum Daniæ tum Sveciae annales et hiſtorici, modum illum redemtionis, quae a nobilibus feminis facta dicitur ignorent. Quorum teſtimonia praecipue LOCCENII *hiſtor. Svecan. L. IV. ad ann. 1391. p. 117.* MESSENII, WEXIONII, IO. MAGNI, PERINKSKIOLDI, FORFÆI, HUITFELDII, MEURSII, PONTANI alibi recitabuntur. Pauca ad eandem cauſam facientia momenta attulit nuper ERN. AUG RUDLOFF *diſquiſit. de natalibus commentitiis juris uſufructuarii filiarum nobilium in Megapoli ed. Roſtochii 1738.*

De juris uſu fructuarii nobilium filiarum origine apud Megapolitanos.

g) Cujus locum paſſim apud Germanos olim occupavit poena Κυνοφορίας ſeu portationis canis, item portationis ſellae, obligatio ſub poena picturae famoſae, poena carceris obaeratorum des Schuld-Thurms, cetera. De originibus obſtagii et juribus univerſim fere in Germania olim receptis luculentis rationibus et exemplis diſpexerunt FALCKNERUS *diſſertat. de jure obſtagii* et *V. cl.* HEUBELIUS *peculiari opuſculo de jure obſtagii*; HAHNIUS *in introduct. in hiſtor. Germ. Imper. P. 4. c. 3. p. 122.* HEINECCIUS *T. I. element. Jur. German. L. 2. Tit. 16.* Quibus accedunt exempla adducta a Domino CAROLO FERDIN. JUNGEN *miſcellaneorum T. I. n. 3. p. 38. ſeqq.* MADERO *antiquitt. Brunſv. &* SCHILTERO *in praxi Juris Roman. in foro Germanico.* Ad Holſatiæ conſuetudinem et uſum ſpeciatim reſpiciunt AMTHORIUS *tract. de obſtagio*, REYHERUS *de ſingularibus obſtagii juribus & Dn.* JOACHIMUS DE FRICCIUS doctiſſimo *opuſculo de obſtagio non infamante.*

Obſtagii jura apud Germanos.

h) *Diplomatar. Raceb. II. p. 1493.* Cui argumento enucleando haud parum inſerviunt GOLDASTUS *memor. Holſat. L. 1. P. 2. c. 13. 14. ſeqq. in Tom. I. monument. inedit. p. 1127.* MEURSIUS *hiſtor. Dan. L. 3. p. 97.* PONTANUS *hiſtor. Dan. ad ann. 1312. p. 408. ann. 1434. p. 596. ad ann. 1438. p. 611. a. 1443. p. 623.* CRANTZIUS *L. 8. Sax. c. 26. L. II. c. ult. L. 12. c. 8. Dan. c. 28.* PETERSEN *chron. P. 3. fol. 139.* CHYTRÆUS *Sax. L. 2. fol. 67.* MUNSTERUS *Coſmograph. L. 4. c. 16. p. 1156.* DANCKWERTHUS *deſcript. Ducatus Sleſwic. Holſat. p. 181. 228.* Quibus GUNDLINGIUS *in diatriba de feudis vexilli p. 55.* plura debet. Nec is diplomata et inſtrumenta hujus argumenti de anno 1434. 1438. primus produxit, utpote ante illum exhibita ab AUTORE *actorum Daniæ contra Daniam in cauſa fractæ pacis publicæ* et LUNIGIO *ſpicil. eccleſiaſt. T. 2. p. 441. 457. 460.* Conferatur et inſtrumentum de anno 1493. apud *Dn. de* LUDEWIG *T. 5. reliquiar. MSCt. p. 299. ſeqq.*

hoc loco ſubjungendæ eſſent, niſi ſpatio & tempore excluderentur. Quibus etiam conſtricti recenſionem heptadis conjectionum noſtrarum, quas ſupra in rem citavimus, de originibus Martinalium Sverinenſium & hujus generis ſolennitatum Slesvicenſium differre cogimur. Quam rerum ſpem factam propediem tamen abundeque explebimus praefatione ad Tomum III. quem annuente ſummo numine proximis nundinis exſpecta, indicibus ſimul nominum rerumque inſtructiſſimum. E muſeo Chilonii M.DCC. XXXX. ipſis Calend. Aprilis.

ERNEST. JOACHIM. DE WESTPHALEN.



SERIES CONTENTORUM
TOMI SECUNDI
MONUMENTORUM INEDITORUM.

I.

Diplomatarium Neomonaſterienſe & *Bordisholmenſe* e membranis & chartis authenticis erutum ab Ao. 1136. ad Annum 1570. Pag. 1

II.

Martini Coronæi V. D. M. Flinsbecenſ. *Antiquitates Coenobii Bordesholmenſis*, quæ ſiſtunt ejus Fundationem, Auctores atque Locum &c. p. 593

III.

M. Adami Bremenſis, *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Libri Primi Capita XXXII. notis Ottonis Sperlingii illuſtrata. p. 615

IV.

Claudii Chriſtoph. Lyſchandri Hiſtoriogr. Reg. Dan. *Origines & Antiquitates* CIMBRICÆ in quibus agitur de Japheto, ejus Liberis & poſteris, horumque regionibus & regnis, quæ occupantes poſſederunt, una cum populo & propagine, quam conſtituerunt & reliquerunt: inprimis de Gomero atque hujus potente ac numeroſa ſobole CIMMERIIS, CIMBRIS & VITTIS, ſeu DANICIS JUTIS *illorumque prima* ORIGINE, atque INTROITU *in has ipſas regiones, eorumque* MAJORIBUS, PRÆFECTIS, JUDICIBUS, STIRPE, FAMILIIS & REBUS PRÆCLARE GESTIS a Diluvio ad Regis usque DAN & Danorum regni initium. p. 692

V.

HISTORIA RERUM DANICARUM qua res, poſt exceſſum *Chriſtophori Bavari* vetuſtiſſimæ Regum Daniæ proſapiæ Regem ultimum, ſub REGIBUS E DOMO OLDENBURGICA CHRISTIANO I. JOANNE I. CHRISTIANO II. FRIDERICO I. CHRISTIANO III. & FRIDERICO II. geſtæ continentur; autore JO. ISACIO PONTANO, Reg. Hiſtoriogr. Tomus hactenus ineditus, Hiſtoriæ rerum Danicarum a *Pontano* Anno 1631. Libris X. editae continuationem complexus, quem ad Exemplar, quod in Bibliotheca publica Univerſitatis Havnienſis ſervatur, deſcribi curavit *Fridericus Roſtgaard.* Anno 1689. p. 714

VI.

Petri Saxii ab Eydora Friſ. *Exercitationes Hiſtoricæ* in Jo. Ad. Cypræi, Matth. Boethii, Nic. Helvaderi, Jo. Pomarii, Caſp. Hoyeri, Laur Adzen, Matth. Pampii, Juen Cnutſen, Ad. Trazigeri, Henr. Buntingii, Jo. Ranzovii, Peterſenii, Carionis aliorumque Annales. Scriptæ Anno 1657. p. 1230

VII.

D. Adam Tratzigers *Chronica der Stadt Hamburg*, a Carolo Magno usque ad Carolum V. Anno Chriſti 1557. geſcrieben. p. 1259

VIII.

Jan Heinr. Schroeteri de Guſtrow, Equit. *de Origine*, Geneagraphia, Progreſſu. Aucta Familia, Gubernatione, Vita & Rebus geſtis *Illuſtriſſimorum Principum Heſſiæ Landgraphiorum* a veteribus Cattis eorumque Gubernatoribus usque ad noſtrorum ſuperſtitum tempora deducti Commentarii tres. p. 1409

IX.

Nicolai Mareſchalci Thurii *Vitæ Obetritarum*, ſive Rerum ab Obetritis geſtarum Libri V. ex codice membranaceo Bibliothecæ Regiæ Stockholmienſis deſcriptæ Anno 1719. p. 1502

X.

Nic. Mareſcalci Thurii ad Virum inſignem Caſparum de nobili bellæ quercus familia, Ducalem Archigrammateum *Commentarii in libros geſtorum Obetritarum.* p. 1574

XI.

ADOLPHI IV. ex Comite Monachi Ordinis S. Franciſci *Memoria* e codice membranaceo cujus inſcriptio: *Denckelboeck S. Marienkerken tom Kyl.* p. 1584

XII.

Stemmatum Regum & Principum *Herulorum & Vandalorum* brevis hiſtoria p. 1594

XIII.

Joannis Friderici, Chemnitii *Genealogia Regum, Dominorum & Ducum Megapolenſium*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ejusque brevis explicatio. Notæ adjectæ pleræque sunt Jo. Christiani Beselinii Consil. quondam intimi Mecklenburgici. p. 1616

XIV.

Joannis Casselii *de Ducum Mecklenburgensium Originibus & Gloria* libellus scriptus in obitum Ducis JO. ALBERTI. p. 1726

XV.

Claudii Christoph. Lyschandri *Originum & Antiquitatum Megapolensium* liber, continens antiquorum Herulorum eorumque posterorum celebrem Obotriticam & Megapolitanam stirpem, ab *Hædenhugio* & postea ulterius a *Canuto* magno, Danorum, Anglor. Norvagor. Vandalorum Rege, usque ad Sereniss. Princ. REGINAM SOPHIAM, Potentiss. Danorum, Norvvagor. Vandalor. Gothorumque Regis & Domini CHRISTIANI IV. charissimam matrem. p. 1751

XVI.

Bernardi Hederici *Megapolis divisa & reunita*, seu de Ditionis Megapolensis inter Henrici Burevini II. filios in Tetrarchiam divisione & ejusdem rursus sub Henrico Crasso & Magno ejus filio in unum Corpus coalitione commendatio scripta Anno 1605. p. 1770

XVII.

Conradi Friedliebii a Fridensberg Regis Svec. Consiliar. Justitiæ in Pomerania *Jus Feudale Pomeranicum* vetus & novum. p. 1809

XVIII.

Episcopi Friderici *Constitutiones Ecclesiæ Sverinensis*, Clericorum officium maxime concernentes Anno 1238. p. 1970

XIX.

Chronicon Episcopatus Ratzeburgensis, a principiis Christianæ Religionis, percensens ejus fundationem atque Episcoporum ibi Vitas. p. 1983

XX.

Diplomatarium Raceburgense Primum ex membranis authenticis collectum ab Anno 1154. usque ad Annum 1388. curante præcipue *Hinrico Wittorp* Episcopo Raceburgensi & *Friderico* Priore. p. 1997

XXI.

Diplomatarium Raceburgense Secundum e *Georgii de Blumenthal* J. U. D. & Episcopi Raceburgensis collectione ab Anno 1389. usque ad Ann. 1524. depromptum reliquis, quæ in diplomatariis Mecklenburgicis occurrunt, omissis. p. 2294

XXII.

Origines Neomonasterienses & Bordisholmenses ex Chartis Diplomatibus & Codicibus MSctis tum & Alb Stadensis, Helmoldi, Crummedyckii, Cranzii, Lerbeckii, Jo. Petersenii, Cypræi, Lindenbrogii Annalibus & Chronicis nec non e Vicostadii, Vlr. Petersenii & Henrici Muhlii scriniis collectæ. p. 2337

XXIII.

Henrici David. Koepkenii D. & P. P. Rostoch. Solennia *Martinalia Sverinensia* addita conjectura de eorum origine. p. 2394

XXIV.

Abrahami Frencelii, V. D. M. Schoenavienf. *Etymologica Vandalica* & *Slavica Megapolitana*, ex Litteris ad B. *Georgium Westphalium*, Prof. Primar. & Senior. Eccles. Sverinensium scriptis eruta. p. 2404

XXV.

Recensio Statutorum, Fundationum, negotiorum, Privilegiorum, Jurium, bonorum, redituum, beneficiorum onerumque *Ecclesiarum Lubecensium*, e quatuor Codicibus Chartarum membranarumque authenticarum in summam contracta. p. 2421

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



I.

DIPLOMATARIUM NEOMONASTERIENSE ET BORDISHOLMENSE.

E membranis & chartis authenticis erutum

ab A. 1136. ad A. 1570.

PRæmissi sunt Versus antiqui (*) *de Vita VICELINI Episcopi, primi Præpositi NOVIMONASTERIENSIS.*

GESTA Patris primi bona Pontificis *VICELINI*
Isto tantillo comprendit musa libello.
Saxoniæ vicus *QUERNHAMELE* sit benedictus,
Qui genuit talem, dedit experientia qualem.
Wisara lactentem novit bene, *Brema* docentem,
Albia transvexit juvenem, *qui nos bene rexit*,
Defuncti vero cineres *ADLAMBIT HYRUNDO.* (**)
Anno milleno centeno bis duodeno
Completo, Verbum quo subluxit, caro factum,
Dum verno sole post brumam progrediente,
Cancri ferventis calor esset solstitialis,
Doctorem mirum Deus advexit Vicelinum
Istas in partes, Sathanas ubi triverat artes,
Instituens furtis homines, utique rapinis,
Et scelerum morbis, quibus impius interit orbis.
Hammaburgensem tunc rexit *Adelbero* sedem,
Qui desperatos medicum direxit ad ægros,
Illustremque virum supradictum Vicelinum
Ad *Nordalbingos* transmisit, fraude malignos,
De *Bremense Schola* raptum; sub spe tamen illa,
Ut disciplinam melius, qui rexerat illam
Vir prudens, castus, humilis, patiensque modestus,
In verbis certus, pius, & sermone disertus,
In cura populi, qui commissus foret illi,
Ex hoc argueret pravos, stultosque doceret:
Formam præberet morum, mitesque foveret.
Qui vir perfectus, discretus, cordeque rectus,
Lumbos succinxit, ut *præsul ATHELBERO* (***) jussit,
In Domino fisus, *Albim transire paratus.*
Transiit ut flumen, secum tulit utile lumen,
Instans doctrinæ, sibi quæ fuit ars medicinæ:
Infundens oleum, curans impendere vinum,
Hos quos curavit, ad spem vitæ reparavit.
WIPENTHORP venit, ibi sedem ponere cœpit,
Clerum collegit, fratres sub jure redegit.
Religio crevit, quam disciplina subegit,
Ecclesiæque locum *mutavit*, *nomen & ipsum.*
Quam *modicam* reperit, in majorem reparavit.
Nomen adaptavit de jure, *NOVUMQVE* vocavit,
Idque *MONASTERIUM* bene convenientibus aptum
Christo devovit fieri, cui vivere vovit.
Augustinus erat, hos qui per scripta regebat;
Nam normam vitæ clero determinat ipse.
Illam qui misit, ut præsul *Athelbero* vidit,
Ecclesiam sane per eum bene fructificare,
Perque virum talem divinam crescere laudem:
Hac lætus venit, altareque sanctificavit.
Incœptæque domus titulo satis exhilaratus,
Et dotes auxit, & honores accumulavit,
Villam cum decimis, bannum cum parochianis
Pastori primo condonavit Vicelino,
Commissa cura populi cum præpositura:
Et *bis septenas* in parochia bene cultas
Adjecit villas, decimas quoque contulit illas,
Inque locis quicquid accrescere postea possit
Incultis, in eas simul & collata potestas.
Ecclesiam *BISHORST* illi subiecit & *ICHHORST:*

(*) Quos è Codice membranaceo Bibliothecæ Bordisholmensis descripsit *Janus Vicostadius*, Rector *Scholæ Bordisholmensis A. 1620.* Conferantur exempla apud *ERPOLDUM LINDENBROGIUM Script. Sept. p. 118. STAPHORST. Hist. Eccles. Hamb. P. I. p. 626.*

(**) Fluvius *Swale*, quem pro *hirundine* accipit Poetaster.

(***) Vide histor. Archiep. Brem. apud *LINDENBROG* p. 100 & *LAMBECIUM Rer. Hamb. L. I. p. 69. de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Bisborſt cum *bannis*, *bannos cum PAROCHIANIS.*
Cum *WICFLETENSI* decima bannum dedit illi,
Et decimas *CISTRE*, retinet quas littus utrumque.
ICHHORST cum bannis, bannos cum parochianis.
BREDENBERG decimam claudit *STURA*, *LUTESON* unam,
Et *SLADEN* ad *WILSTRAM* claudit cum *WALBURGOA* unam:
Præſulis has decimas donavit larga voluntas.
Et *BISHORSTENSIS* decimatio tota paludis
Additur, & quæque fratrum labor occupat æque,
Eruit & quæque ſuus agricultor ubique.
Hoc quoque promiſit, ut, ſi quis paſtor obibit,
Ne his contingat, electio libera fiat,
Et ſit cunctarum rerum reſpectus ad ipſum,
Subjectusque locus ſit Succeſſoribus ejus,
Hammaburgenſi qui præſideant bene ſedi.
Talia collata pia præſul *ATHELBERO* dona
Chartas conſcriptas, & res in ſcripta redactas
Bullis firmavit, bannoque ſuo ſtabilivit.
Inde videns Domini præſul ſtudium Vicelini
Ad convertendas animas & ſalvificandas:
Illi vicinas placuit committere terras,
Lucrari gentes Chriſto ſimulachra colentes,
Ut vice pontificis, ſolventis ſive ligantis,
Verba Dei ſereret, credentes multiplicaret.
Tunc *Heinricus* erat, qui Slavis imperitabat
Vicinæ genti, ſibi jure ſuo famulanti.
Hunc prudens adiit doctor, ſuadereque cœpit,
Ut propter ſummi pateretur præmia regni
Idola deponi, Chriſtoque Deo famulari:
Eccleſiasque ſtrui, per regnum delubra tolli.
At *Rex Heinricus* fidei non fictus amicus
Audit gratanter, quæ ſuaſerat ille decenter,
Jureque regali, de cauſa ſpirituali,
Ut decuit, toti præfecit eum regioni:
Idola deſtruere, fidei portas aperire,
In fidei verbis deponere colla ſuperbis,
Eccleſias ſtruere, perverſos quosque docere.
His honore firmatus, omni virtute probatus,
Eccleſiam *BUCUE* veteri fundavit in urbe;
Miſit eo fratres, miſſas reverenter agentes,
Officiumque ſuum; *LUDOLFUM*, *BRUN*, *HERIMANNUM.*
Principe vivente pacem fratres habuere:
Defuncto rege mala protinus invaluere.
Expulſi ſtare fratres ibi non valuere.
Ergo concuſſus animo doctor reverendus,
Regem Romanum perrexit adire *LUIDERUM:*
Geſtas expoſuit res & votum patefecit,
Pro Chriſto plures ſe velle ſubire labores,
Ut tantum Chriſtus cunctis fieret manifeſtus.
Quem bene ſuſcepit Cæſar pius, atque remiſit
Conditione bona, non imminuens ea dona,
Quantis Slavorum rex inveſtiverat illum.
Adjecit tamen his majeſtas imperialis
Indigenis terræ concedens, vel ſua quæque
Prædia vendendi, vel quæque volent tribuendi
Eccleſiæ cuique, quam conſtrueret pater iſte.
Inſuper *HOLTSATIS* loca per nemoroſa locatis
Hæc eſt libertas, hæc eſt conceſſa poteſtas,
Hoc etiam donis Cæſar ſuperaddidit iſtis,
Ne gravet ulla ſuos exactio dura colonos;
Chartis inſcripſit hæc, & bulla ſtabilivit.
Addidit ad grandem Chriſti genitricis honorem,
Pro prece conſortis thalami manus imperialis
In *SIGEBERGENSI VILLA* loca congrua patri
Ut ſub caſtello converſos collocet illo,
Prædia villarum donans illis aliquarum,
Nomina villarum ſunt hæc ſubter poſitarum:
Eſt Sigebergenſis illorum villa forenſis.
VICUS RIKERI, cum *KUSLA*, *VICUS HAGERI*,
Cum *WITENBURNA* bina, vicus *MOIKIGGA*,
Et quas incultas ſibi poſſunt addere villas,
Quas pariter finis amplectitur imperialis.
Caſtri namque jugum, quo tendant ſolis ad ortum
Terminus Holtorum, fines præfigit earum
Solis ad occaſum, fuit hoc regi bene ſuaſum,
Commoda terrena dare præ cæleſtibus illa.
Scriptis firmavit hæc, & bulla ſolidavit.
Cæſar ut hæc fecit, vires pater inde recepit:
In *SIGEBERGENSES* intendere cœpit honores,
Fundavitque domum, domino conſcivit in unum,
Qui pro ſpe regni parerent relligioni.
Fecit conventum, bene cœpit habere proventum
Omnibus indixit, omni quo tempore vixit,
Cæſaris ut memores & reginæ ſimul omnes,
Et *SIGEBERGENSES*, pariterque *MONASTERIENSES*
Orent his veniam, flectentes judicis iram
Pro multis donis, quæ cauſa relligionis
Eccleſiis illis tribuere, Deique puſillis.
Sic ſemen jactum ſuccrevit centuplicatum,
Ad *TRAVENAM* jactum cœpit contingere penum,
A modico fluvio, qui vulgo vocatur *HYRUNDO*,
Ad mare nimboſum, quod vergit ſolis ad ortum,
Ramos extendit, in eos maris inde tetendit.
Eccleſiis poſitis accrevit turba fidelis,
ALDENBURG, *SAROU*, *PLUNEN*, *BURNHAVEDE*, *BOSOU* (*)
Cum *HAMERESTHORPE*, *SUSLEN*, (**) *WENDSINA*, *TADESLA* (***).

Sed

(*) Ad *lacum Plœnenſem* ſita. Patria *Helmoldi.*


(**) *Susle* ſeu *Zusele* prope Neoſtadium & Eutinum. HELMOLDUS *Lib. I. c. 58. 84.* Quem pagum olim Slavorum *Freſones* ab Adolpho Comite incolendum acceperunt, ejectis Slavis. *Chronicon* GOTWICENSE *L. IV. p. 794.* ubi etiam pagi *Sarcu* & *Boſow*, quorum hoc loco Poeta meminit, deſcribuntur *p. 839. & 877.*

(***) Seu Todeslo, hodie *Oldeslo.* Vide Helmoldum, item Hermannum. LEERBEC *ap. Meibom.* p. 33. *Albertum Stadenſem ad a. 1247.* & DANCKWERTH *Chorogr. Holſ. p. 238. citatos à* LAMPECIO *L. 2 R. H. p. 24.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



S. VICELINUS
Apostolus Novimonasteriensis Episcopus Aldenburgensis. † a. 1154.



S. VICELINUS

Sed post hæc *annis viginti quinque* peractis,
Perquos ingenuus vir & illustris *VICELINUS*
Multos sudores tulerat variosque labores,
Et Christi cultum plantarat sangvine fratrum,
Hammaburg HARDWICUS præsedit nobilis ortus,
Qui divestitam dum sedem Metropolitam
Cerneret, ac gentes sibi subtractas boreales
DANOS cum *SVEDIS*, *NORDMANNOS* cum *SCRIDEVINDIS*,
Hammaburgensem reparari nisus honorem
Est perscrutatus, hoc munere quis foret aptus:
Strenuus in rebus tunc inventus *Vicelinus*.
Est sublimatus in honorem pontificatus:
Aldenburgensis locus est per eum renovatus,
Et *præsul* dictus est *ANTIQVIPOLITANUS*.
Est EVERMODUS Racesburg sede levatus,
Tertius est dictus *Emehard Magnopolitanus*.
Hi tres pontifices auxerunt Hamburg honores.
Istos Hartwicus promovit nobilis ortus.
Clarus ut exinde foret Archiepiscopus ipse,
Et successores reperirent sedis honores.
Ergo prædictus vir Apostolicus Vicelinus
Sic exaltatus in honorem pontificatus,
Extulit in culmen condonatum sibi lumen,
Lumen in Ecclesiis & clero, religionis:
Lumen honestatis populo fuit pietatis.
Primos sudoris fructus propriique laboris,
Et *Sigebergensem*, clerumque *Monasteriensem*
Affectu patris rofovebat, amoreque matris,
Et lac maternum præbens, panemque paternum,
Sumptus carnales dans his & spirituales.
Moribus & vita fuit omnibus unica forma.
Hincque videns portas fidei clementer apertas,
Slavorum populo, quem voverat ipse, tenello,
In fidei norma: fit & illis a modo forma,
Quo modo mente bona contemnant idola vana,
Christum vero DEUM credant, qui regnat in ævum.
Premovit clerum pro curis Ecclesiarum,
Pastores posuit in eis, quas ipse dicavit,
Deque Monasterio proprio sibi, collocat isto
Natu majores in claustrum *SIGEBERG* omnes.
Illic præpositus *LUDOLF*, *THIETMARQVE* Decanus
De Brema raptus, *Rachel* complexibus aptus.
Presbyter & Flandrus ibi *VULCHARI* claviger aptus,
Et reliqui fratres ibi, cum pueris seniores,
Cessit & *IN KEVENA LIUDMUNDO PRÆPOSITURA*.
Presbyter aptus ei *MEINBRANDUS*, fit comes illi.
Hinc quoque subtracti sunt fratres per loca sparsi
ALDENBURGENSIS BRUN, *HOLMOD* erat *BOSOWENSIS*,
Et *ETLAPH SUSLENSIS*, *HERIOLDUS*, *BURNHAVEDENSIS*;
Et *BISHORSTENSIS HERIMAN*, *ECHRECHT POROKENSIS*.
Tales quippe viros elegerat ille sacerdos,
Miserat in multam quem *præsul Athelbero* messem,
Qui secum sererent, & messem multiplicarent.
Sed pene disjecta domus hæc, sic est reparata,

EPPO FRISENSIS PRIOR, & vir spiritualis.
Ut domino vovit, immobilis ipse remansit.
REIMBERDUS mansit etiam, quem Flandria misit.
Tunc juvenum numerus sensim succrevit adauctus,
Qui disciplinis instructi relligionis,
Servantesque locum cœperunt sistere gressum.
Post hæc, fervente studio pietatis ubique,
Præpositum nostrum seu pontificem *Wagerorum*
Et labor absumpsit multus, seniumque gravavit:
Corpore desecit, graviter langvescere cœpit.
O quam judicia nobis divina tremenda:
Lectulus excepit, quem morbus pondere pressit;
Lingva privavit, langventia membra resolvit,
Detinuitque duos junctis sex mensibus annos,
Hunc ægrum fratres tenuere Monasterienses,
Suntque velut patri sibi dilecto famulati.
Ut consummatus esset, velut igne probatus,
Ille vir egregius est tandem carne solutus,
Spiritus exceptus cœlesti sede receptus,
In medio mensis, qui dicitur esse Decembris:
Idibus ejusdem præsul defungitur idem,
Anno milleno centeno ter duodeno,
Addas his annos bis dinumerando novenos,
A patre transmissus ex quo Deus est homo factus
HAMMAMBURG sedit tunc *ARCHIEPISCOPUS HARTWICH*,
Cæsar & Augustus Romanus erat *FRITHERICUS*.
Dux erat *HEINRICUS*, *COMES HOLSATENSIS ADOLFUS*,
FILIUS AMMONIS, *MARCRADUS* erat *REGIONIS*
PRÆFECTUS, patriæ prudens vexillifer ipse.
Annus erat *quintus ipsius pontificatus*,
Qui *præsul* dictus est *ANTIQVIPOLITANUS*
Ecclesiæ primus pastor nostræ Vicelinus,
Cujus & *adventus* fuit huc *tricesimus annus*.
Corpus in Ecclesia positum coram crucis ara
Fratres Ecclesiæ digno venerantur honore;
Et plures hodie venientes officiose
Vota vovent domino, reddunt sua vota sepulto.
EPPO PRÆPOSITUS hunc est virtute secutus
Cum populi cura remanens in præpositura.
Iste domum domini fabrica perfecit in omni.
Vixit sex annis curæ linquens *HERIMANNVM*,
Qui *bis septenis* post illum præfuit annis,
Et sua dum vixit, satis apte tempora rexit.
Hujus temporibus *HARTWICVS* præsul honorus
Templum sacravit, & dotes amplificavit,
Cunctaque firmavit, quæ præsul Athelbero scripsit.
Tunc quoque *præpositus* defecit morte *LVIDOLFVS*:
Et *Sigebergenses* consensu convenientes
Sumunt prælatum sibi *BREMENSEM THIDERICVM*.
Præposito vero defuncto post *HERIMANNO*,
Diraque mors omnes ut consumsit seniores,
Suppositis humeris onus absumsere laboris,
Quos bona pastoris schola prima Monasterienſis
Foverat infantes, & noverat insipientes,
Artibus & studiis simul informarat honestis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quos *Auguſtini* lex cum monitis *Vicelini*,
Inſtituit pariter & vivere convenienter,
Ut memores patrum leges teneant ſeniorum,
Participes morum ſint, hæredesque laborum:
Ut donum regni mereantur jure perenni.
ALDENBURGENSI transmittitur à duce ſedi,
GEROLDUS SVEVUS, qui ſedem pontificatus
Aldenburgenſem primus fecit LIUBICENSEM.
Conradus ſedem *germanus frater* eundem
Poſt illum tenuit, *Heinrico* vero reliquit,
Flandria quem miſit: hos dux in ſede locavit.
Poſt hos *præpoſitum Sigebergenſem Thiedericum*
Collocat in ſedem Cæſar *Fritheric* Liubicenſem.
Vita deceſſit ubi præſul nobilis *Hartwich*,
Baldwinum ſedi Cæſar miſit dominari,
Qui poſt ſubtractus, accita morteque raptus,
Sifrido ſedem dimiſit pontificalem,
Qui *de Brandenburg translatus ſedit in Hamburg.*
Tunc de *Bruneswich Dux famoſiſſimus HINRICH*
Culmine privatus eſt, & ditione Ducatus.
Suſcepit regimen Anahaldenſis Comes idem
Bernhardus, cui germanus & ille Sifridus
Hammamburgenſis fuit, *Ottoque Saltwidelenſis.*
Sed poſt hæc *ternis* ubi ſedi præfuit *annis*
Sifridus, moritur, *Hartwicus* ſede levatur.
Hic mirare Deum, qui vivens nunc & in ævum
Diſponit totum juſto moderamine mundum,
Exaltans humilem, propulſat ſede potentem,
Omnibus in morum dans culmine ſpem meliorum.
UTLEDE progenito datur infula pontificalis,
Cujus conditio fuit ordo *monaſterialis*.
Iſte manus mittens ad fortia quæque deinceps,
Eſt ſatis inventus induſtrius atque paratus
In cauſis rerum ſane diſcernere verum.
Hic res Eccleſiæ ſtatuens non dilapidare
Juſſum papale ſervavit & Imperiale;
Nam non exhauſit ſibi credita, ſed magis auxit.
Hic quoque *BIRSENSES* dictas dudum *MONIALES*,
Ejecit quasdam, maculaverant quia famam
Vitæ communis & cælibis atque ſalubris:
Quasdam collegit & eas ſub jura redegit,
Feric clauſtrales, velut decuit, moniales;
Harum cum cura ſuſcepta præpoſitura,
Dominus *Thietmarus* tulitim poſitum ſibi pondus
Clauſtri Birſenſis, *Prior* ante *Monaſterienſis*.
Qui diſciplinam reputans animæ medicinam,
Portas extruxit, valvas appendere cœpit,
Vectes oppoſuit, & clavibus oſtia clauſit,
Crudelis patulas ne mors ingreſſa feneſtras,
Obruat incautas, æterno lumine privans,
Tollat corruptas perimens, & crimine captas.
Cujus cernentes illæ ſtudium moniales
Sub vigili cura ſuſceperunt ſua jura,
Jura tenenda bonis habitu ſub relligionis,
Et diſciplinæ cervices ſuppoſuere,
Anno milleno centeno bis quadrageno
Adjectis annis à Chriſti tempore quinis.
Hæc eſt divinæ ſacra commutatio dextræ,
Quæ bona ſunt ſolidans, mala pellens, tempora mutans.
Eſt ad cor magnus *Vicelinus* & hic revocandus,
Pro ſtudio cujus Deus eſt reverenter amandus.
Nam, velut elucet, ſibi credita vinea floret!
Floret adhuc, ramos quia profert multiplicandos,
HAMMAMBURGENSES hoc norunt & *STATHERENSES.*
Non ignorat eum, tenuit quem *BREMA* magiſtrum,
ALDENBURGENSES hoc dicunt & *PLUNIENSES*,
Hoc *SVGEBERGENSES* oſtendunt & *LUBICENSES*,
RACESBURGENSES affirmant & *DIMINENSES.*
Contradicentes non ſunt his *MAGNOPOLENSES*
Non ſunt *MILENSES* cum *SLESWIC* iſta negantes.

* * *

Sequitur EPITAPHIUM & COMPENDIUM VITÆ AC TRANSLATIONIS (*) S. VICELINI, *Epiſcopi, deſcriptum in tabula, quæ erecta olim fuit in templo Bordisholmenſi ad Septentrionis plagam, qua ad Sacrarium pergitur.*

Aldenburg Præſul Holſatis Nobile germen,
Præſul finalis præſtans tutamen alumnis
Holſatis præſtans Lumen puriſſima gemma
Nobile tutamen puriſſima gemma refulgens,
Germen alumnis gemma refulgens O Vicelline!

Venerabilis ac piiſſimus Pater noſter Vicelinus Mindenſi parochia oriundus & in ipſa ſua puerítia harmoniæ angelicæ auditor, ubi poſt artium liberalium ſtudia in Magiſterum earundem artium Pariſiis promotus eſt, Bremæ regendis ſcholis præficitur ac deinde non multo poſt tempore Deo famuli viam ſui dirigente in Chriſti ſacerdotem ordinatus, miſſusque in Evangelium Chriſti a ſanctæ memoriæ Adelberone Bremenſi Archiepiſcopo prædicandi verbum Dei in Slavica barbarie legationem ſuſcepit, veniensque in oppidum, quod olim Faldera, nunc vero Nienmunſter nominamus, ibidem monaſterium Canonicorum Regularium inſtituit Anno Domini 1125. Ubi ſub quanta diſciplina & quam ſancte (ſuſcepto ſub nomine Præpoſiti fratum regimine) cum ſuis vixerit, & quanto labore verbum domini prædicando populo duro & agreſti inſudarit, quantis etiam virtutibus primus iſte noſter conventus Novomonaſterienſis claruerit, Domino cooperante & prædicationem eorum confirmante, ſequentibus ſignis, & quibus maxime hic vir beatus in vita & poſt mortem miraculis

(*) Confer BURCHARD GOTH. STRUV *in Collect. MSC.* LEIBNITIUM *t. I. p. 789.* MUHLIUM *Hiſt. Cœnob. Bordish. inter diſſertationes ipſius p. 490.*

lis coruscaverit, memorabilis iste Frater Helmoldus in sua Chronica claro sermone digessit: denique idem ipse beatissimus Pater noster Vicelinus, postea quam in terra Slavica 30. annis sudore viam Dei annunciando, animarum saluti sese totum impendit, dicente sibi Christo rebus ipsis: Amice, ascende superius in Aldenburgensem Episcopum; consecratus est faventibus Principibus & Archiepiscopi Bremensis consensu ad hoc accedente anno Domini 1149. Sedit autem in Episcopatu annis V. & hebdomatibus novem, transiens revera per ignem & aquam in medio nationis pravæ & perversæ, erantque viro Dei lacrymæ suæ panes die ac nocte orandi ac deprecandi clementissimum Deum, ut quantocius ostium fidei in Slavia aperire dignaretur. Ultimo denique priusquam ex hac vita migravit, visitante se domino & coronam ejus duplicante gravem incidit infirmitatem, quam usque ad finem vitæ suæ cum omni gratiarum actione patientissime perferens, atque sub hoc eventu ad extremam horam veniens vir Deo plenus obdormivit in pace *anno 1154 in pridie idus Decembris*, præsente *Raceburgensi Episcopo Eberhardo* & officium consumante. Sepultus autem est in Faldera. Manssit præterea venerandum ejus corpus ibi sic humatum *annis 178.* donec translato monasterio in hanc insulam Bordesholmum ejus reliquiæ pariter translatæ sunt & ante summum altare, in medio sanctuarii reverenter positæ anno Dom. 1332, cum & ibidem 177. stetissent annis, propter ministerium summi altaris, hanc ipsam tumbam Beati patris veneranda ossa (cum aliorum duorum servorum Dei ossibus hinc ad latera reliquiarum Viri Dei positis & sacra veste, quam albam vocamus, tunc ipsis pariter involutis indumenta quoque Episcopalia, quibus beatum virum primo sepulturæ traditum credimus, dalmaticam videlicet albam, sandalia & cætera hujusmodi jam præ vetustate resoluta:) continentem in hunc locum translatam cum timore & reverentia posuimus Anno Domini 1490, Reformationis ic. ædificii, non religionis, vero hujus Monasterii an. 19. in Octava almi Patris nostri Augustini Episcopi. Casulam vero ejus in prima sacrarum reliquiarum translatione terris extractam divino munere in hodiernum usque diem incorruptam & illæsam servamus ad gloriam & honorem omnipotentis Dei.

Amen.

DIPLOMATA.

I.

Athelbero Archiepiscopus Hamburg. confert Vicelino ejusque fratribus Ecclesiam Wipentorp, *cum decimis & Villam Dragestorp cum pertinentiis, addens iisdem plenam libertatem & exemptionem ab omni potestate ecclesiastica & quibusdam servitiis &c.*

1136. Athelbero DEI Gratia Hamburgensis Archiepiscopus dilectis filiis Ecclesiæ sibi in Domino commissæ, tam futuris, quam præsentibus gratia vobis & pax a Domino multiplicetur. Quia nostri juris est, non tantum filios Domini vel bene incedentes semper ad ulteriora verbo & exemplo provocare, vel nutantes consolidare, vel omnes, qui aliquo modo desolati & contribulati sunt, divinis fomentis refocillare; sed in Ecclesiæ sanctæ decus eos, qui extra sunt, pro posse nostro incorporare, delectioni vestræ notum esse volumus, quod nos cognito bono zelo ejus, *dilecto filio & fratri nostro*, fideli scilicet dispensatori Christi *Vicelino*, cum quibusdam fratribus ei in Domino cohærentibus, legationem verbi Dei in *Slavia*, quæ nostræ diœceseos usque ad flumen *Penum* pertinet, vice nostra prædicandi commisimus. Verum quoniam præ *feritate gentis barbaricæ* illius in prædicta terra *stabilem mansionem habere non poterant*, ad repensationem & sustentationem eis concessimus Ecclesiam quandam in FINE HOLSATIÆ, quæ apud veteres *Wipenthorp* (*), apud modernos vero *Novum Monasterium* nuncupatur, cum decimis & reditibus prius eo pertinentibus, & quandam villam Drageresthorp, cum omni utilitate ejus, sive in agris sive in pratis, sive in silvis, quæ nos *in dedicatione altaris basilicæ novæ* ibidem ab ipsis inchoatæ, usui supradictorum fratrum mancipavimus. Plenam insuper libertatem præfato Novo-Monasterio contulimus, ita scilicet, ut præter Nos & successores nostros & prælatos eorum, quos sanior pars congregationis elegerit, neque præpositus, (Hamburgensis), neque Archipresbyter, neque Archidiaconus, nulla denique vel magna vel parva persona aliquid Ecclesiasticæ *potestatis* (**) *ibi habeat*. Præterea eosdem fratres ab omni *itinerali labore & fatigatione* omni absolvimus, nisi cogente necessitate *infra terminos Hamburgensis Episcopii, eorum opera & consilio* ad Ecclesiastica disponenda indigeamus. Ut autem apud successores nostros & posteros eorum hæc inconvulsa & rata permaneant, hanc devotionis nostræ collationem servis Dei & *amicis nostris* hac præsenti charta, sigilli nostri impressione insignita stabilimus. Si quis vero contra hæc eniti præsumserit ex communicationis sententiæ subjaceat. Data *Hammenburg* VII. Kalend. August. Anno ab incarnatione Domini M. C. XXXVI. Indictione XIII. An. Archiepiscopatus Domini Athelberonis XIV.

Slavie fines.

Occasio & Origo Novi-Monasterii.

Quod sit liberum Collegium & independens.

Exemtum ab omnibus onoribus.

Monasterii fratres dicuntur amici Archi-Episcopi Hamburgensis.

(*) Slavis, ut putatur, hic locus audit *Faldera*, Saxonibus *Wipenthorp*, in cujus locum successit nomen *Neumünster* ex eo tempore, quo Vicelinus in hac villa exstrui curavit *novum monasterium*. Vide chartam Lothatii Imperatoris ad a. 1127. sed quare *novum*? Apud Wippendorpios antea exstitisse monasterium non liquet etsi quidem ex *Continuatore Helmoldi* ac *Presbytero Bremensi* constet, quod in villa *Wipendorp* olim fuerit Capella lignea per longa tempora defer-

Novum Monasterium unde dicatur?

II.

Lotharius III. Rom. Imperator concedit habitatoribus terræ Slaviæ & Holſatiæ poteſtatem offerendi ſive vendendi bona ſua Eccleſiæ Novi Monaſterii, addita exemptione ob omni exactionis genere. Sine dato.

c. a. 1137 In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, divina favente clementia. Lotharius Tertius Romanorum Imperator Auguſtus. Cum omnibus debitores ſimus, ſpecialius tamen pauperes Chriſti reſpicere debemus, & eorum bonam intentionem in omnibus promovere & manutenere. Noverit itaque tam futurorum, quam preſentium induſtria, qualiter ſanctæ converſationis frater Vicelinus ex legatione Athelberonis, venerabilis Archiepiſcopi Hammaburgenſis per totam Slaviam quæ in ipſius ſita eſt parochia, curam & vicem ſuſceperit prædicandi verbum Domini. Qui cupiens in vice legationis ſuæ permanentibus ſicut novellæ plantationis agricola fructum adferre, Eccleſiam in eadem *Slavia*, quæ *Novum Monaſterium vocatur*, inchoavit & fratres in ea ſecunda. Addit idem Autor: *Hanc Capellam primam fuiſſe in tota Holſatia & Vicelinum* (primum Slavorum in Holſatia & Megapoli apoſtolum) *eandem in poſſeſſionem recepiſſe ibidemque monaſterium conſtrui feciſſe, Nigemünſter peramplius vocitatum.* Hoc igitur *Monaſterium*, quod *novum* fuit, occupavit locum *veteris* Capellæ, unde Neumünſter. Sed aliam conjecturam ſuppeditat vicinia Neomonaſterii, utpote *Münſterdorp*, villa inter Itzehoam & Brandenburgum ſita, ubi olim *Calendaria* quædam *ſocietas* diu floruit & *Monaſterium* quoddam forte viguit, a Vicelino demum in Falderam ſeu Wipendorp translatum ibique reſtauratum ſub elogio *Novi, Renovati Monaſterii.* Rudera veteris Monaſterii Munſterdorpienſis ſupereſſe putarem in reliquiis & locis, olim ad Munſterdorp pertinentibus, *Heiligenſtedt* prope Itzehoe, & pago *Biſchoff* aliisque locis. Et dubium non eſt, hoc Monaſterium ad Epiſcopatum Oldenburgenſem olim pertinuiſſe, cujus diœceſeos item fuit *Heiligenſtedt*, locus miraculis & ſacris itineribus olim famoſus, qui *Adalberto I, Archiepiſcopo Hamb.* perplacuit, ut ibi Epiſcopiam circa annum 1152. ſtudioſe adornare cœperit, etſi firmam parum & diu haud ſtabilem. Conſtat inde de ratione denominationis pagi *Biſchoff*, forte & de origine *veteris Monaſterii cujusdam in Munſterdorp.* Plura relegenda ſunt apud *Crantzium*, *Helmoldum*, *Adamum Bremenſem.* Habent & huc facientia quædam *Codex Lindenbrog. MSC. & Diplomataria Ratzeburgenſia.* Adde STAPHORST *in Hiſt. Eccleſ. Hamb. T. I. p. 407.*

Nori Monaſterium Slaviæ annumeratur.

(**) Inde eſt, quod hic conventus ſæpius ſibi tribuerit formulam, Imperantibus ſolennem: *DEI Gratia Præpoſitus, Prior totumque capitulum Eccleſiæ S. Mariæ in Novo Monaſterio.* Vide ad a. 1290. 1298. & paſſim.

dum S. Auguſtini Regulam ſatis devote circa religionem inſtituit, ſperans commendatione divini officii & regulari converſatione, rudes illius gentis mentes ad agnitionem veritatis molliri & inflecti. Cui ſicut Eccleſiaſticæ plantationis operario, in temporalibus providere cupientes, rogatu dilectæ noſtræ Rikenze & principum hoc conceſſimus, ut illius terræ habitatores liberam habeant poteſtatem offerendi ſive vendendi bona ſua præfatæ Eccleſiæ & altius, quam prædictus frater Vicelinus, Domino annuente in eadem terra fundare ſtuduit. Idem concedimus ipſi de *Holzatis*, in *quorum confinio prænominata Eccleſia fundata eſt.* Ut autem præfatæ Eccleſiæ fratres tam oblatis, quam emptis quiete uti poſſint: omnia quæ ipſis quoquomodo collata fuerint, ab omni exactione abſolvimus, præcipiendo jubentes, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vice-Comes, nulla denique magna parvaque perſona, in his conceſſis eos inquietare, deveſtire, moleſtare præſumat. Si quis vero contra hoc, quod nunc concedimus, conatus fuerit, centum libras auri, medietatem cameræ noſtræ, & medietatem prædictis componat fratribus. Quod ut verius concedatur & ab omnibus diligentius cuſtodiatur, præſentis decreti paginam ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Hujus rei teſtes ſunt *Athelbero* Hammenburgenſis Archiepiſcopus, *Thietmarus* Verdenſis Epiſcopus, *Athelbertus* Marchio, *Adolfus* Comes & *Conradus* Comes. *Eilmarus* Comes & alii comites. *Sifridus*, *Rotholfus*, *Gerbertus*, *Fritbericus*, *Chriſtinus*, *Liudolfus*, *Bernhardus.*

Et confinio Holſatorum aſcribitur.

III.

Lotharius Imperator Montem Segeberg ad tutelam terræ Wagriæ muniens, Monaſterium ibidem in propagationem religionis Chriſtianæ extrui jubet, ordinatione ejuſdem fratri Vicelino commiſſa.

In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Lotharius Divinæ ordinationis clementia, Romanorum Imperator Auguſtus. Notum eſſe volumus omnibus fidelibus, tam præſentibus, quam futuris quod nos pro perſecutione paganorum in Chriſtianos *caſtrum in Slavia* conſtruximus, quod a modernis vocatur *Sigeburgk*, ab antiquis *Ælberg*, & ante caſtrum fecimus Eccleſiam ad honorem Dei & Virginis Mariæ & B. Johannis Evangeliſtæ, pro fide Catholica ibi propaganda. Ordinationem vero ſupradictæ Eccleſiæ commiſimus fideli noſtro fratri Vicelino, Viro Religioſo & bonæ converſationis, cujus vitam in bonis operibus probatam cognovimus, ſuisque ſucceſſoribus, quos ſanior pars elegerit fratrum. Ad promotionem vero ipſius Eccleſiæ & ad ſuſtentationem fratrum Deo ipſi (ibi) ſervientium, concedimus pro remedio animæ noſtræ ac dilectæ conjugis noſtræ Righzen, omnem terram, quæ eſt in occidentali parte caſtri, videlicet a caſtro usque ad fluvium *Travenæ*, ex utraque parte viæ, cum ſylva in meridionali plaga adjacente, cum ſex pagis. Et ut

1137 *Segeberg Caſtrum Slaviæ. Olim Aelberg dictum.*

ut hæc omnia rata & inconvulsa permaneant, impressione sigilli nostri signari præcepimus. Testes interfuerunt Adelbertus Archiepiscopus *Bremensis*, Tithmarus *Verdensis*, Marchio Adelbertus, Fredericus *Comes Palatinus*, Sifridus *Comes de Homburg*. Adolfus Comes. Conradus Comes. Comes *Sifridus de Ertelenburg*. Bernhardus Vice-Dominus, *Ludolphus de Waletigerota*. Ludolphus Advocatus. Præpositus Bernico, Præpositus Harmannus. Præpositus Snelhardus, cœterique plures tam *liberi* (*) quam *ministri alii* (**). Data anno Incarnationis dominicæ Millesimo, centesimo, tricesimo septimo 16. Calend. Apr. Anno vero regni nostri XII. Imperii V. actum Bardewick in Christi nomine feliciter (***). Amen.

(*) Præcipue Nobiles Allodia possidentes.
(**) Ministeriales, infeodati.
(***) Confer ad hanc chartam HENNINGES *Geneal. Com. Holf. & Schauenb. p. 244. &* HENR. MEIBOM *in Not. ad* HERM. LEERBECK *Chron. Schauenb. p. 524. T. I. Rer. Germ.*

IV.

Adalbero elargitur Novo-Monasterio Decimas a Lacu Staden prope fluvium Wilstram usque ad fluvium Waltburgen, item Sture, Lutesou usque ad montem Bredenberg.

a. 1139.

An. 1139. In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis! Adalbero DEI gratia Hamburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus salutem in perpetuum. Pontificalis Officii culmen a nobis frequenter exigit famulis DEI præsentis etiam vitæ sumtus, quantum etiam facultas, admittit provideri. Quapropter sanctæ Conversationis fratri sancto *Vicelino*, & fratribus ejus qui serviunt *in Monasterionovo*, has decimas scilicet juxta *Wilstram fluvium*, scilicet a *Lacu* qui dicitur *Staden*, usque ad fluvium qui vocatur *Waldburgen*, nec non & alias Decimas in Australi plaga fluminis *Sture*, videlicet a fluvio *Lutesou*, usque ad *montem Bredenberch*, Divinam promereri cupientes retributionem, omnino dando, concedimus, & ut in usus prædictorum fratrum perpetuo redigantur & maneant, diligenti deliberatione statuimus. Præterea de omnibus quæ *in sylvis* sive *paludibus* per se, vel *per colonos suos* usque quaque idem fratres elaboraverint, tam *in frugibus* quam *in animalibus*, ipsi decimationes accipiant, & secundum quod sibi visum fuerit, ad laudem Dei & utilitatem fratrum sagaciter ibi disponant. Ut autem hæc donatio omni ævo rata & firma permaneat, hanc chartam conscribi, & sigilli nostri impressione signari præcepimus, rogantes & obsecrantes in Nomine Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, ut nullus eam, in toto vel in parte deteriorare præsumat. Si quis vero huic pio facto nostro contraire, seu derogare tentaverit, sive Archiepiscopus vel Episcopus, seu Dux, vel Marchio, Comes vel Vice-Comes seu Advocatus, sive quæcunque alia Ecclesiastica Secularis persona, si secundo tertiove commonita, non cessaverit, anathema sit. Hujus rei testes sunt Bertholdus Abbas de S. Paulo. Adalbertus Præpositus, de domo S. Mariæ & S. Petri. Bonifacius Præpositus, Dietmarus Decanus. Capellani Luidfridus, Luidwardus, Othericus, Robertus. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXIX. regnante Conrado Rege III. Anno vero ordinationis ejusdem venerabilis Archi-Episcopo Adalberone XVI. Indictione II. Acta sunt hæc Bremæ. VI. Kal. Septembr. in Nomine Domini feliciter. Amen.

Descriptio & designatio Decimarum

Addito anathemate.

V.

Athelbero Archiepiscopus Hamb. novellæ Ecclesiæ in Novo-Monasterio concedit decimas plurium villarum in Pago seu Regione & Districtu Holsatiæ & Wilstriæ (*).

In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti Amen. Adalbero Dei gratia *Hammenburgensis* Ecclesiæ Archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus salutem in perpetuum. Pontificalis officii culmen a nobis frequenter exigit famulis Dei, præsentis etiam vitæ sumtus ex nostra sollicitudine, quantum facultas admittat providere, ne pro illis laboriose forsitan acquirendis foris occupati, cogantur intus in laude Dei debita minus exerceri. Quapropter sanctæ conversationis fratri carissimo Vicelino & fratribus ejus, qui serviunt in novo Monasterio, in villa *Wippenthorp* nuncupata, in *pago Holsatia*, ejusdem villæ decimam cum aliarum quarundam villarum subter-positarum decimis, veluti in villa *Staveran*, *Horegan*, *Brattenvelt*, *Tuïenthorp*, *Tadesthorp*, *Godeland*, *Walberson*, *Boyenebüttle*, *Husberge*, *Cumervelde*, *Padewurthe*, *Withorpe*, *Paderstide*, *Bullingstide*, sed & alias decimas juxta fluvium *Liestere* in utroque Littore a villa *Elmesborne*, usque ad lacum *Wiesset*, divinam promereri cupientes retributionem omnino dando concedimus, & ut in usus prædicti Monasterii fratrum perpetuo redigantur & redactæ permaneant, diligenti deliberatione statuimus. Addimus autem & his decimas juxta Wilstram fluvium, scilicet a lacu, qui dicitur Sladen, usque ad fluvium, qui vocatur Waltburgou, nec non & illas, quæ sunt in australi plaga fluminis Sturæ, videlicet a fluvio Lutesou, usque ad montem Bredenberg, svadentes illis ex fraternæ caritatis plenitudine, ut quæ Deo donante & conservante quandoque videbunt ad necessarios usus sibi non deficere, studeant 1141.

(*) Habetur hoc diploma apud LINDENBROGIUM *S. Sept. p. 151.* sed minus correctum nec *originali* consonum. Quod & ipsum privata autoritate, sine Dominorum territorialium præscitu vel consensu confectum, certe dubiis involutum videtur. Plura hujus generis exempla donationum rerum alienarum in Donantis vel Pontificis vel Episcopi dominio haud existentium, legi poterunt apud PFEFFINGERUM *ad Vitriar. T. I.* LUDEWIGIUM *de Auspic. Regum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſtudeant & aliis in ea, quam gratis acceperunt caritate, gratiam hoſpitalitatis liberaliter impendere. Præterea de omnibus, quæ in ſylvis, ſive paludibus per ſe vel colonos ſuos usque quaque iidem fratres elaboraverint, tam in frugibus quam in animalibus ipſi decimationes accipiant, & ſecundum quod ſibi viſum fuerit, ad laudem Dei & utilitatem fratrum ſagaciter inde diſponant. Ut autem hæc donatio omni ævo rata ac firma permaneat, hanc cartam conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione ſignari præcepimus, rogantes & obſecrantes in nomine Domini & Salvatoris noſtri Jheſu, ut nullus eam in toto vel in parte deteriorare præſumat. Si quis vero huic pio facto contraire ſeu derogare temptaverit, ſive Archiepiſcopus vel Epiſcopus, ſeu Dux vel Marchio, Comes vel Vice-Comes, ſive Advocatus, ſeu quæcunque alia Eccleſiaſtica, ſecularisve perſona, ſi ſecundo tertiove commonita non ceſſaverit, anathema ſit. Amen. Hujus rei Teſtes ſunt Swardus Obſalenſis Epiſcopus, Occo Sleſvicenſis Epiſcopus, Bertolfus Abbas de Sancto Paulo, Adalbertus Præpoſitus de domo ſanctæ Mariæ & ſancti Petri, Bonifacius Præpoſitus de domo S. Mariæ & S. Petri, Bonifacius Præpoſitus, Hartmannus Præpoſitus, Thetmarus Decanus. Capellani Luitfridus, Odbertus, Anshelmus. Anno Dominicæ incarnationis Mill. Cent. XLI. regnante Conrado Rege III. anno vero ordinationis ejuſdem venerabilis Archiepiſcopi Adalberonis XVIII. indictione IV. Acta hæc ſunt Bremæ V. Idus Julii feliciter Amen.

VI.

Athelbero Hamb. Archiepiſcopus Vicelino ejuſque ſucceſſoribus Nomen Prælati *& dignitatem* Præpoſiti *confert & ſuæ Eccleſiæ Parochianos ei ſubjicit, concedens ſimul eccleſiam Bisborſt ad Albim ſitam.*

1142 In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Flii & Spiritus ſancti Amen. Sanctæ caritatis evidens indicium eſt nonſolum propriis, verum etiam alienis juxta poſſibilitatem inſudare profectibus, ut qui pluribus ſtudeant in Nomine Domini proficere, pro pluribus mereantur benefactis æternæ retributionis præmia recipere. Quapropter venerabilis frater Viceline, ſuſceptæ a nobis obedientiæ gratias DEO, obſervator ſolertisſime, ad laudem DEI & honorem tuum & Eccleſiæ *in pago Holtſatiæ*, in villa quondam *Wipenthorp* dicta, tibi commiſſæ, ampliare cupientes, Nomen *Prælationis* tibi & per Te ſucceſſoribus tuis, ejuſdem Eccleſiæ congregationi canonicæ præficiendis perpetuo conferimus & confirmamus, quatenus in antea nomine & dignitate Præpoſitus de Novomonaſterio dicaris, atque inter reliquos noſtri honoris fidos & idoneos conſultores, ſcilicet Hammenburgenſis ſeu Bremenſis Eccleſiæ priores, habearis (*). Sed & parochianos ad eandem eccleſiam prænotatam antiquitus & nunc pertinentes, tuæ ſollicitudini committimus noſtraque auctoritate ſancimus atque decernimus, quatenus a te baptizentur, verbis ſalutis eruditantur, ſynodali lege informentur, mortui *ſepeliantur* (**). Præterea & quia te in partem noſtri laboris ex paternæ benignitatis plenitudine ſtabilem & devotum cooperatorem aſſumpſimus, Eccleſiam *Bisburſt in ripa fluminis Albiæ ſitam* cum *banno* ſimul & cum omnibus appendiciis, ejus acquiſitis vel acquirendis tibi concedimus, ut nullam in hac vel illa ulterius Eccleſia Præpoſitus Hammenburgenſis vel alia quælibet perſona poteſtatem habeat, niſi tu, & qui tibi in eodem ſupra dicto Novomonaſterio Præpoſiti per liberam fratrum electionem ſucceſſerint, & a me, vel a meis ſucceſſoribus Hammenburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopis inveſtituram acceperint. Et ut hoc noſtræ benignitatis liberale decretum omni ævo ratum maneat & inconvulſum, præſentem paginam conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus, & eorum nomina, qui hujus rei fautores & teſtes fuerunt, annotari decrevimus. Siwardus Epiſcopus Opſalenſis, Bertoldus Abbas de Sancto Paulo. Conradus *Abbas de Roſſenvelde*. Albertus Præpoſitus Bremenſis Eccleſiæ majoris, Albertus Præpoſitus *de S. Willehado* in monte, Hartmannus *Præpoſitus de Rameslo*, Bonifacius Præpoſitus *de Ripersbolte*. Luidmundus Præpoſitus de Heslinga. Thietmarus Decanus cum reliquis fratribus omnibus. Capellani Obertus, Hartwicus, Peregrinus. Si quis huic paginæ in toto vel in parte contraire præſumſerit, ſi ſecundo tertiove commonitus ceſſare noluerit, anathema ſit, Amen. Obſervator autem benedictionem conſequatur a Domino, Amen. Acta ſunt Bremæ feliciter Amen. Anno Incarnationis Dominicæ M. C. XLII. Anno vero ejuſdem domini Athelberonis venerabilis Archiepiſcopi XIX. indictione V.

(*) Ex hoc tempore Monachi Neomonaſterienſes dicuntur *Capitulares*, Canonici Regulares, Honorabiles & religioſi Viri Præpoſitus, Prior totusque Conventus Canonicorum regularium Eccleſiæ S. Mariæ in Novomonaſterio ordinis D. Auguſtini Bremenſis Diœceſis. Eccleſia vero dicitur *Baſilica*, *Thum ſeu Dom*, vel a DOMINO, *putante* CALVöRIO *Ritual. Eccleſiaſt. P. 2. Sect. I. c. 1.* vel a voce DOM h, e. *judicium* vocata, docente SCHEFFERO *in Upſalia antiqua c. 12.* Dominico enim templo ineſt & adhæret Conſiſtorium ſeu *Capitulum* quo cauſæ capitulares & eccleſiaſticæ dijudicantur. Unde apud CIMBROS, *Jutos*, *Danos*, *Dohm* idem eſt ac *Sententia*, *Eröffnung des Dohms* publicatio Sententiæ, *Dohmer* judex, Svecis *Domart.*

(**) Seu non amplius comburantur. Quod factum adhuc Seculo XIII. RHODE *in antiquit. Cimbr. de ritibus ſepeliendi ſp. 2.* & CHRISTIANUS NETTELBLAD *peculiari opuſculo de antiquis modis ſepeliendi apud Svecos.*

VII.

Domina Richardis comitiſſa Ditmarſiæ cum filiis ſuis & Domina Ermingardis Henrici Marchionis

chionis Stadenſis mater ſua prædia in Elmesborne ſita donant Novomonaſterio, atteſtante ad Athelberone Hamb. Archiepiſcopo, ſimul & confirmante.

1144. In Nomine Domini DEI omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Adelbero DEI gratia, Hammenburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris, quam præſentibus ſalutem in perpetuum. Notum vobis facimus, qualiter divina miſericordia ſuggerente, religioſa domina Richardis, Nobilis illa comitiſſa famoſiſſimi Principis Rodolfi comitis vidua, una cum cariſſimis filiis ſuis Hartwico præpoſito Bremenſis Eccleſiæ, & fratre ipſius Rodolfo comite, ſanctæ DEI genetrici & perpetuæ Virgini Mariæ & venerabili fratri noſtro Vicelino Præpoſito, ac fratribus ipſius in Novomonaſterio, ſcilicet in villa, antiquitus *Wippenthorp* dicta, DEO famulantibus eorumque ſucceſſoribus prædium ſuum, quod habuit in pago Holſatia, in villa Elmeshorn juxta *Cieſtram fluvium* ſita, cum omnibus attinentiis, hoc eſt ſilvis, pratis, paſcuis, viis & inviis, aquis aquarumve decurſibus, exitibus & reditibus, cum paludibus à prædicta villa Elmeshorn tendentibus, uſque ad locum, ubi lacus *Wieflet* fluit in Cieſtram, cum *duobus mancipiis*, *Siberno*, *Odelmo*, perpetuo jure poſidendum tradidit, ea videlicet conditione, ut ſui ſuorumque Parentum apud eoſdem fratres jugis & inextricabilis ad Deum memoria conſiſtat. Et ne quiſquam heres eorundem vel alia quælibet Eccleſiaſtica ſecularisve perſona ipſis vel vivis vel mortuis hoc factum in toto vel in parte violare præſumeret, auſcultantibus & aſpicientibus tam nobis ipſis quam multis aliis gratuitam & apertam ejuſdem prædii in ſupra dictorum fratrum uſus reſignationem fecerunt & hoc noſtræ auctoritatis & banno & privilegio ſtabiliri poſtularunt. Sed quia ſpe retributionis æternæ hoc viſi ſunt emoliri, decrevimus & nos piæ petitioni eorum propenſius aſſentiri. Præterea & hoc præſenti paginæ neceſſarium duximus annotari, quod mater domini *Heinrici Marchionis*, nobilis & religioſa domina *Ermingardis*, ſupra memorato Novomonaſterio ſuum quoque in villa eadem Elmeshoren prædium nihilominus ob recordationem ſui & ſuorum in proprium dedit, quod & noſtra auctoritate confirmari rogavit. Ut ergo utrorumque bono effectui pium præbere videremur aſſenſum præſentem paginam conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus, perpetuam eis annuntiantes pacem, qui eam in violatam ſervaverint; imo à communione omnium fidelium excludentes, qui aliquo modo ipſam infirmare ſeu deteriorare tentaverint. Hujus rei teſtes ſunt: Hartwicus præpoſitus, Vicelinus præpoſitus, Hartmannus præpoſitus, Liutmundus præpoſitus, Luitfridus præpoſitus, Erpo præpoſitus. *Miniſteriales*, Adico, Ricbertus, Manegoldus, Werno, Edo, Liuderus, Everwinus, Volcmarus, Liudolfus, Sigero, Herimannus, Hartlevus, Thiemarus, Godefridus, Everhardus. Capellani Obertus, Anshelmus, Nobiles, Folradus, Thidericus. Acta ſunt hæc Staden, Anno ab incarnatione domini M. C. XLIV. Anno vero ejuſdem venerabilis Adalberonis Archiepiſcopi XX. Indictione IIII. VIII. Kalend. Auguſt. Amen.

de Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

VIII.

Archiepiſcopus Bremenſis Hartwicus confirmat decimas ſex villarum Novomonaſterio olim ab Adolfo Com. Holſat. 60. Marcis venditas.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, H. Dei Gratia ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ filiis. Salutem in vero ſalutari. Notum eſſe volumus tam præſentibus quam futuris, qualiter bonæ memoriæ *Sido Præpoſitus* NOVIMONASTERII & ejuſdem cœnobii fratres a comite *Adolfo de Scowenburch* decimam ſex villarum *Aſpe*, *Bochſtede*, *Enendorpe Werkebeke*, *Enenvelde*, *Eiderſtede*, quam à nobis idem comes *jure* FEODALI legitime tenet, datis ſexaginta marcis argenti *invadiaverint* (*). Cui facto cum noſter neceſſarius eſſet aſſenſus, pro dilectionis intuitu prædicti præpoſiti & eorundem fratrum hoc ipſum factum ratum eſſe ſancimus, & ad futurorum munimen litteris commendare & ſigilli noſtri impreſſione firmare curavimus. Quæcunque autem eccleſiaſtica ſecularisve perſona hoc factum irritare temptaverit, niſi reſipiſcat anathemati ſe ſubjacere certiſſime cognoſcat. Hujus rei teſtes ſunt Criſtoforus Abbas ſanctæ Mariæ in Staden. Heremannus ſummus Bremenſis Eccleſiæ præpoſitus. Hartwicus ejuſdem Eccleſiæ Decanus. Laici Ericus *de Bederekeſa*. Otto de *Lewemunt*, Bovo, Heinricus *de Gronenberge*, Meinerus. *ad a.* 1144.

(*) *Vadum*, *Wadium*, occurrit in Legibus Salicis, Allemannicis, Boicis, Longobardicis & in Capitularibus apud LINDENBROGIUM *in gloſſar. Codici Legum antiquarum ſubjuncto p. 1496.* *Vadiare* eſt ſpondere, *Vadium* pignus, vadimonium ſeu *guadium* fidejuſſio, debitum *rewadiatum* idem ac relaxatum, poſſeſſiones *invadiatæ*, obligatæ. *Chronicon Laurish. p. 137. 143.* BURCHARDUS *in Caſibus Mon. S. Galli c. 12.*

IX.

Adalbero Archiep. Brem. confert Novomonaſterio paludem Bishort cum decimis.

In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Ego Adelbero, Hammburgenſis ſeu Bremenſis Eccleſiæ Deo propitiante vocatus Archiepiſcopus, fratribus in novo Monaſterio, quod eſt *in pago Holſatiæ*, in villa videlicet *Wippenthorp* dicta, ſub regulari diſciplina victitantibus, ſuſtentationum oportunitatem prævidere cupiens, paludem, quæ eſt verſus *Bishort* & jam non raro incolitur habitore, diſtincte deſcribi juſſi & decimationes tam frugum, quam animalium, quæ inde proveniunt, eorundem uſibus fratrum deputavi, & non ſolum plurimorum teſtium verum etiam præſentis paginæ ſanctione firmavi, ne quis in poſterum hoc audeat infringere, quod hic poteſt propter Deum, à nobis bene & deliberate factum, intelligere. In orientali igitur plaga 1146.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

palus supradicta terminum habet MARCHAM regionem, provinciam HOLTSATORUM, in australi MARCHAM *Stotmeresflet*, in boreali autem *lacum Wicflet*, in occidentali vero fossam tendentem usque ad *Marcham Stotmeresflet*. Quæcunque itaque decimationes his prænotatis terminiis concluduntur, à supra memoratis ejusdem Novimonasterii fratribus, auctoritate domini nostri Jhesu Christi & nostra, perpetua & irrefregabili possessione suscipiantur & in usus inibi deo famulantium dispensentur. Si quis autem hoc factum nostrum infregerit, anathema sit. Hujus rei testes sunt: *Hartwicus Bremensis Ecclesiæ Præpositus*, Stadensium dominus, Hartwicus Hammburgensis Præpositus, Vicelinus Præpositus, Hartmannus Præpositus, Liuttmundus Præpositus, Liutfridus Præpositus, Bonifacius Præpositus, Erpo Præpositus. Obertus Capellanus. NOBILES Adolfus Comes, Henricus Comes, Adolfus & Thiedricus frater ejus. MINISTERIALES Liuderus, Thiedricus, Gerungus Hadebertus, Albero, Udo, Willo, Arnoldus. Fridericus. Heinricus. Acta sunt hæc Bremæ, Anno incarnationis Domini Mill. Cent XLVI (*).

(*) Vide *Privileg. Hamb. apud* LINDENBROG *p. 156. no. XLVI.*

X.

Henricus, Dux Bavariæ & Saxoniæ, approbat patris & avi sui Henrici & Lotharii donationes Novomonasterio factas, addens eidem paludes Wilstermarsch & Bredenberg juxta Wilsteram & Stauiam sitas.

1148. In Nomine Patris & Filii, & S. Sancti, Henricus Dux Bavariæ & Saxoniæ. Ad hoc in culmen potestatis nos per gratiam Dei collocatos justè recognovimus, ut quo auxilii nostri manum protendere, & quibus consilii curam impendere necessarie propter Deum debeamus, facilius & manifestius prospicere valeamus. Sed cum omnibus debitores simus, præcipue tamen pusillos Christi, qui mundo, suisque ambitionibus renunciantes, sub umbra alarum divinæ protectionis se contulerunt, nos manutenere eisque in necessariis rebus subservire debere digne perpendimus. Notum ergo esse volumus, tam futuris, quam præsentibus, quod & nos pia vota parentum nostrorum in memoriam revocare utile duximus & eorum bonum propositum in his, quibus honorem Dei promovere studuerunt confirmare proponimus. Siquidem à venerabili *Athelberone Hammaburgensi Archiepiscopo* per studium & laborem reverendi *Patris Vicelini in provincia Holsatiæ*, in villa ab antiquis *Wipenthorp* dicta, Novum Monasterium inchoatum & servientes Deo inibi coadunitos & videmus & scimus, patrem vero meum Ducem *Henricum* & avum meum *Imperatorem Lotharium*, locum ipsum oblationibus promovisse, donis honorasse, & res eidem Ecclesiæ collatas privilegiis suis confirmasse, veraci relatione didicimus. Pro eo denique, quia vineam Dei ibi plantatam bene fructificantem, in odore ejus multos post deum currentes, rudes illius gentis homines ab impietatibus suis pristinis correctos, *vicinas gentes Slavorum ab incredulitate jam conversas*, ad fidem gratanter aspicimus, locum ipsum digno honore amplectendum arbitramur, & eos, qui se ibidem Deo servituros devoverunt, etiam ex nostra benevolentia fovendos & munificentia consolandos judicamus. Quapropter paludem, quæ est juxta *Wilsteram* inter *Sladen* & *Waleburgou*, & alteram, quæ est juxta *Stauiam* inter *Lutesou* & *Aldenou*, à *Comite Adolpho & omnibus Holsatis* eidem Ecclesiæ collatas, adprobamus & in usus fratrum ejusdem prædicti Novi-Monasterii cedendas in perpetuum auctoritate nostra decernimus. Et ut hæc collatio rata & inconvulsa omni ævo permaneat, chartam hanc conscribi & sigilli nostri impressione signari fecimus, & nomina eorum, qui affuerunt, assignari mandavimus. Testes & fautores, & cooperatores hujus rei sunt Athelbero *Hammaburgensis Archiepiscopus*, Hartwicus *Bremensis Ecclesiæ major præpositus*, Vicelinus prædicti *Novimonasterii Præpositus*. Athelbertus *Marchio*, Comes *Adolfus*, Comes *Heinricus de Bodwide* (*), Comes *Christianus de Aldenburg*, cum aliis multis principibus, *nobilibus & ministerialibus*, e numero Holsatorum hi sunt: Marcradus *signifer provinciæ* cum filiis suis, Vergotus filius dasonis *de Ennigge* cum fratribus suis, Wulvardus *de Renkigge*, Wicbertus *de Wekkigge*, Imico cum filio suo Rennato & fratribus suis, Ethelerus *de Drage*, Godescalcus *de Gerestborp*, Hasso filius Henrici advocati *de Ottenchotle*, Thietbernus *de ho*, Heinricus Advocatus *de Barmstide*, Macradus *de Bilsele* cum filiis suis, *Elvericus & Hiddo de Eidera*, hi *judices terræ*, Otherus *signifer Stuariorum*. Quatuor etiam, qui denominati sunt Legati esse provinciæ Marcradus *de Stenvelde*, Thoto de *Kerleggebuse*, Rothmarus *de Hanstide*, Alvardus *de Eiderstide* & reliqui plures. Acta sunt hæc Heikenbütle coram frequentia totius exercitus, qui nobiscum erat, quando reversi sumus accepta Victoria de hostibus regni *Thiedmarskiensibus* (**), *qui Rotholfiam marchionem, Principem & Comitem suum jam pridem interfecerant* (***) & confirmata est hæc collatio favore & acclamatione totius exercitus, qui ibidem in castris erat aggregatus. Anno incarnati verbi M. CXLVIII, indictione XII. data idibus Septembr.

XI. *Lo-*

(*) Cui Comites Raceburgenses originem debent BANGERT *ad Helm. L. I. c. 47 p. 117.*

(**) Seu Ditmarsis, qui vocantur DITMARTICI ab Anonymo *Presbytero Bremensi*, à quo *Helmoldi Chronicon usque ad annum 1448.* continuatum est; THIATMARSGOI apud *Adamum Bremensem L. 2. c. 5.* & THITMERSKIENSES ab *Erico X. Rege* Daniæ *in Historia* de origine *gentis Danorum eorumque Regibus & horum rebus gestis apud* LINDENBROGIUM inter *Scriptores rerum Septentrionalium p. 262.* DIETHMARINGENSES à Cunrado Rege in *Diplomate de Hartwico Episcopo de Ditmarsia* quod inter *Privilegia Archiecclesiæ Hamb.* habetur de a. 1145, c. l. p. 155 ubi de obitu Rudol-

XI.

Fridericus Imp. de Libertate Ecclesiæ Wippendorp omniumque Ecclesiarum Archiepiscopatus Hamb.

1158 In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus. Qui mundiali potestate præditi, quibuscunque necessariis regentium suffragari festinant, divinam sibi nihil refragari clementiam certissime sciant. Ideoque non dedignamur affectum ad nos confugientium perducere ad effectum clementer; quia ob hoc temporalis regni modificationem nobis pariter speramus & amplificationem æternalisque proventuram perpetuo perennitatem. Unde noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum sagalitas, quod *Adaldagus sanctæ Hamburgensis Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopus* adiit *Excellentiam serenitatis Imperatoris Ottonis* semper Augusti, ab ejus pietate expetivit talem libertatem & tuitionem monasteriis ejus Episcopio consistentibus, qualem cætera Archiepiscoporum per nostrum regnum monasteria noscuntur habere. Quia vero justa & rationabilis ejus petitio videbatur, ob remedium & memoriam animæ piissimi genitoris sui Ottonis Imperatoris Augusti, eidem Ecclesiæ supradictæ concessit concessiones, quas concesserant *anteriores Francorum Reges & Imperatores*, cæteris monasteriis ad hanc diœcesin pertinentibus, id est, *Ramesla*, *Brema*, *Byrsen*, *Buchin* (*) & aliis *Cyvena*, *Rarstarch*, *Ripesholt*, *WIPPENDORPH*, ita scilicet, ut semper sub *Imperiali tuitione* sint, & quidquid modo habent, vel in futurum acquirere debent, & eis eorumque Episcopo libere serviat, *omni judiciaria potestate remota.* Constat etiam eundem venerabilem Archiepiscopum Adaldagum, flagitantibus suis obtinuisse à Rege Ottone *licentiam construendi mercatum in loco*, *Bremum nuncupato*, bannum quoque & theloneum, monetam totumque, quod inde *regius Reipublicæ fiscus* obtinere poterit Ecclesiæ suæ, Rege donante contulit & retinuit. Qvum etiam negotiatores ejusdem inphi Comitis simul hæc habentur: *In Comitatu Diethmaringensium à suis hominibus* (vasallis subditis) *impie interemtus fuit & ei tota paternæ domus possessio competebat, à cujus ingressu & usu prædicti sicarii sui Germani interfectores eum prohibebant.* Concinit Historia Archi-Episcoporum Bremensium ad a. 1144. ubi ita: *Hoc anno Rudolphus Comes in THIETMARSIA occisus est in Comitia sua & frater suus Hartwicus, major Præpositus Bremensis dedit omnem hæreditatem suam Bremensi Ecclesiæ, ut concederetur sibi Comitatus Bremensis. Et sic Bremensis Ecclesia, quæ Principes Stadenses in quieta possessione tenuerant, in suum dominium recepit, hæreditatem videlicet Principum & ida & Hartwici, per solennem donationem.*

(***) De quo RANZOVIUS *Tr. de Bello Ditmarsico.*

(*) Quorum locorum *Biresini*, *Buchinuræ* mentionem injicit *Otto M.* in privilegio dato Archiecclesiæ Hamburgensi a. 937. apud *Lindenbrogium c. l.*

XII.

Alberto Archiepisc. Hamburg. confirmat permutationem quorundam bonorum inter Hartmannum Ramesloensem & Vicelinum Nmonasterienſem præpositos factum.

In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti Amen. *Athelbero*, DEI Gratia, sanctæ *Hammenburgensis* Ecclesiæ Archiepiscopus. Notum sit filiis nostris, tam præsentibus quam futuris, quod *Hartmannus* Romeslensis Ecclesiæ præpositus 1164

cum colas loci, Regiæ tuitionis patrocinio ita condonavit & commendavit, ut & Regiæ auctoritatis edicto in omnibus tali patrocinentur tutela, & potiantur jure quali cætorarum *regalium institores urbium*, nemoque inibi aliquam sibi vindicet potestatem, nisi præfati Pontificatus Archiepiscopus, & quem ipse ad hoc delegaverit, *non Dux*, *non Marchio*, *non Comes*, *nulla secularis potestas*, in supradictorum hominibus monasteriorum, cujuscunque conditionis vel officii sint, aliquem legem vel bannum vel justitiam exerceat, nisi advocati ipsius Archiepiscopi quos ipse velit & constituat. Data est quoque clericis ejusdem Ecclesiæ libera potestas, inter se sive aliunde eligendi Episcopum, cum necessitas poposcerit. Quæcunque igitur in præsenti chiographo seu à Rege Ottene, seu ab Imperatore Ottone Augusto concessa sunt & confirmata, & nos imperiali auctoritate nostra eidem Ecclesiæ eadem concedimus & confirmamus, ut rata permaneant, & sub nostri sigilli impressione semper inconcussa consistant. Ut etiam his omnibus in posterum major fides adhibeatur, personas ad testificandum idoneas subscribi jussimus; quarum nomina hæc sunt. Fridericus *Colonienſis* Archiepiscopus, Gotfridus *Trajectenſis* Episcopus F. Monasterienſis Episcopus, Philippus Merburgensis Episcopus, Albertus Aquensis præpositus, Gerhardus: Mageburgensis præpositus, Thibaldus Sanctensis præpositus, Arnoldus præpositus de Colonia apud S. Andræam, Bruno præpositus in Colonia apud S. Georgium, Otto Bremensis summus præpositus, Hartwigus Hammaburgensis præpositus. Udo Ramaslensis præpositus H. Notarius, H. Dux Saxoniæ, Chonradus Comes Palatinus de Rheno, Hludovicus Comes de Cleve; H. Comes de Cuckè, Adolfus Comes de Monte, Symon Comes de Teckeneborch, Otto Comes de Ravensberge & frater ejus H. Marquardus de Crombach. Ego Reynoldus Cancellarius Vice Arnoldi Moguntini Archiepiscopi & Archicancellari recognovi. Data in Verda sancti Swiberti X. Kalend. Maji, Indictione VI. Anno Dominicæ incarnationis MCLVIII regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Augusto. Anno regni ejus VII. Imperii vero III.

cum ſuis fratribus, *Vicelinus Præpoſitus* Novi Monaſterii in Holſatia cum ſuis fratribus *concambium* (a) quoddam fecerint, videlicet Præpoſitus H. Hartmannus & fratres ejus decimationem ſuper Bishorſt Katmersflete, Wulbereſen ac *ſuper omnem Marcham* (b) *earundem villarum*, ſibi pertinentem, *Præpoſito* V, (c) & fratribus ejus mancipaverunt, pro qua ipſi XII. agros *Hollandenſes* bene cultos & *dimidium manſum Hollandenſem* (d) nec dum cultum receperunt. Quia ergo pro hac conventione ex utraque parte firmanda ipſi noſtræ auctoritatis teſtimonium & adjutorium appetiverunt, Nos ut hæc prædicta rata & inconvulſa permaneant, concambium eorum præſenti pagina ſigilli noſtri impreſſione ſignata ſtabiliri præcepimus. Valete ſemper in Domino valete.

(a) Seu Permutationem, qua veteres germani communiter uſi ſunt, ita ut ſolennes dies permutationibus deſtinaverint & ad commoda loca concambii cauſa frequentiſſime confluxerint. Quales nundinæ apud Dithmarſos olim celebrata ſunt in pago *Weſſel*, qui inde à permutando, Weſzele, verwechſeln, nomen retinuit. Forte & inde *Weßlenburen* in Dithmarſia nomen ſortitum eſt. Quin referente VIETH *in Chron. Dithm.* ipſis his nundinis permutationum, oppidulum *Heyde*, pago *Wesle* proxime vicinum, Originem nataliumque rationes ac incrementa ſua debet.

(b) Seu Diſtrictum & Ambitum regionis. Inde pagus aliquando in chartis dici ſolet *Marckſteck*. LINDENBROG *gloſſar. ad Cod. LL. antiqu*: Sæpius *Marca* ſumitur pro *limite*, *fine*; Unde *Marchgravii*, Comites limitanei, Grentz-Grafen.

(c) *Vicelino.*

(d) Manſus generatim & hoc loco accipitur pro certo ſpatio agri vulgo Hufe cujus in Megapoli quatuor ſunt ſpecies (1) Die Heger-Hufen, 60. Morgen oder 2. Laſt Saat-Korn (2) Land Hufen von 30. Morgen. (3) Hacker-Hufen, 15. Morgen. (4) Stadt-Hufen 24. Hufen. COTHMANNUS *Vol. 3. Conſ. 30. n. 161. ſeq.* Sæpe quoque manſus ſumitur pro agro ſimul & tugurio, vitæ & inhabitationi ſeu manſioni ruſtici deſtinato. HELMOLD *L. I. c. 19. p. 29. a.* POTGIESERUS de *Servis german. L. I. c. 3.* STAPHORST *Hiſt. Eccleſ. Hamb. P. I. V. I.* LINDENBROG. *gloſſ. ad LL. ant.* Inde & pro villa & prædio ruſtico aliquando explicatur & venire ſolet ſub nomine *Hude*, *Hyde*, unde *Dockenhude*, *Winterhude*, *Herwershude*, ſeu *prædium Herwerdi*, Hude vero eſt à Hüden, tegere, cuſtodire: LAMBECIUS *R. ff. L. 2. p. 44.* Speciatim vero de *Manſo Hollandenſi* ejusque magnitudine judicare licet ex privilegio, quod *Fridericus Archiepiſcopus Hamb. & Bre-*

XIII.

Hartvicus Hamburgenſis Archiepiſcopus omnia bona Novo monaſterio hactenus collata confirmat (*) & alia nova eidem adjicit.

Hartvicus Dei gratia Hammenburgenſis Archiepiſcopus univerſis ſanctæ matris Eccleſiæ filiis, natis & naſcituris in domino ſalutem. Ordo rationis & eccleſiaſticæ prælaturæ depoſcit officium, ut ſicut mala quæ videmus in ſubditis, indicare debemus & aufferre de medio, ſic bene ordinata benigne reſpicere, grataner adprobare curemus & omni promovere ſtudio. Siquidem occaſione *novæ baſilicæ* conſecrandæ pervenimus ad clauſtrum in dioceſi noſtra in Holſatia, quod *novum monaſterium* appellatum eſt, ubi ſanctæ converſationis hominibus inventis, tanto majus acceſſit nobis gaudium, quanto pro penſius de ſalute fratrum conſtat eſſe gaudendum. Inde eſt, quod ipſum locum & inhabitantes plena charitate duximus amplectendos, poſſeſſa confirmare, poſſidenda tribuere & quicquid ad ſalutem & commodum ipſorum operari videtur, exhibere parati. Ad formam itaque privilegii domini & anteceſſoris noſtri beatæ memoriæ Alberonis Archiepiſcopi, quæcunque bona vel ex ipſius conceſſione vel ex propriis eorum laboribus & aliorum fidelium collatione, in poſſeſſione prædictæ congregationis invenimus, auctoritate Dei & B. Petri & Romanæ Sedis & noſtra confirmamus, ſtatuentes, ut ad nullum *niſi ad* HAMMENBURGENSEM *Archiepiſcopum* præſignati clauſtri Præpoſitus & fratres reſpectum habeant, ut etiam aliquid à nobis conſolationis 1164.

menſis, Hollandis in ditionem Archiepiſcopatus ipſius receptis, indulſit à 1106. apud LINDENBROG *in Script. Septentr. p. 170.* ubi ita: *Pactionem quandam, quam quidam cis Rhenum commanentes, qui dicuntur* HOLLANDI, *nobiſcum pepigerunt, omnibus notam volumus haberi; Præfati igitur viri* MAJESTATEM *noſtram convenerunt, obnixe rogantes, quatenus terram in Epiſcopatu noſtro ſitam, hactenus incultam paludoſamque, noſtris indigenis ſuperfluam, eis ad excolendum concederemus. Nos itaque noſtrorum uſi conſilium fidelium, perpendentes rem nobis noſtrisque ſucceſſoribus pro futuram, non abnuendæ petitioni eorum aſſenſum tribuimus. Hujus autem petitionis talis fiebat pactio, ut de præfatæ terræ ſingulis manſis, ſingulos denarios, ſingulis annis nobis darent.* MANSI *vero menſione, ne diſcordia in poſterum in populo haberetur, quæ manſio in longitudine* SEPTINGENTAS & VIGINTI, *in latitudine vero XXX habet regales virgas, cum rivulis terram interfluentibus, quos eis ſimili modo concedemus, hic inſcribi neceſſarium duximus.*

(*) LINDENBROG *in Privileg. Archiecclesiæ Hamb. p. 165.*

tionis acciperent, & noſtri memoriam in ſuis haberent orationibus, quædam quæ ſubſcripta ſunt, de noſtra benivolentia præbendis eorum adjicimus, tam ipſis, quam ſucceſſoribus eorum uſu perpetuo retinenda, ſcilicet Eccleſiam *Bisburſt*, cum prædiis attinentibus & *banno ſuo & filius Volcmari.* Item paludem *Wichflete*, cum decima & banno. Item duos manſos *Elmesborne.* It. Eccleſiam *Ichburſt* cum decima & banno. Et decimam *trium villarum Botele*, *Ricolinne*, *Haryen.* Item decimam in auſtrali parte *Wilſteræ*, in *Neſſe*, inter *Stockflite* & *Dammeflite*, é regione Eccleſiæ & agrum adjacentem duodecim jugera continentem, & decimam ejuſdem agri, quam præfatam decimam & agrum Præpoſitus Hartvigus nobis reſignavit & nos ea præfatis fratribus contulimus. Quæcunque etiam *novalia* (*) à tempore hujus actionis in parochia prædicti Novi-Monaſterii culta fuerint, ex noſtra caritate conceſſimus iisdem fratribus & ſucceſſoribus eorum, hæ & alia, quæ præſcripta ſunt, jure perpetuo retinenda. Quæcunque ergo eccleſiaſtica vel ſecularis perſona huic noſtræ tam rationabili conſtitutioni contraire præſumens, aliqua in parte immutare tentaverit, anathema ſit. Teſtes aderant præpoſitus Hammenburgenſis Hartvicus, Præpoſitus Brem. Otto, Odbertus Decanus, Donatus Abbas *de Kath.* Adalwardus Abbas *de Stadio.* Liudmundus Præpoſitus *de Kevena.* Luidolfus Præpoſitus *de Sigheberghe. Miniſteriales* Marcwardus, Bero, Sygero, Othelricus, aliique quamplures. Anno Incarnationis Domini M. C. LXIV. actum Bremæ feliciter.

(*) Seu noviter culta prædia, agri novales, terræ novales. De quibus SYRINGIUS *de jure Decimatum c.* 7. BÖHMERUS *Jure Eccleſ. L.* 3. *Tit.* 36. Adde diplomata ad ad 1238. 1296.

XIV.

Hildewardus, Vaſallus Epiſcopi Hamb. per Baldewinum Archiepiſcopum confert Novo-Monaſterio omnem decimam partis occidentalis lacui Damflete adjacentis.

1174 In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Baldwinus gratia DEI Bremenſis Archiepiſcopus, omnibus CHRISTI fidelibus perpetuam ſalutem. Quoniam tempora præcereunt more fluentis aquæ, & per temporum ſucceſſionem receditur in rerum ſeu actionum oblivionem, provida diſcretione ſtatutum eſt, ut in omnibus honeſtarum diſpoſitionum contractibus, qui poſterorum deſervire habent utilitatibus, tam viva, quam ſcripta teſtimoniorum adhibeantur munimenta Nos igitur ex officio regiminis divinitus nobis collati Eccleſiam noſtrarum utilitatibus intendentes, ſtatum earum pro poſſibilitate noſtra in melius conducere, conſervare & roborare ſatagimus. Notum ergo eſſe volumus, tam poſteris, quam præſentibus, quod quiduam homo noſter Hildewardus *omnem decimam*, quæ lacui, quæ *Damflied* dicitur, in parte occidentali adjacet *tam in frugibus, quam in animalibus*, ſed & *nummum cenſus, pro remedio animæ ſuæ nobis reſignavit*, ut eandem cum eodem nummo cenſus fratribus in Novomonaſterio DEO militantibus conferremus. Huic itaque devotioni benigne annuentes & præfatæ Eccleſiæ decimam prænominatam, item & nummum cenſus conferentes, ut hæc donatio permaneat inconvulſa, paginam ſigilli noſtri impreſſione munitam ſuper hac actione conſcribi fecimus. Hujus autem rei teſtes ſunt Sibertus Decanus, Erkenbertus, Hecelo Franco, Alebrandus, Erpo, Johannes, Gregorius. Laici Guncelinus Comes & ejus filius Heinricus. Miniſteriales Sigere, Othelricus, Ethelerus, Heremannus, Manegoldus, Godefridus Hildewardus & alii quamplures. Anno Incarnationis Domini Mill. Cent. Lxxv. indictione VI. Actum Bremæ feliciter Kal. Julii.

XV.

Hartwicus Archiepiſcopus Bremenſis originem, fundationem, dotationem, conſecrationem & immunitates Eccleſiæ Neomonaſterienſis refert & decimam quandam in Damflete confert & confirmat.

In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, 1196
omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris, quam præſentibus, Ego Hardwicus DEI gratia Sanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, pacem & ſalutem in perpetuum. Quia ea, quæ ad honorem & laudem DEI & executionem cultus divini ſpectant, promovere & roborare ex officio nobis injuncto incumbere incunctanter recognoſcimus, voluntario potius ſacrificio dominum placare, & in libertate ſpem liberali animo ad effectum perducere ea quæ expediunt utile nobis eſſe procul dubio decernimus. Eccleſiam ſiquidem *in terminis aquilonaribus dioceſis noſtræ novum monaſterium nuncupatam*, ab anteceſſore noſtro felicis memoriæ *Athelberone Archiepiſcopo fundatam & dotatam & à ſucceſſore ſuo venerabili Hartwico Archiepiſcopo conſecratam & dote ampliatam*, ſed & ab *ipſis & ſucceſſoribus eorum donis honoratam & privilegiis confirmatam* & audivimus & ipſi memoriam retinemus & præſentialiter lætis oculis aſpicimus, & videntes bonis cœptis eorum applaudere & piis votis animo concurrere, præcedentium exemplis bene informari omnimodo curabimus. Notum igitur eſſe cupimus univerſis Eccleſiæ catholicæ filiis, tam natis, quam naſcituris, quod decimam quandam *juxta Wilſteram* lacui, qui dicitur *Dammeflete* adjacentem, quam filii Hildewardi Hardwicus & Hildewardus a nobis in beneficio hactenus poſſederunt, ab ipſis nobis reſignatam, nos ex benivolentia noſtra Eccleſiæ ſupra dictæ Novomonaſterii, ut in uſus eorum, qui ſub religionis profeſſione ibidem ut hodie eſt, totos ſe Deo ſervituros devoverint, perpetualiter cedat, largiendo contulimus, & auctoritate DEI Patris, & Filii, & Spiritus Sancti & beati Petri Principis Apoſto-

lorum, & noſtro banno, donationem hanc eidem Eccleſiæ communimus & confirmamus, a modo & usque in ſempiternum. Præterea ut in omne ævum donatio hæc rata & firma permaneat, cartam hanc conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione muniri fecimus. Dator & Conſervator hujus largitionis *in benedictione maneat*, raptor & invaſor & temerator anathema ſit, & ſub maledictione, *fiatque in combuſtione & cibus ignis*. Amen. Data v. nonas Januarii Anno incarnati verbi M. C. LXXXXVI indictione XIIII. Teſtes hujus collationis ſunt *Canonici Hamburgenſes* Remigerus, Baldewinus, Hermannus cuſtos. *Sacerdotes* Heinricus, Hartungus, *Diaconi* Manegoldus, *Subdiaconus* Sigebandus, *Prior* Sanctæ Mariæ in *Stadio*, Daniel Sacerdos de *Meltborpe*. Alexander de *Ezeho*, Johannes de *Kelengbuſen*, Sacerdotes. *Miniſteriales* Hardwicus, Hildewardus fratres, Ethelerus Meinerus fratres, Thancmarus, Hermannus, Johannes, fratres. Acta ſunt hæc Hamburg feliciter in domino.

XVI.

Gerhardus I. Archiepiſcopus Bremenſis concedit fratribus Novimonaſterii decimam à Bethardo de Aſpe milite conquiſitam.

1215. G. DEI gratia, in Bremenſem Archiepiſcopatum (*) à domino Papa confirmatus, univerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Domino. Omnibus Chriſti fidelibus notum eſſe cupimus, quod decimam, quam fratres Novimonaſterii à quodam milite *Bethardo de Aſpe* conquiſiverunt, auctoritate noſtra ipſis fratribus *licentiavimus* (**). Si quis autem jam dictis fratribus in memorata decima gravamen & impedimentum intulerit, auctoritate, qua fungimur, vinculo eum anathematis innodamus. Data pridie nonas Maji *Wyldeshuſen*, Anno incarnationis domini M. CC. XV. Anno confirmationis noſtræ quinto. Teſtes hujus facti ſunt Burchardus ſummus præpoſitus in Bremenſi Eccleſia, Magiſter Hinricus ejuſdem Eccleſiæ, Gernandus ejuſdem Eccleſiæ Canon. Hermannus, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus. Magiſter Bernhardus & alii quamplures,

(*) Hamburgenſis Archiepiſcopi titulus plane deſierat.

(**) Vendidimus, contulimus.

XVII.

Gerhardus Archiepiſcopus Bremenſis, pro L. marcis mutuo acceptis obligat Novo Monaſterio XXX. meſas Siliginis, è curia Papenbüttel ſolvendas.

1215. In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Gerardus DEI Gratia, Sanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis CHRISTI fidelibus, ad quos præſens pagina pervenerit, ſalutem in ſalutis autore perpetuam. Notum eſſe volumus, tam præſentibus, quam poſteris, quod nos cogente Eccleſiæ noſtræ neceſſitate, ſcilicet ut curiam in *Leſſmona* obligatam redimeremus de curia noſtra *in Papenbotle* pro L. marcis argenti Præpoſito Novi Monaſterii Bertrammo, ſuæque Eccleſiæ XXX Meſas ſiliginis contulimus, hac interpoſita conditione, ut ſi dictæ Eccleſiæ prædictam pecuniam in proximo feſto B. Martini non ſolverimus, præfatæ annonæ ſummâ cum omnijure quod ad ipſam pertinet, ſæpe dictæ cedat Eccleſiæ in perpetuo beneficio poſſidenda. Villas autem ipſam annonam ſolvere debentes placuit nobis huic cedulæ inſcribi. In *Papenbotle* III, meſæ & dimidia. In *Aldenthorp* XVI. meſæ. In *Wenerbude* III. meſæ & dimidia. De decima in *Parochia Wetſtede* VII. meſæ. Ut autem hæc rata permaneant & inconvulſa præſentem ſuper hiis paginam conſcribi & ſigilli noſtri munimine & Teſtium in Scriptione fecimus roborari. Teſtium vero nomina hæc ſunt Lambertus *de Barmerſtede*. Magiſter Wiphardus, Manegoldus, Eylardus Scholaſticus, Frommoldus, Helpradus *Hamburgenſis Eccleſiæ Canonici*. Fridericus *de Haſelthorp*. Heithemricus *de Holthövede*. Hildewardus *de Morſebe*. Reinnaldus *de Bartesſtete miniſteriales ECCLESIÆ*, Thrulus *Dapifer Regis Danorum* & alii quamplures. Acta ſunt apud Novum Monaſterium Anno dominicæ incarnationis M. CC. XVII. indictione VI. VI. Kal. Martii Pontificatus vero noſtri Anno VII. Amen.

XVIII.

Albertus Comes Orlam. & Holſat. confirmat Adolphi comitis Holſat. donationem XII. manſorum in Villa Vlintbeck Monaſterio factam, ſuperaddens eidem Eccleſiæ plures alios manſos.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Albertus DEI gratia Comes Orlamundæ & Holſatiæ (*) omnibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, in perpetuum. Quum ſucceſſus temporis memoriæ novercatur, humanum genus hoc ſibi remedium adinvenit, ut ſcriptis ea, quæ facta fuerint, commendentur, ne vel per oblivionem vel per decurſum temporis à memoriis hominum elabantur. Noverint igitur omnes, tam præſentes, quam futuri temporis ſucceſſores quod nos donationem Adolphi comitis approbantes in *duodecim manſis in Vlintbeke* collatis *Eccleſiæ Novi Monaſterii*, duodecim manſos in eadem villa ſuperaddidimus ipſi Eccleſiæ, cum omnibus appendiciis, molendino, ſylvis, paſcuis, cultis & inculcis, & judicio, tam primos, quam ſecundos XII. manſos cum omni jure perpetuo poſſidendos. Horum collatio manſorum facta fuit à nobis Anno incarnationis dominicæ M. CC. VI. Poſtea poſt decurſum quadriennii contulimus eidem Eccleſiæ duos manſos in *Askeberge*, villam *Korowe* totam, excepto manſo ſolo. Dehinc ad ampliandum in eadem Eccleſia Dei cultum poſt collationem villæ Korowe quinque annis effluxis jus patronatus capellæ in *Brücken*, quod ad nos *ratione dotationis & fundi ſpectabat*, contulimus etiam Eccleſiæ ſæpe dictæ perpetuo poſſidendum. 1220.

Quar-

Quartam insuper partem villæ *Eiderstede* de resignatione *Thetberni militis* ad nos devolutam, cum pratis, rivis, pascuis, silvis cultis & incultis prælibatæ Ecclesiæ pio affectu & promta contulimus voluntate. Utautem omnibus contra factum nostrum venire cupientibus malignandi materia præcludatur, & ne ab aliquo successorum nostrorum, quod à nobis factum est, valeat irritari, præsentem paginam appensione sigilli nostri fecimus roborari. Testes dominus Bertoldus *Lubic. Episcopus*. Joh. *Sigebergensis Præpositus*. Eppo præpositus in *Poretze* (**). Cuno *Racesburgensis Canonicus*, Hartmudus *Sacerdos in Plöne*. Marquardus *Sacerdos in Etzeho*. Laici Timmo *Præfectus Holsatiæ* & frater suus Marquardus. Radulfus filius Timmonis præfecti. Benedictus *de Prodole* & Schacco frater suus, Gotschalcus *de Kuren*. Gotschalcus *de Langwedele* & fratres sui. Thetlevus & Volquinus, Thiethernus *de Prato* & frater suus Siarcus. Hildelenus *de Bruckthorp*. Thietpernus *de Wakenbeke*. Helericus *de Kellingdorpe* & frater suus Oddo. Lucestus *de Harge* & filius suus Christoforus. Herderus *de Smalinstete* & filius suus Ratoldus. Liefhelmus *de Latendorp*. Wolwardus de *Werscebeche* & alii quamplures. Data Anno dominicæ incarnationis, M. CC. XX. indictione VIII. per manus Notarii nostri Maroldi.

(*) Fundator Cœnobii Monialium *Marienfeldensis* hodie *Prezensis*.

(**) Hodie *Pretz*. In sequenti diplomate a. 1221 1223. legitur *Poretzie*, *Porez* & in aliis *Porethe*, *Porec*.

XIX.

Albertus Comes Orlamund. & Holsat. confert fratribus N. M. decimam omnium proventuum tam in judiciis, quam in reditibus in Holsatiæ tractu, qui Vetus Terra dicitur. Excepto molendino Osow.

1221. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Albertus Dei gratia, Comes Orlamundæ & Holsatiæ omnibus in perpetuum amen. Cum omnibus Ecclesiarum profectibus intendere teneamur, illius tamen promotioni cura propensiori sollerter invigilandum censuimus, cujus devotionem & benivolentiam erga nos consvevimus experiri. Eapropter quæ à nobis ad utilitatem domus Dei provide disponuntur ut propter labiles hominum memorias, contra varios futurorum incursus robur obtineant perpetuæ firmitatis & voce testium & testimonio litterarum ea duximus certa noticia perhennare. Notum igitur sit omnibus, tam præsentibus, quam futuri temporis successoribus, quod nos Ecclesiam in Novomonasterio & fratrum inibi domino militantium devotionem modis omnibus amplectentes, decimam omnium proventuum nostrorum, tam in *judiciis*, quam in *redditibus* in Holsatia, quæ VETUS TERRA dicitur inter SAXONES & HOLLANDROS, solo molendino quod vocatur *Osow*, excepto, ejusdem Ecclesiæ fratribus, quo DEO devotiores existant, prompto animo & mera contulimus voluntate. Utautem hic nostræ collationis tenor nulla vetustate labatur sed posteritatis tempore perseveret, hanc paginam inde conscribi & sigilli nostri fecimus appensione muniri. Acta sunt hæc *Schelingbusen*, anno incarnationis dominicæ M. CC. XXI. indictione IX, IIII. idus Januarii. Hujus rei testes sunt Bertoldus *Liubicensis* Episcopus. Eppo Præpositus de *Poretzie*. Johannes Præpositus *de Sigeberge*. Herbordus Abbas de *Rinevelde*. Gerhardus Canonicus Liubicensis. Hartmodus *Sacerdos de Plone*. Bernardus *Plebanus de Lutikenburg* Marquardus *Sacerdos de Eziebo*. *Laici* Wibertus DAPIFER noster, Henricus PINCERNA, Heinricus CAMERARIUS, Fridericus *Advocatus de Eziebo*. Timmo *Præfectus Holsaciæ* & Marquardus frater ejus. Heinricus *Barmestide*. Marquardus *Tralow*. Godescalcus *de Kurin*. Benedictus *de Fridole* & frater suus. Godescalcus *de Godeland* & fratres sui. Herderus *de Smalenstide*. Hildelevus *de Broctborp*. Halericus & Oddo fratres de *Kellingthorp*. Thetberinus de *Wackenbike* Otto de *Wilstria* & frater suus Tidericus. Willehelmus *None* & alii quamplures & clerici & laici, qui interfuerunt COMMUNI PLACITO, quod dicitur GOTHING (*). Datum per manus Notarii nostri Maroldi.

(*) Gothing seu Gow-thing à *Gow*, pago s. districtu & *ting*, judicio.

XX.

Albertus Orlamünd. Novomonasterio concedit plenariam licentiam fundandi Ecclesiam in Vlintbeke, eidemque jus Synodale & Patronatus indulget.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Al- 1223.
bertus Dei Gr. Comes Orlamündæ & Holsatiæ, universis Christi fidelibus salutem in perpetuum. Ne nos operibus Karitatis dissentiendo ipsa videamur abolere, ea fovere nitimur nostrum eis consensum adhibendo. Hinc est, quod pio Præpositi Lamberti novimonasterii, suique conventus proposito consentimus plenariam eis concedentes licentiam, ut in villa Vlintbeke ecclesiam constituant in fundo quæ cum terra adjacente, Ecclesiæ novimonasterii, nostri antecessoris exemplo, contulimus & ad Ecclesiam constructam Parrochiani circummorantes divina propius & diligentius recipiant, quam prius ad claustrum Novimonasterii - - & negligentius receperunt. Ita ut parochia sit Vlintbeke, ad novum tantum monasterium pertineat, & ibidem sicut prius *juri* stet *synodali*, omni qua antea eidem cœnobio subjectione astricta & à præposito sacerdos parrochiæ præfigatur. Ne ergo is noster consensus labili elabatur memoriæ, ipsum scripto tenaci commendamus & sigilli nostri munimine confirmamus. Testes autem hujus consensus sunt, Bertoldus *Episcopus Lübicensis*, Conradus præpositus & Gerardus

Cano-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Canonicus Lübicenſis, Johannes præpoſitus & Bertoldus *prior & totus conventus Segebergenſis Eccleſiæ*. Wipertus *Dapifer*, Heinricus *Pincerna* Marquardus *plebanus in Itzeho*, Hartmodus de *Plone* & alii quamplures clerici & laici. Datum in Segeberge anno domini M. CC. XXIII.

XXI.

Albertus Comes Orlam. & Holſat. concedit Novomonaſterio omne judicium inter Lübeſow & Stillenow adſe pertinens.

1232. Albertus Dei gratia, Comes Orlamündæ & Holſatiæ, omnibus in perpetuum amen. Notum eſſe volumus univerſis, quod præpoſito & fratribus novimonaſterii *omne judicium*, ad nos pertinens, quod poteſt haberi inter *Luteſow* & *Stillenow*, quod HORST dicitur, ſcilicet *tres partes COLLI*, & *KoRE & BAN dimidietatem*, ſicut à Comite Adolfo collatum eſt, pleno jure contulimus perpetuo poſſidendum. Hujus rei teſtes ſunt Eppo Præpoſitus *Porez*. Wipertus *Dapifer* noſter, Marquardus *Sacerdos*. Hildelevus Fridericus *Advocatus*, Halericus & Oddo fratres de *Kellengthorpe*, Godeſcalcus de *Revetlo* & alli quamplures. Datum Racesborch, Anno M. CC. XXIII. indictione XI. pridie Kal. Junii.

XXII.

Robertus, Abbas in Dunamünde, conſenſu Alberti Holſat. Comitis vendit Novomonaſterio duos manſos & dimidium in villa Brachtevelde ſitos.

1224 Ego Robertus, Dei gratia, Abbas in *Dunemünde*, omnibus tam præſentibus, quam futuris in perpetuum. Ne ea quæ ſolempniter & legitime acta ſunt, proceſſu temporis in oblivionem vel dubium elabantur, ſcire vos volumus, quod nos duos manſos & dimidium in villa *Brachtevelde* à domina *Thangbrigge*, domini *Hugonis de Hildeſem* uxore nobis collatos, cum *conſenſu capituli noſtri, præpoſito & canonicis in novo monaſterio* ſumma, quæ inter nos convenit, ab eis receptâ vendidimus & in perpetuum ac firmum proprietatis jus, ſicut ad nos devenerat & in quieta à nobis poſſeſſione obtentum fuerat, domino Alberto Holzaciæ comite ſuam auctoritatem adhibente, eis contradidimus. Ne autem hujusmodi venditionis contractum legitime celebratum, vel nos ipſi aliqua occaſione retractare vel alter quiſpiam ſuper eo controverſiam in poſterum eis poſſet movere, nos in argumentum facti præſentem paginam ſigilli noſtri duximus impreſſione roborandam, ſubſcriptis teſtibus, quorum nomina ſunt hæc: Albertus *Livonienſis Epiſcopus*, & frater ſuus Rothmarus. Jo. *Sigeberghenſis præpoſitus*, Eppo *præpoſitus in Poretze*. Herbordus *Abbas Reyneveldenſis*, Silardus *Scholaſticus Hamburgenſis*. Alardus *Hamburg. Canonicus*. Hartmodus *plebanus in Plöne*, Gerhardus *de Wittenborgh* comitis Notarius. Item Fridericus de *Haſelthorpe* & filius ſuus Theodoricus. Heinricus de *Barnſtede*. Fridericus Advocatus *de Eziho*. It. Helerick *de Callingthorp* & frater ſuus Oddo. Arnoldus & Bertoldus *de Haſelow*. Acta ſunt hæc anno incarnationis dominicæ M. CC. XXIIII. quarto Kalendis Aprilis.

XXIII.

Hinricus & Nicolaus fratres Comites Holſat. donationem Wilrici & uxoris ejus de bonis quibuſdam in Saxenban, *in loco Mohr inter lacum Rotmaresvlete & Bredenſee ſitis & ab Adolpho Holſat. Comite, ab omni onere exemptis, anno 1227. factam, confirmant anno 1361.*

Hinricus & *Nicolaus* fratres, Dei gratia *Comites Holſatiæ & Stormariæ*, univerſis & ſingulis audituris præſentia, ſeu viſuris, ſalutem in omnium ſalvatore. Recognoſcimus tenore præſentium publice proteſtando, quod vidimus literam patentem ſigillatam ſigillo pendente Adolphi quondam comitis Holſatiæ & Stormariæ, cujus literæ tenor de verbo ad verbum fuit talis:

Adolphus Comes Holſatiæ, omnibus præ- 1227.
ſentem paginam inſpecturis ſalutem. Humanæ memoriæ imbecillitatem, quæ variis ac multiplicibus negotiorum involuta tumultibus, de facili ſenium oblivionis incurrit, ſcripturarum perpetuitate dignum duximus adjuvare. Noverint igitur univerſi, quod bona Novi monaſterienſi Eccleſiæ à fratre Wilrico & uxore ejus collata, & ab hæredibus ſuis nonaginta marcis denariorum comparata & *in Jure Saxonum* (*) ſita, in loco qui dicuntur *Mor*, à lacu, qui appellatur *Rotmaresvlete* protendentia, usque ad medium ſtagni, quod nuncupatur *Bredinſee*, tam culta quam excolenda, tam in *decimalibus*, quam in *ſomariis* (**) & *vectura curruum* & *Herſchilt* & omnium, quæ ad jurisdictionem noſtram pertinent, relinquimus eidem Eccleſiæ libere perpetuo poſſidenda. Ne igitur ſuper hac re obliquæ ſuſpicionis intervenire poſſit dubietas, præſentem paginam munimine noſtri ſigilli fecimus roborari. Teſtes hujus rei ſunt Marquardus Sacerdos in Helighenſtide, Rotmannus Capellanus noſter, Hinricus *de Barmſtide*, Godeſcalcus Præfectus. Hartwicus *Buſch*, Otdo & Helericus *Fratres de Kelingthorpe*. Thetbernus Rufus, Haſſo juvenis & Haſſo ſenior & alii quamplures, tam laici, quam clerici. Acta ſunt hæc in Ezheho, anno dominicæ incarnationis M. CC. XXVII. Cum igitur omnes & ſingulas donationes & libertates in ſupraſcripta litera contentas & conceſſas, à præfato Comite Adolpho & à quibuſdam aliis progenitoribus ſuis dictæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ in novo monaſterio in nullo intendamus minuere, ſed potius pro animarum dictorum progenitorum noſtrorum ac noſtrarum ſalute benignius augmentare, prædictam literam & omnes ac ſingulas donationes & libertates in ea contentas ratificamus, & præſentibus innovamus, mandantes diſtricte ſub otentu noſtræ gratiæ univerſis & ſingulis *advocatis, officialibus, vaſallis & ſubditis noſtris*, ne prædictam

dictam Ecclesiam in prædictis bonis, donationibus ac libertatibus præsument impedire seu quomodolibet molestare. In quorum omnium testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Dat. Itzeho Anno dom. millesimo, tricentesimo, sexagesimo primo, sequenti die Bartholomæi Apostoli.

(*) Seu in Districtu Banno vel jurisdictione Saxonum, germanice *Sachsenbann.* Unde hodieque *Sachsenbänder* dicuntur, qui paludosam Regionem *Wilstriæ die Wilstermarsch*, inhabitant, peculiari Vogtia instructi, veterumque Saxonum Nordalbingorum memoriam hodieque custodientes. Utpote a quibus huic districtui nomen inditum est *Sachsenbann*, hoc est, *Sachsengebiet.*

(**) Seu *Sagmariis* h. e. equis, bubulcis, jumento sarcinario.

XXIV.

Otto, Sedis Apostolicæ Legatus, Conventum Novimonasterii, speciatim Ecclesiam in Brügge, sub apostolica protectione suscipit defendendam.

c. a. 1229. Otto, miseratione divina, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus Cardinalis, apostolicæ sedis legatus, dilectis in Christo Præposito & capitulo Monasterii Bremensis diocesis, Salutem in Domino. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assvetæ pietatis officio propensius diligere consvevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confovere. Nos igitur, qui ejusdem *sedis Romanæ* in *partibus Alamanniæ vices gerimus*, vestris supplicationibus inclinati, personas vestras & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante domino poteritis adipisci, sub apostolicæ sedis & nostra protectione susscipimus. Specialiter autem Ecclesiam in *Brücken* (*Brügge*) cum decimis & pertinentiis suis de *Bistickesse, Bocwolde, Vlintheke, Drachse, Milekenthorpe* & *Smalenstede* villas ac alia bona vestra, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, vobis & monasterio vestro per nos, auctoritate qua fungimur confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Bremæ V. Kal. Octobr.

XXV.

Gregorius P. P. Ecclesiam Brügge, & Novimonasterii bona, ut & locum & personas ejusdem in suam protectionem recipit.

1231. vel 1232. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Præposito, Priori conventus Novimonasterii ordinis Sancti Augustini, Bremensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos humiles filios ex assvetæ pietatis officio propensius diligere consvevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suo protectionis munimine confovere. Eapropter dilecti in domino filii vestris precibus justis inclinati, personas vestras & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione susscipimus: specialiter autem Ecclesiam de Brugge, ad monasterium vestrum, ut dicitur, pertinentem, sicut eam juste possidetis & quiete, vobis & per nos eidem in Novomonasterio auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrimonio communimus. Nulli igitur hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Reat. VII. Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno V.

XXVI.

Compositio inter Præpositum Novimonasterien-sem & Ethelerum de Ottensbuttel militem super advocatia Parochiæ Horst.

Bruno, Dei gratia *in Hammenborg præpositus*, & Thidericus *præpositus in Kyvena*, universis Christi fidelibus, hoc scriptum intuentibus, salutem in vero salutari. Scire karitatem vestram volumus, quod post diutina incommoda dilecti nostri domini *Ebedelini præpositi Novimonasterii*, quæ diversis disceptationibus cum honesto viro milite, domino *Ethelero de Ottenebotele* pro advocatia parrochiæ Horst sustinuit. Tandem commisso nobis ex utraque parte arbitrio, ut indempnitati ecclesiæ novimonasterienses & commodis amici nostri præpositi simul & saluti ejus, qui injuriosus Ecclesiæ extitit, consuleremus, in tali forma concordavimus compositionis. Ecclesia Novimonasterienses cum domino Ethelero questus totius de præfata advocatia provenientis, quamdiu idem Ethelerus vivit, mediam partem percipiet. Nec filii nec cognati ejus ipso de medio sublato aliquid sibi exinde ascribent, sed liberam ecclesiæ relinquent eandem perpetuo advocatiam. Ut autem hæc nostra ordinatio posteris innotescat addidimus etiam illud, ut hæc pagina sigillo domini Archiepiscopi Bremensis simul & nostris sigillis roboretur. Testes hujus rei sunt venerabilis dominus Gerhardus Bremensis Archiepiscopus, Albertus Abbas sanctæ Mariæ, Hericus præpositus sancti Georgii in Staden. Adolfus comes Holsatiæ milites. Sygebodo Marscalcus, Heinricus de Borch. Otto Advocatus & frater ejus Godefridus. Otto Pincerna. Iwanus de Blycherfthorpe & alii quamplures,

1236.

tam clerici quam laici. Acta sunt hæc in Stadio, anno gratiæ M. CC. XXXVI.

XXVII.

Gerhardus II. confirmat arbitrium commissariorum super Villa Horst pronunciatum.

1236. G. Dei Gratia, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis Christi fidelibus præsens scriptum inspecturis, salutem in eo, qui est salus omnium. Sciant universi, ad quos præsens litera pervenerit, quod dominus Thedelinus novi monasterii Præpositus & Ethelerus miles de Otenebotele litigium quoddam ad invicem habuerunt super advocatia villæ horst, arbitrio commiserunt B. præpositum de Hamburch & Th. propositum de Kevena, arbitros conshtuentes, quorum arbitrium sicut in litera ipsorum plenius continetur expressum & de nostro consensu determinatum auctoritate nostra confirmantes sub vinculo excommunicationis à quoquam infringi districte prohibemus. Datum Stadis anno dominicæ Incarnationis M. CC. XXXVI. Pontificatus nostri anno octavo decimo.

XXVIII.

Gregorius P. P. protegit & confirmat NMonasterio personas, ecclesiam, possessiones & alia bona, in specie decimas Villarum Buttel Ricklinger, Schiphorst & Rolffstorff.

1237. Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Præposito & capitulo Ecclesiæ Novimonasterii ordinis sancti Augustini Bremensis diocesis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum reducatur effectum. Quapropter dilecti in domino filii vestris justis precibus inclinati, personas vestras & Ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem de *Botele*, de *Rycolynghe*, de *Schiphorst* & de *Rovelstorp* decimas, possessiones, & alia bona vestra sicut ea omnia juste & pacifice possidetis vobis & per nos eidem Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, salvo in decimis supradictis *moderamine concilii generalis*. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Interamnii XI. Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno X.

XXIX.

Gerhardus II. Archiepiscopus Bremensis confert Novomonasterio varias decimas plurium villarum & capellarum infra nominatim expressas.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. 1238. Ego Gerhardus Dei gratia, Sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus secundus, omnibus Christi fidelibus salutem. Ne rerum gestarum memoria per successiva temporum languescat spatia, non improvide humana sollertia scripturarum sibi consvevit adhibere remedia. Hinc est itaque, quod ad notitiam tam futurorum quam præsentium volumus pervenire, quod nos *decimas novalium parochiæ Novimonasterii & capellarum inibi constructarum*, scilicet *Brügge, Vlintbeke*, quas dilectus gener noster Adolfus, comes Holtsatiæ, de manu nostra tenuit, ipso comite jam dicto nobis resignante & id fieri postulante, præfatæ ecclesiæ Novimonasterienst libere contulimus & absolute. Sunt autem hæc nomina villarum, in quibus decimæ continentur, Müthenbroke, Smalenstede, Sprenge, Vorde, Mulvesse, Draxe, Milckenthorpe, Belckenthorpe, Vlintbeke, Bojenhusen, Scœnehorst, Luderstthorpe, Bistekesse, Bocwolde, Brûggen, Ludestesharegen, Volverdesharegen, Dudenthorpe, Bochorst, Rolvestorpe, Sciphorst, Holenbeke, Willenrothe. Si quæ etiam villæ novæ infra dictarum villarum terminos construentur, sive de loco ad locum transferentur, non minus tamen ad eandem Ecclesiam pertinebunt. Ut igitur hoc nostrum testimonium ratum & inconvulsum permaneat, præsentem paginam sigilli nostri appensione & testium subscriptione fecimus roborari, Contradictores vero auctoritate omnipotentis Dei anathematis rigore ferientes. Testes autem hi sunt: Albertus Abbas sanctæ Mariæ, Gerhardus Præpositus sancti Georgii in Stathen. Bernardus Thesaurarius ecclesiæ Bremensis. Milites vero Henricus de Barmestede, Gerlaus dictus *de Gropelinge*. Godefridus Advocatus. Iwannus *de Blitherstorpe*. Acta sunt hæc anno dominicæ Incarnationis Millesimo, ducentesimo XXXVIII. Indictione XII. Datum Stathen per manus Ironimi nostri scriptoris. Idus Octobris, Pontificatus nostri anno XVIIII.

XXX.

Gerhardus II. confirmat jus decimarum parochiæ Brugge Novo monasterio à Comite Adolpho factum, salvo tamen jure tertii.

G. Dei gratia, sanctæ Bremensis Ecclesiæ 1238. Archiepiscopus, universis Christi fidelibus hanc literam inspecturis, notum fieri volumus, quod nos ordinationem sive compositionem, quam *fidelis noster Adolfus, comes Holsatiæ* cum præposito & conventu Novimonasterii, super jure decimarum parochiæ Brüggen & parochiæ præfatæ Ecclesiæ Novimonasterii fecit, ratam habemus, & ipsam præsenti pagina confirmamus, salvo tamen aliorum jure, si qui in prædictis decimis aliquod jus probare poterunt, se habere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bere. Datum in Stathen Anno Domini M. CC. XXXVIII.

XXXI.

Adolphus Comes Holſatiæ confert NMonaſterio decimas capellarum Brügge & Vlintbeke cum pluribus villis infra nominatis, Archiepiſcopo Brem. id approbante.

1238. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Adolfus Dei gratia, comes Holtſatiæ in perpetuum. Ne ea, quæ geruntur in tempore, cum tempore ſimul labantur, & transeant, ſapientum uſibus rationabiliter introductum eſt, ea ſcripturarum teſtimonio perhennari. Notum itaque eſſe volumus, tam præſentis, quam futuri temporis Criſti fidelibus univerſis, quod nos *decimas novalium* parochiæ novi monaſterii & capellarum inibi conſtructarum ſcilicet Brügge, Vlintbeke, *quas de manu domini Bremenſis archiepiſcopi tenuimus*, eccleſiæ & conventui Novimonaſterii dimiſimus, literisque præſentibus recognoſcimus & teſtamur, quod dominus Bremenſis Archiepiſcopus factum noſtrum & dimiſſiones hujusmodi ratas habens, prædictæ Parochiæ & capellarum ipſarum novalium decimas liberaliter contulit prænominato conventui jure perpetuo poſſidendas. Ad hoc autem, ut firmior & ſollempnior ipſa donatio permaneret, quicquid juris in eadem decima habuimus, in manus Archiepiſcopi reſignavimus & ſtatim poſtmodum ad jus & utilitatem ſæpedicti conventus recepimus ab eodem. Nomina vero villarum, in quibus decimæ novalium memoratæ Eccleſiæ conceduntur ſunt hæc: *Müthenbroke. Smalenſtede. Sprenge. Vorde Muluueſſe, Drechſe, Milekenthorpe, Belekenthorpe. Vlintbeke, Bojenhuſen. Schoneborſt. Ludereſtorpe. Biſtekeſſe. Bockwolde, Brüggen, Lüdeſteharegen, Wulverdesharegen, Dudenthorpe, Bochorſt, Rolveſtorpe, Schiphorſt, Holenbeke, Willenrothe.* Si quæ etiam villæ novæ infra dictarum villarum terminos conſtruerentur, ſive de loco ad locum transferentur non minus tamen ad eandem eccleſiam pertinebunt. Uti gitur factum hujusmodi in præſenti ſtabile & firmum permaneat in futuro, præſentem paginam inde confectam ſigilli noſtri appenſione fecimus roborari. Teſtes hujus rei ſunt Heinricus *de Barmeſtede.* Godeſcalcus Præfectus. Oddo *de Kellincthorpe* & Helricus frater ſuus. Thidericus *Duncker.* Johannes de *Goleuitz.* Vereſtus *de Wilen*, & alii quamplures fide digni. Acta ſunt hæc anno ab incarnatione domini M. CC. XXXVIII. indict. XI.


XXXII.

Fratres dicti de Enenthorpe, conferunt Eccleſiæ N. Monaſterii totam hæreditatem ſuam, ſibi in diſtrictu ejusdem Eccleſiæ competentem, ſub conditione, ut ſoror eorum ibidem inter Conventuales recipiatur. Vendunt itidem eidem conventui 4. manſos in villa Enenthorpe cum pertinentiis, Godeſchalco dicto Berckentyn præfecto Holſat. utrumque atteſtante.

de Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

Godſchalcus (*) DEI GRATIA. Præfectus (**) Holſatiæ, omnibus hoc ſcriptum lecturis, ſalutem. Noverint tam præſentes, quam futuri, quod Erp. Thidericus, Wulvoldus & Emico, fratres de Enenthorpe totam hæreditatem ſuam, quam habuerunt ſuper *Rutam Eccleſiæ Novimonaſterii* me præſente & cooperante, pari voluntate libere contulerunt, ſorore ipſorum Reinolde *in ipſum monaſterium recepta*, (***) ita tamen, ut in aliquo allodio ejusdem Eccleſiæ ſub habitu religionis Deo ſerviat & ibidem ſuſtentetur. Præterea prædicti fratres poſt hanc collationem ſequenti anno totam hæreditatem ſuam, quam habuerunt in Enenthorpe, videlicet quatuor manſos in cultis & incultis, ſilvis, pratis & paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, præpoſito ſæpe dictæ Eccleſiæ & ſuis confratribus pro ſexaginta marcis denariorum vendiderunt, quam pecuniam idem præpoſitus eodem anno totaliter perſolvit. Ne ergo contra hæc alicui malignandi detur occaſio, utriusque partis conſenſu literam hanc conſcribi & ſigilli mei appenſione feci roborari. Teſtes autem hujus venditionis, nec non & collationis ſunt milites, Syricus *de Prato*, Henningus, Henricus Advocatus *de Fodeslo.* Scacco *de Rummore.* Menricus prædictorum fratrum avunculus. Uffo *de Brake.* Ekkehardus & Harduicus fratres de *Boeſtede.* Oddo & Erp *de Padenſtede.* Hinricus *de Erpeſtorpe* & Wolterus frater ejus. Dudo & Ludeſtus fratres *de Harge.* Lefelmus de Harge. Johannes de *Bojenbotele* & alii quamplures. Acta ſunt hæc anno Incarnationis dominicæ. M. CC. XLV.

1245.



XXXIII.

(*) Parkentin.

(**) In ſigillo Godeſchalci legitur loco præfecti Holſatiæ: *Overbode Holſati* ſeu Delegati Supremi, *Statthalter*, qui & in aliis chartis dici ſolet *Sendebode.* Quo vocabulo uſus eſt *Ericus Rex Dan. & Svec.* in Charta immunitatum Civitatis Lubecæ de a. 1411. qua Marquardus Dame & Nicolaus de Stieten vocantur *Rades Sendeboden der erbaren Mannen des olden Rades der Stad Lubeck.* Idem vocabulum occurrit infra in Charta *Alberti* Epiſcopi Lubecenſis ad a. 1481.

(***) Frequentes ſunt hujus generis in unum idemque cœnobium congregationes utriusque ſexus. Exempla vide apud HARENBERG *in Hiſtoria Eccleſ. Gandersh.* REHT-

XXXIII.

Conventio Novi monaſterii cum Bojone Laurencii in Wilſtria, ut aggerem quendam aquas accreſcentes ad plagam odientalem lacus Sladen arcentem ſine Novimonaſterienſium damno & moleſtia reparet & conſervet.

1247. Johannes, Dei gratia, Comes Holtſaciæ & Sturmariæ, omnibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in omnium ſalvatore. Notum eſſe volumus, tam præſentibus, quam futuris, quod dilectus noſter dominus Reinerus, Præpoſitus Novimonaſterii, cum conſilio & conſenſu fratrum ſuorum, quinque marcas denariorum dedit cuidam Bojoni, qui alio nomine Laurencius dicitur, commoranti in parochia Wilſtriæ, prope lacum, qui Sladen dicitur ad plagam orientalem, eo pacto, ut idem Bojo & ſui heredes in futurum ſemper ſint obligati ad cuſtodiam & reparationem tocius aggeris orientalis prædicti lacus, à *Mor* usque ad aquæductum, quæ *Slûſa* vulgo vocatur, ita ut, ſi ex neglectu prædicti aggeris per excreſcentes aquas dampnum in ſatis vel ſegetibus agrorum adjacentium contigerit, ſæpe dictus Bojo & ſui heredes pro hoc reſpondere teneantur & præfatus præpoſitus vel ſui fratres exinde nullam debeant moleſtiam ſuſtinere. Antea enim prædicti fratres ratione poſſeſſionis ſuæ, quæ *Wilrikismor* dicitur, tenebantur præmemoratum aggerem procurare. Ut autem hæc conventio firma maneat & ſtabilis & nulli relinquatur occaſio in contrarium malignandi, utriusque partis conſenſu literam hanc ſcribi & ſigilli noſtri appenſione fecimus roborari. Teſtes autem hujus rei ſunt Borchardus miles, advocatus in Itzeho, & Ethelerus miles de Otenebotle. Erenfridus *de Welle*. Odo *de Nenthorpe*. Aluart & Marquart *de Nütlö*. Riquart *Preco*, Neil *de Vale*, Thetmar & Thancmar & Wichmar fratres *de Wernsholte*. Mumme & Vrager fratres *de Huthe*. Erp *de Burſtelde*. Henric *de More*. Gerwart *Scultetus*. Arnolt, *Gerbrant*, Hardvich de curia *Rolff*, Sifridus & Henric *de Wilſtria*. Reinbolt & *Everart* fratres. Thideric *de Hodenculete*, Peter *de Beke*. Suithe, Left de *Morſatenhuſen*, Volbrecht & Bolduin *de Crummendike* & alii quamplures. Acta ſunt hæc anno dominicæ Incarnationis M. CC. XLVII.

XXXIV.

Joh. & Ger. Comm. Holſat. vendunt conventui in Novomonaſterio decimas ſex villarum in parochia eadem.

MEYER *Chron. Brunſv. Lun.* & REUTELIUM *in Chronico Hildesheim.* à PAULINO *edito*. Sed degenerarunt hæc contubernia ſenſim in abuſum & pravam conſuetudinem; unde eſt, quod Adolphus IV. Comes Holſatiæ illis repudium ſcripſerit iterumque à fratribus ſorores ſejunxerit teſte ARNOLDO *Lubecenſi: Item Adolphus viſitavit una cum aliis prælatis fratres in monaſterio novo, ordinavitque ut ſorores ſegregarent à ſe.*

Johannes & Gerardus, Dei gratia Comites Holſatiæ, omnibus hoc ſcriptum inſpecturis in perpetuum. Quum ea, quæ ſtatum firmitatis cupiunt percipere, ſcriptis commendata manent firmiora. Hinc eſt, quod ad noticiam cunctorum volumus pervenire, quod nos decimam ſex villarum in parochia novi monaſterii, *Aſpe* videlicet, *Bohſtede*, *Enenthorpe*. *Werzebeke*, *Einenvelde* & *Eiderſtede*, quæ bonæ memoriæ avus noſter comes Adolphus conſentiente domino Hartwico tunc Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, domino Sidoni Præpoſito novimonaſterii, ſuisque fratribus pro XL. marcis argenti impignoraverat mediante dilecto patre noſtro, fratre Adolfo, domino Reinero Præpoſito ejusdem Eccleſiæ, ſuisque fratribus accepta ab eis pecunia, C. videlicet & XL. marcas denariorum de conſenſu venerabilis domini noſtri Gerardi Bremenſis Archiepiſcopi perpetuo jure dimiſimus poſſidendam. Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant, præſentem paginam teſtium ſubſcriptione & ſigilli noſtri appenſione fecimus roborari. Teſtes autem hujus rei ſunt hii. Clerici Bertoldus Præpoſitus Sigebergenſis. Fredericus Præpoſitus *de Porethe*. Arnoldus cuſtos & Mag. Willikinus Canon. Lubicenſ. Helperadus & Sifridus, Canonici Hamburgenſes: milites, Hinricus de Barmetſtede, Marquardus *de Bejenvlete*. Ethelerus de *Ottenbotele*. Marquardus & Bertoldus fratres, *de Rennowe*. Burchardus de *Otteshuthen*. Egkehardus Holtfatus & frater ſuus Marquardus Radulfus de *Travenemünde*. Egko *de Kelmethorpe*. Iwan *de Revetlo* & alii quamplures, tam clerici quam laici. Acta ſunt hæc Anno gratiæ M. CC. XLVIII. pridie Kal. Martii. 1248.

XXXV.

Jo. Abbas (ut præſumitur) Dunemundenſis, vendit Novomonaſterio unum manſum in villa quernſtede ſitum, pro VI. marcis.

Omnibus Chriſti fidelibus, quibus hoc ſcriptum exhibebitur Fr. Jo. Dei gratia dictus Abbas Dunermundenſ. licet inutilis, in vero ſalutari ſalutem. Quoniam novercari ſolet contractibus hominum proceſſus temporum, & per oblivionem tandem penitus in irritum deducere, ideo provide diſpoſuit humana induſtria, munimine litterarum ipſorum & ſubſcriptione teſtium roborare. Inde eſt, quod ad noticiam tam præſentium quam poſterorum volumus devenire, quod nos de conſenſu noſtri capituli manſum unum quam poſſedimus in villa, quæ dicitur *Querenſtede*, præpoſito & conventui novimonaſterii pro VI. marcis denariorum jure proprietario vendidimus. Ne igitur aliquatenus in dubium veniat præſentem literam ſigillo noſtræ auctoritatis duximus confirmandam. Teſtes autem præpoſitus Bertholdus de Segeberch, Tidericus, Albertus cellarius Monachi. Conradus. Thetmarus, Abraham 1248.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Abraham Heinricus converſi Duneminden-ſes. Acta ſunt in Lübeke anno gratiæ M. CC. XLVIII. XV. Kl. Septembris.

XXXVI.

Johannes Holſat. Comes incolas in damvlete ab exactione Somarii *& ſubditos in Mor ab* Herpand *liberat.*

1248. Johannes Dei gratia, comes Holſatiæ & Sturmariæ, univerſis præſens ſcriptum lecturis, Salutem. Cum dilectus noſter præpoſitus novimonaſterii & fratres ſui ad noſtra ſemper ſint obſequia parati, debemus eorum juſtis poſtulationibus merito favere. Quapropter ſciant univerſi, quod domum ipſorum in *Damvlete* in *exactione ſomarii* nolumus amplius gravari, ſicut audivimus hactenus eſſe gravatam, ſed ut more aliorum civium, cum ordo popoſcerit, ab ea requiratur. Item colonos qui *habitant in judicio, quod Mor dicitur*, ſicut intelleximus hactenus liberos fuiſſe, ita & nos liberos eſſe volumus, in eo videlicet, quod ab advocato noſtro, vel alio aliquo ex parte noſtra *herpant ab eis non exigatur.* Ut igitur hæc firma & rata permaneant, literam hanc ſigilli noſtri appenſione fecimus roborari. Teſtes hujus rei ſunt Godeſcalcus præfectus. Timmo *de Porsvelde.* Marquardus *Bloc.* Thetlevus *de Rutſe* milites, & alii quamplures. Datum in Novomonaſterio Anno gratiæ M. CC. XLVIII.

XXXVII.

Johannes Comes Holſat. & Sturm. remittit conventui in Reynevelt de viginti jugeribus in Cronesmore *cenſum grevenſcat & expeditionem vulgo Landfolge.*

1248. In nomine ſanctæ & individuæ trinitatis. Johannes Dei gratia, Comes Holſaciæ atque Sturmariæ, univerſis præſens ſcriptum intuentibus, gaudium in præſenti & gloriam in futuro. Licet univerſi, qui Chriſtiano nomine cenſentur, ſtudio caritatis & humanitatis ſint confovendi, majori tamen dilectione amplectendi ſunt, qui in caritate altius radicati & fundati divinis ſe mancipaverunt obſequiis. Notum igitur eſſe cupimus tam præſentibus, quam futuris, quod de benevolentia & conſenſu fratris noſtri Gerhardi, ob ſalutis propriæ remedium & progenitorum noſtrorum ad petitionem *conventus in Reynevelt* bona in *Cronesmore* viginti videlicet jugera, de quibus nobis *in cenſu,* qui dicitur *Grevenſcat* & in expeditionibus ſubſervire tenebantur, eisdem fratribus, ut quies ipſorum in Dei ſervitio melius ac fortius conſervetur, omnem expeditionis & cenſus præfati exactionem abſolute & integraliter relaxamus. Et ne in poſterum iidem fratres in expeditionibus faciendis & in cenſu, qui dicitur Greveſcat exquirendo, de præfatis viginti jugeribus aliquatenus impetantur, vel à quoquam moleſtentur, præſentem paginam ſigilli noſtri patrocinio roboramus. Hujus rei teſtes ſunt Godeſcalcus Præfectus, Hartwicus dapifer filius ejus. Marquardus faber. Oddo *de Sturia* Henricus *de Hamme.* Elerus de *Otenebotele.* Doſo de *Hella.* Burchardus *de Ottesbüthen* & alii quamplures. Acta ſunt autem hæc anno gratiæ M.CC.XLVIII. II. Idus Auguſti, Indictione VI.

XXXVIII.

Johannes & Gerhardus, Com. Holſat. remittunt Reinero, præpoſito Novimonaſt. exactiones & gravamina de XXX. jugeribus in Damvlete.

Johannes & Gerardus Dei Gracia, Comi- 124 ?.
tes Holſatiæ, Wagriæ & Stormariæ, univerſis hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Quum ea, quæ in ſtatu debent ſubſiſtere, ſolido literarum magis teſtimonio roborantur. Hinc eſt, quod ad noticiam cunctorum volumus pervenire, quod nos devocionem dilecti noſtri præpoſiti Reineri, & totius ſuæ congregationis in Novomonaſterio, qua nobis & noſtris aſſiduis ſunt expoſiti obſequiis, ſaltem aliqua viciſſitudine reſpicere ſatagentes, *curiam* ipſorum, quæ *eſt in Damvlete*, quæ propriis laboribus XXX. debet libere excolere jugera, *ab omni gravamine exactionis & ſomarii* de cetero liberaliter abſolvimus, volentes eandem domum quieta deinceps perfrui libertate, unde ipſis preſentem contulimus literam ſigilli noſtri munimine roboratam. Datum anno gracie M. CC. XLIX. Idus Decembris.

XXXIX.

Petrus apoſt. ſedis Legatus omnibus Novum Monaſterium in feſto ejusdem Kirchmeſſe viſitantibus indulgentias 40. dierum concedit.

Petrus, miſeratione divina, ſancti Georgii 1254.
ad velum aureum diaconus cardinalis, apoſtolicæ ſedis Legatus. Dilectis in Chriſto Præpoſito & conventui novi Monaſterii ordinis ſancti Auguſtini Brem. dioceſis ſalutem in domino. Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi à ſuis fidelibus digne ac laudabiliter ſerviatur ex habundanti pietatis ſuæ gratia, quæ merita ſupplicum excedit & vota bene ſervientibus multo majora retribuat, quam valeant promereri. Nichilominus deſiderantes Domino reddere populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum ei quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis ſcilicet & remiſſionibus invitamus. Cupientes igitur, *ut monaſterium veſtrum congruis honoribus frequentetur,* de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis ac commiſſa nobis auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui monaſterium ipſum in feſto ejusdem annis ſingulis viſiraverint reverenter, quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Lobiis II. Kal. Novembris Anno Domini M.CC.LIIII. (*)

(*) Sigillum repræſentat S. Georgium equitantem & Draconem interficientem.

XL.

Joh. & Gerh. Comites Holſat. concedunt N. Monaſterienſibus judicium villæ ſuæ clauſtro adjacentis, excepto in cauſa ſanguinis.

1256. Jo. & G. Comites Holtſaciæ & Sturmariæ, omnibus hanc literam viſuris ſalutem in Domino. Notum eſſe volumus uniuerſis, quod nos veridica multorum relatione didicimus, dominum præpoſitum Novimonaſterii & fratres ſuos *judicium* ſive *advocatiam villæ ſuæ*, quæ clauſtro adjacet, ab antiquo habuiſſe & integre in omnibus cauſis, *præterquam in cauſa ſanguinis* libere poſſediſſe. Unde nos eidem præpoſito & ſuæ Eccleſiæ idem judicium recognoſcimus & hoc præſentibus literis proteſtamur, cum ſigillorum noſtrorum appenſione. Si vero aliquis ſuper eo ipſos moleſtare præſumpſerit, juſtitia exigente ipſorum erimus defenſores. Datum Vigilia Michaelis Anno Domini M. CC. LVI.

XLI.

Compoſitio inter Conventum N. Monaſter. & Ethelerum Krummedyck, de quibusdam agris, manſionibus & via regia in Parochia Horſt ſive Bredenberge.

1261. Johannes & Gerardus, Dei gratia comites Holſatiæ & Sturmariæ, nec non & in Scowenburg, univerſis hoc ſcriptum viſuris, ſalutem in omnium Salvatore. Quum ea, quæ geruntur in tempore, ſæpius à memoria tollit oblivio, niſi litteris fuerint commendata. Hinc eſt quod ad omnium noticiam volumus pervenire, quod cum diſcordarent invicem dominus Johannes, Præpoſitus Novimonaſterii, & Ethelerus miles de Crummendike occaſione quorundam agrorum, quos idem miles emerat & cujusdam manſionis, quam facere temptabat in parochia *Horſt, ſive Bredenberge*, contra voluntatem ejusdem præpoſiti, timentis exinde gravamen ſibi & ſuis hominibus generari. Nam eadem parochia cum omni jure tam ſeculari, quam ſpirituali ad ejus præpoſituram noſcitur pertinere, talis tandem facta eſt compoſitio inter ipſos. Præpoſitus ab eodem milite pro LXX marcis denariorum domum comparavit, & aliam totam ejus hereditatem, quam ille vel emerat, vel antea poſſederat in parochia prædicta, quæ eſt ad XI. jugera æſtimata. Inſuper addidit ei XX. alias marcas, eo pacto, quod miles ſæpe dictus cum ſuis filiis promiſerit in fide Præpoſito & ſuis fratribus, quod nec ipſe, nec filii ejus, nec filii filiorum in perpetuum aliquam manſionem facient vel inhabitabunt in parochia memorata, nec aliqua bona vel agros ibi ement vel commutabunt, ni forte data eis fuerint vel ad ipſos hæreditario jure potuerint devenire. Si vero de bonis datis orta fuerit ſuſpicio, rei veritas illorum confirmabitur juramento. In via etiam, qua tranſitur per aquam *Stillenow*, quam patet eſſe ſtratam regiam & communem quam idem miles præpoſito & ſuis hominibus præcluſit, ſive in alia aliqua via nullum amplius impedimentum, nec ipſe, nec ſui facient ſucceſſores. Igitur ut hæc compoſitio, quæ coram nobis & multis noſtris vaſallis eſt recitata, robur perpetuæ ſtabilitatis obtineat, utriusque partis rogatu literam hanc ſcribi & ſigillorum noſtrorum appenſione fecimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt milites Burchardus de *Odeshuthen*, Marquardus de *Beienvlete*, Hartvicus dapifer cum ſuis fratribus Nicolao, Tiderico & Marquardo. Marquardus & Bertoldus fratres de *Reinow*, Henricus de *Tarente* & Elerus frater ejus. Hermannus & Wernerus fratres de *Tralow*. Timmo de *Porsvelde*. Timmo de *Godenthorpe*. Vuluolt & Otto *Plancke* frater ejus Burchardus dictus *Ecke de Slamerstorpe*. Nicolaus *Svav*. Nicolaus *Danus*. Erenfridus Advocatus. Godeſcalcus Præfectus. Thetlevus de *Slecen*. & alii quamplures. Acta ſunt hæc Anno domini M. CC. LXI. in Bornhövede, feria quarta Paſchæ IIII. Kal. Maji.

XLII.

Hildeboldi Archiep. Brem. confirmatio ſuper N. Monaſterii Conſtitutione, de Eleemoſinis ægrotantibus conferendis.

Hildeboldus, Dei gratia, ſanctæ Brem. Eccleſiæ Archiepiſcopus, dilectis in Chriſto, domino Johanni, præpoſito & conventui Novimonaſterii dioceſis ejusdem, ſalutem in Domino. Cum vos, ſicus accepimus, in veſtro monaſterio feceritis inſtitutum, ut quicquid in antea pia fidelium devotio *divina inſpiratione*, vel etiam *humana perſvaſione* ad uſus infirmiorum ipſius monaſterii, aliqua imbecillitate laborantium, in pecunia, ſive in rebus aliis, mobilibus, ſive immobilibus pro elemoſina conferre decreverit, fideliter confeceritis, nos veſtræ ordinationi in hiis & in aliis, quæ in veſtris literis, ſuper hoc confectis, plenius continentur, grato concurrentes aſſenſu, quod in hoc facto provide à vobis conſtitutum eſt, auctoritate præſentium confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat noſtræ confirmationis paginam infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc fecerit, indignationem Dei omnipotentis & noſtram ſe noverit incurſurum. Datum Bremæ feria quarta poſt Urbani, Anno Domini M. CC. LXIII. Pont. noſtri quarto. 1263.

XLIII.

Gerhardus Holſat. Comes confirmat donationem unius manſi in Gadeland, in uſum ægrotantium dominorum, à Nicol. Swaff Eccleſiæ in Kyl factam.

G. Dei gratia, Comes Holtzatiæ & de Schowenburg, omnibus præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino. Noverint univerſi, quod judicium unius manſi in *Godelande*, quem Nicolaus miles, dictus *Schwaff*, pro *remedio animæ Tymmonis filii ſui* contulerat Eccleſiæ *in Kyl*, quem etiam poſtmodum 1264.

dum Petrus Canonicus in Novomonaſterio ad Andrea plebano dictæ Eccleſiæ Kyl. de conſenſu ejusdem Nicolai & ſuorum hæredum pro decem & octo marcis nummorum ad uſus infirmantium dominorum comparavit, ad uſus & ſuſtentationem jam dictorum dominorum infirmantium perpetuo remanebit, ita tamen, quod hæredibus ſupra dicti Nicolai, vel noſtris hæredibus, ſi ad ipſos jus devolutum fuerit, liberum ſit idem judicium redimere, pro tribus marcis uſualium nummorum. Ut autem hæc rata permaneant, præſentes literas ſigillo noſtro fecimus conſignari. Datum in caſtro Ezeho, Anno Domini M. CC. LXIIII. in die elevationis ſancti Anſcharii.

XLIV.

Godſchalcus de Parkenthin, Præfectus Holſat. vendit Novomonaſterio 4 manſos in villa Halenbeke, ſub reſervatione reluitionis.

1264. Omnibus præſentia viſuris, Godſchalcus dictus Parkenthin, præfectus Holſatiæ, ſalutem in domino. Ad omnium noticiam cupimus pervenire, quod nos quatuor manſos in villa Halenbeke cum omni jure, ſicut ad nos pertinebant, nullo penitus præter judicium, ut infra ſpecificabimus, excepto, *reſignante uxore noſtra publice & voluntarie*, cujus dos erat, & *conſentientibus fratribus ipſius, nec non & omnibus COHEREDIBUS noſtris*, (*) vendidimus Eccleſiæ Novi monaſterii pro centum marcis denariorum, reſervato nobis *jure redimendi* dictos manſos infra quatuor annos, quos ſi infra vel ex tunc redemerimus memoratæ Eccleſiæ jure hæreditario remanebunt. Pecuniam vero, ſi redimere decreverimus, inter Palmas & Paſcha integre refundemus, hoc etiam præcauto, quod nulli amicorum noſtrorum vel alieno cuiquam redimere bona dicta licebit, nec nobis, niſi ad uſus proprios, vel hæredibus noſtris. Si decedere medio tempore nos contingat, judicium noſtrum erit. Si quid autem de judicio provenire utilitatis potuerit, tenemur Eccleſiæ fideliter præſentare. Bona autem fide inſtabimus per nos & amicos noſtros, cohoperante nobis dicta Eccleſia ſi neceſſe fuerit, ut *à domino terræ dictorum manſorum* judicium memoratæ eccleſiæ dimittatur. Quod ſi facere potuerimus ad pecuniam memoratam, recipiemus pro manſis ſingulis quoque marcas. Si vero defecerimus & nos judicium & ipſi pecuniam retinebunt. Ne autem ſuper hac venditione noſtra in poſterum calumpnia oriatur ſupradictæ Eccleſiæ, literam ſcribi & ſigillis domini H. præpoſiti Hamburg, domini O. *de Barmeſtede* & noſtro fecimus communiri. Datum apud Novum monaſterium. Anno Domini M. CC. LXIIII. quarta feria ante paſcha XVI. Kal. Maji.

(*) Quod concinnum eſt formulis & rationibus veteris Juris Germanorum.

XLV.

Hoſpitale Novomonaſterii emit à fratribus Roleſſtorpiis quartam partem molendinorum in Roleſſtorp & Bredenbecke, cum portione terræ adjacentis, aggeribus & ſtagnationibus ibidem neceſſaria, ſub publica reſignatione & evictione ac Gotſc. Præfecti teſtimonio.

G. Dei Gratia, *Præfectus Holſatiæ*, omnibus ad quos hoc ſcriptum pervenerit, ſalutem in Domino. Scire cupimus hæc legentes, quod R. Canonicus Novimonaſterii *ad utilitatem Hoſpitalis, quod adjacet clauſtro*, cujus ipſe curam geſſit, comparavit à Timmone & Johanne fratribus de *Roverſtorpe, conſentientibus eorum propinquis*, pro ſeptem marcis & dimidia, quartam partem molendini in Rolverſtorpe & tantum terræ de agris eorum adjacentibus, quantum fuerit neceſſarium ad faciendos & reparandos aggeres plures propter aquarum retentionem ſeu conſervationem & ad aquas altius & diffuſius dilatandas. Emit etiam ab ipſis ſub eadem conventione quartam partem medietatis molendini, quod fuit in *Bredenbeke*: Quod ſi fuerit reædificatum & in ſuperioribus locis juxtra agros eorum aquarum collectiones fieri placuerit, libere habebitur terra de ipſis agris, ad ſtagnationes & aggeres faciendos. Hujus venditionis *certitudinem*, quæ vulgo dicitur SELLANDIA & WARANDIA, *ſecundum conſvetudinem terræ fecerunt* prædicti fratres *in* PRÆSENTIA ET AUDIENTIA PLURIMORUM. Nos etiam, ut ſuper hoc hujusmodi contractu nulla in poſterum poſſit oriri dubietas, utriusque partis conſenſu hanc literam conſcribi & ſigillo noſtro fecimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt Dominus Johannes Præpoſitus Novomonaſterii cum ſuo conventu. Laici Oddo de Padenſtede, Oddo de Enenthorpe, Widagus & Tymo de Brake. Marquardus & Sibernus fratres ibidem. Johannes & Hartvicus fratres de Boſtede, Hartvicus de Oldeslo, Jo. de Godelant cum fratribus ſuis. Elerus de Borchorſt, & alii quamplures. Acta ſunt hæc Anno Domini MCCLXV. 1265.

XLVI.

Gerhardus comes Holſatiæ manſum unum Novomonaſterio à Fratribus Wakenbeke reſignatum, dictæ Eccleſiæ confert, ſolo jure reluitionis ſibi reſervato.

Gerardus Dei gratia, comes Holſatiæ, omnibus præſentia viſuris, ſalutem in Domino. Noverint univerſi ad quos præſens ſcriptum pervenerit, quod Thetlevus & Nicolaus fratres de Wakenbeke, vaſalli noſtri ad utilitatem Eccleſiæ Novimonaſterienſis manſum unum, quem à nobis *in* FEODO *tenuerunt, in villa Eiderſtede*, cum judicio ejusdem manſi reſignarunt. Nos autem conſideratis favoribus & obſequiis, nobis ab Eccleſia ſæpius impenſis, proprietatem ejusdem manſi cum omnibus ſuis attinentiis, videlicet cum omni 1269.

omni jure & utilitate, quæ infra terminos dictæ villæ habuiſſe dinoſcuntur, nec non & judicium ſuper eundem manſum plenaliter ſupradictæ Eccleſiæ contulimus, tali adjecta conditione, ut ſi quando nobis vel noſtris heredibus placuerit, ipſum manſum cum omnibus ſupra expreſſis pro viginti marcis nummorum emendi habeamus liberam facultatem, quam pecuniam recipiet quicunque in dicta Eccleſia officium adminiſtraverit infirmorum. Datum *Reynoldesborg* Anno Domini M. CC. LXnono, in die Gertrudis virginis.

XLVII.

Conventio Marquardi de Zegeberge cum præpoſito Novimonaſterii de judicio tertiæ partis villæ Müthebroke.

1269. Omnibus præſentia viſuris, Marquardus miles, dictus de Zeghebergh, filius domini G. olim præfecti, ſalutem in Domino. Noſſe volumus omnes præſentium inſpectores, quod nos cum domino Præpoſito Novimonaſterii & ſuis canonicis *ſuper judicio tertiæ partis villæ Muthebroke* convenimus in hunc modum. Dictum judicium tenebimus *de manu Comitis & Heredum ſuorum* nos & heredes noſtri, ſicut alia bona noſtra, ita tamen, quod nos & heredes noſtri cum amicis noſtris pro loco & tempore inſtabimus bona fide, ut dominus Comes dictis dominis proprietatem dimittat ipſius judicii jure perpetuo perfruendam: Quod ſi nos vel etiam ipſi domini efficere potuerimus ad utilitatem eorum, nos vel heredes noſtri ipſum reſignabimus indilate. Si autem medio tempore cauſæ judicandæ provenerint, & ad illas decidendas vocati fuerimus, nos vel heredes noſtri ſine difficultate qualibet veniemus eisdem dominis integraliter dimittentes, quicquid de hujusmodi cauſis poterit provenire. Nullum etiam judicium, niſi vocati in dicta villa potuerimus exercere. Ut autem heredibus noſtris, qui nobis legitime ſucceſſerint, ſuper hujusmodi ordinatione, quam coram amicis noſtris cum Eccleſia inivimus, nullum valeat in poſterum dubietatis ſcandalum provenire ipſis præſentem literam in veritatis expreſſionem, quam proprium ſigillum non habuimus, cum ſigillis domini Joh. Lûbecenſis Epiſcopi & patruelis noſtri Domini G. præfecti fecimus communiri. Datum Novimonaſterii, Anno Domini, M. CC. LXIX. in craſtino Johannis Baptiſtæ.

XLVIII.

Synodi Bremenſis ſententia, de modio in colligendis decimis adhibendo & alio cenſu exigendo.

1277. G. (Giſelbertus) Dei Gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, dilectis in Chriſto præpoſito & conventui in Novomonaſterio ſalutem in Domino. Noveritis, quod in generali ſinodo noſtra in Brema inventa eſt ſententia & à prælatis omnibus approbata, quod cum major pars alicui parochiæ dat modium in decima colligenda, quod ſola villa, quæ ad eandem pertinet decimam, ſe non poteſt ſubtrahere ab eadem menſura, quam dant alii, quia major pars trahit ad ſe minorem. It. Eccleſia aliqua conventualis habens curam animarum annexam, poteſt petere *cenſum eccleſiaſticum à parochianis*, licet *à fundatione loci per diſſimulationem non exegerit eundem.* Actum Bremæ, quarta feria poſt lætare. Anno domini M. CC. LXXVII.

XLIX.

Parochiani in Nyemunſter per ſententiam ſynodalem ad idem jus & eundem cenſum eccleſiaſticum obligantur, quibus aliarum eccleſiarum parochiani ſuo tenentur rectori.

E. Dei gratia, decanus totumque Bremenſis Eccleſiæ Capitulum, omnibus hoc ſcriptum viſuris Salutem in Domino. Noverint univerſi, quod honorabili Viro, domino Johanni, Præpoſito Novimonaſterii in præſentia noſtra & prælatorum eccleſiæ Bremenſis, quarta feria poſt Lætare, in ſynodo venerabilis domini noſtri, Archiepiſcopi pro ipſo & eccleſia ſua, ſententia data fuit & *à prælatis & univerſo clero communiter approbata*, quod parochiani ad parochiam ſuæ Eccleſiæ pertinentes, quibus ipſe ſacramenta miniſtrat ſibi & eccleſiæ ſuæ, ad idem jus & ad cenſum eccleſiaſticum teneantur, ad quod parochiani aliarum Eccleſiarum in vicino circumquaque poſitarum ſuo rectori teneri noſcuntur. In cujus facti teſtimonium præſens ſcriptum ſigillo eccleſiæ fecimus roborari. Datum Bremæ quarta feria poſt Lætare, anno Dom. M. CC. LXX. nono. 1279.

L.

Thetlevus de Biſtekeſſee miles, cum fratre Timmone, Eccleſiæ in Brügge donat manſum quendam cum area eidem adjacente.

Johannes Dei gratia, præpoſitus, Hinricus Prior, totusque conventus Novi monaſterii, omnibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Domino: cum circa eccleſias nobis commiſſas tam ſpiritualem curam, quam temporalem gerere nos oporteat, & ut per nos incrementum percipiant, propenſius deceat intendere: Neceſſe igitur, ut eis, quibus aliquid benignitatis elargitum fuerit, ita ſtudeamus proſpicere, ne eis poſſit in poſterum ullus contrarietatis ſcrupulus ſuboriri. Proinde noverint univerſi tam preſentes quam poſteri, quod dominus *Thetlevus miles*, dictus *de Biſtekeſſe* cum fratre ſuo Timmone ad preveniendam miſericordiæ operibus diſtricti judicis cenſuram, reddentis unicuique in extremo examine ſecundum merita, manſum quendam in *villa Brugke* ſitum, cum area adjacente, Plebano ejusdem eccleſie quiscunque fuerit abſolute & liberaliter nobis preſentibus contulit ſub hac forma, quod idem Plebanus capellanum habebit 1280.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bebit ſacerdotem, cum quo expoſitus erit in dicendis miſſis, ut ſubjungitur, ad altare, quod ſuis conſtruet ſumptibus & expenſis die Dominica ad miſſam priorem: quarta & ſexta feria, ut pia ſit ſui nominis, ſuorumque parentum defunctorum recordatio apud poſteros & in benedictionis memoria, ad miſſas animarum & in ſabbato, ad miſſam beatæ virginis vel de alio ſancto, ſecundum quod eis videbitur expedire. Quibus miſſis hii contenti erunt, niſi *urgens neceſſitas* vel *evidens utilitas* parochianorum plures expoſceret celebrari. Ne autem ſuper eo, quod à nobis tam racionabiliter geſtum eſt, queſtio oriatur in poſterum, preſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione fecimus communiri. Acta ſunt hæc anno verbi incarnati M. CC. LXXX. in vigilia palmarum.

LI.

Ulricus Raceburg. Epiſcopus omnibus ad ſtructuram & neceſſitatem conventus Novi Monaſterii amminicula elargientibus, XL. dierum indulgentias & unam Carenam *relaxat.*

1280. Ulricus Dei gratia, Raceburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, univerſis Eccleſiæ matris filiis præſentia percepturis, ſalutem in eo, qui neminem vult perire. Dilectiſſimi in Chriſto. Cum elemoſinarum largitio ex devotione mentis fideique conſtantia proveniens cœleſtis patrocinii apud omnium retributorem meritorum effluentiſſimum effectivum obtineat ac ſalutiferum incrementum, univerſitatis veſtræ pietatem in Domino rogandam, monendam duximus & hortandam, quatenus de bonis momentaneis à Deo vobis conceſſis, ad ſtructuram, atque neceſſitatem conventus Novi monaſterii, cui ipſæ facultates non ſuppetunt, grata ſubventionis amminicula veſtra dignetur caritas elargiri. Ut autem veſtræ officioſa pietatis ſedulitas ob reverentiam Domini noſtri Jheſu Chriſti, nec non Beatæ Mariæ virginis, cujus ſpeciali eadem patrocinio gubernatur Eccleſia, fortius excitetur & interpellationibus omnium profeſſorum inibi jugiter Deo deſervientium, omnibus benefactoribus ſuis pro beneficiis fiat retributionis aſſecutio ſpiritualis: Nos Omnipotentis Dei de exuberanti miſericordia confiſi, omnibus prædictæ Eccleſiæ pie ſuccurrentibus, quamdiu ejus expoſtulat neceſſitas, *XL. dierum indulgentias* & *unam carenam* (*) eorum peccatorum de quibus vere contriti & confeſſi fuerint, dummodo *dyoceſani conſenſus* accedat, autore domino miſericorditer relaxamus. Datum ab Anno Incarnationis Domini M. CC. LXXX. VI. Kalend. Maji.

(*) Spatium quadraginta dierum. Quarentena. SPELMANNUS *gloſſ. archæol. p. 124.*

LII.

Giſelberti, Archiepiſcopi Brem. ſententia ſynodalis, de crimine perjurii & uſurarum.

de Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

G. Dei gratia, ſanctæ Brem. Eccleſiæ Archiepiſcopus, omnibus præſens ſcriptum viſuris, ſalutem. Præſidentibus nobis ex conſvetudine ſynodo in noſtra Eccleſia quarta Feria poſt Lætare, per ſententiam, non ſine conſilio noſtrorum prælatorum declarando, diffinitive pronunciamus, quod objicienti in figura judicii & in foro eccleſiaſtico crimen perjurii & non neganti *ſimpliciter incumbit probatio.* It. quod *crimen USURARUM & crimen PERJURII* in ſynodis coram *judicibus ECCLESIASTICIS* pulice ſunt proponenda & accuſanda, & ab ipſis judicibus corrigenda; in quorum teſtimonium noſtro ſigillo roboramus præſens ſcriptum. Actum Bremæ præſcripta quarta feria Anno Dom. M. CC. LXXXI. 1281.

LIII.

Gerhardus Comes Holtſat. confert Novomonaſterio decimas novalium in villa Bilevelde, cum exemptione.

Omnibus præſentes literas viſuris. Nos Gerhardus Dei gratia Comes Holtzatiæ & Scowenburg ſalutem in omnium ſalvatore. Quoniam propter labilem humanæ conditionis memoriam, ſumme neceſſarium fore dinoſcitur, acta præſentis temporis litterali teſtimonio confirmari. Hinc eſt, quod ad noticiam omnium ac ſingulorum cupimus pervenire, quod de bona voluntate noſtra *decimam novalium villæ Bilevelde*, quam *cives dictæ villæ Rarecht usque ad terminos Brocthorp* excolunt, Eccleſiæ in Novomonaſterio recognoſcimus ab omni impetitione & infeſtatione prædictæ decimæ, Dei nec non mutuæ dilectionis intuitu omnibus modis deſiſtendo. In cujus rei evidentiam præſens ſcriptum ſigillo noſtro munitum ipſi contulimus. Ad cautelam hujus recognitionis, Teſtes ſunt Otto *de Doſenrode*, Arnoldus *de Visbeke*, Gotſcalcus *de Porsvelde*, Bertoldus *de Recen*, (Raten) Doſe *de Heſſe*, Thidericus *Höken*, & Marquardus advocatus in Etceho *milites*. Datum Reynoldesburg Anno domini M. CC. LXXXIII. per manus Hermanni noſtri notarii Mindenſis dioceſis in Vigilia Georgii. 1283.

LIV.

Indulgentiæ pro Eccleſia N. Monaſterienſi.

Gyſelbertus, Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus præſentia viſuris, ſalutem in Domino. Ut ad opera karitatis corda fidelium excitemus, & cauſam ipſis demus, per quam ſuorum peccaminum veniam conſequi mereantur, omnibus vere confeſſis & contritis, qui ad Eccleſiam beatæ virginis matris Domini glorioſe novi monaſterii, per ſuarum elemoſinarum erogationem manum porrexerint adjutricem, *quadraginta dies indulgentiæ & unam Karenam* de omnipotentis Dei miſericordia & apoſtolorum ejus Petri & Pauli auctoritate confiſi, de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus & omnium Epi- 1283.

ſcoporum indulgentias eidem Eccleſiæ indultas præſentium auctoritate confirmamus, quod in hiis ſcriptis noſtro ſigillo roboratis proteſtamur. Datum Bremæ, anno domini M. CC. LXXXIII. decimo Kalendarum Octobris.

LV.

Johannes Holſatiæ Comes deſignat terminos villarum Hargen & Büſtorp.

1284. Univerſis Chriſti fidelibus, hanc paginam inſpicientibus, Johannes Dei gratia, Comes Holſatiæ, ſalutem in domino. Humanæ memoriæ fragilitas utiliter ſcripturæ juvatur teſtimonio, ne lapſu temporis & ſubita mutatione hominum vel mortalium, id quod nunc certum eſt, fiat dubium, & quod rationabiliter geſtum eſt, oblivionis nebula obſcuretur. Hac igitur conſideratione habita, ea quæ noſtris temporibus geruntur, ita firmare decrevimus, ut poſt tempora noſtra ſucceſſorum noſtrorum memoriæ arctius imprimantur. Quapropter univerſitati fidelium notum eſſe cupimus, quod propter multas inſtantias & graves monitiones ſeu ſupplicationes, quas nobis fecerunt *Domini de Novomonaſterio* & *Nicolaus Longus* pro terminis villarum *Harge & Bürſtorp*, in quibus aliquo tempore non concordavimus, mediantibus viris diſcretis, advocato noſtro *Campe* aliisque quampluribus hoc medium intervenit, quod termini prædictarum villarum erunt *à ſuperiori inſtagnatione Villæ Enendorp usque Bolbrücke, à Bolbrücke usque Dhorpbeke* & *à rivulo Dhorpbeke aſcendendo uſque Steynbeke, & à Stenbeke usque Asbeke deſcendendo*, quos præfatos terminos ipſis recognoſcimus & ad quiete fruendum perpetuo jure dimittimus, ab Advocato noſtro de eorum juſtitia plenius expediti, volentes diſtricte, ne quisquam præſentium aut futurorum prædictos dominos in hiis terminis aliquo modo inquietare præſumat. Ad cujus rei evidentiam præſentem ſcedulam ſigilli noſtri impreſſione fecimus communiri. Datum Kyl. Anno domini M. CC. LXXXIIII. quarto nonas Octobris.

LVI.

Giſelberti Archiepiſcopi Bremenſis indulgentiæ 40 dierum, Novo Monaſterio conceſſæ.

1285. Gyſelbertus Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſc. dilectis in Chriſto Præpoſito, totique conventui Novi Monaſterii noſtræ dioceſis, ſalutem in Domino ſempiternam. Ut vos & veſtrum monaſterium ſpeciali favore ac gratia proſequamur & etiam ut fideles Chriſti ad audiendum verbum Dei à vobis in prædicationis officio *devotius invitentur*, omnibus devote venientibus ad audiendum à veſtris ſacerdotibus verbum Dei, quotiescunque id fidelibus populis in noſtra dioceſi *duxerint proponendum*, quadraginta dies de injuncta ipſis penitencia, auctoritate, qua fungimur, miſericorditer relaxamus, preſentibus perpetuo valituris. Quam noſtram gratiam vobis conceſſam annuimus, fidelibus populis, verbum Dei devote audientibus ſermone finito ſolempniter intimari. Datum Stadis Anno Domini M. CC. LXXX quinto, VII. Kal. Auguſti. pontif. noſtri anno XII.

LVII.

Giſelbertus Brem. Archiep. atteſtatur, Novum Monaſterium hactenus decimam in Bilevelde quiete poſſediſſe, monetque omnes & ſingulos, ne in eadem poſſeſſione ulterius moleſtetur.

Giſelbertus Dei Gratia, ſanctæ Bremenſis 1285.
Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis præſentia viſuris, ſalutem in domino. Notum eſſe volumus, quod Nos viſo privilegio Eccleſiæ Novimonaſterii, dato à prædeceſſore noſtro, domino Hartwico, Archiepiſcopo, veraciter didicimus, quod fratres ejusdem eccleſiæ *decimam in Bilevelde ſive Dodencop*, cum omnibus ejus attinentiis & novalibus, ſicut ibi ſita eſt, ab Eccleſia Bremenſi habuerant, eo usque ad tempus noſtrum, absque ulla impetitione quiete & libere poſſederunt. Quapropter univerſitatem veſtram rogamus & monemus in domino, quatenus divinæ remunerationis intuitu noſtrarumque precum interventu, dicta fratres in dicta decima eo jure ſive libertate, ſicut antiquitus ſveti fuerant, ulterius perfrui faciatis. Datum Stadis, Anno domini M. CC. LXXX. quinto, in die beatorum Martirum Johannis & Pauli.

LVIII.

Johannes comes Holſatiæ confert N. Monaſterio proprietatem villæ Eyderſtede cum pertinentiis excepto Landpflicht und Landwehr.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentem lite- 1285.
ram inſpicientibus, Johannes Dei gratia, comes Holtſatiæ, ſalutem & pacem in domino ſempiternam. Humanæ memoriæ fragilitas utiliter ſcripturæ juvatur teſtimonio, ne lapſu temporis & ſubita hominum mutatione vel mortalium, id quod nunc certum eſt, fiat dubium & quod rationabiliter geſtum eſt, oblivionis nebulo obſcuretur. Ad cautelam igitur futuri temporis notum fieri volumus univerſis, quod pro animæ noſtræ ſalute, ſimul & inſpectis pluribus ſervitiis, quibus Eccleſia Novi Monaſterii, nobis & noſtris Progenitoribus noſcitur actenus ſerviviſſe, *proprietatem villæ Eiderſteden cum omni jure, cum judicio majori & minori*, & cum omnibus attinentiis, videlicet ſtagnis, piſcationibus, aquarum decurſibus, pratis, paſcuis, & ſilvis, ſicut in terminis ſita eſt, *exceptis hiis ſervitiis, quibus omnis terra domino comiti obligatur*, (*) ejusdem Eccleſiæ fratribus contulimus libere & abſolute, ut ipſis de eisdem bonis libera ſit ordinandi facultas, prout utile ſibi viderint expedire. Ne autem ſuper eo, quod à nobis tam rationabiliter geſtum eſt, quæſtio à quoquam in poſterum oriatur, præſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione

fecimus

fecimus communiri. Hujus collationis teſtes ſunt Dominus Papa W. filius & dominus Marquardus filius ſuus. Dominus Nicolaus *de Goretſe* Dominus Marquardus *de Raſtorp* & Dominus *Timmo Bloc* milites. Advocatus *Campe* & Johannes dictus *Svin*. Datum & actum Kil. anno domini M. CC. LXXXV. in purificatione beatæ Virginis Mariæ, quarto nonas Februarii.

(*) Vulgo *Landpflicht*, *Landbode*, *Landwehr*, *Mandenſt*. Vide chartam Johannis Comitis ad a. 1322. Adolphi Ducis ad a. 1434. Chriſtiani Regis ad a. 1462. & 1465.

LIX.

Gerhardus comes Holſatiæ Decimas IX. jugerum in villis Bileveld & Dodenkop hactenus controverſas libere cedit N. Monaſterio in perpetuum utendas.

1286. In nomine ſanctæ & individuæ trinitatis amen. Omnibus præſentes literas inſpecturis, Gerhardus Dei gratia, comes Holtzatiæ & de Scowenborg, in vero ſalutari ſalutem. Cum omne quod in tempore agitur mutabilitatem temporis imitetur, diſcretio adhibenda eſt & cautela, ut quod per ſcripta memoriæ imprimitur, occurrat notitiæ futurorum. Sane ſciant tam præſentes, quam futuræ poſteritatis homines, quod, ex quo diſſenſio & quædam quæſtionis formula inter nos ex una, et Eccleſiam novi monaſterii parte ex altera *ſuper decimis duarum villarum, Bilevelde videlicet & Dodenkob* dudum fuit ſuſcitata, pro unione & amicitia inter nos & eos ſemper duratura intuitu Dei & mutuæ dilectionis reſpectu, taliter convenimus & concordavimus cum eadem, quod ipſi de bona voluntate de conſenſu omnium hæredum noſtrorum dictarum villarum decimas, Bilevelde videlicet & Dodenkob longitudinem novem jugerum habentes, cum eorundem juſta latitudine, utpote ſita ſunt in ſuis debitis & juſtis terminis, ſicut Rarecht in longum & latum ſe extendunt, dimiſimus & aſſignavimus libere & quiete ſine omni impedimento & impetitione, cum omni jure perpetuo poſſidendas, renunciantes nichilominus omni juri quod hactenus habuimus in eisdem. Si vero tempore ſuccedente dictarum villarum homines, à nobis vel à noſtris ſucceſſoribus plus hereditatis in heremo ſive in deſerto excolendam emerent, decimam de dicta hereditate provenientem, ſi qua fuerit prædictæ eccleſiæ adhoc plenarie erogamus, & ſic omnis actio ad nos ab eadem habita & omnis injuria ipſi à nobis irrogata ceſſabit penitus & quieſcet. Ut autem hoc factum noſtrum inviolabile permaneat atque firmum & ne à quoquam heredum vel ſucceſſorum noſtrorum in poſterum poſſit revocari, præſentem cedulam noſtri ſigilli munimine fecimus roborari. Hujus rei teſtes ſunt venerabilis dominus Borchardus, *Lubicenſis Epiſcopus*, dominus Albertus *Hamburgenſis præpoſitus*, Tetbernus *Præpoſitus Porecenſis*, dominus Timmo *Præpoſitus ancillarum* (*Virginum monaſterialium*) *in Etceho*, Thidericus *Hoken*, Marquardus *de Wilſtria* milites, & Hindelevus advocatus, nec non alii quamplures. Datum & actum Etzeho, Anno domini M. CC. LXXX ſexto, in Vigilia ſancti Martini epiſcopi & confeſſoris.

LX.

Giſelbertus Archiepiſc. Bremenſis confirmat decimam quam Bordesholmenſes habent in villa Bileveldt.

Giſelbertus Dei gratia, ſanctæ Bremenſis 1286.
Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis præſentia viſuris, ſalutem in domino. Notum eſſe volumus, quod nos viſo privilegio, eccleſiæ Novimonaſterii dato, à prædeceſſore noſtro domino Hartwico Archiepiſcopo veraciter didicimus, quod fratres ejusdem Eccleſiæ decimam in Bilevelde ſive Dodencowe, cum omnibus ejus attinentiis & novalibus, ſicut ibi ſita eſt, ab Eccleſia Bremenſi habuerant & usque ad tempus noſtrum absque ulla impetitione, quiete & libere poſſederunt. Quapropter univerſitatem veſtram rogamus & monemus in domino, quatenus divinæ remunerationis intuitione, noſtrarumque precum interventu dictis fratribus in dicta decima eo jure ſive libertate, ſicut antea fruiti fuerant, ulterius perfrui faciatis. Datum Stadis, Anno Dom. M. CC. LXXXVI. d. XIII. Kal. Maji, pontificatus noſtri anno XI.

LXI.

Nova conſtitutio Monaſterienſibus ab Archiepiſcopo & Epiſcopo Bremenſi & Lubecenſi præſcripta, ſecundum quam vitam monaſticam in antea teneantur inſtituere.

Univerſis præſentia viſuris, Tidericus Dei 1286
Gratia Decanus Majoris eccleſiæ in Brema, à Venerabili patre domino Gy: (*Gyſelberto*) ejusdem Eccleſiæ Archiepiſcopo datus Viſitator in Novomonaſterio, ſalutem in domino. Cum viſitationis cauſa ex mandato venerabilis patris, domini noſtri G. Bremenſis Archiepiſcopi, aſſumpto venerabili patre domino B. Lubycenſi epiſcopo ad Novummonaſterium accederemus, invenimus eandem eccleſiam in pluribus reformandam. Super quibus habito maturo Virorum diſcretorum & maxime venerabilis patris domini B. Lübecenſis Epiſcopi conſilio, ſtatuimus & ordinamus, ut infra ſcripta inviolabiliter obſerventur.

Primum ut regularis obſervantia, quæ quondam ibidem viguit, ſecundum antiquam conſvetudinem obſervetur, videlicet *uniformitas in præfationibus cantandis, benedictionibus & collectis dicendis, & cæteris in divino officio peragendis*. It. ut omnes *divino officio tam diurno, qvam nocturno interſint*, & nullus ſe abſentare præſumat, niſi cauſa neceſſitatis vel utilitatis & ut magiſter-diſciplinæ habeatur, & ſilentium ante primam- & poſt completorium obſervetur, ſimiliter & immenſa, & clauſtrum aperiatur debito tempore &

claudatur. It. volumus, ut omnes *commune refectorium* frequentent nisi de speciali licentia præpositi vel prioris. Præpositus vero plures vel pauciores si quos habere voluerit ad mensam suam, non certas personas, sed *secundum ordinem evocabit*. It. Præpositus secundum consilium trium canonicorum quos conventus elegerit, tam in spiritualibus, quam in temporalibus regat & ordinet universa. Si vero ex hiis tribus aliquis minus utilis inventus fuerit, alius in locum illius substituatur. It. de consilio prælati & trium prædictorum *officiales Ecclesiæ* statuantur. It. ut Pitantiæ Conventus non minuantur. It. Præpositus in *Cottuliana præbenda* munde & competenter, & in festis, duplicibus secundum antiquam consvetudinem amplius conventui providebit. it. præpositus & prior excessus subditorum *karitative corrigant & discrete*, ita ut modum correctionis non excedant. Subditi vero à correctione *non appellent*, *nisi prælati modum excedant in corrigendo*. It. ut officiales præposito coram capitulo semel in anno computent, videlicet in crastino Laurentii, & præpositus è converso. it. in villam cibaria non mutantur. It. ut de cœtero mortui *in cimiterio DOMINORUM non sepeliantur*, nisi de communi consensu eorundem. It. ut anniversaria dedicationis ecclesiæ & altarium singulis annis peragantur, ita tamen si inventa fuerint dedicata, sin autem dedicentur. It. Proprietatem omnibus prohibemus. It. Jura domus hospitalis serventur, prout in littera super hoc confecta plenius continetur. It. pulsationes & organorum decantatio per Præpositum tempore debito procurentur. It. ut pro commodo religiosorum speciale hospitium, secundum antiquam consvetudinem, deputetur. It. nec libri, nec calices, nec ornatus foris extra ecclesiam, nisi totius capituli consensus affuerit exponantur, quod etiam in emendis bonis, vendendis seu commutandis volumus observari. Ut autem hæc nostra constitutio, quæ in virtute *sanctæ obedientiæ* tam à prælatis quam subditis observari præcipimus, rata permaneat & inconvulsa, præsentem paginam sigillo domini B. Lübecensis Episcopi & nostro, simul & conventus, duximus roborandam. Datum in Novo monasterio Anno domini M. CC. LXXXVI. XIII. Kal. Augusti.

LXII.

Conventus generalis Ordinis Cistercienſis, Capitulo Novomonasterienſi concedit plenariam participationem omnium bonorum ſpiritualium.

1288. F. Th. dictus, Abbas Ord. Cist. totusque conventus capituli generalis, dilectis in Christo Præposito, priori, totique capitulo canonicorum regulæ B. Augustini in novo monasterio provinciæ Bremensis, orationum suarum suffragium salutare, exigente piæ devotionis affectu, quem ad ordinem nostrum accepimus vos habere, petitioni vestræ per venerabilem dominum B. coattem (*) nostrum *de Reinnæfeld* nobis oblatæ, benigne concernentes assensu, concedimus vobis plenariam participationem omnium bonorum, quæ fiunt & de cetero domino dante in ordine nostro fient, in vita vestra pariter & in morte, ita ut cum obitus vester nostro fuit generali capitulo nunciatus, ibidem sicut unus nostrum absolvemini, omniumque missarum & orationum, quatenus ipsi capitulo singulis annis pro fratribus nostris injungimus faciendum, efficiemus participes & consortes. Datum Cist. Anno domini M. CC. LXXX. octavo, tempore capituli generalis.

(*) coabbatem.

LXIII.

Transactio inter Ecclesiam Neomonasterienſem & Hassonem de Smalenstede, ſuper bonis in Suckesvelde, Novomonasterienſibus mediante ſumma 18 marcarum omnimode cessis, à Comitibus Holsat. Johanne & Gerhardo aliisque nobilibus placitata & approbata.

Johannes & Gerhardus junior, Dei gratia, 1289.
comites Holtzatiæ, Omnibus præsentia visuris, salutem in domino. Ad noticiam omnium tam præsentium quam futurorum tenore præsentium volumus devenire, quod discordia, quæ inter Ecclesiam Novimonasterii & dominum Hassonem militem dictum de Smalenstede & suos fratres pro quibusdam bonis infra terminos *Sukesvelde* sitis vertebatur, in præsentia nostra, aliorumque quamplurium de consensu utrorumque sopita est totaliter in hunc modum. Præpositus & Domini Ecclesiæ memoratæ dicto domino Hassoni & suis fratribus, pro eo, ut omnia amicabiliter et bono fine terminarentur et dictorum bonorum terminos expedire et fine alicujus impetitione conservarent decem et octo marcas denariorum pro quodam favore et acceptilatione dederunt. Præfati vero fratres in præsentia nostra pluribus astantibus & audientibus de sæpedictorum bonorum terminis omnimodis cessaverunt, & præfata bona dominis de Novomonasterio, sicut in terris deputatis sita sunt, in perpetuum possidenda libere & absque ulla impetitione resignaverunt & talem certitudinem fide media singuli fecerunt, quod nec ipsi, nec aliqui successorum suorum dictam Ecclesiam in antedictis bonis & eorum terminis, sive in agris, sive in sylvis, sive pascuis, ac plane in omnibus dictis bonis de jure attinentibus de cœtero molestare debent, nec aliquam impetitionem facere amplius in eisdem, quorum fidem et certitudinem super præmissis, nos ex parte ecclesiæ recepisse & omnia placita, secundum quod prænotata sunt, sic coram nobis nostrisque militibus placitata fuisse, præsentibus protestamur. Ut autem hæc amicabilis compositio de maturo consilio & consensu utrorumque coram nobis rationabiliter facta, rata & inconvulsa in perpetuum maneat & ut ne dicta ecclesia à memo-

memoratis fratribus ſuisque ſucceſſoribus, in dictis bonis eorumque terminis directis in poſterum indebite moleſtari vel gravari poſſit, ſigilla noſtra pro cautela & teſtimonio ſufficienti præſenti paginæ duximus apponenda. Hujus compoſitionis teſtes ſunt Benedictus *de Nortſee*, Arnoldus *de Viſchbeke*, Hinricus de *Küren*, Thimmo de *Biſtecſee*, Wolderus de *Smalenſtede*, Marquardus de *Santberge* & Johannes dictus *Swin* milites. Nicolaus dictus *Hane*. Otto de *Scinkele*. Nicolaus *de Smalenſtede*, Nicolaus de *Bundeſtorpe*, Vulweke & Marquardus fratres de *Radle* & alii quamplures. Datum & actum Aptewere, (*) anno Domini M. CC. LXXX nono.

(*) Forte Apfelwerder prope Ploën.

LXIV.

Giſelbertus Archiep. Brem. concedit Novomonaſterienſibus libertatem transferendi monaſterium in alium locum, adjecta omnium priuilegiorum confirmatione.

1290. Gyſelbertus Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, dilectis in Chriſto præpoſito, priori totique conventui in Novomonaſterio ordinis Beati Auguſtini noſtræ dioceſis ſalutem in Domino. Tenore præſentium de communi noſtri capituli conſenſu vobis duximus annuendum ex gratia ſpeciali, videlicet ut monaſterium veſtrum *de novo ſecundum utilitatem & voluntatem veſtram ædificandum*, alias in noſtra dioceſi, prout vobis expedire videbitur, quia omnibus modis profectui ac commodo eccleſiæ veſtræ ob ſpecialem dilectionem, quam ad eandem habuimus & habemus, in quibuscunque poſſumus karitative intendere volentes auctoritate ſeu licentia noſtra, *dum modo ſub eodem nomine, licite transponatur.* Item volumus, ut omnia privilegia veſtra habita & habenda, ſicut hactenus ita & de cætero ſtabilia in ſuo robore maneant & vigore. In cujus rei ac ratihabitionis noſtri capituli teſtimonium, ſigillum noſtrum, cum ſigillo ipſorum præſentibus duximus apponendum. Datum Bremæ anno domini M. CC. nonageſimo, feria quarta poſt Dominicam, qua cantatur, Lætare Jheruſalem.

LXV.

Johannes Comes Holſat. dat Eccleſiæ NM. judicium majus & minus villæ Wakenbeke & unius manſi in villa Brugge, cum pertinentiis & omni exemptione.

1290. Johannes Dei gratia comes Holtſatiæ, omnibus præſentia viſuris ſeu audituris, ſalutem in eo, qui omnia ſolus poteſt. Ne res geſtas dignæ memoriæ commendendas proceſſus temporum aboleat, confirmare debet ipſas lingua teſtium ſeu perhennitas literarum. Ad cognitionem præſentium devenire volumus & poſteros non latere, quod nos conſideratis pariter & inſpectis *multiplicibus ſervitiis & curialitatibus, nobis ab Eccleſia Novimonaſterii exhibitis & impenſis*, de bona voluntate noſtra ad emendationem & incrementum præfatæ Eccleſiæ, integritatem proprietatis *judicii majoris & minoris villæ Wakenbeke*, in campis, ſilvis, pratis, paſcuis, paludibus, agris cultis & incultis, aquis aquarumque decurſibus, viis & inviis, piſcaturis, molendinis & præciſe cum omni valitate & proventibus, qui in dictæ villæ terminis complectuntur, damus prænominatæ Eccleſiæ liberaliter, jure perpetuo poſſidendam. Item pro remedio animæ noſtræ donamus in uſum ejusdem Eccleſiæ judicium majus & minus *manſi unius in villa Brüche*, quem Johannes miles, dictus Swin ſæpedictæ eccleſiæ contulit ad ſolempnitatem ſanctæ Eliſabet peragendam, cum plenitudine Juris ſuperius prælibati. Nichilominus tamen ſervitia de dicta villa Wakenbeke & dicti manſi exempta eſſe volumus, quibus *communis terra domino Comiti obligatur*. Ut autem hæc noſtra prælibata donatio rata, inviolabilis & inconvulſa permaneat, & perpetuæ firmitatis robur optineat, præſentem paginam ſigilli noſtri appenſione duximus roborandam. Datum & actum Kil anno Domini M. CC. nonageſimo, octava Martini. Hujus donationis Teſtes ſunt Nicolaus *de Goziz* (vel Goriz) Timmo *de Biſtickiſſe*, Johannes *Swin*, Marquardus & *Hartwicus, domini Lupi filii.* Timmo *Block* milites, & noſter advocatus, Hinricus *Tinappel* & quamplures alii fide digni.

LXVI.

Johannes Com. Holtſatiæ concedit Novomonaſterio proprietatem Villæ Müdhebroke cum omni utilitate Landwehr excepto.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. 1290.
Johannes Dei gratia, Comes Holſatiæ, omnibus in perpetuum. Mutantur tempora, transmigrant homines, interit memoria, ſed vivit litera. Ideoque laudabilis conſvetudo hominum inolevit, ea quæ fiunt ab hominibus, ne per labamentum temporis evaneſcant, ſcripti teſtimonio perhennare. Nos itaque præſentibus notum eſſe volumus, & poſteros non latere, quod pro remedio ac ſalute animæ noſtræ, ſimul & inſpectis multiformibus obſequiis, quibus Eccleſia Novi monaſterii nobis & noſtris progenitoribus dinoſcitur hactenus ſerviviſſe, de bona voluntate noſtra damus Eccleſiæ præfatæ *integritatem proprietatis villæ Müdhebroke* cum omni utilitate, judicio majori & minori ac uſufructu, ſicut in terminis ſita eſt, *exceptis hiis ſerviciis, quibus communis terra domino comiti obligatur*, jure perpetuo poſſidendæ libere & quiete, videlicet ut dictæ eccleſiæ dominis, in dicta villa libera ſit facultas ordinandi, faciendi, diſponendi, prout ipſis utile videbitur & conſultum. Ne igitur ſuper hiis, quae à nobis tam rationabiliter geſta ſunt & ordinata, aliqua ſucceſſoribus depravatio ſeu ſcrupulum oriatur, præſentem paginam ſigilli noſtri munimine duximus roborandam. Hujus donationis teſtes ſunt Nicolaus de *Soretſe*. Thimmo *de Biſſecſe* &

Johannes dictus *Svin*, milites. Datum & actum Kil anno Domini M. CC. nonagesimo. in die Barnabæ Apostoli.

LXVII.

Pape (Poppo) Wulff pro sua, uxoris suæ & filii sui animarum salute, dat conventui in Novomonasterio villam Eidersstede, sex modios siliginis è molendino Wakenbeke, capturam piscium etc.

1290. Universis Christi fidelibus præsens scriptum visuris, perlecturis & audituris, *Thydericus DEI GRATIA Præpositus, Fredhericus prior, totumque capitulum ecclesiæ sanctæ Mariæ in Novo monasterio, ordinis beati Augustini, Bremensis diocesis*, cum devotis orationibus in salutis auctore salutem. Humanæ memoriæ fragilitas utiliter scripturæ juvatur testimonio, ne lapsu temporis & subita mutatione hominum, id quod nunc est certum, fiat dubium, & quod rationabiliter ordinatum, oblivionis umbraculis obscuretur. Hac igitur consideratione habita, ea quæ nostris geruntur temporibus ita firmare decrevimus, ut post tempora nostra successorum nostrorum memoriæ arctius imprimantur. Hinc est, quod ad noticiam omnium, tam præsentium, quam futurorum tenore præsentium volumus devenire, quod *Pape Vulf, miles de Kil*, pro remedio ac salute animarum dominæ Margaretæ uxoris suæ, felicis memoriæ & Ottonis filii sui, *omnia sua, quæ in villa habuit Eyderstedhen*, cum omni utilitate, videlicet judiciis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarum decursibus, stagnis, instagnationibus, piscationibus ac plane omni fructu nunc solventi vel in posterum ex ipsis bonis ratione emendæ provenienti, cum consensu filiorum omniumque coheredum suorum libere & quiete sicut ipse possederat, ita nostræ Ecclesiæ in perpetuum pacifice possidenda, insuper redditus sex modiorum siliginis in molendino *Wakenbeke* contulit sub hac forma, videlicet ut dictorum memoria ter in anno in corporum translatione, quæ est proxima secunda feria post Dominicam Invocavit & in anniversariis eorundem, qui sic distinguntur, videlicet in Vigilia Beati Michaëlis, quarto Kalendas Octobris dominæ Margaretæ jam dictæ, & Ottonis pridie Idus Martii, in missis & vigiliis solempnibus devote peragatur & domini nostri de dictorum bonorum proventibus, tribus in anno vicibus secundum memorias faciendas consolationem habeant specialem. Item *karitatum sive consolationum amministrator*, quicunque pro tempore fuerit, quatuordecim diebus sive noctibus ante istas trinas consolationes singulas per intervalla temporum jam distinctas, capturam piscium de prædicto stagno secundum quantitatem sive computationem antedictorum bonorum portionem contingentem, erit in integrum percepturus. Nos vero pro tam pia & favorabili collatione sibi suisque vicissitudinem talem rependere cupientes, cum consensu omnium nostrum nos ad hoc in perpetuum obligamus, ut ad altare ubi jam dictorum requiescunt corpora, pro memoria sua, filiorum & omnium successorum suorum singulis diebus post primam habeatur specialiter una missa. In qualibet vero septimana tres ad minus dicentur missæ pro defunctis, exceptis hiis festivitatibus, videlicet nativitate domini, pascha & penthecosten, omnibus sabbatis de domina nostra, nisi festum sive dies festivus intervenerit aliisque diebus secundum arbitrium dicentis, & cum solempnis vel votiva fuerit missa, semper penultima collecta erit hæc: Quæsumus domine, ut animabus fidelium tuorum, quorum commemorationem agimus &c. excepto ipso die nativitatis domini, paschæ & penthecostes. Insuper sacerdos, cujuscunque septimana ad sæpedictum altare officiandum secundum ordinem fuerit, omnium sæpedictorum memoriam habebit in canone nominatim. It. si Ecclesiam nostram tempore profuturo secundum voluntatem & utilitatem dominorum nostrorum alias transponi contigerit eorundem supradictorum corpora per expensas ecclesiæ sunt exhumanda & illic sicut hic, in monasterio cum exequiis debitorumque præscriptorum executionem seu observatione omnium tumulanda. Ut autem ipsorum collationis & nostræ pro recompensatione facienda obligationis ordinatio inter ipsos & nos rata & inconvulsa in perpetuum maneat, sigillum *domini nostri comitis Johannis*, sigillum *Ecclesiæ nostræ* una cum sigillo *dicti militis pape Vulf* in testimonium evidens præsenti paginæ duximus apponenda. Datum & actum in Novomonasterio Anno incarnationis domini millesimo, ducentesimo, nonagesimo, in die Primi & Feliciani martirum, quinto idus Junii.

LXVIII.

Johannes Holsat. Comes per modum transsumti confirmat immunitatem quorundam agrorum in Curia Crones-Moor sitorum, ab ejus patruo Johanne Com. anno 1291. monasterio in Reynevelde venditorum.

In Nomine Domini Amen. Universis hoc præsens scriptum visuris seu audituris, Johannes Dei gratia, Comes Holtzatiæ & Stormariæ & de Schowenb. salutem in domino sempiternam. Cum Abbas & conventus monasterii de Reynevelde, quondam ut asserebant, emissent agros sub aratro jacentes *in curia Cronesmore* à felicis recordationis domino Johanne, patruo nostro quondam comite Holtzatiæ & super hujusmodi contractu literas ejusdem domini Johannis patrui nostri vero sigillo ipsius sigillatas veras & integras habuissent: quæ per quendam fatuum maligno spiritu ductum postea laceratæ fuerunt, dicti Abbas & conventus nobis humiliter supplicarunt, quatenus dictum contractum & in eo contenta ratificare & approbare, ac nostris literis firmare & roborare dignaremur. Tenor vero literarum patrui nostri

noſtri talis erat. Johannes Dei gratia, Comes Holtzatiæ, omnibus præſentia viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Notum facimus univerſis, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, quod nos agros ſub aratro jacentes in curia Cronesmore dominis de Reynevelde pertinente, ab omni exactione & petitione exemptas eſſe volumus & immunes, dum aliqua fit petitio cauſa noſtri, quod
1291. præſentibus proteſtamur. Datum Anno do-
1329. mini M. CC. Nonageſimo primo in die Innocentii.

Cum igitur de præmiſſo contractu & de veritate ac integritate tam tenoris quam ſigilli cœdulæ - dictarum Literarum & laceratione ipſarum poſtea ſubſecuta nobis facta fuerit plena fides. Nos dictorum Abbatis & conventus juſtis ſupplicationibus merito - annuentes, ne ob probationis defectum poſſit veritas deperire, prædictum contractum ratificamus & approbamus, & præſentibus literis firmamus & roboramus, & nihilominus ex certa ſcientia dictos agros cum ſuis juribus, pertinentiis ac aliis ſuperius expreſſatis, ex habundanti dimittimus abbati & conventui ſupradictis, ac volumus, quod præſentes literæ noſtræ ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis faciant plenam fidem, etiam ſi mille aliæ probationes vel literæ producantur. In quarum teſtimonium præſentes literas ſigilli noſtri appenſione juſſimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt Mag. Johannes *Bulo* canonicus Lubicenſ: dominus Daniel prothonotarius noſter, canonicus Hammenburg: Marquardus *Stake*, advocatus, Hermannus *Clenedeneſt*, conſul Lübicenſis & Thidericus *Albus* civis ibidem & plures alii fide digni. Datum & actum Lubeke, Anno domini Milleſimo, Tricenteſimo, Viceſimo nono, dominica qua cantatur, Oculi mei ſemper ad Dominum.

LXIX.

Johannes Comes Holſatiæ cauſas translationis clauſtri exponit & ut clauſtrum Novimonaſterii in locum alium commodiorem transferatur, conſentit, ſalvis tamen prioris conventus libertate, dote, juribus, privilegiis, juriſdictione & immunitate.

1291. Omnibus præſens ſcriptum viſuris, Johannes Dei gratia, Holtzatiæ comes, ſalutem in perpetuum. Noſtri juris à Deo præordinata & collata poteſtas ſummopere requirit, ut pro conſervandis Eccleſiaſticæ libertatis incrementis, adverſus graſſatores quosque ſeu impugnatores & ſingulos ac univerſos defenſionis clypeum opponamus, quæ perſecutionibus malignorum hominum in eam continue ſævientibus utique ſuccumberet, niſi aliquotiens brachii ſecularis adminiculo fulciretur. Hinc eſt, quod nos ad laudem Dei & intemeratæ Virginis Mariæ matris ejus honorem, laudabili deſiderio Præpoſiti totiusque conventus in Novomonaſterio affectu congratulabundo annuere decrevimus, ut ipſa manſio & ædificia clauſtri ad alium locum congruentiorem, *tam in temporalibus utilitatibus*, videlicet piſcium, lignorum, agrorum, paſcuorum, *quam in ſpiritualibus monaſticæ diſciplinæ rigoribus*, videlicet *vita ſolitaria, contemplatione quieta, tranquillitate devota cum cæteris bonarum virtutum operibus*, infra terminos noſtri dominii transferantur: Nichilominus ſtricte volentes, ut ipſum clauſtrum jam translatum, quicquid juris hactenus in proprietate & judicio *totius villæ Novimonaſterii*, ſicut in terminis ſita eſt, habuiſſe dinoſcitur, poſtmodum libere poſſideat & quiete. Præterea cum ſecundum *verba juris* (Canonici) emunitas locorum ſpiritualium ſit privilegium eccleſiaſticæ libertatis vel *perſonarum* vel *rerum* ad eam pertinentium, volumus ut jam dicta emunitas primitivæ eccleſiæ, cum omni utilitate diſponendi ad uſus ſuos tempore ſucceſſivo, cum translatio facta fuerit, infra ſepta ipſius dotis vel limites ſuo jure plenario gaudeat, tanquam ab ipſa fundatione uſque nunc ibidem à fratribus eſt poſſeſſa. Hanc libertatis donationem pro animæ noſtræ remedio, ſimulque parentum noſtrorum in ſecuritatem ac munimen eccleſiæ prælibatæ duximus conferendam & poſteris noſtris tuitione perpetua conſervandam. In cujus collationis durabile firmamentum præſentem paginam ſigilli noſtri appenſione fecimus communiri. Hujus facti teſtes ſunt Nycolaus de *Goritz*, Tymmo de *Byſtekeſe*, Johannes *Swyn*, Elerus *de Kyl*, Tymo *Block*, Marquardus & Hartwicus filii *Lupi*, milites & alii quamplures fide digni. Datum & actum in Kyl Anno dominicæ incarnationis M. CC. XCI. in Octava epyphaniæ Domini.

LXX.

Giſelbertus Archiepiſcopus Brem. confirmat & ratificat Monaſterio novo advocatiam in villa Mönkrecht, in parochia Bishorſt.

Giſelbertus, Dei gratia, ſanctæ Bremenſis 1292.
Eccleſiæ Archiepiſcopus, omnibus præſens ſcriptum viſuris, ſalutem in Domino. Donationes ſive commiſſiones à noſtris prædeceſſoribus Eccleſiæ novimonaſterii piè collatas & usque ad tempora noſtra cum perceptione fructuum eorundem ſine qualibet contradictione ab eadem libere & quiete habitas & poſſeſſas, nullatenus per nos vel noſtros infringi, ſed potius ſicut hactenus, ita & de cætero per promotionis ſtudium cupientes pio deſiderio ratas & ſtabiles obſervari. Igitur cum dictam Eccleſiam Novomonaſterienſem ad *judicium ſive advocatiam* villæ *cujusdam*, quæ *Monekericte* dicitur, *in parochia Bishorſt* ex collatione magiſtri Hartwici, prædeceſſoris noſtri, quam collationem Hilleboldus anteceſſor noſter felicis memoriæ ſuis privilegiis providentiſſime innovavit, meram ac plenam cum omni jure & utilitate ſciamus habere juſtitiam ipſam. Nichilominus in hiis ſcriptis ratificamus & ratificatam præſentibus confirmamus, volentes, ut Præpoſitus Novimonaſterii, quicunque

que pro tempore fuerit liberam, ut prædictum est, habeat ipsius judicii fruitionem. Ut autem hæc nostra Ordinatio rata permaneat semper & firma, præsentem paginam sigilli nostri appensione fecimus roborari. Datum Stadis Anno domini M.CC. Nonagesimo secundo in die conversionis Sancti Pauli.

LXXI.

Marquardus, Wulffius & Johannes Brokow vendunt Novo monasterio unum mansum in Villa Radechestorff sub reservatione judicii & juris feudalis.

1294. Marquardus dictus Brokowe, Wlvoldus & Johannes fratres, omnibus presencia visuris notum facimus, quod nos mansum unum in villa *Radechestorpe* (*) situm cum omni jure & utilitate justo emptionis titulo Ecclesiæ Novimonasterii vendidimus hereditario jure perpetuis temporibus possidendum. De *judicio vero dicti mansi*, quod FEODUM EST, nos vel successores nostri, vel eorum à quibus nos huc usque *in feodo possedimus*, dictæ ecclesiæ prout JUS FEODALE (**) exigit, *warandiam præstabimus vel præstabunt*, quousque proprietatem possit consequi in eodem. Ex tunc enim, quicquid juris in sæpedicto judicio retinuimus, parati erimus ad manus ecclesiæ memoratæ plenarie resignare, ad quod nos præsentibus obligamus. Item quicunque dicti mansi cultor pro tempore fuerit, judicium ecclesiæ sæpe dictæ, videlicet in villa Wakenbeke vel Eiderstede adire tenebitur & ipsius jurisdictioni subesse, quod simili modo tenore præsencium protestamur. Datum in Ponte (*zu Brügge*) Anno domini M. CC. nonagesimo quarto, in proxima dominica ante festum Beati Martini.

(*) Hodie Rayenstorff prope Flemhud, præfecturæ Kilonienſis.

(**) Saxonicum.

LXXII.

Archiepiscopi Bremensis ratificatio super Hospitali Novimonasterienſis.

1294. Gyselbertus Dei gratia, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus præsens scriptum cernentibus salutem in domino sempiternam. Notum facimus, quod nos gratiam factam & *forsitan ex inspiratione divina* procedente tempore faciendam, hospitali videlicet domui pauperum, in qua pauperes colliguntur in Novo Monasterio, sub certis conditionibus, statutis & pactis, secundum quod in Litteris super hoc confectis plenius continetur, ratificamus & ratas habemus ac ipsas præsentibus nostris confirmamus literis, in nomine patris & filii & spiritus sancti, mandantes, ipsas, prout exiſtunt, evidentius institutæ, in virtute sanctæ obedientiæ inviolabiliter observari. Datum Stadis Anno domini M. CC. nonagesimo quarto, in tertia feria proxima post Dyonisii Martiris.

LXXIII.

Johannes Svin & Marquardus Schonebach fratres, pro sua suorumque anima dant N. Monasterio villam Schonebeke, sub ratificatione Johannis, comitis Holsat. & judicii feodalis ejusdem villæ in hæreditarium conversione.

Nos Johannes, Dei gratia, Comes Holtsatiæ, omnibus præsentia visuris, notum 1296.
facimus, quod Johannes dictus Svin & Marquardus dictus Schönebeke fratres, milites, pro salute ac remedio animarum ipsorum, villam, quæ dicitur *Schönebeke* cum molendino & omni juri seu utilitate, videlicet judicio majori & minori, agris, cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis ac plane cum omni fructu, sicut in terminis sita est, perpetuis temporibus libere ac pacifice possidendam, ecclesiæ contulerunt Novimonasterii, sub hac forma, videlicet, ut de dicta villa quatuor marcarum reditus ad duorum anniversariorum memorias, scilicet patris & fratris eorum Hinrici felicis memoriæ, singulis annis in missis & vigiliis specialibus peragendas, cedant. It. Custodiæ redditus quatuor solidorum, pro expositione sive provisione candelarum in dictorum anniversariis, sunt ab eisdem deputati. Residuum vero ad quoscunque usus ecclesiæ Præpositus, una cum dominis deputaverit, eoram ordinationi seu arbitrio est commissum. Dicta igitur Ecclesia pro tam pia collatione vicissitudinem recompendere volens salutarem, se ad hoc in perpetuum obligavit, sicut per suum sigillum præsenti scripto appensum publice protestatur, videlicet ut ad altare beati Johannis, ubi carorum suorum requiescunt corpora, singulis diebus ad honorem Dei & ipsorum tam vivorum quam mortuorum corporis & animæ salutem habeatur una missa, cum collecta generali: Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum simul & mortuorum &c. in qua oratur tam pro vivis, quam pro defunctis. Nos vero mutuæ karitatis affectum perpendentes, utrobique in singulis utiliter ac salubriter ordinatum, sæpe dictæ villæ collationem, ad instantiam dictorum fratrum ratificamus & ratificatam etiam de nostro fructuosius confirmare volentes, *judicium villæ memoratæ*, quod jam dicti fratres à nobis JURE FEODALI *possederunt*, in JUS HEREDITARIUM (*) commutamus conferentes jam præfatæ Ecclesiæ proprietatem nostris literis in eodem, quibus sigillum nostrum una cum sigillo sæpedicti militis Svin, pro testimonio & cautela habundanti duximus apponendum. Datum & actum Kil. Anno domini M. CC. nonagesimo sexto

(*) seu Allodiale.

LXXIV.

Herwardus Spaduth laicus post mortem suam omnia bona in villa Eynevelt sita donat N. Monasterio, sola præbenda & vestitu ad dies vitæ sibi reservatis, attestante domino Johanne Com. Holsat.

Johan-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1296. Johannes Dei Gratia, Comes Holſatiæ, univerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Domino. In noſtra quandoque conſtitutus præſentia, ſicut meminimus & præſentibus proteſtamur, laicus quidam Herwardus Spaduth, in villa quæ dicitur *Eynenvelde*, coram nobis & aliis quampluribus clericis & laicis, omnia bona ſua, ſive in agris, ſive in pratis, ſive in lignis, ſive in novalibus, ſive quibuscunque aliis rebus, exceptis duobus manſis, uno *in Boyenbotle* & alio in *majori harge* ſitis, Eccleſiæ Novimonaſterii reſignavit, ita ut poſt mortem ſuam dicta Eccleſia eisdem libere gaudeat & absque impetitione ſeu contradictione qualibet poſſideat. Sæpedicta vero Eccleſia dicto famulo *ad tempora vitæ ſuæ victum dabit*, videlicet præbendam unius converſi & veſtitum, ſcilicet duas tunicas ad annum, ſicut ſervis præpoſiti amminiſtrantur, una æſtivalis & alia hiemalis, quæ in dicta reſignatione ſuperaddita fuit ei; ut autem utrobique, quod præſcriptum eſt, obſervetur, ſigillo noſtro præſentem literam communimus. Teſtes ſunt Thetbernus *Præpoſitus de Porez*, dominus *Splitenhagen*, & dominus Swin milites, & alii quamplures. Datum Kil Anno domini M. C C. nonageſimo ſexto.

LXXV.

Thetlevus de Biſtecſe vendit N. Monaſterio unum manſum & duas areas in villa Brügge cum pertinentiis pro 30. marcis ſub evictione & renunciatione juris retractus.

1198. Ego Thitlevus, dictus de Biſtecſe, omnibus præſentia viſuris, notum facio, quod manſum unum cum duabus areis in villa Brügge ſitis, cum omni jure & utilitate, judicio majori & minori, pratis, paſcuis, lignis, agris cultis & incultis ac plane cum omni fructu Eccleſiæ Novimonaſterii perpetuo jure poſſidendum, pro 30. marcis denariorum, meræ emptionis titulo vendidi, & *Selandiam* (*) ac *Warandiam* (**) eidem in dictis bonis, in die B. Agnetis *pluribus* ASTANTIBUS & AUDIENTIBUS, ſecundum JUS & CONSVETUDINEM TERRÆ feci. Cæterum in judicio dicti manſi, quod *jure feodali* hucusque poſſedi, patrueles mei, videlicet Sifridus & Timmo, frater ſuus, dicti de Biſtecſe & ego, nec non & ſucceſſores noſtri *dictæ Eccleſiæ Warandi* coram quolibet terrarum domino erimus, quousque proprietatem poſſit conſequi in eodem. It. dicti *Patrueles mei* dictam emptionem revocare non poterunt, pro quo hinc inde eſt cautio præſtita & recepta. It. *Coloni* jam dictum manſum colentes, ſive in dictis areis reſidentes ligna comburentia in ſylva *Lüderſtorpe* habebunt, ſicut prius, & ad judicium Eccleſiæ, ubicunque ſibi placuerit, pertinebunt. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum duxi præſenti ſcripto apponendum; Datum & actum Brugge, Anno domini M. ducenteſimo XCVIII. in die Agnetis Virginis.

(*) *Selandia*, communiter & in aliis chartis dicitur *Seele*, *Seelia*, accipitur à nonnullis pro ſpecie *cautionis*, forte *juratoriæ*, ſub ſacramento ANIMÆ *& ſalutis*. Vide *Tabulas* HARTWICI *de* REVETLO infra ad a. 1331. In hac ſententia eſt LAMBECIUS *Orig. Hamb. L. 2. p. 80.* ſed alibi oſtendimus *Selandiam* eſſe ſolennitatem traditionis rei venditæ, quæ hodie dicitur *reſignatio judicialis*, *die gerichtliche Verlaſſung*.

(**) *Warandia* ſeu Evictio, à *wehren* vocata *die Gewehrſcafft*. Unde *Warandus* in hoc diplomate eſt Evictor, Defenſor, *der Wehrman*, warandare, *gewehren*, unde *garantia*, *garantir*, & alia notiſſima.

LXXVI.

Henrici Præpoſiti Neomonaſterienſis Excitatio ad Conventum in Gobelenhagen de ſervanda regulari obſervantia conſuetudinum Capituli Novi Monaſterii.

HINRICUS, *Dei gratia*, *Præpoſitus*, *totumque Capitulum in novomonaſterio*, dilectis in Chriſto confratribus, Priori totique conventui in *Gobelenhagen* in Domino Jehſu Chriſto ſalutem. Intelleximus enim à viris fide dignis in veſtra viſitatione ordinatum, & ſub juramento confirmatum, ut noſtras conſtitutiones & regulares conſvetudines debeatis obſervare, unde vobis ipſas conſtitutiones, à dominis noſtris receptas & ſervatas, transmittimus ſub hac forma: Primum, ut *regularis obſervantia* obſervetur, videlicet in præfationibus cantandis, uniformitas benedictionibus dicendis & cœteris in divino officio peragendis, & cantus ſive lectiones, ſecundum quod continetur in ordinario, ordinentur. Item ut omnes divino officio tam diurno quam nocturno interſint, & nullus ſe abſentare præſumat, niſi cauſa neceſſitatis vel utilitatis. Et ut magiſter diſciplinæ habeatur & ſilentium ante primam & poſt completorium obſervetur, ſimiliter & in miſſa. Et clauſtrum aperiatur debito tempore & claudatur. Item ut omnes commune refectorium frequentantes, niſi de ſpeciali licentia Præpoſiti vel Prioris, Præpoſitus vero plures vel pauciores, ſi quos habere voluerit ad menſam ſuam, non certas perſonas, ſed ſecundum ordinem evocabit. It. Præpoſitus in duplicibus feſtis officium tam diurnum, quam nocturnum peraget & frequenter erit in refectorio cum conventu, niſi ſolemnibus hoſpitibus & eccleſiæ negotiis fuerit impeditus. It. Præpoſitus ſecundum conſilium trium ſeniorum tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus regat & ordinet univerſa. It. de conſilio Prælati & trium prædictorum officiales Eccleſiæ ſtatuantur. it. ut pitantiæ conventus non minuantur. it. Præpoſitus in cottidiana præbenda munde & competenter & in feſtis duplicibus amplius conventui providebit. Item Præpoſitus & Prior exceſſus ſubditorum caritative corrigant & diſcrete, ut 1298.

modum correctionis non excedant. Subditi vero à correctione non appellent, nisi prælati modum excedant in corrigendo. It. ut officiales eorum Præpositо & Capitulo semel in anno computent, videlicet in crastino Laurencii & Præpositus è converso. It. cibaria in villam non mittantur & domini villam non intrabunt, nisi de speciali licentia Præpositi vel prioris. It. dedicationes Ecclesiæ, anniversarii & altarium singulis annis peragantur, ita tamen si inventa fuerint dedicata sin autem dedicentur. It. proprietatem omnibus prohibemus. it. vero pro commodo religiosorum speciale hospitium deputetur. It. nec libri, nec calices, nec ornatus foris extra ecclesiam, nisi totius capituli consensus affuerit, exponantur, quod etiam in emendis bonis vendendis seu commutandis volumus observari. it. ut sigillum ecclesiæ tribus de conventu committatur & sub firma custodia conservetur nec exponatur, nisi consensus capituli fuerit requisitus. It. ut *laici tunicis pro camisiis* utantur, & *in caligis dormiant & succincti.* It. domini à festo omnium sanctorum, usque ad nativitatem domini jejunabunt, & à septuagesima usque in pascha, nisi novem lectiones intervenerint extra sextam feriam & quadragesimam, & infra hos dies bis non comedent, nisi de Licentia speciali. it. carnes in refectorio non comedent, nisi de consensu Seniorum & licentia Præpositi vel Prioris. It. fratres & *sorores griseo habitu sint contenti*, nec plenam præbendam percipient, sed eorum procuratio est discretioni dominorum & Provisori curiæ committenda.

Sequitur

Unio fraterna inter Monasteria Jasenitze & Novum Monasterium *ejusdem ordinis & disciplinæ.*

1298. Honorabilibus viris, & discretis confratribus suis, in Christo quam dilectis, præposito, priori, totique capitulo ordinis Beati Augustini *Bremensis* (*Caminensis*) dioceſis in *Novomonasterio* (*Gabelenhagen*) *W. prior, totumque capitulum* (*Johannes Dei gratia præpositus H. prior*) ecclesiæ sanctæ Mariæ in *Gobelenhagen* (*Novomonasterio*) ejusdem ordinis *Kaminensis* (*Bremensis*) dyoceſis, cum devotis orationibus, fraternam in domino karitatem. Observari debet ratum à posteris, quicquid fuerit à prælatis canonice ac salubriter ordinatum. Hinc est, quod vestræ dilectioni tenore præsentium declaramus, ut sicut nos unius regulæ Professio, sic etiam uniformitas habitus, disciplina, consvetudines & constitutiones teneant obligatos, ita tamen, *ut vestra* (*quod nostra*) ecclesia *nostræ* (*vestræ*) in omnibus, quoad Deum præsit, sicut mater filiæ de jure debeat præesse. Volumus etiam, ut nobis vestras & nos è converso. vobis nostras personas, sive plures, sive pauciores in necessitatis articulo aut pro correctione vel disciplina invicem transmittamus & personæ missæ erunt in plena perceptione præbendæ, tam in victu quam in vestitu, sicut ibidem aliquis de conventu chorum, refectorium & dormitorium servabunt & secretis dominorum non intererunt, nisi specialiter fuerint advocati. Præterea volumus, ut vestra congregatio nostræ & nostra vestræ in tribulatione, necessitate, jure & in omni angustia subveniat & assistat. Ut autem hæc unionis ordinatio, tam à nostra, quam à vestra ecclesia firmiter observetur, præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine confirmamus. Datum in Gobelenhagen (novo monasterio) Anno domini M. CC. XCVIII.

LXXVII.

Conventus Segebergensis ob locorum distantiam permutat cum Novomonasterienſibus villam Roleffsdorff & Villenrode pro villa Westerbotel cum suis juribus & pertinentiis.

Universis præsentia visuris, *Johannes Dei* 1306.
Gratia Præpositus, Jo. Prior totusque conventus *Ecclesiæ Segebergensis*, in vero salutari salutem. Rationis interesse dinoscitur, ut ea, quæ robur impermutabile sortiri debent, scriptis & testibus perhennentur. Hinc est, quod tam posteris, quam præsentibus cupimus esse notum, quod cum honorabiles domini Præpositus & Conventus in Novomonasterio quædam bona & possessiones haberent *in villa Westerbotele* nobis vicinas, de quibus annuatim modicum fructum propter loci disconvenientiam perceperunt. Nos quoque haberemus quædam bona & possessiones *in villis Roleuestorp & Willenrodhe* dictis dominis confines, de quibus propter locorum distantiam nobis provenit fructus modicus annuatim, talem inter dictos dominos & nos habito super hoc maturo consilio, in hujusmodi bonis fecimus permutationem, videlicet quod prædicti domini dimidietatem villæ Westerbotele cum agris suis cultis & incultis, pascuis, pratis, paludibus, sylvis, nemoribus, deserto, aquis & aquarum decursibus, cum omni utilitate, sicut in suis terminis continetur, cum omni jure & proprietate, sicut ipsi illam quiete hactenus possederunt, nobis & ecclesiæ nostræ quiete possidendam perpetuis temporibus favorabiliter dimiserunt. Nos autem vice versa *dimidietatem villæ Rolevesdorp cum agris suis*, cultis & incultis, pascuis, pratis, paludibus, sylvis, nemoribus, aquis & aquarum decursibus, cum molendino & areis, cum omni utilitate, sicut in suis terminis continetur & cum omni jure & proprietate, prout illam hactenus quiete possedimus nec non & quatuor mansos *in villa Willenrodhe* cum omni jure & proprietate & *cum judicio majore & minore*, prout illos huc usque quiete possedimus, sæpe dictis dominis & eorum Ecclesiæ liberaliter dimisimus quiete & pacifice perpetuo possidendas. In cujus rei evidentiam sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Testes sunt venerabilis dominus *Bor.* (*) Episcopus Lubicensis.

bicenſis. *Nobiles domini* Adolphus & Johannes Comites Holſatiæ & Stormar. dominus Heinricus, *Præpoſitus Porezenſis*, Mag. Hellenbertus *Scolaſticus*, Seghebandus *Theſaurarius*, Alvinus *de domo*. *Joh. Creb*, Canonicus Eccleſiæ Lübicenſis milites. H. *de Hamme*.(**) Jo. *de Rennowe*. H. *de Lasbeke*, Otto *de Golenbeke*. Bertoldus *Longus* famuli. Hartwicus *antiquus* (***) Advocatus, Nicolaus *de Smalenſtede* & alii quam plures, clerici & laici fide digni. Actum & datum Anno domini Milleſimo trecenteſimo ſexto. XIII. Kal. Maji.

(*) Borchardus. (**) Omiſſa eſt hæc familia nobilis Holſatia ab *Angelo*, *Henningeſio*. Vide *Lambecium orig. Hamb. L. 2. p. 30.*

(***) Hartwicus *Olde*, nomen familiæ. Ut cetera plura, e. c. *Longus*, *Albus*, *ab Indagine*, von Hagen.

LXXVIII.

Fratres de Brokow vendunt N. Monaſterio duos manſos in villa Byſtecſee, cum pertinentiis & in ſpecie judicio ac ſub promiſſione evictionis.

1300. Nos *Volvoldus & Johannes* Fratres, dicti *de Brokow*, filii *Johannis de Brokowe*, omnibus præſentia viſuris, notum facimus, quod *duos manſos in Byſtecſe ſitos*, cum omni jure & utilitate, judicio majori & minori, pratis, paſcuis, lignis, agris, cultis & incultis, ac plane cum omni fructu, eccleſiæ Novimonaſterii perpetuo jure poſſidendum, pro LX. marcis denariorum, *meræ emptionis titulo vendidimus & Selandiam ac Warandiam* eidem in dictis bonis *proxima dominica* poſt feſtum omnium ſanctorum IN ECCLESIA(*) BRÜGGE, *pluribus aſtantibus & audientibus, ſecundum jus & conſuetudinem terræ fecimus.* Cæterum nos fratres dicti, filii, ac, ſucceſſores noſtri, dictæ eccleſiæ warandi coram quolibet terrarum domino erimus, quousque proprietatem poſſit aſſequi in eisdem. Item Coloni manſos iam dictos colentes *ad judicium Eccleſiæ*, ubicunque ſibi placuerit, comparebunt. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſenti ſcripto duximus apponendum. Datum & actum anno domini M. CCC. in vigilia B. Brictii confeſſoris.

(*) Sigillum habet *Barkow*, item *Barcowe*. Et exprimit *lupum*.

LXXIX.

Fratres Hallenſes de Obſervantia recipiunt in Fraternitatem Conventum Auguſtin. in Borsholm.

1302. In Chriſto Jheſu ſibi dilectis, religioſisque viris, domino priori cæterisque patribus ac fratribus ordinis ſancti Auguſtini, Monaſterii, ſanctiſſimæ genitricis Dei, Mariæ in Borsholm, *Frater, Ludovicus Anhalt ordinis fratrum minorum de obſervantia*, CONVENTUS HALLENSIS, *Provinciæ Saxoniæ, guardianus.* Nec non reverendi patris, fratris *Martialis Boulier* vicarii generalis *Cismontani Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.* *ni ſuper omnes -- ejusdem ordinis fratres & obſervantias in provincia Daciæ* cum plenaria poteſtate *viſitator ac commiſſarius*, ſalutem in domino ac bonis perfrui ſempiternis. Licet omnium ſalvandorum optando ſalutem precibus mutuis, operibus & exemplis univerſos ad deum diligendum provocare debeamus, illis tamen longe amplius obligamur, qui dilectione præcipua ſtatui noſtro afficiuntur & eleemoſynarum largitione aut benivolentia ſingulari eundem ſtatum noſtrum proſequuntur. Quia vero ſic ſingulariter, ut fertur, dictæ familiæ noſtræ afficimini, auctoritate præfati reverendi patris & vice generalis michi in parte ſpecialiter commiſſa vos *ad confraternitatem noſtram recipio*, in vita pariter & in morte ſpecialem & ſingularem participationem omnium bonorum ſpiritualium, videlicet miſſarum, divinorum officiorum, orationum, jejuniorum, abſtinentiarum, pœnitentiarum, prædicationum cæterorumque bonorum ac operum virtuoſorum, nec non deo acceptorum, quæ per fratres dictæ familiæ, SORORES *ſanctæ Claræ* FRATRESQVE ET SORORES *de pœnitentia* ſub obedientia ſæpefacti reverendi Patris vicegeneralis Cismontani degentes operari dignabitur bonitas ſalvatoris, quantum mihi conceditur & quantum divina clementia acceptare dignabitur, prout quoque veſtra deſideria ſive opera promerentur, vobis gratioſe conferendo & peculiariter tenore præſentium elargiendo, ut multiplici ſuffragiorum adjuti præſidio & hic agmentum gratiæ & in futuro beatitudinem gloriæ valeatis adipiſci, vicemque charitati veſtræ & ſi non temporaliter ſaltem ſpiritualiter dicta familia obſervantina poſſit recompenſare lætarique in æternum poſſitis, ſuper charitate impenſa propter Deum fratribus & ſororibus prædictæ familiæ. In hujus autem conceſſionis fraternalis participationis teſtimonium, ſigillum guardinatus mei officii evidenter duxi præſentibus appendendum, ſignumque manuale ſubſcribendum. Datum *in conventu noſtro Hallenſi*, Anno domini 1302. prid. Kalend. Octobris. *Fr. Ludwicus Anhalt.*

Commiſſarius Indignus, manu propria.

LXXX.

Hartvicus Wulff legat Eccleſiæ N. M. annuatim 3. marcas pro memoria anniverſali.

Omnibus præſentia viſuris, Hartvicus Miles, dictus Wulff in ſalutis auctore ſalutem. Noverint univerſi, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, quod trium marcarum redditus annuatim Eccleſiæ Novi monaſterii comparavi, de quibus duo talenta ad duas memorias anniverſales; ſingulis annis in vigiliis, miſſis, & aliis orationibus ſollempniter ac ſeparatim, prout in tempore veniunt, peragendas, cedent, quarum una Domini Conradi militis, dicti de Moyceling erit, & altera Sophiæ felicis memoriæ uxori meæ quam dilectæ. Octo ſolidos tollet cuſtodia 1308.

ſtodia, de quibus in ſingulis anniverſariis, videlicet patris, matris, fratrum, & omnium amicorum ſeu carorum meorum præceſſorum vel ſubſequentium, *luminaria quatuor & pulſationem debito modo in perpetuum* ordinabit. In cuius rei evidens teſtimonium præſens ſcriptum mei ſigilli munimine eſt ſignatum. Datum in Novo Monaſterio, anno Domini 1308. in die Johannis Baptiſtæ.

LXXXI.

Elerus Freſe, Præfectus Holſat. vendit Novomonaſterio manſum unum in villa Holebeke ſub reſervatione reluitionis.

1308. Univerſis præſentia viſuris, E. (*Elerus*) dictus Friſo, *Præfectus terræ Holſatiæ* in ſalutis auctore ſalutem. Ad noticiam præſentium & futurorum cupio devenire, quod amicorum meorem participato conſilio vendidi honorabilibus viris, canonicis Eccleſiæ Novimonaſterii, manſum unum in *villa Hollenbeke*, quem nunc colit Radolphus, pro triginta marcis denariorum uſualium, cum omni utilitate et judicio, faciens ipſis *ſecundum terræ conſuetudinem Zelandiam & Warandiam in cimiterio coram pluribus fide dignis*. Verum quum fratres mei ſervitiis dominorum præpediti, huic facto intereſſe non poterant; promitto data fide, quod quamprimum in terram Holſatiæ venerint, prædictis dominis de prædicto manſo *Zelandiam & Warandiam infra ſex ebdomadas facient*, quemadmodum ego feci, *reſervata nichilominus mihi, fratribusque meis facultate reemendi*, ſæpe dictum manſum, non ſingulariter aut diviſim ſed conjunctim & pariter cum cœteris manſis, quos in eadem villa ſæpe dictis dominis vendidimus, ſicut iſtum. In hujus rei evidentiam præſens ſcriptum feci ſigilli mei munimine conſignari. Datum anno domini M. CCC. VIII. in Octav. Beatæ Agnetis Virginis & martiris. *Cum Sigillo Naviculam exprimente.*

LXXXII.

Elerus Byſtichſe (forte Biſſenſee) vendit Novomonaſterio manſum unum in villa Holenbeke, cum omni jure et evictione.

Univerſis præſentia viſuris vel audituris. Ego Elerus Byſtichſe famulus, cupio fore natum, quod *Nobilis dominus*, dominus Adolphus, Comes Holzatiæ omnem jurisdictionem proprietatem & dominium, quos vel quod habuit, vel quod ſibi aut ſuis hæredibus competere poterat. In villa *Holenbeke*, nihil penitus juris ſibi, aut ſuis heredibus ſeu ſucceſſoribus reſervans, Idem dominus comes michi pro quibusdam debitis, quibus ipſe ſe michi obligatum recognoverat, in ſolutionem eorundem debitorum integre dimiſit & donavit perpetuis temporibus poſſidendum, prout in literis ſuis mihi donatis ſuper hoc plenius eſt expreſſum. In qua quidem villa manſus unus inter cœteros manſos eſt, qui a Radekino filio Radekini nunc colitur, quem manſum præpoſitus & conventus monaſterii novimonaſterii, alias in *Bardesholm* comparaverant cum omni jurisdictione & utilitate a quondam præfecto in terra Holſatiæ nomine *Elero Vreſe*, ſicut evi- 1308.
denter patet in eorum literis ſuper hoc confectis, & datis anno domini M. CCCVIII. ac ejusdem manſi & ejusdem jurisdictionis poſſeſſionem a tempore dictæ emptionis pacifice tenuerunt & adhuc tempore detinent jam præſenti. Verum ne prædictum Præpoſitum & ſuum conventum ac ſuos ſucceſſores in poſſeſſione dictæ jurisdictionis per me Elerum Byſtichſee vel per quemlibet alium occaſione ſupradictæ dimiſſionis & donationis per dictum dominum comitem mihi factæ eandem jurisdictionem & proprietatem atque ejusdem jurisdictionis & proprietatis dominium, prout dominus comes & ſui progenitores habuerant & quemadmodum mihi dimiſit & donavit, religioſis & honeſtis viris memorati monaſterii, præpoſito & conventui pro ſeptem denariorum Lubecenſium mihi integraliter marcis numeratis & ſolutis, quantum ad ſæpe dictum manſum duntaxat, ſi quidquam mihi juris competiſſe potuiſſet, vendidi & dimiſi & nihilominus eisdem integraliter & libere cum omni proprietate, commoditate, utilitate & dominio reſigno præſentibus ac dimitto. Promitto inſuper firma ac ſtabili fide quod velint & debeant eis eſſe amminiculo totis viribus meis *contra quoscunque, volentes eos in hujusmodi poſſeſſione impedire ſeu moleſtare.* In teſti- *Evi-*
monium omnium præmiſſorum & evidentiam *ctio.*
clariorem Sigillum meum ex certa ſcientia præſentibus eſt appenſum. (Sine die & conſule.)

LXXXIII.

Wulff Brokow miles vendit N. Monaſterio villam Biſtecſee cum molendino & alia quædam bona in villa Brügge, Ludenſtorpe & curiam Vilenkic cum cœteris pertinentiis & judicio, & quidem ſub obligatione evictionis *vel vinculo* OBSTAGII.

Omnibus præſentia viſuris, Vulff miles dic- 1310.
tus Brokowe, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Acta modernorum idcirco utiliter ſcripturæ roborantur teſtimonio, ne quod ſæpe fieri ſolet, a poſteris vel etiam modernis quibuscunque malitioſe valeant irritari. Hinc eſt, quod ſcire cupio tam præſentes, quam futuros, quod de matura amicorum meorum conſilio & conſenſu villam *Biſtecſe*, cum molendino eidem adjacente, totaliter & ſine aliqua diminutione, exceptis decem manſis domini *Marquardi de Velden*, & quadam portiuncula, quam in eodem habet molendino, & excepto altero dimidio manſo, cujus diviſionis una pars cedit domino Johanni *de Vuffſtorpe*, & altera *Thetlevo Poggewiſche*. Item omnia quæ in villa *Brügge* & in villa *Lüderſtorpe*, tam in minimo, quam in magno habui, item curiam quæ dicitur *Vilenkic*, cum omnibus ſuis attinentiis, quemadmodum jure hereditario ad me noſcitur devoluta, hæc omnia prænominata

nata ſicut in terminis certis & diſtinctis ſita ſunt, cum omni jure & utilitate, videlicet agris, cultis & incultis, areis, judiciis, lignis, paſcuis, ſtagnis, aquis, aquarum decurſibus, piſcationibus & plane cum omni fructu nunc ſolventi, vel in poſterum ex ipſis ratione emendæ (*Verbeſſerung*) provenienti, Eccleſiæ Novimonaſterii meræ emptionis tytulo vendidi, jure hereditario poſſidenda. it. recognoſco & ſub teſtimonio amicorum meorum teſtificor, quorum nomina infra ſcripta ſunt, qui omnes una mecum fide data pro eodem ſtabunt, ut eorum ſigilla præſenti ſcripto ſingillatim appoſita proteſtantur, quod in dictis bonis judicium & ipſius proprietatem, quanto prius & per quem modum hoc efficere potero, dictæ eccleſiæ a dominis terrarum debeo & ex jure teneor procurare. Et quamdiu hoc factum non fuerit, ego Vulf & heredes mei, nec non & amici mei infra ſcripti pro conſervatione dicti judicii ad utilitatem jam dictæ eccleſiæ in omnibus ſtabimus quousque poterit ſine debito terminari. Vt ſi in jam dictis bonis & eorum terminis aliqua inſtantia ſeu impetitio, aliqua vexatio vel alienatio a quibuscunque perſonis, ſiue ratione conſanguinitatis michi attinentibus, ſive alienis, per *formam juris* jam dictæ eccleſiæ facta fuerit, ad iſta expedienda, diſtinguenda & ſedanda & ab omni vexatione ſæpedictam eccleſiam in hiis redimendam, me una cum amicis meis infraſcriptis prout jus terræ dictaverit, duxi præſentibus obligandum. Quod ſi iſta jam ſæpe dictæ Eccleſiæ, vt placitata & conſcripta ſunt, non ſervabuntur, omnes nos, *qui in hac litera de nomine continentur*, *civitatem Kilenſem per* FIDEM, *quam dedimus* INTRATURI *ſumus, nec inde* EXITURI (*) *donec omnia memoratæ eccleſiæ fuerint* RESTAURATA. Nomina vero amicorum meorum michi in hac parte aſſiſtentium & prælibatam Eccleſiam in omnibus prænotatis mecum conſervantium hæc ſunt. Dnus Hartwicus *VVulff*, dnus Otto *Poggewiſche* dnus Bertoldus & dn. Thetlevus frater ſuus de *Winſine*, dn. Marquardus & dominus Johannes frater ſuus *de Slamerſtorpe*. dn. Hartwicus *Bloc*. Dominus Johannes dictus *Svin*, dominus Johannes de *Vulferſtorpe*. dominus Albernus *de Prato*, dn. Hinricus de *Wedele*. dn. Johannes de *Oldendorpe*. dn Marquardus *de VVeſtenſee*, Doſo *Bloc*, Timmo *Bloc*. Gotſcalcus *Weſtenſee*. Thetlevus *Poggewiſche*. Vulf filius domini Marquardi *Lupi*. Johannes *Godowe* & Hildelauus *Brocdhorpe*. Acta ſunt hæc in civitate *Kilen*, videlicet *in domo fratrum minorum*, anno domini M. CCC. X. in die beati Andreæ Apoſtoli. (**)

(*) *Obſtagium.*
(**) *Sigillum Brocowiorum habet lupum.*

LXXXIV.

Marquardus de Velden miles vendit N. Monaſterio X. manſos in villa Biſtickſee ſitos cum attinentiis.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentem literam inſpecturis, Marquardus miles dictus *de Velden*, Gotſcalcus, Thetleuus & Marquardus filii ſui ſalutem in omnium ſalvatore. Ad noticiam omnium tam præſentium quam futurorum tenore infra ſcripto cupimus pervenire, quod nos Eccleſiæ novimonaſterii *decem manſos in Villa Biſticſee*, inſuper partem, quam in molendino ibidem habuimus, cum omnibus ſuis attinentiis, videlicet agris cultis & incultis, judiciis, lignis, paſcuis, aquis, piſcationibus, ac plane cum omni fructu & utilitate, ſicut in terminis certis & diſtinctis ſiti ſunt, pro ſexcentis marcis denariorum, vendidimus jure perpetuo poſſidendos. Inſuper *in judicio*, QUOD *feodum eſt*, tam diu pro conſervatione ſtabimus, quousque dicta Eccleſia a dominis terrarum proprietatem ipſius poterit optinere; & hoc per ſigilla præſenti Litteræ cum inſcriptione teſtium appoſita, duximus proteſtandum. Teſtes ſunt dominus *Svin*, dominus Hartwicus *Vulff*, dominus Nicolaus *de Bundeſtorpe*, dn. Albinus *de Prato* & dn. Uulff *Brokowe*. Acta ſunt hæc Getdhorpe Anno domini M. CCC. X. in vigilia B. Ambroſii Epiſcopi. 1310.

LXXXV.

Henricus Caminenſis Epiſcopus confert Collegio in Gobelenhagen jurisdictionem in nova villa Gobelenhagen & in Eccleſiis villarum Valkenwolde, Jasnitze, Leſe et Neugobelhagen.

In nomine Domini Amen.

Hinricus Dei gratia, Caminenſis eccleſiæ Epiſcopus, omnibus in perpetuum (ſalutem.) Ne id quod geſtum eſt, in oblivionem deveniat, expedit ſuper hoc confici inſtrumentum, ut res geſtæ qualitas ad memoriam tranſeat futurorum. Igitur ſcire volumus tam poſteros quam præſentes, quod nos de conſenſu Præpoſiti, decani & capituli Caminenſis, præſertim accedente conſenſu honorabilis viri, domini *Friderici de Egſtede*, tunc Archidiaconi Stetinenſis, damus & conferimus in hiis ſcriptis religioſis viris, *dominis Præpoſito, Priori & collegio fratrum in Gobelenhagen*, jurisdictionem ſpecialem in ipſa *villa Gobelenhagen nec non in Eccleſiis Valkenwolde, Jasnitze & Leſe, nec non in novo Gobelenhagen*, in quo clauſtrum *nunc eſt ſitum*, in quibus jus obtinent patronatus, ut jura ſua tanto commodius & liberius valeant exercere, præcipientes Eccleſiarum Rectoribus, qui in ipſis Eccleſiis pro tempore fuerint, ut Præpoſito in Gobelenhaghen in hiis, quæ Archidiacono competunt de conſuetudine vel de jure, exhibeant reverentiam debitam & honorem. Et quia *ab Archidiaconatu Stetinenſi* dictæ Eccleſiæ ſunt exemptæ, in *ſignum Exemtionis & antiquæ ſubjectionis*, ut Præpoſitus de Gobelenhaghen ante octavam beati Martini quolibet anno duas marchas denariorum uſualis monetæ ſolvat Archidiacono Stetinenſi. In quo ſi Præpoſitus eſſet negligens vel remiſ- 1310.

ſus, damus & conferimus in hiis ſcriptis Archidiacono Stetinenſi vice noſtra & ſucceſſorum noſtrorum prædictas Eccleſias uſque ad perſolutionem præfate pecuniæ - ſupponendi eccleſiaſtico interdicto. In cujus teſtimonium Sigillum noſtrum & capituli præſenti ſcripto deſuper confecto duximus apponendum. Datum Camin, Anno domini Milleſimo tricenteſimo decimo pridie idus Maji.

1252. Licet in omnibus literis confœderationis & unionis Eccleſiarum noſtrarum ſit expreſſum, quod perſonæ eccleſiæ noſtræ in veſtra Eccleſia, & perſonæ Eccleſiæ veſtræ in eccleſia noſtra ſtare debeant, tamen usque nunc a partibus noſtris & a nobis eſt aliqualiter negleƈtum, nunc autem finaliter decrevimus, ob majoris familiaritatis confirmationem, quod nunquam de cœtero eccleſia noſtra perſonis Eccleſiæ veſtræ & Eccleſia veſtra perſonis Eccleſiæ noſtræ carere debeat, una ſaltem vel pluribus, quæ ſtabunt per unum annum vel per duos utrobique, ſecundum quod nobis & ſucceſſoribus noſtris utrisque videbitur eccleſiis expedire. Et habebunt *ſtallum* (*Stelle*) perſonæ mutuo ſic transmiſſæ in Eccleſia ſua, quem habebant, in omnibus erunt præbendæ participes, et habebunt vocem in capitulo tanquam unus de conventu, & præpoſitis eccleſiæ, ad quos diriguntur tanquam propriis debent obedire. Sin autem negligeremus vel obliviſceremur perſonas ſic transpoſitas infra biennium ad ſuas Eccleſias revocare, ex tunc contra voluntates ſuas non debent amplius detineri, ſed præpoſiti cuilibet ab eo recedenti in uno talento denariorum Lubicenſium ad Expenſas in via, cum literis teſtimonialibus, benivole debent providere. Decretum ordinatum & actum in Novomonaſterio, Anno dom. Milleſimo tricenteſimo quinquageſimo ſecundo, in die beati Petri ad vincula.

Quibus ſic, ut præmittitur, lectis, præfatus dominus Stephanus Præpoſitus, Bertoldum Priorem cœterosque canonicos regulares *ejusdem monaſterii in Jaſnitze* ſupradictos *requirens* diligenter petensque nichilominus ſibi ſuper hiis reſponſum fieri finale ab eisdem utrum ipſi ſupraſcripta privilegia eisdem monaſteriis & eccleſiis & eorum cuilibet propter eorum utilitates invicem hinc inde data, gratioſe in vigore ſuo, prout ſonant, tenere, habere & firmiter vellent obſervare ſive non. Hiis factis domini Prior & Canonici regulares in *Jaſnitze* ſupradicti, habita ſuper hiis deliberatione diligenti petitaque dictorum privilegiorum copia, dataque eis in momento & decreta non compulſi non coacti nec dolo aliquo circumventi, ymo ex certa ſcientia, ſponte, libere, & voluntarie unanimes deliberati prælibato domino Stephano præpoſito, intime ſupplicarunt pia prece, quatenus prætactus dominus præpoſitus propter commoditates & utilitates Monaſterii eorum ſupra dicti, ipſis dominis Priori, canonicis & conventui licentiaret, quod ipſi domini Prior & canonici regulares in Jaſnitze ſupradicti, ſedecim perſonas, videlicet duodecim presbiteros & duos dyaconos & duos ſubdyaconos ad dictum monaſterium & divinum cultum neceſſsrios colligere & habere licite poſſent & tenere. Ad hoc præfatus dominus Stephanus præpoſitus, eorum ſupplicationibus favorabiliter inclinatus, gratioſe annuens in omnibus, ut ſupra petitum eſt, ut præfati domini Prior, canonici & conventus ſupradicti ſedecim perſonas, videlicet duodecim presbiteros, duos dyaconos & duos ſubdyaconos monaſterio & divino cultui ibidem neceſſarias tenere poſſent, habere deberent, & de ſuo conſenſu & voluntate colligere ſecundum diſcretionem licite - prælatorum. Super quibus omnibus & ſingulis præmiſſis prædictus dominus Præpoſitus unum vel plura publicum vel publica per me notarium infra ſcriptum ſibi petiit fieri inſtrumenta. Acta ſunt hæc, Anno, indictione, menſe, die, hora, loco & pontificatu, quibus ſupra, præſentibus honorabilibus & religioſis viris dominis Alberto canonico regulari Monaſterii in Zegheberghe Lubicenſis dioceſis, *Johanne Luman*, Canonico Regulari *Monaſterii in Bardesholm ejusdem ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis*, nec non Henningo Mynneuitz, Rectore parochialis Eccleſiæ *in Nyendorp* & Johanne Fabro, Rectore ſcholarum *in Poltze* dictæ Caminenſis dioceſis & Johanne *Blekendorff* & Hennekyno *Schipborſt* laicis dictæ Bremenſis dioceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Marquardus Johannis, *Clericus Sleſwicenſis*, publicus auctoritate imperiali Notarius, hujusmodi privilegiorum copiæ productioni, lectioni, inquiſitioni & eorum reſponſioni ac petitionis ſupraſcriptæ annuicioni, aliisque omnibus & ſingulis præmiſſis una cum prænotatis teſtibus præſens perſonaliter interfui, eaque ſicut præmittitur fieri vidi & audivi, in has præſentes *tres pecias* (*Stücke*) modum & formam inſtrumenti publici continentes, cum *blauio filo*(*) conſutas & in ſuis junƈturis ſigno meo ſolito & conſveto ſignatas, penitus de mandato domini præpoſiti ſupradicti, redegi rogatus & requiſitus in teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum me ſubſcribente.

Poſt cujus quidem inſtrumenti lectionem Præfati domini Johannes Eghardi, Præpoſitus & Hinricus *Swartekop* prior, Symonem *Elver* præpoſitum, Jacobum *Loytzentin* priorem, cœterosque canonicos regulares eiusdem monaſterii in Jaſenitze ſupradictos requirentes diligenter, petentesque ſibi fieri ſuper præmiſſa formale reſponſum ab eisdem utrum contentis in dicto inſtrumento ſive tranſumpto copiarum privilegiorum, eisdem monaſteriis & eccleſiis gratioſe hinc inde datorum, in vigore ſuo prout ſonant, tenere, habere & firmiter vellent obſervare, ſive non, dicti domini præpoſitus, Prior & Canonici regulares in Jasnitze ſupradicti, habita ſuper hiis deliberatione & ſupra ſcripti inſtrumenti diligenti auſcul-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

auſcultatione, non coacti non compulſi nec aliquo dolo circumventi, imo ex certa ſcientia ſponte libere & voluntarie unanimes deliberati prælibatis dominis Johanni Eghardi præpoſito & Hinrico Swartekop priori reſponderunt, ſe omnia & ſingula privilegia in ſupraſcripto tranſumpto conſcripta & publicata in ſuo robore, prout ſonant, velle firmiter permanere, irrefragabiliter tenere & inviolabiliter obſervare, eisque nichilominus in omnibus & per omnia parere, obtemperare & irrevocabiliter obedire. Idcirco auctoritate qua fungebantur ſæpedicti domini Johannes Præpoſitus & Hinricus prior ratione dictorum privilegiorum ac officiorum primo ipſos venerabiles & religioſos viros, dominos Præpoſitum & Priorem ſeorſim ad partem & canonicos ejusdem capituli ſimiliter ſup - - & examinatos, prænominati domini præpoſitus & prior dictis canonicis & confratribus ſuis regratiarunt de debita obedientia ac e converſo dicti canonici prædictis ſuis prælatis, dominis Præpoſito & Priori regraciantes, quod circa eos ſe rexerint honorifice & legaliter, viſitationis officium excercendo, prout de jure tenebantur, cum aliis actibus viſitationem ipſam concernentibus debito modo peregerunt. Super quibus omnibus & ſingulis dicti domini *Johannes, Præpoſitus & Hinricus prior in Novomonaſterio alias in Bardesholm; ac Symon præpoſitus & Jacobus prior totumque capitulum canonicorum regularium Monaſterii montis ſanctæ Mariæ Virginis in Jaſnitze* cum tranſumpto eiusdem inſtrumenti, lecti & auſcultati unum vel plura publicum ſeu publica *ſibi petierunt fieri inſtrumenta.* Acta ſunt hæc Anno, indictione, menſe, die hora, loco & pontificatu, quibus ſupra, præſentibus honorabilibus & circumſpectis viris, dominis *Mathia Hanen* Canonico monaſterii in *Bardesholm*, & Johanne *Bulder, beneficiato in Kil*, presbiteris Bremenſis dioceſis ac Johanne *Chriſtiani* & Everhardo dicto *Horn*, laicis, civibus in Stetin Caminenſis dioceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Johannes *de Wenge*, clericus Mindenſis dioceſis, publicus imperiali auctoritate Notarius hujusmodi inſtrumenti ſeu transſumpti copiarum privilegiorum productioni, lectioni, inquiſitioni, examinationi & reſponſioni, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens perſonaliter interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi & has tres pecias, modum & formam inſtrumenti publici continentes cum blavio filo conſutas, in ſuis puncturis & inferius ſigno meo ſolito & conſveto ſignatas de mandato dictorum dominorum præpoſitorum transſumpſi, nil addens, nil minuens, quod ſeoſum immutet, & in hanc publicam formam redegi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum me ſubſcribendo.

(*) Blavius filus, *Blauterfaden*, & ſupra *ſtallum*, *griſeus habitus, peciæ* & plura alia pertinent ad vetuſtum promtuarium Latinitatis monachalis.

LXXXVI.

Fratres dicti Solder, reconciliantur cum Conventu Novomonaſterienſi de confractione cujusdam crucis caſualiter in eccleſia ibidem contingente.

Univerſis præſentia viſuris, Johannes, Eberhardus, & Marquardus fratres, dicti *Solder*, Salutem in domino ſempiternam. Ad hoc acta, digna memoria conſcribuntur, ne in tempore contingentia ſimul cum tempore ab hominum evaneſcant memoria, ſed potius eorum cognitio ſeu ſcientia ſcripturarum teſtimonio poſteris innoteſcat. Noſcant igitur tam poſteri, quam præſentes, quod nos amicorum noſtrorum uſi conſilio, *cum honorabilibus viris domino præpoſito, priore totoque capitulo*, SEU ECCLESIA in novomonaſterio amicabilem compoſitionem inierimus ſuper diſſeſſione ſeu controverſia inter præfatam eccleſiam ex parte una, & nos ex parte altera ortam ſeu motam ex læſione ſeu crucis confractione fratris noſtri Hinrici, quæ eidem caſualiter contigit in Eccleſia ſæpedicta & ne eadem Eccleſia pro læſione praedicta de cœtero ullatenus infeſtetur vel aliqualiter impetatur, compoſitionem prædictam inter prædictam Eccleſiam & nos factam, conſentiente prædicto fratre noſtro Hinrico læſo, una cum amicis noſtris nominatim ſubſcriptis manuali fide data confirmavimus, appenſis ſigillis eorum & noſtris, a nullo noſtrorum fidejubentium ſeu quorumlibet aliorum noſtri cauſa quicquam facere vel dimittere volentium ullatenus irritandam ſeu aliqualiter infringendam. Nomina FIDEJUBENTIUM ſunt hæc: Hartwicus *Smith* dictus, Emekinus dictus *Hako*, Ekehardus & ywanus fratres de *Viſowe*, Wulff de *Brocowe* & Johannes *VVluſtorpe* militum. Famulorum autem *Ekehardus de Viſowe*, Johannes *de Syra*, Volradus *Solder*, Luderus *Stokeler*, Ekehardus *Solder*, Johannes ſolder Marquardus ſolder & dethlevus dictus *Hako*. TESTES vero ſunt Bartoldus Longus *de Segeberghe*, Otto de *Gotenbeke*, Johannes de *Rennowe*, Lambertus de *Crenpeſe*, Johannes de *Slamſtorpe* & Raune de *Gneſsowe* milites. Famuli autem Detlevus *Pocwiſc.* Johannes de *Revetlo.* Luderus *Storm.* Ditbernus *Wluerſtorpe* & quam plures alii fide digni. Datum & actum Plone Anno domini M CCC XVII. ſabbato ante carnis privium. 1317.

LXXXVII.

Thydericus de Biſſhorſt emit a Johanne & Nic. Rungen 4. jugera in Hodmersvlete ſita, pro 30. marcis & ſenatus Itzehoënſis deſuper atteſtatur.

Diſcretorum humanæ ſagacitatis providentia circumſpecta conſtituit, ut per præſentia literarum ſigillorumque inſtrumenta, acta præterita immutabiliter conſerventur. Igitur nos Ditbernus Longus, Siricius, Bolowinus 1316.

winus, Eckehardus, Bruno, Petrus, dictus Sartor, *Consules Civitatis Ezeho* recognoscimus, ac demonstratione præsentium publice protestamur, Dominum Thydericum, dictum de *Bisborst*, emisse a Johanne dicto Runghen & Nicolao, fratre suo, unum agrum, habentem quatuor jugera, situm in *Hodmowlete* apud Ottonem de *Wteringhe*, usque ad *Storam*, pro triginta marcis denariorum Lubicensium, meræ emptionis titulo libere & quiete perpetuis temporibus possidendum. Quem quidem agrum prædictus Johannes Runghe, quamdiu ipse vixerit, pro tribus marcis denariorum, singulis annis in cathedra Sancti Petri, dilatione qualibet postposita, prædicto Domino Thyderico persoluendis, obtinebit. Pro qua *hura* (*heuer*) tres - sitos apud aggerem sibi posuit, quos medio tempore vendere non poterit, sed si eandem huram prædicto tempore non exposuerit, dictos tres - perdet, & Dominus Thydericus agrum ex tunc cuicunque voluerit, assignabit. Præsentibus Joh. Sculteto, Nicolao ruffo, albo Nicolao, Helrico, Nicolao Mortbrano de *Hodmewlete*, de *Wilstermundhe*, Johanne, filio Thydemanni, Etherico, Hinrico, filio albi Nicolai, Borchardo, Cive in Wilstria, & aliis quam pluribus fide dignis. In hujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum & actum anno Domini millesimo, tricentesimo sexto decimo, Sabbato ante Festum Purificationis Virginis Benedictæ &c.

LXXXVIII.

Johannes Comes Holsat. concedit N. Monasterio proprietatem judicii villæ majoris Bistekensee.

1316. Universis præsentia visuris, Johannes Dei gratia, Comes Holtzat. salutem in omnium Salvatore. Ne ea quæ fiunt in tempore, simul evanescant cum tempore expedit, ut quæ aguntur, scripti testimonio perhennentur. Hinc est, quod ad noticiam universorum, tam præsentium quam futurorum volumus pervenire, quod nos ob honorem Dei & gloriosæ Virginis matris ejus Mariæ, necnon in remedium animarum karissimorum filiorum nostrorum Christophori & Adolphi, ac nostræ, *proprietatem judicii majoris & minoris totius villæ majoris Bistekesse*, prout in suis continetur terminis, ecclesiæ novi Monasterii dimisimus & liberaliter eidem donavimus quiete & pacifice perpetuis temporibus possidendam. Pro cujus recompensa sacerdotes conventus ipsius monasterii missam, in qua nostri, parentum, uxoris, fratrum, sororum & filiorum nostrorum memoriam specialiter peragent, quamdiu mundus steterit & monasterium suum subst iterit, diebus singulis celebrabunt. In horum evidentiam sigillum nostrum præsentibus est appensum. Testes sunt honorabiles Viri Magister *Segebandus* decanus. Dominus Hinricus canonicus Eccclesiæ *Lübicensis*. Otto dictus *Split* & Hellericus *de Wesenberghe* MILITES, & CONSILIARII *nostri*, & quamplures alii fide digni. Actum & datum Lübeke, Anno domini Millesimo Trecentesimo sedecimo. Nonas Augusti.

LXXXIX.

Domini de Westense decimam quarundam villarum in Parochia Norttorpe liberam dimittunt, quam olim occupaverant.

Nos Marquardus, nec non Wulff & Mar- 1320.
quardus, filii ejus, milites, dicti de Westense, demonstratione præsentium recognoscimus, quod nos concorditer & benivole decimam quarundam villarum in Parochia *Norttorpe*, scilicet *Gnutteſe*, *Norttorpe*, *Lope*, *Tymmenaspe*, *Crogaspe*, & *Scullebe*, quam aliquando occupaveramus, *Ecclesiæ Novi Monasterii* absque omni impetitione nostra vel hæredum nostrorum liberam dimisimus, perpetuo possidendam. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum Wlensborg, anno Domini M. CCC. XX. in die Oswaldi Regis & martyris. *)

*) Insignia præsentant sciurum, posteriorib. pedibus insidentem.

XC.

Marquardus & Vulff de Westensee concedunt N. Monasterio decimam quandam in aliquibus villis parochiæ Nortorp, attestante hanc donationem Gerhardo Comite Holsat. & jus feudale eidem addente.

Omnibus præsentia visuris seu audituris, 1320.
Gherhardus Dei gratia, comes Holtzatiæ & Sturmariæ salutem in domino. Discretorum humanæ sagacitatis providentia circumspecta constituit, ut per præsentia literarum & sigillorum instrumenta, acta præterita inmutabiliter conserventur. Ad noticiam igitur universorum cupimus pervenire, quod famosi milites, *Marquardus & Wulff, dicti de VVestensee*, & eorum patrueles, in nostra constituti præsentia, decimam quarundam villarum in parochia *Norttorpe*, scilicet *Gnutteſe*, *Lope*, *Borctorpe*, *Tymmenaspe*, *Crogaspe & Scullele*, quam nomine hereditariæ succesionis impetebant, ecclesiæ Novimonasterii liberam dimiserunt. Nos igitur volentes præfatæ Ecclesiæ de turbatione huiusmodi in posterum præcavere, hanc voluntariam eorum resignationem & dimissionem prædictæ decimæ in hiis literis confirmamus, & pro remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum, *jus* PHEODALE *in dicta decima*, quod ad nos, nostrosque heredes pertinere dinoscitur, eidem ecclesiæ *in jus proprium & hæreditarium* perpetuo commutamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Testes hujus sunt strenui milites, Doso dictus *Bloc*. Nicolaus de *Crummedike* & Hartvicus *de Reventlowe*. Datum Vlensborgh Anno domini M. CCC. XX. in die Oswaldi regis & martiris

XCI.

XCI.

Nicolai Poppe Dilatio pro Elia Münter a Rectoribus Ecclesiarum oppidi Kyl ab usu Sacrorum excluso vi sententiæ excommunicationis propter XVI. florenos debitos latæ.

1321. *Nicolaus Poppe*, officialis curiæ Bremensis generalis, universis & singulis divinorum Rectoribus, vel vicerectoribus per *dictam Bremensem diocesin* & præsertim *in opido* KYL constitutis, salutem in domino. Noveritis quod *sententiam excommunicationis* in & contra *Eliam Münter* latam, ex eo quod 16. florenos, in quibus erat & est *Martino Lemegow* ratione expensarum judicialium per nos taxatos legaliter condemnatus & in termino solutionis eorundem florenorum per nos præfixo, prædicto domino Martino solvere non curavit, de consensu dicti domini Martini & prædicto Elia id petente, abhinc usque ad festum penthecostes. Quare mandamus Vobis, ut prædictum Eliam interim *ad divina admittatis*, & *a denunciatione ipsius*, usque ad idem tempus desistatis. Quo vero termino elapso, eundem Eliam ut prius, si de satisfactione ipsius vobis non constiterit per mandata nostra *pristinæ excommunicationis sententiæ* volumus subjacere ipsum tunc ut prius in divinis arctius evitetis & evitare faciatis, nec non populo excommunicatum ad evitandum publice nuncietis, non cessantes ab hiis, donec aliud a nobis habueritis in mandatis. Datum anno domini M. trec. XXI. ipso die B. Gregorii confessoris nostro sub sigillo.

XCII.

Volquinus Monachus Novomonast. incarceratus, quorundam nobilium permissione, sub certis tamen reversalibus relaxatur.

1321. Omnibus præsentia visuris, Bertoldus, Detlevus *milites* & Hartwicus *famulus* fratres *de VVensyn.* Marq. miles *de VVestensee* & Johannes Miles *de Slamerstorpe*, salutem in domino. Recognoscimus & tenore præsentium protestamur, quod dum honorabiles viri, dominus præpositus, prior, totusque conventus in Novomonasterio, *Volquinum eorum confratrem* aliquo tempore incarceratum pro suis excessibus manifestis ad petitionem nostram de carcere eriperent, nos promisimus data fide, quod idem Volquinus seruare debeat infrascripta. Primo inclusus debet esse per annum unum consvetudine in hoc seu *disciplina ecclesiæ* observata. Item nec præpositum, nec aliquem de conventu, nec fratres, nec servos in hac parte suspectos odio, verbo vel facto ipse quoad vixerit, molestabit Item nullum *genus armorum* præsumet habere, nec in sui custodia detinere. Si autem haec non servaverit, videlicet pœnitentiam debito modo non agendo, aut aliquem vel aliquos verbo, facto, nutibus vel signis odii verisimilibus offendendo, aut arma quomodolibet ferendo vel habendo, per nos statim, ut requisiti fuerimus, mediante dominorum suorum consilio, in eundem a quo ereptus est, retrudetur carcerem perpetuo permansurus. Item si *apostataverit* vel claustrum illicite exierit, ipsum tanquam inimicum prosequemur, sub nostris expensis & laboribus, donec in pristinum carcerem reponatur: Et deinceps pro sui liberatione per nos vel per alios nullas precum instantias faciemus. In evidentiam igitur & testimonium prædictorum sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum anno Domini MCCCXXI. in die exaltationis sanctæ crucis.

XCIII.

Gerhardus Com. Holsat. donat. Novomonasterio judicium majus & minus villarum Bistiesee, Lüderstorpe & sex areas in Brügge, cum pertinentiis & omni exemptione.

Omnibus præsentia visuris, Gerhardus dei 1322.
Gratia, Comes Holsatiæ & Stormariæ, salutem in Domino Jhesu Christo. Ad hoc acta modernorum scripturæ testimoniis confirmantur, ne lapsu temporis ab hominum memoriis evanescant. Noverint igitur tam posteri, quam præsentes, quod nos pro remedio animarum progenitorum nostrorum & nostræ, ad emendationem & incrementum ecclesiæ Novimonasterii, quæ nobis & nostris assidue exposita est & parata, de bona voluntate nostra integritatem proprietatis iudicii majoris & minoris villarum *Bystickse & Lüderstorpe & sex arearum in Brügge*, in campis, silvis, pascuis, agris cultis & incultis, pratis, paludibus, stagnis, aquis, aquarumque decursibus, viis & inviis, piscaturis, molendinis & præcise cum omni utilitate & proventibus, qui in dictarum villarum terminis complectuntur. Damus liberaliter & resignamus præsentibus prænominatæ Ecclesiæ eo simpliciter jure, quo ad nos vel heredes nostros pertinere dinoscitur vel devenire posset, jure perpetuo possidendam: nichilominus etiam servitia, exactiones & petitiones in dictis villis seu earum terminis exempta esse volumus, quibus communis terra terrarum dominis obligatur. Præterea si quis præfatam Ecclesiam vel personas ejus in bonis prædictarum villarum inquietare, divestire vel molestare temerarie præsumpserit, vel voluerit, nos vel hæredes nostri si requisiti fuerimus, ipsas de *imbrigationibus* expedire & ab injuriis non solum illis, verum etiam quibuslibet aliis habebimus defensare. Ut autem hæc nostra devota donatio rata, inviolabilis & sempiterna permaneat, & a nullo successorum vel heredum nostrorum in evolutione alicujus temporis infringatur, in evidentiam & testimonium omnium prædictorum appensione, sigilli nostri fecimus præsentia communiri. Datum & actum Anno Domini MCCC. vicesimo secundo, in die parasceven.

XCIV.

Gerardus Com. Holsat. Ecclesiæ N. Monasterii desolatæ & oppressæ in relevationem tantæ

inopiæ donat Jus patronatus Eccleſiæ in Kil una cum ſcholis & earum pertinentiis menſæ præ dicti conventus incorporandis & annectendis.

1322. Omnibus præſentia viſuris, Gerardus dei gratia, Comes Holtzaciæ & Sturmariæ, ſalutem in perpetuum. Notum eſſe cupimus tam præſentibus, quam futuris, quod Eccleſiæ novimonaſterii Canonicorum regularium Bremenſis Dioceſis diverſorum malignantium frequentibus inſultibus oppreſſæ, rapinis & incendiis deſolatæ ac injuriis plurimis laceſſitæ, & ob hoc menſæ conventus ipſius eccleſiæ debitorum oneribus aggravatæ, & alias in temporalibus [juribus / nimis] læſæ, piæ compaſſionis condolentes affectu reſtitutionemq; & reformationem prædictæ Eccleſiæ intime cupientes, Jus patronatus *Eccleſiæ parochialis in Kil & ſcolas ibidem*, & quicquid juris nobis, vel heredibus noſtris in ipſis competebat, vel competere potuiſſet vel poterit, de jure vel conſuetudine, cum manſis, decimis, curiis, areis, fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, commodis, utilitatibus & omnibus juribus, libertatibus & pertinenciis ſuis, adjacentibus & annexis prædictæ Eccleſiæ & Conventui liberaliter & *pure propter deum* donavimus & donamus perpetuis temporibus poſſidendum, cupientes, ut prædicta eccleſia videlicet & ſcola *menſæ ejusdem conventus* per ipſum, cujus intereſt, perpetuo annectatur, incorporetur & uniatur, & de fructibus, redditibus & proventibus, juribus & obventionibus prædictis, inopia prædictæ menſæ aliqualiter relevetur, & perſonæ ſæpedicti conventus domino commodius famulentur. Ut autem hæc noſtra devota donatio rata maneat & inconvulſa, nec a quoquam ſucceſſorum vel heredum noſtrorum infringatur, ſigilli noſtri munimine fecimus præſentia communiri. Teſtes huius donationis hii ſunt. Marquardus de *VVeſtenſee*. Doſo dictus *Bloc*. Nic. de *Crummendick*, Detlevus de *VVenſine* Hartvicus de *Revitlowe* & Johannes de *Slamſtorpe* milites, nec non & Johannes ſacerdos, noſter Capellanus. Datum anno domini MCCC XXII. infra octovam nativitatis beatæ Virginis.

XCV.

Johannes Comes Holſat. oppignorat Detlevo Poggewiſch creditori ſuo Villam Dudendorp pro 650. Marcis, ſalvo jure reluitionis.

1322. Univerſis præſentia viſuris, ſeu audituris, Nos *Heyno Scarpenbergh, Johannes de Brocdorpe milites, advocati* Nobili viri *domini Johannis, Comitis Holſatiæ & Stormariæ*, notum facimus & præſentibus publice proteſtamur, quod in præſentia noſtra & ſpecialiter rogati in teſtimonium dictus dominus noſter Comes Johannes obligavit militi ſtrenuo & famoſo, domino *Thetlevo dicto Poggewiſch ſuo* PHASALLO, & ſuis veris heredibus, villam ſuam dictam *Dudendorpe* pro ſexentis & quinquaginta marcis denariorum Lubicenſium, dicto domino comiti ex toto & integraliter perſolutis. Poteſt tamen præfatus dominus comes ipſam villam *redimere & reemere*, pro memorata ſumma pecuniæ, in feſto ſancti Martini deinceps ad annum. Quod ſi non fecerit ex tunc ipſa villa *militis præfati* & ſuorum verorum heredum manebit perpetuis temporibus *tytulo* PHEODALI. Præmiſſa omnia, prout narrantur teſtimonio præſentium confirmamus. Datum & actum Plöne Anno domini M CCC XXII. proxima dominica poſt Dionyſii. In præmiſſorum omnium evidens teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa.

XCVI.

Johannes Holſatiæ Comes confert plenam proprietatem N. monaſterio ſuper viginti marcarum reditus, olim ab Hartw. Vulff ad uſus perpetuæ Vicariæ in Kyl donatos.

In nomine Domini Amen. Univerſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpecturis ſeu audituris, *Johannes Dei Gratia Comes Holzatiæ, Stormariæ & de Scowenborgh* in domino ſalutem & rei geſtæ agnoſcere veritatem. Juſtis petentium deſideriis præbere decet facilem nos conſenſum. Igitur præſentium teſtimonio recognoſcimus, conſtare volentes omnibus & ſingulis, tam præſentibus quam futuris, quod nos ob incrementum divini cultus & ad petitionem *honeſti famuli Conradi, dicti Wlf, noſtri* VASALLI dilecta accedente voluntate & beneplacito noſtrorum verorum heredum dimiſimus ac liberaliter contulimus plenam proprietatem, quæ vulgariter dicitur Eghendam, ſuper viginti marcarum redditus, quos miles honeſtus & ſtrenuus, dominus Hartwicus dictus Vulf, felicis recordationis de conſenſu & voluntate ſuorum filiorum & heredum, videlicet Conradi, Hartwici & Marquardi ad uſus *perpetuæ vicariæ in Kyl*, temporibus perpetuis duraturæ ſalubriter aſſignavit. ut igitur hæc prædicta noſtra donatio robur perpetuæ firmitatis obtineat, preſentem paginam ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Datum & actum in Caſtro noſtro Kyl, anno domini MCCCXXII. in die Beati Thomæ apoſtoli, præſentibus dominis Johanne de *Brockdorpen*. Thetlevo *Poggheweiſch*, Lupo de *Knope*, militibus, Dithberno dicto *Volverſtorpe* famulo, teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis. 1322.

XCVII.

Johannes Comes Holſat. dat & reſignat judicium majus & minus in villa Biſticſe N. Monaſterio, cum exemptione ab omnibus ſervitiis & ſub præſtatione evictionis.

Univerſis præſentia viſuris, Johannes dei gratia, comes Holſatiæ & Stormariæ, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Quoniam propter labilem humanæ conditionis memoriam ſumme neceſſarium fore dinoſcitur, acta præſentis temporis literali teſtimonio 1322.

nio confirmari: Hinc eſt, quod ad noticiam omnium, tam futurorum, quam præſentium cupimus pervenire, quod nos de ſalute noſtra ſolliciti, animarumque progenitorum noſtrorum mederi languoribus cupientes, de bona voluntate noſtra ad emendationem et incrementum eccleſiæ N. Monaſterii nobis in beneplacitis ſemper expoſitæ ſeu paratæ, *integritatem proprietatis judicii majoris & minoris villæ Byſſikſe* in campis, ſilvis, pratis, paſcuis, paludibus, ſtagnis, agris, cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus, viis & inviis, piſcaturis, molendinis, & præciſe cum omni utilitate & proventibus, qui in dictæ villæ terminis complectuntur, damus liberaliter & reſignamus præſentibus prænominatæ eccleſiæ, eo ſimpliciter jure, quo ad nos vel heredes noſtros pertinere dinoſcitur vel devenire poſſit, jure perpetuo poſſidendam, nihilominus *etiam* SERVITIA & EXACTIONES (*) ſeu PETITIONES *in dicta villa & terminis ejus*, exempta eſſe volumus, quibus communis terra terrarum dominis obligatur. Præterea ſi quis præfatam Eccleſiam, vel perſonas ejus in bonis prædictæ villæ inquietare, diveſtire, vel moleſtare injurioſe præſumpſerit, noſtrum vel heredum noſtrorum erit ipſas expedire & ab injuriis nonſolum illis, verum etiam quibuslibet aliis, defenſare. Ut autem hæc noſtra devota donatio rata & inconvulſa permaneat, nec a quoquam ſucceſſorum vel hæredum noſtrorum infringatur, in evidentiam & teſtimonium omnium prædictorum ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Teſtes ſunt hii. dominus Daniel Præpoſitus in *Reynebecke*, Chriſtophorus dictus *Harzowe* canonici *Hamburgenſes*, Hinricus & Stephanus dicti de *Alverſtorpe*. ywanus de *Revetlo*. Volradus de *Aſcheberge*, Johannes, de [*Ramerſtorpe* / *Ratmerſtorpe*] milites. Heynricus dictus *Scarpenberch*. Johannes *Brucdorpe*. ywanus de *Revetlo*. Marquardus *Kartzowe*. Dithbernus *Wuluerſtorpe*. Ludolfus de *Kuren* & quamplures alii fide digni. Datum Plöne Anno domini MCCCXXII. in die palmarum.

(*) *Landdienſte und Landbede.*

XCVIII.

Gerhardus Com. Holſat. donat Eccleſiæ in N. Monaſterio proprietatem Villarum Byſſe, Lüderſtorp & Brügge cum omnibus juribus judiciis & exemptionibus.

1322. In nomine Domini Amen. Univerſis præſentia viſuris Gerhardus dei gratia, Comes Holtſaciæ & Stormariæ ſalutem in domino ſempiternam. Ne res geſtæ dignæ memoria oblivioni lapſu tradantur temporis, ipſas confirmare decet Lingua teſtium ſeu perhennitas literarum. Ad noticiam igitur tam futurorum, quam præſentium cupimus pervenire, quod nos ſalutis noſtræ memores, animarumque progenitorum noſtrorum mederi languoribus cupientes, inſpectisque multipli cibus ſervitiis & curialitatibus nobis ab Eccleſia Novimonaſterii exhibitis & impenſis de bona voluntate noſtra ad emendationem & incrementum præfatæ Eccleſiæ, integritatem proprietatis judicii majoris & minoris villarum *Biſticſee & Lüderſtorpe & Brücge*, in ſylvis, pratis, paſcuis, paludibus, agris cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus viis & inviis, piſcaturis molendinis & præciſe cum omni valitate & proventibus qui in dictarum villarum terminis complectuntur, damus liberaliter prænominatæ Eccleſiæ eo jure, quo ad nos pertinere dinoſcitur vel devenire poterit jure, perpetuo poſſidendos. Nichilominus etiam ſervitia & exactiones ſeu petitiones in dictis villis exempta eſſe volumus, quibus communis terra terrarum dominis obligatur. Ut autem hæc noſtra devota donatio rata, inviolabilis & inconvulſa permaneat, nec a quoquam ſucceſſorum vel heredum noſtrorum infringatur, ſed perpetuæ firmitatis robur obtineat, præſentem paginam ſigilli noſtri appenſione duximus roborandam. Datum anno domini M CCC XXII. in vigilia paſchæ.

XCIX.

Johannes Comes Holſat. donat N. Monaſterio omne jus in villam Biſticſee cum pertinentiis.

Univerſis, præſentia viſuris, Johannes Dei 1322.
gratia, Comes Holtzatiæ & Stormariæ, ſalutem in domino ſempiternam. Ad hoc acta ſcripturæ teſtimoniis roborantur ne lapſu temporis ab hominum memoriis evaneſcant. Hinc eſt, quod notum eſſe cupimus tam præſentibus quam futuris, quod nos animarum progenitorum noſtrorum & noſtræ mederi languoribus cupientes, profectumque eccleſiæ novimonaſterii diligentes & augere deſiderantes, præpoſito & conventui prædictæ Eccleſiæ ſc. in novomonaſterio *proprietatem judicii & omne jus*, quod quoquomodo adnos pertinere dinoſcitur, *villæ minoris Biſticſe cum molendino & terminis ſuis*, lignis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus & præciſe cum omni utilitate & fructu libere & integraliter damus perpetuis temporibus pacifice poſſidendam, ſuisque uſibus, quibuscunque voluerint, adaptandum. Prætereaſi quisquam hanc donationem noſtram irritare aut prædictos præpoſitum & conventum in dictis bonis moleſtare contra juſtitiam præſumpſerit vel voluerit, ipſos habebimus expedire & ab omnibus injuriis defenſare. Teſtes hii ſunt. Dn. Daniel, Chriſtophorus Canonici Hamburgenſes, Hinricus de *Alverſtorpe*. Ywanus de *Revetlo*. Johannes de *Ramerſtorpe* milites. Joh *Broctorpe*. Ywanus de *Revetlo*, Ditbernus de *Vulverſtorpe* & quamplures alii fide digni. In evidentiam igitur & teſtimonium prædictorum ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum Plöne Anno domini MCCCXXII. in die Palmarum.

C.

Johannes Comes Holſatiæ in ſublevationem Novimonaſterii olim oppreſſi eidem donat Jus Patronatus Eccleſiæ & Scholæ in Kyl, addita ſimul intentione de conventus hujus mutatione & ad locum aptiorem translatione.

1322. Omnibus Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit Johannes Dei gratia, Comes Holſatiæ & Sturmariæ, ſalutem in perpetuum. Ad noticiam veſtram tenore præſentium perducimus, quod olim Eccleſiam Novimonaſterii Canonicorum regularium Bremenſis dioceſis, in noſtris ſitam terminis diverſorum malignantium moleſtiis oppreſſam, incendiis, rapinis & injuriis plurimis laceſſitam, *nec non menſam conventus ipſius eccleſiæ debitorum oneribus aggravatam* & aliis in temporalibus nimis læſam & propter *ineptitudinem loci & manſionis, defectum victualium ſæpius patientem*, pio compaſſionis intuentes affectu, *Jus Patronatus Eccleſiæ parochialis in Kyl & Scolas ibidem*, & quicquid juris nobis vel heredibus noſtris in ipſis competebat, vel competere potuiſſet, de jure vel conſuetudine, cum manſis decimis, curiis, areis, fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, commodis, utilitatibus & omnibus juribus, libertatibus & pertinentiis ſuis adjacentibus & annexis, eidem conventui liberaliter & pure propter Deum donavimus & donamus, perpetuis temporibus poſſidendum, cupientes, ut prædicta Eccleſia videlicet & ſcola menſæ prædicti conventus per ipſum, cujus intereſt, perpetuo annectatur, incorporetur & uniatur, & de fructibus, redditibus & proventibus juribus & obventionibus prædictis inopia prædictæ menſæ aliqualiter relevetur; & ſi deus providerit utilius, *fiat loci ipſius monaſterii* AD LOCUM APTIOREM MUTATIO, *ubi dictus conventus* DEO *commodius famuletur*, progenitorumque noſtrorum & noſtri memoria ſingulis annis, cum miſſis & vigiliis, peragantur, noſtrique ſpecialiter memoria nominatim a fratribus ſæpedicti conventus & a quolibet eorum in ſuis orationibus, ſed præcipue in miſſis omnibus, quamdiu eccleſia duraverit, habeatur. Ut autem hæc noſtra devota donatio rata maneat & inconvulſa, nec a quoquam ſucceſſorum vel heredum noſtrorum infringatur, ſigilli noſtri munimine fecimus præſentia communiri. Teſtes hii ſunt, Marquardus *de Weſtenſee*, Ludolfus & Hinricus dicti *Scarpinberg*, Johannes *Bröckdorpe*, & Nicolaus de *Revitlowe* milites. Nec non *Eckehardus Brocdorpe* & *Tymmo Meynerſtorp* famuli & quam plures alii, fide digni. Datum Anno domini M. CCC. XXII. in vigilia aſſumptionis Beatæ Virginis. (Sub unico ſigillo ſatis quidem læſo.)

Tranſumtum hujus documenti.

Nos *Borchardus Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus*, recognoſcimus tenore præſentium, publice proteſtantes, nos in die B. Dionyſii epiſcopi Nobilis viri Johannis comitis Holtſatiæ & Sturmariæ patentes literas non abolitas non cancellatas, nec aliqua ſui parte vitiatas, verum etiam prædicti comitis majoris veri, integri & illæſi ſigilli appenſione munitas, formam ſubſcriptam & ſeriem literarum per omnia continentes, vidiſſe & legiſſe. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Bremæ Anno Domini M. CCC. XXXII. pro dicto die Dionyſii epiſcopi & martyris. Sequitur præcedens inſtrumentum. Omnibus Chriſti fidelibus &c.

CI.

Aliud tranſumtum ita incipiens.

In nomine Domini Amen. Hoc eſt exemplum cujusdam *literæ patentis ſigillatæ*, ſigillo ſtrenui viri, *Domini Comitis Holtzatiæ*, ut prima facie videbatur, tranſumptum per me Notarium infra ſcriptum, ad requiſitionem diſcreti Viri, Domini Arnoldi, dicti *Swineborg*, ſub anno a Nativitate Domini milleſimo, trecenteſimo, triceſimo ſecundo, indictione quinta decima, die Veneris, tertia decima Menſis Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi Patris & Domini noſtri, Domini Johannis, divina providentia Papæ XXII. anno ſeptimo decimo, cujus tenor de verbo ad verbum talis eſt: Omnibus Chriſti fidelibus, ad quod præſens ſcriptum pervenerit &c. & reliqua, ut ſupra. Datum anno Domini M. CCC. XXII. in vigilia aſſumptionis Beatæ Virginis. Actum Avinion. ſub anno, indictione, menſe, die & Pontificatu prædictis, præſentibus diſcretis Viris, Dominis Johanne, dicto Manneshövet, Canonico Eccleſiæ Verdenſis, & Thyderico, dicto Smet, Presbytero Mindenſis Diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego *Ricquinus de Nutlon*, Clericus Monaſterienſis Diœceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, has patentes literas, ſigillo pendenti munitas, fideliter exemplavi, nil addens vel minuens, quod ſenſum mutet, vel intellectum vitiet, & ad requiſitionem dicti Domini Arnoldi in hanc publicam formam redegi, & cum Originali auſcultavi, & concordare inveni, ſignoque meo conſueto ſignavi rogatus. 1322.

CII.

Johannes Pontifex ad petitionem Conventus Novimonaſterii Archiepiſcopo Bremenſi commendat donationem juris Patronatus Eccleſiæ Kilienſis a Comitibus Gerhardo & Johanne factam.

Johannes Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Bremenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Petitio dilectorum filiorum, nobilium virorum, Gherhardi & Johannis, Comitum Holtzatiæ & Stormariæ nobis exhibita continebat, quod ipſi dudum de ſalute propria cogitantes, pro ſuarum & ſuorum parentum remedio animarum, jus patronatus quod *in parochiali eccleſia in Kyl tue dioceſis* obtinebant, & ad quam eum vacabat, tam ipſi, quam progeni- ad a. 1322.

genitores eorum propoſito Monaſterii Novimonaſterii per præpoſitum ſoliti gubernari, ordinis ſancti Auguſtini, præfatæ dioceſis, qui fuerat pro tempore ad quem inſtitutio Rectoris in eadem Eccleſia pertinebat perſonam ydoneam in Rectorem ipſius Eccleſiæ conſveverunt præſentare, in eandem, propoſitum & alios filios canonicos ipſius monaſterii tranſtulerunt in perpetuum & etiam donaverunt. Quare prædicti conuentus nobis humiliter ſupplicaverunt, ut quod per eos in hac parte factum eſt, gratum & ratum habentes, illud auctoritate apoſtolica confirmare, nec non ut parochialis Eccleſia prælibata, quæ conſvevit hactenus *per ſeculares clericos gubernari*, ipſius Eccleſiæ tenente vel decedente Rectore, qui nunc eſt, extunc in perpetuum *per regulares canonicos ipſius monaſterii* gubernetur, qualibet conſtitutione in contrarium data ſeu conſuetudine contraria non obſtante benigniter concedere dignaremur. Quia igitur de præmiſſis noticiam non habemus Nos de tua ſuper hoc inſpectione plenius in domino fiduciam obtineremus, eorundem nobilium devotis ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta comittimus & mandamus, quatenus, ſi tibi conſtiterit ita eſſe, poſtulata per eosdem nobiles auctoritate apoſtolica non poſtponas. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Avinion. VII. Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno undecimo.

CIII.

Johannes Comes Holſat. petit ab Archiepiſcopo Brem. Johanne, ut jus Patronatus Eccleſiæ Kilon. cum ſuis attinentiis Novomonaſterio conceſſum, eidem incorporare & ejusdem menſæ applicare dignetur.

ad a. 1322. ſ. Venerabili in Chriſto Patri ac domino, domino Johanni ſacro ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Johannes Dei Gratia Comes Holtzaciæ & Stormariæ ſe benivolum & paratum in omni genere complacendi. Cum propter Deum & pro noſtra noſtrorumque progenitorum animarum ſalute, Religioſis viris, præpoſito & Conventui in novomonaſterio *jus Patronatus Eccleſiæ parrochyalis in Kyl*, cum omnibus ſuis attinenciis conſtitutæ in veſtra dioceſi jure & ſimpliciter contulimus perpetuo poſſidendum. Verum cum dictum monaſterium omni ſit ſolatio in temporalibus deſtitutum, veſtram ſupplicamus humiliter paternitatem, quatenus miſeriis Anguſtiis & tribulationibus dicto monaſterio incumbentibus pie compatientes, prædictam Eccleſiam in Kyl ſæpedicto monaſteio incorporare & unire & ut conuentus ejusdem monaſterii eandem Eccleſiam menſæ ſuæ nimium exiguæ applicare valeat, dignemini concedere liberam facultatem. Quicquid in hiis facere decreveritis, nobis litteratorie petimus, ſi veſtræ placuerit paternitati remandari. Datum in caſtro noſtro Plöne in die ſanctorum martyrum Gervaſii & Prothaſii. Et quia *publico & majori ſigillo noſtro* caruimus iſta vice ſecretum noſtrum præſentibus duximus apponendum.

CIV.

Albertus, Epiſcopus Bremenſis ad inſtantiam Neomonaſterienſium Documenta Comitum Johannis & Gerardi, Pontificis Johannis XXII. & Borchardi Archiepiſcopi Bremenſis, Donationem juris Patronatus Eccleſiæ in Kyl concernentia tranſumi, auſcultari & in formam redigi curat.

Albertus Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ electus, univerſis præſentes literas viſuris ſeu audituris, ſalutem in domino ſempiternam. 1322.

Sane ad noticiam veſtram ac omnium & ſingulorum, quorum intereſt, ſeu intereſſe poterit in ſubſcriptis in futurum, quoquomodo deducimus per præſentes, quod conſtitutus in noſtra & notarii publici ac teſtium infra ſcriptorum præſentia, venerabilis & religioſus vir dominus *Chriſtianus, præpoſitus nonaſterii in nyenminſterio alias in Bardesholm, ordinis ſancti Auguſtini noſtræ bremenſis dioceſis*, infraſcriptas *literas donationis clariſſime, memorie Johanis & Gerhardi comitum Holtſatiæ* ſuper Eccleſia in Kyl & jure patronatus ejusdem, ac *privilegio Papæ Johannis XXII. ſuper confirmatione prædictæ donationis & ſuper unione, annexione & incorporatione præfatæ eccleſiæ in Kyl* cum vera bulla plumbea una cum filis ſericis & aliam cum filo-bullatas omnique vitio & ſuſpicione carentes, nec non literas unionis beatæ memoriæ *Borchardi, olim archiepiſcopi Bremenſis, noſtri prædeceſſoris, ac præpoſiti, decani & capituli Brem.* tam ex ſpeciali commiſſione prædictarum literarum apoſtolicarum, quarum auctoritate ordinaria & de expreſſo conſenſu præpoſiti, decani & capituli prædictorum, per eundem dominum Borchardum archiepiſcopum factæ, produxit, propoſuit & expoſuit, quod, cum ipſe præpoſitus & ſuus conventus ac monaſterium ſuum prædictum, hujusmodi literas & privilegia in diverſis locis negociis atque cauſis nec audeant nec poſſint tute & ſecure propter malum ſtatum & viarum pericula & diſcrimina ad hujusmodi loca deducere, ſupplicavit nobis humiliter, ut hujusmodi literis & privilegiis diligenter inſilis, bulla, ſtilo, dictamine ac ſigillis examinatis, Nos easdem literas & eadem privilegia per *Hinricum Zoltvedel, notarium publicum infra ſcriptum*, tranſumi & transſumptum ipſum cum literis originalibus auſcultari & in publicam formam redigi mandaremus, dictoque transſumpto diligenter auſcultato & cum originalibus concordato & in publicam formam redacto decretum noſtrum & auctoritatem noſtram interponeremus; Quodque eidem transſumpto ſi cum literis originalibus concordato fides omnis tam in judicio quam extra firmiter adhibenda. Tenores vero literarum prædictarum fuerunt & ſunt tales. *Omnibus Chriſti fidelibus &c. Anno 1322.*

CV.

Detlevus Ranzow miles vendit Novomonaſterio quartam partem villæ Olden Sören, cum molendino cæterisque attinentiis, ſub evictionis præſtatione.

1323. Ego *Detlevus, Struvo, Miles,* dictus de *Ranzowe,* recognoſco in hiis ſcriptis quod vendidi præpoſito & conventui in Novomonaſterio *quartam partem villæ Antiquæ Sorne & molendinum ibidem* cum omni judicio & attinentiis ſuis, pratis, paſcuis, paludibus, inſtagnationibus, ſilvis, agris, cultis & incultis & piſcaturis *in Stagno Eûderſtede,* & ſi prædicti domini in hiis bonis ab aliquo fuerint impediti, ad me ſpectabit eos ab impedimentis quibuslibet liberare. Item cautionem feci & faciam, ne quis propinquorum meorum huic venditioni aliquatenus contradicat. Item FEODUM, quod *in judicio habeo,* ad utilitatem dictorum dominorum tam diu conſervabo, ſicut propria bona mea, quam diu ipſi a me habere voluerint, & cui, quando & ubi voluerint reſignabo. Ut autem hæc a me & meis heredibus, qui prædicta ſimiliter facient ſi ad eos deventum fuerint, firmiter obſerventur, & ſicut placitatum eſt, in facienda cautione compleantur, ſigillum meum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum anno Domini M. CCC. XXIII. in craſtino B. Mariæ Virginis & matris.

CVI.

Johannes Comes Holtzatiæ, confert N. Monaſterio 20. marcas redditus in villa Lütken-Vlintbeke.

1323. In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, amen. *Johannes Dei gratia Comes Holtzatiæ & Stormariæ & de Scowenburgh.* Univerſis Chriſti fidelibus præſentem paginam inſpecturis, ſeu audituris, ſalutem in eo, qui eſt omnium bonorum retributor cum notitia rei geſtæ. Quoniam mater erroris oblivio in devium ſæpe trahit humani generis actiones, niſi cautio ſuperhabundans adhibeatur. Neceſſarium igitur proſpeximus, ut ea quæ ſortiri debent inviolabilem firmitatem, ſtilo vivaci ac literarum teſtimonio perhennentur. Hinc eſt, quod univerſis, tam præſentibus quam futuris, cupimus eſſe notum & proteſtamur publice recognoſcentes, quod nos ob incrementum divini cultus & pro animarum noſtræ & conjugis noſtræ, nec non & progenitorum noſtrorum ſalutem matura deliberatione atque piis ducti conſiliis, & ad inſtantiam *honeſti famuli Conradi dicti Volf,*(*) *noſtri vaſalli,* cujus *multimoda ſervitia,* quæ nobis prædictus Conradus in pluribus retrojectis annis exibuit & impendit, *non ſunt habenda apud nos merito ſine recompenſa,* contradidimus pie & liberaliter donavimus plenam proprietatem & libertatem, quæ in vulgari almannico *Egendom* dicitur, ſuper viginti marcarum reditus denariorum Lubycenſium, provenientes de villa, quæ dicitur *Lutteken-Vlintbeke,* in certis & deputatis manſis, in prænominata villa conſtitutis, quos quidem viginti marcarum redditus ſæpe dictus Conradus ad uſus unius perpetuæ vicariæ ſalubriter deputavit. Hos etenim redditus & colonos redditumque prædictorum ſub ea libertate & commoditate eſſe & manere volumus, qua omnia bona eccleſiarum in diſtrictu dominii noſtri ſita, utuntur plenius & fruuntur. Ut autem hæc donatio noſtra ſtabilis & inconvulſa in perpetuum permaneat, præſentem paginam ſigilli noſtri munimine duximus roborare. Datum & actum anno domini Milleſimo, Tricenteſimo, viceſimo tertio in dominica palmarum. Teſtes ſunt domini Ywanus *de Revetlo.* Heynricus *de Alverſtorpe,* Johannes *de Brockdorpe,* Heynricus *Scharpenberg* milites, in teſtimonium præmiſſorum vocati ſpecialiter & rogati.

(*) Præpoſiti Novi Monaſterii, Cloſters-Verbitter.

CVII.

Johannes Comes Holſatiæ, Conventui Novomonaſterienſi donat jus Patronatus Eccleſiæ parochialis in Kyl.

Univerſis præſentia viſuris, Johannes Dei gratia, Comes Holtſatiæ & Stormariæ, ſalutem in domino ſempiternam. Ad hoc res geſtæ dignæ memoria ſcripturarum teſtimonio confirmantur, ne lapſu temporis evaneſcant. Ad notitiam igitur tam futurorum quam præſentium cupimus pervenire, quod nos pure & ſimpliciter propter Deum, animarumque progenitorum noſtrorum & noſtræ mederi languoribus cupientes, jus Patronatus *Eccleſiæ parochialis ſancti Nycolai in Kyl,* cum omnibus ſuis fructibus & attinentiis dilectis nobis præpoſito & conventui in novomonaſterio bremenſis dioceſis donavimus & donamus præſentibus eisdem præſentationem ad dictam Eccleſiam & quicquid juris nobis vel heredibus noſtris de jure vel conſuetudine in ipſam competebat ſeu competere potuiſſet reſignantes, a prædictis præpoſito & conventu, quicunque pro tempore fuerint perpetuo poſſidendum. Ut autem apud ſæpe dictos præpoſitum & conventum progenitorum noſtrorum & noſtri jugis memoria fideliter habeatur & ne hæc noſtra devota donatio a quoquam ſucceſſorum vel heredum noſtrorum aliquatenus infringatur, in teſtimonium prædictorum ſigilli noſtri munimine fecimus præſentia communiri. Teſtes autem hujus rei ſunt, domin. Henricus de Swerin, canonicus Lübicenſis ac *præpoſitus in Poretz,* Heynricus *Scharpenberg, Johannes Brochtorp* milites. *Echardus Brochdorpe:* Marquardus *Stake,* Nicolaus *Langhelowe* famuli. Nec non diſcreti Viri domini Aluinus dominus *Grope,* Hermannus *Kleendenſt, conſules Lübecenſes* & quam plures alii fide digni. Datum in Kyl Anno domini M. CCC. XXIIII. in die B. Martini confeſſoris. 1324.

CVIII.

CVIII.

Timmo Beyenvlet renunciat juribus, quæ olim in quædam jugera in parochia Wilſtriæ ſita cum patre ſuo injuſte prætenderat, cedens eadem Eccleſiæ Novi Monaſt.

1326. Nos *Gherhardus, Dei gratia, Comes Holtzatiæ, ac Adminiſtrator Regni Daciæ*, recognoſcimus, & tenore præſentium proteſtamur, quod conſtitutus in noſtra præſentia *Timmo, filius Hinrici, Beyenvlete* dicti, recognovit, ſe eſſe expeditum & informatum ab amicis ſuis & Senioribus *Parochiæ Wilſtriæ*, quod jugera ſua in eadem Parochia, quæ dicuntur *Gheren*, quæ Pater ſuus & ipſe Timmo impetierant, & injuſte occupaverant, ſpectant *ad Eccleſiam Novi Monaſterii* pleno jure. Unde idem Timmo omne jus, ſi quod habuit in prædictis jugeribus, reſignavit, repromittens, nec a ſe, nec ab aliquo hæredum, vel amicorum ſuorum prædictam Eccleſiam in prædictis bonis aliquatenus perturbandam. Teſtes hi ſunt Nicolaus & Johannes, fratres, dicti *de Crummendike*. Johannes *de Rennowe*, Man. dictus *de Porsvelde* milites, Deth. *Raſtorpe*, Mar. *Schinkel*, Eggehardus, *Borchardus*, Timmo, fratres, *de Otelhude*, Johannes *Spechlas*, noſter Notarius, ac alii Laici & Clerici quam plures fide digni. In evidentiam & teſtimonium prædictorum ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum Reyndisborch, anno Domini M. CCC. XXVI. in die Pentecoſtes.

CIX.

Heinricus & Tymmo de Beyenvlete jugera quædam in Wilſtria ſita & hactenus in controverſiam adducta voluntarie cedunt Novomonaſterio.

1326. Univerſis præſentia viſuris, *Heynricus & Tymmo* filius ejus *de Beyenvlete*, ſalutem in domino. Diſcordantibus nobis cum honorabilibus viris, domino præpoſito & conventu in Novomonaſterio, per impetitionem quorundam jugerum, ſitorum *in parochia Wilſtriæ*, dictorum *Ghere*, a ſenioribus prædictæ parochiæ & amicis noſtris ſumus informati, quod per impetitionem prædictam prædictis dominis injuriam faceremus, unde ab omni petitione prædictorum bonorum ceſſamus & ſi aliquod jus in prædictis habemus, habuimus vel habere poterimus, voluntarie & libere præſentibus reſignamus & volentes nichilominus, nec per nos, nec heredes vel amicos noſtros prædictos dominos in prædictis bonis amplius aliquatenus perturbare. In evidentiam igitur & teſtimonium prædictorum ſigillum mei Tymmonis, quod pater meus ſigillo proprio caruit, præſentibus eſt appenſum. Huius rei teſtes ſunt, dominos *Doſo Bloch*, dominus Hartvicus *de Revetlowe* milites & dominus *Johannes Spechals*, ſacerdos & alii quam plures fide digni. Datum Wilſtria Anno domini M. CCC. XXVI. in dominica die, qua cantatur quaſimodo geniti. (*)

(*) Sigillum eſt Leo erectus.

Alia renunciatio Henrici & Tymmonis de Beyenflete.

Nos Hinricus, nec non & Tymmo, filius ejus, dicti de Beygenvlete compotes mentis & virium noſtrarum, renunciamus omni juri, ſi quod habuimus, vel in futuro aliquod conſequi poterimus in quibusdam jugeribus, in Parochia Wilſtriæ ſitis, Gheren vulgariter dictis, ſuper quibus Eccleſiam in Novo Monaſterio aliquando irrationabiliter impetivimus & injuſte, adjicientes ac promittentes, eandem Eccleſiam non debere aliqua impetitione juris vel facti per nos vel quoscunque parentelæ noſtræ ſucceſſores in prædictis bonis ullatenus perturbari. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum anno Domini milleſimo, tricenteſimo, vigeſimo ſexto, in die Vitalis Martyris. 1326.

CX.

Gerhardus dux Jutiæ & Comes Holſat. dat N. Monaſterio jus Patronatus Eccleſiæ parochialis in Kil in allevationem menſæ conventus & incrementum translationis cœnobii.

Univerſis Chriſti fidelibus, *Gerhardus Dei gratia, Dux Jutiæ, Comes Holſatiæ & Stormariæ & TVTOR illuſtris Principis Boldemari, Regis Daniæ*, ſalutem in domino Jheſu Chriſto. Cum omnibus debitores ſimus, ſpecialiter tamen eos quos Chriſto devote famulari noverimus manutenere, & in ſalubri curamus propoſito promovere. Verum ne lapſu temporis evaneſcat, quod rationabiliter eſt geſtum, docuit ſagacitas veterum, perrennare teſtimonio literarum. Noverint igitur tam poſteri quam præſentes, quod nos una cum patruo noſtro comite *Johanne Eccleſiæ Novomonaſterii*, canonicorum regularium ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis Dyoceſis, in qua dei cultum præcipuum videmus & ſcimus, diverſorum malignantium frequentibus inſultibus oppreſſæ, rapinis & incendiis continuis deſolatæ ac injuriis plurimis laceſſitæ, & ob hoc menſæ conventus ipſius Eccleſiæ debitorum honeribus aggravatæ, & alias in temporalibus nimis læſæ, ita *quod locum habitandi priorem mutaverit, & alium magis a tumultu ſecularium alienum & quieti clauſtralium aptiorem quæſierit*, piæ compaſſionis affectu condolentes, reſtaurumque ad reformationem prædictæ Eccleſiæ intime cupientes, jus patronatus Eccleſiæ parochialis in Kil cum omnibus attinentiis ſuis præſentationem ad eandem & quicquid juris nobis vel hæredibus noſtris in ipſam competebat, vel competere potuiſſet vel poterit, de jure vel conſvetudine, præpoſito & conventui Eccleſiæ ſæpe dictæ liberaliter & pure propter deum donavimus & donamus, perpetuis temporibus poſſidendum 1326.

dum, cupientes ut prædicta Eccleſia in Kil aliquando menſæ ejusdem conventus per ipſum, cujus intereſt, perpetuo annectatur, incorporetur & uniatur, ut de proventibus ejusmodi inopia prædictæ menſæ aliqualiter relevetur, *translationisque propoſitum incrementa recipiat*, & perſonæ ſæpedicti conventus Deo commodius & quietius famulentur. Ut autem hæc noſtra devota donatio rata perpetuo maneat & inconvulſa, nec a quoquam ſucceſſorum vel heredum noſtrorum infringatur, ſigilli noſtri munimine fecimus præſentia communiri. Teſtes hujus donationis ſunt *Doſo Bloch*. Ditlevus *de VVinſine*, Nicolaus *de Crummedich*. Hartwicus *de Revetlowe* & *Johannes de Slamerſtorpe* milites, Chriſtoforus Canonicus Hamburgenſis, Johannes Sacerdos, *plebanus in Nova civitate* & quamplures alii fide digni. Datum anno domini M. CCC. XXVI. in aſſumptione beatæ Mariæ Virginis.

CXI.

Hermannus de Neſtwede Canonicus Novimonaſterii cum eodem conventu de 80. marcis Lübec. tranſegit.

1327. Ego *Hermannus de Neſtwede*, recognoſco præſentibus & proteſtor. quod a venerabilibus dominis, præpoſito & conventu novi monaſterii ſegregatus ſum favorabiliter & amice, ita videlicet, quod octoginta marchas Lübicenſium denariorum, quas pater meus bonæ memoriæ in ſubſidium, cum me ſuſciperent, conventui prædicto miniſtrabat, mihi ſolvant in hunc modum, ſcilicet, ut ultra ſex marcas, quas actu ſuſcepi, XXIIII. marchas in feſto pentecoſtes ſolvant nunc venturo. Reſiduas vero quinquaginta marchas arbitrio prædictorum committo dominorum, ut quando poſſint aut voluerint, mihi ſolvant, hoc adjecto, quod quamdiu non ſolverint me vivente, pro quibuslibet X. marcis unam marcham dabunt annuatim. Sin autem prius, quam ſoluta fuerit pecunia ſupra dicta me mori contigerit, tunc eadem pecunia ſine ulla poſtulatione cujuslibet viventis in ſupra dicto conventu permanebit. In cujus rei evidentiam ſigilla perſonarum & dominorum ſubſequentium ſunt annexa, videlicet Magiſtri *Gotſcalci* perſonæ Eccleſiæ beatæ Virginis *in Flensborgh*, Hermanni ſupra dicti & tutoris domus ſancti ſpiritus in Flensborgh, ſcilicet Reyneri ſartoris, Agonis Fabri, Popponis Strangdingh & Bertoldi de Strandig. Datum Anno domini M. CCC. XXVII. In die beati Johannis ante portam latinam.

CXII.

Fratres dicti de Soren & Smalſtede vendunt Novo Monaſterio tres partes in Olden Sören cum piſcatione in ſtagno Eyderſtede & cæteris pertinentiis, ſalva tamen Feodo.

1327. Nos *Sifridus, Ditlewus, Wulff & Gotſchalcus fratres* dicti *de Soren vel Smaleſtede*, Recognoſcimus & tenore præſentium proteſtamur, quod nos de consilio & conſenſu propinquorum noſtrorum vendidimus honorabilibus viris dominis Præpoſito & conventui in novomonaſterio hæreditatem noſtram Tres videlicet partes, *in villa antiquæ Soren* & in molendino ibidem cum omni judicio, pratis, paſcuis, ſilvis, palludibus, agris cultis & incultis, aquis aquarumque decurſibus, ſeu inſtagnationibus & præſciſe cum omni utilitate & fructu, ſicut nos habuimus & in jure hæreditario dinoſcimur poſſediſſe & *cautionem*, quæ vulgariter dicitur SELE, fecimus *coram plebe*. FEODVM autem quod *in judicio* habemus nos & hæredes noſtri prædictis dominis conſervabimus ſicut propria bona noſtra, & ulli reſignabimus, niſi prædicti domini juſſerint & eorum fuerit voluntatis. Verum ſi quandoque ubi & cui voluerint, *prædictum feodum reſignabimus*, contradictione qualibet non obſtante. Inſuper piſcationem, quam *in ſtagno Eyderſtede* habuimus, eisdem dominis dimiſimus & *feodum reſignavimus in eodem*. Ut autem hæc venditio & *Feodi conſervatio* & ſtagni reſignatio rata maneat, nec a quoquam heredum vel propinquorum noſtrorum aliquatenus infringatur, ſigilla noſtra & teſtium & fidejuſſorum infra ſcriptorum præſentibus ſunt appenſa. Teſtes & fidejuſſores hii ſunt. Strune miles dictus *de Ranzow*. Ditlewus *de Wittenſee*, Ludolfus *Wulff*, Otto, Fratres dicti *de Totekendorpe*. Johannes & Wolderus fratres dicti *Swyn*. Datum anno domini M. CCC. XXVII. in dominica die, qua cantatur Judica. Cum XII. Sigillis.



Sigillum Ranzovii. Reliqua XI. ſigilla aut lupum aut ſuem præſentant.

CXIII.

Teſtamentum Ottonis Poggewiſch militis.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Quum labilis eſt humana memoria, atque hominum diſſolutio nulli certa, idcirco quæ aguntur ſub tempore, ne temporis devolutione pariter dilabantur, neceſſe eſt, ut ſcripturæ ac literarum teſtimonio roborentur. Scriptum eſt enim: omne cadit meritum, quo ſuſpendit mora temporis conſerendum. Ego autem *Otto, dictus Pogowisk*, miles, licet infirmus corpore, ſanus tamen & incolumis mentis meæ, in lecto ægritudinis conſtitutus de bonis mihi a Deo collatis in refrigerium animæ meæ teſtamentum meum ordino in hunc modum. Inprimis confero *Eccleſiæ ædificandæ* in honorem *Virginis glorioſæ Mariæ apud Canonicos Regulares in* HOLM trecentas marchas Lubicenſes, videlicet ducentas marchas ad ædificium ipſius Eccleſiæ, & centum marchas ad feneſtras vitreas 1327.

vitreas ejusdem. Item Eccleſiæ *Flintbeke* V. marcas, *Sacerdoti* ibidem unam Marcam. Item Eccleſiæ *Borchava*, VC. marc. *ſacerdoti* ibidem marcham. Item Eccleſiæ in *Elvershaen* V. marc. *Sacerdoti* ibidem marcham. Item Eccleſiæ *Skonekerken* V. march. *Sacerdoti* ibidem marcham. Item *ad menſam fratrum minorum in Kylone* X. marc. Item *ad ædificium Eccleſiæ Sancti Spiritus ibidem* V. marc. Item ad dividendum *inter leproſos ibidem* V. marc. *Sacerdoti* marcam. Item Eccleſiæ in *Slabenhaen* X. meſas ſiliginis. Domino Jacobo & Domino Johanni Sacerdotibus ibidem, cuilibet marcham. Item *Eccleſiæ Reſenbech* V. marc. Sacerdoti ibidem marcham. Item ad menſam fratrum minorum *in Sleswich* X. marchas. Fratri *Timmoni* Confeſſori meo V. marchas. Item ad menſam fratrum prædicatorum ibidem V. marc. Item ad dividendum inter leproſos ibidem V. marc. Item *Sororibus Sanctæ Claræ Roskildis*, videlicet *Hadnich & Hilleche* XX. marc. Lybicenſ. Item *Sorori Elyzabeth* in *Poretze* 3. marc. Item Gotskalko 4. marc. Item Ottoni fratri ejus 2. marc. Item Synardo famulo meo 2. marc. Item Ryzæ 2. marc. Item Abelæ ancillæ meæ duas vaccas. Item volo, ut Sacerdotes tam *Seculares*, quam *Clauſtrales*, miſſas pro anima mea celebrent, prout recipiant pecuniæ quantitatem, & mei memoriam faciant in canone ſpecialem. Iſta infra ſcripta debent eſſe funeralia in exequiis meis, videlicet emantur in civitate Lybecenſi duo panni *de ſerico transmarini* pro XXX. marchis, & explicantur ſuper feretrum funeris mei hora miſſarum. Item ematur unus pannus bonus pro XII. marc. qui etiam explicetur ſuper pannos antedictos eodem tempore. Iſte vero pannus ultimo nominatus relinquatur Eccleſiæ in *Slabenhaen* pro una caſula facienda, peractis ibidem exequiarum mearum ſollempniis, & alii duo panni relinquantur *Eccleſiæ Beatæ Virginis in Holm*, pro duabus caſulis poſt meam ſepulturam. Item emantur LX. pond. ceræ, de qua fiant XII. candelæ, quælibet de V. pond. Sex ex illis accendantur tempore exequiarum mearum in Eccleſia Slabenhaen, quibus peractis una candelarum ibidem relinquatur, ſecunda mittatur Eccleſiæ Reſenbech, tertia mittatur Eccleſiæ Flimbech, quarta mittatur Eccleſiæ Borchova, quinta mittatur Eccleſiæ Elvershaen, & ſexta Eccleſiæ Skonecherke, quæ debeant accendi tempore *elevationis corporis Chriſti*, & non alias usque in conſumationem ſui. Sex aliæ candelæ remaneant in Eccleſia Beatæ Virginis in Holm, quae debeant accendi, cum *anniverſarius meus ter in anno celebrabitur*, & ſuper hoc, ubicunque miſſa in eadem Eccleſia legitur vel cantatur, ſemper una illarum candelarum poſt aliam tempore elevationis corporis Chriſti accendatur usque in omnium conſumationem. Item ematur lapis, ponendus ſuper ſepulchrum meum pro XXX. marc. quas uxor mea recipiat de Domina Unſel. Item in die ſepulturæ meæ in *Slabenhaen* & in *Clauſtro Holm* cuilibet pauperi advenienti mendicanti adminiſtrentur tres panes, tria bicaria cereviſiæ, tres denarii & fruſtum lardi. Item *equus & unius hominis armatura*, qui præcedent feretrum funeris mei in die ſepulturæ meæ, debent redimi a Domino *Præpoſito in Holm* pro quinquaginta marchis. Summa iſtius Teſtamenti ſunt quingentæ & quinquaginta marchæ Lybicenſes. Item *ad ædificium novi chori ſanctimonialium in Poreze* X. marc. Item Sacerdoti Danieli, Cappellano meo, 2. marc. Scriptum ſub ſigillo meo anno Domini 1327. in feſto annunciationis Virginis glorioſæ.

CXIV.

Johannes Comes Holzat. fratribus de Novomonaſterio remittit de 28. jugeribus ad curiam Bredenberg pertinentibus cenſum vulgariter Grevenſchat dictum.

Omnibus præſens ſcriptum cernentibus, 1327.
Iohannes Dei gratia, *Comes Holtzatiæ & Stormariæ, terrarum Lalandiæ, Falſtriæ, Ymbriæque Dominus*, ſalutem in Domino ſempiternam. Noverint univerſi, tam poſteri, quam præſentes, quod pure propter Deum & ob ſpecialem fauorem & gratiam, Fratris Andreæ Converſi, Proviſoris *Curiæ Bredenberch*, in *terra* noſtra *paludenſi* (Marſchland) ſitæ, ad ipſam longæuis temporibus habitam, honorabilibus Viris, Dominis Præpoſito, totique Capitulo Conventus Novi Monaſterii, de viginti & octo jugeribus ad prædictam Curiam jacentibus, *quatuor ſolidorum Lubicenſium redditus*, qui communiter nuncupantur *Grevenſcaht*, quitos & ſolutos dimittimus, perpetue poſſidendos. Præterea ſi præfatam Curiam *ex inundatione fluctuum* deſtrui, aut quovis alio modo depauperari, contingerit, & ſi eam cultoribus aliis pro debita *hura* locare decreverint, extunc cultores Curiæ prænotatæ libertate & gratia antedicta ſimili modo libere perfruentur. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Plonæ anno Domini 1327. in feſto purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

CXV.

Ottonis Poggbewiſchii varia legata.

Univerſis præſentia viſuris Otto dictus 1327.
Pochgewiſch, miles, ſalutem in domino Jeſu Chriſto. Ut acta ſub tempore, lapſu temporis oblivioni non tradantur, ſcripturæ teſtimoniis adjuvantur. Omnibus igitur tam futuris quam præſentibus innoteſcat, quod ego ſanus corpore dei gratia, compos mentis & omnium virium mearum, *cum conſenſu* & beneplacito *nec non conſilio dilectorum meorum*, Adelheidis *uxoris*, Ottonis & Wulff *filiorum* meorum, nichilominus cum ſcitu omnium *amicorum meorum*, quadraginta duarum marcarum redditus denariorum Lubicenſium dudum in bonis *Eccleſiæ Novi Monaſterii*, in villa videlicet *Schonebeke* de-

eem,&in villa *Biſticzee* in decem quatuor manſis & uno quartali XXXII (triginta duas) pro ſeptingentis marcis paratorum denariorum Lubecenſium comparavi, ad uſos infra ſcriptos, pro ſalute animarum uxoris, filiorum, progenitorum meorum & mea in perpetuum duraturos. Prædictos itaque redditus nullus alius, nec hæres, nec propinquus præterquam Officiales Eccleſiæ prædictæ poſt mortem meam annis ſingulis percipient & diſpenſabunt fideliter iſto modo. Amminiſtrator vel *magiſter caritatum* ſex marcas percipiet ad mei, Ottonis memoriam, ter in anno cum miſſis & vigiliis ſolempniter peragendam. In memoria autem anniverſarii mei prior Eccleſiæ prædictæ quinque marcas perceptas conventualibus diſtribuet, ſuisque orationibus privatis & communibus me & dominam Adelheidem uxorem meam annis ſingulis fideliter commendabit. Item ſex marcæ cedent ad memoriam dominæ Adelheidis prædictæ, ter in anno, modo quo præmittitur, peragendam. Quæ ſi ſuperſtes mei fuerit, prædictas ſex marcas non alias, quam de *Burſa* eccleſiæ prædictæ percipiet, quamdiu vixerit & in uſus pauperum commutabit. Iterum quatuor marcas expedite percipient, quicuscunque officiare altare meum quod erit perpetuum, fuerit aſſignatum. Item cuſtos cum una marca percepta candelas IV. comparabit, & in memoriis prædictis ſepulcro circumponet, & per anni circulum accenſas, in elevatione hoſtiæ conſervabit (conſummabit.) Item Magiſter domus hoſpitalis viginti marcas reſiduas percipiet, cum quibus pannos laneos & calceos emet & pauperibus annis ſingulis fideliter erogabit. Ut autem hæc ordinatio rata, perpetua maneat & inconvulſa, nec a quoquam hæredum vel propinquorum meorum aliquatenus infringatur & ratione vel occaſione comparationis vel ordinationis prædictæ, prædicta Eccleſia in ſuis bonis prædictis, in quibus nihil juris habeo, nec poſteri mei habituri ſunt, aliquo modo, quam præmittitur, aliquatenus perturbetur, ego & filii mei teſtes & amici infra ſcripti, data manuali fide per ſigilla noſtra munimus præſentia, perpetuo valitura. Teſtes & fidejuſſores hii ſunt. Otto & Wulff filii mei, Albernus *de Wyſch*, & Marquardus filius ejus. Wulff *de Brochowe*, Marquardus de Wyſch, Detlevus Poggewyſch milites. Conradus & Hartvicus fratres dicti Wulff. Marquardus Pogwiſch, Albernus de Wiſch. Johannes *Brokowe* & Otto *Warnowe* famuli. Conſtat etiam aliis quampluribus fide dignis. Datum Anno Domini M. CCC. XXVII. in dominica die, qua cantatur, lætare Jehruſalem. (*)

( ) Rubrica originalium literarum hæc eſt: *Memoria domini pii Ottonis PoggheWyſch in Biſticzee, in medio chori noſtri ſepulti prout metra ejus lapidis oſtendunt in circumferentia exarata.* An autem hic pius Otto in choro N Monaſterii, an in Borsholmia ſit ſepultus ibidem non exprimitur. Originalia adſunt duo adpendentibus ſigillis XIV. lupos præſentantibus.

CXVI.

Borchardus Archiep. Brem. confirmat donationem Juris Patronatus Eccleſiæ parochialis in Kyl a Johanne Comite cum conſenſu Comitis Gerhardi factam, eamque Monaſterio Bordesholmenſi innectit reſervato ſibi jure ſynodali.

Borchardus Dei gratia, Archiepiſcopus, Otto Præpoſitus, Fredericus Decanus, totumque Capitulum ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſeu audituris, cum noticia infra ſcriptorum, in omnium ſalvatore ſalutem. Dignum arbitramur & rationi conſentaneum, ut ea quæ provide fiunt ſcripti patrocinio roborentur, ne oblivionis injuria vel poſterorum calumpnia valeant irritari. Proinde noverint univerſi, quod *magnificus vir* dominus Johannes, comes Holtzaciæ & Stormariæ, prout nobis in ſuis literis declaravit & augmentum gratiæ per nos fieri devote ſupplicavit, *Nobilis Viri*, domini Gerhardi, ſimiliter comitis Holzatiæ & Stormariæ, patruelis ſui accedente conſenſu, zelo piæ devotionis accenſus, Jus Patronatus Eccleſiæ Parochialis St. Nicolai in Kil, Bremenſis dioceſis jure hereditario ad ipſum devolutum, cum omnibus juribus ſuis & pertinentiis, religioſis Viris, præpoſito & conventui canonicorum Regularium novi Monaſterii, ejusdem Bremenſis dyoceſis perpetuo poſſidendum & retinendum donavit. Quam quidem donationem nos in Domino gratanter ſuſcipientes, ipſamque ratam & firmam habentes & approbando confirmantes, deliberatione præhabita diligenti, eandem Eccleſiam in Kil, in prædictos Præpoſitum conventum ſeu monaſterium tranſtulimus & transferimus tenore præſentium pleno jure, incorporantes nichilominus annectentes & unientes præfatam Eccleſiam cum ſuis fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus & juribus quibuslibet auctoritate ordinaria & Apoſtolica monaſterio prælibato, cupientes indigentiam jam dicti Monaſterii ſeu conventus, quæ multiplex eſt, per hujusmodi unionem aliqualiter relevari. Novimus itenim, quod non ſine cordis dolore proferimus, quod prætactum monaſterium in MEDIO NATIONIS PERVERSÆ *poſitum, hoſtilibus incurſibus rapinis, incendiis* ac *diverſis injuriis* etiam ſuis bonis & juribus graviter eſt dilapſum, quodque idem monaſterium propter ipſius mutationem, qua *provide de loco*, in quo prius ſituatum extitit, *nunc ad aptiorem locum* utiliter *eſt* TRANSLATVM (*) oportebat & deinceps oportebit importabilia ſubire honera expenſarum, concedentes libere præpoſito ejusdem monaſterii, quicunque pro tempore fuerit, ut per ſe, vel per aliam perſonam ydoneam regularem vel ſecularem, memoratam Eccleſiam officiare & eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare valeat, tenore præſentium liberam facultatem. Præpoſitus vero nobis Archiepiſcopo & noſtris ſucceſſoribus *ſyno-*

1328.

dalia

dalia consuetis temporibus ministrabit. In evidentiam igitur & testimonium prædictorum omnium & munimen perpetuum Sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum Bremæ anno domini Millesimo Tricentesimo Vicesimo Octavo, in crastino divisionis Sanctorum Apostolorum.

(*) Idem asseritur in sequenti diplomate, quo *translatio* Novi monasterii pridem facta confirmatur. Frustra igitur Origines Monasterii Bardesholmensis in recentius tempus rejiciuntur. Ipsa narratio, quæ templo Bordesholmensi in latere occidentali extrinsecus inscripta & obliterata propemodum conspicitur, fida & curata non est vel certe indiget explicatione diplomatibus consona. Inscriptio hæc est: Monasterium istud fundatum in Niemünster anno MCXXV. per Venerabilem Vicelinum præpositum piæ mem. qui obiit MCLIV. Transfertur inde A. Domini MCCC XXXII. per Henricum Swineborch Lubecensem, Præpositum XV. qui obiit MCCC XLIII. Reformatur tandem a. MCCCC XL. per Andream Laer, de Daventria Priorem p. m. qui obiit a, MDII.

CXVII.

Borchardus Archiepiscopus Bremensis confirmat translationem Novimonasterii in alium locum, adjectis banno in insolentes & indulgentiis in promotores novi claustri.

1328. *Borchardus* Dei gratia, sanctæ *Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus*, omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum dilecti nobis Præpositus & conventus Canonicorum regularium in Novomonasterio ordinis sancti Augustini nostræ Bremensis diocesis, claustrum suum de loco, in quo prius situatum extitit rationabilibus ex causis ad locum quieti & devotioni claustralium aptiorem & *cultui dei magis abilem* & a tumultu secularium alienum provide transtulerunt. Nos de manu Domini curæ pastoralis susceptum officium sollerti studio exercere cupientes, translationem ipsam confirmamus, & locum, *in quo transpositum pridem est claustrum*, NOVUM MONASTERIUM volumus & præcipimus appellari. Et quidem idem claustrum novum cupientes in habitis conservare, in deperditis restaurare, & in salubri translationis proposito promovere, privilegia donationum, libertatum, eidem a prædecessoribus nostris vel quibuslibet personis aliis data concedimus & volumus in suæ firmitatis robore permanere & eundem locum dotalibus insignimus privilegiis ut quicunque in eodem enormes insolentias vel violentias fecerint ipso facto sint excommunicationis innodati sententia, secundum canonicas sanctiones. Cœterum de promovendo idem claustrum paternæ sollicitationis curam habentes, omnibus, qui *ad structuram ibidem Novimonasterii* seu claustri manum porrexerint adjutricem, vel qui devotionis vel orationis causa ibidem & quotienscunque cimiterium circumierint, vel corpus Domini in visitatione infirmorum cum devotione secuti fuerint, salvis omnibus indulgentiis prædicto claustro prius datis, de omnipotentis Dei misericordia & beatæ Mariæ semper Virginis clementia, nec non beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus meritis & auctoritate confisi, confessis & contritis *XL. dies in dulgentiarum* de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In prædictorum testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Bremæ Anno Domini M. CCC. XXVIII. XIII. Kal. Augusti.

CXVIII.

Otto Vulverstorp vendit Novo Monasterio hæreditatem suam, quam habet in villa Brügge excepto feudo.

Universis præsentia visuris. Otto dictus 1328.
Wulverstorpe, salutem in domino. Recognosco cum protestatione præsentium, quod vendidi honorabilibus viris, domino Præposito & conventui in novomonasterio omnem hereditatem, quam habui in *villa Brüche* & terminis suis, in mansis, areis, pratis & pascuis, palludibus, instagnationibus, agris, cultis & incultis, cum omni judicio, præscise cum omni utilitate & fructu, ab eisdem pro suo beneplacito in perpetuum possidendam. *Feodum* autem, quod in judicio habeo, ego & heres mei prædictis dominis conservabo, sicut propria bona mea, quoad usque proprietatem ejus ipsi vel ego *a dominis terrarum* poterimus obtinere. Ubi autem quando vel cui voluerint, prædictum *Feodum resignabo*. Ut autem hæc venditio rata maneat, nec a quoquam heredum vel propinquorum meorum aliquatenus infringatur, amici mei infra scripti una mecum data manuali fide & appensione sigillorum suorum cum meo sigillo ad præsentia protestantur. Fidejussores hii sunt. Vulf de *Brochowe* & Ditlevus *Poggewisch* milites. Conradus & Hartwicus fratres, dicti *Wulf*. Otto & Vulf fratres, dicti Poggewisch. Johannes *Brochowe* & Johannes *Warnowe*. Johannes *Walstorpe* famuli. Constat & aliis quampluribus fide dignis. Datum & actum Anno domini M. CCC. XXVIII. in die Dominica, qua cantatur Lætare Jerusalem.

CXIX.

Wulff de Brokow miles, binas suas villas Brokow cum villa majori Vlintbeke ad decennium sub certis conditionibus cum Novomonasterien-sibus permutat, addito molendino in Havechorst.

Universis præsentia visuris Wulff de Bro- 1328.
chowe miles salutem in Domino. Ne, quod est certum, fiat dubium requiritur testimonium scripturarum. Noverint ergo tam posteri, quam præsentes, quod ego una cum filiis meis villam *Vlintbeke majorem* a Dominis Præposito & conventu in Novomonasterio recepi possidendam per decem annos ab hinc futuros, pro annua pensione sub conditionibus infra scriptis. Pro *pensione enim vel hura* dimisi prædictis Dominis

villas *Brochowe thevtonicum*, & *Brochowe*, ubi Eccleſia ſita eſt, & molendinum in *Havechorſt*, cum omni judicio, utilitate, & fructu, ita, quod in illis & in molendino infra tempus ſupradictum nihil juris habebo, niſi quantum eorum fuerit voluntatis. Prædictis autem annis elapſis prædicti Domini villam ſuam Vlintbeke cum adjacentibus expedite recipient, & ego prædicta bona mea. Si autem medio tempore morte præventus fuero, quocunque tempore anni noſtra mutua ſit locatio penitus terminata, ita quod hæredes mei in proximo feſto S. Petri ad Cathedram prædictis Dominis bona ſua prædicta reſtituent ſine aliqua contradictione, occaſione qualibet procul mota. Ædifica autem mea, præter propugnaculum, quod per me vel per filios meos deponetur, ſecundum æſtimationem proborum virorum prædicti Domini mihi ſolvent. Præterea recognoſco me & heredes meos obligatos eſſe prædictis Dominis in ſexaginta duabus marcis Lubicenſibus, eisdem perſolvendis in hunc modum: Decem marcas in proximo feſto Martini, poſt primum nunc venturum, iterum decem in proximo tunc venturo dabimus expedite. Reliquas quadraginta duas Marcas poſt condictos prædictos decem annos, ſi vixero, ad quatuor annos immediate ſequentes, quolibet anno quartam partem. Si autem prius diſceſſero, hæredes mei in primis quatuor annis poſt diſceſſum meum cum viginti marcis, ut dictum eſt, quadraginta duas marcas ſolvent in feſto Martini quolibet anno quartam partem. Ut autem hæc prædicta firmiter obſerventur, amici mei & filii una mecum data manuali fide promiſerunt, quod appenſione ſigillorum noſtrorum ad præſentia proteſtamur. Fidejuſſores hii ſunt, Ego Wulff & Ditlewus Pogghewiſch, milites, Conradus & Hartwicus fratres dicti Wulff, Otto & Wulff fratres, dicti Pogghewiſch, Johannes & Ditlewus filii mei, & *Otto Warnoue* famuli. Conſtat etiam & aliis quam pluribus fide dignis. Datum & actum anno Domini 1328. in vigilia Sancti Petri ad Cathedram.

CXX.

Monaſterium in Uterſten dat conventui Novomonaſterienſi duos Poledros 100. marc. valentes pro quibus Johannis & Adolphi, comitum Holſatiæ memoriam peragere & conventuales bonorum operum participes reddere obligentur.

1328. Univerſis præſentia viſuris vel audituris, *Johannes Dei gratia præpoſitus ſanctimonialium in Uterſten*, in omnium Salvatore ſalutem. Recognoſcimus tenore præſentium, publice proteſtantes quod de unanimi conſenſu & voluntate religioſarum dominarum *Elyſabet prioriſſæ totiusque conventus dictæ Eccleſiæ Uterſten* dedimus reverendis viris, Domino Hinrico præpoſito, ſuoque conventui in novomonaſterio duos *polledros*, (*) unum triennem, alterum vero quadriennem propagatos ab equabus, a dictis noſtris dominabus libere nobis datis, ſicut in earum privilegio ſuper hoc confecto plenius eſt expreſſum. Dictos autem polledros præpoſitus & ſuus conventus prædicti, una cum noſtro conſilio, vendent pro centum marcis denariorum Lübicenſium monetæ. Quod ſi minus centum marcis ſolverint ſeu valuerint, ab hujusmodi defectu usque ad valorem centum marcarum de noſtris equabus vel fœtibus earum eos curabimus relevare, ita ſane ut nobilium virorum & noſtræ eccleſiæ prædictæ in Uterſten piorum benefactorum nec non & defenſorum, dominorum videlicet Johannis Comitis Holtzatiæ & Stormariæ, ac Adolphi Comitis Holtzatiæ & Scowenburg *ſuæ eccleſiæ* NOVITER *translatæ*, tanquam verorum fundatorum memoriam devotius & ferventius perpetuis temporibus peragere aſtringantur. Si autem plus quam centum marcas polledri ſolverint (valuerint) ſupradicti ſive multum ſive parum hoc fuerit, totum cum centum marcis prædictis cedet in ſuæ eccleſiæ pios uſus, tali tamen conditione adjecta, ut cœteris omnibus noſtris benefactoribus nobis & noſtris dominabus commiſſis in miſſis, vigiliis, orationibus & in cœteris bonis operibus, quæ per eos dominus dignabitur operari, dignentur facere recompenſam. In hujus rei evidentiam pleniorem præſens ſcriptum ſigillis noſtris fecimus communiri. Datum Uterſten Anno domini M. CCC. XXVIII. in die ſancti Johannis ante portam Latinam.

(*) Seu pullos, pullos equinos. Inde *Poledrarius* dicitur, cui cura & inſpectio hinnulorum ſeu poledrorum commiſſa eſt. Facit huc *Anglo Saxonica* vox *Fole*, hodie *Füllen*, *Folen*. Adde *Capitular. de villis Caroli M. C. 50. Ut unusquisque judex provideat, quanti poledri in uno ſtabulo ſtare debeant & quanti poledrarii cum ipſis eſſe poſſint.*

CXXI.

Johannis Papæ Confirmatio Donationis Juris patronatus Eccleſiæ S. Nicolai in Kyl a Comitibus Novomonaſterio conceſſi.

Johannes Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei dilectis filiis, præpoſito & conventui monaſterii Novimonaſterii per præpoſitum ſoliti gubernari, ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis dioceſis, Salutem & apoſtolicam benedictionem. Quum a nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit æquitatis, ut id, per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod nobilis vir, Johannes comes Holtzatiæ & Stormariæ Bremenſis & Lübecenſis dioceſis, olim patronus parochialis Eccleſiæ ſancti Nicolai in Kil Bremenſis dioceſis, cupiens terrena pro cœleſtibus & tranſitoria pro æternis ſalubri commercio commutare, pro ſua ſuorumque parentum animarum ſalute jus Patronatus, quod in dicta eccleſia tunc habebat, - monaſterio, venerabilis fratris noſtri Bremenſis Archiepiſcopi ad id accedente conſenſu, pia & 1328. pro-

provida liberalitate donavit,prout in patentibus literis inde confectis, ipsius comitis sigillo munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati,quod super hoc ab eodem comite pie & provide factum est, gratum & ratum habentes id auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinioni III. Non. Maji, Pontificatus nostri anno sexto decimo.

CXXII.

Borchardi Archiep. Brem. declaratio circa solutionem decimarum Novomonasterio a quolibet aratro persolvendarum, integra decima ad VI. modiolos silignis (forte 6. Schipprocken) taxata.

1329. Universis præsentia visuris seu audituris, Borchardus Dei gratia sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, salutem in domino sempiternam. Noveritis, quod ab honorabilibus & religiosis viris Præposito & Conventu Canonicorum regularium in Novomonasterio nostræ Bremensis diocesis nobis humiliter extitit supplicatum, ut de decimis ad dictum monasterium spectantibus & de earum solutionibus declarationem facere dignaremur. Nos igitur de consensu capituli nostri, ut *dolus & fraus in decimarum solutionibus amputetur*, præsentibus declaramus, ac etiam prædecessorum nostrorum declarationes circa solutionem decimarum prædictarum factas approbamus, quod quilibet, qui prædicto monasterio decimam dare tenetur habens aratrum, quocunque etiam tempore anni araverit & de qualibet aratro decimam integram, videlicet modios sex siliginis usualis mensuræ quolibet anno dare & exsolvere teneatur. In cujus declarationis & approbationis testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Bremæ Anno domini M. CCC. XXIX. dominica Judica me Deus.

CXXIII.

Wulff Brocow, Joh. & Marquardus Filii ejus, vendunt Novomonasterio quasdam partes in villis Majori Bistiesee Luderstorpe, Majori Harge & Brügge, cum suis attinentiis.

1330. Universis præsentia visuris Wulff, miles de Brocow, Johannes & Marquardus Filii ejus, salutem in domino. Recognoscimus præsentibus protestantes, quod vendidimus meræ emptionis titulo honorabilibus viris, Præposito & conventui in Novomonasterio tres partes unius mansi in villa, quæ dicitur *Major Bistice* & totum, quem ibidem habuimus, cum omni judicio & tres partes *in villa Lüderstorpe* & totum quem & ibidem habuimus, cum omni judicio & unum mansum in villa, quæ dicitur *Major Harge* cum pratis, pascuis, paludibus, lignis, stagnis, instagnationibus, agris, cultis & incultis, & præcise cum omni utilitate & fructu qui nos ratione tuitionis Alheydis filiæ Ottonis de Volfesdorpe patruelis nostri contingebant, pro octuaginta marcis denariorum Lübecensium in solutionem debitorum prædictæ Alheydis totaliter conversorum. Et ne prædicti præpositus & conventus vel eorum etiam pro prædicta emptione in posterum aliquatenus molestetur vel emptio prædicta a quoquam propinquorum vel alienorum, & dum ipsa Alheydis ad annos discretionis pervenerit, maritum duxerit, vel *alium tutorem habuerit*, irritetur: Nos una cum amicis nostris infra scriptis prædictis præposito & conventui fide data promisimus, & ad hoc & heredes nostros omnes obligavimus, ut omnia prædicta perpetuo firmiter observentur. Præterea eisdem Præposito & Conventui dimidiam aream, quæ nos jure hereditario contingebat, dimisimus perpetuo possidendam, sitam in villa, quæ dicitur *Brügghe*. Fidejussores nobiscum sunt hii. Domini Albernus, Marquardus & Albernus fratres, filii ejus, & Marquardus filius fratris sui,dicti *de Wisk*, milites. Conradus, Hartwicus & Marquardus fratres dicti Wulff, Otto & Vulff fratres dicti *Poctr*, & Marquardus *de Knop* famuli. In evidenciam igitur & testimonium prædictorum sigilla præsentia præsentibus sunt appensa. Anno Dom. M. CCC. XXX. in die omnium sanctorum.

CXXIV.

Conventus in Novomonasterio emit a Nicolao Stenhus in villa Krempdorpe octo marcarum redditus.

Nos Hinricus, Dei gratia Præpositus, Eckehardus totusque Conventus Canonicorum regularium in novomonasterio, recognoscimus tenore præsentium, publice protestantes, quod nos octo marcarum redditus, ab honorabili viro, domino Nicolao dicto *Stenhus* in villa *Krempdorpe* emptos & comparatos, nobis autem per eundem dominum Nicolaum, coram præfectis & Scabinis ore & manu secundum prædicti loci juris consuetudinem resignatos, ad diversos ecclesiæ nostræ usus ipso defuncto perpetue tollendos, per nos ibidem extorquendo, eidem domino Nicolao vel cui ipse percipiendum commiserit vitæ suæ temporibus, cujusque status vel conditionis, vel quocunque etiam locorum fuerit expedite exolvere debebimus, annuatim post mortem vero ipsius quatuor marcæ prædictorum reddituum cedent *ad Ecclesiæ nostræ strictturam*, duæ *ad cameram*, una *ad emendationem librorum*, & una *ad anniversarii sui memoriam* missis & vigiliis in Ecclesia nostra jugiter peragendam. Ut autem hæc pia ordinatio rata & inconvulsa permaneat, præsentem paginam sigillorum nostrorum appensione fecimus communiri. Datum anno domini M. CCC. XXX. in die B. Mathæi Apostoli. 1330.

CXXV.

Albertus Dux Saxoniæ concedit N. Monaſterienſibus libertatem emendi & comparandi varii generis bona vel prædia, eaque in hereditaria commutandi.

1330. Univerſis Chriſti fidelibus, præſentes viſuris ſeu audituris. *Albertus* Dei gratia, *Dux Saxoniæ, Angariæ & Weſtfaliæ* ſalutem in eo, qui eſt omnimoda ſalus. Ne ea, quæ fiunt in tempore, lapſu temporis evaneſcant, ſcripturæ patrocinio roborantur. Ad Noticiam igitur tam futurorum, quam præſentium cupimus pervenire, quod nos pro ſalute progenitorum, ſucceſſorum vel heredum noſtrorum & noſtra, honorabilibus viris, præpoſito & conventui de novo monaſterio Brem. dyoceſis donavimus & donamus tenore præſentium, libertatem & auctoritatem emendi, comparandi, ſeu quoquomodo conſequendi *bona hereditaria* ac etiam *feodalia & judicia*, quæ quocunque modo ad nos, vel heredes noſtros devolvi poſſunt, vel poterunt in futurum. Præterea ſi qua bona *feodalia* prædicti præpoſitus & conventus ſeu eorum Eccleſia ex quorumcunque dominorum, comitum Holtzatiæ, militum, vaſallorum vel aliorum donatione & venditione in præſenti vel in futurum hac noſtra conceſſione in bona *hereditaria* commutamus. In evidentiam igitur & teſtimonium prædictorum ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Teſtes hujus ſunt: Ludolfus miles, dictus *de Lasbeke*. Gerhardus dictus *Ghodowe*. Hinricus dictus *Smilowe* famuli & quamplures alii fide digni. Datum in Novomonaſterio Anno dom. M. CCC. XXX. feria II. poſt lætare.

CXXVI.

Johannis Holſat. Comitis donatio judicii majoris & minoris ſuper aliquot manſos & curias in Luderſtorpe, Radgeſtorp & Brügge ſitas.

1331. Omnibus præſentia viſuris, Johannes Dei gratia, Comes Holtzatiæ & Sturmariæ ſalutem in domino. Diſcretorum humanæ ſagacitatis providentia circumſpecta conſtituit, ut per præſentia literarum, ſigillique inſtrumenta acta præterita immutabiliter conſerventur. Ad notitiam igitur præſentium & futurorum perveniat, quod nos ob divinæ renunciationis (remunerationis) intuitum animæque noſtræ ac progenitorum noſtrorum animarum ſalutem, proprietatem judicii majoris & minoris ſupra ſeptem manſos in dominio noſtro ſitos, videlicet *in Luderſtorpe* quatuor, in *Radegeſtorpe* duos cum dimidio & in villa *Bruckhe* dimidium manſum & ſeptem areas benivole dimiſimus præpoſito & conventui in novomonaſterio perpetuis temporibus libere poſſidendam. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in Kil Anno Domini M. CCC. XXXI. vigilia beati Matthie.

CXXVII.

Hartw. Reventlo & Joh. Sconenbeke vendunt Conventui in Bardesholm bona quædam in Lüderſtorpe Brugge & Rageſtorp pro 300. marcis Lubec.

Ad noticiam præſentium & futurorum hominum perveniat, quod nos Hartvicus miles dictus *de Revetlo*, & Johan. dictus *Sconenbeke, cum conſenſu & conſilio propinquorum* & amicorum noſtrorum manſos & areas in villis *Lüderſtorpe*, *Brücghe* & *Radegeſtorpe* ſitas cum omni judicio majori & minori & præciſe, cum omni utilitate & fructu, ſicut aliquando fuerunt bonæ memoriæ, Johannis dicti Swin, & Marquardi dicti Sconenbeke militum, vendidimus mera emptione, honorabilibus viris, dominis præpoſito & conventui in novomonaſterio, pro trecentis marcis monetæ Lubicenſis & *cautionem*, quæ vulgariter dicitur *Sele*, (*) fecimus coram plebe. Si vero quisquam heredum vel propinquorum noſtrorum prædictos dominos in ſupra dictis bonis infra annum & diem quoquomodo inquietare vel moleſtare præſumpſerit, nos volumus & debemus *disbrigare*, (**) nos vero & hæredes noſtri prædicta bona repetere non debebimus, nec ſæpedictos dominos in eisdem aliquatenus impedire. Pro hiis ſervandis una nobiſcum *Nicolaus & Ywanus* dicti de *Revetlo* Johannes de *Doſenrode* milites, Johannes Swin de *Clawesdorpe*, Johannes *Walesdorpe* & Hinricus *Grip*, fide data promiſerunt. In evidentiam igitur & teſtimonium prædictorum ſigilla ſupra nominatorum cum noſtris præſentibus ſunt appenſa. Datum & actum Anno domini M. CCC. XXX. primo, in annunciatione beatæ Virginis. 1331.

(*) Vel *Selandia*, ut ſupra.

(**) A *briga* h. e. rixa, moleſtia. Inde *imbrigari* eſt idem ac liti involvi. *Disbrigare* vero, liberare a moleſtia. *Imbrigatio* occurrit infra in Charta Gerhardi Comitis anno 1322.

CXXVIII.

Iohannes XXI. P. P. in ſuam protectionem ſuſcipit N. Monaſterium ejusque bona & perſonas cum pertinentiis.

Johannes Epiſcopus, ſervus ſervorum dei, dilectis filiis Præpoſito & conventui monaſterii Novimonaſterii per præpoſitum ſoliti gubernari, Ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis dioceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum reducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, *perſonas veſtras* & *locum* in quo eſtis divino obſequio mancipati, cum *omnibus bonis*, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis aut in futurum juſtis modis præſtante domino poteritis adipiſci, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus: *ſpecialiter autem decimas, terras*, VINEAS (*) *domos, poſſeſſiones & alia bona veſtra*, ſicut ea omnia juſte & pacifice poſſidetis, vobis & per nos monaſterio veſtro auctoritate apoſtolica confirmamus & 1332.

& præsentis scripti patrocinio communimus, salva in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinion. IV. Nonas Maji, Pontificatus nostri anno XVI.

(*) Vinearum quidem in *Italico*, non *Holsatico* fundo ubertas est. Sed Pontifex modulo romano Germaniam metitur & clima calidum haud distinguit a frigido & septentrionali. Quod ipsi facilius condonandum est in causa naturali, quam JCtis in causis civilibus, & forensibus, in quibus sydera cum planetis & *Romana* cum *Germanicis* confundere & illa ad hæc *applicare* solent invita indole & natura Reipublicæ, invita ratione, justitia & æquitate.

CXXIX.

Borchardus Archiep. Brem. transumit donationem juris patronatus Ecclesiæ D. Nicolai in Kyle, Novomonasterio a Comite Holsat. factam.

1332. In nomine Domini amen. Anno nativitatis ejusdem Millesimo, trecentesimo, tricesimo secundo, indictione 15. die Lunæ XX. mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi patris & domini nostri, domini Johannis, divina providentia papæ XXII. anno sexto decimo, in præsentia mei Notarii publici & testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum personaliter constitutus, venerabilis & discretus vir, dominus Hinricus, præpositus canonicorum regularium Monasterii Novimonasterii Bremensis diocesis, tradidit & exhibuit mihi Notario infrascripto quandam literam patentem sigillatam duobus sigillis pendentibus in filis de serico viridis & rubei coloris, videlicet archiepiscopi & capituli Bremensis, ut ut prima facie videbatur, & requisiuit, ut eandem literam transcriberem & in publicam formam redigerem. Cujus quidem literæ transsumptæ tenor talis est. Borchardus dei gratia, Archiepiscopus, Otto præpositus, Fredericus decanus totumque capitulum sanctæ Bremensis Ecclesiæ, universis præsentes literas inspecturis seu audituris, cum noticia infra scriptorum in omnium salvatore salutem. Dignum arbitramur & rationi consentaneum, ut ea quæ provide fiunt, scripti patrocinio roborentur, ne oblivionis injuria vel posterorum calumpnia valeant irritari. Proinde noverint universi, quod magnificus vir, dominus Johannes, comes Holsatiæ & Stormariæ, prout in literis suis declaravit & augmentum gratiæ per nos fieri devote supplicavit nobilis viri, domini Gerhardi similiter comitis Holsatiæ & Stormariæ patruelis sui accedente consensu, zelo piæ devotionis accensus jus patronatus ecclesiæ parochialis sancti Nicolai in Kyl Bremensis diocesis, *jure hereditario* ad ipsum devolutum, cum omnibus juribus suis & pertinentiis, religiosis Viris præposito & conventui canonicorum regularium Novimonasterii ejusdem Bremensis diocesis perpetuo possidendum & retinendum donavit, quam quidem donationem nos in domino gratanter suscipientes, ipsamque ratam & firmam habentes & approbando confirmantes deliberatione præhabita diligenti, eandem ecclesiam in Kyl in prædictos præpositum conventum seu monasterium transtulimus & transferimus, tenore præsentium, pleno jure incorporantes, nichilominus annectentes & unientes præfatam ecclesiam cum suis fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus & juribus quibuslibet monasterio prælibato, cupientes indigentiam jam dicti Monasterii seu conventus, quæ multiplex est, per hujusmodi unionem aliqualiter relevare. Novimus, etenim, quod non sine cordis dolore proferimus, quod prætactum monasterium *in medio nationis perversæ* positum, hostilibus incursibus, rapinis, incendiis, ac diversis injuriis in suis bonis & juribus graviter est dilapsum; quodque idem monasterium *propter ipsius mutationem*, qua provide de loco, in quo prius situatum extitit, *nunc ad aptiorem locum utiliter est translatum*, oportebat & deinceps oportebit importabilia subire onera expensarum, concedentes libere præposito ejusdem monasterii, quicunque pro tempore fuerit, ut per se vel aliam personam ydoneam regularem vel secularem memoratam Ecclesiam officiare & ecclesiastica sacramenta ministrare valeat, tenore præsentium liberam facultatem. Præpositus vero nobis Archiepiscopo & nostris successoribus sinodalia consvetis temporibus ministrabit. In evidentiam igitur & testimonium prædictorum omnium, & munimen perpetuum, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum Bremæ, Anno domini 1328. Millesimo, Trecentesimo vicesimo octavo in crastino divisionis sanctorum apostolorum. Acta Avinion. in hospitio habitationis prædicti domini præpositi, sub Anno, indictione, mense, die & Pontificatu dictis, præsentibus discretis viris dominis Arnoldo, dicto *Swineborg*, Canonico *Gustrowensi* & Nicholao plebano *in Bredenberghe*, Bremensis diocesis, fratribus Germanis & Nicholao, dicto *Colue* cive *Magdeburgensi* testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Ricquinus de Nutton, clericus Monasterienſis diocesis publicus imperiali auctoritate notarius, prædicta omnia & singula, prout inveni in supra dicta patenti litera, sic hic de verbo ad verbum fideliter transscripsi & exemplavi, nil addens vel minuens, quod sensum immutet vel variet intellectum, & una cum discreto viro Johanne Brunonis, clerico Leodiensis diocesis, notario publico, diligenter auscultavi & quum prædictum transsumptum cum prædicta originali

ginali litera concordare inveni, idem in præsentem formam redegi, meoque signo solito signavi rogatus a prædicto domino Hinrico præposito.

CXXX.

Borchardus, Archiepiscopus Brem. confirmat Ecclesiæ N. Monasterii omnes indulgentias & gratias spirituales; addita 40. dierum relaxatione & una Carena.

1332. Universis præsentia visuris seu audituris, Borchardus Dei gratia, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cupientes dona gratiæ spiritualis, in quantum in nobis est peramplius augmentare, ut eo uberior sit fidelium devotio, quo se sperant majora animarum remedia salubriter habituros. Sane a dilectis nobis in Christo præposito & conventu canonicorum regularium novi monasterii, Bremensis diocesis, nobis extitit humiliter supplicatum, ut indulgentias & gratias, eorum Ecclesiæ spiritualiter concessas ab Archiepiscopis & Episcopis, confirmare auctoritate ordinaria dignaremur: Nos ipsorum petitioni justæ & rationabili misericorditer annuentes, indulgentias & gratias omnes usque in præsens ab omnibus Pontificibus ad eorum Ecclesiam datas auctoritate ordinaria in Domino præsentibus confirmamus. Et nos de omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis, qui ad prædictam Ecclesiam manus quoquomodo porrexerint adjutrices, *quadraginta dierum indulgentias & unam Karenam* de injunctis sibi pœnitentiis in domino relaxamus. In cujus nostræ confirmationis & gratiosæ donationis evidens testimonium sigilli nostri munimine roborari mandavimus præsens scriptum. Datum Stadis, Anno Domini M. CCC. XXXII. in die B. Agapiti Martiris.

CXXXI.

Johannes Brokow attestatur, fratrem suum Marquardum solum esse autorem homicidii Johanni Hane facti.

1332. Ego Johannes, dictus Brokowe famulus, recognovi coram Nobili Viro domino meo, domino Johanne, Comite Holsatiæ & aliis militibus & multis fide dignis & præsentibus recognosco, quod homicidii illius quod heu frater meus Marquardus bonæ memoriæ in occisione quondam Johannis dicti Hane perpetravit, nullus reus extitit, nisi prædictus frater meus. Unde etiam nullus inculpari poterit, nisi qui mecum sufferre de jure tenetur inimicitias capitales. In cujus evidentiam sigillum meum præsentibus est appensum. Datum anno domini M. CCC. XXXII. (In sigillo conspicitur lupus cursitans.)

CXXXII.

Diploma visitationis præposito N. Monasterii & Rectori Ecclesiæ in Luchtzenborg super clerum & Ecclesias Zverinenses ab Archiepiscopo Brem. commissæ.

Borchardus Dei gratia, sanctæ Brem. Ecclesiæ Archiepiscopus, universis sub sua jurisdictione constitutis, quorum interest, seu interesse poterit, seu quos præsens negotium tangit, vel tangere poterit, quoquomodo, salutem in domino. Cum venerabiles fratrem nostrum dominum *Ludolfum, Episcopum Zverinensem & Canonicos Zverinenses* rite & legitime visitaverimus secundum *canonicas sanctiones*, & hujusmodi visitationis officio seu negocio circa alias personas Ecclesiæ, Civitatum & Dyocesis Zwerinensis ex certis & legitimis causis ad præsens vacare & intendere personaliter nequeamus, religioso, & honorabili viro, domino *Hinrico, præposito Novimonasterii nostræ* ac discreto viro *Hinrico de Zwerin, rectori Ecclesiæ in Luchtzenborgh*, Lubic. dioceſis & cuilibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, seu quod unus inceperit, alter possit prosequi libere & finire, in hujusmodi visitationis officio seu negocio ulterius exercendo circa personas per nos non visitatas, Ecclesiæ Civitatum & Dyocesis prædictarum, præsentibus plenarie committimus vices nostras, dantes eisdem & eorum cuilibet plenam & liberam potestatem, inquirendi, corrigendi, puniendi crimina, excessus & delicta & negligentias cleri & populi, prælatorum, præpositorum, collegiorum & conventuum, monasteriorum, plebanorum, Ecclesiarum Rectorum, vicariorum perpetuorum seu temporalium clericorum, laycorum seu personarum quarumcunque, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, status, gradus aut conditionis existant *Ecclesiæ civitatum & dyocesis Zverinensis, Episcopo & canonicis Ecclesiæ Zverinensis* duntaxat *exceptis*, & in hiis reformandi, quæ fuerint reformanda, ac omnia alia & singula, quæ circa præmissum visitationis officium seu negotium necessaria fuerint vel oportuna & quæ nos personaliter facere possemus, si hujusmodi officium seu negocium per nos exercerceremus, etiam si mandatum exigant episcopale contradicentes & rebelles & impedientes auctoritate nostra per *censuram ecclesiasticam* compescendi. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Lübeke Anno domini M. CCC XXXIII. feria quarta proxima post festum B. Nicolai Episcopi & confessoris. 1333.

CXXXIII.

Barnymi Pom. Ducis Salvus Conductus vel Literæ securitatis Novomonasterio MONACHOS ORDINIS AVGVSTIN. *ibidem visitaturo concessæ.*

Nos *Barnym.* Dei Gratia *Pomeraniæ, Slaviæ, Cass. & Stetinens. Dux*, coram universis, quorum interest, vel interesse poterit, recognoscimus publice in præsentibus protestando, 1334.

teſtando, quod honorabili & religioſo viro, Præpoſito Canonicorum regularium ordinis *ſancti Auguſtini* in Novomonaſterio Brem. dyoceſis, qui pro tempore fuerit & ſuo canonico, vel con-canonicis, quem vel quos ad partes noſtri dominii deſtinandum ſeu deſtinandos duxerit, ſecuritatis noſtræ Ducatum præſtitimus in præſentibus & præſtamus, univerſis & ſingulis, noſtris ſane præceptis & mandatis obedire volentibus præcipimus ſtrictius & mandamus, quatenus prælibatos Præpoſitum & con-canonicos ſuos, quotienscunque & quandocunque regulares canonicos *Eccleſiæ Montis ſanctæ Mariæ in Yaſenizce* viſitare decreverint, in quibuslibet ſuis negociis promoveant effective non ſinentes ipſos ab aliquo vel aliquibus amore noſtri aliqualiter impediri. In quo Deo ſervitium & nobis gratitudinem exhiberi reputabimus ſpecialem. In cujus rei evidens teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Ukermundi Anno Domini M. CCC. XXXIIII. in craſtino conceptionis beatæ Virginis.

CXXXIV.

Confoederatio mutua inter religioſos Novi Monaſterii & fratres de Yaſenitze.

1334. In nomine Domini Amen. Omnibus præſentia viſuris ſeu audituris *Fredericus* Dei gratia, *Camynenſis Eccleſiæ Epiſcopus*, Conradus præpoſitus, Johannes decanus, totumque capitulum canonicorum ibidem, ſalutem in domino. Piæ intentioni, amicabilique confœderationi religioſorum virorum, canonicorum regularium ordinis ſancti Auguſtini *Eccleſiæ Novimonaſterii* Bremenſis dioceſis, nec non & *Eccleſiæ Montis ſanctæ Mariæ in Yaſenitze*, ejusdem ordinis noſtræ dyoceſis, litteris ipſorum patentibus mutuo firmatis ſecundum tenorem infra ſcriptum per nos viſis & auditis, in domino congaudemus. Reverendis dominis & honeſtis, Hinrico Præpoſito, Eckehardo Priori, totique conventui canonicorum regularium in Novomonaſterio ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis dioceſis, Ertmarus præpoſitus. Symon Prior, totusque conventus canonicorum regularium Eccleſiæ montis ſanctæ Mariæ in Yaſenitze, ejusdem ordinis Camynenſis dioceſis, debitam cum omni ſubjectione reverentiam. Inviolabiliter obſervari non immerito debet a poſteris, quicquid a prælatis ſalubriter & canonice fuerit ordinatum. Veſtræ igitur reverentiæ tenore præſentium inſinuamus, nos unanimiter toto cordis affectu deſiderare & in hiis ſcriptis firmiter arbitrari, ut ſicut nos *unius regulæ conſtringit profeſſio*, ſic etiam *uniformitas habitus, inferioris, medii & ſuperioris*, diſciplinaque regularis obſervantiæ, nec non conſuetudines & conſtitutiones ordinis & regulæ ſimulque & ordinarii in divino nocturno & diurno officio obſervantia jugiter teneant alligatos: ita videlicet, ut in prædictis omnibus apud nos invariabiliter obſervandis veſtra eccleſia noſtræ fideliter in omnibus præſit, ſicut *mater* filiæ de jure præeſſe debet & prodeſſe. Proteſtamur inſuper, nos *in rebus arduis*, ſcilicet loci vel habitus mutatione, ſive prælati electione, ſine veſtro conſilio & conſenſu nihil velle nec debere penitus attemptare, provida etiam ordinatione ſtatuere decrevimus, ut nobis veſtras perſonas, & nos e converſo vobis noſtras, plures vel pauciores, in urgentis neceſſitatis articulo, aut pro correctione ſeu pœnitentia agenda in invicem transmittamus, & perſonæ miſſæ in plena præbendæ erunt perceptione, in victu & veſtitu, ſicut ibidem aliquis de conventu, chorum, dormitorium & refectorium ſervabunt, ſed ſecretis capituli non intererunt, niſi ſpecialiter fuerint advocati. Ut autem hæc ordinatio illæſa permaneat, præſentem paginam ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandam. Datum anno Domini M. CCC. XXXIIII. in vigilia omnium ſanctorum. Nos itaque tam religioſam karitativamque ordinationem in favorem religionis merito approbantes, præpoſitum dictæ eccleſiæ Novimonaſterii, qui pro tempore fuerit, ſicut virum providum & honeſtum dicto conventui in Yaſenitze viſitatorem præfigimus, ut auctoritate noſtra pie ſerviens, canonicos & fratres ejusdem conventus, cum expediens fuerit, ſecundum regulam Auguſtini ipſis traditam & conſtitutiones ordinis, viſitet & corrigat, viſitatione tamen & jure noſtro in omnibus ſemper nobis ſalvo. Prædicta omnia in hiis ſcriptis in nomine Domini perpetuo confirmamus, volentes nihilominus & mandantes, ut ſæpe dictus *conventus in Yaſenitze Eccleſiæ Novimonaſterii* in ſupra dictis religioſis obſervanciis ſit per omnia *ſimilis & conformis*. Ut autem tam rationabilis ordinationis unio perpetuis temporibus inviolabiliter obſervetur, ſigilla noſtra cum ſupradictarum eccleſiarum ſigillis præſentibus ſunt appenſa. Datum Camyn, Anno domini Milleſimo, Trecenteſimo, triceſimo quarto. in die B. Katerinæ Virginis.

CXXXV.

Herzog Adolff, Schauenburg. Linie, confirmiret dem Cloſter Bordesholm einige Dörffer vnd Güter. Aus zweyen Originalien, loco & die variantibus.

Van Ghodes Gnaden. Wy Alff (Adolff) 1434.
Gertoghe to Sleswick, Greve to Holſten. Stormarn, unde to Schowenburg, bekennen unde betugen openbar in deſem Breve, vor allen den gennen, de een ſeen edder hören leſen. Dat wy Ghode almechtich to love unde to eren, umme Beſtentlicheit willen des Cloſters to dem Bardesholme den Erſamen Heren Meſter Marquarde, proueſte Meſter Hermanne. priore unde dem ganzen Capittel darſulves tom Bardesholme, nu jegenwardich unde tokomenden, uppe dat ſe uns unde de Hochgebornen vrowen, vrowen Margareten, unſer leven Huſsvrowen unde unſer beyder Erven, ſo vele mer vlidi-

ter hebben unde beholden in ewiger Dechteniſſe, unde in erem bede. So hebbe wy vor uns unde vor unſe Erven beſtediget unde beveſtet, in Krafft deſſes Breves, alle Güdere, de de Heren tom Bardesholme in vortiden hebben gekofft, to eres *Godeshuſes* behoeff, van deſſen nabeſcrevenen. alſe van Hr. *Siverde Smalſteden*, anders geheden *Toteke Smalſtede*, de dörpe *Chriſtoffers Harge, Groten Bockwolde, Smalſtede, Greven Krooch. de Zoren, Totkendorpe* unde een deel an dem *Blomendal*. Van Marqwarde *vam Knope*, dat dorp *tom Vorde* myd der mölen, *Boyenhuſen. Molveſſee, Schulendorpe, Mylkendorpe*, myd dem velde to *Beelkendorpe*, unde van Jürgeſe *van Quale* dat dörp *Dödeke*. Deſſe erbenömpde Dörper unde Güdere ſämptlyken unde beſunderen beveſtige wy unde beſteſtedigen vor uns unde vor unſe Erven unde Nakomelinge in crafft deſes Breves, by dem Godeshuſe to deme Bardesholme vorbenömpd to ewigen tiden to blivende. To groter Tüchniſſe unde bewiſinge alle deſer vorſcreven Stücke. So hebbe wy Alff, Hertoge to Sleſswyk vorbenömpd, unſe Ingezegel witliken unde myd wolbedachten mode henget heten neden an deſſen Breff, geven unde ſcreven tom Oſterhave (to Idzeho) na der Bord Criſti unſes Heren, veerteynhundert Jar, dar na in dem veer unde drittigeſten Jare, des Middewekens in ſunte Tiburtii (anderen Sondages na paſchen.) des Hilgen mertelers dage.

CXXXVI.

Monaſterium in Jaſenitze a conventu Novomonaſterienſi duos petit viros religioſos, ſibi in Præpoſitum & priorem conſtituendos cum promiſſione ſubjectionis & obedientiæ.

1334 Reverendis dominis & Honeſtis, *Hinrico Præpoſito*, *Eckehardo priori*, totique conventui canonicorum regularium in Novomonaſterio, ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis dioceſis, totus conventus *Eccleſiæ montis ſanctæ Mariæ in Yaſenizce*, ejusdem ordinis, Camynenſis dioceſis, cum orationibus reverenciam ſubjectivam. Veſtræ reverenciæ grates referre condignas, pro laboribus & expenſis in extrema neceſſitate noſtra per vos factis, non ſufficimus ſed ille ſuppleat, qui ſolus omnia digna largitur præmia meritorum. Rogamus igitur veſtram attentius honeſtatem, quatenus duos viros religioſos & diſcretos, de eccleſia veſtra, quos concorditer poſtulando eligimus in *præpoſitum & priorem*, nobis quantocius transmittatis: quibus ſecundum laudabiles eccleſiæ veſtræ conſvetudines & conſtitutiones obediendo ſubjecti erimus, ſecundum ordinis inſtitutionem, & ſancti patris noſtri Auguſtini regulam, ut tenemur. Quod etiam demonſtratione præſentium publice proteſtamur. In cujus rei evidens teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Stetyn anno domini Milleſimo, tricenteſimo, triceſimo, quarto, in die beati Brictii Epiſcopi & confeſſoris.

CXXXVII.

Commutatio 4. manſorum in villa Blomenthal cum dimidia villa Schonenhorſt, inter conventum N. Monaſterii & Plebanum Eccleſiæ in Brügge facta.

Omnibus preſencia viſuris ſeu audituris, 1334.
Hinricus dei gratia *Præpoſitus*, *Echardus* prior, totusque conventus Novimonaſterii ordinis Sancti Auguſtini Bremenſis dyoces. Salutem in domino ſempiternam. Recognoſcimus tenore preſencium & publice proteſtamur, quod de conſenſu noſtro commutatio facta eſt bonorum, quatuor videlicet manſorum, in villa quæ dicitur *Blomendal*, quos dominus *Tymmo miles* dictus de *Biſtichſe* bone memorie ad vicariam, vel altare perpetue officiandum *in eccleſia parochiali Brügge*, uoſtre prepoſiture donavit, cum bonis, dimidia ſcilicet villa, quæ dicitur *Sconenhorſt*, cum manſis, ſilvis, pratis, paſcuis. judicio majori & minori, & preſeiſe cum omni utilitate & fructu, ſicut in terminis ſuis ſita eſt, ita videlicet, quod Plebanus in prædicta eccleſia Brügge, quicunque pro tempore fuerit, predictam dimidiam villam cum omni proprietate, utilitate ſeu fructu in perpetuum poſſideat & vicariam predictam ſeu altare per ſacerdotem ſibi convenientem officiare faciat & procuret: quod ſi non fecerit, eundem condicta ſervare requiſiti per cenſuram eccleſiaſticam monebimus & cogemus. In evidentiam igitur & teſtimonium premiſſorum ſigilla noſtra preſentibus ſunt appenſa. Datum & actum, Anno domini Milleſimo, Trecenteſimo, triceſimo quarto, tercio Kalendas Novembris.

CXXXVIII.

Fratres de Biſticſee vendunt Eccleſiæ in Brügge dimidiam in Schöneborſt cum molendino & omnibus juribus & attinentiis ſub ſolita evictione & reſervatione feodi.

Nos *Sifridus & Elerus fratres dicti de Biſticſee*, recognoſcimus & tenore præſentium proteſtamur, nos de conſilio & conſenſu propinquorum noſtrorum, ac omnium illorum, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, vendidiſſe diſcreto viro, domino *Hinrico* dicto *Godethit Rectori Eccleſiæ in Brügge* Bremenſis dioceſis, ſeu cui vel quibuscunque aſſcribere, dimittere vel donare decreverit, hæreditatem noſtram, dimidiam videlicet villam, quæ dicitur *Schoneborſt*, cum toto molendino ibidem, cum omni proprietate & judicio majori & minori, nec non pratis, paſcuis, ſilvis, paludibus, agris cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus, ſeu inſtagnationibus & præciſe, cum omni utilitate & fructu, ſicut in terminis ſuis ſita eſt, cui etiam *cautionem, quæ vulgariter dicitur Sele*, fecimus coram plebe. FEODUM autem, quod *in judicio dictæ villæ totalis habuimus*, nos & hæredes noſtri dicto domino Hinrico, ſeu cui, vel quibus ipſe donaverit vel vendiderit, conſervabimus & nulli reſignabimus, niſi dictus 1334.

dictus dominus Hinricus, vel ille seu illi, quorum tunc interesse poterit, jusserit vel jusserint, & ipsius vel ipsorum fuerit voluntatis. Verum quando, ubi vel cui prædictus dominus Hinricus vel dicti voluerint prætactum feudum, resignabimus, contradictione qualibet non obstante. Ut autem hæc venditio *& feodi conservatio* rata ac inconvulsa maneat, nec a quoquam heredum vel propinquorum nostrorum aliquatenus infringatur, sigilla nostra & testium infrascriptorum præsentibus sunt appensa. Testes autem sunt dominus Benedictus senior, dominus Benedictus junior, dicti *de Alvelde* milites, Vulf, Thymmo & Sifridus famuli, patrueles nostri, dicti de Bysticsee & quamplures alii fide digni. Acta sunt hæc anno domini M. CCC.XXXIIII. III. Kal. Novembr.

CXXXIX.

Senatus Kylonensis attestatur, Matronam quandam Margaretam Walsche dictam Ecclesiæ B. Nicolai in Kyl pro memoria sua legasse 30. marcas quæ in ædificium rectoris ecclesiæ ibidem sunt conversæ.

1334. Omnibus præsens scriptum cernentibus. *Consules in* KYLONE affectum cum servitio honoris & obsequii quantum possunt. Notum esse cupimus universis, quod constituti coram nobis nostro in consiliatorio *Radolphus de Dranore*, noster *proconsul & Syricus de Sukestorp nostri consulatus consocius* publice testabantur, asserentur causam id omne, quod ad rationabile & condignum testimonium merito fuerit faciendum cum jure requisiti fuerint utique se facturos, quod cum ipsi Radolfus & Syricus una cum seniore *Conrado de Bruns*, Johanne *de Boyenhusen* & Marquardo *Buman* quondam nostris proconsulibus nunc defunctis nostrorum omnium, qui tunc temporis dicto consulatui Kylonensi præsidebamus, plenissimis ex mandatis honorabilem virum dominum *Hinricum*, quondam *præpositum* PORETZENSEM pro *triginta marcis Lubecensium denariorum* per quandam honestam matronam nomine *Margaretam Walesche* ad perpetuos redditus in usum utilitatemque *Rectoris Ecclesiæ apud nos Beati Nicolai*, quicunque pro tempore esset exinde facientes suæ animæ pro salute, ac pro perpetua memoria ipsius matronæ omnibus diebus festivis de Ambone perpetui habenda, testamentaliter assignatis commonitum habuerunt. Præmissus dominus Hinricus Præpositus, in curia dicti *cœnobii Poretzensis* proprie ecclesiam & campanile constitutus coram memoratis nostris conconsulibus ac quamplurimis cœteris fide dignis evidentius fatebatur, se prædictas triginta marcas integraliter percepisse, ipsasque *in lapideum camenadium* in dote Kylense per ipsum constructum, tunc vero a venerabili domino, *Hinrico Novomonasterienſis Ecclesiæ præposito* post resignationem ante dictæ suæ Ecclesiæ Kylens. totaliter persolutum plenarie convertisse multum verisone eisdem nostris consociis promittendo, se prænarratam pecuniæ summam tunc in tempore expedicius soluturum, quod tamen repentina sua morte faciente minime adimplevit. In ejus vero testificationis coram nobis factæ sub anno domini M. CCC. XXXIIII. feria sexta proxima post decollationem beati Johannis baptistæ evidens testimonium, nostrum majus sigillum præsentibus duximus appendendum.

CXL.

Johannes Comes Holsat. vendit N. Monasterio censum Greveschat dictum in parochia Bredenberge pro 300. marc. eidemque concedit plenam exemptionem omnium onerum, salvo tamen jure reluitionis.

Omnibus præsentia visuris, *Johannes* Dei 1334.
gratia *comes Holtsatiæ & Sturmariæ* salutem in domino. Discretorum humanæ sagacitatis providentia circumspecta constituit, ut per præsentia litterarum sigillique instrumenta acta præsentia immutabiliter observentur. Ad noticiam igitur præsentium & futurorum cupimus pervenire, quod *censum nostrum*, qui dicitur *Grevenscath* & omnia, quæ de jure, consuetudine vel amicitia habuimus vel habituri sumus in parochia *Bredenberghe*, honorabilibus viris, Præposito & conventui in novomonasterio pro trecentis marcis Lübecensibus monetæ mera vendidimus emptione, ita quod a prædictam parochiam inhabitantibus nullum de cœtero *censum, precariam* vel *servicium* & præcise nihil omnino minus vel majus *ex justicia, consuetudine* vel *amicitia* exigere debeamus. Unde dictam parochiam cum omnibus suis proprietatibus & adjacentiis, pratis, pascuis, cultis & incultis, deserto & heremo & præcise cum omni utilitate & fructu prædictis Præposito & conventui liberam resignamus, renunciantes omnibus juribus & utilitatibus, quæ ratione dictæ parochiæ ad nos vel ad heredes nostros in posterum ex jure, consvetudine vel amicitia devolvi poterint vel quomodolibet aliter devenire. Nichilominus tamen ex favore speciali prædicti Præpositus & conventus annuendo consentiunt, ut nos vel heredes nostri nulli alteri permittentes, sed ad usus nostros proprios dictum *censum nostrum* infra decem annos a dato præsentium, quandocunque conveniens nobis fuerit, *reemere ab ipsis poterimus pro pecunia ante dicta*. Quod si non fecerimus, sine omni impetitione nostra & heredum nostrorum, sæpedictis præposito & conventui eadem parochia in perpetuum libera permanebit. Si vero tempore oportuno prædictam reemerimus, pecunia integraliter soluta, deinde infra annum immediate sequentem a prædictæ parochiæ inhabitatoribus de jure consvetudine vel amicitia nos vel hæredes nostri nichil omnino petere volumus vel debemus. Cuicunque etiam vel quibuscunque præfati præpositus & conventus sæpedictam parochiam ex necessitate forte vel utilitate obligaverint vel vendiderint, emens vel ementes prædicta gaudebunt per omnia libertate. Ne igitur hæc venditio a nobis vel a quoquam heredum

dum vel ſucceſſorum noſtrorum infringi vel immutari valeat, præſentem paginam noſtri ſigilli appenſione fecimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt Gotſcalcus *de Aſcheberghe*, Nic. & Ywanus dicti *de Reventlo*. Marquardus dictus *Brucdorpe* milites. Gerlacus dictus *Watmolte* noſtri vaſalli. Dominus Bertramus & Hinricus Capellani. Datum Plöne Anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo quarto in vigilia paſchæ.

CXLI.

Borchardus Archiepiſcopus Brem. concedit conventui N. Monaſterii ut ob commodiorem clauſtri translationem, expenſarum & onerum ſupportationem & redituum augmentationem Eccleſia parochialis in Brügge coenobio Borsholmienſi poſt obitum præſentis Rectoris uniatur.

1335. *Borchardus* Dei gratia, *ſanctæ Bremenſis eccleſiæ Archiepiſcopus*, omnibus præſentia viſuris ſeu audituris in omnium Salvatore ſalutem. Juſtum & rationi conſentaneum judicamus, ut de ſalute ſubditorum ſollerter cogitantes, tribulationibus compatientes & onera ſupportantes de profectibus ſalubriter intendamus. Sane petitio religioſorum virorum Præpoſiti & conventus Novimonaſterii ordinis ſancti Auguſtini noſtræ dioceſis nobis exhibita continebat, quod cum ipſi clauſtrum ſuum *propter ineptitudinem loci prioris*, ad locum alium magis congruum de prædeceſſorum noſtrorum ac noſtro conſenſu & diſcretorum conſilio tranſtulerunt & ob hoc *expenſas requirunt ad magna & nova ædificia ſumptuoſas*, & ipſi clauſtro *ultra conſuetudinem accreſcit hoſpitalitas*, quod ad ſupportandum onera talia non ſufficiat ipſorum redituum quantitas; *inundationes* etiam, quæ jam longo tempore duraverunt *in locis paluſtribus, ſcilicet Bysborſt & circumjacentibus*, in tantum redditus monaſterii minorarunt, ut officiales monaſterii, præcipue cuſtos & camerarius minus ſufficiant facere, quæ tenentur pro augmentatione redituum ad relevationem multorum onerum, eccleſiam parochialem in Brügge noſtræ dioceſis prædictæ, quam aliqui per canonicos ſuos officiare conſveverunt, quod jam aliquo tempore per actus contrarios eſt mutatum, in qua tamen adhuc collationem & inſtitutionem obtinent, unire & incorporare menſæ ipſorum & monaſterio dignaremur. Nos igitur in deſolationibus compaſſionem habentes & neceſſitatem cum utilitate prædicti monaſterii ex cauſis prælegatis legitimis prætendentes, deliberatione præhabita diligenti, cum capitulo noſtro de ejusdem capituli conſenſu eandem *Eccleſiam in Brügge cum ſuis fructibus*, redditibus, proventibus, obventionibus & juribus quibuslibet prædictis Præpoſito & conventui menſæ ipſorum & monaſterio incorporamus, annectimus & unimus, concedentes libere, ut cedente vel decedente rectore, qui nunc eſt, deinceps & in perpetuum præpoſitus prædicti monaſterii, qui pro tempore fuerit, eandem Eccleſiam per perſonam ydoneam regularem vel ſecularem, quam inſtituere decreverit officiare & nihilominus in eadem eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare & deductis oneribus expenſarum neceſſariarum ſæpe dictæ Eccleſiæ proventus & redditus ſuperfluos ſuis valeat uſibus applicare. In evidentiam igitur & teſtimonium præmiſſorum ſigillo noſtro una cum ſigillo capituli noſtri ſupradicti præſentia duximus roboranda. Datum & actum Bremæ Anno domini MCCCXXXV. IX. Kalend. Septembris.

CLXII.

Borchardus Archiepiſc. Brem. permutat Eccleſiam Asle cum Eccleſia Brügge & Novomonaſterienſibus de valore excedente canonicam facit recompenſam.

1335. *Borchardus*, Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, omnibus præſentia viſuris ſeu audituris, ſalutem in omnium ſalvatore. Quia debitis ſolempnitatibus obſervatis, *Eccleſiam in Asle* noſtræ dioceſis, ad menſam præpoſiti noſtræ prædictæ Bremenſis Eccleſiæ deputatam, cum *Eccleſia in Brügge*, ſimiliter noſtræ dioceſis, ad menſam præpoſiti Novimonaſterii & conventus ſui deputata, etiam noſtræ dioceſis, *de conſenſu ſeu conſilio capituli noſtri* permutationem (*) celebravimus, pro eo, quod poſſeſſiones temporales prædictæ Eccliæ in Asle præponderant poſſeſſionibus temporalibus prædictæ Eccleſiæ in Brügge, decrevimus recompenſam temporalium fieri canonicam & condignam. Ordinamus igitur & decernimus, ut poſtquam Rector in Asle, qui nunc eſt, diſceſſerit & præpoſitus Novimonaſterii, quicunque pro tempore fuerit poſſeſſionem pacificam eccleſiæ in Asle ſibi & monaſterio ſuo per viam permutationis unitæ, fuerit aſſecutus, Triginta marcas denariorum Lubicenſium redditus in permutatione prædictæ Bremenſis Eccleſiæ Præpoſito, qui pro tempore fuerit aſſignatus, dimidietatem in feſto Nativitatis domini & dimidietatem in feſto Johannis Baptiſtæ ſine impedimentis eroget & exolvat, quoad usque idem Præpoſitus & conventus ſuus ſupradictæ Bremenſis Eccleſiæ Præpoſito prædictos redditus in certis bonis & ſibi competentibus comparaverit, vel quadringentas marcas denariorum Lübecenſium paratas dederit pro redditibus in recompenſam temporalium ſecundum noſtrum, noſtri prædicti Præpoſiti & capituli conſilium, ad dignitatem & menſam ejusdem Bremenſis Præpoſiti ſingulariter comparandis. Quo facto volumus retroacta conſcribi & iterum per literas innovari. Verum ſi prædictam Eccleſiam in Brügge, quam ad ſolutionem & annuam penſionem quindecim marcarum denariorum Lübicenſium prætaxamus priusquam prædictam eccleſiam in Asle vacare contigerit, ſupra dictus præpoſitus noſtræ dictæ Bremenſis eccleſiæ taxatus quindecim marcas a vicario in ea ſubſtituto, annuatim percipiet cum integra

tegra recompenſa ſupra dicta per ſæpe dictum Præpoſitum novimonaſterii & conventum ſuum, modis quibus præmittitur, exolvenda. Et ut prædicta firmiter obſerventur, ipſa conſcribi & ſigillo noſtro fecimus roborari. Datum Bremæ Anno domini M.CCC. Triceſimo quinto in die Michaëlis Archangeli.

(*) Rationem hujus permutationis haud perſpexeris. Eccleſia enim *Brügge* in vicinia eſt & Novomonaſterienſibus proxima & commoda; *Asle* vero Stadio vicina trans Albim ſita eſt. Sed dabit tamen Borchardus rationem in ſequenti permutationis hujus inſtrumento, hanc quidem: quod Asle Eccleſia, *Neomonaſterienſibus adverſitatis tempore refugii loco eſſe poſſit.*

CXLIII.

Specialis prædictarum Eccleſiarum permutatio, ſecundum æqualitatem ſpiritualium ſimpliciter facta, ſed ratione poſſeſſionum & redituum temporalium Eccleſiæ Aſel, alteram in Brugge valore ſuo ſuperantium & præponderantium, eccleſiæ priori in Aſel in compenſationem 30. marcæ adduntur.

1335 *Borchardus Dei gratia, ſanctæ Brem. Eccleſiæ Archiepiſcopus*, præſentia viſuris ſeu audituris ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Diſcretorum ſagacitas facta rationabilia ſtuduit literarum teſtimoniis perhennari, ne poſterorum calumpniis valeant irritari. Proinde noverint univerſi tam poſteri, quam præſentes, quod conſtituti coram nobis honorabiles viri, Domini Otto Præpoſitus noſtræ prædictæ Bremenſis Eccleſiæ *de Eccleſia ſuæ menſæ unita*, dicta *Asle*, & Henricus Præpoſitus Novimonaſterii noſtræ dioceſis *de Eccleſia Novomonaſterio ſuo unita*, dicta *Brügge* petierunt auctoritate noſtra de conſenſu capituli noſtri, obſervatis circa hoc obſervandis, permutationem celebrari. Cum autem utilis ea permutatio Eccleſiarum licite fieri permittatur, nos conſiderantes ex parte Præpoſiti prædicti Bremenſis, quod poſſeſſionibus ad æqualitatem faciendam transferendis, poſſit ipſi Præpoſito multo melius & utilius provideri & per vicarium ſuum in Eccleſia Brügge conſtitutum jura noſtræ prædictæ Bremenſis Eccleſiæ diligentius conſervari. Ex parte autem Præpoſiti Novimonaſterii prædicti & Eccleſiæ ſuæ, quam prædeceſſores noſtri fundaverunt, bonis dotaverunt, privilegiis & honoribus extulerunt, ob hoc etiam ſpeciali favore ducti, perpendentes eundem Præpoſitum tum ratione morum, tum ſuorum negotiorum neceſſe habere nos ſæpius viſitare & præpoſitum diſcrimina viarum & iter tum *Albiæ tranſitum* ſummopere indigere, ut poſſit cum ſuis in Eccleſia prædicta Asle eundo & redeundo ſecurius quieſcere & de fructibus illius ſumptus ſumere, eandemque Eccleſiam *pro loco refugii tenere, aduerſitatis tempore*, & ex ea monaſterii ſui jura & libertates, in quibus graviter & frequenter læditur, defenſare. Utilitatibus igitur cum neceſſitate diligenter conſideratis, conſiliis & tractatibus cum capitulo noſtro ſuper hiis habitis, reſignatis nobis prædictis Eccleſiis permutandis, de conſenſu ejusdem capituli noſtri ſupra dictam permutationem expedire tam perſonis quam locis prædictis pronuntiamus: Et primo *ſpiritualia* prædictæ Eccleſiæ *in Asle*, cum ſpiritualibus *prædictæ Eccleſiæ in Brügge* ſimpliciter permutamus. Quia vero *poſſeſſiones temporales* prædictæ Eccleſiæ in Asle præponderant poſſeſſionibus temporalibus Eccleſiæ prædictæ in Brügge, de conſenſu Præpoſiti Novimonaſterii prædicti & conventus ſui adjiciendo reditus triginta marcarum denariorum Lubec. ſupra dicto Bremenſi Præpoſito decernimus aſſignari & ſic temporalia prædictæ Eccleſiæ in Asle cum temporalibus prædictæ Eccleſiæ in Brügge diviſim ac ſecundario permutamus, ut ſic *permutatio prædicta rationabilis ſit & juſta*, & digna fiat per redditus prædictos poſſeſſionum temporalium recompenſa. Transferimus itaque dictam *Eccleſiam in Brügge* cum ſuis fructibus, obventitionibus, pertinentiis univerſis & redditibus prædictis *ad jus & proprietatem Præpoſiti Bremenſis Eccleſiæ*, quicunque pro tempore fuerit, & ipſam dignitati & menſæ ejusdem Præpoſiti ſui incorporamus, annectimus & unimus. *Eccleſiam vero in Asle* prædictam cum ſuis fructibus, obventionibus, pertinentiis & redditibus univerſis *ſæpedicto Præpoſito Novimonaſterii & ſuo monaſterio* annectimus, incorporamus & unimus, eandem ad jus & proprietatem ejusdem Præpoſiti & ſui monaſterii perpetuo transferentes, decernentes nichilominus & concedentes libere per præſentes, ut cedentibus vel decedentibus Plebanis, qui nunc in utraque ſunt Eccleſia, ex tunc & in perpetuum quilibet præpoſitorum prædictorum Eccleſiam per viam permutabimus ſibi unitam, ut præmittitur, per miniſtros temporales, regulares officiari & in ea ſacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare & deductis omnibus, expenſarum fructus & reditus ſuperfluos ſuis valeat uſibus applicare. Ambobus autem prædictis Præpoſitis Archidiaconatum & jurisdictionem ſpiritualem in ſuis primis Eccleſiis retinentibus, nullus eorum Vicarium alterius in Eccleſia permutata ſubſtitutum, per exactionem aggravabit vel quomodolibet aliter *talliabit*. (*) Quia tamen Vicarii ad mandata promti conſveto more ſuis Archidiaconis vel eorum vices gerentibus expenſas in ſervandis ſinodis miniſtrabunt. In evidentiam igitur & teſtimonium prædictorum & munimen perpetuum prædicta conſcribi & ſigillo noſtro una cum ſigillo capituli noſtri ſupra dicti fecimus communiri. Datum & actum Bremæ Anno Domini M. CCC. XXXV. IX. Kalendas Octobris.

(*) *Talliare* idem ac exigere, tributum, multam imponere. *Tallia* dicuntur *indictiones, cenſus* a Saxonico *talan*, detrahere, abſcindere, carpere. Sæpius in vetuſtis chartis ſub *Tal-*

liarum nomine veniunt *Stiuræ*, *Precariæ*, *Bedæ*, *Orbedæ*. Vide CHRIST. ULR GRUPEN *Discurs. Forens. p. 885.* ibique LAMBECIUM & MEICHELBECK. MARTENE *in indice onomast. vocum barbar. T. V. Anecdot. p. 1899.* ubi *formula:* gaudeant immunitate ab omnibus *talliis, quæstis, forciis & toltis.* De *talliis personalibus* Francilibus seu liberis, talliis panis & vini, altis & bassis, voluntariis, de mortua manu & *amoissonatis* quæ in certa frumenti quantitate præstabantur, fuse egit DU FRESNE *T. VI. p. 976. sqq.*

CXLIV.

Confœderatio Monasterii Ordinis S. Augustini montis Sanctæ Mariæ in Jasenitze Caminensis dioceseos cum Novomonasterio, seu Ecclesia Borsholmensi, cui prædictus Conventus se & suam Ecclesiam tanquam filiam subiicit cum omni obedientia & perpetuo visitationis jure.

1336. In nomine domini Amen. Universis Christi fidelibus præsentia visuris seu audituris, *Erthmarus, dei gratia Præpositus, Symon Prior, Johannes de Lübeke*, Hartvicus *de Lubeke*, Hinricus *de Tempelin*, Johannes *de Brunswich*, Gerardus *de Gripenhagen*, Vredehelmus *Strikenbergh*, Johannes *Barwot*, Arnoldus *de Vito*, Johannes *Scotdorp*, *Presbiteri*, totusque conventus canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, Montis sanctæ Mariæ *in Jasenitze, Caminensis dioceseos*, salutem in domino sempiternam. Rationabiliter a posteris servabitur, quicquid a prædecessoribus salubriter ordinatur. Hinc est quod ad noticiam illorum, quorum interest vel interesse poterit, cupimus pervenire, quod nos fraternæ dilectionis & obedientiæ majoris fructus & merita cum commodis & utilitatibus acquirere cupientes, Monasterium nostrum personas & res, honorabilibus Viris, dominis Præposito & conventui in novo monasterio, ordinis supradicti Bremensis dioceseos, patrum & prædecessorum nostrorum vestigia secuti voluntarie subjecimus & subjicimus in perpetuum per præsentes, præsertim cum venerabilis patris & domini, domini Friderici Episcopi diocesani nostri, Conradi Præpositi totiusque Capituli Caminensis Ecclesiæ voluntas ad hoc accesserit & consensus, & eandem auctoritatem, quam *mater ecclesia super filiam Ecclesiam* habere dinoscitur, eosdem præpositum & conventum super nos & monasterium nostrum habere recognoscimus & præsentibus protestamur. Cum autem visitatio nostri monasterii seu personarum eidem præposito in Novomonasterio, quicunque pro tempore fuerit, a supradictis dominis Episcopo & Capitulo in perpetuum sit commissa: Nos in potestate ejusdem domini præpositi relinquimus, ut pensatis Ecclesiæ nostræ facultatibus in eadem constituat numerum personarum. Præterea mutationes vel transpositiones earundem ad suam Ecclesiam vel ad alia loca, in quibus Canonici suæ Ecclesiæ, seu nostræ esse vel stare consveverunt, secundum suæ discretionis arbitrium ordinentur, ita tamen quod personæ nostræ sic transpositæ vel locatæ eisdem juribus & commodis, quibus suæ, nisi fuerint pœnitentes, in victu gaudeant & vestitu, dormitorium, Refectorium, Capitolium, Oratorium cum suis canonicis frequentantes. Statutum autem numerum in missione personarum non excedet, ita videlicet, ut quod personas de Ecclesia nostra vocaverit, tot de Ecclesia sua & non plures remittat, & quot de Ecclesia sua miserit, tot de nostra revocet e converso, cum sibi *potestas æqualis in hoc casu* in ambabus Ecclesiis relinquatur. Verum si necessitas vel utilitas, personas ultra numerum statutum transponere vel mittere cogerit vel svadebit, nisi prius noster requiratur & detur consensus, nullatenus attemptetur. Personæ autem transpositæ vel transmissæ, erunt sub illius Ecclesiæ, ad quam mittuntur vel vocantur (vocantur) obedientia prælatorum. Si vero mutabuntur in alia Ecclesia perpetuo mansuræ, ab obedientia prioris prælati debent absolvi & alterius alligari. Pœnitentes autem nunquam nisi in gravioribus culpis vel gravissimis, & si in Ecclesia propria sine scandalo vel detrimento corrigi non poterunt, transmittantur, cujus scandali vel detrimenti examen & judicium *discretioni & arbitrio solius visitatoris est cum gratia facienda pœnitentibus*, relinquendum. Cœterum cum sæpedicto domino præposito visitatori nostro ratione subjectionis seu visitationis de nobis & Ecclesia nostra debeat esse tuta, dignum duximus & præsentibus arbitramur, ut deinceps & in perpetuum nulla persona in nostrum recipiatur collegium, *eligatur vel postuletur in Prælatum* nullaque bona alienentur, nisi suum super eo requiratur *consilium & consensus.* Præterea Litteras confœderationis, alias super religiosis observantiis & obligationibus aliis datas desideramus & volumus in suæ firmitatis robore jugiter permanere; si ista confœderatio & obligatio facta non fuisset, nostrum monasterium cum omnibus ad Ecclesiam Stetinensem deveniisset. Et ut singula firmiter perpetuis temporibus observentur, prædicta conscribi & sigillis nostris fecimus communiri. Datum & actum in nostro monasterio supradicto, Anno domini Millesimo, Trecentesimo, Tricesimo sexto, feria sexta ante Lætare.

CXLV.

Neomonasterienſium confirmatio & Declaratio confœderationis cum Conventu Jasenitze in Pomerania.

Hinricus Dei gratia Præpositus, Eghardus Prior, totusque conventus canonicorum regularium *in Novomonasterio*, ordinis sancti Augustini Bremensis dioceseos, confratribus sibi dilectis, Præposito, Priori, totique conventui montis sanctæ Mariæ in Jasnitze ejusdem ordinis, Caminensis dioceseos, cum fraterna dilectione salutem in domino sempiternam. 1336.

piternam. Ex quo vobis nobiſcum concordantibus per venerabilem patrem, dominum Fridericum Epiſcopum, Johannem Decanum, totumque capitulum eccleſiæ Caminenſis, commiſſum *viſitationis officium* per præpoſitum noſtrum, quicunque pro tempore fuerit, in perpetuum excercendum & eccleſiæ veſtræ curam ſuſcepimus, dignum eſt, ut ei fraternæ caritatis beneficia rependamus. Sane prædictam eccleſiam veſtram conſovere, ſicut mater filiam, cupientes eandem, præſentibus concedimus & annuimus, ut quotienscunque perſonæ veſtræ ad nos transmiſſæ fuerint, vel vocatæ, niſi fuerint poenitentes, plenarie recipiant in victu & veſtitu quicquid noſtris canonicis contigerit impertiri, ſtantesque ſub obedientia noſtri prælati, utpote ſuperioris ſui, chorum, Capitolium, Refectorium, dormitorium in Eccleſia noſtra & foris, ſi contigerit eſſe, ſicut noſtri canonici conſueta regulariter conſervabunt. Præterea ſi nos perſonas noſtras ad vos miſerimus, tot revocabimus, quod mittemus. Statutum autem numerum veſtrum in miſſione perſonarum ſine veſtro conſenſu nullatenus excedemus. Quod ſi forte neceſſitas vel utilitas ſvaſerit fiat quod concors præpoſitorum diſcretio faciendum utrobique veretur, ne per commiſſum nobis viſitationis officium ſingulis annis veſtram per expenſas & noſtram per labores gravemus eccleſiam, concedimus ut Præpoſitus veſter, qui pro tempore fuerit, vel aliquis diſcretus de conventu de compoto ſtatuque veſtro plenius informatus, cum literis infra paſcha & feſtum Johannis Baptiſtæ ſingulis annis ad nos mittatur, quod ſuper hiis apud nos diffinitum & terminatum faciendumque vel ſervandum fuerit, relaturus. Veruntamen per hoc prædicto præpoſito noſtro nolumus, quoad excercendum viſitationis officium, derogari, qui etiam viſitationem per ſe vel ſuos vel relationem per veſtros differre vel ſecundum quod expedire videbitur, poterit moderari, ad minus autem de triennio ad triennium informationem per veſtros recipiet, modo quo præmittitur, de præmiſſis, præſertim, ſi non fuerit evidens utilitas vel urgens neceſſitas contradicens, de quibus diſcretioni ſuæ relinquitur judicare. Et ut prædicta firmiter & inviolabiliter obſerventur, ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Datum & actum in monte ſanctæ Mariæ in Jaſnitze Anno domini milleſimo triceſimo ſexto, feria ſexta poſt cantate.

CXLVI.

Literæ Transactionis inter Conventum Bordisholm & Senatum Kilonienſem, quibus jura fundationis & patronatus Eccleſiæ Kilonienſis Senatus civitatis ſtabiliuntur, Monaſterio vero jura Clerici e Conventu eligendi reſervantur.

Omnibus præſentiâ viſuris ſeu audituris, 1336.
Himricus Præpoſitus Eghardus Prior, totusque Conventus *Monaſterii Novimonaſterii alias in* BARDESHOLM Bremenſis dioceſis, ſalutem in domino ſempiternam. Quoniam ſapientum & bonorum intereſt hominum & præcipue talium, qui præſint aliis doctrina & exemplo, ea quæ pacis ſint & concordiæ ſemper cogitare & ad Dei culturam augmentandam continuis laboribus inſudare. Hinc eſt quod tenore præſentium lucide proteſtamur & recognoſcimus, quod ad ſervandam amicitiam, quam contraximus cum honorabilibus Viris dominis conſulibus *Kylonenſibus*, cum ad eos & eccleſiam noſtram Kylonenſem intravimus, nomine noſtro, noſtrique monaſterii, & omnium ſucceſſorum noſtrorum, cum eisdem in præſentia domini noſtri comitis Johannis & de conſenſu ſuo & concordati ſumus in hunc modum: videlicet, quod ipſis unum de noſtro conventu ſolummodo in *Vicerectorem noſtræ Kylonenſis Eccleſiæ*, quemcunque *ipſi voluerint* deputabimus, qui *duos capellanos ſeculares* & *unum equum* ad uſus Parochianorum ſemper & continue in expenſis teneat, & non debent plures de noſtris *in dicta civitate Kylonenſi reſidere*, niſi unicus ſolus Vicerector, nec debemus *ibidem conventum facere*, nec *aliqua ædificia in dicta dote dictæ Eccleſiæ* aut alibi in dicta civitate Kilonenſi *pro conventu aut Monaſterio habendo*, quocunque futuro tempore erigere vel ædificare *contra voluntatem dictorum conſulum aut ſuorum ſucceſſorum*. Sit etiam in poteſtate dictorum conſulum *juratos Eccleſiæ* ponere & deputare, qui præſint ædificiis eccleſiæ, altariaque & capellas, ubi eis placuerit, conſtruant & erigant ad honorem dei *absque requiſitione noſtra*, oblationes etiam tributorum libere percipiant prout conſueverunt, fundent etiam vicarias in dicta Eccleſia dicti conſules ad libitum ſuæ voluntatis, volumusque ipſis *adhærere in omni defenſione juris ſui* & conſervare eos in *omni antiquo jure*, prout antiquitus in primæva fundatione eccleſiæ & *ante introitum noſtrum* habuerunt & nunquam ipſis præjudicari debeat vel eſſe dampnoſa *acceptatio noſtra dictæ* Eccleſiæ noſtræ Kylonienſi. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum Kylon. anno Nativitatis ejusdem (*) M. CCC. XXXVI. in vigilia Epiphaniæ, præſentibus ſtrenuis Viris dominis Johanne de *Godendorpe*, Johan. *de Revetlo*, Marquardo *Brocdorp*. Johanne *Kyl*, *militibus*, Marquardo *de Emete*, & Marquardo *de Godendorp*, *armigeris* & pluribus aliis teſtibus fide dignis.

(*) Confirmata hæc ſunt a Johanne Archiep. Brem. a. 1415. in Oppido Buxtehude; item a. 1449 a Gerardo Archiepiſcopo Brem. in Caſtro Vördt.

CXLVII.

CXLVII.

Regiſtrum ſive deſignatio bonorum cœnobii in Jaſenitze in Pomerania ab Egardo Priore Novomonaſterienſi, poſt in Præpoſitum Jaſenitzenſem poſtulato relicta. Peſſime ſcripta.

1336. 1358. Ex proviſione venerabilis in Chriſto patris ac domini, domini *Hinrici Swinenborch, præpoſiti monaſterii in Novomonaſterio*, Ego Eghardus tunc prior ibidem, *officio prioratus reſignato*, in præpoſitum Monaſterii montis ſanctæ Mariæ in Jaſenitze poſt reſignationem domini Ertmari, ibidem præpoſiti, Anno domini M. CCC. XXXVI. Kal. Aprilis XIII. fui confirmatus. Statum *diſciplinæ regularis tranſeo*, quia præpoſitus & prior in monaſterio manere *præ timore non audebant: ſtatum* autem *temporalem* ſic inveni. In allodio curiæ clauſtralis fuerunt equi duo, pro 1. talento poſt hæc ambo venditi. Item duæ vaccæ. Item IIII. boves. Item XVIII. agni. Item VIII. porcelli adhuc ſugentes matrem ſuam. Item refectorium, dormitorium & coquina, ſimul fuit quoddam *vetus allodium* a choro longe diſtans & ab aquis; de debitis eccleſia fuit obligata dominis Canonicis in Stetyn in C marc. Item Eccleſiæ Novi Monaſterii in XL marc. Lübicenſes. Borghardo de Golnow in C. & L. marc. Helwico de Rene in L. marc. Elero de Sundis XVIII. marc. Henningo Roden in XXV. marc. Magiſtro Johanni Oſterroden in XX. marc. Summa DXVIII. marc. *vin Kenoghen.* De vitalitio relicta (vidua) Apothecarii percepit XXIIII. marc. Item II. choros ſiliginis vitalicii. Dominus Appellonius XXIIII. marc. Dominus Wichmannus XII. marc. Dominus Gotſchalcus XI. marc. Dominus Johannes Starcke X. marc. Dominus Hinricus Vettekol II. choros ſiliginis. Hinricus Sarcce (Starcke) X. marc. Albertus de Sagow II. Choros ſiliginis & II. Choros avenæ filia ſua chorum ſiliginis, puella quædam chorum avenæ. Metheim VI. marc. Mag. Nicolaus Secus VI. marc. Conradus de Lyte V. marc. & VI. ulnas pulchri panni, & I. par ocrearum. Summa C. & VI. marc. præter pannum & ocreas. Item VII. chori ſiliginis & chori avenæ. L. vitalicium duobus annis fuit tunc neglectum. De bonis *invadiatis & venditis* civis dicti de Rene perceperunt in Dochgow XX. marc. & XVIII. pullos. Mag. Johannes de Preslavia IIII. marc. ibidem Henningus Pulz XIIII. marc. in Chohagen. Fredericus Möllner IIII. choros ſiliginis de molendino in Knipetave. Johannes de Brakel habuit III. manſos in Triſtrin, qui nunc dant III. choros ſiliginis minus X. marc. ibidem. Ludebertus Scherp IIII. manſos cum molendino in Hakelwert, dantes I. chorum ſiliginis & I. chorum avenæ præter molendinum & VIII. ſolidos & IIII. pullos. Hinricus Proane (Swane) VIII. manſos cum dimidia taberna in Leza, dantes IIII. choros ſiliginis & I. marc. & XXIII. pullos. Henninghus Grambow dimidiam villam Valkenwolde, dantem IIII. choros ſiliginis & III. choros avenæ & XX. marc. & XVI. pullos. Summa LXII. marc. & XVI. choros ſiliginis & IIII. choros avenæ. Hos redditus redemi pro mille, XXX. marc. minus. de proprietate & bonis emptis pro proprietate XV. manſorum & dimidiæ tabernæ in *Maſtorp* cum ſuis attinentiis, pro qua nunc habemus proprietatem novi caſtri juxta *Valckenvelde* & proprietatem IIII. manſorum inſumentem (in Summete) dedi LXII. marc. Item. Schulteto & filiis ſuis in parva Breteke pro duobus liberis manſis & aliis bonis eorum XXXVI. marc. Item in nova taberna fodere feci orcos humlorum pro XXXV. marc. Item emi a Heningho Witten I. chorum ſiliginis, & I. Chorum avenæ in Krimpetaue pro LXXX. marc. Item. emi a Henningho Schenbeken villam antiquam Marpis, cum ſtagno pro DCCC. & L. marc. & poſt hæc ibidem converti LXIII. marc. In ſtructuram, & novella piſcatura ſtagni XXXVI. marc. dare debet annuatim, & villa XXIIII. vel curia & de agro decima, quæ ad altrum dimidium chorum ſiliginis vel cura provenit annuatim. Summa LX. marc. & III. choros ſiliginis & I. chorum avenæ, præter parvam Breteke & Hunnulum, & proprietates ante dictas, pro hiis dedi mille & C. & XXVI. marc. de ſtructuris ſcilicet in dormitorium, refectorium cum coquina, infirmatorium, braxatorium, *caminata præpoſiti cum cellario*, quæ ſimul perierunt incendio, converti CLXV. marc. Item in molendinum & quæ ductum C. & XII. marc. Item in Aſparem & quæ - tam curiæ & foſſam juxta portam LXVI. marc. Item domum laterum cum fornace XXXVII. marc. Item in allodium LXXII. marc. Item in horreum LXXVIII. marc. Item in domum Richardi XII. marc. Item ſtabulum IX. marc. Item in Eccleſiam tranſpoſitam, tranſitum - & commune ſtabulum juxta portam CLXVII marc. Item in tranſitum de dormitorio ad aquas XV. marc. Item in duas tumbas (cumbas) *ad braſſeandum* (zu maltzen) in porcorium factum & renovatum, & phaſetum ad hunnulum XLV. marc. item in piſtrinum poſt incendium LXXIII. marc. Item in domum translatam de monte XXVII. marc. Item in duas domos incaria cum cellario XXIX. marc. Utenſilia, dolea ſc. boiotas, ollas, caldaria pluraque ſimilia non computavi. Item in fundamentum chori & *lapides pedales*, quæ *Wütſthen* vulgo dicuntur & - pedales, qui *remezen* dicuntur, CCCVI. marc. Item in dormitorium ſaxeum, mille & LXII. marc. Item in aliam domum ſaxeam, in fine cujus eſt coquina DCCC. & VI. marc. it. Puteum in Cimiterio VII marc. Summa M. M. M. LXXXIII. marc. de Libris in pſalterium, jeronimi ſuper pſalterium, ſcholaſticam hyſtoriam, omeliarium

de

de tempore & de ſanctis, moralia Gregorii, gloſſam ſuper Apokalipſin & ſermones de feſtivitatibus cum quibusdam aliis in uno volumine. Profectus religioſorum in Yſidorum de ſummo bono & Hugonem de clauſtro in uno volumine. Britonem de expoſitione vocabulorum. item in legendam de tempore & legendam de ſanctis cum omeliis & duos antiphonarios, quorum unus eſt in duobus voluminibus, tria gradualia, unum collectarium, duos ordinarios. Summa Hinr. cum caſibus: decreti metrice, ſumma virtutum & vitiorum in uno volumine. Duos expoſitores græciſmi, *jura vaſallica* teutonice ſcripta CXV. marc. De libris datis dominus Gotfridus de Golnow dedit decretum gloſſatum. Item decretales gloſſatos cum ſumma Egidii in uno volumine. Item ſextum Gloſſatum cum divino - ſuper Regulas juris in uno volumine. Item Clementinum gloſſatum. Item diviſiones ſuper decretum. Item caſus Longos in terminis ſuper decretales. Item Repertorium Wilhelmi Durandi. Item poſtillas ſuper ſecundum decretalium & caſus ſummarios cum ſententia quarti, Joh. Andreæ in uno volumine. Item inſtrumenta juris. Briconem de expoſitione vocabulorum, dominus Joh. Roſow dedit gloſſam bonam ſuper Apocalipſin cum textu gloſſato, quæ alligata eſt paterio in uno volumine. Item ad ſacriſtiam dimiſi unum manſum in Valkenwolde. Item converti in duos calices & præparamenta & in regulam mappæ ſummi altaris & in campanam majorem LXXXVI. marc. Item in cumburium XLIX. marc. & IIII. ſolidos. De quibus a domino Johanne raptore & fratre ſuo Thiderico XVI. marc. IIII. ſolidos minus debeo rehabere. Item procuravi infirmariam inſtitui, ad quam eccleſiam parochialem *in Gobelenhagen* de conſenſu domini epiſcopi & noſtri conventus locavi & unum ſexagenum pullum & præpoſitus quatuor anni temporibus providebit. De dampnis pro - pactatione in Stoltenbergh L. marc. & in Stetin XVI. dedi, quas dominus dux cum eis diſcordavit. In Siggeltowe pro violatione fratris Hinrici LI. marc. It. Hinricus Sagow XX. marc. pro Equo quem tamen non negleximus. Item Magiſtro Apengitere XXX. marc. ex parte domini ducis & paginatori ſuo XX. marc. Item in penkim XLIII. marc. pro avena. it. X. marc. pro uſura. C. marc. domino duci conceſſarum. it. *duciſſæ* XV. marc. ut *iram Ducis mitigaret*, & alia plura quæ ſingulis annis in principes, ſcilicet *Ottonem & Barnymum & eorum officiales* converti ſæpius, ſed non computavi. Item domino Frederico epiſcopo Caminenſi XXV. marc. pro decima ad redemptionem denariorum ſancti Petri. It. X. marc. quando fui confirmatus. Item domino Johanni Epiſcopo Camynenſi XXXVII. marc. pro decima & viceſima. Item per incendium recepimus periculum in ſiligine, braſeo, (Maltz) *himnulo*, carnibus porcinis, bovinis, ovinis, allecibus amigdalis, ſtrumulo, ſale, butiro, *medine*, (methe) cereviſia, lectiſterniis, libris & pluribus aliis, plus quam ad quingentas marcas. Summa DCCC. & XXIX. marc. De redditibus perpetuè dandis præpoſitus *in Sthetyn* percepit II. marc. pro exceptione præpoſituræ, Plebanus *in Puliz* I. marc. pro exemptione parvæ Paſenitze, ſanctimoniales juxta Stetin IIII. Choros ſiliginis de molendino ſutaria. Sed chorum ſiliginis & (½) chorum avenæ pro calciis pauperum ex parte Alberti Idgow. Hos redditus redimiſſe, ſed perceptores eorum vendere noluerunt. De ſtatu temporalium in præſenti *in allodio* ſunt, equi XIX. operarii, II. tauri & XXIII. vaccæ & vituli annales & XXIIII. porci, præter porcellos, & C. & XCI. oves, præter agnos. Spero quod nemini quicquam debeamus præter amicitiam in Deo karitatem. Sunt autem *debitores eccleſiæ* Illuſtris Princeps dominus Dux Barnimus CC. marc. IIII. marc. minus, quas perſonaliter conſcribi juſſit & moneri. Item C. marc. ſibi conceſſas, ſuper quas dederat literas ſigillo ſuo & dominæ Duciſſæ ſigillatas. Item XXVI. marc. de lateribus: cœtera non computavi. It. Becekinus & Ditlevus fratres dicti *Swarte* LXVIII. marc. IIII ſolidis minus. Item Henighus *Puliz* XX. marc. de Teſtamento. Item Thidericus *Raptor* X. marc. Item Joh. *Kote in Laſſan* XXIII. marc. Item Joh. *de Bol* III. marc. Item Petrus *Grimme* XVII. marc. & V. ſolidos. Item *Wriſat* I. tal. Item Nicolaus *Stegelitze* VIII. marc. & IIII. ſolidos. Item Dichardus *Leveſone* V. marc. IIII. ſolidis minus de lignis & carbonibus. Item Thidericus *Schadewachte* IIII. marc. It. Johannes *Bürſow* VIII. marc. pro expenſis. Item Godekinus Alberti - - - - - . Item in nova Warpis Johannes *Woverze* III. marc. Item Johannes de Dobere XV. marc. Item Guſtus VI. marc. Colbertus XXXIII. marc. De annis præteritis cenſus ſtagni Villani in Yaſenitze XCV. marc. cum II. ſolidis. Villani in *Dochow* XCXII. marc. cum VI. ſolidis. Villani in *Kohagen* XX. marc. & VI. modios ſiliginis. Item in *Kniperane* VIII. marc. cum VI. ſolidis & XX. modiis ſilignis & XV. modiis avenæ. Item in *antiqua indagine* (Althagen) XII. marc. cum IIII. ſolidis & IIII. choros ſilignis cum IX. modiis & II. choris avenæ cum III. modiis. Item in *nova indagine* LIII. marc. & XVI. modios ſiliginis & V. modios avenæ. It. in Triſtin (Criſtin) XLI. marc. cum X. ſolidis & II. choros ſiliginis cum I. modio. It. in Hakeluert X. marc. & III. choros ſiliginis cum VII. modiis, & III. choros avenæ cum VI. modiis. It. in Leza LXII. marc. II. ſolidis minus, & XV. choros ſiliginis & IIII. modios avenæ, III. modiis minus. Item in Valkenwolde LII. marc. & VI. choros ſiliginis II. modiis minus, & IX. choros

avenæ, cum V. modiis. Item Tegenort II. marc. & I. ſolidum. In Tartina VIII. marc. & VII. ſolidos. In nova taberna - marc. & III. ſolidos, Johannes Tabernator XIII. marc. & II. ſolid. præter Peterſtorp & Colpin. Summa M. marc. XV. marcis minus. Item XXXIII. chor. ſiliginis & XIX. choros avenæ. Item dominus Bertoldus Parteberch percepit X. marc. vitalicii. Item dominus Thidericus Puliz V. marc. de filia Alberti Jajow dictum eſt ſupra.

CLXVIII.

Continuatio Regiſtri.

Ex ſupra dictis patet, quod quidam ex vitalitio, quidam ex bonis venditis & invadiatis, quidam ex bonis tunc adhuc non emptis CC. & XXVIII. marc. & XXVI. choros ſiliginis & VII. choros avenæ perceperunt annuatim. Item in Jaſenitze, Cegenort, Tartina, Nova taberna & in taberna Johannis, eccleſia habet XLVII. marc. amplius quam habebat & LXXX. pullos præter choros hinnulorum. Item Habemus X. laſtas ſiliginis. Item XIII. choros Braſei de ordeo magno & IX. *choros* ordei adhuc *braſeandos* Item LX. latera carnium, præter carnes fruſtatas, piſces & anguillas & alia plura, quæ nominare foret tædioſum. VI. Tunnas allecium. I. Tunna ſalis. I. chorus piſorum, *hinnulus* non eſt menſuratus. Item locavimus curiam noſtram in antiquo Warpe Hinrico Luchten cum CC. ovibus VIII. vaccis, XVI. porcis, IIII. equis, VI. bobus & pluribus aliis in curia contentis pro XLV. marc. *in feſto ſancti Michaelis* dandis annuatim tali conditione, ut quando reſignaverit, in eodem valore, *quo ſibi præſentata fuerat in ſemine*, pecoribus & aliis utenſilibus repræſentare debet, ſicut in cedulis ſuper hoc confectis plenius eſt expreſſum. Summa omnium expoſitorum pro debitis & omnibus aliis ſupraſcriptis ſex millia & octingentæ & octingenta tres marc. 6883. marc. Hæc computatio & ſtatus eccleſiæ montis ſanctæ Mariæ in Jaſenitze ſupra ſcriptus, facta eſt anno domini M. CCC. LVIII. in die B. Scholaſticæ Virginis.

CXLIX.

Transactio inter Fratres de Smalenſtede & Novummonaſterium de terminis inter Oldenſoren & Smalenſtede congredientibus.

1336. Omnibus præſentia viſuris, ſeu audituris, Johannes & Tymmo famuli, dicti *de Smalenſtede*, ſalutem in domino. Ad noticiam præſentium & futurorum perveniat, quod orta diſſenſione inter Religioſos viros & dominos, præpoſitum & conventum eccleſiæ Novimonaſterii & nos, ſuper quibusdam terminorum diſtinctionibus inter villas *Oldenſorne & Smalenſtede* congredientium, cum conſenſu Vickonis & Nicolai fratrum cæterorumque amicorum noſtrorum in hunc modum amicabiliter concordavimus, ita videlicet, quod prædicti domini inſtagnationem rivi, qui dicitur *Kalbeke*, in latum longum & profundum quousque terminos ſive *campum villæ Nygenſorne* attigerit, liberam optinebunt, omneque ſpatium humidum vel ſiccum, quod prædictam ſtagnationem tetigerit, eisdem dominis liberum & proprium in perpetuum permanebit. Si vero prædicti domini a quoquam amicorum vel poſterorum noſtrorum inſtantiam vel contradictionem ſuper prædictis unquam ſuſtinuerint, nos & hæredes noſtri *disbrigare* volumus & debemus. In cujus rei evidens teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum anno domini Milleſimo tricenteſimo XXXVI. in caſtrino purificationis beatæ Virginis. Cum Sigillo Smalenſtediorum, Urſum tenente.

CL.

Johannes Holſat. Comes concedit Novomonaſterio Jus feudale Molendini Smalenſtede in jus hereditarium commutatum.

Omnibus præſentia viſuris ſeu audituris, *Johannes Dei gratia, Comes Holſatiæ & Stormariæ*, ſalutem in domino Jheſu Chriſto. Ne ea, quæ rationabiliter fiunt, oblivioni tradantur, ſcripturarum expedit teſtimoniis perhennari. Proinde recognoſcimus & tenore præſentium proteſtamur, quod Nos pro remedio ſalutis animarum progenitorum noſtrorum & noſtræ, ex favore & ſpeciali affectu *jus feodale molendini*, quod dicitur *Smalenſtede*, cum ſuis pertinentiis *in jus proprium & hereditarium* commutantes, proprietatem & hereditatem ipſius molendini, cum omni judicio majori & minori Eccleſiæ Novimonaſterii dimiſimus, & præſentibus donavimus & concedimus, perpetuis temporibus libere poſſidendam. Illos autem, qui Molendinum prædictum ad uſus Eccleſiæ prædictæ vendiderunt, ſcilicet Hinricum, Ditlevum, Tymmonem, Fredericum, Nycolaum fratres dictos de Smaleſtede & heredes eorum a SERVITIO PHEODALI, ad quod nobis ratione prædicti Molendini tenebantur, dimittimus in perpetuum abſolutos. Ut autem prædicta maneant firma & inconvulſa, nec a quoquam ſucceſſorum vel heredum noſtrorum aliquatenus infringantur, ipſa conſcribi & ſigilli noſtri appenſione fecimus & juſſimus communiri. Datum & Actum Plöne, Anno domini Milleſimo, Tricenteſimo XXXVI. Præſentibus *clericus noſtris fidelibus*, dominis ſcilicet Bertramo *de Cremun*, canonico Hamburgenſi, Hinrico *de Berichove*, Plebano in Nyenkerken, & Longo *Beyenvlete*, noſtro advocato. 1336.

CLI.

Fratres dicti de Smalenſtede vendunt Conventui Novi Monaſt. molendinum prope Smalenſtede cum omni jure pro 80. marc.

Omnibus

1337. Omnibus, quorum intereſt vel intereſſe poterit, notum eſſe cupimus, quod nos Hinricus, Detlevus, Tymmo, Fredericus, Nycolaus fratres dicti de Smalenſtede, cum conſenſu patruelis noſtri Iohannis, filii Friderici & *omnium propinquorum* & amicorum noſtrorum vendidimus meræ emptionis titulo molendinum noſtrum, ſitum prope villam Smalenſtede cum omnibus pertinentiis fructibus, utilitatibus ſuis, piſcaturis, inſtagnationibus, agris paſcuis & præcipue cum diſtinctionibus & terminis ac pratis, quæ ſe debent extendere ab aqua piſcinæ ipſius molendini in latitudinem novem menſurarum, quæ proprie dicuntur *Vademe*, & a *fluvio Eydere*, vſque ad loca in arido perfoſſata, vel colliculis conſignata, cum omni judicio majori & minori, proprietate eadem, qua nos poſſedimus: ſed ſpecialiter ſuperioris, quæ de monte occidentali deſcendit, ſemitæ libertate, honorabilibus viris præpoſito & conventui novimonaſterii pro octoginta marcis denariorum Lübecenſium, in uſus noſtros in numerata pecunia converſorum. *Pheodum* autem, quod in prædicto molendino habuimus, eisdem Præpoſito & conventui reſignamus, quod ad ipſos prædictum Pheodum novimus pertinere. Promiſimus inſuper data fide, quod nullus ex nobis vel aliquis propinquorum noſtrorum utriusque ſexus prædictæ venditioni debet concradicere, vel ipſam quomodolibet irritare In evidentiam igitur & teſtimonium prædictorum ſigilla noſtra ſimul cum ſigillis Johannis patruelis noſtri prædicti & Wlf dicti de Totekendorpe præſentibus ſunt appenſa. Datum in Kyl Anno domini Milleſimo, Trecenteſimo, Triceſimo ſeptimo in die Ephyphaniæ.

CLII.

Johannes Slamſtorff Archiep. Brem. Vicarium XII. Apoſtolorum a fratribus Wulffiis in Eccleſia Kyl fundatam cum redditibus & jure patronatus Novomonaſterio collatis jam olim ab Archiepiſc. Borchardo confirmatam, de novo confirmat & auget. Fratres Wolffii donant Vicariæ S. Nicolai in Kyl 20. Marcas e Villa Lutjen Vlintbeck ſolvendas, jure collationis & patronatus Præpoſito N. Monaſterii reſervato confirmante id Borchardo Archiepiſcopo.

1338. *Johannes, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus*, univerſis & ſingulis præſentia viſuris ſeu audituris ſalutem & ſinceram in domino caritatem. Univerſitati veſtræ notum facimus per præſentes, quod conſtitutus coram nobis religioſus & circumſpectus Vir, dominus *Marquardus But*, Canonicus regularis *monaſterii Bardesholm*, noſtræ dioceſis, ordinis ſancti Auguſtini, per præpoſitum & capitulum ejusdem monaſterii ad infra ſcripta petendum & obtinendum ſpecialiter deſtinatus, quasdam literas felicis recordationis, quondam domini *Borchardi prædeceſſoris noſtri*, ejus vero & notorio ſigillo impendente ſigillatas, confirmationem & approbationem cujusdam fundationis ſeu dotationis de perpetua vicaria altaris duodecim Apoſtolorum in parochiali Eccleſia Kyl, dictæ noſtræ dioceſis factæ, per bonæ memoriæ Conradum, Hartwicum & Marquardum fratres, dictos Wulff in ſe continentes, omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, ſalvo quod quadam nota vetuſtatis pauliſper dilapſæ videbantur, nobis exhibuit & præſentauit, ſupplicans nobis humiliter, quatenus auctoritate noſtra ordinaria literas ipſas ob diuini cultus augmentum, ne per earum ſucceſſu temporis abolicionem & conſumptionem, id quod ſemel Deo dicatum eſt, ad humanos uſus reverti contingat, innovare & de novo confirmare, ac etiam quædam alia, quæ evidens utilitas dicti beneficii altaris XII. Apoſtolorum exigit & requirit, addere & concedere gratioſe dignaremur. Quarum quidem literarum prædictarum tenor de verbo ad verbum fuit talis.

Nos Borchardus Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, literas diſcretorum virorum Conradi, Hartwici & Marquardi fratrum dictorum Wulff, cum ſupplicatione vivæ vocis ipſius Marquardi recepimus in hæc verba:

Venerando in Chriſto Patri ac Domino ſuo Borchardo, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Conradus Hartwicus & Marquardus fratres dicti Wulff, ad ejus ſervitium in omnibus ſe benivolos & paratos, pro delictis ex fragilitate commiſſis ſtimulo nos urgente parentum, progenitorum noſtrorum, noſtrarumque cupientes mederi languoribus animarum, pro divini cultus augmento ad vicariam in Eccleſia parochiali ſancti Nicolai in Kil perpetuo ſervandam, cujus *collatio & jus patronatus* conſenſu noſtro concordi & unanimi ad honorabilem virum, dominum Præpoſitum Novi monaſterii, quicunque pro tempore fuerit, libera pertinere dinoſcitur perhenniter XX. marcarum redditus in villa Lütken Vlintbeke cum omni judicio majori & minori, libere donavimus & donamus. Reverendæ igitur paternitati veſtræ humiliter ſupplicamus, quatenus dictam vicariam perpetuis temporibus duraturam, auctoritate veſtra ordinaria approbando dignemini canonice confirmare. In cujus liberæ donationis & inſtaurationis noſtræ teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum Anno domini M. CCC. XXXVIII. in octava Apoſtolorum Petri & Pauli.

Volentes igitur piis votis aſſentire & augeri cultum Dei, cupientes, prædictas literas cum omnibus ſuis clauſulis inſtaurationem prælibatam & ipſam vicariam perpetuam ex certa ſcientia ratificamus, approbamus & in hiis ſcriptis in nomine domini confirmamus. Præterea vicario prædictæ vicariæ, quicunque pro tempore fuerit, præcipimus & mandamus, ut *Rectori prædictæ Eccleſiæ in*

Kyl, noſtræ dioceſis, in celebratione miſſarum, frequentatione chori, prædicatione, viſitatione infirmorum & in aliis obſervantiis ad diuini cultus ampliationem ſpectantibus decenter pareat, & ſupra dicto Præpoſito, qui pro tempore fuerit, humiliter obediat in omnibus licitis & honeſtis. In evidentiam igitur & teſtimonium præmiſſorum ſigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum. Datum Stadis Anno Domini M.CCC. XXXVIII. in die Cyriaci martiris glorioſi.

Nos igitur Johannes Archiepiſcopus ante dictus, attendentes inter ſollicitudines noſtras illam eſſe præcipuam, ut diuinus cultus augeatur & animarum ſalutis incrementa felicia procurentur. Hinc eſt quod precibus nobis pro parte dominorum Præpoſiti & Capituli monaſterii Bardesholm prædictorum humiliter exhibitis, pie annuere volentes, præfatas literas Anteceſſoris noſtri cum omnibus & ſingulis ſuis punctis & articulis auctoritate noſtra ordinaria ex certa ſcientia innovamus, approbamus & ratificamus & nichilominus eadem auctoritate *fundationem dicti Altaris XII. Apoſtolorum* & donationem & aſſignationem prædiorum & bonorum prædictorum *ad dotem ejusdem altaris*, & quicquid in hac parte per ſupra dictos fundatores factum ſeu ordinatum extitit, ratum habentes, omnia & ſingula in nomine domini de novo confirmamus & roboramus in hiis ſcriptis, dantes & concedentes dictorum Patronorum de conſenſu, dilecto nobis in Chriſto pro nunc in Bardesholm Præpoſito, cœterisque ſuis ſucceſſoribus perpetuo affuturis jus collationis & inveſtituræ ad vicariam Altaris XII. Apoſtolorum prælibatam, quotiens caſus vacationis ipſius occurrerit, ita quod præpoſitus ante dictus ad eandem vicariam tempore vacationis debito perſonam ydoneam in ſacerdotio actu conſtitutam, vel ſaltem in primo inſtitutionis anno ad presbiteriatus ordinem temporibus a jure ſtatutis promouendam canonice inſtituat, & idem vicarius ſic per dictum præpoſitum inſtitutus tanquam in prædicta parochiali Eccleſia Kyl capellanus in ſingulis obſervantiis circa chori frequentationem, miſſæ celebrationem dum verbi prædicationem, ſacramentorum quorumcunque miniſtrationem & alia quæcunque ad diuinum officium ſpectare noſcuntur obſequia, quando & quotiens per Rectorem dictæ Eccleſiæ in Kyl fuerit requiſitus, effectualiter obligatus exiſtat ſub pœnis infra ſcriptis. Volumus etiam utilitate ſuadente & de conſenſu patronorum prædictorum præcipimus & mandamus, quod idem Vicarius, qui pro tempore ad dictam vicariam Altaris XII. Apoſtolorum fuerit in hujusmodi beneficio ſuo, *reſidentiam faciat perſonalem*, niſi propter veram & manifeſtam cauſam præfatus *Præpoſitus in Bardesholm* duxerit cum eo ad tempus ſuper tali reſidentia benigniter diſpenſandum. Præterea adjicimus & mandamus, quod idem Vicarius Præpoſito antedicto tanquam vero collatori obediat in omnibus & ſingulis ſupradictis, cœterisque licitis & honeſtis. Et ſi forte Vicarius ipſe in aliquo præmiſſorum culpabilis, rebellis vel negligens extiterit, ex tunc damus & concedimus tenore præſentium præpoſito ſæpedicto plenam & liberam facultatem, eundem Vicarium negligentem ac rebellem per cenſuram Eccleſiaſticam ad obſervationem præmiſſorum auctoritate noſtra compellendi & cohercendi, & nichilominus, ſi ſua protervitas hoc exegerit, eundem ſuſpendendi & prorſus amovendi, canonica monitione præmiſſa de beneficio prædicto, & loco ſui præmiſſo modo alium canonice inſtituendi, prout diſcretioni ſuæ videbitur expedire, dummodo tamen contumacia ſua vel rebellio fuerit notorietate juris vel facti evidens & manifeſta. Abſolutionem vero circa præmiſſa neceſſariam nobis noſtrisque ſucceſſoribus expreſſe reſervamus. Datum Anno Domini M. CCCC. XVI. in profeſto B. Petri Apoſtoli in Cathedra, noſtro ſub ſigillo præſentibus impenſo, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

CLIII.

Borchardi A. B. licentia de quodam altari conſtruendo data.

Nos Borchardus Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, vobis, nobis dilecto Conrado, dicto Vulf, licentiamus, ut altare in eccleſia parochiali ſancti Nicolai in Kil, in loco, ubi præpoſitus de Novomonaſterio vobis conſenſit, conſtrui faciatis ad officiandum vicariam per vos & fratres veſtros ibidem ſalubriter inſtauratam. In cujus teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Stadis anno domini M. CCC. XXXVIII. in die Cyriaci martyris. 1338.

CLIV.

Diſcordia inter Præpoſitum Hamb. Præpoſitum Novimonaſter. & Rectorem in Nortorp de quibusdam oblationibus e villa Oldenſören prætenſis enata, componitur per decanum Hamburg. addita ſimul limitum & terminorum præpoſituræ Hamb. & parochiæ Nortorp deſignatione.

Univerſis præſentes literas inſpecturis, Nos Johannes, Decanus Eccleſiæ Hamburgenſis, cupimus fore notum, quod cum nuper inter venerabiles viros dominos Ericum Præpoſitum eccleſiæ Hamburgenſis & Hinricum præpoſitum Novimonaſterii ſuper oblationibus, quas quondam *Rector Eccleſiæ in Nortdorpe* a colonis quondam *villæ Oldenſören* ante *ipſius villæ deſtructionem* habere conſueuerat, fuiſſet diſſenſionis materia ſuscitata. Tandem hujusmodi controverſia per nos, ex parte prædicti domini Præpoſiti Hamburgenſis, ſi ſibi placuerit, taliter eſt ſopita, videlicet, quod Rector dictæ Eccleſiæ Nortdorp, 1338.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nortdorp, qui pro tempore fuerit nichil pro hujusmodi oblationibus a domino præpoſito Novimonaſterii ſeu a ſuo collegio, nunc agros ejusdem Villæ colentibus petere poterit vel etiam vendicare, cum ipſe in præfata villa Oldenſoren nunc deſtructa, nullum jus reale, nec in decimis, nec in annuis penſionibus prius habuerit, nec forte ipſam villam ſuccedente tempore reædificari contingat. Verum ne in poſterum ſuper limitibus ſeu terminis præpoſituræ Hamburgenſis & prædictæ *parochiæ Nortdorp* dubium oriri contingat, prælibatus dominus Præpoſitus Novimonaſterii declaravit, quod limites ejusdem præpoſituræ Hamburg. ſcilicet a rivo dicto *Kalenbeke*, per mediam viam quæ ab antiquo protendebatur usque ad terminos villarum *Schönebeke & Mülebroke* includendo *ſilvam* dictam *Eknuſſe*, inter terminos parochiæ Nortdorpe ſe extendunt. Circa quos quidem limites dominus Præpoſitus Novimonaſterii & ſuum collegium nichil penitus immutando vel innovando in Hamburgenſis Præpoſituræ præjudicium attemptabunt. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum una cum ſigillo memorati domini præpoſiti Novimonaſterii præſentibus literis eſt appenſum. Datum Lubeke Anno domini M. CCC. XXX. octavo, in die beati Apollinaris martiris.

CLV.

Borchardus Archiepiſcopus Brem. mandatum ne intra terminos parochialis Eccleſiæ in Kyl in præjudicium ejusdem miſſæ, divina officia, vicariæ altaria &c. celebrentur & fundentur, ſub cenſura eccleſiaſtica, capella tamen Sancti Spiritus in quibusdam excepta.

1338. Borchardus, Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis præſentia viſuris, ſalutem in domino ſempiternam. Exigit officii mei debitum, ut diſſenſiones & ſcandala, quæ injurioſis actibus aditum præparant, rancores & odia ſuſcitant, ac illicitis moribus auſum præbent, in quantum poſſumus, inter noſtros ſubditos congruis remediis amputemus. Sane ad noſtrum pervenit auditum, quod in parochia *Eccleſiæ Kyl* noſtræ Bremenſis dioceſis & infra ejusdem parochiæ terminos, *in miſſarum & divinorum officiorum celebrationibus* & prædicationibus, nec non vicariarum *ſeu beneficiorum fundationibus & altarium erectionibus* & pluribus aliis modis nonnulla fuerint & etiam temere attemptantur contra ſacros canones, quæ in rectoris dictæ eccleſiæ & parochialium jurium præjudicium vergere dinoſcuntur. Nos igitur hujusmodi abuſiones abolere deſiderabiliter affectantes auctoritate ſacrorum canonum & noſtra, tenore præſentium irrevocabiliter declaramus, conſtituimus & ordinamus, quod nullæ perſonæ Eccleſiaſticæ vel ſeculares in dicta parochia ſeu infra limites ipſius, miſſas, ſeu divinum officium celebrare, ſeu proponere verbum Dei, aut etiam vicarias vel beneficia eccleſiaſtica fundare vel officiare, aut altaria erigere vel conſtruere, per ſe, vel per alios, valeant ſeu debeant, vel quicquam aliud ad jura parochialia pertinens, facere vel attemptare præſumant, *ſine rectoris præfatæ eccleſiæ*, ad quem cura & regimen ejusdem parochiæ ſpectare dinoſcitur, beneplacito & conſenſu, ſi canonicæ ultionis pœnam & excommunicationis ſententiam voluerint evitare: hoc ſane expreſſo, quod in domo *ſeu capella ſancti ſpiritus* dicti opidi Kyl, tres miſſæ tantum & non plures per idoneos presbiteros diebus ſingulis poterunt celebrari. Quæ quidem miſſæ, antequam finiantur in parochia matutinæ, ne diſtrahatur *a vera matrice Eccleſia* populus, ſint finitæ; verbum vero Dei non niſi certis diebus & horis cum nullum præjudicium ipſi parochiali Eccleſiæ facere poterit, proponatur. Præterea ex ſpeciali gratia concedimus, ut præpoſitus novimonaſterii, quicunque pro tempore fuerit, ad quem cura prædictæ parochialis Eccleſiæ ſpectare dinoſcitur, contradicentes & contrarium facientes cujuscunque conditionis exiſtant, per *cenſuram Eccleſiaſticam* cohibere & *canonica monitione præmiſſa*, excommunicare, ab officio ſuſpendere, diſſolutiones etiam clericorum prohibere, & ut clericaliter, decenter & honeſte vivant, & dum interſunt divinis, clericali habitu induantur, præcipere & rebelles per eandem cenſuram eccleſiaſticam cohercere liberam habeat facultatem. Abſolutiones vero ab excommunicationum & ſuſpenſionum ſententiis, quas per prædictum præpoſitum contra rebellantes præmiſſis ferri contingerit, nobis & ſucceſſoribus noſtris tantummodo reſervamus. In evidentiam igitur & teſtimonium præmiſſorum ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum Vordis Anno Domini M. CCC. XXX. octavo, in vigilia Nativitatis ejusdem.

CLVI.

Nicolaus de Alverſtorp Presbiter donat & legat Novomonaſterio 8. Tremodios ordei & bona ſua mobilia & immobilia.

Univerſis præſentia viſuris, *Nicolaus de Alverſtorp*, presbiter perpetuus vicarius in Eccleſia ſancti Nicolai in Kyl, ſalutem in domino. Recognoſco eum proteſtatione præſentium, quod per omnia compos virium & ſenſuum meorum donavi, dono & præſentibus reſigno, redditus VIII. Tremodiorum ordei, ſitos in *terra Ymbria*, (*) quos pro mea pecunia in villa *Peterſtorp* a quodam, nomine Silef Stukenſone comparavi, honorabilibus viris, dominis Præpoſito & conventui in novomonaſterio per eos in perpetuum poſſidendos, vel in alia bona pro ſuo beneplacito commutandos. Præterea eisdem dominis lego & aſſigno omnia bona mea mobilia & immobilia, nomine teſta- 1338.

menti, quod teſtamentum promitto præſentibus me velle nullatenus ſine cauſa rationabili immutare, de duobus autem libris, quos decrevero, & parata pecunia, quam habuero & utenſilibus, habere volo diſponendi liberam facultatem. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum præſentibus eſt appenſum. Datum Anno ab incarnatione domini M. CCC. XXXVIII. in die ſancti Marci Evangeliſtæ.

(*) Femariæ.

CLVII.

Teſtamentum Nicolai Padelyche Presbyteri.

1339. In Nomine Domini amen. Ego Nycolaus Padelyche presbiter, in lecto ægritudinis poſitus, tamen adhuc tam mente quam corpore meis compos, facio & diſpono meum teſtamentum ſub forma infra ſcripta. Primo hujusmodi teſtamentum, quod nuper factum coram domino meo præpoſito Novomonaſterienſi, nunc iterum ſtabilio & affirmo, in hiis ſcriptis firmiter ratificando. Item omnia & ſingula mea utenſilia, dicta *Inghedöm*, quæcunque & qualiacunque habeo, lego Elyzabeth, meæ ancillæ totaliter percipienda & optinenda, cum meis argenteis ornamentis. Item Hennekino Bramſteden aſſigno IIII. marcas Lübecenſium denariorum. Item ad uſum pauperum dono IIII. marcas. Item aſſigno X. marcas ad meam ſepulturam faciendam. Item domui ſancti ſpiritus II. marcas. Item domino Hermanno dono II. marcas. Item Eccleſiæ B. Nycolai in Kyl I. marc. Item Sancto Georgio I. marc. Item *congregationi dictæ Calanth* aſſigno meum novum paſſionale, item meum calicem cum meis præparamentis & miſſali aſſigno ad meam vicariam. Item meum minorem calicem dono domui Sancti Spiritus. Item meas expoſitiones pſalterii do Eccleſiæ in Segheberge. Item illud teſtamentum, quod aliquando fecimus in Ymbria (*Femern*) de unius laſtæ ordei reditibus, quocunque & qualicunque etiam modo prædictum teſtamentum tunc feci & ordinavi, nunc revoco, reclamo, caſſo penitus & omnino, ſed hos reditus unius laſtæ ordei lego & legavi conventui & Eccleſiæ in novomonaſterio pleno jure. Item Harhwick de Alverſtorp tenetur mihi ſolvere in XVIII. marcas & dominus Winerus de Ymbria in V. marcas, quas XXIII. marcas lego filio Hinrico mei fratris. Volens iſtud ultimum teſtamentum fore perpetuo duraturum, quousque ipſum notorie revocabo. Teſtes hujus facti ſunt *Hartw. Boyenhuſen*, Hartwicus *Brameſtorp*, Johannes *Saſtorpe* conſules & Hinr. *Saſtorpe*. Actum anno domini M. CCC. XXXIX Feria quarta poſt invocavit, præſentibus domino *Jacobo Plebano* & *Woldemaro Notario*.

Nos Hartvicus *de Boyenhuſen*, Johannes *de Saſtorpe*, Harthwicus de *Bramſtede*, Hinricus *de Saſtorpe* opidani in Kyl, & *Woldemarus Presbiter*, Notarius conſulum opidi prædicti, Recognoſcimus per præſentes, nos communiter & in ſolidum præſentes fuiſſe cum dominus Nycolaus de Padelyche presbiter piæ memoriæ rite & rationabiliter fecerat & ordinaverat ſuum teſtamentum eodem modo & eadem ſub forma prout in cartula huic preſſulanti annexa, de verbo ad verbum ſatis evidenter & expreſſe continetur. Et in hujusmodi Teſtamentarii facti majorem evidentiam fecimus has duas literas cum preſſulis firmiter connecti & ligari, ipſasque noſtrorum ſigillorum appenſione cautius communiri, (*) ſub Anno domini M. CCC. XL. in feſto B. Mariæ Magdalenæ.

(*) Formalia hæc non juris Rom. ſed Lubecenſis ſunt, quod ſecundum normam Veteris Codicis MSC. apud Kilonienſes obtinuit & hodieque juxta Codicem correctæ editionis obſervatur.

CLVIII.

Marquardus & Johannes Rughemor famuli vendunt patruo ſuo Toma de Delf unum manſum in villa Blomendal pro 36. marc. ſub præſtatione ZEL UND WAR.

Nos *Marquardus*, & *Johannes* filius ejusdem, famuli, dicti *Rughemor*, recognoſcimus tenore præſentium coram ſingulis, quorum intereſt, aut intereſſe poterit, publice profitentes, quod unanimi conſenſu de noſtra voluntate, noſtrorumque verorum heredum vendidimus *Toma de Delf*, noſtro patruo, jure hereditario unum manſum, meliorem de noſtris manſis circa villam *Blomendal* ſitis eligendo, idemque manſus duo talenta ſolvet annuatim pro XXXVI. marcis Lubicenſium denariorum integre perſolutis & expedite; ad quam emptionem, quum ſit hereditaria ac perpetua, antedicti famuli Marquardus & filius ejusdem pro *vera warandia* ſupra dicti manſi, utile & congruum ac expediens dicto Conrado fuerit, ſecundum JUS HOLTZATICUM, puta ZEL UND WAR, penitus facere, ſuis propriis expenſis ſe obligant in hiis ſcriptis. In cujus rei evidens teſtimonium præſens ſcriptum noſtrorum ſigillorum appenſione juſſimus muniri. Actum & datum anno domini MCCCXXXIX in die beati Viti Martiris. 1339.

CLIX.

Johannes Brokow impignorat NMonaſterio judicium villæ Groſſen Vlintbeek ſub ſtipulata evictione.

Univerſis præſentia viſuris, quorum intereſt vel intereſſe poterit, Johannes dictus Brocowe, ſalutem in domino. Notum eſſe cupio tam præſentibus, quam futuris, quod *juriſdictionem ſive judicium, majoris villæ Vlintbeke* ab Eghardo & ſuis fratribus dictis *Soldher*, patri meo felicis memoriæ, domino *Lupo* militi, pro 1339.

pro centum & quadraginta marcis Lübec. inpigneratum & ad fratres meos & me jure hereditario devolutum, honorabilibus viris dominis præpoſito & conventui in novomonaſterio Bremenſis dioceſis pro eadem ſumma pecuniæ impignoravi; Ab eis non per me, vel meos hæredes, nec per prædictum Eghardum vel ſuos hæredes ſed per eum,qui de jure poterit, redimendum. Verum ſi aliquis cujuscunque conditionis exiſtat,prædictam impignorationem impugnaverit, vel prædictos dominos ratione ipſius impignorationis moleſtare vel impetere cum jure voluerit, ego vel heredes mei talem impetitionem habebimus *disbrigare*. Præterea omnis diſſentio ſeu diſcordia, inter prædictos dominos & me, qualicunque de cauſa ſuborta, totaliter eſt ſopita. Et nichilominus omnia debita, in quibus prædictus pater meus, fratres mei & ego prædictis dominis obligabamur, integraliter ſunt ſoluta, præter XL. marcas, pro quibus emerunt molendinum cum uno manſo eidem adjacente *in Havekhorſt*, in quo nobis dederunt pro eadem pecunia infra XX. annos quandocunque poterimus, gratiam, reemendi. Et ut prædicta firmiter obſerventur ego & patrueles mei infra ſcripti, ſcilicet Hartwicus & Marquardus fratres, dicti *Wulf*, Wulff & Nicolaus, dicti *Pogghewiſch* ORE promiſimus & FIDEM *dedimus* MANVALEM. Quod appenſionibus ſigillorum noſtrorum præſentibus proteſtamur. Datum & actum, Anno domini M. CCC. XXXIX. in octava Epyphaniæ ejusdem.

CLX.

Promiſſio de impignoratione judicii villæ majoris Vlintbeke Nmonaſterio facienda.

1339. Nos Johannes de *Brokowe*, & Nicolaus, dictus *Poggewiſch* præſentibus promittimus, quod hoc efficere debemus, ut patrueles noſtri Hartwicus & Marquardus fratres, dicti Wulff & Wulff dictus Poggewiſch eadem promittant, quæ nos promiſimus & ſigillis ſuis approbent placita inter me Johannem & honorabiles viros, dominos præpoſitum & conventum in Novomonaſterio, de impignoratione judicii villæ majoris Vlintbeke & aliis contentis in literis ſuper ea confectis habita, quando fuerimus requiſiti. In cujus teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum anno domini M. CCC. XXXIX. in octaua Epiphaniæ ejusdem.

CLXI.

Johan von Campe verkaufft Johanni von der Nienkerken und Claus von dem Bütle, das Gut zu der Lutteringe in dem BANNE *Cronesmore belegen vor 100. Mark.*

1340. Ich Johan van Kampe, bekenne des in deſſeme gegenwardegen Breve, unde do des ene betüginghe allen den gennen, de ene höret und ſet, (*ſiehet*) dat ick mit *Hinreke Seveken*, Gott ſi eme gnedig, van vulborde und willen Heydenrikes Seveken, und mit vulbord ſines Wyves *Vor*(*)Katherinen, des it ere was, vorkofft hebbe Her Johanni van der Nyenkercken unde Clauſen van deme Bütle, deme Borgere to Ytzeho, dat gut tho der *Lütteringhe*, vor hundert Marck Penninghe, ſonder mathe, in ſolcker Laghe, alſe it gy gelegen hefft, bi heren Hinrikes tiden van dem Yorke, und darna bi Heydenrikes thiden, tho brukende ſonder yeneger leye Hinderniſſe. Des dede wy vornömeden in beydent halven, alſo in dem BANNE en Recht was, und löden (invitare) und beden in ſünte Johannes dage tho Wynachten uppe dat beſchedene gut Schepen und Schulten van dem Cronesmore, dar dat gut in deme Banne lyt, (liegt) und Buere, ut deme Dorpe van Hilghenſtede Schepen und Schulten und andere Bure in derſülven Herſchop. Wy löden och up dat gut und beden Papen, goder Hand Lüde, Borgere unde Buren van Monſterdorpe und na wyſer Lüde anwyſinge nemen wy vor denſulven Schepen und vor den Schulten mit ordelen und mit Banne Vormünde in beydent halven, af enen half ich Johan van Kampe, Hinrick Seveken, Heydenrick Seveke, und ſin *Husvrowe vor Katherine mit eren Vormünde*,und lethen mi up mit uſen Vormunden dat ſülve gut,tho der Lutteringhe, den vorbenömeden twen Hër Johanne Claueſe und eren Vormünden mit Willen und mit ja dat ſulve gut, alſe in deme *Hollanderſchen* BANNE en Recht is. Wi bekennet och yme des, in deſſeme breve, dat wy ym dat gut verkofft hebbet mit alſolcker laghe, als it gelegen hefft mit dike, myt Dicklaghe, de lenghe, de brede, tham und wylde, van der Store, bitt in de ſchede under der Wellen. Wi bekenden och, do des vor den Schepen und vor den Schulten und bekennet nu in deſſeme Breve dat ſe us dat Gut, Her Johan und Clawes na unſeme Willen vorgulden hebbet, den erſten Penningh und den leſten altomale. Wi bekennet ym och, des, dat wy ſe waren ſchölen vor allerleye Anſprake, vor allerleye Hinderniſſe yar und doch, alſo en Hollanderes Recht is. To ener betüghinge deſſer rede, hebbe we Johann van Kampe und Heydenrick Seveke, Helric Seveke und Detleff Seveke henget uſe Ingeſeghee tho deſſem Breve. De Tüge de hyr over weren, dat ſint Her Johann van der *Süderow*, und Her Wolter van *Sünte*, Sixtes de *Preſtere*, Gert *Höken*, Batte *Schulenborch*, Clawes van *den Bütle*, haſſen *Broder*, Lütteke *Doſe*, Egghert van der *Schulenborch*, de Knapen. Johan *der Uthe*, *Buckenhaghen*, Johann *Ditmerſche*, *de Börgere*, *Schepen und Schulten van Cronesmore und Hilgenſtede* und andere bedorve Burë van den ſulven Dörpen und *van Münſterdorpe* und andere Börgere de me nömen möchte, ifft des not were.

were. Deſſe Brev de is gegeven na der bort godes im duſendeſten Yare und dreyhundertſten Yare, in dem verthegeſten Yare, in dem e hilghen Dage, alſe got to hemmele vor.

(*) Vulgo explicari ſolet *Frau*. Ita REHTMEYERVS, STAPHORSTIVS plures. Sed cum in chartis occurrant formulæ: *Vor frue Kirche, vor leve Fru*, manifeſtum eſt *Vor* idem eſſe ac Unſer.

CLXII.

Obligatio Himrich und Claueſs Graffen zu Holſtein in Albernum von der Wiſch ausgegeben auff 46. marck löthigen Silbers und noch 127. marc. Lüb. Pfenninge. an W. Pogwiſchen 500. und an Hartw. Wulff 100. marc. lödiges Silbers.

1340. Wy Hinrick und Claus, van der godes Gnade, Greven to Holſten und Stormeren, bekennen unde betügen openbar in deſsem Breve, dat wy ſind ſchuldig unſem leven Manne, Hern Alberne van der Wiſch, dem Ridder, viff und vertich marck Lödygtes Sülvers und hundert marck und ſeven und twintich marck Lübeſcher Pennige und Wulff Pogwiſche, viff hundert marck Lüb. Penninge und Hartwighen Wulve hundert marck lödyges Sülvers. Dit Sülver und Gelt ſcöle wy en und eren rechten Erven bereden nu to ſünte Mertens Dage, de nu ungeſt tokomende is wenn dat wy des nicht en deden, ſo ſchöle wy en und eren rechten Erven vor jewelike hundert marck teyn marck to ſchaden geven jewelckes Jares, went an de tit, dat dat Hus to Gottorp gelöſet wirt van Detleve van Seſtede und van Wulve und van eren Fründen. Vort mer Welck man dat Hus to Gottorp denne annamet van unſer Wegen, de ſchal en und eren rechten Erven dit vor benömede Sülver und Geld geven unbeworn. Were dat Sacke, dat he des Geldes und des Sülvers denne nicht ne beredde, ſo ſchal he Hern Alberne, Wulve und Hartwige und eren rechten Erven, dat wiſs maken mit guden Lüden, dar ſe anbewaret ſind, dat he enen vor jewelike hundert marck teyn marck ſchal geven to ſcaden jewelckes Jares, bet an de tit, dat dit verſprokene Sülver und Gelt beret is. Dat love wy Greve Hinrick und Greve Claus uſen vorbenömeden Mannen und eren rechten Erven in truwen *mit* ERSAMENDER HANT.(*) Alle deſse vorſcrivene Dinge ſtede und vaſt to holdende, to euer Betüginge und Sekerheit hebbe wy unſe ingeſegele gehenckt an deſsen Breff, und is geſchreven na Godes Bort duſent Jar, drehundert Jar, in deme 40. Jare des Dunredages vor ſünte Johannes Dage, to mit ſommer.

(*) Sine obſtagio, hypotheca, cautione aliisque juris Romani formulis, remediis & ſecuritatibus, quibus hodie utimur, poſtquam fides veterum majorum, *ſtipulata manus, pacta nuda & oralia &c.* in oblivionem & deſuetudinem abiiſſe videntur. Negandum tamen non eſt, quod etiam ipſo Sec. XIII. XIV. juris Canonici & civilis romani formulæ & exceptiones frequenter occurrant in chartis & diplomatibus. Vide Chartam Johannis Comitis ad a. 1340. h. l. & Ludolphi Michaelis Documentum appellationis a. 1346. Cujus rei rationes ex hiſtoria autoritatis juris Romani privatæ & publicæ in Germania ejusque provinciis alibi repetitæ ſunt.

CLXIII.

Volradas Walſtorp miles oppignorat Fratribus de Smalſtede Curiam ſuam in Vorde ſub jure reluitionis pro 500. marc.

Omnibus, ad quos præſens ſcriptum perve- 1340.
nire contingit, *Volradus Waleſtorp* Armiger ſalutem in domino ſempiternam. Tenore præſentium recognoſco, publice proteſtando, me honeſtis Viris Ottoni, nec non Wulve fratribus dictis de Smalſtede, curiam meam in Vorde ſitam pro quingentis marcis Lübec. denar. cum omnibus ſuis adjacentiis & jurisdictione ſub forma pignoris expoſuiſſe, tali conditione ex - interjecta quod quandocunque prædictam curiam ſeu dicta bona a præfatis fratribus, videlicet Ottone & Volve redimere propono in feſto beati Jacobi apoſtoli ante ſequens feſtum beati Martini Epiſcopi proxime eis revelabo (*Loſskündigen*) prædictam vero pecuniam intra muros civitatum *Lübec. vel in Kilone*, in quo iſtorum locorum eis conveniencius fuerit, promptis denariis integraliter perſolvendam. Ceterum profiteor in his ſcriptis, quod prænominatis fratribus antedictam curiam cum omnibus ſuis ſtructuris, (excepto horreo ſolo) molendinis & aliis attinentiis in Feſto B. Martini proxime nunc inſtantis debeam praeſentare. Super quibus firmiter obſervandis dominus Nicholaus de Reventlo dominus Ywanus ejusdem cognominis, Dominus Johannes de Waleſtorp milites nec non Ywanus Waleſtorp, meus frater, una mecum conjuncta manu dataque fide promiſerunt. Ceterum profiteor in hiis ſcriptis, quod ſi eisdem præhabitis fratribus aliquis in prætactis bonis adverſari voluerit, infra annum dimidium & terminum prædictum evitare eis jure ſimiliter vel favore. In cujus rei evidens teſtimonium ſigillum meum una cum ſigillis meorum compromiſſorum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum Vlimbeke Anno Domini M. CCC. XL. feria quarta ante palmas.

CLXIV.

Domini fratres, dicti Schacht, vendunt Henrico Eccleſiæ Brüggenſis Rectori, ejusque fratri Nicolao Godenthid, villam Lütken-Hargen cum omni jure & jurisdictione pro 200. marc.

Univerſis & ſingulis præſentia viſuris vel 1340
audituris, Otto, Detlevus & Marquardus fratres dicti *Schacht* vel *de Ho*, ſalutem in domino. Recognoſcimus & tenore præſentium proteſtamur, quod nos de conſilio unanimi

unanimi & consensu heredum ac propinquorum nostrorum vendidimus meræ emtionis titulo totam hæreditatem nostram, sitam infra terminos villæ dictæ *Lutkenharge*, in parochia Novimonasterii, cum omni judicio majori & minori, cum areis, pratis, pascuis, sylvis, paludibus, aquis, aquarum decursibus & præcise, cum omni utilitate & fructu proprietate & libertate, quibus ejusdem bonis dum ea possedimus, utebamur, honorabili viro domino Hinrico, rectori *Ecclesiæ in Brügge*, Bremensis diocesis, & fratri suo Nicolao dicto de *Godenthyt*, civi Lubicensi, seu eorum veris heredibus vel quibus donaverint aut vendiderint, pro ducentis marcis denariorum Lübicensis monetæ nobis in parato persolutis, facturi prædictis secundum jus terræ, quicquid postulaverint vel eis visum fuerit expedire, ita videlicet, quod statim post datam præsentium eisdem renunciantes bonis possessionem eorundem cum omnibus ædificiis nostræ curiæ & seminibus in proximo festo beati Petri ad Kathedram libere dimittamus: Cautionem vero quæ *Zele und Ware* vulgariter dicitur, *infra annum & diem* ab illis, qui habent, ipsis fieri procurabimus, alicujus dilationis, excusationis vel occasionis scrupulo non obstante. *Pheodum* autem, quod in judicio habuimus & habemus, nos & heredes nostri, sicut propria bona conseruabimus & quandocunque & cuicunque prædicti dominus Hinricus & Nicolaus, vel quibus donaverint vel vendiderint, a nobis requisierint, resignabimus omni dilatione seu contradictione procul motis. Et ut prædicta firmiter observentur, nos fratres prædicti una cum amicis nostris infra scriptis Volrado Præfecto, Nicolao Smalstede, Marquardo de Ho, Hinrico & Johanne fratribus dictis Grip *manuali fide data* promisimus & promittimus in hiis scriptis, quod appensionibus sigillorum nostrorum omnium protestamur. Datum & actum Anno domini M.CCC.XL. in festo B. Nicolai Confessoris. Et nos *Wulff Smalstede*, *Wulff Wokendorpe*, *Detlevus Grip.* omnia & singula supra scripta firmiter observari una cum testibus prænotatis *manuali fide data* promisimus & præsentibus promittimus, quod supappensione sigillorum nostrorum ad præsentia publice protestamur.

CLXV.

Fratres de Smalenstede vendunt NMonasterio villam Tötekendorff cum pertinentiis & libertate deducendi rivum e magna palude effluentem.

1340. Omnibus, quorum interest, vel interesse poterit, Wulff & octo fratres dicti de Smalenstede, salutem in domino sempiternam. Recognoscimus & tenore præsentium protestamur, quod nos cum consilio seu consensu propinquorum & hæredum nostrorum vendidimus meræ emptionis tytulo, honorabilibus viris præposito & conventui in novomonasterio Bremensis dyocesis hereditatem nostram, villam videlicet dictam *Tötekendorp*, cum omnibus terminis suis, judicio majori & minori, colli & manus, silvis, pratis, paludibus, aquis aquarumque decursibus & præcise cum omni utilitate, proprietate, libertate seu fructu quolibet, pro octingentis marcis denariorum Lubicensium nobis integraliter persolutis & *warandiam*, quæ volgariter dicitur *Zele*, fecimus coram plebe. Pheodum autem quod in judicio habuimus seu habemus, nos & hæredes nostri prædictis dominis conservabimus, sicut propria bona nostra, & nulli resignabimus, nisi ipsorum fuerit voluntatis: Verum quando requisiti fuerimus, cui voluerint, ipsum *Pheodum* debebimus resignare. Ut autem prædicta firmiter observentur, nec a quoquam heredum nostrorum aliqualiter infringantur & ut libere possint deducere rivum, qui ex magna palude effluit, & prædictam villam defluit ubicunque voluerint, nos cum patruelibus nostris subscriptis promisimus & præsentibus promittimus fide data. Si vero quisquam eos in deductione rivi prædicti impedire voluerit, nostrum erit *cum justicia disbrigare.* In evidentiam igitur & testimonium omnium præmissorum, sigilla nostra una cum sigillis patruelium & propinquorum nostrorum, videlicet Wolderi & Lupi fratrum dictorum de Smalenstede, Wolderi & Henrici fratrum dictorum Svin, præsentibus sunt appensa. Datum & actum anno domini millesimo trescentesimo quadragesimo dominica, qua cantatur lætare Jherusalem.

CLXVI.

Johannes Comes Holsatiæ donat Novomonasterio judicium majus & minus in villa Flintbeke perpetuo possidendum.

Universis præsentia visuris, Johannes Dei gratia, Comes Holtzatiæ & Stormariæ, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ad hoc acta modernorum scripturarum testimoniis roborantur, ne posterorum calumpniis irritentur. Noverint igitur, tam posteri, quam præsentes, quod nos cum consensu & consilio heredum & consiliariorum nostrorum piæ devotionis etiam affectu ducti, proprietatem *judicii majoris & minoris*, COLLI *videlicet* & MANVS, villæ dictæ *Vlintbeke*, in qua ecclesia sita est, cum omni vtilitate, & fructu servitiis & præcariis, quæ in illa aliquandiu habuimus & ad nos a progenitoribus nostris jure hereditario fuerant devoluta honorabilibus Viris præposito & conventui in Novomonasterio Bremensis diocesis dimisimus, & præsentibus dimittimus & resignamus ab eis ab eis perpetuo possidendam, dantes eisdem libertatem prædictum judicium pro sui utilitate & beneplacito vendendi, impignorandi & suis quibuscunque voluerint usibus applicandi, *jusque pheodale*, quod in ipso judicio habuimus, in *jus proprium commutamus.* Verum, ne prædicta 1340.

dimiſſioſeu reſignatio judicii ſupradicti a quoquam ſucceſſorum vel heredum noſtrorum aliquatenus infringatur, præſens ſcriptum noſtri ſigilli munimine duximus roborandum. Teſtes hujus ſunt dominus Bertramus *Cremon*, ſacerdos & Canonicus Lübicenſis, noſter protonotarius, Dominus Benedictus ſenior & Dominus Benedictus Junior *de Alvelde*, & dominus Johannes Walſtorp milites, ac Longus *Beygenvlet*, armiger, noſter advocatus, & quamplures alii fide digni. Datum Lubeke Anno Domini M. CCC. quadrageſimo. Sabbato ſeptuageſimæ.

CLXVII.

Johannes Kruſe Rector Eccleſiæ in Nienkerken donat Conventui in Novomonaſterio bona ſua in Lutteringe prope Welnam ſita.

1340. In nomine Domini amen. Ego Johannes dictus *Kruſe*, *Rector Eccleſiæ in Nygenkerken*, Bremenſis dioceſis, recognoſco præſentibus & publice proteſtor, in hiis ſcriptis, quod ex mera deliberatione præhabita in honorem Dei & matris ejus virginis glorioſæ, dedi bona & jugera mea, ſita in loco Lutteringe prope Welnam, propriis meis denariis empta & integraliter per ſoluta ab Heydenrico Geuken, famulo & ſuis veris heredibus ſicuti in aliis literis patentibus de emptione dictorum confectis, lucidius continetur, eccleſiæ in novomonaſterio reſigno ſine aliqua contradictione vel exceptione cum effectu, & in evidentius teſtimonium præmiſſorum ſigilla honorabilium virorum dominorum Johannis in *Suderowe*, Conradi in *Wilſtria*, Johannis in *Wevelasvlete*, Gotfridi in *Beyenvlete* Rectorum eccleſiarum, præſentibus ſunt appenſa, una cum ſigillo meo. Datum & actum in Ytzeho, anno domini milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo. In die Feliciani Martiris glorioſi.

CLXVIII.

Johannes Comes Holſat. confert & donat Conrado Vulff ob benemerita jus patronatus ſcholarum in Kil, cum omni jure & poteſtate illud alienandi in quasvis perſonas.

1340. Univerſis præſentes literas inſpecturis ſeu audituris, Johannes dei gratia, Comes Holtzatiæ & Stormariæ ſalutem in domino ſempiternam. Ad hoc res geſtæ memoria dignæ, ſcripturarum teſtimonio confirmantur, ne lapſu temporis evaneſcant. Ad noticiam igitur, tam præſentium, quam futurorum cupimus pervenire, quod nos inſpectis multimodis ſervitiis ac gratis obſequiis, nobis noſtrisque per dilectum nobis Conradum dictum Volff & ſuos ſæpius fideliter impenſis & factis, eidem Conrado Vulff, tanquam bene merito, ac ſuis veris heredibus quos congruo cupimus remunerare honore, *jus patronatus Scolarum in civitate noſtra Kil*, ad nos pertinens, & quicquid juris, libertatis ſeu proprietatis Nos, ſeu heredes noſtri in eisdem ſcolis jure hereditario hactenus habuimus, vel in futurum habere poterimus, de maturo noſtrorum fidelium conſilio liberaliter contulimus & donavimus, & tenore præſentium in perpetuum conferimus & donamus in eundem Conradum & ſuos hæredes, omne jus, quod nobis & heredibus noſtris in prænominatis ſcolis quomodolibet competit, vel competere poterit, totaliter transferentes. Cæterum cupientes hujusmodi gratiam ampliare, præfato Conrado & ſuis veris heredibus ex ſpeciali gratia & favore, tenore præſentium, ut prælibatum, jus patronatus dictarum ſcolarum in Kil & omne jus, quod in ipſis habemus, in quascunque perſonas eccleſiaſticas ſeu mundanas, vel Eccleſias, cujuscunque præeminentiæ, conditionis, ſeu ſtatus exiſtant, permutationis donationis, conceſſionis, ſeu quocunque alio legitimo alienationis titulo, libere transferre valeant, damus & concedimus plenariam poteſtatem; Hoc nichilominus expreſſo, quod quibuslibet perſonis vel Eccleſiis, in quas hujusmodi jus Patronatus per ſupra dictum Conradum, ſeu ſuos heredes, ut præmittitur, translatum fuerit, præſentes noſtras literas in omnibus volumus ſuffragari; renunciantes *rerum non ſic geſtarum, doli mali, & in factum actionibus, & exceptionibus, beneficio reſtitutionis in integrum*, & generaliter *cuilibet auxilio juris* CANONICI ET CIVILIS, quibus hujusmodi noſtra liberalis conceſſio & donatio poſſet quomodolibet retractari, vel etiam impugnari. In quorum omnium & ſingulorum evidentiam pleniorem, præſentes literas ſigilli noſtri appenſione juſſimus communiri. Datum & actum in Kil, Anno domini M. CCC. XL. proxima die aſcenſionis domini præſentibus honeſtis viris: Hinrico & Marquardo fratribus, dictis *Broedorp*, Alberno de *Wyſch* militibus, Longo *Beyenvlet*, Marquardo *Vulff*, Marquardo *Schele* famulis & quampluribus aliis fide dignis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

CLXIX.

Borchardus Archiepiſcopus Brem. confirmat donationem Juris Patronatus Scholarum in Kyl Conrado Volff a comite Johanne collatam.

Univerſis præſentes literas viſuris ſeu audi- 1340.
turis, Borchardus Dei gratia ſanctæ Bremenſis (Eccleſiæ) Archiepiſcopus, ſalutem in domino ſempiternam. Cum a nobis petitur, quod juſtum eſt, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem noſtri officii ad debitum perducatur effectum. Sane nobilis Vir dominus Johannes Comes Holtzaciæ & Stormariæ, noſter compater dilectus, nobis fecit humiliter ſupplicari, ut donationem & aſſignationem *juris Patronatus Scholarum in Kyl*, noſtræ dyoceſis, quas fecit honeſto famulo Conrado dicto Volff, prout vidimus in ipſius comitis prædicti Literis, confirmare, ut ea,

quæ

quæ per eum ex maturo consilio facta existunt, robur obtineant perpetuæ firmitatis auctoritate ordinaria dignaremur. Nos igitur suis petitionibus utpote justis favorabiliter annuentes, collationem, donationem & assignationem juris Patronatus scolarum prædictarum, nec non *ejusdem juris patronatus in alias quascunque personas ecclesiasticas seu mundanas* translationem ac omnia alia & singula in literis memorati comitis contenta, grata & rata habemus & ea in dei nomine in hiis scriptis confirmamus. In cujus nostræ confirmationis evidens testimonium sigillo nostro roborari mandavimus præsens scriptum. Datum & actum Stadis Anno domini M. CCC. XL. in die B. Odelrici confessoris.

CLXX.

Conradus Wulff Ecclesiæ Novomonasterienſi concedit jus Patronatus Scolarum in Kyl sibi a Comite Johanne nuper concessum.

1341. Universis præsencia visuris & audituris, Conradus dictus Wulff, in omnium salvatore salutem. Ad hoc res gestæ memoria dignæ scripturarum confirmantur testimonio, ne lapsu temporis evanescant. Ad noticiam igitur, tam præsentium quam futurorum cupio pervenire, quod progenitorum meorum sequi volens vestigia, qui Ecclesiam Novomonasterienſem canonicorum regularium Brem. dyocesis speciali quodam devotionis prosequebantur affectu, cupiensque animarum eorum ac meæ mederi languoribus, ob Reverenciam dei ac intemeratæ genetricis ejus, Mariæ Virginis, nec non ad incrementum præfatæ Ecclesiæ in honorem ipsius instructæ, de maturo & unanimi omnium propinquorum & amicorum meorum consilio, beneplacito & consensu jus Patronatus Scolarum *in Civitate Kyl*, cum omni jure libertate seu proprietate, sicut *inclito ac magnifico viro* Domino meo, Domino Johanni Holtzaciæ & Stormariæ comiti quondam jure, hæreditario & postea per ipsius resignationem ac collationem mihi & meis heredibus liberius pertinebat, donavi contuli, & resignavi & præsentibus dono, confero & resigno prænominatæ Ecclesiæ Novomonasterienſi perpetuis temporibus possidendum in eandem Ecclesiam omne jus, quod michi & meis heredibus in præfatis Scolis quomodolibet competit vel competere poterit, totaliter transferendo. Testes huius rei sunt domini Marquardus & Albernus fratres, dicti *de Wisch*. Hartvicus & Marquardus Wulff fratres mei, Wulff Nycolaus & Otto dicti *Pochwisch*, Wulff, Volradus & Hartvicus fratres *de Knope*. Johannes *de Brocowe*, patrui mei, quorum sigilla una cum meo sigillo præsentibus sunt appensa in evidens testimonium præmissorum. Datum & actum anno domini M. CCC. LXI. in die B. Lucæ Ewangelistæ in Civitate Kyl antedicta. (Cum VIII. Sigillis lupum præsentantibus.)

de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

CLXXI.

Johannes Comes Holtzatiæ confirmat monasterio in NMonasterio jus Patronatus scolarum in Kyl olim a se, Cunrado Wolfio & ab hoc prædicto conventui demum collatum & concessum.

Omnibus præsentia visuris, *Johannes Dei gratia, Comes Holtzatiæ & Stormariæ*, Salutem in omnium Salvatore. Acta modernorum vetusta deleret oblivio, si non literarum fulcirentur stabili firmamento. Noscant igitur tam præsentes, quam futuri, quod fidelis noster Conradus Wulff, de consensu omnium fratrum & amicorum suorum rogatus a nobis jus Patronatus scolarum in Kyl, extra quas aliæ non sunt, nec fieri debent ibidem sibi & suis veris heredibus jam dudum collatum, liberaliter & donatum a nobis, religiosis Viris, dominis Præposito & Conventui in Novomonasterio & eorum successoribus, cum omni jure, libertate proprietate fructu & utilitate sicut ad nos & heredes nostros jure hereditario & ad ipsum Conradum & heredes suos a nobis liberæ donationis seu colationis tytulo devolutum noscitur, præsentibus nobis donavit, liberalissime contulit & resignavit, perpetuis temporibus possidendum. Quam quidem donationem collationem seu resignationem gratanti acceptantes animo, ipsam de maturo fidelium nostrorum consilio approbamus, ratificamus & in hiis scriptis confirmamus, transferentes in eosdem Præpositum, Conventum & successores eorum quicquid juris libertatis & proprietatis nos & hæredes nostri in eisdem scolishabuimus vel in futurum habere poterimus, volentes prædictis Dominis in omnibus suffragari literas præfato Conrado super dictis Scolis a nobis datas, hoc etiam stricte inhibentes, ne prænotati domini a quoquam heredum aut successorum nostrarum in præmissis omnibus quomodolibet perturbentur. Actum & datum Anno domini M. CCC. XLI. in die Beati Lucæ Evangelistæ in castro nostro Kyl, præsentibus honestis Viris domino Ditlevo *Debowole*, Marquardo & Hinrico *Brochtorpe*, Johanne *Meynerstorpe* militibus. Johanne *Crumbeke*, Cancellario nostro, Gerlaco *Wetmolte*, Wulff *Pochwisshe*, Marquardo Wulff & aliis quamplurimis fide dignis. In evidentiam igitur & testimonium omnium præmissorum præsentem literam eisdem dominis sigillo nostro tradidimus sigillatam. 1341.

Sub integro comitis sigillo: ein Reuter zu Pferde mit der Umbschrifft, S. Johannes D. Grat. Com. Holtz. Storm. & Scowenborgh.

CLXXII.

Monasterium in Reynevelde debitum X. marcarum Novomonasterio annuatim persolvendum per æquivalentem summam compenpensat & tollit.

Nos fratres, Hinricus *Abbas*, Johannes *prior*, Herbordus *quondam Abbas*, Albertus, Hinricus Curonis, Hildebrandus albus, Olricus *supprior*, 1343.

ſupprior, Otto *Burſarius*, Egghardus de *Wenſyn*. Hinricus de *Zulpeke*, Hermannus *Friſonis*, *ſeniores & conſiliarii*, totusque conventus monaſterii ſanctæ Mariæ Virginis in *Reynevelde*, *Cyſtercienſis ordinis*, *Lübecenſis dioceſis*, tenore præſentium literarum recognoſcimus, & univerſis quorum intereſt, vel intereſſe poterit, cupimus fore notum, quod illi decem marcarum redditus annui denariorum Lubicenſium, quos honeſtus Vir dominus *Nicolaus* dictus *Stenhus*, nunc Eccleſiæ Novimonaſterii regularis canonicus, dudum apud nos juſto emptionis titulo ad tempora vitæ ſuæ comparaverat, & ſæpius annuatim per nos expedite ſibi perſolutos tulerat & receperat, ſunt de conſenſu & voluntate ipſius ac omnium, quorum erat requirendus conſenſus, aboliti & quitati, & ſicut hic infra ſcriptum eſt, rationabiliter abrogati, videlicet, quod quinque marcarum redditus Lubecenſium denariorum, quos frater *Hinricus Alardi de Kyl*, ſacerdos & confrater noſter in dicta Eccleſia novimonaſterii ad vitam ſuam annuatim habuiſſe dinoſcitur, qui redditus nobis ac noſtro monaſterio ex parte ipſius crebro ceſſiſſe ſeu perveniſſe probantur, prædicto domino Nicolao Steenhuſen & ſuæ memoratæ Eccleſiæ Novimonaſterii pro totidem quinque marcarum redditibus Lübecenſium denariorum per recompenſam & æquipollentiam computantur & totaliter complanantur & nobis ac noſtro dicto monaſterio de decem marcarum redditibus antedictis Lübecenſium denariorum, eidem domino Nicolao Stenhuſen ſeu Eccleſiæ ſuæ prænominatæ, ratione ſuæ perſonæ per nos & noſtrum monaſterium dari debitis, quinque marcarum redditus Lubicenſium denariorum annuatim recta viciſſitudine defalcantur. Pro reſiduis vero quinque marcarum redditibus Lübecenſium denariorum ſæpe dicto domino Nicolao Stenhuſen & ſuæ Eccleſiæ præfatæ quinquaginta marcas Lübicenſium denariorum promptæ ac numeratæ pecuniæ refudimus, reſtituimus, perſolvimus & præſentavimus & ſic ab erogatione prædictarum decem marcarum redituum Lubicenſium denariorum liberi ac penitus *quiti* ſumus. Attamen ſi ſæpedictus dominus Nicolaus Stenhus eundem fratrem Henricum de Kyl ſupervixerit, & poſt mortem ejus ſuperſtes fuerit, tunc dicti quinque marcarum redditus Lübicenſium denariorum, qui ſibi fuerant ratione vitæ & perſonæ ipſi defalcati, ſæpe dicto domino Nicolao Stenhuſen vel ſuæ eccleſiæ prælibatæ, quamdiu idem dominus Nicolaus Stenhus vixerit, per nos ac noſtrum monaſterium annuatim in feſto S. Martini Epiſcopi perſolventur, occaſione qualibet non obſtante. Poſt mortem autem ſæpedicti domini Nicolai Stenhuſen nulli quicquam tenebimur erogare. Si vero dictus frater Hinricus Alardi de Kyl ultra eundem dominum Nicolaum Steenhuſen vixerit & morti ejus ſuperſtes exſtiterit, tunc dicti quinque marcarum redditus Lubicenſium denariorum nobis ac noſtro monaſterio ex parte ejusdem fratris Henrici de Kyl in feſto ſancti Martini per dominum præpoſitum & eccleſiam novimonaſterii annuo tempore, quam diu isdem frater Hinricus de Kyl vixerit, perſolventur, ſicut ante iſtam conventionem nobis fuerant perſoluti. Poſt mortem autem ipſius nichil penitus requiremus. In præmiſſorum omnium teſtimonium & evidentiam ſigilla noſtra præſentibus literis duximus apponenda. Datum anno domini milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo tercio, in feſto Beatorum Petri Pauli apoſtolorum.

CLXXIII.

Mag. Hinricus, Zverinenſis eccleſiæ ſcholaſticus, Præpoſitis in Stadis & Novomonaſterio locat fructus Scholæ Kylonenſis pro XX. marc. ſub certis conditionibus infra adjectis.

Omnibus præſentia viſuris, *Magiſter Hinricus, Scholaſticus Eccleſiæ Zwerinenſis*, ſinceram in Domino caritatem. Noveritis, quod cum per honorabilem Virum, Dominum Nicolaum, Præpoſitum S. Georgii in Stadis, Honorabili Viro Domino Præpoſito Novi Monaſterii & ſuo conventui, Bremenſis diœceſis, *fructus Scolæ meæ in Kil* locari fecerim ad VIII. annos, a data inſtrumenti, ſuper hoc confecti, computandos, pro XX. marcis denariorum Lubicenſium mihi per eundem Præpoſitum Novi Monaſterii & ſuum Conventum ſolvendis, prædictorum octo annorum annis ſingulis, quatuor anni temporibus, ſub eorundem expenſis, laboribus & periculis in Civitate Lubicenſi, ita, quod quinque in feſto Paſchæ & quinque in feſto Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtæ, & quinque in feſto Michaëlis, & quinque in feſto Nativitatis Chriſti, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ per Venerab. Patrem Dominum Borchardum, Sanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, ſolverentur, ego promiſi & in his ſcriptis promitto, quod ſi infra prædictos octo annos a prædicto novi Monaſterii Præpoſito & ſuo Conventu ſuper nova locatione prædictorum fructuum requiſitus fuero, eosdem fructus eis locabo ad octo annos immediate ſequentes, & pro XX. marcis Lubec. mihi ſolvendis per eundem Præpoſitum & ſuum Conventum, prædictorum octo annorum annis ſingulis, quatuor anni temporibus, videlicet in Feſto Paſchæ, & in nativitate Sancti Joh. Bapt. & in Feſto Michaëlis, & in Nativitate Chriſti, ita quod in quolibet termino prædictorum terminorum quinque marcæ mihi ſolvantur loco & conditionibus prænotatis, & ſub excommunicationis pœna, tunc per Venerabilem Patrem Sanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopum tunc ferenda. Adjectum etiam quod ſi novam locationem eis fecero, extunc Præpoſitus prædicti novi Monaſterii & ſuus conventus inſtrumentum novæ locationis inſtrumento prioris locationis 1343.

nis per omnia ſimile fore, tenore, & ſententia lata in ipſos a prædicto Archi-Epiſcopo, vel ab eo, qui pro tempore Archi-Epiſcopus fuerit, ſuis periculis, laboribus, & expenſis procurabunt, & mihi in Lubeca præſentabunt. Præterea, ſi ſtante prædicta locatione priori, ſeu hac ſecunda, vel quacunque alia, ſi qua per me facta fuerit, mortuus fuero, extunc lego prædicto Præpoſito & ſuo conventui domum ſcolæ prædictæ & *libros meos cantuales in eadem ſcola inventos*, eo jure, quo ego prædictam domum & libros poſſedi, poſſidendos. Hujus rei teſtes ſunt Viri Honorabiles, Dominus Wernerus *Hadenore*, & Dominus Johannes *Criſpus*, perpetui Vicarii Eccleſiæ Lubicenſis, & alii quam plures fide digni, ad hoc ſpecialiter vocati & rogati. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum, quo longo tempore & ex antiquo uſus ſum præſentibus eſt appenſum. Datum Anno Domini M. CCC. XLIII. in die aſcenſionis Domini.

CLXXIV.

Johannes Præpoſitus in Uterſten donat Novomonaſterio unum manſum & dimidium in villa Groten Aſpe.

1343. Univerſis præſentia viſuris ſeu audituris, *Johannes Dei gratia, Præpoſitus ſanctimonalium in* UTERSTEN, ſalutem in domino ſempiternam. Recognoſcimus tenore præſentium ac publice proteſtamur quod nos dilectæ ſorori noſtræ Elyſabet, moranti in *groten Aſpen*, aſſignavimus agrum unius manſi & dimidii, quem ex patris noſtri hereditate bonæ memoriæ propriisque laboribus ibidem comparavimus ad vitæ ſuæ tempora libere poſſidendum. Ea vero defuncta prædictus ager de cœtero ad novum monaſterium perpetuo pertinebit. In cujus rei Teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum Anno domini M. CCC. XLIII. dominica qua cantatur, Quaſimodo.

CLXXV.

Sententias in ſynodo Bremenſi pronunciatas, quod decima de agris ab alieno cultis ſit danda & quod unuſquiſque de ſuo aratro tantum dare teneatur quantum vicinus alter, per modum vidimus Otto Decanus Bremenſis ſuo teſtimonio confirmat.

1344. Univerſis præſentia viſuris, *Otto dei gratia, Decanus ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ*, ſalutem in domino ſempiternam. Noveritis nos vidiſſe & audiviſſe literas felicis memoriæ domini *Friderici*, quondam *decani prædictæ Bremenſis Eccleſiæ*, ſub forma: Fredericus dei gratia. decanus Eccleſiæ Bremenſis, honorabili viro Ottoni, Novimonaſterii præpoſito ac univerſis præſentia viſuris ſalutem in domino: Præſidentibus nobis ſynodo, in Eccleſia. Bremenſi anno domini Milleſimo CCC. duodecimo feria quarta proxima poſt dominicam, qua cantatur lætare, ſententialiter per diſcretum virum, præpoſitum *monialium in Zevena* coram prælatis fuit adinventum quod de agris cultis ab alienis, dummodo ſint ſiti in decimatione alicujus, danda eſt decima, a quocunque etiam coluntur. Preterea ſententialiter fuit adinventum ab eodem præpoſito, quod ſecundum jus commune unusquiſque tantum daturus eſt de aratro ſuo, quantum vicinus ſuus vel alius, qui colit agros, in illa decimatione, niſi tunc poſſint per privilegia ſpecialia aliud probare, quod vobis ac univerſitati ſub ſigillo honorabilis viri domini Volquini, præpoſiti eccleſiæ noſtræ prædictæ, quia ſigillum noſtrum non habuimus ad præſens duximus intimandum. Datum die & anno prænotatis. Nos itaque ſententias ſupra dictas præſentibus approbamus. In cujus evidentiam ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum Bremæ Anno domini Milleſimo, trecenteſimo quadrageſimo quarto, feria poſt dominicam, qua cantatur lætare.

CLXXVI.

Enarratio violentiæ & injuriarum, Hinrico Manegoldi presbitero Kylon. & Canonico Bordesholmenſi a clericis & laicis Kylonenſibus factarum.

In nomine domini Amen. Anno nativita- 1345.
tis eiusdem, Milleſimo, CCC. XL. quinto indictione tertia decima, Menſis Februarii die ſexta, Pontificatu ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri, domini Clementis, divina providentia Papæ Sexti Anno tertio, in mei Notarii Publici infraſcripti & teſtium ſubſcriptorum præſentia nocturno tempore circa mediam noctem vel quaſi, *Hinricus Beringheri* presbiter, notariusque conſulum opidi Kylonenſis Bremenſis dioceſis, una cum Nicholao Piſcatoris ac Johanne Monetarii presbiteris, nec non Hinrico Laurentii, notario publico ac Marquardo dicto Hop, opidano Kylonenſi cum pluribus aliis ſuis complicibus clericis & laicis, venit *ante dotem ſive domum eccleſiæ Parochialis dicti opidi Kylonenſis* & ipſe ac dicti ſui complices ipſam dotem *armata manu* hoſtiliter invaſerunt, hoſtium ac ſeras dictæ dotis violenter confregerunt, eandemque dotem intrantes honorabilem & religioſum virum dominum *Hinricum Manegoldi* presbiterum canonicumque regularem monaſterii beatæ Mariæ in *Bardesholme*, alias in Novomonaſterio dictæ Bremenſis dioceſis, tunc in ipſa dote, nomine dominorum prioris & conventus ejusdem monaſterii exiſtentem in capite graviter vulneraverunt, aliterque eum percuſſerunt & læſerunt, ac familiares dictorum dominorum, tunc ſimiliter in ipſa dote exiſtentes, enormiter & violenter expulerunt, & res quas ibi invenerunt, quarum quædam ad dictos priorem & conventum & quædam ad ipſos ejectos & vulneratos pertinebant, cum dotis occupatione violenter rapuerunt, uſurparunt & detinuerunt. Acta ſunt hæc Anno, indictione, die, hora, loco, & aliis quibus ſupra, præſentibus honorabilibus viris dominis Wernero, Rectore eccleſiæ Beati

Petri *in Vmbria, Ottonienſis dioceſis*, Magiſtro Hermanno, rectore ſcolarum dicti opidi Kylonenſis, nec non Johanne *de Haghene*, ac Johanne *de Bremis*, opidanis dicti opidi Kilonenſis ac præſentibus aliis fide dignis teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis.

Et Ego *Herbordus Ruſſi*, clericus Lübicenſis, publicus auctoritate ſacroſancti imperii Romani Notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic fierent, ut præmittitur, præſens una cum prædictis teſtibus interfui, vidi & audivi eaque mea manu conſcripſi & in hanc publicam formam redegi, meoque ſigno ſolito & conſueto ſignavi requiſitus in teſtimonium præmiſſorum & rogatus.

CLXXVII.

Ludolphus Michaelis Rector Eccleſiæ Kilonienſis apud Pontificem Rom. de violentis manibus ſibi injectis conqueritur.

1345. Omnibus præſentes literas inſpecturis, *Beltraminus* Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, *Epiſcopus Bononienſis, ac audienciæ literarum contradictarum domini Papæ auditor*, ſalutem in domino. Noveritis, quod cum Mag. *Henricus Vemeren* in Romana curia procurator, ac procurator *Ludulphi Michaëlis*, *Rectoris Eccleſiæ in Kilone, Bremenſis dioceſis* procuratorio nomine ipſius & pro ipſo quasdam literas apoſtolicas impetraret, ſub hiis formis. *Clemens*, Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Præpoſito monaſterii monialium *in Roue* per Præpoſitum ſoliti gubernari *Razeburgenſis dioceſis*, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Conqueſtus eſt nobis Ludolphus Michaëlis, Rector Eccleſiæ in Kilone Brem. dioceſis, quod *Symon de Stetin*, Canonicus monaſterii novimonaſterii ordinis ſancti Auguſtini dictæ dioceſis manus injecit in eum, Dei timore poſtpoſito temere violentas. Cum autem dictus Rector, ſicut aſſerit prædicti canonici potenciam merita perhorreſcens, cum infra ciuitatem ſeu dioceſin Bremenſem nequeat convenire ſecure, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, *dictum ſacrilegum* tamdiu appellatione remota excommunicatum publice nuncies, & facias ab omnibus arctius evitari, donec paſſo injuriam ſatisfecerit competenter & cum tuarum teſtimonio literarum ad ſedem venerit apoſtolicam, abſolvendus. Datum Avinion. II. Non. Marcii pontificatus noſtri Anno tercio. Item tenor aliarum literarum talis eſt:

Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio, officiali Razeburgenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Conqueſtus eſt nobis Ludolphus Michaëlis Rector Eccleſiæ in Kilone Bremenſis dioceſis quod Matthias Johannis presbiter & Herbertus Rufi, clericus Lubecenſis manus injecerint in eum, Dei timore poſtpoſito temere violentas. Ideoque diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, dictos ſacrilegos, tam diu appellatione remota excommunicatos publice nuncies et facias ab omnibus arctius evitari donec paſſo injuriam ſatisfecerint competentem & cum tuarum teſtimonio literarum ad ſedem venerint abſolvendi. Dat. Ammon. XVI. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno tercio.

Eisdem vero literis venerabilis & religioſus Vir frater Symon procurator conventus Monaſterii Novi Monaſterii dictæ Bremenſis dioceſis in audientia prædicta publice pro ipſis contradixit, aſſerens, quod cauſa in literis prædictis contenta per venerabilem virum dominum Franciſcum de Tuderto auditorem ſacri palatii ipſius domini papæ, coram quo dicta cauſa agitatur ad Romanam Curiam de conſilio ſuorum coauditorum pronunciata fuit devoluta, propter quod idem frater Symon procurator præfatas literas apoſtolicas per eundem dominum auditorem cum inſtantia petiit lacerari, caſſari, irritari & annullari. Ideo eidem Magiſtro Henrico mandamus, ut illas ad dictam bullatas audientiam reportaret. Poſtmodum idem Magr. Henricus easdem literas ad audientiam reportavit prædictas, venerabilis vir Mag. Andreas Barreſit, Lector ejusdem audientiæ dicti domini papæ ſcriptor, de anno domini milleſimo Trecenteſimo, quadrageſimo quinto, die undecima menſis Aprilis alta voce in eadem audientia legit & publicavit literas apoſtolicas ſupra dictas, præſentibus Magiſtris Leonardo de Verulis dicti domini papæ ſcriptore & ejusdem audientiæ Lectore Raynerio de Podiobonici, Nicolao de Parma, Nicolao de Campobaſſo, ac Guillhelmo de ſancto Stephano & quampluribus dictæ audientiæ procuratoribus. Tandem cum inter procuratores & patres prædictos coram nobis fuiſſet diutius litigatum per ipſorum juramenta ſuper præmiſſis coram nobis præſtita diligenter exquiſivimus & veritatem de illis invenimus, quod præfata cauſa per dictum dominum Franciſcum auditorem ad dictam Romanam curiam eſt legitime devoluta. Nos vero petitionem dicti fratris Symonis procuratoris reputantes conſonam rationi occaſione devolutionis ſupradictæ & aliis juſtis & rationabilibus cauſis quæ noſtrum animum induxerunt, dictis procuratoribus ibidem præſentibus in nuncupata audientia propria manu laceravimus, illasque juſticia exigente caſſavimus, irritavimus & annullavimus, dicto noſtro fratri Symoni procuratori petenti pro ſuorum dominorum cautela, noſtras lacerationis, caſſationis, irritationis & annullationis conceſſimus literas oportunas, dictus vero frater Symon procurator in noſtra præſentia perſonaliter conſtitutus ad ſui & dominorum ſuorum roboris firmitatem dictas literas in regeſtro audientiæ petiit regeſtrari. In cujus lacerationis ac omnium præmiſſorum teſtimonium præſentes literas fieri fecimus & audientiæ contradictarum ſigilli appenſione muniri mandavimus. Datum Ammon. Anno & die prædictis

dictis, Pontificatus domini Clementis Papæ VI. anno tertio.

Ludovicus audientiæ contradictarum Notarius.

CLXXVIII.

Clementis VI. commiſſio ad Johannem Ulzen in cauſa Ludolphi Michaëlis contra Johannem in Falſtria &c. cum exceptione.

1345. Omnibus præſentes literas inſpecturis, Beltraminus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Bononienſis, ac audientiæ literarum contradictarum domini Papæ Auditor, Salutem in domino. Noveritis quod cum Magiſter Henricus Vemeren in Romana Curia procurator, ac Procurator Ludolphi Michaëlis Rectoris Eccleſiæ in Kylone Brem. dioceſis procuratorio nomine ipſius & pro ipſo quasdam literas Apoſtolicas impetraret ſub hac forma: Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Johanni Ulzen, Canonico Lubecenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Conqueſtus eſt nobis Ludolphus Michaëlis Rector Eccleſiæ in *Kilone*, Brem. dioceſis, quod *Johannes de Gundesleke*, Rector Eccleſiæ in *Falſtria Othonienſis dioceſis*, ſuper quibusdam pecuniarum, terris, poſſeſſionibus & rebus aliis injuriaverit eidem. Ideoque diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias cauſam & appellatione remota, uſuris ceſſantibus, debito fine decidas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum Avinion, II. Non. Marcii, pontificatus noſtri anno tertio,

Eisdem literis Mag. Gerardus de Beyſten in dicta Romana Curia Procutator ac Procurator venerabilium Virorum, Præpoſiti & Conventus Monaſterii Novi Monaſterii ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis pro ipſis audientia publica contradixit, quarum tandem literarum abſolutioni & expeditioni ea conditione conſentiit, quod præfato Præpoſito & conventui propter hoc quod dictus Ludolphus Michaelis denominatus Rector Eccleſiæ in Kylone aliquod præjudicium non gravetur, & quod vigore dictarum literarum nequeat conveniri, neque eædem literæ ad eosdem præpoſitum & conventum & eorum jura aliqualiter ſe extendat, quod præfatus Magr. Henricus Vemeren procurator procuratorio nomine prædicto promiſit firmiter coram nobis. In cujus cautionis teſtimonium præſentes literas fieri fecimus & audientiæ contradictarum ſigillo muniri. Datum Ammon. Non Aprilis. Anno domini Milleſimo Trecenteſimo quadrageſimo quinto. Pontificatus domini Clementis Papæ VI. anno Tertio.

CLXXIX.

Species facti de violentia & vulneratione Henrico Manegoldo Canonico Borsholm. ab opidanis Kylonienſibus inſtinctu Lud. Michaelis facta.

In nomine domini Amen. Anno natiuitatis eiusdem M. CCC. XLV. indictione tertia decima, die ſexta decima menſis Februarii, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris ac domini, noſtri, domini Clementis divina providentia Papæ ſexti anno tercio, in mei Notarii publici & teſtium infraſcriptorum præſentia nocturno tempore non multum diu ante mediam noctem *Hinricus Beringheri*, presbiter notariusque conſulum opidi Kylonenſis Bremenſis dioceſis una cum Nicholao piſcatoris ac Johanne Monetarii presbiteris nec non Hinrico Laurencii notario publico de Marquardo dicto Hop opidano Kylonenſi cum pluribus aliis clericis ſuis & laicis complicibus qui viginti in uno venit ante *dotem ſive domum Eccleſiæ parochialis dicti opidi Kylonenſis* & ipſe ac dicti ſui complices ipſam dotem armata manu hoſtiliter invaſerunt, ſerasque ac oſtium dictæ dotis violenter confregerunt, eandemque dotem intrantes honorabilem & religioſum Virum dominum *Hinricum Manegoldi, presbiterum*, canonicumque regularem monaſterii ſanctæ Mariæ in *Bardesholm*, alias *in Novomonaſterio*, ſanctæ Brem. dioceſis, tunc in ipſa dote nomine dictorum prioris & conventus ejusdem monaſterii exiſtentem, in capite graviter vulneraverunt, aliique eum percuſſerunt & læſerunt ac familiares dominorum Prioris & Conventus prædictorum tunc ſimiliter in dicta dote exiſtentes violarunt, expulerunt & res quas ibidem invenerunt, quarum quædam ad dictos priorem & conventum & quædam ad dictos familiares pertinebant, violenter rapuerunt & detinuerunt, dictamque dotem violenter, ut præmittitur, occuparunt, & adhuc detinent occupatam. Acta ſunt hæc anno, indictione, die, menſe & aliis, prædictis præſentibus honorabilibus viris dominis *Wernero, Rectore eccleſiæ ſancti Petri in* YMBRIA (*) OTTONIENSIS *dioceſis*, Magiſtro Hermanno de Brunſwich, Rectore eccleſiarum dicti opidi Kylonenſis Marquardo Werſebeke ac Herdingho Luſco conſulibus, nec non Johanne de Haghen ac Johanne de Bremis oppidanis dicti oppidi Kylonenſis, & quampluribus aliis ſide dignis, teſtibus ad præmiſſa vocatis. 1345.

Proxima vero die ſubſequenti *Himrico Beringheri*, *Nicolao Piſcatoris* ac *Johanne Monetarii* presbiteris prædictis *coram* CONSULIBUS *opidi Kylonenſis* in CONSISTORIO conſtitutis, dicti conſules eos, quampluribus dicti opidi opidanis præſentibus, interrogaverunt, quare hujusmodi violentiam perpetraſſent? tunc præfatus Hinricus Beringheri coram dictis conſulibus & aliis ibidem præſentibus reſpondit & confeſſus fuit, *hujusmodi violentiam nomine procuratorio Ludolfi Michaelis ſe feciſſe.* Acta ſunt hæc Anno indictione & aliis quibus ſupra, præſentibus honorabilibus viris dominis *Sifrido* quondam

præ-

præpoſito *in Poretze*, *Wernero* Rectore eccleſiæ dicti Petri prædicto, nec non *Marquardo Hersbeke*, ac *Hinrico Saſtorpe*, opidanis dicti opidi & aliis pluribus fide dignis teſtibus, ad præmiſſa vocatis & rogatis.

Et ego *Herbordus Ruffi*, clericus Lubecenſis, publicus auctoritate ſacroſancti Romani Imperii notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic fierent, ut præmittitur una cum prædictis teſtibus præſens interfui, vidi & audivi, eaque manu mea conſcripſi & in hanc publicam formam redegi, meoque ſigno ſolito & conſveto ſignavi, requiſitus in teſtimonium præmiſſorum (Dictiones vero, ſuis complicibus, inter lineas ſcriptas non vitio, ſed negligentia per me factam approbo præſentibus & confirmo.)

(*) Seu *Femaria Eatinenſis dioceſis.*

CLXXX.

Ludolphus Michaëlis, Rector Parochialis Eccleſiæ in Kyl, appellans a quibusdam gravaminibus ſibi illatis, contra Conventum Nmonaſter. ſed in certo quodam actu non comparens, in perſona procuratoris ſui M. Henrici de Vemern a commiſſario pontificis Petro Fabri in contumaciam condemnatur, ſalva tamen moderatione.

1346. In Nomine Domini amen. Dudum ſanctiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter, dominus Clemens, divina providentia Papa ſextus, cauſam appellationis interpoſitæ pro parte diſcreti viri, domini *Ludolphi Michaëlis*, *Rectoris parochialis Eccleſiæ in* KYLONIO *Bremenſis dioceſis*, ſc. dicentis a quibusdam gravaminibus eidem, ut dicebat, per venerabilem virum, dominum Johannem Rigaldi, domini Papæ Capellanum & ipſius ſacri palatii cauſarum auditorem illatis, in cauſa quæ vertebatur ſeu verti ſperabuntur, inter ipſum dominum Ludolphum *ex parte una, & priorem & Conventum Novimonaſterii dictæ Bremenſis dioceſis* ſuper dicta Eccleſia & ejus occaſione *ex altera*, ad præfati domini Ludolphi Michaëlis ſeu ejus procuratoris inſtantiam: Nobis Petro Fabri Legum doctori Archidiacono Catuitenſi, dicti domini Papæ Capellano, & ipſius ſacri palatii prædicti cauſarum auditori cum omnibus dependentibus, emergentibus & connexis commiſit audiendam & fine debito terminandam. Nos vero virtute commiſſionis prædictæ nobis factæ, inſtante Magiſtro Henrico de Vemeren, procuratore præfati domini Ludolphi Michaëlis, ſe aſſerente, coram nobis conſtituto, Magiſtrum Fredericum Odike ſupradictorum dominorum Prioris & conventus Nouimonaſterii ut dicebat, Procuratorem ad dicendum & proponendum quicquid dicere & proponere vellet, contra commiſſionem noſtram prædictam, & quod commiſſionis ejusdem copiam reciperet, ſi eam vellet habere, per quondam domini Papæ curſorem citari fecimus & mandavimus ad certum peremptorium terminum competentem. In quo comparente in judicio coram nobis Magiſtro Henrico procuratore prædicto, ut aſſerebat, & partis adverſæ non comparentis, nec aliquid contra commiſſionem noſtram prædictam dicentis, contumaciam accuſante, ac in ejus contumaciam quoddam publicum inſtrumentum, continens appellationem per eundem dominum Ludolphum ſeu procuratorem ejusdem interpoſitam, a gravaminibus quæ ſibi & parti ſuæ aſſerebat per dominum Johannem Rigaldi Auditorem prædictum illata exhibente. Nos ad ejusdem Magiſtri Henrici Procuratoris inſtantiam ſupradictum Magiſtrum Fredericum ad certam diem, per quendam domini noſtri Papæ curſorem, citari mandavimus & fecimus ad dicendum & proponendum, quicquid dicere & proponere vellet contra inſtrumentum appellationis prædictæ, & quod ſi vellet, *copiam reciperet appellationis ejusdem*, datis & exhibitis poſtmodum in termino ſupra dicto contra inſtrumentum Appellationis prædictæ Magiſtrum Fredericum Procuratorem antedictum verbo quibusdam *exceptionibus*, contra quas fuit verbo per dominum Magiſtrum Henricum illico *replicatum*. Nos ad requiſitionem præfati Magiſtri Henrici ad impugnandum appellationem antedictam Magiſtrum Fredericum Procuratorem prælibatum per quondam domini noſtræ Papæ curſorem citari mandavimus & fecimus, ad certum *peremptorium terminum competentem*, præfato vero Henrico ad *juſtificandum* eandem Appellationem prædictum peremptorium terminum nihilominus ſtatuentes. In quo comparentibus in judicio coram nobis Magiſtris, Henrico & Frederico procuratoribus memoratis quolibet ipſorum pro parte ſua, idem Magiſter Henricus ad juſtificationem ſuæ Appellationis prædictæ & ad impugnationem proceſſus facti & habiti coram ſupra dicto domino Johanne Rigaldi produxit eundem proceſſum, in quantum pro ſua parte & contra partem ipſius Magiſtri Frederici faciebat & non aliter nec ultra & e converſo præfatus Magiſter Fredericus ad juſtificationem proceſſus prædicti & ad impugnationem appellationis ſæpedictæ produxit prædicti domini Johannis Rigaldi proceſſum in quantum pro parte ſua, & contra partem dicti Magiſtri Henrici faciebat & non aliter nec ultra. Poſtmodum vero præfatus noſter dominus Papa cauſam *appellationis interpoſitæ* pro parte dicti domini Ludolphi Michaëlis a quadam *diffinitiva ſententia* lata, ut dicebatur per ſæpe dictum dominum Johannem Rigaldi, contra dictum dominum Ludolphum & pro parte præfatorum Præpoſiti, Prioris & conventus Novimonaſterii ſuper dicta Eccleſia in Kylone & ejus occaſione ad procuratoris ſæpedictorum præpoſiti Prioris & Conventus nobis Petro Fabri auditori prælibato, ne cauſarum connexio divideretur, commiſit audiendam & fine debito terminandam, cum emergentibus, dependentibus & connexis. Nos tandem inſtante Magiſtro Frederico procura-

procuratore antedicto Magistrum Henricum procuratorem memoratum addicendum & proponendum quicquid dicere & proponere vellet, contra hujusmodi commissionem nobis factam, & quod interim reciperet commissionis prædictæ copiam si eam habere vellet, citari fecimus per quondam domini nostri papæ cursorem ad peremptoriam certam diem. Deinde vero comparentibus in judicio coram nobis Magistris Henrico & Frederico procuratoribus supradictis quolibet ipsorum pro parte sua, Nos ipsis procuratoribus ad dandum & recipiendum *libellum* seu petitionem summariam in hujusmodi causa certum peremptorium terminum assignavimus competentem, In quo quidem termino comparentibus in judicio coram nobis Mag. Henrico ex parte una & Frederico Odike procuratoribus antedictis ex altera, idem M. Henricus ad satisfaciendum termino, quendam in hujusmodi causa pro parte sua libellum seu summariam petitionem exhibuit sub hiis verbis: Coram vobis, venerabili & magnæ scientiæ viro domini Petro Fabri, domini nostræ Papæ Capellano ipsiusque sacri palatii causarum & causæ & partibus infra scriptis ab ipso domino nostro Papa specialiter Auditore deputato, proponit M. Henricus de Vemeren procurator & procuratorio nomine venerabilis viri domini Ludolphi Michaëlis, Rectoris Parochialis Ecclesiæ in oppido Kilone, Bremensis diocesis, & procuratorio nomine pro eodem contra PRIOREM CLAVSTRALEM *& conventum monasterii Novimonasterii, ordinis sancti Benedicti*, dictæ Bremensis diocesis & quamlibet personam legitime intervenientem pro eis & singulis eorundem & omnes & singulos qui sua putaverunt interesse communiter vel divisim, & dicit quod licet, eidem Ludolpho fuerit & sit permissum *canonice*, auctoritate apostolica de prædicta Ecclesia in *Kylone*. Tamen ipsi *Prior claustralis & conventus* sine scitu & auctoritate sui præpositi majoris & capitis sui, intenti, quod nullius firmitatis, roboris vel momenti & falso & mendose asserentes, ipsum Ludolphum Michaëlis de anno domini millesimo Trecentesimo, quadragesimo quarto temeritate propria in dictam Ecclesiam se violenter intrusisse, & quendam fratrem Jacobum Canonicum dicti monasterii ipsam Ecclesiam possidentem ut asserebant, & detinentem - - fisse & ea spoliasse cum falsis testibus & probationibus, & non continentibus in aliquo veritatem, procuraverunt & procurant & obtinuerunt quandam sententiam licet nullam ferri pro se ipsis super restitutione, judicio & contra ipsum Ludolphum licet indebite & injuste, propterque gravamina alia & antedicta sententia extitit ad sedem apostolicam pro parte ipsius Ludolphi legitime appellatum. Quare petit per vos dominum auditorem & vestram sententiam pronunciari, decerni & declarari gratiam, acceptationem & provisionem eidem Ludolpho factam fuisse & esse canonicas, & debitum debuisse & debere sortiri effectum & unionem prætensam prioris claustralis & conventus de dicta Ecclesia in Kylone fuisse & esse nullam & nullius firmitatis, valoris vel momenti, & ipsos priorem claustralem & conventum non potuisse, nec posse agere sine consensu & auctoritate sui præpositi majoris & capitis & ipsos falso modo approbauisse & per falsas probationes probavisse, si probaverit ipsum Ludolphum spoliasse dictum fratrem Jacobum prædicta Ecclesia in Kylone, & pro parte ipsius Ludolphi a prædictis gravaminibus & a sententia subsecuta bene & legitime appellatum fuisse & esse & nullius firmitatis, roboris, vel momenti causis & rationibus suprascriptis & aliis proponendis a prædicta & quolibet prædictorum petit antedictus Procurator omni via, modo & forma, quibus melius potest de jure, cum *dampnis, expensis & interesse jam factis & fructibus perceptis & qui percipi potuerunt* & *de fiendis* (futuris) inposterum protestatur, salvo sibi jure *addendi minuendi, corrigendi præsentem libellum usque ad causæ conclusionem* & omni alio perpetuo beneficio sibi salvo. Post cujus quidem libelli seu petitionis summariæ oblationem præfati Magistri, Henricus & Fredericus procuratores, nominibus procuratoriis, quibus supra, in judicio coram nobis personaliter constituti tam super libello prædicto, quam in tota hujusmodi causa *ad sancta dei Evangelia per ipsos & eorum quemlibet, in manibus nostris corporaliter libro tacto*, de *calumpnia* & *veritate dicenda*, cum omnibus *capitulis in juramento calumpniæ contentis* præstiterunt juramentum, Et nos a procuratoribus antedictis prædictum *calumpniæ recepimus juramentum*, & nichilominus ipsis procuratoribus ad *ponendum* & *articulandum*, ac *poni & articulari videndum* in causa præsenti, certum peremptorium terminum duximus præfigendum, in quo comparentibus in judicio personaliter coram nobis Magistris Henrico ex parte una, & Frederico procuratoribus supradictis ex altera, Dicto Mag. Frederico positiones & articulos in alia prima instantia per ipsum & ejus partem datos in causa hujusmodi repetente, præfatoque Mag. Hinrico ad satisfaciendum dicto termino quosdam positiones & articulos exhibente, quorum quidem positionum & articulorum nos hinc & inde copiam fieri decernentes, dictis partibus ad dicendum contra ipsos articulos, in quantum erant articuli quicquid dicere vellent, nec non *ad respondendum positionibus ipsis*, in quantum erant positiones, certum peremptorium terminum assignavimus competentem In quo datis per præfatos Magistros, Henricum & Fridericum, procuratores, contra positiones & articulos partis alterius verbo factis exceptionibus, nos eisdem procuratoribus coram nobis in judicio constitutis ad declarandum & declarari videndum, articulos hinc inde in hujusmodi causa datos peremptorios, assignavimus certam diem, qua die adveniente comparue-

runt in judicio perſonaliter coram nobis M. Henricus ex una parte & Fredericus procuratores ſupradicti ex altera quolibet ipſorum pro parte ſua. Idem Mag. Henricus quasdam declarationes ſuorum articulorum exhibuit & produxit, dictus vero Mag. Fredericus ſuſpendens nomine procuratorio partis ſuæ petitorium in hujusmodi cauſa per partes intemptatis, prout & quemadmodum in prima inſtantia fuerat ſuſpenſum, declarationes per ipſum & ejus partem indicta prima inſtantia datas, verbo exhibuit & produxit. Nos demum dictis partibus ipſarum declarationum copiam hinc inde fieri decernentes, ad dicendum & proponendum quicquid dicere & proponere vellet contra easdem, certum peremptorium terminum duximus præfigendum, deinde productis & exhibitis prædictos Magiſtros Henricum & Fredericum verbo omnibus actis, literis, inſtrumentis & munimentis, quibus dictæ partes uti intendebant habitis & factis in dicta prima inſtantia in quantum pro parte cujuslibet & contra partem ſuam adverſam faciebat & facere poterat & non aliter nec ultra, Tandem nos ad Magiſtri Frederici procuratoris antedicti inſtantiam ad concludendum & concludi videndum in præſenti cauſa vel dicendum & allegandum cauſam rationabilem, quare in ea concludi non deberet, præfatum Magiſtrum Henricum per quendam domini noſtræ Papæ curſorem citari mandavimus & fecimus ad peremptoriam certam diem, datis poſtmodum prædictum Magiſtrum Henricum adimpediendum dictam concluſionem in cauſa hujusmodi faciendam ſeu ſaltim ad retordandum eandem quibusdam *frivolis exceptionibus* & ad ipſas Exceptiones prædictum Mag. Fredericum quibusdam replicationibus ſubſequutis: Nos inſtante domino Mag. Frederico procuratore antedicto dictum Mag. Hinricum ad audiendum voluntatem noſtram, ſuper hinc inde exceptatis & replicatis, citari mandavimus & fecimus per quendam curſorem domini noſtri Papæ ad certum peremptorium terminum competentem, in quo comparuerunt in judicio coram nobis perſonaliter Magiſtri Henricus ex parte una, & Fredericus procuratores ſupra dicti ex altera, idem Mag. Fridericus petiit inſtanter, in cauſa hujusmodi concludi per nos & partem adverſam ad concludendum etiam compelli & pro parte ſua concluſit nichilominus in eadem. Nos vero auditor præfatus antedictum Mag. Henricum mandavimus *primo ſecundo & tertio & peremptorie* ac juſſimus eidem, quod concluderet in cauſa eadem. Qui quidem M. Henricus ſic per nos monitus & juſſus concludere penitus recuſans, eundem Magiſtrum Henricum reputantes, quantum ad actum illud, merito contumacem, in ejus contumaciam cum dicto M. Frederico concludente, ut prædicitur, & concludi petente in cauſa hujusmodi concluſimus & *pro concluſo habuimus*. Et tandem ad dicti Mag. Frederici procuratoris prædicti iuſtantiam præfatum M. Henricum ad noſtram in hujusmodi contra diffinitivam ſententiam audiendam, citari fecimus, per quendam domini noſtri Papæ curſorem ad peremptoriam certam diem. Qua die adveniente comparuit in judicio coram nobis M. Fredericus procurator, ut dicebat Præpoſiti, Prioris & conventus ſupradictorum, dicto Mag. Henrico minime comparente, cujus contumaciam idem M. Fredericus accuſans, ipſum contumacem reputari & diffinitivam ſententiam in dicta cauſa proferri & per præfatum dominum Johannem Rigaldi bene & legitime fuiſſe & eſſe proceſſum & ſententiatum & per partem dicti Ludolphi *male perperam & inique appellatum*, ac eundem Ludolphum *in expenſis factis & fructibus perceptis condempnari per nos cum inſtantia poſtulavit.* Nos igitur Petrus Fabri Auditor præfatus, dictum Magiſtrum Henricum non comparentem, licet uſque ad horam debitam expectatum reputantes, quantum ad actum hujusmodi exigente juſtitia contumacem in ejus contumaciam viſis primitus & inſpectis diligenter & plenarie omnibus & ſingulis actis, actitatis, literis, inſtrumentis, juribus & munimentis quibuscunque contra prædictas partes factis & habitis, exhibitis & productis in judicio tam coram dicto domino Johanne Rigaldi auditore ſupradicto, & per eum quod etiam coram nobis & per nos & auditis & plenius intellectis omnibus & ſingulis, quæ dictæ partes coram nobis dicere, proponere ſeu allegare voluerunt, verbotenus & in ſcriptis ipſisque omnibus & ſingulis per nos cum diligentia reſcencitis (recenſitis) facta quoque de hiis dominis conauditoribus noſtris cauſarum ſacri palatii relatione plenaria & fideli, ac nobiſcum & cum eis & nonnullis *aliis in jure peritis* deliberatione ſuper hiis habita diligenti, de ipſorum Conauditorum noſtrorum conſilio & aſſenſu, per ea quæ vidimus & cognovimus, & quæ nunc etiam cognoſcimus & videmus in hac cauſa. Chriſti nomine invocato pro tribunali ſedentes & præ oculis habentes ſolum deum, de Conauditorum noſtrorum conſilio & aſſenſu in hiis ſcriptis diffinitive pronunciamus, decernimus & declaramus, per venerabilem virum dominum Johannem Rigaldi, auditorem, bene & legitime fuiſſe & eſſe proceſſum & ſententiatum, & per partem Ludolphi male perperam & inique appellatum, dictumque Ludolphum *in perſonam procuratoris ſui & dictum procuratorem in perſonam dicti Ludolphi in fructibus perceptis & in expenſis legitimis in cauſa hujusmodi coram nobis factis condemnantes*, taxationem ipſarum expenſarum nobis inpoſterum reſervata. In quorum omnium teſtimonium præſentem noſtram diffinitivam ſententiam ſeu præſens publicum inſtrumentum ipſam noſtram diffinitivam ſententiam continens, per Johannem Ferrandi Clericum Ruthenenſem notarium publicum infra ſcriptum ac noſtrum & dictæ cauſæ ſcribam publicari mandavimus & noſtri ſigilli fecimus appen-

appenſione muniri. Lecta, lata & in ſcriptis promulgata fuit hujusmodi Sententia diffinitiva per nos Petrum Fabri Auditorem prædictum *Avinioni* in domo fratrum prædicatorum, *ubi Jura redduntur*, mane hora cauſarum nobis tunc, ad Jura reddendum in loco noſtro ſolito, pro tribunali ſedentibus, ſub anno a nativitate domini Milleſimo, Trecenteſimo, quadrageſimo ſexto, indictione IV. decima, die Lunæ, quæ fuit nona menſis Octobris Pontificatus ſanctiſſimi patris & domini noſtri, domini Clementis, divina providentia Papæ VI. anno quinto. Præſentibus venerabilibus & diſcretis viris, domino *Pontio Raynaldi*, LEGUM DOCTORI, *Nicolao de caſulis, in rom. curia advocatis*, & *Magiſtro Geraldo de Ameko* (Amebo) notario publico, ſcribaque noſtro, & pluribus aliis teſtibus, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Johannes Ferrandi, clericus Ruthenenſis, publicus apoſtolica ac imperiali auctoritate Notarius ac præfati domini Petri auditoris Scriba, prolationi, recitationi & pronunciationi ſupradictæ diffinitivæ ſententiæ, una cum prænominatis teſtibus præſens fui & de mandato ac auctoritate ejusdem domini auditoris ſcribi feci & in hanc publicam formam redegi meoque conſveto ſigno ſignavi, vocatus ſpecialiter ac rogatus in teſtimonium præmiſſorum.

CLXXXI.

Ottonis Archiep. Bremenſis Literæ Excommunicatoriæ contra quosdam clericos & laycos Kilienſes, de violentiis, injuriis, vulneribus & aliis exceſſibus, quibusdam N. Monaſterii clericis illatis; addita monitione Canonica pro Rectore Eccleſiæ parochialis, Proconſulibus & Conſulibus ſeu Senatoribus Kilonienſibus, ne officiis & conſortio excommunicatorum utantur; demandata ſententiæ executione Rectori Capellæ S. Spiritus, ut & Epiſcopis Raceburgenſi, Sverinenſi & Lubecenſi in ſubſidium juris ſimul requiſitis & vocatis.

1346. NOs *Johannes, Dei gratia, Epiſcopus Lübicenſis*, univerſis Eccleſiarum & capellarum Rectoribus, vel eorum vices gerentibus, per civitatem & dyoceſin noſtras Lübec. conſtitutis. Salutem in domino. Noveritis, nos literas Reverendi Patris in Chriſto, & domini noſtri, domini Ottonis, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, metropolitani noſtri recepiſſe, quarum tenor eſt talis.

Otto Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, venerabilibus viris univerſis & ſingulis præpoſitis, decanis, Archidiaconis, eccleſiarum & capellarum rectoribus, vel vicerectoribus, vicariis & presbyteris, per civitatem & dioceſin Bremenſem conſtitutis, qui ſuper executione infra ſcripta requiſiti fuerint, ſalutem in domino, & mandatis noſtris firmiter obedire. Ad boni paſtoris ſollicitudinem pertinere dinoſcitur, ut oves ſibi commiſſas ab illicitis auſibus oppreſſorum relevet & defendat. Nuper quidem ad noſtrum auditum fama publica deferente pervenit, quod Hinricus Beringheri, Nicolaus Piſcatoris, Johannes Monetarii presbiteri, Hinricus Laurentii publicus Notarius, Hinricus Rendesborgh, *Johannes Saxo* alias dictus *Ovenkater*, Nicolas Vinck-Kolekerke, filii Gudemannes clerici, Marquardus Hop, Henneke Woltvoghet, Otto & frater ſuus, filii Ottonis Aſpen, Hermannus Bremen, Andreas Nettelmunt, Leo Carpentarius, *Johannes Roſtock* & ſervus ſuus, Lüdemannus Lapicida, Andreas Luſcus, & Gunno Stephani laici noſtræ dioceſis cum nonnullis eorum complicibus, tam clericis quam laicis auſu ſacrilego, inſtigante diabolo, *dotem ſeu domum parochialis Eccleſiæ in Kyl*, dictæ noſtræ dioceſis, tempore nocturno cum magno ſtrepitu & inſolentia acceſſerunt & cum magno tigno hoſtium ipſius dotis violenter effringentes & eandem dotem armata manu intrantes, religioſum virum *Hinricum Manegoldi* presbiterum & canonicum regularem in novomonaſterio, ejusdem noſtræ dioceſis, in ipſa dote nomine Præpoſiti, Prioris & conventus ejusdem monaſterii exiſtentem, fere usque ad mortem vulnerarunt, familia eorundem Præpoſiti & conventus in eadem dote exiſtente per ipſos violenter expulſa, rebusque & omnibus bonis per ipſos expulſos amiſſis, ad ipſos præpoſitum & conventum ſpectantibus, ab ipſis invaſoribus cum violentia captis & detentis, præfatoque *Hinrico Manegoldi ſic lethaliter vulnerato ad publicam plateam inhumaniter expoſito & projecto*, dotem prædictam pluribus diebus notorie occuparunt quam prout famatur, adhuc detinent occupatam. Quodque Hinricus Beringheri presbiter prædictus, *Johannes Hamborgh*, alias dictus *Smalenbeke*, Hinricus Laurentii, Notarius publicus, Hinricus Sartoris, Johannes Saxo, alias dictus Ovenkater, Hinricus Syrich, Kolenkerke, clerici & Marquardus Hop, laycus opidanus in Kyl, cum eorum complicibus clericis & laicis præfatis, violentiis & injuriis non contenti, in religioſos viros dominos *Volquinum de Segheberghe*, Nicolaum Stenhus, Hartmannum Friſonis, *Hinricum de Wiſmaria* & Marquardum Ledeghen, canonicos dicti monaſterii in conſpectu Conſulum & quaſi totius populi, memorati opidi Kyl, in cymiterio parochialis eccleſiæ ibidem crudeliter inruentes & in ipſos manus violentas temere injicientes, ipſos atrociter percuſſerunt, ipſo Volquino de Segheberghe usque ad effuſionem ſanguinis vulnerato, & Hartmanno Friſonis ad terram vi proſtrato per cymiterium dictæ eccleſiæ, nudo dorſo per pedes tracto, dictos canonicos luto maculatos irreverenter in plateam publicam projecerunt. Nos ex officio noſtro procedentes, per certum Commiſſarium noſtrum præfatos presbiteros, clericos & laycos ad certum diem & locum peremptorie citari fecimus, allegaturos & reſponſuros excuſationes & defenſiones legitimas, quare ſuper præmiſſis exceſſibus contra eos procedi ad pœnas debitas non deberet. Quibusdam vero ex eis termino præfixo per ſe

& procuratorem comparentibus & præmissa, quanquam essent & sint notoria partim negantibus, aliis vero contumaciter se absentibus, dictus commissarius super præfatis violentiis & injuriis testes ydoneos & instrumenta publica recipere curavit. Quibus quidem instrumentis & eorum testium depositionibus ad nos transmissis & *in termino ad videndum aperiri dicta testium* hujusmodi ipsis invasoribus eisdem *attestationibus publicatis & apertis* invenimus manifeste, sufficienter & legitime fore probatum prælibatos excessus, violentias & injurias prædictos presbiteros, clericos & laycos notorie perpetrasse. Propter quod deliberatione nobiscum & *cum* JURISPERITIS præhabita diligenti pronunciavimus & declaravimus & in his scriptis pronunciamus & declaramus Hinricum Beringheri, Nicolaum Piscatoris, Johannem Monetarii presbiteros, Hinricum Laurentii, Johannem Hamborgh, alias dictum Smalenbeken, notarios publicos, Hinricum Rendesborch, Johannem Saxonis, Radolfum Boyenhusen, Nicolaum Winken, Kolenkerken, Hinricum Syrich, Hinricum Sartoris, filios Gudemannos clericos, Marquardum Hop, Henneken Woltvoghet, Ottonem & fratrem suum, filios Ottonis Aspen, Hermannum Bremen, Andream Nettelmunt, Leonem Carpentarium, Johannem Rostock & servum suum, Ludemannum Lapicidam, Andream Luscum & Gunnonem Stephani, laycos prædictos, & omnes & singulos, qui eis in hac parte præstiterunt auxilium, consilium vel favorem, excommunicationis *sententiam prolatam a* CANONE: *si quis suadente dyabolo* &c. propter excessus prædictos dampnabiliter meruisse: Nec non Hinricum Beringheri presbiterum, Johannem Hamborgh, alias dictum Smalenbeke, Hinricum Laurentii notarios publicos, Hinricum Sartoris, Johannem Saxonis, alias dictum Ovenkater, Hinricum Syrich, Kolenkerken clericos & Marquardum Hop laicum, præter *hujusmodi sententiam canonis*, in dyocesi etiam in sententiam, quam *in violatores ecclesiarum & cymiteriorum, tempore consecrationis eorum proferri solitum est*, temeritate damnabili fore prolapsos, ipsosque tam diu debere excommunicatos publice denunciari & a fidelibus evitari, donec absolutionis beneficium obtinuerint a sententiis memoratis. Insuper declaramus & pronunciamus *cymiterium dictæ parochialis Ecclesiæ in Kyl* fore *per effusionem sanguinis violatum* nec in eo *deberi fidelium corpora sepeliri*, nisi prius auctoritate nostra *reconciliatum existat.* Ne igitur excessus tam graves & notorii ex excedentium impunitate trahantur ab aliis in exemplum, vobis & cuilibet vestrum in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis, quam in vos & vestrum quemlibet trium dierum monitione pro *canonica & peremptoria monitione* præmissa, proferimus in his scriptis, si mandatis nostris hujusmodi contemseritis seu distuleritis contumaciter obedire, districte præcipiendo mandamus, quatenus per vos vel vestros subditos prædictos, Hinricum Beringheri, Nicolaum Piscatoris, Johannem Monetarii presbiteros, Johannem Hamborgh, alias dictum Smalenbeken, Hinricum Laurentii Notarios publicos. Hinricum Rendesborgh, Johannem Saxonis, alias dictum Ovenkater, Radolfum Boyenhusen Nicolaum Winck, Kolenkerken, Hinricum Syrich, Hinricum Sartoris, filios Gudemannes clericos, Marquardum Hop, Henneken Woltvogt Ottonem & fratrem suum filios Ottonis Aspen. Hermannum Bremen, Andream Nettelmunt, Leonem Carpentarium, Johannem Rostock & servum suum Ludemannum Lapicidam, Andream Luscum & Gunnonem Stephani laycos, cum eorum in hac parte complicibus & omnes & singulos, qui ipsis in præmissis præstiterunt auxilium, consilium vel favorem singulis diebus dominicis & festivis infra missarum solempnia, *pulsatis campanis & candelis extinctis, excommunicatos & sacrilegos publice nuncietis*, facientes ipsos et eorum quemlibet a Christi fidelibus artius evitari. Cœterum ne prædicti excommunicati & sacrilegi tanquam membra putrida seu contagiosa communione fideles inficiant seu corrumpant mandamus sub pœna excommunicationis prædicta, quam in vos & vestrum quemlibet incurrere volumus, dicta monitione præmissa, si non feceritis, quod mandamus, quatenus *Ludolphum Michaëlis* gerentem se *pro Rectore dictæ Ecclesiæ in Kyl*, Radolfum *Tornore*, Hartvicum *Boyenhusen*, Johannem *de Wedele*, Conradum *de Bremis* PROCONSVLES, Bertramum *Smalensee*, Johannem *Vetten*, Detlevum *Zucstorpe*, Herdingum *Luscum*, Thidericum *Riken*, Johannem *Visch*, Johannem *Zuten*, Hartwicum *Bramstede*, Tymmonem *Crummedich*, Marquardum *Hertbeken*, & Ottonem *Eynendorpe*, CONSULES *dicti opidi Kyl* & quosdam alios opidanos ibidem & alios quoscunque tam mares, quam fœminas, quorum nomina sciveritis in specie, Reliquos vero in genere *de ambone* (*) *& alibi*, ubi oportunum fuerit, *peremptorie moneatis*, ne statim post hujus denunciationem prædictos presbiteros & clericos missas seu alia divina officia in dicto opido celebrare, ymmo verius prophanare, vel ecclesiastica sacramenta populo ministrare, quantum in eis fuerit, quoquo modo permittant, nec ab eis hujusmodi missas & divina officia audiant vel aliqua ecclesiastica sacramenta recipiant, sed infra quindenam a tempore monitionis hujusmodi continue nunciandam, quem terminum eis & eorum cuilibet pro canonica monitione & peremptorio termino assignamus, ab eorundem excommunicatorum participatione omnino desistant, nec eis cibo, potu, loquela, emendo, vendendo, hospitando, placitando vel quovis alio humanitatis solatio communicare præsumant, alioquin dictos *Ludolfum Michaëlis*, *proconsules*, *consules* & omnes alios in specie & nominatim monitos,

tos, quos ex nunc ut extunc excommunicamus in nomine domini in hiis ſcriptis, excommunicatos ſimiliter nuncietis *ſingulis diebus dominicis & feſtivis publice de ambone*. Et nichilominus in deteſtationem hujusmodi ſcelerum horrendorum poſt lapſum dictæ quindenæ in locis, in quibus præfati excommunicati & ſacrilegi vel aliquis eorum viſi fuerint vel viſus fuerit, quamdiu ibidem moram traxerint vel traxerit & poſt ipſorum & cujuslibet eorum receſſum per unum diem ceſſari præcipimus a divinis, ſub pœnis præmiſſis, ut ſic rubore ſuffuſi ad humilitatis gratiam & reconciliationis effectum facilius inclinentur. Præterea cum ſecundum conſtitutionem domini *Guidonis*, quondam *apoſtolicæ ſedis Legati in illa parochia*, in qua res clericis violenter ablatas capi vel detineri contigerit, usque ad reſtitutionem & ſatisfactionem congruam ſit a divinis ceſſandum *in prædicta* PAROCHIALI ECCLESIA KYL, ad quam *ipſum opidum Kyl* TOTALITER *pertinet*, in qua quidem parochia res dictis canonicis novi Monaſterii, ut præmittitur, ablatæ ſunt violenter, captæ & detentæ, ſub pœna excommunicationis & irregularitatis ex nunc ceſſari præcipimus penitus a divinis, donec dictis dominis canonicis reſtitutio hujusmodi ablatorum & ſatisfactio congrua realiter impendatur, ab executione omni & ſingulorum præmiſſorum non ceſſantes, donec de abſolutione prædictorum excommunicatorum per noſtras literas & alias vobis facta fuerit plena fides. Vobis autem *Rectoribus vel vicerectoribus* eccleſiarum in *Biſshorſt*, *Bredenberghe*, *Brügghe*, & *Vlintbeke* & domino *Johanni Leboden*, *Rectori capellæ ſancti Spiritus in Kyl*, aut locum veſtrum tenenti ſub pœnis antedictis diſtricte præcipimus & mandamus, ut vos vel aliqui veſtrum quos ſuper hoc requiri contigerit, hunc noſtrum proceſſum in prædicta parochiali eccleſia Kyl & conſulibus ibidem, publicare, intimare & exponere diligenter curetis. Per vos vero *Rectorem vel vicerectorem capellæ Sti Spiritus antedictæ* eundem proceſſum *exequi præcipimus* ſingulis diebus dominicis & feſtivis, ut ſuperius eſt expreſſum. In *ſignum etiam executionis hujus*, ſigilla veſtra, vel aliarum notarum perſonarum, ſi propriis carueritis, præſentibus literis *earum portitori benivole & ſine qualibet difficultate reddendis*, ſub pœnis antedictis *appendatis*. Inſuper vos venerabiles in Chriſto fratres, dominos, RACEBURGENSEM, ZWERINENSEM & LUBECENSEM *Epiſcopos*, noſtros *ſuffraganeos* requirimus & rogamus, ut *in ſubſidium Juris* hunc noſtrum proceſſum per Veſtros ſubditos in civitatibus & dyoceſibus veſtris faciatis publicari & executioni debitæ demandari. Datum Vordis Anno dom. M.CCC.XLVI. ſexto Idus Febr. noſtro ſub ſigillo. Sequitur

Lubecenſis Epiſcopi publicatio præcedentis proceſſus & Mandatum.

Nos G. conſiderantes *requiſitionem* domini noſtri Archiepiſcopi prædicti juri conſonam, volentesque requiſitioni ipſius humiliter obedire, ut tenemur, vobis & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna Excommunicationis, quam trium dierum canonica monitione præmiſſa in vos & veſtrum quemlibet fecerimus in hiis ſcriptis, ſi non feceritis quod mandamus diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſupraſcriptum proceſſum præfati domini noſtri Archiepiſcopi & contenta in eodem publice & ſolempniter in Eccleſiis veſtris coram populo publicare & notificare curetis ac debite exequi ſtudeatis, ſi ſupra ſcriptas noſtras ſententias volueritis evitare. In ſignum Executionis, vos qui requiſiti fueritis, ſigilla veſtra præſentibus apponatis. Datum Lubec. anno domini Milleſimo Tricenteſimo quadrageſimo ſexto, viceſima ſeptima die menſis Martii, noſtro ſub ſigillo.

Mandatum executionis ejusdem argumenti a Præpoſito Hamb. publicatum.

Fricus dei gratia *Hamburgenſis Eccleſiæ præpoſitus*, diſcretis viris, univerſis & ſingulis eccleſiarum Rectoribus vel eorum vices gerentibus, per noſtram Hamburgenſem præpoſituram conſtitutis, ſalutem in domino Mandatum venerabilis in Chriſto patris ac domini, domini *Ottonis*, *Sanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi*, pro religioſis viris, præpoſito & conventu in Novomonaſterio contra injuriatores & infeſtatores ſuos ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu eccleſiæ, quam in vos ferimus qui requiſiti fueritis, canonica tamen monitione præmiſſa in ſubſidium juris ſecundum tenorem dicti mandati, mandamus executioni. (**) *Datum & transfixum* Hamborch, ſub ſigillo noſtro ad cauſas anno domini. M. CCC. XLVI. in profeſto Ambroſii.

(*) Vel pulpito ſacro ſeu *ſuggeſtu* h. e. *Ambone* ab αμβη, αμβον, loco eminentiori, ſcala, gradu. In quo legebantur *epiſtolæ*, *evangelia*, *capitula*, *ſermones* ad *populum*. Ita DURANDUS *L. 4. Ration. C. 24. n. 17. Dicitur autem ambo quia gradibus ambitur*. Sed *Walafridus Strabo de Reb. Eccl. c. 6.* ambonem dictum putat ab *ambiendo*, *quia intrantem ambit & cingit. In Annalibus Francorum ad a. 800. legitur, quod Pontifex coram populo in B. Petri Baſilica Evangelium portans* AMBONEM *conſcenderit & de objectis criminibus juramento ſe purgaverit.*

(**) *Raceburgenſis*, *Sverinenſis & reliquæ Eccleſiæ ac Monaſteria factam hujus rei publicationem ſub ſigillis ſaltim & ſignis ſuis aſſeruerunt.*

CLXXXII.

Quidam Sleswicenſes clerici mandatum papale contra Ludolphum Michaelis emiſſum ſe executuros promittunt.

Sciant cuncti, præſentia percepturi, quod nos Jacobus Plebanus Beati Petri, Wicboldus ſanctæ Trinitatis, Bertoldus ſanctæ Mariæ & Marquardus Blooc Beati Nicolai Rectores Eccleſiarum Sleswicenſium, mandatum Venerabilis Viri, domini Johannis Maurelli, præpoſiti Eccleſiæ ſanctæ crucis Leodienſis, Curiæ Cameralis domini Papæ generalis auditoris, contra Ludolphum Michaelis 1347.

clericum Lübicenſem, pro parte religioſorum Virorum, dominorum præpoſiti & conventus Monaſterii ſanctæ Mariæ, Novi Monaſterii in Bardesholm, ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis Dioceſis, emiſſum, de Anno domini M. CCC. XL. ſeptimo, in dominica die, qua cantatur Oculi, recepimus, & id, ac omnia in eo contenta exequi volumus, omni obedientia & reverentia, prout tenemur, quod ſub ſigillis noſtris præſentibus literis appenſis recognoſcimus & lucide proteſtamur. Datum Sleswic. anno & die quibus ſupra.

CLXXXIII.

Ludolphi Michaëlis, Clerici Lubicenſis Excommunicatio.

1347. *Johannes Maurelli*, præpoſitus *eccleſiæ ſanctæ Crucis Leodienſis*, Curiæ Cameralis domini Papæ *generalis auditor*, diſcretis Viris *Bremenſi, Lundenſi, Colonienſi, Magdeburgenſi, Osnabrugen. Verden. Minden. Lubicen. Raceburgen. Zwerinen. Caminen. Sleswicen. Brandeburgen. & Ammon.* officialibus ac univerſis & ſingulis *eccleſiarum Rectoribus & capellanis curatis per easdem Provincias, civitates & earum dioceſes conſtitutis vel ipſorum locatenentibus*, ad quos præſentes literæ pervenerint, ſalutem in domino. Diſcretioni veſtræ præſentium tenore committimus & ſub excommunicationis pœna, quam canonica monitione præmiſſa in vos & veſtrum quemlibet ferimus in hiis ſcriptis, niſi feceritis quod mandamus, diſtricte præcipimus, quod receptis præſentibus vos vel quicunque veſtrum fuerit requiſitus per nos vel alium ſeu alios Ludolphum Michaëlis clericum Lübecenſem, quem in hiis ſcriptis excommunicamus, ejus contumacia & contemptu exigentibus, pro eo quod citatus ex parte noſtra per Vunanum de Salongello, domini Papæ Curſorem *ſemel & perſonaliter apprehenſus*, & *ſecundo* requiſitus per eundem Curſorem ad hoſpitium Henrici de Vemeren, in quo idem Ludolphus in Roman. habitare conſuevit, cum ipſum non poſſet perſonaliter invenire ac *tertio & peremptorie* in audientia publica domini Papæ, ut eſt moris, per noſtras literas ſpeciales & per competentia temporum intervalla, ut certis terminis jam elapſis ei per nos propterea aſſignatis, coram nobis perſonaliter compareret ad reſpondendum quibusdam interrogationibus datis & factis contra eum, ad inſtantiam religioſorum Virorum præpoſiti & conventus Monaſterii Sanctæ Mariæ Novimonaſterii in *Bardesholm* Bremenſis dioceſis, & alias ad procedendum in ipſo negotio, ut eſſet intentionis vel ad dicendam cauſam, quare non deberet dictis interrogationibus reſpondere, quod facere contumaciter non curavit, ymo ſe de dicta Romana Curia abſentavit prout dicto Curſori reſponſum extitit per *Henricum de Vemeren* prædictum quanquam eidem Ludolpho mandatum extiterit per eundem Curſorem ex parte noſtra, quod de dicta Romana Curia non recederet, donec reſponderet interrogationibus ſupradictis, quarum copiam idem curſor eidem Ludolpho tunc perſonaliter tradidit & dimiſit. Magiſtro Frederico Odiliæ Canonico Eccleſiæ Bremenſis procuratore dictorum Præpoſiti & conventus dicti monaſterii in dictis terminis coram nobis in judicio legitime competente & dicti Ludolphi non comparentis contumaciam accuſante, prout in actis dictæ curiæ continetur, tam diu *in noſtris Eccleſiis* ſingulis diebus dominicis & feſtivis dum miſſarum celebrabuntur ſolemnia & fidelium populus ibidem convenerit ad divina, *pulſatis campanis* & candelis *accenſis* ac demum *extinctis* ſic excommunicatum publice nuncietis vel nunciari faciatis, donec a nobis aliud receperitis in mandatis. Quicquid autem feceritis in præmiſſis nobis per veſtras patentes literas ſeriem vel deſignationem præſentium continentes, aut per inſtrumentum publicum remiſſis præſentibus fideliter intimetis. Datum *Ammonii* (*) ſub ſigillo proprio dictæ Curiæ, quo utimur, die quarta, menſis Decembris, Pontificatus domini Clementis VI. anno V.

Teſtimonium Acceptionis hujus mandati.

Ego Sacriſta Eccleſiæ Beati Anthonii recepi præſentes literas die VI. menſis Decembris Anno Domini M CCC XLVII. quas paratus ſum - in ipſis efficaciter implere.

(*) *Hamburgi*, ex veterum errore; qui vel ab *idolo* LYBIÆ *Ammone ſeu* Hamone, vel a Hama pugile *Hamburgum* vocari putant. MARESCHALCUS *Deflorat. L. 5.* CRANTZ. *L. I. Sax. CXI.* ANONYMUS *apud* LEIBNITZ *T. I. S. B. p. 260. Vide* MEIBOM. *ad Chron. Marcan. Levoldi a Northof. p. 44.* MOELLER *Iſag. in Hiſt. Cimbr. præf.*

CLXXXIV.

Johannes Epiſcopus Lubec. citari jubet Lud. Michaëlis olim excommunicatum, ad producendam papalem abſolutionem.

Johannes Dei Gratia *Lubecenſis Eccleſiæ Epiſcopus*, diſcretis Viris Dominis *Hinrico Yzenberch, Godfrido de Ripen* & *Nicolao Kalen*, perpetuis vicariis *eccleſiæ ſancti Petri in Lubeke* ſalutem in domino. Ex parte religioſorum virorum dominorum Jacobi Præpoſiti, Thiderici prioris ac conventus canonicorum regularium in Niemünſter Brem. dioceſis nobis eſt expoſitum cum querela, quod licet frater Ludolphus Michaëlis clericus Lubicenſis jam dudum per venerabiles viros dominos *Johannem Maurelli* auditorem cameræ domini noſtri Papæ, nec non per *Thomam Phaſtolph* ſacri palatii apoſtolici & ſpeciali er cauſæ, quæ inter prædictos dominos ex una, & eundem Ludolphum ex altera parte in Romana curia ventilatur, auditorem, propter ipſius manifeſtam contumaciam fuerit ad inſtantiam procuratoris ipſorum in eadem Romana curia excommunicationum vinculis publice innodatus & deinde in parochialibus eccleſiis ipſius civitatis Lubecenſ. & nonnullis aliis locis ex cauſis præmiſſis, aliquandiu inſtantibus dictis dominis præpoſito, priore & conventu fuerit excommunicatus publice, nunciatus, Ipſe tamen Ludolphus 1347.

phus prætendens se ab his excommunicatoriis sententiis a sede apostolica absolutum, feria sexta proxime præterita constitutus coram honorabilibus viris dominis Arnoldo præposito & capitulo nostræ Ecclesiæ in loco capitulari quasdam literas apostolicas, continentes simpliciter, ut videbatur sine satisfactione absolutionem ab hujusmodi sententiis, publicavit. Cum itaque præfatorum Religiosorum interfit, ut asserunt, scire, quomodo & qualiter prælibatus Ludolphus sit a dictis sententiis absolutus, vobis & cuilibet vestrum, qui fuerit requisitus, sub pœna excommunicationis districte præcipimus & mandamus, quatenus assumtis vobis *notario publico & testibus fide dignis* statim accedatis, quia propter hoc fuerit accedendum, & præfatum Ludolphum peremptorie citetis, ut coram nobis, Lubeke sabbato proximo post instans festum ascensionis Domini, hora tertia personaliter compareat, qualiter absolutionem a præfatis excommunicationum sententiis optinuerit canonice ostensurus. In signum executionis per vos factæ vel fideliter faciendæ vos, qui requisiti fueritis, vel fuerit requisitus, præsentes literas vestris sigillis vel aliorum, si propriis carueritis, reddite sigillatas. Datum Lubeke Anno domini M CCC XL. septimo. In vigilia ascensionis domini, nostro sub secreto.

CLXXXV.

Ludolphus Michaelis condemnatur in Expensas litis, in 32 florenos aureos moderatas.

1347. In dei nomine Amen. A quadam diffinitiva sententia dudum lata per venerabilem virum dominum *Petrum Fabri, Archidiaconum Cathurcensem*, auditorem causarum sacri palatii super causa, quæ tunc temporis vertebatur inter religiosos viros dominos Jacobum Præpositum, Priorem, & conventum monasterii Novi Monasterii ordinis Sancti Augustini Brem. diocesis, ex parte una, & Ludolphum Michaelis clericum Lübecensis diocesis, super parochiali Ecclesia in *Kylone, Bremensis diocesis*, & ipsius occasione ex altera coram ipso, pro parte dicti Ludolphi ad sedem apostolicam appellatio, supplicatoque tandem per procuratorem Religiosorum virorum, dominorum Jacobi Præpositi, prioris & conventus prædictorum, pro quibus dicta sententia lata fuit sanctissimo in Christo Patri & domino nostro domino Clementi, divina providentia Papæ VI. quatenus causam appellationis prædictæ alicui de auditoribus causarum sacri palatii committere dignaretur. Idem dominus Papa causam appellationis ejusdem nobis Thomæ Fastolfs *Legum doctori*, Archidiacono Wellensi auditori causarum dicti Palatii audiendam commisit & fine debito terminandam, cum emergentibus, dependentibus & connexis. Cujus quidem vigore commissionis servatis, & præmissis singulis terminis, qui fuerunt de jure & more dicti palatii observandi & præmittendi. Tandem nos *cognitis hujus causæ meritis, & juris ordine observato* de consilio & assensu auditorum nostrorum dicti palatii, quibus super hiis relationem diligentem fecimus & fidelem, pro dominis Jacobo Præposito, priore & conventu prædictis & contra dictum Ludolphum super dicta causa diffinitam sententiam proferentes eundem Ludolphum in expensis litis coram nobis legitime factis sententialiter duximus condemnandum, expensarum ipsarum taxatione nobis inposterum reservata. Et subsequenter ad instantiam Mag. Frederici Odilien, procuratoris dominorum Jacobi Præpositi, Prioris & conventus prædictorum coram nobis in Judicio comparentis Magistrum Henricum de Vemeren procuratorem dicti Ludolphi Michaelis ad videndum taxari dictas expensas per quendam domini Papæ Cursorem citari fecimus ad peremptoriam certam diem. In qua dicto Magistro Frederico Odilien, procuratore coram nobis in juditio comparente & dicti Mag. Henrici de Vemeren procuratoris *partis adversæ non comparentis contumaciam accusante*, ac *petente, dictas expensas per nos taxari.* Nos expensas ipsas debita prius earum moderatione præmissa & recepto ab eodem Mag. Frederico Odilien. procuratore corporaliter juramento, quod in causa ipsa coram nobis expenderat sub scriptam pecuniæ quantitatem, in triginta duobus Florenis de auro dandis Jacobo Præposito, Priori & conventui supra dictis, per Ludolphum Michaelis, prædictum, taxavimus & taxamus. In cujus rei Testimonium præsentes literas sive publicum instrumentum per Johannem de Dominicis Clericum Terdonensem, subscriptum Notarium & Scribam nostrum juratum scribi & publicari mandavimus, nostrique sigilli munimine roborari. Taxatæ fuerunt dictæ expensæ Avinioni in loco fratrum prædicatorum, ubi modo de mandato præfati domini Papæ jura redduntur per Nos Thomam Fastolff auditorem prædictum pro tribunali sedentem, mane hora causarum ad jura reddenda, anno domini a nativitate Millesimo Trecentesimo Quadragesimo Septimo die Mercurii quatuor decimo mensis Martii XV. Indict. Pontificatus præfati domini nostri Papæ Anno quinto. Præsentibus discretis Viris Mag. Ugone Raymbaldi & Phylippo de Bugwell. notariis nostris testibus ad præmissa:

Et ego Johannes de Dominicis Clericus Terdonensis, apostolica & imperiali auctoritate notarius atque Scriba, præfati domini auditoris & dictæ causæ, expensarum taxationi prædictæ ac omnibus aliis & singulis supra dictis circa eam gestis & habitis ut præfertur interfui, eaque omnia & singula de mandato dicti domini auditoris atque rogatus scripsi & publicavi, meumque signum appposui consvetum.

CLXXXVI.

Ludolphus Michaëlis condemnatus in contumaciam excommunicatur.

Willekinus Præpositus Monasterii sancti Georgii ordinis Prämonstratensis, Bremensis diocesis, subexecutor a venerabili Viro 1347.

ro domino Raymundo Yſuardi, Sacriſta Eccleſiæ Avinion. Executore tum ſententia rum diffinitarum latarum pro Præpoſito & conventu Monaſterii Novimonaſterii Ordinis ſancti Auguſtini ejusdem Bremenſis dioceſis in cauſa, quæ *inter ipſos Præpoſitum & conventum ex una, & Ludolphum Michaëlis clericum Lubecenſem* & omnes quorum intererat, *ſuper Eccleſia Parochiali in Kylone dictæ Bremenſis dioceſis & ejus occaſione*, parte ex altera vertebatur ac taxatione expenſarum in dicta cauſa factarum nomine & ſatisfactione fructuum de ipſa Eccleſia in Kylone perceptorum a ſede apoſtolica deputato una cum ſuis collegis dominis *Himrico Propoſito Monaſterii Sanctimonialium in Poretze, Lubicenſis, & Conrado Rectore Eccleſiæ in Byshorſt dictæ, Bremenſis dioceſis*, vices ſuas ſibi committentibus deputatis, univerſis & ſingulis, *Abbatibus præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, officialibus, Ebdomedariis, Monaſteriorum, Eccleſiarum, Capellarumque rectoribus vel vices eorum gerentibus, Vicariis, Altariſtis, presbyteris, clericis & publicis Notariis*, per BREMENSEM, COLONIENSEM, MAGUNTINENSEM, TREVERENSEM, MAGDEBURGENSEM, LUNDENSEM, LUBECENSEM, RACEBURGENS. ZWERINENSEM, CAMINENS. BRANDEBURGENS. HAVELBERGENSEM, VERDENS. HALBERSTAD. OSNABRUGGENS. MYNDENSEM. SLESVICENSEM & OTTONIENSEM civitates & dioceſes conſtitutis, ad quos præſentes literæ pervenerint, Salutem in domino & mandatis Apoſtolicis fuerint obedientes. Quia Ludolphus Michaelis prædictus per Nos & de mandato noſtro legitime & peremptorie citatus ad inſtantiam procuratorum, Religioſorum Virorum dominorum Præpoſiti & conventus Monaſterii Novimonaſterii præfatorum ad comparendum coram nobis tertio ſibi aſſignato ad proponendum & oſtendendum cauſam rationabilem, ſi quam haberet, quare non deberet per nos declarari & pronunciari incidiſſe in ſententias excommunicationis & alias pœnas contentas in proceſſibus venerabilis Viri domini Raymundi Yſuardi ſacriſtæ, executoris ſupraſcripti & etiam pro eo, quod ipſe Ludolphus Michaëlis dictis dominis Præpoſito & conventui de fructibus perceptis de dicta Eccleſia in Kylone & de centum & quinquaginta tribus florenis auri de florenis, in quibus ipſe Ludolphus eisdem dominis Præpoſito & conventui pro expenſis in dicta cauſa per eosdem religioſos factis eſt finaliter condemnatus in terminis ſibi per dictum executorem præfixis ſatisfacere non curaverit & nullam cauſam rationabilem proponere ac oſtendere curaverit. Nos ipſum Ludolphum Michaëlis non comparentem, licet diutius expectatum ad inſtantiam Procuratorum prædictorum dominorum præpoſiti & conventus contumaciam ipſius Ludolphi accuſantis reputavimus, quem ad actum hujusmodi contumacem & in ejus contumaciam pronunciavimus, & declaravimus dictum Ludolphum in pœnas & ſententias excommunicationis & alias contentas in proceſſibus prædicti domini Executoris incidiſſe, ipſumque Ludolphum fore denuntiandum excommunicandum eſſe & ipſum excommunicatum denunciamus & mandamus publice nuntiari auctoritate vobis univerſis & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, quam in Vos & Veſtrum quemlibet trium dierum ſpatio pro tertia & canonica monitione præmiſſa ferimus in hiis ſcriptis ſi non feceritis quod mandamus, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus vos & quilibet veſtrum, qui requiſiti fueritis vel fuerit requiſitus, præfatum Ludolphum Michaelis publice in Eccleſiis & Monaſteriis veſtris ac capellis infra miſſarum ſolempnia de ambone fideli populo ad divina officia congregato ſingulis diebus dominicis & feſtivis *ſonora voce excommunicatum nuncietis*, facientes ipſum Ludolphum ab omnibus Chriſti fidelibus arctius evitari, donec dictis dominis religioſis de hiis expenſis & fructibus perceptis ſatisfecetit cum affectu, & aliud canonice ſuper abſolutione ipſius habueritis in mandatis. In ſignum executionis per Vos factæ vel fideliter faciendæ, vos qui requiſiti fueritis, præſentes literas, veſtris ſigillis vel aliarum notarum perſonarum, ſi propriis caueritis earum portitori reddite ſigillatas, penis & monitionibus ſub præmiſſis. Datum in Monaſterio noſtro Stadis Anno domini MCCCLX. ſeptimo. In craſtino aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis noſtro ſub ſigillo.

CLXXXVII.

Johannes Rigaldi ſacri palatii auditor, Ludolphi Michaëlis procuratorem reputat contumacem eumque in 70. florenos auri condemnat.

In nomine domini amen. Pridem ſanctiſſimus in Chriſto Pater & dominus noſter, dominus Clemens Papa VI. cauſam ſeu cauſas appellationis ſeu appellationum & negari principalis quæ vertebantur ſeu verti ſperabantur inter venerabiles & religioſos viros *dominos priorem & conventum Monaſterii Novimonaſterii ordinis ſancti Auguſtini*, Brem. dioceſis ex parte una, & *Ludolphum Michaëlis* pro *clerico Lubecenſe* ſe gerentem ac *Nicholaum præpoſitum in Wyda Sleſvicenſis dioceſis*, ac omnes alios, quorum intererat, ſuper parochiali eccleſia in *Kilone* dictæ Bremenſis dioceſis & ejus occaſione ex altera, Venerabili & circumſpecto Viro domino *Franciſco de Tuterdo* DECRETORUM DOCTORI, Canonico Tudertino domini Papæ Capellano & ipſius ſacri palacii cauſarum auditori ad ſupplicationem dominorum prioris & conventus prædictorum procuratoris audiendam ſeu audiendas commiſit & fine debito terminandas cum omnibus emergentibus, dependentibus & connexis coram quo magiſtris Frederico prioris & conventus & Henrico de Veneren Ludolphi Michaelis procuratoribus quolibet ipſorum procuratorio nomine partis ſuæ in juditio comparentibus ſervatis 1347.

quæ

quæ rite per easdem partes coram ipso quibusdam terminis eodemque domino Francisco auditore prædicto se de Romana Curia absentante sæpe dictus dominus noster Papa causas easdem ad dictorum dominorum prioris & conventus procuratoris instanciam nobis Johanni Rigaldi LEGUM DOCTORI, Canonico Albiensi, domini Papæ Capellano & sui sacri palatii auditori causarum audiendas resumendas in eo statu in quo remanserunt & coram sæpe fato domino Francisco auditore commisit & fine debito terminandas. Nos itaque Johannes auditor præfatus virtute commissionis nobis factæ cognitis hujus causæ meritis & juribus dictarum partium visis & diligenter inspectis, habitoque super hiis dominorum nostrorum coauditorum dicti sacri palatii, quibus relationem plenariam fecimus & fidelem consilio & assensu de ipsorum consilio & assensu prædictis priore & conventu & contra Ludolphum prædictam diffinitivam sententiam promulgavimus, ipsos priorem & conventum ad possessionem ipsius Ecclesiæ restituentes & reintegrantes in fructibus perceptis & in expensis tam coram eodem domino Francisco quam nobis factas dictum Ludolphum nihilominus sententialiter condempnantes ipsarum expensarum taxatione nobis in posterum reservata. Tandem vero nos ad dicti Magistri Frederici Oddilio, Prænominatorum prioris & conventus procuratoris instantiam sæpedictum Magistrum Henricum de Vemeren, dicti Ludolphi Procuratorem, ad videndum dictas expensas per nos taxari vel dicendum caussam quarum taxari non deberent per certum domini Papæ cursorem citari fecimus ad certum terminum peremptorium competentem in quo quidem termino comparente in judicio coram nobis Magistro Friderico Odilie procuratore procuratorio nomine, quo supra & Magistri Hinrici de Vemeren contumaciam accusante ipsumque contumacem per nos reputari petente ac dictas expensas per nos taxari cum instantia postulante. Nos itaque Johannes auditor præfatus, ejusdem procuratoris petitionem juri consonam reputantes dictum Magistrum Henricum de Vemeren procuratorem citatum & non comparentem licet usque ad horam debitam expectatum, reputantes merito contumacem, in ejus contumaciam prædictas expensas in septuaginta Florenos auri provida moderatione taxamus, quos dictus Magister Fridericus procurator, quo supra nomine, per juramentum suum per nos sibi primitus delatum & per ipsum subsequenter ad sancta dei evangelia corporaliter tacta præstitum, se & partem suam in causa hujusmodi asseruit expendisse: In quorum omnium testimonium præsentem nostram taxationem scribi & per Notarium infra scriptum scribamque nostrum publicari mandavimus & nostri sigilli fecimus appensione muniri. Datum & actum Avinion. *in palatio apostolico*, in quo *jura redduntur*, sub anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Quadragesimo septimo. Indictione XV. die decima quinta mensis marcii, Pontificatus domini Clementis Papæ Sexti anno V. Præsentibus discretis viris Magistro Bartholomæo del Cassanh clerico sancti. Floris diocesis, & Angelo Blasii de Viterbio, scriba ipsius domini auditoris testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et ego Petrus Estæn Clericus Caturcensis diocesis. publicus Apostolica & Imperiali auctoritate notarius & supra dicti venerabilis viri, domini Johannis Rigaldi auditoris & dictæ causæ scriba prædictarum expensarum condempnationi & ipsarum taxationi dum per ipsum dominum auditorem agerentur & omnibus aliis supra dictis una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque omnia & singula recepi, publicavi & in hanc publicam formam redegi aliisque negociis occupatus per alium fidelem scribi feci hicque me subscripsi de mandato dicti domini auditoris requisitus & rogatus in testimonium præmissorum.

CLXXXVIII.

Requisitio Archiep. Bremensis, ut Ludolphus Michahelis a clericis Bordesholm. pro excommunicato habeatur.

Otto dei gratia, sancte Brem. Ecclesiæ Archiepiscopus universis & singulis *abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, canonicis, ebdomedariis* nec non *ecclesiarum & capellarum rectoribus, vel eorum vices gerentibus* & specialiter *honorabili viro, domino Præposito Novimonasterii & rectori capellæ sancti Spiritus in Kylone, nostræ diocesis*, salutem in domino Dudum venerabilis vir dominus Johannes Maurelli Præpositus Ecclesiæ sanctæ crucis Leodiensis curiæ, cameræ Domini Papæ generalis auditor, certos processus suos per provinciam & diocesin nostram debitæ executioni demandavit, sententias excommunicationis per ipsum contra Ludolphum Michahelis clericum Lubicensem, pro eo, quod citatus ad præsentiam ipsius domini auditoris in Romana Curia personaliter inventus responsurus quibusdam interrogationibus, dictis & factis contra eum ad instantiam religiosorum virorum præpositi & conventus *Monasterii sanctæ Mariæ Novimonasterii in* BARDESHOLME nostre diocesis contumaciter se absentando comparere non curavit & alias, prout in dictis processibus plenius continetur rite latas & promulgatas continentes virtute, quorum eundem Ludolphum sub certis penis mandavit excommunicatum publice nuntiari, donec aliud ab ipso reciperet in mandatis. Quare vobis omnibus & singulis in Virtute sanctæ obedientiæ, distincte præcipiendo mandamus, quatenus auctoritate dictorum processuum præfatum Ludolphum Michahelis tam diu excommunicatum publice coram fideli populo nuncietis, processus hujusmodi in omni sui forma debite exequendo, quousque præfatus Ludolphus legitime docuerit coram nobis, se fore ab hujusmodi sententiis canonice absolutum & aliud a præ- 1347.

fato domino auditore receperitis in mandatis. Datum Vordis anno domini M. CCC. XL. ſeptimo. Die XX. Menſis Junii, noſtro ſub ſecreto.

CLXXXIX.

Quidam Rectores Eccleſiarum dioceſis Lübec. promittunt, ſe Mandatum domini Papæ contra Ludolphum Michaëlis executuros.

1347. Pateat univerſis præſentia viſuris, quod nos Johannes de Ulſten B. Mariæ, Gherardus Wlome B. Jacobi, Hinricus Wittenborch B. Petri, Nicolaus Gherardi B. Egidii & Godfridus ſub Tit. ſancti Nicolai parochialium Eccleſiarum Lübicen. Rectores Mandatum Venerabilis Viri, domini Johannis Maurelli, curiæ cameræ domini Papæ Auditoris nobis contra Ludolphum Michaëlis clericum Lübicenſem pro parte religioſorum virorum dominorum præpoſiti & conventus Monaſterii ſanctæ Mariæ Novimonaſterii in *Bardesholm* ordinis ſancti Auguſtini, Brem. dioceſis, de Anno domini M. CCC. XL. ſeptimo in capite jejunii directum parati ſumus exequi ut tenemur, quod & præſentibus noſtris ſigillis roboratis proteſtamur. Datum Lübeke. Anno & die quibus ſupra.

CXC.

Quitantia nomine Archiepiſcopi Bremenſis conventui NMonaſt. de ſoluto ſubſidio caritativo data.

1347. Ego *Nicolaus Wedele, Canonicus Eccleſiæ Bremenſis*, procurator reverendi in Chriſto Patris, domini Ottonis, Archiepiſcopi Bremenſis habens ab ipſo ſpecialiter infraſcripta in mandatis, præſentibus recognoſco, publice proteſtando, quod recepi nomine procuratorio domini mei prædicti, ab honorabilibus & religioſis viris dominis Jacobo præpoſito & conventui regularium canonicorum monaſterii in *Bardesholme* infra debitum caput (capitale) prout in proceſſibus ſuper gratia eidem domino meo Archiepiſcopo ad petendum & recipiendum *caritativum ſubſidium moderatum* a clericis beneficiatis ſuæ civitatis & dioceſis a ſede apoſtolica factis, eontinetur, ipſum caritativum ſubſidium mihi per præfatum dominum præpoſitum præſentatum & ſolutum. Quapropter nomine procuratorio prædicto *quito & quitos* dimitto, dominum præpoſitum & conventum ſupradictos, reputans, me nomine procuratorio bene *contentum & pagatum*. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum præſentibus eſt appenſum. Datum Vordis Anno domini M. CCC. XL. ſeptimo, ipſo die beatorum Fabiani & Sebaſtiani martirum.

CXCI.

Ludolphus Michaëlis Rector parochialis Eccleſiæ in Kyl, occaſione ejuſdem eccleſiæ cum Conventu in Bardesholm litigans, condemnatur in 30. florenos auri de Florencia.

1347. In nomine domini Amen. Dudum ſanctiſſimus Pater & dominus Clemens, divina providentia Papa Sextus, cauſam appellationis pro parte diſcreti viri, domini Ludolphi Michaëlis, aſſerentis ſe rectorem parochialis Eccleſiæ in *Kylone*, Bremenſis dioceſis, ad ſedem apoſtolicam interpoſitæ, a nonnullis gravaminibus, ſibi per venerabilem Virum dominum Rigaldi, ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditorem, ut dicebatur illatis, in cauſa, quæ coram eodem domino Johanne Auditore vertebatur inter dictum dominum Ludolphum ex una parte, & venerabiles viros dominos Priorem & conventum Novimonaſterii, dictæ Brem. dioceſis, ſuper dicta parochiali Eccleſia in Kilone & ejus occaſione ex parte altera, ad præfati domini Michaëlis ſeu ejus procuratoris petitionem & poſtmodum cauſam appellationis interpoſitæ pro parte dicti domini Ludolfi Michaëlis, a quadam diffinitiva ſententia, ut dicebatur, lata per dominum Johannem Rigaldi, auditorem præfatum, contra dictum dominum Ludolphum, & pro parte Præpoſiti, Prioris & conventus Novimonaſterii prædictorum ſuper dicta Eccleſia in Kylone & ejus occaſione & negocii Principalis ad ipſorum præpoſiti, Prioris & Conventus procuratoris petitionem, ne cauſarum conventio divideretur Nobis Petro Fabri legum doctori, Archidiacono Caturcenſi Capellano ſuo & ipſius ſacri palatii cauſarum auditori audiendam commiſit & fine debito terminandam, cum dependentibus emergentibus & connexis. Nos itaque cum procuratoribus partium prædictarum coram nobis in judicio conſtitutis, in cauſa prædicta rite & legitime ac juris ordine obſervato procedentes, tandem noſtram diffinitivam ſententiam pro dictis dominis Præpoſito, Priore & conventu Novimonaſterii, dictæ Bremenſis dioceſis, & contra præfatum dominum Ludolphum Michaëlis in ipſius domini Ludolphi contumaciam in ſcriptis duximus proferendam, eundem dominum Ludolphum in expenſas in cauſa prædicta coram nobis finaliter condempnando, prout in inſtrumento dictæ ſententiæ ſuper hoc confecto & noſtro ſigillo ſigillato plenius continetur. Quarum quidem expenſarum taxationem nobis in poſterum duximus reſervandam. Deinde comparente in judicio coram nobis Mag. Frederico Odilie procuratore & procuratorio nomine Præpoſiti, Prioris & conventus prædictorum, Nos ad ipſius Mag. Frederici Procuratoris petitionem & inſtantiam, Magiſtrum Henricum de Vemeren procuratorem & procuratorio nomine domini Ludolphi Michaëlis Principalis præfati ad videndum per nos taxari expenſas prædictas vel dicendum cauſam rationabilem, quare taxari expenſas prædictas vel dicendum cauſam rationabilem, quare taxari non deberent, per quendam domini noſtri papæ curſorem citari mandavimus & fecimus, ad certum peremptorium terminum competentem. In quo quidem termino comparuit in judicio coram nobis Mag. Fredericus Procurator, procuratorio nomine, quo ſupra, & dicti Mag. Hinrici

rici procuratoris non competentis contumaciam accuſavit ipſumque contumacem petiit reputari & in ejus contumaciam expenſas prædictas taxari per Nos cum inſtantia poſtulavit. Nos igitur Petrus Fabri, auditor Præfatus, Prædictum Mag. Henricum procuratorem non competentem, licet ſufficienter usque ad horam debitam diutius expectatum reputantes quoad actum hujusmodi exigente juſtitia contumacem, & in ejus contumaciam expenſas prædictas per dictum M. Fredericum procuratorem coram nobis, ut præmittitur, in hujusmodi cauſa, nomine quo ſupra factas, in Triginta & unum ſiorenos auri de Florencia, provida moderatione, taxamus, *recepto prius juramento*, a dicto Mag. Frederico procuratore, *ad ſancta Dei Evangelia per eum corporaliter manu tacta*, quod tantum & plus pro parte ſua expenſum fuerat in cauſa prædicta. In cujus rei teſtimonium præſentem noſtram expenſarum taxationem per notarium publicum & ſcribam noſtrum infra ſcriptum, publicari mandavimus, & noſtri ſigilli appenſione muniri. Datum & actum Avinion. in domo fratrum ordinis prædicatorum, ubi nunc jura redduntur, nobis mane hora cauſarum ad jura reddenda in loco noſtro ſolito pro tribunali ſedentibus, ſub Anno nativitatis domini, Milleſimo, Trecenteſimo, Quadrageſimo ſeptimo. Indictione quinta decima & die Veneris viceſima tertia menſis Martii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Clementis, divina providentia papæ VI. prædicti Anno quinto, præſentibus diſcretis viris, Magiſtris Geraldo de Amelio & Geraldo de Merauilla, clericis Notariis publicis & ſcribis noſtris, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Petrus Soby, clericus Rhutenenſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, & venerabilis viri domini Petri Fabri, auditoris & cauſarum prædictorum Scriba, Expenſarum prædictarum taxationi, juramentorum præſtationi, omnibusque aliis & ſingulis, una cum prænominatis teſtibus præſens fui & ea de mandato & auctoritate ejusdem domini Auditoris, aliis negotiis occupatus, per alium ſcribi feci & in hanc publicam formam redegi & huic inſtrumento inde confecto ſignum meum appoſui conſvetum rogatus & requiſitus.

CXCII.

Otto Archiepiſcopus Brem. concedit novomonaſterio, ut in ſublevationem debitorum ſuorum de bonis & redditibus monaſterii ultra viginti marcas, in ſpatio quinquennii non perſolvant.

1347. Otto, Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis & ſingulis præſentia viſuris & audituris, ſalutem in domino ſempiternam. Honorabilium & Religioſorum virorum dominorum Jacobi, Præpoſiti & conventus monaſterii Novimonaſterii noſtræ dioceſis oblata nobis petitio continebat, quod ipſos propter diverſas cauſas litium, quas in *Romana curia & extra* pro defenſione jurium eorum, multa ſubire oportebat onera debitorum & expenſarum, a quibus veriſimiliter ſe non poſſent aliquatenus relevari niſi paternitas noſtra eisdem de remedio oportuno provideret. Nos vero conſideratis debitis & expenſis, quæ & quas propter evidentem utilitatem & defenſionem monaſterii eorum contraxerunt, juſtis eorum deſideriis annuere cupientes, præfatis dominis Jacobo præpoſito & conventui gratioſe licentiamus & indulgemus, ut pro ſolutione debitorum ſuorum & expenſarum de bonis & redditibus monaſterii eorum viginti marcarum redditus pro certis pecuniarum ſummis duntaxat ad quinquennium libere valeant obligare, cuicunque perſonæ voluerint, eccleſiaſticæ vel mundanæ, & ubicunque ipſis videbitur expedire, volentes ut præfati Præpoſitus & conventus *dicto quinquennio elapſo* hujusmodi viginti marcarum redditus, quos obligationi expoſuerint, recuperare ſtudeant & ad monaſterium eorum absque deceſſu temporis ulterioris revocare. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum Bremæ Anno domini M. CCC. XL. ſeptimo, ipſo die beati Jacobi Apoſtoli.

CXCIII.

Quitancia Ottonis Archiepiſcopi Brem. de ſubſidio caritativo XII. marcarum Lubec. den. eidem a conventu N. M. facto.

Otto Dei gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ 1348.
Archiepiſcopus, univerſis & ſingulis, quibus præſentia contigerint exhiberi, Salutem in domino. Noveritis, quod honorabilis Vir, dominus Jacobus Præpoſitus & conven- Regularium Canonicorum Monaſterii Novimonaſterii noſtræ dioceſis, nobis *pro caritativo ſubſidio* duodecim marcas Lubicenſium denariorum expedite perſolverunt, quas nomine noſtro prudenti Viro *Bertramo de Heydenbu*, proconſuli Lübicenſi præſentaverunt, tradiderunt & numeraverunt integraliter & ex toto. Quapropter tenentes & habentes nos contentos, ſolutos & pacatos, præfatos dominos Jacobum præpoſitum & conventum dicti monaſterii quitos dimittimus & ſolutos, pactum de ulterius hujusmodi caritativum ſubſidium non petendo, eisdem in hiis ſcriptis facientes. Datum Vordis anno domini M. CCC. XL. octavo, ipſo die circumciſionis Domini.

CXCIV.

Procuratorium Conventus Bardesholmenſis pro electione novi præpoſiti a capitulo Bremenſi confirmanda.

In nomine Domini amen. Anno nativitatis 1348.
ejusdem MCCCXL. octavo indictione prima, menſis April. die octava, hora quaſi nona, in loco conventuali ſive capitulari monaſterii Novimonaſterii, alias Bardesholm Bremenſis dioceſis, conſtituti in mei notarii infraſcripti

pti & teſtium ſubſcriptorum præſentia, honorabiles & religioſi Viri, Hinricus prior, totusque conventus canonicorum regularium Monaſterii Novimonaſterii jam dicti ordinis ſancti Auguſtini fecerunt, conſtituerunt & ordinaverunt diſcretos viros & religioſos dominos, *Thidericum Boddin* & *Jacobum quondam Præpoſitum*, eorum concanonicos & quemlibet eorum in ſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis ſeu quod unus eorum inceperit alter proſequi & perficere poſſit, ſuos veros procuratores & nuncios ſpeciales ad comparendum & ſe repræſentandum coram honorabilibus viris, dominis, præpoſito, decano & capitulo ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ ac petendum ipſorum nomine a jam dictis dominis vel a quibuscunque aliis commiſſariis deputatis ſeu deputandis ab ipſis *confirmationem electionis celebratæ ab eis de domino* HINRICO DE WISMARIA *in præpoſitum Monaſterii ſupra dicti* ac ad inſtruendum ſeu informandum præfatos dominos ſeu ipſorum commiſſarios de electione hujusmodi & de ipſius nunciis, ac aliis quibuslibet, quæ in ipſis neceſſaria fuerint & opportuna, ac ad appellandum, ſi opus fuerit, & appellationem proſequendum, nec non ad omnia alia & ſingula faciendum, procurandum & agendum, quæ in ipſis & eorum quolibet quomodolibet requiruntur, etiam ſi *mandatum* exigatur *ſpeciale* promittentes mihi Notario infraſcripto nomine & vice omnium, quorum intereſſe poterit, ſtipulari, ſe ratum, firmum atque gratum habituros, quicquid per præfatos ſuos procuratores ſeu eorum alterum actum, procuratum ſive factum fuerit, in præmiſſis & quolibet præmiſſorum. Acta ſunt hæc, anno, indictione, menſe, die, hora, & loco, quibus ſupra, præſentibus diſcretis viris, domino Mardo (*Marquardo*) dicto Prodezem, presbitero & Thiderico, dicto de Oyſten, famulo, domini præpoſiti Monaſterii ſanctimonialium in *Poretze* Bremenſis & Lubecenſis dioceſis, teſtibus ad hæc vocatis:

Et ego *Johannes Amelungi, clericus Zwerinenſis*, publicus auctoritate Imperiali Notarius, conſtitutioni, ſtipulationi ac omnibus aliis & ſingulis ſupraſcriptis, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui vidi & audivi, eaque propria manu fideliter conſcripſi & in hanc publicam formam redegi, meoque ſigno ſolito & conſveto nomine ſignavi, requiſitus & nichilominus ad majorem cautelam ſigillum conventus ſupra dicti Monaſterii Novimonaſterii præſenti procuratorio eſt appenſum.

CXCV.

Detlevus Grip famulus vendit novomonaſterio tres areas in villa Brügge & villam Gripeſharghe cum omnibus adjacentiis & ſub præſtatione evictionis Zele & Ware pro 340. marc. Lüb.

1349. Univerſis, ad quorum notitiam præſens ſcriptum pervenerit, Detlevus, famulus, dictus *Grip*, in domino ſalutem ſeriemque cognoſcere ſubſcriptorum. Ad hoc res geſtæ memoria dignæ ſolent ſcripturarum teſtimonio commendari, ut excluſo ambiguitatis ſcrupulo valeant ad noticiam poſterorum lucide & fideliter devenire. Quapropter demonſtratione præſentium publice recognoſcendo proteſtor, quod accedente conſilio & conſenſu fratrum meorum Hinrici & Johannis ac Marquardi filii fratris mei, Hinrici prædicti patrueliumque meorum, Marquardi & Hinrici dictorum Grip, *omniumque amicorum meorum, quorum intereſt vel jure intereſſe poterit*, Ego Detlevus prædictus *non coactus, nec invitus, ſed bonæ voluntatis & maturæ deliberationis propoſito*, tres *areas in villa Brügge, integramque villam Gripesharghe*, tribus manſis duntaxat exceptis, *Breydoni Gottorpe* pertinentibus, cum omnibus ſuis adjacentiis, juribus & articulis infra ſcriptis, manſis, agris, ſc. cultis & incultis, pratis, paſcuis, lignis, ſilvis & nemoribus, cum omni judicio majori & minori, manus & colli & præſciſe cum omni utilitate, libertate & fructu, prout dicta villa Gripesharghe in ſuis terminis & terminorum diſtinctionibus, quos patenter oſtendi, plenius continetur & jacet, Religioſis ac honorabilibus viris, dominis præpoſito & conventui in novo Monaſterio, alias in *Bardesholm* Brem. dyoceſis, rite & rationabiliter, ut præmittitur, vendidi & dimiſi, pro tricentis & quadraginta marcis *Lub. argenteorum denariorum in numerata pecunia* mihi integraliter perſolutis, & in *meos neceſſarios uſus converſis*. Cæterum vero villam memoratam cum omnibus ſuis proventibus, ut præmittitur, in quibus prædictis dominis etiam cautionem, quæ vulgariter *Sele & Ware* dicitur *coram tota parochia* more & jure terræ *in cimiterio villæ Brügge* &. prædicta villa *Gripesharghe* manifeſte præſtiti, memorati domini, præpoſitus videlicet & conventus, ſine revocatione qualibet & contradictione prædictorum fratrum & patruelium meorum ac heredum eorum perpetuis temporibus pacifice poſſidebunt. *Pheodum vero judicii prædictæ villæ & arearum*, quando ubi & quibuscunque prædicti domini voluerint, ad manus ipſorum dominorum benivole reſignabo. Renuncio inſuper pro me & meis heredibus, *exceptioni doli mali, non numeratæ, non ſolutæ & in utilitatem mei non converſæ pecuniæ, deceptionis ultra dimidium, juſti pretii, reſtitutioni in integrum* & generaliter omni actioni exceptioni, defenſioni ac omnibus aliis juris vel facti exceptionibus, quibus prædicti contractus in toto vel in parte poſſint infringi vel quomodo impugnari. Si vero, quod abſit, ſæpedictos dominos in prædictæ villæ bonis dictarumque arearum, infra annum & ſex ebdomadas a data præſentium, quisquam juris rigore moleſtare, diveſtire ſeu quovis alio modo mei nomine & ex parte, quocunque ſupradictarum conditionum articulo impedire præſumpſerit, ego & amici mei prædicti, quorum hic

ſigilla

sigilla impensa sunt, præfatos dominos indempnes reddemus, *omnemque brigam* (*) ipsis forte per quoscunque,ut præmissum est, motam vel movendam *secundum* NOSTRÆ TERRÆ CONSVETVDINEM penitus expedire ac *disbrigare* volumus & debemus. Quod etiam ego Detlevus & fratres ac patrueles mei prædicti in hiis scriptis honestis viris, armigeris, scilicet Vulf dicto Poggewisch,Marquardo Vulf, Wulvoldo dicto de Knope, Alberno & Johanni fratribus dictis de Wysch ac Ottoni filio Ottonis Poggwisch, *in solidum* promisisse recognoscimus & præsentibus in solidum promittimus *manualiter fide præstita corporali*, omni dolo malo & fraude, procul motis. Ut omnia autem & singula suprascripta rata & inconvulsa permaneant, sigilla *fratrum* & *patruelium meorum supradictorum* una cum sigillo meo præsentibus sunt appensa. Datum & actum Anno domini M. CCC. quadragesimo nono in vigilia beati Matthiæ Apostoli, in Civitate Kyl. præsentibus honorabilibus viris, dominis Johanne *Lybbode*, Hinrico de *Havene*, Johanne de *Endorp*, Alardo de *Plöne* presbyteris, Hartvico *Bramstede* Marquardo *Hertbeke*, proconsulib. Kilens. Hinrico *Borstelt* & *Wilste* opidanis in nouomonasterio & aliis pluribus fide dignis. (Adpendent V. Sgilla)

(*) rixam.

CXCVI.

Johannes Comes Holsat. dat NMonasterio judicium majus & minus in villis Oldenzörn & Totekendorp.

1349. Universis præsentia visuris Johannes Dei gratia, Comes Holtzatiæ & Stormariæ salutem in eo, qui est omnium vera salus. Quoniam propter labilem humanæ conditionis memoriam summe necessarium fore dignoscitur, acta præsentis temporis literali testimonio confirmari, hinc est, quod ad notitiam omnium tam futurorum, quam præsentium cupimus pervenire, quod nos de salute nostra solliciti, animarumque nostrorum progenitorum mederi languoribus cupientes, de bona voluntate nostra ad emendationem & incrementum Ecclesiæ Novi Monasterii, alias in *Bardesholm*, nobis in beneplacitis semper expositæ seu paratæ,integritatem proprietatis judicii majoris & minoris villarum *antiquæ Sorne & Totekendorpe* in campis, silvis, pratis, pascuis, paludibus, stagnis, agris cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus, viis & inviis, piscaturis, molendinis, & præcise cum omni utilitate & proventibus, qui in dictarum villarum terminis complectuntur, damus liberaliter & resignamus præsentibus prænominatæ Ecclesiæ, eo simpliciter jure, quo ad nos vel hæredes nostros pertinere dignoscitur, vel devenire possit, jure perpetuo possidendam. Nihilominus etiam *exactiones seu petitiones & servitia in dictis villis & terminis* earum exempta esse volumus, quibus *communis terra terrarum Dominis obligatur*. Præterea si quis præfatam Ecclesiam vel personas ejus in bonis prædictarum villarum inquietare, divestire, vel molestare injuriose præsumpserit, nostrum vel hæredum nostrorum erit, ipsas expedire. Ut autem hæc nostra devota donatio rata & inconvulsa permaneat, nec a quoquam successorum vel hæredum nostrorum infringatur, in evidentiam & testimonium omnium prædictorum sigillum nostrum præsentibus est appensum. Testes sunt hii, Domini Elerus *Bogestorp*, Thidericus *Groubbin*, Johannes *Amelongi*, Clerici & quamplures alii fide digni. Datum Plonæ anno Domini 1349. in octava Epiphaniæ Domini.

CXCVII.

Hinricus Godethyt plebanus in Brügge in sui suorumque amicorum salutem legat Novomonasterio 24. marc. in villis minori Hargen & Grypeshargen, certas addens conditiones.

In nomine Domini Amen. Ad pertuam rei memoriam. Nos *Hinricus* Dei gratia, *Præpositus*, Hinricus *Prior*, totusque *Conventus Novi Monasterii*, Ordinis Sancti Augustini, Bremensis diocesis, notum facimus universis & singulis tam præsentibus quam futuris, præsentes literas inspecturis seu audituris, quod Honorabilis Vir, Dominus *Hinricus*, dictus *Goudetyth*, quondam *Plebanus in Brügghe*, cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna feliciter commutare, unam perpetuam missam in dicto Monasterio nostro pro animæ suæ parentumque suorum animarum salute, per fratres tantum Conventus nostri per ordinem singulis diebus infra pulsum primæ, sub ambone modis infrascriptis invariabiliter observandam instauravit, & fundavit viginti quatuor Marcas denariorum Lubicensium redditus; Scilicet in *minori Harghe* novem marcas simpliciter sine judicio, & in *Grypesharghe* sedecim marcas cum omni judicio majori & minori, omnique utilitate & fructu, & unius marcæ redditus in quatuor areis *in Brugghe & in Grypesharghe* ad custodiam & ad memoriam suam annualem nobiscum perpetuo agendam; similiter unius marcæ de prædictis redditibus & de propriis bonis dicti Domini Hinrici comparatis nomine dotis & pro dote dictæ missæ per eundem Dominum Hinricum primitus hoc modo assignatis, videlicet, quod quolibet anno *Prior* & *Hospitalarius* præfati nostri Monasterii, qui pro tempore fuerint, dictos redditus fideliter colligent, & de eis singulis annis fratribus prædicto loco & tempore missam prædictam in Monasterio servantibus, exceptis infirmis, præ manifesta debilitate missam servare non valentibus,Nihilominus tamen ipsis infirmis portionem suam plene recipientibus, defectum supplebunt, quem habere consueverunt in vestitu, qui minus sufficienter eis de Camera solet annuatim ministrari, solito tamen modo administrationis *vestimentorum de camera*, *hu-*

jusmodi additionis occasione, nullatenus diminuto. Non enim est intentionis suæ, ut sæpius coram nobis publice protestando retulit, cujusquam officii nostri Monasterii redditus augmentare, verum *defectus singulos uniuscujusque nostrum*, prout prædicti redditus suppetunt, communiter relevare. De residuo vero, quod ab hujusmodi suppletione, in vestitu facta, de dictis redditibus superfuerit, Prior & Hospitalarius prænominati tenebuntur, & debent aliis indigentiis necessariisque fratrum licitis & honestis rebus, prout quisque indiguerit, & sibi dari petierit, benivole subvenire, ita tamen, quod hujusmodi suppletio & subventio fiant inter fratres pro rata & æqua portione. Eo sane proviso, quod prædicta subventio & additio nimiæ dissolutionis & evagationis causa fratribus non sit, nec per forte *suspectos aut vagabundos* inutiliter expendatur, sed unusquisque secundum regulæ nostræ doctrinam, prout decet religionem & honestatem, modo congruo vestiatur. Missa siquidem, de qua præmittitur, est semper, summis festis duntaxat exceptis, de divina nostra observanda seu officianda, quæ diebus Dominicis & festivis mediocri voce est cantanda, ferialibus vero diebus est legenda. Voluit nichilominus idem Dominus Hinricus, nostro accedente consensu, si, quod absit, dictos redditus ad alios usus, quam ad quos ipse eos, ut præmittitur, deputavit, sive per Præpositum, sive per Conventum nostrum, converti contigerit, extunc hujusmodi viginti quatuor marc. redditus ad *Monasterium Sanctimonialium in Poretze* debeant sine contradictione quacunque devolvi, nec ad prædictam missam officiandam erimus obligati. Residui vero prædictæ villæ *Grypesharge* proventus, videlicet quatuor marcarum pecunia Johannis dicti *Schwanse* Clerici Lubicensis diœcesis comparati post mortem ejusdem Johannis cum prædictis redditibus omnibus debent ad usus Conventus perpetuo liberaliter provenire. Ceterum Præpositus noster, qui pro tempore fuerit, juxta officii sui debitum commodum Conventus super omnia diligens, sæpedictam villam, sicut alia bona Ecclesiæ, suis & servorum suorum laboribus defendere debet efficaciter & tueri. In cujus rei testificationem sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum Anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo nono, in die B. Thomæ Apostoli.

CXCVIII.

Transactio inter Conventum Novomonasterien sem & laicos quosdam opidi Wilstriæ per certos arbitros composita.

1349. In nomine domini Amen. Ad noticiam præsentium & futurorum hominum lucide perveniat, quod anno domini Millesimo CCC. XL. IX. indictione secunda, Mensis Maji die XXIIII. hora tercia IN ECCLESIA *oppidi Wilstriæ*, discreti Viri, Thidericus Langhe & Hinricus Gobsmiter, laici, super omni dissensionis Materia inter honorabiles viros, dominos præpositum & Conventum *Monasterii Novimonasterii* Brem. diocesis ex una, & præfatos laicos parte ex alia dudum habita, per nos *Nicolaum Vos, Vicerectorem in Hilghenstede, Hinricum Stapel, rectorem Ecclesiæ in Bol, Hinricum Snepel perpetuum Vicarium in Itzeho, Hinricum Scherpeg, capellanum* in *Wilstria*, & *Lambertum* Rectorem, *ecclesiæ in Ymmissen* presbiteros, tanquam per veros & legitimos dictarum partium *arbitros*, amicabilem compositionem placitatam, dictoque loco & tempore publice pronunciatam, prædicti laici in singulis articulis prout inferius exprimitur, efficaciter impleverunt. Primo Hinricus *Gobsmiter* & Thidericus *Langhe* prædicti, religiosis viris dominis *Nicolao de Itzeho, Jacobo de Westvalia* & *Johanni Bloghele* nomine & ex parte totius conventus prædicti præsentialiter constitutis, Offensam in dominum *Thidericum Boddin*, præfati monasterii canonicum per manifestum spolium & violentam manuum injectionem ausu temerario per ipsos commissam totius parochiæ tunc congregatæ petitionis interventu & dei intuitu sibi pie indulgeri personaliter supplicarunt. Item affirmaverunt dictos dominos præpositum vel de conventu aliquem seu quemquam de eorum familia verbo vel opere nunquam lædere vel offendere sed potius obsequiis venerari & promovere vellent, perpetuo & deberent. Similiter nec clericum religiosum vel secularem sine notabili necessitate urgente nunquam lædere vel turbare promiserunt, Item XXX. Missas in honorem sanctæ trinitatis facere celebrari & oblatas ad sacras hostias conficiendas in Wilstria per annum integrum ministrare similiter promiserunt. Nichilominus etiam recognoverunt, Hinricum prædicti Hinrici Gobsmiters filium, tunc absentem, Præfatæ violentiæ manualem cooperatorem prædictæ satisfactionis modum, cum sibi triduo prædictum fuerit, facere & servare debere, quod etiam pro eo sic facturo Henneken Bordensteghen ac Hillemann Ghesensone laici se obligando ore & manu constanter promiserunt: Quo facto omnis controversia inter prædictas partes hactenus habita, penitus est sopita totaliter & sedata. Si vero prædictos dominos præpositum vel conventum sæpedicti laici incusare vel ab ipsis quicquam rationabiliter petere voluerunt, discretorum virorum Nicolai Vos, vicerectoris ecclesiæ in Hilghenstede, Johannis Florencii perpetui vicarii in Aspe presbiterorum, Heynekini de Haveke By & Nicolai de Bütle civis in Itzeho laicorum, nec non Poppen Johannis, Ghert Arnenet in Rumflet, Boleken im Haveke: By, Tamme Vetzerdes filii novorum arbitrorum utriusque partis, diffinitioni & pronunctiationi *in die dominica* post festum corporis Christi nunc proximo ventura per prædictos *arbitros in præfata Ecclesia Wilstriæ publice promulgandis* prædicti laici stare debent & benivole contentari. Quicquid vero pronunciatum

ciatum fueritit, prædictæ partes domini laicis & laici dominis cum effectu facient, prout fide jussores prædictarum partium scilicet discreti Volpert Doso, Henneke Voghet, ac Herderus Wighensone, Ludeke Lose, Hilleman Ghesensone, ac Hinricus Stubbe laici mutuo inter se unus alteri fide data manualiter promiserunt. Cœterum feria secunda penthecostes nunc proxima, hora nona, prædicti arbitri supra vel circa pontem fluvii, dicti *Beke*, convenient super pronunctiationibus suis finaliter concordando. Si vero quod absit, concordare non potuerint *nonum virum* qui vulgariter dicitur *Overman*, inter se concorditer nominabunt; Cujus diffinitioni & pronunctiationi prædictis loco & tempore faciendis utraque pars prædicta in omnibus acquiescet, diffinitiones ejus quaslibet integraliter impletura. Præsens autem arbitrium seu instrumentum publicum per Johannem Sebeken, notarium publicum infra scriptum conscribi fecimus, & sigillis nostris jussimus communiri. Acta sunt hæc Anno, indictione, mense, die, hora & loco quibus supra, præsentibus discretis Viris dominis Johanne de *Lûtkense*, Vicerectore ecclesiæ in *crimpa* (*Krempe*) Johanne *Hert* presbiteris, Nicolao de *Butle*, Brant de *Dodenkope* laicis, & pluribus aliis fide dignis testibus, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Johannes dictus Sebeke, clericus Bremensis diocesis. publicus imperiali auctoritate Notarius, supradictæ compositionis publicationi & ejusdem, ut prædicitur, adimpletioni omnibusque & singulis supradictis, præsens una cum dictis testibus interfui, eaque fieri vidi & audivi & in hanc formam publicam manu mea propria fideliter conscripsi, quam signo meo consveto signavi requisitus in testimonium veritatis.

CXCIX.

Judicium Wilstriæ litem inter Novomonasterienses & Wilstrienses (h. l. paludenses) de quibusdam bonis in Wilrekesmore sitis controversam mediante summa 30. marc. componit & vexam redimit.

1349. Nos *Consules Jurati*, & *Universitas Oppidi & Parochiarum. Wylstriæ & Ellertevlete*, recognoscimus tenore præsentium, publice protestantes, nobis omnibus ex certa constare scientia, nimirum, cum plures ex nobis, corporaliter præsentes affuerint placitis, quibus omnis seditio & discordia inter Honorabiles Viros, Dominos *Præpositum & conventum* ex una, & quosdam *nostros conterraneos*, videlicet Hinricum & Matthiam, filium ejus, dictos Gowesmiter, Thidericum Langhen, Hillemannum Ghesensone, & Hillemannum Suwensone, Laicos, parte ex altera, præfatos Dominos, super quibusdam bonis, in *Wilrekesmoor* sitis, indebite vexantes, totaliter est sedata, & secundum tenorem infra scriptum irrevocabiliter terminata, prædicti Domini Præpositus & Conventus, nullo jure astricti, sed ad instantiam & petitionem nostram pro prædictorum suorum adversariorum vexatione redimenda, & nostra amicitia servanda, & ne per temerariam præsumptionem & offensam violentam eorundem adversariorum suorum in ipsos Dominos prius factam, aut modo forte, quod absit, faciendam, prædictæ Parochiæ nostræ nec dicto graventur Ecclesiastico, nec alio turbentur gravamine, prædictis Laicis, suis adversariis, triginta marcas denariorum Lubecensium dederunt expedite. Per cujus pecuniæ dationem omnis controversia sedatur, inter prædictas partes dudum habita, ita, quod ab hodie usque in perpetuum præfati viri & utriusque sexus ab ipsis nati & nascituri, nec aliquis alius prædictos Dominos ratione dictorum bonorum verbo vel facto nullatenus molestabunt. Si vero præfatos Dominos quisquam in prædictis bonis unquam molestare præsumpserit, sæpedicti Laici, nunc tollentes pecuniam, & eorum hæredes, penitus *disbrigare debebunt*. Pro quo firmiter observando se & suos hæredes natos & nascituros utriusque sexus in perpetuum obligarunt. Renunciaverunt nihilominus omni juri, si quod ad ipsos a progenitoribus suis devolutum, vel ad suæ posteritatis succesSores devolvi poterit in futurum. Nimirum prædictorum nostrorum conterraneorum injusta non immerito dicitur petitio & instantia, ea quod præfati Domini ante centum annos a præsenti, & ab olim semper, in sua possessione pacifica dicta bona, pro quibus nunc vexantur, habuerint, & instantia per *quosdam* PALUDENSES, similiter *nostros Conterraneos*, ante triginta annos a præsenti, ipsis Dominis super eisdem bonis mota, *jure Civili*, BANNO SAXONVM, *de minori judicio ad majus, de primo ad tertium, more terræ*, eisdem Dominis *adjudicata*, & contra suos tunc adversarios *sententialiter fuerit reprobata*. In quorum omnium evidens testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum anno Domini M. CCC. XL. nono, in crastino beati Dionysii Martyris. Testes hujus rei sunt Dominus Nicolaus Vos in Hilghensteden, Hinricus Stapel in Wilstria, Ecclesiarum Vice-Rectores, prædictæ compositionis placitatores.

CC.

Godefridi Archiepiscopi Brem. mandatum ad Kylonienses, ne in præjudicium rectoris ecclesiæ ibidem parochialis novas vicarias, beneficia, altaria & missas instituant, nec divina celebrent officia sine plebani consensu sub pœna excommunicationis, sola capella S. Spiritus excepta.

Godefridus, Dei gratia, *sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus*, universis præsentia visuris & audituris, salutem in domino sempiternam. Exigit officii nostri debitum, ut dissensiones & scandala, quæ injuriosis actibus aditum præparant, rancores & odia suscitant 1350.

ac

ac illicitis moribus ausum præbent, in quantum possumus inter nostros subditos congruis remediis amputemus. Sane ad nostrum pervenit auditum, quod in parochia Ecclesiæ in Kyl nostræ Bremensis diocesis, & infra ejusdem parochiæ terminos, in missarum & divinorum officiorum celebrationibus & prædicationibus, nec non vicariarum seu beneficiorum fundationibus & altarium erectionibus & pluribus aliis modis nonnulla fiunt & etiam temere attemptantur, *contra sacros canones*, quæ in Rectoris dictæ Ecclesiæ & parochialium jurium præjudicium vergere dinoscuntur. Nos igitur hujusmodi abusiones abolere desiderabiliter affectantes, auctoritate sacrorum canonum & nostra tenore præsentium irrevocabiliter declaramus, constituimus & ordinamus, quod nullæ personæ Ecclesiasticæ vel seculares in dicta parochia, seu infra limites ipsius, missas seu divinum officium celebrare, seu proponere verbum Dei, aut etiam vicarias vel beneficia ecclesiastica fundare vel officiare, aut altaria erigere vel construere per se per alios valeant seu debeant, vel quicquam aliud ad jura parochialia pertinens facere vel attemptare præsumant, sine Rectoris præfatæ ecclesiæ, ad quem cura & regimen ejusdem parochiæ spectare dinoscitur, beneplacito & consensu, si canonicæ ultionis pœnam & excommunicationis sententiam voluerint evitare, hoc sane expresso, quod in domo, seu *capella Sancti Spiritus dicti opidi Kyl*, tres missæ tantum & non plures per ydoneos presbiteros diebus singulis poterunt celebrari. Quæ quidem missæ, antequam finiantur in parochiali Ecclesia matutinæ, *ne distrahatur a vera matrice ecclesia populus*, sint finitæ. Verbum vero Dei non nisi certis diebus & horis, cum nullum præjudicium ipsi parochiali ecclesiæ facere poterit, proponatur. Præterea ex speciali gratia concedimus, ut præpositus Novimonasterii, quicunque pro tempore fuerit, ad quem cura prædictæ parochialis Ecclesiæ spectare dinoscitur, contradicentes vel contrarium facientes, cujuscunque conditionis existant, per censuram ecclesiasticam cohibere, & canonica monitione præmissa excommunicare, ab officio suspendere, *dissolutiones etiam clericorum prohibere* & ut *clericaliter*, *decenter & honeste vivant*, & dum interfunt divinis, clericali habitu induantur, præcipere, & rebelles per eandem censuram ecclesiasticam cohercere liberam habeant facultatem. Absolutiones vero ab excommunicationum & suspensionum sententiis, quas per dictum præpositum contra rebellantes præmissis ferri contigerit, nobis vel successoribus nostris tantum reservamus. In evidentiam igitur & testimonium præmissorum sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum in oppido nostro Stadis, Anno domini M. CCC. quinquagesimo. In octava Beati Martini, episcopi & confessoris.

CCI.

Hartw. & Marquard. Wolff Fratres conferunt religiosæ sorori Alheydi domum lapideam Kylonii in vico Danorum, Däniſcher Straſse, sitam.

Universis præsencia visuris seu audituris, 1350.
Hartwicus & Marquardus fratres dicti *Wulf*, famuli, salutem in domino sempiternam. Recognoscimus tenore presentium publice protestando, quod maturo consilio, præhabito de unanimi consensu omnium heredum seu amicorum nostrorum, quorum nunc interest *vel de jure interesse poterit in futurum* solo bone voluntatis inducti proposito, dimisimus & contulimus & nichilominus presentibus dimittimus *sanctæ Sorori, Matri Alheydi* domum lapideam sitam in vico Danorum intra ambitum oppidi Kyl, & quicquid in ea Juris & proprietatis habuimus, ita videlicet quod habeat liberam facultatem de cetero dictam domum vendendi, disponendi seu in quoscunque usus pios vel in quascunque personas ecclesiasticas vel mundanas convertendi, renunciantes omni juris exceptioni, quæ nobis & nostris heredibus de jure vel de consvetudine contingere poterit in prædicta domo in parte vel in toto, præsentibus domino *Hinrico*, Præposito in *Holmis*, domino *Symone*, *rectore ecclesiæ in Kyl* & Benedicto notario testibus ad præmissa. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum anno domini M. CCC. quinquagesimo in die Beatæ Priscæ Virginis & martiris.

CCII.

Godefridi Archiep. Brem. Quitancia super charitativo subsidio sibi a N. Monasterio facto.

Nos *Godefridus*, dei gratia, sancte Brem. 1350.
ecclesie Archiepiscopus, ad universorum noticiam cupimus pervenire, honorabilem & religiosum Virum, dominum Henricum, præpositum in novomonasterio sui monesterii & ecclesiarum eidem annexarum nomine, dilecto nobis magistro *Petro de Byssuntio*, nostro officiali generali viginti marcas pro caritativo subsidio exposuisse & ad nostros usus integraliter persolvisse. de quibus quidem viginti marcis pro caritativo subsidio sic expositis ipsum præpositum nomine sui monasterii & ecclesiarum eidem annexarum, quitos per presentes dimittimus & solutos. In cujus rei testimonium secretum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Stadis Anno Domini M. CCC. quinquagesimo. In octava Martini Episcopi & confessoris.

CCIII.

Obligatio Marquardi Wulffii de 100. marc. Conventui Bordesholm data, sub hypotheca villæ suæ Ratmerstorp.

Universis præsentia visuris, seu audituris, 1350.
Marquardus dictus Wlf, filius domini Hartwici, bonæ memoriæ similiter dicti Wlf, quon-

quondam militis ſalutem in domino ſempiternam. Recognoſco & tenore præſentium proteſtor evidenter, me & meos veros heredes eſſe obligatos honorabilibus viris, dominis Præpoſito, Priori & conventui monaſterii Novimonaſterii alias in *Bardesholm* Bremenſis dioceſis ratione juſti mutui in centum *Marcis denariorum Lübec.* in parata pecunia michi conceſſis & præſentatis, ac in uſus meos neceſſarios converſis hoc modo perſolvendis, videlicet prædicti domini præpoſitus & conventus in bonis meis villæ *Ratmerſtorpe*, de manſis, quos nunc colunt. Cale Johan & filius ejus Henneke Crambeke & Olde ghebe ſigulis annis a data præſentium immediate ſubſequentibus, decem marcas denariorum Lübecenſium ſine omni protractione, prorogatione, dolo, malo, involutione, alterius obligatione ſeu quovis alterius impedimenti genere percipient & tollent expedite, quouſque prædicta ſumma, videlicet centum marcarum integraliter ſit completa & totaliter perſoluta. In cujus rei evidentiam ſigillum meum una cum ſigillis patruelium & amicorum meorum infra ſcriptorum videlicet Alberni *de Wiſch*, filii domini Alberni de Wiſch, Marquardi de Wiſch, filii domini Marquardi de Wiſch, Hartwici & Wilradi fratrum dictorum *de Knop* & Hinrici *Brocktorpe*, filii domini Marquardi Brocktorpe præſentibus eſt appenſum. Et ut præſcripta ſingula firmius obſerventur, Ego Marquardus Wlf & amici mei prædicti data manuali fide concorditer & in ſolidum promiſimus & firmiter promittimus in hiis ſcriptis. Datum Kyl. anno domini M. CCC. L. in vigilia beati Mathæi apoſtoli & Evangeliſtæ.

CCIV.

Monachi Auguſtini in Jaſenitz Camin. dioceſis cedunt quædam bona in Nova civitate Conventui in NMonaſterio.

1351. Nos *Eghardus* dei gratia *præpoſitus*, Johannes *Prior*, totusque *conventus canonicorum* regularium ordinis ſancti Auguſtini, monaſterii montis ſanctæ mariæ in *Yaſenitz*, caminenſis dioceſis, coram univerſis & ſingulis præſentia viſuris vel audituris publice recognoſcimus, proteſtando, quod unanimi conſenſu, matura deliberatione præhabita, dimiſimus & per præſentes dimittimus & reſignamus honorabilibus viris ac religioſis dominis, Hinrico præpoſito Manegoldo priori, totique conventui monaſterii in novo monaſterio brem. dioceſis omnia bona & ſingula in domibus, agris, annona, denariis, pecoribus, vel etiam debitis ſeu alio nomine quocunque cenſeantur, mobilia vel immobilia, quæ monaſterio noſtro cedere poterant vel poterunt ex hereditate Nycolai Helmici, quondam civis in *nova civitate* (Nienſtadt) & uxoris ejus Cæciliæ bonæ memoriæ ex parte dicti Johannis prioris Eccleſiæ noſtræ quatenus fuiſſe legitimus & eſſe certiſſime ſcitur filius utriusque omne jus, quod eidem domino Johanni Priori noſtro poterat vel poterit, & monaſterio noſtro nomine ſui competere, in prædictos viros religioſos, ſcilicet præpoſitum, priorem & conventum novimonaſterii transferentes, ratum & gratum habentes quicquid fecerint in præmiſſis. In cujus evidentiam ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum & actum in Yaſenitz Anno domini M. CCC. LI. VIII. ydus Februarii.

CCV.

Wulff & Otto Smalſtede fratres, vendunt Nic. Splyt curiam Vörde, ſub conditione, ut ex molendino curiæ adjacente N. Monaſterio annuatim 7. marc. exſolvantur, confirmatum a Johanne Holſat. comite.

Omnibus præſentia viſuris ſeu audituris, Johannes dei gratia Comes Holtzatiæ & Stormariæ, ſalutem in domino. Ad noticiam præſentium & futurorum lucide perveniat, quod in noſtra & militum conſiliariorum noſtrorum ſub-ſcriptorum conſtituti præſentia *Wuluoldus & Otto fratres*, *dicti Smalſtede* publice proteſtando recognoverint, quod ipſi curiam dictam *Vordhe*, prout multis annis poſſiderunt, eodem jure Nicolao dicto *Splyt*, alias *Moſeghardhe* ſimiliter poſſidendam vendiderunt, ita videlicet, quod quicunque prædictam curiam inhabitaverit vel poſſederit, religioſis viris dominis præpoſito & conventui in Novomonaſterio alias *Barthesholm*, ſeptem marcas de ipſo molendino dictæ curiæ adjacente exolvere debet annuatim, quas ſi præfatæ curiæ poſſeſſor, quicunque pro tempore fuerit, ſingulis annis in die B. Martini expedite non exolverit, extunc præfati domini *Rynam* (*ſive inſtrumentum molare, quod vulgariter Ryne dicitur*) tollere, mollendinumque ne circumeat, obſtruere jure & licite poſſint, quousque ipſis fuerit ſatisfactum. Teſtes hujus recognitionis ſunt honeſti Viri Marquardus Bructorp, Marquardus de Wiſch, Nicolaus Splyt, Langhe *Pleſſe*, Hartvicus *de Rantzowe*, Johannes Meynerſtorp, Nicolaus *de Wulflete* milites ac alii quamplures fide digni. In cujus rei Teſtimonium ſigillum noſtrum una cum ſigillis prædictorum militum præſentibus eſt appenſum. Datum anno domini M. CCC. LI. in Vigilia pentecoſtes. 1351.

CCVI.

Inſtrumentum tranſſumpti, in quo plures prælati propter quædam debita cameræ papali in tempore non ſoluta excommunicantur.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. quinquageſimo primo, indictione quarta, menſis Auguſti die ultima, hora meridiana vel quaſi, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini clementis, divina providentia Papæ ſexti anno decimo, conſtitutus in præſentia mei notarii publici infraſcripti & teſtium ſubſcriptorum honorabilis & religioſus vir, dominus *Hinricus, præpoſitus canonicorum* 1351.

rum regularium in novomonaſterio, alias in Bardesholm, ordinis Beati Auguſtini, Bremenſis dioceſis, produxit in medium, exhibuit ac legi fecit quoddam inſtrumentum publicum, ſcriptum per manum diſcreti viri Nicolai dicti *de Lawe, clerici Zwerinenſis dioceſis*, publici imperiali auctoritate notarii, ipſiusque ſigno ſolito & conſveto ſignatum non abraſum, non abolitum nec in aliqua ſui parte vitiatum & per me diligenter auſcultatum, requirens me Notarium, ut hujusmodi inſtrumentum publicum exemplaremus & in formam publicam redigeremus. cujus tenor de verbo ad verbum fuit & eſt talis:

1349. In nomine Domini amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. quadrageſimo nono, indictione ſecunda, die Veneris viceſima tertia menſis Octobris, hora qua in audientia contradictorum domini noſtræ Papæ literæ legi ſolent, ibidem literarum lectoribus procuratoribusque congregatis, videlicet inter primas & tertias (horas) pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, domini Clementis, divina providentia Papæ ſexti anno octavo, quidam clericus præſentavit & tradidit venerabilibus Viris, dominis Andreæ Barrerie & Nicolao de Angaria, dictarum literarum ipſius audientiæ lectoribus quendam rotulum papireum, cui duo ſigilla ceræ rubeæ, videlicet unum reverendiſſimi in Chriſto Patris & domini, domini Guillielmi, Titulo - - *ſanctorum quatuor coronatorum presbiteri Cardinalis* & aliud venerabilis patris domini Stephani Archiepiſcopi Arelatenſis, tergotenus impreſſa fuerunt & quidem de mandato eorundem dominorum juxta continentiam ipſius rotuli prælatos in eo contentos denunciarent in audientia publica prædicta commiſit verbotenus & expreſſe. Qui quidem dominus Andreas prædictus ſtatim rotulum ipſum reverenter recipiens legit in hæc verba:

Mandant reverendi patres domini miſeratione divina Guillielmus ſanctorum quatuor coronatorum presbiter Cardinalis et *Stephanus Arelatenſis archiepiſcopus*, domini Papæ camerarii denunciari ſemel & pluries prælatas infraſcriptos excommunicatos, ſuſpenſos ab amminiſtratione ſpiritualium & temporalium & executione pontificalium interdictos & perjuros in audientia publica domini Papæ cum comminatione, quod contra eos & eorum quemlibet gravius procederetur, prout dictis dominis camerariis videbitur expedire, pro eo quod communia ſeruitia cameræ & collegiorum & quæcunque ſervitia conſveta familiaribus domini noſtri Papæ & dominorum Cardinalium prædictorum per ipſos ſponte promiſſa in præfixis eis terminis jam diu etiam elapſis, ſolvere non curarunt, & propterea excommunicationis ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium & executione pontificalium ac interdicti ſententias & ſimiles - eorum latas & caſu quo prædicta in eisdem terminis non ſolverentur, ac reatum perjurii temere & dampnabiliter intraverunt in animarum ipſorum periculum & ſcandalum plurimorum Archiepiſcopos videlicet Bremenſem, Trajectenſem, Maguntinenſem & Barenſem Epiſcopos videlicet Foropopulienſem, Gerapetrenſem, Guerdunenſem, Laomenſem, Sardonenſem, Brandeburgenſem, Senogalienſem, Wormatienſem, Biſatienſem, *Hatſtadenſem*, Arfetoënſem, Hildeſemenſem, Leotadenſem Dareum, Venuſinum Oſtrumenſem, Ratiſponenſem, *Svanenſem*, Longonenſem, de Aquila Trajectenſem, Verdenſem, Aratenſem, Valuenſem, Maronienſem, Pelmionenſem, Melfitenſem, Brinitenſem, *Sucheſatenſem*, Calven. Petenoten. Vicarium Alizanum Anſeren. Salpen. Aquilaten. Sabaſten Haberſtad. Aladen. Fertenſem, Montismaram. Caſtren. In provincia Ydrontina Umbriaticen. Duntalden. Svalnen. Anſimannum. Urbinatenſem, Siginum. Licternium. Reatinum Enrapatren. Veſprennen. Tunien. Caſſanen. Viterbienſ. Marſicanien. & Dragonarien. Abbates Monaſteriorum videlicet St. Thomæ de Cremona. Sancti Angeli de Verguareto Sarcenatenſis dioceſis. de Gnanio Lucanæ dioceſis Sanct. Petri de Maſſa Callen. dioceſis. Beatæ Mariæ de Truuo Saxentæ dioceſ. Sancti Michaelis de Palapano Turricanenſis dioceſis. Sancti Petri de Taſcha Tarbienſ. dioceſis. Sancti Vedaſti de Morolio Ambianenſis dioceſis, de Saſſo Aratinæ dioceſis, St. Stephani de Carraria Paduanæ dioceſis. St. Galli, Conſtantienſis dioceſis. Sti Martini Tornacenſis dioceſis, de Comeriato Turonenſis dioceſis, Sti Remigii Senonenſis dioceſis, Sanctæ Trinitatis de Mileto. St. Petri de Capſola Surrentinenſis dyoceſis, de faſſo novæ dioceſis, Apoſtolorum Petri & Pauli de Brun Lincol. dyoceſis. Sancti Georgii de Venetiis, Sanctorum Apoſtolorum Aſten. Sancti Apollinarii de Blaſſa Bonenontanen. dyoceſis. Sancti Angeli de Tebald. civitatis Caſtelli, Sancti Juſtinæ Paduanæ, Sanctæ Mariæ in Yllice, Conſtan. dioceſis. Sancti Mauri Turunenſ. dyoceſ. Sancti Criſpini majoris ſuaſionis, Albundi prope civitatem Cumanam, Sti Johannis de Flore, Cuſontinæ dioceſis, Sancti Alexandri de Straſchap. Colonenſ. dioceſis. Quos ſic nominatos idem Magiſter & dominus Andreas ſupradictus coram diſcretis viris Magiſtris Wilhelmo de Reys, Wilhelmo de Parys, Tylmanno de Miſſia, Berlaco de Dornich, Hinrico de Vemeren, Hinrico de Halberſtadt & Johanne de Myntzenborgh aliisque quampluribus procuratoribus ſic mihi ſolito more congregatis, præſente me ac aliis pluribus notariis publicis denunciavit publice juxta mandatum ſupraſcriptum mandans nichilominus notarius dictæ audientiæ ut ad regiſtrum ejusdem ſcriberent de verbo ad verbum rotulum prælibatum. Acta ſunt hæc Avinion. Anno domini, Indictione menſe, die, hora, pontificatu

ficatu & præsentibus superius per ordinem explanatis. Et ego Nicolaus *dictus de Lawe*, clericus *Zwerinensis* diœcesis publicus imperiali auctoritate notarius hujus rotuli præsentationi & receptioni, lectioni & denunciationi aliisque omnibus & singulis supradictis una cum prænominatis testibus præsens fui & hoc publicum instrumentum meo solito signo signatum exinde confeci cum insinuatione rotuli supra dicti, nichil addens vel minuens, quod sensum mutet, aut in aliquo variet intellectum in evidentiam clariorem requisitus. Acta sunt hæc Lübeck in Ecclesia B. Egidii præsentibus discretis viris dominis Jacobo Rectore ecclesiæ in *antiqua Gamma*, *Razeborgensis* diœcesis, Johanne *de Oldeslo*, vicario in *ecclesia novimonasterii*, Hermanno *Wincenbergh* Lüb. diœcesis notario publico infrascripto & Reynero *Wittenborch* notario publico Lubec. diœcesis testibus ad præmissa convocatis, Anno indictione die mense hora & pontificatu quibus supra.

Et Ego Benedictus Crispi, clericus Bremensis diœcesis, publicus auctoritate imperiali notarius, hujus instrumenti publici productioni, exhibitioni & lectioni una cum prænominatis testibus & notario infrascripto præsens interfui, ipsumque instrumentum publicum non rasum, non abolitum, nec in aliqua sui parte vitiatum, ut prædictum, vidi & in præsenti transsumpto de verbo ad verbum nil addens, nil minuens, quod sensum seu intellectum mutet, exemplavi, ipsumque transsumptum diligenter postmodum auscultavi, propriaque manu conscripsi & in hanc publicam formam redegi, meoque signo solito & consveto signavi requisitus in testimonium præmissorum.

Et ego Hermannus Wincenbergh, clericus Lübecensis publicus Imperiali auctoritate Notarius, hujus instrumenti publicus productor exhibitioni & lectioni, una cum prænominatis testibus & notario subscripto præsens interfui ipsumque instrumentum publicum non rasum, non abolitum, nec in aliqua sui parte vitiatum, ut prædictum, vidi, hic me ad requisitionem prædicti domini Hinrici præpositi suprascripti, meumque signum solitum apposui in evidentius testimonium præmissorum.

CCVII.

Bertramus Episc. Lubic. confirmat & ratificat vicariam perpetuam in Ecclesia Hoënstein, ad quam Christianus de nova civitate, Rector quondam ecclesiæ in Honsyn, & Stephanus de Habenis presbiter, 26. marcarum reditus e villa Redwisch provenientes legarunt, jure patronatus familiæ Wasmodi consulis Neostadiensis reservato, qua emortua illud ad comites Holsat. redit; de celebratione sacrorum & administratione vicariæ plures adjectæ sunt conditiones.

1351. In Christi nomine Amen. Universis Christi fidelibus, præsentes literas inspecturis seu audituris, *Bertramus* dei & Apostolicæ sedis gratia *Lubecensis Ecclesiæ* Episcopus, salutem in omnium Salvatore. Dignum arbitramur & consentaneum rationi illorum desideriis facilem præbere consensum, qui inspirante deo cultum divinum laudabiliter augmentare & Ecclesiarum utilitatem proponunt salubriter procurare. Notum igitur sit tam præsentibus, quam futuris, quod cum discreti viri fratres Kalendarum sanctæ Mariæ, qui moderno tempore *suas* KALENDAS seu *fratrum suorum memorias* intra civitatem Lübecensem peragunt, olim tamen in terra Holtzatiæ nostræ diœcesis dictas *memorias* peragere consveverant, & domini *Cristianus* de *nova civitate*, quondam Rector Ecclesiæ *in Honsyne* & Stephanus *de Havenis* presbiter, villam *Redwisch*, sitam in *Parochia Honsyne* dictæ nostræ diœcesis, cum omnibus juribus, utilitatibus & redditibus suis a *Stephano de Alverstorpe* & suis veris heredibus comparassent, prout in Literis Nobilis viri, domini *Johannis*, *Comitis Holtzatiæ*, nec non dicti *Stephani de Alverstorp* super hoc confectis clarius est expressum, quæ quidem villa sedecim mansos continet, minus uno quartali, de quibus *secundum communem cursum*, quadraginta marcarum reditus annuatim solvuntur, & hoc assumptis quibusdam *solidis de areis dictæ villæ*, qui quidem solidi vulgariter *Topschillinghe* (*) nuncupantur. Præfati domini Cristianus & Stephanus ad emptionem ipsius villæ tantam summam expenderunt & solverunt, quod ipsis viginti sex marcarum redditus & quædam areæ & *reditus pullorum de ipsis areis solvendi*, dictos dominos pro rata contingentes ac *præfatis fratribus Kalendarum* quatuordecim marcarum reditus similiter cum quibusdam areis & *pullorum reditibus de ipsis areis dandis*, ipsos etiam pro rata contingentibus duntaxat de prætacta villa cedunt & debentur. Prænominati autem domini Cristianus & Stephanus, zelo pietatis moti, prædictos redditus scilicet viginti sex marcarum & areas obtulerunt liberaliter & devote omnipotenti deo & beatæ Mariæ Virgini pro sua & parentum suorum ac omnium benefactorum suorum salute, ad fundandam & instaurandam perpetuam vicariam in Ecclesia *Hænsten*, dictæ nostræ diœcesis, perpetuo duraturam. Unde nos ipsorum oblationem tanquam deo acceptam gratanter acceptantes, prædictos redditus sub protectione juris spiritualis ac nostra recipimus & de ipsis perpetuam vicariam, sive perpetuum beneficium ecclesiasticum in nomine domini creamus, fundamus & etiam instauramus, concedentes dictis dominis Cristiano & Stephano, ut ipsi possint nobis vel alter alterius de consensu - ad dictam vicariam personam ydoneam præsentare, per nos instituendam in eadem, & deinceps Wasmodus & Cristianus fratres, filii *Wasmodi consulis in nova civitate jus patronatus* præfatæ vicariæ sive *jus præsentandi* ad ipsam, quam diu vixerint, retinebunt, seu quamdiu alter eorum vixerit, idem

ſuper vivens eos, jure patronatus libere perfruetur, quibus defunctis præfatus Nobilis vir, dominus *Johannes Comes Holtzatiæ & Stormariæ & ejus heredes*, a quibus proprietas & libertas ad dictam vicariam donata & prout in præmemoratis literis dicti domini Johannis Comitis ſuper hoc alias conſtitutis plenius continetur, perpetuis temporibus ejus vicariæ jus patronatus habebunt, ita tamen, quod nulli de hujusmodi vicaria provideatur, niſi ſit *actu ſacerdos*, vel ſaltem in tali ætate conſtitutus, quod *infra annum continuum a tempore proviſionis ſibi factæ* poſſit & debeat ad ſacerdotium promoveri, ulla penitus occaſione prohibente. Poſſeſſor autem prædictæ vicariæ quicunque pro tempore fuerit, de prædictis viginti ſex marcarum redditibus annis ſingulis ſex marcas ſecundum formam, quæ ſubſcribitur, erogabit etiam ſi prædictarum viginti ſex marcarum redditus integre non perciperet, eo non obſtante de illo, quod perceperit, quantumcunque fuerit, dictas ſex marcas absque aliqua diminutione exſolvere tenebitur, ad quem defectum ſupplendum omnia obvenientia de parte dictæ villæ ipſum pro rata, ſicut dictum eſt, contingente tam in lignis & pratis, quam in *redditibus pullorum* de areis ſolvendis in recompenſam percipiet in villa memorata. Faciet autem dictarum ſex marcarum diſtributionem in hunc modum: Primum, *dominis in Cyſmer* anno quolibet in feſto Beati Martini duas marcas præſentabit ad pitantiam ſeu refectorialem refectionem in feſto beatæ Elyſabeth procurandam. Quod quidem feſtum per dictos dominos in Cyſmer perpetuis temporibus in miſſis & in omnibus horis canonicis illius feſti ſuo tempore peragetur cum ſolempnitate, qua feſta apoſtolorum ſeu martyrum peragere ſunt conſveti. Item dictus vicarius cum quadraginta ſolidis comparare debebit *unguentum ad lampadem*, quo unguento cuſtos dictæ Eccleſiæ *in Hoenſten* ignem in lampade jugiter nutriat, nec dictam lampadem ad horam extinctam eſſe *vel ſine lumine patiatur*. Quod cum ſi per negligenciam vicarii prædicti fomentum lampadi per aliquot dies deficeret, pro quibuslibet duobus diebus ipſe vicarius tres denarios pagabit, quorum tercia Rectori Eccleſiæ, dupla vero in Hoenſtein ad ſtructuram eccleſiæ cedet memoratæ. Prædictus autem vicarius dicto cuſtodi pro ſervitio faciendo ſibi ad miſſam & ad lampadem accendendam & unguento implendam & ad vitreas lampades comparandas & pro vino & oblatis ad miſſam ſibi adminiſtrandis duodecim ſolidos in vigiliis nativitatis domini annis ſingulis erogabit. Item ipſe vicarius rectori dictæ Eccleſiæ in Hoenſtein octo ſolidos in vigiliis nativitatis domini annis ſingulis dabit, pro quibus publicam memoriam domini Hinrici quondam Rectoris Eccleſiæ *in Syſele* & Margaretæ matris ſuæ, nec non domini Stephani fratris ipſius, poſtquam obierit faciet diebus dominicis de ambone. Inſuper quolibet anno idem Rector Eccleſiæ in Höenſten cum vicario & cuſtode ſuæ Eccleſiæ in die beati Andreæ Apoſtoli vigilias in eccleſia & ſequenti die quilibet eorum miſſam defunctorum pro remedio & ſalute animarum dictarum trium perſonarum devotione celebrabit & tunc ſæpedictus vicarius eidem rectori dabit unum ſolidum. Cuſtodi ſex denarii & ſex denarii ad miſſas ſunt offerendi. Unum vero ſolidum pro panibus expendat in uſus mendicantium diſtribuendis. Sed & unum ſolidum ſibi ipſi retinebit: & ſic ſumma ſex marcarum reddituum eſt completa. Præterea ut contentiones & diſſenſiones quæ ſuper dubiis oriri ſolent, penitus amputentur, conditiones infraſcriptas poſſeſſor ſæpe dictæ vicariæ inviolabiliter obſervabit. Primo ipſe vicarius, qui ſemper perſonalem faciet reſidentiam in dicta vicaria poſt offertorium ſummæ miſſæ omni die miſſam dicet vel cantabit & in qualibet ſeptimana unam de ſancto Johanne Ewangeliſta & unam de Sanctis Philippo & Jacobo apoſtolis celebrabit. Chorum tempore matutinali ſummæ miſſæ & hora veſperarum quotiens tonaliter (**) decantantur, religione (***) indutus ſedulo frequentabit, niſi cauſa legitima ex certa ſcientia rectoris dictæ Eccleſiæ in Höenſten fuerit impeditus. Si vero ipſe Rector indigentiam ſui habuerit, videlicet *propter ſponſam* (****) vel cauſa funeris, ex tunc ad requiſitionem rectoris poterit & debebit dictum tempus celebrandi mutare & pro Rectoris libitu celebrare. Oblationes ſuæ miſſæ, ſi quæ oblatæ fuerint, integraliter ipſi Rectori præſentabit. Quicquid autem pro miſſis peculiaribus ſeu votivis vel pro memoriis in miſſis fidelium defunctorum faciendis, ſibi exhibitum vel deſtinatum fuerit, neque per ſe neque per alium refutabit, ſed illud benivole recipiet ad uſus Rectoris ſupra dicti. In ſuis etiam miſſis orationibus & ſecretis memoriam aget dominorum dicti *Hinrici de Syſele*, ac matris ſuæ Margaretæ, Conradi *Scowenhagen* ſacerdotis, *Criſtiani de nova civitate* & Stephani *de Havenis* ſacerdotum prædictorum, Nicholai *Biſchop* & Johannis *Lather*, ex eo quod ad ipſam vicariam inſtaurandam de bonis ſuis large dinoſcuntur contuliſſe, nec non anniverſarios eorum ſuis diebus & temporibus devote peraget cum vigiliis & miſſis pro defunctis. Cæterum ſi eidem vicario aliquid fuerit in teſtamento legatum, rector Eccleſiæ poterit tertiam partem recipere de hujusmodi legato. Sed ſi Rectori nihil legaretur, ex tunc ipſe vicarius legatum ſibi æqualiter diuidet cum eodem. Quadrageſimali & alio quovis tempore requiſitus ab ipſo rectore, confeſſiones vigilanter audiet & ſine fraude, & alia ſacramenta, niſi impeditus legitime fuerit, miniſtrabit. In abſentia etiam Rectoris dictus vicarius ſi a parochianis viſitare infirmum requiſitus fuerit, negare ſibi non licebit. Inſuper prælibatus vicarius ullam diſſenſionem ſeu litem inter Rectorem & patronos ipſius per

per se vel per alium publice vel occulte quomodolibet susciabit, nec ipsum facto vel verbo offendet, sed ei in omnibus honestis & licitis, prout decens, honorem & reverentiam exhibebit. Ut autem prædicta vicaria cum suis præmissis conditionibus semper stabilis & firma perseveret & nullatenus immutetur, ipsam ratificamus & auctoritate ordinaria confirmamus; præsentia nostri Rectoris, Christiani & Stephani sacerdotum prædictorum sigillis fecimus communiri. Datum & actum Lübeke, Anno domini M. CCC. quinquagesimo primo. In festo Apostolorum Symonis & Judæ.

(*) Arrha, Handgeld in signum consummati contractus emtionis venditionis.
(**) *Musicaliter.*
(***) *habitu religioso.*
(****) *Copulationes conjugales.*

CCVIII.

Hinrici & Nicolai Comitum Holsat. obligatio in 43. marc. Lubecenses, præposito N. Monasterienſi data, sine hypotheca, cautione vel obstagio.

1352. Nos Hinricus & Nicholaus fratres, Dei gratia Holtzatiæ & Stormariæ comites universis & singulis præsentia visuris & audituris, sinceræ salutis affectum. Tenore præsentium publice protestantes recognoscimus, nos nostrosque veros heredes reverendo viro domino Hinrico præposito monasterii Novimonasterii, Bremensis dyocesis in quadraginta tribus marcis Lubecensium denariorum argenteorum veraciter teneri -- & esse obligatos nobis per prædictum dominum præpositum in promptis denariis amicabiliter mutuatis & concessis: quas quidem quadraginta tres marcas præfato domino præposito proxima dominica invocavit in promtis denariis in opido *Kyle* vel *Itzeho* integraliter & expedite persolvere promittimus in hiis scriptis, sine omni occasione doli malique prorogatione, exceptione non numeratæ pecuniæ, & aliis impedimentis & exceptionibus quibuscunque. Et si præfatum dominum præpositum aliquid dampni ex prorogatione persolutionis prædictorum denariorum interea continget, ab ipso sæpe dictum dominum præpositum funditus & ex toto volumus relevare. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum Kyle anno domini M. CCC. LII. feria quarta infra octavas nativitatis beatæ Mariæ.

CCIX.

Præpositus Ecclesiæ Montis sanctæ Mariæ in Jazenitze ordinis Sti Augustini, petit ut hujus cœnobii irregularitates reformentur & conventus prævia emendatione in honorem Dei conservetur.

1352. Reverendo in Christo Patri, ac domino suo, Domino *Johanni, Caminensis Ecclesiæ Episcopo*, & honorabilibus dominis, Præposito, Decano, totique Capitulo, *Eghardus canonicus regularis Ecclesiæ Montis sanctæ Mariæ in Jazenitze* cum omni reverentia debitum studium & memoriam in orationibus suis cum salutis ardenti desiderio & affectus Cum Reverendus pater & dominus, dominus Hermannus, Caminensis Ecclesiæ (*Episcopus*) mandato venerabilis domini Alexandri Papæ fratres sancti Victoris in suam dioceſin susscepissent & apud *illustrem Principem dominum Barnymum in suo ducatu Monasterium vt haberent*, promovissent & dicti fratres se visitare capitulum ad sanctum Victorem Parisiis propter loci distantiam excusassent, & constitutiones, observantiasque regulares *Ecclesiæ novimonasterii Anno domini M. CC. LXXX.* ut in visitatione dicti venerabilis domini Episcopi memoratur, acceptassent, in scriptis - - præsentatas, adjunctis sibi personis de novomonasterio servaverunt. Quibus recedentibus taliter heu vixerunt, quod anno domini M. CCC. XXXIII. ecclesia in Jasenitze, tam in spiritualibus quam in temporalibus fuit omnino desolata, sed per dominum *Hinricum Swyneborch, præpositum Novimonasterii*, auxilio venerabilium dominorum, scilicet domini Frederici Episcopi, Conradi præpositi, Johannis decani, totiusque capituli ecclesiæ Caminensis reformata: ita quod conventus in Jazenitze unanimiter cum toto cordis affectu desideravit, & in scriptis firmiter arbitratus est, conventui Novimonasterii in habitu inferiori, medio & superiori, disciplinæque regularis observantia, consuetudinibus & constitutionibus ordinis & regulæ semel & ordinarii in divino officio nocturno & diurno teneri jugiter uniformis & in arduis negociis, ut in loci vel habitus mutatione & in prælati electione sine consensu conventus novimonasterii nichil penitus attemptare: Et hæc omnia cum venerabilis pater dominus Fredericus Episcopus, & reverendi domini, Conradus Præpositus, Johannes decanus, totumque capitulum Cammynense confirmassent, insuper & præpositum novimonasterii conventui in Jazenitze visitatorem perpetuum præfixissent. Ego *Eghardus tunc prior in Novomonasterio*, postea *heu præpositus in Jazenitze* directus fui, ut in hiis omnibus & singulis ecclesia in Jazenitze fideliter servaretur, mecum tuli informationes constitutionum observationum, regularum & aliorum prædictorum, ut irreprehensibilius injunctum mihi officium possem adimplere anno domini M. CCC. XXXVI. & ne per lapsum temporis, instigante diabolo, forsan possent aboleri, reduxi mecum *Bordesholmiam*, ubi *nunc situm est monasterium*, easdem constitutiones & observantias regulares & fuerunt ibi examinatæ, approbatæ & sigillis præposituræ & conventus sigillatæ per dominos *Himricum Wismariæ*, præpositum, *Himricum Manegoldi* priorem, totumque conventum. Anno domini M. CCC. LII. heu illa *solempnis Ecclesia*, cui *re & fama*

a ſancto Victore Pariſiis, usque ad novum monaſterium noſtri ordinis *ſimilis non fuit in regulari diſciplina*, nunc non habet, niſi unum ſacerdotem & unum diaconum reſidentem, vereor, quia mutaverunt regularia in ſecularia, humilia in vana. In refectorio communi carnibus omni die carnium bis utentes, inferiores *tunicas in camiſias*, pellicea *in jupas* (*cappas*) ſuperiores amplas tunicas, inſtructas, nodullatas, & cœtera quædam mutaverunt. Stulte facio interim eccleſiam judicando ſed conſcientia mea & diſciplinæ naufragium me compellit. Unum quidem ego heu mutavi, quod me pœnitet, quod devictus importunitate conventus in anterefectorio, quolibet die carnium, ſemel feci - - carnes miniſtrari, hoc a veſtra paternitate propter Deum precor approbari. Quia iure cum conſenſu vèſtro feciſſe debuiſſem, recolitis, credo quod conventus me ſæpe coram vobis, quia noluerim ſibi miniſtrare carnes, accuſavit. Et quia *hæc mutatio in eſu carnium per me facta eſt*, vereor, quod *conventus in Jazenitze conventum novimonaſterii in aliis mutationibus velit imitari.* Quare mitto paternitati veſtræ & omnibus dominis meis transſcriptum conſtitutionum, regularium, obſervationum, ut poſitis Eccleſiam in Jazenitze in regulari diſciplina per anteceſſores veſtros approbata & confirmata, conſervare, ne ſi adeo quod abſit, ſe avertat ab ea Deus avertatur. In hiis obſervationibus regularibus eccleſia - - ſucceſſori meo, domino Frederico præpoſito præſentavi & præſento veſtræ paternitati & omnibus dominis meis eccleſiæ Caminenſis cupiens in hiis eccleſiam in Jazenitze ad honorem Dei perpetuo conſervari. Has etiam ſupraſcriptas conſtitutiones & regulares obſervantias eſſe, quibus conventus *in Jazenitze conventui Novimonaſterii debet concordare*, ut ſupradictum eſt, ejusdem eccleſiæ præpoſitus cum conventu literis ſuis proteſtatur. Quia literas confirmationis domini Epiſcopi & capituli Caminenſis ſtatutis iſtis interpoſuit & incluſit, & pro ſpeculo ſub ſigillis præpoſituræ & conventus Eccleſiæ Jazenitze deſtinavit. Unum ſi placet veſtræ reverentiæ mihi videtur expediens & ſalubre, ut in honorem Dei & genitricis ejus Mariæ, nec non conſervationis eccleſiæ in Jazenitze *cum conſenſu dominorum præpoſiti, decani & totius capituli Caminenſis dictas conſtitutiones & regulares obſervancias denuo confirmetis & mandetis obſervare*, eccleſiæ *Novimonaſterii mutationes & inventiones* NOVAS *penitus excludendo*, niſi per paternitatem veſtram & capitulum eccleſiæ Caminenſis examinatæ prius fuerint & ſingulariter approbatæ. Quantum doleo, ſi regulares obſervantiæ mutari debent in vanas, colligere poteſtis ex prædictis: Et ideo eccleſiam in Jazenitze ſollicitudini veſtræ & omnium dominorum meorum Capituli Caminenſis committo ſaltem in ſtatu præſenti, ſi non poteſt emendatior fieri, conſervandam. Valete domini mei dilectiſſimi. (*Ex originali vehementer læſo.*)

CCX.

Nobiles de Zygghen & Ludolphus Crelevar, Stralſundenſ. in præfixo termino non comparentes in contumaciam & expenſas condemnantur & excommunicantur ab Olrico Abbate Luneburgenſi judice apoſtolico.

Dei gratia, *Olricus*, *Abbas Monaſterii ſancti Michaëlis in Lüneborch*, ordinis ſancti Benedicti, Verdenſis dioceſis judex unicus ad infraſcripta a ſede apoſtolica deputatus, univerſis & ſingulis abbatibus, præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Eccleſiarum & capellarum rectoribus, ſeu eorum vices gerentibus, nec non altariſtis per Lundenſem & Bremenſem provincias conſtitutis, ſalutem & mandatis apoſtolicis obedire. Quia Marquardus de Zygghen & Johannes *de Zygghen*, junior, armigeri, ac Ludolfus *Crelevar*, opidanus *Straleſundenſis*, *Lübecenſes & Zwerinenſis dioceſis*, ad inſtantiam diſcreti viri *Ludolfi dicti Büttle*, perpetui Vicarii in Eccleſia Hamburgenſi, Bremenſis dioceſis, ad noſtram peremptorie citati præſentiam, in termino ſibi præfixo, videlicet ſabbato proximo, poſt omnium ſanctorum, nec ipſi, nec per procuratores comparuerunt. Nos itaque auctoritate nobis commiſſa, juſtitia exigente, nec ipſos litis ultimum terminum diutius expectatos, *contumaces* judicavimus, quos & dicto domino Ludolfo condemnavimus in expenſas, ipſosque exigente eorum contumacia, excommunicavimus & præſentibus in nomine domini excommunicamus. Quapropter univerſis & ſingulis vobis, qui requiſiti fueritis, in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam in vos & in quemlibet veſtrum ferimus in hiis ſcriptis, ſi non feceritis, quod mandamus, trium tamen dierum canonica monitione præmiſſa, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prædictos Marquardum, Johannem & Ludolphum, vel quem, vel quos, ex iſtis lator præſentium requiſiverit, ſingulis diebus dominicis & feſtivis excommunicatos denuncietis, publice coram plebe, donec aliud a nobis receperitis in mandatis. In ſignum executionis, vos, qui requiſiti fueritis reddite literas veſtris ſigillis vel aliorum ydoneorum ſigillatas, ſub pœna prælibata. Datum & actum in refectorio domus fratrum minorum in Lüneborch, anno domini M. CCC. LII. ſabbato proximo, poſt feſtum omnium ſanctorum, præſentibus Magiſtro Thiderico Bromes, Rectore Scolarum in Lüneborch, Helmoldo presbitero, capellano noſtro, & quampluribus aliis fide dignis. (*Additum eſt ſigillum Neomonaſterienſium in Bardesholm cum teſtimonio factæ ibidem publicationis.*

1352.

CCXI.

CCXI.

Iwe von Reventlow verkaufft an Wulff Pogwischen ſeinen Hoff und Gut zum Bülcke cum pertinentiis (ohne Kauff-Summa.)

1353. Ich *Ywan van Reventlo*, Heren *Hartwiges Sone van Reventlo*, eyn *Knape*, bekenne unde betughe vor alle den, de leſen, hören edder ſeen openbare in deſſer Schrifft, dat ich mit vryeme Willen unde mit Rade und Vulbort miner *Husvrowen vor Beken*, unde minen Erven hebbe vorcofft deme Erliken Knapen unde minem leven Swagher Vulf Pogwiſchen unde ſinen rechten Erven enes redeliken ſteden blivenden Copes den Hof to Bülleke mit alleme Rechte, alſe he in ſynen Scede beleghen is, unde mit aller Brukicheit und Vryheyt, alſe ik unde mine Erven de vorenömeden Hoff aller brukelikeſt unde vryeſt hebbe beſeten und ghehabt, betto an deſſen Dach unde myt allen Stücken unde Nütt, de to deme Hove ligghet unde leghet ſtat. Dat ſint de halve Möle tho Bülleke unde veer worde uppe dem Strande, alſe ſe in erer ſtede oc gheleghen ſtat unde dat del, dat ic hebbe in deme Gowenſe unde dat Holt to dem Berbenmüre, alſe it na huuetale to dem Hove beleghet is, unde thobehöret, unde menliken wat ik in deſſen vorenomeden Stücken hebbe, alſe ſe to deme gheleghet ſint. Vor dat Gut tho der Sconenkerken unde teynmarc Gholdes to ghettorpe. To eyner Warheit unde Stedicheyt, ſo hebbe ik Ywan vorenömet min Inghezeghel henghet vor deſſen Breff. Ouer deſſeme Cope hefft geweſen Her Hinrich van Reventlo, Hern Wolwes Sone, de oc ſin Inghezeghel und alſe eyn Tüch hefft ghehenghet vor deſſen Breff de de is ghegheven na Godes bort duſent Jar drehundert Jar in deme dre unde vifftigeſten Jare in deme Daghe ſunte Barbaren der hilghen Juncvrowen.

CCXII.

Nicolaus Splyt, cum compromiſſione Alberno de Wyſch, debitum X. marcarum promittit Præpoſito N. Monaſt. addita obligatione ſeu hypotheca bonorum.

1356. Nos *Nicolaus Splyt*, commorans *Vorde*, actor principalis *Albernus de Wyſch*, *Knope commorans*, compromiſſor, recognoſcimus & tenore præſentium lucide proteſtamur, nos *manu juncta* ac *in ſolidum*, dataque fide diſcreto viro & domino Jacobo, Præpoſito monaſterii Novimonaſterii, totoque conventui pro decem marcis denar. Lüb. argent., in quibus ego prælibatus Nicolaus Splyt, meique heredes venerab. memoratis dominis tenemur, nomine juſti debiti firmiter promiſiſſe infra quatuor ſolemnes dies vicinioris feſti paſchæ infra *muros oppidi Kyl* expedite perſolvendis paratis cum denariis Lüb. argent. aut *bonis copioſis & ſufficientibus juxta proborum virorum taxationem*, obligatis, præter equos, e *quibus bonis prædictam pecuniæ ſummam* ſimul & ſemel recipere valeant, ſi vendi debeant, impedimentis omnibus ac occaſionibus ſingulis penitus amputatis. In quorum prædictorum evidentius teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum Anno domini Milleſimo CCC. LVI. in profeſto B. Martini Epiſc. ac confeſſoris benedicti.

CCXIII.

Godefridus Archiep. Bremenſis Eccleſiam in Kyl nuper ſanguine violatam reconciliaturus, concedit Præpoſito NM. pœnitentes in eadem eccleſia vel monaſterio ſuo abſolvere, quibusdam caſibus tantum exceptis & poteſtatem ſynodum laicalem convocandi.

1357. *Godefridus* Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, Sanctæ *Bremenſis Eccleſiæ Archi Epiſcopus*, dilecto nobis in Chriſto *Præpoſito novi Monaſterii in Bardesholmo, alias Novi Monaſterii* Ordinis ſancti Auguſtini, noſtræ Bremenſis Diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternam. Ut Pontifex quilibet gratiam & favorem ſedis Apoſtolicæ obtinens, & in communione fidelium exiſtens, Eccleſiam veſtram Parochialem opidi in *Kylone*, dictæ noſtræ Diœceſis, nuper ſanguine violatam, reconciliare, & in ea vel ipſo veſtro monaſterio veſtro pœnitentes intronisare & confirmationem in frontibus inperare ad præſens & unica vice valeat juxta juris formam, & tu omnes & ſingulos, quorum ad te animarum ſpectat cura, in nobis reſervatis caſibus, *homicidio, & adulterio inceſtuoſo exceptis*, poſtquam tibi confeſſi fuerint, contritionem habuerint, & pœnitentiam per te injungendam ſe offerant acturos, abſolvere juxta juris formam, nec non privilegia tibi & Monaſterio tuo conjunctim vel diviſim alias per nos indultis, etiam ſi eis uſus non ſis hactenus, SYNODUMque *in dicto oppido* LAICALEM *convocare & ei præſidere*, prout *juris fuerit & rationis*, valeas, uſque ad noſtrum beneplacitum tibi miſericorditer & favorabiliter indulgemus, tuam in quolibet præmiſſorum ſic oneramus conſcientiam, ut de ipſis in extremo Dei judicio valeas & tenearis reddere rationem. In quorum omnium teſtimonium has præſentes literas noſtri ſigilli majoris munimine duximus roborandas. Datum anno Domini M. CCC. LVII. in Caſtro Hoye, Dominica, qua cantatur: Eſto Mihi.

CCXIV.

Fratres de Godendorpe vendunt Novomonaſterio tres manſos in Lütkenhargen pro 54. marc. ſub obligatione evictionis.

1357. Coram univerſis & ſingulis præſentia viſuris, ſeu audituris, Nos *Doſo & Thymmo* fratres dicti de *Ghodendorpe*, filii quondam domini Johannis de Ghodendorpe militis. Tenore præſentium recognoſcimus & publice profitemur, quod de maturo conſilio omnium amicorum noſtrorum, quorum intererat, rite & rationabiliter juſtæ emptionis titulo vendidimus tres manſos ſitos *in villa*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

villa minori Harghen, cum omni utilitate, areis videlicet, ſilvis, nemoribus, rubetis, pratis, paſcuis, paludibus, ceſpitibus, agris cultis & incultis, aquis, ſtagnis, rivulis, inſtagnationibus ac univerſaliter cum omnibus commoditatibus, prout nos hactenus poſſedimus, vel noſtri progenitores patruique ac eorum heredes poſſederunt, Viris religioſis & diſcretis dominis Præpoſito, Priori & conventui *Monaſterii Novimonaſterii*, alias *Bardysholm*, Bremenſis dioceſis, ordinis ſancti Auguſtini, pro quinquaginta quatuor marcis denariorum Lubycenſis argenti, nobis numeratis & integraliter perſolutis. In quibus tamen manſis prædicti domini præpoſitus, Prior & conventus quindecim modiolos ſiliginis multo tempore ſingulis annis poſſederunt. In eisdem etiam manſis ſic prædictis dominis rationabiliter venditis *& Zelandia ac Warandia ſecundum terræ conſuetudinem factis* patruelis noſtri, videlicet Detlevus, Godſcalcus, Hennekinus, *Otto fratres* & Abele, Drude, Taleke, Margareta, Ghertrudis, ſorores eorundem, filii domini Thymmonis de Ghodendorpe militis, nec non doſo & Thymmo fratres & Abele, Alheydis, Yde ſorores eorum filii Doſonis de Ghodendorpe & Doſo Thymmo fratres & Abele, Beke, Ghodele ſorores eorum filii Marquardi de Ghodendorpe quartam partem habuerunt. Quibus patruelibus noſtris & eorum ſororibus *in reſtauram & recompenſam dictæ* quartæ partis ſuæ, *duorum Ottentorum redditus* in bonis noſtris, videlicet *in villa Bochwolde* dimiſimus & aſſignavimus libere poſſidendos. Et ne prædicti Præpoſitus Prior & Conventus vel eorum Eccleſia pro prædicta emptione in poſterum aliquatenus moleſtentur, vel emptio prædicta a quoquam propinquorum noſtrorum prædictorum, vel a quovis alio, qui ſe aliquid juris in prænominatis manſis habere præſumpſerit, infringi poterit, ſive talis adhuc *inermis* fuerit, ſive *jam ad annos diſcretionis pervenerit*. Nos prænominati Doſo & Thymmo fratres dicti de Ghodendorpe noſtrique heredes dictæ venditionis principales, una cum compromiſſoribus noſtris, ſcilicet *Johanne Crummedyck*, alias *Leneſelle* & Thymmone *de Ghodendorpe*, dicti Doſonis filio conjuncta manu & data fide ipſos promittimus, *quotiens & quando nos*, aut *noſtri heredes*, *requiſiti fuerimus*, & velle & *utique debere omnibus verbis auxiliatoris & occaſionibus poſt ergatis benivole disbrigare*. Acta ſunt hæc in *Kylone*, præſentibus viris honorabilibus Hinrico *de Reventlowe*, *Ottone & Elero* dictis *de Kyle* famulis, Nicolao *Lenſan*, Marquardo *Lyliendal*, Johanne *Sullen*, civibus, & quam pluribus aliis fide dignis. In evidentiam & certitudinem ampliorem omnium præmiſſorum nos dicti fratres Doſo & Thymmo de Ghodendorpe principales, Johannes Leneſelle & Thymmo de Ghodendorpe filius Doſonis ex certa noſtra ſcientia ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Datum Kyl ſub Anno domini Milleſimo, Trecenteſimo, quinquageſimo ſeptimo, ipſo die beati Thomæ apoſtoli glorioſi.

CCXV.

Elerus de Biſticſee, remittit conventui in Bardesholm IX. marc. redditus in villa Lütkenharghe ſitos a præpoſito Poretzenſi ad quandam quondam vicariam aſſignatos, atteſtantibus hoc Comite Holſatiæ & aliis Nobilibus.

Nos Johannes, Dei gratia, Comes Holſatiæ ac Stormariæ, omnibus præſentia viſuris & audituris, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Proteſtatione præſenti notum eſſe volumus univerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod conſtitutus in noſtra præſentia *Elerus dictus de Byſticſee*, famulus, promiſit libere & voce publica recognovit, quod religioſos Viros, dominos videlicet præpoſitum & conventum in Novomonaſterio, alias *in Bardesholm in illis IX. marcarum redditibus*, *in villa Luttekenharghe* ſitis, & quandam perpetuam vicariam in ipſorum monaſterio per felicis recordationis dominum Hinricum, dictum de *Ghodenthyth* quondam præpoſitum in *Poretze* fundatam aſſignatis, nollet omnino amplius inquietare, nec ipſos in dictorum reddituum perceptione vellet deinceps in aliquo, ſicut hactenus fecerat moleſtare. Præterea idem Elerus pro ſe & omnibus ſuis hæredibus & propinquis renunciavit bono animo & libera voluntate omni juri, ſi quod ſibi aut ſuis heredibus & propinquis in præfatis redditibus competebat, aut competere poſſet quomodolibet in futuro donans & libere reſignans ſæpedictis dominis, præpoſito & conventui ſi quid unquam habuerit in præmiſſis. Acta ſunt anno domini M. CCC. LVII. feria tertia proxima poſt feſtum beati Johannis *ante portam Latinam*, in campo non longe *a prædicto monaſterio Bardesholm*, prope rivum dictum vulgariter *Kalebeke*, præſentibus pluribus honeſtis Viris infra ſcriptis, videlicet dominis Johanne *Langhe Pleſſe* & *Marquardo Brocdorp* MILITIBUS, ac Wuoldo & Thiderico *veddere*, PRESBITERIS *capellanis noſtris*, ac Johanne *Brockow*, Ottone *Poggewiſch* & *Godſcalco de Veldem*, VASALLIS *noſtris*, nec non Hinrico *Hertſe*, Ottone *Endorpe*, Hinrico *Stubbekeſtorp*, Hermanno *Schreyghe* & Nicolao *Rike*, BURGENSIBUS *noſtris de* KYL, nec non & quampluribus aliis fide dignis pro tunc in noſtra præſentia congregatis. In cujus rei teſtimonium ſigillum præſentibus juſſimus apponendum. 1357.

CCXVI.

Johannes & Adolphus pater & filius Holſatiæ comites, donationem & incorporationem villæ & molendini Schönenhorſt Eccleſiæ Brugghe per fratres Biſtickſee factam confirmant & approbant.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. *Johannes & Adolphus ejus filius, Dei* 1358.

Dei gratia, Holſatiæ & Stormariæ comites, univerſis & ſingulis, quibus præſentia exhibita fuerint, in vero Salvatore ſalutem, cum noticia ſubſcriptorum. Ne facta temporalia labilitati fluxus temporis adæquentur, conſuluit humanæ diſcretionis ſagacitas, ut literarum & teſtium teſtimonio perhennentur. Sane igitur præſentibus publice proteſtamur & recognoſcimus. Nos laudum arbitrium, diffinitionem ſeu amicabilem compoſitionem per honorabilem virum & dominum, dominum *Jacobum, præpoſitum monaſterii novimonaſterii, alias in Bardesholm, arbitrum, arbitratorem & amicabilem compoſitorem* per præſentes infra ſcriptas concorditer electum, diffinitum, arbitratum ſeu in amicabili compoſitione compoſitum pronunciaſſe & præſentibus pronunciare & prout idem arbiter, arbitrator & amicabilis compoſitor laudare arbitrari & ut veri procuratores electi per partes prædictas pronunciare & diffinire, volentes utique, ut ab ipſis partibus ſecundum omnem ſui modum in toto & qualibet ſui parte, ſub obtentu gratiæ noſtræ inviolabiliter obſerventur. *Laudum* vero & *arbitratum* ſeu *amicabilem compoſitionem* dicti arbitrii arbitratoris ſeu amicabilis compoſitoris prout ipſe diffiniverit & in ſequentibus pronunciamus pars una videlicet rea ratificans approbat ſuis ſigillis & literis ſequentibus in hæc verba:

Univerſis & ſingulis ad quos præſentia pervenerint, Elerus Byſtichze famulus & Tymmo ſuus filius famuli, in domino caritatem cum ſalute. Tenore præſentium lucide proteſtamur, et recognoſcimus nomine noſtro & omnium hæredum noſtrorum quod villa *Schonehorſt*, ſita in parochia *Brügghe* Bremenſis dioceſis, quæ quo ad dimidiam ejus partem ratione permutationis quatuor manſorum ſuorum in villa, quæ dicitur *Blomendal*, legatorum, per patrem mei Eleri bonæ memoriæ ad vicariam ſeu altare in dicta Eccleſia Brügghe perpetue officiandum in remedium animæ ſuæ & quo ad aliam ejus dimidiam partem ratione venditionis factæ per me & Cifridum fratrem meum domino Hinrico dicto *Godetith*, quondam rectori prædictæ eccleſiæ in Brügghe libere dinoſcitur pertinere antedictæ eccleſiæ in Brügghe ſeu ejus rectori ad prædictam vicariam ſeu altare in eadem eccleſia officiandum & pertinet perpetuis temporibus poſſidenda totaliter & in toto cum toto molendino ac omni judicio, majori mediocri & minori, manus & colli, nec non pratis paſcuis ſilvis paludibus, agris, cultis & incultis, aquis aquarum decurſibus ſeu inſtagnationibus & præciſe cum omni utilitate & fructu ſicut in ſuis terminis ſita eſt & a primævo ſuo tempore uſque nunc ſita fuit & prout anteceſſores noſtri eam liberius unquam poſſidebant, prout hæc omnia in literis ſupra dictis permutatione & venditione confectis plenius continentur. Quas quidem literas in ſui roboris firmitate, non obſtantibus præſentibus volumus permanere, & quantum in nobis eſt eas præſentibus affirmando ratificamus approbando nos in eadem villa Schönenhorſt penitus habere nihil juris. Cujus quidem villæ cautionem, quæ ſecundum conſvetudinem terræ vulgariter dicitur *Zele und War* quam in antea nos prædicti fratres Cifridus ac Elerus antedicto domino Hinrico quondam rectori prædictæ eccleſiæ in Brügghe feceramus ſub anno incarnationis domini Milleſimo Tricenteſimo Triſceſimo quarto, 1334.
tertio Kalend. Novembris, honorabilibus & diſcretis viris, dominis Jacobo præpoſito ſupra dicto, vero patrono memoratæ eccleſiæ in Brügghe, ac domino Petro Buck, primum rectori ejusdem eccleſiæ in Brügghe ad majorem cautelam, in quantum de jure potueramus, fecimus coram blebe. Cujus quidem villæ Schonehorſt poſſeſſionem, ſeu ut verius dicatur, locationem ex gratia & non ex jure habere debemus ad decem annos continuos & immediatos & non plures pro hura duodecim marcarum, quas duodecim marcas dicto domino Perro Buk vel ſui ſucceſſori, qui pro tempore fuerit expedite perſolvere volumus, tenemur & debemus; Quod ſi neglexerimus ſeu diſtulerimus, ita ut ipſo die beati Martini vel in antea antedictas duodecim marcas expedite non exſolverimus, ex tunc in craſtino ipſius feſti beati Martini a poſſeſſione ſeu locatione dictæ villæ Schonenhorſt absque ulla contradictione noſtrorum, hæredum noſtrorum ſeu alterius cujuscunque recedere volumus & debemus indilate, hura tantum prædicta de anno tunc præterito per nos & heredes noſtros æque bene perſolvenda, non obſtante tunc noſtro receſſu. Volumus etiam & debemus ipſum rectorem ſæpedictæ Eccleſiæ in Brügghe qui pro tempore fuerit poſſeſſionem prædictæ villæ Schonenhorſt ex tunc intrare remittere & in ea pacifice reſidere per ſe vel alium ſeu alios & in omnibus præplacitare ſi & in quibus indiguerit ſeu indiguerint & a nobis hoc fieri petitur. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra nomine noſtro & omnium heredum noſtrorum præſentibus ſunt appenſa, Datum anno domini 1358.
Milleſimo Triſcenteſimo quinquageſimo octavo, ipſo die Beati Michaëlis Archangeli præſentibus honorabilibus & diſcretis Viris dominis, Jacobo præpoſito Novimonaſterii, alias in Bardesholm; *Thiderico Stralendorp* rectore *capelli ſancti Georgii* PROPE *Kyl*, *Johanne Brokowen armigero*, *Hinrico Stubbekeſtorp* Johanne *Langhen*, *proconſulibus*, & *Hermanno Streyen conſuli in Kyl, Bremenſis dioceſis*, teſtibus ac aliis pluribus fide dignis ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis: Etiam præſentibus pronunciamus prout ſuper diffinitionem prædicti domini præpoſiti, qua adjudicavit prædicto domino petro buk quinquaginta marcas Lubicenſes argenteorum denariorum per prædictum Elerum Byſtichſe & heredes ſuos exſolvendo-

rum annuatim & ſucceſſive cum tantæ potentiæ fuerint ſeu alter eorum fuerit cum quicquam exſolvere poſſunt excepta neceſſitate ſui victus, ſecundum formam & exigentiam juris illius ſæpe dicto domino petro buk aut hæredibus ſuis virtute ſui dampni & expenſarum ſuarum & pro eisdem. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum in Monaſterio in Bardesholm, anno domini M. CCC. quinquageſimo octavo ipſo die beati Michaëlis Archangeli.

CCXVII.

Atteſtatio Epiſcopi Lübec. loco quitanciæ data Conventui in Bordesholm, quod Jacobo de Luneborgh creditori ſuo de quibusdam debitis plenarie ſit ſatisfactum.

1360. Nos *Bertramus* dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, *Epiſcopus Lübicenſis*, univerſis & ſingulis præſentes literas viſuris ſeu audituris, notum facimus ac præſentibus publice proteſtamur, quod conſtituti coram nobis & in præſentia teſtium infraſcriptorum religioſo viro domino *Hinrico de Lübeke* canonico regulari *monaſterii novimonaſterii alias in Bardesholm* ſito ſuo præpoſiti, prioris & conventus ejusdem monaſterii nomine parte ex una & *Jacobo de Lüneborgh* cive Lübecenſi parte ex altera idem Jacobus publice expreſſe ac ſponte & libere recognovit, quod ſibi de debitis & quibusdam pecuniarum ſummis, pro quibus alias præpoſitum, priorem & conventum prædictos impetierat, eſſet per eosdem præpoſitum priorem & conventum plenarie ſatisfactum & quod omnino contentus ſtaret de eisdem aſſerens quod ipſos occaſione præmiſſorum debitorum ſeu pecuniarum non vellet ullo unquam tempore in futurum impetere inquietare, ſeu quomodolibet moleſtare. In quorum evidens teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum Lubec. Anno domini M. CCC. LX. feria quinta proxima poſt dominicam quaſimodogeniti, præſentibus honorabilibus viris dominis *Gotfrido de Morz* & *Hermanno de Lapide* canonicis Eccleſiæ noſtræ Lübec. teſtibus in præmiſſis.

CCXVIII.

Gotfridus Archiepiſc. Brem. componit litem inter Novomonaſterienſes & Officiantes Eccleſiæ in Kyl. de ejusdem redditibus & oblationibus.

1360. Univerſis præſentes literas inſpecturis ſeu audituris, Godefridus, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, Sanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus ſalutem in Domino ſempiternam. Paſtoralis officii cura requirit, inter ſubditos litigiorum & ſcandalorum materiam amputare, & inter ipſos pacem ac concordiam reformare. Sane nuper inter Religioſos Viros, Præpoſitum, Priorem, Canonicos & Capitulum *Novi Monaſterii* Ordinis Sancti Auguſtini, ex una, & *beneficiatos officiantes & Presbyteros Parochialis Eccleſiæ Sancti Nicolai* IN KIL, ac *Capellarum Sancti Spiritus & Sanctorum Georgii & Gertrudis* EXTRA *oppidum Kilenſe noſtræ Dioceſis*, ad eosdem Præpoſitum, Priorem & Canonicos pertinentium, ſuper oblationibus, fructibus, proventibus ac juribus Parochialibus parte ex altera materia diſſenſionis & dubietatis exorta. Tandem dictis partibus ad hoc vocatis, hujusmodi lites & dubia præſenti declaratione duximus terminandas. In primis ſiquidem pronunciamus, declaramus, & decernimus, quod omnes oblationes, tam in cibariis, denariis, candelis, quam aliis rebus, quæ ad altaria dictæ Parochialis Eccleſiæ in Kil offeruntur, ad Rectorem vel Vice-Rectorem ejusdem Eccleſiæ duntaxat de jure ſpectant, & ſpectare debebunt, nec Vicarii perpetui officiantes & Sacerdotes de his ſe aliquatenus intromittent. Item præfati Vicarii officiantes vel Sacerdotes intra dictam Parochialem Eccleſiam, vel quando ſtant ad altare præparati nullas pecunias pro miſſis votivis dicendis ſeu votivas recipient: Sed quidquid receperint, vel eis oblatum fuerit, Rectori vel Vice-Rectori præſentabunt integraliter & ex toto, cum idem Rector vel Vice-Rector teneatur onera incumbentia ejusdem Eccleſiæ ſupportare. Item pronunciamus, & declaramus, quod præfati Vicarii officiantes & Sacerdotes denarios ſibi donatos per fideles in Cymiterio dictæ Eccleſiæ, vel alibi, poterunt licite retinere, nullum tamen præjudicium ſive damnum publice vel occulte directe vel indirecte iidem Vicarii Officiantes & Sacerdotes præfato Rectori vel Vice-Rectori in juribus ſuis Parochialibus irrogabunt, ſed profectum & commodum ipſius Rectoris, ubicunque opportunum fuerit, procurabunt. Ceterum cum beneficium detur propter officium, prædicti Vicarii & Officiantes pro eis divinis officiis intererunt, & maxime diebus feſtivis, & miſſam cantabunt vel legent, ſecundum inſtitutionem & ordinationem privilegiorum, beneficiorum ſuorum, aut ſecundum voluntatem prædicti Rectoris, ſicut Eccleſiæ & Parochiæ viderit expedire. Literas etiam quascunque contrarias, ſi quæ fuerint, tanquam minus rationabiles & legitimas præſentibus caſſamus, irritamus, & etiam annullamus. Præmiſſa omnia & ſingula per Notarium noſtrum infra ſcriptum publicari mandavimus & ſigilli noſtri fecimus appenſione communiri, in evidens teſtimonium eorundem. Acta ſunt hæc *Hamborch in Curia habitationis noſtræ*, Anno Domini 1360, indictione tertia decima, menſis Julii die viceſima, hora quaſi tertiarum, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Innocentii, divina providentia Papæ VI, anno octavo, præſentibus ibidem Honorabilibus Viris & diſcretis Dominis Wernero Præpoſito, & Johanne Decano, Eccleſiæ Hamburgenſis, Bremenſis Diœceſis, & Magiſtro Johanne de Ockenbroke, Canonico Magde-

Magdeburgenſi, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Everhardus de Untorpe, Clericus Monaſterienſis Diœceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia declarationi decreto & pronunciationi, ac omnibus aliis & ſingulis ſupradictis, dum ſic per Reverendum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum Godefridum, Archi Epiſcopum Bremenſem prædictum agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideo me ſubſcripſi, & præſens Inſtrumentum publicum inde confeci, quod meo ſigno ſolito ſignavi, requiſitus in teſtimonium omnium præmiſſorum.

CCXIX.

Conventus in Jazenitze Caminenſis dioceſis petit a Conventu Novimonaſterienſi, ut ſtatuta quædam & obſervantias ſuo juri & libertati contrarias in quibusdam articulis velit mutare & emendare.

1360. Religioſis viris & diſcretis, Chriſtiano Præpoſito, Priori, totique conventui Monaſterii novimonaſterii ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis, Frederus Prior totusque conventus monaſterii montis Stæ Mariæ in Jaſenitz, ejusdem ordinis Caminenſis dyoceſis cum debita reverentia orationes in Chriſto. Mittimus *paternitati veſtræ* dominum noſtrum *Eghardum præpoſitum* & dominum Symonem una cum eis petentes humiliter & devote, quatenus quosdam articulos in literis domini Frederici Epiſcopi, nec non capituli Caminenſis ſimiliter præpoſiti noſtri, prioris & noſtri conventus expreſſos, quibus Eccleſia noſtra eccleſiæ veſtræ ſubjecta eſt, literis veſtris patentibus ſub ſigillo præpoſituræ & conventus revocetis, maxime cum de jure non ſubſiſtant, ſed noſtras gravantur conſcientias & eccleſiæ noſtræ tollunt libertatem, ſcilicet *electionem prælati, receptionem perſonarum, res & bona noſtra cum perſonis*, ut in hiis eccleſia noſtra priſtina gaudeat libertate. Cœteris articulis obligationis in ſuo vigore manentibus ſalvis & illæſis. Quid prodeſt ea firmare literis & ordinare promiſſionibus, quæ poſtea tanquam fruſtranea fuerint, obmittuntur. Quod Eccleſia veſtra perſonis eccleſiæ noſtræ & e contra eccleſia noſtra perſonis eccleſiæ veſtræ carere nunquam debeat, literis eſt firmatum, placitis ordinatum ad conſervationem mutuæ caritatis & ut fratres ſimiliter ſupplicamus. Inſuper dixit nobis dominus Symon, quod obſervantias diſciplinæ regularis ſub ſigillis veſtris nuper nobis miſſas in aliquibus adhuc velletis emendare, quod ſummopere cupimus & petimus cum effectu. Datum anno domini M. CCC. LX. feria VI. infra octavas Penthecoſtes ſub ſigillo noſtri conventus.

de Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

CCXX.

Albertus Archiepiſcopus Bremenſis monaſterio Bordesholm deſolato ſubventurus, eidem concedit, ut perſonas eccleſiæ in alia loca tutiora & eccleſias ſibi ſubjectas transferat, & agros & villas in ſui utilitatem vel vendet vel immutet, addita omnium privilegiorum confirmatione. Item & Godfridi Archiepiſcopi Bremenſis declarationem ſuper juribus & reditibus eccleſiarum & Capellarum in Kyl conventui in Bardesholm competentibus approbat & ratificat.

Albertus, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, 1360.
ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſco- 1361.
pus univerſis præſentes literas inſpecturis, ſeu audituris, cum noticia ſubſcriptorum in domino ſalutem ſempiternam. Conſtitutus in noſtra præſentia religioſus vir, dominus Chriſtianus, præpoſitus monaſterii novimonaſterii alias Bardesholm, tribulationes multiplices & anguſtias dicti monaſterii ac conventus nobis expoſuit, videlicet, quum per dominorum terræ & aliorum violentorum intolerabiles hoſpitalitates, imo verius inſultus, ut conqueritur & ut etiam ex aliorum veridicorum teſtimonio didicimus, fere ſine intermiſſione graviter moleſtentur, adeo ut propter hujusmodi frequentes inſultus ipſis conventualibus alimenta neceſſaria crebro ſubtrahuntur, & quod in monaſterio proprio, tanquam *in medio nationis perverſæ* poſiti, divina officia peragere debito modo & ſolito more minime permittantur; adjecit etiam, quod redditus ejusdem monaſterii variis ex cauſis plurimum ſint imminuti, eo quod quamplures agri & villæ ad monaſterium ab olim pertinentes jam cultoribus carentes, quaſi in ſolitudinem ſunt redacti & quod in quibusdam locis videntur habere reditus, qui tam ipſis ſunt inutiles, cum ipſos a debitoribus nequeant extorquere. Unde nobis humiliter ſupplicavit quatenus dicto conventui opportuno remedio dignaremur ſubvenire, cujus juſtæ petitioni annuentes & ex compaſſione moti, dictis præpoſito & conventui indulgemus per præſentes, quod perſonas monaſterii prædicti ad alia loca tutiora ſeu ad Eccleſias eidem monaſterio incorporatas collocaret in parte vel in toto, ubi deo liberius & commodius ſervitium reddere valeant, debitum & condignum. Præterea concedimus dicto præpoſito & conventui poteſtatem, ut ſi ipſis viſum fuerit expedire, pro utilitate ſui monaſterii, quod aliquos redditus ſeu agros commutare vel pro pecunia ipſis (*vendere*) liceat cum qua pecunia bona alia monaſterio ſuo convenientia valeant comparare, hoc ſalvo, quod per hujusmodi commutationem ſeu venditionem dictum monaſterium in ſuis redditibus non lædatur. Cœterum omnia & ſingula privilegia, donationes, conceſſiones & declarationes dicto monaſterio vel ejus præpoſito ſeu conventui a quibuscunque noſtris prædeceſſoribus donata vel conceſ-

ſa, donatas vel conceſſas in ſui roboris firmitate volumus permanere, declarationem inſuper quandam per venerabilem patrem & dominum, dominum Godfridum quondam archiepiſcopum Bremenſem factam, ut præſumitur, poſtquam ſua renunciatio - - per dominum apoſtolicum admiſſa fuerat, ne locus ſeu materia dubitandi ſeu litigandi circa contenta in eadem declaratione poſteris remaneat, de verbo ad verbum hic inſerere decrevimus, cujus tenor monſtratur eſſe talis; Univerſis præſentes literas, inſpecturis ſeu audituris, *Godfridus Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus*, Salutem in domino ſempiternam. Paſtoralis officii cura requirit, inter ſubditos litigiorum & ſcandalorum materiam amputare & inter ipſos pacem & concordiam reformare. Sane nuper inter religioſos viros, præpoſitum, priorem, canonicos & Capitulum novimonaſterii, alias in Bardesholm ordinis ſancti Auguſtini ex una, & beneficiatos officiantes & presbyteros parochialis Eccleſiæ ſancti Nicolai in Kyl, ac capellarum ſancti Spiritus, & Sanctorum Georgii & Gertrudis extra opidum Kylenſe noſtræ dioceſis, ad eosdem præpoſitum, priorem & canonicos pertinentium, ſuper oblacionibus fructibus, proventibus ac juribus parochialibus parte ex altera, materia diſſenſionis & dubietatis exorta, tandem dictis partibus ad hoc vocatis, hujusmodi lites & dubia præſenti declaratione duximus terminandas. In primis ſiquidem pronunciamus & declaramus & decernimus, quod omnes oblationes tam in cibariis, denariis, candelis, quam aliis rebus, quæ ad altaria dictæ parochialis eccleſiæ in Kyle & ad dictas capellas offeruntur ad Rectorem, vel vicerectorem ejusdem Eccleſiæ dumtaxat, jure ſpectant & ſpectare debebunt, nec vicarii perpetui officiantes & ſacerdotes de hiis ſe aliqualiter intromittent. Item præfati vicarii officiantes, vel ſacerdotes inter dictam parochialem Eccleſiam vel inter aliquam dictarum capellarum nullas pecunias pro miſſis votivis dandas recipient, ſed quicquid receperint vel eis oblatum fuerit, rectori vel vicerectori præſentabunt integraliter & ex toto, cum idem rector vel vicerector teneatur onera incumbentia ejusdem eccleſiæ ſupportare. Item pronunciamus & declaramus, quod præfati vicarii officiantes & ſacerdotes denarios ſibi donatos per fideles in cimiterio dictæ eccleſiæ vel alibi, extra dumtaxat dictas Eccleſiam vel capellas, poterunt licite retinere, nullum tamen præjudicium ſive dampnum publice vel occulte, directe vel indirecte iidem vicarii officiantes & ſacerdotes præfato rectori vel vicerectori in juribus ſuis parochialibus irrogabunt, ſed profectum & commodum ipſius rectoris ubicunque oportunum fuerit, procurabunt. Cœterum cum beneficium detur propter officium, prædicti vicarii & officiantes pro eis divinis officiis intererunt, & maxime diebus feſtivis & miſſam cantabunt vel legent, ſecundum inſtitutionem & ordinationem privilegiorum ſuorum, aut ſecundum voluntatem prædicti Rectoris ſeu vicerectoris, ſicut eccleſiæ & parochiæ viderit expedire, literas & quascunque contrarias, ſi quæ fuerint, tamquam minus rationabiles & legitimas præſentibus caſſamus irritamus & etiam annullamus. Præmiſſa omnia & ſingula per notarium noſtrum infraſcriptum publicari mandavimus & ſigilli noſtri fecimus appenſione communiri, in evidens teſtimonium eorundem. Acta ſunt hæc Hamborch in curia habitationis noſtræ, Anno domini M. CCC. ſexageſimo inductione XIII. menſis Julii, die XX. hora quaſi tertiarum, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri domini Innocentii divina providentia papæ ſexti anno VIII. præſentibus ibidem honorabilibus viris, & diſcretis dominis, Wernero præpoſito & Johanne decano, eccleſiæ Hamb. Bremenſis dioceſis, & Magiſtro Johanne Ockenbrok, canonico Magdeburg. teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego Everhardus de Untorpe, clericus Monaſterienſis dioceſis, publicus imperiali auctoritate Notarius, quia declarationi, decreto & pronunciationi, ac omnibus aliis & ſingulis ſupradictis, dum ſic fierent, per Reverendum in Chriſto patrem & dominum, dominum Godfridum, Archiepiſcopum Bremenſem prædictum, & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideo me ſubſcripſi & præſens inſtrumentum publicum inde confeci, quod meo ſigno ſolito ſignavi requiſitus in teſtimonium omnium præmiſſorum. Et Nos Albertus Archiepiſcopus Bremenſis prædictus prædictam pronuntiationem ſeu declarationem, ſic ut præmittitur provide factam, cum nec *juri* nec *æquitati* nec *rationi* contraria in aliquo videatur, tum certis donationibus, conceſſionibus & declarationibus prædeceſſorum noſtrorum, præſertim dominorum Borchardi & Godfridi olim Bremenſium Archiepiſcoporum prædicto monaſterio de jure ſeu gratia conceſſis, datis & factis, præſentibus decernimus approbandam & confirmandam eamque innovamus, approbamus, & ratificamus ac perpetuis valituram temporibus confirmamus. In Evidentiam igitur & teſtimonium promiſſorum omnium & munimen ſigillum noſtrum ex *noſtra certa ſcientia* præſentibus duximus appendendum. Datum Stadis Anni domini M. CCC. LX. primo, in die B. Andreæ Apoſtoli. (*) Pontificatu ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Papæ *Urbani V. anno primo*, præſentibus illuſtribus & nobilibus Principibus *Hinrico & Erneſto ducibus de Brunſwich* FRATRIBUS *noſtris cariſſimis, Magiſtro Bertoldo de Brunſwich, Archidyacono in Eyderſtede*, in ECCLESIA SLESVICENSI CANCELLARIO NOSTRO, *Druchiteno de Colden*, canonico

Sanct

Sancti Sebastiani *Magdeborgensi*, Hinrico de *Vtzendorpe* & Boldewino *de Dalum* militibus, Syfrido *de Zaldere* advocato nostro ac Johanne *de Campe*, Marschallo nostro, & pluribus aliis clericis & laicis fide dignis testibus in præmissis.

(*) *In aliquo Exemplari ita legitur:* Datum Mensis Maji die prima.

CCXXI.

Albertus Archiepiscopus Bremensis, Comitum Holsatiæ Joh. & Gerhardi donationem de Ecclesia parochiali in Kyl Novomonasterio factam & mensæ ejusdem annexionem ac unionem confirmat.

1361. Albertus Dei gratia & Apostolicæ sedis, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archielectus confirmatus. Universis præsentes literas visuris, seu audituris, salutem in Domino sempiternam. Sane ad perpetuam rei gestæ memoriam & ad notitiam tam præsentium quam futurorum, ac omnium & singulorum, quorum interest, seu interesse poterit in subscriptis quoquomodo deducimus, quod cum Nobilis Vir Dominus Adolphus, Comes Holtzatiæ ac omnes alii & singuli, quorum intererat seu interesse poterat, in subscriptis per nos ad instantiam Religiosorum Virorum, Dominorum Præpositi, Conventus, Canonicorum Regularium, Monasterii Novi Monasterii, alias Bardesholm, Ordinis Sancti Augustini, Bremensis nostræ Diœcesis legitime citati in termino peremptorio, eis ad comparendum coram nobis præfixo cum comparerent, neque aliquis alius oppositor vel contradictor, Nos visis, auditis, intellectis, & diligenter examinatis literis tam Dominorum Comitum Holtzatiæ, Johannis & Gherardi, quam bonæ memoriæ, olim Archi-Episcopi Bremensis Borchardi, nostri Prædecessoris ac Dominorum Præpositi, Decani & Capituli Bremensis, nec non felicis recordationis Papæ Johannis XXII. ac petitione, omnibusque aliis munimentis & instrumentis per Præpositum & Procuratorem Conventus prædicti Monasterii coram nobis productis, maturaque deliberatione, & *Jurisperitorum consilio* præhabitis translationem & donationem per prædictos Dominos Comites, ac incorporationem, annexionem & unionem de Parochiali Ecclesia in Kyl, prædictæ nostræ Diœcesis Bremensis per præfatum Dominum Borchardum, tum Archi-Episcopum Bremensem, de expresso consensu prædictorum Dominorum, Præpositi, Decani & Capituli Bremensis, prænominatis Dominis Præposito, Conventui & Monasterio, ac mensæ ipsorum auctoritate ordinaria factas, in illis, in quibus sunt validæ, & de jure subsisterent & subsistunt, confirmavimus & confirmamus, in aliis quoque *omnem defectum seu debitam juris solemnitatem* in hujusmodi translocatione & donatione ac incorporatione, annexione & unione obmissum & obmissam supplevimus & reformavimus, ac supplemus & reformamus. Eadem quoque causa, auctoritate Apostolica, debita etiam cognitione præmissa, ac vocatis vocandis, prædictam incorporationem, annexionem & unionem innovavimus & innovamus, eandemque Ecclesiam in Kyl præfatis Religiosis Viris, Dominis Præposito, Canonicis & Conventui ac Monasterio & mensæ ipsorum incorporavimus, annexiimus & univimus, incorporamus, annectimus, & unimus, cum omnibus suis fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, juribus, & jurisdictionibus quibuscunque. Rursus etiam, quod prædicta Ecclesia in Kyl per Canonicos Regulares dicti Monasterii in perpetuum regi & gubernari valeat, prædictis eisdem Præposito & conventui concessimus & indulsimus, immo ex prædicta Auctoritate Apostolica seu Commissione hoc ipsis concessum & indultum fuisse & esse per prædictum Præpositum Johannem, declaravimus & declaramus, quacunque constitutione Romanorum Pontificum in contrarium edita, seu contraria consuetudine non obstante, nobis nostrisque successoribus Archi-Episcopis Bremensibus, *Juribus Synodalibus*, consuetis temporibus duntaxat salvis et reservatis, prout præmissa omnia & singula in petitione & pronunciatione nostra, literis, actis & instrumentis super his conscriptis, sigillatis, confectis, ad quas & quæ nos referimus, & quas & quæ hic inserimus, & habere volumus pro insertis, plenius continetur. In quorum omnium evidens testimonium sigillum nostrum præsentibus literis est appensum. Datum & actum in opido nostro Stadis, anno Domini MCCCLXI. mense Novembris XXVI. die, indictione XIIII. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini Innocentii VI. anno IX. præsentibus Honorabilibus Viris & discretis Dominis Johanne *de Tzestervlete*, Canonico Bremensi, Magistro Johanne *Ockenbrok*, Canonico Magdeburgensi, Johanne *Lunne* perpetuo Vicario, in Ecclesia Sanctorum Cosmi & Damiani in Stadis, Bartholomeo, Cive ibidem, Joh. *Westfalo*, & *Nicolao Ernesti de Imbria*, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

CCXXII.

Instrumentum Appellationis ad Papam Romanum Innocentium sextum, pro Conventu Bardesholmensi, contra clericum quendam Thidericum Kalsowe, injustum parochialis Ecclesiæ in Kyl invasorem.

In Nomine domini Amen. Anno a nati- 1361.
vitate ejusdem M. CCC. sexagesimo primo indictione XIIII. mensis Januarii die quinta, hora prima vel quasi, pontificatus in Christo sanctissimi patris ac domini, domini nostri Papæ Innocentii VI. anno decimo, constitutis in monasterio Novimonasterii, alias in *Bardesholm* ordinis sancti Augustini Bremensis diocesis, & in loco capitulari ejusdem monasterii, religiosis & discretis Viris,

Chriſtiano, præpoſito Hinrico Priore, nec non Johanne Poretz, Johanne de Stoltwedele, Johanne Luman, Eylardo de Wiſmaria, Johanne Wulff, Stephano de Hauene, Reynero de Vlemhude & Magiſtro Johanne Parchym, dominis Canonicis regularibus prædicti Monaſterii, ad ſonitum campanæ, ut moris eſt, pro capitulo faciendo & habendo congregatis, in meique Notarii Publici ac teſtium infraſcriptorum præſentia, Præfatus dominus Chriſtianus, priore & canonicis ac conventu ſeu Capitulo prædictis expreſſe conſentientibus & committentibus nomine ſuo & ipſorum, ac totius ſui conventus ſeu Capituli ac prædicti ſui monaſterii, ad prædictum ſanctiſſimum in Chriſto Patrem & dominum noſtrum patrem Innocentium VI. & ſanctam ſedem apoſtolicam in ſcriptis provocavit & appellavit, ac Apoſtolos petiit & proteſtatus fuit ibidem prout in quodam rotulo papireo continebatur & continetur, quem in ſuis manibus tenebat & legit & cujus tenor fuit & eſt talis:

In nomine domini Amen. Coram Vobis Petro notario publico tanquam auctentica perſona & teſtibus fide dignis hic aſtantibus, proponimus Nos, Chriſtianus, Præpoſitus Monaſterii Novimonaſterii, alias in Bardesholm, canonicorum regularium ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis, nomine noſtro, ac Hinrici Prioris, nec non Johannis Poretz, Johannis de Soltwedele, Johannis Luman, Eylardi de Wiſmaria, Johannis Vulff, Stephani de Haue, Reyneri de Vlemhude ac Magiſtri Johannis Parchym, concanonicorum & totius conventus prædicti noſtri Monaſterii, & dicimus, quod quanquam dudum claræ memoriæ Johannes, olim Comes Holtzaciæ & Stormariæ, dum vixit, de Anno domini M. CCC. XXII. & in menſe Auguſti notoriæ inopiæ, neceſſitati paupertati, indigentiæ, ejusdem noſtri monaſterii ac præpoſituræ ipſius ſinceræ pietatis affectu benigniter compatiens, de auctoritate & beneficentia felicis recordationis Borchardi, tunc Archiepiſcopi Bremenſis, parochialem Eccleſiam in Kyl prædictæ Bremenſis dioceſis. cum omnibus fructibus, redditibus & proventibus ac Juribus & Jurisdictionibus ad ipſius comitis & ſuorum progenitorum præſentationem ab olim ſpectantem, bonæ memoriæ *Hinrico tunc præpoſito*, noſtro prædeceſſore ac conventui & monaſterio noſtris prædictis ſponte, pure & liberaliter dederit, donaverit, obtulerit & contulerit pro ſuorum progenitorum animarum & ſuæ remedio & ſalute menſæ præpoſiti & conventus ejusdem Monaſterii - uniendam, incorporandam & annectendam, præfatusque dominus Borchardus tunc Archiepiſcopus Bremenſis de expreſſo conſenſu ſui Capituli Bremenſis, de anno domini M. CCC. XXVIII. de Menſe Julii tam auctoritate ordinaria, quam etiam apoſtolica felicis recordationis Johannis Papæ XXII. ſuffultus, prædictam Eccleſiam in Kyl, univerit, incorporaverit & annecterit, cum omnibus fructibus, redditibus, proventibus, Juribus & jurisdictionibus menſæ prædicti noſtri prædeceſſoris, & ſuorum ſucceſſorum ac conventus monaſterii noſtri antedicti propter *notoriam inopiam*, neceſſitatem, paupertatem, et indigentiam eorundem, ſperans prædicti monaſterii inopiam *per hujusmodi Eccleſiæ unionem & incorporationem poſſe aliquatenus relevari*, decreveritque, ordinaverit & ſtatuerit idem dominus Borchardus, tunc Archiepiſcopus Brem. prædicta auctoritate apoſtolica quod præpoſitus prædicti Monaſterii, qui tunc fuit & cæteri pro tempore, per canonicum regularem prænominati monaſterii deinceps eandem Eccleſiem tam in ſpiritualibus, quam corporalibus poſſet & poſſit regere & gubernare, quodque etiam præpoſitus prædicti monaſterii, qui fuit & ſui ſucceſſores poſt eum, præfatam Eccleſiam in Kyl per Canonicum regularem prænominati monaſterii auctoritate & Vigore ac privilegio prædictæ unionis palam, publice, pacifice & quiete ac ſemper continue rexit & gubernavit ac regi & gubernari fecit, ac rexerunt & gubernarunt ac regi & gubernari fecerunt, nosque eandem hodie regimus & gubernamus per noſtrum commiſſarium, ad hoc per nos ſpecialiter deputatum Rurſus proponimus & dicimus, nomine quo ſupra, quod licet venerabilis in Chriſto pater & dominus dominus noſter Albertus, Archielectus confirmatus bremenſis, prædictam unionem incorporationem, & annexionem ſæpe dictæ eccleſiæ in Kyl vocatis vocandis ac cauſæ cognitione ſummaria ſuper hoc præmiſſa ex certa ſcientia canonice approbaverit & confirmaverit, ac prædeceſſores noſtri & nos, in pacifica & quieta poſſeſſione regendi & gubernandi prædictam Eccleſiam, ſeu ipſius regimen & gubernationem ac amminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus uni canonico regulari prædicti noſtri monaſterii committendi fecerint & fecimus, ac commiſſerint, & commiſerimus, & hodie ex noſtra commiſſione regatur & gubernetur, prout præmiſſa omnia & ſingula tam in literis & priuilegiis apoſtolicis, quam Archiepiſcopi & comitis prædictorum, nec non actis & inſtrumentis ſuper præmiſſis conſcriptis, bullatis conceſſis, ſigillatis, actitatis & confectis plenius continetur.

Tamen quidam Thidericus, dictus *Kalſowe*, aſſerens ſe *clericum Razeborgenſis dioceſis*, niſus eſt & nititur nos, Canonicos noſtros, & conventum noſtrum ac monaſterium in prædicta Eccleſia Kyl, ipſiusque quieta & pacifica poſſeſſione regendi & gubernandi eandem ſeu ipſius regimen & gubernationem committendi uni canonico regulari ſæpedicti noſtri monaſterii, nec non in prædictæ Eccleſiæ unione, incorporatione & annexione perturbare, moleſtare & inquietare immo ab ea ejicere, evellere & ſpoliare

liare eas, contra deum & justitiam perperam & inique. Igitur ex præmissis sentiens nos nostrosque canonicos, & conventum ac monasterium indebite gravari, timentesque verisimiliter, nos & ipsos ac ipsam posse fortius aggravari in futurum, & ne nos nostrique Canonici, conventus & Monasterium in prædicta Ecclesia Kyl, ipsiusque pacifica & quieta possessione regendi & gubernandi eandem seu ipsius regimen & gubernationem uni canonico nostro regulari committendi, seu in prædicta unione, incorporatione & annexione perturbentur, molestentur seu inquietentur, aut ne nostri commissarii in dicta ecclesia deputati perturbentur, molestentur seu inquietentur: nec non, ne nos ab ea ejiciamur, avellamur seu spoliemur eadem, vel ne nostri commissarii perturbentur, molestentur, seu inquietentur in dicta Ecclesia & ejus pacifica possessione fructuum, reddituum, & proventuum ejusdem perceptione, sed ut in hiis eveamur & defensamur, ac tuti & defensi maneamus & salvemur & servemur, propter prædictas rationes & earum quamlibet, nomine quo supra, ac omnium nobis adhærentium & adhærere volentium ad sanctissimum in Christo Patrem & dominum, dominum nostrum, Papam Innocentium Sextum & sanctam sedem apostolicam in hiis scriptis provocamus & appellamus & apostolos petimus, primo instanter, secundo instanctius & tercio instantissime & cum debita instancia nobis dari & sic quam (*quantum*, *quoquomodo*) eos dare possit & velit, submittentes nos, priorem canonicos nostros & conventum ac monasterium nostrum ac præposituram nostram, omnesque nobis adhærentes seu adhærere volentes, statusque nostros, res, personas & bona omnia ecclesiastica & mundana, mobilia & immobilia prædicti nostri monasterii & Præposituræ nostræ ac omnium nobis adhærentium & adhærere volentium protectioni prædicti domini nostri Papæ & sedis apostolicæ antedictæ & protestamur de notificatione & insinuatione præsentis nostræ appellationis faciendæ prædicto Thiderico Kalsowe & aliis, quorum interest, loco & tempore oportunis, & quod non astringimus nos ad probandam omnia & singula præmissa, sed solum ea, quæ ad intentionem nostram obtinendam sufficere videbuntur. Item protestamur de Jure addendi, corrigendi, minuendi, specificandi, declarandi, reformandi, interpretandi, immutandi & innovandi præsentem appellationem & alia de novo faciendi & interponendi. Et quod omnia alia Juris remedia nobis salva maneant & illæsa aliis appellationibus a jure concessis. Lta (*Lecta*) & interposita fuit & est hæc appellatio, loco anno, indictione, mense, die, hora & pontificatu quibus supra, præsentibus discretis viris domino Petro Buk, plebano in Brügge ac perpetuo vicario in Kyl, Petro Holsten, Hennekino Tancken & Petro Schercken laicis Bremensis diocesis, ac Alberto de Wismaria Raceburgens. testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Petrus Wittenberch, Clericus Magdeburgensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius præsentis appellationis interpositioni & ejusdem lcioni (*lectioni*) factis, in scriptis, apostolorum petitioni & protestationi, ac omnibus aliis & singulis præmissis, una cum prænominatis testibus, præsens interfui, eaque omnia & singula præmissa sic fieri vidi & audivi, manuque mea propria fideliter conscripsi & in hanc publicam formam redegi, meoque solito & consveto signo signavi, rogatus & requisitus in testimonium omnium præmissorum per dominum præpositum supra dictum.

Anno domini M. CCC. LXII. die Januarii XIX. hora Vesper. vel quasi, insinuata est appellatio Magistro Johanni de Okkenbroke officiali generali in curia Bremensi, qui respondit, quod sibi de facto Kalsowe non constaret, sed recognosceret, appellationem hujusmodi sibi esse insinuatam, etiam dare apostolos non spectare ad eum. Acta sunt hæc in domo Luderi de stadis opidani Stadensis præsentibus Olrico de ynten presbytero, Hinrico de Soltwedele custode ecclesiæ sanctorum Cosmæ & damiani martirum, ac Bernardo de Soltwedele clericis.

Anno domini M. CCC. LXII. die Januarii XXIIII. hora vesperarum vel quasi, insinuata est appellatio decano & Capitulo Hamburgensi Bremensis diocesis, in loco capitulari ejusdem ecclesiæ, qui respondit, ipsam esse insinuatam, eo modo, quo decuit, per Magist. Johannem Parchym, canonicum Novimonasterii, qui petiit ad instantiam ab eodem domino decano seu alio qui crediderit se sua interesse, apostolos sibi elargiri, præsentibus Cantore Hartwico de *Solwic Conrado Moringe*, *Johanne Rieft* layco *Nicolao Hardebonen* clerico Hamburgensi Brem. diocesis, in vice Johannis Alaborch notarii publici præfatæ diocesis.

CCXXIII.

Conventus Novimonasterienſis per ſyndicum ſuum Johannem Parchym ab Alberto Archiepiſcopo Bremenſi petit confirmationem incorporationis & unionis Eccleſiæ parochialis in Kyl ſibi jam olim ab Archiepiſcopo Burchardo conceſſam & indultam.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem, Millesimo Tricentesimo sexagesimo primo, indictione XIIII vicesima prima die mensis Novembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac domini, domini Innocentii, divina providentia papæ sexti anno nono Venerabili in Christo Patri ac domino, domino Alberto, dei & apostolicæ sedis gratia, Sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archielecto confirmato domino eorum Karissimo, Hinricus Prior, Johannes Poretze 1361.

tze Canonici regulares & conventus totius monaſterii novimonaſterii alias in Bardesholm ordinis ſancti Auguſtini veſtræ diœceſis Bremenſis, cum devotis orationibus ſuis & omni humilitate debitam obedientiam, reverentiam & honorem. Sane Reverendiſſime Pater & domine, ad noticiam veſtræ venerandæ paternitatis, ac omnium & ſingulorum, quorum intereſt, ſeu intereſſe poterit in ſubſcriptis quoquomodo deducimus per præſentes, quod congregatis nobis ad ſonitum campanæ in loco noſtro capitulari, diligentique tractatu & deliberatione præhabita, de auctoritate & licentia religioſi Viri, domini Chriſtiani, præpoſiti, noſtri monaſterii prædicti omnia & ſingula per eundem dominum noſtrum præpoſitum acta, facta, geſta, ordinata, procurata, impetrata & obtenta circa incorporationem & unionem parochialis Eccleſiæ in Kyl, prædictæ veſtræ Bremenſis diœceſis, nobis dictoque domino noſtro præpoſito & monaſterio confirmandam ſupplendam reformandam & innovandam, & ejus occaſione expreſſe & ex certa ſcientia ratificamus & approbamus ac illis conſenſimus & conſentimus & nihilominus de prædicti noſtri præpoſiti auctoritate religioſum virum Magiſt. Johannem Parchym, Canonicum & confratrem dicti noſtri monaſterii fecimus conſtituimus & ordinavimus tenoreque præſentium facimus, conſtituimus & ordinamus noſtrum & prædicti conventus ac monaſterii procuratorem & nuncium ſpecialem ad petendum & obtinendum nomine noſtrorum & conventus ac monaſterii noſtri prædicti incorporationem annexionem & unionem prædictæ parochialis Eccleſiæ in Kyl, præpoſito, conventui & monaſterio noſtro prædictis per bonæ memoriæ dominum Borchardum, olim Archiepiſcopum Bremenſem veſtrum prædeceſſorem de conſenſu venerabilium virorum dominorum præpoſiti, decani & capituli Eccleſiæ Bremenſis propter noſtram indigentiam notoriam & alias juſtas cauſas factam in hiis, in quibus de jure ſubſiſtit per paternitatem veſtram auctoritate ordinaria confirmari. In aliis vero defectum & omnem juris ſolempnitatem in dicta unione & circa eam obmiſſam, reformari refici, ſuppleri & innovari ſeu denuo uniri eandem Eccleſiam ſive novam unionem & veſtram venerandam paternitatem rite & caute fieri auctoritate apoſtolica de Eccleſia ſupradicta & ad faciendum omnia & ſingula quæ circa præmiſſa & præmiſſorum quibus neceſſaria fuerint & oportuna & quæ nosmet conſtituentes facere poſſemus & deberemus, ſi perſonaliter præſentes eſſemus. Etiam ſi talia eſſent, quæ in præmiſſis mandatum exigant ſpecialem, promittentes pro nobis priore, *Johanne de Poretzen*, *Johanne de Kylone*. Johanne Vulf, *Elardo de Wismaria*, Johanne Luman, Stephano *de Havenis* & Reynero *de Flemminghude*, Johanne, noſtrisque ſucceſſoribus conventui & monaſterio prædictis nos gratum, ratum & firmum perpetuo habituros, quicquid per prædictum noſtrum procuratorem actum factum geſtum procuratum ordinatum impetratum & obtentum fuerit in præmiſſis & circa præmiſſa & in quolibet præmiſſorum. In quorum omnium evidens teſtimonium ſigillum noſtri conventus, una cum ſigillo prædicti domini noſtri præpoſiti præſentibus literis eſt appenſum. Datum & actum in monaſterio & loco capitulari prædictis Anno indictione, die, menſe quibus ſupra, ipſo die Clementis Martiris, præſentibus honorabilibus viris & diſcretis, Marquardo Hartwico fratribus dictis Vulf, laycis, Slesvicenſis diœceſis & Petro de Wittenberch notario publico Magdeburgenſis diœceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis.

S. Prepoſiti Novimonaſterii. *Sigillum Sancte Marie in novo monaſterio.*

CCXXIV.

Albertus Archiepiſcopus Bremenſis Stadas citat Adolphum Comit. Holſatiæ ad ſolemnitates & commiſſionem unionis Eccleſiæ in Kyl, menſæ conventus in Bordesholm annectendæ.

Albertus, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archielectus confirmatus, univerſis Eccleſiarum rectoribus ſeu eorum vices gerentibus, Vicariis, Capellanis & presbiteris per civitatem & diœceſin noſtram Bremenſem conſtitutis ſalutem in domino ſempiternam. Sane noveritis, nos quasdam literas felicis recordationis domini Johannis, Papæ XXII. ejus vera bulla plumbea cum filis ſericis bullatas, Archiepiſcopo Bremenſi & quasdam Præpoſito, Priori & conventui Novimonaſterii, in *Nygenmonſtere*, alias in *Bardisholme*, ordinis ſancti Auguſtini, noſtræ Bremenſis diœceſis, per eundem dominum papam Johannem, directas & conceſſas, nobis per honorabilem & religioſum virum, dominum Chriſtianum prædicti Monaſterii præpoſitum, una cum quibusdam literis bonæ memoriæ Borchardi, olim Archiepiſcopi Bremenſis noſtri prædeceſſoris ac capituli Bremenſis, ſuper Eccleſia in Kyl dictæ Bremenſis diœceſis, ipſiusque Eccleſiæ unionis commiſſioni & factioni præſentatas, cum ea qua decuit reverentia recepiſſe. Supra dictis vero literis nobis per prædictum dominum præpoſitum præſentatis, ac per nos reverenter receptis, præfatus dominus præpoſitus nobis humiliter ſupplicavit, ut unionem factam menſæ prædicti ſui conventus de prædicta Eccleſia in Kyl, per prænominatum dominum Borchardum, olim Archiepiſcopum Bremenſem prædeceſſorem noſtrum, confirmare, & ſi aliqua debita juris ſolempnitas in dicta unione eſſet obmiſſa, ſeu aliquis defectus eſſet in eadem, quod illam & illum tam auctoritate, ordinaria, quam apoſtolica ſupplere & reformare dignaremur, quodque etiam nos *nobilem* 1361.

lem virum dominum *Adolphum Comitem Holſatiæ, ad cujus progenitores comites Holſatiæ olim jus patronatus dictæ parochialis Eccleſiæ in Kyl pertinere conſiveverit*, ac omnes alios & ſingulos, qui ſua ſuper præmiſſis crediderint intereſſe ad hoc ad certum peremptorium terminum decernimus citandos, & citaremus. Nos vero attendentes petitionem dicti domini præpoſiti noſtri rationi & æquitati conſonam, decrevimus & decernimus, præfatum dominum Adolphum Comitem Holſatiæ, ac omnes alios & ſingulos, quorum intereſt, ſuper prædictis citandos ad certum peremptorium terminum competentem, mandantes vobis omnibus & ſingulis, qui requiſiti fueritis, in virtute *ſanctæ obedientiæ*, & ſub *pœna excommunicationis*, quam in Vos, & veſtrum quemlibet, trium dierum canonica monitione præmiſſa, ferimus in hiis ſcriptis, ſi non feceritis quod mandatur, diſtricte præcipiendo, quatenus accedatis, ubi propter hoc fuerit accedendum, & citetis peremptorie præfatum dominum Comitem Adolphum, *ſi ipſius præſentiam perſonalem* habere poteritis, alioquin *ad domum* intimata publicatione, quod veriſimiliter præſumatur, quod hujusmodi citatio *ad ejus noticiam* perveniat ac omnes alios & ſingulos, qui ſua crediderint intereſſe, tam in Eccleſia noſtra Bremenſi, quam in dicta parochiali Eccleſia in Kyl & alibi, ubi expediens fuerit, ut prima die juridica poſt inſtans feſtum beatæ Katarinæ coram nobis in opido noſtro Stadis & in *aula noſtra archiepiſcopali* ibidem ſufficienter compareant ad præcedendum & audiendum & videndum, in, pro, & ſuper præmiſſis procedi, prout in eis de jure fuerit procedendum. Et nichilominus dictum propoſitum & allegatum quicquid contra præmiſſa, ſeu eorum aliquod dicere & opponere voluerint aut allegare, quos & nos ac eorum quemlibet ad locum, terminum & actum prædictos ſic citamus. In quorum omnium evidens teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. In ſignum executionum veſtrarum, vos qui requiſiti fueritis nobis in veſtris literis veſtrisque ſigillis ſigillandis ac noſtro præſenti mandato appendendis ac transfigendis reſcribatis, quando ubi & quibus præſentibus ac qualiter præſens noſtrum mandatum fueritis executi. Datum & actum in dicto oppido noſtro Stadis, Ann. Domini Milleſimo CCC LX. primo, die menſis Novembris ſecunda, præſentibus Aſewino de *Zalderen*, præpoſito beati Blaſii in Brunſwich & Johanne de *Ockonbroke* Canonico Magdeburgenſi.

Citationis impletio.

Reverende Pater ac domine, domine Bremenſis. Veſtra ſciat paternitas veneranda, quod ego Druchtleus, canonicus S. Sebaſtiani in Magd. veſter capellanus, præſens veſtrum mandatum, cui hæc ſcedula eſt affixa, ſum fideliter executus, & de Anno domini M. CCC. LX. primo, menſe Novembris die ſexta, hora veſperarum vel quaſi, in Eccleſia Parochiali in Kyl præſentibus & auſcultantibus diſcretis viris, dominis *Hartwico Mordere*, perpetuo vicario in Eccleſia *Ghycowe*, *Henrico Scerphe*, capellano domini Adolphi Comitis Holtzatiæ, *Volrado de Novacrempa* presbiteris, *Hartwico Wlff*, *armigero*, *Detlevo Griph*, *conſule* in Kil, *Bernhardo*, *cive* ibidem & pluribus aliis fide dignis, dictum veſtrum mandatum ſolemniter publicavi & legi ibidem ac citavi dominum *Adolfum prænominatum comitem Holtzaciæ*, ac omnes alios & ſingulos, qui ſua crederint intereſſe ad comparendum ſufficienter coram Vobis, in termino, per paternitatem veſtram præfixo in opido Stadis, ad procedendum & audiendum & videndum procedi, per vos in negocio in dicto veſtro mandato citatorio expreſſo, ſecundum prædicti veſtri mandati continentiam & tenorem & in teſtimonio omnium præmiſſorum præſentem cedulam & reſponſionem in ea contentam, conſcripſi & veſtro mandato præſenti affixi & transfixi, ac meo ſigillo ſigillavi. Anno menſe, die, & loco ac præſentibus, quibus ſupra.

CCXXV.

Albertus Archi-electus Brem. per Petrum Holſte & Thidericum Bonſak clericos, Stadas citat Adolphum Holſat. comitem.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem, M. CCC. LXI. indictione XV. menſis Novembris die XXII. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac domini, domini Innocentii, divina providentia papæ VI. anno IX. conſtitutus in præſentia mei Notarii publici, & teſtium infraſcriptorum diſcretus Vir Petrus Holſte clericus, ut aſſerit, produxit quasdam literas citatorias ſigillatas, ut apparebat, ſigillo reverendi in Chriſto patris & domini, domini Alberti, dei & apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi confirmati cum quodam transfixo, quæ ſic incipiunt. 1361.

Albertus dei & apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ archielectus confirmatus, univerſis Eccleſiarum rectoribus ſeu eorum vices gerentibus, vicariis, capellanis & presbiteris per civitatem & diocesin noſtram Bremenſem conſtitutis, Salutem in domino ſempiternam & cœtera, & ſic finiunt: datum & actum in dicto opido noſtro ſtadis, anno domini M. CCC. LXI. die menſis Novembris ſecunda, præſentibus Aſcwino de Zalderen, præpoſito ſancti Blaſii in Brunſwich & Johanne de Ockenbroke Canonico Magdeburgenſi. Tenor autem ipſius transfixi ſic incipit. Reverende Pater & domine, domine Bremenſis: Veſtra ſciat paternitas veneranda, quod ego Druthleus Canonicus Eccleſiæ ſancti Sebaſtiani in Magdeb. &c. & ſic finiunt: Et in teſtimonium omnium præmiſſorum præſentem ſcedulam & reſponſionem in ea contentam conſcripſi & veſtro

mandato præsenti affixi & transfixi, ac meo sigillo sigillavi, anno, mense, die & loco ac præsentibus quibus supra. Quarum literarum auctoritate & vigore idem Petrus requisivit discretum virum dominum Thidericum dictum Bonsak ebdomadarium ecclesiæ Bremensis, ut executionem ipsarum literarum procederet secundum exigentiam & tenorem earundem. Præfatus vero Thidericus easdem literas citatorias exequendo legit de verbo ad verbum, quibus literis citavit nobilem Virum, dominum Adolphum comitem Holsatiæ & omnes alios & singulos, qui sua crederent interesse, ut prima die juridica post instans festum beatæ Katerinæ virginis coram præfato Archi-electo, confirmato Bremensi, in opido Stadensi & in aula Archiepiscopali ibidem compareant ad procedendum, audiendum & videndum procedi prædictum Archielectum super præmissis, in negocio in dictis literis citatoriis expresso, secundum ipsarum literarum exigentiam & tenorem. Acta sunt hæc in Ecclesia Bremensi Anno, Mense, indictione, die & pontificatu prædictis, præsentibus honorabilib. & discretis viris, domino Johanne de Brema Thesaurario & canonico ipsius Ecclesiæ Bremensis, Alberto dicto Doneldey, & Conrado de Borken, consulibus civitatis Bremensis & pluribus aliis testibus vocatis ad præmissa.

Et Ego Albertus dictus Cron, clericus Mindensis dioceſis publicus imperiali auctoritate notarius productioni & lecturæ nec non executioni ipsarum literarum & omnibus aliis & singulis præmissis, dum fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque fieri vidi & audivi, & in hanc publicam formam redegi, quam meo signo consveto signavi rogatus & requisitus.

CCXXVI.

De obitu Præpositi Neo Monasterii hujusque Viduitate & Statu periculoso Memoriale Canonici N. Monasterienſis, ſine dato. Ut videtur poſt annum 1361.

1362. Exponit s. v. Hinricus canonicus Monasterii Novimonasterii per præpositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Bremensis dioceſis, quod ad parcendum expensis, quas præpositum, qui est pro tempore in ipso monasterio necessario facere oportet residentem pro debitis facilius exsolvendis, quibus ipsum monasterium nimium oneratur ac aliis ipsius monasterii negociis in infra scripta petitione contentis expedienda bonæ memoriæ *Hinricus Swinenborch*, tunc *dicti monasterii præpositus* & quod dictus exponens, se nuper ad curiam sanctitatis vestræ transtulerit & quod in ipsa dictus præpositus naturæ debitum exsolverit. Unde cum ipsum monasterium *in medio sit nationis perversæ* inter DITMARSOS, DACOS & HOLSATOS *constitutum*, multisque sit debitorum sarcinis oneratum & verisimiliter dubitetur, *ipsum monasterium irrecuperabiliter collabi*, nisi sibi celeriter per benignitatem Sanctitatis vestræ succurratur, ne *monasterium ipsum diu remaneat viduatum.* Supplicat id exponens, quatenus non obstantibus quibuscunque contrariis constitutionibus & reservationibus apostolicis conventui dicti monasterii eligendi, ydoneum præpositum ab Archiepiscopo Bremensi, ad quem & ipsius præpositi spectat confirmatio, canonice electum per dictum conventum confirmandi concedere digneris per vestras literas facultatem.

Item significat s. v. (*sanctitati vestræ*) quod reverendus pater dominus B. Archiepiscopus & venerabiles Viri, præpositus, decanus, & capitulum bremense habito simul super infra scriptis tractatu solempni & deliberatione matura unanimi voluntate & expresso consensu omnium, attendentes *paupertatem & indigentiam monasterii memorati* & quod ipsum monasterium ut præfertur est in medio nationis perversæ situatum ac in facultatibus suis & bonis multipliciter dilapsum & multis oneratum sarcinis debitorum etiam præsertim ex eo, quod per præfatum præpositum, iam dictum monasterium *ad locum magis aptum* pro vita monastica excercenda *jam noviter est translatum*, pro inopia præpositi & conventus ipsius monasterii aliqualiter relevanda & dictis debitis facilius exolvendis *parochialem ecclesiam Sancti Nicolai in Kyl* dictæ dioceſis de patronatu ipsorum præpositi & conventus existentem incorporarunt in perpetuum & univerunt ac eisdem concesserunt, ut per regularem vel secularem sacerdotem ydoneum possint ipsi ecclesiæ in divinis deserviri facere, ac parochianis ejusdem ministrari ecclesiastica sacramenta, prout in patentibus literis inde confectis prædictorum Archiepiscopi & capituli sigillis munitis continetur. Quare humiliter supplicat, quatenus quæ super hiis ab eisdem Archiepiscopo, præposito, decano & capitulo in hac parte sunt facta, grata & rata habentes, illa dignemini auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmare, tenorem dictarum literarum in hujusmodi confirmationis vestræ literis de verbo ad verbum inseri facientes, cum omnibus non obstantibus & clausulis oportunis.

CCXXVII.

Adolphus Holsatiæ comes, Johannis F. concedit conventui in Bardesholm plenum jus & jurisdictionem super Grotenhargen.

Universis præsentes literas inspecturis, Nos 1362.
Adolphus Dei gratia, comes Holsatiæ & Stormariæ, cupimus esse notum, publice protestantes, quod matura deliberatione præhabita, de consilio fidelium nostrorum vendidimus, dimisimus & præsentibus dimittimus rite & rationabiliter religiosis viris Præposito & conventui monasterii Novimona-

nasterii

sterii, alias Bardesholm, propter multimoda servicia nobis ab ipsis sæpius exhibita & oblata, jurisdictionem & judicium majus & minus, sive colli & manus & omnem advocatiam, libertatem, commoditatem & utilitatem & omne jus, quod in villa, quæ vulgariter *Grotenharge* nuncupatur, sita in *parochia Niemünster*, prout progenitores nostri ac nos habuimus, vel quocunque modo habere potuimus & prout *Godschalcus de Veldem* Armiger, & sui heredes nostri *fideles*, titulo *Weddeschatt* vulgariter nuncupato, a patre nostro comite Johanne piæ recordationis, et a nobis multis temporibus possederunt, habuerunt et detinuerunt, pro centum et triginta cum quinque marcis denariorum Lübecensium in numerata pecunia notis, nec non heredibus veris ac justis prædicti Godschalci de nostro mandato pleno et consensu integraliter persolutis, perpetuis vero temporibus libere & pacifice possidendis, nichil penitus jurisdictionis potestatis aut juris nobis aut successoribus in eadem villa et in ejus districtu reservando, promittentes bona fide pro nobis et nostris successoribus quod prædictos dominum Præpositum, qui pro tempore fuerit, conventum et monasterium in præfata villa et ejus attinentiis, aut jurisdictionibus quibuscunque, seu etiam colonos dictæ villæ, nunquam debebimus perturbare, seu quomodolibet impedire, quin potius ipsos in possessione prædictæ jurisdictionis & a quocunque impediente seu imbrigante, aut litem de jure vel de facto inferente debebimus disbrigare fideliter et tueri. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Hamburg Anno Domini M. CCC. LXII. ipso die B. Valentini Martyris glorioši. Testes sunt domini *Kayo* (*Cajo*) *de Rantzow*, *Nicolaus dictus Kule*, milites, Otto de *Kuren*, Hinricus *Alverstorp*, Joh. *Darghard*e armigeri, et quam plures alii fide digni.

CCXXIIX.

Hennekinus de Walstorp dictus Zcepel, vendit N. Monasterio jurisdictionem & judicium quartæ partis villæ Groteharge, adjecta Evictionis præstandæ obligatione.

1362. Universis præsentia visuris, Ego *Hennekinus de Walstorp*, filius Ywani de Walstorp, alias dicti *Zcepel*, cupio fore notum, quod jurisdictionem seu judicium majus et minus, videlicet manus et colli, supremi, medii et infimi, quartæ partis villæ, quæ vulgariter Groteharghe nuncupatur, cujus possessio ad me, mediante uxore mea Abele relicta quondam Godzalci de Velden Junioris piæ memoriæ, sub titulo, vulgariter qui *Weddeschat* dicitur, fuerat devoluta, Honorabilibus viris et religiosis, Christiano Præposito, Hinrico Priori, ac toto Conventui, quibus etiam Nobilis Dominus noster, Dominus Adolfus, Comes Holtzatiæ et Stormariæ jus meræ proprietatis in tota jurisdictione dictæ villæ dicitur vendidisse ac dimisisse mei, uxorisque meæ prænominatæ, ac hæredum nostrorum nomine, rite et rationabiliter vendidi et dimisi libere, absque ulla mei meæque uxoris præfatæ ac hæredum nostrorum impetitione perpetuis temporibus possidendam, pro triginta cum tribus marcis denariorum Lubicensium, nobis integraliter solutis, et in usus nostros jam expositis et conversis. Astringens insuper me bona et sincera fide pro me et uxore mea sæpedicta, ac pro nostris hæredibus, quod dictos Præpositum et Conventum a quovis, ipsos in possessione dictæ jurisdictionis jure vel facto impediente, vel molestiam inferente, *defensare debeam fideliter, & penitus disbrigare*, et omnia facere, dicto Præposito et Conventui et eorum Successoribus in præmissis oportuna. Renuncians libere et expresse per præsentes omni juri in per et super præmissis, ac omnibus exceptionibus, defensionibus et beneficiis *juris* CANONICI *&* CIVILIS, *& specialiter juri, dicenti, generalem renunciationem non valere.* In quorum evidens testimonium sigillum meum ex certa scientia præsentibus est appensum. Datum et actum Kyl, Anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo secundo, in Dominica Quadragesimæ, qua cantatur Lætare, præsentibus honestis viris Detlevo, dicto Gryp, ac Nicolao Riken, aliisque pluribus fide dignis.

CCXXIX.

Marquardus & Henricus de Velden vendunt Detlevo Gryp, consuli in Kyle Jurisdictionem in villa Grotenharge sub evictionis stipulatione.

Omnibus præsens scriptum intuentibus, vel legere audientibus, Marquardus & Hinricus de Velden patrueles, famuli, in domino Salutem. Cum Noticia subscriptorum tenore præsentium publice recognoscimus & protestamur, quod Nos matura deliberatione præhabita ac omnium & singulorum amicorum nostrorum, quorum intererat, seu interesse poterat, beneplacito, consilio & consensu rite & rationabiliter vendidimus, dimisimus & resignavimus, discreto viro *Detlevo* dicto *Griph*, *Consuli in Kyl* Bremensis diocesis, omnem jurisdictionem, seu quicquid juris nobis vel nostrorum præsentium heredibus sive nostris competit seu competere posset, perpetuis futuris temporibus, in villa, quæ vulgariter *Grothenharghe* nuncupatur libere absque omni juris impetitione ac omnium amicorum nostrorum, & pacifice possidendam sive aliis personis, monasteriis, aut ecclesiis secularibus vel religiosis, cum eadem libertate donandam, dimittendam seu quovis alio modo pro beneplacito suo resignandam. Nos etenim pecunias nostras seu pretium, pro quibus aut pro quo dictam jurisdictionem dicto Detlevo dimisimus, numeratas & examinatas integraliter & complete percepimus in usus nostros necessarios convertendas. Recog- 1362.

gnoſcimus etiam, quod nos & noſtri progenitores dictam jurisdictionem in dicta villa Grotenharghe hactenus in *pignore*, ſub tytulo, qui *vulgariter dicitur Weddeſchatt*, habuimus pro centum & decem marcis denariorum Lübecenſium a quodam domino noſtro piæ memoriæ domino Johanne, comite Holtſatiæ & Stormariæ. Volumus inſuper eſſe cautum & nos præſentibus cautionem facimus una cum noſtris compromiſſoribus, dicto Detleuo Gryph, vel cuicunque ipſe dictam jurisdictionem donaverit vel alio quovis modo dimiſerit, ut ſi aliquis vel aliqua & ſpecialiter filiæ, vel aliqua de filiabus Godſchalci de Veldem defuncti fratris mei Marquardi prænominati, videlicet Mechtildis & Beke, vel quicunque alius nomine ea rundem dictum Detlevum in prædicta jurisdictione inpetere, impedire ſeu quocunque jure moleſtare acceptaverit, illi vel illis nos & noſtri compromiſſores reſpondere & ſatisfacere, ipſumque Detlevum ſeu illum aut illos, quibus ipſe dictam jurisdictionem reſignaverit ſeu dimiſerit, *infra tres menſes diem notificationis hujusmodi impetitionis* nobis vel alicui noſtrum facere, immediate ſubſequentes *disbrigare tenebimur penitus & ex toto*. Ut autem hæc omnia rata, certa & inconvulſa permaneant, nos prænominati Marquardus & Hinricus *de Velden* principales, Johannes & Albertus de Wiſch fratres *compromiſſores fidetenus & in ſolidum* promiſimus & præſenti ſcripto promittimus ſæpe dicto Detlevo Griph & ad manus ejusdem honorabilibus & famoſis viris, domino Nicolao *Crummedick*, alias dicto *Meſeken*, militi, Marquardo Wulff, Hinrico Stheen, Hardwico Crummedick filio Stille Johannes & Johanni Langhen proconſuli in Kyl, acceptantibus noſtram fidem datam pariter & promiſſam. In quorum omnium evidenciam & munimen ſigilla noſtrorum prænominatorum quatuor ex certa ſcientia noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum Anno domini M. CCC. LXII. præſentibus diſcretis & honeſtis viris domino Nicolao Suwel, presbytero, Hinrico & Nicolao Blooc, fratribus, Petro de Wittenberghe publico Notario & aliis quampluribus fide dignis. In teſtimonium & notificationem omnium præmiſſorum.

CCXXX.

Marquardus & Henricus de Veldem, vendunt Detlevo Gryph, conſuli Kilon. tres reliquas partes ſuper Grotenharge.

1362. Omnibus præſentia viſuris & audituris, Marquardus & Henricus Patrueles, dicti de Veldem armigeri, affectum caritatis in Domino cum noticia ſubſcriptorum præſentium ſub teſtimonio lucide proteſtamur & recognoſcimus, nos matura deliberatione præhabita, de omnium amicorum & heredum noſtrorum beneplacito, conſilio & aſſenſu rite & rationabiliter vendidiſſe diſcreto viro, Detlevo Grip, conſuli in Kil, ſuisque veris heredibus omnem jurisdictionem, cum mixto & mero imperio trium partium totius villæ dictæ GrotenHarge, cum omnibus & ſingulis adjacentiis, utilitatibus & *judicio majore, mediocri & minori, manus & colli, ac cum omnium cauſarum congregationibus & exceſſuum correctionibus*, prout in ſuis conterminis & diſtinctionibus huc usque fuerat & eſt ſituata, ac prout nos, ſeu progenitores & prædeceſſores noſtri, dictam jurisdictionem judicium ſeu omnium cauſarum congregationem liberius & commodius unquam poſſidebamus ſeu poſſidebant. Proteſtamur etiam præſentibus & recognoſcimus, omnes & ſingulos denarios, pro quibus dictam jurisdictionem, prout præmittitur, dicto Detlevo & ſuis veris heredibus vendideramus, nobis integre de primo denario ad ultimum traditos, numeratos & perſolutos fore, & in neceſſarios uſus noſtros & heredum noſtrorum penitus jam converſos. Volumus etiam & præſentibus proteſtamur, nos noſtrosque veros heredes prædictum Detlevum & ſuos veros (*heredes*) ſeu ſucceſſores, ab omnibus jurisdictionaliter ipſos ſeu eorum quemlibet in prædictis ſeu aliquo eorundem impedientibus ſeu impetentibus, *disbrigare velle & debere pleniſſime via juris*, & cum hoc & ad hoc *omnem cautionem*, quæ quomodolibet de jure vel conſvetudine requiri poteſt, ac *reſignationem prædictorum coram Dominis terrarum, nec non* ZELANDIAM *& Warandiam, videlicet Zele und Ware coram plebe facere debere*, quotiens a nobis petitur & ipſis conveniens fuerit & oportunum. Damus etiam & præſentibus dimittimus prædicto Detlevo Grip & ſuis veris heredibus & ſucceſſoribus omnem poteſtatem redimendi, in quantum in nobis eſt, & de jure competere poterat, totalem jurisdictionem alterius quartæ partis ſupradictæ villæ Grotenharge, quæ tilo dotalicii Hennekino Walſtorp cum uxore ſua ſuccedebat, cum omnibus & ſingulis utilitatibus, libertatibus, adjacentiis, cautionibus, reſignationibus ac aliis omnibus & ſingulis conditionibus ſupraſcriptis. Quæ omnia & ſingula ſupraſcripta nos ſupradicti venditores Marquardus & Henricus nomine noſtro & omnium heredum noſtrorum, una cum hiis noſtris compromiſſoribus, videlicet Hinrico & Nicolao, fratribus dictis Bloc, Johanne & Alberno fratribus dictis de Wyſch, & Ottone de Walſtorp morante in Barſebeke & ipſi una nobiſcum promittimus & compromittunt, data fide conjuncta manu & in ſolidum, ſæpe dicto Detlevo Grip & ſuis veris heredibus ac ad fideles manus eorundem Domino Nicolao de Krummedyck alias dicto Meſeken militi, Wulff Poghewyſch, Marquardo Wulff, Hinrico Steen & Hartwico de Krummedyck, filio ſtille Johannes inuiolabiliter penitus obſervare. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium, ſigilla noſtra, una cum ſigillis noſtro-

noſtrorum compromiſſorum ex certo ſcitu & voluntate noſtra & ipſorum compromiſſorum omnium & ſingulorum præſentibus ſunt appenſa. Datum Kyl Anno Domini M. CCC. LXII. ſabbato infra octavas Epyphaniæ.

Cum VII. Sigillis.

CCXXXI.

Marquardus & Henricus de Veldem, concedunt Detlevo Grip, Conſuli Kilonenſi poteſtatem vendendi omnem jurisdictionem quartæ partis villæ Groten Harghen.

1362. Ad omnium, quorum intereſt, ſeu interesse poterit, noticiam volumus pervenire, quod nos Marquardus & Hinricus de Veldem patrueles, dedimus & dimiſimus, nec non damus et dimittimus per præſentes dilecto noſtro avunculo Detlevo Gryph, conſuli in Kil plenam ac liberam poteſtatem redimendi ac poſſidendi, vendendi, ac aliis perſonis ſecularibus vel religioſis donandi omnem jurisdictionem quartæ partis villæ, quæ vulgariter dicitur Grotenharghe, quæ quidem jurisdictio ad *Hennekinum Walſtorp* pervenerat mediante ſua uxore, quondam relicta Goſchalci de Veldem bonæ memoriæ fratris mei Marquardi memorati, qui etiam Detlevo alias tres partes in dicta villa Grotenharge vendidimus ac dimiſimus cum omnibus, quæ nobis ac noſtris heredibus quocunque jure competere poſſent, prout patet in literis noſtris ſuper hujusmodi cum omni maturitate confectis, cupientes, quod prænominatus Detlevus plenam jurisdictionem totius villæ Grothen Harghe integre poſſideat, ſicut nos, ſeu noſtri progenitores hactenus ipſam poſſedimus pacifice et quiete, vel quum alteri cui ſibi placuerit, ipſam vendat ſeu donet. Quam quidem jurisdictionem nos et noſtri progenitores pro centum et decem marcis denariorum Lübecenſium tenuimus ſub titulo, qui vulgariter dicitur *Weddeſchatt*, a Domino noſtro bonæ memoriæ, domino Johanne, quondam comite Holſatiæ et Stormariæ *nobis impignoratam*. In cujus rei evidentiam ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Scriptum et datum Anno domini M. CCC. LXII. ſabbato infra Octavas Epiphaniæ domini.



Sigillum de Veldem.

CCXXXII.

Elerus de Biſticzee famulus, empta a comite Adolpho tota jurisdictione & dominio Villæ Holenbeke, tamen Novomonaſterio unius manſi proprietatem ibidem reſervat, integraliter & libere poſſidendam.

1363. Univerſis præſentia viſuris vel audituris, ego Elerus de Byſticze famulus, cupio fore notum, quod nobilis dominus, dominus Adolphus Comes Holſatiæ, omnem jurisdictionem, proprietatem et dominium, quas vel quod habuit, vel quod ſibi aut ſuis heredibus competere poterat, in *villa Holenbeke*, nihil penitus juris ſibi aut ſuis heredibus ſeu ſucceſſoribus reſervans, Idem dominus comes mihi pro quibusdam debitis, quibus ipſe ſe mihi obligatum recognoverat, in ſolutionem eorundem debitorum integre dimiſit et donavit perpetuis temporibus poſſidendum, prout in literis ſuis mihi donatis ſuper hoc plenius eſt expreſſum. In qua quidem villa manſus unus inter cæteros manſos eſt, qui a Radekino filio Radekini nunc colitur, quem manſum Præpoſitus et conventus monaſterii Novimonaſterii alias in Bardesholm comparaverant, cum omni jurisdictione et utilitate a quodam quondam præfecto in terra Holſatiæ, Nomine Elero Vreſen, ſicut evidenter patet in eorum literis ſuper hoc confectis, et datis anno domini M. CCC. VIII. ac ejusdem manſi et ejusdem jurisdictionis poſſeſſionem a tempore dictæ emptionis pacifice tenuerunt et adhuc tempore detinent jam præſenti. Verum ne prædictum Præpoſitum et ſuum conventum ac ſuos ſucceſſores in poſſeſſione dictæ jurisdictionis per me Elerum Biſticzee, vel per quemlibet alium occaſione ſupradictæ dimiſſionis et donationis per dictum dominum comitem mihi factæ, eandem jurisdictionem et proprietatem atque ejusdem jurisdictionis et proprietatis dominium, prout dominus comes et ſui progenitores habuerant et quemadmodum mihi dimiſit et donavit, religioſis et honeſtis viris memorati monaſterii Præpoſito et conventui pro ſeptem - marcis denariorum Lübecenſium mihi integraliter numeratis et ſolutis, quantum ad ſæpe dictum manſum duntaxat, ſi quicquam mihi juris competiſſe potuiſſet, vendidi et dimiſi, et nihilominus eisdem integraliter et libere cum omni proprietate et libertate, commoditate, utilitate et dominio reſigno præſentibus ac dimitto, promittens inſuper firma & ſtabili fide, quod velim & debeam eis eſſe amminculo totis viribus meis, contra quoscunque volentes eos in hujusmodi poſſeſſione impedire ſeu moleſtare. In teſtimonium omnium præmiſſorum & evidenciam certiorem ſigillum meum ex certa ſcientia præſentibus eſt appenſum. Actum & datum Lübeke Anno domini Milleſimo trecenteſimo, ſexageſimo tertio, in die Beati Johannis Baptiſtæ. Teſtes omnium præmiſſorum ſunt viri ſtrenui, domini *Keyo & Breydo de Ranzow* fratres & *Godzalcus de Wildberghe* milites, *Gherhardus Huben & Weyneghe Parzow* famuli & quamplures alii fide digni. 2. *originalia.*

CCXXXIII.

Adolphus Comes Holſatiæ cedit Novomonaſterio proprietatem unius manſi in villa Holenbeke cum omnibus juribus & pertinentiis.

Nos Adolphus, Dei Gratia, Holtzatiæ & Stormariæ comes, Recognoſcimus tenore 1363.

re præsentium, protestantes, manifeste, nos nostrosque heredes seu successores mansum unum in terminis villæ *Holenbeke* situm, quem nunc *Radeke* dictus, *Ragge* colit, monasterio canonicorum regularium in novo monasterio, alias in Bardesholme, cum omni utilitate & fructu, cum omnibus & singulis pertinentiis & emolumentis, cum omni jure summo ac infimo, videlicet manus & colli spectantem, nunquam velle nec debere pignorare, locatione obligare seu aliquo modo prædicto monasterio alienare, sed sæpedicti monasterii præpositus & conventus prædicto manso cum omnibus & singulis ejus pertinentiis, proprietatibus, libertatibus, cum omnibus & singulis fructibus, utilitatibus & emolumentis inde derivantibus ac cum omni jure summo & infimo, videlicet manus & colli, cum omnibus & singulis judiciis intermediis, quocunque nomine censeantur, perpetuis temporibus libere pacifice & quiete, sine quavis retinentia nostra, nostrorumque heredum seu successorum omnimode perfruentur. Datum Lübeke Anno domini Millesimo, Tricentesimo, sexagesimo tertio, ipso die beati Johannis Baptistæ nativitatis, sub appensione sigilli nostri in evidens testimonium omnium præmissorum.

CCXXXIV.

Albertus Archiepiscopus Bremensis confirmat Adolphi Comitis Holsatiæ concessionem, qua Clericis Borsholmensibus ob desolationem & inopiam sui monasterii indulgetur in opidum Kyl transmigrandi.

1364. Albertus Dei & apostolicæ sedis gratia, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis prælatis ac rectoribus Ecclesiarum & vicariis perpetuis, nostræ Bremensis diocesis, & specialiter discretis Viris, dominis Nicolao Wigendorpe, Thiderico Stralendorpe, & Petro Buk, *vicariis parochialis Ecclesiæ sancti Nicolai in Kyl*, ejusdem nostræ Bremensis diocesis, omnibusque aliis & singulis, qui sua crediderunt interesse, salutem in domino & mandatis nostris infra scriptis firmiter obedire. Sane noveritis quod, cum heu, quod dolentes referimus, evidens & notorium existat, quod Monasterium *in Nienmünster*, alias *in Bardesholm* nostræ Bremensis diocesis *in dominio & comitatu nobilis viri & domini, domini Adolfi, comitis Holsatiæ situatum*, in suis bonis & redditibus ex multiplicibus notoriis causis sit penitus desolatum & gravibus oneribus multorum debitorum depressum, in tantum, quod fratres prædicti monasterii non habent, unde possint in victu & vestitu & aliis necessariis commode sustentari, & Deo ibidem in spiritu humilitatis devote servire, ymo oportet eos propter eorum notoriam inopiam & paupertatem dictum *suum monasterium relinquere* & divinum suum officium dimittere *& pro victu & vestitu in seculo deservire* nisi aliud remedium velocius apponatur. Verum quia prædictus Nobilis vir & dominus, dominus Adolfus Comes Holsatiæ præmissa considerans & interno affectu more suorum nobilium progenitorum præposito & fratribus prædicti Monasterii pie compatiens, cupiens eosdem ex præmissis tribulationibus & angustiis eripere & ab ulterioribus desolationibus suorum bonorum præservare ac eorum paupertati & inopie subvenire & quieti ac commoditati eorundem intendere, ut præfati domini præpositus & fratres in loco *tuto & securo valeant eo liberius & ferventius Deo in divinis officiis*, nocturnis pariter & diurnis devotius & studiosius famulari, gratiose & pie præposito & fratribus sæpedicti Monasterii annuerit & concesserit, quod - ipsi possint se propter præmissa *ad, & in opidum Kyl transferre*, & ibidem *Deo* & benedictissimæ Matri suæ, beatæ *Mariæ Virgini & omnibus sanctis* ejus sub pace & tranquillitate in divinis officiis deservire & pro animabus benefactorum suorum tam vivorum quam mortuorum & *præsertim prædicti Comitis & suorum progenitorum* jugiter exorare clementiam salvatoris. Nos vero sæpedicti comitis gratiam, licentiam & concessionem gratas & ratas habentes eas auctoritate ordinaria propter notoriam & evidentem necessitatem, quæ ad hoc præpositum & fratres prædictos arcet -- & compellit, approbamus & confirmamus. Mandantes vobis omnibus & singulis prædictis & vestrum cuilibet, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, quam in vos & vestrum quemlibet trium dierum canonica monitione præmissa ferimus in hiis scriptis, si non feceritis quod mandatum, districte præcipiendo, quatenus accedatis, quod propter fuerit accedendum, ubi, quando & quotiens per præpositum & fratres prædictos ad hoc requisiti fueritis, ac necessarium & expediens fuerit, & nichilominus publice in prædicta *parochiali Ecclesia sancti Nicolai in Kyl & aliis capellis* ac locis piis prædicti opidi de Ambone singulis diebus dominicis & festivis, & *quando major affluerit populi multitudo*, præmissa omnia & singula intimetis & notificetis, *ac moneatis & requiratis universos & singulos proconsules & consules & cives ac omnes Christi fideles sæpedicti opidi*, ut dominos præpositum & fratres prædictos benigno favore prosequantur ac reverenter & decenter recipiant & karitative pertractent, & quod eosdem præpositum & fratres in translatione sua habitatione & ædificatione faciendis, in prædicto opido Kyl non impediant, sed quod ab omni impedimento & obstaculo eorundem penitus desistant, infra tres dies a notificatione & requisitione præsentiarum eis facta continue numerandos, quorum primum pro primo, secundum pro secundo & reliquum pro tertio ac peremptorio termino ac monitione canonica eis & eorum cuilibet assignamus. Alioquin si ipsi seu ipsorum aliquis contrarium fecerit, aut præpositum & fratres

fratres prædictos & eorum familiares ac ſervitores, conſtructores, ædificatores & cooperatores eorundem per ſe vel alium ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte aut quovis quæſito colore, in, pro & ſuper præmiſſis ſeu aliquod præmiſſorum impediverint aut impedientibus eosdem dederint conſilium, auxilium vel favorem quovis modo extunc in ipſos & in ipſorum quemlibet prædicta monitione præmiſſa in hiis ſcriptis excommunicationis ſententiam proferimus & promulgamus proteſtantes expreſſe, quod contra ipſos & ipſorum quemlibet ac omnes alios & ſingulos prædictis noſtris monitionibus & mandatis in omnibus & per omnia, plene realiter & cum effectu non parentes ad alias graviores poenas procedemus. In ſignum excommunicationum veſtrarum, vos, qui requiſiti fueritis, nobis in veſtris literis veſtrisque ſigillis ſigillandis ac præſenti noſtro mandato affigendis tranſigendis reſcribatis quando, ubi & quibus præſentibus prædictos ſeu aliquem de prædictis monueritis & quomodo & qualiter præſens noſtrum mandatum fueritis executi. In quorum omnium evidens teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum, datum & actum in caſtro noſtro Vordis Anno domini Milleſimo CCC. LXIIII. tertia feria poſt Epiphaniam domini.

CCXXXV.

Privilegium Comitis Adolphi, daſs die von Bordesholm kein Kloſter oder Verſamlung in Kil haben ſollen de Anno 1364.

1364. Wy Adolff van der Gnade Godes, Greve to Holſten unde to Stormern bekennen unde betügen openbare an deſser jegenwardigen Schrifft, dat wy mit Rade und Volbort al unſer erven unde Rahtgeven dorch nütheit unſer Stadt to dem Kyle unſen leven und getrüwen Ratmannen und Borgern darſülves hebben gegeven tho ewigher Vriheit, dat de Heren van dem *Bordesholme* oder anders gheheiten van *Nymünſter* nien Kloſter, oder nieerleye ſammelinghe vorſcreven, hebben oder macken ſcölen to dem *Kyle* an einen thokommenden tyden, aver wat ſe hebben gehatt by Unſes Vaters tyden, dem God gnedig ſey, un by unſen tyden, des ſcöllen ſe brucken. To ener betüghunge deſser Stücke, ſo is unſe *grote Inghefegel* ghehangen vor deſsen Bref, de dar ghegheven is to Plöne an der jeghewardigheit unſes Leven Veddern, Greve *Clauſses* unde *Otten* van *der Wenſine* eines *Knapen*, unde Gherardes Huken unſes leven Voghedes to Plöne, unde is gheſchreven na Godes Borth 1364. des dunredaghes erſt an der Vaſten.

CCXXXVI.

Chriſtianus, præpoſitus Bardesholmenſis caſſat, tollit & irritum reddit ſuum procuratorium, in antea nomine ſui conventus nil amplius contrahendum.

In Nomine domini Amen. Anno nativitatis M. CCC. LXV. indictione ſecunda, Menſis Martii die XII. hora completorii vel quaſi, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Urbani, divina providentia Papæ quinti anno III., in mei Notarii Publici & teſtium infraſcriptorum præſentia conſtitutus reverendus & religioſus Vir dominus Chriſtianus, Præpoſitus Canonicorum regularium Monaſterii in Nygemünſtere, alias Bardesholmis, ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis, ſedens in loco capitulari in ipſo monaſterio inter ſuos Canonicos revocavit, caſſavit, ſeu irritavit procuratorium ab eo obtentum per Magiſtrum Johannem Parchym, ſuum concanonicum, vel per quemcunque alium ad contrahendum mutuum nomine ſuo vel nomine ſui conventus, ymmo decrevit ipſum excutere, & in antea fore nullum, & quod nullus animo ſuo & ſui conventus nomine aliquod mutuum contrahere poſſet vel deberet, *niſi præſens ab ipſo præpoſito aliud novum procuratorium ex certa ſua ſcientia optineat* ad hujusmodi mutuum - - contrahendum, quam revocationem ſeu irritationem procuratorii mandavit & commiſit domino Reynero de Vlemynghehude ſuo concanonico, ibidem præſenti, dicto magiſtro Johanni Parchym in Romana curia, quod cito ipſum videtur, formaliter intimari. Acta ſunt hæc, anno, indictione, menſe, die, hora & loco, pontificatu quibus ſupra, præſentibus honeſtis Viris & diſcretis Georgio Wittenbeke ſuo Concanonico, ſed non profeſſo. Eylhardo de Wismaria, clerico Raceburgenſis dioceſis Johanne trobenbremenſis, Hinrico Paſſaba Lubltl. - - dioceſis laicis, teſtibus ad præmiſſa vocatis. Et Ego Wolterus de Steder, Clericus Myndenſis dioceſis publicus Imperiali auctoritate Notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, vidi & audivi & hanc formam publicam deſuper conſcripſi, quam in teſtimonium ſigno meo ſignavi requiſitus. 1365.

CCXXXVII.

Mandatum vel Syndicatus, quo Chriſtianus de Honſune & Eylardus de Wiſmaria Canonici regulares in Bardesholm ab eodem conventu in Vicarios & adminiſtratores generales in ſpiritualibus & temporalibus conſtituuntur.

Noverint univerſi, præſentes literas inſpecturi, quod nos *Georrius, Dei gratia, Præpoſitus Novimonaſterii, alias in Bardesholm*, ordinis Sancti Auguſtini, Brem. dioceſis, fecimus, conſtituimus & ordinavimus diſcretos & religioſos viros, dominos *Chriſtianum de Honſune præſentem & Eylardum de Wiſmaria abſentem, tanquam præſentem*, regulares Canonicos dicti Monaſterii Bardesholm, & quemlibet eorum in ſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod unus eorum incœperit, alter perſequi 1366.

ſequi valeat & finire, in noſtros vicarios & adminiſtratores generales in ſpiritualibus & temporalibus dicti noſtri monaſterii & noſtræ præpoſituræ ac fructuum, reddituum proventuum & obventionum eorundem, dantes eis & cuilibet eorum plenam & liberam poteſtatem & facultatem, omnes & ſingulas quæſtiones civiles & ſpirituales & etiam criminales, tam de Jure quam de conſvetudine ad dictum noſtrum monaſterium & præpoſituram, ſeu eorum jurisdictionem & forum, ut præmittitur, eccleſiaſticum & temporale quomodolibet ſpectantes, audiendi, tractandi & reformandi paciſcendi & componendi & ſuper exceſſibus & criminibus presbiterorum, clericorum, laicorum, inquirendi, corrigendi & puniendi in votis & aliis caſibus conceſſis a jure, diſpenſandi confeſſiones audiendi abſolvendi & pœnitentias ſalutares injungendi fructusque redditus & proventus & bona quæcunque ad dictum monaſterium noſtrum & præpoſituram ſpectantes ſeu ſpectantia poſtulandi, extorquendi, recipiendi & ſublevandi ac in uſus dicti clauſtri ſive monaſterii noſtri, & noſtros exponendi expendendi & convertendi, & generaliter omnia & ſingula alia faciendi, agendi & exercendi, quæ ad eccleſiam & temporalem jurisdictionem & forum quomodolibet videbuntur pertinere, etiam ſi exigerit ſpeciale, & quæ noſmet ipſi facere poſſemus, ſi perſonaliter intereſſemus, promittentes nichilominus ſub ypotheca & obligatione omnium bonorum noſtrorum, nos gratum & ratum perpetuo habituros, quicquid per dictos noſtros vicarios & quemlibet actum, factum & procuratum fuerit in præmiſſis & quolibet promiſſorum. In quorum evidens teſtimonium præſens publicum inſtrumentum per Johannem Boet, Notarium publicum infra ſcriptum, ad præmiſſa per nos ſpecialiter requiſitum, ſcribi & publicari fecimus & ſigilli noſtri appenſione muniri. Datum & actum Lübeck in hoſpitio habitationis noſtræ, ſub Anno domini Milleſimo CCCmo. ſexageſimo ſexto, indictione quarta menſis Septembris, die viceſima quarta, hora completorii vel quaſi præſentibus in Chriſto patribus ac dominis, religioſis, dominis Hartwico, Abbate in Reynevelde, ordinis ciſtercienſis Lübec. dioceſis, Hermanno Præpoſito in Zegeberge & Johanne Merſeberge presbitero, teſtibus vocatis & rogatis ad præmiſſa.

Et ego Johannes Boet Clericus Lubicenſis dioceſis, publ. Imperiali auctoritate Notarius, hujusmodi Vicariorum conſtitutioni promiſſioni & ratihabitioni, omnibusque aliis & ſingulis ſupraſcriptis, dum ſic agerentur & fierent, una cum præfatis interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, & ad requiſitionem præfati venerabilis viri domini Præpoſiti in hanc publicam formam redegi, quam meis nomine et ſigno ſolitis ſignavi in teſtimonium præmiſſorum.

CCXXXVIII.

Marquart Wulff Knape, cediret und überlaſſet dem Cloſter Neumünſter nachgeſezte ihm zu treuer Hand vorhin übergelaſſene unterſchiedliche Güter.

Ick Marquart Vulf, eyn cnape van wapene, bekenne und betüghe openbare in deſſer jeghenwardeghen ſchrifft, vor alle den jenen, de deſſen breff ſeen edder hören leſen, dat ick dyt gut, dat hir na beſcreven ſtat, unde my *to truwer hant was upghelaten*, hebbe wedder upgelaten; unde vorlate deme proueſte unde dem Priore unde deme ganzen convente *to deme Bardesholme*, unde bekenne des openbare, dat ick dar nicht an hebbe, edder hadde to deme erſten male dat dorp to *Tötekendorpe de Nygenzoren, Gripesharegen, Grotenhargen, Twe Hoven to Lütteken Vlintbeke*, ſeven Höve *to Blumendale* unde de mölen *to ſmalſtede*, dat deſſe dinck voltoghen unde volbracht ſint, dat hebbet over geweſen de erliken Lüde, her Nicolaus *Wygendorp* eyn *preſter*, vnde *Wilhelmus* eyn *ſcolemeyſter* to dem Kyle, Martinus *Berkhorſt* unde Ludolphus *Blomelage*, beyde *openbare ſcrivere*. To eyner bekantniſſe deſſer dinck hebbet Marquard unde Lüder, myne Kindere ock ere Ingheſeghele gehenghet vor deſſen breff de gheſcreven is na godes bort drytteynhundert Jar, in deme ſeven unde feſtigheſten jare in deme hylghen avende to twelfften. 1367.

3. Siegel mit Wölffen.

CCXXXIX.

Detleff Pogwiſch verkaufft dem Convent zum Bardesholm ſeine Güter in dem Dorffe Biſſee, mit der Fiſcherey auff dem Biſſee und Grybe, und andern Pertinentien vor 24. Marck.

In deme Namen unſes heren Jheſu Chriſti. de dinge de me handelt in der tyd, des mach lichte, dat ſe vorgheten werden: ſo is et noth, dat me de dinge beſcrive, up dat ſe nych komen uter dechtniſſe der Lüde. Vor allen den, de deſſen Briff ſeen edder hören leſen, Ich Detleff Pogwiſch, bekenne und betüge openbare, dat ick hebbe vorkofft redeliken und rechtliken, *to rechtem Erffkope*, deme Proueſte unde deme ganzen convente to deme *Bardesholme, dat anderes geheten is Nyenmünſtere*, all dat ick unde myne elderen hebben hat in deme dorpe to groten Biſſee, dat gut dar ronnenbergh uppe wonede, vor *verentwintich marck Lübeſcher ſülverpennige*, dat gelt hefft de proueſt unde gantze Convent tu deme Bardesholme my Detloff vorbenömet woltodancke betalet, den erſten pennig mit deme leſten, unde dat voreſproken gut hefft he de proueſt unde dat Convent vam my kofft myt alleme Rechte, myt Viſcherige, unde myt den *Wadentögen* de uppe deme watere gan, dat de *Biſſee* heten is, unde ock in deme See, dat de *Gryben* heten is, myt Viſcherige mit Wadentögen, myt were, 1369.

myt

myt holte, myt Weyde, myt der *coppele*, de by der *grybe* ligt, unde ock myt Ackeren, buwet unde ungebuwet, myt waterlope, unde myt allen Rechte vrygh unde unbeworen, alſe ick unde myne elderen hebben ghy ghe vryes ghehat. Ock ſchole wy deme proueſte und deme gantzen Convente to deme Bardesholme in deme ſülven vorſproken gude don, al wat en nütte unde gut is, wann ſe et van uns eſchen ſynt. Unde were et Sake dat jemant den proueſt unde dat ganze Convent in dem vorſproken gude beweren wolde, So wil ick Detlaff Pogwiſch myt minen medeloveren vryen, alſe *in dem Lande ein Recht is.* All deſſe vorſproken Stücke ſtede unde vaſt (to holdende) ſo hebbe ick Detlaff Pogwiſch, de deſſer ding und deſer Stücke eyn Sakewolder is, myn Ingeſegele vor deſſen gegenwardigen breff, unde myt ingeſegelen myner medelovere, alſe Marquard Vulff, Johan Bork owe, Albern van der Wiſch und Vulff Pogwiſch. Deſſe Briff de is gheſcreven na godes bord duſent Jar drehundert Jar, in deme Negen unde ſöſtigeſten Jare des Sundages vor myt-vaſten.

CCXL.

Elerus de Biſticzee donat conventui in Bardesholm judicium in villis Gripeshargen & Rycklingen.

1370. In gades namen amen. Ick Eler Byſse, Tymme und dytlyff myne Söne unde myne rechte Erffnamen, wy bekennen apenbar in deſsem bryve vor allen chriſten Lüden, dat wy dat Recht und de Rechtycheyt, de wy hebben ghehad unde hebben myt allem Rechte in dem dörpe to Grypesharge aver dre höven, darup gewanet hadde Reder: unde vort mer, dat Recht dat wy hebben in dem dörpe to *Rychleue*, ock mit allem Rechte, dat gheve wy *dem gadeshuſe to Nyenmünſter*, dat anders geheten is, *tho dem Bardesholm*, dorch God und dorch unſer frowen her Willen Maria, tho hulpe unde tom Troſte unſer olderen Syle Willen, und unſer tho ener dechtnyſſe euych und jümmer mer vor eyn Recht gud to beſittende, *ſunder jenigher hande byſprake.* To en Tüche deſſer dynck ſtede unde vaſt tho holdende, ſo hebbe ick Eler biſse, Tymme unde Dytlyff myne Kindere unſe Ingheſegel vor düſsen Breff toſamende ghehenghet unde is gheven to dem Bardesholm na ghades borth duſent drehundert Jar unde in dem Soventichten jare, des achten daghes na ſünte Petere und ſunte Pawel der Hilgen Apoſtele.

CCXLI.

Quintancia Capituli Hamburgenſis ſuper triginta marcarum redditibus quos Conventus Bardesholm in dodenkope, damflete & Overflete pro 300. marc. reemit.

1370. Nos *Hinricus Cuſfelt*, Vicedecanus & Capitulum *Hamburgenſis Eccleſiæ* recognoſcimus in hiis ſcriptis, quod religioſi viri domini Stephanus Præpoſitus, Prior & conventus Monaſterii in *Bartesbolme*, alias *Nienmünſtere* reemerunt a nobis octo marcarum redditus & ſedecim marcarum redditus, quos vendiderunt nobis ad uſum fabricæ noſtræ Eccleſiæ & utilitatem *pauperum ſcolarium* & vicariam, quam olim habuit in ipſa eccleſia dominus *Johannes de Lütkenſee* in decimis *dodenkope, damflete & Overflete* pro trecentis marcis denariorum Hamburgenſis monetæ, nobis in numerata pecunia perſolutis. Unde prædictos dominos Præpoſitum & conventum de dictis trecentis Marcis per nos receptis, abſolvimus & quitamus, & literas, quas nobis dederunt ſuper dictis redditibus, caſſas & extinctas nunciamus & nullam habere de cœtero roboris firmitatem. Datum Hamborch ſub noſtro ſigillo, Anno domini M. CCC. LXXſimo in feſto purificationis ſanctæ mariæ.

CCXLII.

Conventus in Bardesholm a Conventu fratrum Minorum in Kyl poſtulat ſolutionem quartæ funeralium, menſæ & Monaſterio priori incorporandæ, ſed reſponſionem non obtinet.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem, Milleſimo trecenteſimo LXXI. 1371. indictione nona, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac domini noſtri, domini Urbani, divina providentia papæ Vti Anno IX. Menſis Januarii die decima quarta, hora terciarum vel quaſi, in mei notarii ſubſcripti & teſtium infra ſcriptorum præſentia, conſtituti perſonaliter honorabiles & religioſi Viri domini *Stephanus dei gratia, præpoſitus*, Symon *de Stetyn*, Eylardus *de Wiſmaria* & Reynerus *de Vleminchude canonici regulares Monaſterii Novimonaſterii alias in Bardesholm* ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis ex una: Nec non *Borchardus* dictus *Wetberch*, Volradus *Lüttekenborch* & Hinricus *Stubbekeſtorp*, fratres *de ordine fratrum minorum conventus Kylonenſis*, dictæ *bremenſis dioceſis*, parte ex altera, dictus dominus præpoſitus ſuo & conventus ſui nomine ratione parochialis Eccleſiæ beati Nicholai in Kyl ſupradictæ bremenſis dioceſis, in cujus parochiæ limitibus dictus conventus fratrum minorum extitit ſituatus, eosdem fratres ordinis fratrum minorum tanquam ejusdem conventus ſeniores ad exolutionem *quartæ ratione funeralium* nomine & ex parte dictæ parochialis eccleſiæ, Menſæ & eorum monaſterio incorporatæ & unitæ requiſivit & cum debitis inſtanciis petiit & poſtulavit, prout ſui prædeceſſores etiam multis vicibus petiverunt. Super quibus poſtulatione & requiſitione dictus *borchardus*, tanquam *ſenior conventus ſui nulla habita deliberatione*, dicto domino præpoſito reſpondebat, quod ad præſens *Gardiano carerent & lectore*, nec præſentiam ſui cuſtodis habere poſſent, cum quibus ſuper hujusmodi facto interloqui eis opus eſſet, quibus cuſtode, Gardiano & lectore interlocutis & conſultis extunc de reſponſo dictos dominos Præpoſitum & ſuos concanonicos libenter certificare

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

care vellent, & ad quæ de jure tenerentur, facere non negarent. Super quibus omnibus & ſingulis dictus dominus præpoſitus ſuo & conventus ſui nomine ut ſibi unum vel plura ſuper hoc conficerem inſtrumenta, me Notarium ſubſcriptum requiſivit. Acta ſunt hæc in refectorio dicti conventus fratrum minorum in Kylone, Anno, indictione, pontificatu, menſe, die & hora quibus ſupra præſentibus diſcretis Viris dominis Nycholao Aſpen Bremenſ. Johanne de Havenis presbiteris & Marquardo Poretze clerico Lubicenſis dioceſium & pluribus aliis fide dignis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et Ego *Johannes Dethmarci*, clericus bremenſis dioceſis, publicus imperiali auctoritate Notarius, prædictarum quartarum poſtulacioni & requiſitioni ac eorum reſponſioni, aliisque omnibus & ſingulis, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui eaque ſic fieri vidi & audivi, manuque mea propria fideliter conſcripſi & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo & nomine ſolitis & conſvetis ſignavi, rogatus & requiſitus in teſtimonium præmiſſorum.

CCXLIII.

Die Hern Blocken atteſtiren, daſs Sie wegen Henn. Walſtorffen Briff dem Cloſter Bardesholm nicht mehr ſchuldig ſind als 550. marc, und verſprechen ſolche zu entfreyen.

1361. Ick, doſe Bloc, und Hartwych Bloc, und Volrat Bloc, Blockesſone, Knapen bekennen unde betügen openbare an deſser ſcrysfft, dat wy und unſe rechte Erffnamen ſynt vorſchedet myt rechte van deme Proueſte, und van deme menen capittel *tu dem Holme* alſo dat wy ſe und unſe rechte Erven nicht mehr ſchuldigen ſchölen und wyllen, umme den Breff, den Henneke Walſtorp deme vorby nömeden proueſte und deme Capittel hefft unferet, de uns und unſen rechten Erffnamen ſtunt, ſöſtehalff hundert marck von Clawes van der Wyſch. Wer et, dat dar de vorbenymede Proueſt und dat Capittel gheſculdyghet worden, umme den Bryff, edder umme dat vorbynömete gelt, dat love wy Doſe Bloc, und Hartwich Block und Volrat doſen, Blockesſone vorbynömet unde unſe Rechte Erven to vryende myt rechte, offte dar jenichmann mit rechte opſpreke. To eyner Tügheniſſe deſſer dinge hebbe wy unſe yngeſegele henget yn deſſen Bryff, de gegeven is na godes bort dryttein hundert Jar, in deme enen und ſeventigeſten jare, des negeſten vrydages vor ſünte Michaëlis dage, des ertzen Engels.

S. DOZE BLOCKES  S. WOLRAD BLOCKES.

S. HARTVICH BLOCKES.

CCXLIV.

Theodoricus de Stralendorp Rector parochialis Eccleſiæ in Kyl principalis & appellans contra Raynerum de Vlemminghude Canonicum & appellatum Novimonaſterii procuratorem condemnatur in 100. florenos auri Florentiæ Novomonaſterio perſolvendos.

In nomine domini Amen. Dudum felicis recordationis dominus *Urbanus* divina providentia *Papa quintus*, cauſam appellationis pro parte domini *Theodorici de Stralendorp, tunc ſe aſſerentis Rectorem parochialem Eccleſiæ in Kil*, Bremenſis dioceſis a bonæ memoriæ domino Nicolao Lemovicen, ſanctæ Mariæ in violata ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diacono Cardinali interpoſitæ a quadam ſententia diffinitiva, per ipſum dominum Cardinalem bonæ memoriæ pro religioſis viris, dominis præpoſito priore & conventu monaſterii in Bardesholm, alias de novo monaſterio ordinis ſancti Auguſtini dictæ bremenſis dioceſis & contra dictum Theodericum lata in cauſa quæ coram eo ventilata fuit, ſuper dicta parochiali Eccleſia in Kil. & ejus occaſione ac etiam tam negocii Principalis tam conjunctim quam diviſim nobis Philippo - - miſeratione divina, tunc etiam ſanctorum Marcellini & Petri presbitero, nunc vero Sabinenſi Epiſcopo, ſanctæ romanæ Eccleſiæ Cardinali, commiſit audiendum decidendum & fine debito terminandum, cum omnibus emergentibus, dependentiis & connexis. Cujus commiſſionis vigore nos in cauſa ſeu cauſis hujusmodi cum bonæ memoriæ Mag. Johanne de Lantiens in romana curia procuratore ac fratre Raynero de *Vlemminghude* Canonico prædicti monaſterii, procuratoribus dictorum præpoſiti, prioris & conventus dicti monaſterii, prout de eorum mandato nobis extitit legitime facta fides & domino Theoderico de Stralendorp ex adverſo principali prædicto coram nobis comparentibus ſucceſſive & legitime procedentes dictis hinc inde libellis in cauſa hujusmodi coram nobis & ſuper ipſis de calumpnia & veritate dicenda præſtito juramento ac ad actus legitimos cum dictis partibus legitime & ſucceſſive proceſſo & in hac cauſa concluſæ, nos in termino ad hoc per nos debite aſſignato, diffinitivam pro parte dictorum dominorum præpoſiti prioris & conventus *monaſterii in Bardesholm, alias de novomonaſterio* & contra præfatum dominum Theodericum principalem, licet tunc abſentem, legitime tamen citatum ſententiam tulimus in ſcriptis, ſententiam dicti *domini Lemovicenſis* bonæ memoriæ confirmantes, per quam ſententiam pronunciavimus, decrevimus & declaravimus per dictum bonæ memoriæ dominum Lemovicenſem bene fuiſſe in cauſa hujusmodi proceſſum & ſententiatum & pro parte dicti domini Theodorici principalis ab eo & ejus ſententia diffinitiva male fuiſſe & eſſe appellatum, ipſumque dominum Theodericum principalem in expenſas coram nobis

1371.

bis in causa hujusmodi pro parte dictorum præpositi, prioris & conventus factis condempnamus, ipsarum expensarum taxationem nobis imposterum reservantes, prout in instrumento sententiæ hujusmodi per nos latæ & inde per Notarium & scribam nostrum infrascriptum confecto ac nostro sigillo sigillato latius continetur. Nuper vero præfato domino Urbano felicis recordationis papa quinto viam universæ carnis ingresso, & sanctissimo in Christo patre ac domino, domino Gregorio, divina faventе elementia papa undecimo ad apicem summum apostolatus assumpto idem dominus noster papa ad supplicationem procuratoris prædictorum præpositi, prioris & conventus nobis, Philippo Episcopo Sabinensi prædicto, commisit & mandavit, ut expensas in quibus prædictus dominus Theodericus de Stralendorp principalis dictis præposito, priori & conventui fuerat in secunda instantia hujusmodi causæ condempnatus, una cum expensis coram nobis in tertia hujusmodi causæ instantia factis, in quibus etiam ipsum, ut præmittitur, condempnavimus, taxaremus & super ipsis justitiam partibus faceremus. Cujus commissionis vigore nos ad instantiam Religiosi viri, fratris Reyneri dictorum præpositi prioris & conventus prædicti coram nobis in judicio comparentis procuratoris instantiam præfatum dominum Theodericum de Stralendorp principalem ac ejus procuratores, si qui essent in Romana curia pro eodem primo ad dicendum, si quid vellent contra dictam commissionem ut præmittitur nobis factam, ac deinde bina vice ad videndum & audiendum per nos taxari expensas prædictas, tam coram dicto bonæ memoriæ domino Cardinali Lemovic. in secunda, quam coram nobis in tertia instantia factis per audientiam publicam literarum dicti nostri papæ citari mandavimus & fecimus ad certos peremptorios dies successive assignatos, eisdem cum dierum competentium intervallis. In quibus singulis diebus comparens in judicio coram nobis frater Raynerus procurator supradictus & dictas citationes in audientia publica antedicta de mandato nostro positas & executas, ut est moris, reputans & exhibens citatorumque in eis contentorum non comparentium contumaciam accusans, tandem ipsis citatis non comparentibus prius per nos, quo ad actus prædictos successive contumacibus reputatis in eorum contumacia expensas, tam in secunda hujusmodi causæ coram præfato bonæ memoriæ domino Cardinali Lemovic. quam in tertia instantiis coram nobis pro parte dicti fratris Rayneri factas ad centum florenos auri Florenciæ boni ponderis, exigente justitia & moderatione præhabita sufficienti taxavimus per dictum dominum Theodericum de Stralendorp dictis Præposito Priori & conventui aut eorum procuratori persolvendos, recepto tamen primitus a dicto fratre Reynero procuratore corporali juramento, per ipsum ad sancta dei evangelia corporaliter præstito, quod tantum & ultra in & pro dictis duabus, scilicet secunda & tertia instantiis expendatur, de qua quidem taxatione dictus frater Raynerus procurator, nominibus quibus supra petiit fieri publicum instrumentum. Taxatæ fuerunt hujusmodi expensæ per nos Philippum, Sabinensem Episcopum, Cardinalem commissarium prædictum Avinioni in hospitio habitationis suo nobis - - ad jura reddendum hora vesperarum vel quasi pro tribunali sedentibus sub anno nativitatis domini Millesimo trecentesimo septuagesimo primo, indictione nona, die veneris secunda mensis maji, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Gregorii, divina providentia papæ undecimi prædicti, anno primo. præsentibus venerabilibus & discretis viris, dominis Bonifacio de Amanatis, legum doctore, auditore nostro, Philippo de varesio præposito & canonico Ecclesiæ Januensis & Magistro Bartholino de Placentia, in Romana curia procuratore, pluribusque aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Petrus de Chisiaco Antisiodorensis diocesis, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, ac præfati Reverendissimi patris domini Sabinensis Episcopi Cardinalis Commissarii & auditoris & hujusmodi causæ coram eo scriba, expensarum hujusmodi taxationi, juramenti præstationi ac omnibus & singulis præmissis, dum ut præmittitur, agerentur & fierent, præsens una cum prænominatis testibus interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideo præsens taxationis publicum instrumentum de mandato dicti domini cardinalis per alium, aliis occupatus negociis, scribi feci, meaque hic subscripsi, ac signum meum solitum una cum ipsius domini Cardinalis appenso sigillo apposui, rogatus in testimonium præmissorum.

CCXLV.

Instrumentum Appellationis pro Conventu Borsholmensi, contra Henricum Episcopum Slesvicensem p. t. nuncium Apostolicum in puncto turbatæ jurisdictionis.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. LXXI. indictione nona, octava die mensis Septembris, hora completorii vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo Patris & domini nostri, domi- 1371
Gregorii, digna dei providentia *Papæ undecimi* anno primo, constitutus coram venerabili in Christo Patre & domino, domino *Heinrico, Episcopo Slesvicensi* & mei notarii publici ac testium infra scriptorum præsentia, religiosus dominus *Stephanus*, *Præpositus Novimonasterii alias in Bardesholm* canonicorum regularium ordinis sancti Augustini Bremensis dioceſis quoddam instrumentum appel-

appellationis nomine ac ſuorum ſubditorum *Symonis de Stetyn & Johannis dicti Luman*, produxit & mihi notario infra ſcripto ad inſinuandum prædicto domino Epiſcopo & legendum tradidit, cujus tenor ſequitur & 1371. eſt talis: In nomine domini amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. LXXI. indictione IX. die viceſima quarta menſis Auguſti, hora ſexta vel quaſi, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Gregorii, digna Dei providentia papæ undecimi anno primo, in mei Notarii publici ac teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia perſonaliter conſtitutus religioſus Vir, dominus Stephanus, præpoſitus Monaſterii novimonaſterii, alias in Bardesholm, ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis, quandam ſcedulam papiream quandam appellationem in ſe continentem produxit & extraxit animo appellandi & appellavit, ac apoſtolos petiit & alia fecit prout in ipſa appellatione plenius continetur, quam de verbo ad verbum per me notarium infra ſcriptum legi fecit, cujus tenor ſequitur in hæc verba: Coram vobis venerabilibus Viris & te Johanne notario publico, tanquam coram publicis & auttenticis perſonis hic præſentibus religioſus Vir, dominus Stephanus, præpoſitus Novimonaſterii alias in Bardesholm, ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis, proponit & dicit, quod licet reverendus pater dominus Henricus, Epiſcopus Eccleſiæ Sleſvicenſis prætendens ſe nuncium ſedis apoſtolicæ in religioſos viros dominos Johannem Luman, Vicerectorem Eccleſiæ parochialis in Kyl Bremenſis dioceſis & dominum Symonem de Stetyn ſubditos ipſius præpoſiti nullam habuerit vel habeat Jurisdictionem ordinariam vel delegatam, nec ipſi, Johannes & Symon prædicti, vel aliquis eorundem negotia apoſtolica & ipſius cameræ impediverint vel impediant, tamen dictus epiſcopus minus veraciter prætendens, ipſos Johannem & Symonem dictarum ſedium & cameræ negotia impediviſſe & impedire, contra ipſos Johannem & Symonem prædictos quoddam mandatum dicitur emiſiſſe tenoris & continentiæ, ut citra unam diem ad ipſius præpoſiti, dictorumque Johannis & Symonis noticiam devenit, cujus tenor ſequitur & eſt talis.

1371. *Henricus Dei & apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopus Eccleſiæ Slesvicenſis & ejusdem ſedis nuncius*, univerſis & ſingulis rectoribus, ſeu eorum vices gerentibus, vicariis perpetuis, capellanis, presbiteris & clericis per dioceſin noſtram & Bremenſem conſtitutis, Salutem in domino & mandatis noſtris, ymo verius apoſtolicis firmiter obedire. Cum alias certa mandata, cameram apoſtolicam tangentia *Johanni Luman, Vicerectori eccleſiæ in Kyl & Symoni de Stetyn* duxerimus exequenda, qui rebellici - - requiſiti ad executionem ipſius, contumaciter exequi ſpreverunt & denegaverunt & non ſolum in obedientia tali contenti indecentia & injurioſa verba nobis & mandatis noſtris reſponderunt & nos & dictam ſedem apoſtolicam & officium nobis commiſſum gravitet offendendo quodque dominus Hartvicus Wulff beneficiatus ejusdem eccleſiæ ſimili modo ad executionem hujusmodi requiſitus eam facere debite denegavit propterque non eſt dubium dictos inobedientes excommunicationis ſententiam in contradicentes in ipſis mandatis per nos latam dampnabiliter incurrerunt & nichilominus in contemptum clavium ſe divinis officiis immiſcuerunt & propter præſumptuoſitatem irregulares ſunt effecti. Super quibus auctoritate apoſtolica contra eos procedere hortamur Juris vigore. Quare vobis & cuilibet veſtrum in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, quam in vos & quemlibet veſtrum trium dierum canonica monitione præmiſſa fecimus in hiis ſcriptis, ſi non feceritis, quæ præcipimus diſtincte præcipiendo mandamus, quatenus dictos Johannem Symonem & Hartwicum Wolff perſonaliter apprehenſos & etiam ne aliquam ignorantiam prætendere valeat, publice infra miſſarum ſolemnia in dicta Eccleſia de ambone ad noſtram peremptorie citetis præſentiam quos præſentibus ſic citamus ut craſtino inſtanti feſto beati Bartholomæi in *caſtro noſtro Swaveſtede* noſtre dioceſis legitime compareant coram nobis ad dicendum & docendum cauſam rationabilem ſi quam habeant. Quare minime declarari debeant in excommunicationis ſententiam in dicto noſtro mandato latam cecidiſſe & undique denunciari auctoritate apoſtolica excommunicationi tanquam rebelles ejusdem ſedis & cameræ alioquin contra eos ad præmiſſa & ad alia arctiora, ſi indigentiæ fuerit, procedemus. Hæſitanti de noſtra auctoritate viſionem occullatam ipſius & bullam apoſtolicam ſuper hac nobis ſpecialiter conceſſam producemus & faciemus in dicto noſtro caſtro requiſiti. Executione facta nos reddi de ea per cedulas circumfixas præſentibus circumfigendas, diem & modum veſtræ executionis continentes veſtris ſigillis ſigillatas certiores datum de anno domini M. CCC. LXXI. in die B. Agapiti martiris noſtro ſub ſigillo, per quod mandatum & contenta in eodem idem Stephanus præpoſitus antedictus ſentiens ſe ſuosque dictos ſubditos gravatos & timens veriſimiliter plus grain hiis ſcriptis nomine ſuo dictorumque ſuorum ſubditorum ad ſanctam ſedem apoſtolicam dominum noſtrum papam a dicto mandato & ab omnibus gravaminibus contentis in eodem provocat & appellat & apoſtolos petit & iterum iterumque & cum inſtantia petit ſibi dari, proteſtans, quod hanc appellationem coram dicto domino Epiſcopo libenter & peteret apoſtolos ab eodem, ſi ipſius Epiſcopi copiam commode habere poſſet & quod quam cito poterit habere ipſius præſentiam ſibi in continenti inſinua-

re

re & petere Apoſtolos ab eodem ſuper quibus per te notarium ſupra dictum petiit ſibi fieri publicum inſtrumentum & quod alii præſentes ſitis teſtes. Acta ſunt hæc in cimiterio ſancti Anſcharii Bremenſis, Anno indictione, menſe, die, hora, Pontificatu, & loco, quibus ſupra, præſentibus honorabilibus & diſcretis viris, domino Bernardo decano, Gherhardo de Brema & Johanne dicto Helmſchlegher, Canonicis eccleſiæ ſancti Anſcharii Bremenſis teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis & rogatis.

Et Ego Johannes, dictus Zehnſen clericus Bremenſis, publicus imperiali auctoritate Notarius, quia dictæ appellationis interpoſitioni & apoſtolorum petitioni, ac omnibus aliis & ſingulis, dum ſic ut præmittitur fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo ſolito & conſveto ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum. Quam quidem appellationem ſive inſtrumentum prædictus dominus Epiſcopus pro lecta habere ſe retulit & inde copiam ſibi dari petiit, quæ per me notarium infra ſcriptum ſibi fuit præſentata. Stephanus autem præpoſitus prædictus ſibi viva voce & ſcriptis apoſtolos dare petiit. Antedictus autem dominus Epiſcopus prædicto domino præpoſito terminum octo dierum certum addandum & recipiendum in Swaveſtede apoſtolos aſſignavit. Acta ſunt in *Slesvic* in domo habitationis prædicti domini Epiſcopi, Anno, indictione menſe, die, hora, pontificatu & loco quibus ſupra, præſentibus diſcretis viris & honeſtis dominis Petro Buck, Johanne Zwenlyf & Herdero Canonicis eccleſiæ Slesvicenſis. Et ego Marquardus dictus *Ghodelant*, clericus Bremenſis dioceſis publicus Imperiali auctoritate notarius, appellationis inſinuationi, Apoſtolorum petitioni, tum octo dierum dandi apoſtolos præfixioni & omnibus aliis & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo ſolito & conſveto ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & Teſtimonium omnium præmiſſorum.

CCXLVI.

Conventus Bardesholm vendit domino Kæding terram Saſſenbann cum pertinentiis, in tractu Wilſtriæ ſitam 90. marcis.

1372. Omnibus præſentia viſuris ſeu audituris, *Stephanus Dei gratia præpoſitus, Johannes Prior*, totusque conventus Canonicorum regularium *in Novomonaſterio*, alias in *Bardesholm* Bremenſis dioceſis, ſalutem in domino, & rei geſtam agnoſcere Veritatem, recognoſcimus tenore præſentium publice proteſtando, quod de communi conſenſu & deliberato conſilio vendimus & vendidimus diſcreto Viro, dicto Kæding & ſuis veris hæredibus, *Terram*, quæ dicitur ZASSENBANN, cum paſcuis & pratis & cum omni proprietate, ſicut jacet in ſuis diſtinctionibus *in terra* WILSTRIA & quemadmodum poſſedimus & poſſidemus, pro nonaginta marcis Lubicenſium denariorum prædicto Kæding poſſidendam & ſuis veris hæredibus hæreditandam. Etiam, quod abſit, ſi prænarrato Kædingio aut ſuis hæredibus ratione iſtius terræ impeditio juris vel infeſtatio exorta fuerit, eidem & ſuis hæredibus pro poſſe noſtro, & quantum tenemur, ſuffragari debemus, cum hoc exceptioni non habitæ, non numeratæ, non acceptæ, non ſolutæ dictæ pecuniæ, in uſum utilitatemque prælibati monaſterii noſtri non converſæ renunciantes omnimodo & expreſſe. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Datum anno domini M.CCC.LXXII. ipſo die Johannis Baptiſtæ & martiris glorioſi.

CCXLVII.

Inſtrumentum notariale ſuper injuriis Stephano præpoſito Bardesholmenſi a ſenatu Kylonienſi factis.

In nomine domini Amen. Anno nativi- 1374.
tatis ejusdem Milleſimo, tricenteſimo, ſeptuageſimo quarto, indictione duodecima menſis Januarii die decima ſexta, hora completorii vel quaſi, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Gregorii, divina providentia papæ undecimi anno IV. in mei Notarii publici ſubſcripti teſtiumque infraſcriptorum præſentia, conſtitutus *Stephanus*, præpoſitus Monaſterii Novimonaſterii, alias dicti Bardesholm, ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis dioceſis, proteſtationem fecit, quod *Proconſules & conſules opidi Kyl* eum tanquam traditorem, nepharium & maleſactorem *ante portam dicti opidi Kyl* nullo facto perpetrato excluſerunt, & absque aliqua cauſa exigente foris ſtare confuſe eique ingreſſum intrandi prohibuerunt, vel aliquem de ſuis canonicis poſtea intromittere voluerunt. Inſuper idem Stephanus præpoſitus, coram omnibus aſtantibus dicens, ſe nullum malum erga eos ſcire vel habere, propterea quod ſibi illud ſcandalum apponere potuiſſent, ſed quod cauſa veriſſima plebanus Jure actuque dinoſcitur exiſtere. De quibus præmiſſis dominus Stephanus, præpoſitus præfatus, requiſivit me Notarium ſubſcriptum, ut ſibi ſuper hoc publicum conficerem inſtrumentum. Acta ſunt hæc *coram valva, dicta Holſatica* (*) *opidi Kyl*, Anno, indictione, menſe, die, hora & pontificatu, quibus ſupra. Præſentibus viris diſcretis & honeſtis, domino Petro Capellano in Kyl, publico Notario, Brem. dioceſis, Johanne Stuer layco dictæ dioceſis, & Jacobo Semnowen Caminenſis dioceſis & pluribus aliis fide dignis pro teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego Johannes dictus Rybe, clericus *Raceburgenſ. dioceſis*, publicus imperiali auctoritate Notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic fierent, ut præmittitur per præfatum dominum Stephanum præpoſitum, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia manu propria ſcribendo in hanc publicam formam redegi, quam nomine & ſigno meo ſolito et conſveto ſignavi rogatus et requiſitus in teſtimonium omnium præmiſſorum.

(*) Hodieque vulgo *Holſten Thor.*

CCXLVIII.

Quitancia Capituli Hamburgenſis N. Monaſterio data ſuper 4. marcarum reditibus pro 48. marc. reemtis.

1374. Nos Hinricus Cusfelt, Vicedecanus, & Capitulum Hamburgenſis Eccleſiæ, recognoſcimus in hiis ſcriptis, quod religioſi Viri, dominus Stephanus, Præpoſitus & Conventus Monaſterii in Bardesholm, alias Nienmünſter reemerunt pro XLVIII. marcis denariorum Hamburgenſium per eos ſolutis, quatuor marcarum redditus, qui ſpectabant ad Vicariam domini *Johannis godingh* & ad memoriam ipſius. Quare dictos dominum præpoſitum & conventum quitamus de ſolutione dictæ pecuniæ & literas quas nobis ſuper dictis redditibus dederunt, pronunciamus eſſe invalidas & extinctas. Datum Hamborch ſub noſtro ſigillo. Anno domini M. CCC. LXXIIII. in feſto beati Thomæ Apoſtoli.

CCXLIX.

Inſtrumentum Notar. in puncto injuriarum verbalium Bernardo Canonico Borsholm. a Nicolao parocho Crempenſi in pleno judicio illatarum.

1375. In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. LXXV. indictione XIII. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Gregorii, divina providentia Papæ XI. anno quinto, die XI. Menſis Maji. In mei Notarii publici teſtiumque infra ſcriptorum præſentia, Conſtitutus dominus *Nycolaus*, Rector *parochialis Eccleſiæ in Crempa brem. dioceſis*, in judicio, in domo domini Johannis Sebeken, ubi honorabilis Vir, dominus Conradus Officialis præpoſituræ Hamburgenſis ſedebat pro tribunali, adveniens dominus Nycolaus prædictus, *non vocatus, nec citatus* prorumpens commoto animo contra dominum Bernardum canonicum regularem ordinis ſancti Auguſtini, de novomonaſterio, in judicio verbis contumelioſis, obprobrioſis, minatoriis, turpiſſimis & malis, quæ ego Bernardus antedictus *ad animum revocavi* in tantum etiam, quod idem Officialis eundem Nycolaum de replicatione & innovatione compeſcere poterat nullo modo, quo verba conquerens idem dominus Bernardus officiali præſenti & omnibus dominis ibidem præſentibus, de violentia ſibi illata, petens judicium & juſticiam de illatis ſibi injuriis, requirens me notarium ibidem præſentem de turpiſſimis & injuriis ſibi illatis unum vel plura ſibi inſtrumenta conficiendo. Acta ſunt in domo antedicta coram officiali judicio in Hamborch. Anno, die, menſe, hora, pontificatu, quibus ſupra, præſentibus diſcretis viris dominis Johanne *Wigen* Canonico Hamb. Gotſcalco *de Widen* Rectore eccleſiæ in *Eppendorpe*, Bremenſis dioceſis et Hermanno *Salingdorp*, Rectore Eccleſiæ in *Hanſtede*, ejusdem dioceſis, & quampluribus aliis fide dignis, ibidem judicio aſtantibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego Thidericus Emlant, clericus Bremenſis dioceſis, publicus auctoritate imperiali notarius, præſenti illationi omnibus aliis & ſingulis præſens interfui, dum agerentur, eaque ſic fieri vidi & audivi, & in hanc publicam formam redegi, manuque mea propria fideliter conſcripſi, ſignoque meo & nomine ſolitis ſignavi, rogatus & requiſitus in teſtimonium evidens prædictorum.

CCL.

Inſtrumentum notarii, atteſtantis, Civitatem Kil. copias literarum apoſtolicarum proceſſum contra ſe publicatum continentium, fruſtra petiiſſe.

In nomine domini Amen. Anno nativi- 1375.
tatis ejusdem M. CCC. LXXV. indictione XIII. menſis Aprilis die prima, hora nona vel quaſi, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, domini Gregorii, divina providentia papæ XI. anno quinto, in mei Notarii publici & teſtium infra ſcriptorum præſentia conſtitutus honorabilis & Religioſus Vir, dominus *Eylardus*, *rector parochialis Eccleſiæ in Kilone*, Bremenſis dioceſis, in ambone prædictæ Eccleſiæ tenens in manibus ſuis quosdam proceſſus per reverendiſſimum in Chriſto Patrem, dominum Albertum, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, ad inſtantiam venerabilium & religioſorum Virorum, dominorum Stephani præpoſiti & conventus monaſterii in *Bardesholm*, Bremenſis dioceſis, & contra proconſules, conſules & univerſitatem prædicti opidi Kil emiſſos ac *materna Lingua* coram prædictis *proconſulibus, conſulibus & univerſitate ac clero, pro majori parte ibidem præſentibus*, expoſuit monendo & requirendo eosdem proconſules, conſules & univerſitatem in omnibus & per omnia, prout in dictis proceſſibus ſibi mandabatur, offerens etiam copiam eorundem dare omnibus credentibus ſua intereſſe. Quo facto & cum dictus dominus Eylardus de ambone deſcenderet, aliqui ex prædictis conſulibus accedentes eum, petiverunt ſibi copias literarum apoſtolicarum originalium, in cujus vigore dicti proceſſus emanaſſent, ac eorundem proceſſuum ſibi dari: Quorum quidem proceſſuum copiam dictus dominus Eylar-

Eylardus eis dare promisit & dixit, quod ipse dictas literas apostolicas origenales non haberet, & quod copiam eorum a Præposito in Bardesholme prædicto, aut alias ubi expediret, postularent; super quibus omnibus & singulis petiit sibi fieri publicum instrumentum. Acta sunt hæc anno Indictione, mense, die, hora, loco & pontificatu, quibus supra præsentibus discretis viris, dominis Nicolao de curia Ecclesiæ Lübicensis, *& Thiderico Vedder*, parochialis Ecclesiæ in *Plone Lubecensis dioccsis*, perpetuis Vicariis, Egheardo & Ottone fratribus dictis *de Curen*. Hartwico *Pogwisch* & Sifrido *Swyn*, armigeris, dictæ Bremensis dyocesis ac pluribus aliis clericis & laicis fide dignis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego *Nicolaus Gustecow*, clericus, *Ratzeburgensis dyocesis*, publicus imperiali auctoritate Notarius præmissis omnibus & singulis una cum prænominatis testibus præsens interfui eaque sic fieri vidi & audivi & in hanc publicam formam redegi, quam meis signo & nomine solitis signavi requisitus in testimonium omnium præmissorum.

CCLI.

Conventus in Bardesholm a senatu Kilonienſi petit possessionem cujusdam monasterii in civitate eadem existentis, sibique a sede apostolica jam collati. Sed responsione frustrantur.

1375. In nomine Domini Amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCC. septuagesimo quinto, indictione tredecima, mensis Aprilis die quarta, hora terciarum vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & domini nostri, Domini Gregorii, divina providentia papæ undecimi anno quinto, in mei Notarii publici testiumque subscriptorum præsentia constituti honesti viri & domini religiosi, sc. *Johannes Luman* prior, *Elerus Vicerector in Kyl*, *Lubbertus*, *Bernardus & Nicolaus Suwel*, *canonici regulares*, ordinis sancti Augustini in BARDESHOLM, alias *in* NOVOMONASTERIO, *nunc autem* IN KYL, *Bremensis dioceſis*, ex parte una: nec non discreti viri *major pars consulum oppidi Kyl*, parte ex altera; Prædicti autem domini sc. Johannes Prior, cum cæteris dominis suprascriptis processerunt ad consules postulantes humiliter & petentes a consulibus dictæ civitatis Kyl, ut eos *ad possessionem monasterii sui in eadem civitate Kyl jam existentis*, quod *a gratia sedis apostolicæ collatum est eis*, ut dr. & determinatum pacifice admitterent & commodose omni impedimento & protractione postergato divina ibidem solempniter celebrare & petentes responsum affirmationis vel negationis ab eisdem possessionis antedictæ. Parte autem ex altera, sc. Consulibus hoc auditis, dixerunt se pro responso velle deliberare. Facta autem deliberatione immediate dominis antedictis sc. Johanni Luman priori, Elero, Lubberto, Bernardo & Nicolao per *procuratorem suum* dominum *herderum duzer*, Lübecensis dioceſis, Vicarium ecclesiæ ejusdem Monasterii Kyl, responderunt dicentes, se gratiæ sedis apostolicæ per appellationem suam submisisse. Sæpedicti autem domini *in Bardesholm*, alias *in novo monasterio*, *nunc autem & semper in Kyl*, respondentes patienter & dixerunt, quod de appellatione illa & de nullis quærerent, sed tantummodo de dictæ possessionis seu *residentiæ monasterii sui in Kyl*, affirmatione seu negatione. Hiis finitis de istis rursum ab eisdem consulibus petierunt. Insuper consules supradicti civitatis Kyl se iterum ad invicem deliberare proposuerunt. Deliberatione facta iterum revertentes dominis dixerunt, quod antedictam vellent sequi appellationem per ipsos factam, & non haberent de talibus quæstionibus seu petitionibus & postulationibus illius monasterii in Kyl quidquam respondere. Et cum hoc Proconsules & consules cum sequentibus omnibus ibidem de societate existentibus ab illis dominis se averterunt & civitatem Kyl incontinenti intraverunt. Prior vero Johannes, cum dominis suis suprascriptis, cum *servitoribus suis* ad Monasterium Bardesholm per currum & equos recesserunt. Nam si aliqui articuli hic contenti sane per partes antedictas non intelligerentur intelligere vel sapere vellent, ejus interpretationem, expositionem seu declarationem nobis penitus reservamus. Acta sunt hæc circa *phalangam ejusdem civitatis Kyl* Bremensis dioceſis, anno Mense, die, hora, indictione, pontificatu quibus supra præsentibus discretis viris, domino Hinrico *Vollehant* rectore parochialis Ecclesiæ in *Vlintbeke*, Bremensis dioceſis, & domino Johanni *Blekendorp*, Rectore Ecclesiæ in *Brügge*, Bremensis dioceſis & Otto *de Oslen*, clerico Lubicensi, Hinrico *Nygestatt*, *Zwerinensis dioceſis*, publicus notariis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Peerus dictus Junghe, clericus Bremensis dioceſis publicus imperiali auctoritate Notarius, prædictæ postulationi seu petitioni ac omnibus aliis & singulis una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, dum agerentur ut præmittitur & in hanc publicam formam redegi manuque mea propria, ut melius potui, fideliter conscripsi, meisque signo & nomine solitis signavi rogatus & requisitus in testimonium omnium & singulorum evidens prædictorum.

CCLII.

Procuratorium vel Syndicatus pro conventu in Bardesholm ad ejus Procuratores in Romana curia, contra civitatem Kyl de & super ejusdem monasterii translatione & denegatione, sacrilegiis, invasione, injuriis, violentiis &c.

No-

1375. Noverint universi, præsentes literas seu præsens publicum instrumentum inspecturi, quod nos Stephanus Præpositus, & Johannes Luman, Prior, dominus Reynerus de Vlemighude, dominus Lubbertus de Brügghe, dominus Johannes Bockholt, dominus Hinricus de Mersch, Canonici regulares monasterii in Bardesholm ordinis sancti Augustini Bremensis dyocesis per præpositum soliti gubernari, & domin. Bernardus de Stubbe, canonicus regularis Camminensis dyocesis, ejusdem ordinis in Yazenisse, in loco capitulari dicti monasterii in Bardesholm, ad sonum campanæ, ut moris est, ad infra scripta peragenda capitulariter congregati & capitulum in eodem monasterio seu majorem & saniorem partem ipsius capituli facientes & reputantes, vocatis primitus evocandis & qui volebant commode interesse ex nostra certa scientia & spontanea voluntate meliori modo, jure, forma & causa, quibus possumus, harum serie facimus, constituimus & ordinamus nostros, & dicti nostri monasterii & conventus syndicos, procuratores, actores, factores, negotiorum gestores & nuncios speciales, honorabiles & discretos viros, dominos Bernardum de Bugeto, Albertum de Mediolano, Henricum de Overenkerken in Romana curia procuratores, Johannem Stuuen sancti Martini Mindensis dyocesis, Gherardum Gropelinghe Buccensis, Bremensis dyocesis ecclesiarum canonicos & Gerhardum Haveman clericum Mindensis diocesis & Nicolaum Suwel canonicum irregularem in Bardesholm absentes tanquam præsentes & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condi tio occupantis & quod unus eorum inceperit, alter prosequi, mediare valeat & finire ad persequendum & tractandum pro nobis ac nostro monasterio & conventu prædictis nostrisque nominibus causam & causas appellationis seu appellationum & negocii Principalis, & tam civiles quam criminales, quæ vertitur & vertuntur seu verti sperantur inter nos & monasterium & conventum nostrum ex parte una, & *Johannem* Visch, Conradum van *der Senen, proconsules*, Nycolaum *Ryken* & Tymmonem *de Aschebergh consules opidi in Kyl* ac *Elerum Wytten* armigerum Bremensis dyocesis, ac *omnes alios proconsules & consules ac oppidanos dicti opidi in Kyl* Bremensis dyocesis coram reverendissimo in Christo Patre & domino, domino Guillielmo, miseratione divina Tit. sancti Stephani in Celiomonte presbytero Cardinale, seu quibusdam aliis commissariis, auditoribus & judicibus ecclesiasticis vel mundanis, datis vel dandis de *& super ejusdem monasterii translatione ejusque denegatione, oppositionibus, sacrilegiis, invasionibus, injuriis, violenciis & contemptibus dampnis, interesse & expensis*, & eorum occasione ex altera dantes & concedentes tenore præsentium eisdem procuratoribus suis, & eorum cuilibet in solidum, plenam & liberam potestatem ac mandatum speciale in præmissis & quolibet præmissorum impetrandi literas, tam simplices quam legendas, gratiam seu justitiam continentes in audientia literarum contradictarum domini nostri Papæ & eis contradicendi, judices & loca elegendi suspectos & suspecta recusandi & in eosdem seu in easdem conveniendi, cautiones quascunque dandi & recipiendi, nec non agendi, defendendi libellum seu libellos & quascunque petitiones summarias dandi & recipiendi litem seu lites contestandi, de calumpna (calumpnia) & veritate dicenda, & quodlibet aliud *juramentum necessarium* tam in *ipsorum syndicorum animas*, quam *in nostras præstandi*, ponendi & articulandi positionibus & articulis, undeque petendi, excipiendi, replicandi, triplicandi, quadruplicandi, testes literas, instrumenta, acta & alia munimenta producendi contra ex adverso producta dicendi, crimina & defectus opponendi & probandi, allegandi, transigendi, paciscendi, renuntiandi & concludendi sententias diffinitivas & interlocutorias audiendi & ferri petendi, & abinde, si opus fuerit & a quovis alio illato vel comminato gravamine semel & pluries appellandi, appellationes insinuandi, innovandi & prosequendi apostolos cum debita instantia, & absolutionis a quibuscunque censuris ecclesiasticis simpliciter et ad cautelam ac restitutionis in integrum principaliter et incidenter petendi, obtinendi et recipiendi unum vel plures, Procuratorem vel procuratores ad præmissa vel eorum aliqua substituendi et revocandi semel vel pluries, hoc tamen mandato in suo robore duraturo. Et generaliter omnia alia et singula faciendi et dicendi, quæ in præmissis et circa ea necessaria fuerint et quæ veri et legitimi procuratores facere debent et possunt, eciam si talia essent quæ mandatum exigerent speciale. Promittimus quoque publico infra scripto tanquam publicæ personæ stipulante legitime et recipienti vice et nomine omnium et singulorum, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, nominibus quibus supra gratum et ratum ac firmum perpetuo habituros, quidque per prædictos Procuratores nostros et eorum quemlibet ac substituendos ab eis et quolibet eorundem actum, dictum, factum et procuratum fuerit in præmissis seu quomodolibet ordinatum, sub omnium nostrorum conventus Mon. (monast.) nostrorum efficaci et expressa ypotheca et obligatione bonorum præsentium et futurorum cum et sub omni juris et facti renunciatione ad hoc necessaria cautela. In quorum testimonium præsentes literas seu præsens instrumentum publicum fieri et per Notarium publicum infra scriptum publicari mandavimus et sigillis nostris fecimus muniri. Datum et actum in loco capitulari Monasterii in *Bardesholm* sub Anno nativitatis domini Millesimo Tricentesimo septuagesimo quinto, indictione tridecima, die secunda mensis Septembris, ho-

ra

ra vespertina vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et domini nostri, domini Gregorii divina providentia papæ undecimi, præsentibus discretis viris, domino Johanne Blekendorp, Rectore parochialis ecclesiæ in Brügghe, Johanne filio Ottonis et Johanne Truwen laicis Bremensis dioceſis, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et ego Petrus Junghe, clericus Bremensis dioceſis, publicus imperiali auctoritate Notarius, prædictorum Procuratorum constitutioni, ratihabitioni, relevationi, omnibusque aliis et singulis supradictis præsens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, et in hanc publicam formam propria manu scribendo redegi, signoque meo et nomine signavi in testimonium omnium præmissorum.

II. *Sigilla.*

CCLIII.

Conventus Zeghebergenſis cum conventu Bordesholm permutat aliquot modios ſiliginis in villis Rycklingen & Weſter Botele.

1376. Nos *Johannes* Dei gratia Præpositus Hinricus Prior totusque conventus Canonicorum regularium monasterii in *Zegheberghe* ordinis sancti Augustini, Lubecensis dioceſis, tenore præsentium recognoscimus publice protestantes, quod honorabilibus viris ac religiosis dominis, Præposito, Priori totique conventui canonicorum regularium Novimonasterii alias in *Bardesholm*, ejusdem ordinis, Bremensis dioceſis, juxta *ritum terræ coram parochianis* ibidem *cum firma* WARANDIA *ac* ZELANDIA DIMISISSE *&* RESIGNASSE *ſex meſas ſiliginis in villa Rycklingen*, in parochia dicti Novimonasterii situata, prout Otto, Emekinus & Hasse fratres dicti Walstorp hactenus libere possederunt, quarum mesarum duas præfati domini eorum propria pecunia comparaverunt nichilominus & solverunt, & alias quatuor mesas pro una mesa siliginis ad mensam domini Præpositi prædicti, ac pro aliis tribus mesis siliginis spectantibus ad domum Hospitalis ibidem nomine decimæ in *villa Weſterbötele* gratuite acceptantibus & contentis, tali adjecta conditione, quod si aliquis heredum, videlicet Ottonis, Emekini & Hasseni fratrum prædictorum dictas quatuor mesas siliginis inposterum jure impetere præsumserit extunc dictas quatuor mesas siliginis secundum juris exigentiam tenebimur *disbrigare*. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum Anno domini M. CCC. LXXVI. sequenti die Petri & Pauli sanctorum apostolorum.

CCLIV.

Copia debitorum Conventus Bardesholmenſis.

1376. Hæc sunt debita Monasterii nostri in Bardesholm, quæ dominus *Johannes Bockholt* præpositus noster invenit sub Anno domini M. CCC. LXXVI. infra octavam Epyphaniæ domini.

Primo tenemur in Parochia Novi Monasterii scilicet Ditlevo Gripe & Johanni Harghen CCC. marcas. Tyderico Wyttorph C. marcas. Bredenbeken LX. marcas. Uxori Eleri Hunderdes XXXIII. marcas. Tymmoni Schütten XL. marcas. Johanni Harghen C. marcas. & IIII. marcas. In parochia Brügghe Hennekino Ottensone & Ludemann LX. marcas. In parochia Nortorp Tyderico de Emekendorp XXX. marcas. In parochia Wilster domino Martino & Johanni Ywerwens CCCC. marcas. In Lubeck ditlevo manen C. marcas. Tydemanno Klyngenberch & Everardo VII. marcas. Domino Brunoni X. Florenos. In Hamborch. Eghardo Famulo Klynkesporen XXX. marcas. In Kylone Langhe Reymere XXV. solid. De computatione domini *Nicolai de dorne*, sicut nobis computavit, sequitur in hæc verba: primo consumpsit V. marcas cum IIII. solidis cum *Johanne Olden* in Lübeke ad arrestandum bō eccleſia ibidem. Item consumpsit cum Johanne olden XXX. marcas cum IIII. marcis de quibus dedit ditlevo famulo suo V. marcas. Item domino Eylardo duas marcas versus stadium. Item XXVIII. ſ. (*ſolidos*) consumpsit in Plone. Item domino Nicolo Brunswick I. marc. versus Hamborch in negociis Eccleſiæ reliquam pecuniam consumpsit in negotiis Eccleſ. in Kyl in Nyenmünster, in Plone & in aliis locis, ubi visitavit dominum Comitem & infra. Hinc & *ymbriam* sæpius transeundo. Item IX. marcas albæ monetæ pro uno equo in Lub. Item tenemur Tymmoni Asscheberg XII. marcas pro panno ac campam, tunicam & capucium. Item pro appellatione XIIII. marcas. Item III. marcas pro quatuor ulnis panni Vitboni Waryn. Item tenetur ex parte sui & aliorum quorum interest Reddich & uxori suæ XXXIII. marcas pro braseo & humlo. Item Ottoni Kyl I. marcam. Item Tyderico instítori XV. sol. pro sardolio, quem dedit Elero Witten ut recederet de Monasterio. Item Johanni Boteren V. sol. pro sufferratura. Item Johanni Olden IX. marcas pro equo. Summa istius computationis sol. domini Nicolai de dorne C. marcas & XVI. marcas. Sequitur computatio *domini Eylardi.* Primo consumpsit VIII. sol. in Lubek pro consiliis Missus ab Adolpho comite. Item cum domino Nicolao de dorne & Johanne Olden ad arrestandum bō in Lub. consumpsit VII. ſ. (*ſolidos.*) Item pro appellatione consumpsit V. sol. & IIII. sol. scriptori. Item ad arrestandum bō Eccleſiæ in Hamborg cum litera comitis consumpsit VIII. Item exposuit II. marcas pro *braseo longo* Reymaro. Item III. sol. pro funibus & calibe. Item consumpsit VIII. solidos versus Stadas citatus. Item Tenetur solvere Tyderico Hönendorp III. marcas pro panno

beken & bunen. Summa VII. marcas & III. ſol. Sequuntur debita quæ contraxit dominus *Johannes Bocholt* præpoſitus noſter. Primo XX. marcas domino Hartwico de ſulten ex parte confirmationis ſuæ. Item Hoſpiti noſtro in Hamborch X. marcas. Item XIIII. marcas & VI. ſol. pro duobus equis. Summa XLIIII. marcas & VI. ſol. Summa ſummarum totius computationis ſupraſcriptæ Mille marcas & CCCC. marcas & XXIII. marcas & XVIII. ſol. & X. florenos. Iſta ſunt tpalia. primo in Lub. ditlevo manen XX. marcas. Item domino Johanni Hovemann VI. marcas. Irem X. marcas uxori Tydemann Witten. Item II. marcas domino Johanni Zebeben. Item Hinrico Lalen IIII. marcas. Item Filiabus ditlevi Grip. VI. marcas. Item IIII. marcas duuelscop. Item domino Hinrico Wollehant X. marcas. Item der Koldebeckerſchen IIII. marcas. Item domino Hartwico Wulff IIII. marcas. Item domino Johanni de puteo IIII. marcas. Item domino Stephano XXV. marcas. Item domino Nicolao de dorne XIIII. marcas. Summa tpalium C. marcas & XIII. ſolidos. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtri conventus ex noſtra certa ſcientia præſentibus eſt appenſum.

CCLV.

Quitanzia de decem marcis & 15. ſolidis Cameræ Romanæ pro irregularitate præpoſiti Bordesholmenſis perſolutis.

1377. Nos Bernardus Piek, Rector capellæ ſancti Willehadi, Bremenſis ſedis, & cameræ Apoſtolicæ nuncius & collector, a venerabili viro domino Bernardo de Berne, Canonico Eccleſiæ ſancti Andreæ colonienſis, Licent. in decretalibus, dictorum ſedis & cameræ nuncio & collectore principali, deputatus, præſentibus recognoſcimus, proteſtantes, quod honorabilis vir, dominus *Johannes Præpoſitus monaſterii in Bardesholme* ordinis ſancti Auguſtini, Brem. dioceſis, nobis, *nomine cameræ prædictæ* per diſcretum virum dominum Gerhardum Rinesbergh, perpetuum vicarium Eccleſiæ Bremenſis, ſuum & dicti ſui monaſterii procuratorem ad hoc & ad omnia infraſcripta plenum mandatum habentem, ſolverit ratione ſextæ, prædictæ cameræ ab eodem monaſterio debitæ, decem marcas & quinque ſolidos, denariorum Lubicenſium argenteorum & dativorum, unde quia nos plene informati didicimus, cum eisdem decem marcis & quinque ſolidis denariorum eſſe ratione hujusmodi ſextæ pro eodem monaſterio plenarie & realiter ſatisfactum, eundem præpoſitum, ſuosque ſucceſſores, & ipſum monaſterium in Bardesholme ab hujusmodi decem marcis & quinque ſolidis denariorum pro ipſa ſexta ſic ſolutis, auctoritate Apoſtolica liberamus præſentibus & quitamus, ac ipſum dominum Johannem præpoſitum in perſona ſui prædicti Procuratoris hoc humiliter pe-tentis a *quacunque excommunicationis, interdicti ſeu ſuſpenſionis ſententia*, quam, vel ſi quam occaſione ſolutionis hujusmodi ſextæ quomodolibet incidit, ſecundum formam eccleſiæ eadem auctoritate abſolvimus, injuncta ſibi pœnitentia ſalutari, ſolventes & relaxantes, quamcunque ſuſpenſionem & interdicti ſententiam, ſive in ipſum conventum ſeu monaſterium in Bardesholme prolata fuerit, occaſione præmiſſorum quoquomodo & cum ipſo domino Johanne præpoſito ſuper irregularitate, ſi quam ſic ligatus celebrando divina vel immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptum clavium contraierit, ſuſpenſo eo ad tempus congruum a divinis, auctoritate prædicta miſericorditer diſpenſantes. Hujusmodi vero pœnitentiam & ſuſpenſionem. Idem dominus præpoſitus, poſtquam ſibi de eis fuerit per dictum procuratorem intimatum, ſervabit & complebit. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum Bremæ, anno domini M. CCC. LXXVII. in craſtino Beati Nicolai epiſcopi & confeſſoris.

CCLVI.

Gregorius PP. novum monaſterium contra quosvis occupatores detentores, præſumptores moleſtatores injuriatores contradictores & rebelles eorumque temeritatem protecturus, Præpoſitis Stadenſi Stetinenſi & decano mindenſi ejusdem monaſterii præſidium & defenſionem commendat.

1377. *Everhardus de Wammpe, Præpoſitus gripeswaldenſis Camynenſis dioceſis. Judex & conſervator*, Religioſis viris dominis præpoſito & conventui *Monaſterii novimonaſterii* alias in *Bardesholm*, ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis, ab honorabili Viro, domino Hinrico de Tzorberttorp præpoſito Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Virginis in Stetyn, Camynenſis dioceſis, Judice & conſervatore una cum ſuis collegis infraſcriptis a ſede apoſtolica delegato, ſubdelegatus, univerſis & ſingulis dominis Eccleſiarum Rectoribus, vel eorum vices gerentibus & aliis presbiteris & clericis quibuscunque per quascunque civitates & dioceſes conſtitutis, qui præſentibus fuerint requiſiti, ſalutem in domino & mandatis Apoſtolicis firmiter obedire. Noveritis nos literas ſanctiſſimi in Chriſto patris ac domini noſtri, domini Gregorii divina providentia Papæ XI. ejus vera bulla plumbea in cordula canapis more romanæ curæ bullatas, non cancellatas, non vitiatas, non abolitas, nec abraſas, omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, nobis pro parte religioſorum virorum Præpoſiti & conventus monaſterii Novimonaſterii alias in Bardesholm prædictorum præſentatas, cum ea qua decuit reverentia, recepiſſe ſub hac forma:

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum dei *dilectis filiis Monaſterii ſancti Georgii Stadenſis*

ſis per præpoſitum ſoliti gubernari & B. Mariæ Stetynenſis, Bremenſis & Caminenſis dioceſis præpoſitis ac decano ſancti Martini Mindenſis Eccleſiarum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Militanti eccleſiæ licet immeriti diſponente domino præſidentes dicta cura eccleſiarum ac monaſteriorum omni ſolertia redduntur indefeſſa ſolliciti ut juxta debitum paſtoralis officii eorum occurramus diſpendiis & profectibus divina favente clementia ſalubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum præpoſiti & conventus Monaſterii in Bardesholm alias Novimonaſterii per præpoſitum ſoliti gubernari, ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis dioceſis cum conqueſtione percepimus, quod nonnulli Archiepiſcopi Epiſcopi, aliique eccleſiarum prælati & clerici, ac eccleſiaſticæ perſonæ tam religioſæ, quam ſeculares, nec non duces Marchiones, comites, Barones, nobiles, milites ac laici communia civitatum, univerſitates opidorum, caſtrorum villarum & aliorum locorum, & aliæ ſingulares perſonæ civitatum & dioceſium, ac aliarum partium diverſarum occuparunt & occupari fecerunt caſtra villas & alia loca, terras, domos, poſſeſſiones, jura jurisdictiones, nec non fructus, cenſus, redditus & proventus dicti monaſterii & nonnulla alia bona mobilia & immobilia, ſpiritualia & temporalia, ad præpoſitum & conventum, ac Monaſterium prædictos ſpectantia & ea detinent indebite occupata, ſeu ea detinentibus præſtant auxilium, conſilium vel favorem, nonnulli etiam civitatum & dioceſium, & partium prædictarum, qui nomen domini in vanum recipere non formidant eisdem Præpoſito & conventui ſuper prædictis caſtris, villis & locis aliis terris, domibus, poſſeſſionibus juribus & jurisdictionibus fructibus, cenſibus, redditibus & proventibus eorundem & quibuscunque aliis bonis mobilibus & immobilibus, ſpiritualibus & temporalibus & divinis rebus, ad eosdem præpoſitum & conventum ac Monaſterium ſpectantibus, multiplices moleſtias & injurias inferunt & jacturas. Quare dictus præpoſitus & conventus nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile, pro ſingulis querelis ad apoſtolicam ſedem habere recurſum, proinde ipſis ſuper hoc paterna diligentia concurremus. Nos igitur adverſus occupatores detentores præſumptores moleſtatores & injuriatores hujusmodi illo volentes eisdem præpoſito & conventui remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios, etiam ſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis conſervatores & judices, præfatis præpoſito & conventui efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eosdem ſuper hiis & quibuslibet aliis bonis & juribus ad præpoſitum & conventum ac monaſterium prædictos ſpectantibus ab eisdem vel quibusvis aliis indebite moleſtari, vel eis gravamina ſeu dampna, injurias irrogari, facturi dictis præpoſito & conventui, cum ab eis vel procuratoribus ſuis aut eorum aliquo fueritis requiſiti de prædictis & aliis perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione hujusmodi, caſtrorum, villarum, terrarum & aliorum locorum, jurisdictionum, jurium & bonorum mobilium & immobilium, redditum quoque ac proventuum & aliorum quorumcunque bonorum, nec non de quibuslibet moleſtiis, injuriis atque dampnis præſentibus & futuris in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem ſummarie & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii: in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit juſtitiæ complementum occupatores detentores ſeu præſumptores moleſtatores & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles, cujuscunque ſtatus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque & quotienscunque expedierit per cenſuram eccleſiaſticam auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc ſi opus fuerit, auxilio, brachii ſecularis non obſtantibus literis felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem & dioceſin, niſi in certis exceptis caſibus & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ dioceſis ad judicium evocetur ſeu ne judices & conſervatores a ſede deputati prædictam extra civitatem & dioceſin, in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere, ſive alii, vel aliis in eos ſuas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine dioceſis eorundem trahere præſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate præſentium non trahatur, ſeu quod de aliis quam de manifeſtis injuriis & violenciis, quæ judicialem indaginem exigunt penis in eos ſi ſecus egerint & in id procurantes adjectis conſervatores ſe nullatenus intromittant quam aliis quibuscunque conſtitutionibus apoſtolicis a prædeceſſoribus noſtris Roman. Pontificibus, tam de judicibus delegatis & conſervatoribus, quam perſonis ultra dictum noſtrum ad judicium non vocandis aut aliis editis, quæ noſtræ poſſent in hac parte jurisdictioni aut poteſtati ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a prædicta ſit ſede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi & interdici ſeu extra vel ultra dicta loca ad judicium evocari non poſſint, per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & earum perſonis & locis, ordinibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuscunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam noſtræ jurisdictionis explicatio in hac

parte valeat quomodolibet impediri & de quocunque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis hujusmodi ſit mentio ſpecialis. Cœterum volumus & apoſtolica auctoritate decernimus quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quum idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quodque a dátis præſentium ſit vobis & unicuique veſtrum in præmiſſis omnibus & eorum ſemotis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, perpetuata poteſtas & jurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus cœptis & non cœptis præſentibus & futuris & pro prædictis procedere ac ſi prædicta omnia & ſingula coram nobis cœpta fuiſſent & jurisdictio noſtra & cujuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſe conſtitutione prædicta ſuper conſervatoribus alia quacunque in contrarium edita non obſtante præſentibus poſt terminum minime valituris. Datum Avinion. X. Kal. decembris pontificatus noſtri anno quarto.

Inſuper & literas ſubdelegationis ſupra dicti domini *Hinrici Præpoſiti Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Stetynenſis*, ejus vero ſigillo ſigillatas, omni vitio & ſuſpicione carentes, pro parte prædictorum præpoſiti & conventus monaſterii novimonaſt. prædicti, alias in Bardesholm præſentatas nos recepiſſe reverenter noveritis ſub hac forma: *Hinricus de Tzorbendorp*, præpoſitus eccleſiæ ſanctæ Mariæ Virginis *in Stetyn*, Camynenſis dioceſis, judex & conſervator, Religioſis viris, præpoſito & conventui monaſterii *novi Monaſterii al. in Bardesholm*, ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis dioceſis per præpoſitum ſoliti gubernari juxta formam conſervatoriorum quæ incipiunt - - militanti Eccleſiæ & una cum ſubſcriptis noſtris collegis cum clauſula quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum &c. a ſede apoſtolica deputatus honorabili Viro domino Everhardo de Wampen præpoſito Gripeswaldenſi ejusdem Caminenſis dioceſis ſalutem & ſempiternam in domino caritatem. Noveritis nos literas ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Gregorii divina providentia Papæ XI. ejus vera bulla plumbea in filo canapis more Romanæ curiæ bullatas, non cancellatas non vitiatas non abolitas nec abraſas neque in aliqua ſui parte ſuſpectas ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes nobis pro parte prædictorum religioſorum Virorum præpoſiti & conventus Monaſterii novi Monaſterii alias in Bardesholm ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis prædictæ, præſentatas cum ea qua decuit reverentia recepiſſe principii & finis ſub hac forma, prout ſupra eſt expreſſum. Cum igitur exequutioni dictarum literarum Apoſtolicarum & deſciſioni hujusmodi cauſarum ſeu cauſæ ad præſens intereſſe commode non poſſimus & nequeamus intendere variis & arduis noſtræ eccleſiæ & noſtris negociis & multiplicibus diſcriminibus legitimis præpediti diſcretioni veſtræ, de qua ſpeciale habemus confidentiam committimus in præmiſſis vices noſtras prout ex beneficio dictarum literarum apoſtolicarum poſſumus in præſentibus cauſis audiendis decidendis & fine debito terminandis donec eas ad nos duxerimus revocandas per hanc vero noſtram ſubdelegationem volumus non revocari ſubdelegationes alias quas fecimus aut facimus aut faciemus ſub hac formaaliis ſubdelegatis, ſed durare donec expreſſe patuerit per alias noſtras patentes literas nos ipſas revocaſſe, nec nobis aut noſtris collegis intendimus aliquod præjudicium gravare quo minus poſſimus & valeamus in præmiſſis & aliis negotiis jam cœptis & non cœptis uti & frui libere vobis tradita per prædictas literas apoſtolicas poteſtate. Datum *Stetyni* Anno domini Milleſimo CCC. ſeptuageſimo ſeptimo die Mercurii menſis Julii viceſima nona noſtro quo utimur ſub ſigillo. 1377.

Poſt quarum literarum præſentationem *Otto de Oſta, clericus Lubicenſis dyoceſis*, Procurator *prædictorum præpoſiti & conventus monaſterii Novimonaſterii alias in Bordesholm* pro parte dictorum dominorum ſuorum coram nobis communiter conquerendo propoſuit, quod *Hinricus Comes Holſatiæ*, dominus Hennynghus *Meynerſtorp* miles, Otto *Meynerſtorp* alias dictus *Koler*, Otto Reme famuli, nec non Gotſcalcus de Borghisdorpe Mako frater ejus, Viko Voghet, Herderus Bredevoot Johan Eddelen Sone, Henneke Everdes Make Peters Otto Reymers Schele de Brammer, Eler Kedel, Eler Stake, Otto Schele, Hoop & Bochmaſt, villani dicti comitis in hac parte complices prædictos dominos ſuos præpoſitum & conventum ac Monaſterium in Bardesholm prædictum redditibus & quibusdam aliis rebus ſpoliarunt ac alias offenſas fecerunt in Dei omnipotentis offenſa & dictorum præpoſiti conventus & Monaſterii prædictorum dampnum præjudicium non modicum & gravamen. Quare petiit idem procurator nomine quo ſupra *contra prædictos Comitem & ſuos complices* fieri juſtitiæ complementum. Nos igitur Everhardus prædictus judex & conſervator prædictus attendentes, quod juſta petentibus non ſunt deneganda, hujusmodi mandatum exequi volentes ut tenemur, juxta a ſede apoſtolica traditam nobis formam Vobis omnibus & ſingulis, qui præſentibus fueritis requiſiti in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, quam in quemlibet veſtrum hujusmodi noſtris mandatis, ymo verius Apoſtolicis non parentem poſt trium tamen dierum ſpatium vobis & cuilibet veſtrum pro trina & canonica monitione aſſignatum ferimus in nomine

ne nomini in hiis ſcriptis diſtricte præcipiendo mandamus quatenus uno edicto pro tribus & peremptorie ad noſtram citatis præſentiam dominum Henricum *comitem Holtzatiæ ut triceſima die* a notificatione præſentium *continue computando*, ſi fuerit dies *juridica*, alias *proxima die juridica* ſequenti nec non dominum Henninghum Meynerſtorp militem, Ottonem Meynerſtorp alias dictum Koler, Ottonem Reme famulos, nec non Gotſcalcum de Borghiſtorpe, Makonem fratrem ejus, Vickonem Voghet, Gerderum Bredevoot, Johannem Ver Eddelenſone, Hennekinum Everdes, Makonem Peters Ottonem Reymers Schelen de Brammer, Elerum Kedel, Elerum Stake, Ottonem Schelen Hoop & Bochmaſt villanos dicti comitis prædictos, ut *quadrageſima die* a notificatione præſentium ſi ipſa fuerit dies juridica, alias die juridica proxime ſubſequenti, ſi eorum copiam habere poteritis principalem, alioquin eorum procuratores aut locatenentes & alias in eccleſiis veſtris ita publice, ne ignorantiam prætendere valeant aliqualem, quos & nos præſentibus ſic citamus, ut coram nobis *Gripeswaldæ*, *Camynenſis dioceſis*, compareant terminis præ expreſſis ſuper præmiſſis & infra ſcripto ſeu literis apoſtolicis expreſſis ac aliis dictorum præpoſiti & conventus ſeu eorum procuratorum querelis legitime de juſtitia reſponſuri, recepturi, docturi, facturi & proceſſuri gradatim usque ad diffinitivam ſententiam prout dictaverit juris ordo, cum intimationæ, quod ſive venerint ſive non, in quantum de jure poterimus, in præmiſſis procedemus, hæſitantibus de noſtra jurisdictione fidem faciemus termino & loco memoratis; Requiſiti reddite præſentia veſtris ſigillis in ſignum fidelis executionis ſigillata cum ſcedulis transfixis continentibus, ubi, quando ac coram quibus hujusmodi *noſtrum mandatum ymo verius apoſtolicum*, fueritis exequuti pœna & monitione ſub præmiſſis. Actum Gripeswald Anno domini M. CCC. ſeptuageſimo ſeptimo, feria quarta ante feſtum beati Laurentii Martyris glorioſi, noſtro ſub ſigillo.

CCLVII.

Compromiſſum inter Conventum Bordesholm & Plebanum Eccleſiæ in Nordorp, per Notarios vidimatum de quibusdam litibus & controverſiis finiendis.

1378. In Nomine domini amen. Anno nativitatis ejusdem Milleſimo, trecenteſimo ſeptuageſimo VIII. Indictione prima, menſis Auguſti die XIX. hora 6. vel quaſi, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac domini noſtri domini Urbani, digna Dei providentia papæ VI. anno primo, perſonaliter conſtituti coram honorabili viro, Domino Hinrico *Tzorbendorp*, præpoſito *Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Stetinenſis*, Caminenſis dioceſis, judice & conſervatore religioſorum Virorum dominorum Præpoſiti, Canonicorum & Conventus novi Monaſterii alias in *Bardesholm*, ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis, in noſtrique Notariorum publicorum & teſtium infra ſcriptorum præſentia, honorabiles & diſcreti Viri, domini Reynerus Vlemmynghude, canonicus regularis, dictorumque præpoſiti, Canonicorum & conventus Procurator & Syndicus, ut aſſerunt, ex una, ac *Johannes Nabith*, Rector parochialis Eccleſiæ in *Nordorpe ejusdem Brem. dioceſis*, parte ex altera ſuper omnibus & ſingulis litibus, cauſis, diſſenſionibus, diſcordiis & controverſiis huc usque inter prædictas partes motis ſeu habitis in eundem dominum Hinricum præpoſitum tanquam in arbitrum, arbitratorem, aut amicabilem compoſitorem concorditer compromiſerunt, prout in quadam papiri cedula ibidem tunc producta & perlecta plenius continetur, cujus tenor ſubſequitur & eſt talis:

In nomine domini amen. &c. Coram honorabili viro domino Hinrico Tzorbendorp præpoſito Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Virginis Stetinenſis, Caminenſis dioceſis, conſervatore ſeu judice in hac parte a ſede apoſtolica deputato conſtituti, Reverendi viri, domini *Reynerus Vlemmynghude*, *Procurator & ſindicus* honorabilium Virorum dominorum præpoſiti & conventus ſive *Monaſterii canonicorum regularium in Bardesholm*, *alias in Nyemunſter*, ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſ. pro ſe & conventu ſive Monaſter. ſuo de & ſuper quibusdam injuriis, diſſenſionibus, diſtractionibus diſcordiis, intereſſe & expenſis, nec non Johannes Nabyth, Rector Parochialis eccleſiæ *in Nordorpe* dictæ dioceſis, ſuper quibusdam debitis, oblationibus ac aliis in quibus aſſerit ſubditos dictorum dominorum præpoſiti & conventus ſive Monaſterii ſibi obligatos, nec non ſuper incidentibus, emergentibus, dependentibus & connexis ex eisdem ac aliis inter partes & ſubditos exortis hucusque in diem præſentem in dictum dominum Hinricum præpoſitum ex certa ſcientia unanimiter & bona voluntate meliori modo & forma de alto & baſſo tanquam in arbitrum, arbitratorem ſive amicabilem compoſitorem & bonum virum compromiſerunt, ita videlicet, quod quicquid ipſe dominus præpoſitus, arbiter, arbitrator ſive amicabilis compoſitor dictaverit, laudaverit aut diffinierit in præmiſſis aut præmiſſorum quolibet in ſcriptis & ſine ſcriptis die feriato vel non feriato, partibus præſentibus vel non præſentibus, vocatis vel non vocatis, infra hinc & diem dominicam proximam in hoc partes ipſæ ſtare velint & debebunt contentæ, & in nullo contravenire. Arbitratores inſuper per ſolempnem ſtipulationem omnia & ſingula præmiſſa ſub decem marcarum puri argenti pœna quam pars non obtemperans parti ſervanti arbitrium ſive ſententiam & prædicti arbitrii

arbitratoribus seu amicabilibus compositoribus solvere sit astricta, reservata per prædictum dominum Hinricum præpositum, Arbitrum arbitratorem aut amicabilem compositorem in & contra non obtemperantem sibi cohercitione. Acta sunt hæc *Lübecæ in capella sancti Johannis Evangelistæ super arena ibidem*, anno, indictione mense, die, hora & pontificatu, quibus supra, præsentibus honorabilibus viris dominis *Johanni Biscop*, decano *Verdens.* Alberto *Rodenborch*, Canonico *Lübecensi*, Bernardo *van deme Breke*, Rectore Ecclesiæ in *Mummendorpe Razeburgensis diocesis*, Thyderico *Colpin*, Presbitero *Zuerinensis diocesis*, ac *Ottone de Osta* clerico *Lubecensi*, notario publico, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego *Marquardus Johannis de* HEYDEEU, *clericus Slesvicensis*, publica auctoritate Imperiali Notarius, hujusmodi compromisso & arbitrio, aliisque omnibus & singulis præmissis una cum Notario & testibus supra dictis præsens personaliter interfui, ea quæ sic fieri vidi & audivi, in hanc formam publicam diligenter redegi, cui signum solitum & consuetum meum appposui rogatus & requisitus in testimonium omnium præmissorum.

Et *Ego Otto de Osta*, *clericus Lubicensis*, publicus auctoritate Imperiali Notarius hujusmodi compromisso & arbitrio aliisque omnibus & singulis præmissis una cum notario & testibus supra dictis præsens personaliter interfui, ea quæ sic fieri vidi & audivi, per Marquardum ipsorum Mandatarium scribi feci & in hanc formam publicam redegi, quod signo & nomine meis solitis & consvetis signavi, rogatus & requisitus in Testimonium omnium præmissorum.

CCLVIII.

Nicol. Poppe Officialis Bremensis per Notarios & testes transumit & vidimatione confirmat fundationem quandam Vicariæ sanctæ crucis in Ecclesia parochiali Kil. olim a testatore Johanne Vetel instauratam cui pagus Prodenstorp ejusdemque reditus legati sunt.

1378. *Nicolaus Poppe* Officialis curiæ Bremensis generalis, universis & singulis ad quos præsentes literæ nostræ pervenerint Salutem in domino.

Comparentibus coram nobis in judicio providis & honestis viris, *Ottone Krusendorff*, proconsule, *Johanne Cordes & Marquardo Pul*, consulibus *opidi Kyl*, pro se & nomine proprio ac tocius consulatus dicti opidi Kil nomine, Nos ex officio eosdem Proconsulem & Consules de & (*super*) quadam litera confirmationis perpetuæ vicariæ altaris sanctæ crucis, siti in ecclesia parochiali sancti Nicolai, dicti opidi Kil, majori sigillo felicis recordationis domini Alberti quondam sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopi sigillata, quam pro tunc in manibus nostris tenebamus & olim apud consulatum dicti opidi Kil ad fideles manus deposita & modo falsa & abrasa, cujus tenor de verbo ad verbum inferius describetur, interrogavimus diligenter an ipsi eo tempore, quo dictam literam confirmationis apud se habuerunt in deposito, dicta litera fuerat integra & illæsa, interrogantes eosdem ulterius, utrum ipsi Proconsules & Consules dictam literam confirmationis de se illæsam & integram præsentarunt, qui quidem Otto, Proconsul, pro se & nomine totius consulatus dicti opidi Kil deliberatus respondit in hunc modum, quod parati essent hoc docere certis & legitimis documentis, quod ipsi Proconsules & Consules dictam literam confirmationis per nonnullos annos apud se integram & illæsam sub fideli custodia in depositio habuerunt & cucustodierunt, quodque ulterius parati essent ad hoc facere, prout merito de jure tenerentur & deberent, quod eandem confirmationem cuidam Kristiano filio Iangen Reymerus & Elisabeth suæ sorori ac Johanni Royenhus marito dictæ Elisabeth pro tunc proconsuli dicti opidi Kil integram & illæsam de se præsentarunt. Quibus factis Nos officialis antedictus interrogamus ex officio discretos viros dominum Martinum Lemeghow præpositum - - ficiatus altaris sanctæ crucis antedicti & Heliam Munter clericum opidanum in Kil ibidem præsentes, an aliquid haberent opponere & dicere contra præmissos proconsulem & consules occasione præmissorum, qui quidem dominus Martinus & Helias responderunt singillatim unus post alium, quod contra Proconsules & consules Kilonenses non haberent aliquid opponere occasione præmissorum, & scirent eos inculpabiles in præmissis. Deinde nos assignavimus dictis Proconsuli & consulibus crastinum diem ad horam tertiam ad faciendam majorem fidem de dicta litera confirmationis sic quod apud eosdem Proconsules & consules permansit integra & illæsa & quod ipsam literam de se integram & illæsam præsentarunt. Tenor vero dictæ literæ confirmationis de verbo ad verbum sequitur & est talis.

Albertus Dei & apostolicæ sedis gratia, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis & singulis ad quos præsentes literæ nostræ pervenerint, salutem in domino sempiternam. Tanto libentius piis devotorum affectibus consensum præbere tenemur, quanto potiora deo servicia & animabus remedia subministrant. Hinc est quod honorabiles & discreti viri *Johannes Vysch & Tidemannus Havendorp* proconsules, *Langeheymer & Wibe* ejus uxor, cives opidi Kilonensis, nostræ diocesis executores testamenti & testamentarii discreti viri *Johannis dicti Vetel* quon-

quondam laici bonæ memoriæ, qui in ſuo teſtamento quandam pecuniarum ſummam, ad quandam perpetuam *vicariam in honorem ſanctæ crucis in Eccleſia beati Nicolai, dicti opidi Kylonenſis inſtaurandam, fundandam, dotandam & perpetualiter confirmandam* legaverat & aſſignaverat, cum qua quidem pecuniarum ſumma villam dictam *Prodenſtorp*, ſitam *in parochia Kilonenſi* pro ſupplenda dicti teſtatoris voluntate & inſtauranda dicta vicaria compararunt, dictamque villam Prodenſtorp ad dictam perpetuam vicariam in capella ſanctæ crucis eccleſiæ parochialis Kilonenſis prædictæ erigendam pro ſalute & perpetua requie animarum ſuarum & dicti teſtatoris & principalis fundatoris cum omnibus ſuis libertatibus, proprietatibus, utilitatibus, commodis, fructibus, redditibus, proventibus & pertinentiis univerſis, una cum omnibus manſis, agris, ſilvis, paſcuis, pratis, piſcaturis, paludibus, aquis, aquarum decurſibus, jurisdictionibus & omnium cauſarum cognitionibus & exceſſuum correctionibus, *judicio majori, mediocri & minori, manus & colli*, & plane prout eadem villa in ſuis conterminis ſita eſt, & hactenus fuerat ſituata, & prout eam plenius, liberius et commodoſius dicti Johannes Viſch & Tydemannus Honendorp & prædeceſſores ſui a quibus dictam villam compararunt, in ſua poſſeſſione habuerunt & poſſederunt, tanquam teſtamentarii & proviſores penitus reſignarunt, & ad dictam vicariam inſtaurandam, dotandam, fundandam & perpetualiter confirmandam libere deputarunt, nobisque Archiepiſcopo ſupra dicto eandem villam pleno jure dimiſerunt, ac bona & libera voluntate aſſignarunt, pro inſtauratione, fundatione & dotatione perpetuæ vicariæ memoratæ rogantes nos inſtantiſſime & cum effectu, quatenus conſenſum noſtrum eorum piis & devotis affectibus ad dictæ vicariæ inſtaurationem, fundationem & dotationem perpetuam præbere ac ipſam vicariam perpetue valituram approbare & confirmare dignaremur. Nos igitur attendentes prædictorum Executorum, ipſiusque legatoris ſeu teſtatoris juſtis petitionibus & votis, nullatenus fore reſiſtendum, ymo magis gratuite annuendum fore, prædictam vicariam in dicta capella ſanctæ crucis eccleſiæ Beati Nicolai Kilonenſis ſæpedictæ, ut præmittitur per prædictos fundatam inſtauratam & dotatam jam actu & præſentibus acceptamus, approbamus, ratificamus in nomine domini in hiis ſcriptis quoque confirmamus in dicta capella & in honorem ſanctæ crucis perpetue duraturam, annuentes etiam & tenore præſentium conſentientes, ut ejusdem vicariæ præſentatio & Juspatronatus apud prædictos Langen Reymer & Wiben ejus uxorem & eorum heredes permaneant & ad ipſos ſpectare - - dinoſcatur perpetuis temporibus pleno Jure, inſtituentes etiam per præſentes prout alias inſtituimus, Nicolaum Viſch clericum nostræ dioceſis ad eandem vicariam per jam dictos patronos rite & canonice nobis præſentatum conferendo eandem vicariam ſibi per annuli noſtri traditionem cum plenitudine juris vicarii & vicariæ ſupradictæ, licentiamus etiam vicario ſæpedictæ vicariæ, qui pro tempore fuerit ut coram altare dictæ vicariæ et in capella ſanctæ crucis prædicta ſe præparet et induat ſacerdotalia veſtimenta, ne propter longam loci diſtantiam eundo de armario dictæ Eccleſiæ ſancti Nicolai ad ipſam capellam ſacerdos in ſua devotione diſtrahatur, vel alia diverſimode incurrat impedimenta inopinata, jure tamen Rectoris parochialis Eccleſiæ ſæpedictæ in omnibus ſemper ſalvo. In quorum omnium et ſingulorum evidens teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in caſtro noſtro Vordis Anno domini M. CCC. LXX. octavo, die Lunæ proxima poſt feſtum beatæ trinitatis. Acta ſunt hæc *Stadis* in monaſterio ſancti Georgii Stadenſis in præſentia honorabilium et religioſorum virorum dominorum Hartwici *Abbatis Monaſterii beatæ Mariæ Virginis extra muros Stadenſes*, ordinis ſancti Benedicti, Bremenſis dioceſis, *Johanne* præpoſito *Monaſterii ſancti Georgii Stadenſis*, Hinrico ejusdem monaſterii *ſancti Georgii priore*, Hinrico Pouer *in Hilghenſtede*, Conſtantino *de Vechta in Nortleede* eccleſiarum Rectoribus, Mathia *Unker* et Syfrido *Peynis* Presbyteris Bremenſis dioceſis ſub anno incarnationis domini M. CCCC. XXI. indictione XIIII. menſis Aprilis die XIIII. hora veſpera vel quaſi Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac domini noſtri, domini Martini, divina providentia papæ quinti anno quarto. Deinde anno, indictione, menſe loco, quibus ſupra, die XV. ejusdem menſis, hora terciarum viris ante dictis Ottone Kruſendorp, Johanne Vordes et Marquardo, nomine quo ſupra, coram nobis legitime comparentibus ad faciendum coram nobis majorem fidem de præmiſſis produxerunt quoddam publicum inſtrumentum manu cujusdam Frederici Stroduck notarii publici, clerici monaſteryenſis dioceſis de anno domini M. CCCC. VII. de menſe Marcii die tertia hora veſperarum, ſub pontificatu domini Gregorii papæ XII. anno ejus primo conſcriptum et ſignatum, ac reverendi in Chriſto Patris et domini domini Johannis bonæ memoriæ epiſcopi Lubicenſis ſigillo ſigillatum in quo clare demonſtrabat, quod ipſi Proconſules, et Conſules Kilonenſes dictam literam confirmationis de ſe omnino illæſam et integram præſentarunt. Ad majorem fidem producentes teſtes ydoneos et fide dignos videlicet dominos Nicolaum Moller et Hinricum Cale presbiteros, qui recognoverunt, ſe fuiſſe præſentes, quum dicti Proconſules et Conſules Kilonenſes dictam literam confirmationis dicti altaris ſanctæ crucis de ſe *ſituam* (*) integram & illæſam præſentarunt dictis Kriſtiano Filio Langen

Johannes, dei & apoſtolicæ ſedis gratia, 1407. *Epiſcopus Lübecenſis*, Salutem in domino. Ad omnium & ſingulorum, ad quos præſentes noſtræ literæ, ſeu præſens publicum inſtrumentum pervenerint, deducimus notitiam per præſentes, quod in noſtra & notarii noſtri præſentia perſonaliter conſtitutus religioſus Vir, dominus *Joachimus Brunne Canonicus regularis in Bardesholm*, Bremenſis dioceſis, tam *ſui* quam *præpoſiti*, *Prioris & totius Capituli nomine* quasdam patentes literas, ſigillo quondam Reverendiſſimi Patris, domini *Ottonis Archiepiſcopi Bremenſis*, ut apparuit, ſigillatas, non raſas, non cancellatas, non abolitas ſed prorſus omni ſuſpicionis vitio carentes produxit coram nobis, quarum tenor per ordinem ut fuit, ſequitur & eſt talis. *Otto* Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ *bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus*, univerſis & ſingulis præſentia viſuris ſeu audituris,, ſalutem in domino. Exigit officii noſtri debitum &c. (*) Quibus quidem literis receptis & diligenter examinatis, dictus dominus Joachimus nobis ſupplicavit, quatenus easdem literas, quas propter pericula viarum & alias ad loca remota deduci, & hinc inde deportari minus foret tutum, per Notarium noſtrum auſcultari, transſumi & exemplari mandaremus, ac transſumto & exemplato hujusmodi ut eisdem velut literis originalibus fides indubia adhiberetur, auctoritatem noſtram & decretum interponere dignaremur. Nos igitur ſupplicationibus hujusmodi favorabiliter annuentes, literas ſupradictas per Fredericum Notarium noſtrum auſcultari exemplari & in præſentem formam publicam transſumi mandavimus & fecimus. Et quia poſt diligentem examinationem & auſcultationem per nos factas idem transſumtum hujusmodi cum originalibus prædictis reperimus per omnia concordare, ideoque auctoritatem noſtram & decretum interpoſuimus & præſentibus interponimus, ac decrevimus & decernimus transſumpto præſenti, ſicuti literis originalibus fidem indubiam ubilibet fore adhibendam. In evidentiam igitur & teſtimonium omnium præmiſſorum, præſentes literas noſtras ſeu præſens publicum inſtrumentum duximus appenſione ſigilli noſtri roborandas. Datum & actum Lubec. in curia noſtra epiſcopali ſub anno a nativitate domini Milleſimo, quadringenteſimo ſeptimo, indictione quinta decima, die Jovis ſexta menſis Januarii & hora VI. vel quaſi, præſentibus ibidem diſcretis viris, dominis *Marquardo Schiphere* & Hinrico *de Horſten* Presbiteris, canonico Eccleſiæ *Uthinenſis* & perpetuo Vicario parochialis Eccleſiæ *in Radekowe* Lubicenſ. dioceſis, teſti-

teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego Fridericus Strödyngh, Clericus Monaſterienſis dioceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius. Quia prædictarum literarum productioni, ſupplicationi auſcultationi, auctoritatis & decreti interpoſitioni, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideoque de mandato dicti reverendi patris hoc præſens publicum inſtrumentum per me ſcriptum exinde confeci, publicavi & in hanc publicam formam redegi, quam ſigno & nomine meis ſolitis & conſuetis una cum appenſione ſigilli ejusdem venerandi patris & domini, domini Johannis epiſcopi præfati, ſignavi rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

(*) Vide *ſupra ad an. 1400.*

CCLXXXVII.

Swyn von qualen, Knape, verkaufft dem Cloſter Bardesholm das Dorff Kerſtorffers-harge cum pertinentiis, addita Evictione, & reſignatione oder Erff Sele.

1408. Vor al den ghenen, de deſſen yeghenwardighen bref ſeen unde hören leſen, bekenne ick *Swyn von Quale, Knape*, dat ick unde mine Erven myt wolberadenem mode unde vulbord al der ghennen, de ere vulbord hir plichtich ſyn to thoghevende, hebbe vorkofft unde vorlaten to enem ſteden vaſten ewighen ervekope, den Erliken gheeſtliken Heren *Johanne, Proüeſte*, hern *Hinrike Prior und den gantzen ghemenen Conventes-Heren des Cloſters to Nyemünſtere*, anders gheheten *Bardesholm*, unſe dörp gheheten is *Kerſtorffers-harghe*, beleghen an deme Kerſpele to der *Brügghe*, in deme *Stichte* to *Bremen*, myt alle ſyner tobehöringe, alſe datſülve dorp in al ſiner veltſchede beleghen is, vor 500. marck unde vertich marck Lübeſcher ghuder Penninghe, de deſſe vorbenömede heren uns to dancke, unde to willen wol bereth hebben, den erſten Penningh myt deme leſten unde ganzliken in unſe nüth ghekeret hebben. Dyt vorbenömede dörp unde ghued hebbe wy en verkofft, alſo vry unde unbeworen alſe wy, unde unſe Erven effte vorvaren, dat ye vrigeſt an unſen weren hadden unde beſeten hebben, unde alſe dat in aller ſiner ſchede beleghen is, unde uns, unde den unſen dar nicht an tobeholdende myt all ſiner tobehöringhe, myt holte myt ackere, buwet unde unghebuwet, myt weyde unde myt wiſſchen, myt viſcherie unde myt aller nüth unde vrucht, de van deſem vorbenömeden ghude komen möghen, beyde dröghe unde nath, myt alme Rechte unde gherichte myt *deme högheſten unde ſydeſten, alſe an hals unde an hand.*

Were ock, dat gement deſſe vorbenömede heren in deſſem vorſchreven kope unde ghude *hinderen, edder beweren wolde*, dar ſchöle wy unde willen ſe an entrechten, *unde entvrygen, van aller anſprake van alle den ghenen, de vor Recht komen willen*; unde hebben deſſen ſulven heren *laten enen vryen Erffzele uppe dit ſülve ghud vor deme Kerſpele to der Brügghe*, alze in deme lande to Holſten en recht is, unde ſchölen unde willen vord en tho deſeme ghude duen, des en to deſeme kope nütte is unde alle dyngh to deme beſten keren, ſunder arch. Dyt love ick *Swyen van quale* vorbenömet nnde *Torff, myn ſone*, vor uns, unde vor unſe Erven; unde vorder loven myt uns deſſe erliken lüde *Brüneke van Tralowe* unde *Marquard Breyde* de Jünghere, *Marquardsſone*, in ghuden Truwen deſen vorbenömeden gheeſtliken hern unde eren Nakomelinghen unde loven vord to erer truwen hand, den erliken lüden, hern *Wulff Pogwiſchen* deme olderen, *riddere*, *Hartwich Pogwiſchen* ſinem brodere, hern *benedictus*, heren *wulve* dem Jünghern *Pogwiſchen Rydderen*, *Clavveſe van der Wiſche Otten vam deme Knope*, *Ivven unde Otten Pogvviſchen*, broderen, unde *Marquard Wulve, Knapen.* Alle deſſe vorſcreven Stücke ſtede unde vaſt to holdende ſunder arghelíſt unde hülprede, de uns unde unſen Erven hyran möghen to hulpe komen, unde deſſen vorbenömeden gheeſtliken heren unde eren Nakomelynghen yenegherleye Wyes to ſchaden. To tüghe unde gröter bewiſinghe ſo hebbe wy Swyn van quale, unde Torff von quale myn ſone, myt unſen *medeloveren*, *Bruneken* unde *Marquardes* vorbenömt unſe Ingheſeghele myt willen unde Witſchop ghehenghet laten, an deſſen yeghenwardeghen Bref, de ſcreven und gheven is, na ghodes bort duſent Jar veerhundert Jar, darna an deme achteden Jare in ſünte Katherinen daghe der Hilghen Junckvrowen.

IV. Sigilla.

CCLXXXVIII.

Juncker Diderich Bredenvlet umb ſeine und ſeiner Eltern Seligkeit cediret an das Cloſter Bardesholm alle ſeine gerechtigkeit an das im Kirchſpiel Biſshorſt belegene gut.

1409. Vor al den ghenen, de deſſen yegenwardighen breff zeen unde hören leſen, bekenne ick *Dyderick Bredenvleet*, de oldere, knape, dat ick den erliken Heren Proveſte, Priore und dem ghantzen Convente *des Cloſters to Nyenmünſter*, anders gheheten *Bardesholm vorlaten hebbe*, unde *velate* an deſſer yeghenwardighen ſchrifft, dorch ſalicheyt willen *myner Zele unde myner olderen*

effte ick unde myne Olderen yenigerleye anſprake edder Rechtecheyt had hebbe, edder noch hadden op ere gud, dat dar beleghen is an deme Karſpele to *Byſshorſt*, alſe dat *mönekerecht*, unde vort wes ſe dar hebben, alſe ere Breve uthwiſen, de ſe van der Herſchop darup Hebben, dar ſchal ick unde wil, unde myne erven deſſe vorbenömede Heren, unde ere Nakomelinghe nerghen mede ane hinderen myt anſprake, effte beweren yenigherleye wyſe to ewighen tyden. Dyt love ick Dyderick vorbenömet vor my unde vor myne erven deſſen vorſchreven Heren, unde eren Nakomelinghen, unde love vort to erer truwen hand Hern *Hartich Heeſten*, ridder, *Bertrame Heeſten* Knapen, *ſynem Zone*, unde vordan al den ghennen, de deſſen Breff Hebben mpt Willen deſſer vorbenömeden Heren alle deſſe vorſchreven ſtücke ſtede unde vaſt to holdende in ghuden truwen, ſunder yenigherleye hülperede to nemende, de deſſen vorbenomeden Heren yenigherleye wyſe moghen komen to Schaden, unde my unde mynen vründen to vromen. Hir Hebben over weſen de erbaren lude, alſe Her *Hartich heeſten* Rydder, unde *Dyderik Bredenvlet*, (*) de Junghere Knape, de dorch gröterer Botüginghe unde Bewyſinghe wyllen myt My ere Ingheſeghele myt Witſchop unde myt willen ghehenghet Hebben, vor deſſen yeghenwardighen Breff, deſchreven unde gheven is, na der bord unſes Heren verteynhundert Jar dar na an deme negheden Jare, an ſünte Marien Magdalendaghe, der Hilgen vrowen.

(*) *Das wapen der Bredenvleten führet einen auf 4. füßen ſtehenden löwen, mit einem krummen Schwanz über den rücken.*

CCLXXXIX.

Hartwich Powiſchen obligation auff 62. marc. ausgegeben an das Cloſter Bardesholm.

1410. Vor all den, de deſſen yeghenwardighen Breff zeen unde hören leſen, bekenne ick *Hartich Pogwiſch*, Knape, dat Ick unde myne erven ſchuldich ſynt van rechter ſchult weghen den erliken gheſtliken heren des cloſters to dem Bardesholme, twe unde ſöſtich marck penninghe, alſe to Lüb. unde tho Hamborch ghenghe unde gheve ſynt, de twelff mark ſynt *van des* KALANDES *weghen to dem Kyle*, unde de Veſtich marck van heren Hartich Wulves weghen preeſters, deme god gnedich zy. deſſe vorben. ſomme pennighe ſchölen myne kyndere effte myne eruen bereden unde betalen na mynem dode, des neghſten ſunte Mertensdaghe darnegheſt volgende deſſen vorben: heren ſunder yenegherleye hynder, vortögheringhe effte hülprede to nemende, de deſſen vorſcreven heren in deſſer vorſcreven beredinghe to ſchaden komen möghen. Dyt love ick Hartich vorbenömet, myt Hartighe mynem ſone, vor uns und vor unſe erven deſſen vorbenanten heren und eren Nakomelynghen ſtede und vaſt tho holdende ſunder yenigherleye arch, effte arghelift. To Tüghe ſo hebben *ick unde myn ſone Hartich* vorben: unſe Ingheſeghele ghehenghet heten vor deſſen Breff, de ſcreven is na der bord unſes heren veerteynhundert jar, darna an deme teyenden jare, an ſünte Fabianus unde Sebaſtianus daghe der Hilghen mertelere.

CCXC.

Varia inſtrumenta confœderationis monaſticæ inter Monaſterium Bardesholmenſe & Jaſnitzenſe initæ quibus Conventus in Jaſenitz denuo, ſe obligat Monaſterio in Barsholm, ſe omnia olim inter ſe accepta privilegia ratihabiturum; cum recenſione quorundam articulorum hujus ordinis.

In nomine domini amen. Anno nativitatis ejusdem Milleſimo, Quadringenteſimo undecimo, indictione quarta, die vero veneris duodecima menſis Junii, hora meridiei vel quaſi, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Johannis, divina providentia Papæ XXIII. Anno ejus ſecundo, in mei Notarii publici, teſtiumque infra ſcriptorum adhoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia perſonaliter conſtituti, Venerabiles & religioſi Viri, domini Johannes *Ecghardi Præpoſitus*, *Henricus Swartekop prior Novimonaſterii*, *alias in Bardesholm ordinis ſancti Auguſtini*, Bremenſis dioceſis, coram venerabilibus & religioſis viris, dominis *Symone Elwer* Præpoſito, *Jacobo Loytzentin* priore, totoque capitulo Canonicorum regularium Monaſterii montis ſanctæ Mariæ Virginis *in Jaſnitze* ejusdem Ordinis ſancti Auguſtini Caminenſis dioceſis, in domo ejusdem domini præpoſiti in Jaſnitze unanimiter convocatis, & capitulariter congregatis, exhibuerunt, præſentarunt & rnderunt (reſponderunt) publice coram eisdem ac de verbo ad verbum legi mandaverunt quoddam inſtrumentum publicum ſeu tranſumptum copiarum quorundam Privilegiorum, ex tribus *peciis* (germanice Stücken) conſutum, cum filo blavio, ſcriptum, ſubſcriptum manu & ſigno, ut prima facie apparebat cujusdam *Marquardi Johannis*, *clerici Sleſwicenſis*, Imperiali auctoritate Notarii, in conſuitione & inferius ſignatum, non abolitum, non cancellatum, non vitiatum non abraſum, nec in aliqua ſui parte ſuſpectum, ſed omni prorſus vitio & ſuſpitione carens. Cujus quidem inſtrumenti ſive tranſumpti tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis. 1411.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem Milleſimo treſcenteſimo, ſeptuageſimo quarto, indictione XII. menſis Marcii die ſecunda, hora terciarum vel quaſi, 1374.

si, Pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Gregorii, digna dei providentia papæ XImi anno quarto, personaliter constitutus in mei Notarii publici ac testium infrascriptorum præsentia, honorabilis vir & religiosus dominus, dominus *Stephanus*, præpositus *novimonasterii*, alias in *Bardesholm*, ordinis sancti Augustini Bremensis diocesis, nec non coram providis & religiosis Viris dominis, *Bertoldo Svarte*, priore, *Johanne raptore*, *Hinrico schapow*, *Thyderico*, *Bernardo*, *Nicolao Borchardi & Johanne Braxatore*, canonicis regularibus, conventus Monasterii montis sanctæ Mariæ Virginis in *Jasnitze*, ejusdem ordinis sancti Augustini Caminensis diocesis, in loco solito dicti monasterii adhoc specialiter insimul in unum unanimiter convocatis & capitulariter congregatis quorundam privilegiorum copias per me notarium infrascriptum produci fecit & legi mandavit, quorum tenores in registro hujusmodi conventus in Jasnitze de verbo ad verbum integre inveniuntur.

1287. Hinricus, dei gratia, Præpositus. *Hiddo* Prior, totumque capitulum *Novimonasterii*, dilectis in Christo filiis, Priori, totique conventui in *Gobelenhagen* in salutis auctore salutem. Amicorum conjunctio in Christo perfecta si fuerit, nec locorum nec temporum solvitur intervallo. Hinc est, quod vestræ dilectioni tenore præsentium declaramus, quod si de consensu vestri dyocesani fieri possit observandum ordinavimus, ut sicut nos unius regulæ professio, sic etiam uniformitas habitus, disciplina, consuetudines teneant obligatos, ita tamen, ut vestra ecclesia nostræ in omnibus, quo ad Deum, obediat, sicut matri filia de jure debeat obedire. Volumus etiam, ut nobis vestras personas,& e converso vobis nostras, sive plures, sive pauciores in necessitatis articulo, aut pro correctione vel disciplina invicem transmittamus, & personæ missæ erunt in plena perceptione præbendæ, tam in victu, quam in vestitu, sicut ibidem aliquis de conventu, chorum, refectorium & dormitorium servabunt, sed secretis dominorum non intererunt, nisi specialiter fuerint advocati. Ut autem hæc unionis ordinatio tam a vestra, quam a nostra Ecclesia firmiter observetur, præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine confirmamus. Facta vero est ista ordinatio a Wilhelmo vestræ Ecclesiæ priore Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, quarto Nonas Martii. Quibus lectis & per singula, ut præmittitur factis, præfatus dominus Stephanus præpositus, Bertoldum priorem, cœterosque canonicos regulares ejusdem monasterii in Jasnitze supradictos requirens, diligenter petens quod nichilominus super hiis instrumentum fieri formale ab eisdem, utrum ipsi supradicta privilegia eisdem monasteriis & ecclesiis & eorum cuilibet propter eorum utilitates invicem hinc inde data gratiose in vigore suo, prout sonant, tenere, habere & similiter vellent observare, sive non? His factis, domini prior & canonici regulares in Jasnitze supradicti, habita super hiis deliberatione diligenti, petitaque prædictorum privilegiorum copia, dataque eis in momento & decreta, non compulsi, non coacti, nec dolo aliquo circumventi, ymmo ex certa scientia sponte, libere & voluntarie unanimes deliberati, prælibato domino Stephano præposito responderunt, se omnia & singula privilegia supradicta in suo robore, prout sonant, velle firmiter permanere, irrefragabiliter tenere & observare, eisque nihilominus in omnibus & per omnia parere, obtemperare & irrevocabiliter obedire. Præterea prænominati domini prior & canonici in Jasnitze supradicti monasterii, præfato domino Stephano, præposito intime supplicarunt pia prece, quatenus præfatus dominus præpositus propter commoditates monasterii eorum supradicti, ipsis dominis priori, canonicis & conventui licentiaret, quod ipsi domini prior & canonici regulares in Jasnitze supradicti, sedecim personas, scilicet XII. presbyteros & duos dyaconos & duos subdyaconos, ad dictum monasterium & divinum cultum necessarias, colligere & habere licite possent & tenere. Ad hoc præpositus Stephanus supradictus eorum supplicationibus favorabiliter inclinatus gratiose annuens in omnibus, ut supra petitum est, ut præfati domini Prior, Canonici & conventus supradicti, sedecim personas, scilicet XII. presbyteros & duos dyaconos, & duos subdyaconos Monasterio & divino cultui necessarias tenere possent, habere deberent & de suo consensu & voluntate colligere licite secundum discretionem prælatorum, super quibus omnibus & singulis præfati prior & canonici in Jasnitze unum vel plura publicum seu publica per me Notarium infra adscriptum petierunt fieri instrumenta. Acta sunt hæc Anno, Indictione, mense, die, hora, loco & pontificatu quibus supra, præsentibus honorabilibus & religiosis Viris, dominis Alberto Canonico regulari monasterii in *Zegheberghe*, *Lübicensis diocesis*, Johanne Luman, canonico regulari Monasterii in Bardesholm ejusdem ordinis sancti Augustini, Bremensis diocesis nec non Hennyngho mynnenitze, rectore parochialis Ecclesiæ in Nyendorp, & Johanne Fabri, rectore scolarum in Poltze camminensis diocesis supradictæ, ac Johanne Blekendorp & Hennekino Schyphorsth, laicis dictæ diocesis bremensis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego *Marquardus Johannis*, *clericus Slesvicensis*, publicus auctoritate imperiali Notarius, hujusmodi Privilegiorum copiæ productioni, lectioni, inquisitioni & eorum responsioni ac petitionis suprascriptæ annuitioni, aliisque omnibus & singulis præmissis,

una cum prænotatis teſtibus præſens perſonaliter interfui, ea, quæ ſic fieri vidi & audivi, in hanc formam publicam penitus redegi, quam ſigno & nomine meis ſolitis ſignavi & conſvetis, rogatus & requiſitus in teſtimonium omnium præmiſſorum & ſingulorum.

CCXCI.

Graff Hinrich zu Holſtein, verpfændet dem Cloſter Bordesholm das gut in dem dorffe Tödeke belegen, ſo vormals Siverd Smalſtede inne gehabt vor 150. Marck, ſub reluitione.

1411. Van godes gnaden, wy *Hinrick*, FÜRSTE, (*) *greve to Holſten, Stormeren unde to* SCHOWENBORCH, bekennen unde betügen openbare in deſſem breve, vor als wemen, dat wy hebben gheſettet unde ſetten den Erliken lüden, Hern Nicolaus Swaff, riddere, Marquard breyden, dem Jüngheren Knapen unde eren erven dat ghud, dat her Siverd ſmalſtede hadde, dat beleghen is in deme dörpe *Tödeke*, dal ſe beholden ſchölen, vor eyn brucklick pand, vor anderthalff hundert marck penninghe, ſolanghe, dat wy dat vorbenömede gud wedder van en *löſen*, unde wan wy greve Hinrick vorgenömed, edder unſe erven dat vor benömede gud van en löſen wyllen, ſo ſchöle wy hern Nicolaw ſwaff, Marquard breyde edder unſe erven *de loſinghe* an dem vorbenömeden gude Kundeghen, to ſünde Johannes baptiſten daghe, to middenſomere, unde to den negheſten wynachten de nue dar negheſt volghende, ſchöle wy unde wyllen, edder unſe erven dem vorbenömeden her Nicolawes, Marquard breyden, edder eren erven, betalen unde bereden anderthalff hundert marck penninghe, in eneme ſummen ſunder yenigherleye hülprede unde alle argheliſt. Des to tüghe ſo hebbe wy greve Hinrick vorbenömet, unſe Ingheſeghel ghehenghet laten vor deſſen breff, de geſcreven is na godes bord duſent Jar, veerhundert Jar, dar na in dem elfften jare, in ſünte Michels dage.

(*) Vide GOLDASTI *Memoranda Holſatica Schaumburgenſia P. 2.*

CCXCII.

Graff Hinrich zu Holſtein übergibt dem Cloſter Bardisholm das hohe und niedrige gericht in dem dorffe Lope, Schatzung, Landbitte, dienſte, zehnde.

1413. In dem Namen, der ungedelden hilghen dryvaldicheyt, des vaders, des ſones unde des hilgheghen gheeſtes amen. *Hynricus* (*) *myt godes gnaden, Greve to Holſten, to Stormeren, unde to Schöwenborch*, doën Witlick unde openbare al den ghenen, de deſſen bref ſeen unde hören leſen, dat wy uns darumme *van densülven gnaden bekennen*, gheſchicket an de hoheyt der tydliken ere unde Herſcop, up dat wy de (deſto) clarliker beſchowen möghen de ghene, den Troſtliker beſchermynghe nod is unde hülpe, wenten allenen, dat wy to enem yewelken zyn vorplichtet. Jedoch ſcholen wy ſunderghen anſeen *de gheeſtleken denere godes*, de dar getreden ſyn van tydliker wolluſt, unde willen tovlucht unde troſt gheſocht hebben, ſunder den handen der gotliken beſchermynghe, ſe by notrofft unde beſtentniſſe to entholdende tydlikes ghudes. Hirumme ſo heft uns ſunderghen noed geducht unde behaghet, unſe almyſſen mede to delende den deneren godes, unſen getruwen Proueſte, Priore, und den ghemenen *gheeſtliken heren unſes cloſters to Nyenmünſtere, anders geheten Bartisholm*, beſtentniſſe unde entholdynghe erer irghenömeden cloſters, ſo hebbe wy en myt vryen wolberadenem mode, und volkomenem rade unde vulbord alle der ghenen, der wy erer rades unde vulbord darto behoveden, *ghegheven, offert, unde vorlaten unde gheven* (**) an deſſem yeghenwardighen breve myt der daet, *unſe höghеſte, myddelſte, unde ſydeſte Recht, alſe hals unde hand, ſchat, bede unde denſt* enes dörpes, dat dar gheheten is *Lope*, beleghen an deme Kerſpele to *Nortorpe*, quyd unde vry, alſe wy, unſe olderen und vorvaren dat ye quyteſt unde vryeſt beſeten unde hat hebben, bette an deſſer yeghenwardeghen tyd, uns, unſen erven, nakomelynghen effte yeneghen voghede dar nichts an tobeholdende, van Rechtes, *bede, ſchattes, zeden, effte yenegherleye wonheyt weghene* men quyd unde vry, deſſer vorſcreven gheſtliken heren to weſende to ewighen tyden dorch ſalicheyt willen unſer zele unde unſer bolen (olden) alſe heren *gherdes, Hertoghen to Sleſwyck*, hern *Alberdes to Holſten, to Stormeren unde to Schowenborch greven*, ſeligher dechtniſſe, myt aldüs danen underſchede, dat deſſe vorbenömede gheeſtliken heren unſe olderen, unſe vorſchreven brödere unde uns, wann er wy vorſtorven ſyn, twye in allen Jaren beghan ſchölen an erem cloſtere mit Vygilien unde Zelemiſſen, unde unſer dechtniſſe hebben, an eerem beede, na Lude unde uthwyſinghe eres breves, den ſe uns darup ghegheven hebben, dyt to holdende to ewighen tyden. Unde up dat deſſe gotlike beghavinghe ſtede vaſt unde unverbroken blyven möghe to ewighen tyden, ſo hebbe wy gheſchryven laten to tüghe, de namen der ghenen, de hir over weſen hebben, aſe hern *Hermen van Büren, unſe Pape unde Kerckhere to der borch* uppe *Wemeren, Otten Splite, Elere van dem Kyle*, Knapen, *unde Hans Vüre, unſem voghede*, unde hebben vord unſe Ingheſeghel to vörder bewyſynghe, orkunde unde Witlicheit myt Witſchop unde willen ghehenghet laten vor deſſen yeghenwardighen bref. De ſchreven unde gheven is to *Nyemünſter* na der bord unſes heren, verteynhundert Jar, darna in deme dorteyn-

dorteynden Jare, an unſer vrouwen daghe, alſe ſe ghebodeſchoppet ward.

(*) Hinrici ferrei filius, Comes Holſatiæ ultimus.

(**) Donatio hæc fit ex voto, quo Henricus Comes, nimium forte liberalis, audita (ſi credere fas eſt) angelica voce, ſemet obſtrinxit Monaſterio Bordesholmenſi. Rem ſingularem enarrat HELMOLDI *Continuator* & ex eo CYPRAEUS *Annal. Epiſcop. Slesvic. p. 365. Henricus Holſatiæ Comes ultimus quamvis debilis in membris ſuis fuerat, videlicet podagricus & artriticus, tamen utilis terræ fuit; dilexit cultum Dei & etiam patrueles ſuos, quamvis Conſiliarii utriusque partis aliquando aliter ſentiebant. Comes hic Henricus una dierum exiſtens in Monaſterio Bordesholm fuerat, ipſi relatum de quadam voce Angelica, quæ ibidem inter pſallentes in choro ſæpius ab aliquibus admodum dulciter audiebatur, quam vocem ut etiam audire poſſet, ingenti deſiderio ſe ad Eccleſiam duci curavit, & vovit, ſi Deus, ſibi cœleſtem ac Angelicam hanc vocem audire permiſerit, quod tunc dona ſua monaſterio, in ſui & Parentum ſuorum memoriam donare ac elargiri vellet. Et cum vocem hanc audierat, reddit vota ſua, Judicium Villæ in Loop, pro perpetua ſua & Parentum ſuorum memoria, omni anno ſingulariter cum vigiliis & miſſis ſolenniter peragenda, memorato Monaſterio tradidit ac conceſſit ad uſum. Dictusque Henricus poſt plurima ſua bona opera, non ſolum Patriæ & lucri temporalis, ſed ſpiritualium perſonarum Athletha fortis. Circa annum Domini 1421. (alii 27.) obiit in pace, & ſepultus eſt Jezeboe ſepulchro Parentum ſuorum.* Hæc *continuator* HELMOLDI.

CCXCIII.

Confirmatio Jahannis Archiepiſcopi Bremenſis den Holmeren ghegeven uppe de Kercken to deme Kile.

1415. Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia *Johannes* ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus univerſis & ſingulis præſentia viſuris ſeu audituris ſalutem in Domino ſempiternam: literas honorabilium & religioſorum Dominorum præpoſiti, prioris totiusque conventus Novimonaſterii in Bardesholm noſtræ diœceſis ſigillis noſtris Domini præpoſiti totiusque conventus prædictorum dependentibus ſigillatas, non abolitas, non abraſas, non cancellatas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes nobis per honorabiles & circumſpectos viros nobis & præpoſito dilectos *proconſules & conſules opidi Kyl* dictæ noſtræ diœceſ. præſentatas nos in his verbis inchoatas recepiſſe: omnibus præſentia viſuris & audituris Hinricus præpoſitus, Eggardus prior totusque conventus Novimonaſterii &c. Poſt quarum quidem literarum præſentationem dicti Domini proconſules & conſules nobis hujusmodi cum circumſtantia effective ſupplicarunt, quatenus conſenſum noſtrum dictæ concordiæ in litera præmiſſa conſcripta apponere ac repræſentatam literam in ſingulis ſuis capittulis perpetuo valituram approbare & confirmare dignaremur: nos vero ex debito officii noſtri ratione ductrice intelligimus & ſenſimus, quod optimum ſit pacem colere opusque tanto præclaris laudum præconiis elegantius extollendum, quanto magis in eo grex pacificus, qui pacis nexu omnia ſtabilivit, ferventius incitatur, attendentes prædictorum proconſulum & conſulum juſtis petitionibus & votis nullatenus eis reſiſtendum; immo magis gratuite fore annuendum prædictam literam in omnibus & ſingulis ſuis capitulis approbamus ratificamus & confirmamus ac repræſentatam decernimus perpetuo valituram non obſtantibus quibuscunque conſtitutionibus provincialibus vel ſynodalibus, niſi de hac litera plenam & expreſſam de verbo ad verbum faciant mentionem. In quorum omnium & ſingulorum evidens teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum ex opido noſtro *Buxtehude* Anno Domini cIↃ cccc xv. in vigilia Penthecoſtes.

CCXCIV.

Hartwicus Wulff procuratorem conſtituit H. Krefft præpoſitum in Uterſten ad reſignandum & reddendum in manus Archiepiſcopi Brem. Vicariam Altaris XII. apoſtolorum in Eccleſia parochiali in Kyl ſitam. Cum hypotheca omnium bonorum.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem milleſimo quadringenteſimo, decimo quinto, indictione octava, menſis Martii die viceſima prima, hora quaſi primarum pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris ac domini noſtri, domini Johannis, digna dei providentia papæ viceſimi tertii anno quinto, in mei Notarii publ. teſtiumque infra ſcriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum præſentia conſtitutus perſonaliter diſcretus vir *Hartwicus Wulff*, clericus Bremenſis dioceſis, melioribus modis, cauſa, jure & forma, quibus melius & efficacius potuit & debuit, fecit, conſtituit, ordinavit, ſolempniter & creavit ſuum verum legitimum & indubitatum procuratorem, factorum negotiorumque ſuorum geſtorem, & mandatarium ſpecialem ac generalem, commendabilem virum *Hermannum Kreveth, præpoſitum ſanctimonialium Monaſterii Uterſten ordinis ſancti Auguſtini, dictæ Bremenſis dioceſis*, abſentem tanquam præſentem, ad reſignandum ſponte, pure, libere & ſimpliciter in manibus reverendi in Chriſto patris Archiepiſcopi, ſanctæ Bremenſis eccleſiæ vel alterius ſuper hoc poteſtatem habentis, vel cui in hac parte vices legitimæ committantur, perpetuam ſuam *vicariam altaris duodecim Apoſtolorum* in *parochiali Eccleſia beati Nicolai opidi Kil* ejusdem dioceſis ſitam, fundatam & erectam, 1415.

cum

cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis & actionibus, ſibique in dicto beneficio competentibus cedendi & renunciandi omnino & ad dicendum, faciendum & jurandum nomine ſuo omnia & ſingula, quæ in prædictis & circa ipſa neceſſaria fuerint expedienda ſeu oportuna & quæ ipſemet conſtitutus facere dicere & jurare poſſet, ſi præmiſſis omnibus, aut ipſorum aliquo præſens perſonaliter intereſſet, cum plena poteſtate ſubſtituendi loco ſui alium, ſeu alios, procuratorem ſeu procuratores, & eum ſeu eos revocandi totiens quotiens ſibi viſum videbitur expediens & neceſſe, promittens mihi Notario infra nominato tanquam publicæ perſonæ ſtipulanti ſolempniter & recipienti nomine & vice omnium & ſingulorum, quorum intereſt ſeu intereſſe poterit, quomodolibet in futurum, ſe gratum, ratum & firmum habere & perpetuo habiturum totum, & quicquid in prædictis & circa prædicta, prædictum ſuum procuratorem, aut ſubſtituendum ſeu ſubſtituendos ab eodem, actum fuerit quomodolibet ſive geſtum ac ſi per ſe ipſum factum foret, & non contravenire vel facere per ſe vel alium directe vel indirecte, tacite vel expreſſe quovis quæſito colore, *ſub expreſſa ypotheca & obligatione omnium bonorum ſuorum, præſentium & futurorum.* Acta ſunt hæc ſub *tilia* (*) *cœmiterii capellæ beatæ ghertrudis, extra valvas dicti opidi Kil*, ſæpe dictæ diœceſis, Anno, indictione & aliis quibus ſupra, præſentibus, diſcretis viris, domino Johanne Bulder, perpetuo vicario parochialis Eccleſiæ in opido Plöne, Johanne Ytzehuden & Nicolao Porsveld famulis, Bremenſis Lubicenſis & Sleswicenſis diœceſis, teſtibus fide dignis ad præmiſſa vocatis & rogatis.

Et Ego Helias Münther de Rekelinghuſen, clericus Bremenſis diœceſis, publicus imperiali auctoritate Notarius, hujusmodi procurationi, conſtitutioni, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, Eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi & in notam recepi, de qua hoc præſens publicum inſtrumentum per alium fidelem conſcriptum, ſigno nomine & cognomine meis ſolitis & conſvetis ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

(*) Loco, quo agebantur res eccleſiaſticæ, citationes, contractus. Inde *Tilia* apud Anglo-*Saxones & Cimbros* idem ac *accuſatio*, & *Titelus*, ſchedula, qua quis in jus vocatur. Vide *Leges Canuti Regis Angl. c. 62. Henrici I. c. 10.*

CCXCV.

Tranſumptum, in quo Johannes Archiepiſcopus Brem. renovat & confirmat diplomata Adalberonis de anno 1141. & Hartwici Archiep. Brem. de anno 1164.

Johannes dei & apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas viſuris ſeu audituris, ſalutem in domino, cum notitia ſubſcriptorum. Humanæ naturæ provida ſagacitas ſua labilitate penſata diſpoſuit, ut oblivioſa ipſius memoria literarum documentis recipiat confortationis incrementum. Hinc eſt, quod ad notitiam futurorum cupimus devenire atque præſentium, quod accedens ad noſtram præſentiam religioſus & circumſpectus vir, dominus *Marquardus But*, Canonicus regularis olim novi monaſterii, hodie vero Bardesholme nuncupati noſtræ dioceſis nobis humiliter ſupplicando expoſuit, quatenus quorundam bonorum infraſcriptorum donationem dicto Monaſterio in Bardesholme per reverendos in Chriſto patres & dominos, dominos *Athelberonem & Hartwicum Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopos* felicis recordationis noſtros prædeceſſores factam elargitam & eorundem reverendorum Patrum patentibus literis ſeu privilegiis confirmatam & munitam, approbare, ratificare & confirmare, præfata quoque privilegia, quibus ſua vetuſtate conſumptionem & periculum imminere conſpeximus, innovare & conſervare dignaremur. Quorum quidem privilegiorum tenores & primo *Athelberonis*, deinde *Hartvici Archiepiſcoporum* prædeceſſorum noſtrorum de verbo ad verbum ſequuntur in hunc modum: In Nomine ſanctæ & individuæ &c. (*) Tenor vero alterius privilegii, videlicet domini Hartvici, ſequitur & eſt talis: Hartwicus dei gratia &c. (**) Nos vero gratioſe agere cupientes erga Monaſterium memoratum, & perſonas inhabitantes veſtigiis prædeceſſorum noſtrorum inhærentes, præfatique domini Marquardi juſtis petitionibus annuentes, donationem & conceſſionem præfatas bonorum prædictorum ratas & gratas habentes, ipſas ratificamus, approbamus, confirmamus & emologamus: Præfata quoque privilegia dominorum prædeceſſorum noſtrorum prædictorum deſuper confecta, quoad integrum eorum tenorem duximus innovanda, & præſentibus innovamus, nolentes tamen, quod ex innovatione hujusmodi jus novum ipſi monaſterio acquiratur, ſed antiquum, ſi quid habet, per innovationem privilegiorum conſervetur. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras literas hujusmodi innovationem in ſe continentes, noſtri ſigilli fecimus appenſione communiri. Datum & actum Bremæ, Anno domini Milleſimo, quadringenteſimo ſexto decimo, (***) in vigilia omnium ſanctorum. 1416.

(*) Supra a. 1141.
(**) Supra ad a. 1164.
(***) Aliud tranſumtum diplomatis Adalberonis vide ad a. 1420.

CCXCVI.

CCXCVI.

Graff Hinrich zu Holſtein confirmiret Hinrich Kühlens mit dem Cloſter Bordesholm getroffenen Kauf, wegen des Dorffes Cronesmoor und deſſen pertinentien nebſt der Lehngerechtigkeit, Grafenſchatt, Weddeſchatt, Bede, Rechte, Gerichten, Pflichten.

1416. In ghodes Namen, amen. Wy *Hinrik*, van des zülven gnaden, *greve to Holſten unde to Stormeren.* Heylzamelich is, den yenen beſchermelike hülpe und tydleken Nottrufft mede to delende, de ſick ſtetliken myt vlite to deme denſte ghodes vorplichtet hebben, oppe dat de tydlicheyt myt unwandelyken ghude van ghode ewich belonet werde.

Wytlik zy den ghennen, de nu yeghenwardich zynt, und den Nakomenden to evvyghen tyden, dat vor unſs is ghevvezet unſe leve getruvve *Hinrick Kule*, Knape, her *Johan Kulen zone, ryddes*, unde myt vorbedachteme mude, vrighen vvillen unde volborde Borchardes ſynes broders myt Witſchop unde vullenkomenden vulborde al der yenen, de hir vulbord to gheven ſchulden rechtlyken unde redelyken to eneme rechten evvighen ſteden kope hefft verkoft, overgheven unde vorlaten *Leen, Weddeſchat*, unde vves he unde zyne olderen hadden *an deme dorpe und ghude Crunsmure* an deme Kerſpele *to ytzeho*, an deme ſtychte to bremen beleghen, unde allerleyge *grevenſchatt*, de ut deſseme zulven dorpe *Krunsmure* alze II. marck, unde van deſſen dorpen naſchreven plecht uttokomende, alze *Nyenbrüke* VI. marck, *Grevenkope* IIII. marck, *Sudrowe* IIII. marck unde IIII. Schillinghe, *Crempdorpe* II. marck, *Redwiſche* XXIIII. Schillinghe, unde *Stylnow* XII. Schillinge, de an der *Crempermerſch und an deme zülven ſtichte to bremen ock beleghen ſyn*, ſyk unde ſyne erven to evvighen tyden an deme zülven ghude *krunsmure* unde an deme *grevenſchatte* vorbenömet *der vorſcreven dorpere* nichtes to beholdende, den erlyken heren Johann proüeſte, Hermanno priori, und deme gantzen Convente to Nyenmünſter, anders *Bardesholm* gheheten an unſer herſchoff belegen vor *achte hundert marck Lubeſcher pennyghe*, de eme danklyken vornöghed ſyn, alſe he uns berichtet hefft. Des hebbe vvy to meringhe ghotlykes denſtes unde umme hulpelykes troſtes unſer, unſer elderen unde unſer erven zele vvillen, dat zülve ghud krunsmure *myt* SCHATTE *und myt* BEDE unde *den ganzen* EGHENDOM, myt alleme RECHTE *unde* RYCHTE, beyde *hogheſt myddelſt unde ſydeſt*, myt aller *plicht*, *tobehoringhe*, *frucht unde nutticheyt* alſo dat ſulve ghud an al ſynen ſcheden unde enden beleghen unde begrepen is, alzo Hinrick Kule unde ſyne elderen ye an eren vveren vrygeſt had hebben, myt deme *vorſchreven grevenſchatte der erghenomeden dorpe gheeghent vorlaten unde overgheven*, unde *eghenen*, *vorlaten unde overgheven* an deſſeme breve denzülven gheſtlyken Heren proüeſte, Priore unde ghantzen Convente unde eren Nakomelinghen to evvyghen tyden vredezamelyken to beſittende, uns unde unſen erven an deme zülven ghude *Krunsmure*, unde *an deme grevenſchatte der vorſcreven dorpe*, nichtes to beholdende, men ze ſyk vryg to brukende unde to beſittende, alzo unſe vorolderen deme zülven cloſtere ye eer ghud vrygeſt gheeghent, gheven unde laten hebben, alzo dat vvy *dat* LEEN *des zülven gudes*, unde *den vorbenömeden grevenſchatt* umme gheſetten unde ghevvandelen an deſse Breve, dat de vorſcreven heren proueſt, Prior unde de gantze Convent unde ere Nakomelinghe des ſulven ghudes, *Lenes unde grevenſchattes* lykervvys alzo ſtede evvich erveghut bruken ſcholen zunder yenigherleye Hulprede und arghelyſt, edder vvedderſprake van uns, edder van unſen erven vveghen. Were dat yement deſsezulven Heren proueſt, Prior unde convent unde ere Nakomelinghe an tokomeden tyden ze yenighe vvys an deſſem vorſcreven *ghude unde grevenſchatt behinderen unde beweren wolden*, dar ſchole vvy, myt unſen erven unde vville ze degher aff *entvryghen*, unde ze an al ereme ghude myt truvven *beſchermen und by rechte beholden.* Vortmer zo moghen de eerghenomeden heren proueſt, Prior unde Convent, unde ere Nakomelinghe *dyt zulve ghud* und *grevenſchatt* gheſtlyken edder Werlyken perſonen vort *vorſetten*, *vorweddeſchatten*, *vorkopen*, *edder to verweſselnde*, vvan eer dat en des nod und behoff ys, zunder uns unde unſer erven hinder unde vvedderſtand. Dat dyt yvitliken unde openbare ſcheen ys oppe *unſeme Slote Zegheberghe*, dar hebben over vveſen eervverdyghe lude, *de eerlyke gheſtlyke vader an ghode*, Tydericus *Abbet to Reynvelde*, Her Herman *van Büren, domher der Kerken to Hamborch*, Her marquard *worre*, Her Nicolaus *Mychaëlis* unde Her *Michaël preſtere unſe Capellane*, Detleff *van der wenzynen* OVERBODE (*) Marquard *van Zykken*, hern *Omen* zone, *rydders*, Hennyngh unde Henneke vedderen gheheten *Meynſtorp*, *Knapen*, unde vele andere truvvevverdighet lude, de vvol tügheverdich zyn. To tughe unde merer bevviſinghe al deſser vorſcreven ſtücke de ſtede unde vaſte to holdende to evvighen tyden, zo hebbe vvy *unze grote Inghezeghel* myt vvitſchop ghehenghet laten an deſſen Breff de gheven unde ſcreven is an unſeme eerghenömeden Slote Zegheberghe. Na ghodes bord, duſent veerhundert jar, darna an deme Süſteynden Jare des neghеſten daghes na unſer leven vrouvven daghe, alſo *ze ghebodeſchoppet wart.*

(*) Vide ſupra *ad a. 1245. 1379.*

CCXCVII.

Tymmo Itzehude, Rector Ecclesiæ Aldenburg. obtinet a Præposito Novimonasterii perpetuam Vicariam altaris XII. Apostolorum in Ecclesia parochiali urbis Kyl, & investitur per Bireti traditionem.

1416. In Nomine domini amen. Anno Nativitatis ejusdem Millesimo, quadringentesimo, sexto decimo, indictione nona, vicesima octava die Mensis Augusti, hora quasi nona, sede vacante, in mei notarii publici testiumque infra scriptorum præsentia, personaliter constituti honorabiles viri domini, *Johannes in bardesholm præpositus bremensis diocesis, & Tymmo Itzehude, Rector parochialis Eccleſiæ in Aldenborch Lub. diocesis*, idem dominus Tymmo præfato domino præposito humiliter supplicavit, quatenus perpetuam Vicariam in Ecclesia parochiali opidi Kyl, ad altare XII. Apostolorum præfatæ Brem. diocesis per liberam resignationem *Hartwici Wulff*, ejus ultimi & immediati possessoris vacantem, cujus vicariæ jus collationis & investituræ juxta tenorem literarum super fundatione & confirmatione antedictæ Vicariæ confectarum & ibidem lectarum sibi conferre, instituere & investire dignaretur. Præfatus vero dominus Johannes Præpositus, devotis ejus precibus inclinatus, eandem Vicariam, sic ut præmittitur, per liberam resignationem vacantem ad nullius etiam præsentationem sibi contulit, eundem instituit & per sui BIRRETI *traditionem* INVESTIVIT *de eadem*, mandavitque insuper eundem vicarium *in corporalem possessionem induci*, sibique de fructibus, redditibus proventibus & aliis juribus quibuscunque antedictæ vicariæ sibi integraliter responderi. Super quibus omnibus & singulis memorati domini Johannes Præpositus & Tymmo rogaverunt & requisierunt me notarium infra scriptum, unum vel plura conficere instrumentum vel instrumenta. Acta sunt hæc in loco capitulari præfati monasterii, Anno, indictione, die, mense, hora, quibus supra, præsentibus commendabilibus & religiosis Viris, dominis Hermanno *Priore*, Tyderico *Rectore Ecclesiæ in Nyemünster*, Petro Tymmerman. Marquardo Bud, Hinrico Boysenborch, *Canonicis ibidem* & Johanne Travenbeer, *Rectore Ecclesiæ parochialis in Brüggis*, Nicolao Brum. Johanne Nicolai, Clericis Bremensis & Razeburgensis diocesis & aliis quampluribus testibus fide dignis, ad præmissa vocatis specialiter & requisitis.

Et Ego Johannes Plote, Clericus Lübicensis, Imperiali Auctoritate Notarius, hujusmodi Collationi institutioni, investituræ, omnibusque aliis & singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis Testibus præsens interfui eaque sic fieri vidi & audivi & in hanc publicam formam redegi, quam nomine & signo meis solitis & consuetis signavi ad hoc specialiter vocatus, & requisitus in fidem & testimonium præmissorum.

CCXCVIII.

BMeister und Rath zu Wittenberg erlassen wegen eines erschlagenen Mannes das gefoderte Mannegeld.

Vor dem Erewerdigen Heren prowesten, 1417.
Prior, und deme ghanzen Convente *des Closters Bardisholm*, bekennen wy borgher-mestere und Ratmanne *to Wittenborch*, und tüghen openbare vormyddelst desseme breve, dat vor unss in unser gegenwordicheyt gheweſen sin unse leve Medeborgher (Mitbürger) alse Lütke Wicken, unde Hinrick Grope, unde hebben vor uns witlick ghedan openbaret unde ghesecht, dat zee unde ere Erven nicht mer *saken, spreken unde manen* willen umme dat *Mangelt eres doden vründes*, her *Hinrick Wittenborgkes*, zeligher dechtnüsse, *de gheschlaghen is*, dat gy *ghemanet unde upgheböret hebben*, to ewegen tyden. Des to tüghe so hebbe wy witliken unde myt wyllen unse Ingheseghel ghehenget laten vor dessem bress, gheven und screven na godes bordt verteynhundert jar, an deme Söventeynden jare, des Mandaghes in der hilghen crüces daghe, alse it ghevunden wart.

CCXCIX.

Hinricus Comes Holsat. & Stormar. (qui in ipso Cœnobio Bordesholmensi inter fraterculos religiose vixit & obiit) donat Novomonasterio Jus Patronatus Ecclesiæ parochialis in Nyenbroke cum suis attinentiis.

Nos *Hinricus*, dei gratia, *Holtzatiæ & Stormariæ Comes*, commendabilibus & multum honorabilibus viris, dominis Præposito & capitulo *Ecclesiæ Hamburgensis* favorabilem sinceræ dilectionis salutationem. Vestris honestatibus declaramus per præsentes, quod ad relevandam evidentem Præpositi, Prioris & conventus ac monasterii *in Bardesholm* bremensis diocesis inopiam, pure & simpliciter propter deum pro nostræ, progenitorumque nostrorum animarum salute *jus patronatus Ecclesiæ parochialis in Nyenbroke, in vestra præpositura*, Bremensis diocesis situatæ, cum omnibus suis libertatibus, proventibus & obventionibus & quicquid juris nobis & heredibus nostris in ipsam competebat vel competere potuisset, de jure vel consuetudine donavimus & donamus præfato Monasterio Bardesholm, perpetuis temporibus possidendum affectuosius vestris honestatibus supplicantes, quatenus defectibus & miseriis dicto monasterio incumbentibus sincerius compatientes, pium super hiis vestrum consensum dignemini adhibere, ut præfata Ecclesia mensæ prædicti Conventus per ipsum cujus interest, pleno jure perpetuo annectatur, incorporetur & uniatur, ut dicti monasterii in ædificiis intolerabilem 1419.

patien-

patientis ruinam & dictæ menſæ inopia de fructibus, juribus & proventibus dictæ Eccleſiæ *in Nyenbroke* aliqualiter relevetur: proinde ab omnium bonorum remuneratore mercedem recepturi. Datum & actum in opido noſtro *ydzeho* præſentibus nobili domino, domino *Adolpho duce Sleſwicenſi* noſtro patruo, & honorabilibus viris, domino *Hermanno de Büren*, Canonico Hamburgenſi, *Marquardo Wörre*, *Ottone Slüter*, noſtris capellanis *Hinrico Broktorpe*, *Ludekino de Bokwolde*, *Johanne Vür*, noſtris ſecretariis & aliis quampluribus teſtibus fide dignis. In cujus rei evidens teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum.

CCC.

Henrici Holſatiæ Comitis ſupplica Archiepiſcopo Bremenſi exhibita, ut Eccleſia in Nienbroke monaſterio Borsholmenſi incorporetur & menſæ ejusdem applicetur.

1419. Venerabili in Chriſto Patri ac domino, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Hinricus dei gratia, Holtzatiæ & Stormariæ Comes, ſe benivolum & paratum in omni genere complacendi. Cum propter Deum & pro noſtra noſtrorumque progenitorum animarum ſalute religioſis viris, dominis præpoſito, priori, conventui & monaſterio *in Bardesholm* ordinis Sancti Auguſtini veſtræ Bremenſis dioceſis *Jus Patronatus Eccleſiæ parochialis in Nyenbroke* in veſtra dioceſi conſtitutæ cum ſuis attinentiis pure & ſimpliciter contulimus perpetuis temporibus poſſidendum. Verum cum dictum Monaſterium omni ſit ſolatio in temporalibus deſtitutum, veſtræ ſupplicavimus paternitati, quatenus anguſtiis & tribulationibus dicto monaſterio incumbentibus pie compatientes, prædictam Eccleſiam ſæpedicto monaſterio incorporare & unire & ut conventus ejusdem monaſterii eandem Eccleſiam menſæ ſuæ nimium exiguæ applicare valeat, dignemini concedere liberam facultatem. Datum & actum in opido noſtro *Ydzeho*, præſentibus nobili domino, domino *adolpho* duce *Sleſvicenſi* noſtro patruele, et honorabilibus viris dominis Hermanno *de Büren* Canonico Hamburgenſi, Marquardo Wurre, Ottone Slüter noſtris Capellanis, Hinrico Bruktorp, Ludekino de Bokwolde Secretariis noſtris, & aliis quampluribus teſtibus fide dignis. In cujus rei evidens teſtimonium Sigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum.

CCCI.

Des probſten zum Bardesholm atteſt, daß der abbt zu Reinfeld die in dem dorffe Cronesmoure fallige zehnten auff 20. Jahr gegen 20. Marck jæbrl. heuer angenommen, aber nach verlauff ſolcher Zeit, ſelbige wieder an Borsholm verfallen und zurück gegeben werden ſollen.

de Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

Wy *Joachim van godes gnaden, proüeſt des cloſters to dem Bardesholme, in dem ſtichte to Bremen* beleghen, bekenne unde betüghe openbare in deſſer Schrifft, vor alles weme, dat unſs wytlick is, dat *de gemene Buren* des dörpes *to Kronesmure*, in deme Kerſpele *to ydzeho, und in demſülven ſtichte to Bremen* beleghen, myt erer aller endræchtighen rade und willen van dem gheſtliken Heren, Herren *Bartramme*, Abbete *des Cloſters to Reynevelde, des ordens Ciſtercien in dem Stichte to Lübeke* belegen, redelken und rechtliken to hüre annamen unde entfangen hebben, ſynen und ſynes Cloſters Tegheden, deſsülven dörpes to Kronesmure mit alle ſiner tobehöringhe und vryheit, alſo dat desülven bure des vorbenömeden dorpes to Kronesmure, de nu ſint, unde ere Erven, unde Nakomelinghe deſsülven tegeden, des dorpes to Krunesmure, bruken unde neten möghen, twyntich Jar, umme na ghifft deſſes breves erſten nafolgenden Jares, myt aller nütticheit unde vryheit, alſe de vorbenömede Abbet, unde de ſynen des tegeden neten unde bruken möchten. Dar hebben *de Bure vor ſyck und vor ere Erven und Nakömelinghe* deme sülven vorbenömeten Abbete, unde ſinen Nakomelynghen vore gelovet unde geſeght to ghevende, unde unbeworen to betalende desülven twyntich Jar over, jewelckes Jares twyntich marck Lübeſch guder Münte, alſe to ytzeho ghenge unde gheve is, uppe Lichtmeſsen der hilghen hochtyd ſunder jenigherleye töghernighe, hinder, edder wedderſprake. Wann de vorſchreven twyntich Jar denne al umkomen ſint, ſo ſchal deſſe breff machtloſs weſen, unde de vorbenömte Abbet unde ſyne Nakomelinghe ſcholen denne des sülven vorſchreven Tegeden, myt alle ſyner tobehöringhe unde vryheit gænsliken wedder mechtig weſen, alſe ſe des vore mechtich vveren. Des to unſer vvytlicheyt unde to ener ſekern tüchniſſe, ſo hebbe vvy proüeſt, Joachim vorbenömet, umme vrüntliker bede vvillen der vorſcreven gemenen bure to Kronesmure, unſe Inghezeghele vvytliken henghen laten an deſſen breff. De gheven is in unſem vorbenömten Cloſter, to dem Bardesholme, na godes bord, duſent unde veerhundert Jar darna in dem neghenteynden Jare in ſünte Johannis Baptiſten daghe to mydden Sommer. 1419.

CCCII.

Transſumptum trium literarum, donationem juris patronatus Eccleſiæ parochialis in Nienbroke conventui Borsholmenſi factam concernentium.

Univerſis & ſingulis, ad quos præſentes noſtræ literæ ſeu præſens Inſtrumentum publicum pervenerint. *Johannes* Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, Epiſcopus Lübicenſis, Salutem in domino & præſentibus fidem 1419.

adhibere indubiam. Ad omnium & singulorum deducimus noticiam per præsentes, quod in nostra Notariorum subscriptorum testiumque infra scriptorum præsentia personaliter constitutus honorabilis & religiosus vir, dominus *Joachimus, præpositus Novimonasterii, alias Bardesholm*, ordinis sancti Augustini, tres patentes literas pergamenicas, sigillis sanis, integris & illæsis sigillatas, non rasas, non abolitas, non cancellatas, non vitiatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed prorsus omni vitio & suspicione carentes, coram nobis tenoris infra scripti exhibuit et produxit duas, videlicet concessas a nobili & generoso viro domino *Hinrico Comite Holtzatiæ, Stormariæ & in Schowenburg*, sigillo suo parvo rotundo, uno in cordula, de serico viridi coloris, altero vero in pressula pergamenica impendenti, ab extra de cera communi, & ab intra de cera rubea. In quibus quidem sigillis duobus apparuit *clypeus unus, folium urticæ armaturam ipsius in se continens*, cum *galea supra sculpta, una cum quinque vexillis seu banneriis* dicto folio impressis *& pileo uno superposito circumfigurato*, titulo incurvato & in circumferentia eorundem sigillorum hæ literæ continebantur. *S. Hinrici, Comitis Holsatiæ, Stormariæ & in Schowenburg.* Aliam vero literam, scilicet tertiam, sigillis duobus munitam, uno oblongo, commendabilis viri, domini *Werneri præpositi Hamburgensis ecclesiæ* ab extra de cera communi & ab intra de cera rubea in præssula pergamenica impendentibus sigillatis. In quo quidem sigillo apparuit quædam ymago beatæ Mariæ Virginis erecta, habens seu tenens puerum unum in brachio siniſtro & in dextra manu virgulam floridam seu ramunculum, intra tymborium in quo duæ ymagines angelorum, tenentium in manibus suis thuribula. Sculpta erat & ante pedes virginis ymago unius presbyteri genuflexa, ipsam adorans, & sub pedibus ejusdem clipeus cum armis ejusdem præpositi, inter duos leones pendens, in quo quidem clypeo apparuit pes aquilæ alatæ ex una, & caput leonis parte ex altera schulptum, & in circumferencia ejusdem sigilli hæ literæ continebantur: *S. Werneri militis, præpositi Ecclesiæ Hamburgensis;* altero vero sigillo ad causas venerabilis capituli ecclesiæ Hamburgensis rotundo, in simili pressula impendente pergamenica ab extra de cera communi & ab intra de cera viridi, in cujus medio quædam ymago beatæ mariæ Virginis sedens in tymborio quodam, habens filium sive puerum in brachio siniſtro, & sceptrum sive ramunculum in dextra manu schulptum. In circumferentia autem hæ literæ legebantur: *S. Ecclesiæ Hamburgensis ad causas.* Quarum quidem literarum tenores de verbo ad verbum sequuntur & sunt tales:

1419. Omnibus Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, Nos *Hinricus dei Gratia, Holtzatiæ & Stormariæ Comes*, Salutem in perpetuum. Ad vestram tenore præsentium deducimus noticiam, quod *ecclesiam in Bardesholm* canonicorum regularium ordinis sancti Augustini Bremensis diocesis in nostro sitam *territorio*, diversorum malignantium oppressam insultibus, intollerabilibus hospitalitatibus & injuriis plurimis lacessitam, ita quod dictum monasterium est collapsum, & gravem in ædificiis patitur ruinam, nec non mensam ipsius Ecclesiæ conventus debitorum oneribus aggravatam, aliasque in temporalibus, & præsertim in bonis suis, *in* PALUDIBUS *Wilstriæ*, *Crempis* & *Hasseldorpe*, præfatæ bremensis diocesis situatis, *propter frequentem aquarum inundationem nimis læsam*, eademque bona a præfato monasterio adeo distant, quod pro aggeribus reformandis & eisdem bonis conservandis difficilis, prout plurimum ab dicti Monasterii inhabitantibus, ad ea patet accessus, pio compassionis intuentes affectu, *jus patronatus Ecclesiæ parochialis in Nyenbroke in præpositura Hamburg.* præfatæ Bremensis diocesis, *in medio paludum antedictarum situatæ*, & quicquid juris nobis & hæredibus nostris in ipsa competebat, vel competere potuisset, de jure vel de consvetudine cum omnibus juribus, jurisdictionibus, fructibus, agris, redditibus, decimis, proventibus, obventionibus, libertatibus & pertinentiis suis adjacentibus & ad prædictam Ecclesiam spectantibus, eidem conventui liberaliter & pure, propter deum donavimus & donamus perpetuis temporibus possidendum, cupientes, ut prædicta Ecclesia mensæ prædicti conventus per ipsum, cujus interest, perpetuo annectatur, incorporetur & uniatur, ut de fructibus, redditibus & proventibus, juribus & obventionibus prædictis inopia prædictæ mensæ aliqualiter relevetur & præfata bona *in paludibus*, ut præmittitur, prope ipsam Ecclesiam situata, ab ipsius Eccleſiæ gubernatore queant eo commodius conservari, & sic dicti conventus fratres in conscientiæ tranquillitate eo sincerius deo valeant famulari, progenitorumque nostrorum & nostri memoria singulis annis, in missis & vigiliis peragatur, nostrique memoria nominatim a fratribus sæpe dicti Monasterii & a quolibet eorum in suis orationibus & in missis omnibus, & præcipue in tribus missis in qualibet ebdomada, singulis videlicet dominicis diebus, unam de Trinitate, feriis secundis, unam pro defunctis, qua finita Psalmum de profundis, cum collectis adhoc competentibus annectendo. Sabbatis vero diebus missam unam de genitrice dei glorioſa devote celebrandis nec non & singulis sextis feriis illud canticum salve Regina, vel aliud juxta temporis congruentiam cum collectis adhoc debitis, & per ipsum adventus domini tempus ad completorium hympnum, Veni Redemptor gentium, & per quadrageſimam ad completorium, Christe

qui

qui Lux, in nota ſolempniori accenſis ad hoc ad quodlibet prædictorum canticum, tribus cereis, menſuram ſex librarum in ſe continentibus, quamdiu ipſa Eccleſia duraverit, niſi feſtum ſuperveniens prædictorum aliquid impediverit, habeatur. Prædicti etiam fratres duas annuatim memorias, unam videlicet unius dimidii anni ſpatio, a die noſtri obitus computando evoluto reliquam in die noſtræ depoſitionis anniverſario, cum vigiliis defunctorum, miſſis & ſuis commendationibus ſolempniter celebrabunt. Ut autem hæc noſtra devota donatio a nemine ſucceſſorum vel hæredum noſtrorum infringi valeat, vel quomodolibet impediri, præſentem literam ſigilli noſtri appenſione fecimus communiri. Datum & actum in opido noſtro Itzeho Anno domini Milleſimo quadringenteſimo decimo nono, ipſo die B. Gertrudis Virginis glorioſæ, præſentibus nobili domino domino Adolpho, duce Sleſvicenſi, noſtro patruo, & honorabilibus viris, Hermanno de Büren, Canonico Hamb. Marquardo Worre, Ottone Slüter Capellanis noſtris. Hinrico Brocktorpe, Lüdekino de Bockwolde, Johanne Vür, noſtris ſecretariis, & aliis quampluribus teſtibus fide dignis. Alterius vero literæ tenor ſequitur in hæc verba:

Venerabili in Chriſto patri ac domino, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Hinricus dei gratia, Holtzatiæ & Stormariæ comes, ſe Benivolum & paratum in omni genere complacendi. Cum propter deum & pro noſtra noſtrorumque progenitorum animarum ſalute, religioſis Viris, dominis præpoſito, priori, Conventui & monaſterio in Bardesholm ordinis ſancti Auguſtini, veſtræ Bremenſis dioceſis, jus patronatus Eccleſiæ parochialis in Nyenbroke in veſtra dioceſi conſtitutæ, cum ſuis attinentiis pure & ſimpliciter contulimus, perpetuis temporibus poſſidendum. Verum cum dictum monaſterium omni ſit ſolatio in temporalibus deſtitutum, veſtræ ſupplicamus paternitati, quatenus Anguſtiis & tribulationibus dicto monaſterio incumbentibus pie compatientes prædictam Eccleſiam ſæpe dicto monaſterio incorporare & unire, & ut conventus ejusdem monaſterii eandem eccleſiam in enſæ ſuæ - - nimium exiguæ applicare valeat, dignemini concedere liberam facultatem. Datum & actum in oppido noſtro ydzeho, præſentibus nobili domino, domino Adolpho, duce Sleſvicenſi noſtro patruele & honorabilibus Viris dominis hermanno de Büren, Canonico Hamburgenſi, Marquardo Wurre, Ottone Slüter noſtris Cappellanis, Hinrico Brucktorp Ludekino de Bockwolde Secretariis noſtris, & aliis quampluribus teſtibus fide dignis. In cujus rei evidens teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum. (*Sine dato.*)

Alterius vero literæ, ſcilicet tertiæ, tenor in ordine de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis. *Wernerus Præpoſitus, Gherardus decanus & capitulum Eccleſiæ Hamburgenſis* univerſis & ſingulis præſentes literas noſtras inſpecturis, ſalutem & ſinceram in domino caritatem. Inter deſiderabilia, cordis illud intenſis deſideriis cupimus, ut ubique Majeſtas altiſſimi collaudetur, & benedictionibus gratiarum, ſuique cultus glorioſi nominis amplietur. Sed hoc fervencius affectamus in Eccleſiis, & in quibus debitum reputamus & congruum, ut nunquam ſileat a ſalvatoris noſtri laudibus lingua carnis. Exhibita ſiquidem nobis pro parte nobilis & magnifici viri, domini Henrici, Comitis Holſatiæ & Stormariæ petitio continebat, quod ipſe inopiæ Præpoſiti, Prioris, conventus & *Monaſterii in Bardesholm*, Canonicorum regularium ordinis ſancti Auguſtini pie compatiendo, pro ſua ſuorumque parentum animarum ſalute, Jus patronatus parochialis eccleſiæ in *Nyenbroke* Bremenſis dioceſis, cujus parochialis eccleſiæ Rectoris pro tempore inſtitutio & ſynodalia ad præpoſitum eccleſiæ noſtræ pertinent, cum omnibus ſuis libertatibus, proventibus & obventionibus & quicquid juris ſibi & heredibus ſuis in ipſam eccleſiam competebat, & competit, de jure vel conſuetudine, donavit & donat monaſterio antedicto perpetuis temporibus poſſidendum: affectans, ut velimus conſentire, ut prædicta eccleſia uniatur, dicto Monaſterio & incorporetur. 1419.

Nos vero capitularibus tractatibus præhabitis, matura & diligenti meditatione penſantes ipſum monaſterium non modica reformatione indigere, quodque fructuum & proventuum menſæ ipſius Monaſterii non ſuppetunt facultates: ideo conſentimus tenore præſentium, ut divinus cultus in dicto monaſterio augmentetur, ut *ipſa eccleſia in Nyenbroke* dicto *Monaſterio & menſæ conventus ejusdem incorporabitur & unietur* (*incorporetur & uniatur*) in perpetuum: Ita quod cedente, vel decedente Rectore, qui nunc eſt, liceat Præpoſito, priori & conventui prædictis, auctoritate noſtra, corporalem poſſeſſionem ipſius eccleſiæ in omnibus juribus & pertinentiis ſuis, poſtquam ſic, ut præmittitur, dicto monaſterio & conventui unita fuerit, apprehendere & recipere, præ (pro) viſo, quod nobis Wernero præpoſito, ac noſtris pro tempore exiſtentibus ſucceſſoribus, ille qui eandem pro tempore rexerit eccleſiam in capitulo noſtro hyemali duarum marcarum redditus, ſingulis annis pro ſynodalibus & aliis noſtris juſticiis ſine difficultate quacunque realiter ſolvat, & ſolvere teneatur, ſalvis & integre remanentibus omnibus juribus præpoſiti eccleſiæ noſtræ prædictæ, videlicet in ſynodalibus ſervandis & tenendis & jurisdictionibus excercendis tam in presbiterum, quem pro rectore pro tempo-

re præsentabunt etiam, si sit de ordine ipsorum, quam Laycus, prout hactenus dictæ ecclesiæ nostræ præpositus jurisdictionem habuit & synodum per officialem suum tenuit & habere consvevit. Quodque idem presbiter, quem pro Rectore præsentabunt, in omnibus se conformabit nobis, præposito & succesſoribus obediendo nostris etiam, & in contribuendo, prout ceteri rectores ecclesiarum præposituræ nostræ antedictæ, reservata tamen eidem rectori congrua portione de fructibus dictæ ecclesiæ in Nyenbroke, unde jura Episcopalia & alia incumbentia onera possit commode & decenter supportare. In cujus rei testimonium, sigillum ecclesiæ nostræ ad causas præsentibus est appensum. Et nos Wernerus, præpositus antedictus in signum consensus nostri & omnium præmissorum sigillum nostrum, una cum sigillo ecclesiæ Hamburgensis præsentibus ex certa scientia duximus appendendum.
1419. Datum Hamborgh in loco capitulari, Anno domini millesimo Quadringentesimo decimo nono in Vigilia nativitatis sancti Johannis Baptistæ.

Quibus quidem literis receptis & diligenter examinatis, dictus dominus Joachimus præpositus nobis supplicavit, quatenus easdem literas quas propter pericula viarum & alia, ad loca remota deduci & hinc inde deportari, ubi necesse habetur, de eis minus foret tutum, per Notarios infrascriptos auscultari transumi & exemplari mandaremus ac transumpto & exemplato hujusmodi, ut eidem, velut originalibus fides indubitata adhiberetur, auctoritatem nostram & decretum interponere dignaremur. Nos igitur Johannes Episcopus præfatus supplicationibus favorabiliter hujusmodi annuentes, Literas supradictas per Johannem & Johannem Notarios infrascriptos auscultari & exemplari & in præsentem publicam formam transumi & exemplari mandavimus & fecimus, & post diligentem examinationem & auscultationem per nos factas idem transumptum hujusmodi originalibus productis repperimus per omnia concordare: ideo auctoritatem nostram & decretum præsentibus interposuimus & interponimus, ac decrevimus & decernimus præsenti transumpto, sicuti literis originalibus fidem indubiam ubilibet in judicio & extra, fore adhibendam. In cujus rei evidens testimonium & fidem præmissorum præsentes nostras literas sigilli nostri appensione duximus roborandas. Datum & actum Lubecæ in curia nostra Episcopali, ante aulam superiorem anno domini Millesimo quadringentesimo decimo nono, Indictione duodecima die Lunæ XX. mensis Augusti, hora terciarum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac domini nostri, domini Martini, divina providentia Papæ quinti anno secundo, præsentibus ibidem honorabilibus Viris, domino Johanne de Pulcra fago Canonico Lübecensi & Everhardo Oerscot clerico Leodiensis diocesis, Testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis.

Et ego Johannes Schabbe, clericus Lübicensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius Quia prædictarum Literarum exhibitioni, receptioni, examinationi, supplicationi & decreti interpositioni, cæterisque præmissis, dum sic ut præmittitur, fierent, & agerentur, una cum Notario publico subscripto & testibus prænominatis præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, omniaque & singula prædicta prout in præfatis literis inveni, ita hic de verbo ad verbum fideliter de-mandato Reverendi in Christo Patris ac domini, domini Johannis, Episcopi Lübecensis prædicti trsnscripsi & exemplavi nil addens minuens aut mutans, quod sensum mutet, aut variet intellectum una cum discreto viro Johanne Vrese, clerico Monasteriensis diocesis publico notario, diligenter auscultavi, & quia prædictum transumptum cum prædictis literis originalibus concordare per omnia inveni ideo me hic subscripsi & in publicam formam redegi & propria manu conscripsi, quam signo & nomine meis solitis & consvetis, una cum appensione Sigilli præfati reverendi patris, domini Johannis, Episcopi Lübecensis signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum Et Ego Johannes Vrese, Clericus Monasterienſis dyocesis, Publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia prædictarum literarum exhibitioni receptioni, examinationi, supplicationi & decreti interpositioni, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sic ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum Notario supra scripto & testibus prænominatis præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, & de mandato Reverendi in Christo Patris & domini nostri, domini Johannis, Episcopi Lübicensis idem transumptum cum literis originalibus cum Johanne notario suprascripto diligenter auscultavi. Et quia præsens transumptum cum literis suis originalibus repperi per omnia concordare, ideoque præsentem formam publici instrumenti notarii subscripti manu propria nunc aliis occupato negotiis conscriptam subscripsi & publicavi & in hanc publicam formam redegi quam signo & nomine meis solitis & consuetis, una cum appensione sigilli præfati Reverendi in Christo patris, domini Johannis, Episcopi Lubecensis signavi, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Johannis Archiepiscopi Bremensis incorporatio Ecclesiæ parochialis in Nienbroke, monasterio Bordesholmensi facta, transumitur & vidimatur a Johanne Episcopo Lübecensi

Univer-

1419. Universis & singulis præsentia visuris & audituris *Johannes* Dei & apostolicæ sedis gratia, *Episcopus Lubicensis*. Salutem in domino & præsentibus fidem indubiam adhibere. Literas reverendi in Christo Patris & domini, domini Johannis, eadem gratia Archiepiscopi, nec non Venerabilium virorum dominorum, decani & capituli sanctæ Bremensis ecclesiæ ipsorum dominorum, videlicet Archiepiscopi unius signeti & capituli alterius sigillis rotundis de cera viridi impressa formis ceræglaucæ, in cujus domini archiepiscopi signeti medio apparebat stans ymago unius archiepiscopi, indice & medio digitis dextræ manus ad modum benedicendi erectis, habens in manu sinistra unam crucem erectam & subtus pedes duas figuras ad similitudinem duorum clipeorum, in quorum uno apparebat figura duarum clavium & in alio apparebat figura *unius strale*. Et in circumferentiis dicti signeti legi poterant hæ dictiones. *Secretum Johannis, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopi.* In alterius vero, scilicet capituli sigilli medio apparebat ymago sancti Petri, sedens in cathedra habens ab utraque sui parte has dictiones. *S. Petrus:* & tenens in manu dextera duas claves erectas, & in manu sinistra figuram unius libri & in circumferentiis ipsius sigilli apparebant hæc dictiones: *S. Capituli Bremensis*; ad causas in cordulis sericeis, rubei & viridis colorum impendentes, sanas, integras & illæsas, non viciatas, non cancellatas non abrasas, non abolitas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed prorsus omnibus vicio & suspicione carentes, nobis per providum virum dominum Johannem Schabben, perpetuum vicarium in Ecclesia Lubecensi pro parte religiosorum virorum dominorum, præpositi & conventus canonicorum regularium Novimonasterii, alias Bardesholm, Bremensis diocesis principalium in eisdem literis principaliter nominatorum, In Notarii publici & testium infrascriptorum adhoc vocatorum & rogatorum præsentia de verbo ad verbum perlectas & præsentatas, nos cum ea, qua decuit reverentia, noviter recepisse, tenorem, qui sequitur, de verbo ad verbum continentes:

Johannes Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus, decanus & Capitulum sanctæ Bremensis Ecclesiæ, universis & singulis præsentes literas inspecturis, in omnium salvatore salutem. Dignum arbitramur & rationi consentaneum, ut ea, quæ provide fiunt, scripti patrocinio roborentur, ne oblivionis incuria vel posterorum calumpnia valeant irritari. Proinde noverint universi, quod magnificus vir, dominus Hinricus Comes Holtzatiæ & Stormariæ, prout nobis in suis literis declaravit & augmentum gratiæ per nos sibi fieri devote supplicavit, zelo piæ devotionis accensus, Jus patronatus ecclesiæ parochialis in Nygenbruke nostræ Bremensis diocesis jure hereditario ad ipsum devolutum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, religiosis viris, Præposito & conventui canonicorum regularium Novimonasterii, alias Bordesholm ejusdem nostræ diocesis perpetuo possidendum & retinendum donavit. Verum cum præfata ecclesia in Nygenbruke in præpositura Hamburgensi nostræ Bremensis diocesis extitit situata, & ejusdem ecclesiæ institutio cum synodalibus ad præpositum Hamburgensem, qui pro tempore fuerit, dinoscitur pertinere, iidem Præpositus, decanus & capitulum ecclesiæ Hamburgensis inopiæ dicti monasterii compatientes, super hiis capitulariter deliberati ut præfata ecclesia in Nygenbruke memorato monasterio pleno jure queat incorporari & uniri, super hiis expressum consensum adhibuerunt. Nos igitur cum capitulo nostro bremensi super hiis capitulari præhabita deliberatione, ipsam donationem sicut præmittitur, per præfatum dominum Nobilem Hinricum, Comitem, factam in domino gratanter suscipientes, ipsamque gratam & firmam habentes & approbando confirmantes eandem ecclesiam in Nygenbruke in prædictos Præpositum, conventum seu monasterium, de & cum Præpositi & capituli Hamburgensis, ut præmissum est, consensu transtulimus & transferimus tenore præsentium pleno Jure, incorporantes nichilominus, annectentes & unientes præfatam Ecclesiam Nygenbruke, cum suis fructibus, redditibus proventibus, obventionibus & Juribus quibuscunque nostra auctoritate ordinaria monasterio prælibato, ita quod cedente vel decedente Rectore, qui nunc est, liceat præposito & conventui prædictis auctoritate nostra corporalem possessionem dictæ ecclesiæ cum omnibus Juribus & pertinentiis suis, quia per nos ipsam Ecclesiam parochialem, ut præmittitur, dicto monasterio unita apprehendere & recipere libere & quiete, cupientes etiam indigentiam jam dicti monasterii seu conventus, quæ multiplex est per hujusmodi unionem aliqualiter relevari. Novimus enim, quod non sine cordis dolore proferimus, quod præfatum monasterium in medio nationis perversæ positum, diversis injuriis lacessitum, in suis bonis & juribus graviter est dilapsum, ipsumque oportebit inportabilia incessanter subire onera expensarum. Concedimus ob id libere Præposito ejusdem monasterii, quicunque pro tempore fuerit, ut per se vel per aliam personam ydoneam, regularem vel secularem ad nutum ipsius præpositi ammonibilem memoratam ecclesiam officiare & ecclesiastica sacramenta ministrare valeat, tenore præsentium liberam facultatem, salvis tamen duarum marcarum redditibus pro synodalibus aliisque justitiis temporalibus per dictos dominos, Præpositum, decanum & Capitulum Hamburgense reservatis. Quos quidem reditus Præpositus in Bordesholm; qui pro

pro tempore fuerit, Præpoſito Hamburgenſi pro tempore exiſtenti congruis temporibus miniſtrabit. In cujus rei teſtimonium Nos Johannes Epiſcopus memoratus noſtrum ſigillum, una cum ſigillo noſtri Capituli Bremenſis præſentibus duximus appendendum. Et Nos decanus & Capitulum eccleſiæ Bremenſis præſentibus proteſtamur præmiſſam unionem & incorporationem de noſtro unanimi proceſſiſſe conſenſu. In cujus teſtimonium præſentem literam noſtri capituli ſigilli appenſione duximus communiri. Datum & actum bremæ in loco capitulari, Anno domini Milleſimo, quadringenteſimo decimo nono feria tertia proxima poſt feſtum B. Johannis Baptiſtæ. 1419.

Cum 2. Sigillis.

Poſt quarum quidem Literarum perlelectionem, præſentationem & receptionem Præfatus dominus Johannes Schabbe pro parte dictorum dominorum præpoſiti & conventus principalium, nobis humiliter ſupplicavit, quatenus ſupra dictas literas per notarium publicum tranſumi, exemplari & in publicam inſtrumenti formam redigi facere & mandare, noſtrasque auctoritates & decretum, quod hujusmodi publico tranſumpto, ſicut ipſis originalibus literis, tam in judicio, quam extra ubique locorum ſit plena fides adhibenda, interponere dignaremur. Nos igitur Johannes Epiſcopus prædictus attendentes hujusmodi ſupplicationem fore juſtam & rationi conſonam. Quapropter prædictas literas per Everhardum Notarium publicum infraſcriptum exemplari ac de verbo ad verbum tranſumi & in publicam inſtrumenti formam fideliter redigi mandavimus & præſentibus mandamus, noſtrasque auctoritates pariter & decretum interpoſuimus & interponimus per præſentes, quod hujusmodi tranſumpto tam in judicio, quam extra ubique locorum, ſicut ipſis literis originalibus ſit plena fides adhibenda, cui etiam ſic fidem plenariam adhibuimus & per præſentes adhibemus. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas ſeu præſens publicum inſtrumentum hujusmodi tranſumtum in ſe continentes, exinde per Everhardum Notarium publicum infraſcriptum fieri, exemplari, tranſumi, ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli fecimus appenſione communiri. Datum & actum Lubeck in curia noſtræ ſolitæ reſidentiæ. Sub anno a nativitate Milleſimo quadringenteſimo decimo nono, indictione XII. die Jovis ſeptima menſis ſeptembris. Pontificatus ſanct. in Chriſto Patris & domini noſtri domini Martini. divina providentia Papæ Quinti Anno 2. præſentibus ibidem diſcretis viris Johanne Welingh. perpetuo Vicario in Eccleſia Lubecenſi & Johanne Yborgh Clerico osnabrugg. ac Ludovico de Balionibus de Peruſio mercatore teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. 1419.

CCCIII.

Tranſumtum & confirmatio diplomatis Adalberonis de a 1141.

Johannes dei & apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ *Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus*, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas viſuris vel audituris, ſalutem in domino, cum noticia ſubſcriptorum. Humanæ naturæ provida ſagacitas ſua labilitate penſata diſpoſuit ut oblivioſa ejus memoria literarum documento recipiat confortationis incrementum. Hinc eſt quod ad noticiam futurorum cupimus devenire atque præſentium, quod accedens ad noſtram præſentiam Religioſus & circumſpectus Vir, dominus *Joachimus Præpoſitus olim Novimonaſterii hodie in Bardesholme* nuncupati, noſtræ dioceſis nobis humiliter ſupplicando expoſuit, quatenus quorundam bonorum infraſcriptorum donationem dicto monaſterio in Bardesholme per Reverendum in Chriſto patrem & dominum, dominum *Adelberonem* Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum felicis recordationis noſtrum prædeceſſorem factam, elargitam & ejus patentibus literis ſive privilegiis confirmatam & munitam *approbare, ratificare & confirmare*, præfatum quoque privilegium, *cui ſua vetuſtate conſumptionem & periculum imminere conſpeximus*, innovare & conſervare dignaremur. Cujus quidem privilegii tenor de verbo ad verbum ſequitur in hunc modum. *In nomine ſanctæ* &c. Nos vero gratioſe agere cupientes &c. (*) Datum & actum bremæ anno domini Milleſimo quadringenteſimo viceſimo, in profeſto annunciationis mariæ Virginis glorioſæ. 1420.

(*) Quæ ſequuntur, plane coincidunt cum formula confirmationis ſupra ad ann. 1416. recitata.

CCCIV.

Conventus in Bardesholm per Johannem Epiſcopum Lubec. citari curat Archiepiſcopum bremenſem, Capitulum Hamburgenſe & Hinricum comitem Holſatiæ.

Johannes, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, *Epiſcopus Lübicenſis*, Univerſis & ſingulis dominis Abbatibus, Prioribus, præpoſitis, decanis, Archidiaconis, Scolaſticis, Cantoribus, tam Cathedralium, quam collegiatarum. Canonicarum, Parochialiumque eccleſiarum Rectoribus, Vicerectoribus, presbiteris, Curatis & non Curatis, vicariis perpetuis, Ebdomadariis, Notariis & Tabellionibus publicis & clericis quibuscunque, per *Bremenſem, Verdenſem ac Slesvicenſem Civitates & dioceſes* ac aliis ubilibet conſtitutis pro executione præſentium conjunctim vel diviſim requiſitus, ſalutem in domino. Literas ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Martini, divina providentia papæ quinti, ejus vera bulla plumbea, cum cordula canapis impendente, more Romanæ curiæ 1420

riæ ſigillatas, ſanas integras nobis per venerabilem & egregium Virum dominum *Bertoldum Dives, decretorum doctorem*, præpoſitum noſtræ Lübicenſis Eccleſiæ, Venerabilium & religioſorum virorum dominorum Præpoſiti & conventus Monaſterii in Nienmünſter, alias *in Bardesholm*, Ordinis Sancti Auguſtini, Bremenſis dioceſis, in ipſis literis principaliter nominatorum procuratorum, prout de ſuo procuratorio mandato nobis legitime conſtabat, ipſorum præpoſiti & conventus nomine præſentatas, nos ea qua decuit reverentia, recepiſſe noveritis *ſic incipientes:*

Martinus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Lübicenſi &c. & *ſinientes:* fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatos, qui fuerint evocandi, ita eſſe inveneris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, incorporationem annexionem & unionem prædictas & alia eas contingentia in literis prædictis contenta, ac quæcunque inde ſecuta auctoritate noſtra approbes & confirmes. Datum Florent. III. Kal. decembris Pontificatus noſtri anno tertio.

Poſt quarum quidem literarum apoſtolicarum receptionem fuimus per ſupradictum dominum Bertoldum præpoſitum, nomine quo ſupra, inſtanter requiſiti, quatenus ad executionem earum procedere ac literas citatorias contra & adverſus reverendiſſimum in Chriſto patrem dominum *Archiepiſcopum Bremenſem*, venerabiles viros dominos præpoſitum, decanum & *capitulum eccleſiæ Hamburgenſis* dictæ Bremenſis dioceſis, *& nobilem Virum, dominum Hinricum, Comitem Holſatiæ*, ac omnes alios & ſingulos ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes decernere dignaremur. Nos attendentes hujusmodi requiſitionem fore juſtam & conſonam rationi, volentes ad executionem dictarum literarum procedere, ideoque vobis omnibus & ſingulis ſupradictis & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, quam trium dierum canonica monitione præmiſſa fecimus in hiis ſcriptis ſtricte præcipiendo mandamus quatenus eosdem rever. Patrem ac dominos præpoſitum & capitulum Hamburgenſe ac comitem & alios præfatos & eorum quemlibet auctoritate noſtra in ipſis eorum perſonis, ſi commode fieri poterit alioqui in domibus habitationum eorundem ſignanter in cathedrali Bremenſi, ac collegiata Hamburgenſi, Bremenſis dioceſis ac parochialibus *in Segheberge & in Nienbruke* eccleſiis noſtræ Lubecenſis dioceſis ſupradictis peremptorie citare curetis, quos & quemlibet eorum etiam tenore præſentium peremptorie ſic citamus, ut nona die Menſis decembris proxime ventura in Lubec in noſtra epiſcopali curia coram nobis compareant & quilibet eorum compareat ad videndum & audiendum, ſigna & ſigilla eorum recognoſci & alia in literis apoſtolicis prædictis contenta conſummari: Certificantes eosdem, quod, ſive in dicto citationis termino comparuerint, ſive non, nihilominus prout poterimus procedemus, juſtitia mediante. In quorum omnium & ſingulorum fidem & evidens teſtimonium præſentes literas, ſive præſens publicum inſtrumentum hujusmodi noſtram citationem in ſe continentem, ſive continens, exinde fieri & per diſcretum virum Albertum notarium publicum, noſtrum ſcribam infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſecreti juſſimus appenſione muniri. Datum Lübic. in curia Epiſcopali ibidem, anno domini Milleſimo quadringenteſimo viceſimo. Indictione tertia decima menſis octobris die viceſima prima, hora veſperorum vel quaſi pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Martini divina providentia papæ quinti, anno tertio, præſentibus ibidem diſcretis viris Ludolpho Rendal & conrado Smedebeke clericis Verdenſis & Swerinenſis dioceſis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego *Albertus vam dem Broke*, clericus Verdenſis dioceſis publicus Imperiali auctoritate notarius. Quia præmiſſarum literarum apoſtolicarum præſentationi & receptioni ac citationis decreto, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis præſens interfui eaque ſic fieri vidi & audivi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, quam me aliis præpedito, per alium fideliter conſcriptam de mandato Reverendi in Chriſto Patris Epiſcopi ſupradicti, una cum appenſione ſecreti ejusdem ſigno & nomine meis ſolitis & conſvetis ſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum requiſitus.

Noveritis Reverende Pater quod Ego *Johannes Præpoſitus in Zegheberge* præſens veſtrum mandatum in vigilia Sym. & Judæ fideliter ſum executus, quod proteſtor meo ſub ſigillo.

Reverende domine Pater Noveritis, quod ego Nicolaus G - - Vicerector in Nienbroke præſens veſtrum mandatum ſeu inſtrumentum ſum executus ipſo die Andreæ Apoſtoli, quod proteſtor ipſa manu mea.

Et ego *Nicolaus Georgi, clericus Bremenſis dioceſis*, publicus Imperiali auctoritate notarius, præſentes literas citatorias omnino honorabiles Viros dominos Præpoſitum & capitulum Hamburgenſe citandi, valvis Eccleſiæ Hamburgenſis, Bremenſis dioceſis affixi, ibidem aliquo temporis ſpatio ſtare permiſi ipſosque dominos præfatos, quantum in me fuit, citavi & eisdem depoſitionis copiam auſcultatam repoſui, ydeo hoc præſens retroſcriptum inſtrumentum ſigno & nomine meis

meis ſolitis & conſvetis ſignavi per venerabiles & religioſos Viros dominos præpoſitum & capitulum in Bardesholm Bremenſis dioceſis ſuper hiis rogatus & debite requiſitus præſentibus ibidem diſcretis, domino Johanne presbitero & Johanne clerico Elerſtorp dictis, teſtibus ad præmiſſa.

Et Ego Nicolaus Georgi, clericus Bremenſis dioceſis, publicus imperiali auctorite Notarius, præſentes literas citatorias omnino reverendiſſimum in Chriſto patrem dominum Archiepiſcopum Bremenſem citandi, valvis majoris Eccleſiæ Bremenſis affixi, ibidem aliquo temporis ſpatio ſtare permiſi, ipſumque reverendiſſimum in Chriſto Patrem quantum in me fuit, citavi & eisdem depoſitionis copiam auſcultatam repoſui, ydeoque hoc præſens retroſcriptum inſtrumentum ſigno & nomine meis ſolitis & conſvetis ſignavi, per venerabiles & religioſos viros dominos præpoſitum & capitulum in Bardesholm ſuper hiis rogatus & debite requiſitus, præſentibus ibidem circumſpectis viris, Hinrico de Korbeke & Everardo de Vreſenberghe laicis, dioceſis antedictæ, teſtibus ad præmiſſa.

CCCV.

De Comite Adolpho & Hinrico e Codice Bibliothecæ Bordisholmenſis.

1421. Anno 1419. Cum Adolphus Dux Sleſvic. Comes Holſatiæ ex ſtirpe Schaumburg., Gerhardi Ducis filius natu ſecundus adoleverat, Comes Henricus prioris patruelis & electus Osnabrugenſis valetudine infirmior conſilium cepit per reſiduum vitæ ſpatium negotiorum mundanorum curam ex animo dimittere & in inclytum cœnobium Bordesholmenſe, cui addixerat pagum Loop, ſe abdere. Hinc Comitem Adolphum a celebratiſſimo Burggravio Nürnbergenſi, jamque Electore Brandeburg. Friderico I. ex hac Sereniſſ. familia florentiſſima adhuc, ad ſe revocavit in cujus aula Comes Henricus illi ante aliquot annos locum comparaverat, ſiquidem Marchio atque Elector hic cum Duce Slesvicenſi affinitate conjunctus erat. Cum vero Dux Adolphus in patriam Holſatiam redux factus eſſet, comes Henricus epiſcopus ipſi tradidit primarias tunc reputatas arces Segebergam & Rendsburgum una cum Holſatiæ terra. Nam Dux Henricus frater natu major, qui poſtea, apud Flensburgum occidit, plerumque Gottorpii commorabatur. Tertius ordine frater Dux Gerhardus nondum adultus: quo facto Comes Henricus dictum cœnobium Bordisholmenſe ingreſſus, cum perenni ipſius gloria ex ſincere & impigre adminiſtrata tutela patruelium ipſius maxime afflictorum principaliumque pupillorum. (*) Hic electus anno 1421. poſt mortem Joannis Schondeloffii in epiſcopum deſignatus, ſed haud inauguratus, quoniam paucis diebus poſt electionem factam in cænobio Bordesholmenſi e vita diſceſſit, per biennium ibi commoratus; ſepultus Itzehoæ.

(*) DANCKWARTH *Hiſt. MSC. ad ann. 1419. 1421.*

CCCVI.

Matthias Boghe, Vicarius Lübecenſis, erhandelt von dem Cloſter Bardesholm vor 400. marck capital vor ſeine Seele eine Ewige Meſſe, ſo von den 24. marck falligen Renthen zu Neumünſter auf St. Nicolai altar durch gewiſſe geiſtliche perſonen jährlich gehalten werden ſolle.

In nomine domini amen. Noverint univerſi & ſinguli, hoc præſens publicum inſtrumentum, inſpecturi viſuri, lecturi pariter & audituri. Quod nos *Hermannus Hughe*, in Eccleſia Lubecenſi perpetuus vicarius ac eccleſ. Lübicenſis Officialis generalis, ad venerabilis & circumſpecti Viri domini ac Magiſtri *Theodorici Stöveman* (Stoucman) *Cantoris Sleſvicenſis* ac *ejusdem & Lübecenſis eccleſiarum canonici principalis* inſtantiam & requiſitionem, omnes & ſingulos ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes eorumque procuratores, ſi qui erant tunc in civitate Lubicenſi pro eisdem ad videndum & audiendum, quandam patentem literam in pergameno & *vulgari Theutonico* ſcriptam erectionem & fundationem cujusdam perpetuæ miſſæ in parochiali eccleſia loci Nigenmünſter Bremenſis dioceſis ad certum altare concernentem, & duobus appenſis ſigillis ſigillatam in medium exhiberi, ac nonnullos fide dignos teſtes ut & tanquam teſtes ad jurandum de perhibendo teſtimonium veritati, de & ſuper recognitione dictorum ſigillorum produci, recipi, & ad jurandum admitti ſeu compelli. Et poſtquam & hujusmodi ſigilla recognita & pro recognitis habita fuerunt ipſam patentem literam tranſumi & exemplari & in publicam tranſumti formam redigi mandavi, auctoritatemque ordinariam & ſeu judiciariam & decretum noſtrum interponi, literasque deſuper neceſſarias & oportunas decerni & concedi vel decernendum, & cauſam, ſi quam habebant rationabilem, quare præmiſſa minime fieri debebant, allegandi per affixionem citationis noſtræ in valvis, ſive portis majoris eccleſiæ Lubicenſis, ubi hujusmodi citationes affigi ſolent & publicari, citari fecimus & mandavimus ad certum peremptorium terminum competentem, videlicet ad diem & horam infraſcriptas. Quibus advenientibus comparuerunt in Judicio legitime coram nobis prælibatus dominus Theodericus Stoveman principalis principaliter pro ſe ipſo, circa tamen quorumcunque procuratorum ſuorum per eum hactenus quomodolibet conſtitutorum revocationem, & cœteras literas citatorias a nobis emanatas, in dictis valvis, ſive portis majoris eccleſiæ Lubicenſis, ubi hujusmodi literæ citatoriæ affigi ſolent & publicari, noſtro de mandato affixas, publi-

Datum legati 1421. Tranſumti 1487.

publicatas & debite executas facto realiter & in ſcriptis exhibuit atque reportavit, citatorumque in eisdem contentorum non comparentium contumaciam accuſavit, ipſosque contumaces reputari & in eorum contumaciam, ſupradictam patentem in pergameneo & in vulgari Thevtonico ſcriptum, facto realiter & in ſcriptis infraſcripti tenoris in medium, nec non nonnullos teſtes fide dignos ad perhibendum teſtimonium veritati, de & ſuper recognitione dictorum ſigillorum hujusmodi patentis literæ appenſionem exhibuit atque produxit, quos ad hoc compelli, interrogari & examinari, nec non ſæpedictam patentem literam tranſumi & exemplari & in publicam tranſumpti formam redigi mandari, noſtramque & noſtri officialatus auctoritatem ordinariam & ſeu judiciariam & decretum interponi per nes debita in inſtantia poſtulavit Nos tunc Hermannus Hughe, officialis generalis, dictos citatos non comparentes, reputavimus non immerito prout erant, id exigente juſtitia, contumaces & in eorum contumaciam, ſæpedictam patentem literam in vulgari Almannico ſcriptam, ad manus noſtras recepimus illumque vidimus tenuimus, legimus & inſpeximus, dictosque teſtes ſuper recognitione hujusmodi ſigillorum appenſorum, mediis eorum juramentis diligenter examinavimus Et quia ex debita inſpectione reperimus, præfatam patentem literam ſanam & integram non vitiatam, non cancellatam neque in aliqua ſui parte ſuſpectam, ſed omni prorſus vitio & ſuſpitione carentes, atque ex teſtium dictis & depoſitione ſigilla fore illorum, quorum eſſe dicuntur, Idcirco hujusmodi ſigillis ſufficienter recognitis Nos ad dictum Magiſtrum Theodorici Stouemanni principalis inſtantiam, hujusmodi prætactam patentem literam in vulgari ſcriptam per diſcretum virum Theodoricum Crevet, clericum mindenſis dioceſis, publicum imperiali auctoritate notarium & coram nobis Scribam infra ſcriptum tranſumi & exemplari, nec non in publicam tranſumpti formam redigi fecimus & mandavimus, volentes & auctoritate officialatus dictæ Eccleſiæ Lubicenſis decernentes, quod præſenti publico noſtro transſumpto de cœtero & in antea, tam in Roma (Romana curia) quam extra eam, & ubicunque locorum, in judicio & extra ſtetur, illique detur & adhibeatur talis & tanta fides, qualis & quanta dictæ originali literæ juſte & cum præſenti transſumpto auſcultate & collationatæ, data fuit & adhibita daturque & adhibetur ſeu daretur & adhiberetur ſeu in judicio exhibita fuiſſet aut oſtenſa. Hujusmodi autem literæ patentis tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis:

In deme Namen godes Amen. To eyner ewyghen dachtnüſse deſer naſcrevenen dinck bekenne wy *Joachim*, mit godes gnaden, *proüeſt*, Hermannus Prior, unde dat gantze Capittel to Nyenmünſter, anders gheheten *Bardesholm*, vor allen criſtenen Lüden, unde don een Wydlick, dat wy myd vorbedachteme mode unde endrachteme rade unde wyllen Redliken verkofft hebben. deme beſcheden manne hern Mathiæ Boghen, ewighen Vicarieſse der Kerken Lubic, veer unde twintich marck lübeſcher pennynghe Jarliker ewygher Renthe, in deſser naſcrevenen wiſe, vor veer hundert marck Lüb. pennynghe, de uns an ener ſummen danckliken betalet ſynt, unde wy vort an de Nottrofftighen Nuyt unſer Kerken ghekeret hebben. Deſse vorſchreven veer unde twintich marck Renthe ſchole wy unde willen, edder unſe Nakomelinghe, deme yorſchrevenen heren Mathiæ alle Jahr gheven danckliken bynnen den achte daghe Sünte martens, uth unſeme wiſsiſten ghude, bynnen der Stadt Lubick, an ghuden reden *Lübeſchen ſülver penninghe*, alſe dar uppe de tyd ghenge unde geve ſynt, upun ſe egene Koſte, teringhe unde arbeyt, ſunder jenigher hande vertoch, hynder unde unbeworen. Des hefft deſse ſülve her Mathias an guder ſalighen andacht, begheringhe unde willen by volmacht ſynes levendes, ſynne unde redelicheyt ſo gheſchicket, unde hefft deſse vorbenomte tydliken renthe unde ghude an ewighe gheyſtlike ghude gewandelt. Deſse vorbenömte veer unde twintich marck Renthe, tho der Ehre unde Love des alwaldighen godes, ſiner hillighen moder Marien, to Troſte unde ſalycheyt ſyner olderen zele, na ſynem levende to eyner ewigen myſsen, alle daghe de an der Kercken to Nyemünſter to deme altare ſünte Nicolai tho holdende. unde ock tho ener ewyghen dachtnyſse alle Jar in unſeme cloſter to beghande to ewygen tyden, alnaſcreven ſteyt alſe we de proüeſt ys in tokomeden tyden an unſeme vorſcreven cloſtere, ſchal darto ſchicken enen uth unſeme capittele, de van eneme gheyſtliken levende ys, de ſtedes to Nyenmünſter weſen ſchal, unde Myſſen vorſtan, alſe vorſcreven is: unde demeſülven preſtere ſchall de proüeſt unſes cloſters alle Jare bynnen den achtedaghen Sünte Martens danckliken gheven van den vorſchreven veer unde twintich marck gheldes achteyn marck Renthe an eyner ſummen ſunder jenygherhande hülpe-rede unde wedderſtand. van den andern ſöſs marck ghelde ſchal men alle Jar dem Kerckheren to Nyemünſter dre marck geldes to dancke gheven, dar he Hern Matthias zele unde ſyner olderen Zele vor dencken ſchal. de helfte van den leſten dreen marcken gheldes ſchal to ewyghen tyden by deme Sacriſten to wine unde to oblaten bliven. de andere Helffte alſe veer unde twyntich ſchillynghe ſcholen ſtede bliven by den menen heren unſes cloſters, dar ſe alle Jar memorien umme dœn ſchölen upp den ſulven dach, alſe hern Matthias erghefecht vorſtorven

ſtorven is, de to donde myd vigilien unde ſelemiſsen, unde comendatien, na erliker wyſe unſes cloſters. Ock ſo ſcholen wy unde wyllen ſynen Namen wenn er he vorſtorven is, unde ſyner olderen Namen, *an de Boke ſchriven unſer dachtnuſse*, unde wan er de vorſcreven her Mathias vor Martini vorſtorven is, ſo ſcholen de vorbenömte veer unde twyntich marck gheldes van dem Sünte Martens dage ock to uns komen, der vvyſe, alſe vorſchreven ſteyt. ock ſo hebbe vvy vor uns, unſe Nakomelinghe de gnade unde macht beholden, dat vvy deſse vorbenömte veer unde tvvyntich marck gheldes vvedder van uns Kopen möghen unde vvann er dat men des to rade vvert, ſo ſchole vvy unde unſe nakomelynghe de hövet ſummen, alſe *verhundert marck* vvedder legghen an eyne wyſſe ſeker ſtede, na rade Hans Schelen und Marquardes ſynes broders, Borgheren to Lübeck, edder eren erven, alſe dar deſse vorſcreven rente, veer unde tvvintich marck alle Jare to evvyghen tyden affkomen möghen. alle vorſcrevene ſtücke unde einſslick love vvy, proüeſt, prior unde capittel vor uns, unde unſe Nakomelinghe unbrekeliken to evvyghen tyden toholdende, ſunder jenigerhande hulprede, ynthoge unde ane alle argheliſt. Tho Orkunde unde bgvvyſinghe deſſer dingk, ſo hebbe vvy unſes proüeſtes Ingheſegel, myt unſes capittels Ingheſeghele, endrachtliken an deſſen Breff ghehenget laten, gegheven unde geſchreven na godes bort *tuſent Jar, veer hundert, an deme en unde twintigeſten Jare*, an deme avende unſer leven vrouvven als ſe geboren vvard.

Quibus omnibus & ſingulis, tanquam rite & legitime factis, auctoritatem & decretum dicti officialatus Eccleſiæ Lübicenſis, atque noſtrum duximus interponendum & interpoſuimus, prout interponimus præſentium per tenorem In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum præſentes literas ſive præſens publicum transſumptum inſtrumentum exinde fieri & per notarium publicum & coram nobis Scribam infra ſcriptum ſubſcribi & publicari, ſigillique officialatus Eccleſiæ Lübicenſis juſſimus & fecimus appenſione communiri, datum & actum Lübec in domo habitationis noſtræ, nobis inibi hora veſperorum & audientiæ cauſarum *curiæ Officialatus Lubicenſis* conſveta ad juſtitiam reddendam & cauſas audiendas pro tribunali ſedentibus, ſub Anno a nativitate domini Milleſimo Quadringenteſimo octuageſimo ſeptimo. Indictione quinta, die vero Sabbati decima nona menſis maji, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Innocentii, divina providentia papæ octavi Anno tertio, præſentibus ibidem honorabilibus viris, dominis Johanne Grittow & Hermanno Bramſtede, in Eccleſia B. Mariæ Lubicenſ. officiantibus, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Theodoricus Crevet, clericus Hildeſemenſis dioceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, curiæque officialatus Lubicenſis coram venerabili Viro domino Hermanno Hughen, Officiali curiæ Lüb. generali, hujusmodi negocii ac cauſæ Scriba. Quia præfatæ literæ originalis præſentationi, receptioni, recognitioni, collationi, auſchultationi, transſumptioni, auctoritatisque & decreti interpoſitioni, omnibusque aliis & ſingulis, dum ſic ut præmittitur, coram eodem fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi, audivi & in notam ſumpſi, ex qua hoc præſens publicum inſtrumentum, formam tranſſumti in ſe continens, per alium fideliter conſcriptum ſubſcripſi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, quam ſigno & nomine meis ſolitis & conſvetis una cum appenſione ſigilli *Officialatus, dictæ Eccleſiæ Lübicenſis*, ſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

CCCVII.

Convent zum Bordesholm verpflichtet ſich denen Brüdern Gz. Hinrich, Adolphen und Gerharden vor die donation der Kirchen zum Nienbrock gewiſſe Vigilien und Seelmeſſen zu halten zu ewigen Tagen.

Wy *Joachim mit ghades gnaden proveſt,* 1421.
Hermannus Prior unde dat ganze Convent to Nigemünſter, anders geheten Bardesholm ſyn witliken an deſſem breve bekant, wo de Eddele vorſte unſe gnedige here, Greve Hinrick van Holſten ſeligher dechtnüſſe na eendrachtliken Wulborde unde ganzem willen der hochgebornen vorſten, unſer gnedigen Heren, Hern *Hinrikes*, Hern *Alffs* unde Heren *Gherdes*. Hertoghen to Sleſswick, greve to Holſten &c. umme mengherleye Erbede, noed unde legenheit unſes Cloſters umme mernighe ghotlikesdenſtes, umme ſalighe ewighe dachtnüſſe erer und erer olderen Zele willen de to donde unde to beghande an unſem Cloſtere in deſſer naſcrevenen wiſe to ewiger tydt eghent (eigenet) und gheven hefft de Kercken to dem Nyenbrücke an dem Stichte to Bremen, de bruckliken hebbende unde to beſittende, na lude der breve de dar gheven und upbeſeghelt ſynd. Deſſe vorſcreven ewighen dacthnüſſe ſchole wy unde unſe nakomelinghe flitliken began, in deſſer wiſe, dat me alle daghe an der vaſten des avendes ſingen ſchal *Salve Regina*, unde darto ene collecten van unſer leven vrouwen, unde de advente over, alle avende *Veni redemptor gentium* myd *erliken noten:* unde to enem yſsliken ſanghe, unde ſtetlikes to den tyden ſcholen bernen twe wundene Kerſen, der ein yflick to dem mynſten twe punt Waſſes holden ſchal. Ock ſchole wy unde unſe Nakomelinghe unſer vorbenömeden gne-

gnedighen Herſchop unde der Eddelen vorſten Hertogh Gherden van Sleswick und Greve Alberdes broderen ſeligher dechtnüſſe unſer gnedighen heren und all erer olderen flitliken began, alle jar to tween tyden und ſinghenden vigilien und Zelmiſſen unde mit bevelinghen der Zelen, ſo wy löfflikeſt könen und möghen. Ock ſchöle wy unde unſe Nakomelinghe to ewighen tyden ſteedlikes holden alle daghe ene miſſen to dem altare des hilghen Crüces an unſem Cloſtere, alſo dat men ſunderlikes alle ſoendaghe van der hilghen drevaldicheyt, alle mydweken van allen Criſten Zelen, und des Sonnavendes van unſer leven Vrouwen Miſſen holden ſchal, wo dat nen ankomende grotfeſt benemende zy. In all deſſen vorbenömeden miſſen unde in allen anderen miſſen de ſcheen an unſem Cloſtere to ewighen tyden ſchöle wy unde unſe Nakomelinghe innigliken bidden *vor alle herrſchop und eren olderen*, beyde vor de levendighen und vor de doden, enen jeſsliken *by ſinen eghenen Namen und allen truwen*, ock were id, dat en van unſen gnædigſten vorſten vorſtorve, dat god affkere, dem ſchole wy vigilien und Zelmiſſen ſinghen, als wy hochlikeſt könen, des daghes und nachts, dat ghekundiget werd liker wyſs, iſſt zyn Licham yeghenwardich were an unſem Cloſtere. Deſſe vorſchreven dachtnüſſe love wy vor uns unde vor unſe Nakomelinghe to ewigen tyden unbrekeliken to holdende ſunder hülprede. Des to Orkunde, ſo hebbe wy unſer proveſtie und Convents inghefegele endrachtliken vor deſſen breff ghehenghet laten, ſchreven na godes bort veerteynhundert Jar darna in dem eyn unde twintighſten Jare, in ſünte benedictus daghe des hilighen bichteghers.

CCCVIII.

Nicolaus Pluchovede Rector Eccleſiæ parochialis in Nigenbroke reſignat eandem Eccleſiam ad liberas manus præpoſiti Hamburgenſis.

1421. In nomine domini Amen. Anno a nativitate ejusdem Milleſimo Quadringenteſimo, viceſimo primo, indictione decima quarta die vero veneris Menſis Maji ſecunda, hora terciarum vel quaſi Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, Martini divina providentia papæ quinti Anno quarto, in venerabilis & circumſpecti Viri & domini, domini Werneri militis præpoſiti Hamburgenſis Bremenſis dioceſis meique notarii publici nec non teſtium infra ſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia conſtitutus diſcretus vir, dominus Hinricus de Winckell presbiter officians in Eccleſia beatæ Mariæ Hamburgenſis procurator & procuratorio nomine providi viri, domini *Nicolai Pluchovede* rectoris Eccleſiæ parochialis *in Nigenbroke* dictæ dioceſis plenam habens poteſtatem & mandatum reſignandi, renunciandi & dimittendi in manibus dicti domini præpoſiti eccleſiam præfatam prout de hiis fidem fecit quodam publico inſtrumento procurationis ſubſcripto & ſignato, manu & ſigno diſcreti viri Nicolai Georgii clerici bremenſis dioceſis antedictæ auctoritate imperiali publici notarii, ſponte libere ſimpliciter & absque omni dolo & fraude dimiſit, renunciavit & reſignavit *in manibus dicti domini Werneri præpoſiti*, Eccleſiam parochialem in Nigenbroke antedictam ac omne jus quod prælibato domino Nicolao competebat & quomodolibet competere poterat in eadem nichil re ipſa reſervando, eidem domino Wernero præpoſito ſupplicando inſtanter, quatenus hujusmodi *reſignationi* gratioſe annuere dignaretur. Memoratus vero dominus Wernerus præpoſitus dictæ ſupplicationi annuens & favorabiliter conſentiens reſignationem antedictam ſic libere ut præmittitur factam *recepto tamen prius* a dicto domino Hinrico *procuratore, in animam ſui domini conſtituentis juramento corporali, quod in hac reſignatione* fraus, dolus nec aliqua ſimoniaca pravitas intervenerit admiſit, ipſamque admittendo & auctoriſando approbavit. Super quibus omnibus & ſingulis dictus dominus Hinricus procurator procuratorio quo ſupra nomine me notarium publicum requiſivit infra ſcriptum quatenus unum vel plures, tot quot forent neceſſaria publicum vel publica conficerem inſtrumenta. Acta ſunt hæc in Eccleſia beatæ Mariæ Hamburg. ante dicta, Anno indictione Menſe die hora & pontificatu quibus ſupra, præſentibus ibidem honorabilibus viris dominis Johanne Uppemperde, Johanne Mud & Hermanno de Büren ante fatæ Eccleſiæ Hamburgenſis canonicis teſtibus præmiſſorum requiſitis. Et ego Hinricus Leddinghuſen clericus Verdenſis, publicus imperiali auctoritate notarius, dictis renunciationi, dimiſſioni, reſignationi, admiſſioni, approbationi, omnibusque aliis & ſingulis dum ſic ut præmittitur fierent & agerentur una cum antedictis dominis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi ac in hanc publici inſtrumenti formam redegi, quod manu, ſigno & nomine meis ſolitis & conſvetis ſignavi in fidem & teſtimonium evidens omnium præmiſſorum legitime requiſitus.

CCCIX.

Villani in Prodenſtorpe per Elyam Manter excommunicati per officialem Bremenſis curiæ ab excommunicationis ſententiu abſolvuntur.

Mathias Vorker Officialis curiæ Bremenſis *ultra Albiam*, honorabili viro domino *Marquardo Brand, Vicerectori in Kyl* vel ejus vicem gerenti, Salutem in domino. Conqueſtus eſt nobis diſcretus Vir dominus *Martinus Lemego*, perpetuus Vicarius ad altare ſanctæ crucis in veſtra parochiali eccle- 1421.

sia quod alias ad importunam instantiam cujusdam *Elyæ Münter*, villani *in prodenstorpe* vestri parochiani, Senior videlicet Stake, Boyse, Clawes & Hennekinus filius ejus, nec non cœteri Villani ejusdem villæ, ex eo, quod idem Elyas jurisdictionem & etiam exactionem vigore cujusdam confirmationis ejusdem vicariæ subdole obtentæ prætendit in eosdem habere consilium, etiam ad petitionem prædicti domini Martini, veri possessoris jurium talium in eos sæpius per nos & prædecessores nostros hinc inde excommunicationum diversis sententiis fuerint innodati. Unde idem dominus Martinus nobis supplicavit, ut sententias excommunicationum taliter qualiter in eos latas, tum ipsi proni scilicet solvere, cui de jure debent, revocare dignaremur, donec & quousque per Officialem generalem curiæ prædictæ vel per nos merita causæ tunc in juditio pendentis inter eosdem sententialiter & diffinitive finientur; Quare eosdem villanos in prodenstorpe omnes & singulos & eorum quemlibet auctoritate ordinaria a dictis excommunicationum sententiis absolvimus per præsentes, & nichilominus vobis mandamus, quatenus eosdem absolutos publice nuncietis. Datum Anno domini M. CCCC. XXI. dominica prima post epiphanie domini, nostro sub sigillo præsentibus appenso.

CCCX.

Instrumentum Notarii super injuriis verbalibus, Eliæ Muntero a Martino quodam illatis.

1421. In Dei nomine Amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCCC. XXI. Indictione XIIII. mensis Martii die penultima hora vesperorum vel quasi Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac domini nostri, domini Martini digna dei providentia papæ quinti anno quarto: Coram honorabili viro Mag. Nicolao Poppen, officiali curiæ Bremensis generali, in meique notarii publici subscripti, testiumque subscriptorum præsentia comparentibus in judicio discretis Viris domino *Martino Comegholo*, perpetuo -- in ecclesia sancti Nicolai Kilonienſ. ex una, & Helia Münter, clerico bremensis diocesis parte ex altera, ex diversis altercationibus hinc inde per partes prædictas ventilatis, dictus dominus Martinus Comegholo in eodem judicio generaliter & specialiter prorupit in hæc verba: dicens ad Heliam, quod esset falsarius, ad quod Helias respondit, quod hoc mentiretur, sicut filius meretricis & bubonis (*Bube*) & sicut &c. quibus verbis prolatis in continenti dictus Helias illam injuriam judicialiter sibi illatam *ad animum revocavit*, dicens in verbo veritatis, quod pro nulla re mundi illam injuriam sustinuisse voluisset: Extunc dictus dominus Martinus subjunxit, quod tam diu vellet ipsum nominare & reputare pro *falsario*, quo usque ipse produceret vel proderet, illum falsarium qui *literam quandam confirmationis cujusdam Vicariæ altaris sanctæ crucis, siti in Ecclesia sancti Nicolai Kilonensis falsificasset*. Extunc dictus dominus officialis surgendo dixit: Si quis vestrum voluerit manere apud honorem suum, ille sequatur me, & sic dicti domini Martinus & Helias sponte libere & voluntarie exierunt Monasterium Sancti Georgii Stadensis pro defensione sui honoris & ad prosequendum causam inceptam. Super quibus omnibus & singulis dictæ partes requisiverunt me Notarium publicum subscriptum ut sibi unum vel plura publicum vel publica conficerem instrumenta. Acta sunt hæc stadis in Monasterio sancti Georgii Anno indictione mense, die, hora & pontificatu quibus supra præsentibus Venerabilibus viris dominis Hartvico Abbate monasterii beatæ Mariæ Virginis, Ortghise spaden præposito Monasterii in Tzevena. Johanne Borcholten præposito & multis aliis presbiteris & laicis testibus fide dignis ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego *Hinricus* dictus *Schelo*, clericus Brem. diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius quod præmissorum verborum obvectivorum prolationi omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sic ut præmittitur, agerentur & fierent una cum prænominatis testibus præsens interfui eaque sic fieri vidi & audivi & in hanc publicam instrumenti formam redegi, quam nomine & signo meis solitis & consvetis signavi in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum requisitus.

CCCXI.

Nicolaus, Rector in Nienbroke, Ecclesiam suam parochialem resignat in Manus Præpositi Hamburg.

In Nomine domini Amen. Anno nativi- 1421.
tatis ejusdem M. CCCC. XXI. Indictione XIIII. Mensis aprilis die XXIX. hora primarum vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini Martini papæ quinti, Anni ejus quarto, in mei Notarii publici & testium infrascriptorum præsentia personaliter constitutus discretus Vir, dom. *Nicolaus Pluchoned*, *Rector parochialis Ecclesiæ in Nygenbroke Bremensis diocesis*, senio, ut videbatur, depressus. Attendens igitur, quod præfatæ suæ Ecclesiæ non posset salubriter præesse, meliori modo, causa & forma, quibus potuit, fecit, constituit & solempniter ordinavit circumspectos Viros dominos *Georgium Soltwedel & Henricum de Bötel, presbiteros beneficiatos* in Ecclesia *beatæ Mariæ Virginis in Hamburg*, absentes tanquam præsentes, & quemlibet ipsorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, nisi, quod unus eorum incepit, alter persequi valeat & finire in suos veros & legitimos procuratores, negotiorum suorum gestores & nuncios speciales, pro ipso & ipsius nomine

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mine præfatam Ecclesiam Nygenbroke seu regimen & curam ipsius, cum omnibus suis juribus & pertinentiis universis in manibus honorabilis Viri domini *præpositi Hamb.* resignandi, renunciandi, cedendi ac sponte & libere dimittendi, supplicandique præfato honorabili domino hujusmodi resignationem renunciationem & dimissionem admitti, eumque a vinculo, quo ipsi Ecclesiæ astrictus tenetur absolvi, Juramentum quodcunque circa præmissa necessarium in animam ipsius constitutum præstandi dans etiam & concedens producens, constituens eisdem suis procuratoribus aut alteri eorum plenam & liberam potestatem & speciale mandatum præmissarum renunciationis dimissionis & resignationis Nec non omnia & singula præmissa faciendi, faciendi excercendi & exequendi, quæ necessaria in præmissis videbuntur, seu quomodolibet oportuna & quæ ipsemet constituens facere posset, si personaliter præmissis interesset, promittens mihi Notario infrascripto stipulatione solemni ratum, gratum, firmum perpetuo habiturum quicquid per dictos suos procuratores aut per alterum eorum renunciatum cessum, dimissum, resignatum vel alias quomodolibet præmissa tangentia, fuerint actum & procuratum. Acta sunt hæc in loco capitulari Monasterii *Bardesholm* Bremensis diocesis, Anno, indictione, mense, die, pontificatu, quibus supra præsentibus discretis Viris domino Johanne Winckelman presbitero & Johanne Schotzowen clerico Razeburgensis & Lübicensis diocesis & aliis quam pluribus testibus ad præmissa rogatis & requisitis.

Et Ego Nicolaus Georgi, Clericus Bremensis diocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius, hujusmodi constitutioni stipulationi, omnibusque aliis & singulis, dum sic ut præmittitur fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, & in hanc publicam formam redegi, quod signo & nomine meis solitis & consvetis signavi rogatus & requisitus, in fidem & testimonium omnium præmissorum.

CCCXII.

Helias münter clericus conjugatus, falsitatis & perjurii reus cum quibusdam fidejussoribus ob fugam & expensas non solutas, more pontificio excommunicationis fulmine damnatur.

1422. *Nicolaus*, Dei & apostolicæ sedis gratia, sanctæ bremensis ecclesiæ Electus & confirmatus, universis & singulis Ecclesiarum Rectoribus, seu Vice-Rectoribus, per nostram diocesin, & *præsertim in opido* KYL *& in villa* NYENMÜNSTER *constitutis* præsentibus requirendis salutem in domino & mandatis nostris firmiter obedire. Alias siquidem *Helyas Münther*, assertus *clericus conjugatus* nostræ diocesis, nostro coram officiali in oppido nostro Stadensi propter certa gravamina per dominum Martinum Lemeghow, presbiterum nostræ diocesis generaliter in judicio objecta, *super falsificatione unius literæ confirmationis Vicariæ sanctæ crucis in Ecclesia sancti Nicolai opidi Kilonensis*, dictæ nostræ diocesis, non vi, metu, seu dolo circunductus, sed ex certa sua scientia voluntarie & sponte cum eodem domino *Martino delatore*, CARCERES *& compedes nostros* SUBINTRAVIT, se obligantes, quod quicunque eorum eosdem compedes & carceres nostros *absque prosecutione causæ & judiciali absolutione exiret*, deberet haberi, teneri & reputari in causa supradicta *pro convicto*. Idem tamen Helias Munther propriæ salutis immemor, nescitur quo spiritu ductus *carceres nostros supradictos* absque judiciali absolutione nocturno tempore clam & contumaciter exivit, se in fugam convertens: Quapropter eundem Helyam per nostros officiales ad prosequendam causam supradictam denuo mandavimus incarcerari & vinctum detineri. Tandem officialis noster ob reverentiam sanctæ sedis apostolicæ dictam causam de consensu patrum supradictorum ad curiam romanam remisit, inibi terminandam, unde dictus Helyas super expensis in dicta causa per nostros officiales propter fugam suam factis in certa pecuniarum summa nobiscum concordans nobis in triginta marcis Lübecensibus mansit obligatus, pro quibus solvendis in opido Hamburgh in domo habitationis discreti viri Martini Gholtbeken opidani opidi supradicti infra octavas sancti Martini tunc immediate sequentis, quidam Martinus & Hartwicus fratres Hardenberch, laici dictæ nostræ diocesis conjuncta manu & in solidum promiserunt, prout in literis eorum desuper confectis plenius continetur. Insuper dictus Helias ex certa sua scientia & spontanea voluntate bona fide promisit & nichilominus in manibus officialis nostri, vice, nomine & auctoritate nostra recipientis, corporale præstitit juramentum, quod de incarcerationibus & detentionibus de se factis contra nos, familiares & subditos nostros se in perpetuum non vellet vindicare, per se, vel alium, verbo vel facto, directe vel indirecte, publice vel occulte: Et si, quod absit, aliquod de præmissis præmissorum occasione turbaret, molestaret vel impeteret, in judicio vel extra, extunc ipso facto, dictus Helyas Münter deberet declarari perjurus, & totiens quotiens ipse, vel alius nomine ipsius talia attemptarent, deberet nobis in ducentis & quinquaginta florenis Renens. obligari realiter & effective, pro quibus beka uxor ejus legitima, domini Johannes Buller, Nicolaus Vynck presbiteri, Luderus vynck. Johannes Münter, Marquardus Wulf & Henneke Vysch, laici nostræ diocesis, manu conjuncta & in solidum promiserunt. Demum vero dictus Helias Münther, honoris sui prodigus & juramenti sui

ſui præſtiti immemor, quosdam noſtros familiares & ſubditos per quendam Joachim Moltzen in cauſa prædicta ad curiam Romanam citari ſubdole procuravit. Quapropter nuper auctoritate ordinaria ſub certis pœnis in citatorio noſtro expreſſis, peremptorie citamus & citari mandamus, eundem Heliam, ut nona die coram nobis aut officiali noſtro in caſtro noſtro Vordis compareret, ad videndum ſe reatum perjurii & pœnam ſolutionis ducentorum & quinquaginta florenorum Renenſium declarari incidiſſe, nec non beken, uxorem ejus legitimam & alios fidejuſſores videlicet dominos Johannem Bulder, Nycolaum Vynck presbiteros, Luderum Vinck, Johannem Münther, Marquardum Wulff & Henneken Vyſch laicos ſupradictos, quatenus eadem die nona nobis hujusmodi ducentos & quinquaginta ſiorenos Renenſes ſolverent realiter & effective. Ac etiam prædictos, Marquardum & Hartvicum Hardenberch ut eadem die nona nobis triginta marcas denariorum Lübecenſium, quas infra octavas B. Martini, jam præteriti, debuiſſent exſolviſſe, nomine dicti Helyæ, ut præfertur una cum dampnis & expenſis ob hos paſſis exſolverent realiter & cum effectu, aut alias alligaturi cauſas rationabiles, quare præmiſſa fieri non deberent & quare ad ea minime teneantur & ad videndum & audiendum, ſi ſic, ut præmittitur, non ſolverent dictas pecuniarum ſummas, vel de contrario legitime non docuerint proinde quod veriſimiliter de fuga, aliquorum de prædictis ac rerum ſuarum alienationem bona eorum omnium ex ſingulorum ſupradictorum, per nos juſte & de jure arreſtari. In quo quidem termino, dicti Beka, Marquardus & Henneke Vyſch comparuerunt in oppido noſtro Vordis ſupradicto, coram honorabili viro domino Nicolao Poppen, decano Eccleſiæ Rameslöenſis, noſtræ dioceſis, noſtro in hac parte commiſſario & ſe ſponte judicio noſtro ſubmiſerunt. non tamen termino ſatisfecerunt, nec de contrario ut præmittitur, docuerunt. Prædictus vero dominus Johannes Bülder, Nicolaus Vynck presbiteri, Lüderus Vynck, Johannes Münther, Marquardus Wulff & Hartvicus Hardenberch, neque per ſe, neque per alium (mandatarium) legitimum comparere curaverunt, contumaciter ſe abſentantes, ideoque dictus dominus Nicolaus, noſter in hac parte commiſſarius, dictos Beken, Marq. Wulff, & Henneken Vyſch, dominos, Johannem Bulder, Nicolaum Vynck presbiteros, Luderum Vynck Johannem Munther & Hartvicum Hardenberch & eorum quemlibet reputavit, prout merito erant, contumaces, ipſosque - - in eorum contumaciam, pœnas & cenſuras, in dictis noſtris literis curatoriis contentas & fulminatas, dampnabiliter incidiſſe declaravit & nos, præſentibus etiam incidiſſe declaramus, mandantes vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam in Vos non præſentes ferimus in hiis ſcriptis, trina tamen & canonica monitione præmiſſa, quatenus ſingulis diebus dominicis & feſtivis dictos Beken, Marquardum Wulff, Hartwicum Hardenberch dominos Johannem Bulder, Nicolaum Vynck, presbiteros, Luderum Vynck, Johannem Münther, Marquardum Hardenberch, publice ex ambone excommunicatos, pulſatis campanis, candelis accenſis, & demum extinctis, & in terram projectis, more ſolito nuncietis, mandantes univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, necum dictis excommunicatis *eundo ſtando, ſedendo, placitando, emendo, vendendo, edendo, bibendo, ſerviendo, hoſpitando, conſilium aliquod præſtando, ignem ſeu aquam miniſtrando ſeu alio* QUOVIS HUMANITATIS SOLATIO *participare præſumant alioquin in omnes & ſingulos inobedientes, contrafacientes & rebelles, excommunicationis ſententiam ferimus & promulgamus* in hiis ſcriptis, quos, quorum nomina formaliter in ſpecie, reliquos vero in genere excommunicatos nuncietis, non ceſſantes ab hiis, donec aliud a nobis ſuper hoc habueritis in mandatis. Executione facta reddatis præſens noſtrum mandatum, vos qui requiſiti fueritis ſeu fuerit requiſitus, veſtris ſigillis ſigillatis, diem veſtræ executionis nobis reſcribentes. Datum Anno domini M. CCC. XXII. die decima ſeptima Menſis Martii officialatus curiæ noſtræ ſub ſigillo.

CCCXIII.

Literæ compromiſſoriales in cauſis & litibus ſuper jure Patronatus vicariæ Altaris XII. Apoſt. in Kil inter vicarios ejusdem & Novomonaſterienſes motis,

Univerſis & ſingulis, præſentia viſuris & audituris, & quos infra ſcriptum tangit negocium, ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum. *Joachimus præpoſitus*, totusque conventus Monaſterii in Nienmünſtere, alias dicti in Bardesholm, ordinis ſancti Auguſtini, Bremenſis dioceſis, ad veſtrum omnium noticiam deducimus per præſentes publice proteſtando, quod *compromiſſum* per religioſum virum dominum *Hermannum, præfati noſtri Monaſterii priorem*, & ad compromittendum procuratorem in cauſa ſeu cauſis, ac litibus & controverſiis, nobis per dominum *Tymmonem Bæt, Canonicum Sleſvicenſem*, & *Hartvicum Vulf armigerum Bremenſis dioceſis*, ſuper *jure Patronatus perpetuæ vicariæ ad altare duodecim Apoſtolorum, in parochiali eccleſia opidi Kil*, dictæ Bremenſis dioceſis motis & extantibus ſeu movendis in perſonas venerabilium & circumſpectorum virorum dominorum, *Bertoldi Præpoſiti, Johannis decani, Johannis Coventkoper* & *Nicolai Sachow*, cantoris Eccleſiæ Lubicenſis factum, omniaque alia & ſingula per eundem dominum Hermannum præ- 1422.

præmiſſorum, omnium quomodolibet acta, dicta, facta, ſive geſta, rata & grata habemus & haberi volumus, & ea approbamus præſentium per tenorem. In quorum omnium & ſingulorum fidem & evidens teſtimonium ſigillum conventus noſtri præfati præſentibus duximus appendendum. Datum in monaſterio noſtro ſupradicto, anno a nativitate domini Milleſimo Quadringenteſimo viceſimo ſecundo, indictione quinta decima, menſis Novembris die duodecima, hora veſperorum vel quaſi, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri domini Martini, divina providentia papæ quinti anno quinto, præſentibusdiſcretis viris Wilkino de Wiſmer, Razeburgenſi, Hinrico Sartoris & Nicolai Georgii Bremenſis dioceſis clericis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Sigillum: Imago S. Mariæ.

CCCXIV.

Conventio inter Heliam Münther & Joh. Snorling, quod alter ſine alterius conſenſu ante latam ſententiam cum adverſariis opidi Kyl non debeat paciſci, ſub pœna 100. floren.

1423. Venerabiles Viri, *Helias Münther*, clericus Bremenſis dioceſis, *Baccalaureus in decretalibus, & Johannes Snorling*, ejusdem dioceſis clericus, convenientes in unum taliter concordarunt ut Johannes prædictus retento themate ejusdem cedulæ obligationis per eum ſcriptæ, cum certis ſuis æmulis & adverſariis *opidi Kyl* inhabitatoribus, nunc in commiſſione in curia romana nominatis & expreſſis, nunquam concordare, aut ſe quovis modo componere ſine ſcitu, juſſu, conſilio & ſpeciali mandato ejusdem Heliæ debeat neque in aliquam transactionem, compoſitionem, finem aut refutationem conſentire, quovis quæſito colore & eidem Heliæ ſub pœna & obligatione in dicta cedula contenta, ſemper & in antea eſſe in omnibus favorabilis, fidelis & benignus, & melius dicti Heliæ, ubicunque poſſet, promovere, ſollicitare & ordinare, ac ſibi nociva, adverſa, & præjudicialia removere, repetere & verbis & factis impedire. Super quibus dictus Helias eidem Johanni debeat aſſiſtere conſiliis & auxiliis, cum omni fidelitate, promotione & ſollicitatione contra dictos ſuos adverſarios ad inſtantiam ſuam proſequendam & ab eo non reſilire, dicto Johanne ea dirigente, niſi lata ſententia diffinitiva vel facta juxta arbitrium, ut præmittitur, unanimi dictorum Heliæ & Johannis compoſitione. Quæ ſi ad effectum deo dante pervenerint, dictus Johannes eidem Heliæ pro ſuis laboribus benivole & ſufficienter *debeat reſpondere & ſallariare*, ac indempnem & relevatum condigna ſatisfactione habere juxta arbitrium ejusdem Heliæ taxanda, quacunque exceptione & reclamatione ceſſante. Quæ omnia & ſingula præmiſſa mutuo ſtipulantes bona fide interpoſita promiſerunt *ſub pœna etiam centum Florenorum Renenſium*, parti præmiſſa ſervanti per non ſervantem quacunque contradictione remota effective ſolvendorum, renunciantes hinc inde omnibus exceptionibus *doli mali, vis, metus, non ſic facti non ſic dicti*, omnibusque aliis legalibus, *juriſque & facti*, quas voluerunt hic habere pro ſufficienter expreſſis, quibus ſe in aliquo contra præmiſſa juvare poſſent, quomodolibet vel tueri. Acta ſunt hæc Romæ in Eccleſia ſanctæ mariæ in Vallicella regione Perronis, Anno dom. milleſimo, quadringenteſimo XXIII. indictione prima, menſis Decembris die XXIII. hora quaſi terciarum. In cujus rei teſtimonium *Ego Helias prædictus* præſentem cedulam, omnia approbando, manu mea propria ſcripſi, & *ſigno mei officialis Notariatus ſignavi.*

CCCXV.

Procuratorium Nicolai Archiep. Brem. officialibus ſuis contra Elyam munter Clericum Brem. datum.

Nicolaus dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Brem. Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis & ſingulis præſentes noſtras literas inſpecturis, Salutem in domino. Ad univerſitatis veſtræ noticiam tenore præſentium deducimus, quod orta nuper fuit inter nos ex una, & quendam Elyam Münter, aſſertum clericum. noſtræ dioceſis, de & ſuper quibusdam prætenſis injuriis, dampnis, expenſis & intereſſe prætextu cujusdam aſſertæ captivationis & incarcerationis ac ipſorum occaſione parte ex altera materia quæſtionis Ideoque omnibus melioribus modo, jure, cauſa, forma & ordine, quibus debemus & poſſumus facimus conſtituimus, creamus & ordinamus veſtros veros legitimos & indubitatos procuratores, actores, factores & negotiorum noſtrorum infra ſcriptorum geſtores & nuncios ſpeciales honorabiles viros dominos Magiſtrum *Conradum Bernen & Matthiam Wiber*, officiales noſtros & eorum quemlibet in ſolidum, cum poteſtate ſubſtituendi *ad arbitrandum & compromittendum* nomine noſtro & pro nobis cum præfato Elya Münter, *de alto & baſſo* ſuper hujusmodi aſſertis injuriis, dampnis, expenſis, intereſſe, captivatione, incarceratione ac omnibus dependentibus connexis & omnibus inde ſecutis in quoscunque prælatos, clericos ſive laicos ubilibet exiſtentes quocunque nomine cenſeantur, ſub quacunque pœna adhuc nominanda & etiam, ſi interfuerit in ſuper arbitrum concordandum ipſumque nominandum & acceptandum ac in cauſa & cauſis hujusmodi coram arbitris ſive compromiſſariis electis vel eligendis cum præfato Elya Munter procedendum, ſententiam arbitralem in jure vel amicitia ferri petendum & audiendum, & generaliter omnia & ſingula, procurandum gerendum faciendum & excercendum, quæ in præmiſſis neceſſaria 1424. fuerint

fuerint vel quomodolibet opportuna, etiam ſi *mandatum magis exigatur ſpeciale* quod præſenti compromittentes nos gratum ratum firmum & inviolabile ſervaturos ſub pœna adhuc nominanda, quicquid per dictos procuratores noſtros vel ipſorum alterum, aut ſubſtitutum vel ſubſtitutos ab eis vel eorum altero actum fuerit ac etiam per arbitros ſive compromiſſarios ipſos arbitratum, ſententiatum, ſiue dictum fuerit, in jure vel amicitia in præmiſſis. In cujus rei teſtificationem præſentes literas inde fieri ac ſigilli noſtri appenſione fecimus communiri. Datum in caſtro noſtro Vordis, anno domini Milleſimo, quadringenteſimo vigeſimo quarto menſis decembris die prima.

CCCXVI.

Commiſſio Appellationis & Apoſtolorum procurationis in cauſa Eliæ Munther & ejus fidejuſſorum.

1424. Univerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis, *Johannes Schallermann, Decretorum Doctor,* Domini noſtri Papæ Capellanus, & ipſius ſacri palatii Apoſtolici cauſarum & cauſæ ac partibus infra ſcriptis ab eodem Domino noſtro Papa Auditor ſpecialiter deputatus, ſalutem in Domino & præſentibus fidem indubiam adhibere. Noveritis, quod nuper ſanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus Martinus, divina providentia Papa quintus, quandam commiſſionem ſive ſupplicationis cedulam Venerabili & circumſpecto Domino Johanni de Palena, Decretorum Doctori, & ſacri Palatii Apoſtolici Cauſarum Auditori per certum ſuum curſorem præſentari fecit, quod reverenter, ut decuit, recepit, hujusmodi ſub tenore: Dignetur Sanctitas Veſtra omnes & ſingulas cauſas, tam civiles, criminales, ac injuriarum & prophanas coram Venerabili Domino Petro Nardi, Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditore commiſſas, & coram eo pendentes, inter quendam Heliam Munter, prætendentem ſe Clericum conjugatum & Procuratorem Fiſcalem cauſarum ejusdem Cameræ Apoſtolicæ tam conjunctim quam diviſim, ex una, & devotos Viros, Nicolaum Poppe, Decanum Ramesloenſem, Bremenſis dioceſis, Matthiam Wiker Officialem ejusdem Bremenſis, atque diverſos alios Clericos & Laicos, eorundem Nicolai & Matthiæ litis conſortes, reos de & ſuper nonnullis prætenſis captivationibus, detentionibus, incarcerationibus & ſpoliationibus atque diverſis aliis injuriis prætenſis ac damnis & Intereſſe atque rebus aliis, in actis cauſæ latius deſignatis, & eorum occaſione parte ex altera, & coram dicto Domino Auditore aliquandiu ventilatis, & nunc ultimo per ipſum ad Cancellariam Veſtr. Sanct. remiſſas committere alicui alteri ex dictis veſtri ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditoribus in eo ſtatu, in quo tempore remiſſionis hujusmodi extiterant, conjunctim & diviſim reſumendis & ulterius audiendis cognoſcendis & decidendis, & fine debito terminandis, cum omnibus & ſingulis ſuis emergentiis, incidentiis, dependentiis & connexis. In fine vero dictæ Commiſſionis ſive ſupplicationis cedulæ ſcripta erant de alterius manus litera, ſuperiori literæ ipſius, cedulæ penitus & omnino diſſimili & diverſa hæc verba videlicet: De mandato Domini noſtri Papæ audiat Magiſter Johannes de Palena, reſumat etiam, ut petitur, & juſtitiam faciat. Cujus quidem Commiſſionis vigore in cauſa & cauſis hujusmodi rite & legitime per eundem Dominum Johannem de Palena Auditorem ad aliquos actus judiciales proceſſo tandem conſtitutus coram eo providus Vir Magiſter Nicolaus Hamborg in Romana Curia & Reverendi Patris Domini, Domini Nicolai, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Archi-Epiſcopi Bremenſis in terra dictarum cauſarum ipſi Domino Johanni de Palena Auditori commiſſarum, Principalis partium prout de ſuo procurationis mandato legitime extitit edoctum, & expoſuit, quomodo alias Venerabilis Vir Dominus Petrus Nardi, dicti Palatii Auditor, quosdam Bekan, uxorem Heliæ Munter, Johannem Bulder, Nicolaum Vinck, Presbyteros, Luderum Vinck, Johannem Munter, Marquardum Wulf, Johannem Viſch, Marquardum & Hartwicum Hardenberch, Laicos, Martinum Viſch, & Henricum Promſtorp Clericos Bremenſis & Lubecenſis Diœceſ. dictus Nicolaus Archi-Epiſcopus propter rebellionem & inobedientiam ac contumaciam, ſervatis de jure ſervandis, legitime excommunicavit, & excommunicatos denunciari mandavit, & fecit, ab hujusmodi excommunicatione ipſo Domino Nicolao Archi-Epiſcopo, vel ejus Procuratore minime vocato ſaltem legitime, neque de expenſis propterea factis per eos, vel aliquem ex eis ſatisfacto taliter qualiter, ut dicitur, abſolviſſet, & abſolutos mandari voluiſſet, prout in literis prætenſis dicti Domini Petri Auditoris plenius hæc dixit contineri. Quodque dicta prætenſa abſolutione ex vaga quadam relatione ad aures ejusdem Domini Nicolai Archi-Epiſcopi deducta, idem Dominus Nicolaus Archi-Epiſcopus a præfato Domino Petro Auditore & præmiſſa abſolutione prætenſa, aliisque gravaminibus tunc expreſſis ad Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum noſtrum Dominum Martinum, divina providentia Papam Quintum, ejusque ſanctam ſedem Apoſtolicam infra decem dies a die notitiæ in ſcriptis provocaſſet & appellaſſet, Apoſtolosque petiiſſet, & proteſtatus de inſinuando eandem fuiſſet, prout hæc etiam in Inſtrumento Appellationis deſuper confecto plenius continentur. Et idem Dominus Nicolaus Archi-Epiſcopus, volens ipſam ſuam appellationem proſequi, ipſum Magiſtrum Nicolaum Hamborg & certos alios ad inſinuandam & proſequendam eandem conſtituiſſet Procuratores.

ratores. Sed quia dictus Dominus Petrus, Auditor, cui ipsa insinuatio facta debuisset fuisse, causam hujusmodi ad Cancellariam Domini nostri Papæ remisisset, ipsaque in eo statu, in quo ultimo coram eodem Domino Petro Auditore remanserat, dicto Domino Johanni de Palena, Auditori, foret commissa, ideo dictam appellationem eidem Domino Johanni de Palena, Auditori, in forma avthentica, ac alias, prout melius potuit, & debuit, intimavit, insinuavit, & notificavit, Apostolosque primo, secundo & tertio, ac instanter, instantius, & instantissime sibi dari petiit & exhiberi. Et tunc dictus Dominus Johannes, Auditor, hujusmodi appellationem ad se recipiens, ac eam pro insinuata habens, eidem Magistro Nicolao Hamborg, Procuratori--jure ad recipiendos Apostolos tales quales de jure dari deberent statuit & præfixit. Quo termino pendente idem Dominus Johannes de Palena, Auditor, propter certas causas, animum suum moventes, a Romana Curia se absentavit, causaque hujusmodi in eo statu, in quo ultimo coram dicto Domino Johanne de Palena, Auditore, remanserat, nobis per præfatum Dominum nostrum Papam fuit commissa resumendi, audiendique cognoscendi & fine debito terminandi, cum omnibus & singulis suis emergentiis, incidentiis, dependentiis & connexis, causaque hujusmodi per nos in statu debito resumpta, ac fine termini juris propinquante, tandem videlicet die & hora infra scriptis constitutus coram nobis dictus Magister Nicolaus Hamborg, Procurator quo supra nomine procuratorio, & sibi Apostolos super appellatione supradicta dari & concedi per nos debita cum instantia postulavit. Nos tunc Johannes Schallermann, Auditor præfatus, attendentes, requisitionem hujusmodi fore justam & consonam rationi, eundem Magistrum Nicolaum procuratorem & nomine Domini sui in eum statum, in quo fuerat ante gravamen, & gravamina sibi illata animo melius deliberandi super dicta appellatione duximus reponendum & reponimus per præsentes. Quæ omnia & singula vobis omnibus & singulis supradictis, & aliis, quorum interest, intimamus, insinuamus, & notificamus, ac ad vestram & cujuslibet vestram notitiam deducimus & deduci volumus per præsentes. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes literas sive præsens publicum Instrumentum hujusmodi, nostram repositionem in se continentes, sive continens, exinde fieri, & per Notarium Publicum infra scriptum subscribi & publicari mandavimus, sigillique Venerabilis & circumspecti Viri Domini Johannis de Opitzis, Decretorum Doctoris, & Sacri Palatii Apostolici causarum Auditoris, cum de præsenti proprio caremus sigillo, jussimus appensione communiri. Datum & actum Tibure, in domo habitationis nostræ sub anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quarto, indictione secunda, die vero vicesima prima, mensis Julii, Pontificatus præfati Domini nostri Papæ anno septimo, præsentibus, ibidem discretis Viris, Magistro Wernhero Tornigratoris, & Johanne Bernardi, Notariis publicis, scribaque nostro, Clericis Moguntinensis & Trajectensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Tyza Mszilai de Cmyzawo, Clericus Plocensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia prædictorum Apostolorum petitioni, eorumque dationi, omnibusque aliis et singulis, per ipsum Dominum Schallerman, et coram eo factis præmissis, una cum prænominatis testibus, præsens interfui, ideoque præsens publicum Instrumentum, per alium fideliter scriptum, rogatus exinde confeci, subscripsi et publicavi, ac signo et nomine meis solitis una cum appensione sigilli dicti Domini Johannis de Opitzis, Auditoris, consignavi. In fidem et testimonium omnium præmissorum.

CCCXVII.

Processus fiscalitius & injuriarum inter Procuratorem Fisci Cameræ Apostolicæ Eliamque Munter Clericum conjugatum ac Familiarem Joachimi Molzen, Canonici Suerinensis & Cameræ Apostolicæ in Bremensi & Rigensi provinciis Proventuum Collectoris, ex una parte; & Presbyteros, Proconsules, Consules & Oppidanos in Kyl ex altera parte in puncto læsionis jurium Cameræ Apostolicæ & pretensarum injuriarum, spoliationum; In Curia Romana institutus & finitus per Sententiam qua Kilonienses ab impetitione absolvuntur, Fisco & Muntero perpetuum Silentium imponitur addita condemnatione in expensas.

In nomine domini amen. Pridem Reverendus in Christo pater & dominus, dominus Ludovicus, dei & apostolicæ sedis gratia Episcopus Magalonensis, domini nostri papæ Vicecamerarius ex suo officio incumbenti ad providum virum Magistrum Johannem de Scribonis in Romana curia cameræ apostolicæ procuratoris fiscalis petitionem & instantiam venerabili & circumspecto viro, domino *Panthaleoni de Bredis de Utino*, decretorum doctori & dictæ cameræ apostolicæ clerico, quandam commissionis cedulam facto & in scriptis præsentari fecit sub hac verborum forma: 1422. 1426. 1430.

Ludovicus Dei Gratia Episcopus Magalonensis, domini nostri Papæ Vicecamerarius, Venerabili Viro domino Panthaleoni de Bredis, decretorum doctori Apostolicæ cameræ clerico, Salutem in domino. Pridem venerabilis dominus *Joachim Moltzen, Canonicus Zwerinensis*, jurium & proventuum Cameræ apostolicæ *in Bremensi & Rigensi provinciis debitorum collector*, auctoritate sibi

bi commiſſi officii *contra quosdam presbiteros atque laicos Opidi* KYL, *Bremenſis diocesis*, eo quod cuidam ſuo familiari & cameræ prædictæ *Helyæ Münter*, *clerico conjugato*, dictæ bremenſis dioceſis, *literas & proceſſus ipſius collectoris, jura cameræ prædictæ concernentes deferenti & executionem eorundem facienti graviter injuriabantur*, ipſumque ultra contumelias diverſas ſibi illatas *captum & incarceratum detinuerunt*, juramenta illicita & cautiones etiam fidejuſſorias ab eodem exigendo & recipiendo, ac ipſum bonis & rebus ſpoliando, prædictas ſuas literas ad comparendum coram nobis in camera prædicta citari fecit, & mandavit, ſuper omnibus & ſingulis, ad reſpondendum quæ in literis ipſius domini collectoris plenius continentur. Ac intereſſe, quod prædicta Camera prætendere poteſt & habere, prout hæc omnia & ſingula & nonnulla alia per legitima coram nobis exhibita & producta conſtare videntur documenta, pro parte procuratoris fiſcalis dictæ Cameræ fuimus requiſiti, quare in præmiſſis & tam enormibus proceſſibus juxta officii noſtri debitum providere ac tam Cameræ quam ipſi Helyæ injuriam paſſo conſulere & de oportuno remedio providere dignaremur. Nos vero auditis præmiſſis *in Theſauraria cameræ prædictæ* propoſitis, ſub diſſimulatione transire nolentes & tanto gravius ſumenda ſunt, quanto indebite a majoribus attemptantur, vobis tenore præſentium committimus, & mandamus, quatenus cauſam & cauſas hujusmodi, quos dictus procurator Fiſcalis ob hoc inſtituerit, cum omnibus & ſingulis ſuis emergentibus, incidentibus, dependentiis & connexis audiatis & in vim citationis hujusmodi & præſentis commiſſionis juramenta præſtita et cauones (cautiones) datas, nec non, fidejuſſores quoslibet relaxetis & ab eisdem juramentis & cautionibus eundem Heliam & fidejuſſores quoscunque, prout juris fuerit, abſolvatis: Ac deinde Collectoris & Heliæ familiaris dictæ Cameræ prædictorum, viſis juribus ac ipſius procuratoris fiſcalis auditis propoſitis contra eosdem Invaſores, injuriatores & quosvis alios procedatis, prout juſtum fuerit & ordo dictaverit rationis, partibus hinc inde debite juſtitiæ complementum miniſtrando. Nos enim ſententias ſive pœnas, quas rite ſtatueritis in rebelles ratas habebimus, ipſasque faciemus auctore domino, inviolabiliter obſervari. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die viceſima ſecunda Menſis Aprilis, ſub ſecreti ſigneti camerariatus offi-
1422. cii impreſſione, Anno milleſimo quadringenteſimo, Viceſimo ſecundo, indictione quarta decima. Cujus quidem commiſſionis Vigore per dictum dominum Panthaleonem judicem & commiſſarium in cauſa & cauſis hujusmodi inter partes in ipſa nominatas proceſſo, ac quodam *libello articulato* concludente tam *nomine fiſci*, ſeu procuratoris fiſcalis, *quam Helyæ Munter*, principalis, facto, oblato & contra ipſum pro parte dominorum marquardi Brand, Mathiæ Wyker, Nicolai Molener, Nicolai Timmerman presbiterorum, Ottonis Cruſendorp, Johannis Roleken proconſulum, Marquardi Pael, Henrici Zakverer, Nicolai Bolten, conſulum ac Nicolai Kannengiſer, opidani opidi Kil. bremenſis dioceſis, Conprincipalium nonnullis exceptionibus articulatis, facto & in ſcriptis exhibitis atque datis, Præfatus dominus noſter papa quandam commiſſionis ſive ſupplicationis cedulam, bonæ memoriæ domino dominico de Sancto geminano, decretorum Doctori, domini noſtri papæ Capellano, ipſiusque & ejus camerarii ac Curiæ cauſarum cameræ apoſtolicæ generali auditori, judici & commiſſario per certum ſuum curſorem præſentari fecit hujusmodi ſub tenore:

Beatiſſime Pater: Licet cauſa de qua in Litera patenti, cujus copia ſuperius inſerta eſt, fuerit & ſit coram dicto domino Panthaleone de Bredis decretorum Doctore, cameræ veſtræ apoſtolicæ clerico diutius ventilata, nichilominus ipſa per importunitatem adverſariorum dicitur fuiſſe per quandam commiſſionem de mandato S. V. ut dicitur ſignatam, in ſtatu, quo ultimo remanſerat, coram eodem domino Panthaleone ad cancellariam advocata & commiſſa domino Johanni de bononia, veſtri ſacri Palatii cauſarum apoſtolici auditori reſumenda, audienda, decidenda, fineque debito terminanda. Cum autem, Pater beatiſſime, cauſæ *cameram veſtram Apoſtolicam & intereſſe ejusdem* concernentes conſveverint per officiales ejusdem cameræ pertractari, audiri & terminari, maxime ubi dictus dominus Vicecamerarius primo appoſuit manus ad easdem, ipſeque dominus Vicecamerarius reperiatur, cauſam hujusmodi primo commiſiſſe dicto domino Panthaleoni: Ea propter c. V. S. humiliter pro parte & intereſſe ejusdem cameræ & familiaris ſui ſuppliicatur, quatenus cauſam & cauſas omnes & ſingulas, ſic ut præmittitur, per dictas literas patentes primo commiſſas, ut præfertur de manibus dicti domini Johannis de Bononia ad vos advocare, easque in ſtatu, in quo coram eodem domino Johanne de Bononia ultimo remanſerant, venerabili Viro domino Dominico de Sancto geminiano decretorum doctori, ejusdem Sanctitatis & domini Vicecamerarii prædicti, nec non cauſarum curiæ ipſius cameræ apoſtolicæ generali auditori committere dignemini reſumendas, audiendas, decidendas & fine debito terminandas, cum poteſtate procedendi in eisdem ſummarie, ſimpliciter & de plano, terminis abbreviatis, ut in tertia inſtantia ſine ſtrepitu & figura judicii & ſola rei veritate inſpecta, etiam cum poteſtate citandi

di duos principaliores, injuriatores perſonaliter, alios vero legitimo & omnes per edictum in decreto ſeu executione citationis nominandos, cum non patet tutus acceſſus ad eosdem in Romana Curia extra & ad partes conjunctim & diviſim, totiens quotiens videbitur expediens quomodolibet & oportunum, præmiſſis & omnibus aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuscunque, tenoris dictæ partis adverſæ prætenſæ commiſſionis habentes hic pro ſufficienter expreſſis. In fine vero dictæ commiſſionis ſive ſupplicationis cedulæ ſcripta erat de alterius manus litera, ſuperiori litera ipſius cedulæ penitus & omnino diſſimili & diverſa, hæc verba videlicet: de mandato domini noſtri Papæ Audiat præfatus dominus dominicus Auditor Cameræ apoſtolicæ, citetur, procedat etiam, ut petitur, & juſtitiam faciat non obſtantibus quibuscunque.

Hujusmodi vero commiſſionis vigore præfatus dominus dominicus, Auditor judex & commiſſarius ad providi viri Magiſtri Johannis Cunquelli, in dicta Curia cameræ apoſtolicæ procuratoris fiſcalis ac Heliæ münter principalis inſtantiam, providum virum Magiſtrum Johannem Engelhardi in eadem curia & per diſcretum virum Mag. Nicolaum Hamborch in dicta Curia præfatorum Matthiæ Wyker & aliorum ſuorum litis conſortium conſtitutum ad hujusmodi cauſam ſubſtitutum procuratores, prout de ipſorum procuratorum procurationum mandatis apud acta cauſæ hujusmodi legitimis conſtabat, prout conſtat documentis, ad dicendum & excipiendum, quicquid verbo, vel in ſcriptis contra commiſſionem ſibi factam & præſentatam dicere ſive excipere vellet, per certum dicti domini noſtri papæ curſorem citari mandavit & fecit ad certum peremptorium terminum competentem: in quo per præfatum Magiſtrum Johannem Engelhardi procuratorem ſubſtitutum nomine quo ſupra coram dicto domino auditore, judice & commiſſario præfato comparentem, nonnullis exceptionibus articulatis, facto realiter & in ſcriptis datis ac contra eosdem conſimiliter in ſcriptis replicato, Ipſe tunc dominus dominicus Auditor, judex & commiſſarius ad præfatorum Heliæ principalis & Magiſtri Johannis Giquelli procuratoris fiſcalis inſtantiam in præfati Magiſtri Johannis Engelhardi procuratoris ex adverſo ſubſtituti ad hoc citati contumaciam cauſam & cauſas hujusmodi in eo ſtatu, quo coram quibuscunque ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditoribus ſive judicibus & commiſſariis qualitercunque pendebant juxta dictæ commiſſionis ſibi factæ vim formam & tenorem duxit reſumendas & reſumpſit. Quibus ſic reſumptis dictus dominus dominicus judex & commiſſarius ad dictorum Helyæ Münter Principalis & Magiſtri Johannis Giquelli procuratoris fiſcalis inſtantiam Ipſum Magiſtrum Johannem Engelhardi ex adverſo procuratorem ſubſtitutum, ad dandum & recipiendum, darique & recipi videndum libellum, ſive ſummariam in hac Cauſa petitionem per certum dicti domini noſtri papæ curſorem citari mandavit & fecit ad certum peremptorium terminum competentem, eundem ipſis domino Helyæ principali & Magiſtro Johanni Giquelli procuratori fiſcali inſtantibus & petentibus ad idem ſtatuendo. Quo quidem termino adveniente comparentibusque in eodem coram domino dominico Auditore judice & commiſſario, præfato dictis Helyæ Munter, principali principaliter proſcripto, & Mag. Johanne Giquelli, procuratore fiſcali, nomine que ſupra & dicti M. Johannis Engelhardi procuratoris ſubſtituti exadverſo non comparentis contumaciam accuſantibus, ipſumque contumacem reputari inſtanter petentibus, Et in ejus contumaciam libellum articulatum in ejus ſine concludentem facto realiter & in ſcriptis dantibus offerentibus & exhibentibus, præfatus dominus dominicus auditor, judex & commiſſarius dictum Mag. Johannem Engelhardi procuratorem ſubſtitutum non comparentem reputant, prout erat exigente juſtitia, contumacem. Et ſucceſſive cum præfatus Magiſter Johannes Engelhardi procurator ſubſtitutus contra libellum prædictum certas exceptiones priorum exceptionum pro parte ſua coram præfato domino Panthaleone judice & commiſſario dictarum repeticurus, dediſſet & exhibuiſſet, ac ipſe magiſter Helias Münter principalis per præfatum Magiſtrum Johannem Griquelli procuratorem fiſcalem nomine Fiſci & Officii ſui apud acta cauſæ hujusmodi legitimæ procurator ſubſtitutus eſſet. Ipſi Magiſtri Johannes Engelhardi & Helias principalis & procurator hinc inde ſubſtituti in certo termino competenti coram dicto domino dominico auditore Judice & commiſſario comparentes, dictus Helias Principalis & procurator omnia & ſingula narrata in libello ſuo, ut præmittitur oblato, prout narrantur, fore vera & petita prout petuntur, fieri debere animo litem conteſtandi & conteſtando litem. Ex adverſo vero Mag. Johannes Engelhardi procurator, nomine quo ſupra narrata omnia & ſingula libello partis adverſæ prædicto non fore vera neque petita fieri debere, prout petuntur, animo litem conteſtandi & conteſtando litem dixerunt & allegarunt, Et inſuper poſtquam per ipſum dominum dominicum auditorem judicem & commiſſarium ad hoc admiſſi fuerant ad mandatum ipſius et in ejus manibus tactis corporaliter ſcripturis ſacroſanctis ad ſancta dei Evangelia de calumpnia vitanda et veritate dicenda cum omnibus et ſingulis capitulis ſuis in et ſub calumpniæ juramento contentis ſolitum præſtiterunt calumpniæ juramentum. Quo præſtito præfatus dominus dominicus, judex et commiſſa-

rius præfatis Magiſtro Johanni Engelhardo ac HeliæMünter principali et ſubſtitutis procuratoribus inſtantibus præſentibusque audientibus,ad ponendum et articulandum,ponique et articulari videndum in hujusmodi cauſa certum ſtatuit terminum competentem, in quo ſæpe dictus Magiſter Helias Münter principalis, principaliter proſcripto ac nomine ſuo procuratorio, quo ſupra, coram dicto domino dominico auditore judice et commiſſario judicialiter comparens, et præfati Magiſtri Johannis Engelhardi ex adverſo procuratoris ſubſtituti non comparentis contumaciam accuſans ipſumque contumacem reputari inſtanter petens, in ejus contumaciam pro ſatisfactione tertium hujusmodi libellum partis ſuæ, ut præmittitur, datum et oblatum repetiit et reproduxit. Ipſe tunc dominicus auditor judex et commiſſarius ad dicti Heliæ Munter Principalis et procuratoris ſubſtituti inſtantiam, præfatum Magiſtrum Johannem Engelhardi,Procuratorem ſubſtitutum primitus pro contumace reputatum, ad dicendum et excipiendum quicquid verbo vel in ſcriptis contra dictas poſitiones et articulos, in quantum articuli dicere ſive excipere vellet, nec non ad reſpondendum eisdem in quantum poſitiones exiſterent et eſſe cenſerentur per certum dicti domini noſtri Papæ curſorem citari mandavit et fecit ad certum peremptorium terminum competentem. Quo adveniente ſæpedictus Magiſter Johannes Engelhardi Procurator ſubſtitutus nomine quo ſupra in judicio comparens pro ſatisfactione termini hujusmodi exceptiones articulatas et alia quæcunque jura et juramenta per eum, ſeu pro partibus ſuis datas et producta repetiit et reproduxit. Deinde dictus dominus dominicus auditor judex et commiſſarius ad dicti Heliæ Munter principalis et procuratoris inſtantiam ipſum Magiſtrum Johannem Engelhardi ſubſtitutum ex adverſo procuratorem ad producendum et produci videndum, omnia et ſingula jura, acta, actitata, literas, ſcripturas, inſtra, (*inſtrumenta*) privilegia et juramenta, quibus partes ipſæ in hujusmodi cauſa uti, et ſe juvare vellent, per certum dicti domini noſtri papæ curſorem citari mandavit et fecit ad certum peremptorium terminum competentem, quicquid ipſi Heliæ Munter principali et procuratori ſtatuit tunc ad idem. Hujusmodi vero termino adveniente Magiſter Johannes Engelhardi et Helyas Munter principalis principaliter proſcripto ac procuratores ſubſtituti prædicti coram dicto domino dominico auditore judice et commiſſario comparentes jura et juramenta pro partibus ſuis in hujusmodi cauſa data et producta repetierunt atque de novo reproduxerunt atque contra eadem in certis aliis terminis ſtatutis et aſſignatis hinc inde facto et in ſcriptis certas exceptiones articulatas dederunt et exhibuerunt, dictus tunc dominus Auditor Judex et commiſſarius ad dicti M. Johannis Engelhardi procuratoris inſtantiam præfatum Heliam Münter principalem et procuratorem ſubſtitutum ad declarandum et declarari videndum in hujusmodi cauſa per certum dicti domini noſtri papæ curſorem citari mandavit et fecit ad certum peremptorium terminum competentem eundem ad conſilem (conſimilem) actum faciendum ipſi Mag. Johanni Engelhardi procuratori ſubſtituto et partibus ſuis ſtatuendo et aſſignando. In quo quidem termino adveniente ſæpedicto Helia Münter principali principaliter proſcripto, ac procuratore, nomine quo ſupra, judicialiter coram præfato domino dominico auditore judicialiter comparente, & dicti M. Johannis Engelhardi ex adverſo procuratoris non comparentis contumaciam accuſante ipſumque contumacem reputari inſtanter petente & in ejus contumaciam pro parte ſua terminis hujusmodi ſatisfaciendo, omnes & ſingulas poſitiones & articulos ac jura & juramenta pro eo & parte ſua data & producta late declarationum repetente, præfatus tunc dictus, dominicus Auditor, judex & commiſſarius ipſum Mag. Johannem Engelhardi, Procuratorem ſubſtitutum reputavit, prout erat exigente juſtitia contumacem. Et deinde in cauſa & cauſis hujusmodi per procuratores partium prædictarum nonnullis juribus & juramentis & contra eadem exceptionibus & replicationibus articulatis, facto & in ſcriptis datis, ac demum ipſis poſitionibus & articulis, ſive libello articulato ac exceptionibus contra ipſum ut præmittitur datis & exhibitis ad probandum, in Romana Curia duntaxat per ipſum dominum dominicum Auditorem judicem & commiſſarium admiſſis & nonnullis teſtibus fide dignis deſuper productis, receptis, admiſſis, juratis & examinandis, eorumque dictis & depoſitionibus in ſcriptis fideliter redactis, ac etiam expoſt dictis admiſſis exceptionibus articulatis per Magiſtrum Johannem Engelhardi procuratorem ſubſtitutum contra libellum ex adverſo oblatum datis, quia per ea quæ in Romana curia geſta, facta erant & probata, non poterat de veritate ipſarum ad plenum liquere extra Romanam curiam prædictam & in partibus ad probandum admiſſis, literisque remiſſoriis deſuper in forma conſueta decretis & conceſſis, ipſe dominus dominicus Auditor, judex & commiſſarius cauſam & cauſas hujusmodi certis de cauſis animum ſuum ad hoc moventibus ad cancellariam apoſtolicam dicti domini noſtri papæ duxit remittendas & remiſit: Quas ſic remiſſas, præfatus dominus noſter Papa Venerabilibus & circumſpectis Viris dominis Hartungo de Cappel primo & deinde Petro Nardi de Veralleſtis, decretorum doctoribus & dicti palatii apoſtolici cauſarum auditoribus reſumendas & ulterius audiendas, cognoſcendas, decidendas & fine debito terminandas commiſit. Cum omnibus & ſingulis ſuis emergenti-

gentibus, incidentibus dependentibus & connexis; Quarum quidem commiſſionum vigore per præfatos dominos Hartungum & Petrum auditores, cauſa & cauſis hujusmodi debite reſumtis & coram eisdem aliquali facto & continuato proceſſu: Ac demum ex parte dicti domini noſtri Papæ & per certum ejus curſorem nobis Johanni de Palena decretorum doctori, capellano ſuo & dicti palatii apoſtolici cauſarum Auditori, quadam commiſſionis ſive ſupplicationis cedula ſub hac verborum forma præſentata: Dignetur S. V. omnes & ſingulas cauſas, tam civiles, criminales ac injurias & prophanas coram venerabili viro domino Petro Nardi, ſancti Palatii apoſtolici cauſarum auditori commiſſas & coram eo pendentes, inter quendam Heliam Münter prætendentem ſe clericum conjugatum & procuratorem fiſcalem cauſarum curiæ cameræ apoſtolicæ tam conjunctim, quam diviſim ex una, & devotos viros Nicolaum Poppe decanum Rameſloënſem Bremenſis dioceſis, Mathiam Wyker officialem Curiæ Bremenſis atque diverſos alios clericos & laicos eorundem Nicolai & Mathiæ litis conſortes reos, de & ſuper nonnullis prætenſis captivationum detentionibus incarceratione & ſpoliatione atque diverſis aliis injuriis prætenſis ac dampnis & intereſſe atque rebus aliis, in actis cauſæ latius deſignatis, & etiam occaſione partibus ex altera & coram dicto domino auditore aliquamdiu ventilatas & nunc ultimo peripſum ad cancellariam e ſ. v. remiſſas committere alicui alteri ex dominis veſtri ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditoribus in eo ſtatu, in quo tempore remiſſionum hujusmodi extiterant conjunctim & diviſim reſumendas & ulterius audiendas, cognoſcendas, decidendas & fine debito terminandas, cum omnibus & ſingulis ſuis emergentibus, incidentibus dependentibus & connexis. Et ſic ſignata de mandato domini noſtri Papæ Audiat Magiſter Johannes de Palena, reſumat etiam, ut petitur, & juſtitiam faciat. Cujus quidem commiſſionis vigore nos rite & legitime procedentes cauſam & cauſas hujusmodi in ſtatu quo coram præfato domino Petro Nardi Auditore remanſerant, poſtquam præfatus Helias Münter principalis & procurator ſubſtitutus, in nos & noſtram Jurisdictionem expreſſe conſenſerat, ad dicti Magiſtri Johannis Engelhardi procuratoris ſubſtituti inſtantiam & petitionem duximus reſumendas & reſumpſimus habuimusque & haberi volumus easdem pro reſumptis & ſubſequenter cum in cauſa & cauſis hujusmodi inter partes præſcriptas, ſeu ſaltim earum procuratores coram nobis ad plures & diverſos actus judiciales, proceſſum & literæ remiſſoriæ per præfatum dominum dominicum judicem & commiſſarium decretæ in partibus executæ coram nobis una cum earum executionibus in eisdem partibus factæ apportatæ fuiſſent ac contra hujusmodi remiſſionem dictaque & atteſtationes teſtium tam in romana curia, quam partibus examinatorum per præfatum Heliam principalem & procuratorem nonnullæ exceptiones articulatæ datæ & contra easdem facto & in ſcriptis replicatum eſſet & ipſis exceptionibus & replicationibus tandem per nos ad probandum in Romana curia duntaxat admiſſis & ſuper eis nonnullis juribus & juramentis ac teſtibus fide dignis productis receptis, admiſſis, juratis, examinatis & interrogatis, eorumque dictis & depoſitionibus in ſcriptis fideliter redactis & per nos viſis ac quadam petitionis papiri cedula per dictum Magiſt. Nicolaum Hamborch procuratorem ſub hiis verbis data & oblata: Petit Mag. Nicolaus Hamborch procurator & procuratorio nomine partium ſuarum per vos dominum Johannem de Palena auditorem veſtramque ſententiam diffinitivam pronunciari decerni & declarari oppoſitiones, moleſtationes, vexationes, inquietationes & impedita dictis dominis Marquardo Brand, Mathiæ Wiker, Nicolao Molener, Nicolao Timmerman presbiteris, Ottoni Cruſendorp Johanni Bolcken proconſulibus Marquardo Pael, Henrico Zalweter Nicolao Bolten; conſulibus ac Nicolao Kannengeter opidano dicti opidi Kyl in cauſa & cauſis vertentibus inter eos ex una & procuratorem fiſci cameræ apoſtolicæ & quendam Heliam Munter clericum conjugatum ſæpedictæ dioceſis de & ſuper nonnullis prætenſis injuriis incarcerationum ſpoliationum captivationum & aliis circa præmiſſa in cauſa hujusmodi deductis & illatis occaſione partibus ex altera, per præfatos procuratorem fiſci & Heliam conjunctim & diviſim præſtitas & præſtita fuiſſe & eſſe temerarias illicitas, iniquas & injuſtas ac temeraria illicita, iniqua & injuſta, ac defacto præſumptas ac præſumpta, dictisque procuratori fiſci & Heliæ Munter conjunctim & diviſim de & ſuper oppoſitionibus moleſtationibus, vexationibus & impedimentis citra injurias prætenſarum captivationum, incarcerationum ſpoliationum & injuriis prædictis perpetuum ſilentium imponendum fore & per nos imponi, ipſosque Marquardum & alios prædictos & eorum quemlibet ab impetitione dicti procuratoris fiſci & Heliæ Munter abſolvendos fore, & per vos abſolvi, dictumque Heliam in expenſas in hujusmodi cauſa tam coram dominico Pantaleone, Petro Nardi & Hartungo & quondam dominico de Stengonniano Auditore quam coram vobis legitime factis condempnandum fore & per vos condempnari & alias ſuper præmiſſis ſibi fieri juſtitiæ complimentum, ſalvo jure addendi, minuendi &c. Tandem nos in præſentia dicti M. Nicolai Hamborch procuratoris & ad hujus Magiſtri Heliæ procuratoris inſtantiam & petitionem in hujusmodi cauſa duximus concludendum & concluſimus habuimusque & haberi volumus in eadem pro concluſo. Et

ulterius

ulterius die & hora infra ſcriptis, actitatis ac literis inſtrumentis privilegiis & juramentis teſtiumque depoſitionibus in hujusmodi cauſa in Romana curia & extra eam habitis, factis eisque recenſitis de dominorum Coauditorum noſtrorum conſilio & aſſenſu, quibus de hujusmodi cauſæ meritis relationem fecimus fidelem ad juramentum in hujusmodi cauſa proferendam ſententiam duximus procedendum & proceſſimus, eamque per ea quæ vidimus & cognovimus in ſcriptis tulimus & præſentibus fecimus in hunc qui ſequitur modum:

Chriſti nomine invocato pro tribunali ſedentes & ſolum Deum præ oculis habentes de dominorum Coauditorum noſtrorum conſilio & aſſenſu per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam fecimus in hiis ſcriptis pronunciamus decernimus & declaramus oppoſitiones moleſtationes vexationes inquietationes & impedimenta dictis dominis *Marquardo Brand, Matthiæ Wyker, Nicolao Molener, Nicolao Timmermann*, presbiteris, *Ottoni Cruſendorp, Johanni Bolcken*, proconſulibus, *Marquardo Pael, Henrico Zalweter, Nicolao Boltem*, conſulibus, ac *Nicolao Kannengiter, opidano dicti opidi Kyl*, in cauſa & cauſis vertentibus inter eos ex una, & *procuratorem fiſci cameræ apoſtolicæ & quendam Heliam Münter*, clericum conjugatum, ſæpedictæ dioceſis de & ſuper nonnullis prætenſis injuriis incarcerationum ſpoliationum captivationum & aliis, circa præmiſſa in cauſa hujusmodi deductis & illarum occaſione partibus ex altera, per præfatos procuratorem fiſci & Heliam conjunctim & diviſim præſtitas & præſtita fuiſſe & eſſe temerarias illicitas, iniquas & injuſtas ac temeraria, illicita iniqua & injuſta ac de facto præſumptas & præſumpta, dictisque procuratori fiſci & Heliæ Munter conjunctim & diviſim de & ſuper oppoſitionibus moleſtationibus vexationibus Inquietationibus & impedimentis circa injurias prætenſarum captivationum incarcerationum ſpoliationum & injuriis prædictis *perpetuum ſilentium imponendum fore* & imponimus, ipſosque dominos Marquardum Brand Matthiam Wyker Nicolaum Molener Nicolaum Timmermann Ottonem Cruſendorp, Johannem Bolcken Marquardum Pael Henricum Zalweter Nicolaum Bolten ac Nicolaum Kannengiter & quemlibet eorum *ab impetitione dicti procuratoris fiſci & Helyæ munter abſolvendos fore & abſolvimus* dictumque Heliam Munter *in expenſis*, in hujusmodi cauſa *tam coram dominico Panthaleone de Bredis Judice & commiſſario*, Petro Nardi & Hartungo dicti Palatii & quondam dominico de Sancto geminano Curiæ cameræ apoſtolicæ Auditoribus, *quam coram nobis legitime factis* condempnandum fore & condempnamus, quarum expenſarum taxationem nobis inpoſterum reſervamus.

Lecta lata & in ſcriptis promulgata fuit hæc præſens noſtra ſententia diffinitiva per nos Johannem auditorem præfatum Romæ in eccleſia beatæ mariæ rotundæ pro audientia cauſarum apoſtolica ſpecialiter deputata nobis inibi mane hora cauſarum ad jura reddendum pro tribunali ſedentes, ſub anno a nativitate domini Milleſimo, quadringenteſimo viceſimo ſexto, Indictione quarta, die vero Veneris viceſima Menſis ſeptembris, pontificatus præfati domini noſtri Papæ Martini quinti, Anno nono, præſentibus ibidem diſcretis Viris Magiſtris Gerardo Werdman. de xanctis & Guillerino de Landis, notariis publicis ſcribisque noſtris clericis Colonienſis & Conſtantienſis dioceſis Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Poſtremo nos ad præfati Magiſtri Nicolai Hamborch procuratoris inſtantiam diſcretum virum Magiſtrum Yvonem Thomæ clericum & ſubſtitutum providi viri M. Johannis Nicolai procuratoris apud acta legitime conſtituti & ſubſtituti ad videndum & audiendum expenſas de quibus in dicta noſtra ſententia diffinitiva fit mentio taxari per certum dicti domini noſtri papæ curſorem citari mandavimus & fecimus ad certum peremptorium terminum competentem videlicet ad diem et horam infra ſcriptam. Quibus advenientibus comparuit coram nobis præfatus *M. Nicolaus Hamborch* procuratorio nomine quo ſupra & dicti *Mag. Yvonis* ex adverſo procuratoris non comparentis contumaciam accuſavit, ipſumque contumacem reputari & in ejus contumaciam expenſas ſupradictas coram nobis in ſcriptis deſignatas taxari per nos inſtanter poſtulavit. Nos igitur Johannes Auditor præfatus, dictum Mag. Yvonem procuratorem non comparentem reputavimus exigente juſtitia contumacem & in expenſas ſupra dictas *ad centum & quinque florenos auri de camera boni & juſti ponderis*, præfatis Marquardo & aliis ſuis litis conſortibus per ipſum Heliam ſolvendos, provida moderatione prævia, in ſcriptis taxavimus & taxamus per præſentes, recepto primitus per nos a præfato Magiſtro Nicolao Hamborch procuratore, corporali ſuo juramento præſtito, quod tantum & ultra expoſuit ſeu neceſſario exponere habuit coram nobis in & pro lite ac cauſa ante dictis. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas exinde fieri, noſtrique ſigilli fecimus appenſione communiri. Taxatæ autem fuerunt expenſæ ſupra dictæ per nos Johannem auditorem præfatum Romæ in Eccleſia beatæ Mariæ rotundæ prædictum inibi hora cauſarum conſueta ad jura reddendum pro tribunali ſedentes, ſub Anno a nativitate domini Milleſimo quadringenteſimo triceſimo, indictione octava, die vero Veneris tercia decima Menſis Januarii, pontificatus præfati domini noſtri papæ Martini quinti Anno tertio decimo præſentibus ibidem Magiſtris Guillermo de Landis et Johanne

1426.

hanne Screyghe notariis et ſcribis noſtris, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter et rogatis.

Et quia honorabilis vir Johannes de Tateren, clericus Moguntinenſis dioceſis, publicus apoſtolica et Imperiali auctoritatibus Notarius, præfatique Reverendi patris, domini Johannis de Palena auditoris et hujusmodi cauſæ coram eo Scriba dictis diffinitivæ ſententiæ prolationi et expenſarum taxationi ac nonnullis aliis ex præmiſſis una cum prænominatis teſtibus prout ex actis et regiſtro ejusdem cauſæ ac ſcripturis et manualibus ipſius Magiſtri Iohannis de Tateren Notarii et Scribæ, Ego Iohannes Boynch clericus Monaſterienſis dioceſis, publicus apoſtolica et imperiali auctoritatibus Notarius,dictique domini Iohannis auditoris Scriba, cui acta ſcripturæ et manualia hujusmodi propter ejusdem Magiſtri Iohannis, Notarii et Scribæ a Romana curia abſentiam commiſſa exiſtunt reperi et inveni, præſens perſonaliter interfuit, eaque ſic fieri vidit et audivit, idcirco ego Iohannes Boynch Notarius et ſcriba prædictus hujusmodi diffinitivam ſententiam et expenſarum taxationem, omniaque alia et ſingula præmiſſa per me in actis et regiſtro dictæ cauſæ reperta et inventa, ex commiſſione et mandato ſpeciali dicti dom. Iohannis auditoris mihi factis extraxi et hoc præſens publicum inſtrumentum per alium, me aliis occupato negociis fideliter ſcriptum exinde confeci ſubſcripſi publicavi et in hanc publicam formam redegi ſignoque et nomine meis ſolitis et conſvetis una cum domini Iohannis auditoris memorati Sigilli appenſione ſignavi rogatus et requiſitus in fidem et teſtimonium omnium et ſingulorum præmiſſorum.

CCCXVIII.

Receſſus inter Martin. Lemgow accuſatorem & Elyam Munter accuſatum quo El. Munter e carcere fugiens, iterumque citatus non comparens, in contumaciam & cum fidejuſſoribus ſuis in expenſas condemnatur & excommunicatur.

Nicolaus Poppe, decanus Rameſloënſis Eccleſiæ, domini Nicolai electi & confirmati Sanctæ bremenſis eccleſiæ Commiſſarius ad infraſcripta, Univerſis & ſingulis divinorum Rectoribus vel Vicerectoribus per dictam Bremenſem dioceſin *& præſertim in oppido Kyl* conſtitutis. Salutem in domino ſempiternam. Noveritis quod idem reverendus pater & dominus Bremenſis cauſam infra ſcriptam vigore cujusdam citationis eorum nobis productæ & executæ vivæ vocis oraculo propter certas cauſas ad hoc animum ſuum moventes examinandam & fine debito commiſerit terminandam. Cujus citatio-
1424. nis tenor ſequitur & eſt talis. Nicolaus Dei gratia & apoſtolicæ ſedis Sanctæ brem. Eccleſiæ electus & confirmatus, univerſis & ſingulis divinorum Rectoribus vel vice-Rectoribus per dictam dioceſin & præſertim in opido Kyl conſtitutis præſentibus requirendis Salutem in domino perpetuam & mandatis noſtris firmiter obedire. Alias quidem Elyas Monetarii Münter de Relinghuſen clericus coram noſtro officiali Curiæ noſtræ generali in judicio in opido Staden dictæ noſtræ dioceſis propter ſatisfactionem cujusdam literæ confirmationis Vicariæ ad altare ſanctæ crucis in parochiali Eccleſia *opidi Kylonenſis* dictæ dioceſis fuit & eſt judicialiter accuſatus, unde ſe & ſuum honorem volens defendere voluntarie & ſponte cum accuſatore ſuo domino Martino Lemegawen in vim inſcriptionis de facto compedes ſive carceres noſtros cuſtodia ſubintravit, ſub obligatione tali, quod quiscunque ex eis eosdem compedes noſtros absque proſecutione cauſæ & judiciali abſolutione exiret, talis deberet reputari & eſſe in ea falſitate prædicta totaliter convictus. Idem tamen Elyas Monetarii alias Munter, propriæ ſalutis & honoris absque abſolutione judiciali fugam capiens clam exivit, prout ex propria ſua confeſſione de hoc facta & manu ſua conſcripta ac inſtrumentis publicorum documentorum deſuper confectis plenius apparet. Quapropter Eundem Elyam per literas officiales juſſimus denuo capi & Nobis ad eosdem compedes ad inſtantiam prædicti Domini Martini cauſam proſequendo præſentari. Tandem petentibus & conſentientibus partibus hinc inde Officialis noſter prædictam cauſam criminalem ob reverentiam ſedis apoſtolicæ & celeriorem ejus expeditionem ad Curiam miſit Romanam. Idem tamen Elyas propter expenſas per eum & noſtros officiales propter reputationem illius de longinquis partibus factas in certa pecuniarum ſumma videlicet triginta marcarum Lubicenſis monetæ nobis manſit obligatus pro quibus ſolvendis quosdam Marquardum & Hartwicum Hardenberg fratres nobis poſuit fidejuſſores. Inſuper prædictus Elyas ſub tali conditione præſtitit cautionem, quod ſi ipſe aliquando vel alius pro eo propter prædictam recapitationem Nos vel noſtros ſubditos in judicio vel extra in aliquo moleſtaret vel impeteret, totiens quotiens deberet perjurus reputari, quod eciam ſuo proprio juramento confirmavit. Ultra hoc etiam promiſit, quod ſi contraveniret ipſe vel alter pro eo nobis ſolvere loco pœnæ ducentos & quinquaginta Florenos Renenſes & hoc firmiter obſervandum nobis certos fidejuſſores videlicet dominos Johannem Bulder, Nicolaum Vinck presbyteros, Luderum Vinck, Marquardum Wulff, Hennekinum Viſch ac Hennekinum Munter laycos dictæ dioceſis noſtræ, qui hoc ita promiſerunt conjuncta manu & in ſolidum totiens quotiens prædictus Elyas vel alius pro eo contraveniret prædictam pœnam pecuniariam totiens deberet incedere ipſo facto prout & alia in literis teſtimonialibus deſu-

per confectis & ſigillis dictorum fidejuſſorum munitis plenius continetur: Hoc idem, uxor ipſius Eliæ, Beke nominata, bona fide & ſub eadem pœna compromiſit.

Quapropter mandamus vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, quotiens publice dum populus in eccleſia fuerit ad divina congregatus, vice & auctoritate noſtra moneatur & quilibet veſtrum moneat & requirat primo ſecundo tertio & peremptorie antedictos Beken uxorem Eliæ, dominos Johannem Bulder, Nicolaum Vinck presbiteros Luderum Vinck, Hennekinum Viſch, Hennekinum Munter, Marquardum Wulff Marquardum & Hartwicum Hardenbergh, quos etiam ſic monemus, ut ſub excommunicationis pœna, quam ſi non fecerint ea, quæ præcipimus in eos & in eorum quemlibet canonica monitione prævia in hiis ſcriptis ut infra IX. dies poſt monitionem noſtram immediate ſequentes, quorum IX. dierum tres pro primo tres pro ſecundo & reliquos tres dies eis & eorum cuilibet pro tertio & peremptorio termino aſſignamus & vos aſſignetis ut ipſa Beke, Johannes Bulder Nicolaus Vinck presbiteri, Luderus Vinck, Hennekinus Viſch, Hennekinus Münter & Marquardus Wulff nobis de ducentis & quinquaginta Florenis Renenſibus ratione pœnæ, ac Marquardus & Hartwicus Hardenbergh de triginta marcis denariorum Lubecenſium ratione expenſarum factarum integre nobis ſatisfaciant: alioquin eos & eorum quemlibet tenore præſentium peremptorie citare curetis, quatenus ipſa IX. die prædicta coram nobis vel commiſſario noſtro ad hoc deputando Vordis in judicio compareant legitime reſponſuri per ſe vel per procuratores ſuos ad videndum ſe pœnam excommunicationis hujusmodi incidiſſe declarari, vel cauſam rationabilem allegando, quare non debeant incidiſſe declarari, certificantes eosdem, quod ſive compareant & cauſam rationabilem non allegent, vel non compareant, nos nichilominus ad præmiſſa omnia & absque mora procedemus & procedi faciamus juſtitia mediante & eorum contumacia non obſtante. In hujus executionis veſtræ fideliter factæ redditæ præſentia veſtris ſigillis ſigillat - dictæ vero execution: nobis reſtr. Datum in caſtro noſtro Vordis Anno domini M. CCCC. XXII. Sabbato ante dominicam qua cantatur Exurge, noſtro ſub ſigillo præſentibus - Executore hujusmodi mandati - - & in hæc verba: *Rector divinorum parochialis Eccleſiæ in Kyl* hoc mandatum executus eſt in dominica, qua cantatur Reminiſcere, quod hac ſua manu proteſtatur. Apparuit ibi ſigillum in cujus medio ymago ſancti Jacobi erat ſculpta & videbatur ſigillum Rectoris ſupradicti. Poſt hoc cum prædicta citatio - - litera & apparuit de cujus executione fideliter facta in judicio pro tribunali ſedentes comparuerunt dicta Beke uxor Elyæ, Marquardus Hardenbergh ac Hennekinus Viſch laici qui minus legitime in terminis, prout moniti erant non ſatisfacientes, neque rationabile pro ſe allegant. Alii vero in citatorio videlicet domini Johannes Bulder, Nicolaus Vink presbiteri Luderus Vinck, Hennekinus münter Marquardus Wulff & Hartwicus Hardenbergh contumaciter abſentes, comparere coram nobis non curaverunt. Quare prædictos Beken uxorem Eliæ. Johannem Bulder & Nicolaum Vinck presbiteros, Luderum Vinck, Henekinum Viſch, Johannem Munter, Marquardum Wulff Hartwicum & Marquardum Hardenbergh merito ut debebamus, reputavimus & reputamus contumaces & in pœnam contumaciæ eos & eorum quemlibet in excommunicationis ſententiam per præſentia declaramus incidiſſe. Quare, omnibus Vobis & ſingulis ſupra dictis mandamus & in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, niſi feceritis quæ præcipimus, terna & canonica monitione præmiſſa quatenus in Eccleſiis veſtris, cum populus fuerit ad divina congregatus, vos qui requiſiti fueritis eosdem & eorum quemlibet excommunicatos & excommunicatum ſingulis diebus dominicis & feſtivis publice nuncietis, ac eos & eorum quemlibet in divinis evitetis & evitari faciatis, non ceſſantes ab hiis, donec aliud a nobis habueritis in mandatis. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas ſive præſens publicum inſtrumentum, hujusmodi commiſſionem nobis factam & prædictos in ſententiam excommunicationis incidiſſe declarationem in ſe continentes ſeu continens exinde fieri & per Notarium publicum hujusmodi infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus ac officiatus ſigillo curiæ generalis prædicti domini bremenſis, cum præpoſitum tunc non habuerimus, fecimus appenſione communiri. Datum & Actum 1422.
Vordis in cimiterio parochiæ ibidem Anno domini Milleſimo quadringenteſimo viceſimo ſecundo Indictione XV. Menſis Martii die XXV. hora terciarum vel quaſi, Pontificatus in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Martini divina providentia papæ V. anno ejus quinto præſentibus ibidem honorabilibus Viris domino Mathia Wiker officiali ultra Albeam, Segebodine Marſchalco, Ludekino dröſten, Georgio ac Frederico Kok teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis.

Et Ego Tyderick Smedingh, clericus auctoritate imperiali publicus Notarius, quia hujusmodi Commiſſioni & declarationi omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic ut præmittitur, per dictum dominum decanum & commiſſarium, ut præfertur fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque per eundem dominum decanum ac commiſſarium fieri vidi

vidi & audivi, ideoque hoc præsens publicum instrumentum -- præsentem processum per alium fideliter conscriptum me cœteris præpedito negociis de mandato prædicti decani & commissarii exinde confeci & publicavi, signoque & nomine meis solitis & consvetis una cum appensione sigilli curiofficialatus generalis Bremensis signavi debite requisitus & rogatus, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum. Clericum Bremensis diocesis me protestor.

CCCXIX.

Mandatum Officialis Bremensis pro Matthia Voyker, contra Elyam Münter.

1424. In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem Millesimo, quadringentesimo, vigesimo quarto, indictione secunda, die vero tercia mensis decembris, hora quasi nonarum, Pontificatu sanctissimi in Christo Patris & domini nostri, domini Martini, divina providentia papæ quinti anno octavo, in mei Notarii publici testiumque infra scriptorum præsentia, personaliter constituti honorabiles & discreti Viri, domini ac Magistri *Conradus Benne*, Officialis Ecclesiæ Bremensis generalis, *Nicolaus Poppe, præpositus sanctimonialium in Uterſten*, Brem. diocesis, fecerunt, constituerunt ac solempniter ordinaverunt suum verum, legitimum & indubitatum procuratorem, actorem, factorem negotiorumque suorum gestorem ac nuncium specialem & generalem, ita quod specialitas generalitati non deroget nec e contra, honorabilem virum dominum *Matthiam Voyker*, collegiatæ Ecclesiæ Ramesloënsis dictæ Bremensis diocesis decanum præsentem & omnis hujusmodi in se sponte suscipientem, cum potestate substituendi ad arbitrandum & compromittendum quo supra nomine, cum quodam Elia Münter de alto & basso, super quibusdam assertis injuriis, dampnis expensis, interesse, captivatione, incarceratione, omnibusque dependentiis, connexis & omnibus inde secutis inquisitisque, Prælatos clericos sive laicos ubilibet existentes quocunque seu quibuscunque nominibus censeantur sub quacunque pœna adhoc nominanda vel adhibita & etiam si necesse fuerit in superarbitrum concordandum ipsumque nominandum & acceptandum ac in causa & causis hujusmodi coram arbitris, sive compromissariis electis vel eligendis cum præfato Elya Münter procedendum, sententiam arbitralem in jure vel amicitia ferri petendum & audiendum & generaliter omnia alia & singula procurandum gerendum faciendum & excercendum, quæ in præmissis & certa causa necessaria fuerint vel etiam quomodolibet oportuna, etiam si mandatum magis exigant speciale, quam præsentibus continetur. Promittentes nos gratum ratum atque firmum perpetuo habiturum sub pœna ad hoc nominanda quicquid per dicti eorum procuratoris substitutum vel substitutos aut substituendos ab eo actum factum, gestum ac etiam per arbitros sive compromissarios ipsos arbitratum, signatum sive dictum fuerit in jure vel amicitia in præmissis, vel aliquo præmissorum. Acta sunt hæc in stabulo equorum ante foras prædicti Monasterii sub Anno Indictione, die, mense, hora, loco & Pontificatu quibus supra, præsentibus ibidem honorabilibus & discretis Dominis Hinrico Pylito Ecclesiæ Sleswicensis Canonico, Johanne Daruetzow perpetuo Beneficiario -- sanctorum Cosmæ & Damiani opidi Stadensis Bremensis diocesis prædictæ ac aliis quamplurimis fide dignis Testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Hinricus Strunclingh Clericus Mindensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius: Quia præmissis omnibus & singulis dum sic ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideoque præsens publicum instrumentum manu mea propria conscriptum exinde confeci, publicavi & in hanc publicam formam redegi, quam signo nomine & cognomine meis solitis & consvetis signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

CCCXX.

Aliud Transumptum literarum Adalberonis Archiepiscopi Hamburg. & Hartvici, ibidem de annis 1141. 1164.

Universis & singulis præsentes literas in- 1424.
specturis, Conradus Benne officialis Ecclesiæ Bremensis generalis, salutem in domino & præsentibus fidem indubiam adhibere, Noveritis, quod nuper comparens coram nobis honorabilis vir, dominus *Marquardus Brand, in Jure Canonico Licentiatus, Novi Monasterii alias Bardesholm, Canonicus Regularis, Ordinis B. Augustini, dicti Bremensis diocesis*, quasdam literas quondam Archiepiscoporum Hamburgensis vel Bremensis Ecclesiæ pie defunctorum, sigillis, ut apparuit, debite sigillatas, non abrasas, non cancellatas, non vitiatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed sanas integras ac omni prorsus vitio & suspicione carentes, in medium produxit, petens per nos illas in forma solita & consveta transumi, exemplari, & decretum interponi, quod illi transumpto ubique locorum, tanquam originalibus literis pleña fides valere posset & deberet adhiberi. Nos autem attendentes petitionem hujusmodi fore justam & consonam rationi volentesque quod in facto hujusmodi secundum juris dispositionem mature procedere, auctoritate ordinaria, qua fungimur in hac parte, omnes & singulos, quorum intererat, aut qui sua putarent interesse, cujuscunque dignitatis, status ac conditionis censeantur, per nostras literas in valvis majoris Ecclesiæ Bremensis ad videndum hujusmodi literas, transumi, exem-

exemplari, decretum noſtrum interponi, nec non earum ſigilla recognoſci, vel cauſam rationabilem, ſi quam haberent, allegando, quare præmiſſa minime fieri deberent, citari mandavimus & fecimus ad diem & terminum competentem, Quo tertio adveniens comparuit coram nobis dictus dominus Marquardus Brand principalis, & literas noſtras citatorias in valvis præfatæ eccleſiæ debitæ executioni demandatas reportavit, citatorumque in eis contentorum non comparentium, neque quicquam allegare curantium, contumaciam accuſavit, ipſosque contumaces reputari & in eorum contumaciam ſæpe dictas literas tranſumi & decretum noſtrum interponi, ac teſtes ſuper recognitione ſigillorum earundem recipi & ad jurandum admitti & examinari per nos denuo poſtulavit. Nos autem dictos citatos non comparentes, neque hujusmodi diei termino ſatisfacere curantes reputavimus, prout erat exigente juſticia contumaces, & in eorum contumaciam non nullos teſtes productos citatos & in manibus noſtris juratos ſuper recognitione ſigillorum earundem literarum accepimus & admiſimus, demum eosdem diligenter examinavimus, qui ſic per nos interrogati, mediis eorum juramentis dixerunt, ſe illa ſigilla cognoſcere, & eſſe illorum, quorum eſſe dicuntur. Et demum eadem ſigilla inſtante dicto domino Marquardo Brand Principali, habuimus & habere volumus pro recognitis. Et nihilominus easdem literas ſic ut præmittitur, recognitas tranſumpſimus & tranſſumimus per notarium publicum infra ſcriptum, et exemplari mandavimus, prout earundem tenor ſequitur & eſt talis: *Sequitur Adalberonis totum privilegium de a. 1141. Item tenor alterius chartæ ejusdem adalberonis de a. 1146. & Hartvici de a. 1146. Quibus finitis additur clauſula.* Demum hujusmodi ſic literis tranſumptis & exemplatis, ut præmittitur ac diligenti collatione cum originalibus facta compertaque, illas in eorum tenore de verbo ad verbum concordare, auctoritate ordinaria prædicta noſtrum interpoſuimus & tenore præſentium interponimus decretum, quatenus hujusmodi transſumpto tanquam originalibus in juditio & extra hic & ubique locorum poſſit & debeat plena fides adhiberi. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas, ſive præſens publicum inſtrumentum hujusmodi tranſſumtum in ſe continentes ſeu continens exinde fieri & per Notarium publicum infra ſcriptum tranſcribi & publicari mandavimus, noſtrique officialatus ſigilli fecimus appenſione communiri. Datum & actum Stadis in curia habitationis honorabilis viri, domini Nicolai Poppen, Præpoſiti in Uterſten prope Monaſterium ſancti Georgii, anno a nativitate domini Milleſimo, 1424. quadringenteſimo viceſimo quarto, indictione ſecunda die vero decima ſexta menſis octobris, horarum terciarum vel quaſi, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Martini, digna dei providentia papæ quinti, anno ejus ſeptimo, præſentibus ibidem diſcretis viris dominis Sifrido Peynis, rectore parochialis Eccleſiæ Föræ, Slesvicenſis dioceſis, Hinrico Bileveld perpetuo vicario Eccleſiæ ſancti Anſcarii Bremenſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter & rogatis. Et ego Hinricus Strunclingh clericus Mindenſis dioceſis, publicus imperiali auctoritate Notarius. Quia præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſic ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideoque præſens publicum inſtrumentum per alium fidelem conſcriptum exinde confeci, publicavi & in hanc publicam formam redegi, quam ſigno, nomine & cognomine una cum ejusdem domini Officialis ſigilli appenſione meis ſolitis & conſvetis conſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

CCCXXI.

Donatio & Legatum Margarethæ Möllers Monaſterio Bordesholmenſi facta pro Miſſa S. Corporis ad altare XII. apoſtolorum.

Wy Joachim mit Godes Gnaden Proveſt 1424.
Hermannus Prior und dat gantze Capittel thom Bordesholm, bekennen openbar an deſſene Breve vor all denjenen de ene zeen edder hören leſſen, dat de erlike Vrowe Margareta, *Wandages* (weyland) Huſs Vruwe Reimer Möllers ſeliger Dechtniſse, umme meringe Gotlikes Denſtes, unde umme Salicheit erer und des vorbenanten Reimers, und Reimers eres Sönes, unde al erer beider Kindere Zele willen, by Vollmacht eres levendes, ſinne unde Reddelicheit maket hefft ene ewige Miſſen und Dechtniſſe, ſtedelkes de to holdende an unſer Kerſpel Kerken to dem Kyle an aller Wyſe, alſe na beſcreven iſs. Darup ſo hefft desülve Vrowe Margrete mit fryen Willen uns gegeven XX. marc unde C. de wy van er to der nöge entfangen hebben, unde deger an de nottrofftigen mit beſondergen an der Mölen to *Wittorpe* gekeret hebben. Alſo dat wy un unſe Nakomelinge dat ſo ſchiken ſchollen und willen, dat alle Donredage in tokomenden tyden ewig to holdende des Morgens under der Metten to dem Altare der XII. Apoſtel ene hochlike Miſſen ſinget waren ſcal, van dem hylghen Lichame an unſer Kerken to dem Kyle vorſcreven, un dat Sacrament mit lichten und tortizen mit Geſang dregen up un af den Altar; Unde wanner dat Evangelium to dersülven Miſſen leſſen iſs, ſo ſcal de Preſter ſick umme keren to dem Volke, unde vlitigen bidden vor Margreten, Reimer Möllers

lers, Reimares eres ſones unde alle erer Kinder Zele alſe vorſcreven ſteit, unde to dersülven Miſſen ſo ſcal me dat Sacrament des hylgen Lychames unſers Heren mit Lichten unde ſange to dem Altare unde wedder afbringen mit Vlyte und erlicheit.

Deſſe vorſcreven ſtücke (*) ewigliken to holdende ſo hebbe wy unſes Convents Ingeſegel endrachtelken vor deſſen Bref gehenget laten. De gheven und ſcreven iſs na Gottes Bort M. CCCC. XIV. am dene Dage Sunte Jacobes des hyligen Apoſtels.

(*) Eadem repetuntur in literis Bordisholnenſium ad Senatum Kilonienſem eodem anno.

CCCXXII.

Conventus Borsholmenſis per Conradum Benne officialem generalem literas Ottonis Archiepiſcopi in jus Parochialis Eccleſiæ in Kyl & ejusdem clericos conceſſas & jam olim a Papa Gregorio - - confirmatas iterum transſumi & auctorizari curat.

1424. Univerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis, Conradus Benne officialis eccleſiæ Bremenſis generalis ſalutem in domino & præſentibus fidem indubiam adhibere. Noveritis quod nuper comparens coram nobis honorabilis Vir, Marquardus Brand, in jure Canonico licentiatus novi Monaſterii alias Bardesholm Canonicus regularis, ordinis ſancti Auguſtini dictæ dioceſis Bremenſis, quandam literam bulla papali bullatam, non abraſam, non cancellatam, non abolitam, nec in aliqua ſui parte ſuſpectam ſed ſanam integram ac omni prorſus vitio & ſuſpicione carentem in medium produxit, petens per nos illam in forma ſolita & conſveta tranſumi, exemplari & decretum interponi, quod illi transſumpto ubique locorum tanquam originali literæ plena fides valeret poſſit & debeat adhiberi, Nos tunc attendentes petitionem hujusmodi fore juſtam & conſonam rationi, volentesque in facto hujusmodi ſecundum juris diſpoſitionem mature procedere, auctoritate ordinaria, qua fungimur in hac parte, omnes & ſingulos quorum intererat, aut qui ſua putarent intereſſe, cujuscunque dignitatis ſtatus ac conditionis eſſent, per noſtras literas in valvis Eccleſiæ majoris bremenſis ad videndum hujusmodi literam transſumi & exemplari & decretum noſtrum interponi, nec non ejus ſigillum recognoſci, vel cauſam rationabilem, ſi quam haberent allegandi, quarum præmiſſa minime fieri deberent citari mandavimus & fecimus ad diem & terminum competentem, quo tertio adveniens comparuit coram nobis dictus dominus Marquardus Brand & literas noſtras citatorias in valvis præfatæ Eccleſiæ debitæ executioni demandatas, reportavit, citatorumque in eis contentorum non comparentium neque quicquam allegare curantium contumaciam accuſavit ipſosque contumaces reputari & in eorum contumaciam ſæpe dictam literam tranſſumi & decretum noſtrum interponi, ac teſtes ſuper recognitione ſigilli ejusdem recipi & ad jurandum admitti & examinari per nos denuo poſtulavit. Nos autem dictos citatos non comparentes, neque hujusmodi diei termino ſatisfacere curantes reputavimus merito, prout erat exigente juſtitia contumaces, & in eorum contumaciam nonnullos teſtes productos citatos & in manibus noſtris juratos ſuper recognitionem ſigilli ejusdem literæ recepimus & admiſimus, demum eosdem diligenter examinavimus qui ſic per nos interrogati mediis eorum juramentis dixerunt ſe illud ſigillum cognoſcere & eſſe illius, cujus eſſe dicitur & demum idem ſigillum inſtante dicto domino Marquardo Brand principali habuimus & habere voluimus pro recognito: Et nichilominus eandem literam ſic recognitam tranſumpſimus & tranſumimus per Notarium publicum infra ſcriptum & exemplari mandamus, prout ejus tenor ſequitur: & eſt talis:

Gregorius (*) Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam illis quæ pro Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis inibi domino famulantibus ac divini cultus augmento proinde facta ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter cum nobis petitur, apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem. Sane petitio dilectorum filiorum præpoſiti & conventus monaſterii in Bardesholm per præpoſitum ſoliti gubernari ordinis ſancti Auguſtini Bremenſis dioceſis nobis exhibita continebat, quod olim bonæ memoriæ *Otto Archiepiſcopus Bremenſis* pro dicti cultus augmento & pro bono patris vicarii Rectoris nuncupati parochialis Eccleſiæ opidi Kyl dictæ dioceſis, quam prædicti præpoſitus & Conventus canonice tenent in uſus proprios eorundem. Et quiquidem Vicarius ad ſolum nutum eorundem præpoſiti & conventus poni & amoveri conſveverit - - nec non Presbyterorum & clericorum in ipſa Eccleſia eccleſiaſtica beneficia obtinentium & domino famulantium pro tempore rationabiliter & provide ordinavit & infra limites parochiæ Eccleſiæ prædictæ aliquæ perſonæ Eccleſiaſticæ miſſas & divina officia celebrare aut verbum dei populo proponere, nec non cappellas ſeu beneficia Eccleſiaſtica fundare vel in ipſis officiare, cappellas ſeu altaria erigere vel conſtruere per ſe vel alios non deberent, nec quicquam aliud ad jura parochialia ipſius Eccleſiæ pertinens facere præſumerent ſine dicti Vicarii beneplacito & conſenſu, Quodque in capella ſancti ſpiritus dicti opidi infra eosdem limites conſiſtente, tres miſſæ tantum & non plures per ydoneos presbiteros diebus ſingulis poſſunt celebrari, quæ antequam niterentur miſſæ in eccleſia eadem, ne dilecti filii parochiani eccleſiæ prædictæ diſtraherentur ab illa, eſſent

finitæ & in qua quidem Capella nisi certis diebus & horis verbum dei populo prædicarent, cum nullum præjudicium ipsi Ecclesiæ ex hoc fieri posset, quodque si aliquas cappellas cum consensu dicti vicarii infra eosdem limites ædificari contingeret, voluit etiam idem Archiepiscopus, quod tertia pars omnium oblationum quibuscunque nominibus cenferentur in eisdem cappellis fierent, quotiens eidem vicario conveniens foret sub juramento juratorum, ad ipsas Capellas ordinatorum pro tempore præsentarentur, quodque omnes oblationes tam in cibariis, denariis & candelis, quam aliis rebus, quæ in Ecclesia ac omnibus & singulis capellis hujusmodi infra eandem parochiam constructis hactenus construendis forsitan offerentur ad prædictum vicarium vel ejus vices gerentem in Ecclesia prædicta de consensu eorundem præpositi & conventus de jure spectare deberent ac prædicti & alii presbiteri, quando starent ad altaria sita in ipsa Ecclesia ad dicendum missas præparati nullas pecunias pro missis votivis dicendis a quocunque reciperent, sed si quid proinde recepissent, vel oblatum eis foret, illud vicario vel vicerectori hujusmodi integraliter præsentarent: qui quidem vicarius, seu ejus vices gerens haberet ipsius Ecclesiæ onera supportare dictique presbyteri denarios sibi irrogatos per Christi fideles in cimiterio ecclesiæ prædictæ vel alibi licite possent retinere, ita quod nullum præjudicium seu dampnum per hoc in hujusmodi juribus Vicario seu ejus vices gerenti præfatis alias irrogarent, sed eorum profectum omnimode procurarent, ipsique presbiteri, qui divinis officiis in ipsa Ecclesia interessent pro tempore præsertim diebus festivis missas cantarent vel legerent secundum institutionem & ordinationem privilegiorum suorum. beneficiorum suorum in in ipsis Ecclesia & parochia consistentium, seu juxta voluntatem vicarii memorati ac pro firmiori subsistentia præmissorum dictus Archiepiscopus revocavit & cassavit quascunque literas hiis contrarias cura suorum prædecessorum Archiepiscoporum bremensium, qui fuerunt pro tempore, tanquam irrationabiles seu minus justas. Et voluit atque auctoritate prædicta concessit, quod præpositus ipsius monasterii existens pro tempore, contradictores & rebelles excommunicare & ab officio suspendere ac etiam insolencias seu dissolutiones eorundem presbiterorum & clericorum, qui ad celebrandas in dicta Ecclesia & Capellis missas ex alia offitia hujusmodi deputati forent cohibere & ut decenter & honeste viverent nec non habitum decentem clericalem gestarent, nec non contrarium facientes etiam per censuram ecclesiasticam cohercere valerent, pro ut in autenticis literis inde confectis prædicti Ottonis Archiepiscopi sigillo munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte prædictorum præpositi & conventus fuit nobis humiliter supplicatum, ut ordinationi, revocationi, cassationi præfatis robur apostolicæ confirmationis adjicere, de speciali gratia dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, ordinationem, revocationem, cassationem & concessionem prædictas & omnia inde secuta rata habentes & grata ea auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus.

Per hæc autem constitutionibus apostolicis & jurisdictioni ordinariæ nolumus aliquatenus derogare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis commissionis & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii XV. Kalend. Septembris pontificatus nostri Anno primo. Demum hujusmodi posuimus & tenore præsentium interponimus decretum, quod hujusmodi transumpto tanquam originali literæ in judicio & extra, hic & ubique locorum possit & debeat plena fides adhiberi. In quorum omnium & singulorum fidem & Testimonium præmissorum præsentes literas sive præsens publicum instrumentum hujusmodi transumptum in se continentes seu continens exinde fieri & per notarium publicum infrascriptum transcribi & publicari mandavimus, nostrique officialatus sigilli fecimus appensione communiri. Datum & actum Stadis, in Curia *habitationis dominæ præpositi in Uterſten prope monasterium sancti Georgii*, Anno a Nativitate domini Millesimo Quadringentesimo, vicesimo quarto, indictione secunda die vero Lunæ, quæ fuit decima sexta dies Mensis Octobris, hora terciarum vel quasi pontificatus in Christo sanctissimi Patris & domini nostri, domini Martini, divina providentia papæ Quinti. Anno ejus septimo præsentibus ibidem discretis viris, dominis *Syfrido Peynis, rectore parochialis ecclesiæ* FÖRÆ, *Sleswicensis diocesis*, & Hinrici Bilevelt perpetuo Vicario Ecclesiæ beati Anscharii Bremensis Testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis.

Et ego Hinricus Strunclingh, clericus Mindensis diocesis, publicus Imperiali auctorirate notarius, Quia præmissis omnibus & singulis, dum sic ut præmittitur, per præfatum dominum officialem fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideoque præsens publicum instrumentum per alium fidelem fideliter conscriptum exinde confeci, publicavi & in hanc publicam formam redegi, quam signo nomine & cognomine meis solitis & consvetis, una cum ejusdem domini officialis Sigilli appensione consignavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

(*) Gre-

(*) Gregorius XI. Pontif. Rom. eligitur anno 1370. d. 30. Decembr. Gregorius XII. eligitur 1406. d. 30. Novembr. Otto I. Archiep. Brem. comes oldenb. sedit c. a. 1345. Otto II. dux Brunsvic. c. a. 1388. Quis horum pro auctore vel confirmatore harum literarum censendus?

CCCXXIII.

Officialis Bremensis omnes & singulos generaliter citat ad videndum certas quasdam conventus Barsholmensis literas transsumi & auctorizari.

1424. *Conradus Benne*, officialis Curiæ Bremensis generalis, Universis & singulis præsentes literas inspecturis, Salutem in domino. Constitutus coram nobis honorabilis Vir, dominus Marquardus Brand, *In Jure Canonico Licentiatus*, Vicerector *divinorum in opido Kyl*, Canonicus regularis Novimonasterii, alias Bardesholm præ dictæ Bremensis diocesis, ordinis sancti Augustini, nomine Monasterii sui quasdam literas, unam bullam Gregorii papæ, duas Adelberonis & unam Hartwici quondam Archiepiscoporum Hammenburgensium vel Brem. pie defunctorum sigillis sigillatas in medium produxit & exhibuit, petens per nos illas transumi, exemplari, sigilla cognosci & decretum nostrum interponi, in forma solita & consveta, ita quod illis transumptis ubique locorum tanquam originalibus literis valeat plena fides adhiberi. Nos in hujusmodi facto secundum juris dispositionem maturius procedere volentes, auctoritate ordinaria, qua fungimur in hac parte, omnes & singulos quorum interest vel interesse sua putaverint, citamus per præsentes, quatenus nona die, quarum dierum tres pro primo, tres pro secundo, reliquas tres pro tertio & peremptorio termino assignamus eisdem, coram nobis Stadis compareant ad videndum hujusmodi literas transsumi, exemplari, sigilla recognosci & decretum nostrum interponi, vel causam rationabilem, si quam habent allegari, quare præmissa minime fieri debeant, alioquin, eorum contumacia non obstante, quod justum fuerit faciemus. Datum Bremis anno domini Millesimo, quadringentesimo vicesimo quarto, mensis Octobris die septima officialatus nostri sub sigillo præsentibus appenso.

Et ego Hinricus Strimelingh, clericus mindensis dioceseis, publicus imperiali auctoritate notarius: Quia hujusmodi Citationis ad valvas majoris Bremensis Ecclesiæ supradictæ affixioni, Insinuationi, executioni, terminorum præfixioni, omnibusque aliis & singulis, dum sic ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum infrascriptis testibus adhoc specialiter vocatis & requisitis, videlicet honorabilibus dominis Gherlaco de Brummersete decano, Hinrico Crampen scholastico, Bertoldo Bradenkol, Hinrico Bloytlose, vicariis ecclesiæ bremensis, præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideoque præsentem citationem per alium fidelem scriptam signo nomine & cognomine meis solitis & consvetis subscripsi una cum appensione ejusdem domini officialis sigilli consignavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum. Acta sunt hæc uti supra, anno, die mense, hora quasi Vesperorum, indictione secunda, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Martini, papæ Quinti anno septimo.

CCCXXIV.

Conventus Bardesholm. a Johanne Gundissalvo citationem procurat apostolicam, contra Johannem Redich, prætensum altaristam capellæ sancti Spiritus in oppido Kyl, de & super usurpationibus jurium dictæ ecclesiæ parochialis.

Johannes Gundissalvi *decretorum doctor*, domini nostri papæ Cappellanus & sacri palatii apostolici causarum & causæ ac partibus infrascriptis ab eodem domino nostro papa Auditor specialiter deputatus, Universis & singulis dominis Abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, Cantoribus, Scolasticis, Thesaurariis, Custodibus, Canonicis tam Cathedralium quam collegiatarum parochialiumque ecclesiarum Rectoribus & locatenentibus eorundem Plebanis, Viceplebanis, presbiteris, Cappellanus, vicariis perpetuis, Altaristis, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis quibuscunque per civitatem & dioceſin bremensem ac alias ubilibet constitutis & eorum cuilibet in solidum, ad quem vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint Salutem in domino & mandatis nostris hujusmodi, ymo verius apostolicis firmiter obedire. Noveritis quod nuper sanctissimus in Christo pater & dominus noster, dominus *Martinus* divina providentia *papa quintus*, quandam commissionis, sive supplicationis scedulam nobis per certum suum cursorem præsentari fecit, quam nos cum ea qua decuit reverentia recepimus hujusmodi sub tenore: Dignetur causam & causas, quam & quas movet seu movere intendunt devoti viri *Joachim præpositus*, ac *Marquardus Brand*, Licentiatus in decretis, *vice Rector Ecclesiæ parochialis sancti Nicolai opidi Kyl, bremensis dioceſis*, ac *canonicus Regularis Monasterii in Bardesholm ejusdem dioceſis*, conjunctim & divisim, contra & adversus quendam *Johannem Redich, prætensum altaristam capellæ sancti Spiritus ejusdem opidi*, de & super *usurpationibus Jurium dictæ parochialis Ecclesiæ ac aliis rebus in causa hujusmodi deducendis*, & eorum occasione parte ex altera committere alicui ex venerabilibus & circumspectis Viris dominis, vestri sacri palatii apostolici causarum auditoribus audiendi, cognoscendi, decidendi, & fine debito terminandi, cum omnibus & singulis suis emergentibus 1424.

gentibus

gentibus, incidentibus dependentibus & connexis & cum poteſtate citandi dominum Johannem, omnesque alios & ſingulos ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes in Romana curia extra & ad partes tociens quotiens opus erit. Non obſtante quod cauſa & cauſæ hujusmodi non ſint ad dictam cutiam legitime devolute, neque in ea de juris neceſſitate tractandæ ſeu finiendæ. In fine vero dictæ commiſſionis ſive ſupplicationis cedulæ ſcriptæ erant de alterius manu litera ſuperiori literæ ipſius cedulæ penitus & omnino diſſimili & diverſa hæc verba videlicet. De mandato domini noſtri Papæ audiat Magiſter Johannes Gundiſſalvi, citet ut petitur & juſtitiam faciat. Poſt cujus quidem commiſſionis ſive ſupplicationis cedulæ præſentationem nobis & per nos, ſic ut præmittitur factas fuimus pro parte honorabilium virorum dominorum Joachimi Præpoſiti ac Marquardi Brand principalium, in dicta nobis præſentata commiſſione principaliter nominatorum debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ſibi Citationem legitimam extra Romanam curiam & ad partes contra & adverſus quendam Johannem Redich ex adverſo principalem in præſcripta commiſſione principaliter ex adverſo ſcriptum, omnesque alios & ſingulos ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, juxta ipſius commiſſionis vim formam & tenorem in forma ſolita & conſveta decernere & concederedignaremur. Nos igitur Johannes Auditor præfatus attendentes requiſitionem hujusmodi fore juſtam & conſonam rationi hujusmodi fore juſtam & conſonam rationi volentesque in cauſa & cauſis hujusmodi rite & legitime procedere atque partibus ipſis hinc inde dante domino juſtitiam miniſtrare, ut tenemur. Idcirco auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa vos omnes & ſingulos ſupradictos communiter & diviſim tenore præſentium requirimus & monemus primo ſecundo tertio & peremptorie vobisque nichilominus & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, quam in vos & veſtrum quemlibet terna & canonica monitione præmiſſa fecimus in hiis ſcriptis, ſi ea quæ nobis in hac parte committimus & mandamus neglexeritis, recuſaveritis ſeu diſtuleritis contumaciter adimplere diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt præſentationem ſeu notificationem præſentium vobis aut alteri veſtrum factas & poſtquam pro parte dictorum dominorum Joachimi & Marquardi principalium ſeu alterius eorundem vigore præſentium deſuper fueritis requiſiti, aut alter veſtrum fuerit requiſitus immediate ſequentium. Quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecundo & reliquos duos dies vobis univerſis & ſingulis ſupradictis pro tertio & peremptorio termino ac monitione canonica aſſignamus, ita tamen, quod in hiis exequendis alter alterum non expectet nec unus pro alio ſe excuſet præfatum dominum Johannem Redich ex adverſo principalem, omnesque alios & ſingulos ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes in eorum propriis perſonis, ſi ipſorum præſentias commode habere poteritis: alioquin in hoſpitiis habitationum ſuarum, ſi ad ea tutus pateat acceſſus & in parochiali ſeu parochialibus ſub qua ſeu quibus degunt & morantur Sin autem in cathedrali Brem. & in Parochiali ſeu parochialibus eccleſiis prædictis aliisve eccleſiis & locis publicis infra miſſarum & aliorum divinorum ſolempnia, dum ibidem populi multitudo ad divina audienda vel alias congregata fuerit ubi quando & quotiens expediens fuerit, alta & intelligibili voce ex parte noſtra ymo verius apoſtolica peremptorie citari curetis, ita quod ſit veriſimile citationem noſtram hujusmodi ad ipſorum & cujuslibet eorum noticiam devenire, quos nos etiam & eorum quemlibet communiter & diviſim ſic citamus, quatenus ſexageſima die poſt citationem noſtram hujusmodi per vos vel aliquem veſtrum iis vel eorum alteri factam immediate ſequentem ſi dies ipſa ſexageſima juridica fuerit, & nos vel alter loco noſtri forſan ſurrogandus auditor ad jura reddenda pro tribunali ſederimus vel ſederit, alioquin prima die juridica ex tunc immediate ſequente, qua nos vel ſurrogandum auditorem prædictum Tiburæ, vel alibi ubi tunc forſan, dominus noſter papa cum ſua curia reſidebit, in audientia cauſarum apoſtolicarum in qua jura reddi ſolent, mane hora cauſarum ad jura reddenda pro tribunali ſedere contigerit, compareant in judicio coram nobis vel ſurrogando auditore prædicto per ſe vel procuratorem ſeu procuratores ſuos ydoneos ad cauſam ſeu cauſas hujusmodi ſufficienter inſtructos cum omnibus & ſingulis actis, actitatis, literis, ſcripturis privilegiis proceſſibus, inſtrumentis, juribus & munimentis cauſas hujusmodi tangentibus ſeu eas quomodolibet concernentibus præfatis dominis Joachimo & Marquardo Brand principalibus ſeu ejus legitimo procuratori de & ſuper omnibus & ſingulis in dicta nobis facta commiſſione contentis, de juſtitia reſponſuri & in toto negotio ac cauſis hujusmodi ad omnes & ſingulos actus gradatim & ſucceſſive & uſque ad diffinitivam ſententiam incluſive debitis & conſvetis terminis & dilationibus precedentibus, ut eſt moris, proceſſuri & procedi viſuri aliasque dicturi, facturi allegaturi & recepturi, quod juſtitia ſuadebit & ordo dictaverit rationis cum certificatione quod ſive in dicto citationis termino ut præmiſſum eſt comparere curaverint ſive non, nos nichilominus, vel ſurrogandus auditor præfatus ad præmiſſa omnia & ſingula, prout de jure poterimus ſive poterit, procedemus ſeu procedet, dictorum citatorum abſentia ſeu contumacia in aliquo non obſtante.

Diem

Diem vero citationis veſtræ hujusmodi atque formam, & quicquid in præmiſſis feceritis, nobis vel dicto ſurrogando Auditori per veſtras patentes literas aut inſtrumentum publicum harum ſeriem vel deſignationem ſufficientem in ſe continentem ſive continens remiſſis præſentibus fideliter intimare curetis. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum, qui dictam noſtram excommunicationis ſententiam incurrerint ſive incurrerit, quoquo modo nobis vel ſuperiori noſtro termino reſervamus. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras literas ſive præſens publicum inſtrumentum hujusmodi noſtram citationem in ſe continentes ſeu continens exinde fieri & per Notarium publicum noſtrumque & huiusmodi cauſæ coram nobis ſcribam infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus appenſione communiri. Datum & actum Tiburæ in Eccleſia ſancti Blaſii pro audientia cauſarum apoſtolica ſpecialiter deputata, de mane poſt exitum dominorum ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditorum de Rota. Sub anno a nativitate domini Milleſimo quadringenteſimo viceſimo quarto indictione ſecunda, die vero martis viceſima ſeptima menſis Junii, Pontificatus dicti domini noſtri, domini Martini divina providentia Papæ Quinti anno ſeptimo præſentibus ibidem honorabilibus & diſcretis viris Magiſtro Johanne Burchardi de Reckelinchuſen & Johanne de Almaſſano notariis publicis ſcribisque noſtris, clericis colonienſis & Seguntinæ dioceſis teſtibus ab præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et Ego Jacobus Petri clericus Trajectenſ. publicus apoſtolica & imperiali auctoritatibus Notarius atque venerabilis & circumſpecti viri domini Johannis Gundiſſalvi Auditoris præfati, & hujusmodi cauſæ coram eo ſcriba: quia dictæ citationis petitioni & ejus decreto omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis Teſtibus præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audivi: ideo hoc præſens publicum inſtrumentum per alium, me aliis occupato negociis fideliter ſcriptum exinde confeci ſignoque & nomine meis ſolitis & conſvetis una cum appenſione ſigilli dicti domini auditoris & ejus mandato ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

CCCXXV.

Literæ indulgentiarum, pro Altari XII. Apoſtolorum in parochiali Eccleſia Kyl.

1424. *Theodericus*, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, *Epiſcopus Conſtantionenſis*, Reverendi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini *Nicolai, Archiepiſcopi Bremenſis*, Vicarius in Pontificialibus generalis, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, in omnium Salvatore ſalutem. Dignum profecto juſtum & ſalutare exſtitit, excellentiſſimi dominici corporis & ſanguinis ſacramentum, præcipuis magnificandum præconiis, dignis exaltandum laudibus, cunctis honorandum ſtudiis, devotis proſequendum obſequiis, intimis alligandum præcordiis & jugi meditatione ac celebratione ſedula recenſendum. Cupientes itaque domino reddere populum acceptabilem & Chriſti fideles ad complacendum ei, quaſi *quibusdam illectivis præmiis*, DONIS *videlicet* SPIRITUALIBUS invitare, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores, omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus, vere confeſſis & contritis, qui ad miſſam ſingulis quintis feriis, (*) in *Eccleſia Parochiali opidi Kyl Brem. dioceſis, ad altare duodecim Apoſtolorum tempore matutinalis officii*, ob vivifici & ſacroſancti corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti ſacramenti reverentiam, futuris perpetuis temporibus ſolempniter decantandam & eodem tempore hujusmodi præcelſum & venerabile ſacramentum in quadam *monſtrantia* ad idem altare cum luminaribus & canticis ad Exc. congruis reverenter & honeſte deferendum devote concurrerint, de dicti reverendi in Chriſto Patris & domini, domini Nicolai, Archiepiſcopi bremenſis voluntate & aſſenſu *Quadraginta dies indulgentiarum*, nec non, qui & manus *pro ejusmodi Monſtrantia reparanda* porrexerint adjutrices, totidem dies indulgentiarum in domino miſericorditer indulgemus, ut per has, & alia pietatis opera apud eum, qui ſe dedit pro eis in peccatum; tribuitque ſe ipſis in pabulum, tandem poſt hujus vitæ decurſum eis ſe in præmium largiatur. Datum in opido Staden. Anno domini Milleſimo, Quadringenteſimo, Viceſimo quarto, in die ſancti Egidii Abbatis, noſtro ſub Sigillo præſentibus appenſo, in fidem præmiſſorum.

(*) *Singulis diebus Veneris.*

CCCXXVI.

Johannes (forte primus) Comes Holſatiæ donationem ſtagni Eynenvelde a patre Adolpho Novomonaſterio factam confirmat.

Johannes Dei gratia, *Comes Holzatiæ*, univerſis Chriſti fidelibus hanc literam viſuris, ſalutem in nomine Jeſu Chriſti. Quum ea, quæ in ſtatu cupiunt perſiſtere ſolido, ſcriptis commendata, manent firmiora: Hinc eſt, quod memoriæ omnium volumus adhærere, quod nos piam devotionem dilecti patris noſtri *Comitis Adolphi* approbantes & prout poſſumus, imitari cupientes, *ſtagnum Eynelvelde*, quod *commune totius terræ fuerat*, ſicut *ad petitionem univerſorum provincialium terræ* collatum fuit *Eccleſiæ Novimonaſterii*; ſic nos collationem confirmantes eandem, ipſum ſtagnum cum omni integritate totius piſcaturæ exinde provenientis, dilectis noſtris in præfata Eccleſia

Jheſu Chriſto militantibus libere contulimus & abſolute. Ut igitur hæc donatio rata in ævum permaneat & inconvulſa, præſentem paginam ipſis tradidimus fratribus, ſigilli noſtri ſimul & dilecti noſtri patrui, Præpoſiti Brunonis munimine roboratam. Teſtes autem hii ſunt: *Quibus verbis finit ipſum Originale; additis ſaltim ſigillis Johannis Comitis, & Brunonis Præpoſiti.*

CCCXXVII.

Monaſterii Bordisholmenſis ſupplices literæ ad pontificem contra Fratres minores in Kyl in puncto quartæ partis Funeralium & Donatorum.

1425. Pater ſancte, quarta pars funeralium & relictorum datorum & donatorum ac aliarum quarumcunque obventionum, *decedentium parochianorum eccleſiæ parochialis in Kil,* bremenſis dioceſis, ſepultorum apud Eccleſiam & cymiterium *fratrum minorum ejusdem loci in Kil*, ipſis fratribus qualitercunque & quomodocunque occaſione hujusmodi ſepulturæ provenientium *ad præpoſitum Monaſterii in Bardesholm* ordinis ſancti auguſtini dictæ dioceſis Rectorem ejusdem eccleſiæ exiſtentem ſeu ad eum & conventum ejusdem monaſterii ratione dictæ quartæ, ſeu curæ pertinuerit & pertineat ac pertinere debeat de jure; quamvis etiam plures & diverſi parochiani utriusque ſexus parochiæ dictæ parochialis Eccleſiæ fuerint & ſint apud dictos fratres & eorum eccleſiam & conventum ſepulti & inter cæteros dictus Tode de Quernebeke, antiquus dominus Vlegel, Johannes Viſch, antiquus Herdinch & ejus uxor, Otto Eindorp, Widzerus de novomonaſterio, dominus Krummedich, dominus Tideke Scerrere, dominus Make Bolle & plures alii, qui multas & diverſas pecuniæ ſummas & res alias ſuis loco & tempore declarandas eisdem fratribus & conventui legaverunt & reliquerunt etiam aſcendentes ad ſummam II. marc. florenorum auri & ultra, ipſi tamen fratres & conventus dictam quartam funeralium obventionum & datorum donatorum ac relictorum aliorumque, quæ ad eos occaſione ipſius ſepulturæ & dictorum ſepultorum apud eos pervenerunt, ipſis Præpoſito, canonicis & conventui dare & ſolvere etiam a XL. annis citra recuſaverunt & recuſant indebite & injuſte licet ſæpius & cum inſtantia pro parte dictorum præpoſiti, Canonicorum & conventus fuerint ſuper hoc debite requiſiti, prætendentes dicti fratres, licet minus veraciter ſe & *eorum monaſterium ac ordinem eſſe privilegiatos multipliciter & exemptos* & adeo quod quum veſtri loci ordinario conveniunt, forum ipſius, prætextu dictorum eorum privilegiorum declinant, & eos coram dicto ordinario comparere non debere aſſerunt, propter quæ dicti præpoſitus, Canonici & conventus non modicum in jure ſuo læduntur imo de eis in partibus juſtitiæ non poſſunt conſequi complementum. Ideo Sanctitas Veſtra pro parte dictorum præpoſiti, canonicorum & conventus ſuppradictis, ſecundum omnes & ſingulas cauſam & cauſas, quam & quas contra *præfatos fratres & monaſterium ordinis minorum*, *dicti loci in Kil* de & ſuper præmiſſis & eorum quolibet ac clementina ſuper Cathedram contentis in ea & cujuslibet ipſius occaſione habent & monere intendunt præpoſitus, Canonici & conventus antedicti alicui de veſtri ſacri palatii cauſarum auditori, & tam conjunctim quam diviſim committere dignemini, audiendi decidendi & fine debito terminandi cum incidentibus, dependentiis emergentibus & connexis & cum poteſtate dictos fratres & conventum ordinis minorum in curia extra & ad partes, quorum opus erit citandi, non obſtante quod cauſa ſeu cauſæ hujusmodi non ſint ad curiam per appellationem vel alias devolutæ ſeu in ea tractandæ, cum ut præfatur dicti ſupplicantes in partibus propter potentiam adverſariorum juſtitiam conſequi non valeant juris conſtitutionibus, ſtatutis, privilegiis & aliis non obſtantibus quibuscunque. Anno Dom. 1425.

CCCXXVIII.

Conradus Benne Officialis Bremenſis, omnes & ſingulos in genere citat, Stadis comparendos, ad videndum tranſſumi quasdam literas papales & Archiepiſcoporum Bremenſium, conventui in Bardesholm quondam indultas.

Conradus Benne, officialis curiæ Bremenſis generalis, univerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis, Salutem in domino. Conſtitutus coram nobis Honorabilis Vir, dominus *Marquardus Brand*, in jure Canonico Licentiatus, *rector divinorum in Kil*, Canonicus regularis Novimonaſterii alias Bardesholm prædictæ Bremenſis dioceſis, ordinis ſancti Auguſtini, nomine Monaſterii ſui quasdam literas, *unam bulla Gregorii papæ, duas Adelberonis & unam Hartwici, quondam Archiepiſcoporum Bremenſium* pie defunctorum ſigillis ſigillatas in medium produxit & exhibuit, petens per nos illas tranſumi, exemplari, ſigilla recognoſci & decretum noſtrum interponi, in forma ſolita & conſveta, ita quod illis tranſſumptis ubique locorum tanquam originalibus literis valeat plena fides adhiberi. Nos igitur in hujusmodi facto ſecundum juris diſpoſitionem maturius procedere volentes, auctoritate ordinaria, qua fungimur in hac parte, omnes & ſingulos, quorum intereſt, vel intereſſe ſua putaverint citamus per præſentes: quatenus nona die peremptorie coram nobis Stadis compareant ad videndum, hujusmodi literas tranſſumi, exemplari & decretum noſtrum interponi, nec non earundem ſigilla recognoſci vel cauſam rationabilem, ſi quam habeant allegaturi, quare præmiſſa minime fieri debeant, alioquin eorum contumacia non 1425.

non obstante, quod justum fuerit, faciemus. Datum Bremæ, Anno domini Millesimo, quadringentesimo, vicesimo quinto, mense Octobr. die septima, officialatus nostri sub sigillo præsentibus appenso.

Et Ego Hinricus Strunclingh, clericus Mindensis diocesis, publicus imperiali auctoritate Notarius, Quia hujusmodi citationi affixioni ad valvas supra dictæ Majoris Bremensis Ecclesiæ insinuationi, executioni terminorum præfixioni, omnibusque aliis & singulis, dum sic ut præmittitur, fierent, una cum infra scriptis testibus adhoc vocatis specialiter ac requisitis honorabilibus dominis videlicet Gherlaco de Brum-mersete decano, Hinrico Crapen scholastico, Bartoldo Bradenkol, Hinrico Bloytlose vicariis dictæ Bremensis Ecclesiæ præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideoque præsentem citationem manu mea scriptam, quam signo nomine & cognomine meis solitis & consvetis, una cum ejusdem domini Officialis sigilli appensione hic me subscripsi, consignavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum. Acta sunt hæc ubi supra, anno, die, mense, horis vesperorum vel quasi, indictione secunda, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & domini nostri, domini Martini, digna providentia papæ Quinti, anno ejus septimo.

CCCXXIX.

Mandatum procuratorium civitatis Kyl. contra Eliam Münter.

1425. In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem Millesimo quadringentesimo vicesimo quinto, indictione tertia, mensis Maji die septima, hora terciarum vel quasi, Pontificatu sanctissimi in Christo patris ac domini nostri, domini Martini, divina providentia papæ quinti Anno octavo, in mei notarii publici subscripti, testiumque infrascriptorum adhoc vocatorum & rogatorum præsentia personaliter constituti, honorabiles & discreti viri domini *Magister Marquardus Brand*, Licentiatus *in decretalibus*, *Nicolaus Moller*, *Nicolaus Timmermann*, *perpetuus Vicarius ecclesiæ sancti Nicolai in Kyl. Nicolaus Vickonis*, *protonotarius Kilonensis consulatus*, *presbiteri*, *Otto Crusendorp*, *Johannes Boleke*, proconsules, *Johannes Curdes*, *Anders Lund*, *Syfridus Harge*, *Marquardus Pal. Hinricus Zalewerter*, *Ludeke Bekendorp*, *Johannes Oddo*, *Johannes Wiff*, & *Johannes Zegheberch*, Consules, & *Nicolaus Curdeshaghen*, civis dicti opidi Kyl, Bremensis diocesis, meliori modo, jure & forma quibus melius potuerunt & debuerunt, fecerunt, ordinaverunt & constituerunt in suos veros legitimos & indubitatos procuratores, actores, factores & negociorum suorum infrascriptorum gestores & nuncios speciales & generales, ita tamen quod specialitas generalitatem non deroget nec e contra, honorabiles & discretos viros, dominos Hinricum Calverwysch, Johannem Wenghen, presbiteros & Marquardum Holm, clericum Lubicensis diocesis, absentes tanquam præsentes & quemlibet eorum in solidum ita quod non sit melior conditio occupantis & quod unus eorum inceperit, alter prosequi, mediare poterit & finire in causa compromissi vel causis, quam movet seu movere intendit discretus Vir, Elias Munter, Clericus conjugatus coram venerabilibus Viris dominis Arbitris, arbitratoribus & Amicabilibus compositoribus in Christo patre domino, domino Johanne Episcopo, Bortoldo præposito totoque capitulo Lubicensis Ecclesiæ, dantes & concedentes eisdem suis procuratoribus & cuilibet eorum plenam & liberam potestatem ad agendum & defendendum libellum seu libellos & alias quascunque petitiones summarias dandi & recipiendi item contestandi de calumpnia & veritate dicendi & quodlibet alterius generis licitum juramentum in animas dictorum constituentium præstandi jurandi & præstare videndum experiendum replicandum, duplicandum, triplicandum terminos & dilationes petendi, ponendi, alligandi & concludendi sententiam seu sententias tam interlocutorias quam diffinitivas ferri petendi & obtinendi, judicis officium implorandi cautiones dandi & recipiendi beneficium absolutionis simpliciter & ad cautelam & restitutionem in integrum, si opus fuerit impetrandi & obtinendi & generaliter omnia & singula faciendi & excercendi quæ in præmissis & quolibet præmissorum necessaria fuerint seu etiam oportuna: Et quæ ipsi constituentes facere possent si personaliter interessent etiam si mandatum exigantur speciale promittentes, se gratum ratum & firmum perpetuis temporibus habiturum quicquid per dictos suos procuratores, actum factum gestum & procuratum fuerit in præmissis & quolibet præmissorum. Promiserunt insuper michi notario publico infrascripto solempnitet stypulati vice & nomine omnium, quorum interest vel interesse poterit judicio sisti & judicatum solvi cum omnibus suis clausulis sub omnium bonorum suorum obligatione & ypotheca, volentesque dictos suos procuratores relevare ab omni onere satisdandi. Acta sunt hæc in opido Kyl, in Ecclesia sancti Nicolai sub Anno, indictione, Mense, die Hora, & pontificatu quibus supra præsentibus honorabilibus & discretis viris dominis Hinrico Mauricii perpetuo vicario in Kil in Ecclesia sancti Nicolai & Nicolao Hartwici, ibidem Capellano presbitero Bremensis diocesis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Tydericus Grüwel Clericus Bremensis diocesis, publicus imperiali auctoritate Notarius hujusmodi procuratorum constitutioni ratihabitioni, promissioni, omnibusque

busque aliis & singulis præmissis dum sic agerentur & fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi & in hanc publicam formam manu mea propria conscribendo redegi, quam signo & nomine meis solitis & consvetis signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

CCCXXX.

Testimonium notariale super ratihabitione Compromissi in Capitulum Lubic. facti inter Vicerectorem Kilonensem & clericum Eliam Münter.

1425. In nomine domini amen. Sub anno nativitatis ejusdem Millesimo, quadringentesimo, vicesimo quinto, indictione tertia, sexta die mensis Februarii, hora primarum vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo Patris & domini nostri, domini Martini, divina providentia papæ quinti, anno octavo, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum præsentia personaliter constitutus, venerabilis vir, dominus *Joachimus Præpositus novi Monasterii, alias Bardesholm, Canonicorum regularium*, ordinis sancti Augustini Bremensis dioceſis dixit, quod compromissum factum inter honorabilem virum dominum *Marquardum Brand* canonicum suum, Licentiatum in decretalibus, vice Rectorem parochialis Ecclesiæ Kyl, parte ex una, & *Eliam Münter* clericum conjugatum ejusdem dioceſis, parte ex altera in Reverendum patrem & dominum, dominum *Johannem Episcopum, Bertoldum præpositum* & *capitulum Lubicense*, secundum formam compromissi ibidem producti, gratum ratum perpetuo se habiturum, Requirens me notarium publicum infrascriptum solempniter, stipulanti & recipienti, ut sibi super præmissis unum vel plura publicum seu publica conficerem instrumenta. Acta sunt in Kyl, in dote *parochialis Ecclesiæ S. Nicolai*, sub anno, indictione, mense, die, hora & pontificatus quibus supra, præsentibus honorabilibus & discretis viris, dominis *Hermanno Sliker*, priore novi Monasterii, alias Bardesholm, & *Nicolao Hartwici* capellano Kilensi, Bremensis dioceſis, Testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Tydericus grüwel, clericus Bremensis dioceſis, publicus imperiali auctoritate Notarius, hujusmodi ratihabitioni præsens interfui & sic fieri vidi & audivi & in hanc publicam formam manu mea præsentia conscribendo redegi, quam signo & nomine meis solitis & consvetis signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

CCCXXXI.

Nicolai Archiepiscopi Bremensis Indulgentiæ Indulgentiarum pro Monasterio in Bordesholm a. 1426.

Nicolaus, dei & Apostolicæ sedis gratia, 1426.
sanctæ Bremensis Ecclesiæ *Archiepiscopus*, Universis & singulis præsentia Visuris, Salutem in domino sempiternam. Cum etiam natura humana proch dolor proclivis sit in malum, atque vice versa pastorali cura nonsolum septies, sed voce dominica usque septuagies septies sit dimittendum, restat fragilitati naturæ de thezauro ecclesiæ indulgentiis benigne succurrendum. Quare religiosorum Virorum præpositi & conventus Novimonasterii in Bardesholm nostræ dioceſis prædecessoribus nostris ac nobis semper fidelium, piis supplicationibus inclinati, quibus aliqui prædecessorum nostrorum *bona temporalia*, aliqui *privilegia*, aliqui *indulgentias* pie moti donaverunt, quorum vestigia sequentes, aliquid etiam conferre dignaremur. Volentes igitur, ut quicunque fidelium ob devotionem, dictum monasterium vel ecclesias ipsi subjectas intraverint & coram sancto dominico corpore vel ymagine Christi, beatæ mariæ semper Virginis, Beatorum apostolorum, Petri & Pauli, vel coram reliquiis sanctorum ibidem existentibus, devote se inclinaverint vel genu flexerint, *de qualibet ymagine vel sanctorum reliquiarum particula* XL. dies; Quicunque etiam in prædicto monasterio vel in ejus ambitu, dormitorio vel refectorio, in ecclesiis eidem subiectis, vel in earum cimiteriis, vel domo presbiteriali & ejus attinentia devote & attente dixerit Jesus vel Maria, vel se in corde vel genu coram eisdem nominibus se inclinaverit, vel quotiens ad dictum Monasterium vel ad dictas ecclesias vel per cimiterium pro defunctis exorando quis ierit, vel divinum officium sive missas, vel aliud divinum officium fecerit vel audierit, de quolibet passu ad prædicta loca, per & in dictis locis XL. dies. Consimiliter qui corpus dominicum vel aliud sacramentum deportando vel apportando sacraverit, vel qui ad salve Regina etiam XL. vel sabbatis decantando interfuerit, vel ierit, vel cum pro honore beatæ Mariæ Virginis Campana pulsabitur, eam salutaverit, de *qualibet salutatione XL. dies*, & de quolibet prædicto facto, præsertim ut populus & clerus fidelius interſit Missis decantandis, diebus celebribus in locis supra dictis, qui - - integras missas cantaverint vel audierint de quolibet membro officii Missæ sive *introitu, versu, gloria, Kyrie*, & cœteris partibus XL. dies; de *sermone ad populum* XL. de *quolibet altari* in dictis locis XL. qui etiam se coram lignum sanctæ crucis vel *coram pecia de pepulo(ein Stück vom Schleyer)* beatæ Mariæ Virginis in dictis ecclesiis inclinaverit, vel se cum eisdem signaverit vel signari fecerit, totiens 40. dies; Qui etiam ad fabricam dictorum locorum vel ad ornamenta vel ad altaria aliquod munus porrexerint, tociens XL. dies, & quolibet præmissorum indulgentiarum confisi in domino etiam de injuncta sibi pœni-

pœnitentia de thezauro ecclesiæ misericorditer relaxamus, insuper indulgentias aliorum Episcoporum in eisdem locis concessas in nomine domini ratificando confirmamus per præsentes. Datum Anno domini M. CCCC. XXVI. nostro sub sigillo præsentibus appenso.

CCCXXXII.

Schein des Convents zum Borsholm, daß Juncker Hartich Wulff das Lehn und jus præsentandi zu einer Vicarie beym altar der 12. apostelen in Kyl vor sich und seine famille allein habe.

1426. Wy *Joachim*, mit godes gnaden, *proveſt to dem Bardesholme*, zyn witliken bekant vor unſs und unſe Nakomelinghe, dat wy umme mengerleye vorderniſſe, Troſt unde Hülpe, de düchtige Erlike Knape *Hartich Wulff* unde zyne voroldern unſem godeshuſs dan nude bewyſet hebben, myd vrigen willen overgeven unde gütliken to laten an deſſer ſcrifft, wann er de *Vickarie des altares der Twelleſ Apoſtole*, an der Kerſpelkercken *to deme Kyle*, de ſyne vedderen guder dechtnüſse maket hebben, loſs vorſtorven is, wor denne Hartich erghenömet by ſynen levende vorbiddende is de an der yeghene en erlick preſter bekant is, unde utholden wil de inholde der breve, de up desülven Vickarie gheven unde beſeghelt ſynt, deme wil wy de lenen sunder Wedderſtant. Were ock dat desülve Hartich ſunder echte Sones vorſtorve, dat god vorbede, ſo wil wy desülven Vickarie, wann er ſe los vorſtorven is deme jennen, dar denne ſyn negheſte veddere vorbiddende is, und preſter ſy an der vorſcrevenen wyſe lenen und allen willen. Were ock, dat desülve Hartich echte ſönes nalete unde desülven ſönes andere echte ſönes van ſick telden: wor denne de oldeſte van den Sönes odmodelicken vorbiddende were de preſter ſy unde uthholden wille de inholde der breve, als vorſcreven is, deme ſchole wy edder unſe Nakomelinge lenen unde eghenen als vorſcreven ſteyt. Wann er aver desülve Hartich ock ſyn veddere, unde de ſones al umme vorſtorven ſynt, als enckede vorſcreven is, ſo ſchal nymand vürder to ſegghent edder anſpröke hebben to dersülven Vickarie unde to den güdern de dar tolecht ſyn to ewighen tyden: Men wer proueſt is *to dem Holme*, ſchal *des lenes* en recht *leenhere* weſen, ſunder jenigherleye hülprede na ganzem lude der breve de oldinghes uppe desülven Vickarie unde ock nu de unſs desülve Hartich und ſynen veddern unde vründen hir up gheven unde beſeghelt heſft. To tüghe alle deſſer vorſcrevenen ſtücke, ſo hebbe wy Joachim proweſt unſe Ingeſegel vor unſs unde unſe Nakomelinghe henget mid willen vor deſſen breff. Screven na godes bort, duſent jar, veerhundert jar, darna an deme ſöſs unde twintigheſten jar, des achten (dages) sünte Peters und Pawels der hilghen Apoſtele.

CCCXXXIII.

Johannes Epiſcopus Lubec. concedit Marquardo Puel presbitero liberam (ſuæ tamen eccleſiæ aſtrictam) teſtandi facultatem.

Johannes, dei gratia *Epiſcopus Lübicenſis*, dilecto nobis in Chriſto Marquardo Puel, presbitero noſtræ dioceſis, ſalutem in domino. Quia humana fragilitas propter ſubitum mortis imminentis metum cogitationis firmitate deficiens nequit cuncta proſpicere & ſingula neceſſaria memoria commendare, tamen propter hoc extremum vitæ tempus ac humani perplexitatem exitus per certam tuæ ultimæ voluntatis-deſideras prævenire. Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, ut de bonis tibi a Deo collatis pro decentibus & honeſtis tui funeris expenſis & pro remuneratione illorum, qui tibi viventi ſerviverunt, ſive ſint conſanguinei tui, ſive alii juxta ſervicii meritum, moderate tamen diſponere & erogare & alias *in pios & licitos uſus* convertere poſſis, plenam & auctoritate præſenti concedimus facultatem. Volumus autem, ut in eorundem diſpoſitione bonorum erga eccleſiam, apud quam tua erit ſepultura, ut orationes Chriſti fidelium inibi eo uberius tuæ animæ ſuffragentur, *liberalem te exhibeas, prout animæ tuæ ſaluti videtur expedire.* Datum in caſtro noſtro *Uthyn*, Anno domini Milleſimo Quadringenteſimo viceſimo ſexto, viceſima octava die menſis Novembris, noſtro ſub ſecreto. 1426.

CCCXXXIV.

Inſtrumentum de & ſuper certis juribus & bonis villæ Prodenſtorff ad Vicariam altaris ſanctæ crucis in opido Kyl ſpectantibus cum annexa quitancia Marquardo Brandio collectori, a Martino Lemgow poſſeſſore ejusdem Vicariæ data.

In nomine domini Amen. Sub anno nativitatis ejusdem Milleſimo quadringenteſimo viceſimo ſeptimo, indictione quinta, die vero quinta menſis aprilis, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Martini, divina providentia papæ quinti, anno decimo, in mei Notarii publici & teſtium infraſcriptorum adhoc perſonaliter vocatorum & rogatorum præſentia, perſonaliter conſtituti, venerabiles & honorabiles viri, domini *Marquardus Brand*, in decretalibus Licentiatus, rector parochialis Eccleſiæ ſancti Nicolai *opidi Kylonenſis* Bremenſis dioceſis ex una, & *Martinus Lemegow*, perpetuus Vicarius ad altare ſanctæ crucis, ſitum in Eccleſia prædicta partibus ex altera, idem dominus Martinus quandam papiri cedulam ad medium exhibuit & produxit, quam mihi Notario infra ſcripto ad manus tradidit, me requirens, ut eandem publice coram teſtibus ſupra & infra ſcriptis legerem & publicarem. Et tunc ego Notarius infraſcriptus 1427.

sic requisitus dictam cedulam ad me recipiens publice alta & intelligibili voce legi & publicavi, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis: Ego *Martinus Lemegow, presbyter capellæ sanctæ crucis in parochiali Ecclesia opidi Kyl*, bremensis dioceſis perpetuus vicarius, fateor & recognosco, quod de Anno domini Milleſimo quadringenteſimo viceſimoprimo, quando ego *Heliæ Münter* movi litem & ipse mihi viceversa, super certis Juribus & bonis spectantibus ad dictam Vicariam, videlicet *in villa Prodenstorp*, in supra dicta parochia existente, quæ villa cum omnibus pertinentiis suis & emolumento ac jurisdictione nihil etiam excepto, ad me tanquam ad vicarium non solum ex fundatione sed etiam ex diffinitiva sententia per venerabilem virum dominum Nicolaum poppen tunc officialem generalem curiæ Bremensis supra dictæ fulminata dinoscitur pertinere, cujus villæ fructus & emolumenta colligendo nomine mei & possessionis continuandæ honorabili viro domino Marquardo Brand in decretalibus Licentiato ibidem & ejusdem parochialis Ecclesiæ vicerectori singulariter commisi, atque eidem in absentia mea gestorem bonorum meorum constitui, ita ut eosdem fructus & emolumenta ac omnia, quæ de prædicta villa tam in pecuniis, quam frumento, lignis, pullis, jurisdictione ac servitiis colonorum dictæ villæ poterit evenire, deberet sublevare atque ad curiam Romanam in pecuniis destinare, nec non eosdem colonos in debitis exponendis & solvendis posset & deberet nomine meo totaliter quitare & indempnes reservare. Quos etiam ego ipse ex nunc a prædicto tempore usque in præsentem diem & usque dum per expressum prædictum dominum Marquardum duxero revocandum, in expositis ab eisdem colonis, videlicet in lignis, frumento, pullis ac etiam pecuniis mihi ad curiam missis, videlicet quindecim ducatis ac etiam decem & octo florenis - - & uno floreno Renensibus, de quibus eidem sufficienter prius quitavi, & illius quitacionem dictus dominus Marquardus habet in Kylonensi oppido, Nec non in viginti quatuor florenis Renensibus, quos idem dominus Marquardus in curia mihi de fructibus prædictæ vicariæ solvit, ipsum dominum Marquardum cum colonis dictæ villæ in supra dictis, quito & absolvo per præsentes, & quicquid per dictum Marquardum actum factumque fuerit in prædictis nomine meo etiam ratum & gratum habeo. Insuper fateor etiam me recepisse ab eodem domino Marquardo Brand de anno domini Milleſimo quadringenteſimo viceſimo septimo præsente, de mense Marcii die penultima, duodecim florenos Renenses in numerata pecunia causa veri mutui, quos volo, ut ipse Marquardus ante omnia rehabeat & recipiat de prædictis fructibus meæ Vicariæ supra dictæ. Post cujus quidem cedulæ lecturam, sic ut præmittitur factam, dicti domini Marquardus & Martinus asserentes, se eadem plene intellexisse, sponte, pure, libere, non coacti nec aliqua mali machinatione circumventi dixerunt & confessi fuerunt omnia & singula promiserunt & quilibet eorum promisit firmiter & inviolabiliter perpetuo observare, renuntians quidem dictus dominus Martinus ad majorem contentorum in dicta cedula firmitatem omnibus exceptionibus Juris & facti, vis, fraudis, doli, mali in fraudem (factum) actionis, condictionis indebiti, aliter fuisse & sine causa factum, quam scriptum vel contra, omnique juris tam canonici, quam civilis privilegio & auxilio constitutionibus & statutis quibuscunque per quæ contra præmissa vel aliquod præmissorum venire poterit de jure vel de facto & præsertim juri dicenti generalem renunciationem non valere nisi præcesserit specialis. Super quibus omnibus & singulis idem dominus Marquardus sibi unum vel plura, quot forent necessaria, petiit fieri publica instrumenta. Acta fuerunt hæc Romæ in orto domus habitationis mei Notarii, Anno, indictione, mense, die & pontificatu quibus supra, præsentibus ibidem honorabilibus & discretis Viris Magistris Tylemanno Breyer Canonico Ecclesiæ sancti Mauritii extra muros Hildesemenses, & Nicolao Wegher clerico Moguntin. dioceſis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Nicolaus Wulff, clericus Bremensis dioceſis, publicus imperiali auctoritate Notarius præmissis omnibus, dum fierent ut præmittitur, interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideoque præsens instrumentum per alium fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, in hanc formam publicam redegi, signoque & nomine meis solitis & consvetis signavi rogatus in fidem & testimonium omnium præmissorum.

CCCXXXV.

Instrumentum Incorporationis Ecclesiæ parochialis Brüggensis a Papa Martino V. concessum una cum resignatione ejusdem Ecclesiæ ad liberas manus Capituli Novimonast. a Johanne Wonsfled p. t. presbytero & Rectore facta.

Gherhardus, decanus *Ecclesiæ B. Mariæ Hamburgensis*, Bremensis dioceſis, Commissarius ad infra scripta, a sede apostolica *specialiter deputatus*. Universis & singulis quos præsens negocium tangit vel tangere poterit, quomodolibet in futurum, Salutem in domino. Alias honorabilis Vir, dominus *Marquardus Brand*, *in jure canonico Licentiatus opidi Kyl dictæ Bremensis dioceſis parochialis Ecclesiæ divinorum Vicerector, professus & Canonicus regularis Monasterii Novi Monasterii*, alias *Bardesholm*, dictæ dioceſis *ejusdemque Monasterii Procurator*, prout de suo Procurationis mandato nobis plene constabat, 1427.

ſtabat, quasdam litteras apoſtolicas ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Martini, divina providentia Papæ quinti, ſuper incorporatione & unione parochialis Eccleſiæ Brügghe dictæ dioceſis, eidem ſupradicto Novomonaſterio facienda, ſanas & integras ac omni vitio & ſuſpicione carentes nobis coram Notario publico & teſtibus infra ſcriptis humiliter præſentavit. Quas cum ea, qua decuit reverentia nos recepiſſe noveritis in hæc verba:

Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum dei, dilecto filio, decano Eccleſiæ Beatæ Mariæ Hamburgenſis, Bremenſis dioceſis Salutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſervitutis officium deſuper nobis injunctum mentem noſtram incitat & inducit, ut hiis, quæ pro ſtatu perſonarum ſub religionis habitu, ſtudio piæ vitæ vacantium oportuna fore conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, favores apoſtolicos impendamus efficaciter. Sane pro parte dilectorum filiorum, Joachimi Præpoſiti & Conventus Monaſterii Novimonaſterii, alias in Bardesholm per præpoſitum ſoliti gubernari ordinis ſancti Auguſtini Brem. dioceſis petitio continebat, quod licet olim eorum monaſterium, quod tunc in loco Novimonaſterii dictæ dioceſis conſiſtebat, competentibus pro illius perſonarum ſuſtentatione ac ſupportatione hoſpitalitatis & aliorum onerum eidem incumbentium redditibus abundaſſet tamen cum tractu temporis Monaſterium ipſum propter illius ineptitudinem, ad locum Bardesholm, in quo præpoſitus, qui tunc erat, dicti Monaſterii ac præfati conventus clauſtrum ac domus & alia diverſa ædifica pro eorum uſu & habitatione neceſſaria, de novo conſtrui & ædificari fecerunt, fuiſſent ordinarii loci voluntate & auctoritate intervenientibus translati, occaſione translationis hujusmodi ac expenſarum quas in hujusmodi ædificiorum conſtructione ſubierunt nec non propter hoſpitalitatem plus ſolito eidem Monaſterio dietim accreſcentem, quam etiam guerrarum turbines, aquarum inundationes & alias calamitates varias, quibus partes illæ miſerabiliter concuſſæ fuerunt, idem monaſterium in hujusmodi ſuis redditibus tanta ſuſtulit diminutiones & obprobria ut ex illis præpoſitus & conventus ipſius monaſterii pro tempore exiſtentes, commode ſuſtentari ac ædificia conſervare & hoſpitalitatem hujusmodi tenere, aliaque illis ſupervenientia onera ſupportare minime poſſint. Quare pro parte dictorum Joachimi præpoſiti & conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum ut parochialem Eccleſiam in Brügge dioceſis prædictæ, quæ ut idem Joachimus Præpoſitus & Conventus aſſerunt, olim per Canonicos dicti monaſterii gubernari conſvevit, & cujus collatio & proviſio cum vacat, ad præpoſitum pro tempore & conventum prædictos pertinent cujusque Quatuor cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis ipſi monaſterio, cujus centum & quinquaginta marcarum argenti fructus, redditus & proventus ſecundum communem extimationem, valorem annuum, ut etiam aſſeritur, non excedunt, in perpetuum unire, annectere & incorporare de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certam noticiam non habentes, hujusmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatinus vocatis, qui fuerint evocandi ſuper præmiſſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujusmodi ea reppereris ita eſſe, eccleſiam prædictam cum omnibus juribus & pertinentiis ſupra dictis eidem monaſterio auctoritate prædicta incorpores unias & annectas: Ita quod cedente vel decedente Rectore dictæ Eccleſiæ, qui nunc eſt, aut illam alias quomodolibet dimittente, liceat præpoſito pro tempore exiſtenti & conventui prædictis per ſe vel alium ſeu alios Eccleſiæ juriumque & pertinentiarum eorundem corporalem poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere nec non hujusmodi ipſius Eccleſiæ fructus redditus & proventus in ſuos ac dicti Monaſterii uſus perpetuo convertere & etiam retinere, dioceſani loci & cujuslibet alterius ſuper hoc licentia vel conſenſu minime requiſitis. Non obſtantibus quibuscunque conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, nec non ſtatutis & conſvetudinibus Monaſterii & ordinis prædictorum contrariis, juramento, confirmatione apoſtolica vel quacunque firmitate alia roboratis. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales apoſtolicæ ſedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem literas & proceſſus habitos per easdem & quæcunque inde ſecuta, ad dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjuditium generari & quibuslibet privilegiis, indulgentiis ac literis apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo, quod Eccleſia prædicta debitis propterea non fraudetur obſequiis & animarum cura in ea nullatenus negligatur, ſed per unum ex canonicis dicti monaſterii per præpoſitum pro tempore exiſtentem & conventum prædictos deputandum, ſuper quo eis, ſi per te unionem & annexionem incorporationem hujusmodi, præſentium vigore fieri contigerit, tenore præſentium plenam & liberam

eon-

concedimus facultatem, excerceatur & deſerviatur inibi laudabiliter in divinis. Volumus autem ut præpoſitus pro tempore exiſtens & conventus prædicti Epiſcopalia jura ſolvere & alia eis ratione Eccleſiæ prædictæ incumbentia onera teneantur integre ſupportare. Et inſuper ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper hiis a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos, quarto
1427 Idus Januarii Pontificatus noſtri anno decimo.

Poſt quarum quidem litterarum apoſtolicarum præſentationem & receptionem per nos factam, idem Procurator nomine quo ſupra petiit contra quoscunque ſua intereſſe putantes per nos citationem decerni. Quæ etiam per nos decreta ac poſtmodum debite executa, demum diſcretus Vir dominus *Johannes Wonsfled, presbyter & Rector divinorum ſupradictæ parochialis Eccleſiæ Brügghe*, in Curia habitationis noſtræ comparuit perſonaliter ac contra hujusmodi incorporationem faciendam nullatenus ſe oppoſuit, ſed magis per expreſſum conſenſit in eandem, allegans ſibi conſtare, quod præfata parochialis Eccleſia Brügghe fuit dicto Monaſteriu prius unita & annexa, & pro tanto, uſus hiis verbis, quæ ſecuntur, dixit: Ego Johannes Wonsflet ſupradictæ parochialis Eccleſiæ Brügge divinorum Rector, *ſanus & compos mente ac ratione, non circumventus vi, metu, dolo vel fraude*, ſed ſponte & animo bene deliberato cedo & remitto exnunc prædictæ Eccleſiæ Brügghe & omni jure, quod competit michi in ea, & venerande domine Decane reſigno eandem in manibus veſtris. Qua reſignatione in manibus noſtris ſic facta ac per Nos admiſſa idem procurator, nomine quo ſupra, ut ad incorporationem & unionem dictæ Eccleſiæ jam vacantis per liberam reſignationem præfato Monaſterio faciendam, *in contumaciam aliorum citatorum & non comparentium* procederemus inſtantius requiſivit. Quos ſic citatos & non parentes, contumaces merito reputavimus. Præterea idem procurator nomine quo ſupra pro informatione horum quæ in Literis apoſtolicis narrantur nobis facienda, quasdam literas ſigillis quondam domini Borchardi Archiepiſcopi bremenſis ac Capituli ſui ſigillatas ſanas & integras coram nobis produxit, ex quibus conſtabat prædictam Eccleſiam Brügghe olim dicto Monaſterio incorporatam fuiſſe, ac etiam in dicta Eccleſia præpoſitum & conventum ſupra dictos habere inſtituere & deſtituere, quando opus fuerit & neceſſe. Super aliis vero in eisdem literis narratis produxit teſtes fide dignos, unde comperta veritate prædictorum auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa dictam parochialem Eccleſiam Brügghe nunc vacantem, ipſi prædicto Monaſterio cum omnibus juribus fructibus & pertinentiis ſuis annectimus incorporamus & unimus, ita ut dictis præpoſito & conventui propria auctoritate corporalem poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ liceat apprehendere ac fructus & proventus ejusdem Eccleſiæ in ſuos uſus perpetuo convertere ac etiam retinere, proviſo, quod uni ex canonicis dicti Monaſterii per præpoſitum & conventum ſupra dictos cura animarum in dicta Eccleſia excercenda committatur, ac per eundem cui commiſſa fuerit, in divinis ibidem laudabiliter ſerviatur, qui etiam tantum retineat de fructibus ejusdem Eccleſiæ, ut onera neceſſaria ſibi incumbentia valeat ſuſtinere. Ita quod Præpoſito pro tempore & conventui ſingulis annis ſolvat ſex tremodia ſiliginis vel decem marcas monetæ Lubicenſis. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas, ſive præſens publicum inſtrumentum hujusmodi noſtrum proceſſum in ſe continentes ſive continens exinde fieri & per Notarium publicum infra ſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli appenſione juſſimus & fecimus communiri. Datum & actum anno domini milleſimo, quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo. Indictione quinta, Menſis Julii die decima Octava, hora terciarum vel quaſi, Pontificatus prædicti domini noſtri domini Martini Papæ quinti anno decimo, in Curia & domo habitacionis noſtræ, præſentibus honorabilibus & diſcretis viris dominis hermanno van büren & Tyderico Seynſen Eccleſiæ B. Mariæ, nec non Chriſtiano Luterdingh, alias Tzellis, perpetuo Vicario in Eccleſia ſancti Petri Hamburgenſis, bremenſis dioceſis & Alberto Rethem clerico Verdenſis dioceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et Ego Nicolaus Emewerdingh Clericus brem. dioceſis publicus Imperiali auctoritate Notarius & prædicti domini Gherhardi decani Scriba, hujusmodi comparitioni, dictæ Eccleſiæ, reſignationi, renunciationi, ceſſioni, informationi, literarum & teſtium productioni & admiſſioni, Incorporationi ac fructuum reſervationi omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ac me aliis arduis occupato negociis, per alium fidelem ſcribi feci & de mandato prædicti domini decani Commiſſarii in hanc publicam formam redegi, quam meis ſignis & nomine ſolitis & conſvetis, una cum appenſione Sigilli prænominati domini decani ſignavi vocatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

In alio ſuper hoc proceſſu Exemplari, ſequentia in dorſo annotata erant verba: In nomine domini Amen. Anno a Nativitate ejusdem M. CCCC. XXVII. indictione quinta, die vero XII. Menſis Julii hora tert. vel quaſi, pontificatus domini noſtri Martini Anno decimo, Ego Nicolaus Emewerdingh, clericus bre-

bremenſis dioceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius retroſcriptus, debite exequendo præſens mandatum ipſis valvis Eccleſiæ B. Mariæ Hamburg. affixi & ibidem per aliquod temporis ſpacium ſtare permiſi, ut ingredientibus & egredientibus Eccleſiam prædictam tempus pariter legendi copioſum & poſt hoc idem mandatum ab inde removi & recepi. Acta fuerunt hæc Anno, Indictione & aliis prædictis, præſentibus ibidem honorabilibus Viris domino Jo. Clowegghen Canonico & Hermanno Balluch, Camerario Capituli, dictæ Eccleſiæ B. Mariæ Hamb. teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis.

CCCXXXVI.

Elias Münther Clericus Brem. coram Auditore Romano confitetur ſe nullam citationem perſonalem contra Marquardum Brant Clericum in Kyl procuraſſe nec inſinuari juſſiſſe.

1427. Omnibus & ſingulis præſentes literas ſeu præſens publicum inſtrumentum viſuris & inſpecturis Johannes de Cæſarinis de Urbe, utriusque Juris Doctor domini noſtri papæ Cappellanus, ipſiusque & ejus camerarii ac curiæ cameræ apoſtolicæ generalis auditor, Salutem in domino. Quia pium eſt & rationi congruum veritati teſtimonium perhibere, ad univerſitatis veſtræ noticiam deducimus & deduci volumus per præſentes, quod alias poſtquam diſcretus Vir Elyas Münther clericus brem. dioceſis ad inſtantiam & requiſitionem Venerabilis Viri domini Marquardi Brand Licentiati in decretis vicerectoris divinorum *in opido Kyl* dictæ Bremenſis dioceſis Vigore quarundam literarum de mandato noſtro emanatarum per certum domini noſtri papæ curſorem monitus foret ſub pœna excommunicationis, quatenus infra trium dierum terminum tunc proxime & immediate ſequentium debebat produxiſſe coram nobis quamcunque citationem perſonalem, quam ipſe contra dictum dominum Marquardum Vicerectorem in Curia Romana determinari & in partibus ut dicebatur exequi obtinuit atque procuravit. Et ſi ſe gravatum ſentiret per præmiſſa, quod tunc infra dictum terminum vel ultima ipſarum termini dictarum die compareret coram nobis cauſam ſui gravaminis allegaturus, alioquin viſurus & auditurus ipſum dominum marquardum abſolvi ab inſtantia cujuscunque litis & cauſæ, ſi quæ prætextu dictarum citationum perſonalium & ipſius executionis introductæ fuiſſent, ſubſequenter vero durante termino hujusmodi die videlicet Jovis viceſima ſeptima Menſis Martii anni domini Milleſimi quadringenteſimi viceſimi ſeptimi Indictionis quintæ, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri Martini, divina providentia papæ Quinti anno decimo, conſtitutus perſonaliter coram nobis Juliano auditore præfato ſupra dictus Elyas Munther, ut præfertur, monitus & ibidem ſponte ac animo bene deliberato non coactus nec compulſus publice alta & intelligibili voce dixit, propoſuit & allegavit, ſe nunquam habuiſſe nec in partibus executionis fuiſſe aut exequi procuraſſe aliquam citationem perſonalem ad inſtantiam ſui contra prænominatum dominum Marquardum Vicerectorem decretam, & ſi de aliqua tali citatione usque in hodiernam diem ad inſtantiam ſui decreta in poſterum appareret quovis modo vel conſtare poſſet, illa dixit ſe non velle uti eidem extunc prout ex nunc & eidem - publice & expreſſe renunciando. In cujus teſtimonium præſentes literas ſive præſens publicum inſtrumentum exinde fieri et per hermannum de Twulo alias Jegher dictæ curiæ cauſarum apoſtolicæ notarium et ſcribam Juratum infra ſcriptum ſubſcribi et ſignari mandavimus ſigillique proprii dictæ curiæ, quo utimur fecimus appenſione communiri. datum et actum Romæ in domo Habitationis noſtræ, ſub anno, indictione, menſe die & Pontificatu præſcriptis, Præſentibus ibidem diſcretis Viris Ventarino Bartholomæi de Regione p. & Anthonio de padoua de Ripa, civibus Romanis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Hermannus de Tivulo alias Jegher, clericus Trajectenſis dioceſis, publicus auctoritate apoſtolica & curiæ cauſarum cameræ Apoſtolicæ Notarius, Quia præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſic ut præmittitur, coram præfato domino Juliano auditore fierent & agerentur, una cum prænominatis, teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideo hoc præſens publicum inſtrumentum de mandato dicti domini auditoris exinde confeci, ſubſcripſi publicavi & in hanc formam publicam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſvetis una cum appenſione ſigilli dictæ Curiæ cameræ apoſtolicæ ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

CCCXXXVII.

Obligatio Johannis Dionyſii, Detlevo Becker in X. marc. Lub. per Notarium & teſtes facta.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem Milleſimo quadringenteſimo viceſimo octavo, Indictione ſexta decima, nona die menſis Decembris, hora terciarum vel quaſi, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini, domini Martini, divina providentia Papæ Quinti, Anno ejus undecimo, perſonaliter conſtitutus in mei Notarii publici, teſtiumque infraſcriptorum præſentia, diſcretus Vir, *Johannes Dyoniſii*, clericus Bremenſis dioceſis, *in Eccleſia ſancti Laurentii prope opidum ydzeho*, perpetuus Vicarius, Non vi, dolo aut infirmitate ſeductus, ſed compos corporis, mentis & 1428.

rationis publice alta & intelligibili voce recognovit, se teneri & obligatum esse, honorabili Viro, domino *detlevo Beker*, bremensis dioceſis Presbitero, moram habente in ydzeho, decem marcas Lübicenses, quas idem Johannes sibi ob mutuam amicitiam præsentasse, & in promtis denariis a dicto detlevo asseruit accommodasse, & *in constructionem domus suæ vicariæ* advenisse. Ob id sæpe dictus Johannes præfatum dominum detlevum Beker per se, ac pro se, ad omnes & singulos suos reditus emonendi, quitandi, sublevandi sive de beneficio sive domo vel alio quocunque nomine censeantur provenientes, instituit: Quousque præfatus sæpe detlevus dictas decem marcas Lübicenses accommodatas libere & concessas integraliter rehabebit, requirens me Notarium publicum infrascriptum, ut sibi desuper unum vel plura publicum seu publica conficerem instrumentum seu instrumenta. Acta sunt hæc in Ecclesia ydzeho, dictæ Brem. dioceſis, in capella nova apud altare novum, Anno, indictione, die, mense, hora, Pontificatu & aliis quibus supra, præsentibus honorabilibus & discretis viris, domino Nicolao Katken presbitero, & Jacobo Pistore clerico Bremensis dioceſis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Tydericus Grüwel clericus Bremensis dioceſis publicus Imperiali auctoritate Notarius: Quia hujusmodi recognitioni omnibusque aliis & singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi: ideo hoc præsens publicum instrumentum manu mea scripsi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, quam signo & nomine meis solitis & consvetis signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium præmissorum.

CCCXXXVIII.

Henrici, Cardinalis & sedis apostolicæ Legati Literæ exhortatoriæ ad bellum & expeditionem contra hæresin Husiticam cum annexis indulgentiis, per Nicolaum Archiepiscopum bremensem transsumptæ & publicatæ.

1428. Nicolaus, Dei & Apostolicæ sedis gratia Bremensis Archi Episcopus, Reverendis in Christo Patribus & Dominis, Dominis Ratzeburgensis, Slesvicensis, & Lubicensis Ecclesiarum Episcopis, amicis nostris carissimis ac Venerabilibus Viris, Dominis Præposito, Decano & Capitulo Ecclesiæ beatæ Virginis Hamburgensis, nostræ Diœcesis, salutem in sinceris amplexibus Salvatoris. Noveritis, quod literas Reverendissimi in Christo & Domini, Domini Henrici sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Anglia vulgariter nuncupati per Germaniam, ac Bohemiæ & Ungariæ regna, nec non universum orbem, in causa fidei Apostolicæ sedis legati, ejus vero impedenti sigillo sigillatas, una cum quibusdam punctis & articulis, in quodam rotulo papireo conscriptis, eisdem adjunctis, nobis per certum suum nuncium præsentatas, cum ea qua decuit reverentia recepimus, quas ad vestram & cujuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus, vobisque notificamus & insinuamus, ad executionem eorundem vos & vestrum quemlibet tenore præsentium, requirentes, quemadmodum a præfato Reverendissimo Domino Cardinale & Legato recepimus in mandatis. Tenor vero literarum prædictarum de verbo ad verbum sequitur talis: Henricus miseratione divina titulo sancti Eusebii, Sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, de Anglia vulgariter nuncupatus, per Germaniam Ungariam Bohemiæque regna, ac in causa fidei per orbem universum Apostolicæ sedis a latere Legatus, Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Bremensi, ac vestris suffraganeis quibuscunque, totiusque Provinciæ ac diœcesium vestrarum ac dictorum suffraganeorum vestrorum diœcesium clero exempto & non exempto, religiosis & aliis, status cujuscunque, præeminentiæ vel conditionis. Nec non omnibus & singulis Principibus, Nobilibus, plebejis & popularibus fidelibus cujuscunque status per dictas vestras provinciam & diœcesin ubilibet constitutis, salutem in Domino sempiternam. Quum verbum Patris ipse Dei filius ex cœlestibus ad procliva descendens, ut ovem perditam revocaret, in ara crucis profluentissime ex immensa caritate pro pretiosissimo sanguine effuso sponsam suam sine macula & ruga speciosam, sanctam Ecclesiam & fidem Catholicam miris adornatam prodigiis suis fidelibus omni puritate venerandam commendavit, quam proh dolor & heu noviſſimis his diebus temeritate Dyabolica perfidissimis & inhumanissimis Hæreticorum, Hussitarum in Bohemia sementum morsibus & insultibus in blasphemiam Omnipotentis Dei, gloriosæque Virginis Mariæ, & totius cœlestis Hierarchiæ atque Christiani Politici regiminis everſionem conspicimus viliter violatam, & cum populus Christianus colla sua submittere teneatur, ne Dei & Redemptoris sui offensa invalescat, ac perfidia dictorum Hæreticorum amplius incalescat, fluviusque sui pestiferi, & contagiosi morbi vicinas & finitimas partes sustendat, multa & magna deliberatione, urgente necessitate, & exactissima cognitione visum est, nobis & aliis tam Ecclesiasticis quam secularibus, principibus Prælatis, Comitibus & Proceribus nostra & variis Apostolica auctoritate pridem in Franckfordia Moguntinensis Diœcesis convocatis & congregatis in multitudine copiosa ut multorum adjutorio tanta sarcina repudii manu forti & modis congruis quibuscunque supportetur & exterminetur, quod quilibet tam Ecclesiasticus quam Secularis

Christi

Christi fidelis pro extirpatione tam damnatæ abominationis juxta in dicta congregatione concluſa, quorum copiam præſentibus adjungi diſpoſuimus, infra hinc & duodecim dies ante Dominicam Reminiſcere proxime venturam, ſeu ante decimum ſeptimum menſis Februarii partem ſuam effectualiter contribuat, ſub ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ in vos Archi-Epiſcopum, & Epiſcopos Suffraganeos veſtros, ſubque excommunicationis in ſingulares perſonas alias & ſub interdicti pœnis, in locum ſeu loca, quas etiam ferimus in hiis ſcriptis, dictum ſpatium temporis pro primo, ſecundo ac tertio & peremptoriis terminis nec non monitionem canonicam præfigentes præſentium tenore, qualiter etiam ordinariorum ſub dicta pœna ſuperius lata vos, prædicte Venerabilis frater Archi Epiſcope, & prædicti Epiſcopi, qua ad Clericos veſtræ Spirituali, & laicos veſtræ temporali jurisdictionibus ſubjectos hujusmodi concordata, fideli faciatis & faciat quilibet veſtrum executioni demandari, & quis tanquam ſuæ ſalutis & fidei negligens manum vellet ab hac ſalutifera ſubventione & pugna retrahere. Exhortamur ergo vos omnes, & ſingulos, ſupra ſcriptos, exemptos & non exemptos, & quoslibet alios, quibuscunque dignitatibus, præeminentiis, nominibus vel titulis, in quocunque ſtatu, per ſupra ſcriptas provincias & diœceſes, vobis ſubjectas, præfulgeant, per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jheſu Chriſti, & per aſperſionem pretioſiſſimi ſanguinis ejusdem, ut tanquam athletæ fortes contra dictos Hæreticos aſſurgere, & orationis ac devotionis fervore vos præcingere ſtudeatis, quod Hæretici præfati errore falſitatis abjecto, viam agnoſcant veritatis, ac ut fideles Chriſti ad præmiſſa reddantur promptiores & injuncta nobis poteſtate cuilibet, qui in propria perſona ad expeditionem contra dictos Hæreticos ierit, & fideliter decertaverit, aut ſi in eadem deceſſerit expeditione, pleniſſimam peccatorum ſuorum habeat remiſſionem: qui vero juxta ratam ſibi deputatam vel amplius ad opus prætactum manum porrexerit adjutricem, centum dies indulgentiarum in domino impertimur. ordinariis vero vel eorum in ſpiritualibus vicariis ad commutandum vota quæcunque, nec non quoscunque ſuper male acquiſitis Domino talia ad prædictam expeditionem contribuat, ad abſolvendum plenam tribuimus poteſtatem. Sic tamen, quod collectores, ad præſentem collectam deputati, de talibus male acquiſitis jurati ad hoc faciant ſignaturam in regiſtris ipſorum, quod idem de aliis contribuendis, prout in articulis dictis ſuperius in præſentibus fit mentio, expreſſius, & facere tenebuntur. Volumus etiam, quod tranſſumpta harum literarum noſtrarum ſub ſigillo ordinarii judicis & ſubſcriptione Notarii fideliter confecta tanquam præſentibus ſedes (fides) integra adhiberi debeat, appellationis ſubterfugio in præmiſſis ceſſante penitus, & ſecluſo mandantes nihilominus, ne quis fidelis Chriſtianus ſacro ſanctæ Eccleſiæ & lateris crucifixi, cujus præſentes in forma qua ſuperius, indulgentias elargimur earundem igt a az prætendat, quod in dictæ indulgentiæ ad alliciendos animos fidelium & ſuccurſum effectualiter contra dictos Hæreticos præſtandum in quibuscunque Eccleſiis majoribus, collegiatis, parochialibus, & locis Eccleſiaſticis civitatum diœceſis ac provinciæ veſtrarum perque ſimiliter diœceſes dictorum Suffraganeorum ſingulis diebus Dominicis & feſtivis inter miſſarum ſeu divinorum ſolemnia, cum major populi affluxerit multitudo, in vulgari ſermone intelligibiliter & publice proclamentur. Quodque de modo & forma executionis veſtræ præſentium tam pro vobis, quam erga dictos ſingulos veſtros ſuffraganeos prout vos & ipſos ſigillatim concernit quam citius poſſibiliter fieri poterit. Nos per literas veſtras patentes, harum ſeriem in ſe continentes, avthentice curetis reddere certiores. Datum Francford. prædictis VIII. Id. Decembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Martini, Papæ Quinti, anno undecimo. Has itaque literas ſupraſcriptas Nos Nicolaus Archi Epiſcopus ante dictus per Notarium publicum - - infra ſcriptum tranſcribi ſeu tranſſumi & in formam publici inſtrumenti redigi mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus appenſione communiri. Volentes & decernentes, quemadmodum per præfatum Reverendiſſimum Cardinalem & Legatum volitum & decretum extitit, ut tranſſumpto hujusmodi integra fides adhibeatur, tanquam originalibus literis ſupraſcriptis. Datum & actum in Caſtro noſtro *Delmenhorſt*, anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo, indictione ſexta die vero ſexta menſis Januarii, hora quaſi veſperarum, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Martini, divina providentia Papæ Quinti, anno undecimo, præſentibus ibidem Venerabilibus & diſcretis Viris Dominis Johanne de Schonenbeke, Præpoſito Eccleſiæ Beati Alexandri Wildeshuſenſis, Osnabrugenſis Diœceſ. Conrado Bremenſi, officiali noſtro Generali, Cerhardo Stoncken, Decano Eccleſiæ Beati Lamberti Oldenburgenſis, Bremenſis Diœceſ. Johanne Saſſen Armigero & Johanne Vaſmer, Proconſule Civitatis Bremenſis, Teſtibus vocatis ad præmiſſa,

Et ego Hinricus Strunclingh, Clericus Mindenſis, publica Imperiali auctoritate Notarius recognovi &c.

CCCXXXIX.

Nicolaus Archiepiſcopus bremenſis conventui in Borsholm omnia confirmat privilegia. Habitum monaſticum in & extra monaſterium æſtivum

vum & hyemalem fratribus ibidem præſcribit, & ut juvenes aliquot ingenuos in Philoſophia & conventus ſui ſtatu erudiendos in futuram monaſterii ſui utilitatem alant, præcipit.

1429. *Nicolaus*, dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Brem. Eccleſiæ Archiepiſcopus, dilectis nobis in Chriſto Jacobo præpoſito, & Conventui Novimonaſterii, alias Bardesholm noſtræ diœceſis, ſalutem & ſinceram in domino caritatem. Prædeceſſorum more, qui dictum monaſterium veſtrum multis privilegiis ac donationibus obnixe decorarunt, veſtigiis inhærentes etiam ſpecialem favorem ad dictum veſtrum monaſterium & ad perſonas ibidem die noctuque omnipotenti deo devote & religioſe famulantes, unde non immerito gaviſi, etiam exhibentes & præſertim ad domini & Magiſtri *Marquardi Brand* dicti veſtri monaſterii *profeſſoris & procuratoris*, noſtrique dilecti Capellani, preces exaudibiles inclinati, omnium prædeceſſorum noſtrorum ac noſtra privilegia indulta & donationes monaſterio veſtro ac perſonis ibidem conceſſa, indulta & donata ex certa ſcientia & mera liberalitate quorumcunque & quæcunque ratificamus, approbamus & auctoritate noſtra ſpecialiter in domino confirmamus. Intelleximus etiam Vos *circa habitum veſtrum*, cum ſitis *extra monaſterium* in negociationibus veſtris licitis honeſtis & neceſſariis in aliquo hæſitare, cum in ſtatutis veſtris ſic ſcriptum habetur, quod prædeceſſores veſtri nondum terminaverint, qualem habitum, extra monaſterium cum eſſent, portare vellent. Sed reliquerunt ulteriori deliberationi, & ſic ex diuturna conſuetudine *Cappam ſine Schorlicio* geſtare conſveviſtis, cum tamen habitus veſter conſuetudine Eccleſiæ, conſtitutione apoſtolica Benedicti undecimi, ac etiam declaratione doctorum debet eſſe *Lynea toga vel Scorlicium* ubicunque fueritis: quare potius *Scorlicium*, quam *cappam extra Monaſterium* tenemini de Jure portare. Volumus tamen de JURISPERITORUM *conſilio* habitum veſtrum, quem & quomodo geſtare debetis, dilucius declarare. Nam quilibet veſtrum cum ordinem & regulam ſancti Auguſtini fuerit profeſſus, tenetur de Jure habitum regularem, ſcilicet Scorlicium, ſive lineam togam ſemper portare ſed nec temere dimittere ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ. Debet tamen *Scorlicium veſtrum eſſe longitudinis usque ad genua ad medium brachium* apparere. In monaſterio veſtro cum divinis interſitis *æſtivo tempore* & feſtivitatibus deſuper debetis ſuper pellicio tegi, *hyemali tempore* cappa, ſecundum ſtatuta veſtra, ſed extra monaſterium, cum licite negotiari habueritis, exteriorem habitum veſtrum ſic volumus eſſe. Nam in capite debetis habere *magnum capucium nigrum a retro protenſum, usque ad medium dorſum, vel nygrum pyleum pluvialem vel biretum*, ac ſuper Scorlitio lyneo albo portare *mantellum* ſive rotundam de nigro panno in collo in ſiniſtra parte duobus vel tribus nodis concluſam ſimplicem *non multum rugatam*, protenſam usque ad pedes, habentem duo foramina pro manibus exponendis ita aperta, quod ſcorlicium usque ad medium bracchium poterit manifeſte apparere, calcei veſtri nigri ſimplices *una ligatura conſtringendi*, nullum ornatum in cellis, frenis, cultellis, corrigiis, peris, burſis & veſtibus habentes, ſed ſimpliciter deo devote ſervientes etiam ſimpliciter ſine querela detractiones infirmorum cordium evadentes, non etiam *potantes ad* ÆQUALES HAUSTUS, ubicunque fueritis, fabulationes, cachinationes & loca ſuſpecta evitantes, in hoſpitiis veſtris cum extra monaſterium ſitis, manentes, nec nocturno tempore aliquo modo apparentes, alioquin divinam & noſtram offenſam ſine dubio poſſitis formidare. Volumus inſuper, ut provideatis vobis, quantum poſſitis, ſub gravamine conſcientiæ veſtræ, aliquos juvenes bonæ indolis *de juſta parentela genitos* ad acquirendum viam prudentiæ aptos, quos pro ſtudio literarum Philoſophiæ & poſtmodum in ſacris canonibus ad loca privilegiata de redditibus Eccleſiarum monaſterio veſtro incorporatarum dirigentes, futuris temporibus pro utilitate monaſterii veſtri ſemper habeatis, nobis & Eccleſiæ noſtræ in hoc ſingulariter complacendo. Datum & actum Bremis Anno domini Milleſimo quadringenteſimo nono viceſimo, tertia die menſis Junii, noſtro ſub ſigillo præſentibus appenſo.

CCCXL.

Aliud tranſſumptum ſuper vicariam ſanctæ crucis in Eccleſia paroch. in Kil Romæ vidimatum.

Univerſis & ſingulis, præſentes literas ſeu præſens tranſumptum aut publicum inſtrumentum, inſpecturis, Ludovicus de Garſiis, decretorum doctor, canonicus Bononienſis, Apoſtolicæ cameræ clericus, nec non Auditoriatus officium curiæ cauſarum cameræ apoſtolicæ prædictæ regens, ſalutem in domino & præſentibus fidem indubiam adhibere. Noveritis quod nos pro parte diſcretorum virorum, videlicet Wolteri Klempenowes & Bertoldi Wittorpes opidanorum opidi Kilonenſis Bremenſis diœceſis, ac Annæ & Wiben uxorum legitimarum eorundem communiter & diviſim debita cum inſtantia requiſiti, omnes & ſingulos ſua communiter vel diviſim de ſubſcriptis eorumque procuratores, ſi qui eſſent in Romana curia pro eisdem ad recognoſcendum & recognoſci, ac pro recognitis haberi videndi *quandam confirmationis vicariæ ſanctæ crucis in parochiali Eccleſia ſancti Nicolai Kilonenſis*, dictæ diœceſis, literam a quondam domino Alberto bonæ memoriæ dum vixit Archiepiſcopo brem. & ſub ejus vero & autentico ſigillo, ut aſſerebatur datam & emanatam, 1436

ipſam-

ipſamque confirmationis literam poſt recognitionem hujusmodi tranſumi, exemplari ac in publicam formam redigi, noſtramque & dictæ curiæ auctoritatem judiciariam atque decretum interponi vel ad dicendum & cauſam ſi quam haberent rationabilem, quare id fieri non deberet, allegandi per noſtras certi tenoris literas in portis ſive valvis palatii cauſarum apoſtolici apud ſanctum Petrum, in quo jura reddi ſolent propter generales ferias jam indictas, ut moris eſt, peremptorie citari mandavimus & fecimus ad certum peremptorium terminum competentem, videlicet ad diem & horam infraſcriptas. In quibus comparuit in judicio coram nobis providus vir, Magiſter Mathias Soltuz, dictorum Wolteri, Bertoldi, Annæ & Wiben principalium ſuorum procurator per providum virum Magiſtrum Theodoricum Kobeken eorundem principalem procuratorem in hac parte ſubſtitutus, prout nobis de ipſorum tam procurationis, quam ſubſtitutionis mandatis legitimis conſtetit prout conſtat documentis & nomine procuratorio eorundem dictas citatorum literas in præfatis portis ſive valvis palatii cauſarum, ut moris eſt poſitas & affixas, & debite executas facto realiter & in ſcriptis repræſentavit citatorumque in eisdem contentorum non comparentium neque hujusmodi termino in aliquo ſatisfacere curantium, contumaciam accuſavit Ipſosque quo ad actum & terminum hujusmodi contumaces reputari & in eorum contumaciam nonnullos teſtes ydoneos & fide dignos rite & legitime citatos realiter exhibuit & produxit, quos & eorum juramenta recipi & admitti ac ſuper recognitione dictæ confirmationis literæ & ejus ſigilli, quas in medium facto realiter & inſcriptis ibidem exhibuit & produxit examinari & poſtquam ſufficienter recognita forent, pro recognitis haberi, nec non ipſam confirmationis literam tranſſumi, exemplari & in publicam formam redigi mandari, noſtramque & dictæ curiæ judiciariam auctoritatem & decretum interponi per nos debita cum inſtantia poſtulavit. Nos igitur Ludovicus de Garſiis Regens, præfatus, dictos citatos non comparentes neque hujusmodi termino in aliquo ſatisfacere curantes, licet ſufficienter & diutius expectatos, reputavimus merito prout erant exigente juſticia contumaces, & in eorum contumaciam poſtquam dicti teſtes per nos admiſſi & in forma juris jurati, viſis tamen primitus per eos & eorum quemlibet ac diligenter inſpectis dicta confirmationis litera & ipſius ſigillo, dixerunt, ſe bene cognoſcere & eſſe illius - eſſe dicuntur, videlicet dicti quondam domini Alberti, dum vixit Archiepiſcopi Bremenſis autenticis ſolitis & conſvetis, Nos ad ulteriorem dicti Mathiæ procuratoris inſtantiam ſæpe dictam confirmationis literam, ſic ut præmittitur recognitam & nichilominus primitus per nos receptam, viſam, tentam lectam, palpatam & diligenter inſpectam, ſanam, integram, non viciatam, non abraſam, non cancellatam, non abolitam neque in aliqua ſui parte ſuſpectam, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentem reperientes, per Magiſtrum Johannem Quentin, clericum Lübicenſem publicum apoſtolica & imperiali auctoritatibus, nec non curiæ cauſarum cameræ apoſtolicæ prædictæ notarium atque ſcribam juratum infraſcriptum tranſumi, exemplari, & in perpetuam rei memoriam in publicam formam redigi mandavimus & fecimus volentes, & dicta noſtra judiciaria auctoritate decernentes, quod hujusmodi tranſſumto ſiue publico inſtrumento de cœtero in judicio & extra ubicunque locorum merito poſſit & debeat plenaria & integra fides adhiberi, ac talis & tanta, quanta originali literæ ſupradictæ, ſi in medium produceretur, adhibenda foret, adhibeatur. Quibus omnibus & ſingulis præmiſſis tanquam rite & legitime factis & celebratis in eodem judicio coram nobis noſtram & dictæ curiæ cauſarum cameræ Apoſtolicæ judiciariam & ordinariam auctoritatem interpoſuimus & tenore præſentium interponimus pariter & decretum. Tenor vero dictæ confirmationis literæ de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis: *Albertus dei gratia &c.* In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes literas ſeu præſens tranſumtum & publicum inſtrumentum exinde fieri & per ſupra & infra ſcriptum Notarium diligenter cum dicto originali literam confirmationis auſcultari & collationari & in hanc publicam tranſſumti formam redigi mandavimus, & fecimus ſigillo proprio dictæ curiæ, quo utimur communiri. Datum & actum Romæ in palatio cauſarum apoſtolico apud S. Petrum prædicto, nobis inibi mane hora cauſarum, ſive tertiarum conſveta ad jura reddenda pro tribunali ſedentibus, ſub anno a nativitate domini Milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo, Indictione nona, die vero lunæ penultima menſis Julii, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Eugenii, divina providentia papæ quarti Anno primo, præſentibus ibidem diſcretis viris Magiſtris Johanne Garnerii & Johanne Bakar Notariis publicis, curiæ cauſarum cameræ apoſtolicæ ſæpedictæ & coram nobis ſcribis, clericis Lunomenſis & conferanenſis dioceſis Teſtibus, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Johannes Quentin clericus Lübicenſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate curiæque cauſarum cameræ apoſtolicæ prædictæ notarius atque ſcriba. 1431.

CCCXLI.

Theodoricus Epiſcopus Conſtantienſis, Nicolai Archiepiſcopi Bremenſis Vicarius Richardum Holthuſen, a Conſulibus Kilon, ad vicariam altaris

taris Mariæ Magdalenæ in capella Sti Spiritus ibidem vacantem electum, inveſtit & confirmat.

1433. Univerſis & ſingulis parochialium Eccleſiarum & aliorum divinorum Rectoribus, Vicerectoribus, Capellanis, Vicariis perpetuis altariſtis presbiteris, curatis & non curatis, clericis Notariis & Tabellionibus publicis quibuscunque, per dioceſin Bremenſem ultra Albiam conſtitutis & præſertim vicerectori parochialis Eccleſiæ ſancti Nicolai in opido Kil dictæ dioceſis, ac illi vel illis, quem vel quos infra ſcriptum tangit negotium vel tangere poterit quomodolibet in futurum, quocunque nomine cenſeantur. *Theodoricus* dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, *Epiſcopus Conſtantienſis* ac Reverendiſſimi in Chriſto Patris & domini domini Nicolai eadem gratia ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi *ultra Albiam* præfatæ dioceſis in ſpiritualibus vicarius & officialis generalis Salutem in domino & præſenti fidem indubiam adhibere. Literam præſentationis honorabilium & circumſpectorum virorum *Proconſulum & conſulum dicti opidi Kil*, ipſorum impendente ſecreto munitam, nobis per diſcretum Virum Richardum Holthuſen, Clericum memoratæ dioceſis coram Notario publico & teſtibus infra ſcriptis præſentatam nos recepiſſe noveritis hujusmodi ſub tenore:

Reverendo in Chriſto Patri & domino, domino Nicolao, dei & apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, aut ejus in ſpiritualibus vicario & officiali generali *Proconſules & Conſules opidi Kyl*, dictæ veſtræ dioceſis, reverentia debita tum promptitudine famulandi benivolam voluntatem, ad perpetuam vicariam altaris *Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Capella ſancti Spiritus*, dicti opidi noſtri, nuper vacantem per mortem piæ recordationis, domini Johannis de Hoya, ultimi ipſius vicariæ poſſeſſoris, Cujus jus patronatus ad nos dinoſcitur pertinere, diſcretum virum *Richardum Holthuſen* memoratæ veſtræ dioceſis paternitati veſtræ unanimiter duximus præſentandum & præſentamus per præſentes, pro & cum eo ſupplicantes precibus ſtudioſis, quatenus ipſum vel procuratorem ejus legitimum de ea inveſtire & inſtituere dignemini propter deum, ſibique de illa provideri, ipſum in & ipſius vicariæ juriumque & pertinentiarum ejus, poſſeſſionem corporalem realem & actualem induci, recipi & admitti faciatis, ſibique de hujusmodi vicariæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus mandatum plenarie reſponderi, & alia fieri, quæ de jure vel conſuetudine erga præmiſſa ſunt neceſſaria, ſeu etiam quomodolibet oportuna. In fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum, præſentes literas ſecreti noſtri appenſione juſſimus communiri. Datum in prædicto opido noſtro Kyl, *in domo Conſulatus*, Anno domini Milleſimo Quadringenteſimo, 1433. triceſimo tertio, ipſo die beati Petri ad Cathedram. Poſt cujus quidem literæ præſentationem & receptionem nobis & per nos ut præmittitur factas, fuimus per eundem Richardum debita cum inſtantia requiſiti, quatenus hujusmodi præſentationem per præfatos Proconſules & Conſules, ut præfertur, factam juxta ipſius præſentationis literæ tenorem auctoritate noſtra admittere, eamque ratam & gratam habere, ipſumque Richardum ad dictam Vicariam altaris ſanctæ Mariæ Magdalenæ, vacantem per obitum quondam Johannis de Hoya, inſtituere eamque ſibi dicta auctoritate cum omnibus juribus fructibus, redditibus, proventibus & obventionibus ſuis conferre, ipſumque inveſtire ac eum in ejusdem vicariæ corporalem realem & actualem poſſeſſionem inducere curaremus. Nos igitur Theodoricus Epiſcopus ac vicarius in Spiritualibus & officialis antedictus præſentationem hujusmodi admiſimus & admittimus, eamque ratam & gratam haberi præfatumque Richardum in dicta Vicaria inſtituimus, eamque ſibi cum omni Jure, fructibus, redditibus, emolumentis, proventibus & obventionibus & pertinentiis ſupradictis contulimus & conferimus & per annuli noſtri traditionem & ejus digiti impoſitionem eundem Richardum inveſtivimus & inveſtimus corporaliter de eadem. Quocirca vobis omnibus & ſingulis ſupradictis & veſtrum cuilibet conjunctim & diviſim, qui præſentibus fueritis requiſiti vel fuerit requiſitus & præſertim dicto domino Vicerectori parochialis Eccleſiæ ſancti Nicolai ibidem in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, quam in vos & veſtrum quemlibet trium tamen dierum canonica monitione præmiſſa, in nomine domini fecimus in hiis ſcriptis, niſi feceritis quæ præcipimus, diſtricte præcipiendo mandantes quatenus præfatum Richardum Holthuſen aut procuratorem ſuum legitimum ad hoc conſtitutum in præfatæ vicariæ corporalem realem & actualem poſſeſſionem inducatis & inductum defendatis amota exinde qualibet illicita detentione, ſibique de hujusmodi vicariæ fructibus, redditibus, proventibus, Juribus, obventionibus & emolumentis univerſis, integre reſpondeatis & faciatis ab aliis quantum in vobis eſt, plenarie reſponderi pœna ſub prædicta, abſolutionem vero omnium & ſingulorum, qui præfatam noſtram ſententiam incurrerit ſeu incurrerint, quoquo modo nobis vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentem proceſſum, ſeu præſens publicum inſtrumentum hujusmodi inductioni & inſtitutioni in ſe continentem ſive continens, exinde fieri & per Criſtianum Notarium publicum infra ſcriptum ſubſcribi & publicari noſtrique ſigilli

gilli officialatus jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum Hamborch in curia habitationis honorabilis viri domini Johannis Werneri, Cantoris beatæ Mariæ Hamburgens. sub Anno a Nativitate domini Millesimo Quadringentesimo tricesimo tertio, indictione undecima, die vero vicesima sexta mensis martii, hora vesperorum vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & domini nostri, domini Eugenii divina providentia papæ quarti anno tertio, præsentibus ibidem discretis viris Bertoldo Wittorp, perpetuo vicario in Ecclesia sancti Petri Hamburgensis, dictæ Bremensis diocesis, & Hinrico Gherwens clerico verdensis diocesis testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis.

CCCXLII.

Der priester zur Brügge giebet dem Closter Bordesholm eine Quitung auf 13. Marck 12. sl. gegen ein Kirchenbuch, welches er selbiger Kirchen nach seinem Tode zum Gedächtnüss vermacht.

1433. Ick, Her *Johann Trauenbeer*, wandaghes Kerkhere to der Brügghe, beleghen an deme Stichte to Bremen, byn witliken an desseme breve bekant, dat ick van den Erliken gheystliken Heren Proueste, Priori und Convente to dem Bardesholme to ener nöghe untfanghen hebbe en gans Verdebock, (*) vor de veerteynmarck ane (und) veer schillingh, vor allerleye buwete der wedeme und Tüne to der Brügghe vorbenömet, alzo dat ick dessülven bokes truweliken bruken schal, de tyd mynes levendes. Wan over ick verstorven bin, zo schal me dat sülve bock wedder in de vorbenömeden kerken to der Brügghe antwerden sunder jenegherleye swarheyt und vortoch, und schal myne dechtnisse dar vor don an Myssen und van deme predekestole, also dat ein pleghelik wise is. Hir up zo late ick de vorbenömede Erliken gheystliken Heren desser veerteynmarck ane veer schillingh leddich, quid und loss, alzo dat se nemant van myner wegen vorder anspreken und schuldighen schall to ewighen tyden. Des tor tüghe zo hebbe ick myn Inghesseghel myt vrien willen to rügghe drücket laten, gescreven na godes bort, dusent veerteynhundert an deme dre unde drüttigheften Jare, an deme avende Martini, des Hilghen Bisschopes.

(*) Librum in *quarta* forma.

CCCXLIII.

Hertzog Adolph, Schauenburg. Linie, confirmiret dem Kloster Bardesholm einige Dörffer und Güter 1434.

1434 Van Codes Gnaden wy *Alff Hertoghe* tho Slesswick Greve to Holsten Stormarn und tho Schowenburg, bekennen unde betügen openbar in desem Breve vor allen den gennen, de een seen edder hören lesen. Dat wy Ghode allmachtich to Love unde to Ehren, umme Bestentlichkeit willen des Klosters to dem Bardesholme, dem Ehrsamen Heren Mester *Marquarde*, *Proweste*, Mester Hermanne *Priore* unde dem gantzen Capittel, darsülves tom Bardesholme nu gegen wartig unde tokommenden, uppe dat se Uns unde de Hochgebornen Vrowen, Vrowen Margarethen Unser leven Husvrowen unde Unser beeder Erven so vele mehr flittiger hebben unde beholden in ewiger Dechteniss unde in erem Bede. So hebbe wy vor Uns unde vor Unse Erven bestadiget unde bevestet en Krafft desses Breves alle Güdere de de Heren tom Bardesholme in vortidden hebben gekofft, to eres Godes Huesses Behœff van dessen nabescrevenen. Alse van Her Siverde *Smalsteden* anders geheten *Toteke Smalstede* de Dörpe *Christoffers Harge*, *groten Bockwolde*, *Smalstede*, *Grevenkrochde Zoren*, *Totkendorpe*, unde een *deel an dem Blomendal*, Vam Marquarde *vam Knope*, dat Dorp tom *Vorde* med *der Mölen Boyenhausen*, *Malvesen Scholendorpe*, *Mylkendorpe* med dem Velde to *Borekendorpe* unde van Jürgesene van *Qvale*, dat Dorp *Dödeke*. Desse erbenömpde Dörper, unde Güdere sammtlycken unde besunderen bevestige Wy unde bestedigen var Uns, unde var Unsere Erven, unde Nakommelinge en Krafft desses Breves by dem Godes Huse to deme Bardesholme vorbenömpd to ewigen Tiden to blivende. To groter Tüchnisse unde Bewisinge, aller desser vorgescreven Stücke so hebben Wy Alff Hertoge to Sleswig vorbenömpd Unser Ingezeggel witliken unde myd wolbedackten Mode henget heten, neden an desen Breff geven unde screven tom Oster Have, na de Bord Christi Unsers Hern, Verteyn hundert Jahr, darna in dem veer und drittegesten Jahre des Middewekens in sünte Tiburtii des Hiligen Mertelers dage.

CCCXLIV.

Benedictus Rumor verkaufft dem Closter Bardesholm das Dorff Soren im Kirchspiel Nordtorp gelegen, mit aller gerechtigkeit vor 60. Marck, jedoch, dass seiner schwester und schwester Tochter jährlich 10. Marck leibrente daraus bezahlet werden.

Witlick sy alle den ghennen, de desen Breff zeen edder hören lesen, dat ick 1437.
Benedictus Rumor, *Schacken Sone*, vor my unde vor myne Erven, hebbe vorkofft unde vorlaten, Her Marquarde, proüeste, Her Hermen Prior, unde dem ganzen Convente to deme Bardesholme, anders geheten Nyenmünster, de gudere, hoven, würde, holt, weyde, water, mid aller tobehöringhe und mid allem Rechte, de ick hadde an deme dorpe to der Soren, an deme Kerspel to Nortdorpe, also dat ik unde myne erven yn thokomeden tiden dar nimmer scholen up zaken: Hir umme und dar vore hebbe ick benedictus uppe böret an reden

den telden gheve penninghen Söſtich Lübeſche marck, unde dar en boven ſchölen de vor benömede Heren unde ere Nakomelinghe gheven alle Jar myner süſter vor (frauw) berten Rumors unde Margreten Meynerſtorpes myner ſuſter dochter teyn marck gheldes liffghedinghes Penninghe, alſo to Lübeke unde to Hamborch genghe unde gheve ſynd, to sünte mertens daghe den vorbenom. Juncvrouwen zenden uppe des kloſters Koſte und teringhe, de wile dat ze beyde leven, offte erer ene, offte de andere vorſterven were, de tyd eres levendes. Wann over ze beyde vorſtorven zind, zo zind de vorbenöm. proüeſt, Prior und conventus van des vorbenöm. dorpes wegen Soren, my unde mynen Erven dar nicht vorder umme pleghe. Unde hebbe en dar to dan *Zele unde Ware*, alſo an dem lande en recht unde wonheyt is. Wes de vorbenömede güder beter ſynt alſe vorröret is, dat gheve ick vor my unde myne olderen unſe dechtnüſse dar vor to beholdende by deme Cloſter to ewighen tyden. Des to vorder Tügheniſſe hebbe ick Benedictus, und Luder Rumor myn vedder, deſsen Breff myt witliken willen bezegheld. de Screven und gheven is na godes bord Verteynhundert Jar, darna in deme Sövendrüttigeſten Jare, an deme avende Martini des hilghen Byſchoppes.

Mit 2. Siegeln, welche auf der einen ſeyte einen flügel auff der andern ſeyte 2. balken haben, gleich dem Alefeldiſchen Wapen.

CCCXLV.

Permutations-Kauff und Büte des Abbts zum Reynefelde an den Probſt zu Bardesholm über die in dem Dorffe Cronesmoor, in dem Hoff Lutteringh und Monkehoff belegene Landereyen und Zehnten gegen 400. Marck capital a 30. Marck jährl. Renten, jedoch unter Reſervation eines Wiederkauffs verhandelt.

1437. In dem namen der Hilghen unghedeleden drevaldicheyd, *wy Fredericus*, myt gottes gnaden, *Abbet, Johannes Prior, unde gantze Convent des Kloſters to Reynevelde, des ordens Cyſſercienſis*, unde in deme Stichte to Lübeke beleghen, don Wytlick alle dengennen, de nu jeghenwardich ſynt, unde betüghen ok openbare alle den yennen, de noch tokomende ſynd to ewighen tiden, dat wy myt wolbedachtigen mode, unde myt eendrachtighen Willen unde vulborde alle dergennen, de hyr vulbord to geven ſchölen, Rechtliken unde Redeliken van uns *gebütet hebben* to den erliken gheſtlyken heren, Proüeſt Marquardo, Hermanno Priore unde ganzem convente des cloſters to Niemünſter, anders Bardesholm ghenömet, in deme Stichte to bremen beleghen, vor Jarlike Renthe, drüttich marck, de to rechten tyden na beſchedeliker wyſe tobetalende, alſe naſcreven ſteyt, alle güdere, de wy hadden beleghen by eren güderen to *Kronesmore* und *Lutteringhe*, an deme Kerſpele *to ydzeho*, alſe unſen fryen hoff gheheten *Mönnekehoff*, myt *achte unde veertich morgen, belegen van der Störe, wente an dat möer*, myt alleme rechte, högheſt und ſydeſt, vry van *Tegheden* (Decimis) *Schat, tyns, unde bede*, unde alle de anderen morghen unde acker, dede ligghen an deme Dörpe to Kronesmore, an deme rechte, ock den acker unde morghen, beleghen an deme gude to Lütteringhe, unde alle vrucht des ganzen Tegheden over allen acker des dörpes to Kronesmore, unde over den hoff to Lutteringhe van *der Lüſowe* an, wente to der *Sydwendinghe*, de by der Lütteringhe, *van der Störe* angheyt, *went in de wellen*. alſe beſchedeliken dat alle gudere, acker, vrucht, Teghede, unde vves vvy unde unſe ambtlude, woſe heten, ghaſtmeſter, Schomeſter, plegen wonliken uptoborende myt aller vrigheyd unde nütticheyt, unde myt alle ſynen endeſcheden, Kley unde Moër, alſe wy dat van olden tyden beſeten unde bruket hebben, unde ock unſe hus an dem vorbenometen mönekenhove, berch, Schüne, tüne, by tünholt, alſe dat beleghen is, unde dar to höret, de alle unde eyn islick een beſunderghen möghen ſe und ſchölen vryg bruken, myt aller vrucht unde nütticheyd, to ewighen tyden. unde de vorbenömeden gheyſtliken heren, de nu ſynd, offte ere Nakomelinghe willen unde ſchölen uns unde unſen Nakomelinghen alle Jar bynnen den achte daghen der hochtyd paſchen, dar dat ene Jar deme andern, ſunder Myddel volghende is, uns to dancke betalende, drüttich marck rente bynnen Reynevelde an guden reden penninghen, de bynnen Lübek unde Hamborgh genghe unde geve ſind, an ener Summen, ſunder jenigherleye vertoch, hinder unde unbewurren, unde erer eghenen Koſte, teringhe und ſchaden. Ok ſo wille unde ſchole wy den vorbenömeden gheyſtliken heren de privilegia, olde unde nye breve, de wy up den vorbenömeden hoff, tegheden unde güdere hebben, en alle antwarden, der ſe bruken möghen, na alſe wy vor. Jedoch ſo hebben de vorbenömete gheyſtliken heren vor ſick unde ere Nakomelinghe de gnade unde macht beholden, de vorbenömete drüttich marck rente vor veerhundert marck, edder de helffte der rente alſe vefftein marck, vor twe hunder marck Lübeſch, van *ſyck to kopende*, unde wannere ſe des *wedderkopes* to rade werden, dat ſchölen ſe, edder ere Nakomelinghe, uns edder unſen Nakömelinghen bynnen den achte daghen der hocttyt (*) to paſchen towetende don, unde denne darna to deme negeſten paſchen bynnen der achte dagen de denne ſunder myddel volghende ſynd, to dancke in ener Summen veerhundert marck, unde drüttich marck de Rente, edder twehundert mark myt

myt der Helffte der rente, alſe vefftein marck to dancke unde to willen uppe ene beleghelike ſtede, dar uns dat bequeme is, an dem Lande to Holſten in ſodanighen guden pennynghen, de uppe de tyd bynnen Lübeck edder Hamborgh genghe unde geve ſynd, ſunder jenigherleye hulprede, unde ane alle arghelift betalen und vornöghen. Were over dat de vorbenömede gheſtliken heren uns vorkündigeden den wedderkop bynnen den achte daghen to paſchen in deſſem erſtem Jare alſe ſe nü van unſs in de were entfanghen hebben de erſcreven gü dere, unde wolden van unſs wedderkopen de gantzen Rente der vorbenömeden drüttich marck, de möghen ſe wedderkopen vor veerhundert marck unde veer unde twintich marck rente, edder de helffte der rente vor twehundert marck. Anders ſo möten ſe bruken alle de andere jar over der ſtücke unde wyſe, alſe vorſcreven is. Ok vorlate wy vor uns unde vor unſe nakomelinghe allerleye hülprede gheyſtlikes Rechtes unde werlikes, dar düſſe jeghenwardighe büte edder dege dinghe bynnen rechtes edder buten rechtes jenighe wys möchte mede ghebroken werden. Gheven und ſcreven to Reynevelde an den Jaren der bord Chriſti, veerteynhundert Jar, darna in deme ſöven unde drüttigheſten jare, up den Sondagh vor palmen, als men ſinghet Judica. To vollenkomener bewyſinghe unde Orkunde aller vorſcreven ſtücke, ſo is unſe und unſes conventes Ingeſegel wytliken henghet an deſſen Breff. mehr nicht.

Mit 2. Siegeln des convents in Reynfelde.

Ein gleiches inſtrumentum haben auch Marquard probſt, Hermannus prior und convent zu Bardesholm an das convent zu Reynevelde über den wiederkauff in gleich lautenden worten zurückgegeben dat. 1437. dominica Lætare mit 2. Siegeln.

(*) *Hoctit* i. e. heiligen zeit. Unde etimon *Hochzeit*, nuptiæ.

CCCXLVI.

Der Kirchſpielleute an der Wilſter vergleich, wie es mit den Schleußen, Wetteringe, Waſſergang, vertieff und Reinigung der Ströhme, Verbeſſerung der teiche, Teichgræfen, vorkauff der Fiſche und andern zu abführung des waſſers dienlichen ordnungen gehalten und ein vollkommenes Teichrecht hinkünfftig zu machen.

Wy *Frederick*, von gots gnaden, Erffgenhome to Norwegen, Hertog to Slesswig, ock Hertog to Holsten, Stormaren unde der Ditmerschen, greve to oldenborg unde delmenhorst, doen witlick bekennen unde betügen apenbar in unde mit desem unsem breve vor uns, unse Eruen, Nakomelinge unde alles wemen; so denn de durchlüchtigeste, hochgeborne Fürste, Her *Cristiern*, to dennemargkenn &c. Konigk unse leve Here vader, unde vorhen de hochgeboren Fürste here Alff, Hertoge to Slesswüg &c. unse leve ohem 1497.

beyde

beyde loveliker unde milder gedechtniſſe zeligen Heren *corde cordes*, wandages *Archidiaken der Dommkergken to Sleſswög*, umme mannichfoldigen truwes denſtes willen, dat Velt *Dreckſee* mit allen ſinen tobehöringen, by dem Kile im Kerſpele darsülveſt belegen, bremeſches Stichtes, alſe dat in ſinen Enden unde endeſcheyden begrepen is, qwüd unde vryg voregent unde vorlehnet, na lengeren lude unde vermöge der breve, em darupp gegeven unde vorſegelt, hebben wy itzunt durch ſunderge gunſte unde gnade ock umme truwen flitigen denſtes willen, alſe unſs de Erſame unſe leve getruwe *Hans Schele, Ratman in unſer Stadt Kyl*, beth herto bewiſet unde gedaen hefft unde noch vortan doen mach und ſchal, em unde ſinen Erven unde denn vort, ereen na erven to ewigen tiden alſodann vorbenömet velt Dreckſee mit allen unde isliken ſinen tobehöringen, als dat in allen ſinen Enden und endeſcheden begrepen unde belegen is, mit Ackeren Wiſſchen, Weyden, Holtingen, Maſten, Stueten, Buſchen, Brackten, Moren mit dem Kruſenrade, grotenſee und trundenſee, diken, viſchen, Viſchereyen Strömen, Inſloten und uthfloten, Dröge unde Nath, mit allem rechte und gerichte, mit aller herlicheit, rechticheit, nütticheit, vrügheit, mit allem denſte, pachte, hure, bröke, Schattinghe, ſo dat Wandages de genante her Cort Cordes gebruket unde beſetten hefft unde mit alle nichtes buten tobeſcheidende, to gebrukende und to beſittende, unverhindert gnedigen vorlehnet und voregent, verlehnen und veregen em und ſinen Erven, wo vorberöret eyn ſo dannt alſo jegen wordigen, in krafft und macht deſſes unſes breves, ſo dat wy vor uns, unſe Erven unde Nakomelinge nicht egens darane beholden. ſundern is dat sülve velt itzunt unbebuwet würde id mit dertüt bebuwet, bewanet und beſeten, unde wat denn de gemeinen Lande uns, unſen Erven unde Nakomelingen doen, ſcölen de Inwonere des vorſcreven veldes, unſs, unſen Erven, unde Nakomelingen ock to donde vorplichtet ſyn. Datum an unſem Slote Gottorpp des Donredages in den hilgen paſſchen, na Criſti unſes heren gebort veerteynhundert, darna im Söven unde negentigeſten Jare, under unſem angehangeden Secret to orkunde und förderer vorwaringe vorſegelt.

CCCCVII.

Literæ Innocentii Octavi, toti ordini Auguſtinorum contra quosvis bonorum eorundem invaſores, moleſtatores, injuriatores &c. datæ 1486. & a Johanne Abbate Hildesheim. hujus ordinis generali ad inſtantiam canonicorum Borsholmenſium in ſui ſuorumque defenſionem tranſſumptæ.

Johannes dei Gratia, Abbas monaſterii ſan-
1499. cti Michaelis, intra muros *civitatis Hilde-*
1486. *ſemenſis, Iudex & conſervator Iurium*, privilegiorum, libertatem, rerum & bonorum & religioſorum patrum & dominorum priorum, ſuppriorum & conventuum univerſorum & ſingulorum monaſteriorum Canonicorum regularium *ordinis ſancti Auguſtini*, Conventus in Wendeſſem Trajectenſis dioceſis & ipſius generali Capitulo colligatorum & ſubjectorum monaſteriorum, una cum nonnullis noſtris in hac parte collegis cum clauſula: Quatenus Vos, vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios &c. a ſancta ſede apoſtolica in forma militantis eccleſiæ ſpecialiter deputatus, Venerabilibus & circumſpectis viris, dominis decano & officiali bremenſi Præpoſito, decano, ſcholaſtico ac officiali Lübec. decano Eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis hamburgenſis, dictæ Bremenſis dioceſis ac Decano Sleſwicenſi & veſtrum cuilibet in ſolidum Salutẽm in domino & noſtris hujusmodi ymo verius apoſtolicis firmiter obedire mandatis, & in commiſſis diligentiam debitam adhibere. Literas felicis recordationis domini Innocentii, divina providentia Papæ octavi, ejus vera bulla plumbea cum cordula cannabis more romanæ curiæ impendente bullatas, ſanas, integras, illæſas, non vitiatas non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpitione carentes nobis pro parte præfatorum priorum & conventuum Monaſteriorum ordinis ſancti Auguſtini Canonicorum regularium Capitulo de Windeſſen ſubjectorum coram Notario publico & teſtibus fide dignis præſentatas, nos cum ea, qua decuit reverentia recepiſſe noviter hujusmodi ſub tenore:

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum dei 1486.
dilectis filiis extra Maguntinenſes & ſanct Laurentii extra Trajectenſes muros & ſanct Michaëlis Hildeſemenſis Monaſteriorum Abbatibus Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Militanti eccleſiæ diſponentes, domino præſidente, circa noſtrarum eccleſiarum & Monaſteriorum omni ſollertia reddimur indefeſſe ſolliciti, ut juxta debitum paſtoralis officii eorum occurramus diſpendiis & profectibus, divina cooperante clementia, ſalubriter intendamus. Dudum ſiquidem per Felicis recordationis Eugenium Papam quintum, prædeceſſorem noſtrum pribrum & conventuum Monaſteriorum ordinis ſancti Auguſtini Canonicorum regularium Capituli Windeſſem Trajectenſis dioceſis, & dilectarum in Chriſto filiarum prioriſſarum ejusdem ordinis, & capituli conventuum monaſteriorum eorundem, capitulo de Windeſſem colligatarum vel ſubjectarum conqueſtione perceptis, quod nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores & alii Eccleſiarum Prælati & clerici, ac eccleſiaſticæ perſonæ, tam religioſæ, quam ſeculares, nec non duces Marchiones, comites, barones, milites, nobiles & laici Communitatum univerſitates oppidorum, caſtrorum, villarum & aliorum locorum, & aliæ ſingulares perſonæ civitatis & dioceſis & aliarum partium diverſarum occuparunt & occupari fecerunt caſtra villas & alia loca, terras, domos, poſſeſſiones, Jura & Jurisdictiones nec non cenſus, redditus, decimas, & pro-

proventum dictorum monasteriorum, & non nulla alia bona mobilia & immobilia spiritualia & temporalia, ad priores, prioriſſas, conventus & monasteria hujusmodi ſpectantia & ea detinent indebite occupata ſeu ea detinentibus præſtant auxilium conſilium vel favorem. Nonnulli etiam civitatum & dioceſium & partium prædictarum, qui nomen domini in vanum recipere non formidant dictis ſororibus prioriſſis & conventibus ſuper prædictis caſtris, villis & locis aliis terris domibus & poſſeſſionibus, fructibus & uſibus, redditibus & proventibus & aliis bonis mobilibus & immobilibus, ſpiritualibus & temporalibus & rebus aliis ad eosdem priores prioriſſas conventus & monasteria hujusmodi & membra ſpectantibus multiplices moleſtias & injurias inferebant & jacturas. idem prædeceſſor dilectis filiis Abbati monasterii ſancti Jacobi Leodienſis & Decano eccleſiæ ſancti ſalvatoris Trajectenſis, & officiali Colonienſi ſuas dedit literas in mandatis, ut ipſi vel duo aut unus veſtrum per ſe, vel alium ſeu alios, etiam ſi eſſent extra loca, in quibus deputabantur conſervatores & judices prædictorum nec non aliorum quæ deinceps monasterio ſeu capitulo hujusmodi colligari & ſubjici contigerit dicti ordinis monasteriorum prioribus, prioriſſis & conventibus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permitterent eosdem ſuper præmiſſis & quibuslibet aliis bonis & juribus ad ipſos conjunctim vel diviſim ſpectantibus ab eisdem vel quibuscunque aliis indebite moleſtari vel eis gravamina, exactiones dampna vel injurias irrogari facturi ipſis cum ab eis vel eorum aliquibus ſeu procuratoribus eorundem vel aliquo ipſorum forent requiſiti, de prædictis & aliis perſonis quibuslibet ſuper reſtitutione caſtrorum, villarum, terrarum & aliorum locorum jurisdictionum, jurium & bonorum mobilium & immobilium, reddituum quoque & proventuum, nec non aliorum quorumcunque bonorum nec non de quibuslibet moleſtiis injuriis atque dampnis præſentibus & futuris in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem ſummarie & de plano ſine ſtrepitu & figura judicii: in aliis vero prout qualitas eorum exigerit juſtitiæ complementum, Occupatores ſeu detentores præſumptores, moleſtatores & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles, cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque & quotiescunque expedierit auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato adhoc ſi opus fuerit auxilio bracchii ſecularis, prout in eisdem prædeceſſoris literis plenius continetur. Cum autem ſicut exhibita nobis nuper pro parte prioris prioriſſarum & conventuum prædictorum petitio continebat, Abbas, decanus Officialis conſervatores prædicti eis deputatis pro tempore exiſtentibus timentes potentiam nonnullorum ducum principum comitum & nonnullorum magnatum aliarum perſonarum eisdem prioribus prioriſſis & conventibus injuriantium - contra illos dictarum Literarum vigore procedere non audeant, in eorundem priorum prioriſſarum & conventuum capitulique prædictorum jacturam atque dampnum non modicum pro parte priorum prioriſſarum & conventuum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Abbati, Decano & officiali prædictis in executione vel facta conceſſione prædictis tres alios conſervatores in executione dictarum literarum prædeceſſoris qui etiam pro manutentione & conſervatione privilegiorum eis commiſſorum contra illorum vigilatores poſſint aggregari & adjungere, aliasque eis, qui ut aſſerunt, ſub regulari obſervantia dicti ordinis vivunt, in præmiſſis oportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui regularem vitam profeſſis & in contemplativis ſuavitate quieſcere valeant & tranquillum domino reddere famulatum, inquietudinis & perturbationis materiam ſubtrahimus hujusmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios ad executionem dictarum literarum prædeceſſoris præfati proceedatis illasque exequamini alias juxta earundem literarum continentiam atque formam in omnibus & per omnia, perinde ac ſi literæ ipſæ a principio vobis directe extitiſſent & contra moleſtiantes eosdem capitulum Canonicos, prioriſſas & conventus contra tenorem ſuorum privilegiorum, per easdem literas tam vobis quam eorum executoribus eſſet plena parimodo conceſſa poteſtas & auctoritas attributa & per eas non ſolum felicis recordationis Bonifacii papæ octavi prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur ne aliquis extra ſuam civitatem & dioceſin niſi in certis exceptis caſibus & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ dioceſis ad judicium evocetur, ſed etiam de duabus dietis in conſilio generali editis conſtitutionibus dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate ipſarum Literarum non trahatur expreſſe derogatis extitiſſet, prout concedimus attribuimus & derogamus per præſentes non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis nec non omnibus illis, quæ idem prædeceſſor in dictis ſuis literis voluit non obſtare ceterisque contrariis quibuscunque. Per hoc autem deputatis in eisdem literis per Eugenium prædeceſſorem conſervatoribus prædictis quo minus ad illarum executionem procedere poſſent & illas exequi, & contra violatores privilegiorum prædictorum & indebitis executionibus eosdem priores prioriſſas & conventus vexantes, perinde ac ſi per illos eisdem ſuper hoc eſſet conceſſa poteſtas & auctoritas attributa, nullum intendimus præjudicium procreare: ſed tam vos, quam illos ad prædictarum & præſentium noſtrarum literarum totalem executionem procedere poſſe, ac ſi vos vel illi in ſimul dictis prioribus

ribus, prioriſſis & conventibus conſervatores in eisdem literis deputatos fuiſſetis cum prædicta & illas in ſolidum exequendi per vos vel alium poteſtate & facultate perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Anno incarnationis di-
1486. vinæ Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſexto, ſexto decimo Kal. decembris, pontificatus noſtri anno tertio. Poſt quarum quidem literarum apoſtolicarum præmiſſarum præſentationem & receptionem nobis, & per nos, ut præmittitur, factas fecimus pro parte venerabilium & religioſorum dominorum prioris & conventus beatæ Mariæ Virginis & ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum monaſterii in Bardesholm bremenſis dioceſis prædictæ canonicorum regularium dicti ordinis ſancti Auguſtini conventui dicti monaſterii in Wyndeſſem trajectenſis dioceſis ac illius generali capitulo ſubjectorum debita cum inſtantia requiſiti, Quatenus ad executionem dictarum literarum apoſtolicarum præmiſſarum procedere, ſibique proceſſus & mandata oportuna contra omnes & ſingulos bonorum ſuorum occupatores, detentores præſumptores moleſtatores & injuriatores & alios debitores in literis apoſtolicis præmiſſis expreſſis & in executione proceſſuum hujusmodi nominandos communiter vel diviſim in forma ſolita & conſveta decernere & concedere dignaremur. Sed quia aliis variis propriis arduis adeo intenti & præpediti negotiis, quod commoditatibus & defenſionibus cauſisque & earum expeditionibus præfatorum dominorum prioris & conventus monaſterii prædicti in Bordesholm juxta earundem præmiſſarum literarum continentiam & tenorem ac prout ipſis neceſſarium fuerit ad præſens intendere & perſonaliter intereſſe non valemus, unde vobis dominis præpoſito, decanis, Scholaſtico ac officialibus ſupradictis de quorum & cujuslibet veſtrum induſtriis & legalitatibus ad plenum confiſi, quibus præſentes noſtræ literæ diriguntur & veſtrum cuilibet in ſolidum poteſtatem & vices noſtras nobis præmiſſarum literarum apoſtolicarum vigore quomodolibet datas, & attributas, donec eas ad nos duxerimus revocandas, committendum duximus & committimus per præſentes ac ſubdelegamus eosdem & exhortantes mandamus, quatenus vos, aut quicunque veſtrum deſuper proparte prioris & conventus monaſterii in Bordesholm prædictorum dicti ordinis ſancti Auguſtini vigore præſentium requiſitus omnes & ſingulas cauſas per eosdem priorem & conventum ſæpedicti monaſterii in Bordesholm motas & movendas contra omnes & ſingulos ſupradictos & in executione præſentium monendos & ſub dictis literis apoſtolicis præmiſſis comprehenſos conjunctim vel diviſim ex parte veſtra audiatis, cognoſcatis, decidatis & fine debito terminetis, aliasque & alia faciatis in omnibus & per omnia juxta ipſarum literarum apoſtolicarum præmiſſarum vim formam, continentiam & tenorem. Et ſi contingat, nos in cauſis ſupradictis aut earum aliqua impedimentis prædictis ceſſerimus quomodolibet procedere, de quo poteſtatem nobis reſervamus non intendimus propterea commiſſionem noſtram hujusmodi in aliquo revocare niſi de revocatione ipſa ſpecialem & expreſſam in noſtris literis fecerimus mentionem. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes literas, ſive præſens publicum inſtrumentum hujusmodi noſtram ſubdelegationem in ſe continens ſive continentes exinde fieri & per notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum Hildeſem. in aula noſtra abbatiali ſub anno a na- 1499.
tivitate domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono, indictione ſecunda, die vero lunæ viceſima nona menſis Julii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Alexandri, divina providentia papæ ſexti, anno ejus ſeptimo, præſentibus ibidem diſcretis Viris Hennighe Greuen & Johanni cori laicis Hildeſemenſis dioceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

Et Ego Bernardus Bollingh, clericus Monaſterienſis dioceſis publicus ſacris apoſtolica & imperiali auctoritatibus Notarius, quia dictarum apoſtolicarum præſentationi & receptioni, petitioni, ſubdelegationi & commiſſioni, omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic ut præmittitur fierent & agerentur una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi, ideoque hoc præſens publicum ſubdelegationis inſtrumentum manu mea propria conſcriptum exinde confeci ſubſcripſi publicavi & in hanc publicam formam redegi ſignoque & nomine meis ſolitis & conſvetis, una cum dicti domini Abbatis judicis & conſervatoris principalis ſigilli appenſione ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

CCCCVIII.

Borch. Krummedyck cediret und renunciret dem Cl. Borsholm allen Anſpruch und ſtreitigkeit an einige güter bey der Stilnow. it. ſein Dorff Holverſchendorff cum pertinentiis gegen 60. mark capital ſub evictione.

Wytlick ſy allen denjennen, de deſſen breff ſeen edder hören leſen, dat ick *Borchard Krummedick* bekenne apenbar in deſſeme mynem Breve, vor my unde alle myne Erven, dat ick alle anſprake, toſage und twiſtynghe twiſken my unde dem godeshuſe thom Bardesholm von etlikes gudes wegen by der *Stilow* belegen, alſe benömptliken van des Haves wegen, genömet de hoff uppen damme by der Kercken tor Stilow belegen, van des penniges wegen, den ick unde myne vorolderen dar wente datum deſſes breves hebben von deme Have gehath, ock van des thegeden wegen, den desülveſten heren tom Bardesholm in mynem dorpe Holverſchen dorpe 1501.

in dem Kerſpel tho hilgenſteden plegen to hebbende unde wente datum deſſes breves alle yar hebben gehat, alſe Söven marck thegeden des yares den ſe in vortiden van mynen vorolderen vor Söſtich marck lüb. hadden to ſick gekofft, ys in früntliken handelen in ſodaner Wyſs, alſſe nageſcreven ys twiſchen gedegedynget unde bygelecht, So dat ick Borchord Krummedick dem ergenömeden Heren und convente vor de Söven marck thegeden ſcal unde hebbe ick gegeven vor my unde mynen erven to brukende Soſtich marck lüb. alſe denn in vortiden myne vorolderen hadden vor affgekofft, hir wedder vor hebbe ick en wedder vorlaten und avergeven vorlate und avergeve vor my und alle myne Erven den erghenömeden heren tom Bardesholm und ganzen convente alle anſprake de ick to en hebbe gehat, beſundergen van des pennige wegen van dem ergenömeden Have, den ick unde myne vorolderen dar ynne hebben gehath ick unde myne erven, edder jemant van myner wegen dar yn nakamenden tiden nimmermer upp to ſakende, Se densülveſten pennynk und hoff myt alleine rechte in allen ſinen endeſceden, in Buſchen, Brockten, Holtyngen, Wiſchen, Weyden, myt aller ſiner nütticheit to ewigen tyden to brukende, ick unde de mynen en darnergen in to hynderende, men in allen dyngen en byſtendich und behülpelik thoweſende, wen ſe id van my unde den mynen van des Haves wegen begeren. Hir an unde aver hebben geweſen de werdige her ALBERTUS KRANTS *Doctor*, her *Otto Ranzow*, *Ritter*, *Degedynges lüde*, ock de werdigen Heren *Detleff Poggewiſch*, *gekoren Biſſcop tho Sleſswick*, myt ſyneme vadere Benedictus unde ſynem Brodere Wulff Pogwiſchen mit mer andern framen Lüden unde is gedegedynget tom Kile amme avende Symonis unde Jude, am Jare duſent unde viffhunderth. Des to merer Sekerheit unde Tüchniſſe hebbe ick Borchord ergenömet, vor my unde alle myne Erven myn Ingeſegele witliken hengen laten nedden an deſſen Breff, de gegeven unde ſchreven is na der Bord Chriſti Jnt jar duſend viffhundert unde eyn. am dage Benedicti des hilligen Abbates.

CCCCIX.

Conventus Borsholmenſis Vergleich, mit Hans v. Aleſelden Erben, daſs die unterthanen in Müncken-Rechte niemanden als dem gotteshauſse Borsholm pflichtig ſein ſollen.

Andreas praweſt und gantze convent tom Bordesholm.

1501. Unſe demotighe bedt, myt begheringhe alles guden tovoren. Weten ſcholen gy guden fründe, Inwoners *des Dorpes to Monnekerechte*, alſe denne in vorleden tyden twedracht twyſchen here *Hanſs van Aneveldе* ſeligher dechteniſſe, und *unſem gadeshuſe Bordesholm* is geweſen van des Rechtes wegen des erbenömeden dorppes *Mönnekerechter* ghenömet, de denne Wente tom ummeslage tom Kyle van beyden parten in gude und fründſchopp ſcholde ſtan, aldar sülveſt de sülveſte twedracht in Jegenwerdicheyt beyder parte fründe in Rechte effte fründſchop endliken toslitende und bytoleggende. Dar denne in beiden parten tom sülveſten ummeslage to dem Kyle in ſodaner Wyſe na lude und Inholdinghe unſer Privilegien, fryheiden v. breven iſs gedegedinget bewyllet und gehandelt, dat gy ſeliger Hanſſes vrouwen, ſynem nagelaten Erven, edder nemande van erentwegen, ſunder unſem gadeshuſe Bordesholm, nenerleye wyſs woran ſollen verplichtet weſen, *noch mit hovedenſte, thyns, ſchatteghen*, edder ichtewes wormede: Aber ifft wol weren, de buten unſem Rechte in eren, edder in anderen heren, effte *gudermenne* (*) *Rechte*, (**) acker edder güder hadden, ſcholen und möten dar, lyck unſs, plege vor doen, alſe in den Rechten und under den herſchoppen eyn Jewelick is plichtig to donde. Scholen gy Juw hyrumme na nemande richten ſunder *na unſem gadeshuſe*, alſe na unſem praweſte edder Procuratori van ſiner wegen, edder wenn juw de praweſt tor tydt, effte des van noden were, na uthwyſinghe unſer Privilegen werdet toſchickende. Ock ſo wille wy ernſtliken, gy na uthwiſingke older Regiſter: unſem gadeshuſe alle Jar, vor alle unplicht, alſe *havedenſt*, *roeckhönner*, *haveſwyn* unde wes des meer mach weſen, ane *heren hede* ſcholen ein jewelick *hövener* alle Jar unſem gadeshuſe eine Marck geven, und de *Röthenner* und *Wortſetelingk* achte ſchillinghe, alſe oldinges plegen tho donde. Ock ſo ſchöle gy wenn juw werd togeſecht, des Jars eins, edder wo vaken des van nöden vvert ſyn. to dem *bredenbergke* to *dinghe* kamen, alſe in vortyden juvve vorfaren plegen to donde. Hyran und aver deſſen degedingen ſynt gevveſen, de düchtigen Wulff, *Henning und Hanſs Poggheuiſch*, Henninghes ſönes, Vor (Frauvv) *Anne Poggewiſchen* ſelighe Hanſſes poggevvyſches Rolves Sone nagelatene Huſsfrouvv, myt byvveſende und mede vvetende olde *benedictus poghwyſch* to *Grönholt*, myt ſinen beyden Sönes, *Meſter Detleff* gekaren Biſchoff to *Sleſswygk*, und *Wolff Pogwiſch* ſyn broder unde meer andere ſoffvverdige Lüde, und is geſcheen tom Kyle in Clavves ſchulten huſe anno V. C. und eyn. To mehrer tügniſſe deſſer aller vorgeſchreven dinghe hebben vvy Andreas Pravveſt und ganze Convent unſer proveſtyen Ingeſegel binnen an deſſen breff gedrucket, de geſchreven is, des frydages na Matthiæ des hilligen Apoſtels, na der bord Chriſti unſes heren duſent Vyff hundert und eyn.

(*) Nobilium, Gutsherrn.
(**) Territorio, jurisdictione.

CCCCX.

Johannes clericus de Lübeck legat Eccleſiæ Novimonaſterii 5. marc. & 6. ſolidos.

Johan-

1501. *Johannes* dei gratia præpositus, H. prior, totusque conventus Novimonasterii omnibus præsens scriptum visuris, salutem in domino sempiternam. A viris prudentibus noscitur institutum & sollerter provisum, ut quæ volebant manere stabilius, literarum indicio perhennarentur. Quapropter universitati fidelium tam præsentium, quam futurorum cupimus esse notum, qualiter dilectus nobis in Christo ac familiaris Johannes clericus de Lübeke, præter bona deputata nostræ Ecclesiæ aliqu. (ali quibus) retentis sibi tempore vitæ suæ eorundem bonorum proventibus, de eisdem postmodum alia bona, videlicet quinque marcarum & sex solidorum redditus sua providentia comparavit, quæ suæ ordinationi manere recognoscimus & in ejus arbitrio stare, ubi vel quibus post mortem suam voluerit delegare. Verum cum idem Johannes postmodum infirmitate aliqua prænosceret se gravatum, usus Spiritu saniori, testamentum condidit, & nostræ Ecclesiæ, ut amplior & salubrior sui nominis esset apud posteros nostros recordatio, & in benedictione memoria apud dominum eosdem videlicet quinque marcarum redditus assignavit, tali sub forma, quod una marca annuatim cedat librariæ ad emendationem librorum. Altera ad diem apostolorum Symonis & Judæ pro consolatione conventus cum sollempnitate. sc. collecta dicetur ad summam missam in ejus memoria, omnipotens sempiterne deus qui vivorum dominaris simul & mortuorum &c. Tertia pro memoria patris & matris similiter uno die facienda. Quarta pro quodam Johanne & Hildegunda item uno die. De quinta habebunt domini quatuor lagenas cerevisiæ & has quatuor in anno Diebus deputans vel quando sequentia. Ave præclara sollempniter dicitur ad chorum. Plebanus de Horst habebit tres solidos & jurati ejusdem Ecclesiæ alios tres levabunt ad structuram. Item prout primum continet privilegium de bonis prius emptis tres marcæ cedent in ejus anniversario ad servitium dominorum & totidem in anniversario fratris sui. Quam ordinationem sive donationem sicut habemus, ita & gratam habebimus & cum immensis gratiarum actionibus acceptamus, gratias agentes omnium largitori. Ut autem hæc donatio rite facta & ab omnibus approbata, permaneat inconvulsa, præsentem paginam conscribi & sigilli nostri similiter & capituli impressione fecimus communiri. Horum autem bonorum invasor omni maledictione repleatur, fiatque in combustionem & cibus ignis, & huic ordinationi contradicere præsumens a corpore & sanguine Christi fiat alienus, & in extremo examine cum eis contra dixerunt domino deo recede a nobis, divinæ subjaceat ultioni.

CCCCXI.

Capitulum Lübecense confitetur, se a Conventu N. Monasterienſi 300. marcas recepisse.

Nos *Godschalcus Warendorp*, Thesaurarius & senior canonicus, totumque capitulum *Ecclesiæ Lübicensis*, tenore præsentium publice recognoscimus, nos recepisse per manus religiosi Viri, domini Joachimi Brunen, canonici regularis, monasterii in Nienmünster, alias dicti in Bardesholm, Bremensis diocesis, Trientas marchas Lubicensium denariorum, cum quibus idem monasterium reemit viginti unius marcharum redditus, spectantes ad vicariam, quam testamentarii Hermanni van der Mölen, olim civis Lübicensis, in Ecclesia Beatæ Mariæ Lübicensis fundaverunt, & quam dominus Ludekinus Bilvenden, perpetuus Vicarius in eadem Ecclesia pronunc dinoscitur obtinere. In fidem & testimonium præmissorum præsentem literam per Notarium nostrum scribi, nostrique sigillo capituli jussimus appensione muniri. Datum Lübic. a. 1501. die tertia mensis Aprilis. 1501.

CCCCXII.

Albertus Comes Holsatorum decimationes in palude Bisshorst olim ab Adelberone Archiep. Bremensi NMonasterio collatas approbat & confirmat.

In nomine Patris & filii & spiritus sancti. 1502.
Athelbertus Comes Holsatorum. Quoniam inter mundanas varietates difficile est corda attollere, ubi vera sunt (desunt) gaudia, necessarium duximus per eos, qui cultui divino libere vacant, defectus nostros corrigere, ut dum eis tuitionis nostræ præsidium & temporalis necessitatis subsidium in præsenti libenter impendimus, in futuro mercedem æternam fideliter percipiamus. Notum igitur esse volumus tam futuris, quam presentibus, quod & nos pia vota prædecessorum nostrorum in memoriam revocare utile duximus, & eorum bonum propositum sollicite confirmare proponimus. Siquidem Testante dilecto nostro *Thiderico*, *præposito Novimonasterii* & ejus testimonium eadem ecclesia per privilegium confirmante didicimus, venerabilem Adhelberonem Hammaburgensem Archiepiscopum *decimationes tam frugum, quam animalium in speciosa palude* versus *Bisshorst* præfatæ Ecclesiæ in usus fratrum benigne contulisse & fideliter confirmasse. Pro eo denique quia Christi bonum odorem, in omni loco, fratres jam dictæ ecclesiæ, sparserunt, locum ipsum digno honore amplectendum arbitramur & eos qui se ibidem deo servituros devoverunt & ex nostra benivolentia fovendos & munificentia consolandos judicamus. Qua propter collationem prædictarum decimationum devote approbantes præsenti scripto & sigilli nostri appensione fideliter confirmamus, etiam nomina eorum qui affuerunt assignando. Testes & fauctores & cooperatores hujus rei sunt Thidericus Præpositus, Bertramus Prior, cum toto conventu novimonasterii. Bernhardus Sacerdos de Wittenberg notarius comitis. Lambertus

bertus præpositus in *Sigeberge*, Frithericus de *Staden*, Burchardus, Heinricus, Marquardus Lambertus fratres de *Barenflide*. Acta sunt hæc *Locstide*, præsente *Godescalco* PRAEFECTO, *coram frequentia* HOLSATORUM & confirmata est hæc collatio favore & acclamatione omnium, qui ibidem erant aggregati.

CCCCXIII.

Johannes Brandeshagen Vicarius Lübec. beneficium suum quod habet in Parochiali Ecclesia Kyl, in manus Præpositi Bardesholmensis resignat.

1502. In nomine domini amen. Anno a nativitate ejusdem, Millesimo, quingentesimo secundo, Indictione quarta, die vero mercurii tertia Mensis Augusti, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, Domini Alexandri divina providentia papæ Sexti, Anno decimo, in mei Notarii publici testiumque infrascriptorum adhoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, personaliter constitutus, honorabilis vir, dominus Johannes Brandeshagen, vicarius perpetuus ecclesiæ parochialis sancti Jacobi Lubicens. principalis principaliter pro se ipso citra tamen quorumcunque pro- suorum per eum constitution: reconventioni non coactus non compulsus, neque aliqua alia sinistra machinatione circumventus seu seductus sed pure, mere, libere & ex certa sua scientia animoque ut apparuit, bene deliberato, omnibus melioribus modo, via, jure, stilo & forma, quibus melius & efficatius potuit & debuit ac potest & debet, benifitium suum in ecclesia parochiali sancti Nicolai opidi Kilonensis Bremensis diocesis situm, omneque jus, quod obtinet in eodem ex certis causis animum suum ut asseruit ad hoc movens simpliciter & de plano, in & ad manus venerabilis viri domini *Alberti preen*, præpositi *Monasterii Bardesholm* Bremensis diocesis præfatæ ac alterius ad id potestatem habentis, resignavit dimisit & refutavit, quod in resignatione hujusmodi non interveniet fraus, dolus, pravitas seu quævis alia illicita pactio vel corruptela, renuncians idem dominus Johannes omni Juri sibi in dicto benefitio seu ad id ex quacunque causa seu auctoritate vel quocunque titulo seu modo qualicunque competentibus promisit insuper præfatus dominus Johannes michi Notario publico infrascripto tanquam publicæ & auctenticæ personæ solempniter vice & nomine omnium & singulorum quorum interest vel intererit resignationem & renunciationem præfatas non revocare nec contra eas in posterum replicare dicere, excipere per se vel alium seu alios quovis quæsito colore vel ingenio directe vel indirecte publice vel aut aliquid facere seu attemptare, per quod præsens actus seu resignatio & stringi poterit, seu quomodolibet viciari, vel quod suum non sortiatur effectum, nec unquam de beneficio hujusmodi seu ejus fructibus, redditibus & proventibus velle se de novo intromittere, nec se pro possessore ejusdem gerere, tenere vel reputare seu nominare insuper ad evidentiorem suæ voluntatis doctrinam, idem dominus Johannes, modo & forma similibus, ut supra, quibus melius potuit & debuit, ac potest & debet, renunciavit omnibus & singulis exceptionibus, doli mali, vis, metus & fraudis, cœterisque privilegiis & indultis, per quas seu quæ contra præmissa, seu aliquod præmissorum venire posset, vel se in aliquo defendere vel tueri. Super quibus omnibus & singulis, dictus dominus Albertus Præpositus, & Johannes sibi a me notario publico infrascripto, unum vel plura publicum seu publica fieri atque confici petierunt instrumentum & instrumenta. Acta fuerunt hæc Lubek in domo Hansii von panhfreuelinck civis Lübecensis, sub Anno, indictione, ac aliis, quibus supra, præsentibus ibidem honorabilibus viris, dominis Jacobo Wolt & Johanne Brunstern Vicariis perpetuis ecclesiæ parochialis sancti Petri Lübecensis, & Johanne Stimmen clerico Lübicensis Civitatis, testibus ad præmissa vocatis pariterque rogatis.

Et ego Hinricus Mehr, clericus Mindensis diocesis publicus sacra Imperiali auctoritate Notarius, quia hujusmodi resignationi, Juramento, protestationi, permutationi, cœterisque præmissis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideoque præsens publicum instrumentum manu mea propria conscriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, signoque nomine & cognomine meis solitis & consvetis signavi rogatus & requisitus in fidem præmissorum.

CCCCXIV.

Juncker Johann Wilstermann vermacht dem Closter Borsholm alle seine güter (ohne Namen) selbige nach seinem Tode bey dem Closter zu behalten.

Vor al den, de dessen yegenwardighen Bref zeen vnde horen lezen, bekenne ik *Iohan Wilstermann* knape, dat ik myt vryen Willen unde Volmacht mynes leuendes, hebbe geben und vorlaten sodane gut alze my de werde god vorlenet hefft, deme Proueste und deme ghanzen Convente des Klosters to dem *Bardesholme*, to desses sulven Klosters behuf, welcke tidt ik doet bin, also dat van mynen erven effte vründen dar nemand mehr opsaken edder manen schal, to ewygen Tyden, men id schal by dessen vorbenömeden Klostere blyven, umme myner Olderen unde myner zele salicheyt Willen, sunder ansprake yenighes mynschen. To tughe und orkunde, dat dyt gheschen is, so hebben Hir over gheweseu Her *Syverd Smalstede* Rydder. *Hartich van Owe*, unde *Hartich Pogwisch* knapen, unde vele anderer ghuden Lude de wol tüchwerdich zynt. To vullenkomener bewysinghe so hebbe ick Johan vorbe- 1502.

nomet

nomet myn Ingheſegel myt Witſchop und Willen ghehenghet vor deſſen yeghenwardighen bref.

CCCCXV.

Fratres Poggewiſchen conſitentur, ſe Patris ſui Teſtamentum diverſis locis & religioſis domibus legata promittens, ratum & gratum habituros.

1502. Univerſis præſentia viſuris, *Otto & Vulff* fratres dicti *Pochgewiſch*, ſalutem in domino Jheſu Chriſto. Recognoſcimus & tenore præſentium proteſtamur, quod piis votis & donationibus, nec non elemoſinis a patre noſtro domino Ottone circumquaque & ſpecialiter in *Eccleſia Novomonaſterii* datis & locatis, nos benivole aſſenſum præbentes, teſtamentum, quod præſentibus amicis noſtris & nobis condidit, in quo *quingentas & ſexaginta Marcas* diverſis locis & religioſis domibus, prout in litera ſuper hoc confecta lucidius & plenius continetur, earundem elemoſinarum participes eſſe cupientes omnino ratum habemus & promiſimus data fide, quod ſi mortem patris noſtri prædicti vixerimus in executione teſtamenti ſui fideles erimus & hoc modo, quod ſicut ipſe ordinavit & diſpoſuit matri noſtræ & patruis noſtris domino Ditlevo militi & Marquardo famulo dictis Pochgewiſch ſummam elemoſinarum prædictam præſentabimus expedite. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa.

CCCCXVI.

Johannes, König in Dennemarcken confirmiret alle des Cloſters zum Bardesholm befindliche und bey Namen ſpecificirte dörffer, güter, Jurisdiction, Herlickeiten &c.

1502. Wy *Johann* van gotts gnaden, tho dennemarcken, Sweden, Norwegen, der VVenden und Gotthen Köningh, Hartog tho Schleſswick, ock tho Holſten, Stormaren und der ditmarſchen, grave tho Oldenborgh und Delmenhorſt, don wittlick apenbar bekennende vor unſs, unſe Erven und Nakomelinghe, dat vvy dorch ſunderger gunſt und gnade, uppe dat gades denſte unde ſyner Werden Moder Marien deſto beth vormereth vor unſsen Seeligen vader, unſe leve frowe Moder, unde unſse vorölderen deſto vlitiger ghebeden möge werden, dem vverdighen Patri und ganzem Convente to deme Bardesholme myt allen eren ghuderen, *Lanſten*, *deneren*, Herlicheiden und allen und iſslichen ören thobehöringhen und gherechticheiden in *unſe Königklike beſchermynghe ſundergbes vorbiddent*, gnedichliken anghenamen und entfangen, und vor eghenen alle und iſslike öre güdere, dörppe, mölen, Mölenſtröme, Thegheden, Holten, Jachten, Vyſcheryen, myt aller Nütticheit und Herlicheit, als enen dat van unſen ſeligen vorvaren Hartoghen to Holſten bevorn verbrevet, voreghent, unde ſe dat erſten van Anbeghinne vvente datum deſſes breves rovvelikeſt beſethen und gehad hebben, alſe benömptliken de dörper und güder *Brügge*, *Redickſtorpe*, *Grotenbiſſee*, *Schöneborſt*, *Grothen Bockwolde*, *Dorharge*, *Grypesharge*, *Wagkenbeke*, *Smalſtede* myt der *Mölen*, *Eyderſtede myt dem See*, *Grevenkrogh*, *Schönebeke*, alle in dem Karſpele *tor Brügge* belegen. Ock de *dorper Olleffſee*, *mit dem See*, *Vörd myt der Mölen*, *Schulendörpe* myt *dem See*, vves eer dar ane is. *Millekendorpe*, *groten Vlintbeke*, *Lütken Vlintbeke*, vves eer daranne ys, benömptliken *enen Lanſten myt allem Rechte*, *Boyenhuſen*, alle belegen im Karſpele to *Vlintbeke*. Ock van godſick van Alevelde de dörper *Rumoer*, *Sprenck*, *Blomendale und groten Schirenſee* myt *dem See*, vves eer darynne is, im Karſpel *to Nortorpe*. *Sören*, *Totkendorpe*, *Lope*, *Dotke*, Hinrich Ghiren SAD, mit olde Clavves Svvagers *halven hove*, van Marquard van Alevelde ghekofft, und EYN SAD *tho Bunſink*, und *twe Sat to Kroch Aſpe myt etliken Tegheden* im ſülven Karſpel. *Reynswörde* im Karſpel *tho hornehövede* mit allem Rechte, ock aller güdere, de ſe beth nu hertho im Karſpel to Nyenmünſter rovveliken hebben beſethen myt aller hüre, Thegeden, Recht und Herlicheit alſe benömptliken de dörper *Müdebroke*, *grotenharge* und *Lütkenharge*, vves eer darane is. Dat *Lütkedorp tho Niemünſter* myt *der mölen und mölen Strome*, tho *gadelande twe* LANSTEN, tho *Rekelinck twe Lanſten*, und *twe Lanſten tho Willemade*, alle in ehrem Rechte belegen. Ock de mölen to *Wittorpe* myt *dem Strome*. Ock *de dörpere und Lanſten*, de ſe nu betthe herto hebben beſethen und ghehad, in unſem Rechte belegen, alſe benömptlicken *Niemünſter dat grote dorp Brachtenvelde*, *Lütken Kummervelde*, *Eynevelde mit dem See*, alſe ſe en vvente nu hertho hebben ghehad. *Tungendorpe*, *Bredenbeke* und *Buſtorpe* mit öhren thobehöringhen. In demſülven Karſpele mit etliken SATEN in deſſen naſcreven dörperen: To *Bönenbodele Soes* SATE, to *Huſsberge twe ſate*, to *grotenkummervelde*, eyn Sate, to *Böſtede* dre Sate, to *Groten Aſpe* eyn Sate, to *Arpſtede* Viff Sate to *Wittorpe* eyn Sate, to *Enendorpe* eyn Sate, to *Warſebeke* dre Sate und mit allen eren thöbehöringen, ackern und Wiſchen, Holten und Brockten, VVateren, dicken effte Seen, mölen effte mölen ſtröme in unſem Rechte belegen. Ock dat dorp *Monnekelo* in Karſpel tor *Koldenkarken* mit allem Rechte, tho *Veltbuſen* de *Hüre* und *eynem Lanſten* darſülveſt mit allem Rechte. Ock den *Brogers vörd mit der VViſch* darby, ock etlike Hüre und Thegeden to *Quernſtede*, *VVynſedorpe* und *Barbeke*, den Hoff aver dem damme *tor Stilnow* mit allem Rechte. Ock *Bredenberghe* und *Kronsmoer*

moer mit dem *Monnekehave* und dem Have to *Lutteringhe* mit allem Rechte und Herlicheit. Ock dat dorp *Monneke Rechte* mit dem Thegeden. Ock den Thegeden tho *VVycflete* belegen in der Uterſten Marſch myt allem Rechte. Ock de Thegeden inder *VVylſtermarſche* belegen mit allem Rechte. Ock den Hoff to *Wevelsflete* belegen by der Karcken. Ock ſo ſchölen *alle de Lanſten* in erem Rechte beſeten, wenn gott maſt gifft, gheven vor öre Swyne gelick anderen *gheeſtliken Lanſten*. Alle diſſe vorbenömpde dörpere, güdere, Thegeden, Höven, Sate und alle artikele und puncte hyr ane beſtemmet, effte buten vorgheten ſamptliken und beſundergen en alle de Güdere, de unſe Seelige Vorvaren Hartoge to Holſten bevorn bebrevet, vorſegelt, vorlaten, voreghent und ock van oldinghes herto, Wente Datum deſſes breves in rouweliker beſittunghe gehad hebben *uplaten, vorlaten und voreghenen* en ock eyn ſodant, alſe jeghenwardig in krafft deſſes unſes Breves myt allen eren thobehöringen beweglick und unbeweglick myt aller grund, dröge unde natt, myt ackeren ghebuwet unde unghebuwet, Wyſchen, Weyden, Holten, Jachten, Maſten, Buſchen, Brockten, Moren, Wateren und Watersvleten, *myt allen Lanſten*, Renthen, Hüren, denſten, upkamen und myt aller Herlicheit, Friheit, Rechticheit, in hals und Hand, alſe de sülveſten heren und Capittel de je friheſt thovoren beth her tho ghehad unde beſethen hebben, tho hebbende, tho brukende und tho holdende to ewigen tiden. Vorbeden darumme allen und isliken *unſen amptlüden*, *Vögheden*, *Tholneren*, *Burghemeſteren*, *Radtmannen*, *Steden*, *gemeynheiden*, *deneren*, *Underſaten* und allen dengennen, de durch unſen VVillen doen und laten ſcölen und willen, den ghenanten heren und gantzem Capittel an Lyve, güderen, Rechticheiden, offte Tobehöringen tho hinderen, hindern to latende, offte in jeniger mate Woranne tho ver unrechtende, under unſem Könynliken Hulden und ungnaden. Datum uppe unſem Slate *Seghebergbe*, am Sonnavende in dem paſchen, am Jahre Vefftеynhundert und Twe under unſem anhengenden Signet.

Ad relationem validi
Johannis Rantzouw.

CCCCXVII.

Herzog Friderici I. quitung der Landbitte von den Borßholmiſchen Lanſten auff 400. marck 12. ſchill.

1512. Van gots gnaden *Wy Frederick*, erffgename to Norwegen Hertog to Sleſswigk, ock Holſten, Stormarn und der Ditmerſchen, greve to Oldenborch und Dellmenhorſt, bekennen hirmit in krafft diſſes breves vor alſs weme, dat wy van dem werdighen unſen leven andæchtigen Praueſte und Convent des Gotshuſes thom Bordesholm, de *Lande bedererer Landſten* vam Jar vefftеinhundert und Elffen, de ſick op *veerhundert marck*, *twölff ſchilling* belepet, wol tor nöge und in reden gelde betalet, entfangen hebben. Sagen darumbe gemelt Praueſte und ganz Convent düſſer bede up ditmal hirmit quit, ledig und loſs. To orkunde hebben wy unſe Signet wittlick heten drücken by ende der Schrifft in dem breve, de gegeven iſs, am mondach na dem Nyem Jare, Anno domini Vefftеinhundert duodecimo.

CCCCXVIII.

Sünte Lorens Gilde, bröder oder ſchweſterſchafft tho Eyderſtede in dem Karſpel brügge, Borßholmer ambtes, upgerichtet, unde van dem probſt daſelbſt, Alberto beſtediget Anno 1514.

In deme Namen des Vaders, unde des Sones, 1514.
und des hylghen gehſtes: Tho Laue und tho Eren deme Almechtigen Gade und der benedieden *Koninghinnen Marien*, der Moder Ghades, und sünte Laurencio und allen Ghades hylgen, So hebbe wy *Ghilde bröder des Gildes sunte Laurentius* tho *Eyder-Stede in deme Kerſpele thor Brügge* gheſtichtet und gheſettet endræchtighen eyne *ſamelinghe vnd Broderſchop*, umme alle unſere *bröder und Süſtere* Salicheyt wyllen, beyde der, de nu ſynth, und ock derjennen, de tho nakamenden tyden in unſen ghylde ghan: Unde alle de in unſen ghylde willen werden entfanghen, de ſynth plychtich in guden truwen alle de Sette unſes gyldes tho holdende, de hyr na gheſcreven ſtan.

Dat erſte deel.

1) Tho deme Erſten, ſo ſcölen de Brödere und de Süſtere, de in unſe ghylde ghan und entfanghen werden, ſweren, dat Se enen jewelken gilde broder und Süſtere vorderen wyllen bynnen Landes, und buten tho Lyke und tho rechte alſo ſe vordeſt könen, anderſt en ſchal men ſe in den gylde nycht entfanghen. Dat ander deel. 2) Vort mer, ſo ſchal en jewelik gylde Broder und Süſtere ſynen gylde ſoken tho den tyden, wan de older Lüde den Kundighen tho holdende, wo de Menſche ſo mechtich is, dat he ſyne Kercken ſöken mach, by enen punt Waſſes und ener tunne Bers. 3) Vort mer, ſchal en jewelik Broder und Süſter ſetten enen plegesman, de dar vol do deme Gilde vor ene, wen he dar nycht is teghenwardich, by enen punt Waſſes und ener tunne beers. 4) Vort mer, welk man effte vrowe, offte juncfrowe an torne mode (im zornigen müthe) offte an ander Wyſe ber ſpildede, mer wen me myth enem vote behüden kan, de ſchal dat beteren myth ener Tunne bers und 2. punt VVaſſes. 5) Vort mer, we des beres tho vele tho ſick neme, dat id eme nycht tho gude worde, de ſchal dat beteren dem gilde Bröderen und Süſteren myth 1. Tunne bers, und 1. punt Waſſes. 6. Vort mer ſchal Nemant an unſeme gilde dobelen, hüsken, ſchreueken, korden wranghen off wedden, edder unghevoch driven, noch Wapende by ſick dragen, tho ſcadende in unſem gilde. Ock en ſchal nen Man barbent kamen in unſen Gilde ock nen frowe barvoth, by

by 4. punt VVasses und 1. Tunne bers. 7) Vort mer schal nemant kyndere myth sick nemen in unsen ghilde, noch Knecht noch Mageth: were dat we hyr bauen dede, de schal dat beteren myth ener Tunne bers und 1. punt Wasses, uthgenamen erlike junckfrouwen, de de ghebeden werden in den gilde, umme höghen to vormerende unses ghildes. 8) Vort mer schal Nemant gheste bidden in unsen gilde, ane eme queme eyn sunderlich vründ, so schal me erst orloff bydden, van den olderlüden unde van den Kemenern. Were, dath idt we breke, de schal dath beteren myth ener Tunne bers under 1. punt VVasses. 9) Vort mer, wan we an unsen Ghilde gan wyl, dar scholen de olderlüde IV. Brödere umme utwysen, de dar vynden unde segghen, offte he des ghyldes werdich sy, anders schal me den in unsen ghylde nycht entfangen. 10) Vort mer schal en jewelick Gilde Broder und Süster tho huss gan des Avendes wen de olderlüde kloppet. Were dath dar we lengher sete und de olderlüde schuldighen (obligiren) umme mer Beres, de schal dath beteren myth ener tunne beres und 1. punt VVasses. 11) Vort mer, welck Broder offte Süstere in unseme Gilde were, de dar van Armude nycht vormochte syn drinckelgeld uth tho ghevende, de schal allike wol tho uns kamen, und myth unss dryncken, und bydden (Gott) desse beth vor Brodere und Süstere, de uth deme Gilde vorstorven synth, und schal unse Broder offte Süster bliven und bruken alle de richticheyth, alse en ander Gilde Broder offte Süstere deyth. 12) Vort mer welck Broder offte Süstere, de vorbrand were, van syneme eghene vüre, edder von synes Nabüres vüre, edder van wedders weghen. Deme scholen gheven en jewelick Gilde Broder en stighe Schoves und 1. vöder timmers tho vörende uppe de Stede, und 1. Dach tho howende by syner eghene Kost. Unde de vrowen scholen gheven der Süster, de de scadhafftych worden is, enen top vlasses, 1. lepel und 1. Schottel offte vat; weret aver, dat he nych wedder buwen wolde, so schal en jewelick Ghilde broder gheven deme de dar scadafftych gheworden is, en Scepel rogghen, und wesen quidt. Men de Süstere schölen allikewol gheven der scadhafftighen Süstere enen top Vlasses enen lepel und Schottelen. 13) Vort mer, wan broder offte Süstere stervet uth unseme Gilde, so schölen syne neghesten apenbaren den bröderen und Süsteren, dat he myth Eren tho der Kulen kame. Unde syne Erven schölen maken, dat de ghilde wynne ene tunne bers vnd 2. rechte, (Essen) des schal de gylde m ken wedder XXX. seelemissen deme, de dar vorstorven is. 14) Vort mer, twye (zweymahl in dem jare schal) werden geholden de Gilde sunte Laurentius tho Eyderstede, alse de IV. dage tho Pinxsten, und in Sunte Laurentius daghe. (d. 10. Augusti) Unde so scholen tho hope kamen alle de brödere unde Süstere, de de wanken möghen, und eten und drycken in leve und vrolicheyth und bidden vor alle de ghennen, de de vorstorven synth, uth deme Gilde Sunte Laurentius. Und de Kerkhere thor brügghe schal alle jar hebben VIII. ss. van deme Gilde, dar schal he alle Sondaghe vor de vorstorven broder und Süstere vorbidden. 15) Vortmer, wen en broder offte Süstere uthe unseme Gilde vorstervet, So schal en jewelick broder und Süstere tho troste und tho hülpe deme doden navaften den ersten frigdach, wen idt em thoweten wart. 16) Vortmer, de syck kloppen lath, na wanlyker Wyse in unsen Gilde und is dar ane 1. jar, 2. offte 3. myn offte mer, unde em unse Sammelinghe und broderscopp nycht behagede, de late sick wedder utkloppen, und blyven eyn vrame Man na, alse vor, und do ersten deme Gilde sunte Laurentius Lyck und plege. Wer et Sake, dat de Gilde thosprake tho em hefft, hefft de gilde ok nene tho Sprake tho em, so blyve he, de he is. Desses Confirmere und bestedighe ick Albertus, praweſt, des Klosters tom bardesholm, in allen synen Artikelen und Stücken so stede vast tho holdende unde hebbe tho merer bevestinghe unde bestedinghe myn Signeth benedden desse Schrifft ghehengeth, dede gheschreven und uppe dat nyghe confirmeret syn, am Jar na der borth unses Heren, dusent viffhundert unde XIIII. am daghe Laurentii des hylghen Martelers.

CCCCXIX.

Herzog Friderichs constitution, daß die Closterlansten in der probbstey NMünster ihre Slägereyen nicht mehr mit 8. Schillinge, sondern nach Einhalt des holsteinischen Rechtes büssen und bessern sollen.

1518.

Wy *Frederick*, van gots gnaden, erffgename to Norwegen, Hertog to Sleswig ock to Holsten, Stormarn und der dittmarschen, greve to oldemborg unde delmenhorst, entbeden *juw gemeynen lansten unde undersaten des Klosters tom Bardesholme*, in der sülven praueſtie, unde unsem lande to holstenn beseten, unse gunste to voren. Unde doen juw to wetende, dat wy hebben erfaren, wo gy under Juw underlangen, wol de den andern in eyner wyse wundet edder sleyt datt de denn *achte Schillinge* lübsch vort tor stede lecht, unde vormeynet sick darmede *de Hußfrede hebben gesönet* verbötet und gebetert, vor Rechte scölen holden unde hebben, dat uns denn neyn Recht unde glyck bedüncket wesen. Offsetten darumme mangk juw also dan VVonheyt, und vorgenommen Recht jegenwardigen in Crafft und macht deses unses breves, unde willen dat van juw fürder togebrukende nicht geholden und gehat hebben, sondern wol von juw in gedachten saken bröckhafftig werdet, schal in sodanen nach vermöge und *Inholde des holsten Rechtes* tobeterende hyrnamals vorplichtet syn. Darfor willet sin gewernet. Datum an unsem Slote Gottorp

torp, am mandage na der gebort unſer leven frouwen, Anno &c. XVIII. under unſem ſignet.

CCCCXX.

Obligation von 100. marck a 5. Marck jährl. rente ſub hypotheca bonorum ſine obſtagio.

1540. Wy Chriſtian, von gots genaden, tho dennemargken, Norwegen der Wenden und gotten Könnigk, Herthoch tho Sleſswigk, Holſtein, Stormarn und der Dittmarſchen, grave tho oldenborch und delmenhorſt, bekennen hiemit apenbar gegen als wemen, dat an hüde dato, vor unſs und unſen Reden, de Erſame unſe leve getrüwe, Conradus Wulff, Bürger unſer Stadt Kyl anenem, und Anna Schelen am andern dele im gericht erſchenen, und hefft ſick Conradus Wulff beclaget, wo dath he, als Hans Schelen ſeligen ſüſter Soene tho dem gude dreckſee *de negſte vedder und Erve were*, eth worde em averſt van Anne Schelen mit unrecht *vorgeholden*, undertenig anropende und biddende, wy wolden dath gegen got mit rechte darhenne wiſen und holden, darmit ſe eme ſine Erve und güther afftreden wolden, hierentgegen de beclagede Fruwe Anna Schelen vorbrengen laten, ſo were Conradus Wolffen ſines vermenten vorbrengens nit geſtandig, de Sake erhelde ſick averſt im grunde alſo. Dath gut Dreckſee hedde ſe van erem ſeligen *Manne Hans Schalen* ererver, und eth were *ein erffgut*, und dat hedden veer Fruwen, de ene na der andern und mit mer als twen Manns im gebruke gehat, wo ſe denn vor ſick ſülveſt dat gemelde gut Dreckſee in de Sös und veſſtig Jar rawliken beſeten, und dat mit nochafftigen breven und ſegelen von Förſten tho Königen, von Königen to Königen, dat ſe de negſte erve were, bewiſen wolde. Dewyle wy dann alſo beder parten bericht, rede und antwort gehört, ock ſegel und breve geſehen und befunden, dat Anne Schelen neger Erve tho düſſer Sake, dann Conradus Wolff, und dat guth Dreckſee ein ERFFGUDT *und nit ein* LEHNGUT, ock Annen Schelen und eren Erven erfflichen von unſen vorfarenden Fürſten und Königen, ock unſs ſülveſt verſegelt iſt, So finden wy desülven beſegelden und confirmirten brieve und Segel nit allein by vuller macht, ſondern confirmiren und ſtadtveſten de avermals in Krafft düſſes Breves, und erkennen ferner tho Recht: Nademal Anna Schelen tho dem genanten gut Dreckſee, wo gehört, negerberechtiget, dann Conradus Wulff, dat ſe datsülvige nu henfürder de tydt eres levendes gar uth gebruken und geneten und na erem affſterven öre und ſeeligen Hans Schelen negeſten rechten erven van erem blude gebaren, Manns und Fruwen perſonen darsülvige gudt Dreckſee mit aller gerechtigheidt erfflichen beſitten und beholden ſchölen, Erven na Erven, tho ewigen tyden, one jemands indracht, effte behinderinge, alles von Rechtswegen. Gegeven in unſer Stadt Rendesborch up gemenem *Landtage* am Mondage na Lætare. Anno domini Vifftеinhundert und im vertigſten, under unſem angehangen Secret.

Relator Er. Wolff Pogwiſchen ritter.

G. C. S. ſſs.

forte Georg Cörper Secretar. ſcripſit.

CCCCXXXIV.

Epiſtola conſolatoria & exhortatoria Johannis Baleni, Superioris Capituli generalis in Windeſſem (Windesheim) ordinis Auguſtini, ad priorem & canonicos Bordesholmenſes de miſero religionis ſtatu & obreptione, ut dicitur hæreſis Lutheranæ.

Salvus ſis & tu viciſſim, in Chriſto communi orbis Salvatore, Venerabilis & unice dilecte Pater. Opportune admodum tuæ paternitatis literæ plurimumque expectatæ ad nos perlatæ ſunt, quippe quod multum jam temporis ſit, quod avidiſſime reſcire cupiverim, quonam in ſtatu res veſtræ conſiſtant, hac potiſſimum tempeſtate, qua ubivis prope locorum victa jacet pietas, erigitur paſſim improbis conatibus impietas, friget charitas, ac ipſa denique facies Monaſtica miſere proſternitur, exibilatur, conculcatur Religio, qua etiam perniciosis factionibus agitatur Eccleſia, hinc atque hinc diſtrahitur, laceratur illa Jeſu tunica inconſutilis, vinea Domini, quam olim tranſtulit ex Ægypto, non ſolum ab uno apro, ſed a pluribus devaſtatur: vacillant vota, labaſcunt leges, exſpectatur Antichriſtus, & totus pene orbis neſcio quid magni mali parturit. Quamobrem pro vobis vicinisque noſtris Monaſteriis non ab re continua nobis ſollicitudo eſt, quibus ibidem vivendum eſt in medio nationis pravæ, & adulteræ, adulteræ, inquam, quippe quæ perdite hodie primam fidem irritam faciens deſciſcat a Chriſto ſponſo, ab Eccleſiæ ſacro-ſanctis inſtitutis, a patriis legibus, pro quibus ſervandis Machabei olim non gravati mortem oppetere parati fuerant. Multa revera eaque dira his annis cum a Regia Majeſtate, tum a Regiis Miniſtris & perfidis illis Concionatoribus perpeſſi eſtis. Quis referat, quam variis modis, quo aſtu, dolo, minis, terriculamentis Veſtra Paternitas in ſuam naſſam in factionis ſuæ conſortium pertrahere, hoc eſt a Chriſto, a pietate, a Religionis puritate avertere conati ſint? Et gratia, laus, honorque Deo Opt. Max. qui cum juxta Apoſtolum fidelis ſit, non eſt paſſus, vos tentari hactenus ſupra id, quod potuiſtis, qui & poſthac, quæ ejus eſt bonitas, dabit cum tentatione hac proventum, ut poſſitis ſuſtinere, quo denique fiet, ut tribulationem paſſi non anguſtiemini, aporiati, non deſtituamini, humiliati non confundamini, 1541.

ni, dejecti non pereatis, quin potius constanter dicere possitis: Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? angustia? an fames? an nuditas? an persequutio? an gladius? Ceterum (ut ad Patern. Tuæ literas redeam) principio male me vicinosque Patres habet hæc, de qua scribit P. T. sacri Canonis & missæ abrogatio. Beatæ Virginis matris, divorumque omnium communis neglectus, seu (ut verius dicam) contemptus. Verum præ omnibus multum movet, cruciatque acerbius, quod audiamus de constituendo Lutheranicæ factionis Præceptore, seu Lectore quopiam qui statuto salario docendis, imbuendisque, imo pervertendis fratribus operam daturus sit, nec minus exitiale illud, quod P. T. addit de jurejurando, Regiæ Majestati præstando a juvenibus, deinceps assumendis: istud quam fuerit sacræ Religioni noxium, quam verget in totius Monastici ordinis exterminium, nemo qui non jam præsentiscat. Tolerabilia forte utcunque ea fuerant pro temporis malitia, quæ ad missam & divorum cultum attinerent, verum in his duobus præsentissimum periculum est. Heu, Pater mi, in quæ decidimus tempora miseri! Quin exclamamus cum strenuo illo divinæ legis Zelote Mathathia: Ut quid nati sumus, videre contritionem populi nostri, contritionem Religionis sanctæ? Heu omnis compositio ejus ablata est! Sancta nostra desolata sunt, coinquinaverunt ea gentes. Quis, rogo, his deplorandis Hieremias, quis Heraclitus sufficerit? Verum hæc mitto, neque enim P. T. planctum quærit, sed consilium, ut videlicet, si quid in iis anxietatibus (agnoscis verba tua) salubris consilii & consolationis habeamus, id communicare non gravemur. Consultis ergo vicinis Patribus, pro consolatione & conscientiarum serenatione super iis nostram sententiam remittimus, ad literas P. T. obiter pro tempore responsuri. Primo gratissimum nobis est, quod innumeris hodie diversi Ordinis monasteriis a Religionis puritate & patriis institutis turpiter desciscentibus, Vos, quantumvis etiam Lutheranorum insidiis his annis impetiti, hactenus tamen constantes steteritis, & fidem erga Capitulum nostrum generale illibatam servaveritis, perinde ac boni filii in tribulationibus sive necessitatibus vestris ad ipsius tanquam ad communis matris, gremium pro consilio & adjutorio confugientes. Macte animo & virtute, Pater Venerabilis, cum in Christo Jesu charissimis Confratribus. Zelus Domus Dei comedat vos, & exemplo Machabæorum pro patriis legibus, pro Religionis integritate, pro ordinis & Capituli honore (id quod facitis) indefesse certate. Aderit piis studiis vestris is, in cujus gloriam hoc facitis, qui semper præsto est iis, qui tribulato sunt corde, quique non relinquit sperantes in se. Nosque vicissim, siquid in gratiam vestram præstare poterimus, si vel in hac, vel alia quavis in re, vobis, vel consilio, vel auxilio, usui esse valebimus, paratissimos nos invenietis, neque vobis ulla unquam in re nos alios exhibebimus, quam patres dulcissimis filiis, cujus rei periculum facere poterunt ii, si qui sunt, qui Hæreticorum illorum molestias pertæsi ad nos confugere voluerint, quos ulnis vere paternis unice amplectemur, & pro nostra virili fovebimus suavissime, tametsi interea non consuluerimus, ut malorum improbitatibus cedentes huc simul convoletis, nam id fuerit haud dubie in totius Monasterii vestri omniumque bonorum exitialem jacturam & dispendium. Præstat ergo patienter auxilium expectare a Domino, qui percutit, & medetur, vulnerat & sanat, dicatque unusquisque apud sese, cum Propheta Micha cap. 7. Iram Domini portabo, quum peccavi illi, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum, educet me in lucem, videbo justitiam ejus, & aspiciet (Hæretica pravitas) inimica mea, & cooperietur confusione. Oculi mei videbunt eam, & erit in conculcatione, ut lutum platearum. Speramus de Dei Opt. Max. pietate, quod, vel per Concilium Generale, vel alium quemvis modum, hæc cum tempore hæresis evanescet, aut saltem, ablatis abusibus, quorum (inficiari non possumus) non parva multitudo est, ipsa tandem Monastica Religio in pristinam integritatem pulchre reformetur. Judicia Dei abyssus multa. Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Quid autem boni sperandum nobis sit ex Comitiis illis Ratisponæ Cæsar. Maiest. edicto hoc anno celebratis, non video. Disputatum utrinque gnaviter audio, at si quid definitum fuerit aut statutum, nemo hic pene, qui sciat. Cæsarea Majestas, a qua sola prout, post Christum, Ecclesiæ hodie negotium pendere videtur, sed incerto rumore, sese in Italiam contulisse, quatenus tractet cum summo Pontifice, super convocando ac servando Concilio Generali, sine quo impossibile prope videtur, hujus mundi tragœdias aliquando consopiri posse. Cæsar ipse omnium judicio Christianissimus Princeps est, & a factione Lutheranica ac Melanchtonica multo alienissimus, unde præter meritum nugones quidam bestiales eum vocant Evangelicum, ea saltem ratione, qua hodie factiosos istos Lutheranos Evangelicos appellitant. Simile mendacium est, quo ajunt, eum hic Religiosorum bona temporaria jussisse describi. Non est hujus temporis, neque Epistolaris angustia patitur, omnium rabularum deblaterationes refellere: unum hoc ingenue coram Deo omnium Judice dicam, quod in his terris sic satis adhuc perstet Religio, quod omnia pene Monasteria per Anabaptistas & Lutheranos non fuerint exterminata, jugulati Monachi, constupratæ sacræ Virgines, uni omnes id acceptum ferimus Cæsareæ Majest. quæ si sola connivere ac dissimulare voluisset, fidenter dixerim, jam per totum Imperium actum prorsus esset de Religione, per quam etiam fit, ut in hunc usque diem Religiosi in his terris quiete satis agant. Faxit Deus Opt. Max. ut sit diuturnum. Verum his

his missis ad P. T. literas redeo. Quod ad missarum celebrationem attinet, quando ita ex Regio mandato urget necessitas, nonnihil serviendum erit tempori: curandum tamen, si quo modo fieri queat, ut vel clausis januis privatim alicubi missa legatur, ad quam non nunquam non celebrantes etiam communicent, serveturque interim semper occulto aliquo in loco venerabile Dominici corporis Sacramentum pro communicandis infirmis, si quando opus fuerit. Præterea connivendum fuerit & concedendum, ut, quando aliter non liceat, in commissis Parochiis per Sacellanos Seculares, non nostri Ordinis, vernacula lingua Missa celebrari possit, præstaret tamen, si id sine bonorum vestrorum dispendio fieri queat, ut sicubi istiusmodi Ecclesiis præsideant foris aliqui e fratribus vestris professis, eos quantocius domum revoces, id quod magnopere decet, quatenus in hoc rerum discrimine omnia vestro nomine per Seculares Pastores administrentur. Porro, quantum ad horarias preces attinet, quando publice in templo de sanctis ac pro defunctis servari non liceat, placet, ut privatim fiat, quod publice non conceditur. Horas ergo de sanctis, cursum Beatæ Virginis, una cum vigiliis defunctorum, ut cœpistis, quisque in privato persolvere studeat, idque sit conventualiterque aut divisim, prout P. T. expedire videbitur. Porro horas te tempore continuo decantare non pigeat, quemadmodum consuevistis, memores semper illius sapientis: Omnium bonorum laborum gloriosus erit fructus. Adhæc quando sine periculo non sit istic tutum viro Religioso, in habitu ordinis quoque extra Monasterium proficisci, placet, & per præsentes auctoritate, qua fungimur, concedimus, ut in eo casu, assumpto honesto habitu seculari, Priores pro tempore, Procuratores, Rectoresque Sanctimonialium, quotiescunque Monasterii vel utilitas vel necessitas postulaverit, exire & proficisci, quocunque domus negotia exigent, libere & licite possint. Quod si quando posthac Regia Majestas vos ad Canonici habitus nostri mutationem compellere volet, id quod timere videtur Paternitas Tua, obluctandum erit modis omnibus, quoad licebit, tentandum gnaviter erit, si vel prece vel pretio, ea, & si qua alia similis est, vexatio, possit redimi Quodsi nec sic quicquam profeceritis, quibusdam videtur, & hic ad tempus paulisper acquiescendum, Regioque furori cedendum, donec divina misericordia his aliquando malis finem imponet. Neque enim in extrariis istiusmodi ceremoniis leviter mutandis tantum est periculi, quantum in iis, quæ ad tria substantialia Religionis vota spectant, quæ infracta semper, integra, illibataque servare convenit, quæ etiam (moneo hortorque) P. T. studiose ab omnibus faciat observari. In ceteris autem servandis, dispensandis, & pro tempore etiam leviter mutandis, non possum equidem P. T. certam regulam præscribere, quum nesciam, quid posthac P. T. vel a Regia Maj. vel aliunde obviare poterit. Ea vero omnia, qualia qualia sint, committo prudenti discretioni tuæ, ut in iis agat P. T. quicquid pro tempore magis expedire judicaverit. Hoc tantum monuisse volui, hoc per Christi sanguinem iterum atque iterum precor, obtestorque, ut in omnibus militet P. T. pro commissarum animarum salute, pro Religionis conservatione, pro decore ordinis & Capitularis unionis nostræ, quantum commode per Dei adjutorium valebit. Ante omnia autem curet P. T. pro sua virili, neque modo in Monasterio vestro ordinetur quispiam Lutheranicæ factionis, qui doceat, instituatque fratres, alioquin actum plane fuerit de domo vestra, neque ulla conservandæ Religionis spes reliqua erit. Consultius foret, quando ita necessitas inevitabilis urgeat, virum aliquem doctum, juxta pium & Catholicum ad hoc docendi negotium, conducet qui fratribus aliquid e Scripturis prælegat, (id quod in multis aliis Abbatiis sæpe moris fuit) quo sic excludi queat factiosus. Caveat præterea P. T. quantum commode prævalet, ne quos juvenes ad habitum suscipiat, ne statim cogantur sese obligare Reg. Maj. & jurare in ordinationes illius. De laxando autem nonnunquam regulari jejunio, committo P. T. ut faciat secundum causæ, temporis & personarum exigentiam & qualitatem benigne subinde ut expedire videbitur. Postremo sciat P. T. venerabilem Priorem illum Superiorem, qui novissimas illas consolationis plenas literas ad P. T. scripserat, anno superiori quadragesimo, scilicet in octava Augustini Patris nostri, vita functum. Cui succcessit ex eadem domo Windesemensi electus Pater Rev. Arnoldus Heidervsyck, ejusdem antea domus Procurator, qui & ipse statim ex hoc mundo nequam raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, obiitque, quum necdum sex menses præfuisset, intra octavas paschæ, ante Capitulum Generale, anno hoc 41. (sit pius Dominus animabus clemens & propitius) protractaque certis de causis electione usque ad Capitulum Generale, in quo præsentibus Patribus, unanimi omnium electione & suffragio mea parvitas, præter omne meritum, ad tam periculosi gravissimique regiminis officium provecta est, assumpta ex Monasterio Capituli nostri Eemsteyn, partium Hollandiæ, in quo plus novem annis in officio prioratus indigna præfuerat. Faxit Deus Opt. Max. ut & mihi salutare sit hoc, & toti Capitulo utile commodumque. Mitto nomina defunctorum, quorum numerosa multitudo est, una cum definitis Capituli hujus anni, pro debito ordinis licebit per vigilias novem lectionum satisfacere. Quod reliquum est, bene valeat P. T. una cum dilectis confratribus, quibus me unice commendatum iri, hasque nostras literas consolationis gratia legi percupio. Jubebis omnes esse bono animo, nec diffidere de Dei Opt. Max. pietate, qui non irascetur infinite, sed in ira sua misericordiæ recordabitur, nec deseret sperantes

rantes in se, qui pro exantlatis laboribus, pro malo, cum persecutionibus hic perpessis reddet illis coronam justitiæ justus judex, dicente eodem, Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Salutabis ex me vicinum Patrem Priorem de Zegheberghe, cujus vices quoque vehementer doleo, totique compatior Conventui, qui tam acerba quotidie patiuntur, a serpente illo, quem, juxta vetus proverbium, imprudentes nimis delicate foverunt in gremio suo. Si Venerabilis is Pater ad futurum Capitulum contributiones Capituli, quas a XX. pene annis debet, mittere dignaretur, vel saltem partem earum, esset quoque gratissimum, utut fuerit, me illi diligenter commendabis, dabisque operam, ut circa futurum Capitulum, si commode queas, nos denuo certiores reddas de statu domus vestræ, simul & prædictæ domus in Zegheberghe. Defunctorum nomina poterit P. T. communicare fratribus in Zegheberghe, aliisque vicinioribus, si qui sunt, quos omnes meo nomine officiose salutatos cupio. Dominus Jesus dilectam mihi P. Tuam in multos annos servet incolumem, ad commissæ domus profectum, orantem pro me, cujus ego vicissim non obliviscar. Plus quam raptim ex Windesem, ipsis feriis translationis divi patris nostri Augustini, anno 41.

Johannes Balenus Prior Superior Monasterii & Capituli Generalis Windesemensis P. T. toto pectore devotissimus.

Inscriptio. Venerabili, Religioso Patri, Domino Priori, Canonicorum instituti Augustiniani in Bardesholm, suo Confratri, sincera semper dilectione colendo.

Bardesholm.

CCCCXXXV.

Literæ Wilhelmi Hoiger ad Præpositum Bordisholmensem de officiis matris Plönensis.

1542. Venerando domino Bernardo N. collegii Bordesholmensis benemerito Præposito. Jesum in salutem. Venerande Pater, a multis jam diebus auditum est, quod etiam tuam venerandam paternitatem latere minime scio, *matrem in Plöne* sui tædere officii, & nullis sanis ne solum dicam monitionibus, sed nec precibus induci posse, ut decori sui & totius monasterii memor, propositum suum mutet atque inceptum officium continuet. Propterea ne contempni videatur in sua sententia, cui tam tenaciter inhæret, dignum judico atque rogo, tua veneranda paternitas, quid factu opus sit, maturius dijudicet, & propter Deum ac communem totius monasterii utilitatem eas invisat, ut si fieri posset, in officio permaneat. Sin autem aliter visum fuerit, & hujus paciae saluti & communi totius conventus utilitati (necessitate cogente) tandem prospiciendum erit. Quicquid tuæ ven. Patern. in ista causa melius visum fuerit egeritque, ratum habebo. Et ne de ista causa tuam ven. Paternitatem multis verbis ac prolixiori epistola onerem, literas mihi missas transmitto, quæ sui missoris mentem melius, quam ego scribere possum, declarent. Deliberet itaque tua veneranda paternitas quomodo huic causæ finis bonus demum inveniatur, & si quid me jam rescire voluerit, cum præsentium exhibitore renunciet, & ego ad quæque beneplacita tuæ ven. Pat. morem geram quam dominus noster Jesus Christus cum grege commisso diu incolumem servet. Datum Segebergæ, feria tertia post dominicam primam post pascha Anno 1542.

Wilhelmus Hoiger
Pater.

CCCCXXXVI.

Extractus protocolli daß Wolder Procurator des Klosters Bordesholm, an Ditrichen Hoborch zur Krempe 1. morgen landes in der Crempter Marsch verkaufft habe.

Anno XLVIII. Midwekens na Philippi und Jacobi do ist erschenen vor dem sittenden stole des Rades, de werdige her Wolter, Procurator des Closters Bordesholme und bekant VVo dat he van wegen des VVerdigen Heren Bernardi, praweſtes unde ganze Convente to Bordesholme ewiges erfflikes Kopes hefft verkofft dem Erſamen Dirick Hoborch, Rathmanne tor Krempe, ene Morgenlandes, belegen vor der Crempe avet der grevenkoper VVetteringe Litke tot Mölen acker darbi int VVesten, und Marcus grotinck int osten, strecket uth der Grevenkoper VVetteringe, VVente in der Lutken MorVVetteringe, vor viff unde söventich marck lubsch. de Renthe jahrliket veer marck, up Philippi und Iacobi to entrichtende. Dat pant is sin Huſs und Hoff, so idt betymmert unde betünet is, belegen Harmen Holste darbi int VVesten, unde dat grevenkoper daer int osten. 1548.

CCCCXXXVII.

Claus Wichmann Bürger in der Crempe gegen empfahung einer Morgenlandes a 50. marck Capital verpflichtet sich dem Cl. Bordesholm jährlich 3. marck lübsch davor zu erlegen, die Loßkündigung dem Closter allein vorbehältlich.

Ick Clavves VVicheman, Borger der Stadt Crempe, bekenne hiermit vor my und myne Erven unde jedermennigliken, dat ick unde mine Erven van den VVerdigen Heren pravveste, Bernardo und ganzem Convente des Closters tho Bordisholme unde ehren Nakomelingen ene Morgenlandes belegen, VVibeken tor Mölen int VVesten, und Iohan Stenbeker acker int osten, und strecket uth der grevenkoper VVetteringe, vvente an den toverböem, vor vöfftich marck lübsch ewiges erfflikes Kopes affgekofft hebbe. Worvor ick den gemelten Heren thom Bordis- 1548.

Bordisholm mit minen Erven alle Jar up den dach Philippi und Jacobi uth minem Huſe und have, ſo idt *betimmert und hetünet is*, belegen by Enent Springer int oſten, und by Grete Saſsen int Weſten unvortögert dre lübſche marck geven und entrichten willen. Und ſo ſchal ick mit minen Erven de macht nicht hebben, de gemelten vöfftich marck uth tokopende, ſunder vvenn er idt den gemelten Heren thom Bordisholme gelegen is, dat ſe eren vaken genömeden hovetſummen vvedder hebben vvillen, ſo ſchölen ſe und ehre Nakomelinge my und mynen Erven ein halff jahr thovorne de loſskündinge don und upſeggen, darna wil ick mit mynen Erven den upgenanten Hövetſummen ehrliken entrichten, und up den folgenden Philippi und Jacobi na der upſage tho fullenkamener nöge betalen, alles ane liſt und gefehrte. Des tho orkunde der Warheit hebbe ick Clawes Wichman upgenant vor my und myne Erven myn Ingeſegel hengen laten nedden an düſſen Breff, und düſſe dre' marck jahrliker uthgifft in eines Erſamen Rades thor *Crempe Stadtbock* inſchriven laten. Gegeven thor Crempen Midwekens na Philippi und Jacobi Apoſtolorum nach Chriſti unſers einigen Heylandes und vorloſers Geburth, Im vofftein hunderſten darna in deme acht und vertigeſten Jare.

CCCCXXXVIII.

Obligation auff 75. marck lübſch Capital vor ein erkaufſte morgenlandes, jährlich a 4. mark zu verzinſen mit vorbehaltung einer halbjährigen loſskündigung: ſine obſtagio.

1548. Ick Marcus Grotink, Börger tor Crempen, bekenne hiermith vor my und myne Erven, und idermennichlick dat ick und myne Erven van dem werdigen Hern praweſte Bernhardo, und ganzen Convente des Cloſters to Bordisholm und eren Nakamelingen einen Morgenlandes, belegen *vor der Crempen*, aver der Grevenkopper Wetteringe, Dirick Hoborges acker int Weſten und lütken thor Mölen int oſten ſtrekende uth der grevenkopper Wetteringe, Wente in de Lütken Moer-Wetteringe vor Viff und ſöventich Lübſche marck ewigen, erffliken Kopes affgekofft hebbe, Wovor ick den gemelten Heren thom Bordisholm myt mynen Erven alle Jar up den dach Philippi und Jacobi uth mynem Huſe, legen twiſchen Wylm puttebaker int Süden, und Clawes denen int Norden, und ſtrecket uth der Straten VVente an Clawes Schacken ſin arue, unvortögert veer Lübſche marck geven und entrichten VVillen, und ſo ſchall ick myt mynen Erven de Macht nicht hebben, de gemelten Viff und ſöventich marck uth löſende, ſunder wenn er idt den gemelten Heren thom Bordisholme gelegen is, dat ſe ehre hövetſumme wedder hebben willen, ſo ſchölen ſe und ere Nakömelinge my und mynen Erven ein halff jar tho vorne de loſskündinge don und upſeggen, darna wil ick myt mynen Erven den upgedachten hövetſummen erliken entrichten und up den folgenden Philippi und Jacobi dach na der upſage to fullenkamener nöge betalen. Alles ane liſt und jenich geferde. Des in Orkunde der Warheit, hebbe ick Marcus Grotinck upgenant, vor my und mynen Erven myn Ingeſegel hengen laten an düſſen Breff und düſſe veer marck Jarliker uthgiffte in eines Erſamen Rades *tor Crempe Stadtbock inſchriven laten.* Gegeven tor Crempe Midewecken na Philippi und Jacobi Apoſtolorum nach Chriſti unſes erlöſers geborth, im voffteinhunderſten darna, in acht und vertigeſten Jare.

CCCCXXXIX.

Didrich Hoborgs obligation auff 75. marck vor einen Morgenacker vor der Crempe gelegen ejusdem tenoris cum præcedenti.

Ich Dirick Hoborch, Rathman thor Crempe, 1548.
bekenne hirmit vor my unde myne Erven, und jdermenniglikeu, dat ick und myne Erven van den werdigen Heren praweſte Bernhardo und ganzem Convente des Cloſters tho Bordisholm und eren Nakomelingen enen Morgen ackers, belegen vor der Crempen aver der Grevenkoper Wetteringe, lütken tor Mölen acker int VVeſten, und Marcus Grotinck ſinen acker int oſten, und ſtrecket uth der Grevenkoper-Wetteringe, wente in de Lütken Moerwetteringe, vor 75. Lübiſche Marck ewiges Erffkopes affgekofft hebbe, worvor ick den gemelten heren tom Bordisholm mit mynen Erven alle jar up den dach Philippi und Jacobi uth mynem Huſe und Have, ſo dat betimmert und betünet is, belegen Harmen Holſte int Weſten, und dat Grevenkoper dare int Oſten, unvertögert veer lübſch Marck geven und entrichten willen. Und ſo ſchall ick mit mynen Erven de macht nicht hebben, de gemelte 75. Marck uthtolöſende, ſunder wenn er idt den gemelten Heren thom Bordisholm gelegen is, dat Se öhren Hövetſummen wedder hebben willen, ſo ſchölen ſe und ehre Nakömelinge my unde mynen Erven de upgedachte hovetſumme erliken entrichten und up den volgenden Philippi und Jacobi na der upſage tor vollenkomener Nöge betalen. Des to Orkunde der Warheit hebbe ick Dirick Hoborch vor my und myne Erven myn pitzere hengen laten an düſſen breff, und düſſe veere Marck jarliker uthgifft in enes Erſamen Rads tor Crempe Statbock inſchriven laten, gegeven thor Crempe Midweken na Philippi und Jacobi Apoſtolorum, nach Chriſti unſers Erlöſers gebort, im Vöffteinhunderſten darna im acht und vertigeſten Jare.

CCCCXL.

Königin Sophiæ Schreiben an den probſt zum Borsholm wegen Abſetzung der Mater zu Neumünſter.

1553. Sophia, van gotts gnaden, Könign to Dennemarcken geboren to Stetin, Pommeren, &c. Herzoginn tho Schl. Holst. Wedewe. Unsern gnædigsten grot thovoren, VVerdige besundere leve Andæchtige. Juwen schrifftl. bericht, *de Election der itzigen Mater in unsem Closter tho Nigemunster* belangende hebbe wy mit fernerem Inholdt allenthalven gnædigst vermercket und laten dat in dem beruhen. Dewile wy averst uneinigkeit to verhöden, und dat sick erenthalven de jennen uth dem Kloster to begeven gedencken, welchere nicht weinig by dem Kloster gedaen, de wy ock daruth nicht gerne sehen und gehabt hebben wollen, se schlechtes *nicht lenger vor eine Mater to synde*, gehat hebben willen, begehren wy gnadigster toversicht, und willen ock nicht weniger, gy mögen se *des Ambts nu mit dem forderlichsten entsetten*, und eine andere, mit bewillinge des ganzen Convents wedderumb in ere Stede insetten und verordnen, darto willen wy unss genzlicher toversicht verlaten hebden. &c. Dith is schlechtes unsre meninge, dat gy eine andere Mater, eynicheit to erholden verordenen willen. So gy juw overst, des wy uns doch nicht versehen unwillig und beschweret hierinne fölen und befinden werden, begehren wy, gy unss solches strax nu by jegenwardigen willen antögen, werden wy darto vordacht to synde, dat wy dat süst ungerne deden vororsaket: Solches hebben wy juw gnædigst in antwort nicht willen verholden. und sind juw ane dat gnadigst gewogen. Datum up unserm Huse Kiel Mandags na Laurentii Anno LIII. Juwe schrifftl. andwort by dissem begehrende.

Dem werdigen unserm besundern lieben und trewen Bernhardo praweft thom Bardesholm.

CCCCXLI.

Herzog Johannes verændert der Todtschläger Geldstraffe, in Leibes Straffe.

1556. Wy *Johans*, van gotts gnaden, Erve tho Norwegen, Hartich tho Schleswig, Holsten Stormarn und der dythmarschen, grave tho oldenburg und delmenhorst, entbeden dem wyrdigen unsen andechtigen und leven getruwen praweft und ganzen Conventhe unsers Closters Bardesholm, unsen gnedigen gruth thovorn. Und als wy in Erfarung kamen und egentlich bericht werden, dat in *unsers Closters Bordesholm* gebede, vele todtschlege und böse dath geövet und begaen werden, und *eyn tydtlang her de gebruck und gewanheit gewesen*, dat vor erst *des entlyveden fründe* solchs myt *der Fusth rechnen wyllen* und sick de deder, so etwes befründet und vermögens syn, *myt gelde uth wercken* und darmyt der *lyffstraffe* geoveriget und entfryet sin. VVordorch den verorsaket, dat solche böse muthwyllige daden so vele vreventlicher und ahne kein hinderdencken (dewyle se sick nicht anders, als geldstraffe tho befahren) bedreven werden. Up dat nu dorch solch nalæssig aversehn kein wieder beschwer nithoreyssen: demnach meinen vnd wyllen, gebeden und bevelen wy, uth fürstl. Macht, gnedig und ganz ernstlich, dar sick henfürder dergeliken todtschlege thodrügen, gy willet de verbrekenge nicht mit gelde, wo bet her geschehn, aff kopen laten, sundern *am Lyve straffen*, und UNGEACHT *einiger gewonheit*, *Hals vor Hals nehmen*. VVo den *billig* und solchs ock *in* GEMEINEN BESCHREVEN RECHTEN (*) verordent. Des scholen sick ock de fründe *an gelick und Recht* sedigen und benügen laten, und dædlicher verhandelung *an des deders fründen by vermydung lyves Straffe* üthern und entholden. Daran geschicht unse ernsto thovorlatige Meynung, und willen solches der und keiner andern gestalt van Juw geholden und gehatt hebben, worna gy Juw tho Richten. In orkund mit unsem Fürstl. Secret versegelt. Actum Flensburg. d. 20. Octobr. Anno LVI.

Johannes.

L. S. Manu propria.

(*) Jure romano. Nec Jure divino tacet Legislator. Cujus rationes manifestas expofuerunt plures Theologorum, præcipue RECHENBERGIUS, CHLADENIUS. Etsi Jureconsultorum non nulli dissentiant cum THOMASIO. De Legibus & institutis veterum Germanorum vide, *Notulas ad fragmenta juris Suerinensis Fragm. I. not. b. g. h.*

CCCCXLII.

Relatio capituli Windesemensis ordinis Augustini diocesis Trajectensis, de Numero defunctorum fratrum, sororum, benefactorum, capituli celebratione & de variis ordinationibus.

Nomina fratrum ordinis nostri, defunctorum anno 37. post Capitulum.

Obiit in VVymdesem Venerabilis Pater Gerardus Bornius, Prior Superior. 1557.

Ibid. Fr. Theodoricus VVyck Presbyter Professus, & Rector in Bethania Gelriæ.

Ibid. Fr. Gerardus Armelo Presb. pf. Senior & Iubilarius.

Ibid. Fr. Ioannes Daventriæ, Presb. pf.

Prope Nusiam Fr. Vitus Bevecosen, Presb. pf.

Ibidem Engelbertus, Laicus familiaris.

In Viridi Valle Fr. Cornelius Hügen, Presb. pf.

Ibid. Fr. Laurentius Clementis, Presb. pf.

Ibid. Fr. Nicolaus van der Heyden, Laic. famil.

In Bethleem Zuollæ Fr. Ioannes Spitloff, Presb. pf. Senior & Iubilarius.

In rubea valle Fr. Ægid. van Trunko, Presb. pf.

Ibid. Ioh. Berckmann, Laic. famil. pf.

In Trajecto Fr. Augustinus Steinuordiæ, Superior ibid.

In Emstein Fr. Cornelius Goudanus, Presb. pf.

Ibid. Fr. Ioannes Dordracenus, Presb. pf.

Ibid.

Ibid. Fr. Henricus Hoppenbrovver, Presb. pf.
Ibid. Fr. Antonius Coquus, Laic. familiaris.
Ibid. Petrus, Laic. famil.
In Fonte Fr. Everhardus Buren, Presb. pf. & Procurator ibid.
Ibid. Guilhelmus ab Hengel, Laicus resignatus.
In Bommel Venerab. Pater Gotfridus Verheyden, Prior ibid.
Ibid. Fr. Cornelius Wyck novitius.
Ibid. Ioh. Thomæ, Laic. famil.
Ibid. Guilhelmus Anthonii Laic. famil.
In Curia Mariæ Fr. Gotfr. Amorfordius, quondam Prior & Rector in nova Ecclesia.
Prope Harlem Martinus, Laic. fam.
In Tabor Ioh. Coquus donatus.
In Nazareth Fr. Henricus Zütphaniæ Presb. pf.
In Adilum venerab. Pater Petrus Pomeranus, Prior ibid. Athlüm.
Ibid. Fr. Petrus Orschott, Presb. pf. & Pastor.
Ibid. Fr. Ioannes, Presb. pf. & Procurator ibid.
In Neomagio Venerab. Pater Gotfridus de Tiela, Prior ibid.
In Gaesdonck Fr. Theodoricus a Walbeck, Presb. pf.
Ibid. Petrus ab Horst, Laic. famil.
In Bergum Alphordus Sutor, Laic. famil.
Prope Stralen Petr. Suchtelen, Laic. resign.
Ibid. Petrus Venray, Laic. famil.
In Monte S. Agnetæ Fr. Simon a Vollenho Presb. pf. & Rector in Bronopia.
Prope Hornen Fr. Gerbrandus, Iohannes Amstelredamus, Presb. pf.
In Albergen Fr. Bernardus de Keman Presb. pf.
In Throno Mariæ Fr. Thomas ab Hesselt Presb. pf. & Rector in monte Pacis probe Bredam.
Ibid. Joh. Hermans Laic. famil.
In Septem Fontibus Venerab. Pater Johannes Huardus, Prior ibid.
Ibid. Fr. Joannes VVas, Presb. pf.
Ibid. Fr. Henricus Leppens, Laicus donatus.
In Busco domini Isaac Fr. Jacobus Longius Supprior. ibid.
Ibid. Fr. Joannes Presb. pf.
Ibid. Fr. Joannes Selüer, Laicus pf.
In S. Martin. Lovanii Fr. Nicolaus Troots, Presb. pf.
In Clusa Everhardi Venerab. Pat. Franc. Pimderich, Prior.
Ibid. Fr. Paulus Treverensis, Presb. pf.
Ibid. Matthias de Ozanza Laic. famil.
Ibid. Nicolaus de Dingel, Laic. famil.
In Insula Venerab. Pat. Joh. Risenscheit, Prior ibid.
In Colonia Venerab. Pat. Adolphus Ozenburgensis, Prior.
In Anighen Fr. Joh. Boxtel. Presb. pf.
In valle D. Helizabeth Fr. Jac. de Stralen, Laicus, qui solvit.
Ibid. Fr. Johannes Fæs, Presb. pf.

Nomina Sororum Ordinis defunctorum ejusdem anni.

Obiit in Thenis Soror Gertrudis van Buynen Priorissa ibid.
Ibid. Soror Catharina Goeynarts, Monialis professa.
Ibid. Soror Elizabeth Iœrdens, pf. choralis, quæ solvit.
Ibid. Soror Anna van Couwenbarge, donata professa, quæ solvit.
Ibid. Soror Gertrudis van dem Einde donata professa, quæ solvit.
In Depenuenna Soror Anthonia Silbes Monialis pf.
Ibid. Soror Nicolaa de Laer, Monial. pf.
In Bronopia Soror Melthildis a Levven, Monial. pf.
Ibid. Soror Gerburgis thom Buschе Monial. pf.
In Galilea Gandaici Soror Clara Mercatellis.
Ibid. Soror Elizabeth van der Schuere Monial. pf.
Ibid. Soror Catharina Schaest. donata.
In Bethania Mechliniæ Soror Catharina Goddius, Monial. pf.
Ibid. Soror Maria van Beringen Monial. pf.
Ibid. Soror Barbara Hoens, Monial. pf.
Ibid. Soror Barbara, donata.
In Dordraco Soror Elizabeth Guilhelmi, Monial. pf.
Ibid. Soror Margreta Adriani, donata, quæ solvit.
Ibid. Soror Joanna Vranconis, conversa pf.

Nomina benefactorum defunctorum, habentium fraternitatem Capituli cum tricenario.

Generosus Dominus Joannes VVassener & Domina Catharina de Craon & VVassener, conthoralis ejus. Illustris Domicella Catharina de Voirst & Gemen. Domicella Elizabeth. Joannes Mors. Joannes Bentynck: Mag. Martinus de Zoneren: Dominus Joannes de Schoten: Dom. Everhardus Müllner: Simon tom Tye: Aleidis: Joannes Bernardi: Simon Nellenzoen cum uxore & liberis eorum: Elizabeth Ryswyck: Rodulphus Hesselzoen: Fia VValnis: Joannes Eggert & uxor ejus: Gerhardus Rüüssen, cum uxore sua Jutta & liberis eorum: VVendelmodus Everardi: Henricus Mer: Theodoricus Petri, cum uxore sua Margareta: Nic. de Hopstein: Dominus Gysbertus, Decanus in aggere Sancti Martini: Dominus Ægidius Baller: Jacobus Tymanni de Harlem: Dominus Joannes Trenken: Gertrudis Hontzpœl: Joannes Range & uxor ejus Asella cum liberis eorum. Honestus Bernardus de Presichave: Honesta Domicella Catherina Spernagels: Honestus Joannes Mazyn de Sluса, cum omnibus Benefactoribus domus nostræ desolatæ prope Remerswal: Elizabeth Hoffinyts: Margareta Bercks: Agneta Reppits: Hillegundis de Lauwyck.

Anno Domini 1558. Capitulum celebratum in VVyndesem.

Nomina Electorum Diffinitorum fuere: Prio-

Priores de Nüſſia, Inſula, Albergen, Nerdis.

Electores Diffinitorum fuere

Priores de Bethleem Zuollis, Hornen, Brilis, Noviomagio.

Diffinitores fuere

Priores de VVyndeſem, Viridi Valle, Bethleem Zuollis, Trajecto, Emſteyn, Heylo, Harlem, Thabor, Nazareth, Beuerwyck, Albargenn, Nerdis, domo Martini.

Hac æſtate una erit vacantia, ſcilicet in die Divi Auguſtini.

Anno Domini 1559. ſeptuageſima erit poſtridie Divæ Agnetis.

Ad Capitulum privatum vocentur Venerabiles Priores de Zuollis, de Fonte, de Monte, & hi, quos Prior Superior vocandos decreverit pro diſpoſitione loci, in quo Capitulum privatum celebrabitur.

Singulæ domus ſolvent per ſuos Procuratores, juxta indictionem Capituli, pro expenſis hujus Capituli, aliisque gravaminibus diverſis ſolvendis quinque Florenos Caroleos. Pro felici ſtatu domorum noſtrarum & Sanctæ Matris Eccleſiæ, pro communi pace terrarum, pro invictiſſimo Domino, Domino Ferdinando, Romanorum Imperatore, ſemper Auguſto, pro Sereniſſimo Domino, Domino Philippo, Principe Angliæ &c. & pro omnibus benefactoribus vivis ſerventur duo tricenaria in plenis conventibus unum de Sancto Spiritu, alterum de Domina &c. in non plenis vero unum tantum.

Inſuper in ſingulis domibus Priores injungant publicas & privatas orationes, ut Dominus Deus depellat omnes errores, ſectas & hæreſes, quo in veræ fidei pacis & charitatis unitate, ſanctam ſemel Eccleſiam congregare dignetur, & cantetur in ſingulis domibus miſſa de Spiritu Sancto in die feriali, & ſervetur ſemel proceſſio cum deportatione Venerabilis Sacramenti in die celebri.

Ordinationes anni 59. hoc anno confirmatæ.

Mandat Capitulum, ut nullus Rector domorum Monialium noſtræ colligationis præſumat, ſeſe immiſcere curæ rerum temporalium, aut quicquam extruere, præter aſſenſum ſui Commiſſarii, & Majoris Seniorisque partis conventus. Statuit Capitulum, ut nemo Commiſſariorum aut Rectorum domorum Monialium noſtræ colligationis aliquo modo inveſtire attentet aliquam puellam priusquam ad minus tres annos laudabiliter habitarit ipſa in Monaſterio, niſi duæ partes Conventus alicujus ſecus faciendum ſenſerint.

Quum in nonnullis domibus noſtræ Colligationis, maxime Monialium, compertum ſit, ſubditos redditus haberi vitales quos ipſæ per ſeſe aut interpoſitas perſonas recipiunt iisque ſibi comparant ſpecies aromaticas, libellos, & id genus alia, hinc mandat Capitulum ſub pœna Excommunicationis, ut quæcunque ſorores tales pecunias aut redditus receperint, præter dilationem deferant ad manus Prioriſſæ, aut Procuratricis, quarum erit, ſuis Sororibus in omnibus neceſſitatibus earum fideliter miniſtrare.

Ordinationes Capituli hoc anno approbatæ.

Concedit Capitulum omnibus Monaſteriis ſuæ colligationis, poſſe celebrare ſolemnitatem de nomine Jeſu, ſub duplici feſto, in die S. Mauri.

Declarat Capitulum illud ſtatutum de legendis ſtatutis in refectorio, Moniales ſuæ colligationis non colligari, ſed duntaxat Conventus fratrum.

Mandat Capitulum, ut nullum membrum ſuæ colligationis typis excudere, aut excudi facere præſumat ullum librum a ſe compoſitum, ſeu in aliam linguam verſum, præter Capituli aſſenſum aut Prioris Superioris.

Omnibus injungitur a Capitulo, ut nihil præter ſtatuta tentent, potiſſimum in veſtibus mutandis, maxime in induſiis lineis. Quodſi forte ſint, qui ſeſe excuſare videbuntur per licentiam aliquam ſurreptitiam, illis nec fides habeatur, niſi oſtenderint ſcripta de hac Venerabilis Prioris Superioris, quibus habitis, nihil curioſitatis oſtendere debent, coram omnibus, ut omne ſcandalum vitetur, quæ ſi non exhibere poterunt, iisdem veſtibus & aliis ſpolientur, & pœnitentia condigna eis imponatur.

Ex quo magna controverſia fuit inter Patres diffinitores de electione Prioris Superioris, an videlicet ea fieri deberet, aut a fratribus Wyndeſimenſibus, juxta privilegia, domui ſuperiori conceſſa, aut per Patres diffinitores, ſicut jam anno præterito, in Capitulo generali, ſervato in Rubea Valle ordinatum eſt, Patres diffinitores, maturo inter ſe habito Concilio, illam ordinationem approbent (conceſſa interim hac vice Wyndeſemenſibus electione jam facta) ſuaque autoritate eligant Patres Diffinitores in Priorem Superiorem Capituli generalis Wyndeſemenſis, Venerabilem Patrem Wolterum Wenchem, Priorem Fontanum, diſcernuntque, ut poſthac Prior Superior Capituli Wyndenſemenſis eligatur a Patribus diffinitoribus ſicuti jam quarto factum eſt, qui tamen nullius Conventus privatim curam habebit, quo diligentius, negotiis Capituli, & omnium generaliter domorum invigilare poſſit, dummodo ſpes concepta ſubſecuta fuerit hujusmodi Priorem generalem, citra ſingulorum domorum impenſas, ſuſtentandi.

Ordinationes, hoc anno inchoatæ.

Quando non ſatis conſtat Patribus Diffinitoribus, quomodo intelligi debeat illud, quod habetur in bulla Martini, Papæ quinti, videlicet, quod ſuperioritas domus VVyndeſemenſis non poſſit tolli ab ea, niſi in duobus Capitulis generalibus & continuis omnes Patres Diffinitores concorditer eandem ſuperioritatem & locum ejusdem Capituli generalis cum ſuis privilegiis ad aliud aliquod Monaſterium ejusdem Ordinis & Capituli duxerint transferendum. Patres ergo Diffi-

Diffinitores duos elegerunt Patres Priores nempe Venerab. Priorem in Rubea Valle & Sancti Martini in Lovanio, qui super hoc negotio consultabunt sedem Apostolicam aut Legatum. Nam ejus est interpretari, cujus est condere; Consultabunt adhuc viros doctos aliquos, & religiosos, quales multos habet tum Colonia, tum etiam Lovanium. Si contigerit, Priorem Superiorem infra annum mori, Fratres VVyndesemenses eligent Priorem domus suæ, qui tum vices geret Prioris Superioris, usque ad Capitulum generale futurum, in quo Definitorum erit, unum eligere, nullius domus curam habiturum, ita tamen, ut in electione Prioris VVyndesemensis advocent quatuor Priores Confirmatores. Conceditque Capitulum VVyndesemensibus facultatem eligendi Priorem domus suæ, ex quacunque domo, Priorem aut Rectorem, ex qua Prior VVyndesemensis semper erit Vicarius Prioris Superioris.

Statuit Capitulum, ut posthac nullæ vitales pensiones, prioribus absolutis, ab officio Prioratus, assignentur.

Ordinat Capitulum, ubi & quando Priori visum fuerit, ut ad manus Prioris perveniant omnes Monasterii proventus, a quo Procurator singulis mensibus petet aliquam pecuniarum summam, quam ubi expenderit, reddet de ea Priori rationem. Quodsi in his contumax, aut infidelis inventus fuerit, absolvatur, vel alia condigna pœna puniatur.

Visum est Capitulo, ut nemo suscipiatur ad Ordinem nostrum, Diaconus aut Subdiaconus, nisi de Licentia Generalis Capituli & hoc cum duæ partes Conventus desideraverint.

Ordinat Capitulum, quod anno 1559. celebrabitur Capitulum Generale in Trajecto ad Regulares.

CCCCXLIII.

Königs Friderici I. verwittibten gemahlin Mandatum an den probst zum Bordesholm, umb bessere Anordnung in dem Jungffern Closter zu NMünster.

1560. Sophia von gottes gnaden, Königin to Dennemargken und Norwegen &c. gebarn van Stettin, Pommern &c. to Schlesswigk Holstein Hertoginne &c. Wittwe: Unsen gnædigsten groedt tovorne, werdiger lever besonder, wy gereken in geloffwerdige Erfaringe, wo dat in unsem *Jungfruen Closter to Niemünster*, vast groter tvveyspalt und uneinicheit is: ock also, dat tom lesten daruth nicht anders, sonder undergang und vervvöstinge des Closters to vormodende. Wente vvy vorstendigt, vvo dat de eine uth dem Closter thüt, de ander daruth löpt, und darbenevenst alle ungeschicklicheit vorlopen sehole; ock dat de *itzige Mater*, de gi darselbst gesettet, mit erer togeordenten Vorvveserschen des Closters also huesholden, dat keine Ordnung vorhanden, ock vele vveniger gudes dervvegen to vormodende.

de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

Offt vvy nun vvol gnædigst gerne gesehen, dat gi eine Mater gesettet, und dat Closter tom besten in goden befehl mit hedden; So ist uns dennoch gehörte Unordnung (derovvy uns nicht vermodet) mit nichten gefællig. To deme vverden vvy ock berichtet ut hoerseggen, dat de *itzige Mater eine junge Mensche*, und gar vvenig von der *huesholdinge und godem Rade* vvete, dat se ock in dat Closter gebeden sy, und derovvegen vveinich gehöres hebbe: darto *dat se schir so offte by ju vp der Moelen, alse im Closter sy*. Dewile denn nu sollike dinge anderst nergends hensehen, noch to vermercken, sonder to vernichtinge und endlichen undergange des Closters: deme vvy denne nicht lenger tosehen können: als gelanget demna hiermede an Ju unser gnædigst ansinnen und begehr, gi vvillen ertellede Saken ervvegen, und mit mede-bevvillinge *der ganzen versamlinge des Closters* eine andere Mater setten, de enen sæmptlichen belevet unde döglich und nütte tom Regimente sy: darmede dat Closter vvedderumb in Ordnung, gude Wesenheit gebracht, und de tvveispaltung, so itzunder verhanden beygelegt vverden möge.

Watt de itzige *Matersche und Ju* belanget, dat se by juvv so offte up der Mölen syn schöle, derhalven werde gi Juvv sülvest, *ock alse idt wolsteidt*, to schickende vveten, Se *eres Closter-arbeides laten waren*: Und gi vverden, vves in der Mölen to schaffende, *ane ehr so wol to bestellende weten:*

Indessen vvillet Juvv also ervvegen, dat vvy dessen unsem gnædigst und gutmenenden Begehr vvürckliche folge gedaen befinden. Scholde dat averst nicht gescheen, vverden vvy verorsaket, den Saken op andere vvege na to denckende, darmit vvy doch lever verschonet, de vvy solck einem Regimente und Unordnung, vvo gedacht, nicht længer tosehen können: Wes vvy uns averst des to Juvv tovorsehende, des begehren vvy Juvv beschreven andtvvorde bi jegenvverdigen unsen baden. Und sint Juvv sonsten mit gnaden und goden gevvogen. Datum *up unsem Huse Kiel* den 15. May Anno &c. LX.

Deme vverdigen unsem leven besonderen Andechtigen Ehrn Johanni Olden, pravvest des Closters tom Bordesholm.

CCCCXLIV.

Rescriptum an den probst zum Bardesholm die uneinigkeiten unter den Closter Jungffern zu Neumünster zu vergleichen und einen guten prediger in dem Jungfer-Closter daselbst vorzustellen.

Sophia von gottes gnaden, Königin to Dennemargken und Norwegen, geborne von Stettin, phommern, tho Schlesswiegk, Holstein, Herzoginne &c. Wittwe. Unsen gnedigsten groth tovorn, werdiger und andæchtiger lever besonder. Wess an unss unser ock leven besondern der andechtigen Jungffern Catarinen Hoffschmedes früntschop, und se ock sülvest undertenigster de- 1560.

muth ſuppliciren und bidden dhon, das hebben gy uth inliggenden beiden Clagſchrifften na der Længe genochſam verleſen und vornhemende. Nu hebben wy, alſe de gnedigſte Overricheit twar ſolliche Spaltung und uneinigkeit der Verſamblung, welche ſick denn unſers vormerckens noch teglich hüepen, ganz ungerne und mit miſsfallen vormercken, hedden uns ock wol vormeint eth ſcholde ſie der fredlicher einigkeit und beſtande geſtifftet worden ſin, welliche ock ſovele mehr dem gemenen Cloſter to aller Wolfart gedien moegen, dewyle wy aver je de gelegenheit dermalen, wo in den Supplicationen antogen, und dat aller VVedderwille vorhanden (woruth nicht anders alſe verderff des Cloſters vormoetlich) befinden, is unſs demsülven alſo lenger totoſehende bedengklich.

Dem allen na gelanget hirmede an Juw unſer gar gnedigſt anſinnen, gy willen mit *der itzigen Mater van deſen Saken* na aller Noturfft reden, ſe darinne berichten und tor billicheit darhenne underwieſen, dat ſe *und de anderen Cloſter Kinder*, gedachte Hoffſchmedeſchen der billicheit laten geneten, und ſe daraver mit unnütten Worden, Reden und daden vorſchonen: Denne uth ſollichen Wedderwillen und vordretlicheit, alſe nu im Cloſter ſick bejegent, kan toleſten nichtes gudes volgen, So ſteidt ock Chriſtlichen Cloſter-Kindern ſolliche egen Willicheit, Zanck und Kiefferie ganz und gar nicht wol an, ſondern iſt viele mehr *Heideniſch und Türckiſch* to vorſtande. Up dat nu namals ſoiliche Saken allenthalven müchten tho guder einigkeit wedder gerichtet, und ein gottſeelig Chriſtlich levent under den Cloſter-Kindern geſtifftet, werden gy unſerm gnedigſten begere und tovorſicht na, dit alſo und ſonſten midt dem beſten wol befürdern und beſchaffen. Und im Vall eth ju aver unſe gnædigſte tovorſicht darhenne, wo angetöget, to goder einigkeit nicht wedder gelangen ſcholde, dat men gedachte Hoffſchmedeſche in dat Cloſter lieden wolde, begeren wy up den vall gar gnedigſt, wo ock ehre früntſchup, und Sie an uns hochvlelich undertenigſte biddende, dat er alle datjenige darmede ſe ere freunde to Cloſter beſtediget und ſe darin gebracht, unverworliken wedder daruth gegeven werden und folgen möge, ſo mag ſe ſehen, wo ſe na ehrer Notorfft und beſten ehre Saken wieder an de Handt nimpt. Todem is unſs ock geloffwerdig anlangt, dat deſſer tidt unde eine gude VViele her, in gemeltem *unſem Jungffern Kloſter*, kein paſtor, effte Seleſorger geholden, ock nicht darinne geprediget worden, wellickes wy, alſe de gnedigſte Averricheit ock ungerne vormercken, hebben desfals ock gar nenen gefallen, hedden unſs je ſollikes nicht vermoden ſchullen, Derwegen gnedigſt geſinnende, gi willen to beforderinge eines Chriſtliken Werckes dat inſehend hebben und de ordeninge beſtellen, dat etwan ein gelerder van den Prædicanten *uth der Kercken to Nienmünſter*, de darto dæglich, (*quotidie præſens*) vormocht, de up ordentliche dage und tide dat godtliche Wort und hillige Evangelium in dem Cloſter möge predigen, und ſollichen unchriſtlichen Wercke, wo betherto erſpöret und ſick ſehen laten, nicht togeſehen werde.

In deſſen allen werde gi ju unſer gnedigſten tovorſicht undertenigſter gutwilligkeit mit allem beſten erwegen, und wes gy in deſſer Saken in Früntſchup behandelen, effte ſonſten erholden, ock vornemblich wes des prædicanten halven verordent wert, des bogeren wy ju ſchrifftliche antwordt mit dem allererſten, gedachte Hoffſchmedeſchen darup to vertröſten und wieder darna to richten. Sindt juw ſonſten mit allem gnedigſten Willen gewogen. Datum up unſem Huſe Kiel den XV. Octobris Ano LX.

CCCCXLV.

Wy Bürgermeiſtere und Rhadtmanne *der Stadt Hamborg*, bekennen vor uns und 1560.
Non pietate ſua, ſed in impietate reprenſi,
Hi Chriſti meritum quod ſtatuere leve:
Pro Chriſto, quoniam cultu coluere profano
Defunctos, Chriſtus fabula vivus erat:
Non ſunt excuſſi violenter ſede, bonisque
Ritus ſunt tantum juſſi abolere ſuos.
At genus hoc hominum conſuetas linquere ſedes
Maluit, & veteres deſeruiſſe lares,
Quam monitus & ſancta ſequi præcepta Regentis,
Qui merito nomen mite parentis habet.
Si pius hic Monachos ſiuiſſet vivere Princeps
More ſuo, contra juſſa ſevera DEI,
Ipſe ſibi curas acerſiviſſet amaras
In defendendo lentus honore DEI.
Si dubitas? ſecli cujusque exempla require
Quæ te de ſacra mente docere queant.
Carminis at breviter placet hanc reſtringere partem,
Res agit hic partes fortiter ipſe ſuas.
Sed quod non ficto Princeps hæc omnia zelo
Fecerit, ut ſacras tollere poſſet opes:
Ex his imprimis liquido ſpectare licebit,
Dicturi quæ nunc, Numine dante, ſumus,
Quando etenim Monachis hinc ſponte abſcedere viſum eſt,
Iſthoc, quo paulo diximus ante, modo.
Intactos Princeps theſauros liquit ab annis,
Quos multis ſacer hic legerat ordo ſibi.
Noluit & cautus minimam inde evertere partem,
Signa edens animi DVX generoſa ſui.
Sed ſalvas & opes, templumque domosque, reliquit.
Hæc quoque, quæ precii nullius eſſe putes:
Interea ingeniis acres, uſuque peritos
Convocat, inſignes & pietate viros,
His factum exponit, pariter ſententia menti
Illorum quæ ſit, certior eſſe cupit.
Quos bona, quos ædes nunc impendantur in uſus,
Cum ſint a dominis illa relicta ſuis.
Non fas eſt inquit ſacratis rebus abuti,
Sacra dicanda ſacris uſibus eſſe reor.
Hic cum non eadem magnatum diceret ordo,
Judicia in dubiis ut variare ſolent.
Multorum Princeps ſenſus, & dicta refellens
Hos longe a vero fatur abeſſe ſcopo.
En, ait, expediam, mea quæ ſententia, paucis,
At verbis animos vos adhibite meis.
Audivi in medium quid veſtrum conſuiat omnis,
Nec male quorundam commoda dicta probo.
Cur olim fuerint ædes, adjunctaque templa
Extra hominum cœtus condita, cauſa patet.

Scilicet ut melius primo imbuerentur ab ævo
Sincera pueri cognitione DEI,
Deinde etiam linguas, & honestas rectius artes
Perciperent, mores imbiberentque bonos.
Talibus instructi donis ut postmodo possent
Utiliter templis, atque præesse scholis,
Et fieri mundo multorum causa bonorum,
Quorum sunt artes, fons, & origo, bonæ.
Hunc igitur revocare usum mens suadet, in illo
Vos assensuros arbitror esse mihi.
Hos cum præclaros, & tanto Principe dignos
Audisset cupida BAVARUS aure, sonos:
Instítit, ac animum firmavit Principis altum,
Inflammans reliquos ad pietatis opus.
Protinus acciti pueri, sunt atque Magistri,
Et res principium cœpit habere suum,
Ergo, tibi quamvis mea nil præconia prosunt,
BAVARE, perpetuo es dignus honore coli.
Hujus enim præclari operis fundamina primus
Jecesti, solo ductus honore DEI:
Incœptumque semel nunquam tua cura reliquit,
Sed semper fovit, juvit, adauxit idem.
Nec te moverunt multorum verba virorum,
Consilium quibus hoc displicuisse liquet.
Invidiæ, atque odiis esse anteferenda putasti,
Quæ summo scires grata futura DEO.
Perge igitur vir jura scholæ venerande tueri,
Nominis & laudes amplificare tui.
Sic ergo fundata nova est Schola Principis illic,
Nemine conatus impediente pios,
In qua cum vera pietate, elementa bonarum,
Artifices rerum proposuere simul.
Idque ita felici successu est hactenus actum,
Auxilium Domino contribuente suum.
Ut nunc in celebres possint cum laude quotannis
Hinc aliquot mitti, pro ratione, scholas.
Cumque huc sint domini primum invitare coacti,
Discentes, quoniam res fuit illa recens:
Non modo nunc nostri populi, & vicinia passim
Percupide hic natos optat habere suos:
Sed peregrini etiam precibus, precioque rogare
Non dubitant, possit quo locus esse suis.
Hanc tibi præ reliquis laudem schola nostra GEORGI
SARTORI acceptam jure referre potest,
Quam te aliquot constat rexisse fideliter annos,
Atque juventuti consuluisse pie.
Quid quoque nunc præstet, rerum cui tradita cura est,
Cum fructu Holsatæ perspicit ora plagæ.
Leucoris hunc multis celeberrima fovit ab annis,
Doctorum in cœtu doctus & ipse fuit:
Cognitus est studiis quondam tibi dive Melanthon,
Et juvenis titulum clarus ab arte tulit:
Ille SIMON generis prisco cognomine BRANDES,
Quem mihi collegam sors dedit æquapium.
Sed ne præsentis videar captare favorem,
Haud pleno laudes illius ore veho,
Plus meruit pietatis amans, studiisque probatus
Linguarum, excellens moribus, arte, fide,
Sed redeo ad nostri rarissima Principis acta,
Quidque suæ præstet dicere pergo scholæ,
Non tantum hic pueris tradi in pietate, bonisque
Artibus, & linguis prima elementa jubet:
Sed præter victum, vestitus addit honestos,
Nec libros, quibus est his opus, ipse negat.
Denique discentum quicquid pia vita requirit
Hoc Princeps gratis suppeditare jubet.
Ne tamen hic studiis quisquam non aptus alatur
Et pereant sumptus, & sine fruge labor.
Nil nisi mensa datur primo venientibus anno,
Non aliis gaudent, lege vetante, bonis.
Si quis at ingenio florens colit impiger artes,
Hic manet, optatum consequiturque locum.
Sin minus, infelix procul hinc migrare jubetur,
Invisus patrios atque redire lares.
Hac omnes recipi sub conditione sciendum,
Judiciumque refert Gymnasiarcha suum,
Nec satis est aliquot, pueros aluisse, per annos
Hoc, ubi contingunt commoda tanta, loco:
Acrius at si quis studia est complexus honesta,
Hinc alio mitti protinus ille solet.
Nec conquirendis opus est se torqueat idem
Sumptibus, est curæ res simul illa DVCI.
Testis erit claro florens Viteberga Lycæo,
Urbs quoque Rostochium testificatur idem.
Sic decet o Monachi majorum sumptibus uti,
Non hic absumunt agmina pigra dapes.
Non hic sunt fratres, fruges consumere nati,
Non rudis, ac socors grex Epicure tuus,
Hic neque, jam regnant vacua Cyclopes in aula,
Sed labor, & pietas, fœdera juncta colunt.
Cumque sciat Princeps juvenes absque ordine certo,
Quem fidus monstret dux, nec is arte rudis,
Non facile ad doctas aditum deprendere Musas,
Sed frustra niti, nemine dante manus,
BACMEISTERE, tua voluit DVX optimus uti
Inprimis opera, consilioque pio,
Illi tu multo fueras a tempore notus,
Viderat, & tecum sæpe locutus erat.
Te sæpe audierat divina oracla docentem,
Eloquii magna non sine laude tui.

Illa

Illa pium movere Ducem, te vellet ut idem
Esse suis rosea patris in urbe loco.
Quodque juves vere hos patria curaque, fideque,
Ipsi sæpe sua voce referre solent.
Quare te merito Princeps complectitur, atque,
Muneribus pensat tam pia facta suis.
Cumque ergo per lustrum te, Vir reverende, docentem,
Audierim, meritis & fruar usque tuis.
Ut decet, ingenio tibi dico pectore grates,
Carmine nunc animum testificorque meum.
Desinerem: si non facto DVX ipse recenti
Nutrisset carmen materiamque meam.
Nuper ut ad nostras rediit, quem dicimus, oras,
Visurus, cura si quod egeret opus:
Nos quoque dignatur consveto accedere more,
Perspicere & qua sit conditione schola,
Nec pudet, huic aliquam curarum impendere partem,
Sed probat exemplum, Carole Magne, tuum.
Quem tribuisse liquet passim loca commoda Musis,
Et magno doctos ære vocasse viros.
Agmina quin perhibent adiisse scholastica quondam,
Rectore examen tunc peragente suum,
Donaque pollicitum bene respondentibus ampla,
Et segnes verbis corripuisse suis.
Ergo, inquam, nostras Princeps ut venit ad oras,
Præstitit Aonio non bona parva choro.
Pristina jura scholæ rursus cognovit, & auxit.
Ante data, & multis muniit illa modis.
Si quid adhuc rerum nos forte requirere sensit,
Id sine cujusquam supplice voce dedit.
Denique quicquid opum Princeps hic repperit, illud
In nostram promptus contulit omne scholam.
Hinc nihil in magnam traduxit avarior aulam,
Nec se propterea credit habere minus.
Sic Tiberi sapiens imitatur facta secundi,
A summis certe non aliena viris.
Hunc objurgaret cum quondam propria conjunx,
[Quæ Sophia, haud vero nomine, dicta fuit]
Quod male prospiceret fisco, tot munera donans,
Reddidit uxori talia verba suæ.
Regia [crede mihi] nunquam vacua ære futura est,
Munifice dignis, dum tribuentur opes.
Digna est heroi vox quæ sit semper in ore,
Ad dandum magnos excitet illa viros.
Hic mihi nequaquam, dum facta illustria narro,
IOHANNES RANTZOW prætereundus eris.
Nam clarus quamvis veteri sis stirpe, tuumque,
Ipse ornes morum nobilitate genus:
Non tamen hac minimam laude virtute mereris,
Heroa Musas quod bonitate foves.
Nec dedignaris nostros comprendere amore
Cœtus, officiis & decorare tuis.
Sic nos ÆGIDIUS, (*) minime virtutis avitæ
Expers auxilio juvit ubique suo.
Quod schola tota illo testata est tempore, quando,
Pro socio cecinit carmina fausto thoro.
Noster at ut Princeps qua sit pietate, animoque
In sibi subjectos, plenius edoceat:
Commemorata scholæ non tantum commoda præstat,
Vivida dum præsens spiritus ossa regit,
Sed de venturo quoque cogitat anxius ævo,
Et post fata suis consuluisse cupit.
Vult ut perpetuum maneat schola nostra, nec unquam
Hinc sacra quis rapiat, diminuatue bona.
Et, vivus si qua possit rem forte juvare.
Sæpe pii cura hæc dicitur esse Ducis.
Ergo hinc ut veniant qui sacra oracla propagent,
Perpetuo, salvam DVX cupit esse scholam,
Cumque eadem indigeat non parvis sumptibus, optat
Ut, quas ipse dedit, nemo alienet opes.
O memoranda DVCIS bonitas, sapientia, zelus
Hoc opus, hæc cura est Principe digna viro.
Hic vere patriæ pater est, hoc nomine dignus
Qui factis differt a genitore nihil.
Namque suis vitæ non tantum commoda curat
Vivens & læti pace fruantur, agit:
Sed post mortem etiam, quo nil preciosius usquam est,
Reddere participes muneris hosce studet,
Notitiam dico Christi, complector & artes
Ingenuas; ecquid dignius esse potest?
Ocia sunt aliis auguste tempore pacis.
Et luxus cordi, delitiæque suæ.
Ædificant alii celsis cum mœnibus arces,
Attenuant census & sine fine suos.
Interea damnum sarcire aliunde laborant,
Et populos onerant qualibet arte suos.
Sunt, quorum impietas tanta est, rerumque cupido,
Ut sacris nolint abstinuisse bonis.
At quicunque tenes sceptrum, populosque gubernas
Exemplum nostri fac imitere DVCIS.
Hic, dum nulla DEI nos urgent munere bella,
Constituit studio templa, scholasque pio.
Præficit his, quorum pietas, & cognita virtus,
Quos non palladia constat in arte rudes.

(*) Aegidius von der Lancken Præfectus Bordesholmensis & Consiliarius Ducalis.

Præmia

Præmia decernit ſine fraude docentibus æqua,
Nec, quas vita petit, rebus egere ſinit.
Præcipue ut viridi recte informetur ab ævo
Prima ætas, ſtatuit muneris eſſe ſui.
Proſpiciens animis quanta hinc incommoda manent,
Ni recte in ſtudiis tempora veris eant.
Quando ſeges tenera quaſi proculcatur in herba,
Et vitiis ſurgit meſſis adulta ſuis.
Quas DEVS eſt largitus opes, contentus eisdem
Vivit & injuſte quærit habere nihil.
Quæ ſacrata DEO bona ſunt, intacta relinquit,
Nec ſpoliat ſacris templa, ſcholasve, bonis.
Sed quacunque poteſt auget ratione, modoque,
Et mage tuta ſuis legibus ille facit.
Non tamen a tantis removemus laudibus illos,
Quos in conſilium DVX adhibere ſolet.
Scimus enim quantis præſtent virtutibus iidem,
Quantus in his veræ ſit pietatis amor.
Tales orator quidam celeberrimus audet
Dicere, præcipuum Principis eſſe decus,
Ergo tuas nunquam laudes OELGARTHE tacebo,
Nec merita ingratus diſſimulabo tua.
Nam te conſpicuum faciat cum gratia noſtri
Principis, ingenii conciliata bonis;
Et decoret reliquos gravitas heroica mores,
Nec deſit menti lingua diſerta tuæ:
His tamen es donis nulli unquam viſus abuti,
Efferus ut premeres templa, ſcholasque DEI,
Imo etiam, quoties iter huc cum Principe flectis,
[Ut plerumque ſoles illius eſſe comes]
Sponte tua placido compellas ore docentes,
De noſtræ quærens conditione ſcholæ.
Hæc tua, grata piis, bonitas, vir maxime, laudes
Semper manſuras eſt paritura tibi.
Namque hinc venturos olim ſperamus alumnos,
Qui veſtrum referant nomen in ora virum.
Nil eſt, cur iterum repetam tua BAVARE facta,
Tempus ubi monuit, ſunt ea dicta mihi.
Tu quoque Phœbea ſpectabilis arte TIPOTI,
Et merito tantis annumerande viris:
Proſequeris noſtrum ſtudioſo pectore cœtum,
Judicioque ſchola eſt, ſemper amata tuo.

Quin, primas nato quia nunc quoque tradimus artes,
Te memorem officii ſenſimus eſſe pii.
Hoc non in numero es SAMUEL MEIERE ſilendus,
Invito quamvis hic tibi detur honos,
Nam licet extra aulam vivas, & forte puteris
Nulla re noſtram poſſe juvare ſcholam:
Vix tamen eſt ullus vicinos inter amicos,
Ex merito pluris quem ſchola noſtra facit.
Cauſa eſt, ingenium, virtus, ante omnia candor,
Natura ingenitum quem reor eſſe tibi.
Sed quia non gaudent numeroſa laude modeſti,
Multa tego, votum ſubiicioque pium.
Ergo DEO meritas ſolvamus pectore grates
Pro tam munifico Principe, tamque pio.
Oremusque diu teneat moderator habenas,
Præbeat & genti commoda plura ſuæ.
Nunc etiam ardenti faciamus pectore vota,
Ut quam conſtituit ſervet, ametque ſcholam
Nec ſe quorundam patiatur voce moveri,
Ut Muſis ſumptus, hoſpitiumque neget,
Qui ſtabula eſſe ſuum mallent, atque antra Cyclopum
Hæc loca, quam cœtus hic reſidere pios.
Sunt, qui non dubitant idcirco carpere factum,
Quod nondum magnos protulit illa viros.
Ferto moram placide, nec fruges ante requirere,
Quam veniant meſſis tempora juſta tibi.
Nec, quia non æque feliciter omnia cedunt,
Propterea tota eſt diſſolvenda ſchola,
At facit hoc livor, qui cœtus odit honeſtos,
Et turbat technis optima quæque ſuis.
Scilicet ut fiat Princeps alienior, atque
Mutata ſanctum mente retexat opus.
Juraque vel Monachis revocatis omnia reddat.
Qui capiunt ficta ſimplicitate rudes;
Uſibus aut aliis ſacratas dedicet ædes,
Tollat ubi impieras, & ſcelus omne caput.
Sed facient, ſpero, gemitus, & vota piorum.
Ut perſtet Princeps in pietate ſua.
BACMEISTERE, tibi, ſunt hæc, celeberrime, quæ iam,
Noſtra ſuis voluit Muſa referre modis;
Te precor, accipias hæc gratæ pignora mentis,
Meque tuo foveas ſemper amore. Vale.

Ad

Ad ornatissimum Juvenem Bernhardum Vaget Collegam Scholæ illustris Bardesholmensis, M. Henr. Cunradinus.

Est pietas multis, BERNHARDI cognita seclis,
Qui vigil in clausstris scripta, precesque, dedit:
Scripta piam, plenamque fide testantia mentem,
Et natas calidi cordis ab igne preces.
Non ruditas altum, tenuit, nec inertia pectus,
Impius aut cultus, sacraque ficta Deum:
Non odium, non sparsa levi mendacia vulgo,
Signa cuculligeri quæ modo certa gregis:
Sed veri studium, candor, doctrinaque præstans,
Sancta fides, summi numinis ardor erat.
Extulit hic meritum dulcis super omnia Christi,
Ac hominum meritum duxerat esse nihil.
Este procul fratres, vestrisque fiditis actis,
Vos simul ira DEI dissipat, este procul.
Qui sordes amat, atque gulam, tumuletur in illis,
Ipse sui vindex Christus honoris erit.
Excitat ille pii mentem quoque Principis altam,
His oris, Christi est quo Duce salvus honor.
Non fugat hic, fugit hunc sed sponte cucculliger ordo,
Et latebras Satanæ, Pontificisque petit.
Perstat IOHANNES, firmato pectore Princeps,
Usibus & veris largiter addit opes.
Vt Christi doctrina sonet, tractentur & artes
Palladiæ, linguis sit tribus inde nitor:
Sic Rex Christiades fecit: facta inclyta Regis
Fratris, IOHANNES DVX imitare tui.
Sic Christi Holsatis crescet pia gloria terris,
Et tibi BERNHARDOS vel tua rura dabunt.
Qui celebrent uno triplex in Numine Numen,
Et viva monstrent voce salutis iter.
Tendit ad hanc metam viridi Bernhardus in ævo,
Sedulus illustri seruit & usque scholæ.
Quamque potest operam Dominis illustribus offert:
Exoptans studiis consuluisse suis.
Quærat apes fidas, & mella salubria Princeps
Alveolis fucos pellat at ille suis.

Ad reverendum &c. Cl. Virum D. M. Joach. Tegenerum in ecclesia Hamburg. S. Theologiæ ordinarium Lectorem.

H. Cunradinus A. 1577.

Crux, pia sollicitis affligit pectora curis,
Inque bonos varia perfurit arte Satan:
Exilium a sævo, vis & venit impia, mundo,
Orbe tyrannorum crescit ubique furor:
Ensis ab hesperiis & Eois stringitur oris,
Inter & heu fratres pessima serpit Eris:
Felix, a Christi quem non divellit amore
Crux, Satan, exilium, vis, furor, ensis, Eris.

Consolatio Christi ad Ecclesiam ex XLVI. Cap. Esaiæ.

Fidite mortales, precio mihi sanguinis emti,
Parva licet magno sitis in orbe cohors.
Vos ego defendam, proprio vos viscere clausos
Porto, velut mater pignora ventre gerit.
Te mea ad extremam portabo sponsa senectam,
Languida cum plane, spretaque tota jaces.
Alba licet nimium torpent tua tempora cani,
Tu tamen his oculis pulcra, decensque mance,
O animo dilecta meo, te namque creavi,
Te fero, te servo, filia, sponsa, soror.
Nitere spe læta, licet orba vageris in orbe
Mox erit, ut mecum cœlica regna colas.

II.

ANTIQUITATES COENOBII BORDESHOLMENSIS,

QUAE SISTUNT

EIVS

FUNDATIONEM, AUCTORES ATQUE LOCUM, ALUMNOS, QUIBUS TEMPORE PAPISMI ATQUE AFFULGENTE CLARIORE EVANGELII LUCE ECCLESIA PROMOTA STETIT,

ITEM

PRAEFECTOS EJUS SECULARES AB ANNO cIↃ DLXVI. MEMORABILIA ISTIUS REGIONIS ADJACENTIS, QUAE QUONDAM AD HAEC USQUE TEMPORA CONTIGERUNT,

OMNIA BREVITER ADUMBRATA

PER

MARTINUM CORONAEUM,

OLIM IBI ALUMNUM, JAM VERO U. D. M. FLINTBECENSEM.

Cœnobii institutio auspiciis Vicelini.

A. C. 1133. in antiquo vico, qui Lubeca dictus, degebat vir quidam religiosus, Quernhamela tunc pago ad Visurgim sito ortum trahens; S. puto Vicelinum. Verbi hic primum divini præco Lubecensis; factus dein episcopus Altenburgensis multos ad fidem perduxit Christianam plurimaque constituit templa sacrorumque ibi ministros. Lothario Imp. qui ex Saxonica fuit gente, idem indicavit montem, ex quo facile accolis omnibus Vandalis occurrere posset; hic vero ibi arcem Segebergam, i. e. montem victoriæ, struxit: qua re offensi maximopere Vandali, homunculo isti calvo graves comminati sunt iras; quas tamen parvi fecit Vicelinus (vid. *Bunting.* P. I. fol. 63.) A. 1125. Vicelinus instituit monasterium Faldarense, quod iam Neo-monasterium vocamus, ibidemque mortuus A. 1154. casiola, ut vocant, serica obvelatus sepulcro conditus est, ubi ejus ossa quieverunt annos 178. Cal. 174. præfecturam hic obiit 29. annos Dæmonem quondam a virgine obsessa expulit; quæ cingulum ex capillo suo nexum præmii loco ipsi obtulit. Insula vero Bordesholmensis olim ursis refertissima, qui sedibus suis vi exturbati sunt: unde nomen *Bardesholm* locus obtinuit. Hinc expulsi occuparunt locum depressiorem seu vallem juxta viam inter cœnobium & molendinam Smalstedensem, qui locus etiam nunc ursorum fovea (Bæhren-Kuhl) dicitur. Cum ossa & reliquiæ S. Vicelini Bordesholmiam transportari curarentur, non procul a cœnocio currus rotis fundo altius insidentibus hæsit, adeo, ut adhibitis pluribus equis inde dimoveri haud potuerit. Invocatione omnium Sanctorum a monachis facta vox ex loco palustri vicino audita est, quæ jussit ante cœnobium domicilium 12. pauperibus alendis ad occidentis plagam exstrui; jam vero curru provecti pergerunt. Hæc vota suscipientibus succesſit iter. Proxime hinc pagum ædificarunt monachi atque dixerunt eum Mödebrock, quod ibi dosatigati cum Vicelino substiterint. Tunicam Vicelini atque cingulum e capillo virginis istius factum, quæ 178. annos terra condita delituerunt, sine detrimento reperta, hinc in sacrario suspensa, postea ego, qui tum æditui munus sustinebam, plurimis sæpe monstravi. Reliquiæ ejus & ossa in sanctuario prope altare ad latus boreale recondita sunt, ingensque episcopi simulacrum additum cum hac inscriptione:

nomen unde?

transportatio ossium Vicelini.

Ossa pii Patris hic condita sunt Vicelini.

Cœnobii Bordesh. amplificatores & patroni.

Anno 1332. cœnobium Bordesholmense in hac insula collocatum est per Henricum Schwineborg ibi XI. an. præpositum, qui in ordine XV. mortuus est. 1343. ab institutione cœnobii Neomonasterienſis 207. anno. Nobiles Holsati largiter huc dona contulerunt, inprimis Pogwischii, quorum insignia Bordesholmii suspensa visuntur. Forte accidit vero, ut in sacrario librum sub tit. Missæ celebratio invenirem hæc fere habentem verba: Leven Fratres, wen gi helben vor de Lebendigen und vor de Doden, so schötte gy ock bidden vor de Stiffter dieses Gades-Huses, nemlich vor de Pvgwischen, vor de van der Wischen und und vor de thom Knope, dat enen Gott gnædig sy. Tandem a. 1490. hoc cœnobii ædificium refectum est per primum

mum Priorem Andream de Laer Daventrienſem, qui obiit a. 1502. atque acceſſiones tum factæ ſunt inſignes, inde ab altari S. Urſulæ addita piſtrina & quæ illi junctæ reliquæ ſunt ſtructuræ, ut inſcriptio illa ad verticem ædis parte, qua ad aream ſpectat, inauratis literis conſignata prodit. Fuerunt monachi iſti adſcripti ordini, qui vocatur S. Auguſtini; cujus ſimulacrum portæ, quæ in aream deducit, affixum cernebatur. Duæ iſtæ portæ, quæ ad viam ſpectant, S. Mariæ exhibebant effigies, quam peregrinantes venerari ſolebant peregrinantibus vero ibidem preces, quæ dicuntur Pater noſteratque Ave Maria., recitandæ erant. Ante portam, quæ ab avena nomen reportavit, adhuc exſtat ejusmodi imago picta. Ad ſeptentrionis plagam, qua ad ſacrarium pergitur, tabula ſtabat erecta, cui in membrana inducta epitaphium (*) S. Vicelini erat inſcriptum.

Dom. Alb. Crantzius S. S. Theol. ac decretorum doctor, canonicus eccleſiæ Hamburgenſis, hic ſæpius commoratus eſt; ejusque liberalitati debetur feneſtra major, quæ verſus auſtrum reſpicit, ejus nomine ac imagine præſulis inſignita. Peregrinantibus hic quondam gratis S. Dei gratiâ petentibus potus cibusque oblatus eſt, iremque nonnihil viatici additum; in tonſtrina illis conceſſa pernoctatio. Friderici I. Ducis Holſatiæ, poſtea regis Daniæ, conjux Anna Brandenburgenſis in medio templi ſepulcro condita eſt. Erat hæc princeps femina Joachimi electoris Brandenb. filia, quæ Chriſtianum III. cognomine Pium genuit, qui puriorem in Dania introduxit & ſtabilivit religionem: e vita exceſſit illa anno 1514. d. 3. Maji ætat. 34. ſupra ejus ſepulcrum lampas argentea ex catena ejusdem æris dependit quondam, cujus flamma alenda erat uſque ad conſummationem ſæculi, ejus magnitudo æquavit vas, fere cubitale. Defoderunt eam Monachi diſcedentes ſub carbonibus infra Seraphinos. Cum vero a. 1600. matutino tempore carbones inde depromeremus, protraximus catenæ aliquot ulnas, tandemque ipſam lampadem, quæ regiis & principalibus inſignibus inauratis decora erat; eam vero per ſeptennium in ſacrario aſſervavi. Cum Principe iſta orbatus eſt vita canis quidam minor ad ejus pedes humatus. Pogwiſchii fundamenta dederunt huic coenobio, quorum nomina tabulis inſculpta ſunt: inaurati autem lupi indicant, eos fuiſſe equites auratos Hierololymis, balteo militari inſignitos; enſe præterea, qui auro obductus & dependens ex balteo rubei coloris ſerico, ornati atque aurea catena centenorum aureorum Hungaricorum pretio condecorati; appenſa illis eſt crux aurea Hieroſolymitana rubra, dataque calcaria ex auro facta cum corrigiis ſericis, hinc & inſigne illorum crucem rubri coloris præ ſe ferebat; illorum in gratiam vigiliæ precesque factæ ſemper, quo Deum illis propitium exorarent. In loco, qui dicitur chorus, ubi funis campanis ſonandis inſerviens dependet, primaria quaedam Holſatorum matrona terra recondita cui nomen fuit Miechalt Pogwiſchiæ: cujus liberalitati cœnobium acceptos refert pagos Blumenthal & Grevenkrug. Hinc & Pogwiſchiorum funeribus ad montes uſque obviam procedere conſueverunt monachi cum crucibus, vexillis & lucernis; quæ deinde canentes duxerunt Bordesholmium non ſine inſigni *cimelia.* pompa multisque ſolemnibus uſi. Velum ſacrario erat prætenſum ad modum Καταπετάσματις illius, quod Hieroſolymis fuit olim ſanctumque a ſancto ſanctorum ſ. ſanctiſſimo ſeparavit; curæque id meæ de hinc ibidem per ſeptennium fuit concreditum: figuras vero præ ſe ferebat varii generis; trochleæ, quarum ope illud in altum evehebatur, et- *ritus quidam* iamnum ante chorum viſuntur. Dies noctesque monachi horis canonicis decantandis vacarunt, diviſi per tres choros; qui acutam modulabantur vocem, inchoabant unum opus, ut vocant, verſum abſolventes, alter chorus reſpondebat, tertius ex organis Seraphim reſonabat. Summam ejus, quod quoquo tempore decantandum erat ex tabula lignea ſignificabant. Fornix arcuatus circa medium adyti ſ. chori aperturam habet rotundam ad magnitudinem dolii vinarii minoris, quæ inſerviit adſcenſioni Chriſti repræſentandæ: idolum enim linteis circumveſtitum per eam in altum evexerunt, quo illud factum adumbrarent. Interfuit huic ritui ruſticorum cœtus omnis, quibus inde deorſum miſſæ ſunt hoſtiæ ſ. cruſtula, quæ vocantur oblatæ: his vero dum ſtudioſe inhiant atque certatim eas corripiunt, aquarum vis in illos per ludibrium præcipitata eſt. Aeſtivo tempore dominica, quam vocem jucundiratis appellant, proceſſio facta eſt cum vexillis propter frumentum, decantando Litaniam ſanctorum nominibus contaminatam, quos pro frugum largiori proventu implorabant Vexilla iſta pendent adhuc ex utroque ſan- *altare eximium.* Huarii latere. A. 1521. Hans Bruggemannus Huſumenſis altare mira arte elaboratum cum ſervis ſibi adjutoribus perfecit ſpatio ſeptem annorum in id inſumto: lignum, ex quo fabrefactum illud, olei quantum ſatis eſt decoquendo imbibit, ut adeo contra cariem munitum ſit probe. Subſcripta leguntur hæc verba: *Opus hoc inſigne compactum eſt anno incarnationis milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo ad Dei honorem.* Idem artifex ciborium majus (Monſtrantz) quod Huſumi eſt; ejusque ſocius miniſter altare, quod Bruggæ exſtat, ſtruxit. Idem dicitur monumentum quoddam, in templo Neomonaſterienſi conſpicuum condidiſſe. A 1523. Bordesholmium delatus eſt Chriſtianus II. Johannis filius alias Chriſtiernus dictus, Rex Daniæ & Sueciæ cum conjuge Iſabella Regis Hiſpaniarum filia & Caroli V. Imp. ſorore atque itineris comitibus ad viſendum illud altare; ſingularem vero in eo opere artem admiratus eſt Rex, conjuge ipſi figuras digito commonſtrante: quod videns Brugmannus hoc jugale par ad vivum

(*) quod vid. diplomatario ſupra præmiſſum n. 2.

vivum imagine expreſſit, & pilis duabus impoſitum etiamnum juxta cernuntur. Hic ipſe eſt Rex, qui cum ſplendida ſua conjuge A.C. 1532. regno expulſus proſteaque carcere detentus poſt 27. annorum decurſum diem obiit ſupremum. Patruus ejus Fridericus I. Johannis frater, cujus prior conjux Bordesholmii terræ mandata, in ejus locum ſucceſſit Rex: mortuus vero ipſe a. 1533. Gottorpii. Lubecenſium priores a dicto hoc Jo. Bruggemanno, ſimile altaris opus apud ſe ut efficeret, efflagitarunt; imo vero hic multo melius quoddam, quam Bordesholmenſe illud erat, ſe illis curaturum promiſit; Quamobrem medicamentum ipſi dederunt monachi, unde lippiret ita, ut operi non amplius par eſſet: tandemque prope Bordesholmium in pago Eiderſtedt e vita exceſſit. Scriptum aliquod manu ipſius Bordesholmii quondam tenui, quod ibi collegæ reliqui. Sacrarium ex parte boreali habet ſcrinium alphabeti litteris notatum: ſinguli ejus foruli calices continebant; unus ex iſtis Flintbecæ patris mei efflagitatione a. 1596. dono huc delatus exſtat: Superiores quatuor vaſa cibaria recondita habent, præter quæ majus etiam aliquod adfuit, cujus reliquiæ juxta altare primarium in ſuprema operis ſcriniarii inaurati parte repoſitæ ſunt; diſtinctum vero illud fuiſſe fertur lapidibus pretioſiſſimis atque egregie exornatum: ſed intercidit. Calices quidam alii vulgares cum palenis ſuis, ut vocantur, meæ olim cuſtodiæ fuerunt concreditæ. In reliquorum ſcriniorum capſis truſatilibus varii generis indumenta erant indita, caſiolæ & veſtes ſacræ, tunicæ ſine manicis ſeu colobia; quarum quæque inſcriptione gaudebat ſua, quæ indicabat, contineri ibi vel holoſerica rubra, cœrulea, atra, margaritis & punctis aureis diſtincta, viridia vel operis Damaſceni, bombycina rubra, candida viridia vel cœrulea; aliis ſervabantur veſtes, quæ dicuntur chorales. Singulis enim feſtis diebus alio ornabantur veſtitu: in paſchatis ſolemnibus aureis omnes ſuperbiebant ad eum modum, quo S. Auguſtini effigies in altari ſanctæ Trinitatis, quod in adyto ſacro reperitur, exornata eſt. Veſtium hujus generis pretioſarum 25. cuſtodivi & indicem earum conſignatum mecum detinui; in quarum numero erant veſtes ſacrificæ holoſericæ cum ſtamine ſeu fundo ex auro viridesque probæ notæ margaritis diſtinctæ. Inprimis in latere, quod occidentem ſpectat, tunicæ ſingularis formæ aureis punctis diſtinctæ erant concluſæ, quibus præpoſitus atque prior femina utebantur (ſed quid femina cum monachis?) ibidemque veſtimentorum fluentium, item arctiorum induſiorum, linteorum, zonarum quas manibus aptabant (Stolen) haud exiguus numerus. Inſigne etiam aderat velamentum Flandricum, quo diebus profeſtis monumenta principum ſepulchralia obducta exornabant. In hoc ſacrario latebat quoque bibliorum codex Saxoniæ inferioris ſermone conſignatus figurisque decorus, itemque novum teſtamentum quod adhibuerunt in juramentis monachorum inauguralibus præſtandis. In hujus libri quatuor extremis proeminebant quatuor evangeliſtæ, quorum quodque iſtius modi figura conſpicicuum erat; unde vix unus homo illi ſublevando par erat. Litteræ ejus primariæ erant illitæ auro præſtantiſſimo, quo nummi conſtant. Totum opus manu inſcriptum erat chartæ pergamenæ. Præterea exſtitit ibi crux ingens atque lamina craſſiori argento obducta; cui oneri ſupportando puer ægre ſufficiebat: prætulerunt eam in feſto corporis Chriſti. Duo ſcrinia reliquiis & rebus ſacris repleta erant, quales fuerunt b. virginis Mariæ arcula & linteum in nendo adhibita pulvillusque ejus item aurium ſordes, crinium texturæ atque criſtalli; quæ diu aſſervata anno 1608. tradidi. Aſſer, qui medio pilæ affixus, ut tradunt, pars crucis Chriſti fuit; religione ducti duces, comites atque nobiles peccata ſua acu in illum defodere conſueverunt; ea ſiquidem ratione remiſſionem eorum impetrari credebant: quæ res inter ſanctiores apud illos præcipua eminuit haud exigua religione culta. Omnia altaria minora candelabris gaudebant; itemque vaſa majora aquales dicta aderant, quibus attollendis ſex valentiores homines adhibebantur: reſtituta hæc a me dicto anno. XXIV. equis vaſorum ex orichalco factorum juſtum onus impoſitum atque hinc deportatum: Gottorpii vero continuo ex iſto ære tormenta bellica conflata ſunt. Exſtabat etiam roſa quædam Hierichuntina. Libri quamplurimi aderant membrana conſignati, quos quotidie decantandis penſis ſeu choris adhibebant.

Magnifica hæc ædes ſacra, non uno tempore; ſed duabus vicibus exſtructa habuit 14. altaria: quæ ſingula adſcriptos ſibi habebant certos pagos, atque ſuis patronis dicata erant, 1. ad ſeptentrionem poſitum in ſanctuario Leoni Papæ, 2. S. Michaeli Archangelo, inſertum angulo ante aditum ſacrarii. 3. Illud quod collocatum ante penetrale ſanctius eo loco, quem imago Mariæ decorabat, huic b. virgini conſecratum. 4. Proximum huic & pulcherrimum omnium, quod effigiem S. Auguſtini præfert, S. S. Trinitati. 5. Ad boream ſpectans S. Martino epiſcopo. 6. In ſacello illuſtriori S. Petro. 7. In plaga auſtrali S. Antonio. 8. In ſacello obſcuriori S. Johanni. 9. Circa medium templi altare eſt ſanctæ crucis. 10. Ante mulierum ſubſellia S. Urſulæ, ubi varia pictura cernitur. 11. Ad cœmiterium eſt Dionyſii. 12. Sub organo muſico S. Chriſtophori. 13. Cherubinis imminet S. Wilhaldi. 14. eſt altare angelorum.

Ante 34. annorum abhinc decurſum, qui inter ruſticos ætate erant provectiores, deſignabant, cui altari pagus quisque addictus fuerit. Nam illuc conferre quotannis debebant ceram atque linum alendis candelis inſervientia. Vela ſerica prætenſa fuerunt his altaribus, quæ adduci & remitti potuerunt, quo lumina accenſa contra venti impetum tuerentur; vectes ferrei, ex quibus illa pende-

Sacrarium cum veſtibus pretioſis.

aurea vaſa

& reliquiæ ſacræ.

Altaria 14, cujus honori dicata fuerint.

bibliorum codices.

ſinguli certi pagi addicti.

penderunt, adhuc cernuntur. In circuitione ſub bibliotheca, ſupraque Rectoris cella fuit juniorum monachorum ſchola; cella iſta fuit eorum cuſtodia ſeu carcer: ſuffocati ibi aliquando duo monachi fœtore carbonum perierunt. Iſtud vero pueruli ſimulacrum, quod in ſcrinio inaurato altari impoſitum erat, deteſtanda quondam coluerunt ratione: ita enim compoſitum erat, ut illis, qui largiora dona obtulerunt, inflexione reverentiam exhiberet; qui vero tenuiori manu largiebantur, illis tergum obverteret. Recte vero Mantuanus pontificius:

Idolum quoddam.

- - - ſunt venalia nobis
Templa, ſacerdotes, altaria ſacra, coronæ
Ignis, thura, preces, cœlum eſt venale Deusque.

Cancelli illud ambeuntes ſcitiſſime fabrefacti ſunt, unde enim incipiant quove ſe condant, vel acutiſſimos latet; itemque an limæ opera perfecti ſint, an vero contorti atque flexi interſe arte in eo opere ſingulari, quæ omnibus admirationi eſt, cum ejusdem auctore ignoratur. Situm vero eſt hoc cœnobium loco amœniſſimo atque lectiſſimo in centro Holſatiæ, ubi piſcium eximia ſuppetit copia, inprimis eorum, quos vocant Sandatos, nonniſi duobus Holſatiæ locis reperiundorum. Oblectationi ſingulari quondam monachis fuere aves iſtæ, quæ Sturni appellantur; nam in frontiſpicio ædis atque ejus muris craſſioribus aperturæ erant rotundæ ſtudio factæ, in quibus nidos condebant vocemque æſtivo tempore jucundiſſime modulabantur. Aves hæ meo ævo frequentes adhuc ibi aderant: poſtquam vero ſcholæ quidam alumnus e nido quodam ſubtraxiſſet pullos, omnes aufugerunt. Monachi in feſto corporis Chriſti, quem dicunt Mauſim vaſe quodam aperto incluſum per circuitus in templum detulerunt; ad quod ſpectaculum undique omnes advolabant. In porticu iſta ſeu circuitione fratres cucullo monaſtico induti terra condebantur. Parieti inſcripta fuerunt nomina emortuorum, cujus ſpecimen membranæ illitum quondam reperire mihi contigit. Vulgus miniſtrantium & fratrum cœnobii in area, quam vocant Frieden-Hoff inter ædes contenta ſepeliri ſolebant: pauperes ac reliqui famuli in cœmeterio ſepulturæ invenerunt locum. In circuitione templi, ubi ſubſellia longiora ſunt, conſiſtoria celebrari conſueverunt. Præfectus prior, atque procurator conſidebant eo loco, qui liberiorem ſpectat aream, hortum ſcilicet pacis, ad auſtrum ſitus. Bernhardus Arndt, natione Daventrienſis, præpoſitus, qui in ſanctuario ante altare majus ſepulcro mandatus eſt, domum iſtam cubiculariam, ubi commorantur ſcholam frequentaturi, a lit. E. F. usque M. ubi aſſerum ſtrata conſpiciuntur, exſtruendam curavit. In circuitionis parte ima monachis ſenioribus, in ſuperiori junioribus habitacula data ſunt. Procurator quidem olim ex monachorum ordine fuit; ſed ut jam præfecturæ ſcriba ruſticis præerat curabatque, quæ

Situs cœnobii & agri ubertas.

conditoria.

conſiſtorii locus.

habitacula.

pertinent ad alimenta, victum & amictum. Pomarium, quod jam ſcholaſticorum area appellatur, varii generis arboribus fructiferis conſitum fuit, quæ protulerunt varia poma nucesque inſignes. Ante Rectoris conclave erat procera & inſignis pinus, quæ ſuperiorem domus cubiculariæ partem, ubi bibliotheca eſt, altitudine æquabat. In hac bibliotheca obvius erat liber quidam, cui titulum fecerunt de infantia Chriſti, miras continens fabulas. Pogwiſchii qui huic monaſterio fundamenta dederunt, hic præcipuis quibusdam gaudebant privilegiis & conclave ipſis proprium habebant: ex quibus mihi innotuit quondam Bartramus Pogwiſch Buckhagienſis. Rigide hic pro religione ſtabat pontificia, ejusque parentes hic ſepulchro reconditi. Hic cum ſcholæ præfectis præceptoribus tempore evangelii acerrime diſputando decertavit, inprimis cum in refectorio precatione, iſti notiſſima, Serva Deus verbum tuum, vacarent. Hic nobilis juvenis cubiculum, quod ſub iſto erat ultimum, præcedens inhabitans ibi inſcripſit: Malleus hæreticorum. Pontifex Romanus ad eum litteras dedit & divinis eum ornavit laudibus, quod in media hæreticorum turba degens conſtanter religionem ſuam tueretur, promiſitque locum inter ſanctos ipſi poſt fata concedendum. Idem juvenis quotannis die paſſionis Chriſti ſervo ſuo flagellis, usque dum ſanguis frequens promanaret, cædendum ſeſe expoſuit. Ætate confectus peregrinationem religioſam in Italiam ſuſcepit Loreti viſendi cauſſa, atque Romam aditurus, ut Pontificis deoſcularetur pedes; ſed haud procul Caſſelis Haſſiæ in pago, qui Roma appellatur, ſpiritum reddidit. Huic cœnobio Marſiæ Bredenbergenſis tractus proprius fuiſſe fertur, qui tempore Joannis Ranzovii equitis illi ſubtractus. Anno 1559. contra Dithmarſos militaturi plurimus hic equitum & heroum Holſatorum numerus congregatus eſt, hincque in Dithmarſiam una concedentes victoriam reportarunt. Anno 1565. Dux Johannes Hadersleb. ut præſules hujus cœnobii vectigalium rationes ſibi redderent poſtulavit: ſed huic rei prætenderunt immunitates ſibi a Pontifice atque Imperatore Romano conceſſas; hinc Doctorem quendam iuris cum privilegiis ſuis Spiram ablegarunt, ut monachorum ageret cauſſam; Interea eques quidam callidus atque prudens ſimulator, nomine Andreas de Lunenburg, qui Schulenhovæ ſedem fixerat, Principi auctor exſtitit, ut ipſum Spiram dimitteret tentatum, an aſtu privilegia ab illorum advocato extorquere poſſit.

hortus.

bibliotheca.

Pogwiſchiorum habitatio ibi propria.

ex quibus Bertr. Pogwiſch acerrimus pontificiæ relig. propugnator.

alia.

Dux Joh. monachos ſede deturbat.

Hic Spiram perveniens, domicilium juxta negotiorum illorum procuratorem ſibi delegit, qui tandem inter pocula privilegia protraxit, atque iſti commonſtravit: hunc igitur cauſſæ patronum ille multo potu urſit, usque dum ſomno ad menſam doctor iſte ſuccumberet. Quo facto Andreas Lunenburg ſcripta, quæ illi ſurripuit, in femoralibus recondidit, noctuque inde aufugiens

giens ad dominum & epistolas & privilegia retulit. Ultimus vero hic sacrorum antistes Marquard Stammer hac re audita, pretiosissimas res, gemmas puto, aurum atque argentum corrasit noctuque abiit, ceteri sensim eum insequuti. Princeps illico monasterium occupat, iis, qui reliqui erant ex monachis, per omne illorum vitæ spatium residuum alimenta pollicitus, si cucullos deponerent. Id vero noluerunt; quin potius tritum illud sibi sequendum duxerunt: Veteres migrate coloni, & exemplum præpositi sui haud negligentes varia suppellectile ex auro argentoque, vesteque sacrifica &c. corrupta diffugerunt. Fratres isti juniores formosissimas quasque virgines secum in itineris societatem abducebant, quas uxoris loco haberent, dicentes:

Melius est in Veneris thoro,
Quam in nostro choro. Item:
Si te delectant formosæ membra puellæ,
Pete conjugium. &c.

lyceum ibi institutum

Anno 1566. Dux Joannes Christiani III. Regis Daniæ frater, Lyceum ibi pauperum, non vero opulentiorum, liberis alendis dicavit, quos omnibus necessariis honeste sustentatos vellet. Post aliquot annorum spatium monachus quidam Hamburgi commoratus, qui mentionem injecerat præsenti cuidam Holsato, thesauri alicujus Bordesholmii delitescentis, quo protracto hæc omnis regio ære alieno liberari possit, nec tamen brevi eum facile investigatum iri edixit; sed cum eum hominem requirerent studiosius, se hinc proripuit.

ædificia emendata

Anno 1567. D. Joannes excitavit turrim, quæ serenissimi nomen atque insignia præfert; idemque mœnia quæ cœnobium atque aream ædificando inservientem Bau-Hoff cingunt, instruxit.

cœnaculum corruit.

Anno 1574. Cœnaculum cum scholastici circa prandii tempus cum præceptoribus ad Rectoris cellam processerant, magno cum fragore corruit. Advocato architecto quodam Italo, cujus nomen Dæmonicum ferunt, Dominicum puto, qui in morem elegantiæ Italicæ novum moliretur ædificium, sub terra multi inventi sunt monachi catenis obvoluti, qui deinde in cœmeterio humati sunt. Hinc exstructio nova suscepta est, cujus forma elegans sane atque conspicua existit. Organum musicum in templo fieri curarunt monachi, vetusque illud, quod anno 1521. confectum erat Flintbecam translatum est. In area, quæ dicitur scholastica, monachorum sutor habitavit, quo loco jam præceptores hortum habent. Tiliam ibi conspicuam plantavit Andr. Grotheim olim conrector, jam senator Chilonienſis. Scholam frequentantium cœtus vigilia sancti Martini monachorum ritu inaugurabantur: holoserico quippe induti cucullo & tiara ipsis impositа aqua perlinebantur, addito cantico Germanico; Jam initiamus episcopum, ora pro nobis &c. Discipuli quotidie horis canonicis in templo vacarunt, quod quidem factum hora nona matutina & 4ta vespertina in duos distributi choros per vices decantarunt: vesperæ, quæ dicuntur, Saturni & Mercurii diebus, hora pomerid. 2. cantando celebrari cœptæ sunt. Aquilæ egregie ex orichalco fabrefactæ adstans aliquis latine canere solebat epistolæ illius sanctioris pensum condictum. Factum vero, cum Elias Spies alumnus cantandi vices in se susciperet, ut apoplexia correptus, in aquilam istam illideret, quo corruit hæc atque fracta est. Ao. 1600. cum scholastici in adyto cantione, quæ dicitur *Magnificat*, perfungentes in verbis istis occupati essent, *deposuit potentes de sede sua*, fulmine ita concussum est templum, ut totum tremeret atque flamma ubique panderetur. Nos pueruli præ terrore humi prostrati hinc diffugiebamus nescientes, quo evaderemus: ex eo ictu trabs, quæ erat super Cherubinos dississa est. Nec vero ejus principium nec exitum videre licuit; attamen nulla cernebatur fornicis, aut vitri ullius in fenestris læsio. Anno 1600. etiam exstabat juxta cœnobium antiquum horreum, ex quo præcipitata ancilla quædam, periit: dirutum vero illud est, ejusque loco Joannes Toppe præfecturæ scriba anno 1602. artificium magnificum molitus est.

monachi in carcere exstincti inveniuntur. alia.

ritus receptionis in scholam.

reliquiæ Vicelini a D. Bavar. petitæ absconduntur.

Anno 1614. Dux Bavariæ a sereniſſimo principe Jo. Adolpho per legatum quendam splendidum petivit, reliquiæ S. Vicelini Bordesholmii asservatæ sibi ut concederentur præmium offerens amplissimum. Sed excusatione honesta usus clementissimus princeps, legato dixit, se non curare vanum ejusmodi rerum cultum; si vero illæ Bordisholmii adhuc exstent, ipsi liceret eas ad dominum suum referre: Ast nuncius continuo missus ad Stephanum Hennings, ut confestim reliquiæ semotæ humo contegerentur, quod etiam noctu factum. Legatus huc advena accurate locum indicare edoctus erat, quo reliquiæ ante exstiterant, recitabatque verba epitaphii juxta positi; sed Sirius quasi æstus exsiccaverat omnia, & ille in Bataviam remigravit sine reliquiis. Præfecti genere nobiles post reformationem Bordesholmii fuerunt sequentes: Ægidius von der Lancken senior. A. 1584. Otto de Qualen, Hans Ranzovius a buna manu dictus, Hieronymus Ranzovius confossus a fratre germano. Hans von der Wisch Duci a consiliis provincialibus, c. a. 1606. cui stipendium annuum datum 775. Thaler. Joachim von Schwerin 1612-1614. Ægid. von der Lancken junior 1616-1623. Rectorum vero scholæ temploque inservientium nomina hæc habe: M. Simon Brandes Hugonota circa ann. 1575. Virgilius Romfeld Thuringus Pastor & Rector 1586. qui quondam per duodecim annos schola Sleswicensi & Bordisholmensi vacaret, dein Pastor Bruggensis. Ao. 1664. simul Pastoris & Diaconi vices obiit vixitque adhuc anno 1618. M. H. Embs. M. Georg. Fabricius. M. Nicolaus Wedovius Rostoch. M. Enoch Svantenius c. a. 1606. M. Andr. Tetzlevius Megapolitanus. Paulus Frisius Lubecensis Hugonota, a. 1616.

Præfect nob. Bordesh. post reformat.

Rectores scholæ.

a. 1616. d. 17. Junii abdicavit se munere. M. Janus Wicostadius Brunswic. Pastor, Rector & Lector ab a. 1616-1624. vel 1623. ubi muneri valedixit. M. Daniel Westermann Hamburg.

Præfecturæ scribæ.

A. 1635. usque ad finem. Scribæ præfecturæ post reformationem hos tradunt: Hartwig Hartiges Bisseha oriundus 1579. Caspar Tesmar. Hermannus Colonienſis, in templo ante subsellium scribæ præfecturæ humatus ex desperatione decessit. Albertus Eminga, misere qui periit, hostis Pastorum a. 1599. ab officio mala cum gratia remotus. Joann. Vope secretar. Paul Kohlblatt Kiliæ & Bordesh. 1605. Johannes Faust. Joannes Wope c. a. 1606. Stephanus Hennings c. a. 1611. aliis 1616-1630. dicitur hic Officialis & Oeconomus. Johannes Pund ab a. 1631. ad annum emortualem 1665. d. 24. Octobr. Abraham Müllerus Dresdens. quondam præpositus Hilgeland. 1665. Con-

Correctores.

Rectores gymnasii sunt: Johannes Mauritius. M. Andr. Grotheim. Johannes Schele Fimbr. Holsatus. Andreas Tetzlevus Megapolit. Joachim. Nicamerus Pomer. Georg. Suantenius Megapol. c. a. 1606. Adamus Cæsar Hassus. Adamus Embschoff a. 1615. circa Michaëlis obiit. Petr. Polemmannus, Andr. Meisnerus Silesi. ab A. 1614. m. Junii-1619. f. Martini post abdicationem M. Adami Cæsaris munere Rectoris, Lectoris & Concionatoris functus est; vixit adhuc 1621. sed 1623. munus alii tradendum statuit, eique hinc successit Joannes Vicarius Con-Rector 1623. Conr. Joann Schele A. 1627. m. Martii diaconus Prezæ factus. M. Joachim Langius, postea Pastor Hagens. 1627. Georg. Fabricius Slesvicens. 1635. m. Junio munus adiit. Casp. Mauritius a m. Augusto 1639-19. Julii 1642. M. Johann Crœchel ab a. 1646-1648. Joh. Meyerus 1648. Henningius Hennings 1662.

Germanico bello schola disturbata templum profanatum.

Anno 1627. exitiosum illud bellum Germanicum incidit, quo schola disturbata est; Curculiones isti bellici templum illud egregium in equorum stabula converterunt, & equis in eo discursitarunt, monumentum principale diruerunt, splendidas quasdam imagines ex altari primario detraxerunt, libros conciderunt & in pulveris pyrii plumbique thecas aptarunt; in sacrario omnia comminuerunt; ut hinc merito dici possit:

Quas sacras ædes pietas construxit avorum,
Has nunc posteritas devastat more luporum vel:
Ecclesias Domini, quas fundavere parentes,
Perdere nituntur nati pietate carentes.

Hoc anno multi milites Itali & Galli infausto sidere in Holsatiam adventarunt cum rusticis fraternitatem inire studentes, quorum vero linguam hi minus recte callebant; mox rixæ inter illos exortæ & peregrini hi equites trucidati, atque sine magno funeris ritu locis profanis defossi sunt. A. 1635. clementiss. Princeps Fridericus Dux scholam jam octo annos desertam restituit, ope clarissimi doctissimique Joh. Adolphi Beckeri, qui ipsi erat a consiliis sanctioribus. Hic d. 7. August. hor. 9. in adyto ipsam habita eleganti oratione latina denuo invitavit, quem excepit doctiss. dominus Paulus Sperling Rector per horæ spatium venusta quadam oratione latina in sanctuario recitata. Qua re quamplurimi boni maximopere lætati sunt, in primis ii, qui quondam hic enutriti fuerunt, dicto Virgiliano usi:

schola restituta.

Jam redit & virgo redeant Saturnia regna.

Hoc opus egregium præter ea, quæ Deo debentur, acceptum referendum est patri nobis honoratissimo ejusque filiis optimis, Fabricius illis, qui operi invigilantes illud nunquam non urserunt strenue, tempore sive opportuno, sive minus: & impedimentis fortiter remotis, feliciter perfecerunt. A. 1598. d. 23. Junii per præfecturæ Bordisholmensis regiones iter faciens princeps femina Anna Ducis b. m. Adolphi filia, comitantibus eam sereniss. matre Christina, Alexandro & Joanne Duc. Sunderburgens. fratribus; quæ desponsata Ennoni Frisiæ comiti ad eum deducebatur vecta curru inaurato, Bordesholmi cum suis prandebat. Anno sequenti 1599. Dux ipsa aliquamdiu cum aula hic commorata est, principes filios Dn. Joann. Fridericum & utrumque Ducem Megapolitanis jam præsidentem terris per Joh. Pellicerium institui curavit. Paschatis tempore matutino caminus ex culina ascendens ignem concepit & parum abfuit, quin in magnum evasisset malum. A. 1596. vigilia ascensionis in præfecturæ Bordesholmensis agro, qui dicitur Fielkieck, horrendus terræ motus factus, cujus violentia millenæ arbores subversæ sunt, præfecto tum existente Ottone de Qualen, ligni tunc strues Orgyiam longitudine complens, quæ Amstelæd. 25. flor. veniebat, ibi sex allium pretio vendebatur; at nihilominus deficiebant emturi. A. 1603. dominica S. S. Trinitat. avis lignea longurio infixa tormentis minoribus petebatur Bruggæ cui spectaculo intererant homines plus centum. Proxime accumbebat Rector Nicolaus Wedovius & Virgilius Rohtfeldt ibidem Pastor in medio senex octuagenarius Theologus Joh. Schuhmacher Diaconus in cujus verticem, dum rustici & jaculantes, ad avem collineant, globulos quidam plumbeus repercussus est, ex quo sine voce emissa continuo mortuus concidit: ego ministrans post prætorem meum Wedovium adstabam; reliqui Theologi præsentes hoc adspectu funesto quemadmodum perculsi fuerint, vix verbis exprimere possum, fatali autem illo loco erectus est lapis. Fuit iste discipulus b. Lutheri ac monachis Bordisholmensibus optime notus. Duas horas ante nobis scholasticis edixerat idem: anne vobis bacchantes sunt etiam tormenta, quæ una displodatis; vestræ ætatis ego istius ligni loco inde passerem dejeciſſem. Anno 1600. pia princeps liberalitate clementissime ducta 24. gymnasii alumnos sustentavit, quibus cum præceptoribus in singula prandia vel cœnas dabantur 36. panes annuæque vestes, atque libri (vide fenestram quæ a pane nomen habet in refectorio). Cum vero seniss. princeps

A. D. huc divertitur.

Christina D. cum filiis hic commoratur.

incendium

arborum strages.

Io. Schumacheri diac. subita internecio.

beneficia scholastica.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cœnobium a Kilienſibus occupatum

ceps a. 1604. dominica, quam vocem jucunditatis vocant, Kiliæ fato cederet, cœnobium ſub veſperam a civibus Kilienſibus per vim occupatum eſt, ne Archiepiſcopus hæreditatis jus præ ſe ferens, illud invaderet. Ubique hi milites obſidebant cœnobium; præfectus ipſis erat Chriſtophorus Leodienſis tribunus militum. Quotidie bos ſaginatus ipſis mactatus lauteque vivebant; milites enim dictitabant, clericorum bona ad prædam aptiſſima.

peregrini dimiſſi, quidam dimiſſi.

Cum Dux Joh. Adolph. rerum ſummam capeſſeret, omnes alumni peregrini hinc dimiſſi ſunt, ſolis Holſatis natione retentis.

Neomonaſterii conflagratio.

Anno 1604. Neo-Monaſterium ad dimidiam partem conflagravit, quæ exorta calamitas a fabro quodam Harzam inhabitante, cui nomen Johannis balbi fecerant. Eodem anno improba quædam mulier, cum filia, Bordesholmi, a Blumenthalenſibus furti accuſata plurimi. Supplicio addictæ ſunt eidemque cruci affigendæ erant & mater & filia, & pœna quidem continuo affecta eſt mater; ſed filiæ venia data parvuli cauſſa, quem uberibus alebat; ad meliorem frugem vero, parum ſe recepit beſtia hæc, ſed anno 1615. tubulo, quem ex ſambuco fecerat, candelam incluſit, & vicum hunc pereximium iterum magno agitante vento incendit, ut in cineres redigerentur domus haud paucæ ampliores. Nomen ipſi fuit Ancke grandior. Neomonaſterii deinde fumo horrendum in modum enecata, & jam parte inferiori peruſta, vita adhuc fruebatur ſuperne. A. 1625. d. 10. Februar. Meſes ſeu euronatus exoriebatur vehementiſſimus, qui arbores 23000. frugiferas in præfectura Bordisholmienſi humo evulſas proſtravit: in maris Baltici ripa homines permultos aquæ vis abſumſit, præſertim in parochiæ terris circa Schönebergam. Eodem anno Holſatiam adiit Mauritius Landgravius Haſſiæ, qui cum arbores has tenues frugiferas dejectas videret, eruditum compoſuit carmen; cujus ſumma eo rediit, eodem modo, juventutem Holſatorum proſtratum iri. Quod etiam factum eſt a. 1627. & 1628. quo haud pauci equites occubuerunt. Nonnullis cœmeteriis 300. vel 400. homines a militibus capitis morbo infecti condebantur. Anno 1613. Nautæ cujusdam Eckernfördenſis uxor, in ſui amorem pellexit adoleſcentem Bade dictum, ut ipſi amaſius maritum interimeret: perfecit etiam hic, & trucidatum corpus noctu adjuvante iſta femina ad mare defoſſum arena contexerunt; Bordesholmiamque aufugientes hic deprehenſi; paulo poſt uxor rota contuſa eſt ab inferiori parte facto initio, rotæque alligata; homo vero iſte enſis ſupplicium tulit, quæ pœna ipſi mitigata propter ejus ætatem minus firmam. Jam nomina ſequuntur eorum, *qui organo muſico hic moderando aliquamdiu præfuerunt*: Chriſtoph. Rœr. Eraſmus Sartorius Sleſvicenſis. Henricus Schroder Seegebergenſis. Joachimus Elſtorff Hamburgenſis. Petrus Sleſius hypodidaſcalus 1606. Johannes Schlœſius. Eraſmus Nuncius, Wormatienſis. Nicolaus Harings 1615. Adolphus Witthagen Sleſvicenſ. usque 1620. Adolph Koch 1616. Johannes zur Linden Bremenſis 1620. qui & vices cantoris in muſica arte obiit, hincque ſtipendium peculiare meruit.

damna ex violentia venti.

in omen verſa a Mauritio Landgr.

cædem Eckernfordii parantes Bordesholmii comprehenduntur.

organi muſici moderatores.

præfecti ſilvani.

En tibi præfectos, ut vocantur, ſilvanos, rei familiaris curatores: Wolff Norden Sprengæ, Andreas Luneburgſen. Schulenhovæ ab anno 1576. usque 1611. qui pro ſenio vacare amplius haud potuit officio; Jacob Ultzen Kroppenſis 1611-1620. munere orbatus, Henricus Müller qui fuit buccellarius (Einſpenniger) A. 1630. abrogatus. Adolph Majoner 1642. Claus Fobrian Bononienſis. Eggert Ruſſmann, 1665. Hinc *alumni* adhuc ſuperſtites ſunt Petrus Danckwert poſtea Paſtor Huſanus. Georg. Schroder Paſtor Neomonaſt. Ægid. van der Lancken ſupremus aulæ magiſter. Auguſtus Berſtenbœrſtel præfectus Nordſtrand. M. Mich. Sumius, Chilonienſ. Chriſtoph. Clodius Brandenburgenſis, Paſtor Erverdenſis. Johann Langemack Archi-Diac. Kil. Eraſmus Sartorius Cantor Hamburg. Martinus Coronæus Paſt. Flintbec. Martinus Coronæus Paſt. Krummdyck. Joann. Coronæus Paſt. Dithm. Petrus Coronæus Paſt. Oldenb. Adolphus Witthagen Senat. Hamb. Petrus Boetius Paſt. Strand. Berohardus Nobis Sleſvic. Johannes Bruno Chilonienſis. D. M. Wolffgangus Meürer Licent. Slesvicenſ. Johann Meürer J. U. D. Joh. Neovinus Megapolitanus. Andreas de Luneburg Schulenhovæ Johann Moldenitt. Paſtor Tonning. Henric. Puls Sleſvic. Simon Henrici P. N. Johann Hammerich Rector Rensburg. Chriſtianus Henrici Paſt. Joach. Elſtorff Hamburgenſis. Jo. Adolph. Becker commiſſarius Eccleſiarum Sleſvicenſ. Georg. Fabricius Laurentii fil. jam Con-Rector Gymnaſii. Jo. Adolph von der Wiſch. M. Theod. Nieman Paſt. Nieſtadenſ. Joh. Gronovius Diaconus Plœn. Georgius Blume Holſatus. Johann Henrici Paſt. Bœnſtorff. Adolph. Jaen molæ magiſter Neo-Monaſt. Joh. Frid. Bremer Sub-Conrect. Scholæ Kilon. Jac. Goldbach. Kilon. Chyrurg. fil. Caſpar. Uthermolen & Barthold Hintze Lubecenſes. Valentinus Breitenhirt Paſt. Oitinenſ. filius. Jam ibi adhuc degunt: Fridericus Auguſt. Radiginus (Ratje) Slesvicenſis. Jacobus Fabricius Dithmarſ. Statius Krugerus Sleſvicenſis Con-Rector ibidem. Nicol. Æmil. Radiginus Slesvicenſ. Rector Segebergenſis. Thomas Clagenius. Matthias Burchardi Chilonienſis Paſtor Haſelowienſis. Johann Burchardi itidem Chilonienſ. Paſt. primar. Chilonienſ. Reinholdus Reimarus Tunderenſis. Fridericus Jugerdus Slesvicenſis. Georg. Langelowius Chilonienſ. Martinus Holmerus Sleſvicenſ. Paſt. Huſanus. Matth. Lobetantz Huſanus Paſt. Burgenſ. & Præpoſit. Femarienſis. Johann a Lieth. Hollingſtadienſ. Paſtor Hollingſtad. Joh. Henningius, Petrus Stolthenius & Conrad Gramius Sleſvicenſes. Ludovicus Pincier Lubecenſis Canonicus ibid. Otto Ravenius Meyerus Utinenſ. Laurentius Bal-

alumni ſchola ſuperſtites.

Balthaſar Beſelin Slesvicenſis J. U. L. & Advocatus. Matthias Johannis Dithmarſienſis. Samuel Rachelius Dithmarſ. J. U. D. Profeſſor Kilonienſ. Conſiliar. Gottorp. & præfectus Eyderſtad. Frid. Fabricius Slesvicenſ. Paſt. Fridrichsſtad. Hieronymus Prætorius, Rector Zellenſ. Hamburgenſ. Samuel Voſſ. Ioann Eric. Dœſſelius Pomeranus. Ioach. Gieſe Mag. Paſt. primar. Kilon. Iohann Langemack Chilon. Paſt. Uterſen. Eberhardus Ambroſius Dithmarſus. Iacob. Valepag. Stapelholm. Nicol. Wildemann Slesvicenſ. Electori Brandenb. operas præſtans. Ioh. Schnell Eyderſtad. & Paſt. ibid. Nicolaus Martini Slesvicenſis I. U. D. & Profeſſ. Kilonienſis. Schola hæc, ab initio tantum gaviſa eſt tribus præceptoribus, Rectore, Con-Rect. & Organœdo; poſtea iis additi Sub-Rector atque Cantor. Fuerunt vero Subrectores Chriſtoph. Otſarus a 1. Novemb. 1639- 1640. M. Chriſtoph. Braun. cœnob. Lœhm oriundus mox Con-Rect. factus 1642. M. Bartholdus Bever 1642. Sam. Danckwerth Huſum. 1648. munere orbatus ob vinolentiam & intemperantiam vitæ 1657. Ioh. Bernh. Meyer 1657. *Cantores.* Chriſtian. Druelæus 1639. a feſtonativ. Chriſti ad fin. a. 1641. M. Jo. Kemper 1642-1644. Stephan. Ebio Tonning. 1648. Sam. Rachelius 1652. Laurentius Ludenius Dithmarſus 1654. M. Frider. Fabricius 1656. Paſt. Fridericoſtad. Ioach. Rabe Sleſvic. 1662.

Subrectores poſt præceptoribus additi.

Cantores.

Præpoſitorum ſeries.

Præpoſiti a primæ fundationis tempore ex literis antiquis, quoad ejus data fuit poteſtas, eruti ſequentes: Vicelinus antea ſacerdos Neomonaſterienſ. ab a. 1124-1142. Præpoſitus ab a. 1142-1149. epiſcop. Oldenbach. a. 1149-1154. Eppo poſt ejus fata per ſexennium Præpoſitus. Hermannus Hermann poſt Epponem 14. annos. Sydo Præpoſitus ante Hartwici IIdi Archiepiſcopi tempora ævo Adolphi III. Comit. Holſ. qui fuit avus Gerhardi & Ioannis Albertus 1223. Thedelivus Epiſcopus Neomonaſt. 1236. Reynerus Præpoſitus 1248. tempore Iohannis & Gerhardi comitum Iohannes Præpoſitus 1266. Bruno Adolphi Monachi frater Præpoſitus poſtea eccleſiæ cathedralis quæ Magdeburgi eſt. Præpoſitus & epiſcopus Olmutz. Moraviæ Thidericus Præpoſitus 1290. Fridericus prior a. 1514. Albertus Præpoſitus Bordisholm. A. 1526. 1535. 1543. Bernhardus Præpoſitus ibidem a. 1304. Hinricus Præpoſitus & Eggardus Prior vixit adhuc 1336. Hinc 1335. 1336. 1349. Henricus Præpoſitus forte idem qui Henricus Swinebach & Henricus prior 1358. Iacobus Præpoſitus 1363. 1362. Chriſtianus Præpoſitus & Henricus Prior 1382. Ioh. Bockwolde prior 1399. Ioach prior & Hermannus Schlicker prior 1417. 1408. 1437. M. Marquardus præpoſit. M. Herrmannus prior 1437. Martinus præpoſitus 1400. Andr. Laer Daventr. prior obiit 1502. Anno 1490. titulus & dignitas præpoſiti ab Imperatore Friderico I. ſublata, priorque ſolus retentus forte ob læſam majeſtatem, cum præpoſiti uterentur formula DEI GRATIA. Anno 1565. Nicolaus Olde ultimus pontificiorum prior Bordesholmenſis ætate provectior munere ſe abdicavit: inter reliquos fratres quietus vixit, usque dum ſenio confectus linguæ & ſenſuum uſu orbaretur. Ei adjunctus fuit Marquard Stammer procurator & œconomus cœnobii Bordesholm. qui vectigalium haberet rationem & pecunias exigeret: quinque is fratres imperitos rerum atque litterarum rudes, quorum unus Ioannes Schwan nomine erat, ſecum habuit, qui omnes propter religionem pontificiam haud impugnati cum evangelicis ſcholæ præceptoribus & diſcipulis ibi manſerunt & alimenta illis usque ad mortem vel abitum voluntarium data ſunt. Nemo eorum idoneus fuit qui præeſſet rei familiari vel prioris munere fungeretur. Bruno præpoſitus Adolphi monachi frater Iohannis I. Holſati compatruus. En tibi alium alumnorum Bordesholmenſium indicem a ſtabilita primum per Ducem Iohannem Hadersleb. Regis Friderici I. filium hac ſchola, quæ ab a. nimirum 1576. usque ad a. 1663., quo fundamenta jacta ſunt Academiæ Kilienſis per ſæculi fere ſpatium ſuſtentata eſt. A. 1576. in antiquo quodam indice hujus anni reperiuntur: Magiſter ſine nomine. Bernhardus pædagogus. Tipotius Backmeiſter. Henricus Rensburg, Hesko Dithmarſus ſine nomine. Andreas Rickertſen. Chriſtianus Andr. Iacobſen. Petrus Weiner, Georgius Becker, Mauritius Organœdus 1599. Adolphus Pforte Ioachimi Tunderenſis filius, receptus. Anno 1602. 1603. Index alumnorum in ſchola principali Bordesholm. aſſervatus, qui deſignabat, quamdiu & quo tempore, quaque ætate recepti fuerint: Erneſtus Plate Sleswico Buſtorp ſubſtitit 4. annos. Chriſtoph Clodius Brandenburga Megapolitanus 12. annos. Paulus Bruhn Neo-Monaſterienſis 9. ann. Nicolaus Stollius Sundenſis 7. ann. Georg. Schippermannus Eckernford. 4. ann. Nic. Lorichius Kilienſis Ao. 1603. receptus. Petrus Krey Eydorſtad. 5. ann commoratus. Ao. 1603. recepti: Ioh. Bruhn, Kilonienſ. receptus. Ioh. Elſtorp, Hamburgenſ. Nicolaus Neovinus, Sverinenſ. in biennium Laur. Peterſen ſ. Petrejus Lond. Dithmarſus, Nicolaus Iohannis Schlichtinga-Dithmarſ. die Antonii eod. anno Martinus Hagedorn Buxtehud. qui alibi dictus Hameloa-Weſtphalus per quadriennium hic degit. Otto Mandixon Huſum. 5. annis Ioh. Ioach. Langemack Kilienſ. 5. ann. Thomas Berner Sleswicenſ. Iohann Blome Flensburg. 4. ann. Caſparus Gritzener Kilonienſ. 1. ann. poſt Paſchatis feſtum Martinus Kreye ſeu Coronæus Flintbecca Holſatus 4. ann. Adolphus Wildhagen Sleſvicenſ. 3. ann. Io. Frid. Eminga Kilonienſ. 8. ann. Nico. ab Holſtein Ratzeburg. 2. agens ann. Ioh. a Linge Lubecenſ. Ambroſius Reutzius Golnorio-Pomeranus. Daniel Holmer, Hattſted. prope Huſum ad biennium. Anno 1605. tempore Ducis Iohannis Adolphi Aſmus Moldenitt Provincialilis Dithmarſienſium ſcriba in ſpem inducitur, ejus filium Iohannem loco M. Ple-

alumnorum ab A. 1576.-1663. recenſio

tii filii recipiendi. Anno 1600. Beneficiarii seu qui stipendio fruuntur Rostochii sunt: Lambrechtus Langemack, Daniel Strauch, Petrus Danckwerth. Paulus Bruhn. Alumni. Paulus Bruhne, Christophor. Clodius, Nicol. Stolle, Georg. Schippmann, Nicol. Lorchius, Conrad. Petersenius, Johann Kleinschmitt, Joh. Bruhn. A. 1606. Laurent. Petersenius. Nicolaus Johannsen. Joh. Langemack. Martin Krey s. Coronæus, Caspar Pritzener, Adolphus Wildhagen. Andreas de Luneburg jun. Dan. Holmer. Ao. 1607. Beneficiarii Heidelbergam pertinuerunt; Christoph. Clodius, Conradus Petrejus, Johann Bruno, Nicolaus Johannis. Alumni: Elias Spiesser, Wulff Meürer. A. 1609. Marcus Rhode Pastor Clanxbuttel in Widingharde spem obtinuit filio suo Johann Rhode item 1610. Adolphus Aurifaber, & Ludovicus Spalle. Anno 1612. Adamus Cæsar hic Rector Joh. Hamerich Pastor Bramsted in spem adducitur pro filio suo, item Henricus Werckmeister Senator Tunderensis atque Johannes Adolphus Friesendorff Judicii Secretarius, pro, Hieronymo Friesendorff Tunder. filio. Anno 1616. Albertus Werckmeister Janus Wulbertus Eberus, Joh. Vlb. Iahns. Marcus Utze. Iac. Goldbach. Iac. Brun. Io. Frid. Majoner. Dietr. Hermelinus. Ioh. Hammerich. Eodem anno duo pueri quorum nomina non sunt expressa, Bremenses huic numero adscripti sunt. Ao. 1617. Dietrico Niemann Chyrurgi aulici filio expectatio defertur. Prioribus accesserunt Ioh. Adolph. Fuchet, Theodorus Niemann Pastoris Neustad filius, Adolphus Pellicerus, Adolph. Frid. Plesser, Io. Fridr. Bremer. A. 1618. Mauritius Neodorffius. A. 1619. Henr. van Acken. Io. Adolph van der Wisch. Gregorius Blume Nicolai filius. Albert de Thienen, expectans, Ioh. Vulpius Eberus, D. Philippi Cæsaris Pastoris ad ædem S. Anscharii Bremens. privignus, obtinet consuetum illud honorarium Bremense Albert. Werckmeister Tunderensis 6. annos hic commoratus, & vetitum respuens, frigida lavatum discessit; pœnam vero renuens carceri addictus, virgis cæsus & cœnobio expulsus est: quod ideo factum puto, quod forte jam antea quidam lavationibus studentes aqua submersi fuerint, siquidem etiam A. 1652. d. 25. Iunii. Io. Georg. Meyerus in aqua demersus, periit. A. 1620. Principales Alumni fuerunt: Ambrosius Winter, Iohannis Winteri instrumentorum musicorum confectoris filius, Frider. Lubinus, Cajus Lubbertus, M. Io. Lubberti Diaconis Werdens. apud Dithmarsos, filius, Wilh. Lubinus, Ioh. Bremer, Adolph. Fridr. de Plesse. Ioh. Adolph. Iüchert. Ao. 1621. Henr. Dreyerus, Ioh. Henr. Sutorius, S. Schumacher, Bartholdus Hintze, Ioh. Mösing, Gerhard. Lupinus, Gerlacus Luning, Laur. Schmidt Joh. Schröder, Marcus Greve, Ioh. Adolph, Friesendorff, Hieronym. Præfecturæ scribæ Gottorff filius, ad litterarum culturam minus idoneus, cum honorario dimissus, VVulfius van der VVisch Hildebrandi filius, Iacob N. M. Philippi quondam Pastoris Londinensis filius in expectationem ingreditur, itemque Nicolaus Westphalen Consulis Oldesl. filius. A. 1622. Ambros. Winter. Iac. Braun. Frider. Lubinus Wilh. Lubinus. Cajus Lubbert, Iac. Goldbach, Io. Frider. Bremer, Ioh. Mösing, Io. Henr. Schuhmacher, Henr. Dreyer, Bartholdus Hintze, Georg. & Gregor. Blumii, Io. Ad. von der Wisch, Adolph. Fridr. de Plessen, Gerlacus Luning, Laurentius Fabricius seu Schmidt, Ioh. Schröder, Marcus Greve, Henr. ab Acken, Adolph. Iuchert; scriba puer Hugo Adrian Huisen Kleverkercka receptus, Io. Christoph. Schönbach expectans. A. 1623. Gerg. Rosa Marci Luderi privignus, Ioh. Weddersen filius expectans. A. 1624. Franc. Ridderus Casp. Utermöhlen Georg. Fabricius s. Schmidt, Io. Bendix alias Bonix, Ioh. Fedderssen, Henricus Fischer, Henricus Petri Fabricii Præpositi Sundevitensis & Pastoris Broack. filius, inter alumnos receptus. Circa hunc annum numerus puerorum a 16. ad 24. auctus B. Ernesti Utermöhlen filius sit expectans. A. 1625. Iohannes Lange, Iohann Georgii, Adolphus Geiseler, Franc. Ridder, Cajus Lubbert, Cajus Plessing, Georg. Fabricius, I. H. von der Wisch, Georg. Blum, Ioh. Schröder, Ioh. Lange, Ioh. Bonnix, Ioh. Fedderssen. Henr. Fischerus, Ericus Payssen, I. A. Geiseler Henricus ab Acken. Henr. Iügert. A. 1626. Rectore M. Dan. Westermanno: Frider. Selmer, Hans Nagel, Herrmann Hollmann, Ioh. Petersen. Ioach. Engel, Mart. Petersen, Ericus Peysen. A. 1627. d. 22. Aug. seqq. dimissa est schola Bordesholmensis, & cuivis ad securitatem sibi quærendam & evitanda pericula, quæ bellum diutinum Duce Imp. Com. Tilly gestum minabatur, indeque consecuturas collocationes militum, per ædes, incendia & direptiones denunciabat abeundi libera data fuit potestas. Cum quoque præfecturæ reditus hospitibus his infestis cederent, discessu, optime securitati consulebatur. Etiam equitatus Danicus, hic collocatus fuit. Cœnobium vero cum prochio & templo spoliatum fores atque fenestræ effractæ, omnia vasa, frumentum, atque pecudes, cæteraque eiusmodi in castra Iævenstædæ posita abduxerunt, milites, rustici misere afflicti, immo haud pauci occisi sunt. Anno 1631. Valentini Breitenherti Pastor. Utin. filio stipendium 50. thal. Imp. per quadriennium concessum est, totidemque Georg. Fabricio. An. 1632. Henr. Fischer idem obtinet, Matth. Lobedantz Past. Gaitzebull in Nordstrandia comparat filio Matthiæ eod. a. locum inter expectantes, itemque Colmer Selmer Past. Eckernförd. Friderico suo, nec non M. Anton. Burchardi quondam verbi divini ministri apud Kilonienses duobus filiis suis Matthiæ & Iohanni. An. 1633. Gregor. Blume obtinet ad litterarum studia excolenda 200. Thaler. Imper. Iohann Simonius Pastor Hollingsted. efficit, ut filius Iohannes inter expectantes referatur. Ao. 1635. Sereniſſimus Prin-

Princeps cogitationes contulit in ſcholas diſturbatas, inveſtigando homines bene doctos, qui eſſent præceptores, hinc ad Paulum Sperlingium Rectoris, Georg. Fabricium Con-Rectoris & Hieron. Langemack Cantoris munus detulit. Quo facto Ao. 1635. d. 15. Aug. Gymnaſium denuo inſtauratum & 13. pueris introductis initiatum eſt. Mox vero priſtinus 16. alumnorum numerus plus, quam duplicatus, præceptorum plures conſtituti reditus & beneficia adaucta. Facta eſt illa initiatio per I. A. Beckerum. An. 1635. Novi Alumni Frider. Aug. Ratke, Iac. Fabricius, Statius Krüger, Nicol. Æmil. Ratke, Thomas Kluge, Matth. Burchardi, Ioh. Burchardi, Reinhold Reiner. Iürgen Langeloh. Martin. Holmer, Matth. Lobetantz, Hanns van der Litth, Ioh. Henninges, Petrus Stolt, Lorentz Müller, Cort Gramm. Ludewig Pincier, Otto Meyer. Eod. anno d. 5. Novembr. M. Iac. Fabricius jun. concionator aulicus examen peregit. Anno 1636. Cord de Hagen filii Chriſtoph & Gottlieb fiunt expectantes. A. 1637. Auguſtus Giſæus ſtipendio inſtruitur academias petens. D. Petrus Iüchert, Fridericum filium ſcholæ Bordesholmenſi tradit ſuis ſumtibus alendum. Chriſtian Bruhn Paſt. cœnobii Lœhm. curat filio expectantis beneficium. Edzard Heshuſius Sonderburg. commendatus, in examine ignariſſimus deprehenditur. An. 1638. Naman Nummenſen obtinet expectantis munus. Matth. Iohannſen Weslinburg. idem. Alumni præter illos anno 1636. Laur. Balth. Beſelin Ioh. Hecklaueri privignus, Matth. Iohannſen. Ulricus Becker nobilis Megapolit. Ægid. Gladow. Tob. Timmermann. Nicol. Ægid. Radiginus (Ratje) Petrus Moller. Diac. Slesvicenſ. expectationem adit pro filio Laurentio. Eod. anno, caſus adverſus Bordesholmii exſtitit; aſt haud indicatur factum; forte aliquis aqua ſubmerſus periit. An. 1639. d. 1. Nov. Schola ampliata doctoribus, diſcipulis & auditoriis ditata. Eod. anno M. Nicolaus Moth Paſt. Brarup prope Glucksburg filio concedi expectantis locum curavit. Alumni ſunt: Ioh. Frider. de Holſtein filius hic videtur naturalis ſtirpis Gottorp. omnibus ab aula Gottorp inſtructus, deinde in acad. Roſtoch. ſuſtentatus & a. 1641. Gottorpii cubicularius (Cammer-Iuncker) nobilis ſecundi ordinis factus eſt mortuus vero 1694. Slesvigæ a d. 20. Februarii usque d. 18. Martii campanarum ſonitu honoratus. d. 19. Martii ſepulcro conditus. Sam. Voſſ Nobilis Megapolit. Frid. Ioh. Oldermann. Chriſt. Selmer. Ioh. Lüchtemaker, Naaman Benzen, Martinus Nordanus, Abel Sager, Petr. Ratenburg Paſtoris Brarup in Karcharda filius. Anton. Dafft, Matth. Backmeiſter, Hinric. Storming, Ioach. Piſtorius, Virgilius Emſihoff, Johann Hauer, Cuſo Niſſen, Henr. Schmidt. Cph. Hennings præfecturæ ſcribæ Kil. filius, Samuel Rahel. Gottl. de Hagen. Hier. Schult. A. 1640. Duo auditoria exſtructa videntur in quorum primo plerique priſtinorum alumnorum erant Johann. Frid. de Holſtein, Sam. Voſſ. Martinus Holmer. Matth. Lobetantz. Iohan. van der Lieth. Ioh. Henninges. Petrus Stolte. Frider. Ioh. Oldermann. Chriſtian Selmer. Ioh. Luchtemaker. Naaman Benzen. Ludewig Pincier. Laur. Balth. Beſelin (Matth. Iohannſen Dithmarſus. Weslinburg. ob maledicta in ſcholam & regimini præfectos itemque convicia in Paulum Sperlingium & præfecturæ ſcribam, ejusque uxorem facta anno 1642. recantare, atque exulare debuit) Martinus Nordan, Abel Sager, Peter Ratenburch, Frid. Koch Tonderenſ. In ſecundo Lectorio 1640. Harmen Helm. Ulric. Behr Nobil. Megapol. Ægidius Gladow. Tob. Zimmermann. Matth. Backmeiſter. Joach. Piſtorius. Nicol. Iohannſen. Virgilius Embſichoff. Iohann Hawer. Cæſo Niſſen. Hinric. Schmidt. Paul Sprenckelſen Sleſw. Chriſtoph. Hennings. Gottl. van Hagen. Daniel Albinus ſ. Witte Melch. Witten Paſt. Satrup. filius. Samuel Rachel. Hieronymus Schulte. Anno 1641. Laurent. Boyſen Paſtoris Heldewat filius, Nicolaus Iohann. expectationem adiit; Ulricus Behr pallium obtinet. Ioach. Gieſe inter expectantes refertur. Anno 1642. Ioh. Albinus Paſt. Satrop filius Roſtochium petiit; cujus vero nomen inter prædictos non eſt obvium. Prioribus acceſſerunt. Io. Chriſtian. Fabricius. Io. Turſenius. Alex. Chriſt. Mannsholt. Henric. Plate. Aſmus Finx. Iobſt Docemius. Philipp Moth. Caſpar Swencke. Thomas Theyz Burchard. Niederſtett. Georg. a Horn. Ioh. Bernh. Zintzerlieg. Eorum numerum auxerunt Thomas Thede & Chriſtoph Pentz nobilis. Hoc anno Sveci imperatore belli Torſtenſonio, tribunis Wrangel & Duglas, qui exercitus duces erant, Holſatiam & Daniam invaſerunt, quos mox ſequuti copiæ Cæſar. legato Gallas duce: quibus tumultibus agitatis ad conſervanda prædia, & rura in omni eorum tranſitu ab injuriis libera præſtanda, præſidia diſpoſita ſunt Bordesholmii; ſchola vero dimiſſa, & præceptoribus anno 1644. menſe Iulio labor remiſſus. An. 1644. Petrus Ratenburg Brarupa Tonderenſis fit expectans. An. 1647. d. 11. Ian. ſchola reſtituta Dieterico Gerhardi filio Hamburgenſi expectatio datur, propriis impenſis factis hic commorandi. M. Ioh. Moldenitt ſacrorum Præfect. Eyderſtat. filius natu maior, inter expectantium numerum collocatur. Alumni erant Sam. Rachelius. Frid. Fabricius. Sam. Wiſſmarus. Io. Eric. a Daſſel. Ioh. Snelle. Ioach. Gieſe. Ioh. Langemack. Eberh. Ambroſius. Fridr. Pollmann. Alex. Chriſt. Billiger. Io. Caſp. Docemius. Claus Gladow. Siegfried Siwerſen Tönning. Chriſt. Henr. Peterſen mortuus d. 1. Ian. 1654. Dieteric. Michelſen von Streitfeld. Georg. Ritter. Franciſci Paſt. Huttenſ. filius. Ludov. Uthermarck. Iac. Valepage. Valent. Frid. Zobel. Rev. Petri Polmanni liberi. Schmidii liberi. Anno 1648. Alumni: Hieronymus Prætorius. Iacob Becker. Nicol. Willemann. Marcus Fahn. Claus Runge. Nicol. Martini. Aug. Chriſt. Rager. Nicol. Voigt. Petr. Ioh. Bötticher. Aſmus Moldenitt. Io.

Suecio bello ingruente ſchola aliquamdiu dimiſſa.

Georg. Majer aquis ſuffocatus. Lucas Stolterfoth Lubecenſis. Ioachim Raabe. Sleswicenſ. Ulr. Chriſtian Meletræus. Rudolphus a Bünow, nobilis. Fridericus Zobel b. D. Frid. Zobelii archiatri filius natu minor A. C. præfecturæ ſcribæ mandata fiunt de reficiendis conclavibus. Rudolph Bülow Valent. Dahldorffii Uterſ. filius uterque, Ruberti Iani Huſumenſ. propriis alendus recepti. An. 1649. Petri Heyen præfecturæ Huttenſis ſcribæ filii Ioh. & Frideric. recepti, Frid. Zobel, Otto Sperlin Rectori cognatus, Conrad. aliis Auguſtus Heyder. Auguſt. Frider. Iahn. Rud. a Bünow qui nobilis dicitur. Anno 1650. Iohannis Polackii filius, Fridericus receptus quidem; ſed ad litterarum ſtudia minus idoneus reperitur. Luderi Deſſinii aulæ magiſtri filius natu major, receptus. Sam. Nordanus & & Iohannes Schnell ſtipendium unius anni adipiſcuntur. Caſp. Siverts Tonning. filius abiit. Iohann Peterſen Sleſwic. Burchard Daldorff Sleſwicenſ. Hinric. Feuſtking Elmenhorn. Io. Georg. Reinboth. Aug. Fridr. Doſinal. Deſſin. Iöhann Clodius Slesvicenſis. Anno 1651. Ioh. Erneſt. Bruſen œnopolæ filius, receptus, ut impenſas ipſe faciat. Io. Iac. Telſe, Iacobi Heydenſis filio, ſtipendium elargitur 100. thaler. Imper. Ioh. Clodius ſupra numerum receptus, Iac. Rungii filius pallium refert. Io. Ioach. Becker. Frid. Buſſius. Philipp. Ioach. Wendeler. Lundino-Dithmarſus, Paſtoris ibidem filius. Anno 1652. Auguſt. Frider. de Ahlefeld (Sigfridi filius.) Philipp. Ioach. Wendeler Ditmarſ. Dreyer. Balthaſ. Freymann Hector. Barthol. Naſſert. Bartholomæus Klöcker & Barthol. Schönbach. Klöcker, Schönbach, Matthiæ Martini Sleſvicenſ. ſtipendium in academiam profecturo datur. Hans Kalliſen rei familiaris præfecti (Haus-Voigts) Apenrad. filius, Runge, Billiger, Pollmann ordinario ſtipendio Roſtochii fruuntur. Eod. anno Petrus Io. Bötticher Paſt. Bruggenſ. filius. Auguſt. Frid. ab Ahlefeld, Sigfrid. & Auguſt. fil. Balthaſar Freymann. Ioh. zur Linden. Barthol. Naſſer. Frider. Kalliſen curatoris rei familiaris apud Apenrad filius. Dieter. Klöcker Flensburgenſ. Mauritius Hector. Ioh. Frid. Schönbach. Eod. anno dictus Io. Georg. Mayer d. 25. Iunii aqua periit. An. 1653. Bilger Mundcoqui filius argento ad pallium academicum ſibi emendum, Roſtochium abiturus, donatur. Alumni, Auguſt. Fridr. Deſſin, antea jam recenſitus. Frider. Sperling. Frider. Müllenhagen. Ioh. Souwe. Andr. Anderſen Conſulis Tonder. filius. Ioach. Mesſtorff Præfecturæ Cizmar filius. Auguſt. Frid. Iahn & Ioh. Peterſen Roſtochii 1653. m. Iunio exilio mulctati ſunt. Anno 1654. Ioh. Frid. Kalliſen cum nondum ſeptem menſes hic exegerat e vita exceſſit. Ludov. de Desſin. Iac. Fabricius. Ioh. Sattmann. Io. Philipp. Ruſſmann. Georg. Andr. Mantzinus. Io. Müller ordinum ductoris filius. Dieteric. Klöcker Flenopolitanus. Dieteric. Michelſen pallio donatur. An. 1655. Frider. Walther Slager. Palat. Ioh. Müller, pictoris aulici Gottorp. filius. Frid. Sperling. Matth. Nowock. Hinricus Brammer concionator. Kil. filius. Frider. Io. Perſenn. Paſtoris ad S. Michael. ædem Sleſwicenſ. filius. Henr. Hagen Paſt. Sultfeld filius. Anno 1656. Io. Georg. Petri Paſt. Steinbecc. filius. Henr. Sperlingius. An. 1657. Dux Fridericus menſe Majo ſcholæ præfectis atque alumnis ob belli incommoda graviſſima, atque vexationes intolerandas abitum ad ſuos indixit, usque dum aliter ſtatuere forſan licuerit. An. 1658. Bellum Brandenburgicum Cæſareum Polonicum & Suecicum Holſatiam & Iutiam oppreſſit, præfecturæ reditus impediti, ſubjecti exhauſti, res ſcholaſtica contracta corruit. Attamen ſcholæ præfectis ſtipendium annuum datum eſt, usque dum anno 1662. d. 20. Octobr. Gymnaſium denuo reſtitueretur. Anno 1662. Bernhard Müller. Barthold Io. Brammer. Martin. Butzer. Ioh. Brauer. Eberhard Kampovener Anglo-Cimber. Petr. Balthaſ. Küſch Sleſvicenſ. Frid. Theodor. Huſumenſ. Andreas Anderſen. Chriſtian Thomſen. Anaſtaſius Lüttkemann. Chriſtian Grothe. Matth. Simonius. Frideric. Hohenholtz. Io. Henr. Elers. Claus Stegelmann. Burcard Stahl Apenradenſis. Io. Adolph. Ruſſmann Io. Henr. Hartwich, Majoris filius.

Schola per intervallum ceſſat.

III.

M. ADAMI (1) BREMENSIS, HISTORIAE ECCLESIASTICAE

LIBRI I. CAPITA XXXII.

NOTIS

OTTONIS SPERLINGII

ILLVSTRATA.

BEATISSIMO PATRI, ET ELECTO COELITVS

ARCHIEPISCOPO HAMMABURGENSI (2) LIEMARO

A. MINIMUS (3) SANCTAE BREMENSIS ECCLESIAE CANONICUS INTEGRAE DEVOTIONIS PARVUM MUNUS:

Cum in numerum gregis veſtri, paſtor Evangelice, nuper a deceſſore veſtro colligerer, ſedulo operam dedi, ne proſelytus & advena tanti muneris beneficio ingratus exiſterem. Mox igitur ut oculis atque auribus accepi Eccleſiam veſtram antiqui honoris

ris privilegio nimis extenuatam, (4) multis egere conſtructorum manibus, cogitabam diu quo laboris veſtri monumento exhauſtam viribus matrem potuerim iuvare. Et ecce occurrunt mihi plurima interdum legenti vel audienti facta ab anteceſſoribus veſtris, quæ tum ſui magnitudine, tum Eccleſiæ hujus neceſſitate videantur digna relatu. Sed quoniam rerum memoria latet, & pontificum loci non eſt tradita literis hiſtoria, fortaſſe dixerit aliquis, aut nihil eos dignum memoria feciſſe in diebus ſuis, aut ſi fecerant quippiam, ſcriptorum qui hoc poſteris traderent diligentia caruiſſe: Hac ego neceſſitate perſuaſus, appuli me ad ſcribendum de *Bremenſium ſive Hammaburgenſium* (5) ſerie præſulum, non alienum credens meæ devotionis officio, ſeu negotio veſtræ legationis, ſi cum ſim filius Eccleſiæ, ſanctiſſimorum patrum, per quos Eccleſia exaltata, & Chriſtianitas in gentibus dilatata eſt, geſta revoluo. Ad quod nimirum valde arduum & viribus meis impar onus eo majorem flagito veniam, quo fere nullius qui me præceſſit veſtigia ſequens, ignotum iter quaſi palpans in tenebris carpere non timui eligens in vinea Domini pondus diei ferre & æſtus, quam extra vineam ſtare ocioſus. Tuo igitur, ſanctiſſime præſul, examini audacter incœpta committo; te judicem ſimulque defenſorem imploro ſciens tibi pro ſapientia tua nihil dignum poſſe deferri: qui decurſo mundanæ prudentiæ ſtadio, ad ſtudium divinæ philoſophiæ majore nunc aſcendiſti gloria, terrena deſpiciens, & ſola cœleſtia meditans. Cumque doctrina & veritate, hoc eſt verbo & exemplo paſtorali facile multos excellas, præcipua eſt in virtutibus tuis humilitas, quæ omnibus te communem faciens, mihi quoque fiduciam dedit, qua balbutiens audeam cum Philoſopho loqui, & Saul inter prophetas videri. Scio tamen aliquos, ut in novis rebus fieri conſuetum eſt, adverſarios mihi non defuturos, qui dicant hæc ficta & falſa veluti ſomnia Scipionis a Tullio meditata; dicant etiamſi volunt per eburneam portam Maronis egreſſa. Nobis præpoſitum eſt non omnibus placere, ſed tibi pater & Eccleſiæ tuæ. Difficillimum eſt enim invidis placere. Et quoniam ſic æmulorum cogit improbitas, fateor tibi quibus ex pratis defloravi hoc fertum, ne dicar ſpecie veri captaſſe mendacium. Itaque de hiis quæ ſcribo, aliqua per ſchedulas diſperſa collegi, multa vero de hiſtoriis mutuavi, & privilegiis Romanorum, pleraque omnia ſeniorum quibus res nota eſt traditione didici teſtem habens veritatem, nihil de meo corde propalari, nihil temere definiri; ſed omnia quæ poſiturus ſum certis roborabo teſtimoniis, ut ſi mihi non creditur, ſaltem auctoritati tribuatur. In quo opere talibusque auſis ſciant omnes, quod nec laudari cupio ut hiſtoricus, nec improbari metuo ut falſidicus. Sed quod bene ego non potui melius ſcribendi cæteris materiam reliqui. Ab introitu ſancti Willehadi cum Saxonia tota & armis ſubacta Francorum & divino cultui mancipata eſt, ordiens, in tuo ſalutari ingreſſu pono metam libelluli ſimul omnipotentis Dei miſericordiæ ſupplicans, ut qui de populo ſuo diu erranti & afflicto paſtorem conſtituit, annuat etiam tua opera tuisque diebus, ea quæ inter nos ſunt prava corrigi, & correcta perpetuo conſervari. Ad hoc quæ in gentium converſione a prædeceſſoribus tuis ſtrenue dudum incepta ſunt, a te qui hæreditariam prædicandi legationem poſſides in totam ſeptentrionis latitudinem mature perfici concedat Jeſus Chriſtus Dominus noſter cujus regni non eſt finis per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Cap. I. Hiſtoriam Hammaburgenſis Eccleſiæ ſcripturi, quoniam Hammaburg nobiliſſima quondam Saxonum civitas erat, non indecens aut vacuum fore putamus, ſi prius de gente Saxonum & natura ejusdem provinciæ ponemus ea, quæ doctiſſimus vir Einhardus aliique non obſcuri auctores in ſcriptis ſuis reliquerunt. Saxonia, inquiunt, pars non modica eſt Germaniæ, & ejus quæ a Francis incolitur duplum in lato putatur habere, cum ei longitudine poſſit eſſe conſimilis. Poſitio ejus recte metientibus trigona videtur, ita ut primus angulus in auſtrum porrigatur, uſque ad Rhenum flumen. (*) Secundus vero inchoans a maritimis Hadeloe regionis, longo ſecus Albiam limite protenditur in orientem uſque ad Salam fluuium. Ibi eſt angulus tertius. Itaque ab angulo in angulum habens iter octo dierum, præter eam partem Saxoniæ quæ trans Albiam ſupra incolitur a *Sorabis* (6) infra autem a Nordalbingis. Saxonia viris, armis & frugibus inclyta excepto quod raris intumeſcit *collibus* (7) Tota vero declivis in planiciem conſideratur, ſola caret vini *dulcedine*, (8) alia omnia fert uſui neceſſaria. Ager ubique fertilis, compaſcuus & ſylveſtris. Qua Thuringiam accedit, aut Salam vel Rhenum fluvios, ibi prorſus opimus. Cæterum juxta Freſiam paluſtris & aridus prope Albiam degenerat aliquantum. Jocunda ubique, nec mirum, cum oportuna provinciam riget amnium copia.

Cap. II Nobiliſſimi Saxoniæ fluuii ſunt Albis, Sala, Wiſura, qui & Wirraha nuncupatur. Is in Thuringiæ ſaltu fontem habet, quemadmodum & Sala: deinde mediam curſu pertranſiens Saxoniam, in vicino Freſonum ſortitur occaſum. Verum maximus Albis qui nunc Albia nomen habet, etiam Romanorum teſtimonio prædicatur, *cujus ortum ferunt trans Bohemiam*, (9) mox Slavos dirimit a Saxonibus. Juxta Magdaburg in ſe *recipit Salam fluvium* (10) nec longe ab *Hammaburg* (11) ipſe Albia mergitur in Oceanum. Quartus ex magnis Saxoniæ fluminibus eſt Emiſa, qui Weſtvalos a reliquis illius provinciæ dirimit populis. Isque oritur in ſaltu Padarburnenſi; currit autem per medios Freſonum terminos in Oceanum Britannicum.

Cap. III. Quærentibus autem qui mortales ab initio Saxoniam coluerunt, vel a quibus gens hæc primo finibus ſit egreſſa, compertum eſt nobis

bis ex multa lectione veterum, istam gentem sicut omnes fere populos, qui in orbe sunt, occulto Dei judicio non semel de regno ad populum alterum fuisse translatos, & ex nomine victorum provincias quoque vocabula sortitas. Quippe, si Romanis credendum est scriptoribus, primi circa Albiam, & in reliqua Germania *Suevi habitarunt*, (12) quorum *confines erant* (13) qui dicuntur *Driades* (14) *Bardi*, (15) *Sicambri*, (16) *Huni*, (17) *Wandali*, (18) *Sarmatæ*, (19) *Langobardi*, (20) *Heruli*, (21) *Dacæ*, (22) *Marcomanni*, (23) *Gothi*, (24) *Nordmanni* (25) & *Sclavi*. (26) Qui propter inopiam soli natalis, contentionesque domesticas, aut sicut dicitur, minuendæ multitudinis causa a loco suo egressi, *totam simul Europam* (27) *inundaverunt* & Africam. De antiquitate vero Saxonum meminit Orosius & Gregorius ita: *Saxonum*, inquiunt, *gens* (28) ferocissima virtute, & agilitate terribilis, in Oceani littore habitat, inviis inaccessa paludibus, quæ periculosam tunc Romanis finibus irruptionem meditans, *a Valentiniano Imperatore* (29) oppressa est. Deinde cum occuparent Gallias Saxones, a *Siagrio duce Romanorum* (30) victi sunt & *insulæ eorum captæ* (31) Igitur Saxones primo circa Rhenum sedes habebant, & vocati sunt Angli, quorum pars inde veniens in Britanniam, Romanos ab illa depulit insula. Altera pars Thuringiam oppugnans tenuit eam regionem. Quod breviter conscribens Einhardus, tali modo suam ingreditur historiam.

Cap. IIII. Saxonum gens, inquit, sicut tradit antiquitas, ab Anglis Britanniæ incolis egressa, per Oceanum navigans, Germaniæ littoribus studio & necessitate quærendarum sedium appulsa est, in loco qui vocatur Hatheloe. Eo tempore quo *Thidericus rex Francorum* (32) contra Hirminfridum ducem Thuringorum generum suum dimicans, terram eorum crudeliter ferro vastavit & igne, & cum jam duobus præliis ancipiti pugna incertaque victoria mirabili cæde suorum decertassent, Theodoricus spe vincendi frustratus, misit legatos ad Saxones, quorum Dux erat Hadugatus, ut audivit causam adventus eorum pollicitisque pro victoria cohabitandi sedibus, conduxit eos in adjutorium. Quibus secum quasi jam pro libertate & patria fortiter dimicantibus superavit adversarios, vastatisque indigenis & ad internecionem pene deletis, terram eorum juxta pollicitationem suam victoribus delegavit. Qui eam sorte dividentes, cum multi ex eis in bello cecidissent, & pro raritate eorum tota ab eis occupari non potuit, partem illius, eam maxime quæ respicit orientem, colonis tradebant, singulis, pro sua sorte, sub tributo exercendam. Cætera vero loca ipsi possederunt. A meridie quidem Francos habentes, & partem Thuringorum, quos præcedens hostilis turbo non tetigit, alveoque fluminis Unstrote dirimuntur; A septentrione vero Nordmannos, gentes ferocissimas; *Ab ortu solis Obotritos*; (33) & ab occasu Frisos, aquibus sine intermissione vel fœdere vel concertatione necessaria finium suorum spatia tuebantur. Erant enim inquieti nimis, & finitimorum sedibus infesti, domi vero pacati, & civium utilitatibus placida benignitate consulentes. Generis quoque ac nobilitatis suæ *Cap. V.* providissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium, vel sibi *inferiorum connubiis infecti*, (34) propriam & sinceram, tantumque sibi similem gentem facere conati sunt. Unde habitus quoque ac magnitudo corporum *comarumque color*, (35) sicut in tanto numero hominum, idem pene omnibus. Quatuor igitur differentiis gens illa consistit, *nobilium* (36) *scilicet*, & *liberorum* (37) *libertorumque* (38) atque *servorum*. (39) Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugiis propriæ sortis terminos transferat; sed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam, libertus conjungatur libertæ, & servus ancillæ. Si vero quispiam [horum sibi non congruentem, & genere præstantiorem] duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno componat. (40) Legibus etiam ad vindictam malefactorum optimis utebantur. Et multa utilia atque secundum legem naturæ honesta, in morum probitate studuerunt habere quæ eis ad veram beatitudinem promerendam proficere potuissent, si ignorantiam creatoris sui non haberent, & a veritate culturæ illius non essent alieni. Coluerunt enim eos qui natu- *Cap. VI.* ra non erant Dii, inter quos præcipue *Mercurium venerabantur*, (41) cui certis diebus humanis quoque hostis litare consueverant. Deos suos neque templis includere, (42) neque ulla humani oris specie assimilare, ex magnitudine & dignitate cœlestium arbitrati sunt. *Lucos & nemora* (43) consecrantes, deorumque nominibus appellantes, secretum illud sola reverentia contemplabantur. Auspicia & sortes quam maxime observabant. Sortium consuetudo simplex erat, virgam frugiferæ arbori decisam, in surculos amputabant, eosque *notis quibusdam discretos* (44) *super candidam vestem* (45) temere ac fortuito spargebant. Mox si publica fuit consultatio, sacerdos populi; si privata ipse pater familias precatus Deos, cœlumque suspiciens ter singulos tulit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatus est. Si prohibuerunt, nulla de eadem re ipsa die consultatio: si permissum est, eventuum adhuc fides exigebatur. *Avium voces & volatus* (46) interrogare proprium erat illius gentis. Equorum quoque præsagia ac motus experiri, hinnitusque ac fremitus observare. Nec ulli auspicio major fides, non solum apud plebem, sed etiam apud proceres habebatur. Erat & alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorare solebant. Ejus quippe gentis cum qua bellandum fuit, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committere, & victoriam hujus vel illius pro judicio habere. Quomodo autem certis diebus, cum aut *inchoatur luna, aut impletur*, (47) agendis rebus auspicatissimum initium crediderunt, aliaque innumerabilia

merabilia vanarum ſuperſtitionum genera quibus impliciti ſunt, obſervaverint prætereo. Hæc vero ideo commemoravi, quo prudens lector agnoſcat a quantis errorum tenebris, per Dei gratiam & miſericordiam ſint liberati; quando eos ad cognitionem ſui nominis lumine veræ fidei perducere dignatus eſt.

Erant enim ſicut omnes fere Germaniam incolentes, & natura feroces, & cultui dæmonum dediti, veræque religioni contrarii, neque divina neque humana jura polluere vel transgredi inhoneſtum arbitrabantur. Nam & *frondoſis arboribus, fontibusque* (48) venerationem exhibebant. Truncum quoque ligni non parvæ magnitudinis in altum erectum ſub divo colebant, patria eum lingua IRMINSVL (49) appellantes, quod latine dicitur univerſalis columna, quaſi ſuſtinens omnia. Hæc tulimus excerpta ex ſcriptis Einhardi, de adventu, moribus & ſuperſtitione Saxonum, *quam adhuc Slavi & Sueones* (50) ritu paganico ſervare videntur.

Cap. VII. Qualiter autem gens dura Saxonum ad cognitionem divini nominis pervenerit, aut quibus prædicatoribus ad Chriſtianæ religionis normam pertigerit, explicare locus quærit, ſi de bello prius Caroli quod cum Saxonibus longo profligatum eſt tempore, mentionem facimus, & belli cauſas ſimul connectimus. Thuringii vel Saxones, itemque cæteræ quæ juxta Rhenum ſunt nationes, ex antiquo Francis tributariæ leguntur. Quibus deinde a regno eorum deficientibus Pippinus genitor Caroli bellum intulit, quod tamen filius ejus majori felicitate peregit; de quo idem ſcriptor Einhardus brevi epilogo meminit dicens: Suſceptum eſt igitur bellum adverſum Saxones, quod magna utrinque animoſitate, tamen majore Saxonum quam Francorum damno, per continuos XXX. annos gerebatur: poterat ſiquidem citius finiri, ſi Saxonum hoc perfidia pateretur. Omnibus igitur qui reſiſtere ſolebant profligatis & in ſuam poteſtatem redactis, ea conditio a rege propoſita, & ab illis ſuſcepta eſt, ut abjecto dæmonum cultu, relictisque patriis ceremoniis, Chriſtianæ fidei ſacramenta ſuſciperent; & Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur: tractumque per tot annos bellum ita conſtat eſſe finitum. Nunc autem ſpiritales animarum triumphos ad ſcribendum ſuccincti, de his prædicatoribus, qui ferociſſimos Germaniæ populos ad divinam religionem perduxerunt, tale ſumamus exordium.

Cap. VIII. Primus omnium qui *Auſtrales Germaniæ partes,* (51) Idolorum cultui deditas, ad cognitionem divinæ ac Chriſtianæ religionis adduxit, erat Winifridus natione Anglus, verus Chriſti philoſophus, cui poſtea cognomentum *ex virtute* (*) erat Bonifacius. Et quamvis alii ſcriptorum vel *Gallum in Alemannia,* (52) vel *Heimeraminum* (53) in Bavaria, ſive *Kilianum* (54) in Franconia, ſeu certe *Willebrordum in Freſia* (55) priores aſſerant verbum Dei prædicaſſe; Hic tamen omnes alios, uti Paulus apoſtolus, ſtudio & labore prædicationis antevenit. Ipſe enim, ut in geſtis ſuis legitur, apoſtolicæ ſedis auctoritate fultus, legationem ad gentes ſuſcepit, Theutonumque populos, apud quos nunc & ſumma Imperii Romani, & divini cultus reverentia viget ac floret, Eccleſias doctrina, virtutibusque illuſtravit. Quorum etiam provincias in *Epiſcopatus diſtribuens,* (56) ſeorſum *Francos cis Rhenum,* (57) Heſſones ac Thuringos qui Saxonum confines ſunt, primitivo quodam laboris ſui fructu Chriſto & Eccleſiæ copulavit. Tandemque a Freſonibus, quos jam ante ad fidem converterat, illuſtri martyrio coronatus eſt. Geſta ejus a diſcipulis plenaria manu edita ſunt, qui ferunt eum *agonizaſſe* (58) cum aliis quinquaginta & amplius commilitonibus ſuis, *anno ordinationis ſuæ XXXVII.* (59) Ipſe eſt annus Dominicæ incarnationis DCCLV. *Pippini junioris regnantis.* (60) XIIII.

Poſt paſſionem ſancti Bonifacii Willehadus *Cap. IX.* & ipſe Angligena, feruens amore Martyrii properavit in Freſiam; ubi conſiſtens ad ſepulchrum beati martyris, Paganos facti pœnitentes ſuſcepit, & credentium multa millia baptizavit. Deinde cunctam in circuitu provinciam cum diſcipulis perluſtrans *idola confregiſſe,* (61) populosque ad culturam veri Dei evangelizaſſe, dicitur. Tunc & gentilium zelo fuſtibus percuſſus, & gladio legitur *ad jugulandum proſcriptus.* (62) Licet gratia Dei majoribus eum prædeſtinaret titulis, *ſua tamen voluntate* (63) & ſtudio nihilominus ad martyrium piger erat. Poſt hæc miſſus *a Carolo rege in Saxoniam,* (64) *primus omnium doctorum* (65) maritimas & boreales Saxoniæ partes, ac Transalbianos populos ad Chriſtianam provocavit fidem. Septem annos prædicaſſe dicitur eam regionem, uſque ad annum rebellionis Saxonum XII cum Widuchind perſecutionem movens in Chriſtianos, Francorum terminos uſque ad Rhenum vaſtabat in qua perſequutione diſcipuli Willehadi ſancti quidam Bremæ, quidam per Freſiam, cæteri trans Albiam paſſi leguntur. Unde confeſſor Dei, majus adhuc lucrum expectans, de converſione plurimorum, legitur ſecundum Evangelicum præceptum de civitate in civitatem fugiſſe, diſperſiſque ad prædicandum ſociis, ipſe Romam cum Luidgero veniſſe. Ubi ſanctiſſimi Papæ Adriani conſolatione relevati, Luidgerus in montem Caſſinum receſſit ad confeſſionem ſancti Benedicti. *Willehadus in Galliam* (66) ad ſepulchrum ſancti repedavit Willebrordi. Itaque biennio uterque *recluſi* (67) contemplativæ vitæ operam dabant, apprime orantes pro perſecutoribus & gente Saxonum, ne jactum in eis ſemen verbi Dei inimicus homo zizaniis oppleret, impletumque eſt quod ſcriptura dicit, multum valet deprecatio juſti aſſidua. Hæc *de vita ejus* (68) ad ſenſum excerpta protulimus. Transacto igitur biennio, quod eſt anno Caroli XVIII. (69) Widekind incentor rebellionis ad fidem Caroli venit, baptizatus eſt ipſe cum aliis Saxonum magnatibus, & tunc demum Saxonia ſubacta, in provinciam redacta eſt. Quæ ſimul *in VIII. Epiſcopatus* (70) diviſa,

Mo-

Moguntino & Colonienſi (71) Archiepiſcopis eſt ſubjecta. Cujus exemplar diviſionis, quod *ex præcepto regis* (72) in Bremenſi Eccleſia ſervatur, hiis cognoſci poteſt verbis.

Cap. X. In nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Carolus divina ordinante providentia Rex. Si Domino Deo exercituum ſuccurrente in bellis victoria potiti ſumus, in illo & non in nobis gloriamur, & in hoc ſeculo pacem & proſperitatem, & in futuro perpetuæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Qua propter noverint omnes Chriſti fideles, quod Saxones, quos à progenitoribus noſtris ob ſuæ pertinaciam perfidiæ ſemper indomabiles, ipſique Deo & nobis tamdiu rebelles, quouſque illius non noſtra virtute ipſos & bellis vicimus, & ad baptiſmi gratiam Deo annuente perduximus, priſtinæ libertati donatos, & omni nobis debito cenſu ſolutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipſi tributarios & ſubjugales devote addiximus, videlicet, ut qui noſtræ poteſtatis jugum hactenus ferre detrectaverunt; victi jam (Deo gratias) & armis & fide Domino & Salvatori noſtro Jeſu Chriſto & ſacerdotibus ejus omnium ſuorum jumentorum & fructuum totiusque culturæ decimas ac nutrituræ, divites ac pauperes legaliter conſtricti perſolvant. *Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in provinciam redigentes, & inter Epiſcopos certo limite diſterminantes,* (73) Septentrionalem illius partem, quæ eſt piſcium ubertate ditiſſima, & pecoribus alendis habetur aptiſſima, pio Chriſto, & Apoſtolorum ſuorum principi Petro pro gratiarum actione devote obtulimus: Sibique in Wigmodia in loco Bremen vocato, *ſuper flumen Wirraham* (74) Eccleſiam & Epiſcopalem ſtatuimus cathedram. Huic parochiæ decem pagos ſubjecimus, quos etiam abjectis eorum antiquis vocabulis & diviſionibus, in duas redegimus provincias, hiis appellantes nominibus, Wigmodiam & Lorgœ. Inſuper ad præfatæ conſtructionem Eccleſiæ in ſupradictis pagis LXX. manſos cum ſuis colonis offerentes totius hujus parochiæ incolas, decimas ſuas Eccleſiæ, ſuoque proviſori fideliter perſolvere, hoc noſtræ majeſtatis præcupto jubemus, donamus & confirmamus. Adhuc etiam ſummi pontificis & univerſalis Papæ Cdriani præcepto, nec non & Mogontiacenſis Epiſcopi Lullonis, omniumque qui affuere pontificum conſilio, eandem Bremenſem Eccleſiam cum omnibus ſuis appendiciis Willehado probabilis vitæ viro, coram Deo & ſanctis ejus commiſimus. Quem etiam primum ejusdem Eccleſiæ III. Idus Julii conſecrari fecimus Epiſcopum, ut populis divini ſemina verbi ſecundum datam ſibi ſapientiam fideliter diſpenſando, & novellam hanc Eccleſiam *canonico ordine* (75) & monaſteriali competentia, utiliter inſtruendo, interim plantet & riget, quouſque precibus ſanctorum ſuorum exoratus, incrementum det omnipotens Deus. Innotuit etiam idem *venerabilis vir* (76) ſerenitati noſtræ, eam, quam diximus, parochiam propter barbarorum infeſtantium pericula ſeu varios eventus qui in ea ſolent contingere, ad ſuſtentacula ſive ſtipendia Dei ſervorum inibi militantium Deo, minime ſufficere poſſe. Quamobrem quia Dominus omnipotens in gente Freſonum, ſicut & Saxonum, oſtium fidei aperuit, partem prænominatæ regionis videlicet Freſiæ, quæ contigua huic parochiæ eſſe dinoſcitur, eidem Bremenſi Eccleſiæ, ſuoque proviſori Willehado Epiſcopo ejusque ſucceſſoribus, perpetualiter delegavimus retinendam. Et quia caſus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, ne quis, quod non optamus, aliquam ſibi in eadem diœceſi uſurpet poteſtatem, certo eam limite fecimus terminari, eique hos terminos, mare Oceanum, Albiam fluvium, Liam, Steinbach, Haſalam, VVimarcham, Sneidbach, Oſtam, Mulinbach, Motam paludem, quæ dicitur Sigefridesmor, Quiſtinam, Cheſenmor, Aſchbroch, VViſebroch, Bivernam, Uternam, iterumque Oſtam. Ab Hoſta vero uſque quo perveniatur ad paludem quæ dicitur Caldenbach. Deinde ipſam paludem uſque in VVempnam fluvium. A VVempna vero Bicinam, Farſtinam uſque in Wirraham fluvium De hinc ab orientali parte ejusdem fluminis viam publicam, quæ dicitur Heſſeweg, Sturmegœ & Largœ diſterminantem Sechbaſam, Alapam, Caldhowa, iterumque VVirraham: ex occidentali autem parte viam publicam, quæ dicitur Flocweg, Derue & Largœ dividentem, uſque in Huntam flumen. Deinde ipſum flumen, & Amrivum Lucum ſylveſtrem, quem incolæ loci VVildloch nominant, Finolam, VValdeſmoer, Bercpol, Eddenriad paludem, Emiſgœ & Oſtergœ diſterminantem, Bruſtlacho, Biberlachiterumque mare; firmos & intransgreſſibiles circumſcribi juſſimus. Et ut hujus donationis ac circumſcriptionis auctoritas noſtris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulſa manere, manu propria ſubſcripſimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.



Signum Domini Caroli regis (77) inuictiſſimi. Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis, & ſacri Palatii Capellanus, recognovi. *Data II. Idus* (38) Julii, Anno Dominicæ incarnationis DCC. LXXXVIII. Indictioone XII. Anno autem regni Domini Karoli XXI. Actum (79) palatio Nemetenſi feliciter. Amen.

Sedit igitur Dominus & pater noſter VVillehadus poſt ordinationem ſuam *annos duos* (80) menſes tres, dies XXVI. prædicavitque tam Freſis quam Saxonibus poſt martyrium ſancti Bonifacii, omnes annos triginta quinque. Obiit autem ſenex & plenus dierum in Freſia in villa Pleccazze, quæ ſita eſt in Ruſtris. Corpus ejus Bremam deportatum in baſilica ſancti Petri, quam ipſe ædificavit ſepultum eſt. Tranſitus ejus celebratur feſtivis gaudiis VI. Idus Novembris, ordinatio. III. Idus Julii. Extat vitæ actuumque ejus inſignis liber, quem ſucceſſor ejus IIII. fideli ſtilo exaravit Ansgarius. Ad cujus lectionem, quia nos ad alia properamus, cupientem ſcire transmittimus. *Cap. XI.*

Proximum ſancto VVillehado ex diſcipulis ejus *Cap. XII.*

ejus WILLERICVM in Bremensi Ecclesia præfuisse legimus, quem alii Willeharium nuncupant. *Seditque annos L.* (81) usque ad annum Luthowici senioris penultimum. Cum vero scriptum sit in *libro Donationum sive Traditionum* (82) Bremensis Ecclesiæ, ab anno XXXVII. Caroli, usque ad XXV. annum Luthewici præsediſſe Willericum; XII. anni minus reperiuntur ab eo quem prædiximus numero. Et credi potest tanto tempore Bremensem Episcopatum cessasse quemadmodum & alios propter novellam gentis Saxonum conversionem, quæ nondum se Episcopali ditione regi patiebatur: maxime cum nullis fere annis a bello vacantibus, tandem Saxones ita profligati legantur, ut ex hiis qui incolunt utrasque ripas Albis fluminis X. milia hominum cum parvulis in Franciam translati sint. Et hic est annus *diuturni Saxonum belli XXXIII.* (83) quem Francorum historici ponunt memorabilem; scilicet Caroli Imperatoris XXXVII. Quo tempore cum Sclavorum quoque gentes Francorum Imperio subiicerentur, Carolus *Hammaburg civitatem Nordalbingorum* (84) extructa, ibidem Ecclesia Heridago cuidam sancto viro quem loci Episcopum designavit ad regendum commisit; (85) cui etiam propter infestationem barbaricam, ubi interdum posset consistere, cellam quandam in Gallia Rodnach donavit. Disponens eandem Hammaburgensem Ecclesiam, cunctis Sclavorum Danorumque gentibus Metropolim statuere. In qua re ad perfectum ducenda, & mors Heridagi presbyteri & occupatio regni, Carolum Imperatorem ne desideratacompleret impedivit. Legimus in libro donationum Bremensis Ecclesiæ, Willericum Bremensem Episcopum Transalbianis etiam ante Ansgarium prædicasse, & Ecclesiam in Milinthorp (86) frequenter visitasse, usque ad tempus quo Hammaburg metropolis facta est. (87)

Cap. XIII. Et quoniam mentionem Danorum semel fecimus, dignum memoria videtur, quod victoriosissimus Imperator Carolus, qui omnia regna Europæ subjecerat novissimum cum Danis bellum suscepisse narratur: Nam Dani & cæteri qui trans Daniam sunt populi ab historicis Francorum omnes Nordmanni vocantur. Quorum Rex Gotafrid jam antea Fresis, itemque Nordalbingis, Obotritis & aliis Sclavorum populis tributo subactis, ipsi Carolo bellum minatus est. Hæc dissensio voluntatem Imperatoris vel maxime de Hammaburg retardavit. Tandem *extincto cælitus Gotafrido* (88) Hemming patruelis ejus succeſſit, qui mox pacem cum Imperatore faciens, Egdoram fluvium regni terminum accepit. Nec multo post Clarissimus Imperator Carolus obiens, Luthewicum filium suum Imperii reliquit hæredem. Cujus transitus ad superos contigit *anno XXV. Willerici*, (89) die V. ante Kalend. Februarii.

Cap. XIV. Lothewicus voluntatem patris oblitus *provinciam Transalbianam* (90) *Bremensi & Ferdensi Episcopo* (91) commendavit. A quo tempore *gesta incipiunt sancti Ansgarii.* (92) quoniam borealium gentium historia nostram, id est, Bremensem Ecclesiam in parte respicit, disposui, nec inutiliter, ut arbitror, passim occurrentia tangere acta Danorum. Per idem tempus Hemmingo (43) Danorum rege mortuo, *Sigafrid & Anulo* (94) nepotes Gotafridi cum inter se de primatu regni convenire non possent, prælio diviserunt, in qua congressione XI. milibus hominum interemptis, Reges ambo ceciderunt. *Pars Anulonis* (95) cruenta victoria potita, Reginfridum & Haroldum in regnum posuerunt. Moxque Reginfridus (96) Haroldo pulsus (97) piraticam classem exercuit. Haroldus vero cum Imperatore fœdus iniit. (98) Historia plenius hæc Francorum exequitur. In diebus illis scribitur, quod Ebo Remensis (99) cum de salute gentium religionis studio ferueret, legationem ad gentes cum Halirgario suscepit a Paschali Papa, quam postea noster Ansgarius divina opitulante gratia feliciter peregit. Anno Willerici XXXIII. (100). Luthewicus Imperator novam in Saxonia Corbejam exorsus, religiosissimos Franciæ monachos ad illud congregavit cœnobium, inter quos præcipuus legitur sanctissimus pater noster ac *philosophus Christi Ansgarius* (101) vitæ atque scientiæ merito clarus, & omni Saxonum populo acceptus. Eodemque tempore Rex Danorum *Haroldus a filiis Gotafridi* (102) regno spoliatus ad Luthewicum supplex venit Imperatorem; qui & mox Christianæ fidei cathechismo imbutus *apud Moguntiam* (103) cum uxore, fratre, & magna Danorum multitudine baptizatus est. Quem Imperator a sacro fonte suscipiens, cum decreviſſet in regnum suum restituere: dedit ei *trans Albiam beneficium* (104) & *fratri ejus Horico*, ut tum piratis obsisteret *partem Fresiæ* (105) concessit, quam adhuc Dani quasi legitimam sui juris reposcunt. *Cap. XV.*

Cum autem nemo doctorum facile posset inveniri, qui cum illis ad Danos ire vellet, propter barbaricam crudelitatem, qua gens illa fugitur ab omnibus, sanctus Ansgarius divino ut credimus, spiritu accensus, & qui ad martyrium aliqua optabat occasione pertingere, cum socio se ad ultroneum obtulit Audberto, non solum inter barbaros, verum etiam in carcerem & mortem pro Christo ire paratus. Itaque *biennio in regno Danorum commorati* (206) multos ex gentibus ad Christianam fidem converterunt. Inde reversi cum denuo ab Imperatore postularentur, ultimos Sueonum populos Evangelii gratia tentare; intrepidus athleta Christi Ansgarius, assumptis secum fratribus Ciſſemaro & Withmaro doctoribus, gaudens pervenit in Daniam (107) Ubi relinquens Giſsemarum Haroldo, ipse cum Withmaro in Sueoniam transfretavit. Ubi benigne a rege Biorn susceptí, verbum Dei publice prædicare permissi sunt. Multos itaque per annum integrum lucrati sunt Domino Jesu Christo. In quibus Herigarius oppidi Bircæ præfectus credidit, quem tradunt etiam miraculis & virtutibus insignem. Hac legationis suæ prosperitate gavisi, Cor- *Cap. XVI.*

bejam novi Apoſtoli *cum triumpho duarum gentium* (108) regreſſi ſunt. Et o mira omnipotentis Dei providentia de vocatione gentium, quam diſponit artifex, ut vult, & quando vult, & per quem vult. Ecce quod longo prius tempore Willebrordum & Ebonem, aliosque voluiſſe legimus, nec potuiſſe; nunc Ansgarium noſtrum & voluiſſe & perfeciſſe miramur, dicentes cum Apoſtolo, non eſt volentis neque currentis, ſed eſt Dei miſerentis, ergo cui vult, inquit, miſeretur, & quem vult indurat. Tunc Imperator cum magnatibus ſancto Ansgario de gentium congratulatus ſalute, ingentes Chriſto gratias perſolverunt.

Cap. XVII. Habito igitur generali ſacerdotum conſilio pius Cæſar votum parentis cupiens implere Hammaburg Transalbianorum civitatem metropolim omnibus barbaris ſtatuit nationibus Danorum Sueonum, itemque Slavorum, & aliis conjacentibus in circuitu populis, eique cathedræ primum Archiepiſcopum ordinari fecit Ansgarium. *Hoc factum eſt anno Domini DCCCXXXIII.* (109) qui eſt Luthowici Imperatoris XVIII. *Willerici Bremenſis Epiſcopi XLIII.* (110) Conſecratus eſt autem a Dragone Metenſi Epiſcopo, Cæſaris fratre germano, aſtantibus atque faventibus Otgario Mogontienſi, Ebone Remenſi, Hetti Treverenſi, & aliis: Conſentientibus etiam Willerico Bremenſi, & Helingaudo Ferdenſi epiſcopis, quibus antea diœceſis illa commendata eſt: roborante id Papa Gregorio IIII. apoſtolica auctoritate & pallii datione.

Habentur in Eccleſia Bremenſi præcepta Imperatoris, & privilegia Papæ, ſancto Ansgario data, in quibus hoc quoque una continetur, quandam ei cellam in Gallia Turholt vocatam ad ſupplementum legationis ſuæ a Cæſare conceſſam, *anno Domini DCCC XXXIII.* (111) Acta indictione XII. qui eſt Luthowici XXI.

Cap. XVIII. Beatus autem Ansgarius *nunc Danos, nunc Transalbian. viſitans* (112) innumerabilem utriusq; gentis multitudinem traxit ad fidem. Si quando vero perſecutione barbarorum impeditus eſt ab ſtudio prædicandi, *apud Turholt* (113) cum diſcipulis ſuis ſe retinuit. *In adjutorium* (114) etiam prædicatonis, datus eſt ei Ebo Remenſis Archiepiſcopus, de quo & anteadiximus Hic ſeu fatigatione itineris ſeu corporis debilitate impeditus, ſive potius occupatione ſeculi delectatus, vicarium pro ſe dedit Ansgario nepotem Gaudbertum. Quem ipſi ambo conſecrantes Epiſcopum, vocaverunt eum Simonem, (115) eumque divinæ gratiæ commendatum, in Sueoniam miſerunt. Hæc in vita ſancti Ansgarii copioſe deſcripta, nobis abbreviandi locum præbuerunt. Verum quod diſtinctio temporum ibi obſcura eſt, pleraque ab aliis ſcriptis tempori congruentia mutuavimus. Nunc ad cætera unde incepimus regrediamur.

Cap. XIX. Interea Willericus Bremenſis Epiſcopus, diœceſim ſuam ſollicite circumeundo, gentiles baptizando, & fideles in Chriſto confortando, ſtrenuum prædicatoris officium peregit. Eccleſias ubique per Epiſcopium congruis erexit in locis. Tres vero Bremæ, quarum primam ſcilicet *domum ſancti Petri*, (116) *de lignea lapideam fecit*; (117) & corpus ſancti Willehadi exinde translatum in auſtrali, quod fecit oratorio recondidit. Quod etiam ſcriptor vitæ ejus præterire noluit. Narrantque poſteri hoc factum pro timore piratarum, qui propter virtutem miraculorum confeſſoris noſtri corpus auferre maluerunt. Eohem tempore beatus Ansgarius corpora ſanctorum, quæ dono Ebonis Archiepiſcopi ſuſceperat trans Albiam fertur deportaſſe, & *corpus quidem ſancti Materniani* (*) *apud Heiliganſtad* (118) repoſuit *Xiſti vero & Simnicii*, (*) cum aliorum *martyrum patrociniis*, (119) in urbe Hammaburg collocavit, Beati (120) vero Remigii *Cimilia* (121) cum ingenti honore ſervavit Bremæ. VVillericus igitur clerum maximum collegit, de populo vero magnam Bremenſi Eccleſiæ hæreditatem acquiſivit. *In diebus ſuis* (122) Carolus eleemoſynam obtulit Salvatori ad Bremenſem Eccleſiam, *centum manſos.* (123) Scriptum eſt in libro Donationum tertio, capitulo I. ubi etiam crebro verſu hoc repetitur. Sacroſanctæ *baſilicæ* (124) quæ conſtructa eſt in honorem ſancti Petri apoſtoli in loco *ſeu villa publica* (125) nuncupata Brema, ubi VVillericus Epiſcopus *ſervus ſervorum Dei* (126) præeſſe videtur. Qui obiit ſenex & plenus dierum Anno Domini D CCC. XXXVII. qui eſt annus Luthowici XXV. & penultimus, ſepultusque eſt in domo ſancti Petri, a parte altaris aquilonali *IIII. Nonas Maji.* (127)

Cap. XX. LEVDERICVS ordine tertius, *ſedit annos octo.* (128 Ejus annos cum pro certo ſcire non poſſumus, ex eodem libro traditionum diſcimus, & VVillerici diaconum fuiſſe, & ſediſſe uſque ad Luthowici junioris ſextum, capitulo LVIII. ſcriptum. Hunc etiam tradunt ſuperbum fuiſſe: quod exinde coniici poteſt, quia ſe aliquando cuſtodem, aliquando *paſtorem Bremenſis gregis* (129) gloriatur. In diebus illis ſanctus Ansgarius legationem ſibi creditam fideliter executus, apud Hammaburg novellæ plantationi inſudavit, doctrina oris, *& opere manuum* (130) exercens Eccleſiam. Sæpe etiam monaſterium Galliæ, quod dono Cæſaris poſſedit, Turholt viſitans, fratribus ibidem Deo militantibus ſalutaris regulæ tramitem verbo exemploque monſtravit. In quorum nobili contubernio jam tum a puero ſanctus effulſit Rembertus, quem ſanctus pater Ansgarius adoptans in filium prophetico ſpiritu, quo plenus erat, longe ante prædixit illum ſuæ virtutis æmulum, & in cathedra pontificali ſuccedere, gratiaque meritorum in cæleſti regno conſortem fore. In qua re omnipotentis Dei providentia, quæ olim Heliæ ſubſtituit Heliſeum, in Remberto non fefellit Ansgarium.

Cap. XXI. Interea Nordmanni piraticis excurſionibus uſque quaque degraſſati, Freſones tributo ſubiiciunt. Eodemque tempore per Rhenum vecti-

vecti Coloniam obsederunt, per Albiam vero Hammaburg incenderunt. Inclyta civitas tota, aut præda, aut incendio disperiit. Ibi Ecclesia, ibi clavstrum, ibi bibliotheca summo collecta studio, consumpta est. Sanctus autem Ansgarius, ut scribitur, *cum reliquiis sanctorum martyrum* (131) nudus evasit. Excidium Hammaburg historia non tacet Francorum, *& privilegia Romanorum* (132) Hoc ut ajunt, factum est, anno *Luthewici senioris novissimo.* (133) Tunc quoque Gaudbertus Episcopus zelo gentilium a Sueonia depulsus & Nithardus capellanus ejus martyrio cum aliis coronatus est. Et exinde Sueonia caruit septennio sacerdotali præsentia. Quo tempore *Amundus regno pulsus,* (134) in Christianos mouit persecutionem. Herigarius vero Bircæ præfectus Christianitatem ibi solus sustentavit. Qui etiam tantum fidei gratiam meruit, ut potentia miraculorum & exhortatione doctrinæ, multa paganorum milia saluarit. *Scriptum itaque* (135) *in actibus beati Ansgarii.* (136)

Cap. XXII. Anno *Leuderici Bremensis Episcopi III.* (137) Luthewicus Imperator obiit, regnumque in contentione remansit. Multa inter fratres discordia, bellum maximum, in quo, ut historia testatur, omnes Francorum vires consumptæ sunt. Discordiæ incentor Ebo, qui & supra in partem filios armaverat, & nunc fratres intestina seditione concitaverat; conspirationis crimine accusatus, *a Papa Gregorio deponitur.* (138) Sed aliis criminantibus hoc, aliis hoc factum astruentibus, veritatem nos in medio relinquemus; præsertim cum a sancto patre nostro Ansgario ea dilectione, quam ab initio secum habuit, usque in finem habitus fuerit. Lege in vita ipsius, & in capitulo Rabani, de fama Ebonis ambigua. Tandem *mediante Papa Sergio,* (139) pax inter fratres convenit, regnumque *in tres partes est divisum* (140) ita ut Lotharius major natu Romam cum Italia, Lotharingiam cum Burgundia posslideret, Lothewicus Rhenum cum Germania regeret, Carolus Galliam, Pippinus Aquitaniam acciperet. Hac inter fratres sortita regni divisione, Turholt monasterium in partem cessit Caroli, sicque alienatum est a jure sancti Ansgarii. *Cap. XXIII.* At ille in paupertate sua Deum glorificans, verbum Dei, cujus legatione functus est, tam suis quam alienis infatigabiliter seminavit. Unde contigit, ut prædium, quod *Ramsolan* (141) dicitur, a quadam venerabili matrona susceperit, nomine IKIA. Qui locus in Episcopatu Ferdensi positus, ab Hammaburg nisi *tribus disparatur rastis.* (142) Ibi sanctus Dei cœnobium constituens, reliquias sanctorum Xisti & Sinnicii locavit confessorum, & alia patrocinia quæ ab Hammaburg fugiens portavit, ubi & gregem profugum collegit, depulsosque a gentibus socios in eo portu retinuit. Ab eo ergo loco Hammaburgensem Ecclesiam visitans, *Nordalbingos* (143) in fide reformavit, quos antea persecutio turbavit. Tunc quoque ne legatio gentium traditate sua quapiam frigesceret, *prædicatores misit in Daniam;* (144) Hartgarium vero eremitam direxit in Sueoniam. Fertur etiam venisse Bremam, atque ab Episcopo ipsius loci, qui doctrinæ ac virtutibus ejus invidit, depulsum esse. Post hæc LEVDERICVS Bremensis Episcopus obiit, & sepultus est in Ecclesia beati Petri ab australi parte altaris. Decessit autem IX. Kal. Septembris, & Ecclesia diu viduata permansit.

Tunc Luthewicus Pius Cæsar inclytus Hammaburgensis Ecclesiæ desolationem miseratus, venerabili Ansgario *contulit Bremensem Episcopatum.* (145) At ille quamvis Canonum non ignoraret decreta, quibus cautum est, ut Episcopus, qui a sua civitate persequutionem passus expellitur, in alia vacante recipiatur, tamen ne pro invidia cæteri scandalizarentur, Cæsari super hac re diu restitit. Postremo si absque fratrum querela fieri posset, tunc solummodo concederet. In vita nostri Antistitis hæc plenissime describuntur. Obscure vero notatur tempus; quod liber donationum significat apertius. Anno scilicet Luthewici secundi IX. dominum Ansgarium *ab Aldrico clerico* (146) & Comite Reginbaldo legatis Cæsaris ductum in Episcopatum. Scriptum libro tertio, capitulo XX. Sed & in vita ejus hæc; *Multum* inquit *temporis fluxit,* (147) ex quo beatus Ansgarius Bremensem Episcopatum susceperit, antequam hoc a Papa Nicolao firmaretur. *Cap. XXV.* Sanctus itaque Ansgarius receptus Bremis *annos XVIII. sedit.* (148) Nam antea in Hammaburgensi cathedra præfuit annis XVI. qui fiunt simul XXXIIII. Hoc regalis munificentiæ dono, confessor Dei valde gavisus in Daniam festinavit. (149) Ubi Regem Danorum Horicum inveniens, *Christianum reddidit.* (150) Is statim Ecclesiam in *portu maritimo* (151) erexit *apud Sliasuig* (152) data pariter licentia, ut quisquis vellet in regno suo, fieret, Christianus. Infinita gentilium credidit multitudo, de quibus hoc in libris memoriale relictum est, plures ut aqua baptismi loti sunt, ab omni corporis infirmitate liberatos.

Cap. XXIIII.

Quibus rebus ex voto completis, dum adhuc sanctus Dei pro gente Sueonum æstuare cœpisset, cum Gaudberto Episcopo consilium habuit, quis eorum laudabile pro Christo subiret periculum. At ille periculum sponte declinans, sanctum potius ut iret rogavit Ansgarium. Ex templo athleta intrepidus *Horici regis missum rogavit atque sigillum* (153) & a *littore Danorum* (154) transfretans in Sueoniam pervenit, ubi tunc *Oleph rex* (155) apud Bircam *generale populi sui habuit placitum.* (156) Quem præveniente misericordia Dei, ita placatum invenit, ut ex ejus imperio & populi consensu, & jactu sortis, & Idoli responso Ecclesia ibidem fabricata, & Baptismi licentia omnibus concessa sit. Hiis etiam ex sententia finitis, Evangelista noster Ecclesiam Sueonum *Erimberto* (157) commendavit presbytero, & rediit. Quæ in vita sancti Ansgarii latissima gestorum narratio descripta, nos brevitate nitentes amputavimus. Et ni fallat opinio, prophetia Ezechielis de Gog & Mogog convenientissime hic impleta videtur. Emittam, inquit

Cap. XXVI.

inquit Dominus, ignem in Magog,' & in hiis qui habitant in Insulis confidenter. Aliqui hæc & talia de Gothis, qui Romam ceperant dicta arbitrantur. Nos vero considerantes Gothorum populos in Sueonia regnantes, *omnemque hanc regionem passim in Insulas* (158) dispertitam esse, prophetiam eis opinamur posse commodari, cum præsertim multa prædicta sint a prophetis quæ nec dum videntur completa.

Cap. XXVII. Interea quæstio magna surrexit *in regno Francorum* (159) *de Bremensi Episcopatu* (160) ad invidiam beati Ansgarii conflata. Ea contentio diu per regnum gravi & ancipiti dissensione profligata, multis partium studiis collidebatur. Tandem *Orthodoxus Cæsar Lothewicus* (161) compositis hinc inde contradicentium voluntatibus, præcipue Guntharii Coloniensis Archiepiscopi, cujus suffraganea prius erat Brema. Super his Romam nuncios ad sanctissimum Papam direxit Nicolaum ille vero quod necessitas Ecclesiastica persuasit, & quod patrum conciliis fieri posse comprobatum est, facile consensit. Ergo Bremensem ac Hammaburgensem Episcopatum apostolica auctoritate copulari, & pro uno sanxit haberi. *Cujus rei privilegia* (162) diligenter adhuc in Bremensi conservantur Ecclesia. In quibus etiam additum est, quod idem Papa Nicolaus tam ipsum Ansgarium, quam successores, ejus *legatos & vicarios* (163) apostolicæ sedis constituit, in omnibus gentibus *Danorum, Sueonum atque Sclavorum;* (164) quod & antea Gregorius Papa concessit. Igitur Bremensis atque Hammaburgensis parochiæ coadunatio facta est *ultimo sancti Ansgarii tempore.* (165) Vitæ ejus annum non ponit, præceptum autem regis ponit annum regni XXI. Privilegium Papæ notat annum Domini DCCC LVIII. qui est ab ordinatione Archiepiscopi XXVIII.

Cap. XXVIII Post hæc scribitur in vita beati antistitis, qualiter in Daniam veniens juniorem Horicum in regno reperit. (166) Cui tempori congruit historia Francorum, quæ sic de Danis meminit. *Nordmannos per Ligerim* (167) Turones succendisse, per Sequanam Parisios obsedisse, Carolum timore compulsum terram eis (168) ad inhabitandum dedisse. Deinde Lotharingiam inquit vastata, & subacta Fresia, in sua victrici conversos viscera dextra. Contendentibus namque ad invicem *Gudurin Principe Nordmannorum* (169) cum patruo suo Horico scilicet rege Danorum, tanta cæde utrinque mactati sunt, ut vulgus omne caderet; De stirpe autem regia nemo omnium remaneret, præter puerum unum nomine Horicum. Qui mox ut regnum suscepit Danorum, ingenito furore super Christicolas efferatus, sacerdotes Dei expulit, & Ecclesias claudi præcepit. Ad quem sanctus Dei confessor Ansgarius venire non trepidans, comitante secum gratia divina, crudelem Tyrann. sic placarum reddidit, ut Christianitatem ipse susciperit, suisque omnibus ut Christiani fierent, per edictum mandaret. In-

Cap. XXIX. super in alio portu regni sui apud Ripam exstrueret Ecclesiam, in Dania secundam. Et hiis Ecclesiastico ordine compositis, beatus pastor noster Ecclesiam illam *Remberto commendavit presbytero.* (170) Inde Hammaburg reversus de venditione Christianorum Nordalbingos correxit. Unde Fresos adiens, castigavit eos pro labore dominici diei. Pertinacius vero agentes igne cælesti mulctavit. Et alia, quæ antiquis miraculis non imparia, leguntur in vita ejus. Et quoniam totum studium ejus erat pro salute animarum, si quando a prædicatione gentilium foris liber erat, domi *congregationum suarum curam egit.* (171) Quarum primam *quæ ab Hammaburg olim* (172) barbarica incursione depulsa est, ipso, ut prædiximus, transtulit ad Ramsolas. Secundam in Bremis habuit sanctorum virorum, qui *habitu quidem usi canonico,* (173) regula vivebant monastica, usque ad nostri fere temporis ætatem. Tertiam sanctarum virginum congregationem in *Briximon* (174) adunavit, ubi devota Christi matrona Lutgard totum patrimonium suum offerens cælesti sponso, magnum chorum castitatis *suo nutrivit ducatu.* (175) Ad curam autem paupe- *Cap. XXX.*
rum & susceptionem peregrinorum, multis locis *hospitalia* (176) præparavit. *Unum autem vel præcipuum* (177) habuit Bremæ, quo per seipsum cotidie veniens, infirmis non erubuit ministrare. Quorum plurimos verbo vel tactu sanavit. Ipse retranstulit corpus sancti Willehadi *in matricem beati Petri apostoli Ecclesiam* (178) ab illo australi oratorio, quo deportatum est a Willerico. Et tunc facta sunt illa miracula, quæ per *merita sancti Willehadi,* populo ostensa sunt, *ab anno Domini DCCC LXI.* (179) qui est annus ab ordinatione Archiepiscopi XXX. Ipse enim qui transtulit & vitam & miracula ejus singulis libris comprehendit. Sique temporum seriem diligenter computemus, ipsum est tempus quo in Saxoniam translatio *Sancti contigit Alexandri* (180) In qua illud memorabile videtur, confessorem nostrum cum advena martyre certasse, quis eorum videretur esse major, & in gratia sanitatum populis acceptior. *Einhardus in gestis Saxonum* (181) hæc dulci calamo prosequitur.

Interea beatus Ansgarius captivos redimen- *Cap. XXXI.*
do, tribulatos refovendo, domesticos erudiendo, barbaros evangelizando, foris apostolus, intus monachus, nunquam legitur otiosus. Nec solum erga suos, verum erga alienos, quomodo viverent sollicitus. Episcopos etiam tam voce quam litteris ut vigilarent super dominicum gregem, hos arguit, illos obsecravit. At vero Romanorum regibus pro sua legatione, *regibus Danorum pro Christiana fide* (182) crebro mandavit. Extant Epistolæ ejus plures hujusmodi. Unam vero quam omnibus de sua legatione scribit Episcopis, quam ab Ebone oriam asserit, ita claudit: Deprecor, inquit, ut apud Deum intercedatis, quatenus hæc legatio crescere & fructificare mereatur in Domino. Jam enim Deo propitio & apud Danos & apud Sueones fundata est Ecclesia Christi, & sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Omnipotens Deus faciat vos omnes hujus operis pia benevolentia participes & in cœlesti Christi gloria cohæredes. Su-

Supervixit autem sanctus Ansgarius post illam plenariam Hammaburg & Bremæ copulationem annos septem (183) *Sedit autem omnes annos XXXIIII.* (184) *Cujus depositio* (185) summa veneratione colitur III. Non. Februarii. Obiit ergo anno Domini DCCC·LXV. Indictione XIII. qui *est Luthewici secundi* (186) XXVI. sepultusque est in basilica sancti Petri, ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ. Eadem vero die, qua ipse commendatus est, Rimbertus diaconus ejus *a clero simul & populo* (187) electus est. Qui etiam vitam Sancti patris veridico sermone describens, more beati Johannis, quasi de alio scribens, innuit sefidelissimum ejus discipulorum testimonium perhibere sanctitati, quam cognoverat in viro Dei. Hunc ille librum ad *fratres cœnobii direxit novæ Corbejæ,* (188) beatificans illos, quod talem miserint, & nobis congratulans; quod talem suscipere meruimus pastorem.

Cap. XXXII. *Sanctus Rimbertus sedit annos XXIII.* (189) Annos & obitum decessoris sui reperimus in quodam computo a Corbeja delato. Cæterum *vita ejus a fratribus* (190) ejusdem cœnobii ad nostras data, quis fuerit & qualiter vixerit, breviter & dilucide comprehendit. Mox, inquit, ut electus est a Theodorico Mindensi Episcopo & *Adalgario Corbiensi Abbate* (191) jussu Cæsaris ductus est Mogontiam. Ubi a clarissimo pontifice consecratus Lutberto, venit Corbejam vestemque suscepit cum professione monastica. *Cui Adalgarius Abbas germanum & æquivocum suum concessit Adalgarium*, (192) qui postea & socius prædicationis, & hæres meruit esse dignitatis. Pallium pontificale suscepit a Papa Nicolao, Ferulam pastoralem a Cæsare Luthewico, sicut in privilegiis dignosci potest quæ autem sequuntur, ex vita ejus excerpta sunt capitulo XVI.

NOTÆ.

Deinscriptione Libri. (1) In MSCtis titulus nullus adest, nec nomen expressum: qui hic legitur, ex *Lindenbrogii* editionibus desumtus mansit. Helmoldus de Adamo loquens, *gesta Hammenburgensis Ecclesiæ Pontificum* vocavit L. 1. c. 14. Ipse Adamus in præfatione ad Liemarum de Bremensium sive Hamaburgensium serie Præsulum se scripturum profitetur & scripsisse.

Etymon Hammaburg (2) Ita semper Adamus, ut Helmoldus, Hammenburgensem semper habet. Adamus secutus est literas & diplomata vetera, in quibus Hammaburg usque reperias. Helmoldus Germanicam flexionem observavit: nam ab Hamme, quæ est silvula, non Hammaburg, sed Hammenburg rectius flectitur. Autoris incerti annales apud Lindenbrogium p. m. 280. edit. Francof. 1609. ad Ann. 833. *Anscharius Hammenburgensis Archiepiscopus ordinatus;* at ad ann. 940. *Normanni Hamburg cremaverunt.* Vixit autem hic scriptor circa a. 1288. quo tempore vulgus hanc metropolin, prout hodie, Hamburg, non Hammenburg, nec Hammaburg pronunciarunt. Aliqui enim vocem Hamm tam masculino, quam feminino genere adhibuerunt der Hamm, & die Hamme. Ex usu masculini generis Hamburg prodiit, feminini vero Hammenburg. Hammaburg autem latinam flexionem retinuit, siquidem Ham vel Hamme Hamma latine redditur & femininam terminationem etiam respexit. Nihil certius est, quam a silvula adjacente hodie adhuc cum villula Hamm dicta, nomen Hamburgi primum hæsisse: exstructum enim fuit illud burgum ad silvam vel Hammam hanc. Valeant ergo tot aliæ origines nominis, quas conjecturæ veterum & recentium finxerunt: falsæ enim sunt. Primus fuit Thraciger in Chronico suo MSC. Saxonica lingua, qui veram Hamburgensis nominis originem eruit. Ab eo tempore & a. 1552. circiter illi gratias debemus. Hoc nomine Hamm vero silvam significari vel silvulam Saxonibus, notum est satis; unde quæ Spelmannus ex Rentali veteri Anglorum adduxit, nec satis intellexit sub voce *Ham*, clara fiunt, si de silvula explicentur, non de portione agri: *tenet in dominico unum messuagium, & in le hamme 16. acras* h. e. in sylva: atque iterum *tenet juxta hamme 2. acras* juxta silvulam scilicet. Nec Nottingham, Buckingham, Walsingham in Anglia nomen aliunde ceperunt, quam a prædiis silvulæ connexis vel innexis licet Spelmannus maluerit illud *Ham* ex Haimb Germanico & Saxonico, quod domum aut oppidum significat, deducere, *ut Bohaim:* at notandum est illud Haim & Heym Anglo-Saxonibus non fuisse *ham;* sed *heam & heom:* sicque recte scribi. Nec tamen aliter Anglis significare vocem, quam Saxonibus: Germanis novi quid est. Pleræque enim voces quando transeunt ad alios populos, significationes quoque mutant & affines, proximas & secundas assumunt. Transiit quoque hæc vox Ham cum Francis in Franciam; unde retinuerunt illi suum *hameau, Hamel, Hamlette* ut diminutiva, villulas significantes & prædiola, inprimis illa, quæ nemoribus sunt cincta. Cum Normannis etiam transierunt hæ voces in Angliam. Sic enim in Exoniensi statuto anno 14. Eduardi I. editore reperit scriptum Spelmannus: *Les noſmes de toutes les villes & hamlets qui sount eu son Wapentake hundred ou franchises*: & mox inferius: *Que ils ordeinent & façent venir devant eux de chescune ville entier 8. homes & de demie ville 6. homes, & de hamlette 4. homes de pluges sages & plus loyalx hors prise les seignours des villes demie ville & hamlets.* Hæc occasione nominis Hamburgensis dicere debui, ut unde coaluerit sciatur.

(3) Ita nomen suum scripsit Adamus, non aliter expressit in omnibus MSCr.

de ætate Adami (4) Hæc respiciunt ad tempus, quo Dania proprium Archiepiscopum impetravit, & Archiepiscopo Hamburgensi septentrionalia regna subjici noluerunt amplius. Ad quæ tempora si vixit Adamus Bremensis, a. 1104. superfuit adhuc: tunc enim Romæ Ericus Bonus hoc obtinuit a Papa. Sed Adamus, qui Liemari Archiepiscopi tempora non egrossus est, cujus mors a. 1102. contigisse legitur, eo tamen tempore vixit, quo ecclesiæ Hamburgensis honor & autoritas imminui cœpit, quod sub Liemaro contigit tum, cum Liemarus Suenonem Esthritium excommunicationi supposuisset. Inter a. 1074. hæc evenerant, a quo tempore Liemaro infensior Sveno se suumque regnum ipsi subducere studuit; & effecisset, quod in conatum eruperat, nisi mors Regis interveniisset. Statim igitur post Adalbertum turbari cœpit, adeo ut Adamo non nisi paucos annos sub Liemaro liceat tribuere.

(5) Tam caute loquitur, præponendo Bremenses, nec prætereundo Hamburgenses, quod hinc Brema caput extollere cœperit, seque præferre Hamburgo, se metropolin credere, sibi sedem & nomen deberi, quod Hamburgum persecutionibus crebris paganorum afflictum incrementa capere non posset; illo vero tempore etiam incendiis fœdatum inter cineres suos luctaretur & subsideret ut nunquam vires resumtura. Non ita loquitur, quando primum scribere cœpit Adamus historiam; tunc enim Hamburgensem solum historiam se scripturum pollicetur L. 1. ab initio *Historiam Hammaburgensis ecclesiæ scripturi*: sub quo nomine etiam Bremensem comprehendit.

(*) Recte satis Adamus Saxoniam terminis suis

definivit: sed notari volo, ad Rhenum pauca Saxonibus fuisse, & unum solummodo angulum, non tamen ad Rheni ostia se protendentem; nam ab ostiis Rheni usque ad Albim fere versus oceanum Germanicum prætexebant Frisii; terga Frisiorum Saxones claudebant per Westphaliam omnem, & latus Frisiorum infimum in Hadelensibus paludibus ad oceanum & Albim, ubi jungebantur West Frisiis. Hinc Henrici Leonis Saxoniæ Ducis verbum adhuc circumfertur: *Van der Elve beth an den Rhin is alles min.* Quod & indicat mox Adamus, in verbis subjunctis: Cæterum juxta Frœsiam Saxonicus ager palustris & aridus Fresia tendebat ad oceanum ante Saxones, ubi ager quibusdam locis palustris, quibusdam aridus.

(6) Ubi nunc Zerbst Adami igitur ætate jam Saxonibus subditi erant, qui Slavos prius dominos habuerant.

(7) Montibus plane nullis. Colles intelligit, natura qui provenerant. Colles enim manufacti & sepulchrales, non pauci reperiuntur in Saxonia mons Melibocus, der Blocksberg solus in hac Saxonia non debuerat omitti.

(8) Nativa scilicet; nam vina per mercatores adducebantur emique potuerunt. Adami igitur tempore nulla vineta, quæ nunc ubique etiam in media Dania reperies, sed coluntur in hortis fere cum aliis fructibus, non vero in agris.

Albis fl. ortus nomen & incrementa.

(9) Imo in ipsa Bohemia in montibus, qui Germanis das Risengebirge; manans ibi per vallem, quæ Teuffelsgrund appellatur, non procul ab oppidulo *Smidberga*. Græcis est, Αλβις & Dioni Αλβιὸς Αλβία Vellejus Paterculus inter Romanos ejus primo meminit. Nomen ipsi a Gothis & septentrionalibus, qui istas oras habitarunt: magna enim flumina ipsis Elffver dicuntur; Sic Elffve-Grimer vocantur populi in Chronico Norvegico, qui prope Albim in Gothia habitabant. Hinc *Gothelf* fluvius ille magnus, qui Gothiam rigat, & alia per Norvegiam ac Sueciam flumina *Kongself*, *Sarpelf*, *Romelf*, quæ in mare se exonerant. Albis igitur in Oceanum magnum se evolvens merebatur hoc nomen præcipue ab accolentibus & videntibus. Saxonibus inferioribus ideo vocatur *Elve*, superioribus *die Elbe*, Belgis *de Elve:* quod verum ejus nomen est & cum Danica, quam dixi significatione convenit, ita ut originem ab *Elven*, *undecim* repetere, sit nugari. Plures enim quam undecim fluvios recipit, si numerare velis. Slavis dicebatur *Labe:* hinc *Palabi* aut *Polabi* ad Albim populus, ubi nunc est Ratzeburg. Quatuor præprimis Albim augent fluvii omnes ex Bohemicis montibus fluentes, primus fons est Albis, ipsique secundus fons est *Wultavæ;* Germanis *Moldaw* a meridie ejusque montibus defluens adhuc intra Bohemiam Albi jungitur. Tertius fons est Egræ, qui ab occidente, & monte Fichtelberg prorumpens paulo infra Wultavam Albi se insinuat. Quartus fons est Salæ, quæ in eodem monte orsus versus septentrionem pergit, & prope Calbe oppidulum ab Albi recipitur. His adde ad sinistram Albis influentes Upavam, Metucze, Orlitz cet. it. Lühe superior Swingam & Ostam cet. a dextra vero Zidlinam, Gizeram, Pulsnitz, Elsteram, Havelam, Stepenitz, Storam, Billam, Alsteram, Rinam.

(10) Octo decem milliaribus Albis descendit, priusquam oceanum attingit ab Hamburgo.

(11) Albim inferiorem & dextrum ejus latus intelligit: ibi enim Suevi habitabant, adeo ut Tacitus totam chersonesum Danicam, Norvegiam & Sueciam sub Suevis comprehendat. *Hic Sveviæ finis*, ait, statim post Sitones laudatos. Germ. c. 46.

Sveviæ antiquæ limites.

(12) Omnes enumerat gentes, quæ Sueviam cingunt aut cinxerunt olim, & recte satis enumerat, ita ut Briades, Bardi, Sicambri, Langobardi ad occidentem Suevos clauserint; Gothi & Nordmanni, ad septentrionem Huni, Vandali, Sarmatæ & Slavi ad orientem; Heruli vero, Dacæ & Marcomanni ad meridiem occurrerint. At Adamus, aut ille, quem Adamus sequitur, dum Wandalos, Gothos, Normannos & Slavos inter confines Sueviæ ponit, eo ipso Sueviam longe minorem facit, omnesque maris Balthici accolas, Pomeranos, Mecklenburgenses, Holsatos & Dithmarsos Sueviæ antiquæ adimit: Slavi enim Adami tempore a Vistula usque ad Travam tenebant, quæ olim Vandali & post eos Suevi coluerant, eademque ratione septentrionalia omnia Suecia Norwagia & Dania, separata sunt a Suevia antiqua, dum Normannos & Gothos inter confines Suevorum esse voluit. Suevia igitur Romanis latissime patuit a Danubio inter Albim & Vistulam ac mare Suevicum vel Balthicum transeundo recta linea usque ad Rubeæ promontorium vel Nortkyn & Amalchium mare congelatum, ita ut ejus orientalia montes Bohemici, Vistula, mare Balthicum, Finnia & Lapponia clauserint, septentrionem mare congelatum, occidentem oceanus & Albis finiat, meridiem vero Danubius. Adami Bremensis Suevia minoribus finibus continetur; in septentrione enim non incipit, nisi a Semnonibus & Albi, ubi nunc Misnia usque ad Lygios & Vistulam, ita ut Slavi terga obsiderent; in occidente Albis eos claudit usque ad Bohemiam, ubi cis Albim Suevia inter Salam & alios fluvios usque ad Danubium pergit; in meridie Danubius ad Bohemicos montes eam finit; orientem deinde Lygii, qui sunt Poloni, Lusatii & Silesii, cum Vistula circumscripserunt. Hæc igitur Suevia fuit mediis temporibus, quamdiu Slavi aut Sarmatæ illas oras non obsederant. Hodie Suevia ad exiguos & tenues terminos redacta cis Danubii fontes inter Bavariam, Palatinatum Rheni & Helvetiam concluditur. Sic sæpe magna nomina aut intercidunt, aut in parvas civitates subsidunt, quod Cimbris & Suevis evenit aliisque.

mediæ Adami descr.

nova.

(13) Illud nomen perperam legi non dubito eoque indicari populum aliquem intra Albim Bardis vicinum judico inter Cheruscos & Chattos, nisi Chattos ipsos intelligat, qui Suevis vicini & confines erant: Driades enim nullibi in Geographia veteri vel nova leguntur. Bardi quoque & Slavi populi sunt veteribus incogniti, ut & Nortmanni. *Driades* igitur nomen populi Saxonici, ex iis qui tempore Caroli M. & paulo ante frequentabantur. Post antiquos enim Geographos & Ptolomæum multæ migrationes & mutationes successerunt, quæ nova pepererunt nomina. *Driborg* quidem in Paterbornensi Westphalia supersit, non procul ab Amisia situm ac collocatum, quod Caroli M. temporibus castrum fuit, atque adhuc manet, donatum quippe Episcopo Paterburnensi a Carolo. Nec multum moror etymologiam cosmodromii, quod *Driburg* dictum scripsit quasi *to der Iburg*, idque ex eo repetiit in Chronico M. Theodo. Engelhusius p. m. 153. hæc enim nimis absona sunt nullique placere possunt. Ego autem ut Driadum reliquias hoc nomen considero, atque inde Burgum Driburg descendere mihi persuadeo: licet altum alias de iis apud historicos silentium sit.

Driades quinam.

(14) Errat enim Adamus, qui juxta Magdaburg Salam recipi scripsit, cum aliquot milliaribus supra a Bernburg descendens juxta Calbe Albim ingredi tur, non juxta Magdeburgum.

(15) Neque *Bardi* usquam noti sunt, nisi per *Bardangow* & *Bardevig* in Luneburgico nunc tractu a Caroli M. temporibus, ut Driburg & Slavi quoque. Tunc quoque Nordmannorum nomen in historias relatum percipimus; vix ante: quod priorum seculorum gesta scriptores nullos aut raros sint nacta neque Græcos neque Latinos: inprimis septentrionalia & Germanica has injurias experta jacuerunt, quod neque ipsi scriberent, quæ fortissime gerebant & aliis ob perpetuas victorias invisi calamos obtusiores ac tardiores redderent.

Bardi.

(16) Per-

Sicambri. (16) Pergit autor *Sicambros* etiam inter confines Sueviæ collocare. Sicambrorum nomen magnum utique fuit ſuis temporibus usque ad Auguſtum, quando Tiberius eorum penitus excidit nomen, gentisque reliquias cis Rhenum collocavit, ita ut Sicambricum nomen in Germania deletum ſit: alio enim nomine cis Rhenum vocati ſunt, *Gugerni*, ſi credimus Cluverio. Poëtæ tamen & alii non deſierunt etiam poſt Auguſtum diu Sicambrorum nomen ex veteri memoria repetere, non quod tunc Sicambri dicerentur ulli, ſed quod eorum memoria præclara eſſet præ iis, qui in ea loca ſucceſſerant. Vix autem, licet autor ad veteres ſedes Sicambrorum reſpicere voluerit, confines Suevorum dici poſſent Cattis & Cheruſcis ſemper intercedentibus, qui confinia Suevorum in hoc latere tenuerunt.

(17) *Huni* ſequuntur, Chuni & Hunni plerisque dicti; Chunos vocat Ptolomæus primus, ſed tunc longius abfuerunt, quam ut Suevorum confines eſſe potuerint, utpote inter Boryſthenem & Amadocos montes poſiti. Fuit igitur illud poſtea, quando cum reliquis Sarmatis, utpote Sarmaticæ originis gens, confiniis Suevorum trans Viſtulam aggregati nomen aliquod invenerunt. Sarmatæ enim totum illud latus trans Viſtulam cum longitudine maris Balthici ab antiquo ſub variis populorum nominibus occupaverant, adeo ut etiam *Slavi* qui Sueviam vel Vandaliam veterem, quam noſtra lingua Wendland vocamus, ex Sarmatis prodierint & usque ad Travam omnia trans Albim ſua fecerint, Vandalicis nominibus & tempore Taciti vigentibus, deletis prorſus, qui erant Langobardi, Redigni, Aviones, Angli, Varini, Eudoſes, Svardones & Nuithones, Gothones, Rugii, & Lemovii. Slavica vero nomina ſucceſſerunt Wagri, Obotriti, Polabingi, Lingones, Warnahi, Chizzini, Circipani Tholoſantes, Heveldi, Doxani, Linbuzzi, Vilini, Stoderani, Retharii, Wilzi, Pomerani, Sorabi, Rani. Hi ſunt duodeviginti illi pagi, quos Slavi tenuerunt Adami temporibus, & Suevorum nomini ſerviebant Taciti tempeſtate, ſicut olim.

Vandali. (18) *Vandalorum* enim nomen Taciti temporibus ab iſtis oris exſulabat, quod in Suevorum poteſtatem conceſſiſſent iſtæ nationes; aut quia Romanis Suevica dicebantur omnia, quæ trans Albim fuerunt: ideoque Vandalicum nomen Germ c. 2. inter antiqua, quæ fere deſierant, recenſet: Septentrionales vero populi in hunc usque diem fere illis regionibus, licet Suevi, licet Slavi inſediſſent, Vandalico nomine Wenland appellare perrexerunt. Nihil enim eſt, quod *Venedos* affirmant nomen Wendland iis reliquiſſe. Venedi Sarmatica natio erat ad mare Balthicum trans Viſtulam; ſed diſtincti a Slavania, quam Slavi 18. pagis occupatam tenebant, & Sarmatis ac Venedis ipſis Slavi cœperunt dici, cognati quidem & affines origine, moribus & lingua, haud vero iisdem regionibus habitantes: ſed Slavi ad meridiem maris Balthici incolebant, Venedi orientem ejusdem maris, ubi nunc Windau & Libau forte in Curlandia. Non igitur inde Wendland, ſed a Vendalis antiquiſſimis, qui ex Dania aliquando in iſtas oras tranſierunt. Retinent enim Dani in Jutia adhuc ditionem Vandalicam, dictam Wendsüſſel a Vandalis, qui colonias primas in hunc orbem emiſerant. Vandali igitur aliquando confines fuerant Suevorum, quo reſpexit Adamus, licet hoc eſſe jamdudum deſiiſſent.

Sarmatæ. (19) *Sarmatæ* omnium diutiſſime Suevis confines manſerunt. Totus enim ille orbis, qui Sueviam a dextro latere excipit, Sarmaticus fuit & dicebatur: quin & cis Viſtulam ſub Poloniæ Miſniæque nomine usque ad Albim, & Bohemiam, Pannoniam Daciamque usque ad Danubium ſibi ſubjugarunt, præter latiſſimas illas regiones a tergo in Aſiam usque ipſam Sarmatico ſolo nomine notas.

Langobardi. (20) *Langobardos* quod etiam inter confines Suevorum accerſat eadem ratione factum, qua Vandalos adduxit, olim aliquando Suevorum non ſolum confines, ſed etiam ſocios Suevici nominis fuiſſe novimus, ſed ſedibus ſuis pulſi nomen adhuc in Longobardia Italiæ conſervarunt. Tacitus diſerte eos inter Suevos poſuit ſuo tempore.

Heruli. (21) *Herulos* quod etiam faciat confines non jam mirari poſſumus; fuerunt enim aliquando tunc, cum Gothones etiam cis Viſtulam habitarent, ubi Heruli quoque: & cum Gothi verſus Mæotin migrarent, a Viſtula ſecuti illos ſunt & Rugii & Heruli; quin & cum illis redierunt, atque in Italia ſub Odoacro res non minimas geſſerunt; quin & ante ſub Maximiano Imperatore cum Cavionibus eos ſemper jungit Mamertinus in Panegyrico ad Maximianum *ita cuncti Chaibones Herulique cuncti.* Erant autem Chaibones Mamertino, qui ceteris *Caviones* dicuntur, populi trans Albim colentes, ubi olim Suevi ſederant. Ita paulo ante: *Chaibones Erulique viribus primi Barbarorum, locis ultimi;* coluerunt enim ad mare Balthicum, quod ultimum dici potuit, longe in Gallia degentes, unde quomodo Heruli Suevorum conterminii fuerint quoquepatet.

Dacæ. (22) *Dacas* quoque Suevis confines facit non ſine ratione; quippe cum Suevi a Danubio quondam inter Albim & Viſtulam omnia tenuerint, et nomine ſuo impleverint, etiam Dacæ, qui trans Danubium colebant, latus Sueviæ claudere debuerunt; ita ut non intelligat per Dacas aut Dacos vel Dacios Danos, *quorum regiones* Daniæ nomine poſteri inſignitas reliquerunt. Adamus enim ibi Daciam neſcit & Dacios, ſiquidem in toto ſuo ſcripto non niſi Daniam et Danos nobis commendavit.

Marcomanni. (23) Sequuntur *Marcomanni* qui ſunt Suevi Bohemiamque occuparunt. Poſtquam enim in Sueevia diu ſederant ad Rhenum, Bojis expulſis Bohemiam occuparunt, et Suevici nominis fecerunt.

Gothi. (24) Quos nam per *Gothos* intelligat et quomodo confines ſint aut fuerint Suecis, etiam dicendum. Neque enim Gothones aut Gothinos, Gothunnos aut Gothaunos dicere voluit, qui non minus Suevi fuerint aut Suevici nominis, ſed Gothos hic intelligit trans mare Balthicum habitantes et Suecos, qui quondam ſub Suevia Romanis etiam appellati ſunt.

Normanni. (25) Ita ſub *Normannis* Norvegos, Daniam et Jutiam comprehendit, quod confines Suevorum fuerint et in finibus eorum habitaverint. Suevos enim Romani et hos populos dixerunt.

Slavi. (26) Ultimo *Slavos* jungit, de quibus ante dixit, quod e Sarmatis egreſſi a Viſtula ad Travam 18. pagis Suevorum confines ſe reddiderint non ſolum, ſed et magnam illam partem Suevis eripuerint et inſederint. Quando vero Slavi iſtas oras occupaverint difficile dictu eſt. Angilos, qui Angliam denominarunt, quod in magnum tum populum excreverat, novimus: eos autem in Angliam tranſire cœpiſſe cum Saxonibus ab a. 450. poſt Chriſtum annotarunt. Ad illud ergo tempus nihil in Meckelburgicis, Pomeranicis et Marchiacis regionibus Slavi tentaverant, ſiquidem Angili nomen et potentiam ſuam in his oris ſic extenderant, ut niſi coloniis ſuis in Angliam deducendis domi ſe neglexiſſent et vires exhauſiſſent, Slavis facile erumpentibus, prout hactenus fecerant, obſiſtere potuiſſent, At his migrationibus effecerunt Angili, ut imminutis viribus Slavis cedere ſint coacti, ſicque in angulum iſtum redacti fuerunt, quem nunc habitant inter Eckernförde oppidum et Holſatiam, *Anglen* appellatum, qui prius florentibus rebus totam fere Vandaliam nomini ſuo ſubjecerant trecentis; quapropter et 50. annis ante Carolum M. Slavi in Vandalia ſederant.

(27) Haud ſatis perſpicuum reddidit Adamus, ad quos populos hanc orationem retulerit aut ad quos referri debeat, num ad Suevos, an ad Saxones ſolos

aut

aut ad omnes illos, quos enumeravit populos, una cum Suevis et Saxonibus? Si ad omnes pertinet, aliqua ratione servari potest hæc oratio, ut totam simul Europam inundaverint et Africam: at si de Suevis et Saxonibus intelligi debet, falsus fuit Adamus; minima enim pars Europæ Saxonibus aut Suevis paruit, in Africa nihil plane negotii aut agri ipsis fuit aut sedium: Vandali soli leguntur ex Hispania in Africam penetrasse.

Saxones antiqui.

(28) Ptolomæi temporibus Saxonum nomen primo prodiit: tunc illi sedes in dorso Chersonensi trans Albim. Gregorius Turonensis jam illos in paludibus et inviis collocavit, quæ sunt cis Albim, ubi olim Chauci vixerant, ut, quomodo nomen eorum et victoriæ sensim se gentibus insinuarint trans et cis Albim, cognoscamus. At quod statim Adamus addit, Saxones circa Rhenum habitantes Anglos dictos, et a Rheno transiisse in Britanniam, atque Romanos expulisse, et quæ Einhardus de Saxonibus habet, quasi e Britannia navigantes Hadelensem regionem appulerint primum, et deinde tenuerint, hæc omnia falsa sunt; et, quæ ex scriptoribus petierunt male intellecta, rursus produxerunt. Angili nunquam fuerunt Saxones, sed Vandali; Saxones vero Teutones, et ideo Teutomarsis proxime sedentes. Haud igitur confundendi, quamvis et Vandali et Teutones ejusdem originis deprehendantur esse, nostro more loquendi Normannicæ veteri, verbo autem Scandinavicæ. Saxones ergo solvisse in Angliam tam a Rheno quam Albi, ubi est Hadelensis regio, *Hathuloe* Adamo dicta, quam ab Eydora et Hevera aliisque portubus commodam hanc navigationem facientibus, nullum est dubium. Angilos cum Saxonibus eandem navigationem suscepisse ex Albi quis non videt? at a Rheno cum Saxonibus pertendisse non ego credam, nec aliis persuasum cupio, cum iis ambagibus opus non haberent Angili, ut Saxonibus se jungerent, qui in proximo habitabant ad Albim utrique. Hinc autem et Einhardo et Adamo nata sunt illa, quæ minus dextre aut distincte proposuerunt: *Saxones primo circa Rhenum sedes habuisse & vocatos esse Anglos. Saxonum gentem ab Anglis Britanniæ incolis egressam per oceanum navigantem Germaniæ littoribus appulsam esse in loco, qui vocatur Hatheloe.* Hæc inquam vera non sunt, nisi distinguantur probe Saxones primo non habitarunt ad Rhenum, sed primo in dorso chersonesi nomen eorum emersit, deinde victoriis suis penetrarunt ad Rhenum. Angilos limitaneos aliquando et confines Saxonum factos ad Albim sociosque expeditionis Britannicæ, verum est omnino; at nunquam eadem gens cum Saxonibus evaserunt, semper distincti mansere tam in Britannia, quam in Germania sedibus suis propriis. Saxones Hadelenses et alias vicinas paludes cis Albim transeuntes insederunt, at non primum a Britannis venientes illas oras occuparunt. Verum est igitur, Saxones Hadelam provinciam incoluisse, haud tamen eo modo, quo Einhardus voluit et ex eo Adamus hic prodidit. Verum est Angilos ab Albi cum Saxonibus in Britanniam tendisse at non eadem gens fuit, nec a Rheno navigarunt cum Saxonibus. Huc usque Saxonum nomen illique victores extenderunt olim ut non impedirentur Saxones a Rheno quoque classes suas in Britanniam dirigere, prout affirmarunt multi scriptores, pariter ac ex Albi.

(29) Hoc circa a. 370. gestum puto, quando Severus Valentiniani Dux eos irrumpentes vicit pacemque petere coëgit, ut est apud Amm. Marcellinum.

Syagrius Dux Rom.

(30) Vivebat ille sub Zenone Imperatore, Dux militiæ Romanæ, qui tandem a Chlodovæo Francorum Rege victus fuit a. 486. Gregorius Turonensis hujus cædis Saxonum etiam meminit, sed ita ut Childerico Francorum Regi, non Syagrio, hanc victoriam tribuat, qua insulis expulsi sunt circa a. 477. Syagrius enim tunc Francis vires junxit contra Saxones.

(31) Insulas dicit, quas inter Mosæ & Scaldis ostia Saxones occupaverant, dum contra Francos bella moverunt; illo enim tempore tam ab Albi quam a Rheno classes eduxerunt Saxones totumque illud latus cœperunt prædis suis destinare, Franciam inprimis ad Scaldim infestam habentes, ubi insulæ Walachria, Zelandia, Schomren, Noortbeveland, quas insederunt, ex his igitur insulis eos & Franci & Romani ejecerunt dicto anno. Neque enim istas insulas a terra tenuerunt, sed classibus ab oceano advecti, eas occupaverant. *excursio.*

(32) Hanc historiam Thuringici Ducatus Francis subjecti ad a. Chr. 524. referunt alii ad 527.

(33) Quomodo Saxones Obotritos ab ortu solis confines habuerint non intelligo, nisi Obotritos eo tempore sediisse fingas, ubi nunc est Misnia, quæ Thuringis est ad ortum: de quo tamen situ Obotritorum nullibi quidquam legitur; nam quod in meridie Francos & reliquias Thuringorum viderint, in occidente Frisios, in septentrione Normannos, hæc quidem recte satis, si Obotriti nondum in Mecklenburgicas oras immigrarant. Adamus aut Einhardus videtur eo respicere. Slavos nondum trans Albim Angilorum aut Vandalorum terras tenuisse: sed Saxones proinde, Normannos & mare Balthicum in septentrione ipsis limites posuit; Vandalos enim & Saxones pro una gente habuit, ut ante de Angilis diserte monuit. Nihil certius est, quam ab oriente Saxonibus ad Salam tunc finientibus occurrisse Slavos, qui Misniam tunc tenebant; sed an Obotriti inter illos fuerint, non mihi constat. *Obotritorum sedes.*

(34) Hæc ex Tacito sunt expressa, qui de Germanis omnibus sic loquitur: *Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam & sinceram, & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Unde habitus quoque corporum quanquam in tanto hominum numero idem omnibus: truces & coerulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora.*

(35) Respicit ad rutilas & flavas comas, quibus Saxones superbiebant æque ac ceteri septentrionales.

(36) Nobiles Saxonice dicebantur *Ethelingi*, Eddeling, Eddele, a veteri septentrionalium voce Odal, quod est prædium, possessio, ut adhuc Norvegi ajunt: min Odal, *possessio mea*, mein eigen frey Gut. Talibus enim prædiis & bonis conspicui nobiles antiquis dicebantur, Adeliche, Edele &c. Hoc igitur apud Saxones quoque obtinuit.

(37) Liberi hic sunt, qui aliis dicuntur ingenui, Fri Saxonice freye Leute &c. Sic in legibus Longobardicis L. 2. tit. XI. art. 4. *Frea* dicitur puella vel mulier libera sub mundio & potestate alicujus constituta, ut ex art. 3. præc. patet in verbis: *si quis mundium de puella libera aut muliere habens &c.* Hæc enim est *Frea*. Occurrit eadem vocula in iisdem legibus tit. 2. art. 4. Si quis *Fream aliena sine voluntate mundo aldi ejus movere de casa præsumserit.* Hæ liberæ puellæ & mulieres et liberi homines discernuntur a Nobilibus, qui etiam liberi sunt; sed hi liberi dicuntur, quod ex liberis nati liberi sint quidem haud vero nobiles. Sic mulier aut virgo Frea facta et libertate donata majorem libertatem consequi poterat, si *Widerboram* faceret ut est in L. 8. Tit. 1. L. 2. Leg. Longobardicæ: *Si quis ancillam suam propriam matrimoniare voluerit sibi ad uxorem, sit ei licentia tamen debeat eam liberam thingare, & sic facere liberam, quod est Widerboram & legitimam per Garathinx id est per libertatis donationem vel per gratuitam donationem, id est Morgen-Gab: tunc intelligatur esse libera & legitima uxor.* Ita quoque si aliam Aldiam sibi jungere voluerit, faciat sibi *Widerboram* necesse est, ut loquitur L. 9. dignior igitur erat libertas Widerboræ, quam Freæ.

(38) Liberti Saxonibus Lassen vel Frilassen vocantur, quod ex servitute in libertatem eos Dominus miserit: unde Glossarium Latino-Theotiscum Liber- *manumissionis apud veteres varius modus.*

Libertini Frilatza et in Legibus Bavaricis Tit. 7. c. 10. *Si cum manumissa, quam Frilazin vocant, & maritum habet concubuerit.* Sic cap. seq. *Virgo quæ dimissa est* libera, idem est Frilazin et liberta. Nithardus autem histor. Francor. l. 4. p. m. 478. *Lazzos* vocat non *Frilazzos*. *Gens*, inquit Saxonum, *omnis in tribus ordinibus divisa consistit; sunt enim inter illos qui Edhlingi, sunt, qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua hoc sunt: nobiles, ingenui atque serviles.* Non vocat servos, quia servi ut caput, sic ordinem nullum habent, ideoque omittuntur a Nithardo accuratius distinguente, quam Adamus, qui servos connumeravit, ut homines viventes suo discrimine; quidquid fictio iuris civilis introduxerit aut hac in re mutaverit. Serviles vero vocat *Lazzos*, quod servitia domino et patrono præstarent licet manumissi, eoque distinguebantur a *Frilazzis*, qui plane liberi a patroni servitiis, quo volebant, se vertere poterant; nulla re amplius obligati priori domino. Lazzi igitur liberti serviles, *Frilazzi* liberti sui juris per omnia. Huc respicit Lex Longobardica lib. 2. tit. 35. c. 9. quam tulit Rex Aistulphus. Quoniam perversi homines benefaciores suos accepta libertate postponebant et ipsi eos postmodum retinere nequaquam valebant (sic legendum pro volebant, vt editum exstat) *multi homines timentes, ne sui liberti eos postponerent, libertatem eis facere omittebant. Propterea statuimus, ut si quis Longobardus pertinentes suos thingare voluerit in quarta manu, & cartulas ei fecerit, & sibi reservaverit servitium ejus, dum advixerit & decreverit, ut post obitum ejus liberi sint, stabile debeat permanere secundum textum cartæ, quam ei fecit.* Hi igitur Lazzi serviles manebant, dum vixit patronus, et Frilazzi primum fiebant post ejus obitum. Solemnibus quibusdam hæ manumissiones dabantur: nam aut in ecclesia circa altare libertatem accipiebant, aut in manu regis aut in foro per Thing in judicio aut per manum erogatoris, cui hanc potestatem concesserat dominus, aut per chartam solam; unde *chartularii* dicebantur homines, ut l. XI. tit. 35. lib. 2. legis Longobard. *Homo denarialis non habeat hereditatem in sua generatione, antequam usque in tertiam generationem perveniat: & homo chartularius similiter*, quæ repetuntur capitulo Caroli et Ludovici l. 6. tit. 208. Alii igitur erant homines chartularii ab iis, qui in cancellaria Chartularii dicebantur ob chartas, quarum servandarum curam gerebant. Dicuntur hi homines chartularii in iisdem legibus Longobardicis per chartam liberi et manumissi charta vel epistola hac de re a dominis data, charta libertatis, charta manumissionis charta ingenuitatis, adeo ut villæ aliqua immunitate aut libertate auctæ et donatæ per chartulam oppida *chartulariata* dicta sint, et Francice villes *chartrées*, ut loquuntur consuetudines Hannonicæ c. 48. Hæc de chartulariis hominibus. Alii vero a chartulariis libertis erant *tabularii*, qui in ecclesia solum coram episcopo manumittebantur, et tabulas conscriptas secundum legem Romanam ab episcopo sumebant; unde tabularii quoque dicebantur, et vivebant sub patrocinio istius ecclesiæ, in qua libertatem nacti sunt homines ecclesiastici propterea dicti. Hæc explicat late l. 1. c. 58. legis Ripuariorum his verbis: *Hoc etiam jubemus, ut qualiscunque Francus Ripuarius seu tabularius servum suum pro animæ suæ remedio seu pro pretio secundum legem Romanam libertare voluerit, ut in ecclesia coram presbyteris diaconis seu cuncto clero & plebe in manu episcopi servum cum tabulis tradat & episcopus archidiaconum jubeat, ut ei tabulas secundum legem Romanam, qua ecclesia vivit, scribere faciat, & tam ipse, quam omnis procreatio ejus, liberi permaneant & sub tuitione ecclesiæ consistant vel omnem reditum status aut servitium tabularii eorum ecclesiæ reddant. Et nullus tabularius denarium ante Regem præsumat jactare. Quod si fecerit ec. solidis culpabilis judicetur & nihilominus ipse tabularius & procreatio ejus tabularii persistant, & omnes reditus status eorum ad ecclesiam reddant, & non alicubi, nisi ad ecclesiam, ubi relaxati sunt, mallum teneant.* Quæ satis monstrant, quomodo hi tabularii differant a tabulariis et cerariis aliis ad cancellarias destinatis, Romanam vero legem et libertatem secundum illam, quod crepant, non intelligitur jus Romanum XII. tabularum aut constitutiones imperatorum; sed leges papales Romanae, quibus ecclesia vivit; ut recte hic addiderunt. Alii libertatem adipisci solebant per denarium; unde *denariales* illi liberti dicebantur et *denariati* homines, quod denario excusso per dominum e manu servi coram Rege, eoque præsente, libertas data esset, ut est in lege Ripuar. tit. 61. §. 3. *Si dominus ejus eum ante Regem denariatum facere voluerit, licentiam habeat;* ita ut denariati excellentius manumissi censerentur, quam ceteri. Hinc in charta veteri eccles. Lugdun. hæc formula: *Servum juris vestri manu propria, & manu illius excutientes denarium secundum legem Salicam liberum cum omnibus, quæ habet vel adquisierit, fecimus.* Cui similis est alia formula vetus: Inde quendam servum N., ut eum ob mercedis augmentum liberum dimitteremus, rogarunt. Nos vero manu propria nostra excutientes de manu supra dicti N. denarium (*vel nummum vel argenteum vel aureum vel drachmam vel sestertium vel minam*) *secundum legem Salicam eum liberum dimisimus, et ab omni jugo servitutis absolvimus.* Goldastus quoque produxit literas Regis Hludovici a. Chr. 906. quibus idem mos denariatos faciendi libertos exprimitur Tom. 2. antiq. Aleman. p. m. 36. Literæ sic incipiunt: ERNESTVS CANCELLARIVS. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Hludovicus divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri præsentes scilicet & futuri, quia nos rogatu Purucharti dilecti Comitis nostri quendam proprium servum nostrum Johan nominatum, in præsentia fidelium nostrorum per excussionem denarii de manu illius juxta legem Salicam in eleemosynam nostram liberum dimisimus & ab omni jugo servitutis absolvimus &c.* Illud igitur observari debet hac manumissione quod ipse Rex plerumque excuteret hunc denarium vel nummum manu sua ex manu servi. Illud enim est manumitti *in manu Regis*, ut habet lex Longobardica L. 2. c. 34. l. 8. quocunque modo eum a se absolverit in manu Regis dando, aut in ecclesia circa altare ducendo. Dabatur enim in manu Regis per denarium hunc, quem excutiebat Rex. Hicque mos manumittendi etiam ante Christianam religionem introductam apud paganos obtinuit. Alius in manu mittendo servos ac libertos constituenda mos erat; cujus meminit Paul. Diac. in Langobard. historia L. 1. c. 13. *Longobardi plures a servili jugo ereptos ad libertatis statum perducunt utque rata eorum haberi possit libertas, sanciant more solito per sagittam immurmurantes nihilominus ob rei firmitatem quædam patria verba.* Hic quoque mos paganicus fuit, inprimis ob immurmurationem notandus, quod significat illos irrunasse manumissis, & concepta quædam verba ex Runis & magia veterum petita ipsis dictasse. Hic quoque ritus observabatur, ut qui in ecclesia manu mitterentur, ducerentur a sacerdote circa altare, ut jam audivimus ex verbis legis Longob. c. 34. l. 8. & seq. In manu quarta quoque manu mittendos tradebant, qui testimonium suis locis deponerent de libertate data coram magistratu, ut sequitur in eodem l. Longob. lit. 34. l. 9. *Si quis Longobardus pertinentem suum in quarta manu tradiderit*, & paulo post: *Si quis Longobardus pertinentes suos thingare voluerit in quarta manu*, h. e. ad forum & judicium perducere, ut ibi quatuor honesti

nesti viri eum manu mittendo compareant ejusque libertatem testentur & annotari faciant suis nominibus subscriptis in libro publico. Sed hæc manumissio non videtur spectare servos solos, verum alios etiam qui sui juris non sunt, aut esse volunt, sed sub tutore vel curatore positi respondent, ut *Jamündlings* qui sub mundio vel potestate alicujus constituti vivunt, ut virgines & feminæ, ideo non utitur lex hoc loco voce Servi, sed *pertinentes* vocat, sive sint liberi sive sint servi, quos dimissurus est ex sua potestate eos *amund* faciens, hoc est sui juris, ut nemini respondeant, nisi sibi ipsi: *Mund* enim & *mundium* in legibus veteribus ad Germanos spectantibus idem est, quod potestas in alium; unde *Mundwald*, qui pro alio respondere debet; *mundbord* consensus, quem ore suo pro aliis quis exponit; *Jamund*, qui sine consensu alterius, cui subest, nihil agere potest. *Amund* igitur, qui nullius ore indiget aut patrocinio, nisi suo. Quomodo hæc manumissio in quarta manu quondam facta sit & cur traditi dicantur in quarta manu & thingati explicat egregie art. 1. leg. Longobard. l. 2. tit. 35. *Si quis servum suum* proprium *aut ancillam suam propriam liberos dimittere voluerit, sit illi licentia, qualiter ei placuerit. Nam qui fulfreal & a se extraneum, id est amund facere voluerit; sic debet facere: Tradat eum prius in manus alterius hominis liberi & per garathinx ipsum confirmet & ille secundus tradat eum in manus tertii hominis, eodem modo & tertius tradat eum in quarti; & ipse quartus ducat eum in quadrivium, & thingat in wadia, & Giseles ibi sint & dicant sic: De quatuor viis, ubi volueris, ambulare liberam habeas potestatem. Si sic factum fuerit, tunc erit amund & ei manebit certa libertas.* Explicanda sunt quædam hujus legis verba antiqua Germanica ut *fullfreal* dicitur *plene liber*, qui plenam libertatem pure consecutus est sine aliqua lege & conditione; nam quidam certis pactis & legibus dimittebantur nec plenam libertatem nacti dicebantur. Aliud autem erat fullfreal fieri & *Amund*: quamvis enim plenam libertatem adepti essent servi, manebant tamen in mundio patroni. Hinc additur hac eadem lege: *Item qui fullfreal fecerit & quatuor vias ei dederit, & Amund a se, id est extraneum, non fecerit, tali lege patronus cum ipso vivat, tanquam cum fratre aut aliis parentibus liberis Longobardis.* In iisdem legibus passim fullfreal dicuntur Vullfreye, vel ut Dani loquuntur, Fuldfrie, qui liberi sunt sine omni exceptione. Erant enim quidam liberi, sed sub conditione, ut liti, aldiones, et qui usque ad mortem patroni in potestate ejus maneant liberti: hi tantisper fullfreal non sunt. *Extraneus* alicui dicebatur ein fremder, qui nulla lege ad ipsum pertinebat; ideo extraneus et *Amund* idem est. Ideo Papiæ Glossarium dicit: *Impans in manu Regis servus dimissus extraneus est*, h. e. plene liber et nemini amplius addictus ullo modo. Jam vero, quem dicebant in manu Regis dari, illum etiam in votum Regis dimitti per impans dicitur l. 1 tit. 35. lib. 2. leg. Longob. *Similiter & qui per impans, id est, in votum Regis dimittitur, ipsa lege vivat, sicut qui amund factus est.* Quid vocabuli sit *impans*, nondum intelligo, quamvis Papias, ut dixi, etiam illud adduxerit. *Garathinx* est actus publice factus adhibitis obsidibus et fidejussoribus, ut donationes libertatis, et aliæ: sic thingebantur per *Wadia* et *Gisiles*, ut hic dicitur quod est per pignora et obsides seu fidejussores et testes, quos quis ad eam rem congregare et vocare vellet. Dicitur ideo *Garathing* a *garen* vel *gaderen*, congregare. Huic Garathing contrarium esse videtur, quod *Launegild* vel *Launechild* vocatur; est enim actus, qui sine testibus adhibitis, perficiebatur i lon dicunt Dani, inss geheimb und bey ihnen selbst. *De quatuor viis, ubi volueris ambulare*, hoc est, quod postea dixit, *quatuor vias alicui dare*: Idem vero est, quod apud Plautum dicitur in Men. Act. 5. Sc. 7. *Liber esto atque abito, quo voles.* Eadem ratio erat, quando portas dominus aperiebat, ut quo vellet a se tendere, nunc posset: unde in lege Riparior. c. 61. §. 1. *Si quis servum suum libertum fecerit & civem Romanum portasque apertas conscripserit*, h. e. in instrumento libertatis donatæ scriptum inseruit, ipsi portis apertis libertatem datam. In formulis solemnibus apud Lindenbrogium n. 88. legitur: *Sicut cives Romani portas apertas habeant perganteque partem, quam voluerint ambulare*, quod et repetitur n. 96. et n. 101: Cui consentiunt leges Willielmi Bastardi. *Si quis velit servum suum liberum facere tradat eum vice-comiti per manum dextram in pleno comitatu, & quietum illum clamare debet a jugo servitutis suæ per manumissionem & ostendat ei liberas portas & vias & tradat illi libera arma, scilicet lanceam & gladium; deinde liber homo efficitur.* Ideo autem dicebantur viæ et portæ libertis dari: quod hæc invicem differrent: viis enim datis portæ datæ non erant nec civitatem Romanam manumissus assequebatur, viis quatuor licet datis, nisi etiam additum esset, portas apertas et liberas ut haberet excepto, si in ecclesia manu missus esset tunc enim sine hac formula civitatem Romanam ipso jure ex beneficio Constantini M. imperatoris nanciscebatur, ut videre licet ex Cod. Theodosiano L. 4. c. 7. et ex Codice Justinianeo L. 1. tit. 13. et ex formulis Lindenbrogii n. 98. ubi statuit *vindicta liberare famulum illum suum bene sibi meritum secundum constitutionem bonæ memoriæ Constantini legis, qua sancitum est &c.* In Burgundionum legibus hoc additur, ut XII. solidos libertus det domino pro eo, quod ipsum liberum dimittat abire, quo velit: nam ita legitur cap. 57. *Burgundionis libertus, qui domino suo solidos XII. non dederit, ut habeat licentiam, sicut est consuetudinis, quo voluerit, discedendi, nec tertiam a Romanis consecutus est, necesse est, ut in domini familia censeatur.* Mens est, eum quidem libertatem consequi, sed ita ut maneat in familia domini, nisi si Burgundus sit, solvat XII. solidos, aut si Romanus sit, solvat IV. solidos, tertiam scil. partem: tunc enim abire poterit, quo velit; et mundium eligere ac defensionem, cujus velit. Poterat autem dominus hoc munus et pretium XII. solidorum remittere, quod in formula 96. Lindenbrogii *libertinitatis munus* appellatum observo, et si servus ecclesiæ manu mitteretur, nequaquam illud exigere domini poterant, *ut nulli hominum pro servili conditione quidquam debeas servitii nec obsequii neque etiam libertinitatis munus impendere, non mihi non successoribus aut actoribus.* In formula 99. apud Lindenbrogium vocatur libertaticum, quod libertus sic impendere debeat. *Nec mihi nec heredibus meis ullum impendas servitium nec litimonium nec libertaticum nec ullum obsequium nec patronatus gratias.* Differt enim *libertaticum* a libertinitatis obsequiis et gratiis. Liberti enim in potestate dominorum manentes libertinitatis obsequia et patronatus gratias præstare debebant, a quibus absolvebantur illi, qui *libertatico* dato quatuor vias liberas et portas acceperant. Huc etiam respicit lex Longobard. t. 34. lib. 2. c. 8. *& postea ipse libertus voluntatem patroni sui fecerit*, er hat ihm seinen Willen gemacht; quod erat munus illud libertinitatis, quod patrono impendere debebat, prius quam ex familia ipsi exire permittebatur. Tunc manifestare poterat libertus libertatem sæpius indicando ad vicinos suos, qualiter absolutus esse videtur; ut additur in lege c. 20. His igitur modis liberti fiebant per Germanos et septentrionales tam apud paganos, quam post paganissimum.

(39) Servi dicebantur omnes servientes alteri sive servati et capti e bello sive emti pretio sive aliter comparati. Vernæ dicebantur nati ex servis nostris in fundo aut domo nostra; Vernaculi dicebantur

fullfreal quid?

extraneus quid?

Garathinx quid?

tur emti pretio, ut in formula 103. quam adjiciam ex Lindenbrogio, quod fit notatu digniſſima et ſic ſe habet titulus: Ingenuitas, quam poteſt ſervus ad alium ſervum facere: *In Dei nomine ego, quamvis omnium ſervorum Dei famulus, tamen una cum permiſſione domini mei epiſcopi vel Abbatis vernaculum meum, quem ego dato pretio ab homine illo viſus ſum comparaſſe, per hanc chartulam ingenuitatis ingenuum eſſe cenſeo & liberum eſſe concedo.* Primum quod obſervari debet eſt, eum, qui manu mittit, non vocari ſervum, ſed famulum: clericorum enim famuli erant, non ſervi, et famuli eccleſiæ, ut paſſim in his formulis obſervatur; deinde quod famulus clerici vernaculos ſervos habere potuerit in peculio ſuo eosque manu mittere et in libertatem aſſerere conſenſu domini ipſo remanente in famulatu: ſervi tamen eccleſiæ reperiuntur, qui non ſunt famuli. Sic ſervi fiſcales conſenſu Regis libertatem mancipiis ſuis dare poterant ſecundum legem Wiſi Goth. l. 1. 5. tit. 7. leg. 16. quod et Longobardicæ leges dicunt l. 2. tit. 32. l. 1. dum prohibent mancipia libera dimitti a ſervis ſine permiſſu domini ſui. Domino igitur permittente poterunt manu mittere. Servi *fiſcales* ſunt, qui ad fiſcum Regis pertinent; *maſſarii* dicuntur, qui ad maſſam velvillam pertinent caſasque habitant, et familiam alunt propriam; unde etiam *ſervi de ſala* dicuntur, ut lib. 4. tit. 1. Longobard. tit. XI. bubulcus de ſala et l. 7. ibid. *qui ad liberos homines ſervierunt & de ſala propria exeunt;* Sala enim dicitur antiquis Germanis domus, ut Saliſſuchen in decreto Taſſilonis, eſt Hauſsſuchung thun. Hodie der Saal pars eſt domus, ſicut *maſſa* erat villa, ut *maſſariæ beſtiæ* 1. conſtit. Neapolit. tit. 84. quæ ad villam pertinent, ut Italis *Maſſaro* adhuc dicitur, qui curam villæ gerit, der Fogt im Dorff. Sic etiam eis dicitur ex eadem origine *Maſſajo* cuſtos rerum omnium, homo frugi, ein guter Hauſshalter et femina *muſſaja* et *maſeria* ſupellex, ut et maſſerizia, ita ut ſervi maſſarii quinam ſint, exinde facile judicari queat. Nam quod ex maſſa illos derivant, quaſi omnis maſſæ ruſticanæ et ſupellectilis cuſtodes, fateor hoc mihi nimis affectatum videri. Ex *maceria* potius et caſam inhabitantem ſervum deducerem. Alii ſervi erant *miniſteriales*, qui legebantur ad aliquod certum miniſterium præſtandum: unde etiam *lecti miniſteriales ſervi* appellabantur, ut ad opificium quoddam vel ad militiæ negotia vilia, qui proprio vocabulo dicebantur ſervi *expeditionales, domi docti & nutriti & probati*, ut eos deſcribit lex 1. tit. 8. l. 1. Longob. et lex Burgundica tit. 10. ubi recenſentur lecti aurifices, et fabri argentarii et fabri ferrarii et carpentarii, qui omnes dicebantur ſervi miniſteriales, ſed diverſi pretii. Differuntque hi ſervi ab aliis miniſterialibus majoribus, quos epiſcopi et alii duces ac comites circa ſe habebant Germanice Dienſtmanne dicti, qui ingenui et nobiles erant, non ſervi: hi enim dicebantur Dienſt-Knechte und Dienſtbothe, quos qui non diſtinguit, multo errore neceſſe eſt ſe implicet. Sic *miniſterialis comitis* l. 1. tit. 7. lib. 3. Longob. non eſt ſervus ejus miniſterialis; ſed liber homo, ut præcedit, *ſi liber homo aut miniſterialis comitis hoc fecerit honorem qualemcunque habuerit ſive beneficium amittat;* quæ plane de ſervo miniſteriali intelligi nequeunt. Ita nec miniſteriales eccleſiæ aut reipubl. de quibus l. 2. tit. 34. lib. 1. Longob. loquitur, ſervi eſſe nequeunt; cum præpoſitis enim et comitibus ponuntur. Lex 2. leg. Longob. l. 1. ſervos miniſteriales in primos et ſecundos dividit: *Si quis ſervum miniſterialem probatum ut ſupra aut doctum domi occiderit componat ſolidis 50; de alio vero ſervo miniſteriali, qui ſecundus ejus invenitur eſſe et tantum nomen miniſteriale habet, ſi quis occiderit componat ſol. 25.* Miniſteriales igitur non confundantur cum ſervis miniſterialibus, nec cum *miniſtris*, qui majores adhuc ſunt, quam miniſteriales ut *miniſtri* alteris in leg. Bajuvar. tit. 1. c. 8. 9. 2. *Miniſtri Reipublicæ* l. 18. tit. 25. lib. 1. Longobard. miniſtri publici conjunguntur cum judice publico l. 30. tit. 21. lib. 2. Longob. ita ut non mirum ſit hodie optimates Regis miniſtros vocari et *miniſtriſſimum*, qui ceteris prævalet et præcellit primusque miniſtrorum regiorum audit *premier miniſtre*. Ad ultimum gradum inter ſervos pertinent omnino mancipia, qui tamen quinam proprie fuerint, neminem ſatis definiiſſe video. Nam quoniam ſervorum erant infiniti gradus, domini erat, quo loco ſervos habere vellet ſtatuere, an inter primarios aut inter ſecundarios aut viliſſimos. Qui a ſervis adquirebantur vel emtione vel alio modo, quin proximi mancipiis eſſent, nullum eſt dubium; et quos ſervos dominus mancipii jure ſervire ſibi volebat, quin hoc arbitrii ipſius fuerit, neminem latet. Hinc quædam mancipia dicta ſunt originaria certo loco affixa, ibique ex mancipiis nata, quæ tamen dominus transferre potuit, et ut mancipiis uti omni loco, quamdiu vellet, atque ad honoratiora miniſteria, quando vellet trahere. Fuerunt ultimi gradus, ultra quem ſervitutem deprimere non poterant. Videatur edictum Theodorici Regis Gothorum l. 142. Mancipium aliquod *tertium* vocatur in lege Burgundionum tit 39. §4. et tertii gradus mancipium fuiſſe interpretari poſſent; nam inter mancipia quoque gradus quosdam fuiſſe non plane negavero, ſed aliter video mancipium tertium explicandum eſſe nimirum ita vocari illud mancipium, quod ad tertiam partem mancipiorum agri cujusdam aut fundi pertinet: qui enim agros emebant ita ſolebant nonnunquam emere, ut duas partes agri et mancipiorum tertiam emerent, prout ſequitur in tit. 54. §. 1. *Licet eodem tempore, quo populus noſter mancipiorum tertium & duas terrarum partes accepit &c.* Illud igitur mancipium tertium dictum eſt, quod ad tertiam partem mancipiorum in agro ſic aſſignato pertinebat. Non igitur gradus hic intelligitur, aut conditio melior, ſed mancipium tertium in agro diviſo e. g. ſi ager totus mancipia 66. haberet, mihique ex aliqua ratione duæ partes agri traditæ eſſent poſſidendæ, tertia pars mancipiorum quoque, nempe 22. mancipia, iſtum agrum ſequebantur, quorum ſinguli mancipium tertium dicebantur. Inter mancipia quoque vernas computari et vernaculos computari certum puto; Vernæ enim erant non ſolum domi meæ nati ex ſervis quibuscunque, ſed et mancipia omnia ex mancipiis nata originaria, quæ noſtri Vornede vocare ſolebant, et adhuc in prædiis affixi perſeverant aliquibus locis in Dania, ita ut dubium ſit, an Romani vernæ nomen a ſeptentrionalibus retinuerint, an Dani a Romanis vernis nomen impoſuerint. Mihi ſane potius eſt vernas e Danorum Vornede originem traxiſſe, cum in latina lingua originarium nullum nomen ſit, unde vernæ dicantur iſti ſervi, eique rei aliquo modo reſpondeat. In Danica vero lingua origo certa nomini Vornede proſtat; deſcendit enim a være, quod ſignificat eſſe, manere quod talia mancipia in loco certo ex mancipiis nata, in iſto loco perpetuo manere debeant, quoad domino aliter libuerit: ideo Vornede dicti, quod plerumque in eo loco relinquantur et perpetuo maneant addicti. Vernaculi vero differunt a vernis, quod quicunque emantur peculio ſervi alterius domino conſentiente, ii vernaculi fiant iſtius ſervi, qui emit, ut diſcere licet ex formul. 113 apud Lindenbrogium, ubi ſervus Abbatis *vernaculum ſuum, quem dato pretio* ab alio comparavit, manu mittit. Quidam præterea ſervi dicebantur *liti* et ſæpius occurrunt in monumentis Aldiones dicti in Italia, Liti in Francia; unde lex Longobardica l. 3. tit. 20. ſic explicat rem: *Aldiones vel Aldiæ ea lege vivant in Italia in ſervitute dominorum ſuorum, qua Fiſcalini vel liti vivunt in Francia.* Dicuntur liti et lidi et ut Aldiones etiam

iam Litones Alberto Stadensi, qui nomen illis servis natum a *læten* relinquendo et servando voluit; *læten* enim Belgis adhuc in tempore non perfecto *lieten* effertur. Alberti verba sunt fol. m. 99. Saxones *invadunt deinde reliquam provinciam Turingos differentia occidentes; plures autem se eis dederunt proprios, & qui ab eis vivere sunt permissi, Litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde litones in provincia Saxonum sunt exorti.* Metuo sane huic Alberti sententiæ et etymologiæ, ut sibi constare possit. Neque enim victores in bello leges a deditis expectant aut qua ratione servire velint; sunt enim manu capti et in victorum arbitrio, an vivos servare h. e. servos et mancipia sibi facere velint Leibeigene, qui non sunt liti. Liti enim deditii quidem erant servi; sed certis legibus, non ut proprios se facerent, ut dicit Albertus, sed ad tempus, ut redimant se, cum velint et possint; vel aliis conditionibus: quo spectat etiam lex XI. in Frisonum lege, cujus verba sunt: *Si liber homo spontanea voluntate, vel forte necessitate coactus nobili seu libero seu etiam lito in personam & in servitium liti se subdiderit &c.* h. e. ut persona sua sit lita, quam ut servitia sua sint talia, quæ liti servire solent; nam si ad sola servitia se obligavit, persona ipsius libera manet, & est statu liber vel libertus cum impositione operarum, vt post dicam. Honestior ergo servitus erat Liti, quam aliorum servorum, & minus adstricta, cum propria pecunia a domino suo se redimere potuerit, ut est in L. ead. §. 2. seq. *Si litus semetipsum propria pecunia a domino suo redemerit &c.* Et cum Dominus talem litum dimittere solebat literis, quæ vocantur *redemtionales*, ipsi datis libertatem largiebatur, ut est in formula 99 apud Lindenbrogium cui titulus est REDEMTIONALE, pretiumque, quod dabat domino se redimens inde vocatur *litimonium* in eadem formula, ut & formula 95. & 86. In privilegio ecclesiæ Mindensis etiam litones dicuntur, ut apud Albertum Stadensem. Femina serva talis etiam lita dicebatur, & in tradition. Fuldensib. l. 2. n. 255. *Lite* quasi ex Græco λίτα, *Liten unam, servos duos.* Sic dicebantur etiam in Italia Aldii & Aldiæ & Aldiones, nisi quod glossæ vett. distinguant inter Aldios & Aldiones, quod illi sint patres, hi filii: qua ratione, quoniam Liti Aldis per omnia similes sunt, prout supra memoravi, & glossæ vett. etiam confirmant, dum ajunt Aldiones in Italia, Lidi seu Fiscalini in Francia; sic quoque Litones erunt ex Litis nati; Liti, qui ex liberis nati sunt, ut de Aldia dicitur L. 5. tit. 30. lib. 1. Longobardic. *Si quis Aldiæ alienæ, id est, quæ de libera matre nata est violentiam fecerit.* Eadem ratione Liti, qui de libera matre & patre servo progeniti fuerunt. Pater enim ingenuus, si servam aut ancillam duceret, eam primo libertati legitime vindicabat, antequam duceret, sicque nati, liberi erant, non servi. Libera vero mulier, si servum ultro sequebatur, in ejus conditionem transibat, & liberi inde nati Liti ac Aldiones vocabantur, nisi dominus eos liberos esse vellet & diceret peculiari pacto. Poterant igitur se servos facere, quicunque volebant, & multi, quasi Deo bene vellent, ejusque gratiæ & honoris causa se ex liberis servos ecclesiæ reddebant: quo spectant verba Othonis I. Imperatoris in literis a. 937. datis p. m. 149. apud Erp. Lindenbrog. in privilegiis Archiecclesiæ Hamburgensis. *Si vero aliquis ex libertis* (lege, ex liberis vel ex libertate) *voluerit Jamundling vel litus fieri aut etiam colonus ad monasteria supra dicta cum consensu cohæredum suorum, non prohibeatur a qualibet potestate, sed habeat licentiam nostra autoritate.* Qui igitur ultro aut sua sponte servitutem subibant, illi Jamundlinge propterea dicebantur quod suo ductu & consensu alterius potestati se subderent eique servire promitterent. Hoc enim verum nomen Saxonum est, ut Litus Francicum & Aldius Italicum. *Colonus* autem etiam litus & Jamundling erat, sed ad agros solum colendos destinatus, cum antea liber fuisset, nunc vero operas suas alteri locasset vel promisisset. *Malmannos* etiam inter tales servos privilegium ecclesiæ Mindensis numeravit, dum hoc ordine eos ponit liberos & servos; *Homines ipsius Ecclesiæ Erancos liberos & ecclesiasticos, litones, malmannos vel servos cujuslibet conditionis.* Unde colligimus Malmannos fuisse, qui judicio serviebant, ut nuncii & alii judiciorum servi. Tales igitur servi, ut statu liberi vivebant, quibus libertas negari non poterat, quoties vellent, ut dicunt glossæ veteres. Aldius statu liber *Aldius est libertus cum impositione operarum factus.* Hoc etiam Aldiis illorum conditio & litis & Jamundlingis præstabat, quod dominus non opus haberet eis quatuor vias dare, ut est in l. 1. tit. 35 leg. Longobard. lib. 2. *Qui Aldium aut Aldiam facere voluerit* (liberos) *non illi debet quatuor vias: hæc sunt 4. genera manumissionum; tamen necesse est pro futuri temporis memoria, ut qualiter liberum aut liberam thing averit ipsa manumissio in carta libertatis commemoretur.* Sola igitur charta data eos liberos faciebat, & ne charta quidem litis ac Aldiis opus erat, cum & sine illa libertas maneat semel data. Neque enim conditionem aliquam novam Aldioni dominus imponere poterat, ut ceteris servis, testante l. 83. tit. 25. leg. Longob. L. 1. Ideo non frustra dicitur L. 1. Tit. 44. Longobard. 2. *de aldionibus, quæ de personis suis Aldiones sunt;* erant enim quidam solis operis, quidam etiam iis servitiis addicti & dediti, ut inter mancipia locum habere possent; unde in diplomate Otthonis Imp. Ripesholti concesso apud Erpoldum Lindebrogium leges: *Quædam nostri juris mancipia litam videlicet Thietsaiden dictam cum filiis ejus & filiabus tradidimus* Quæ satis ostendunt non ejusdem conditionis omnes fuisse, sed quosdam liberalioris, quosdam deterioris.

(40) In Saxonicis legibus, quæ supersunt, haud quidem lex ejusmodi reperitur; visa est enim Christianis dura nimis, ideoque expuncta & omissa. Talem vero legem Saxonibus fuisse, scire potuit optime Einhardus, ex quo Adamus hæc hausit, quoniam cum Carolo M. vivens Saxonum mores & scita notissima habuit, adeo ut de veritate horum verborum & legum dubitari, minime possit aut debeat. Nam Carolus M. devictis Saxonibus leges eorum mutavit non nisi eas approbans, quas voluit, addens, quin etiam & præscribens, quæ Christianos factos decebant, & in officio eos continere poterant; at aliorum tamen populorum legibus, quæ Saxonum moribus plane conveniebant, umbra quædam relicta est in imparibus conjugiis vita punitis. Præter quam enim quod Saxonicis legibus hodiernis in adulteriis pœna capitis adhuc ordinaria sit & perseveret, lex Wisi Gothica non solum adulteras, sed & quaslibet liberas, quæ se servis aut libertis suis commiscent, fustigari & cremari jussit. Sic enim loquitur l. 2. tit. 2. leg. Wisigoth. lib. 3. quæ integra est referenda, ne de sola adultera eam loqui quis objiciat. *Si mulier ingenua servo suo vel proprio liberto in adulterio commiscuerit aut forsitan cum maritum habere voluerit, & ex hoc manifesta probatione convincitur, occidatur, ita ut adulter & adultera ante judicem publice fustigentur, & ignibus concrementur.* Hæc mens est legislatoris, pœnam capitis incurrere mulierem ingenuam si servo suo vel liberto se junxerit; si vero vivo marito etiam adulterium committat cum servo vel liberto suo; & adulteram & adulterum fustigatos concremari debere. Atque jam melius intelligentur verba legis sequentia, ut quæ ad adulteram, quæ vero ad virgines vel viduas ingenuas spectent, discernere liquido possimus. *Cum autem per reatum tam turpis admissi, quicunque judex in quacunque regni nostri provincia constitutus agnoverit, dominam*

minamservo suo sive patronam liberto fuisse conjunctam, eos separare non differat, ita ut bona ejusdem mulieris aut si sunt de alio viro idonei filii evidenter obtineant aut propinquis ejus legali successione proficiant. Quod si usque ad tertium gradum defecerint heredes, tunc omnia Fiscus usurpet: ex tali enim consortio filios procreatos constituti non oportet heredes. Illa ergo seu virgo sive vidua fuerit, pœnam excipiat superius comprehensam. Quod si ad altaria sancta confugerit, donetur a Rege, cui jussum fuerit perenniter servitura. Eo non minus collimat lex Bajuvariorum tit. 7. leg. *Si servus cum libera fornicaverit, & hoc repertum fuerit, ille, cujus servus est, reddat illum parentibus ejus ad pœnam, quam meruit luendam vel ad interficiendum.* Parentibus tradere est cognatis proximis vitiatæ tradere: illi enim Francice *les parens* vocantur illisque servum traditum interficere, si vellent, licuit ob vitium illatum feminæ liberæ. Lex Ripuariorum non dissentit tit. 58. l. 18. *Quod si ingenua Ripuaria servum Ripuarium secuta fuerit & parentes ejus hoc contradicere voluerint, offeratur ei* (ingenuæ sc.) *a Rege seu a Comite spatha & conucula: Quod si spatham acceperit* (ingenua,) *servum interficiat; si autem conuculam, in servitio perseveret.* Certum est fuisse leges antiquis, quibus matrimonia tam imparia & ignobilia capite luebantur, sed ita ut in arbitrio fuerit proximorum; an servum traditum vita donare vellent aut secus. Hic non parentibus, sed ipsi vitiatæ arbitrium defertur durissimis conditionibus, aut ut serviat cum servo, quem secuta fuit, aut ut illum interficiat, quem amavit. Jungatur his lex Longobardica lib. 2. tit. 9. plane enim & servus & mulier libera vita luere debent istam libidinis infamiam: *Si servus liberam mulierem aut puellam ausus fuerit sibi conjugio sociare, animæ suæ incurrat periculum, & illam, quæ servo fuerit consentiens, habeant parentes potestatem occidendi aut foris provinciam transvendendi & de rebus ipsius mulieris faciendi, quod voluerint. Et si parentes ejus infra anni spatium hoc facere distulerint, tunc liceat Gastaldio Regis aut actori aut Sculdasio ipsam in curtem Regis ducere & intra pensiles ancillas constituere.* Unde leges illas quas Adamus ex Einhardo recenset non veras non esse, satis puto constare.

(41) Illa quoque cum sequentibus ex Taciti Germania sunt petita: & quod illa Einhardus aut Adamus Saxonibus adhuc convenire animadverterint, ideo de illis hæc annotarunt. Nemo vero scripsit, Saxonas aut Germanos aut septentrionales Mercurium inter Deos coluisse præter scriptores Romanos, qui credebant, omnes barbarorum Deos ejusdem nominis esse cum Romanis; quod tamen falsum est. Novimus nomina Deorum septentrionalium, Othini, Thori, Fregi; unde Romani Martem, Iouem & Mercurium fecerunt. Ipse Adamus infra p. m. 152. illos enumerat. Taeitus Tanfanam habet apud Marsos et Alcin apud Noharvalos Numina. Ex Alci statim Castorem ac Pollucem fecit, *quia ut fratres, ut juvenes venerabantur.* At quomodo scire potuerunt Romani, Mercurium aut Jovem aut Castorem apud alias gentes barbaras coli aut apud septentrionales inprimis, cum nulla Deorum suorum simulachra instar Romanorum habuerint, qui lucos & nemora & lapides, veluti templa ac Deos adorabant. Hoc ipsi fatentur Romani, & tamen tot Mercurios ac Joves & Vulcanos & Veneres nobis obtrudunt, quot ipsi somniarunt. Nihil enim horum Deorum apud veteres septentrionales, nec cum Romana religione ulla in re conveniebant, præterquam in votis & precationibus in sacris, quas ad lucos et lapides effundebant, ut ad Iovis et Junonis auriculas aliorumque Deorum statuas Romani. Sic Hertham Deam coluerunt in commune Suevi, non *Herthum*, ut aliqui legunt, (erat enim Dea die Erde;) sed num veluti Romani Cybelen aut terram matrem? Nequaquam. Erat nulla humani oris species, nulla statua vel imago aderat, non iidem ritus, qui Romanis, non eadem sacra: procedebat plaustrum aliquod tectum per agros, sequebantur, qui adorabant, quod non videbant; peracta lustratione abluebatur vehiculum et reddebatur septis suis: interea populo festi dies agebantur. Vide num hic Terram matrem Romanorum cultam percipere possis? Adeo differunt numina septentrionalium, ut nec, cum nomina conveniunt, cum Romanis quidquam conveniat.

(42) Nec quemquam turbet, quod in scriptoribus sæpenumero templa Germanorum exstent; loquuntur enim more Romanorum. His enim populis septentrionalibus diu templa nulla ædificabantur, sero et ad imitationem aliorum populorum solum ad hæc ædificia publica et sacra, quæ templa dici merebantur, ipsis deventum est. Prius septa fuerunt et domum culæ quædam, in quibus vasa sacrificiorum servabantur: hæc templa vocarunt Romani, quod loco templorum nulla alia septentrionalibus esse viderent.

(43) Hæc idololatria fuit omnium antiquissima septentrionalibus, nec simulacris aut imaginibus Deorum illorumque statuis usos legimus, nisi sero; post Tacitum sane et Ptolomæum. Unde Othini, Thori et Freyi antiqua quidem Deorum nomina fuerunt, haud vero simulacris aut humani oris speeie expressi nec in templis positi: luci enim templa erant et Dii et omnia.

(44) Recte Tacitus (nam Taciti hæc sunt in Germania, quæ Einhardus Saxonibus applicavit) *notas* vocat, et notis surculos discretos. Hæ enim notæ erant istæ Runæ dictæ septentrionalibus, quas rebus fere omnibus incidebant et imprimebant, quibusque potestatem tribuebant immensam in secundis et adversis, easque Runas incantationibus præterea suis juvabant prosequentes. Ex his vero notis usurpatis et solemnibus haud ulla scriptio populis septentrionalibus affingi debet: scribere enim ante Christianissimum nec didicerant nec curabant, estque longe aliud notis quibusdam rem *irrunare*, ut loquebantur; aliud scribere: quibus cum conveniunt, quæ sequuntur, *quod sublatos surculos secundum impressam ante notam interpretatus sit.* Sortibus enim confusis et sparsis quando exibant et tollebantur et incantationibus irrunatæ erant, jam potestatem suam exserebant et interpretationes admittebant illæ notæ. Idem indicat inferius dum Suecos *jactu sortis* explorasse. Deorum mentem scribit eadem ratione, qua hic sparsos super candidam vestem surculos monet notis suis discretos.

(45) Alias versicoloribus delectatos esse eos vestibus memorant scriptores: nam et sagam ipsis variam coloribus Cæsarem memini prodidisse, et ubi pellibus utebantur *eligunt feras*, ait Tacitus, *& detracta velamina spargunt maculis, pellibusque belluarum, quas exterior oceanus atque ignotum mare gignit.* Ita feminæ quoque: *Feminæ*, pergit, *sæpius lineis amictibus velantur eosque purpura variant.* Virgatæ Romanis hæ vestes dicebantur. Virgilius l. 8. Æn. de Gallis dixit:

Virgatis lucent sagulis.

Silius Italicus l. 4. de Chrino Bojorum duce ejusque comitibus:

Auro virgatæ vestes manicæque rigentes
Auro - -

Diodorus Siculus propterea ῥαβδωτὰς vocat σαγας Germanorum et Gallorum. Sidonius limbis marginatas vestes fuisse monuit l. 4. epist. 10. de Sigismere Gothico juvene regii sanguinis et ejus sociis dicens *Viridantia saga limbis marginata puniceis:* Quos limbos adhuc et viri in palliis aut sagis suis apud multos in Germania retinent, senatores inprimis et consules; et feminæ in supparis ostendunt vestibusque suis, ut in Hamburgensibus das

bunde Foderhembd, der Tripen Stoot, de Sucken etc. ſuperſunt. Suis virgis verſicoloribus et limbis variis ſuperbientes in Friſiis quoque obſervare, licet Tacitus l. 2 hiſtoriar. Vitellii ex Germania venientis *verſicolor ſagulum*, quo indutus legatos alloquebatur, memoravit, quin et l. 4. lintres civiles Batavi *ſagulis verſicoloribus* pro velis utentes adducit. Alia quoque ratione Diodorus docet, eos ſaga ſua variaſſe æſtiva, præſertim lib. 4. Ἐπιπορτᾶνται, dicit, σάγας βαφδωτὰς, ἐν μὲν τοῖς χειμεῶσι δασεῖς, κατὰ δὲ τὸ θέρος ψιλὰς πλινθίοις πολυάνθεσι καὶ πυκνοῖς διειλημμένας. Quod Tacitus dixit in pellibus eſſe maculas, et in lineis amictibus purpura variegata, hoc Diodorus πλινθίας vocat et ῥάβδας: neque enim uno modo variabant ſempet. Sed illud obſervandum in his ſagis et veſtibus, quod recte monuit Cluverius l. 1. p. m. 138. ingenuis et nobilibus hæc tantum tribui poſſe; nam ex plebe homines aut nudi, aut pellibus exiguis induti aut libris arborum tegebantur, ut Mela et Plinius docent. Sed quod ex illis virgis et πλινθίοις nobis inſignia gentis confinxerit Cluverius, hoc ego noluiſſem inſignia, inquam, prout hodie ſumuntur, cuique non ſolum genti propria, ſed cuique cognationi et familiæ: hæc enim neſciebant olim ſeptentrionales et orbis univerſus. Sed in rebus ad ſacra pertinentibus, ibi illis non minus, quam pluribus aliis gentibus, candida et pura omnia: hinc candida veſtis hic ſortibus ſubjecta, et candidi equi in præſagiis, quæ ex illorum hinnitibus petebant. Non abſimilis equus albus Rugianorum, de quo Saxo; et quomodo præſagia per illum ſumerent rerum quæ eventuræ eſſent L. XIV. convenit ille cum equis candidis Taciti in multis diſſentit. *Præterea peculiarem albi coloris equum titulo poſſidebat cujus jubæ aut caudæ pilos convellere nefarium ducebatur: hunc, ſoli ſacerdoti paſcendi inſidendique jus erat, ne divini animalis uſus, quo frequentior hoc vilior haberetur. Auſpicia quoque per hujusmodi equum ſumebantur &c.* adeo ut neſciam in quo cerebro natum ſit illud figmentum, de equi Saxonici nigri inſignibus quæ Carolus M. poſt Videkindum baptiſmo ablutum in equi albi mutaverit. Hæc enim falſiſſima ſunt, tam ob equi colorem inauſpicatum et atrum quem pagani in omnibus averſabantur, quam ob inſignia quæ paganis nulla unquam fuerunt. Vexilla quoque ſacræ res erant, ideoque candida pleraque vexilla, quæ Fahnen ſolemus vocare, et velis conſpicua ſunt: ſigna enim ſine his velis ſacra erant et venerabilia et auro nitebant, vexilla non item: Sed quo puriora, eo caſtiora et ſanctiora fuerunt; ita ut mirari liceat apud Danos exſtitiſſe Danna Braags vexillum varium colore et cœlo tamen delapſum: obſervare tamen oportet hoc vexillum non ſub paganis prodiiſſe, ſed ſub Chriſtianis et Valdemaro II. Rege in Livonia; indeque miraculo fuit paganis illis in Livonia, verſicolorem veſtem in vexillo videntes hæc præſtare et tanta, quæ Valdemarus ibi geſſit, cum aſſueti eſſent non nili a candidis vexillis victorias expectare: hinc nomen clarum Danne Braage evaſit.

Auſpicia veterum Septentrionalium.

(46) Exſtant in ſeptentrionalium chronicis non pauca moris hujus veſtigia. Dago Regi Sueciæ paſſerculus fuit, cum quo garriebat quemque pro novis rebus nunciandis peregre ſolebat ablegare, cumque in Jutia fata ſua reperiſſet hæc avicula lapillo cæſa et proſtrata, tantum ex ea re mœrorem concepit Rex, ut bello facinus vindicandum ſuſciperet; quod legitur in chronico Norvegico Danice edito p. m. 14. Harquinus Jarlus, qui ſeculo X. Norvegiam rexit, cum in Gothia pro ſucceſſu felici ſacrificaret duo corvi advolantes cantu ſuo fauſta quævis videbantur nunciaſſe: et ſic interpretabatur Haquinus, qui tali permotus augurio claſſi flammam immiſit, poſtque pergens totam Gothiam victor peragravit, hoſtibus occurrentibus undique cæſis, Norvegiaque non minus feliciter occupata. Illud quoque refert idem chronicon p. m. 124: Cum Sueno Daniæ et Magnus Norvegiæ Rex bello res ſuas committerent decidendas ſeculo XI. Sueno exercitum admovens jaculo ſuo aquilam cominus ſedentem transfixit. *Arripuit omen exercitus, atque fortuito aquilæ occaſu certiſſimam hoſtium ruinam interpretatus eſt* etc. verba ſunt Saxonis. L. X. p. m. 203. Hos mores etiam Chriſtiani non depoſuerunt paganiſmi vanas ſuſterſtitiones vis aut nunquam dediſcentes; non quidem de extiſpiciis quidquam obſervarunt hi ſcriptores, fuiſſe tamen ſeptentrionalibus hanc ſolertiam nemo dubitet, poſtquam Strabo indicavit l. 7. Cimbrias ſacerdotes feminas non ſolum ex ſanguine, ſed etiam ex extis inſpectis vaticinatas eſſe: Ἐκ τῶ προχεομένω αἵματος εἰς τὸν κρατῆρα μαντείαν τινὰ ἐποιεῖτο, ἄλλαι δὲ διαχύσασαι ἐσπλαγχνευον ἀναφθεγγόμενον νίκην τοῖς ἰδίοις. Hanc divinationem ex inteſtinis animalium *phyſiculandi ſolertiam* vocabant. Primus eſt Apulejus de Deo Socratis, qui hac voce uſus eſt, dum ait eos ſingula curare vel *ſomniis confirmandis vel extis phyſiculandis vel præpetibus gubernandis vel oſcinibus erudiendis vel nubibus coruſcandis ceterisque adeo, perque futura cognoſcimus.* Hanc vocem varie torſerunt, legunt enim alii *fiſſiculandis* quaſi ex fiſſis extis melius, quam ex integris divinare potuerint. Sed et Martianus Capella illa voce utitur non ſemel l. 1. p. 5. aut *denunciata pecudum cæde, phyſiculatis extorum proficiis viſcera loquebantur;* deindel. 2. p. 38. *Hæc aruſpicio exta phyſiculant admonentia quædam, vocesque transmittunt auguratisque loquuntur omnibus.* Omnes hactenus interpretes a græco φύσις natura et φυκιπεύειν *naturas ſcrutari* vocem phyſiculandi deduxerunt. Non ego carpam tantos viros; ferri enim poteſt hæc etymologia, et gloſſas Iſidori teſtes habent conſentientes. *PHYSICVLO, propitio divos: PHYSICVLATOR augur, naturas in extis animantium quærens.* Sed cur de extis phyſiculari magis dicendum, quam de aliis divinationibus credunt? nonne omnes ex natura et rebus naturalibus ſua deduxerunt præſagia, et phyſicularunt. Si de natura, quam rimabantur, vox hæc intelligi debet. Non igitur hoc mihi videtur fuiſſe phyſiculator aut exta phyſiculare, ſed a Φυσᾶν eos phyſiculatores dictos eſſe, quod exta profecta inflarent exque eo ſono divinarent. Hanc puto mentem fuiſſe Apuleji, hanc Martiani Capellæ, dum de illa phyſiculatione *viſcera loqui* diſerte dixit, et ex hoc ſono, quem edunt inflata, augurata omina petita fuiſſe. Alia igitur ab hac phyſiculandis ſolertia in extis fuit extiſpicina aut ἡπατοσκοπία: neque enim ex ſolo jecore viſo aut integris extis judicabant et vaticinabantur, ſed etiam ex extis, quæ inflabant. Hi, qui ſic exta tractabant, dicebantur proprie phyſiculatores meo judicio. Τεφραμαντείας et ex cineribus prædictiones non etiam ignorarunt ſeptentrionales. Reperit enim illas Voldemarus I. Rex et Abſolon Archiepiſcopus apud Rugianos, quæ Saxonem Grammaticum inſtruxerunt, ut ſcriberet l. 14. p. m. 321. *Ne feminæ quidem ab hoc ſcientiæ genere immunes fuere, quippe foco aſſidentes abſque ſupputatione fortuitas in cinere lineas deſcribebant, quas ſi pares numeraſſent, proſperæ rei præſcias arbitrabantur, ſi impares, ſiniſtri prænuncias autumabant.* Jam vero et illud peculiare divinandi genus apud ſeptentrionales viguit, homines oceano lacubus et fluminibus magnis interfuſos, quod ex fluctuum gyris et fragoribus eventura prædicerent, de qua divinatione Plutarchus in Cæſare loquens de Arioviſti prælio tardato: ἔτι δὲ μᾶλλον αὐτὲς ἤμβλυνε τὰ μαντεύμα τὰ τῶν ἱερῶν γυναικῶν, αἳ ποταμῶν δίναις προσβλέπουσαι, καὶ ῥευμάτων ἐλιγμοῖς, καὶ ψόφοις τεκμαιρόμεναι προεθέσπιζον ἐκ ἐῶσαι μάχτω τίθεσθαι πρὶν ἐπιλάμψαι νέαν σελήνην. De hac divinatione vix

Phiſiculare quid?

Prædictiones ex cineribus.

Ex undis.

vix quidquam apud alias gentes obſervatum, ideoque huc referendam non abs re credidi. Sed hæc fortilegia unde didicerint ſeptentrionales optime monet Herodotus l. 4. qui Scythas etiam virgis robuſtioribus ſparſis et rurſus collectis ac incantatis ſolitos ſuo tempore μαντεύεσθαι monuit et ab illis ſeptentrionales ſane prodierunt illis moribus. Nec Saxo reticuit apud Rugianos quoque ſeculo XII. ſortes tales repertas l. 14. p. m. 321. *Nec ſortium eis uſus ignotus exſtitit; ſiquidem tribus ligni particulis parte altera albis altera nigris in gremium ſortium loco conjectis, candidis proſpera, furvis adverſa ſignabant.* Simplex hæc omnino ſortium conſuetudo, ut Tacitus ait, ideoque antiquitate præferenda: nam virgulas has diviſas, altero latere corticem furvum oſtendiſſe, altero candidum colorem novimus. Jactæ igitur ſortes et ſparſæ, ſi nigra latera ſuperius occuparent, adverſa ſignificari; ſi vero candida, nihil niſi proſpera eventura volebant, in primis ſi repetitæ ſortes idem præſtarent.

(47) Tacitus ita de Germanis aliique ſcriptores obſervarunt.

(48) Hic cultus antiquiſſimus ſeptentrionalibus et fuerunt illis tempora, quando cultum alium neſciebant nec in oris humani ſpeciem Deos ſuos aſſimilabant, prout Taciti verba ſuperius adducta produnt. Sed hic Einhardus ſuo ſeculo etiam cultui dæmonum illos deditos fuiſſe innuit et εἰδώλοις. Quando vero cultum hunc imaginum admittere cœperint, nemo me docuit. Mores propinquorum etiam hanc idololatriam poſt Tacitum invexiſſe, et una cum lucis ac arboribus frondoſis fontibusque venerationem iſtam conjunxiſſe diſcere poſſumus.

Irminſula. (49) Tacitus ſuo tempore ſtatuam illam neſciebat nondum quippe poſitam; carminibus tamen eum canere et celebrare pergebant, ut innuit 2. annal. ſub fin. nihil enim eſt aliud *Irminſul*, quam *Arminii columna*. Eſt autem Arminius Cheruſcus hiſtoriis Romanis ſatis notus, dignus carminibus populi ſui, qui *liberator haud dubie Germaniæ, non primordia populi Rom. ſicut alii Reges ducesque, ſed florentiſſimum imperium laceſſivit præliis ambiguus, bello non victus, ſeptem & triginta annos vitæ duodecim potentiæ explevit.* Quæ Taciti ſunt eodem loco: dignus princeps longiore vita, quam licet invidiæ propinquorum impenderit immortalitate tamen non caruit. Celebrabitur enim nomen ejus hiſtoriis et carminibus, dum orbis erit. Falſa eſt igitur Einhardi explicatio Irmenſulæ, quaſi dicatur *univerſalis columna ſuſtinens omnia:* eſſet enim *Allmindſull*, non Irmendſull hac ratione. Recte vero ſatis deſcribit hanc ſtatuam Einhardus, *truncum ligni non parvæ magnitudinis in altum erectum ſub dio*, ita tamen ut ſuperiora in effigiem aliquam humanam deſinerent, qua ratione hermas veterum effictas videmus, et Herculis columnas antiqui memorarunt: qua in re Einhardo potius credendum cenſeo, qui proximus vixit illis temporibus, cum Irmenſula diſſiceretur, quam poſterioribus illis, Letznero ejusque ſociis, qui figuram hujus columnæ Arminii æneam Mindæ vel alii ſervatam crediderunt ejusque figuram expreſſerunt apud Meibomium extantem et alios, parum congruentem Arminii aut Taciti aut priorum ſeculorum temporibus, quæ nec ænea nec lignea monumenta talia noverant in Saxonia; adeo ut, quæcunque præter hæc veriſſima Einhardi verba leguntur de Irmenſula, figmenta potius ſint et additamenta inania. Quando vero cœperit hæc ſtatua poni Arminia nondum quiſquam docuit: nam Taciti ætate aut Ptolomæi nondum ſeptentrionales imaginibus aut columnis Deos, multo minus heroas colebant; ſed animo et carminibus. Venerationis tamen cauſa majoris in memoriam Deorum et herorum tales ſtatuæ prodierunt. Quandocunque tandem in uſum ſeptentrionalibus venerunt, neque propterea Arminium ſtatim ut Deum cultum dicere licebit, neque hoc dixit Einhardus: aliud enim eſt honoribus aliquem mactare, aliud ut Deum adorare. Tacitus hos cultus optime diſtinxit, qui in Germania ſua docuit, quod Velledam et Auriniam *& complures alias venerati ſint, non adulatione, nec tanquam facere ut Deas:* ergo nec Arminium, licet excogitatiſſimis et quæſitiſſimis honoribus tam vivos quam mortuos proſequerentur, imo numinis loco haberent, ut Reges hodie ſolemus; divinos enim honores iis tribuimus, quamvis eos Deos non faciamus. Carolus deinde M. in Saxoniam veniens, ab a. 772. viderat, quæ in opprobrium gentium aliarum ad hanc Irmenſulam convenientes, et dictis et factis ſolebant effundere, eiusque Clerici non intelligentes quidnam hæ choreæ et carmina ſibi vellent aut quo tenderent, idolum quoddam crediderunt inter Deos patrios cultum, a quo tum temporis truncus ille parum abſuit, ſiquidem ætate omnia in majus convaleſcunt; facile igitur Carolo perſuaſerunt exſcindendum eſſe hunc truncum, illasque ſuperſtitiones penitus delendas, quod eodem anno quum Eresburgum in Weſtphalia cepiſſet, ubi Irmenſula colebatur, præſtitit. Nec ejus tunc ullæ ſervatæ ſunt reliquiæ, truncus ille totus eſt abſumtus, aut igne, aut dolabris, ut ſolebant iſta.

(50) Recte. Nec ſoli Slavi aut Sueones, ſed omnes omnino ſeptentrionales. Slavi enim has regiones occupantes, quamvis lingua alieni, moribus tamen conſentire ſeptentrionalibus didicerunt, imprimis quoad religionem et Deorum cultum, quem nullum aut exiguum prorſus attulerant, quod ex *Radegaſti* cultu et *Suantoviti* Germanicis utique nominibus obſervare licet.

(51) Quas nam dicit auſtrales partes Germaniæ? num Heſſones et Thuringos aut Francones, qui primus ipſi labor fuerunt, ut paulo poſt memoravit. Non poſſunt hi auſtrales dici: ſunt enim ab oſtio Rheni ſed et usque ad Viſtulam populi, qui auſtrum et meridiem Germaniæ tenent, quibus Bonifacius parum profuit. Auſtrales igitur partes hic intelligo orientales, quaſi *Oſtrales*. Ita enim ſeptentrionales eorumque linguæ affines pronunciant *Auſtur*, *Auſturwegin*, *Auſturleding* orientem, orientalia itinera, orientalia bella ſignificantes. Jam cum ex Anglia Bonifacius in Germaniam deſcenderit Germaniæ partes ſibi in oriente habuit obvias, prout ſæpe *Auſturfahrirs* dicuntur Angli, quando in Germaniam tendunt. Nec mihi dubium eſt, quin ex Anglico quodam ſcriptore hæc Adamus exſcripſerit verba, et *auſtrales* retinuerit, ita ut auſtrales partes Germaniæ, ſi Angliam ſpectes, ſint inter Rhenum et Albim ſitæ provinciæ, quos primum appellens ex Anglia Bonifacius ingreſſus eſt ab occidente in ortum. Illic etiam docendo ſe præſtitit Bonifacius, apud Friſios inprimis, quæ ſunt auſtrales illæ partes; ſed Anglica non latina flexione *auſtur* intelligentes: unde fecerunt auſtrales. Miſſa vero faciamus hæc, et dicamus auſtrales vere Germaniæ partes fuiſſe Moguntiam et Franconiam, ubi Bonifacius docuit, unde quoque *Francorum epiſcopus* vocatur, autori additionum ad recapitulationem chronicam Bedæ in hiſtoria eccleſiaſtica. Ibi enim ſic legitur p. m. 318. *Bonifacius, qui & Winfridus, Francorum epiſcopus cum quinquaginta tribus martyrio coronatus eſt.* A. 754. Bonifacius conſtitutus fuit epiſcopus, ut Adamus numerat, a. Chr. 718. cum Willebrordo videtur Germaniam aceeſſiſſe, qui ab a. Chr. 705. ut canonicus Trajecti cum ipſo vixerit, teſte Macellino apud Baronium. Willebrordus autem a. 690. primum Germaniae oras attigit ex ſubmiſſis Willebrordo presbyteris; ergo Bonifacius ab a. 704. vel 705.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

705. Bonifacii vero nomen Papa Gregorius 2. ipsi inposuit, cum a. 718. Apostolus ab ipso per Germaniam mitteretur, ac constitutus esset. Haud enim intelligens Papa, *Vinifridi* nomen Anglicum placidum satis esse et mite, quod *amicam pacem* indigitat, Bonifacii nomen melius esse credidit, quod latinum esset, Vinfridi barbarum; at latino etiam elegantius. Ex hac enim caussa tot nominum mutationes tam in Laicis quam ecclesiasticis Viris occurrunt. Quoties enim infrunitum quid ac barbarum nomen praeferre videbatur, toties mutari cœpit boni ominis caussa in rebus gerendis.

(52) Allemannia hic intelligitur, ubi nunc Helvetia die Schweitz. S. Gallus cum S. Columbano ex Hibernia in Galliam contendit circa a. 612. et cœnobium fundavit ibi locorum, qua hodienum in Helvetia supereſt.

(53) Circa a. 702. a Theodone Bavariae Duce interemtus periit.

(54) Is ex Hibernia quoque circa a. C. 686. in Franconiae partes delatus, ibi religionem Christianam propogare cœpit, sed cito martyrium adeptus a. C. 689. occubuit.

(55) Dixi ante Willebrordum ex Anglia ad Frisios missum a Pipino Duce Francorum circa a. 690. Haud ille ex Anglia mare trajecit in Germaniam, sed in Franciam, ut solebant extra Angliam iter facientes non alia via exire, quam qua Franciam spectat Anglia; ideoque Beda memorat l. 5. c. XI. histor. eccles. eos divertisse ad Pipinum Ducem Francorum et ab eo missum cum Sociis ad Frisios citeriores, quos nuper Radbodo Rege expulso subjugaverat a. 696. Romam mittitur a Pipino in episcopum ordinandus, ubi investituram Sergius Papa faciens Clementis nomen ipsi dedit, quod Willibrordi nimis barbarum esset, atque sic episcopus Trajectensis vel Villaburgensis evasit et sedens annis 40. decessit a. C. 736. Illud vero probe sciendum est omnes eos, qui ex Anglia primum in Germaniam profecti sunt, ut sacra Christiana Germanis docerent, haud ita mare trajecisse ut in Germaniam, qua Frisii sunt et Batavi, contenderent, sed per totum Francorum regnum brevissimo trajectu ex Anglia Rhenum petebant, eumque transeuntes australes Germaniae partes sacris Christianis illustrabant. Hae igitur sunt illae australes partes Germaniae, quas Gallus Wigbertus, Willibrordus, Suibertus, Willibaldus, Ewaldus, Kilianus omnes Angli, non solus Bonifacius, primum viderunt in Germania, et ibi prima religionis Christianae fundamenta sparserunt et jecerunt, priusquam ad alia loca pergerent: ita ut prior illa sententia de *austurvegin* septentrionalium, quam aliqui foverunt, satis superque concidat. Facile enim me quoque traxisset error, nisi in viam reduxissent certiora.

(56) Hi Episcopatus deinceps messe Christianorum amplificata in plures etiam a posteris Imperatoribus coarctati fuerunt, prout episcopi curam et industriam loca videbantur requirere: Quatuor igitur Episcopatus Germania illis temporibus suscepit, primo, Fresonicum sub Willebrordo et Bonifacio, deinde, jam dictos tres. Si qui Saxones, aut alii Germanici extra has diœceses converterentur, ad proximum Episcopatum et Diœcesin pertinere cœperunt, donec et illi Episcopum sibi proprium, constituere ac alere poterant. Haec caussa est cur primi Episcopatus tam late sese extenderint quod pauci hinc illinc Christiani dispersi late, et inter Paganos habitantes, vix unum Episcopum ferre possent aut alere: ut mirum nemini videre debeat apud scriptores saepe Episcopum amplissimi regni unicum reperiri ut episcopus Sueciae, Episcopus Hispaniae etc. ita enim se primordia Christianae relligionis et episcopatus habebant.

inpr. Francouicus. (57) Notari debet, Adamum haud loqui cum Romanis: hi enim cis Rhenum, cis Albim intelligebant provincias omnes, quae versus Romanos tendebant a Rheno aut Albi; Adamus autem aliter situm Germaniae concipit, et trans Rhenum vocat, quae Galliam et Romam versus jacent; cis Rhenum vero, quae a Rheno versus Germaniam protenduntur, ideoque Francorum episcopatus, de quo hic loquitur, non intelligendus de Francico in Francia, sed de Franconico in Germania. Mens enim ejus est in tres Bonifacium episcopatus Germaniam dispescuisse, in Franonicum, Hassicum et Thuringicum, ubi docuerat et multos ad Christum perduxerat.

agonizare vox quid? (58) A Graecorum certaminibus hoc nomen sumum fecerunt martyres: omne enim certamen publicum ἀγὼν dicebatur, sed etiam privatim in agone sunt, qui cum morte colluctantur jamjam superati et decedentes aponizasse igitur est fortiter pugnasse et certasse.

Bonifacii martyrium. (59) Si annus mortis fuit a. C. 755. ut Adamus et plures ac meliores consentiunt, ordinatus fuit Bonifacius a. C. 718. sub Papa Gregorio martyrium subiit Docomi in Frisia die 5. Junii anno praedicto a paganis et rusticis trucidatus. Supereſt adhuc Dockum 4. milliaribus a Leovardia in comitatu Ostergoensi Frisiae distans. Cranium ejus in calicem converterunt more gentili, ut saepe legitur, et quoties inde biberent illudentes ac sua facinora jactantes, corpus Trajectum, inde Fuldam translatum fuit. Innuit tamen Adamus, paullo post eum sepultum in Fresia et humatum esse. *Consistens* ait *Willehadus ad sepulchrum B. Martyris in Fresia*, quo properaverat; quasi Documi potius sepultus esset, quam Trajecti. Sed haec nos movere non debent, quin de Trajecto *sepulchrum B. Martyris* intelligamus, ubi Fresiae sedes episcopalis.

(60) Alii omittunt *regnantis*, idque rectius. Neque enim Pipinus rex erat ante a. C. 752, quando inunctus fuit a Bonifacio Moguntino episcopo Suessione in Gallia: prius autem major domus erat ab a. 741. Carolo Martello patre mortuo; sicque annus XIVtus ipsi exit, cum Bonifacius moreretur a. C. 455, non in regno sed in administratione officii sui et regni: aliud enim est regni vim et momenta omnia regni regere ac obtinere, aliud Rex esse et dici et instar Regis regnare; illud Pipinus ab a. 741. agebat, sed Regem ab a. 752. Lecto igitur vetus hujus loci est retinenda: *Pipini junioris IIII. aut Pipini junioris regnantis IIII.*

Willehadi gesta. (61) Vixit Willehadus seculo 8. circa medium, post obitum Bonifacii in has oras delatus; tam cis Albim quam trans Albim verbum Dei propagare cœpit primus, de quo legitur, quod in his oris idola confregerit: unde tunc idolis sculptilibus eos operam dedisse discimus, a quibus quondam animo fuerant aversi, ut patet ex Tacito; diu sane Deos absque εἰδώλοις adorabant. In Anglia si εἴδωλα repererunt confringenda mirari non est, oportet, cum a Romanis eorumque temporibus illa manserint: at in Germania, quando religionem istis εἰδώλοις ad scitis amplificarint, nullus quod sciam monuit, et tamen aliquando in usum septentrionalibus venisse post Tacitum necesse est.

(62) Peculiaris formula loquendi: puto enim Adamum dicere voluisse, Willehadum post fustigationem sententiam quoque gladii subiisse, ut gladio scilicet caput amputatum haberet; qua ratione proscriptus dici poterat ad jugulandum gladio.

(63) Etiam haec ancipitem sensum praeferunt: nam paulo ante eum laudaverat, ut ferventem martyrii zelo, hic sua voluntate et studio piger ad martyrium dicitur; eum tamen sententia sit, eum martyrii quidem cupidum, sed se segnem sibi ipsi videri in illo quaerendo: unde alii hoc advertentes pro nihilo minus, *nihilo magis* legerunt, quasi nihil pigrior ad martyrium fuerit, licet gratia Dei majoribus eum praedestinaret titulis; quin etc. Illa lectio

lectio melior est, quam optima habent Msca *suæ tamen voluntati & studio nihilominus ad martyrium piger erat*, h. e. piger sibi videbatur omnibus licet viribus et studiis animi adhibitis, ut martyr fieret. Illæ igitur lectiones praeferendae prae illa, quae nunc extat et Madero placuit.

(64) Hoc factum a. C. 777. Nam quia septem anni lapsi erant usque ad annum XII. rebellionis Saxonum 784. quando Widekindus copiis collectis se Carolo rursus opposuit; sequitur, rebellionem Saxonum ab a. C. 772. numerandam, et Willehadum a. C. 777. in Saxoniam a Carolo missum. Hoc enim anno Paderbornae Saxones fidem Christi recipiunt, baptizati eidem inhaerere ſpromittentes, quae causa fuit, cur Carolus Willehadum mitteret, ut eius et sociorum mores et pietatem veram.

(65) Nam Willebrordus quidem et eius socii Frisiae et Saxoniae verbum Dei prius annunciarant, sed ad boreales et maritimos Saxones ac Transalbinos, qui sunt hodie Keydingenses, Hadelenses, Holsati, Ditmarsi, Slesvicenses nemo ante Willehadum pervenit.

(66) Gallia, ubi sepulchrum Willibrordi, Traiectum est oppidum; ibi enim Gallia finiebat, ubi Saxones excipiebant.

(67) Recluſi dicuntur, qui cœnobitae non sunt nec cum aliis hominibus vivunt, sed vere μόναχοι solitariam vitam prope ecclesiam in domuncula quadam in qua solemniter recluduntur, agunt. Hae domus dicuntur *Recluſæ Recluſes* Francicis et *Recluſi* qui sic vitam instituunt.

(68) Vitam Willehadi scripsit Anscharius, ut paulo post c. XI. testatur Adamus.

(69) Cœpit Carolus regnare a. C. 768. a 9. Octobr. quando Wormatiae post mortem patris Pipini consecratus fuit Rex, ut frater eius Carolomannus fuessione. Annus ergo ejus decimus octavus incipit 785. 9. Octobr. usque ad diem eundem anni 786. Hi sunt illi bini anni ab a. 784. fere, quibus fugit et recluſus fuit Willehadus, ad Willbrordi sepulchrum Traiecti; hic est ille annus, quo baptizatus est Witekindus Altiniaci et Saxonia subacta.

(70) Qui sunt Osnabrugenſis, Paterburnenſis, Mindenſis, Halberstadenſis, Monasterienſis, Verdenſis, Hildesienſis et Bremenſis. Non quasi hoc anno 786. episcopatus illi omnes fundati sint, sed quod Saxonia in provinciam redacta in octo episcopatus tunc divisa sit et octo episcoporum curam flagitare videretur, siquidem Carolus non sibi, sed Deo reditus omnes ex Saxonia destinavit, ut legitur in fundatione Bremenſis ecclesiae. Verdenſem Episcopatum tamen hoc anno 3. Kal. Julii institutum ostendit eius diploma inferius additum p. m. 179. ubi et a. Chr. 786. et annus regni Carolini XVIII. exprimitur. Recte dicit episcopatus octo: neque enim tunc de pluribus cogitatum fuit, sed accesserunt postmodum Hammaburgenſis et Magdaburgenſis; unde factum, quod nonnulli non distinguentes tempora X. episcopatus in Saxonia posuerint.

(71) Moguntino Osnabrugenſis, Halberstadenſis, Verdenſis adsignati sunt. Colonienſi Mindenſis, Paterburnenſis, Hildesienſis, Monasterienſis et Bremenſis.

(72) Usus saepe est hac voce praecepti Adamus pro diplomate. Est igitur *præceptum Regis in Bremenſi eccleſia* Diploma Carolo M. iubente Bremenſi episcopo datum. Atque ut Adamus loquitur, sic quoque aliae literae et diplomata Henrici Imp. Unnoni Archiep. Hamburgenſi datum a. 935. *hoc noſtræ confirmationis præceptum habet;* Othonis I. a. 965. Adeldago concessum Magdeburgi *autoritatis noſtræ præceptum* & 966. Mersburgi *præcipientes hoc Imperatoriæ autoritatis præcepto:* ita quoque Henricus IV. in literis a. 1062. datis *per noſtri præcepti paginam confirmaremus;* et in literis eodem anno de Emisgoro datis *per regii autoritatem præcepti.* Cum his locutus est Adamus p. m. 42. *præcepto Regis abſolvit; præcepta* Regis haec continentia praesto sunt; deinde p 43. servantur in Bremenſi ecclesia praecepta Regis p. 52. *præcepta Imperatorum ad nutum Archiepiſcopi diſpoſita.* Et mox: *tertius Ottho in Wildashuſen conſiſtens præcepta fecit.* Atque ut Imperatores literas suas emissas praecepta, sic Papae suas *privilegia* dixerunt; quod etiam Adamus noster secutus est saepe, ut p. 43. *In privilegiis Romanæ ſedis*, et in dedicatione Liemaro facta: *de hiſtoriis mutuavi & privilegiis Romanorum* sc. Pontificum p. 21. Excidium Hammaburg historia non tacet Francorum et privilegia Romanorum p. 19. *Habentur in eccleſia Bremenſi præcepta Imperatoris & privilegia Papæ S. Anſgario data.* Et *p. 24. cujus rei privilegia diligenter adhuc in Bremenſi conſervantur eccleſia.* Paulo post: *præceptum autem Regis ponit annum regni XXI. privilegium Papæ notat a. Dom. 858.* Haec innumeris aliis exemplis firmare poteram, sed relinquo etiam aliis, quae conferant. Raro aliter aut Imperatores aut Papae hisce formulis leguntur usi usque ac Fridericum I. qui etiam voce privilegii cœpit exprimere regia praecepta. Sic loquuntur ipsius literae a. 1158. *Hartvicus Hammaburgenſis Archiepiſcopus obtulit majeſtati noſtræ privilegium divi & auguſtiſſimi Imp. Ludovici*, quamvis Ottho I. in Italia videatur hanc *privilegii* voculam a Pontificibus didicisse, qui in suis literis saepius ea utitur, ita tamen, ut praecepta non omittat. In literis 979 apud Meybomium *Regum & Imperatorum præceptis & privilegiis &c.* & ibidem: *hoc privilegio firmiter conceſſimus*; & in fine, *noſtræ autoritatis privilegium:* Ottho III. autem semper *præcepti* vocabulo &, quantum ego perquirere potui, nunquam *privilegii* literas suas insignivit. Papas viceversa *præcepti* vocabulum adhibuisse non dubito; nec tamen occurrit mihi nisi unicum exemplum in literis Nicolai I. *hujus autoritatis Apoſtolicæ præceptum* p. m. 195. Imperatorum quidem litteræ Paparum privilegia etiam praecepta vocarunt ut diploma fundationis Bremenſis summi Pontificis & universalis Papae Adriani praecepto. Cur vero praecepta dicantur Regum & Imperatorum diplomata, egregie nos docet charta Dagoberti Regis a. 640. circiter scripta quae sic finit: *Et ut iſtius chartulæ confirmatio firma in æuum permaneat deſcribi eam præcepi.* Sic igitur descriptum dicebatur praeceptum: Rex enim solus praecipiebat, caeteri rogabant; ut ex literis Blidegisilli Diaconi Parisienſis sub a. 487. patet, ita enim ille finit: *Signum Blidegiſilli Diaconi qui hanc Epiſtolam donationis fieri rogavit, & ſubſcripſit.*

(73) Ideo enim per episcopatus divisit Saxoniam qui sacerdotibus solis decimas expendere debebant, nihil Cæsari aut fisco ejus inferre.

Viſurgis fl. unde ita vocatus.

(74) Ex hoc loco colligimus Caroli M. ætate Visurgis aut Visurae nomen Saxonibus non fuisse; fluviumque, qui Visurgis nomen perpetuo apud Romanos retinet, Saxonibus tunc fuisse dictum die Wiraa aut die Werre, etiam usque dum in mare se exonerat. Hodie divisa gerit nomina haec, ut idem fluvius ad Fuldam & supra Bremam die Werre vocetur, infra Bremam die Weser. Num igitur a Romanis Visurgis nomen ortum hausit? Non puto. Germanicum est Weser & Visurgis, ut Albis, Amisia, Rhenus flexione Romanorum donata vocabula, Germanicae tamen linguae & originis. Sed cum Romani Visurgim frequentarent, alii populi quam Saxones circa Visurgim tenuerunt, Chauci, Frisii, Cherusci, Catti &c. quibus flumen hoc die Weser, non die Werre audiebat. Saxonibus vero Visurgim occupantibus nomen Werre successit: qui quando primum ad flumen illud occupare coe-

perint regiones & dominari, haud ita certo conſtat. Sed quando rediit flumen ad nomen antiquum Veſeræ? aut quando diviſum accepit imperium ut hic Weſera, illic Werra dicerétur? Neque illud ſatis conſtat. Videmus tamen poſt Carolum M. illud Veſeræ nomen obtinere cœpiſſe in inferioribus poſt Bremam ad oceanum partibus.

Canonicorum diverſa vitæ genera.

(75) Alii Canonici vivebant in monaſteriis, quod hic appellat *monaſteriali competentia*, h. e. more in monaſteriis conſueto, etiam in monaſterio conviventes & cohabitantes; alii Canonici extra monaſteria degebant in ædibus peculiaribus ſibi, non cum aliis.

tit. venerabilis.

(76) Hunc titulum & epiſcopis & archiepiſcopis Imperatores conceſſerunt. Papæ vero diſtinguentes, epiſcopos ſolos venerabiles vocarunt, archiepiſcopos reverendiſſimos ut ex eorum literis manifeſtum fit undique. Venerabilis vero titulus a Beda cœpit in Anglia, qui venerabilis dictus eſt primus, cumque Anglicis doctoribus transfretavit in Gallias et Germanias, ut epiſcopi poſtmodum ſic appellari cœperint. Mulieribus quoque et matronis tribuit Adamus; ut Ikia Verdenſis, quæ Ramſolam Anskario donavit, venerabilis matrona vocatur.

Signa & Monogrammata Cæſ.

(77) Signum appoſitum ſcil.  quod Carolus M. literis ſuis ſubjici curabat monogramma alias dictum: quod hoc unico ductu integrum nomen ſuum præfigurarent illoque monogrammate a notariis aut clericis Regis literis addito dicebatur manu ſua ſubſcripſiſſe Reges & Imperatores, ut hic paulo ante *manu propria ſubſcripſimus*; quamvis non ſubſcripſerint, ſed ſignum illud dictum addiderint, aut ſe præſentibus addi curaverint & per notarium moneri, hoc eſſe ſignum Imperatoris. Talia ſigna & monogrammata etiam in nummis æque ac in literis quampluribus reperire licet; & ſicubi deſunt, incuria deſcribentium omiſſa ſunt.

(78) Melius, cetera MSCa pridie Idus; licet eodem res recidat: formula tamen pridie eſt magis recepta & latina. Anno 788. indictio non erat XII. ſed XI. currebat usque ad 24. Sept.; illa igitur reponenda. Nec Caroli Regis anni recte ſe habent: erat enim XX. non XXI. primus enim Caroli M. annus incipit a. 768. a d. 9. Octobr.; currebat ergo ejus XXus annus adhuc pridie Idus Iulii a. 788. nec finiebatur ille ante 9. Octobr. eiusdem anni, quo XXI. annus regni Caroli incipiebat. Sic igitur ſubſcribenda ſunt: Data pridie Idus IULII Anno Dominicæ incarnationis IↃCCLX.XXVIII. Indictione XI. Anno autem regni Domini Karoli XX. Cur *data* dicatur, non datum, ut *actum*, quod in omnibus fere literis ſubditur haud puto multos noſſe qui *datum* ſolent literis ſubſcribere. Data enim ſubintelligitur carta per manum alicujus primicerii, ut explicatur in nonnullis literis: actum vero fuit negotium in certo loco, quod charta continetur ſcriptum. Scriptum igitur & actum neutro genere proferebant, ſed dabatur charta per manus primicerii, ſicque data dicebatur, non datum; unde in literis Nicolai I. Papæ de Rameſloæ confirmatione, ubi habetur *datum Kalend. Junii* audacter ſubſtituo *data*; ſiquidem omnes reliquæ literæ ſic loquuntur, etiam ipſius Nicolai.

Diſcrimen inter datum & actum.

(79)

(80) Idem eſt, ac ſi nos dicamus, eum obiiſſe a. IↃCCXC. d. VIII. Novembr. eumque cœpiſſe Saxonibus verbum Dei proponere ab a. 755.

(81) Chronicon incerti autoris, quod Lindenbrogius edidit, differte ſcribit: Anno IↃCCXCVII. *Willericus in Brema fit epiſcopus & ſedit annis L.* hac ratione ad a. C. 847. exirent anni Willerici quod falſum eſt. Si ſedit annos 50. Willericus, non poſſunt numerari, niſi a morte Willehadi ab a. 790. usque ad 840, qui erat ultimus Ludovici, non penultimus. Hic igitur computus annorum Willerici minus recte ſe habet, ideoque alium inſtituit ex libro donationum, ubi ab a. 37. Caroli ad 25tum Ludovici præfuiſſe ſcribitur. Annus 37mus Caroli incipit a 9. Octobr. 804; Ludovici annus 25. initium capit a 28 Januar. a. 838. qui eſt Ludovici mortis non penultimus, ſed antepenultimus. Cœpit igitur Willericus Bremenſi eccleſiæ præeſſe ab a. Chr. 804. circa Majum aut Junium mentem; nam eo anni tempore plerumque epiſcopi introducebantur. Et cum a. 838. mortuus ſit 4. nonas Maji, non ſedit niſi annos 34. ſicque deficiunt quinquagenario numero XII. de quibus Adamus recte monuit ceſſatum eſſe tantiſper in Bremenſi eccleſia novella, priuſquam aut Willericus Willehado ſuccedere potuit vel Leudericus Willerico. XIV. enim anni interceſſerunt, priusquam ordinaretur Willericus poſt Willehadum; & poſt Willerici mortem duo anni lapſi videntur, priusquam Leudericus ordinatus ſucceſſit.

diſt. donationum & traditionum

(82) Donationes & traditiones diſtinguuntur. Traditiones ſpectant ad prædia, fundos & agros traditos: donationes ad alias res mobiles donatas, quæ in hoc libro conſignabantur in memoriam. Talis eſt liber daticus in eccleſia Lundenſi, cujus meminit Huitfeldius in chronico epiſcopali, a datis ſcilicet eccleſiæ ſic dictus, & liber memoriarum, qui MSCr. exſtat in bibliotheca cathedralis eccleſiæ Hamburgenſis. Ob donationum igitur talium memoriam conſervandam hi libri in eccleſiis introducti fuerunt; ſed & alia notabilia inſerebantur. Hinc eſt, quod hic dicatur de obitu & tempore Willerici ex eodem libro: nam ideo dies obitus clarorum hominum annotare cœperunt, quod liberales fuiſſent in eccleſiam et magnis meritis ſe præſtitiſſent, ut memoriam illorum anniverſariis officiis eccleſia grata recoleret: hinc *memoriarum* exordia. At cum grave hoc eſſet eccleſiæ tot miſſas ſolemnes dicere ſumtusque requirerent lumina et quæ ſunt alia; etiam illud onus in munificos homines rejectum eſt, ut qui ſe memorari vellent, ſuis ſumtibus has memorias etiam inſtituerent et denarius tinniret, ſi orationibus ſacris commendari vellent.

(83) Saxonum bellum ſcriptores omnes ab a. Chr. 772. repetunt; ita 33: incipit a. Chr. 804, quo etiam Saxones translati ſunt in Franciam, et erat annus 37. Caroli a 9. Octobr. ordiens, adeo ut hic computus recte ſe ſatis habeat.

(84) Nordalbingi dicuntur Ditmarſi, Holſati et Stormarii, etiam inter Transalbianos nominatiores.

(85) Recte loquitur Adamus. Non dicit Hammaburg civitatem eo tempore exſtructam fuiſſe, ſed eccleſiam ibidem exſtructam Heridago commiſſam eſſe eo tempore, hoc eſt a. 804. civitas enim Hamburgenſis ante 20. annos jam exſtrui cœperat. Heridagus enim, quamdiu vixit, Tranſalbianas partes rexit et eccleſias ac verbum Dei adminiſtravit.

(86) Id eſt Meldorp Dithmarſiæ, quod hodienum ſupereſt, ubi eccleſiam Willericus conſtituit forte primam poſt Hamburgenſem. Haud vero ante a. 815. Melthorpenſis eccleſia potuit conſtitui, quia non ante Willerico Tranſalbianæ partes commendatæ ſunt. Albert. Stadenſ. ſub. a. 817. hæc habet.

(87) Hamburgum metropolis facta eſt 834. Willericus epiſcopus 804: ſed non ante 814. aut 15. quando ipſi tranſalbiana concredita ſunt, potuit illic docere.

(88) Videtur Adamus reſpicere potius ad aliud mortis genus cœlitus immiſſum, quam quod a ſatellite cæſus fuerit, ut plerique ſtatuunt; cœlitus enim fieri dicuntur, quæ ſine humana ope ſuccedunt vel eveniunt, ut ſi quis ſubito oppreſſus moriatur, indiciis morbi nullis præcedentibus, vel fulmine tangatur, cœlitus ille percuſſus dicitur. Hanc mortem Gotfridi ad a. 810. referunt annales.

(89) Non

(89) Non ab ordinatione Willerici intelligendi sunt hi anni, sed a morte Willehadi a. 790. 6. Idus Novembr. Incipiebat ergo annus 25tus a. 814. a 6. Idus Novembr. quando Carolus M. jam decesserat. Legendum igitur in Adamo a. XXIV. Willerici, et sic recte tempora conveniunt. Hæc et quæ sequuntur usque ad a. Willerici 33. ex Adamo Albertus Stadensis sub a. 817. congessit; quamvis haud omnia ad illum annum pertineant.

(90) Ab Albi usque ad Eydoram, quæ pars imperio Romano subdita mansit; reliqua trans Albim et Eidoram ad Reges Daniæ spectarunt. Erat enim Eydora vetus Saxonum limes, etiam ante Carolum M. quo separabantur a Danis.

(91) Bremensis erat Willericus, Ferdensis Helingandus.

(92) A Ludovici pii videlicet imperio et a. Chr. 814. Gesta enim Ansgarii in Germania a Corbeya nova exstructa a. 822, non ante, incipiunt, quando Ansgarius eo missus est e Corbeja veteri Picardiæ. Annales incerti a Lindenbrogio editi sic habent: *A. DCCCXV. Lodewicus Karoli filius regnat, beatus Anscharius claruit*, scil. in Corbeja veteri florere cœpit ejus nomen ab hoc anno.

(93) Scilicet Ludovico pio imperium capessente circa a. 815. etc. Hemmingus etiam obiit. Certus annus mortis a nemine assignatur. Albertus Stadensis licet sub a. 817. hæc referat, Adami tamen verbis retulit ita ut annum potius incertum his rebus omnibus assignare maluerit, quam nullum. Svaningii Chronologia Hemmingum 811. cœpisse et 812. obiisse ac successores habuisse Siwardum ac Ringonem tradit. Hæc incertitudo Adamum eo perpulit, ut sub his formulis loqui maluerit, *a quo tempore, per idem tempus, in diebus illis*; quam certum aliquem annum assignare, quem vere proditum non reperit. Illo omnia tendunt hæc, quæ recenset a Caroli M. morte usque ad Willerici 33tium et novam Corbejam exstructam contigisse, hoc est, ad a. usque 822.

(94) Hi apud Saxonem Siwardus et Ringo vocantur sub initium lib. IX.; et quidem Siwardus cognomento Ring. Siwardi Norwegiæ Ducis filius, nepos Gotrici vel Gotfridi ex filia, Scaniam Sialandiamque tenuit, dum alter nepos ex altera filia Ringo Jutiam occuparet. Hic Ringo Adamo nostro est *Annulo* vel *Anulo*, quod hausit ex historia Francorum, ubi nunc in impressis male legitur *Amilo* librariorum et correctorum incuria. Anulonis enim nomen ex Danico *Ring* clerici historias consignantes in Francia fecerunt, ut solent nomina et cognomina sua lingua sæpius interpretari, quando, quid significent Saxonica et Danica, didicerunt. Ex Francicis vero annalibus et Aymoino l. 4. c. discere licet Annulonem etiam fuisse nepotem Gotafridi Regis et ideo Adamum eos vocasse nepotes Gotafridi, nam apud Aymoinum verba obscure jacent: *cui cum Sigfridus nepos Godefridi Regis & Amilo nepos Herioldi & ipsius succedere voluissent.* Si ergo Haraldi nepos fuit Ringo s. Annulo, quomodo nepos esse potuit Gottfridi? aut si nepos fuit Gotfridi ex Olao filio, ut Genealogia Stephanii prodidit, quomodo nepos Haraldi fuit? Ita igitur conciliari hæc posse credo, Haraldum hunc et Gottfridum fratres fuisse, Haraldi filios fuisse Hemmingum et Annulonem; qua ratione Annulo, Gottfrido nepos fuit ex fratre, Siwardus nepos ex filia: sicque apud Aymoinum ista verba immutanda: *Sigfridus nepos Godefridi & Amilo Herioldi & nepos ipsius* scil. Gotfridi: Jam quod Stephanius per filios Godafridi posteros ejus ac nepotes intelligi velit, ego facile hoc concederem si scriptores illorum temporum, ita loquutos animadverterem nec ulla necessitas Adamum coëgit sic loqui, qui facilius ponere potuisset a posteris Gotafridi quam a filiis.

(95) Contra Saxo, Sigvardum enim superfuisse prælio, Annulonem victum ejus manibus occubuisse scribit: *Brevi post conserta pugna Ringonem Siwardus aggreditur; quo occiso ipse (Siwardus) immedicabili plaga perstrictus:* paucis interjectis: *cui Regnerus in regnum succedit.* Hic Regnerus erat filius Sivardi victoris.

(96) Hic, quem Francici annales et Adamus Reginfridum appellant, Danici Regnerum, et quidem cognomine *Lodbrog* dixerunt. Francici enim nomina pleraque Danorum in *fridus* desinere fecerunt, ut jam constat ex Grotrici nomine, quem Gotfridum vocarunt et Siwardi ejus nepotis, quem Sigafridum, et nunc Regneri, quem Reginfridum dixerunt: non enim borealium nominibus adsveti Clerici et Monachi istas terminationes satis intellexerunt. Hic Reginfrido sive Regnerus erat Siwardi filius seu Sigafridi. Illa tamen nomina sic permutata Svaningium in Chronologia errare fecerunt, qui Reginfridum in partibus Ringonis post ipsum cæsum Regem succedisse ponit, cum nullus fuerit Reginfridus alius, quam Regnerus Sivardi filius cognomine Lodbrog. *nominibus Danicis & Saxonicis Francicis scriptores apposuerunt terminat. fridus.*

(97) Aliter hæc habet Saxo. Regnero scilicet regnum integrum Daniæ post Sivardum cessisse. Absente autem Regnero alia regna conquirente Juti ac Scanii *cui Haraldo, cuidam* (sic eum denominat Saxo) *rerum contribuunt summam.* Non enim Ringonis filium Haraldum fecit, ut faciunt genealogistæ apud Stephanium in notis p. m. 188. nec Francici annales nec Adamus sic statuerunt Anulonis filium Haroldum fuisse; sed hunc Haraldum semel iterumque pulsum a Regnero, non Regnerum ab Heraldo Saxo memoravit. Hic tamen est ille Haraldus, quem alias Klach cognominat.

(98) Contra Regnerum Lodbrog, qui ipsum expulerat. Nam si Haraldus Regnerum fugasset, haud illis ipsi defensoribus opus fuisset, unde Saxonis historiam de Haraldo hoc præferendam judico Francicis annalibus et Adamo. Aymoinus Haraldum hunc aliis Klach dictum et Rogenfridum fratres fuisse dixit Anuulonis; pars tamen Amilonis adepta victoria, fratres ejus Harioldum et Rogenfridum, Reges sibi constituunt. Tam diversas sententias super his Regibus nobis reliquerunt antiquiores.

(99) Scilicet Archiepiscopus, quem Paschalis Papa in suis literis *reverendissimum fratrem ac coëpiscopum nostrum sanctæ Remensis ecclesiæ necessarium* vocavit. Quo autem anno Paschalis Eboni has literas dederit, ex antiquis literis non apparet, Baronius a. 823. eas Eboni concreditas scriplit, et ex eo alii. Sed quo fundamento nitatur non video, Paschalis Papa sedere cœperat ab a. 817. licet apud Albertum Stadensem Paschalis Papæ anni incerti reddantur, dum ad a. 822 Stephanum secundum quosdam obiisse scribat et Paschalem successisse.

(100) Computantur anni 50. Willerici a morte Willehadi: cœpit igitur Annus 33. tertius a 6 Idus Nov. a. Chr. 822. pro nova Corbeja exstructa.

(101) Monui ante Corbejam cœpisse ædificari in Saxonia a 822. Ergo Ansgarii et aliorum religiosorum in Saxoniam adventus ab a. 823. numerandus.

(102) Filii Gotafridi Regis Daniæ tunc nulli superfuerunt, cum Haraldus regnum capesseret, ideoque nec ab illis pelli potuit: nam Regnerus Lodbrog ipsum deturbavit et expulit, qui fuit filius Siwardi Ring, Siwardus filius Siwardi Ducis aut Regis Norvegiæ, qui filiam Godafridi duxerat, sicque Regnerus nonnisi pronepos Godafridi erat ex filia. Existimo igitur legi oportere apud Adamum, *Haroldus a filiis Reginfridi regno spoliatus.* Multos enim Regnerus habebat filios, quos se absente regnis præficere solebat. Nec librariorum hoc esse mendum video, sed forte lapsus memoria Adami ipsius: nam Albertus Stadensis eadem verba retinuit sub a. DCCCXXVI. qui præcipue respicit ad abitum

abitum Anskarii cum Haraldo in Daniam, qui a. 826. contigit: cetera enim prioribus annis gesta sunt. Novem enumerantur Regneri filii, quibus pater adultis sua regna & provincias commisit, immo vix adultos in bellis & prœliis secum habebat, ut contra Haraldum hunc ipsum, quem Saxo bis a Regnero filiisque pulsum memoravit, etiam ante Ludovici pii imperium, dum Carolus M. adhuc viveret. Ait enim l. 9. p. m. 170. Ivarum vel Inguarum filium & Sivardum Snogoye alterum filium interfuisse, cum fugaretur Haraldus: mox p. seq. 171. rursus effugatum Haraldum in ipsa Saxonia persecutus est, *implorato filiorum auxilio*, ubi Carolum Imperatorem offendit. Sæpius igitur Heraldus Klach restitutis viribus Daniæ regnum invasit, ultimo autem sub Ludovico Imperatore circa a. 825. a filiis Regneri videtur ejectus, patre Regnero vel capto vel jam mortuo. Nam quod Suaningius Regneri annos usque ad ann. 841. extendit, haud historiis antiquis convenit. Sed Saxo quidem Regnerum vixisse & bello interfuisse etiam illi memorat, quo Haraldus cæsus ad Ludovicum perfugit p. m. 175. qui erat tertius Haraldi insultus in Regnerum infelix æque, ac duo memorati. Quin &, postquam sacra Christiana Haraldus cum Anskario Transalbianis instillaret, etiam Regnerum superfuisse & Haraldum rursus illinc fugasse scribere pergit, ita ut Haraldus ἀποστάτης factus Christiano nomini repudium miserit & ad paganias reversus sit. De his vero ultimis nihil Francici annales habent.

(103) Aymoinus & Theganus in libro de Ludovici gestis non solum Moguntiæ peracta hæc baptismi solemnia indicat, sed & ecclesiam S. Albani ibidem designavit, & Juditham Augustam Ludovici uxorem Haraldi e fonte levasse, prout Ludovicus Haraldum Rabanum Maurum baptismum impertitum.

(104) Pertinebant enim istæ regiones Ditmarsia, Holsatia, Stormaria, quæ uno nomine Nordalbingia vocantur, ad Imperium & Imperatorem usque ad Eydoram limitem inter Saxones & Danos. Illud igitur beneficium aut Holsatia fuit aut Ditmarsia trans Albim: & frustra sunt, qui hoc beneficium in Sleswicense ducatum ultra Eydoram extendunt, & Haraldum ibi ecclesiam struxisse volunt, quam tamen ille Regnerus statim Haraldo propulsato destruxerit paganiis omnibus restitutis, ut Saxo l. 9. p. 176. innuit. Neque enim hoc fieri potuit Regneri filiis Jutiam tenentibus, & inprimis Ivaro, quem *Jutiæ præfectum* vocavit p. m. 174. adeoque ducem Sleswicensem, qui ducatus Jutiæ vulgo vocatus est. Nec Imperator beneficium Haraldo dare potuit aut concedere, nisi in suo: Non igitur intra Slesvicens. limites hoc beneficium Haraldo obvenit, ubi Imperatori Ludovico nihil juris, nec Haraldus ipse ultra crepidam suam tunc quidem ausus fuit sapere, Regnero filiisque ejus tam potentibus tam vicinis, adeo ut Imperatori etiam vires non fuerint Haraldum restituendi in regnum, quod petierat, iisque promissis lactatus ad fidem Christianam venerat, sed quod proximum fuit, cum in confiniis collocavit, & quoad potuit Saxoniis auxiliis, ut loquitur Saxo, eum tueri non desiit a vicino hoste, sperans commoda tempora Haraldum restituendi, quem ideo tam prope posuit, ut exactius omnia posset observare. Neque altera sententia subsistere posset, quæ tradidit, Haraldum beneficio in Frisia donatum esse, & quidem apud Ruystros Frisios. Hoc Aymoinus l. 4. prodidit, & Sigebertus Gemblacensis ad a. 825. *veritus piissimus Imp. ne ob tale factum negaretur ei habitat. soli naturalis* (Danici) *dedit eiquendam comitatum in Frisia, cujus vocabulum est Ruistri, quo se suosque, si necessitas exigeret, tuto recipere posset.* Loquitur hic Aymoinus, cujus autoritatem magni facio, satis distincte, & vixit his ipsis temporibus, ita ut nescire non potuerit, quæ gesta fuerunt. Haud vero dicit Aymoinus simpliciter, beneficium aliquod in Frisia ipsi concessum, sed quemadmodum episcopis ejus loci Bremensibus & Hamburgensibus propter a barbaris imminentia pericula cellas Rodnach & Turholt concessa legimus, quo se reciperent a barbaris vexati; sic quoque Haraldo parvus ille comitatus Ruystriorum, quem etiam Carolus Bremensibus episcopis concesserat, ut reditus inde deficientes sublevarent in Fresia, Haraldo velut perfugium destinavit, si *in solo naturali* aut proximis Daniæ provinciis minus secure commorari posset In subsidium igitur Ruystrica Frisia solum data cernitur; sed Nordalbingia verum eratillud trans Albiam beneficium, quod Imperator tradiderat; & quo cum Haraldo Anskarius ivit in Daniam, non vero in Frisiam. His ita distinctis jam optime conveniunt & Aymoini & Adami verba, quæ ex vita Anskarii sunt petita, ubi sic c. 7. p. m. 180. *quia interdum pacifice in suo regno Herioldus Rex consistere non poterat, dedit ei memoratus Augustus ultra Albiam beneficium, ut si quando ei necessarium esset, ibi subsistere posset.* Et Gualdo Poeta sic illa reddidit:

Ergo quod interdum Regem consistere tutum
In solio regni prohibebat motio belli,
Fixit ei certum trans Albim Cæsar asylum.

Nemo sane apertius & distinctius Aymoino locutus est. Haud enim in Danico regno tunc locus Haraldo, ex quo fugatus discesserat; Sed in proximis Daniæ substitit, ut Anskarii vita dicit:

Hinc per Dorstadum Fresonum prætereuntes
Proxima, Danorum sistunt in littore naves.

vel Albim subeuntes, vel Eydoram & Heveram: ibi enim incipiunt Danorum littora. Sic quoque Rembertus: *Inde* (Colonia) *egressi per Dorstatum, & vicina Fresonum transeuntes ad confinia pervenerunt Danorum.* Ex quibus satis patet non ingressos ipsos esse Danicum regnum, sed confinia Daniæ, quæ sunt Nordalbingica, ibique Haraldum & Anskarium toto isto biennio conversatos esse sive Hamburgi, sive loco quodam alio; credo autem Hamburgi, quod nullus locus aptior esset his hospitibus recipiendis in toto illo tractu, in primis ob hoc, *quod scholam inibi parvo tempore statuerint duodecim aut eo amplius puerorum:* quæ non possunt convenire nisi Hamburgo, ubi securitas & castellum & ecclesia. Hæc mihi sic deducenda fuerunt, ut quomodo Adami locus, quomodo ceteri scriptores intelligendi sint, percipi possit. At siquis objiciat Haraldum & Anskarium in Daniam vexisse, in Dania verbum Dei disseminasse, Danorum propterea Apostolum dici Anskarium, hæc non pugnant, nam Dani non solum Nordalbing. sua vocabant, sed etiam Frisiam fere omnem, ut paulo post dicit Adamus. Quin & confinia Danorum Daniam vocare, haud adeo peregrinum est illis, qui non adeo distinguunt accurate, ut monachi scribentes, quorum non est geographicis nimis attendere, sed cum vulgo loqui: quam ob causam lectione in Adamo illam meliorem existimo, quam habet Albertus Stadensis horum verborum: *quæ adhuc Dani quasi legitima sui juris reposcunt;* ut referantur tam ad Nordalbingiam quam ad Frisiam, in qua Dani diutissime jura sua conservare quæsiverunt: perpetuæ enim illis super his regionibus & controversiæ & bella.

(105) Horicus est Ericus frater Haraldi cum eo baptizatus Moguntiæ in S. Albani ecclesia, cui Imperator partem Fresiæ regendam credidit & in beneficium concessit, ut piratis Danicis obsisteret, eamque defenderet contra hostiles incursus. Alia pars omnino Fresiæ, quam quæ Haraldo in Ruystris data fuit, quo refugeret, si necessitas urgeret: nam hæc confundenda non sunt, ut plerique fecerunt hactenus. Sed sicut Haraldo Nordalbingia aut pars ejus fuit consecrata; sic pars Fresiæ Erico ejus fratri. Male enim Sigebertus Gemblacensis & qui eum secuti sunt Aymoinum ac Francicos annales intellexerunt, qui sic interpretati sunt, quasi Haraldo

do pars Fresiæ tradita sit, nihil trans Albiam. *Harioldus* dicit *Rex Danorum cum uxore & filiis & magna Danorum parte Moguntiæ baptizatur, & ab Imperatore muenribus & parte Frisiæ in beneficium sibi data honoratur.* Nili pars Frisiæ intelligatur *Rustri* Haraldo concessi ut asylum, & alia pars Fresiæ Erico ejus fratri concessa, facile nos ea verba seducent; prout seduxerunt virum doct. P. Lambecium, qui Adami loco varias manus imposuit, ut medicinam afferret: nam in notis ad vitam Remberti p.m.334. ita vult Adamum corrigi; dedit ei & fratri ejus Horico trans Albiam beneficium, & ut tempore necessitatis ibi subsisterent *partem Fresiæ dedit.* Sed & Aymoini locum solicitat in verbis, *dedit ei quendam comitatum in Fresia, cujus vocabulum est Ruysstri;* pro Ruistri enim scribi vult *Sturii* vel *Staurii.* Hæc omnia Sigeberti Gemblacensis locus, quem adduxi quique minus distincte loquitur, ipsi persuadere potuit. At non opus erat manus medicas adhibere, ubi nihil ægrotat: optime & sane locutus est Adamus ex annalibus & Aymoinus istis temporibus vivens. Falsum enim est, Erico fratri Haraldi beneficium datum esse trans Albim aut Haraldo beneficium in Fresia sed vita Anskarii præter Adamum docuit *ultra Albiam beneficium* Haroldo obvenisse; ultra Albiam vero idem est ac trans Albiam, prout Gualdo & Adamus loquuntur. Aymoinus de beneficio trans Albiam tacet; sed comitatum quendam in Fresia Rustrica concessum scripsit, non ut beneficium, sed ut supplementum beneficii & perfugium in subitis & adversis. Deinde nec Ericum cum Haraldo & Anskario Moguntia navigasse ad beneficium trans Albim ulla historia prodidit, aut eos fratres una commoratos esse, aut trans Albim aut in Fresia. Inanis igitur est hæc emendatio Adami verbis claris satis & sanis.

(106) Usque ad a. 828. Anskarius & Audbertus commorati sunt non in *regno Danorum*, quod nimium est, sed in confiniis Danorum. Neque enim aut Haraldus aut Anskarius regnum Danorum ingressi sunt, Regnero ejusque filiis hanc libertatem non concedentibus, sed ut vita Anskarii ait explicatius: *aliquando inter Christianos, aliquando inter paganos cum eo positi;* Hamburgi scilicet inter Christianos, alibi vero in Nordalbingia inter paganos: *Cum itaque in hoc sancto proposito biennio aut eo amplius morarentur.* Haud dicit in Daniæ regno eos moratos esse, sed potuerunt etiam multos Danorum convertere in Nordalbingicis, ubi subsistebant, quamvis Daniæ regnum non ingrederentur.

(107) Eodem modo Dania hic intelligenda, quo prius Daniæ regnum Francici nimirum scriptores ita loquuntur Daniam usque ad Albim extendentes. Vita Anskarii per Rembertum nunquam ita loquitur; nunquam eos in Danicum regnum cum Haraldo pedem intulisse scripsit. Sed hoc legitur c. 6 p. m. 177. ab Augusto interrogatus, *si pro Dei nomine causa prædicandi in gentibus Danorum comes fieri vellet Herioldi?* potuit enim prædicari gentibus Danorum & comes esse Haraldi, licet Daniam non ingrederetur; & mox, *an alienas vellet expetere nationes & cum ignotis ac barbaris conversari:* iterum *interrogatus sum*, ait Anskarius, *si pro Dei nomine vellem inter gentes ire paganas ad prædicandum evangelium Christi;* iterumque, *ut quis invitus inter paganos conversari cogeretur*, postea *Dorstatum & vicina Fresonum transeuntes ad confinia pervenerunt Danorum.* Recte igitur hæc intelligenda veniunt, quæ ex Francicis annalibus Adamus attulit. Venit igitur aut rediit Anskarius ad Haraldum a. 829. Hamburgum; neque enim alibi in Nordalbingia tunc locus consistendi securior, quæ ratio me in hanc sententiam perduxit: illa enim occasio Ludovicum Imperatorem etiam in Hamburgi memoriam rursus adduxit, ut apud Adamum sequitur, cum antea castelli & ecclesiæ res exiguæ essent.

(108) Hic quæritur, ex quo loco Anskarius & Witmarus transfretarint. Non sane in Dania constituti erant, sed in confinibus cum Haraldo, h.e. ad Albim, ut prolixius explicavi. Si pax fuisset, aut si ulla ratione per Daniam ipsi iter habere licuisset Anskario, haud mari se commisisset: sed quoniam Regnerus adhuc, aut ejus filii Haraldo ejusque rebus omnibus infensissimi Daniæ tunc imperabant, Anskario nulla tunc securitas per Daniam iter instituendi in Sueciam, ita ut coactus fuerit navibus iter facere. Ex Nordalbingia vero aut Hamburgo propior trajectus in Sueoniam non datur, nisi a Trava fluvio. Illinc igitur, Gislemaro apud Haraldum relicto, aut ex alio prope sito portu maris Balthici solventes, ut puto, a. 830. cum mercatoribus aliis ad Scaniam vel Bleckingiam tendentes in medio cursu in piratas inciderunt; quibus victis *vix pedibus ad terram fugientes evaserunt*, ut in vita Anskarii legi potest p. m. 183 unde colligitur piratas eos insecutos, & pene in littore Suecico eos comprehendisse apud Blekingiam. Postea enim ulterius pergunt, donec ad Biream pervenerunt. Biorno autem Rex Sueciæ eadem necessitate constrictus videtur fuisse per Regneri filios, qua Haraldus Klach, ideoque ut Imperatorem haberet in Regnerum infensiorem & in se proniorem, Christianæ religioni propitium se commonstravit. Redierunt ex Suecia Ansgarius & Withmarus a. 831. postquam annum integrum illic essent versati ad monasterium Corbejæ; sed prius ad Imperatorem referentes gesta & quomodo promoverant; ut habet vita Ansgarii.

(108) Danorum & Sueonum. Nam sicut in Sueonia multos converterant, ita quoque ex Dania multos, qui quotidie commeabant hinc inde, illasque terras videbant.

(109) Confirmat hanc lectionem Albertus Stadensis, qui sub a. 833. Adami verbis utitur: sed omisit in contextu Adami verba plane, quæ MSCa plura habent. In MSCr. Hamburgensi Scheeliorum sic meis oculis legi. *Hoc factum est a. Domini DCCCXXXIII. qui est Luthevici Imperatoris XVIII. Willerici Bremensis Episcopi XLIII.* Hafniensis editio antiquissima eundem annum Ludovici Imp. præfert; habent quin etiam eundem editiones Lindenbrogianæ: ita ut numerus ille nusquam in MSCriptis aut editis vacillet, sed omnino sibi constet; ut mirer, cur Maderiana editio annum Ludovici plane omiserit, & cur Albertus Stadensis quoque chronologiam istam excluserit. Hic annus sane XVIII. Ludovici cynosura est dirigens reliquas: & recte satis probavit Lambecius, a. Dom. Iccc XXXI. fundatum esse Archiepiscopatum Hamburgensem, & Anskarium consecratum a Drogone Metensi in conventu publico ad villam Theodonis isto anno circa autumnum ita ut statim Anskarius reversus ab itinere Suecico Archiepiscopus Hamburgensis consecratus sit. Erat vero Ludovici Imp. annus 18. ab a. Chr. 831. 28. Januar. usque ad 832. ejusdem mensis. Sic igitur computus annorum institui debet in Adamo: *Hoc factum est a. Domini DCCCXXXI. qui est Ludovici Imperatoris XVIII. Willerici Bremensis episcopi XLI.*

(110) Rursus hi anni morte Willehadi numerandi veniunt.

(111) Scribe IccccXXXIV. Hic enim est Ludovici XXI. & indictio XII. quod etiam confirmatur per clausulam diplomatis Ludovici Imperatoris; prout illud extat in syntagmate rerum septentrionalium apud Lindenbrogium: *data idus Maji anno XXI. Imperii Domini Hludovici pientissimi Augusti indictione XII Actum Aquisgranii in palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen. Anno Domini Jesu Christi DCCCXXXIV.* Fateor suspectum esse mihi annum Domini Jesu Christi, quippe non suo loco additum, nec formula: Omnes enim reliquæ literæ Imperatorum hunc ordinem observant, ut primo

loco dies ponatur, quo data fuit charta, quem sequitur *annus domini, sed sub formula Anno dominicæ incarnationis*, non aliter; tertio indictio; quarto anni regni; ultimo locus, ubi *actum* fuit. Hic ordo perpetuus est in literis antiquis Imperatorum. Unde nec satis sana videtur clausula eadem ejusdem diplomatis, quæ comparet in Philippi Cæsaris Triapostolatu septentrion. *Data Idus Maji anno Christo propitio 21. imperii domini Ludovici piissimi Augusti, indictione 12. actum Aquisgrani palatio Regio in Dei nomine feliciter, Amen.* Nec ante annum seculi hujus XXXIV. quæ prius a. 831. in comitiis conclusa erant Theodonis villa, in diploma redigi poterant, quod annus 32. & 33. Ludovico rebellantibus filiis turbati abierint, adeo ut ante principium mensis Martii, quo restitutus est Imperator, anno 34. componi non potuerint. Restituto autem Ludovico, protinus mense Majo literæ ejus priora confirmantes datæ sunt. Hæc vera est historia ac chronologia fundati ac confirmati archiepiscopatus Hamburgensis.

(112) Hic a Transalbianis Danos distinguit, intelligens per Transalbianos populos inter Albim & Eydoram conclusos, per Danos autem proximos Transalbianis Slesvicenses Jutios; neque enim ulterius procedere poterat propter Danorum pertinaciam, furorem & crudelitatem. Hæc sane sunt, quæ Saxonem moverunt de Haraldo Klach scribendi ejus auspiciis ecclesiam Slesvicensem non solum cœpisse, sed & structam, quod tamen eum Danorum & Jutorum potentia ac crudelitate impeditum nequaquam valuisse efficere satis per se manifestum redditur. Aliud enim est Jutis & Slesvicensibus verbum divinum prædicare, quod aliqua ratione fieri ac connivendo permitti poterat ac audiri, ut res nova, multosque etiam pertrahere ex vulgo (nam de optimatibus & illustribus, ne uno quidem, memoravit) aliud ecclesiam struere, & solemniter inter consecratas ecclesias & altaria cum turba pontificum & diaconorum sacra tractare, quod a Slesvicensibus & Jutis exspectari nondum poterat, nec ab Haraldo vel Anskario effici. Et Haraldum non diu post vixisse exinde colligo, quod Anskarius redux ex Suecia neque Haraldum aut Gislemarum legatur invisisse, neque de iis ullum verbum porro memoratum observare potuerimus postquam Anskarius Archiepiscopatum consecutus est, quod tamen, si vixisset, non semel occurrere poterat & debebat, sive Haraldus in Fresiam se recepisset metu Danorum, ut scribunt nonnulli, sive a religione Christiana resiliisset, ut Saxo prodidit: sed cum nihil omnino de eo dixerint ulli annales ab eo tempore, quo Anskarius ipsi Gislemarum adduxit a. Chr. 829. & in Sueciam iturus valedixit, Haraldum ego decessisse a. 830. dum Anskarius in Suecia substitit, colligo, sicque dispersos ipsius ministros aulicos, multos eorum ad paganica deliramenta sua rediisse; quæ occasionem dederunt hæc ad apostasiam Haraldi trahere & Saxoni referre. Unde vero chronologia Suaningii hauserit, Haraldum a. Chr. 836. primum obiisse, ipsa videat & defendat; meas ego rationes dixi, cur vitam ejus ultra annum 830. extendere non conveniat. Nam & Anskarius archiepiscopus factus haud secure satis in illis oris Nordalbingicis subsistere potuit, quin sæpius Danicis irruptionibus & persecutionibus adactus ad cellam suam Turholtensem cum discipulis suis accesserit, ut hic Adamus memorat.

Turholt cella Ansgaria ubi sita & de ea lites.

(113) In Flandria 4000. passibus Bruga distat vel 4. milliaribus: hodie adhuc supereſt nomen et *Tornhout* vocatur, dum in oppidum parvum excrevit, distinguiturque a Turnhout in Brabandia prope Antverpiam oppidulo, sex leucis a Breda sejuncto, *de Mayerie van Tornhout* vulgo dicto. Tunc vero cella erat, sola monachis Benedictinis serviens, vocatque locum Adamus cellam in Gallia, quod Belgium totum sub Gallia quondam et sub Francia tunc comprehenderetur usque ad Rhenum. Mansit hoc monasterium Hamburgensibus Archiepiscopis et Anskario usque ad 841. Mortuo enim Ludovico Pio, priore anno filii ejus diviso imperio Carolo fratri Franciam tradiderunt; tunc quoque, *cum cella supra dicta Turnholt in partem cessisset venerandi Regis Caroli, ipse eam a servitio, quod pater suus dispposuerat, amovit & vobis bene cognito dedit Reginario. Pro qua re cum & a fratribus suis gloriosissimis Regibus & a multis quoque aliis sæpius fuisset admonitus, & ipse eorum petitioni nullatenus adsentiret;* quæ verba sunt Remberti in vita Anskarii p. m. 200. Non rediit istud monasterium ad Hamburgensem ecclesiam, quamvis sæpe Archiepiscopi jus suum Francicis ingeminare non omitterent. Eadem videri possunt in literis Nicolai I. Papæ super Ramesloa p. m. 190. et in aliis ejusdem Papæ literis super unione Bremensis cum Hamburgensi ecclesia p. m. 196. quin et idem Adamus ipse inferius dicit p. m. 22. *Hac inter fratres sortita regni divisione Turholt monasterium in partem cessit Caroli, sicque alienatum est a jure S. Ansgarii.* Adelbertus Archiepiscopus usque ad a. 1072. non destitit urgere, ut restitueretur suæ ecclesiæ hoc monasterium, *pro quo recuperando vetus querela est ecclesiæ nostræ Pontificibus. Adelbertus autem Archiepiscopus ad eum finem perduxit negotium, ut dato concambio quæstio removeretur, quod Cæsar & Dux Flandriæ collaudabant.* Collaudasse equidem non repugno, sed quid vice ejus tradi oporteret, haud eos potuisse convenire; ideoque *laudum* haud in effectum ullum deductum exinde judico, quod Friderici I. Imp. temporibus Hartvicus Hamburgensis Archiepiscopus adhuc institerit et monasteria Rodnach et Turholt petierit a. 1158. p. m. 112. At ab illo tempore nihil amplius de Turholt monasterio legimus Hamburgenses Archiepiscopos repetiisse. In qua vero parte Galliæ Rodnach sita fuerit, nondum potui discere. Haud tamen aliter sentire possum, quam in extimis Galliæ versus Rhenum eam positam. Ludovicus pius illam cellam oblitus Hamburgensium monasterio ad Ludam adjecit, ideoque Turholtensem cellam ejus loco Hamburgensibus restituit ut constat ex diplomate fundationis archiepiscopatus Hamburgensis, quod Philippus Cæsar in Triapostolatu edidit; nec extant ea in editione Lindebrogiana ejusdem diplomatis: *cum prædicti patris mei studium Regni in finibus peractum minus caute attenderem, suadentibus quibusdam jam dictam cellam (Rodnach) ad Ludam monasterium contuli.* Nec quisquam sequentium Archiepiscoporum hujus cellæ causa litem aut querimoniam ullam movit præter Hartvicum Archiepiscopum, qui apud Fridericum Imperatorem conquestus est hæc sibi obesse p. m. 232: *In memoriam revocantes omnibus tam futuræ quam præsentis vitæ fidelibus, quod cella Rodenach vocata a sanctissimo Imperatore Carolo Magno prænominatæ ecclesiæ sit donata & cella Turholt in comitatu Flandriæ sita donatione Hudovici Imperatoris ad perennem Hammaburgensis ecclesiæ iurisdictionem debeat pertinere.* Cellam vero quod appellet hunc locum Rodnach, Carolus M. ejusque successores, hinc &, quod haud adeo spatiosa domus esset, ut claustrum vel monasterium vocari posset, ideoque paucis monachis destinata, quæ monasteriola cellae dicebantur; ut cellae Wellanao Ebbonis, cella Turholt in Flandria, cella Ramsola, quæ solebant deinceps in claustra & monasteria perfici ac promoveri. Docent igitur optime Nicolai I. Papæ super Ramsola literæ, quod, quamdiu locus ille Verdensis episcopatus non nisi cellæ amplitudinem recepisset, Waldgarium Episcopum Anskario haud denegasse illuc quasi ad asylum refugere; at ubi monasterium exstrui ut concederet ab ipso Imperatore petebat, *huic rei ipse admodum contra-*

Rodnach ubi sita?

cella quid significat?

contrarius exſilit: ut videamus exinde, cellas monaſteria & clauſtra diſtinctas fuiſſe domus, alias iis aliis perfectiores & majores.

(114) Dixi ſupra de Ebbone Rhemenſi eum a. 823. circiter a Paſchali Papa obtinuiſſe licentiam prædicandi Tranſalbianis & Danis, eumque ab Imperatore Ludovico pio locum trans Albim, *Velanae* dictum, impetraſſe, ubi cellam quandam ædificavit, ubi ſubſiſteret, quoties in has oras proficiſceretur. Nunc vero, poſtquam Anskarius Archiepiſcopus Hamburgenſis conſtitutus erat, & legatus Papæ in ſeptentrione Gregorio IV. Imperatoris Ludovici decreta confirmante, Ebbo ipſi adjunctus eſt. Sic enim habet vita Anskarii p. m. 186. *atque ipſum in præſentia conſtitutum* (Anskarium) *legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum ac Danorum, nec non etiam Slavorum, aliarumque in aquilonis partibus gentium conſtitutarum, una cum Ebone Rhemenſi Archiepiſcopo, qui ipſam legationem ante ſuſceperat, delegavit* & quæ ſequuntur: unde conſtat, quomodo Ebbo Rhemenſis in adjutorium legationis adſcitus ſit, & quid ipſi ea de re ſtatuerint inter ſe.

(115) Ita ſolebat fieri. Nullus enim Epiſcopus ſine nomine Apoſtolico impoſito cathedram adſcendere aut officium obire poterat, nec ullus paganus baptizatus ſine nomine Chriſtianis conſueto transmittebatur. Sueno Haraldi Suen Ottho vocari debebat, Cantutus M. Lamberti nomine ipſis vocabatur, Sueno Grathe Petri, Amundus Sueciæ Jacobi; Othincarus Adalagi & ſic infinita plura.

domus quid ſignificet.

(116) Antea vocavit *baſilicam* p. 15. nunc *domum* vocat, quia majorem fecit Willericus: omnia autem ædificia magna *domus* vocari cœperunt, ut *major domus*, hoc eſt Francis major palatii, *curopalates*. Sic in eccleſiis quædam erant parvæ, ut oratoria; quædam mediocres, ut baſilicæ; quædam majores, ut *domus*. Facta eſt igitur S. Petri eccleſia Bremæ non ſolum lapidea ex lignea, ſed etiam ex baſilica

vnde germ. Dom.

domus, h. e. amplior & major. Unde Germani didicerunt cathedrales Eccleſias, quia ceteris erant majores, den Doom appellare, de Doomkarck, & ſuperiores den Thumb, Dani Domkirke, non quod judicia olim eccleſiaſtica ibi haberentur, ſed a *domo*.

(117) Primæ enim eccleſiæ per Saxoniam & ſeptentrionem omnem, quod lapide quadro & ſecto aut lateribus cœtis, iisque artificiis nondum abundarent aut iis ædificare didiciſſent, ex ligno eccleſias omnes ſtruxerunt. Ipſa cathedralis Hamburgenſis toto tempore Ansgarii lignea permanſit, hineque ceteras eccleſias ligneas quoque penitus eductas eſſe, Meldorpenſem, Slesvicenſem, Ripenſem, &c. nullum eſt dubium. Norvegia, Suecia, Livonia tota teſtari poſſunt domibus ſuis ligneis, quas retinent, quomodo veteres ædificaverint in his locis non ſolum ligni copia mores iſtos, ſed etiam architectura approbantibus. Peculiaris enim architectura in his domibus ligneis ſtruendis requiritur, peculiaris etiam in lapideis obſervatur.

(*) Henricus Wolteri, qui usque a. 1400. chronicon Bremenſe ſcripſit paulo aliter hanc hiſtoriam refert. Nam in Willerici vita p. m. 24. apud Meibomium non Anscarium, ſed Willericum Materniani corpus ab Ebbone impetraſſe ſcribit, his verbis: *Quodam tempore profectus cum Ludevico Imp. in Franciam obtinuit ſancti Materniani epiſcopi corpus precatu Cæſaris ab Ebone Archiepiſcopo Remorum & traduxit in eccleſiam ſuam conſentiente Papa Leone.* Hic Leo Papa 3tius eſt, qui ſedit ab a. 195. usque ad a. 816. Quapropter Willerici iter cum Ludovico in Franciam neceſſe eſt paulo prius accidiſſe, ſcilicet inter 814. & 816. cum Ludovicus haud ante Romanorum Imp. factus ſit nec Leo Papa diutius vixerit, ut conſentire potuerit. Venit ergo Materniani corpus Bremam cum Willerico iis annis, quando Anscarius nondum Saxoniam aut Bremam viderat. Poſtea p. m. 27. retulit de Remberto Archiepiſcopo: *Hic fecit eccleſiam conventualem in Bucka in ſolitudine & traduxit eo corpus ſancti Materniani Archiepiſcopi.* Diſſentit hic ab Adamo, qui ab Ansgario corpus S. Materniani apud Heyligenſteten repoſitum ſcripſit. Nec tamen Henricus Wolteri hæc ignorare potuit, qui canonicus fuit & S. Anscarii Bremenſis, & hujus eccleſiæ in Bucga, ut de ſe ipſe teſtatur. Quid igitur dicendum? aut illud S. Materniani corpus non integrum perveniſſe ad Heiligenſtetenſem eccleſiam, ſed partem ejus conceſſiſſe ad Bugaenſem aut, quod mihi verius videtur, aliud fuiſſe corpus S. Materniani, quod Willerico per Ebonem Rhemenſem conceſſum fuit, aliud alterius ſancti Anscario ab Ebbone cum Sixti & Sinnicii reliquiis donatum: unde etiam in mſcriptis quibusdam legitur *Matriniani*, Matrimani, non Materniani: id quod tamen Henricus Wolteri minime ſentit, qui Anſcarii geſta recenſens Sixti quidem & Sinnicii reliquias eum obtinuiſſe memoravit, ſed de Materniani tacuit, nolens aperte Adamum arguere, neque tamen ipſius ſententiæ de Materniano accedere. Neceſſe tamen eſt, nec Adamum falli; ſed diverſa corpora ſanctorum diverſis temporibus ab Ebbone tradita, alterum Willerico, quod ad monaſterium Bucka conceſſit, alterum Anscario, quod apud Heiligenſteten repoſitum. Quis fuerit S. Maternianus, ubi Epiſcopus aut Archiepiſcopus (nam ita eum vocat Henrici Wolteri chronicon) non traditur.

(118) Hæc eſt quarta eccleſia per Nordalbingiam prima Hamburgi, 2da - - - 3tia Meldorpenſis 4ta Hiligenſtadenſis. Hilligenſteden hodie dicitur in Holſatia, & ſpectat ad nobiliſſimos Rantzovios tantæ dignitatis ſec. XI. ſub Adelberto Archiepiſcopo, ut cathedralem illam & ſuffraganeam patriarchæ Hamb. ſubiicere quæſiverit dignamque exiſtimaverit. Nec hodie inter minimas habetur lauta ſatis & dives parochia. Huc reſpicit Rembertus autor vitæ S. Anskarii p. m. 201. qui admodum parvam diœceſin Hamburgenſem ſcripſit; nam non niſi quatuor baptiſmales habebat eccleſias, h. e. parochiales: quæ ſunt illæ quatuor, quas enumeravi; reliquæ aut monaſteria erant aut oratoria aut cellæ.

(*) Quinam ſancti hi fuerint, vix apparet. Sinnicium aliquando Archiepiſcopum Rhemenſem fuiſſe tradit chronicon Raſtedenſe apud Meibomium p. m. 94. T. 2. dum de brachio S. Sinnicii Swederum monachum ex peregrinationibus reverſum a. 1121. etiam reliquias attuliſſe dicit, & quidem *S. Sinnicii primi Archiepiſcopi Rhemenſis: nam corpora quaſi integra Ludovicus filius Caroli M. ab Ebone Archiepiſcopo B. Anſcario impetravit, qui ea traduxit in eccleſiam Hamburgenſem primo, poſtea vero incenſa Hamburgenſi eccleſia traduxit in Ramesloa ubi conventualem in honorem eorum ædificavit eccleſiam. Nam & idem glorioſus Pontifex Anſcharius caput S. Sixti Archiepiſcopi in collo ſuo ſemper ſolitus portare viſus eſt. Et in honorem iſtorum ſanctorum plures in Saxonia & Friſia ædificavit eccleſias & egregiam etiam in Wanga in pago Hokercken.* Vocat Sixtum Archiepiſcopum. Sed ubi? nunc etiam Rhemenſem intelligere oportet? vix credo. Integra corpora vel quaſi trium ſanctorum Materniani, Sixti et Sinnicii unum Archiepiſcopum a ſua eccleſia abalienaſſe nimium eſſe puto. Interim de S. Sixti capite geſtato ab Anſcharo etiam chronicon Henrici Wolteri memoravit p. m. 25. *B. Sixti caput ſemper in collo geſtavit, quando fuit in legatione ad gentes; & ideo, in collo ejus, ante pectus ejus, caput S. Sixti depingitur.*

(119) Sic vocat martyrum cropora et reliquias, quod intercedere et patrocinari crederentur ſancti illi homines apud Deum, iis inprimis, qui oſſa illorum et reliquias venerabantur.

(120) Hic

(120) Hic circa a. Chr. 471. 13. Januar. episcopus Rhemensis constitutus a. ætatis suæ 22do et usque ad a. 541. sedisse legitur, a. ætatis 94. mortuus a. Chr. 449. natus. Hunc vocat beatum; nam inter sanctos relatus noneſt, ideoque nec ejus reliquias patrocinia, sed κειμηλια pretiosa.

(121) Κειμηλια pretiosissima vocat ossa martyrum, quod miraculis clarerent et ægrotis desperatis efficacissime succurrerent, auro gemmisque omnibus æstimatiora.

(122) Hic est Carolus M. Imperator qui Willerico præsidente obiit a. Chr. 814.

Mansus quid

(123) In hac voce explicanda non ero prolixus, cum toties in scriptoribus occurrat, et toties explicata sit. Est enim mansus ager cum sua domo vel mansione, qui manenti et habitanti alendo sufficit. Accedit ad hovam, quæ nobis dicitur een Hove Landes; nam Hove et Hoff est curia vel domus cum suo agro; unde fecerunt Latini mansum et mansellum, si ager sufficiens non esset additus eo loco, ubi quis coleret et maneret.

Basilica quid?

(124) Basilicæ vocabulum multis significationibus expositum fuit; apud ethnicos enim nunc palatia Regia, nunc porticus et templa præclara indicat quod etiam Basilicæ nomen præ se fert omnes regias et a regibus profectas structuras complectens: Apud Christianos vero Basilicæ vel a Regibus fundatæ ecclesiæ sunt, vel quae nominibus sanctorum Apostolorum dicatae reperiantur, ut *Oratoria* quae super Martyribus aedificata eorum nomine stabant. Augustinus de Civit. Dei l. I. c. 1. sic loquitur: *Testantur hoc martyrum loca & basilicæ Apostolorum.* Sic Basilica Sancti Petri hoc loco basilica dici potuit, tam quod a Rege fundata, quam quod Apostoli nomine erat insignata. Posteriora enim Adamo vel potius Augustino secula Basilicas confuse pro quibusvis Ecclesiiis sumebant et interpretabantur. Eandem tamen distinctionem basilicæ et domus observat Adamus p. 20. nam ex libro donationum sacro- sancta basilica, quæ constructa est in honorem S. Petri Apostoli dicitur nondum in domum lapideam conversa a Willerico, sed mortuus Willericus protinus dicitur sepultus in domo S. Petri, quæ notari debent et merentur, cum quid differant basilicæ et domus ea ætate doceant.

(125) Ita dicebantur, quæ nemini privato suberant, sed Regi ejusque comiti præfecto civitates. Villæ enim, quæ ad nobiles privatos spectabant eorumque arbitrium et imperium, non erant publicæ. Hinc Francicis mos loquendi exstitit, ut oppida publica *des villes* vocarint: loca minora minusque publica *des villages*.

(126) Hunc titulum liber donationum Willerico tribuit, qui alias soli Papæ datur, seque ipsos ita semper scribunt; videmus tamen olim omnibus episcopis communem fuisse, quamdiu humilitati studuerunt. Papae postea gloriosum hoc visum est, se solum servis Dei servire; Blidegisillus diaconus Parisiensis vivens seculo 5. sub Clodoveo 2. Rege Francorum a. 486. vel 87. nonis Maji in literis, quibus monasterium Tossatense Baboleno Abbati tradit, sic infit: *In nomine S. Trinitatis Blidegesillus diaconus servus servorum Dei omnibus ordinibus &c.* Exstant hae literae in diss. J. J. Chiffletii de annis Dagoberti p. m. 379. Et nondum desiisse Willerici aetate episcopos hunc titulum praeferre, docet hic locus Adami, seriusque ad Papas solos transiisse, quemadmodum et Papae vocabulum omnibus fere presbyteris et episcopis commune fuit, sed ad solum Papam restrictum postquam Papa universalis esse et dici cœpit ille sub Phoca Imp. ab anno 606. Sic quoque tandem tit *Servus servorum Dei* Pontificibus Romanis ita placuit, ut soli sibi eum servaverint ultimis his seculis.

(127) Hic rursus Willerici episcopi annos producit, sed male editi libri annos conjungunt: neque enim annus 837. est Ludovici 25tus, aut penultimus. Quia vero ubique Willerici mors anno Ludovici penultimo ponitur, illum characterismum sequi nos oportet. Ludovicus enim anno 840. 20. Junii diem suum obiit ejusque rei certa satis est chronologia. Annus ergo ejus penultimus fuit a. Chr. 839. quo vitam cum morte commutavit Willericus 4. nonas Maji. Sedit igitur Willericus a morte Willehadi 790. 6. idus Novembris 48. annis et 6. mensibus pene, nec implevit 50. annos istos, de quibus annotarunt aliqui. Quia vero post mortem Willehadi res Saxoniae per Witekindum valde turbatae fuerunt, haud succedere potuit Willericus sed usque ad 804. Witekindo baptizato et victo vacavit episcopatus Bremensis ita ut non sederit revera, nisi annos 35. Sic itaque restituendus hic locus: *anno Domini DCCCXXXIX. qui est annus Ludhovici XXVI. & penultimus.* Sicque recte se habent anni mortis Willerici.

(128) H. e. annum octavum ingressus est, non implevit; obiit enim 9. Kal. Septembr. a. Chr. 846. qui est Ludovici junioris septimus a 20. Junii et Leuderici octavus a morte Willerici seu 4. nonas Maji Male Albertus Stadensis qui sub a. 844. ejus mortem posuit.

(129) Haec vetus est formula nec aliquid superbiae habebat petita ex ipsius Christi verbis: Haec illa est decantata apud Danos formula Herda Gudan thiaga, *gregis divini minister;* Herda Gudan Tryg, *gregi Dei fidus* h. e. ecclesiae, quam tot explicationibus hactenus torserunt, ut sui similis nequaquam manserit. Etiam Anglo-Saxones hac formula suo tempore frequenter usi sunt. Chronicon Anglo-Saxonicum ad a. 616. dicit Laurentium Cantuariensem Archiepiscopum vehementer castigatum, *for dan the he volda swa tha Godes Hyrde forleton h. e. quod sic vellet gregem Dei deserere, h. e. ecclesiam:* idem chronicon ad a. 694. Vithredum Regem Cantuariensium sic introducit loquentem: *the læste the æny of Godes heorde duel se and losie h. e. ne ullus ex grege Dei aberret aut pereat.* Quae causa est, cur doctores ecclesiae, *Hyrder*, Hirten vocaverint ut ad a. 1108. *buton ealdre and hyrde, sine senioribus & pastoribus:* Et ubi de S. Cuthberti evangeliorum codice elegantissime et ornatissime scripto codices loquuntur, inter alia sic librum divisum Anglo-Saxonici annales memorant. *Mattheus dal Gude, and S. Cuthberth, Marcus dæl dem Biscop and Lucas dæl dem hierode i. e. Matthæi evangelium Deo & S. Cuthberto; Marcum episcopo & Lucam gregi* S. ecclesiae. *HIORODE* enim et *Herde* idem est ecclesiam et gregem Dei significans. In notis ad Helfredum Spelmanni l. 2. p. m. 62 haec verba reperies: *Gethens that gelome, that thu scealt tha leonde forth æt Godes dome yvan and læd, and thet hu eart hyrde gescyon thy sum life. Sæpius illud cogita, quod debeas gregem illum in Dei judicio producere & sistere, cui tu pastor constitutus es in hac vita.* Optime *heorde* est grex, *hyrde* est pastor. Haec nihil habent superbiae, nisi superbo quis animo verba tractet, ut forte Leudericus, qui comiter dicta verba superbe interpretatus est neque κατὰ τὸ ῥητὸν neque κατὰ διανοιαν spiritus sancti. Bremenses enim ut pecora et bruta sibi subjectos reddidit, non ad pastoritiam et paternam curam, sed ad dominatum.

(130) Sic solebant monachi non verecundari manibus suis opificia tractare, dum animo preces fundebant et ore aut retia nectendo aut agros fodiendo aut plantando aut simile quid pro victu faciendo manibus laborantes. Hic dicitur, quod etiam archiepiscopus Anskarius manuum suarum operibus sibi victum quaesiverit. Et in vita S. Anskarii hoc exstat p. m. 226. Inter *Psalmos autem cantandum frequenter, etiam manibus operari solitus erat, nam his temporibus rete operabatur:* et Gualdo poetice haec extulit, p. m. 307.

Inter psallendum contexere rete solebat,
Non linguam, non ipse manus torpere sinebat.

(131) Non

(131) Non ſolum illis quas ab Ebbone Rhemenſi acceperat Sixti et Sinnicii ſed etiam quas aliunde conquiſiuerat. Ita quoque inferius alia patrocinia p. m. 22. quæ ab Hammaburg fugiens portavit.

(132) Non Imperatorum, ſed pontificum: hæc enim privilegia dicuntur, ut *præcepta* Imperatorum, quod ante monui.

(133) Errat hic Adamus in excidii Hamburgenſis anno adſignando. Ludovici ſenioris noviſſimus fuit a. Chr. 840; eo quidem exſtincto Normanni et Dani cœperunt ſtatim turbare piratica flumina omnia: ſed Hamburgum ante annum 845. exciſum non fuit aut vaſtatum, ut recte Lambecius orig. Hamb. monſtravit l. 1. p. m. 24. ex annalibus Metenſibus & Fuldenſibus aliisque circumſtantiis, quæ annum 845. verum eſſe excidii Hamburgenſis annum evincunt. Sed non ſolus Adamus hanc errorem erravit, ſed & plures alii. Helmoldus annum quoque 845. huic excidio tribuit, dum primo Slavos, deinde Freſones tributo ſubiectos memorat, mox Coloniam incenſam, poſtremo Hamburgum deletum durante fratrum diſcordia meminit. Sed Adamus ipſe dubitat, dum addit, *ut ajunt*, quaſi vulgo ſic creditum & ipſi relatum fuerit. Vnde Albertus Stadenſis his omnibus annum quoque eundem 840. tribuit & Adami verbis recenſet.

(134) Melius Amundus, quam Anundus; dicitur enim *Amund* ſeptentrionalibus, qui omni poteſtate vel auctoritate præditus agendi vel dicendi ex alterius ore ac ſententia non pendet, quod Regi maxime convenit ejusque majeſtate dignum eſt.

(135) Legendum, ſcriptum ita eſt.

(136) Intelligit vitam Anskarii ſcriptam a Remberto, quam ſæpius adduxit, hic actus vocat, quod vita Ansgarii multos actus & actiones pias ac egregias contineat.

(137) Legi debet anno 11. a morte ſcilicet Willerici 4. nonas Maji a. 839. qui erat penultimus Ludovici.

(138) Hoc factum a. C. 835. nam quia vacavit Epiſcopatus Rhemenſis Ebbone depoſito usque dum Hincmarus a. 845. ſuccederet decem annis, dicto anno a Gregorio Papa remotus fuit.

(139) Ita Adamus et ex eo Helmoldus et Albertus Stadenſis. Quod ſi verum eſt diviſio inter fratres non ſucceſſit a. 843. quod plerique ſtatuunt cum viveret adhuc Gregorius Papa usque ad finem anni nec Sergius ſucceſſerit ante a. 844. 10. Febr. conſtitutus. Ad annum igitur 844. haec diviſio Salfeldiae prope Coloniam ſuſcepta fuit Papa Sergio II. interveniente.

(140) Albertus Stadenſis quatuor partes facit dum ait: *Fratres pacificati regnum per quatuor Tetrarchias diviſerunt.* Quin etiam quatuor partes ipſe Adamus ſubjungit dum Lothario Romam, Italiam, Lotharingiam et Burgundiam adſignat, Ludovico juniori Rhenum cum Germania, Carolo Galliam, et Pipino Aquitaniam. Hic Pipinus erat nepos Ludovici, qui antea Aquitaniam regis nomine poſſidebat, ſed ante patrem a. 838. moritur relicto filio hoc Pipino cui patrui Aquitaniam tradunt regendam. Helmoldus quoque in quatuor partes regnum diviſum ſcripſit l. 1. c. 4. Witekindus autem Corbejenſis in tres partes regnum diviſum, Pipino excluſo memorat. Haec ita diſſona ſunt apud ſcriptores, tam quod vivo patre a. 838. alia diviſio inter fratres facta fuit, ubi Pipinus praeteritus fuit, quam quod Carolus Pipinum tandem anno 851. cum Carolo fratre ejus captos detonderit, et in monaſteria detruſerit Pipinum Sueſſione, Carolum Corbeja ſicque Aquitaniam et Vaſconiam ſibi ſubjecit. Hos autem Pipinos Reineccius in tabula ſtemmatis Carolingici ad Albertum Stadenſem adjuncta omiſit, nec Ludovico pio niſi tres filios tribuit, Ludovicum juniorem, Lotharium et Carolum ex Juditha.

(141) Hodie Ramsloe. Lites multas expertus eſt hic locus in Verdenſi dioeceſi poſitus a Verdenſibus epiſcopis, qui eum Hamburgenſi eccleſiae ſubducere quaeſiverunt; Hamburgenſes tamen ſemper victores diſceſſerunt ſuae eccleſiae monaſterium vindicantes, donec mutata religione pontificia in Lutheranorum ad Regis Sueciae partes conceſſit a. 1648.

(142) Raſtae vocabulum a raſten quieſcere deſumtum eſt; ubi enim equi aut currus mutantur in itinere, ibi quieſcimus illeque locus *raſta* dicebatur. Sunt igitur tres raſtae tria milliaria, quod ad ſingula milliaria equis reſpirare concedamus. *Raſta quid?*

(143) Qui hos tres populos complectuntur Ditmarſos, Holſatos, Stormarios ab Eydora usque ad Albim; nomen ſortiti, quod Albi a ſeptentrione proximi ſint.

(144) Ita intelligendum ut prius ſcilicet eum miſiſſe in Nordalbingiae proxima ad Sleſwicenſes, ubi Dania. Circa a. 847. haec geſta ſunt, et ſacerdotes illi miſſi tam in Daniam, quam in Sueoniam. Gaudbertus enim e Suecia ejectus 840. a quo tempore ſeptem annis Sueonia caruit ſacerdotali praeſentia, ut ante dixit, et Anskarii quoque vita meminit, usque dum Hartgarium vel Ardgarium rurſus ablegaret ad Herigerium praefectum Bircae, quibus hic annus 847. convenit.

(145) Hoc factum, ut mox dicit, anno Ludovici ſecundi Germaniae Regis IX. qui eſt a. Chr. 848; et Leo IV. quoque Papa a. 849. in privilegio ſuo dato Anskario hujus meminiſſe videtur unionis; dum non ſolum Nordalbingos ſed etiam Wimadios ejus curae ſubjicit his verbis: *Concedimus igitur ſicut a prædeceſſore noſtro beato Gregorio conceſſum eſt, ſcilicet ut gentes Wimodiorum, Nordalbingiorum, Danorum, Norwegorum, Sueorum, vel quascunque ſeptentrionalium nationum jugo fidei praedicatione tua ſubdideris ad ſedem Hammaburgenſem, ſpirituali dominatione poſſideas.* Vigmodii autem dicebantur, ubi Brema ſita erat: ut hinc colligere ac judicare pronum eſſet, Anskarium tunc Bremenſi ditioni praefuiſſe; ſed nondum eo res pervenerat, nam et Colonienſis Archiepiſcopus adhuc obſtabat, licet Ludovicus Germanicus et plures epiſcopi conſenſiſſent eumque jam introduci curaſſent in Bremenſem epiſcopatum ſub ea conditione, ſi nemini hoc invidioſum aut injuſtum videretur. Haec igitur Leonis charta non eſt confirmatio unionis, ſed Hamburgenſis Archiepiſcopatus et legationis. Sicut vero pro *Wimodiorum*, legi debeat *Vinulorum*, h. e. Slavorum, qui pertinebant ad dioeceſin Hamburgenſem ab initio fundationis; ſic quoque pro *Suevorum* legi debet *Sueonum*. Albertus Stadenſis, qui ſub a. 845. haec miſcet et conjungit, non eſt attendendus: deliberavit enim cum epiſcopis hac de re Ludovicus rex in ſynodis et conventibus a. 847. et cum placerent propoſita introductus eſt Anskarius a. 848. Poſtea Guntharius Hagebaldo Colonienſi ſucceſſit demortuo. Hagebaldus autem videtur jam ante 848. obiiſſe, et Guntharius non ante a. 851. ſucceſſiſſe: quo ſpectant verba ex vita Anskarii c. 20. p. m. 202. *Porro cum haec agerentur Colonia civitas, ad quam Bremenſis parochia ſuffraganea erat, eo tempore absque benedictione epiſcopali degebat: quod quia diuturnum exſtitit iſtud, etiam ſine illius loci pontificis praeſentia neceſſario decernendum fuit.* Conſenſit tamen poſtea Guntharius in comitiis Wormatienſibus habitis a. 862. ita, ſi Papa hoc ratum haberet. Erat tunc Papa Nicolaus I. qui a Ludovico hac de re rogatus conſenſit a. 864. His ambagibus unio iſta Hamburgenſis & Bremenſis eccleſiae ſucceſſit.

(146) Clericus hic intelligitur Regis. Clerici autem Regis erant plures, alii ut cancellarii, alii ut ſecretarii alii ut notarii, primicerii et ſecundicerii. Ex his fuit Aldricus hic non exiguæ dignationis, quippe qui legatus

gatus Ludovici Regis Com. Reginboldo ad Bremenſes Anskarium iis commendâvit ut epiſcopum ſuum tantiſper ſuſcipiendum, donec plenius ſtatui poſſet: quamvis neſciamus, cujus generis Clericus regius in aula fuerit. Erant enim plures, ut dixit; inter quos etiam *epiſtolares regii*, ſcilicet qui Regi ab epiſtolis erant, ut Andreas Succonis in aula Canuti Regis a Saxone Grammatico vocatur epiſtolaris Regius in praefatione, idemque eſt quod clericus Regis aut inter clericos regios eſſe, Waldemari I. Regis Daniae literis 1180. 8. Idus Februar. datis quatuor clerici regii ſubſcripſerunt praeter cancellarium et capellanum: nam primo loco Karolus cancellarius Regis, deinde Einerus capellanus Regis, poſtea Jonos clericus Regis, et qui ſequitur, M. Johannes non minus inter clericos Regis ponendus, quamvis hic non addatur, ultimo Andreas clericus Regis, ſubſcripſerunt, eosque ſequuntur in ſubſcribendo praepoſiti & abbates. Ex quibus videmus clerici Regii nomen late ſumtum, & iam cancellarios & capellanos regios comprehendere; ſtrictius vero & proprie eos clericos eſſe, qui poſt capellanos officium ſcribendi commendatum ſibi habebant; ut ex Anglo-Saxonico quodam chronico diſcere licet ad a. 1085. ubi cancellarii & ſcribae Wilhelmi Conqueſtoris *thes Kynges Clerecos* dicuntur; ex quibus epiſcopi creari ſolebant: ſed Edmundus Gibſon interpres hujus chronici latinus haud recte capellanos vertit; ſiquidem omnes clerici regii non erant capellani regii, ſed unus eorum eo titulo gaudebat ſolum.

(147) Haec habentur in vita ejus c. 20. ſub fin. p. m. 206. ſed aliis verbis; ſic nempe: *multum enim fuit temporis, ex quo ſedem illam gubernandam ſuſcepit, priusquam autoritate apoſtolica firmaretur.*

(148) Hæc etiam ſatis docent, Anskarium ab a. 831. Hamburgenſi archiepiſcopatui praefuiſſe, atque inde ejus annos in ſede numerandos eſſe. Si enim a. 831. addantur 34. quibus & Hamburgenſem & Bremenſem diœceſes Anskarius rexit, prout hic recte computatur, prodibit annus 865, quo Anskarius obiit: ita quoque ſi 16. anni in Hamburgenſi parochia connumerentur octodecim annis, quibus unitas tenuit eccleſias, idem annus emortualis 865. exibit ab a. Chr. 831. Sedit enim annos ſedecim Hamburgi, usque ad a. 847, quo de unione primum ſtatui aut cogitari cœpit ab a. 847. ad a. 865. ſunt octodecim anni, quæ computatio omnium eſt certiſſima, nec fallit.

Chriſtiana religio in Dania reſtituta & ſtabilita.

(149) Hoc factum eſt a. 848. & 849. quo etiam videtur Ericus Rex Daniæ factus, atque Anskarium ideo feſtinaſſe, ut eum compellaret, quem & antea noverat & viderat Chriſtianum in Imperatoris aula Moguntiæ cum fratre Haraldo Klach: de quo nihil attulit aut ille aut Francici annales, poſt diſceſſum Anskarii in Sueciam, ita ut Haraldum mortuum non ſolum colligere liceat, ſed & Chriſtiana omnia veluti refriguiſſe ac praecluſa fuiſſe, usque dum Ericus anno dicto ſceptris admotus fuit. Tunc Anskarius mora omni rejecta feſtinavit in Daniam; feneſtram enim & campum ſibi apertum videns Chriſtianam religionem, eo duce per Daniam diſſeminandi. Hactenus Daniæ extrema & Nordalbingicis conjuncta ſolum adierat. Hinc eſt quod in vita ſancti Anſcharii dicatur c. 21. p. m. 207. quod multi (in Sleswig) antea erant Chriſtiani qui vel in Dorſtado vel in Hammaburg baptizati fuerant, quorum quidam primores ipſius vici habebantur, & gaudebant ſibi facultatem datam Chriſtianitatem ſuam obſervandi. Hi ſane ſunt illi Chriſtiani quos Anskarius commeando & praedicando lucratus erat ante, ab a. 826. ob quos in Daniam rediiſſe toties ſcriptum fuit licet extima Daniæ ſolum attigiſſet. Nunc ipſum Regem invenit Horicum ſ. Ericum adeo ut ab hoc anno vere Daniam acceſſiſſe Chriſtiani praedicatores dici poſſint. Quin vita Anskarii idem dicit c. 21. quod ſuſcepta Bremenſi parochia iterum ſpiritu cœperit fervere, initium quia jam tunc quid daret habebat: ſi quid poſſet in partibus Danorum pro Chriſti elaborare nomine. Vnde frequentius Oricum adire, qui tunc ſolus Monarchiam regni tenebat Danorum, & muneribus eum & quibuscunque poterat obſequiis conciliare ſtuduit, ut ſua licentia praedicationis officio in regno ejus frui valeret. Aliquoties namque regia Ludovici etiam legatio ad eum mittebatur & quæ ad fœdera pacis & utriusque regni utilitatem pertinebant ſtrenue & fideliter peragebat. Hinc videmus cum Rege ipſo Daniæ de ſacris Chriſtianis in regno ſuo permittendis actum fuiſſe, quod numquam antea factum nec fieri licuit, regibus plane non admittentibus hæc ſacra; ſed quod in extremis regni poterant clam doctores efficere nunc hos, nunc illos adducendo, hoc in lucro deputabant. Apud Ericum vero quia Chriſtianus erat aut male Chriſtianus, porta major reſervata aditusque in intima Daniæ patefiebat. Svaningius recte ſatis annum 847. Erico huic adſignat quo primum regnare cœpit, ita ut Anskarius ſuſcepta Bremenſi parochia a. 848. protinus ad eum feſtinarit.

(150) Quomodo? qui jam Chriſtianus inter Freſios Dorſtatenſes aliquot multis annis vixerat. Num ergo defecerat iterum? Sic volunt & imprimis Lambecius ad vitam Anskarii p.m.340. quod odium religionis Ericum ceperit, idolorum vero cultum reſtituerit, & quod ſecundum ab Anskario ad religionem perductus ſit, quod nemo hiſtoricorum veterum memoravit praeter illum. Helmoldus quidem *gentilem* facit Ericum hunc h. e. qui Chriſtianus nondum fuerit; ſed deſciviſſe nec Adamus nec Helmoldus nec Saxo nec Anskarii vita memorarunt. Helmoldi verba talia ſunt, ut potius de Erico puero intelligi poſſint, quam de hoc Erico, aut quod duos illos Ericos confuderit. Sic enim loquitur l. 1. c. 5. p.m. 20. *Pontifex quoque Anskarius Cæſaris legatione functus Regem Danorum frequenter adiit, ubi pro commodis utriusque regni & pacis ſtabilitate ſtrenue agens multam apud Regem, licet gentilem familiaritatis gratiam, pro fidei ſuæ reverentia conſecutus eſt; cui etiam Rex facultatem attribuit eccleſiam ſtatuendi in Sleſvic & Ripe.* Illud de Ripenſi eccleſia pertinet ad ſolum Ericum puerum haud vero ad Ericum priorem: Ericus puer enim Ripenſem eccleſiam conſtrui curavit, ſicut Ericus prior Sleſvicenſem; ad Ericum puerum quoque Anſcarius miſſus eſt Cæſaris legatione ſæpius &c. adeo ut iſta utrique Erico conveniant. Illuditaque Adami *Chriſtianum reddidit* ita explicandum veniet, prout tempora ferunt iſta & Erici Regis conditio, qui regnum nuper regendum acceperat, ne tanto Regi optime de Chriſtiana religione merito injuriam faciamus, & convitia pro beneficiis improperemus: mens enim Adami eſt, non quod Chriſtianus factus ſit tunc, ſed quod magis Chriſtianus factus ſit Anſcario accedente & in Chriſtiana religione firmus evaſerit, quam novus incola regni haud auſus fuerat ſine periculo oſtendere primo pedatu. Poſtquam vero Anskarius muneribus & obſequiis tam Regem ipſum quam ipſius proceres devinxerat, ſtatim alia facies Rege ſimulante ſe pertrahi, qui pertractus erat, ut ſecum alios in ſuam ſententiam pelliceret; ſicque obtinuerunt licentiam praedicandi in regno doctores neminemque impediri, qui Chriſtianus fieri vellet. Quapropter etiam verba Remberti in vita Anskarii, *(hac itaque familiaritate potitus cœpit etiam illi perſvadere, ut fieret Chriſtianus.* Sic explicanda mihi ſumo, ut regnum ſuum totum Ericus concederet ſecum Chriſtianam religionem colere & ejus, quotquot vellent, incolas. Nihil enim frequentius eſt, quam Regem pro regno ſumi, ut regnum pro Rege. Atque ſic & Erico ſua religio ſine dedecore conſtabit & ſeri-

R. Erici Chriſtianiſmus.

& scriptoribus sua fides, dum nihil mutari opus esse video, si recte intelligantur.

(151) Sic quoque describit vita S. Anscarii c. 21. p. m. 207. in portu quodam regni sui ad hoc aptissimo & huic regioni proximo, Slasivich vocato, ubi ex omni parte conventus fiebat negotiatorum scil. ex mari Balthico, Norwegicorum, Suecicorum, Russicorum, Slavorum &c.

(152) Illud *statim* monet Ericum a Christiana religione nunquam fuisse alienum, sed dum Anskarius instaret ipsi et proceribus, adhuc Anskario præsente concessum esse ecclesiam Slesvici exstruere; unde Erici in Christianos propensum animum colligere licet, ita ut non tam opus esset Regem ultro currentem incitare, quam proceres ejus pertinahere: quod cum Anskarius donis & obsequiis plurimis obtinuisset, Regem hoc concessisse. Regem Christianum factum esse dicimus, quoties consensus omnium aut plurium aut optimorum accessit in regno. Aedificari igitur cœpit ecclesia Slesvicensis *statim* illo a. 848.

(153) Hæc more septentrionalium dicuntur, qui erant sine literis. Missus enim est legatus nomine Regis Erici Daniæ; sigillum autem non est ceraceum imagine Regis appensa vel impressa epistolæ scriptæ ad Olaum Regem Sueciæ (tam enim sigilla, quam epistolas scribere ab illorum moribus erat alienum), sed est signum aliquod Danice & proprie Jartege dictum, consistens aut in gladiis, hastis, securibus, aut in annulis & armillis, aliisve similibus, quæ erant veteribus signa, quibus dignoscebantur & ad fidem faciendam tradebantur missis ac legatis, quando mittebantur, ut certi esse possent, ad quos mittebantur, illos legatos ab illo & illo missos esse, omnia, quæ proponerent, vera esse & mentem veram istius, a quo mitterentur. Hoc igitur hic est *Regis missum ac sigillum rogare.* Melius in vita S. Anscarii *signum* dicitur, prout erat revera, & quænam in mandatis habuerit, ille missus optime proponit: *Regis*, inquit, *Orici missum pariter & signum habuit secum, qui Regi Sueonum nomine Oleph partis suæ mandatum tale intimari jussit: Servum Dei, qui ex parte Regis Ludovici missus fines regni ejus peteret, sibi per omnia cognitum esse, ac se in vita sua nunquam tam bonum vidisse hominem, nec in quolibet mortalium aliquando tantam fidem invenisse: ideoque, cognita ejus sanctissima bonitate, omnia ille in regno suo causa Christianæ religionis disponere vellet, se ei concessisse ipsumque petere, ut similiter & in regno suo ei permitteret culturam Christianitatis, quam optabat, statuere, qua ipse nihil aliud, quam quod bonum & rectum foret, vellet perficere.* Hæc erant illa mandata quæ missus Erici Regis Olao non ex scriptis, sed ore suo proponere debebat & proposuit, Anscario ejusque comitibus audientibus, qui hæc aut retulit Remberto, aut ipse Anscario affuit, et excepit dicta ipsiusque vitæ inseruit. Præter hæc mandata legatus signum peculiare ostendit ab Erico sibi traditum & Olao pariter cognitum, quod fidem faciebat certissimam, hæc omnia, prout gerebantur, ab Erico mandata esse. Reperies hæc in vita prædicta c. 23. Monuit idem scriptor c. 22. Ludovicum Regem Germaniæ Anscario mandata sua ad Regem Sueonum commisisse, *sicuti & pater ejus fecerat, ad Regem Sueonum mandata ei committens.* Sed & hæc mandata non nisi signo & misso Anscario ex ore ejus proposita Olao Regi Sueonum sentio; nusquam enim de literis scriptis loquitur historia. Et quamvis c. XI. de literis Biornonis Regis ad Imperatorem Ludovicum pium missis locutus sit p. m. 184 *& cum literis Regia manu mare ipsorum deformatis ad serenissimum reversi sunt Augustum;* hæc ita tamen proposuit, ut deformitatem ob illarum usum nullum apud septentrionales pariter adducere non omiserit. Biorno enim vel rogatus vel novo quodam experimento hoc Christianis placere studuit, qui literas amant, suumque in Christianos animum propensum significare voluit, illorum moribus semet accommodando. Helmoldus tamen hanc rem referens l. 1. c. 5. litteras ex hoc signo statim fecit, dicens: *Hoc iter arduum per se ipsum (Anskarius) aggressus petiit litteras & nuncium Regis Danorum:* & accidit Helmoldo, quod Saxoni, qui cum de nunciis & signis legisset, septentrionalium missis nobis Fengonis tabellas & Amlethi litteras more Romano scriptas exstruxit, haud considerantes septentrionalibus proprios mores in legationibus & sine litteris ullis fuisse.

(154) Quonam littore; a Sleya, ni fallor: erat enim hoc littus Danorum portu notum, & commodum, & Anskario proximum ex Nordalbingia venienti. Hic igitur naves conscendit *& 20. ferme diebus navigio transactis pervenit ad Byrcam,* ut testatur vita ipsius c. 23. p. m. 211; ne quis e Sialandia eum transiretasse, atque sic Falsterboæ promontorium circuisse & Bircam adiisse credat. Facilius enim a Slesvico iter hoc succedere posset quam istis ambagibus. Nec opus est, ut statuamus missum Regis Ericum una cum Anskario iviisse; potuit enim ille transmisso freto, quod est inter Sialandiam & Scaniam, terrestri itinere Bircam pervenire, & Anskarium prævertere, quod Anskario non tuto licuit, qui prius iter per has gentes susceptum, Blekingos scilicet, Smalandos, Gothos variis difficultatibus & periculis plenum hominibus Christianis nondum dememinerat: quæ causa fuit, cur mari potius hoc iter absolvere maluerit. Et quamvis vita Anskarii dixerit, quod *Regis Orici missum pariter & signum secum habuerit,* illud tamen non diserte ponitur, illum in navigatione ipsa eum secum habuisse, nam & in priori itinere Anscarius missos Biornonis ad Imperatorem in Suecia secum habuit & Bircæ, sed non in navigatione; ut percipi potest ex c. 10. vitæ ejus p. m. 183. & 184. Nec autor noster annum, quo in Suconiam iter hoc habuit Anskarius, indicavit; Albertus Stadensis more suo, quæ conjungi non debebant, sub uno anno conjungens, a. Chr. 858. hoc iter in Sveoniam posuit Adami verbis. Sed quia Ericus pius frater Haraldi Klach adhuc vixit, cum Anskarius in Sueoniam pergeret, ejusque ope hæc maxime procederent, a. autem 858. Ericus ille jam obierat & Erico puero locum fecerat; haud iste annus huic itineri potest assignari. Ericus enim prior a. 854. decessisse scribitur, ita ut Anskarius in Sueciam contendere potuerit circa a. 852. quando Ardagarius a Svecia discesserat Herigario mortuo.

(155) Hunc Regem in Svecia nesciunt Sveci ipsi suis temporibus; in vita tamen Anskarii memoratur, cujus autor indubitatæ fidei in his haberi potest, quo illis temporibus vixerit. Herothum legimus in annalibus tunc temporis in Svecia regnasse, nec Olaus ullus apparet ante Olaum Trætelge, cuius ætas in annum 893. incidit. Neque Saxo hunc Olaum in Svecia tunc novit.

(156) Est universalis conventus totius regni ac publica comitia, quæ tunc indicta erant. Placitum dictum, quod cuilibet, quæcunque placerent, in medium proferre liceret; & quæ concussa, ut rata haberentur, placuerunt ea placita dicebantur.

(157) Gautberti Sueoniæ episcopi nepos, ut habet vita Anskarii c. 22. p. m. 208: *ipse* (Gaudbertus) *cum eo* (Anskario) *nepotem suum mitteret.*

(158) Nec aliter loquitur vita Anskarii c. 22. p. m. 210. *maxime in verbis, quo dictum est. Audite insulæ; quia omnis patria illa in insulis est constituta.* Si de toto septentrione & mari Balthico solo, intra quod hæ terræ concluduntur, intelligas, fatendum est, innumeras insulas reperiri sparsas: at ubi Sueonia & Norvegia et Finlandia et Eithonia connectuntur; hic insulas minime concipere licet, quoniam latissimae illae regiones omnes facile insulas superant; Haec autem opinio de Gog et Magog, Sueciam iis designari, non adeo mirum videri debet, cum ex iis propagati sint septentrionales fere

omnes, quibus etiam in septentrione ultimo locus adsignatur in ipsa sacra scriptura.

(159) Regnum Francorum hic dicitur Imperium Romano-Germanicum.

(160) Scilicet jungendo et subdendo archiepiscopatui Hamburgensi, cui Guntharius Colonienſis magno conatu restitit multis annis.

(161) Is Lotharii filius regnare cœpit a. 855. a d. 28. Septembr.

(162) Hoc factum est in comitiis Wormatiensibus a. Chr. 862. Nam sic vita Anskarii loquitur c. 20. p. m. 202. *Qua de causa postmodum in Wormatia civitate positis duobus Regibus Ludovico scilicet & Lotherio coram multa episcoporum utriusque regni frequentia præsente venerabili patre nostro hæc eadem res expositа est.* Comitia Wormatiensia habita sunt a. dicto 862. Reges Ludovicus & Lotharius hic nominati sunt Ludovicus Germaniæ Rex Ludovici pii filius, Lotharius autem Rex Lotharingiæ Lotharii Imp. filius, & *utriusque regni* sunt Lotharingiæ & Germaniæ, ne quis sub Lothario Imp. hæc gesta credat qui a. 855. abdicavit & 856. obiit; nam ideo Lotharii nomen postponitur Ludovico, quod præponi debuisset, si Imperatorem designare voluisset. In iisdem comitiis actum fuit de Ramsola cella, atque, ut illa maneret penes Anskarium, ibidem conclusum fuit; ut ex constitutionibus Imperialibus affert Calvisius his verbis ad hunc annum: *Ansgarii episcopi Hamburgensis episcopatus erematus fuerat a Normannis* non 862. sed jamdudum a. 845 nam eo usque lites illæ de Ramsola, & de uniendo Bremensi episcopatu durarunt: *ideo in Comitiis Wormatiensibus decernitur, ut ipsa cellula Ramesloa, quæ sub episcopatu Verdensi erat, posthac tribueretur, idque confirmatum fuit d. 8. Junii.* Una igitur finita sunt, lites Verdensis episcopi de Ramesloa & Guntharii Colonienſis de Bremensi episcopatu conjungendo. Atque hæc verissima chronologia est harum rerum.

(162) Privilegia, ut sæpius monui quod a Papa non ab Imperatore data essent.

(163) Illud *vicarios* in nullis literis Imperatorum aut Paparum reperitur. Gregorii IV. literæ sic rem exprimunt: *Anscharium & successores ejus legatos in omnibus circumquaque gentibus Danorum &c. delegamus.* Circa a. 834. Leonis Papæ rescriptum a. 840. licet nec legati nec vicarii verbo utatur, utitur tamen formulis idem significantibus. *Concedimus sicut a prædecessore nostro beato Gregorio concessum est, scilicet ut gentes Wimodiorum,* (legendum Winedorum) *Nordalbingorum, Danorum, Norwegorum, Suevorum* (legendum Sueonum vel Suecorum) *vel quascunque septentrionalium nationum jugo fidei prædicatione sua subdideris, ad sedem Hammaburgensem spirituali dominatione possideas, & omnibus successoribus Tuis eandem sedem* (legendum, in eandem sedem) *possidendas relinquas.* His succedunt Nicolai I. Papæ literæ unionem Hamburgensem & Bremensem confirmantes a. 864. datæ, quæ legati etiam vocabulo, non vicarii utuntur: *Ipsum filium nostrum jam dictum Ansgarium legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum sive Danorum, nec non etiam Slavorum, vel in ceteris, ubicunque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem ipsamque sedem &c. decernimus.* Quare etiam cautius autor vitæ Anskarii loquitur c. XII. p. m. 186. quam Adamus, qui ex Gregorii IV. privilegio repetit verba: *ipsum* (Anskarium) *in præsentia constitutum legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum sive Danorum, nec non etiam Slavorum aliarumque in Aquilonis partibus gentium constitutarum una cum Ebbone Rhemensi archiepiscopo, qui ipsam legationem ante susceperat, delegavit, & ante corpus & confessionem sancti Petri Apostoli publicam evangelizandi tribuit autoritatem.* Ita quoque Adamus supra p. m. 19. c. 18. Gaudbertum vicarium Ebbonis Legati vocavit: *vicarium* ait *pro se dedit Anskario nepotem Gaudbertum, Ebbo.* Autor vitæ Anskarii Rembertus etiam legatum appellavit c. 12. p. m. 187. *cum quasi vice sua qui prædicandi officium prius autoritate Apostolica susceperit legatum in Gentibus Sveonum esse constituit,* idem Ebbo consentiente Anskario. Hanc igitur formulam *vicarios sedis Apostolicæ* Adamus aliunde hausit aut pro explicanda legati voce adjecit ex suo: nam nec Papæ ipsi in literis suis allegatis eum vel eos Archiepiscopos Hamburgenses *legatos suos* aut *nostros* appellare sustinuerunt, nedum *legatos Apostolicæ sedis*, sed simpliciter *legatos:* atque ideo recte Maderus in sua editione Adami hæc verba *vicarios Apostolicæ sedis* ut novitatis alicujus suspecta minoribus literis notari curavit. Aliud sane est vicarius Papæ, aliud legatus Papæ; quamvis sæpe confundantur. Sed et illud notandum maxime, Anscarium non solum a Gregorio IV. Papa legatum in septentrione constitutum, sed una cum Ebbone Rhemensi, ut superius autor vitæ Anskarii Rembertus ejus successor nobis indicavit; quod quamvis in Gregorii IV. literis non exstet, ita tamen convenisse tunc coram Gregorio Papa ostendunt sequentia: nam & Anskarius et Ebbo *post ordinationem Anskarii de eadem legatione inter se contulerunt* ut dicit p. m. 187. et Gautbertum ambo episcopum consecrantes in Sueoniam destinarunt, idque Papæ ac Imperatoris consensu. Postea Ebbone deposito, et Gaudberto a Suecis ejecto solus illam legationem exercuit Anscarius, qui a. 847. Ardgarium Anechoretam commisit, et a. 852. Erimbertum presbyterum secum adduxit, ibique reliquit: quae quoque apud Adamum nostrum exstant a. c. 18. et p. 19. neque post jam dictum Ebbonem alius legatus vel conlegatus Hamburgensium Archiepiscoporum ullus datus fuit.

(164) Ita habent Gregorii Papæ et Nicolai primi privilegia nominatim; scilicet Danos, Sueones et Slavos exprimunt, ceteros septentrionales haud nominant, sed a posteris addita sunt omnia et inserta, nec vita Anskarii c. XII. alios populos nomine suo exprimit, quam Adamus; sed Colonienſis editio vitæ Anskarii prolixius ceteris etiam assuit *Sueonum, Danorum, Farriæ, Gronlondon, Islondon, Scridevindon, Slavorum, nec non omnium septentrionalium atque orientalium nationum, quocunque modo nominatarum.* Miror eum oblitum esse plane Norwegorum et Halsingolandon, qui in literis Gregorii IV. sunt inserti, ex quibus hæc petiit editor, sed male descripsit. Ita enim illic edita privilegia habent: *Anscharium & successores ejus legatos in omnibus circumquaque gentibus Danorum, Sueonum, Nortwehorum, Farriæ, Gronlondon, Halsingolandon, Islandon, Scridevindon Slavorum, nec non omnium septentrionalium & orientalium nationum quocunque modo nominatorum delegamus.* At cum aliis literis hæc edi curarint, in nonnullis MScriptis hæc non reperiri indicare voluerunt Nicolai I. privilegium hoc loco non est corruptum neque enim nominat nisi *Sueonum sive Danorum, nec non etiam Slavorum* gentes; quam genuinam esse lectionem etiam verba Remberti in vita S. Anskarii, quæ ex hoc privilegio inspecto hausit, p. m. 204. commonstrant, et secundum illa Gregorii privilegium esse corrigendum facile videmus, quod Salomon Constantiensis episcopus, et Nordfridus presbyter, monachus Corbejæ novæ, Romæ produxerunt coram Nicolao Papa *juxta morem Romanæ ecclesiæ ebullatum.* Nam si Nicolaus in illo plures gentes nominatos reperisset, etiam ille plures nominasset. Ita et sentiendum de Friderici I. Imperatoris confirmatione a. 1158 tradita: desunt enim in illa enumeratione *Slavi & orientales nationes.* Per *orientales* autem nationes intelliguntur ab illis, quæ nationes in mari Balthico (quod in eodem Friderici diplomate *mare orientale* et vulgo nobis die Ostsee vocatur) ad orientem positæ sunt, Esthones, Livoni, Lithuani, Prussi, quos ad suam legationem Ham-

Hamburgenſes et Bremenſes archiepiſcopi etiam ſpectare voluerunt; ut inde conſtare poſſit, hanc additionem nationum orientalium non acceſſiſſe, niſi poſtquam hæ gentes nomen Chriſtianae religionis profeſſae ſunt, quod ab a. 1170. primum cœpit ſuccedere Livonis converſis. Pruſſi enim ultimi fuerunt nec ante a. 1230. ad Chriſto nomen dandum compelli potuerunt; ſerius adhuc Lithuani.

(165) Sic recte ex vita Anskarii attulit, ſed male explicavit, quia nactus eſt privilegia Paparum et praecepta regia. Male deſcripta ex archetypis ſolent eſſe diplomata, in primis in chronologia annorum ſubſcripta, quorum characteres raro librarii intellexerunt aut attenderunt. Nam literae Nicolai Papae neque datae ſunt a. XXI. Ludovici Regis Germaniae, neque a. Dom. 858. quia nullus Paparum iis temporibus annos domini ſuis literis addidit. Habemus privilegium Gregorii IV. ubi deſcribentes librarii, et poſt eos etiam typographi annos et data omiſerunt, quae tamen in archetypo affuiſſe nullum eſt dubium. Habemus Leonis Papae reſcriptum a. 849. ſine annis Chriſti additis. Habemus Nicolai Papae privilegium ſuper Rameſloa ſuis characteriſmis temporum firmatum a. 864. ſine tamen Chriſti annis; et eodem anno ejusdem ſuper unione Hamburg. et Bremenſis eccleſiae ſuis characteriſmis annorum et temporum, ſed etiam ſine annis Chriſti. Nec Formoſi Papae reſcriptum annos Chriſti habet, qui ſedere cœpit ab a. 890. nec ullas alias notas temporum, quia librarii minus intelligentes aut advertentes illud deſcripſerunt; nec Sergii Papae, qui Formoſum ſecutus eſt; aut contra Formoſum electus eſt, annos Chriſti novit etc. Videmus igitur hoc de annis domini, quod Adamus adduxit ex privilegio Papae, additum eſſe inſulſi alicujus librarii manu, non archetypo Nicolai I. deſumtum. Sequitur etiam porro a. ab ordinatione Archiepiſcopi XXIIX. vel XXIX. ſibi non conſtare. Et tamen verum eſt quod Rembertus annotavit, ultimo Anſcarii tempore hoc privilegium ipſi redditum eſſe, Salomone ſcilicet et Nordfrido presbytero Roma redeuntibus. Hic ego miror, neque veteres neque novitios in his annis mendum aliquod animadvertiſſe; ad unum omnes hoc privilegium Nicolai I. datum eſſe conſentiunt a. Chr. 858. Albertus Stadenſis ſub eo anno haec et plura alia commiſcet, ut ipſi moris eſt, Adamum exſcribens et confundens. Helmoldus l. 1. c. 5. rem narrans ipſam et unitos epiſcopatus annos nullos addidit; ſed utincertos & incompertos ſibi rectius tranſiit. Petrus Lambecius homo non obeſae naris in Hamburgenſibus ſuis ubique hunc annum unitarum eccleſiarum retinet, et in ipſa chronologia ſub a. hoc 858. *conjunctionis eccleſiarum Hamburgenſis & Bremenſis primum* fuiſſe ſtatuit *d. 31. Maji* anni currentis 858. Quae tamen omnia ſunt falſiſſima, et licet ſubjungat ipſum privilegium Nicolai I. cum ſuis characteriſmis temporum, caecus tamen eſſe voluit in hac hiſtoria. Poſtquam igitur haec falſa eſſe diximus, & cur falſa ſint non obiter docuimus, etiam veritatem rei & annorum computum verum conabimur elicere. Primum igitur eſt Nicolai I. annos ponere, qui incipiunt ab hoc a. 858. a d. 24. Aprilis. Secundum eſt, ut attendamus quo anno comitia Wormatienſia ſint celebrata, in quibus de Ramsloenſi cella cum Waldgario Ferdenſi epiſcopo, & de conjungendis Hamburgenſi ac Bremenſi epiſcopatibus cum Gunthario Colonienſi archiepiſcopo actum fuit, ita ut illorum conſenſum obtinuerint, ſi Papa etiam illud ratum haberet. Hoc evidentiſſime docui paulo ſuperius ex conſtitutionibus Imperialibus & vita S. Anskarii actum & geſtum eſſe Wormatiae a. Chr. 862. a d. 8. Junii, quae ſi vera ſunt, ut ſunt veriſſima; jam quoque patet Nicolaum I. Papam non potuiſſe acta Wormacienſia 862. confirmare a. 858. Pervenimus ergo ad a. 862. & 8. Junii, quo primum Wormatiae haec decreta ſunt, qui erat Ludovici Germaniae Regis vigeſimus ſecundus currens adhuc a 20. Junii praecedentis anni. An eo reſpexerit Adamus, dum praeceptum Regis annum regni ponere XXI. ſcripſit, neſcio: nam, quid continuerit diſerte praeceptum illud, non indicavit. Jam pergimus, ut videamus, quid ſecundum acta Wormatiae Ludovicus Rex in hoc negotio geſſerit: miſit nempe Salomonem Conſtantiae epiſcopum & Anskarius Nordfridum presbyterum novae Corbejae monachum, ut nomine Regis & Anskarii a Papa Nicolao impetrarent tam de conjunctione eccleſiarum dictarum, quam de Ramsloenſe coenobio, ut rata haberet acta comitiorum Wormatienſium: haec ſatis manifeſte leguntur in ipſo privilegio Nicolai Papae, & in vita S. Anſcarii; ſed quo tempore hi legati iter Romam ſuſceperint aut inde redierint, non ſatis eſt expreſſum. Vita S. Anſcarii & Rembertus hoc dicit amplius c. 20. p. m. poſt comitia habita & finita, etiam ſuffraganeos Colonienſis archiepiſcopi conſenſum huic conjunctioni praebuiſſe. *Quo reſponſo accepto*, ſcil. a Gunthario in comitiis ipſis, *cum etiam omnes ſuffraganei ejus haec eadem conſenſiſſent, piiſſimus Rex jam dictus Ludovicus &c. reverendiſſ. Salomonem Conſtantiae civitatis epiſcopum pro hoc ipſo ad ſedem direxit apoſtolicam.* Haec impedimenta; & priusquam Anſcarius Nordfridum, qui ſuo homine cauſam ageret, expedire poſſet, mihi perſadent ante a. 869. eos miſſos non eſſe aut Romam veniſſe, ubi conſtituti. Quoniam haec res non parvi momenti videbatur nec erat, ideo Rembertus addit Papam *prudenter & ſolicite ea, quae ab ipſis dicebantur, mente pertractaſſe*, prout ipſe Papa quoque, in ſuo privilegio tractatur his verbis; *nos id ſubditi perpendentes examine animo advertimus*; quae ſane moram requiſiverunt, ut ante a. 864. literas datas habere non potuerint, nec Roma redire. Literas tam de Rameſloa, quam de conjunctione eccleſiarum dictarum non expeditas fuiſſe in cancellaria Apoſtolica ante a. 846. ſatis manifeſtum fiet per characteriſmum temporis literis ſubjecti. In Rameſloenſi privilegio ita ſe habet; *ſcriptum per manum Leonis notarii regionarii & ſcriniarii ſanctae Romanae eccleſiae in menſe Majo, indictione XII. datum Kal. Junii per manus Tiberii primicerii ſanctae ſedis apoſtolicae, imperante domino piiſſimo Papa, anno pontificatus ejus V. indictione XII.* Primum indictio XII, quae hic bis repetitur & in privilegio ſuper conjunctione adhuc etiam legitur, non convenit niſi a. 864. menſi Majo & Junio; ſed erratum eſt in annis Pontificis: coeperat enim hoc anno Pontificis VII. a 24. Aprilis. Habemus ergo annum 864. quo Rameſloenſe privilegium a Papa Nicolao prodiit, cui indictio XII. quae toties repetita fallere nequit, unice convenit, & quoniam cauſa Rameſloenſis pariter cum cauſa conjunctionis tam in comitiis Wormacienſibus quam apud Papam acta fuit, eodem anno conjunctionem eccleſiarum dictarum a Papa ratihabitam, nunc manifeſtum reddam ex privilegio ipſius Papae ſuper illa conjunctione dato, cujus ſubſcriptio talis eſt. *Scriptum per manum Zachariae notarii regionarii & ſcriniarii ſanctae Romanae eccleſiae in menſe Majo, indictione duodecima. Bene valete. Data pridie Calend. Junii per manum Tiberii primicerii ſanctae ſedis apoſtolicae imperante domino piiſſimo Auguſto Ludovico a Deo coronato magno Imperatore, anno quinto decimo, indictione duodecima.* Rurſus indictio XII. bis hic repetitur, quae non poteſt convenire niſi a Chr. 864. ut dictum. Hic ergo characteriſmus temporis nequaquam fallit quater repetitus in binis illis privilegiis, & certiſſimus haberi debet; inprimis quod non numeris, ſed verbis ſit expreſſus in ultimo hoc privilegio quod unico ſaltem die differt in data. Siquidem hoc datum eſt 31. Maji, Rameſloenſe ſequenti die 1. Junii. Ludovici Imperatoris annus decimus quintus non quadrat; is enim Imperator factus eſt a. Chr. 855. quo pater ejus Lotharius Imp. coenobium Prumienſe ingreſſus eſt, & 28. Septembr.

eodem anno decessit. Erat igitur annus nonus Ludovici Imp. quo hæc privilegia Papæ data sunt, non decimus quintus, ut male librarii descripserunt, omittentes & confundentes annos Ludovici et Papæ in binis istis privilegiis. Sic enim subscribi debuerant: *Data pridie cal. Junii & calendis Junii per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ imperante domino piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato magno Imperatore, anno ejus nono & anno Pontificatus domini Nicolai summi Pontificis ac universitatis Papæ in sacratissima sede beati Petri Apostoli VII. indictione XII.* Sicque omnia recte se haberent, nisi describentes librarii hæc confudissent et omisissent, ut ex illis subscriptionibus per se facile colligitur: adeo ut annus 864. verus plane sit annus, quo hæc privilegia Pontificis Nicolai data sunt. Sicque verba Remberti in vita S. Anscarii et Adami, qui *Bremensis & Hammaburgensis parochiæ coadunationem factam esse ultimo S. Ansgarii tempore* ex illo sumta scripserunt, optime conveniant, siquidem Anscarius anno sequenti 865. decessit. Quo etiam spectant verba Remberti cap. 34. p. m. 236. *Et exinde solicitius quoque quæ erant in diœcesi sua procurando cœpit disponere; insuper & privilegia apostolicæ sedis, quæ erant de legatione ipsius facta in multis libellis, jussit describere & per omnes pene domini Ludovici Regis episcopos destinare &c.* Hæc enim erant privilegia illa Nicolai Papæ, quæ tunc receperat: Sic ut omnia consentiant et privilegia ipsa et Remberti historia in annum dictum 864. Quas ob causas jam prolixe deductas ita corrigendus est Adamus: *Vita ejus annum non ponit, præceptum autem Regis (*Ludovici Germanici*) ponit annum regni XXV. privilegium Papæ notat annum domini DCCCLXIV. qui est ab ordinatione Archiepiscopi XXXIII.* Nam Ludovicus Germanicus cœpit regnare a 20. Junii a. 840; Anscharius ordinatus est Archiepiscopus Hamburgensis a. dom. 831.

(166) Hic ille est, quem Ericum puerum vocare solent annales, qua Siwardi Snogoye filius, ut Saxo Grammaticus indicat patre mortuo admodum infantulus superstes mansit, nec ad regnum admissus fuit, antequam Ericus Haraldi Klach frater occubuisset, qui ab a. 847. usque ad a. 854. regnum Danicum tenuit. Poterat igitur Ericus Siwardi tunc infans, et *admodum infantulus*, ut loquitur Saxo, puer esse octo vel novem annorum, qui deinceps ducta uxore Guthormi principis filia Canutum reliquit regni heredem anno, ut vult Svaningius 864; ita ut ætatem 18. aut viginti annorum vix attigerit hic Ericus. Erici prioris obitus etiam annalibus Fuldensibus confirmatur ad a. 854. ubi referunt, Normannos, hoc est Danos, hoc anno, postquam Galliam 20. annis vastassent, ab a. scil. 834. revocatos esse a suis ob intestinas discordias, *ubi se reliquorum dissensionibus immiscentes adeo se invicem attriverunt, ut de regia stirpe vix unicus puer superstes esset;* qui fuit hic Ericus junior.

(167) Annales Fuldenses hæc a. 853. referunt; *Normanni per Ligerim in Gallias irruunt & Nannetem urbem capiunt, diripiunt & excindunt, & episcopum in sabbatho sanctæ Paschæ, cum baptismum administraret, occidunt; inde ulterius pergunt, & Turonem capiunt & cremant.*

(168) Hæc maxime alieno loco referuntur, quæ multis post annis primum contigerunt, a. scil. 876. Carolo Calvo jam Imperatore existente, qui Normannis et Rolloni cum Danis terram, quam ex se Normandiam dixerunt et in hunc usque diem nomine hoc concelebrant, tradidit possidendam. Hæc adeo accurate annotata sunt in Francicis et Anglicis historiis, ut etiam diem, quo Rollo primum irruit cum Normannis suis, non neglexerint adjicere, quod factum hoc sit a d. XVII. Novembr.

(169) Gudurin a manu librariorum ineptorum fluxit pro Gudurm, quod idem est ac Guthorm nomen septentrionalibus valde frequens: compositum tamen ex duobus aliis nominibus *Guthi* et *Orm* quasi anguis Gothorum: in anguibus enim veteribus septentrionalibus magna præsagia et omina prudentiæ fortitudinis et salutis toti populo Gothorum obventuræ latere credebantur. Hinc illa nomina suis facile imponebant, ut ominosa et felicia. Hic vero Guthormus erat Haraldi Klach filius, qui post Regneri liberos se proximum heredem regni Danici credidit, et Erico patruo infensus, qui regnum ad se traxit, apud Norwegos videtur delituisse usque ad a. 854. quando cum exercitu collecto erumpens Ericum aggressus est, ut eum deturbaret, sed ceciderunt; magna strage nobilium utrinque facta ipsi princeps Ericus et Guthormus dicto anno locumque fecerunt Erico juniori seu puero, qui successit. Guthormus autem *princeps Normannorum* dicitur, quod inter Norwegos abditus aliquandiu versatus sit, eorumque copiis et auxiliis instructus, contra Ericum profectus sit. Ericus Pomeranus in Historia gentis Danorum eum plane Regem vocat Norwegiæ. *Tum ait ortumest bellum inter Ericum, filium fratris sui Guthorm Regem Norwegiæ de venditione Christianorum.* Hanc rem prolixius narrat vita ipsius c. 32. p. m. 232. nam Captivos quosdam Christianos apud Barbaros cum deinde ad Nordalbingos rediissent, rursus vel Paganis vendebant, vel Christianis, vel secum ut mancipia retinebant.

(170) Ita quoque Saxo p. m. 177. de hoc Erico loquitur, ut Christianorum infensissimo hoste; sed vita Anscarii longe aliter hæc narrat. Ericum nimirum non sua sponte crudelem fuisse, sed persuasum ab optimatibus suis, inter quos *Hovi* Comes Sliasvicensis, ut videtur, injussu quoque Regis ecclesiam Sleswicensem Christianis concessam *claudi jussit, religionem Christianitatis ibidem prohibuit observari*, adeo ut contradicerent magis Christianis, quam iis semel opponerent. Totam rei difficultatem in eo constitisse, *quod nullum tunc cum Orico juniore de amicis habebat, quos antea largissimis donationibus sibi familiares adquisiverat, per quos eum ad domini voluntatem conciliare posset.* Ericum *Hovi* illum crudelem Sleswicensium præfectum vel ducem ejecisse, Anshario mandasse per legatum, ut presbyterum suum reduceret ad ecclesiam; sibi enim non minus curæ esse Christiana, quam Erico seniori seque episcopi amicitiam expetere. His Anscarium erectum ad ipsum Ericum contendisse, Burchardo illustri Comite insinuante, qui etiam apud Ericum priorem ipsi patrarius et patronus insignis fuerat; atque nullo negotio Anscarium sic obtinuisse non solum priora, sed et longe benigniorem reperisse hunc Ericum et proniorem, quam Ericum alterum olim, quippe qui præter Sleswicensem ecclesiam etiam Ripis alteram ædificari concesserit, quam Remberto presbytero mandavit curandam Anscarius. Ita rem narrat Rembertus in vita Anscarii c. 28. p. m. 220, cui magis fidere me profiteor, quam iis, quæ habet Adamus, qui Ericum hunc *crudelem tyrannum* vocat, qui erat in Christianos benignissimus et mitissimus. Burchardum hunc Comitem factum Slesvici aut Ducem puto loco Hovi, *qui etiam antea apud Oricum seniorem adjutor illi in omnibus fuerat & apud Regem utrumque bene poterat, quia propinquus ipsorum erat:* unde inter Haraldi Klach et Erici comites, qui Moguntiæ fidem Christianam susceperunt, eum fuisse, vero mihi non videtur absimile. Svaningius chronologiam sic instituit, ut Ericum juniorem a. 860. Christianum factum ponat, a. 863. Ripensem ecclesiam ædificatam sentiat: quod lubens admitto, siquidem hoc historiæ non repugnare video, imo convenire maxime, quod eo anno Anscarii causa Romæ disceptata sit coram Nicolao Papa, cui superesse

pereſſe aut adeſſe non potuit Anſcarius ipſe coactus Nordfridum eo mittere, quia *per ſe non poterat*, impeditus ſcilicet his negotiis in Dania gerendis.

(170) Hunc fuiſſe Rembertum, qui Anſcario ſucceſſit, multi & omnes fere volunt. De quo tamen ego dubito non ſemel. Rembertus enim Archiepiſcopus diaconus Anſcharii fuit, ut Adamus meminit p. 27. cujus erat officii non abeſſe, ſed archiepiſcopo ſemper adeſſe, nec quisquam antiquorum ſcriptorum ea de re quidquam monuit, Rembertum a Ripenſi eccleſia vocatum ad archiepiſcopatum Hamburgenſem. Vita Anſcarii, quam Rembertus conſcripſit, nihil hac de re teſtatur, ſed in vico regni Danici *Ripa* vocato locum, ubi eccleſia fabricaretur, Regem Ericum conceſſiſſe meminit, *& ut ibi ſacerdos præſens adeſſet.* Remberti nomen ſolum, quod fuit presbytero eccleſiæ Ripenſis primo, non protinus ad archiepiſcopum Rembertum pertinet; plures enim Remberti eſſe et ſimul vivere poterant, quin et Rembertus epiſcopus in Sueciam ab Anſcario miſſus fuit eodem tempore, ut habet ipſius vita c. 29. p. m. 221. Alius ergo fuit Rembertus diaconus, alius Rembertus presbyter, alius Rembertus epiſcopus. Nec in vita Remberti a fratribus Corbejenſibus ſcripta, de Ripenſis eccl. presbyteratu vel rectoratu quidquam legitur, qui commendatus unquam fuerit Remberto huic, poſtmodum Archiepiſcopo facto. Meræ quapropter conjecturæ hac in re ſunt ſcriptorum quae ſolo nomine, non ulla alia ratione nituntur. Nam eo ipſo die, quo Rembert. electus fuit archiepiſcopus, diaconus adhuc fuit, non presbyter teſtante Adamo l. 1. c. 31. p. m. 27. Neque enim Sleſvicenſis aut Ripenſis eccleſia hactenus in epiſcopatus erectae ſunt, ſed in eccleſias baptiſmales, non cathedrales.

Cœnobium, cella conventus, congregatio, quomodo differant?

(171) Cur non monaſteria aut cœnobia vocavit, ſed congregationes? quia nondum ad Monaſterii ordinem & magnitudinem creverant, in ſuis initiis conſtituta. Cellae enim congregationes et conventus erant, donec in majora proveherentur. Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium apud Lindebrog. Bireſinum quod hic congregatio dicitur conventum vocat ſanctarum virginum in Barſen. vetus ſcriptum de eccleſia Bremenſi ibid. p. m. 132. eandem congregationem monaſterium in Berſen appellavit. Ab Henrico Wolteri in Chronico Bremenſi vocatur *clauſtrum monialium in Berſen ordinis S. Benedicti* p. m. 25. ſcilicet quod poſteris temporibus majus incrementum ſumſerit haec congregatio. Proprie cella, congregatio, conventus, inter ſe differunt, et cella eſt ubi tres aut quatuor ſuas proprias cellas habent; congregatio nullas cellas novit, ſed commune dormitorium, commune refectorium hanc abſolvit: Conventus aliquanto inſtructior cellis et domibus, ſed omnes infra clauſtrum et monaſterium, vitam agunt, ſine eccleſiis propriis, ſine regula certa, et irregulares, exque tam parvis, initus ad majora monaſteria tandem pleraeque cellae, congregatione et conventu piorum hominum creverunt. Hamburgi ſupereſt adhuc Conventus Virginum apud S. Jacobi, Eccleſiam et nomen retinuit Conventus, quod Eccleſiam nullam propriam habeat aut alia ad monaſterium pertinentia: ſic Ramsloenſis congregatio prima cella fuit, deinde Eccleſia collegiata facta eſt h. e. Eccleſia cum collegio Canonicorum ut vocatur in veteri illo ſcripto, quod jam allegavi et in Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium, Eccleſia Conventualis in Ramesloe: Welanoo autem ubi Ebbo et Gautbertus verſari ſolebant manſit cella nec ulteriores progreſſus fecit, neque ad congregationem vel conventum, neque ad Monaſterium ſed extinctum eſſe videtur cum Gaudeberto; qui circa a. 860. vita deceſſiſſe legitur c. 29. vitæ S. Anſcharii.

(172) Erat ibi & eccleſia & cœnobium; eccleſiam non tranſtulit Ramſolam, nec cœnobium, ignibus enim devorata ſunt haec; quos immiſerant pagani; viros ſanctos, qui Hamburgi in cœnobio ſecum vixerant, quotquot evaſerant, Ramſolæ congregavit in altero cœnobio, quod ibi cum eccleſia ſtruxerat, nam etiam deinde diruta Hamburgenſis eccleſiæ & cœnobii reſtauravit Anſcarius.

(173) Idem hic dicit, quod ſupra Carolus M. in fundatione Bremenſis eccleſiæ & cœnobii adhærentis, ubi vivebant ſanctiſſimi viri *canonico ordine & monaſteriali competentia:* qui quoque habitus canonicalis in cauſa eſt, cur Adamus haec loca non cœnobia, ſed congregationes hoc loco appellare maluerit.

(174) Vbi hoc cœnobium ſitum fuerit, plane ignoratur: nomen enim periit. In aliis MSeptis vocatur aut legitur *Luximon*, aliis dicitur *Brixen*: in diplomatibus eſt *Bireſinum*, *Birſina*, Berſeon & Barſen. Et quoniam ibi prima congregatio monialium virginum fuit in Archiepiſcopatu, haud poſſum de alio monaſterio nomen interpretari, quam de *Odencloſter* prope Buxtehudam, ubi ad noſtram ætatem virgines monaſticam vitam duxerunt. Et facile nomen huic monaſterio mutatum eſſe apparet ab eo tempore, ex quo novum monaſterium virginum in eodem tractu ſitum, *Niencloſter* vulgo dictum, ſurrexit; tunc enim ſibi contradiſtingui vetus & novum monaſteria primo cœperunt: antiquius autem virginum monaſterium in toto Archiepiſcopatu non datur veteri hoc apud Buxtehudam, ita ut vix convenire poſſit Brixinenſe vel Birſinenſe nomen ac cœnobium quam dicto monaſterio. Henricus Wolter. in chronico ſuo Bremenſi, monaſterii *Barſen* meminit ſub Anſcario p. m. 27. tom. 2. apud Meibomium, & Ludovicum Germanicum multa donaſſe huic monaſterio ſcribit. Verba ejus ſunt: *& dedit ad eam* (ſc. eccleſiam in Buca) *tantos reditus præpoſito, quantos Karolus pater ejus dedit Verdenſi epiſcopo, ſicut etiam antea fecerat tempore Anſcarii Abbatiſſæ in Barſen. Dedit enim fere ad iſta duo monaſteria totam terram Saxonum antiquorum, quæ modo dicitur comitatus Brockhuſen & in Hoya usque in Werminowa.* Si monaſterium hoc Birſinenſe ædificatum fuit tempore Ludovici pii filii Karoli, ut hic Wolteri verba indicant, præponi debebat monaſterio Ramloenſi, quod poſt mortem Ludovici primum fuit ædificatum; ſed quia in diplomatibus variis poſt Hamburgenſe & Bremenſe clauſtra tertio loco ſemper Ramsloenſe ponitur, & quarto primum Birſinenſe, hinc Anſcarium Birſinenſe monaſterium non ante Ludovici Germanici tempora & poſt Ramsloenſe, quin & poſtquam Bremenſem una cum Hamburgenſi epiſcopatu regendum ſumſerat, inſtituiſſe ſatis evincitur: ante enim Anſcarius in Bremenſi monaſteria fundare non potuit. Sed Henrico Wolteri non eſt hoc novum, vera fictis miſcere & confundere. Abbatiſſa in Barſen, cujus meminit, non fuit alia, quam cujus nomen hic expreſſit Adamus, Lutgardam vocando. Nomen etiam monaſterii Berſen ſupereſt in veteri ſcripto de Bremenſi eccleſia, cujus fragmentum Erpoldus Lindenbrogius in ſuis ſeptentrionalibus adduxit p. m. 152. *Eccleſiam collegiatam Rameslon & monaſterium in Berſen & magnum hoſpitale in Brema conſtruxit.* Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium, quæ exſtat in ſeptentrionalibus Erp. Lindenbrogii p. m. 78. hunc locum etiam vocat *conventum ſanctarum virginum in Barſen.* Sed & p. 84. & 85. quando Hartvicus 2. Archiepiſcopus ſedere cœperat, nomen Birſinenſis monaſterii ſuperfuit: ille enim Archiepiſcopus ex hoc monaſterio quasdam virgines prodigas & impudicas ejecit earumque moribus obſervandis præpoſitum dedit, quorum primus fuit Ditmarus, ſed & ulterius illud nomen perſeveravit. Autor enim dictæ hiſtoriæ Archiepiſcoporum Bremenſium qui usque ad a. 1400. ſcripſit non alio nomine, quam Barſen & Birſen illud monaſterium produxit.

(175) Prima ergo fuit abbatiſſa hujus conventus aut

aut nondum abbatissa, sed *magistra* Mesterin dicebatur, quæ ceteris in conventu præerat, sicque hodie in conventu Hamburgensi pergit vocari Jungfer Mesterinn. Chronicon Henrici Woltheri de hac Lutgarda subindicans p. m. 27. abbatissam minus caute vocavit: *sicut etiam antea fecerat tempore Anscharii abbatissæ in Barsen.* Hæc enim causa est, cur Adamus maluerit aliis verbis illud officium circumscribere, qui satis intellexit nondum eo tempore abbatissæ nomen convenire *ducatum* vocavit Ludgardæ, quod illa ceteras duceret, illisque præiret in omnibus, exemplo magis quam præceptis aut imperiis. Gregorius Turonensis l. 5. c. 14. eadem ratione *ducatus* vocabulo videtur usus dum ait, *ducatum totius regni tenuit*, hoc est ipsius ductu omnia in toto regno gesta sunt, princeps inter optimates Regis primæque autoritatis post Regem; unde postea talis Dux regni & Dux Franciæ vocabatur. Apud recentiores scriptores *ducatus* pro conductu ponitur, quem Germanice Geleit vocamus, ut in Helmoldo occurrit *ducatum præbere* hac significatione; sed ille ducatus huc non facit.

Hospitalia quid?

(176) Proprie pro hospitibus & peregrinis transeuntibus ac pernoctantibus excipiendis ac victu & potu procurandis rursusque dimittendis ac aliis recipiendis gratis. Neque vero ad locupletiores homines hæc hospitalia spectabant, sed pauperes & oppido egenos. Hæc prima cura hospitalium & hoc fine primum sunt erecta & dicta, non alio. Postea crescentibus reditibus Ecclesiarum, ad infirmos quoque extenderunt hos domos, ut ibi curarentur & sanarentur, quibus aliunde non suppetebat ex suo; quo spectant verba Adami sequentia: *eo per se ipsum quotidie veniens infirmis non erubuit ministrare.* Distinguuntur tamen hospitalia ab *infirmatoriis*: recipiebantur enim illis egeni quilibet, infirmi, & hospites peregrini; infirmatoriis vero non nisi infirmi cœnobiorum ipsorum monachi & fratres, quando morbis corripiebantur. Vt sic hospitalia egenis omnibus, tam sanis quam infirmis, servirent peregrinis: neque enim hospites peregrinantes & transeuntes pauperes propter infirmos neglecti fuerunt, quo minus illic recreare se possent; ut recte rem exprimit Historia Archiepiscoporum Bremens. apud Erpold. Lindenbrog. p. m. 78. *post hæc hospitalem* (scil. domum) *Bremæ, ubi pauperes recrearentur & hospites quicunque reciperentur, ubi etiam se ipsum quotidie veniens, infirmis non erubuit ministrare.* Nec vita ejus hoc tacet p. m. 227. *Specialius tamen hospitale pauperum in Brema constitutum habebat, ad quod decimas denon nullis villis dispositi, ut ibi cum quotidiana susceptione pauperum ægroti quoque recrearentur.* Hodie hic usus hospites adventantes pauperes pascendi fere desiit, in hospitalibus & solis ægrotis cura impenditur. Paganis quoque non solum Christianis suas fuisse hospitales domus, quibus infirmi & peregrini excipiebantur, quid dubitamus quamvis vix opus fuerit hospitalibus cum quævis domus apud septentrionales hospitalis esset, neminemque rejicerent: unde passim hospitalitas eorum summis laudibus inter scriptores veteres commendatur; sed illud singulare reperio quod Banjanes in India idololatræ, eaque superstitione imbuti ut nullius animalis carnes, sive quadrupedum, sive alitum, sive piscium in suos usus aut dapes convertant; sed criminis summi reos ducant illos, qui quidquam eorum, quibus vita est, occidit, hospitalia animalibus ægris, aut mutilatis, bubus, vaccis, simiis, pavonibus &c. publice instituta habeant, reosque conquirant sedulo & liberalissime nutriant prout egregie observavit in itinerariis suis Tavernier. Tom. 2. l. 1. p. m. 52. & 71.

(177) Hoc illud est, quod vocatur, hospitale magnum in veteri fragmento de Bremensi ecclesia exstante apud Erpoldum Lindenbrogium in septentrionalib. p. m. 132. *magnum hospitale in Brema construxit pro pauperibus recreandis.* Illud vero dirutum postea annotavit Henricus Wolteri p. m. 25. *Hospitale construxit in Brema sufficientibus reditibus, postea tamen temporibus successorum suorum diruitur.*

(178) Matrix Ecclesia dicitur illa, quæ veluti mater reliquarum ex se alias sequentes veluti filias propagavit. Distinguitur matrix ecclesia a metropolitana. Nam Bremæ quidem fuit matrix ecclesia S. Petri, sed non fuit metropolitana. Siquidem matrix ecclesia non comprehendit in sinu nisi ecclesias ejusdem loci & urbis, quarum mater esse dicitur. Metropolitana vero non solum unius urbis, sed plurium sive in urbibus vel extra, quousque fines istius metropoleos circumscriptæ tendunt. Hac ratione Hamburgensis ecclesia cathedrali Mariæ non solum matrix fuit ecclesia omnium ecclesiarum in urbe & ad urbem, prout Bremensis S. Petri in suo districtu, sed & archiepiscopalis fuit, propter archiepiscopatum ejusque limites, tam ante Bremam unitam & conjunctam, quam postea, quem honorem etiam transfudit vulgus in Bremensem Archiepiscopum potius quam Hamburgensem, quod utraque ecclesia esset cathedralis & ab uno Archiepiscopo regeretur. Metropolitanave, ro fuit sola Hamburgensis, nisi quod omnes titulos Hamburgensis ecclesiæ usurpaverit Bremensis propter unionem Hamburgensem, & metropolitanus Bremensis vulgo vocatus sit usque in Gronlandiam ultimam, cujus ecclesiæ cum ceteris septentrionalibus omnes ab Hamburgensis ecclesiæ uberibus tanquam a matre dependent, adeo ut licet sorores dicantur Hamburgum & Brema; filia tamen hæc & annexa veluti Hamburgensi matri, postquam unita fuit, dici merebatur, totamque rem uno verbo decidit Nicolaus Papa in suo privilegio de conjunctione harum ecclesiarum dato, dum Bremensem subditam Hamburgensi testatus est his verbis: *quærere cæpit, qualiter prædicta Bremensis ecclesia prædictæ quoque novellæ Archiepiscopali uniretur ac subderetur sedi, nostro hoc votum roborante decreto.* Si ergo subdita fuit Bremensis Hamburgensi, ut filia matri subdita esse debebat ut soror minor majori.

(179) Hic computus recte se habet: est enim annus 861. Archiepiscopi Anscarii 30mus, ex quo ordinatus fuit; sicque rursus evincitur Anscarium ordinatum a. 831.

(180) Hoc igitur anno 86. corpus sancti Alexandri translatum fuit in Saxoniam ad Vildeshusanam ecclesiam & miraculis claresce cœpit; S. Willehadus vero, de quo paulo ante, septuaginta annis delituit sine miraculis in oratorio australi Bremæ, quin & ante sepultus cum jacuerat in ecclesia S. Petri: nullis tunc miraculis fulsit corpus ejus: sed sub Anscario denuo prolata & translata miracula cœperunt edere, ita ut Anscarius *concessu Apostolicæ sedis sanctum Dei fecerit canonisari & in catalogo sanctorum adscribi & constituit diem ejus celebrem tam in choro quam in foro per provinciam suam; sed & jussu Regis Ludovici Imperatoris in aliis diœcesibus, puta Verdensi & ceteris, sub festo recepta est.* Sic loquitur Henrici Wolteri chronicon p. m. 22. Nisi sic intelligi se velint; S. Alexandri corpus in Saxoniam Wildeshusam deportatum fuisse Caroli M. temporibus post a. 790. cum Willehadus diem suum obiisset, tunc miracula & per ossa Alexandri & per corpus Willehadi semet ostendisse. Adami quidem verba diserte loquuntur de a. dom. 861. a quo *facta sunt illa miracula, quæ per merita S. Willehadi populo ostensa sunt:* sed subjungit *de Einhardo in gestis Saxonum, qui hæc dulci calamo prosequitur, quomodo* confessor noster Willehadus *cum advena martyre* sancto Alexandro *certarit, quis eorum videretur esse major & in gratia sanitatum populis acceptior.* Si Einhardus hæc annotavit, ut Adamus refert, necesse est miracula horum sanctorum concurrisse non ab a. 861. sed a Caroli M. temporibus, quibus Einhardus vixit et scripsit et Willehadus obiit. Neque enim Einhardus ab a. 861. vixisse legitur: quin et illud innuit etiam Henrici Wol-

Wolteri chronicon p. m. 22. apud Meibomium, dum ait, *Willericus fustulit corpus ejus* (Willehadi) *a majori ecclesia & ad pauxillum oratorium, quod fundavit ad austrum propter ferocitatem piratarum & barbarorum ac Regis Angliæ, qui audiens ejus mirabilia corpus rapere nitebatur, sepelivit. Nam & sanctus Karolus corpora diversa diversis tribuit ecclesiis. Et cum corpus S. Alexandri portaretur in Wildeshusen per Westvaliam cœcus quidam mendicus meritis S. Alexandri in VVildeshusen unum oculum recepit, & monitu illius sancti martyris jussus venire Bremam, scilicet ad sepulchrum S. VVillehadi, secundum meruit recipere.* Hoc erat illud certamen, quod fuit S. Alexandro et S. Willehado temporibus Caroli M. ita ut Adami verba de a. 861. recte sint intelligenda, et a Caroli M. tempore retro trahenda, si cum veritate historiæ convenire debent. Et Adamum his verbis eo respexisse dicendum est, populo quidem ab a. 861. ostensa esse miracula S. Willehadi per Anscarium, qui vitam ejus uno, et miracula ejus altero libro comprehendit, quæ post mortem ejus evenerant prius; non vero quæ ab a. 861. contigerunt primum. Atque sic explicatis verbis Adami, omnia congruunt ad tempora Caroli M. quibus illa miracula cœperunt, non vero tempore Anscarii.

(181) Quomodo hæc scribere potuerit, explicatum dedi in superiore nota.

Septentrionales an scripserint? neg.

(182) Hinc exstruunt argumentum, quibus paganos septentrionales scripsisse putant se convincere posse. Anscarius mandata sua ad Danorum Reges per epistolas crebro misit et *exstant*, ait Adamus, *epistolæ ejus plures hujusmodi.* Ergo Reges quoque Danorum Anscario responderunt responsa literis comprehendendo. Primo hoc non consequitur, Reges respondisse: nam nec Adamus hoc dicit, nec in epistolis Anscarii ullum hac de re vestigium; exstant enim quædam in MSer. Hamburgensibus Bibliothecæ cathedralis. Sed posito, eos respondisse, non hæc responsa id docent, paganos aliquid scripsisse, sed Reges Danorum Christianos factos per clericos suos quos secum habebant.

(183) Hic rursus sequitur priora, plenariam illam Hammaburg et Bremæ copulationem contigisse a. 858. anno I. Nicolai Pontificis, cum vix mensem unum sedisset, quomodo enim a 24. Aprilis ad 31. Maji, quo privilegium conjunctionis datum et traditum est, et resciscere potuit in Germania, Nicolaum Papam creatum esse, & itinera ad eum absolvi, & causæ ventilari ac dijudicari ac scriptis comprehensæ extradi legatique dimitti potuerunt? Haud ullo modo convenire queunt ista, damnanturque sua ipsorum sententia, quæ minus considerate de his statuerunt.

(184) Hoc rursus recte, scilicet ab a. 831. computando, quo ordinatus fuit & sedere cœpit; intelligitur autem annus 34tus cœptus ab autumno 864. non impletus, cum moreretur Anscarius.

Sepultura vett. dicta depositio; statim post excessum e vita fiebat & sine loculis;

(185) Depositionem vocat sepulturam ejusque solemnia; deponuntur enim corpora in sepulchra sua. Illud solum notari volo, eum illo ipso die, quo animam exhalavit, terræ commendatum depositum & sepultum fuisse: obiit enim 3. nonas Febr. post matutinas horas, quibus sacramento sanctissimo cænæ domini usus erat eodemque die humatus fuit, ut vita ejus testatur p. m. 238. apud Lambecium; *cujus corpore ex more thurato, feretroque imposito, cum ad ecclesiam deferretur & illud interrari visum est &c.* Moris enim hoc fuit illis temporibus, ut statim efferrentur, quod etiam Reges & Principes Christiani sequebantur, nullamque moram interponebant, ut variis exemplis doceri posset. Hoc quoque notandum, quod sine loculis inferrentur sepulchris: Anscarii enim corpore thurato feretro imponebatur, & sic deferebatur ad ecclesiam. Sed intelligenda sunt quoque, quæ præcesserant; nimirum, quod corpus primo laverint, deinde Archiepiscopalibus vestimentis & ornamentis indutum, thure suffamigaverint & lustraverint, sicque feretro imposuerint deferendum ita vestitum & ornatum absque loculo ullo circumdato.

& quæ antecedebant sepulturam Ar

chiepiscopalem.

(186) Proprie loquendo annus 65. seculi 3. Februarii, non est nisi 25. Ludovici secundi Germanici, qui cœperat a 20. Junii anni 64ti, ita ut XXVI. Ludovici non incipiat nisi a 20. Junii a. 865. sed in genere annus 865tus sumtus Ludovici 26tus dici poterit, quod in eo finiat: neque enim tam accurate scriptores hæc observant. Ceteri characterismi anni domini et indictionis optime respondent.

(187) Sic enim tunc temporis lectiones episcoporum videmus institutas; hac enim electione facta, ad Regem et Imperatorem mittebantur, confirmandi qui baculum episcopalem tradere solebat in signum sui consensus, quin et eos a se mittebat cum duobus Ecclesiasticis, veluti nunciis suis ad Archiepiscopum, qui eos consecrare debebat, eorum quo hi nuncii de Imperatoris consensu et confirmatione edisserebant.

(188) Contrarium docet vita ipsius Anscarii direxisse Rembertum historiam ad fratres veteris Corbejæ, idque ex loco cap. 30. p. m. 225 apud Lambecium clare elucet, ibi verba sic jacent: *ut testes sunt & fratres, & apud Vos* (in Corbeja veteri) *& in nova Corbeja degentes.* Ad veteris ergo Corbejæ fratres, quos hic alloquitur et distinguit a fratribus novæ Corbejæ, historiam hanc vitæ Anscarii direxit, quod Adamus non observavit. Sed et alia loca illius historiæ illud indicant, præcipue cap. 1. p. m. 170. *cumque apud Vos tonsuratus atque in monasticis disciplinis positus adolescentior fuisset factus.* Alloquitur rursus eos, apud quos Anscarius tonsuram accepit et prima monasticæ vitæ rudimenta, quod sane in veteri Corbeja, non in nova, novimus successisse. Huc etiam spectant verba c. 4. p. m. 176. *& cum apud vos Deo oblatus sit, ibique obedientiam promiserit, quo instinctu ad has partes emigraverit atque ad episcopatus officium apud nos sublimatus sit:* quæ non possunt intelligi, nisi de veteri Corbeja, ex qua ad novam Corbejam Saxonicam emigravit. Et multo clarius adhuc c. 5. dum novam Corbejam auxiliis veteris Corbejæ ædificatam memoravit; alloquitur enim veteris Corbejæ fratres, quibus vitam Anscarii dedicavit: *illud autoritate & magisterio vestro & primo fundatum, & succedente tempore Deo donante consummatum est, nomenque mutuatum a loco habitationis vestræ accepit, ut vocaretur nova Corbeja.* Quid dici potest clarius, ut doceamus historiam vitæ Anscarii dedicatam esse fratribus veteris Corbejæ Francicæ, non vero novæ Saxonicæ, idque contra Adamum, qui hæc non satis attendit. Nec Rembertus solus hanc vitam Anscarii conscripsit, sed et alter cum illo frater operam ac symbolas contulit suas, ut ait principium historiæ: *Patribus & fratribus in sacratissimo Corbejæ monasterio Deo militantibus filii atque discipuli reverendissimi Anscarii &c.* quod etiam autor vitæ S. Remberti c. 9. indicavit qui fuit æqualis ipsius Remberti. *Libellus*, inquit, *gestorum præfati Pontificis Anscarii ab ipso Rimberto alioque condiscipulo ejus editus;* quæ causa fuit, quod nemo istorum nomen suum huic historiæ præfixerit, et ubique plurium numero se exprimant, *petimus & rogamus, gratiarum actiones immensas referimus, nos itaque* (*memores nostri*) *&c.* ut nemo sibi soli quidquam arroget.

(189) Mortuus est enim a. Chr. 888. d. 11. Junii, sedere cœpit a. 865. 3. Februar. sedit igitur annos 23, menses 4. dies octo, sed numero rotundo amant scriptores loqui: nam annus 23. finitus erat 3. Februar. anno 888; unde in supputati ne chronologica Lambecii ad a. 879. et sequentes perperam calculus initus est, dum 14. Archiepiscopi Remberti annum et a. 878. et 879. a. 3. Februar. currere voluerunt; quod ut in ceteris errarent causa fuit.

(190) Novæ Corbejæ fratres vitam S. Remberti concinnarunt, quorum præcipuus erat Adalgarius ipsius

ipsius successor, qui semper veluti Achates ejus lateri hæsit: eaque in re processerunt, ut Rembertus in vita S. Anscarii testatur: quam etiam solus non aggressus est scribere, sed contulerunt invicem scripta, ut, quæ verissima essent et omnibus probata, retinerent, quæ sane ratio scribendi veteribus contemnenda non fuit: sed multa scripta ἀνώνυμα nobis dedit. Hanc vitam fratres isti novæ Corbejæ direxerunt ad Canonicorum Bremensium collègium, ut Rembertus ejusque socius vel socii ad fratres veteris Corbejæ vitam Anscarii.

(191) Scilicet novæ Corbejæ.

(192) Duo ergo fratres eodem nomine fuerunt Adalgarii, quod hodie rarum est: antiquitus hoc sæpe contigit, neque enim tunc ea cura nominum.

IV.

CLAUDII CHRISTOPHORI LYSCHANDRI

HISTORIOGRAPHI REGII DANICI

ORIGINES ET ANTIQUITATES CIMBRICÆ.

IN QUIBUS AGITUR DE

JAPHETO, EJUS LIBERIS ET POSTERIS, HORUMQUE REGIONIBUS

ET REGNIS, QUÆ OCCUPANTES POSSEDERUNT, UNA CUM POPULO ET PROPAGINE, QUAM CONSTITUERUNT ET RELIQUERUNT:

INPRIMIS DE

GOMERO, ATQUE HUJUS POTENTE AC NUMEROSA SOBOLE CIMMERIIS, CIMBRIS ET VITTIS, SEV DANICIS JUTIS,

ILLORVMQUE PRIMA ORIGINE ATQUE INTROITU IN HAS IPSAS REGIONES

EORVMQVE MAIORIBVS, PRAEFECTIS, IVDICIBVS, STIRPE, FAMILIIS ET REBVS PRAECLARE GESTIS A DILVVIO AD REGIS VSQVE DAN ET DANORVM REGNI INITIVM.

Deus adfuit Japheto, qui septentrionalem orbis terrarum occupavit partem.

Japhetus primogenitus Noachi filius, variis a Deo beneficiis instructus, promissionem obtinuit, semen suum in tentoriis Semi esse habitaturum: Crescens igitur, & ingentem constituens populum, occidentalem atque septentrionalem terræ partem, quam Europam nominamus, occupavit. Aliquam quoque in minori Asia partem retinuit, & suam longe lateque numeravit progeniem, ipsis paganorum insulis in potestatem redactis. Uxor ejus erat Noela, ab aliis Fliva dicta. Nati sunt illis in conjugio septem Filii. I. Thyras. II. Mosoch. III. Thubal. IV. Jauan. V. Madai. VI. Magog. VII. Gomer.

Origo Thracum.

I. *Thyras*, filius ipsius natu minimus putatur, ex quo orti sunt Thraces, terram ab Hellesponto usque ad Danubium possidentes, cujus posteri postea fines suos Russiam versus dilatarunt, ubi etiamnum celebris ille fluvius, Thyras, quem quoque Nistrum appellant, reperitur.

Muscovitarum & Russorum initium.

II. *Mosoch* genuit Muscovitas & Russos, initio ad Pontum Euxinum habitans, circa fluvium Thermodontem (quem Turca demum suæ subjecit ditioni, a Vate sacro apposite dictus Dux de Mosoch) inde Mosoch abiens se septentrionem versus contulit, in vasta & desertissima solitudine, ubi nunc Russia est, dispersus. Quocirca David in libro Psalmorum de afflictionibus, quas in Mesech sustinuit, valde conqueritur & vehementer.

III. *Thubal* principio inter montes in Asia, mare Caspium & Pontum Euxinum dividentes, habitavit. Et quoniam terra erat sterilis, montes vero metallorum fœcundi, ex fodinis argenti, æris cyprii, & ferri, suum quæsivit victum. Inde demum demigravit in terram, cui postea, anno mundi 2264. nomen Hispaniæ dedit Hispanus. Ex illo ortus est Iberus, qui Celtis se denique adjungens Celtiberos constituit.

Hispanorum origo.

IV. *Javan* (etiam *Jon* dictus & a Josepho *Janus*) cum suis posteris loca mari mediterraneo proxima possidebat, in insulis, iisque etiam, quæ Europam prope attingunt, rerum potitus. Ab illo genus suum ducunt Jonii & Helladici, nomine suo mari Jonico indito. Pater & Auctor est omnium Græcorum. Geniti sunt ipsi quatuor valde celebres filii, nominatim: I. Elisa. II. Tharsis. III. Kitim. IV. Dodonaim.

Stirps Græcorum.

I. *Ab Elisa* originem trahunt græci Æoles in Epiro, & incolæ magnæ Græciæ, ubi nunc Calabria est, & regnum Neapolitanum.

Neapolitanorum & gentis Calabriæ ortus.

II. *Tharsis* est auctor Cilicum, ingentisque populi, maritima loca in minori incolentis Asia: Tharsum quoque, urbem patriam sancti Pauli, extruxit.

In minori Asia incoluntur loca maritima.

III. *Cetim*, (qui Italus etiam vocatur, Athalus & Athlas) is est, ex quo oriundos esse Macedonios nonnulli contendunt, propterea, quod regnum ipsorum in libris Machabæorum terra dicatur Cetimi. Ceterum Ies. cap. 33. Ier. cap. 2. Ezech. cap. 27. prout septuaginta Interpretes, Hieronymus & omnes veri explanatores id exponunt, accedente insuper testimonio antiquitatum Italiæ ac Etruriæ, convenienter ab ipso nominantur Itali, non tanquam Patre (oriuntur enim a patruo ejus Gomero) sed velut præfecto & terræ Domino, principatum tenente. Expulit Hesperum, qui antea Italiam, illam Gomeri terram, occupaverat. Ad Tyberim domicilium, larem, rerumque suarum summam constituit, ibique Capenam ædificans in Latio atque Etruria regnavit. Camboni, cui ut pupillo infanti Tutor erat constitutus, suam postea filiam, Electram videlicet, in matrimonium dedit, & confirmato imperio suo, factus denique est totius terræ istius dominator, virtutis ac probitatis suæ caussa Italus dictus. Est enim verus ille & genuinus Etruriæ Larthes, primusque Rex Italiæ, qui regnum suum suo appellavit nomine ITALIAM, anno mundi.

In Italia regnat Italus.

2337.

2337. Bis erat in matrimonio collocatus, de quo amplius fusiusque mentionem faciunt Quintus Fabius, Sempronius &c.

Insulæ maris mediterranei incolis instruuntur.

IV. *Dodanim*, quartus Javanis filius, Dodoneos in Epiro genuit, quorum nonnulli in insulam Rhodum demigrarunt. Ab ipso etiam multi, qui maris mediterranei insulas incoluerunt, cum sua progenie, liberis & consanguineis, originem trahunt.

Medorum origo.

V. *Madai Japheti filius*, Medus etiam vel Madeus dictus, se orientem versus contulit, Medorum, amplissimi præpotentis populi auctor & origo; quippe qui post Sardanapalum cum Assyriis ad summam & Monarchicam rerum potestatem est provectus, illo & posteris, Dominis nimirum Medis, ultra ducentos & sexaginta annos, ad ætatem usque Cyri imperatoris, imperium tenentibus. Quod ipsum in Daniele, Herodoto, Manethone &c. ulterius descriptum deprehendes.

VI. *Magog* Japheti filius, de quo diviniores litteræ sæpissime verba faciunt, sedem primo tenens in Cœlo-Syria, *Magogiberis* principium dedit. A Nimrode in Asiam cum Assyrio, Medo & Moscho missus *Magogum* inibi constituit. *Tartaros*, partem Schytarum, Turcarum, eorumque sobolis, procreavit & reliquit, infensos istos civitatis Dei hostes atque persecutores, contra quos nobis hæc certissima data est promissio: Deum in montibus Israelitarum illos aperte & propalam, ipso sanctiori cœtu aspectante, esse prostraturum.

Tartarorum & Schytarum ortus.

Cimmeriorum, Italorum, Gomoritarum & Gallatarum origo.

VII. *Gomer* Japheti filius, omnium Cimmeriorum, Italorum, Gomoritarum, Gallatarum Pater, initio in ulteriori Thracia circa paludem Mæothidem habitans, fines suos usque ad montes, Taurum & Amanum, dilatavit. Potentior factus trans mare navigavit in Europam, profectusque in regionem, quæ inter Adriaticum mare & Mediterraneum sita est, (& quæ demum Cethimi nomine appellata est Cethimi terra, atque ab Italo, Italia) suam hic tenuit sedem, cunctisque viribus circumjacentia loca occupare & colere, nec non ædificia extruere est exorsus, anno mundi 1798. Genuit, & in Asia tres reliquit filios, qui nominantur: I. *Riphat*. II. *Thogorma*. III. *Aschanes*.

Riphei & Heneti.

I. *Riphat* consedit inter Ripheos montes, procreans & instituens Ripheos & Henetos, a Josepho alioquin Paphlægones dictos, Sarmatarum gentem, & vicinos; multiplicato populo suo, versus Pontem Euxinum est progressus: unde etiam multi, speciatim Heneti & Sarmatæ, cum Aschane in Europam commigrarunt, aliquam Russiæ partem, totam Lithaviam, Poloniam, Bohemiam, Silesiam, Croatiam occupantes, ubi etiamnum liberi & posteri ipsorum degunt, longe lateque regnantes.

Russia, Lithavia, Polonia, Bohemia, Silesia, Croatia, incolumtur.

II. *Thogorma*, etiam *Tagum Orma* appellatus, & a Josepho *Tygram*, inter suos fratres aliquo habitavit temporis intervallo, inque minorem postea Asiam demigrans, sedem cum populo suo hic incoluit, anno mundi 1830. Quin etiam, ut Josephus & nostræ antiquitates Danicæ testantur, hic Tygranos constituit, Phrygios demum & Trojanos dictos, eximiam illam atque in toto orbe maxime celebrem gentem, a Græcis, caussa libidinis Paridis, Priami filii, tandem deletam, quemadmodum Homerus, aliique græci & latini Poetæ ac Historici copiose tradunt.

Phrygii & Trojani.

III. *Aschanes*, totius Germanici & Cimbrici populi Parens, in Asia, & quidem in ulteriori Phrygiæ parte in Bithinia, domicilium primo habuit: In cujus rei memoriam notissima olim fuerunt: regio Aschania, fluvius Aschanius, lacus Aschanius: hucque duxit Cimmerios, fines suos versus Bosphorum Cimmericum extendens. Qua terra relicta, se cum modo dictis CIMMERIIS & CAUCIS trans Tanaim in Europam contulit, in regionem profectus, quæ postea nuncupata est *Germania & Tiuskland*. Ipse enim versus sylvam Hercineam assidue commoratus, Aschanezæos & Rhegios, quorum mentionem Josephus, ibidem, ut putatur, constituit. Ab Aschanezæis ortus est populus Aschanius & *Domus Principalis Anhaltina*. A *Rhegiis* originem trahunt multiplices illæ & potentes provinciæ ad Rhenum flumen sitæ. A *Caucis* proveniunt Caucones, quos Homerus apud Peones & Myses habitasse commemorat. Ceterum Cimmerii & Cimbri in regione versus septentrionem progressi pervenerunt ad maris littus, quod recto itinere secuti inter utrumque portum per Nordalbingiam, ubi nunc est Holsatia, subsistebant. Hic in littus usque septentrionale omnia adjacentia loca in potestatem redigere atque incolere cœperunt. Nonnulli autem ex gente ista, *Vittæ* nimirum, fines occupabant australes ad occidentale maris littus, in ea regionis parte, in qua extructa est postea Tondera, ubi etiamnum Vittæ dantur, & ditio Vidingensis, unde quoque tota regio appellata est Vittarum regio, quæ nunc dicitur Jütlandia. In progressu partis septentrionalis offendimus *Varios*, *Varam*, & *Varsyssel*; Deinceps *Salios* & *Sabalingos*, incolas *Salingæ*, ultra sinum maris recta via ad Norvagicum & extremum maris littus habitant *Vandali* & *Vinnuli*. Hodierna vero nomina sunt: *Wendsyssel* & *Wendelboe*. Inde, a meridie, in circuitu oræ orientalis, ad maris sinum & amnes tuguria ædificabant atque domos. Et, quoniam principio, terra adhuc inculta, non nisi piscatu poterant uti, extruxerunt domos ad retia remosque conservandos valde aptas, remorum ædificia dicta, ubi jam hodie est Arhusium & præfectura Arhusiensis: quæ cuncta a Ptolomeo aliisque exteris scriptoribus vocantur Charudes. Præcipui vero & primarii Cimbrorum Dynastæ, atque populus, medium regionis incoluerunt, oppidum ditionis amplissimum constituentes, a VITTIS, seu, ut alii arbitrantur, ab idolo ipsorum VIGE, Viburgum appellatum. Hic postea, Cimbricorum Dynastarum Danorumque Regum solennis semper fuit conventus, judicique tribunal, & locus, in quo a subditis ipsum fidelitatis jusjurandum præstabatur. (vulgo locus homagii) Nomen oppidi per omne deinque tempus retinuerunt Cimbri con-

Germani & Cimbri primum in Germaniam & Jütlandiam penetrant.

Cimbri littus maris recta in Jütlandiam sequuntur.

Vittæ & præfectura Vidingensis.

Varri, Vara, & Varsyssel.

Salii & Salingorum domicilia.

Vandali & Wendelboe.

Charudes & Arhusium.

constantissime, & Rex demum *Haraldus Blotand*, qui Danorum provincias in peculiares partitus est ditiones & præfecturas, anno mundi 3082. istam regionis partem nuncupavit Cimmeriorum præfecturam, *Cimmerers Syssel*, nunc communiter *Himmers Syssel*. Alii quoque ex Cimmeriis & Cimbris, meridiem versus, iter inierunt, insulam, quam Cimbriam vocarunt, incolentes, quæ in hodiernum usque diem *Fimbria dicitur seu Fimmira, et parva Cimbria*. Quin etiam, in perpetuam rei memoriam, Cimbros in hac profectione fuisse præcipuos, primasque in istis regionum partibus occupasse sedes, insignia virtutis suæ militaris pictura coronæ aureæ exprimenda curarunt & exornanda: quæ ipsa incolis istius insulæ etiamnum usitata est consuetudo. Hunc Cimbrorum adventum & primam illam terræ Vittarum seu Jütlandiæ possessionem contigisse enarrant anno mundi 1850. A diluvio 193. Et, quamvis Cornelius Tacitus, Joannes Aventinus, et antiquæ Bojarorum vel Bojorum antiquitates longe aliter tradant, Germanicum videlicet & Cimbricum populum suam a Tuiscone originem trahere, quem Berosus Noachi fuisse filium, ex Araxa genitum, commemorat: (Cornelio Tacito graviter errante, quum modo dictum Tuiscon em non ex muliere more humano natum, sed intra Germanorum fines sua sponte ortum esse putet) Nihilominus tamen divinis litteris, ordini & instituto naturæ quoniam hæc omnia repugnant, ista, velut fabulas paganorum commentitias, missa facimus. Necanimus noster summos illos errores, Tuiscon em loco Aschanis admitti & Tuiscon is nomine appellari Germanos, æqui bonique facere potest. Prius enim, ut supra dictum, divinioribus litteris adversissimum est, posterius vero a veritate historiarum, quæ concorditer testantur, Germanos non a Tuiscone, sed ab idolo suo Teutone prout Cluverius, aliique id fuse lateque probant, nominari, longe est alienum. Quocirca, in tanta paganis propria cæcitate & ignorantia, unice lucem verbi Dei sequamur, aliisque veris & certis adhærescamus historiis, quæ diserte commonstrant & exquisite, totum genus humanum ex tribus Noachi filiis, Semo, Chamo, Japheto, esse procreatum, perque totum terrarum orbem dispersum. In confirmationem hujus rei reperiuntur quoque in veteribus, olim Teutonicis, Germanicis, & Cimbricis antiquitatibus, speciatim in Tabulario (vulgo Archivo) Anhaltino, vera & clarissima Instrumenta, Litteræ atque Acta publica de illorum origine, profectione, & adventu in hæc ipsa regna, quemadmodum sequentia docent & ostendunt.

Cimbri parvæ Cimbriæ, vel Fimmeræ.

Exterorum scriptorum sententiæ de Cimbris.

Errores exterorum scriptorum.

Verbum Dei omnem refellit errorem.

Antiquitates Aschaniæ.

Aschania gens nobilissima & vetustissima, originem suam deducit ab Ascane filio Gomeri, nepote Japheti, pronepote Nohæ Patriarchæ, custode sacri ignis, hoc est, religionis & doctrinæ, (unde nomen ipsi inditum est consentaneum) qui cultuum profanorum fugiens idolomaniam, quæ Orientem cum tyrannica quadam sævitia invaserat, ex solo natali, quod est supra Phrygiam, in Bithinia, versus Cimmerium Bosphorum, ad Aschaniam paludem fuit; Sociis Caucis & Cimbris, in Septentrionis plagas migravit; Et Caucis quidem Mediterranea, & Cimmericis maritima occupantibus, ipse sedem ac dominium suum ad Nemus Hercynium transtulit, ubi inter tot rerum humanarum vicissitudines, Imperiorum ruinas, multiplicesque Regnorum conversiones, posteri ejus Aschanii, a primo ipsorum adventu, in hunc usque diem soli & nomen & sedes retinuerant primas.

Et occurrit adhuc in sylva nigra (olim parte aliqua superius dictæ sylvæ Harciniæ) Cimbricus Comitatus & stirps Comitum, Comitis videlicet Verneri, ejusque multiplicis sobolis, usque ad Froberum Christophorum, & liberos ipsius, hac ætate nostra degentes; Quin in perpetuum & sempiternum testimonium, illos non esse tantummodo Cimbrorum in Jütlandia, sed Norvagorum quoque genus, propaginem, & consanguineos, etiamnum in clypeis atque insignibus suis Norvagicum præferunt Leonem. Plinius veterum & exterorum optimæ notæ scriptorum unus, qui mox a tempore nativitatis Christi vitam agens, multa ex vetustis rerum gestarum monumentis in unum coegit, de hisce nobiscum consentit, populumque in terram Germaniæ nuper advenientem in quinque speciales eximiasque dividit nationes, nimirum in Vindelos, Ingueones, Istevones, Hermiones, Peucinos, hosque singulos in suum postea certum distribuens populum, nomine Ingeuonum Teutones & Cimbros complectitur; quo ipso evidenter indicat, Cimbros & Teutones duas esse diversas & seorsum existentes gentes, nec Cimbros a Teutonibus traxisse originem, prout opinantur alii, sed fuisse illos, plane liberum & proprium populum, cujus liberi & posteri e terra demum patria demigrantes, multis rebus egregie & præclare gestis, varia occuparunt regna, ingentemque & valde illustrem hinc illinc constituerunt gentem, teste Wolfgango Lazio, hæc omnia in libro de migratione Gentium longius latiusque describente. Et licet Cornelius Tacitus fines eorum non adeo dilatandos esse existimet, nihilo tamen secius de Ingeuonibus luculenter verba facit, nosque edocet, quomodo, tempore etiam erroris paganici, progenies illorum, Cimbros intellige & Teutones, vero discrimine fuerit separata, & diversa regionis loca possederit his verbis:

Cimbri etiamnum reperiuntur in sylva nigra.

Norvagi Cimbrorum socii & consanguinei.

Plinius describit Cimbros & Germanos, tanquam duas & distinctas gentes.

Wolfgangus Lazius a Cimbris multa gentium gener. deducit.

Cornelius Tacitus de Cimbris & bene & male scribit.

Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens: Veterisque famæ lata vestigia manent, utraque ripa castra & spatia, quorum ambitu etiam metieris molem manusque gentis & magni exitus fidem.

Qua explanatione Tacitus Cimbros a Teutonibus, ut monui, diserte distinguit, demonstrando, primam istorum sedem ad mare, & inter utramque fuisse ripam, quod vero putet Cimmericam dignitatem, gloriam, famamque & existimationem, in parvam degenerasse civitatem, de hac re suo loco fusius dicam. Ceterum Ptolomeus meliori nos instruit notitia (quod ad Cimbricos adtinet fines, & prima habitationis ipsorum loca) quæ versus septentrionem in Jutlandia sita esse commemorat, ubi etiamnum nomina audiuntur locorum, CIMMERS ET HIMMERS SYSSEL. Ex Danicis præterea & Gullandicis antiquitatibus compertum habemus, Cimmerios

Ptolomeus Cimbros i. propria & domestica sede collo-

merios illo tempore, quo cum Aschane, ut diximus, veris & primis relictis domiciliis, commigraverint, aliquo apud Tygranos in Phrygia substitisse intervallo, & Thogormam, in cujus potestate hæc ipsa fuit regio, filium, qui appellabatur Gomer, procreasse; Quem Gomerum isti, itineris sui, navigationis & laborum habuerunt socium, quin etiam, summum ac præcipuum Præfectum, suas ducentem copias per Schytiam, multasque alias regiones, in ipsam Cimbrorum terram, prout ex his, quæ sequuntur, documentis ulterius apparet.

Danicæ & Gallandicæ antiquitates de primo Cimbrorum adventu.

Japhetus tertius Noachi Filius, filium genuit Gomer dictum, qui in suam redegit potestatem Vallandiam. TYGAR *vero, Gomeri filius, apparatu militari in regionem profectus, quæ Asia vocabatur minor, populum sibi adjunctum suo appellavit nomine;* TYGRANOS; *quæ regio nominabatur olim Phrygia. Contigit autem hoc ipsum anno mundi 1830. ævo Saruchi (Saruch enim erat proavus Abrahami.)*

Tygaris filiis.

Similiter TYGARIS FILIUS, GOMER JUNIOR, *trans mare in Europam est progressus, (tertiam orbis terrarum partem) aliquo quoque temporis spatio in regione Schytarum, prope magnam illam Mæotidem, quæ est maris mater, consistens.*

Ceterum, anno mundi 1850. Gomerus junior, relicta Schytarum terra, multas versus Septentrionem sitas peragravit regiones, inque regione illa (quæ Vitilandum appellatur, nunc Jütlandia) mari septentrionali adjacente, ædificavit, laremque & domicilium constituit.

Unde jam scitu observatuque dignum, qua ratione, quæ de tempore & populo narravimus, sacris litteris, Josepho, aliisque, & nostris quondam domesticis, & externis antiquitatibus, convenienter congruenterque dicta sunt; Saruch enim natus 1819. vixit 330. annos. Mortuus demum 2149. Et Josephus diserte refert, Tygranos & Phrygios unum esse eundemque populum ex Thogorma ortum. Perhibent deinceps vetusta etiam Danorum & Saxonum monumenta, ævo Saruchi, in hæc ipsa regna primum advenisse Incolas, anno mundi 1850; Quod tempus, Scripturæ consentaneum, exquisite in Saruchi incidit ætatem. Ad Gomerum illum juniorem quod attinet, nullo in loco, hoc unice excepto, nomen ejus offendimus, nullum tamen est dubium, quin populi multitudo, quam in expeditionem eduxit, tam longa & penitus ignota conficiens itinera certum habuerit Ducem & Præfectos. Exploratum interim nobiseft, Gomeri nomen inter Cimbros usu fuisse receptum, illorumque Regum nonnullis nomen datum, GORM, quod ex Gomero est contractum, unde porro recitatio nominum, Gunner & Gydmer, provenit. Præterea in *Middelflet* & *Sædlandia*, inter antiqua Cimbrorum domicilia, in medio fere regionis, ejusque parte, ubi consedit Humle, Danorumque Regibus arx fuit præcipua, & sedes aulica, *Cimmerslæff*, inque ei proxima præfectura, quæ est Montium & Sylvarum, agros inter & campos, etiamnum reperiuntur *Gomersræd & Gomersmarck.* Gomerum istum imperium tenuisse, annos circiter 109. enarrant, & anno mundi 1960. demum vita esse defunctum Et quoniam sæpissime dictus Gomerus non ab Aschane, sed a Thogorma suum

Gomersroed & Gomersmarck in præfectura montium & sylvarum Salandiæ. Gomer junior ex stirpe Thogormæ.

ducit genus, nolumus Cimbros ad alienam referre stirpem, sed ordinem & temporis initium, quo cœperunt hujus populi judices, ponere in Præfecto, Cimbris nato & proprio, nimirum SEGUR, prout sequentia docent.

Segud Cimbrorum & Jutarum judex.

I. *Segub vel Segud*, Præfectus & Judex Cimbrorum, Cimbriam & Jütlandiam possidentium, in otio cum dignitate erat per omne viræ tempus, in primo illo orbe, cui simplex & amicus erat animus; Et, quandoquidem terra circumjacens adhuc inculta undique conspiciebatur, nihil omnino de bello & præliis fuit auditum, unoquoque suis contento, ipsisque hominibus luxuria, superbia & avaritia nondum diffluentibus; Populus enim ille nuper adveniens, & indigus, ad quotidianum victum & valetudinem necessaria omni quæsivit labore, senes ac natu majores ingenti caritate summoque afficiens honore: quin etiam, ipsi Patres & Præfecti æquo parique cum civibus amore vivebant, omnia, quæ ad liberorum & subditorum mores formandos ornandosque pertinebant consiliis, admonitionibus, & amicis animadversionibus prudenter gubernantes & moderantes. In hoc tranquillitatis, laboris & jucundissimæ consuetudinis statu, tum opes, tum incolæ maxima ceperunt incrementa. Populus jam valde crescens in omnes regionis partes & fines progreditur, quavis familia suis relicta Patribus, &, certis unicuique assignatis locis, regionem inter se partitur, atque dispertitam distinctis communit limitibus. Omni deinde loco & spatio Cimbri, vel nomen Majorum, vel ratione situs loci, vel aliis de caussis singularia imposuerunt nomina; Et, ne alter alterum invaderet, aut ulla afficeret injuria, sed ut suo quisque domicilii loco in negotio esset, victusque in primis acquirendi caussa suum susciperet laborem, unumquemque locum generali & communi appellarunt nomine, SYSSEL, veluti *Vendsyssel*, *Cimmersyssel*, *Obsyssel*, *Ommersyssel*, *Salingsyssel*, *Harsyssel*, *Varsyssel*, *Jellingsyssel*, *Aldmyndsyssel* &c. Ubi omnes postea & singuli, suo quisque loco, agros & campos huc usque incultos coluerunt: aliis sylvas & paludes purgantibus, nec non alimenti, ex pecore & frumentis quærendi, impense cupidis. Nonnulli vero, circa sinum maris inter arenosos sterilesque montes, se suaque retia mari committebant, ut in captura piscium, unde alerentur, invenirent. Et, in perpetuam fœderis inter se sanciti memoriam, vexillo & Insignibus suis militaribus imprimendum curarunt cœruleum quendam Leonem, novem instructum ornatumque cordibus: Ut, (quemadmodum ex omni fere parte ipsos circumdederit cæruleis suis undis æstuans & effervescens mare, hicque ad magnum illum fluvium, qui LIMFIORD dicitur, & qui ab oriente in occidentem transversa fere via regionem percurrit, & seorsum versus, & deorsum versus, sua domicilia, larem, perpetuamque sedem concorditer constituerint) isti omnes nunc, uno velut animo, in medio aquarum & in omni adversa fortuna manu & corde fortiter fideliterque

In pace & labore crescunt regiones & regna.

Fines & termini constituuntur. Unicuique loco suum imponitur nomen.

Victus veterum pecus, frumentum, & piscatus.

Cimbrorum Insignia militaria.

In Insignibus militaribus memoria est rerum gestarum & superioris vitæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

conjunctis dimicarent viribus, ſuamque terram, loca & civitates adverſus omnem hoſtium & inimicorum impetum defenderent & tuerentur.

Poſt hoc tempus tranquille placideque vitam traduxit Segud, populum clementiſſime & inſtar Patris, annos circiter ſexaginta regens. E vita exceſſit anno mundi 2020. Poſt diluvium, 363. Duos autem procreavit filios. I. Oſtredum, & II. Atzerum.

Juniores venerantur natu majores, iisque cedunt.

I. OSTRED, ſuo fratre Atzero, viginti annis natu minor fuit, cui gubernacula regni ſponte concedens ipſe in otio, & ut homo ſolitarius, vitam egit.

Atzer, ſecundus Cimbrorum judex.

II. ATZER poſt mortem Patris imperium tenuit, facie, ſtatura, & rebus feliciter atque ex ſententia geſtis maxime celebris, publicamque magnificentiam præ majoribus ſuis dilexit; Cui ſplendor & ludus equeſtris magis in deliciis fuit, quam terræ ac agrorum cultus: Adoleſcentes nobili genere natos ab exercitationibus, quæ ad ludum gladiatorium, ludum armorum, & ad omnem alioquin Ordinis Equeſtris, ſtatusque aulici dignitatem amplificandam pertinent, inſtructiores eſſe voluit; Mortuus tandem anno mundi 2085. poſt diluvium 428. unicum reliquit filium. I. Truidum.

Truid tertius Cimbrorum judex.

I. TRUID patri ſucceſſit, tertius Cimbrorum & Jutarum Judex. Quum jam Gethas ex omni parte in dies fere ſingulos potentiores fieri maximeque metuendos obſervaverit, mox & confeſtim, quaſi munitionis loco copiis juſſit inſtrui MIDDELSLET; Et, quoniam, ut apparuit, terra iſta ſemini & fructibus ferendis admodum erat apta, Incolarum ſumma felicitate in cultura agrorum conſiſtente, omnes ſuas cogitationes & conſilia huc contulit, ut terram fertilem maxime fructuoſam redderet. Primo igitur & ante omnia in eam incubuit curam, ut locorum, ſementi

Middelslet, terra fertilis appellatur Sælandia.

idoneorum, haberetur delectus; Deinde etiam animadvertens, operam ſuam proſpere ſuccedere, terramque multo plus attuliſſe, quam acceperit, appellavit terram illam nomine ſeminis, SÆLANDIAM; Optimas porro multasque condidit leges, atque primus ipſe fuit, qui, Incolarum in gratiam, agris, ſylvis, & campis æquabiliter diſpertitis certos conſtituit terminos. In labore, & in pace pariter exoptata omne ætatis ſuæ tempus conſumpſit. Seneƈtute jam confectus, & probe intelligens *regionem Vittarum ſeu Jutlandiam*, quæ longius erat diſſita, violentis Nordalbingarum & circumjacentium Angrivariorum, Merſorum, aliorumque hoſtium incurſionibus exponi, ſolium imperii ſibi adjunxit filium ſuum, Thieluarum, cui Cimbriam commiſit gubernandam: Ipſe vero Fyoniæ, Sælandiæ atque Inſulis præfuit, & annos circiter 56. regnavit, mortuus anno mundi 2141. poſt diluvium 484. Cui ſuperſtes fuit filius I. Thieluar.

Sæland a ſuis terminis & limitibus diſtinctis munitur.

Veteres ſibi adjunxerunt ſocios imperii.

Thieluar quartus Cimbrorum judex.

I. *Thieluar*, ætate Patris ingraveſcente, electus & conſtitutus eſt Cimbrici regni Præfectus, cum quo per aliquod temporis intervallum in imperio vixit. Parente autem vita defuncto, ſolus regni gubernacula tenuit, quartus Cimbrorum & Jutarum judex. Laudabilia Patris ſui veſtigia ſecutus, perque totum vitæ curriculum pacis amans, terram diligentius colendam curavit, ædificiis, oppidis, & incolis undique conſtitutis. Summam adeptus ſeneƈtutem, annis 41. regno præfuit. Vita defunctus anno mundi 2181. poſt diluvium 526. filium reliquit I. Oſtredum.

Oſtred quintus Cimbrorum judex.

I. *Oſtred*, in locum Patris ſuccedens, quintus Cimbrorum, Jutarum, & Sælandarum Judex, aulicam plerumque ſedem incoluit IN MIDDELSLET SEU SÆLANDIA, ſuumque populum & Inſularum incolas non tantummodo artem edocuit arandi & metendi, ſed etiam domos & granaria, frugibus aſſervandis accommodata, extruendi; Et, quoniam illi,

Lollandia eſt terra granariorum ſeu horreorum.

qui minores incoluerunt inſulas, verſus meridionalem Sælandiæ partem ſitas, multum in eo operæ poſuerunt, ut ampla extruerent horrea, unam ex terris iſtis appellavit terram horreorum, ſeu granariorum, quam nunc LOLLANDIAM nuncupamus; In otio, pace, & tranquillitate vitam degit, incolis in magnum & numeroſum creſcentibus populum. E vita exceſſit anno mundi 2182. A diluvio 543. Præter plures filium habuit ſuperſtitem, qui appellatur I. GUTHI.

Guthi ſextus Cimbrorum judex, & Sælandiæ atque Schandinaviæ dominator.

I. GUTHI, Cimbrorum, Vittarum & Jutarum ſextus ordine Judex, Sælandiæ minorumque Inſularum florens potensque dominator, omni laudis & fortunæ genere præſtans, quin etiam, cunƈtos majores ſuos ingenio, ſcientia, ſapientia & rebus præclare geſtis antecellens in maxima præ omnibus Cimbrorum Præfectis & Judicibus celebritate vixit. Qui ipſe ſtatim, ab initio imperii ſui, in expeditionem eduxit omnem Cimbrorum exercitum, in Schandinaviam navi advectus, ut, quæ ſuis majoribus a Gethis erepta erant, recuperaret. Terram igitur iſtam nullo fere negotio armis ſubigens, circumjacentia regionis loca & fines, qui, deorſum verſus, meridionali & orientali maris littori proximi ſunt, ſub poteſtatem redegit, exque illis ipſis unum peculiaremque conſtituit Principatum.

Cimbri & Sælandi Schandinaviam occupant.

Gethæ & Gothi appellantur Gutheri & Gythingeri.

Incolarum, in ſuperiori regionis parte habitantium, qui antea Gethæ & Gothi dicebantur, nomen mutavit, illosque in ſempiternum obedientiæ teſtimonium, ſuo appellavit nomine Gutheros & Gythingeros; Et ne iſtæ in unum jam dominatum coaƈtæ provinciæ unquam divellerentur, terra hac velut Draconis formam referente, flavum & inauratum Draconem, in rubra conſiſtentem planitie, vexillis & Inſignibus eorum militaribus imprimendum curavit, more illo & conſuetudine in hunc usque diem inibi durante. Quibus prudenti conſilio geſtis, & fama imperii ipſius, bene ſapienterque adminiſtrati, usquequaque celebrata, uſu venit, ut ex omni ſeptentrionali populo multi in ejus regiones catervatim advenerint, incolis hoc modo, & quidem intercedente brevi temporis ſpatio, magna & incredibili multitudine auƈtis, ut cunƈtis illis, quæ ad victum & alimenta corporis neceſſaria erant, vix amplius terra ſuppeditare potuerit; Unde demum magna &

Gythingerorum, & Schandinavorum Inſignia militaria: Draco inauratus.

per-

Plebs & infima multitudo, causa seditionis, famis, & annonæ gravitatis.

pernicioſa orta fuit diſcordia, plebe inprimis extrema laborante fame. GUTHIUS vero communem hanc perniciem regioni imminentem percipiens, deque tanto malo mature & prudenter depellendo ſolicitus Proceres regni atque Optimates conſuluit, quibus, deliberatione facta, id probabatur conſilii: Habendum eſſe delectum juvenum in populo robuſtiorum, qui alioquin ſuum inutiliter conſumebant tempus, maximamque in infima multitudine concitabant ſeditionem. Iccirco *Guthius*, cui ad hoc ipſum expediendum promptus & alacer erat animus, ſine ulla mora & confeſtim per omnes regiones ſuas univerſalia indixit comitia, in quibus plebis multitudinem & cum ea jam conjunctam terræ ſuæ calamitatem, perniciemque ſignificavit, incolis uberius fuſiusque declarans, quanta Majores ipſorum, & quam ſecunda mirifice uſi fuerint fortuna, olim per tot regna & regiones in hanc ipſam, quam nunc poſſidebant, terram penetrantes, omnique poſtea in hunc usque diem rerum abundantes copia ac affluentia: Et quam contumelioſe poſteris renunciaretur de illis, ſi, quos nullum ſubigere potuiſſet imperium, egeſtate, inopia, & turpi demum fame conflictarentur, quin immo, ſi ab iisdem paterentur ſe prorſus omnino vinci. Conſultius igitur eſſe cenſuit, ſi belli laude haud inferiores, ac Patres ſui, armis & exercitu panem victumque in exteris acquiſiverint regnis, ut, hoc modo abundantius ſuſtentati, fortitudinis & nominis ſui gloriam amplificarent. Promiſit pariter, ſe militibus in expeditionem mittendis ducem præficere velle propriu m filium, *Thieluarum*, quem ad ſanguinem & vitam profundendam paratum, inque ſecundis & adverſis rebus ejusdem ſortis omnisque belli eventus ſocium haberent & participem. Quæ ipſius oratio valde arriſit plebi; Quin etiam, cunctis & ſingulis unus idemque acer & præſens erat animus ad propulſandum a patria terra exitium, ad tentandum belli fortunam, atque ad dilatandum regni ſui fines, ſeque eſſe paratiſſimos aperte farebantur & ingenue, ut primum de toto belli apparatu certiores fuerint redditi. Qua de cauſa lecto potente exercitu, ipſo juventutis flore, tempus conſtituit & locum, in orientali Schandinaviæ terra, quæ mari alluitur, in unum conveniendi, variisque ibidem inſtructis navigiis, militibus, quos magna vi & efficacia ſermonis allocutus fuerit, oram nunc ſolventibus ſe a latere Schandinaviæ comitem præbuit, ubi ſuis Cimbri vel Jutæ navibus advecti mature comparuerant, Guthos & Gothos, eorumque plenam expeditionem avide expectantes. Locus vero, & portus, in quem Cimbri navibus erant delati, atque tota militum multitudo in unum coacta, in ſempiternam militaris hujus apparatus memoriam, Cimbrorum nomine appellatus fuit portus Cimbricus, loco autem finitimo ex hoc ipſo egreſſu & expeditione navali FERSELS dicto, id eſt, præfectura migrationis. Naves hic jam aſcendit conſpicuus ille & præpotens exercitus, anno mundi 2164. A. diluvio 607.

Viro forti & libero turpe eſt, vitam in egeſtate degere.

Cimbris & Gothis voluptate eſt, tentare & periclitari fortunam belli in exteris regnis.

Cimbri & Gothi in unum coguntur locum in Cimbrorum portu in Schandinavia. Inde oram ſolventes vela ventis permittunt.

Claſſem primo appulerunt ad Borringholmiam, & quum parva hæc inſula ipſis nimis eſſet anguſta, eidem *Thielvarus* ex ſociis ſuis unum, nominatim BEOR, præfecit, certis quoque additis præſidiis; Hic vero poſtea liberi illorum & poſteri in hunc usque habitant diem, inſulæ iſti nomine impoſito, *Beorsholm*, quam hodie appellamus *Borringholm*. THIELUARUS deinde ſe ſuosque mari ulterius committens, navigando pervenit in *Gullandiam*, cunctisque hic loci valde bene exploratis & cognitis, ipſum allectare & quaſi invitare videbatur loci tum amœnitas, tum fertilitas, utinibi domicilium, larem, rerumque ſuarum conſtitueret ſummam; nec deſtitit id quoque vehementer ſuadere filii ipſius *Hafderi* uxor, *Huitteſtierna*, quæ velut ex prælagiente quodam ſomnio hoc illius propoſitum interpretari ac confirmare ſtuduit. Unde factum, ut terram iſtam occupare, primasque ibidem tenere ſedes inceperit, quemadmodum hæc omnia libr. IV. uberius fuſiusque litteris conſignata reperies. Reliquum poſtea vitæ ſuæ tempus conſumpſit GUTHIUS domi ſuæ, apud ſuos Guthos vel Gothas in pace & tranquillitate publica, rerum potitus annos circiter 66. Diem denique ſuum obiit anno mundi 2266. Ab Eluvione 609: poſtquam duos inprimis procreaverat filios *I. Thielvarum II. Truidum.*

Borringholmia invenitur & præſidiis firmatur.

Gullandia invenitur & occupatur

I. Thielvarus, ut nuper diximus, a Parente ſuo Dux conſtitutus & Præfectus Getharum vel Gothorum e regno in expeditionem miſſorum, poſtea etiam, *Gutlandia* in poteſtatem redacta, omnium Gullandorum auctor fuit & Princeps. De illo, ejusque ſobole, genere & poſteris, pariterque *Guthlandorum* Judicum imperio, nec non militari ex his ſeptentrionalibus regnis profectione, quid maxime notatu dignum ſit, infra libr. IV. memoriæ monumentisque mandavius.

Thielvarus Cimbrorum & Gothorum qui in expeditionem educuntur, Præfectus.

II. Truidus, Cimbrorum, Guthorum vel Gothorum, qui domi manſerunt, octavus Judex, ingenio, ſapientia atque bellica excellens peritia, ſuas regiones undique præſidiis, cuſtodiis vigiliisque munire ſtuduit: Cui in deliciis fuerunt ludi equeſtris exercitia, maxime vero omnium, inſtar pretioſi theſauri arma, ac apparatus militaris. In finibus regionum tria valde memorabilia extrui juſſit propugnacula & armamentaria: *Unum* videlicet in Cimbrorum terra, Vitlandia ſeu Jütlandia, mare occidentale verſus, contra excurſiones & piratica Anglorum, Scotorum, Friſiorum aliorumque finitimorum latrocinia. *Secundum* in Sælandia, in colle littori verſus meridiem proximo, contra Obotritarum, Suardonum, Saxonum, & Angrivariorum impetum: Quod propugnaculum ab arce poſtea appellatum eſt *Vardingburgum*. TERTIVM denique apud Gethas in Hallandia in locis nempe maritimis, quæ Sueciam attingunt & Norvagiam: Cui deinde munitioni a monte ibidem hocce inditum eſt nomen: *Varebierrig* id eſt, mons cuſtodiæ. Appellavit autem iſta illa; Propugnacula, excubias atque cuſtodias militares: eo nimirum fine, ut his ipſis terram ex omni parte tueri, furentesque hoſtium impe-

Truid octavus Cimbrorum judex.

Antiqua propugnacula & Armamentaria.

impetus contundere, immo internas quoque seditiones comprimere & possent & deberent incolæ. Tempore pacis hic arma publica omnisque generis instrumenta bellica, asservanda curavit & reponenda, inque locis insuper editioribus collium & montium rogos pyrasque militares construi jussit, quibus accensis, omnes & singuli sine ulla mora & confestim ad arma pro salute communi capienda & ad hostem fortiter repellendum essent paratissimi, negligentibus irrogata capitis omniumque bonorum jacturæ pœna.

Militares rogi & pyræ in excelsis constituuntur montibus, quibus in hostem ac ejus impetum concitantur incolæ.

His ita de consilii sententia confectis, ab hoste tum domestico tum extraneo tutus dulci perfruebatur pace, ut in tam tranquillo statu populus etiam ipsius & numerosior & felicior sit redditus. Regnavit circiter triginta annos, vita defunctus anno mundi 2296. Ab Eluvione 639.

Post obitum *Truidi*, quum jam quasi respiraverint regiones, suisque solutæ fuerint curis, propterea quod ingens Cimbrorum & Gothorum multitudo in Borringholmiam ac Gullandiam demigraverit, vberrimosque ibi & maxime fertiles incolere cœperit agros, commoda illa secum ferentibus aliquot, qui inciderant, propitiis annis: Cimbri isti, qui domi remanserunt, longo temporis intervallo (quo nimirum in Gullandia imperium tenuerunt Hafder, Guthi, Greppa, Guelphinus, Vamling & Habling) vitam in otio & continua traduxerunt quiete; de quibus cum nihil vere commemoratione dignum effecerint, parum quoque memoriæ proditum esse animadvertimus: usque dum tandem potentiores facti fuerint Gothlanhi, tantamque illis potentiam & felicitatem acerbius invidentes Germanorum circumjacentes maritimæ urbes non navigantes tantum piraticis infestare latrociniis, sed in anteriora quoque Gothlandorum maritima loca vi invadere animum induxerint, expugnatis demum, quæ Gullandiæ a latere erant sitæ, Garolinis insulis, magnis pariter & parvis, ut hinc Gothlandi una cum Judice suo Hablingo, ad reprimendos tam violentos impetus arma denique, & quidem opinione citius, caperent.

Germani insulas Caroli majores & minores occupant.

Gubernacula autem regni Cimbrici tenuit tunc temporis Cimbrorum Judex Inguarus, cujus auxilium contra Germanorum incursum anxie implorabant Gothlandi. Et, quum ille ipse loca incoluerit maritima orientem & occidentem versus, multa & innumerabilia mala, injuria prædatorum, perpessus quotidie ideoque ad ineundum cum Gothlandis fœdus eo promptior & facilior, classem ingenti instructam exercitu ornavit, eidemque suum præfecit fratrem Gunnerum, qui navigatione admodum secunda per mare orientale facta, opportune advenit, copiisque & plenæ Gothlandorum expeditioni se adjunxit, Germanos direptores perfortiter cædens insulisque expellens Carolinis.

Cimbri Gullandis auxiliantur.

Germani ex insulis Caroli pelluntur.

Quibus prospere jam gestis Gothlandi, omnis ulterioris periculi expertes, mox & confestim cum Gunnero in Cimbriam navibus reversi populo ibidem suppetias venerunt contra fratres quosdam *Fitalianos*, qui

Fratres Fitaliani in

mare balthicum continue pervagabantur, ut vel in navigantes impetum facerent, vel incolas depopularentur in finitimis habitantes locis. Ceterum in ejusmodi navigatione sua deorsum versus progressis, Fyoniam inter & Vittarum regionem, prope flumen, Sliam, & Hettebii, obviam tandem factus est pirata armatus, omni apparatu bellico instructus, nominatim *Helmiche*, cum quo Gunnerus, qui navibus suis primum erat advectus, e vestigio & sine ulla mora prælio dimicavit, in quo tamen, occiso Helmichio, Gunnerus suum etiam accepit vulnus lethale. Sequentes demum Cimbri & Gothlandi pari quoque fortitudine cum reliquis prædatoriis pugnarunt navibus, plane prostratis hostibus illis, & integra istorum classe prorsus omnino expugnata.

balthico mari.

Helmiche pirata formidolosus exstinguitur. Gunnerus lethali afficitur vulnere.

Post id tempus supra dictis Cimbris & Guthlandis summa semper fuit amicitia, consuetudo, vicinitas & magnus usus: Multi etiam ex Gullandis, qui in regione manebant, larem & domicilia sua ad flumen, Sliam, inque proximis constituerunt locis maritimis, ibique tandem magnificam ditionis & imperii extruxerunt sedem, quæ in sempiternam memoriam nomine ipsorum appellata est *Gotherstorp*, hodie vero *Gottorp*: Prorogantes denique fines suos, occidentem versus, ad *Vittas* usque, ubi nunc est præfectura Vidingensis.

Gullandi vel Gutlandi ad Slesvicum sua constituunt domicilia, & construunt. Goterstorp; Gottorp.

Similiter ex Cimbris istis haud pauci sedes in Gullandia incoluerunt *Hablingo* & *Hanguavo* liberaliter illos tractantibus, ut in parte nimirum terræ illius meridionali, proprium portum propriaque habitationis loca, rerumque suarum constituerent summam. Ex his ipsis suam jam originem trahunt Gullandici *Vittæ*, quos Incolæ alioquin & Germani nuncupant FITER. Munitissimum deinde in excelso illo monte, HORBORG, construentes propugnaculum, suas postea in hunc usque diem inibi tenuerunt possessiones.

Cimbri in Gullandia sedes tenent.

Cimbri & Vittæ in monte Horborg propugnaculum extruunt.

Tanta & tam gloriosa de subacto hoste, in finibus cum *Gullandiæ*, tum *Jütlandiæ*, reportata victoria ingenti afficiebantur horrore circumjacentes provinciæ Germanicæ, civitatesque maritimæ, ut piraticis navibus publica maris itinera amplius infestare, multo minus in fines Cimbrorum & Gullandorum invadere per longum temporis intervallum ausæ non fuerint. Quæ quoque causa erat, quamobrem modo dicti Cimbri & Gullandi in optimo & diuturno postea otio, culturæ agrorum diligentius vacantes, honestam sobriamque degerint vitam, ædificiis undique extructis, & terra sua in meliorem collocata statum, usque dum tandem facti iterum fuerint valde numerosus & præpotens populus. Et, quoniam isto pacis tempore nulla offerebatur occasio, magna in rebus bellicis & præclara efficiendi facinora, de Cimbrorum Judicibus eorumque rebus gestis nihil quoque memorabile oleo & opera exaratum reperimus. Quamdiu vero Gothlandi in orientali mari, & circa maritima loca, Germaniæ proxime adjacentia, dominatum occupaverint, fama ipsorum in finitimis quoque urbibus

Magnum & acre bellum causa est diuturnæ pacis

mari-

maritimis, quin etiam per totam Germaniam, valde illustris erat & pervagata, ad tempus usque judicis Cimbrorum Torrildi.

Interea in septentrionali hoc orbe variæ inciderant temporum mutationes, præsertim ob Cimbrorum, Gothorum, & Gutlandorum migrationem ex his ipsis regnis, quam anno mundi 2532do contigisse novimus. Quippe qui omnibus suis copiis primo Prussiam & finitimas occuparunt provincias, in quarum quoque possessione sub multorum Judicum imperio multum diuque permanebant, usque dum denuo adeo fuerint numerosi, ut iterum demigrare, & novas sedes novaque conquirere cogerentur domicilia. Inde igitur discedentes, ulteriusque, versus Mæotidem paludem, profecti in duas se dividebant partes nempe in orientales atque occidentales Gothos, hinc illinc in Asia & Europa longe lateque postea dispersos. Quemadmodum hæc & plura libr. V. in recensione generationis Gothorum fusius ampliusque explanamus.

Gothi, ex Prussia demigrantes, versus Mæotidem paludem tendunt

I. *Toreldus* gubernacula imperii Cimbrici tandem tenens ab exteris scriptoribus Rex appellatur Cimbrorum. Regionem & populum suum valde graviter debilitatum quum animadverterit, quin immo, circumjacentibus Saxonibus, atque piratis, maritima loca cum orientalia tum occidentalia incolentibus impense invisum & exosum: multum operæ in eo præcipue posuit, ut incolas in pristinum potentiæ gloriæque suæ antiquæ statum restitueret: Et, ut insidias atque incursiones hostium eo exquisitius observaret, sedem suam in medio regionis apud Cimbros ipsos constanrer tenuit, præsertim vero in illa regionis parte, ubi oppidum illud, quod *Veille* appellatur, postea est constitutum. Hic, enim aulam habuit regiam, a loco illo, *Jelling*, ubi ipsius posteri assidue demum commorati sunt, haud longe dissitam; Unde quoque tota illa regionis pars finitima in hodiernum usque diem dicta est præfectura *Torrildi*. Huic jam tanto Præfecto ad res bellicas bene gerendas adjuncta fuit fortuna ipsa, dum impetum & furores hostium a cervicibus populi non tantum depellere, sed hostes quoque ipsos, in terris suis, infracto adoriri animo consuevit. Bellum enim Frislandiæ & Belgio intulit, per Flandriam in fines Galliæ penetrans: qua in terra ejusque planitie, ubi nimirum ingenti stipatus exercitu castra locaverat, etiamnum stationis militum *Torrildi* exhibetur locus, in quo postea extructum est Turildi, ut vocant, monasterium, Bonitate vero & beneficentia Ludovici Pii factum est, ut Ansgarius, qui in Dania primus fuit veritatis Evangelii præco de Deo & Servatore Christo, ejusque diviniori cultu, in nuper dicto Torrildensi monasterio suum, quo confugeret, inveniret asylum, quoties vehementioribus paganorum persecutionibus erat expositus. Subditos suos benigne & clementer gubernavit Toreldus, qui, postquam longo temporis spatio, annos circiter 86, regno præfuerat, e vita tandem discessit, anno O. C. 2696. Ab Eluvione 1039.

A Toreldo vel Torrildo appellatur ditio seu præfectura Torrildensis in Jütlandia

Statiua Torrildi, & Turildi monasterium.

Post illum, ut fert opinio, clavum imperii tenuit *Elling vel Jelling*, ab obitu Torrildi Præfectus & Judex Cimbrorum constitutus. Robustæ enim & ingentis staturæ Gigas erat, in bello fortis & magnanimus, pariterque in omnibus negotiis suis magnificus ac laudabilis. Animose etiam, fortuna comite, bellum cum Saxonibus & Frisiis, qui priorum Præfectorum tempore, urbes, domos & bona Cimbrorum sæpissime diripuerant, & gessit & confecit, hostibus illis, ut intra proprios se continerent limites, coactis. Ætatem deinde in tranquillitate egit in ipsa Cimbria: prope urbem *Veille*, ut putant, sedem imperii incolens, suo nomine *Elling*, nunc *Jelling*, appellatam, a Regibus Cimbrorum & Danorum postea mirifice dilectam: Vt *Rex Gormius senior, ibidem loci*, ejusque illustrissima Regina, *Tyre Danneboed*, una cum filio, Rege *Haraldo Blaatand*, in collibus, ab utroque templi & cœmeterii latere sitis, locum suæ sepulturæ, velut insigne honoris & memoriæ nominis sui monumentum, constituendum curaverint, nostro etiam tempore epitaphiis vel inscriptionibus exornatum: Prout porro in descriptione generis Danorum Regum, per stirpium seriem indicata, observabis. Et, quoniam *Ellingus* ille omni laudis genere excellentior *Torrildo*, terra autem ista, proxime finitima a Torrildo nomen habet, & præfectura dicitur Torrildensis, pari ratione jam sedes aulica, *Elling* vel *Jelling*, cum adjacente ditione, ab *Ellingo* suum retinuit servavitque nomen, inque hunc usque diem præfectura appellatur *Ellingensis*, seu *Jellingensis*. Valde bene ac sapienter regnavit, annos circiter 75, vita defunctus anno O. C. 2771, a diluvio 1114. Quo extincto, sequitur

Elling vel Jelling Cimbrorum judex.

Vis vi repellitur.

Jelling olim Danorum Regum locus sepulturæ.

Nomen Ellingi præfecturæ Sellingensi in Cimbria impositum est.

I. *Vese* vel *Vise*, Cimbrorum Præfectus, & Vittarum Jutarumque Judex, cui itidem constans & perpetuum apud Cimbros erat domicilium, regnique sedes. Vir quidem animo forti & infracto præditus, sed fortuna & victoria longe inferior, atque, ut ex temporum apparet historiis, in aciem dimicationemque cum Saxonibus, Mersis atque Frisiis veniens: Qua belli occupatione adeo fuit impeditus, ut reliquis provinciis suis necessariam opem auxiliumque ferre haud potuerit. Etenim vicini & finitimi hostes commodam, hac de caussa, in ipsius regiones invadendi occasionem nacti, prædam & rapinas, quisque prout potens erat, secum auferebant.

Vese vel Vise judex in Jütlandia.

Æuo illius animadvertimus primum, in magna fuisse *Humlum* potentia, Præfectum & dominatorem Sælandiæ. Vixit autem *Vese*, post fata illa, ad summam senectutem, putaturque e vita migrasse anno mundi 2859. Ab Eluvione 1202.

Præterea opinione augurantur, ipsum prope *Hædebye* esse sepultum, quo in loco ejusque agris adhuc reperiri contendunt accumulatos lapidum saxorumque acervos, quibus

Hæde, non autem Hædebye: quæ urbs multis post annis est extructa.

bus aliquot abhinc annos inciſas viderint legerintque ſequentes litteras Runicas:

\- - - - - - -

Hic jacet VESE ex urbe Hetum,
Sub dio & madida nube.

Huic *Veſio* protinus ſuccedens

Böghe judex Jütlandiæ & Insularum.

I. BÖGHIUS (quem annales & monumenta vetuſtatis Friſicæ *Boccerum* & *Boche* nominant) ad Cimbrici regni, ejusque inſularum, gubernacula acceſſit, vir valde ſapiens pariterque prudens, qui, cognito penitius, in quo conſtitutæ erant regiones ſuæ, periculoſo ſtatu, in anguſtias ſe utrinque redigi diligenter obſervavit, nimirum, orientem verſus copiis Humli, Sælandiæ Præfecti, & occidentem verſus vi ac injuria Juttonis, Ducis Saxoniæ, continuum finitimæ Cimbriæ bellum inferentis, ut hinc ejusmodi furentes violentosque hoſtium impetus utrobique eodem ſimul reprimere tempore nulla ratione nulloque potuerit modo. Qua de cauſſa, cunctis rite ponderatis, præſertim quomodo ſuam & Humli terram dividebat mare, Saxones tanquam viciniores, & a quibus maxime ſibi metuendum erat, primum adortus aciem illorum feliciter profligavit, utque in poſterum ab excurſionibus Saxonicis ſuos eo melius tueretur fines, hos ipſos (ut putatur) primum ad Sliam, & quidem ab orientali maris littore, adverſa regionis via, amplo maximoque vallo & foſſa circumdedit; Quæ ipſa munitio communiter nomine ejus appellabatur *Böghisuerck*, id eſt, opus Böghii, a Saxonibus vero *Kouercke*, poſteaque demum, quum a Danorum Regina, *Thyre Danneboud*, & ſimiliter a Rege *Götthricho*, aliisque validiſſime fuerit conſtructa, dicebatur *Danneuercke*, id eſt, Danorum labor & opus.

Humle illuſtris Sælandiæ Præfectus.

Bögisuerck, id eſt, opus Böghii, poſtea dictum Danneuerck Danorum opus.

Sælandi & Saxones Jutis moleſti.

Ceterum hoc ipſius conſilium exoptato ferme carebat eventu, quum *Humlus* tempore illo, quo *Böghius* bello valde graviter implicabatur Saxonico, idoneam arripuerit occaſionem, inſulas minoresque invadendi regiones, *Falſteram* videlicet, *Lollandiam* & *Monam*, quas quoque expugnando in ſuam redegit ditionem ut *Böghius* tandem præter omnem opinionem exercitum contra *Humlum* inſtruere, adeoque duplici velut acie confligere fuerit coactus. Etenim ipſi Saxones, qui *Böghium* milites jam in expeditionem eduxiſſe perceperant, novam e veſtigio tentabant incurſionem, ad quam contundendam ille mox reverſus acerrimo cum iisdem dimicavit prælio, & tanto tamque ſecundo exitu, quin etiam tam plena de proſtratis hoſtibus reportata victoria, ut Dux illorum VITTO, vel VIT, in ſummas adductus anguſtias pacem maximopere rogaret. Quam ei libenter quoque & æquo conceſſit animo *Böghius*, ut ſuis in Sælandia ſubditis, & Inſulis, eo celerius veniret ſuppetias. Quoniam vero Saxonum inconſtantia & mentis mutabilitas ipſi plane cognita fuit & explorata, fœdus cum *Vittone* pepigit, inque pignus eo tranquillioris obtinendæ vicinitatis, filiam ſuam *Gunneram*, quam alioquin hiſtoriæ Friſicæ *Cuneram* nominant, ei in matrimonium dedit, meridiana inſuper Jütlandia, quam nunc Ducatum nuncupamus Sleſvicenſem, ipſi toto vitæ tempore, inſtar prædii beneficiarii, vulgo feudi inſtar, tradita, ſuæque fidei & poteſtati commiſſa.

Böghius cædit Saxones, eosque ut pacem rogent, cogit & adigit.

Fœdus inter Jutas & Saxones.

Ab hoc *Vittone* opinantur Friſii, aliique vetuſti ſcriptores, Jütlandiam ſuum primo conſecutam eſſe nomen, aliæ vero antiquitates & vetuſtate & veritate præſtantiores docent, oſtenduntque apertius: *Vittarum Jutarumque* nomen, & res pariter geſtas longe eſſe antiquiores, ſuumque ex Vittis ac incolis Vidingenſibus in Jütlandia, ut ſuperius diximus, ducere initium. Quibus cunctis ita diſpoſitis, *Böghius* contra *Humlum* ſine mora & confeſtim omnes ſuas ad Sælandiam adduxit copias, quamvis ob Humli vigilantiam, ſuis tempeſtivis commodis utilitatique jam pridem ſervientis, parum efficere potuerit. Unde factum, ut inter illos acre ac diuturnum accenſum geſtumque fuerit bellum, in quo *Böghius* nihil extimeſcens, nihilque, quod homini accidere poſſit, intolerandum putans, magnam quidem, ut amiſſa recuperaret, præ ſe fortitudinem diligentiamque tulit, mors vero ejus interveniens, quæ cuncta alioquin hominum turbat & divellit conſilia, finemquoque huic impoſuit bello; Populum enim Cimbricum annis propemodum quinquaginta hucusque regens *Böghius* migravit demum ex miſera hac vita, anno mundi 2909, ab eluvione, 1252.

Jutici nominis prima & vera origo.

Quum vero ab obitu ipſius nemo unus ex materno oriundus ſanguine extiterit, qui ex ephebis excedens ad imperii ſederet gubernacula, VITTO, de quo ſupra verba fecimus, comite *Suenone*, ex ipſis regni optimatibus, uno, impetum in Jütlandiam fecit, opinatus, ſe non tam affinitatis cauſſa, quam pariter quoque ipſa vi militari Cimbricum occupandi regnum opportunam nunc nactum eſſe occaſionem. At vero Cimbri, hoc repente cognito, quibus in recenti adhuc verſabatur memoria, quanta ſibi ſuisque majoribus fuerit peſtis, & quam pernicioſa atque diuturna terræ ſuæ intulerit bella, iſtud ipſius propoſitum diluere ac plane irritum reddere conabantur. Proinde proprio jam deſtituti præfecto, pariterque compertum habentes, *Humlo* Sælandiæ Duci juvenem eſſe filium, qui nominabatur DAN, & quem in ſenectute ſibi ut ſocium adjunxerat imperii, quique inſuper periclitante jam rerum Cimbricarum ſtatu Cimbros ipſos facile adoriretur: Bene etiam gnari vicinitatis & amicitiæ, inter Sælandiæ ac Schandinaviæ incolas olim intercedentis, quippe qui ex Cimbris antea & Jutis frequentes ſibi conſtituerant præfectos: Ponderantes præterea exquiſitius, quomodo a latere orientali, vi fœderis ineundi, ab omni excurſionum periculo eo eſſe poſſent tutiores, atque neceſſitate demum urgente, tum ab illis tum ab omnibus quoque ſeptentrionis regnis certo certius expectarent auxilium: concordibus tandem decreverunt animis, ſe ad ſuperius dictum

Cimbrici Judices & progenies fere interemit.

Dan cum Patre ſuo imperium tenet.

DAN

DAN, HUMLI filium, ex selectioribus suis Proceribus aliquem esse missuros, qui mentem consiliumque suum ei demisse & humiliter his aperiret verbis: Si, nimirum, clementer sapienterque vellet regnare, legesque & instituta tueri, ac contra quoscunque hostes fortiter fideliterque dimicare, se hoc pacto illum, ut verum terræ patriæque suæ Dominum & præfectum, esse agnituros, declaraturos, promptoque semper obsequio & summa prosecuturos veneratione; DAN vero, Vir juvenis, cui magna & vehemens erat regnandi cupiditas, statim in propositam descendit conditionem, lectoque ingenti exercitu, comite fratre suo ANGUL, quanta potuit celeritate in Vittarum terram seu Jutlandiam profectus, Saxonum copiis se obtulit ad aquas SLIÆ, ubi Böghius antea maximo se contra illos communiverat vallo, benignaque usus fortuna aciem ipsorum fortiter disjecit & animose. Quibus factis, apud animum cogitavit, qua ratione contra continuos hostium impetus, quos huc usque exceperant incolæ, suos defenderet fines. Quocirca in excubiis hic fratrem suum Angul, nonnullosque ex regni primoribus constituit, mandato incolis vicinis dato de diurnis nocturnisque diligenter agendis vigiliis, ut in armis semper essent, accensisque pyris militaribus, viritim ad loca assignata, quisque in sua militari cohorte, se conferrent. Quæ fortunæ, victoriæ, consiliorumque laude jam excellens DAN magnum sibi apud plebem conciliavit favorem, ut hinc omnium incolarum suffragiis constitutus fuerit Cimbrorum Vittarumque Dux & Dominus. Qua de caussa, cum in sua pridem ditione & potestate etiam esset pars Schandiæ, & tota Sælandia, una cum adjacentibus insulis & provinciis minoribus, inter omnes istas regiones earumque habitatores sempiternum fœdus sanciendum curavit, ex iisdem regnum constituens, quod & suo & camporum appellavit nomine, Campum Dani, hodie vero Daniam nuncupamus.

Jutæ Dano suum offerunt regimen.

Jutæ & Sælandi ex Jutlandia Saxones pellunt, profligatis eorum copiis.

Angul in parva illa regione, quæ dicitur Angelen, in excubiis constituitur.

Dan constituitur Jutarum Præfectus.

Dan in unam potestatem redigit Jütlandiam, Sælandiam, Scandinaviam, & insulas; indeque regnum constituit quod nominat Dans Marck, id est campum Dans.

Quod omne contigit anno mundi 2910. a diluvio, anno 1253, Davide imperium in Judæa tenente, & in toto orbe penes *Eupalem* existente summa potestate monarchica, pariterque in Italia regnante *Latino Sylvio*; quin etiam, iisdem fere temporibus, quibus Lacedæmonii, Corinthii & Britanni sua fundaverint constituerintque regna.

Hoc igitur modo, hac via, hisque initiis primo ortum est potentissimum Danorum regnum, pristino Cimbrorum Judicum imperio tum prorsus omnino desinente, quod sub propriis huc usque Præfectis, in patria terra natis, annos circiter 1059 floruerat, nunc vero in alienam progeniem, *Humli* videlicet Sælandiæque & Schandiæ Præfectos translatum. Nec tamen, ob mutationem istam, plane ideo interiit Cimbricum nomen, genusque Cimbricum cum suis consanguineis, quin potius nomen illud in hunc usque diem, atque in sempiternum etiam tempus, ad omnem omnis posteritatis conservetur memoriam, inprimis, cum, sub imperio postea Danorum Regum, Cimbrica soboles in summa fuerit dignitate & existimatione, inter præpotentes præcipuosque regni Proceres numerata; quippe quæ priorem quoque auctoritatem, occasione data, pristinæque dignitatis gradum & amplitudinem arcte tenuit, accurateque defendit, quamuis Regem Daniæ tanquam Dominum suum, summumque agnosceret Magistratum; Quemadmodum de his cunctis Te copiosius edocebunt annales Danici, qua nempe ratione *Tosten*, *Fenge*, *Orvendel*, *Amlet*, *Hogen*, *Hatter*, *Rœrich*, nobilisque illa virgo *Heth*, aliique multi, ipsis etiam Regibus clavum imperii Danici tenentibus, ad gubernacula regionis Cimbrorum Jutarumque regendæ accesserint. Et licet notissimum sit, quicquid postremi et recentiores Gothici & Suecici scriptores, nimirum Joannes Magnus, Ericus Georgius, Petrus Petræius, Joannes Messenius, &c. *de Humli et Dani* prima & potente progenie atq; origine, quam ad Magogum & diluvium referunt, fusius tradiderunt, contendentes, Magogum in regiones istas, annis ab eluvione 88. advenisse, priusquam terra fuerit dispertita, Babylon extructa, & linguæ divisæ, aut aliquis ad nova loca novasque conquirendas emigraverit sedes, nihilominus tamen (cum haec omnia sacris repugnent litteris, quas in hac paganorum caligine stricte sequimur, praetereaque ipsa antiquitatis nostræ Danicæ monumenta plerumque sileant, quæ *Humlum* haut aliter ac Præfectum et illustrem Sælandiæ Dominum describunt, varias ibidem ditionis suæ habentem sedes: *Unam* videlicet in medio regionis, ad locum, qui dicitur HUMLEOURE; *Secundam* prope *Cimmersloff*, vbi ab Episcopis postea Roschildensibus extructa est sedes illa, quae vocatur *Suendstrupgaard*; *Tertiam* denique in septentrionali regionis parte, a freto Sundico non longe dissitam, in sylva videlicet, quæ est ad *Humlebeck*; in qua etiam sede sua, velut ex specula, super omnes sylvas, naves in fluviis Danorum hinc illinc adventantes nullo negotio prospicere potuit) Nihilominus inquam, ista omnia hoc tempore in medio relinquimus, vberioremque postea in secunda huius historiæ parte dabimus explanationem stirpis Danorum Regum, eorumque in serie regia posteritatis, a sæpius nominatis HUMLO & DANO primordia recensionis capturi.

Est denique sine controversia, fuisse Cimbros & Jutas omni ævo populum valde celebrem, fortem, constantem, & ingenii, diligentiæ, atque belli excellentem laude, tertа pariter marique præpotentem, qui in patria & extra patriam pacis bellique tempore longe majores præstantioresque res gessit, quam quæ Saxoni aut ex nostris historicis Danis illi vnquam notæ fuerint, ut easdem

Laus & fama Cimbrorum in patria & extra patriam in regnis exteris.

ore vel calamo potuiſſent exprimere, quippe quas ab exteris tamen ſcriptoribus fuſius diſertiusque commemoratas deprehendimus. Illi enim, nempe Cimbri, præcipuas Germaniæ, Vallandiæ, Galliæ etc. partes occuparunt, Romanumque regnum in ſummas adduxerunt anguſtias, ſubactis Parphyrio Carbone et Mario poſtea Junio Sylvano, primoribus regni, ipſisque belli ducibus, praetereaque ad Rhodanum in captivitatem ducto Aurelio Schauro totum Romanorum exercitum una cum Cajo Manlio penitus proſtraverunt. Cæſa enim fuere centum et quadraginta millia militum, ut ex toto demum exercitu vix decem evaſerint viri, prout in annalibus ſuis ipſi conqueruntur Romani, Cimbrisque libenter concedunt, ſe nullo in bello tanta tamque horribili cæde, tantaeque multitudinis hominum affectos fuiſſe jactura. Quin etiam, omnia et ſingula vetuſtatis monumenta tradunt et teſtantur, in maximo periculo et extremo pene diſcrimine fuiſſe tum temporis Romanos, deque ipſis, eorumque regimine, niſi mox interveniſſet Marius, plane fuiſſe actum et conclamatum. Et, quamvis modo dictus Marius ad Aquas Sextias, poſteaque cum Catullo ad fluvium Atheſin Cimbris maximum inferens damnum, trecenta millia virorum partim internecioni partim captivitati dederit, cum videlicet tam inaudita utrinque contigit ſtrages, ut ipſi Maſſilienſes poſtea omnes omnino campos et agros ſuos mortuorum in prælio iſto proſtratorum oſſibus, velut ſepimento quodam vallaverint, neutiquam tamen Cimbri illi (ut ex Romanis alioquin ſcriptoribus nonnulli memoriae produnt) tum temporis prorſus et in univerſum deleti ſunt et extincti, quin potius poſt iſtud armorum certamen in variis quoque regnis atque regionibus longe lateque fuerint diſperſi; Quibus a Tigurinis demum libera et nova concedebatur ſedes, adeo ut in Helveticis finibus ſua conſtituerent domicilia: aliis tamen eorum ad paludem Mæothidem, primam illam et antiquam ſuam redeuntibus ſedem, aliis porro in Ungariam et Græciam, et aliis denique in Germaniam et Belgium ſe recipientibus. Unde inſuper apparet, Cimbros, qui in ſuis militaribus in Galliam et Italiam profectionibus ad Rhenum remanſerunt, hic conſtituiſſe *Aduaticos*, populum præpotentem et impenſe celebrem, quem cum Julio Cæſare bellum poſtea geſſiſſe cognitum exploratumquehabemus; Quin etiam ſequenti tempore, præſertim Imperatoris Auguſti, iſti nuper dicti Cimbri tum potentiæ tum dignitatis gloria valde bene excellentes perpetuum, teſte Strabone, cum Auguſto ipſo inierunt fœdus, cui muneris loco ſartaginem, ex ære Cyprio formatam, pretioſiſſimam illam et ſingulari opera artificioque perfectam, donarunt. Et tandem, ut perhibet Tacitus, ducentis fere et decem annis illi ipſi Romano regno plurima intulerunt bella, quibus ad res tam magnas bene gerendas divinitus quaſi adjuncta fuit fortuna.

Huc usque igitur *de Cimbrorum, Vittarum, Jutarumque Danicorum prima origine, initio, rebusque in* HOC IPSO REGNO *præclare geſtis.* De illorum præterea expeditione, fortitudine, et reliquis memorabilibus, quæ *foras* in aliis quoque regnis geſſerint et effecerint in tota propemodum Europa, fuſius uberiusque, Deo volente, in *Danicis noſtris annalibus*, quia *ad res Cimbrorum* EXTERAS ſpectant, verba facturi ſumus. Cimbri nati, auſtralem regionis partem incolentes, ſemper et in hunc usque diem Inſignia præ ſe ferunt Militaria duobus inſtructa Leonibus cœruleis, quos aurea excipit ornatque planities. Qui vero in ſeptentrionali habitant parte, Leonem oſtendunt cæruleum, cui novem ſubjecta ſunt corda: Nonnullis Cimbrorum emigrantium Inſigne erat bovis caput, nigrum puta, in aurea apparens planitie, cujus quoque mentionem facit Plutarchus.

1.



Humblus, Judex Sielandiæ VI. vicinarumq; Insularum.

2.



DAN FILIUS
Humbli, primus
Daniæ Rex Regnig conditor.

3.



Cimber.

4.



Sicamber
Francus à Cimbris descendens.

5.



GOTHVS MILES.

6.



GEPEDA seu
Geta gothicæ prosapiæ.



Iuta.



Suevi

Antiqui Saxo,



Juta.



Frisius.



Svevus.



Anglo Svevus cimbricus.



Antiqus Saxo, Holsatus.



Ditmarsus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





CELTA.



LONGOBARDVS.



QVADVS.



MARCOMANVS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



V.

HISTORIA RERUM DANICARUM

QUA RES

POST EXCESSUM CHRISTOPHORI BAVARI, VETUSTISSIMAE REGUM DANIÆ PROSAPIÆ REGEM ULTIMUM,

SUB

REGIBUS E DOMO OLDENBURGICA,

CHRISTIANO I. JOANNE I. CHRISTIANO II. FRIDERICO I. CHRISTIANO III. ET FRIDERICO II.

GESTÆ CONTINENTUR.

AUTORE

JO. ISACIO PONTANO,

REGIO HISTORIOGRAPHO.

TOMUS HACTENUS INEDITUS, HISTORIÆ RERUM DANICARUM A PONTANO ANNO MDCXXXI. LIBRIS X. EDITÆ CONTINUATIONEM COMPLEXUS,

QUEM AD EXEMPLAR, QUOD IN BIBLIOTHECA PUBLICA UNIVERSITATIS HAVNIENSIS SERVATUR, DESCRIBI CURAVIT,

FRIDERICUS ROSTGAARD,

A. MDCLXXXIX.

CHRISTIANVS REX EJUS NOMINIS PRIMUS COGNOMENTO DIVES.

Improle igitur, ut meminimus, e vivis ſublato Rege *Chriſtophoro*, funeratoque confeſtim præſulum procerumque regni Daniæ ad Sveones Norvagosque literæ miſſæ, quibus eos de obitu ſui Regis certiores redderent, orantes ſimul, ut dies Helmſtadii ſtatus certusque indiceretur, quo in unum convenire deque novo Domino ac Rege eligendo, qui tribus hiſce regnis Daniæ, Sveciæ ac Norvagiæ cum imperio præeſſet, agere unanimes ac ſtatuere poſſent: Idque ſecundum pactum, quod inter eadem regna tempore Reginæ *Margaretæ* fuerat initum, ac poſtmodo ſub *Erico Pomerano* eorundem regnorum Rege Calmariæ atque ultimo demum Stocholmiæ ſub *Chriſtophoro* erat renovatum firmatumque. Verum ad Sveones quam primum de morte Regis rumore famæ eſſet perlatum, irrita reddita, quæ, ut ante innuimus, indici Jenecopiæ *Chriſtophorus* Rex comitia curaverat; factumque de aliis Stocholmiæ ad diem corporis Chriſti celebrandis decretum ex ſententia Sveonum fere omnium. Et licet per idem tempus neque mareſchallus *Carolus Canuti*, qui Finlandiæ præſidebat; neque regni Senatus univerſus Jenecopiæ præſens adeſſet, nihilominus tamen gubernatores bini, *Benedictus & Nicolaus Jonæ* fratres germani, Jenecopiæ ab eo, qui aderat procerum conſeſſu, nominati deſignatique, qui Sveciæ rebus regnoque moderando ad usque novi Regis electionem præficerentur. Eſtque tum quoque *Johannes Saliſtadius, filius Benedicti* jam memorati, in locum præſulis *Nicolai* nuperrime defuncti creatus ac denunciatus archiepiſcopus Upſalienſis. Duobus jam memoratis fratribus germanis *Benedicto* ac *Nicolao* perpetuo res regni concredere erat ſolitus *Chriſtophorus* Rex, ſi quando aut regno excedere aut alias abeſſe eum contingeret: Idem uterque fratrum, adjunctis ſibi, qui aderant, ex regni ſenatu Jenecopiæ reſponſum per literas Daniæ proceribus dedit, ſe haud poſſe de certo conventus die ſtatuere priusquam univerſus regni ſenatus conveniſſet, & eo etiam nomine primo quoque tempore comitia fore Stocholmiæ. Novus interea, quem electum diximus, Archiepiſcopus Upſalienſis una cum ceteris prælatis in omnem eventum, & quomodo jam ante prædeceſſor ipſius ſe ut omnium principem ac regni præcipuum moderatorem geſſit. Confirmationem vero præſulatus ſui Lugduno a Papa *Felice Amadæo* antea dicto Sabaudiæ Duce, de quo ſupra meminimus, impetraverat. Sed a *Nicolao* qui *Felici* ſucceſſit, quod a ſchiſmatico & Pontifice illegitimo eſſet admiſſus, ſevere increpatus. Unde & novum ab eodem *Nicolao* redimere pallium coactus fuit. Mox ut adveniſſet dies corporis Chriſti mareſchallus *Carolus* Stocholmiæ præ ceteris adfuit. Is ut erat ambitione præcipue turgens, occupatis ſuumque in uſum converſis præcipuis totius oppidi diverſoriis atque ædibus, quin & ſatellitio, quam ceteri, ampliori pluribusque comitibus ſtipatus, id egit, ut undique ſibi animos omnium conciliaret, & quaqua verſum ad ſuum nutum paratos ſibique faventes cum cives tum ceteros haberet, quo ita inter ſeculares ac nobilitatem præcellens atque

Johannes Epiſc. Upſal. regni moderamen ſibi vindicat.

Conventus de novo Rege eligendo retardatus.

Succeſſor regno interim præfidi.

Suecorum conventus ibique rixæ.

omnium eminentissimus ad regimen Sueciæ dominatumque paulatim proveheretur. Post hæc ubi advenissent omnes, patresque consedere, inter se haud convenire nec de Rege eligendo certi quid statuere potuerunt. Præsules ceteraque pars potior ejus fere sententiæ fuit, Regem haud ullum nominandum designandumve, priusquam regnorum trium Senatus convenisset, idque ex pacto prædicto & maxime, quia tam multis id ipsum obligationibus totiesque esset firmatum: ideoque nec decore ab eodem, nec juste posse recedi. Alii contra quibuscum mareschallus faciebat, respondebant, id pacti jam dudum esse rescissum, quia idem in regni unius maximum caderet emolumentum, in damnum vero ac detrimentum ceterorum duorum: & hoc cum unionis ipsius pugnare sententia; adeo ut illo si standum diutius foret, cum Sueonum præsertim nationis exitio id esset conjunctum. Quin & Danos, licet falso, quod docent præcedentia, ajebant, vel eo recessisse ab eodem unionis vinculo, quod Regem *Christophorum* in Regem suscepissent Sueonibus inconsultis ideoque primo quoque tempore de Rege prospiciendum regno; Hæc aliquam multis diebus contentio tenuit, & est eousque provecta, ut a verbis quod dicitur, ad verbera & pugnam propemodum fuisset deventum. Obtinuit tamen postremo pars ea, quæ regno de Rege indigena providendum suadebat. Hinc plurium fere voces ac vota mareschallum *Canutum* Regem designandum pronuntiarunt. Estque pridie divi *Petri* ac *Pauli* in æde Morastenienſi inauguratio ejus habita, atque ipso deinde die divi *Petri* in ecclesia metropolitana Upsalienſi coronatio celebrata. Ac mox festo *Mariæ* corona quoque Reginæ imposita, & simul consecratus, quem electum supra diximus, archiepiscopus *Johannes Salistienus*. Equites vero auratos, in eadem sua coronatione creasse Rex numero triginta memoratur.

Sententia de Rege indigena susceptа.

Canutus eligitur, inauguratur, coronatur.

Suecis secessionem facientibus etiam Dani sibi de Rege prospiciunt.

Cum igitur a vinculo unionis trium horum regnorum se disjunxissent Sueci, ac sibi seorsim Regem sumpsissent, coacti etiam Dani de Rege ac domino eligendo secum statuere, nullis præsertim, ut supra dictum, relictis ex *Christophoro* & *Dorothea* liberis, unde nec *Dorotheæ Christophori* viduæ committi sceptrum tuto & absque unitorum consensu poterat. Quamvis virum eodem tempore ex ordine equestri inter Danos nobilitatis primariæ, cujus nomen non exprimitur, hujus ergo sibi multa magnaque, & primo quidem *Dorotheæ* nuptias, & per eas regni diadema pollicitum refert secutus *Crantzium* nobiliss. *Huitfeldius*. At sibi placiturum maritum *Dorothea* Regina haud obscure innuebat, quem ipsimet Regem salutassent. Et tandem ultro citroque multa habita deliberatione vocandum ad regni sceptrum *Adolphum* Ducem Slesvicensem, Comitem Holsatiæ unanimes recuncti decernunt; quam ille de se præclaram opinionem insigni ac laudabili ubique nominis fama moderatoque inter suos imperio passim excitaverat; quamvis eo quoque respicerent proceres, quod eo pacto principatus comitatusque Holsatiæ Daniæ regno adjungeretur: Quocirca ad eum confestim e numero procerum viri illustres delegati, qui regnum deferrent. Sed ille principum raro exemplo valetudinis ac senii allatis causis, se quam honestissime excusavit, adhortans interea ac suadens, ut Comitem Oldenburgi & Delmenhorstæ, Christianum, nepotem suum ad se evocarent, quod is ex antiquissima etiam Daniæ Regum prosapia genus duceret. Erat enim mater ejus *Hedviga* Ducis *Adolphi* soror, *Waldemari* tertii sororis filia, ut ita ipse *Christianus* filiæ sororis *Waldemari* tertii Regis filius fuerit, uti memorare quidem video nobilissimum *Huitfeldium*, sed autore, quem sequatur, non addito, ex omisso quoque nomine sororis istius *Waldemari* Regis, quæ mater *Hedevigæ* fuerit. At ea, mater inquam *Hedevigæ*, cum Crantzio teste, aliisque, *Elisabetha* fuerit, filia Ducis Brunsuicensis, *Magni* Torquati cognomine, soror *Bernhardi Henrici* ac Frederici Ducum uxor *Gerhardi* Slesvicensium Ducis, qui a Dithmarsis est cæsus anno Christi 1404, ut suo est loco memoratum, non reperio quomodo ad Regis Waldemari, ejus præsertim nominis tertii, sororem trahamus. *Reusnerus* hanc *Hedevigæ* matrem non *Elisabetham* sed *Catharinam*, at perperam vocat. Quamuis interea ad vetustissimam Regum Saxoniæ stirpem, ipsumque *Widekindum* Magnum, cui conjux Danica regii generis fuit, referendum *Christianum* Comitesque Oldenburgicos verum sit. Nec id modo, sed e Daniæ quoque vetustissimis Regibus, licet longa serie ortum accepisse & inde seorsim maternum genus *Christiani* repetendum, ita deducitur. *Elisabetha* enim, de qua dictum conjux *Gerhardi* Ducis Slesvicensium ex stirpe Brunsvicensi (cujus *Guilhelmus* filius *Henrici* Leonis, ducta Helena sive *Adelheida* sorore *Waldemari* secundi fundator habetur) mater *Hedvigæ*, avia vero *Christiani* fuit, quæ & recta linea & certa serie, ut & eam præcedentes Brunsvicensium Duces, ex eodem *Guilielmo* ac filia *Waldemari* primi Helena, sorore *Waldemari* II. Daniæ Regum, procedit. Quod ut clarius pateat subjecto schemate ostendendum est.

Adolpho D. Slesv. regnum destinant.

Qui id repudiant Christianum Oldenb. commendat.

Ejus ex stirpe regia ortus illustratur.

Henri-



Joannes Isacius Pontanus
Medicinæ D. Daniæ Regis Christiani IV. et
Ordinum Geldriæ Historiographus, in
Geldriæ Athenæo Hardervicensi Professor
Physices et Matheseos Obiit A. MDCXL.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Henricus Leo Dux Saxoniæ natus 1136. obiit 1195.

Waldemarus I.

Guilielmus Dux Saxoniæ obiit 1212.
Ejus uxor *Helena* soror - -

Waldemarus II. Rex Dan.

Otho Ducis Saxoniæ titulo cedere coactus Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis a Friderico II. Imperatore nominatur 1252.

Albertus Magnus Dux Brunſcicenſis obiit Anno 1278.

Albertus pinguis Dux Brunſuicenſis obiit 1318.

Magnus cognomento *Pius* Dux Brunſuicenſis.

Magnus cognomento *Torquatus* Dux Brunſuicenſis cæſus die Urſulæ 1373.

Fredericus Henricus Bernhardus Eliſabetha (aliis ſed perperam e *Catharina*) nupta *Gerhardo* Duce Slesuicenſium, Comiti Holſatiæ, *Henrici* Ferrei Comitis Holſatiæ filio.

Chriſtianus Comes Oldenburgicus

Theodoricus Com. Oldenb.
ejus uxor *Hedevigis*

Chriſtianus I. Rex Daniæ 1481.

Sed & alio inſuper modo ex veterum Daniæ Regum proſapia deſcendere *Chriſtianum* Oldenburgenſem, ejus nominis Daniæ primum Regem, repetendo ejus ſeriem ac lineam maternam a primo *Waldemaro* ejusque, filia alia *Richeſa* dicta, Sorore item *VValdemari* II, quæ Regi Suecorum Erico denupta fuit, commonſtrari ſimiliter manifeſte poteſt, & quidem in modum ut proxime ſubjecimus:

Waldemarus I. Rex Daniæ — Canutus

Richeſa datur in matrimonium — *Erico* Regi Sueciæ

Waldemarus II. *Helena* quæ datur Guilielm. D. Sax. de qua ſupra.

Ingeburga nupta *Byrgero*, ſed Regni Sueciæ adminiſtratori Duci Oſtrogothiæ

Magnus Ladelaus Rex Sueciæ

Ericus Dux Sueciæ

Euphemia nupta Alberto I. Duci Megapol.

Ingeburgis nupta Henrico ferreo Comiti Holſatiæ

Gerhardus comes Holſatiæ Dux Slesuicenſium

ejus uxor *Eliſabetha* Brunſuicenſis filia Magni Torquati, de qua ſupra

Hedevigis nupta *Theodorico Comiti* Oldenburgenſi

Chriſtianus I. Rex Daniæ.

Huit-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Huitfeldus & qui eum secuti, emendantur.

Huitfeldium igitur, cum *Hedevigam*, matrem *Christiani I.* filiam fecerit fororis *VValdemari* tertii haluciñatum hic liquet, nisi scripsisse eum, aut id voluisse dicamus, *Hedevigam* scilicet fororis sive fororum potius *Richesæ* & *Helenæ VValdemari*, non tertii, sed secundi nec filiam quidem, sed longa intercurrente progenie, abneptem fuisse, quemadmodum ex Stemmate genealogico utroque jam proposito est demonstratum. Quo itaque redarguuntur simul qui *Adolphum* Holsatum Slesvici Ducem avunculum Regis *Christiani*, pronepotem *VValdemari IV.* faciunt Nam is si *VValdemarus* ipsis intelligatur, qui puer duodecennis a *Gerhardo* Holsato avunculo suo ad Daniae sceptrum capiendum est incitatus (de quo suo a nobis loco est dictum) is inter Daniæ Reges non nisi ut insititius & hypobolimæus habetur, qui & genito filio *Henrico*, qui improlis obiit, huc omnino spectat. Non quod regia editus stirpe *VValdemarus* idem nobis negetur, sed quod ex ea descendere aut ad eam pertinere avunculum *Christiani Adolphum*, aut matrem ejus *Hedevigam* non reperiamus. Etenim *VValdemarus* hic (si ita appellare libet) quartus, ut demonstrationis ergo hoc ipsum nonnihil diducam, Slesuicensium Dux, ex sorore *Gerardi* Magni, qui & Calvus est dictus, patre *Erico* australis Jutiæ Duce, natus sororem habuit *Hedevigam*, quæ nupta fuit *VValdemaro* ultimo ejus nominis Daniæ Regum tertio, quæ & ipsa *Hedeviga* nihil ad *Hedevigam* eam, quæ mater fuit Regis *Christiani*, soror *Adolphi* Holsatiæ Comitis, nata patre *Gerhardo* Slesuicensium Duce, de quo dictum: cum illa, soror inquam *VValdemari* hujus Slesvicensis, præter Reginam Daniæ *Margaretham* & *Ingeburgam*, *VValdemaro* tertio non quidquam præterea, quod in vivis permansit, liberorum pepererit: Et ipse ille *VValdemarus* Hedevigæ ejusdem frater, edito in lucem filio *Henrico*, de quo & ante dictum, qui & ἄπαις obiit, nullam post se ulterius prolem reliquerit, ut ita neque *Hedevigæ* hujus, neque aspectu fratris ejus *VValdemari* Slesvicensium Ducis, (quem faciunt, ut diximus, Waldemarum IV.) dici vel ejus, id est, *Hedevigæ*, vel hujus, id est Waldemari, fuisse pronepos Rex Christianus ullo pacto potuerit, vel etiam possit, cum ejus, Hedevigæ inquam, stirps omnis in *Margaretha* & *Ingeburga* defecerit, quarum vicissim prosapia in *Erico* Pomerano & Duce Bavariæ *Christophoro* Daniæ Regibus finem habuit. Et fratris denique *Hedevigæ* ejusdem *Waldemari* Stemma haud ultra filium *Henricum*, quem improlem obiisse meminimus, se extenderet. Error interim tam nobilissimo *Huitfeldio*, quam ceteris hinc natus videtur, quod inter *Hedevigam* utramque, hanc scilicet, quæ mater fuit *Adolphi* & eam, quæ soror fuit hypobolimæi Regis *VValdemari* haud distinxerint.

Quo igitur eo, unde digressa est oratio, redeat, commendabat præterea *Christianum* avunculus *Adolphus*, a dotibus, quibus pollebat, principe viro dignis, quasque notas sibi referebat, quod ipsum utpote avunculus a teneris educasset; Cum ergo præter heroicas virtutes imperio dignas cognatione insuper pristinos Daniæ Reges sanguine contingeret, missa statim a regni senatu magnifica ad eum legatio fuit, etiam a Duce Slesvicensi *Adolpho* avunculo ejus, qui commonebat, ut honestissimam Daniæ procerum efflagitationem nequaquam reiiceret; Cui & ipse libens volensque assensum præbuit. Tradunt alii, auctore, quem sequuntur, non addito, patrem *Christiani Didericum* a delegatis hoc nomine conventum, omnium primo respondisse, esse sibi tres filios, sed ingenio dispares, & quidem juniorem utrumque hunc ad aleam & commessationes, illum ad justa injusta bella æque promptum paratumque: At tertium consilio magis quam impetu duci, nec quicquam pace potius habere, & esse postremo liberalitate & moderatione eximium; id proceribus referrent, sequem ipsi vellent, cessurum: atque ita evocatum tot animi dotibus idque omnium confessione insignem *Christianum*. Norvagi quoque suam de *Christiano* sententiam haud multo post evulgarunt ac declararunt, modo regni sui privilegia atque immunitates habere ratas, easque firmare vellet, tum etiam quod e stirpe esset regia Reginæ *Margarethæ*, ac verus Norvagiæ hæres se et libentes suffragaturos, nec unquam ab unione regni decessuros. Cum Suecis varii conventus habiti, variæque hinc inde commutatæ literæ, quibus commonebantur, ut se quoque similiter declararent, sed frustra apud eos haec omnia. Nam Regi potius, quem eligerant, se adhaesuros significarunt. Inde *Christianus* die Ægidii Abbatis Daniae universis incolis privilegia atque immunitates ejusmodi concessit.

Christianus I. in Regem accitur a Danis.

Itemque Norvagii.

Daniae regnum inposterum porro electivum esto. Si liberos nullos procreavit Rex, „ *Christianus*, nihil de regni bonis mobilibus, „ aut immobilibus heredes postulanto. Nul-„ lus introducitor in regnum Princeps exter-„ nus, nisi assensu consilioque regni senato-„ rum partis potissimae: nec externo cui-„ quam ulli assignantor reditus. Bellum abs-„ que consensu senatorum nulli indicundo.„ Neminem externum bonis aut possessio-„ nibus regni augento, aut in regni senatum„ admittunto. Nulla notabiliora negotia si-„ ne eorundem senatorum consilio assumun-„ to exsequuntorve. Nullam sine eorundem„ arbitrio consilioque arcem cuiquam red-„ dunto. Regni ceimelia ac codicillos extra„ regnum ne avehunto. Arces ac regni prae-„ fecturas nulli oppignoranto abalienantove:„ Si vero id factu opus fuerit, quod Deus„ prohibeat, tum e consilio reliquorum re-„ gni senatorum fiat. Aulam atque arces suas ex„ sententia consilioq; regni senatus Rex guber-„ nato. Nulli tributum autcensum indicito absq;„ eorun-

Transactio & privilegia ab ipso Danis concessa



Christianus I.
Rex Daniæ primus
Oldenburgicus. A.
Ætat. 56. Regni 32. Symbolum
Virtute monstrante viam

Arnhol fe Lugd.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„eorundem voluntate. Monaſteria aut ple-
„bem hoſpitibus ne onerato. Externus nul-
„lus munere tutoris, niſi id ſecundum leges
„ei competat. Quoscunque Rex *Chriſtopho-*
„*rus* Daniæ regni indigenis atque incolis, ſu-
„per arcibus ac præfecturis reditibus, privi-
„legiis, immunitatibus codicillos impertiit,
„quive prædictas præfecturas reditusque ac-
„ceperint, rebus adhuc integris, atque ipſo
„ſuperſtite, eos omnes codicillos ratos ha-
„beto. Ceteri & quos conceſſit poſt obitum
„alicujus, qui in vivis tum fuerit, aut alias
„elapſo necdum tempore, hi irriti nullique
„ſunto.

Hoc quoque publicum inſtrumentum Dux Sleſvicenſis *Adolphus* comes Holſatiæ, Stormariæ ac Schovenburgi, una cum ſenatu, qui aderat, pollicitus eſt nomine cognati ſui fore apud eum inviolatum ratumque, atque eundem mox a coronatione daturum Daniæ incolis univerſis ejusdem exempli ac tenoris diploma aliud ſub ſigillo ſuo majori.

Obſignarunt has literas Dux ipſe *Chriſtianus*, Dux *Adolphus*, *Nicolaus* præſul Sleſvicenſis, dominus *Johannes* ab *Ahlefeldt*, dominus *Johannes Breide*, dominus *Ottho Seſtedius* equites, *Bredo Rantzovius*, *Godeſchalcus* ab *Ahlefeld*, *Benedicti* filius, *Otto Splidt*. Actum Haderslebiæ, ut ſupra.

Inde quam honorificentiſſime a regni delegatis quam ab avunculo ſuo Duce *Adolpho* in regnum eſt introductus *Chriſtianus*; ac mox pridie diem Michaëlis in foro Wiburgenſi juramentum Daniæ incolis præſtitit, ubi & præcipui ex nobilitate aderant, qui eum maxima cum honoris ſignificatione exceperunt, ac eidem viciſſim ſacramentum dixerunt. Juramenti, quod Rex præſtitit, exemplum ejusmodi habetur.

Regis ſacramentum, quo Danis fidem obſtrinxit.

„In nomine domini amen. Nos *Chriſtia-*
„*nus* Dei gratia Daniæ, Vandalorum, Gotho-
„rumque Rex promittimus ac juramus coram
„Deo ejusque ſanctis omnibus, nos Deum
„T. O. M. ejusque veram ſapientiam reveri-
„turos culturosque, ut & orthodoxam fidem
„Chriſtianam, defenſurosque eccleſiæ præ-
„poſitos omnes, epiſcopos, prælatos, cun-
„ctasque perſonas eccleſiaſticas, equites, mi-
„lites, cives, negotiatores, colonos atque in-
„ſtitores, quam late patet Dania, idque ſecun-
„dum regni ejusdem atque incolarum morem
„atque immunitates. Et volumus præterea
„eorundem tranquillitatem publicam, leges,
„jura, privilegiaque, ipſis a Regibus Daniæ ma-
„joribus noſtris, indulta tueri atque defen-
„dere, ut & orphanos, viduas, peregrinos ali-
„osque calamitoſos: pacis e contra turbato-
„res, extorres ac fœdifragos e regno protur-
„bare, judiciumque ubique exercere rectum;
„inque publicæ pacis violatores ſerio ac ſeve-
„re animadvertere; Quo ita regni jura atque
„jurisdictio, coronæque decus integrum ſar-
„tumque habeatur. Decrevimusque majeſta-
„tis noſtræ ſigillo notare obſignareque intra
„annum a coronatione noſtra regni Danici
„una cum ſigillis procerum regni, diplomata
„etiam alia, quibus continebantur privilegia
„noſtra talibus expreſſa articulis, ejusmodi
„epiſcopi, abbates, regnique ſenatores, equi-
„tes, milites, aliique intra regnum viri probi
„agnoſcant ac fateantur, eccleſiæ regnoque
„fore uſui ac emolumento. Quin & nos au-
„lamque ac curiam noſtram, idque ad noſtri
„commonefactionem honeſtam ac rei majo-
„rem ſecuritatem componere toti conſtitui-
„mus ex ſententia ſenatus noſtri, ita nos ju-
„vet Deus & ſancta hæc ejus evangelia, uti
„nos univerſos hoſce articulos pro virili no-
„ſtro absque dolo malo ſervare atque exſequi
„libenter volumus.

Datum in foro Viburgenſi. Anno 1448.

Proximo hinc anno, qui fuit milleſimus ſupra quadringenteſimum quadrageſimus nonus, Norvagenſes obſequii ſui ac fidei erga eundem codicillos Malſterlandiæ datos pridie diei dominicæ poſt feſtum lætare evulgari curarunt, innuentes, comitis *Chriſtiani* legatos Obſoloæ adfuiſſe, nomine amicæ inter utraque regna Sveciæ & Norvegiæ jam olim pactæ unionis, & adhortatos, ut comitem prædictum in Regem aſſumerent: ſeque re proprius perpenſa cognoviſſe *Chriſtianum* jam nominatum Reginæ *Margarethæ* ſangvine admodum eſſe propinquum ac proximum Norvagiæ infantem, heredemque ſecundum jura ipſius Norvagiæ, & ideo conſiderato regnorum atque incolarum emolumento ſuſcipere comitem Chriſtianum in Regem Norvagiæ atque eum plena donare poteſtate regiaque authoritate ſtipulato prius cum ejus ſenatu, ut integra atque inviolata haberentur ejusdem regni Norvagiæ jura, immunitates ac conſvetudines. Ipſe viciſſim Rex hoc eos diplomate donavit: *A. 1449.*

„In nomine domini amen. Chriſtianus *It. Norvagis.*
„Dei gratia Norvagiæ, Daniæ, Wandalorum
„Gothorumque Rex electus, Comes Olden-
„burgi & Delmenhorſta: Notum eſſe omni-
„bus volumus, nos cum a regni ſenatu in do-
„minum ac Regem Norvagiæ, Malſterlandiæ
„eſſemus electi, aſſumti circa feſtum viſita-
„tionis Mariæ anni M CCCC XLIX. ab ar-
„chiepiſcopo, epiſcopis, equitibus, militibus,
„regni ſenatoribus, nobilibus, civibus ac ple-
„be univerſa, pollicitos nos fide certa, quod
„& hocce nunc inſtrumento plene certoque
„promittimus, nos in Dei ſanctique Olavi
„laudem atque honorem inque regni Norva-
„gici ejusque incolarum commodum, am-
„pliationem, ſubſidium aque opem omnibus
„Norvagiæ indigenis atque incolis hæc infe-
„rius deſcripta capita, privilegia atque im-
„munitates ſancte ac modis omnibus perpe-
„tuo ac inviolate ſervaturos. Et primo qui-
„dem Norvagiæ incolas ſuis legibus immuni-
„tatibus ac regiis ſtatutis, & ſanctam quoque
„eccleſiam ſuis privilegiis ac libertatibus uſu-
„ram fructuramque. Simulque & adpromit-
„timus, neminem nos exterum introductu-
„ros Norvagiæ regno, niſi ex conſenſu ſena-
„torum plurium, neque oppignoraturos aut
„literis datis aſſignaturos cuiquam extero re-
„gni

„gni proventus, neque etiam exte ro cui-
„quam arces aut præfecturas territoriaque
„possidenda traditurus aut eosdem in re-
„gni etiam senatum assumpturos, exceptis, si
„qui modo sint aut inposterum regno per
„connubia inserantur: neque bellum auspi-
„caturos absque consensu aut voluntate se-
„natorum regni, aut alias momenti alicujus
„negotia Norvagici regni coronam concer-
„nentia tractaturos, absque senatorum plu-
„rium arbitrio consensuque; neque arces et-
„iam ulli concredituros, nisi ex consilio se-
„natus regni. Volumus præterea, ut instru-
„menta ac codicilli, quicunque e Norvagia in
„Daniam sunt delati, regno Norvagiæ resti-
„tuantur, ubicunque etiam illi haberi pote-
„runt. Nulli etiam oppignoraturos aut ab-
„alienaturos pollicemur, regni arces, præfe-
„cturas, proventusve, nisi, quod Deus prohi-
„beat, id regni status efflagitarit, atque ea oc-
„casione non nisi consultis Norvagici regni
„senatoribus id ipsum fieri permittemus.
„Cum autem ipsi in Norvagiam advenerimus,
„aulam curiamque nostram non nisi per in-
„digenas, idque ex placito senatorum regni
„gubernaturos nos spondemus, nec ullum
„incolis tributum extra ordinem imperatu-
„ros, nisi ex conscientia & arbitratu regni se-
„natus, quicunque tum nobis adfuerit, idque
„secundum regni leges ac consvetudinem.
„Habebitque Norvagiæ regnum liberam post
„obitum nostrum, si nimirum absque liberis
„nos decedere contingat, electionem. Et
„est id ipsum hoc pacto, eritque in posterum
„regnum electivum, prout lege latum habe-
„tur. Nolumus insuper cœnobia, clerum
„aut plebem hospitationibus nimis crebris &
„frequentibus gravari, nec etiam ecclesiæ im-
„munitates nobis vindicare, ultra quam no-
„bis competit, aut nostri majores ante nos fa-
„ctitarint. Mandamus itidem, ac volumus ut
„codicilli, quoscunque suo tempore Norva-
„giæ indigenis tam secularibus quam spiritua-
„libus Rex *Christophorus* concesserit concer-
„nentes arces, præfecturas, reditus immuni-
„tates ac privilegia regni, ut ii rati firmique
„habeantur: Alios quod attinet, qui pigno-
„rum redemptiones spectant, post obitum
„alicujus ii irriti nullique erunt. Satraparum
„quoque intra Norvegiam a nobis ratio ha-
„bebitur, idque ex senatus sententia. Decre-
„vimusque anno quoque tertio, nisi quid im-
„pediat, ad Norvagos nos conferre, atque eo
„tempore quodcunque statuerimus, ratum
„esto ad usque proximum in regnum idem
„reditum nostrum. Nisi interea vel obitus
„alicujus vel excessus ac delictum erga nos
„cujuspiam, cui territoria, præfecturæ aut
„arces regni concreditæ fuerunt, aliter sva-
„serint.

„Constituimus quoque, idque obtestante
„utriusque regni senatu, ut regni utriusque Da-
„niæ Norvegiæque incolæ, qui vel e Dania in
„Norvegam, vel e Norvegia in Daniam com-
„merciorum aut piscationis gratia enavigant,
„a teloniis utrobique immunes habeantur.

„Præterea senatum nostrum regni Norve-
„giæ haud facile ad regni Daniæ comitia con-
„ventusque evocabimus, nisi serium aliquid
„occurrat, quod regnum utrumque attingat,
„cumque ad nos senatus idem noster aut alias
„regni incolæ ac subditi descenderint, eos
„quam potest citissime expediemus respon-
„soque procurato demittemus, ne quas nostra
„negligentia impensas majores incurrant.

„Quæ omnia singulaque pollicemur nos
„certo præstituros Norvagiæ incolis inviolate
„firmeque, quamdiu nos esse superstites Deus
„voluerit, inque testimonium ac certitudinem
„horum omnium majorem, curavimus hisce
„appendi sigillum nostrum. Oravimusque
„nobiles honestosque viros, senatores nobis
„dilectos regni nostri Daniæ, qui modo nobis
„adfuere, ut sunt aulæ nostræ magister dn. *Ot-*
„*tho Nicolai*, dominus *Eggardus Frille*, domi-
„nus *Laurentius Thomæ*, dominus *Johannes*
„*Biornonis*, dominus *Nicolaus Erici*, dominus
„*Magnus Ebbonis*, equites & *Ago Axillus* ar-
„miger, ut vice testium sua sigilla his eisdem
„litteris appendant. Datum Maelstrandiæ,
„ut supra.

Caroli R. Svec. res gestæ.

Postquam vero jam *Carolus* Sveciæ Rex so-
lenniter esset inauguratus, id continuo cœpit
agere, quo damna, quæ annos jam circiter no-
vem Rex *Ericus* ex insula Gothlandia Svecis
per intervalla intulerat, opportune repararet.
Nam *Ericus*, ut ante meminimus, insulam re-
lictis Daniæ, Sveciæ ac Norvegiæ tribus re-
gnis sibi sedem ac veluti secessum elegerat.
Quapropter validam classem insulæ ejus litto-
ribus Rex *Carolus* appelli fecit sub ducibus
Magno Grenio, & *Biggero Trolle*. Quibus &
illud in mandatis erat, ut pulso *Erico* insulam
suam facerent, ut Sveciæ regno, cujus olim
fuisset, postliminio restituerent. Quod facile
factu existimabat, præsertim cum nondum es-
set coronatus Rex *Christianus*, nec sibi regni
negotia sub hæc initia assumturus magnopere
videretur. Accedebat, quod insula eadem in-
tra Theutonum ac Sveciæ oras loco medio po-
sita maxime convenire Svecis, & iisdem vicis-
sim plurimum incommodare posset. Quod &
re ipsa jam pridem Rex idem *Ericus* expertus
est, cum septem e portu Stocholmiensi solu-
tas naves, quæ in adversam Germanicam co-
gitabant, butyro, ferro, ære ac boum coriis ali-
isque mercibus probe onustas, vi cepisset, adeo
ut totum id mare Balthicum piratico terrore
completum infestumque per idem tempus
ipse habuerit. *Caroli* itaque miles prima in
terram exscensione cum ab *Ericeanis* fortissi-
me impeteretur, repelli tamen aut sisti haud
potuit, cæsi contra ac fugati ipsi se intra op-
pidi Visbyensis mœnia receperunt, ubi cum
obsessi a mense Julio anni superioris ad De-
cembrem usque detinerentur, tandem ipsa
nocte divæ Barbaræ, qui fuit dies quartus De-
cembris anni adhuc antecedentis admotis
quam occultissime muro scalis civitatem Sveci
occuparunt. Qui & arcem exinde facile quo-
que negotio occupassent, præsertim commea-
tu aliisque ad obsidionem diuturnam parum
provisam,

It Gothlandiam inf. sibi vindicare Ericumque R. inde disturbare tentat.

Fugatis Erici copiis Visbyam urb. occupat, arce frustratur.

provisam, nisi mensium aliquot induciis, quas *Ericus* petebat, ipsi concedebant, delusi fuissent. Etenim *Ericus* evocatis in colloquium Svecorum ducibus multa de Danorom in se benignitate, de Svecorum vero vi & injuria disserens, illis nolentibus se hactenus insulam eam ut secessum ac portum quietis tenuisse referebat; at contra multoties ac Svecis modo *Engelberto* duce modo aliis concitantibus otium suum turbatum; Quamvis Regem non ignorarent, cum olim sacramentum dixissent; & unus item *Carolus* in opprobrium Svedicæ gentis assumto præter fas & æquum regni diademate se medio in mari & extra cæli propemodum ac solis vias positum procul a republica & negotiis honestum solummodo otium sectantem ferre tamen haud posse, & hoc sibi terræ tuber mari undique circumfluum invidere armisque ereptum accedere. Et licet respondèrent Sveci, sibi in mandatis esse, ut eum loco pellerent aut ejus vice aliam sedem assignarent, deliniti tamen iterata *Erici* oratione inducias concessèrunt. Sveci eorumque scriptores culpam hanc in utrumque exercitus sui ducem rejiciunt, eosque sub Svetica chlamyde (verba eorum sunt) animum Danicum texisse ajunt. Nam *Ericus* impetratis, ut dictum, induciis commeatu aliisque sibi luculenter prospici curavit, & literas continuo in Daniam ad regni proceres clam misit opem flagitans promittensque, si auxilium tempore mitteretur, se universam Gothlandiam ipsi traditurum. Conditiones induciarum, quas cum Svecis *Ericus* pepigerat, hæ fuerunt. Arcem Wisbyensem Svecis *Ericus* cederet, & loco ejus ad vitam reciperet Borcholmiam & Olandiam, cujus pactionis ergo obsidio exinde multo, quam antea, remissius procurata. Hanc arcem e solo & fundamentis primitus eduxisse, fossis ac munitionibus cinxisse *Ericum* ipsum, anno 1410. suo superius memoravimus loco. Exstatque ejusdem diploma eodem tempore promulgatum, quo civibus Visbyensibus cavetur nihil eam exstructionem eorum derogaturam libertati aut privilegiis nec velle hoc nomine ipsos ad hebdomales operas arci aut ejus præfecto præstandas ullo unquam tempore obligari. Dum autem in Dania essent *Erici* Regis, de quibus dictum, nuncii, auxilia & opem flagitantes, missi e Dania legati ad Regem Sveciæ *Carolum*, qui tum in proxima insula prope Calmariam, Olandia dicta, agebat. Postulabant hi, ut insulam Gothlandiam missam faceret, militesque reduceret, quod Gothlandia Danicæ coronæ esset propria, & primo quidem a *Waldemaro* ei subditam ostendebant, ac mox Regis Svecorum *Alberti* temporibus transactionem de eadem habitam qua ipse ejusque procuratores & mandatarii eam esse Daniæ regni permiserunt, & postea quidem oppignoratam Prussiæ dynastis, sed a Regina *Margaretha* decem millibus nobilium vicissim redemptam, ut facile ex hisce colligi possit, quid hic fidei *Johanni Gotho* debeatur contrarium asserenti ac multa minitanti se ex *Saxone* allaturum, quibus Sveciæ

Ericus inducciis pactis Danos in auxilium advocat.

Danici legati Carolum de relinquenda Gothlandia admonent.

Joh. Gothus notatur.

regno Gothlandia asseratur. At *Carolus* eam Sveciæ esse, idque satis constare asserebat, quin & se ab *Erico* hostiliter impetitum, ideoque nec reducere suos in animum induxisse, sed velle cœpta perficere. Statim exinde ipso vere anni 1449. classem Dani pararunt, cui *Olaus Axilli* præfectus. Hæc Gothlandiam festinato petiit, seque arci quam proxime applicans *Ericum* Regem ad se recepit, qui confestim acceptis navibus eas bonis regioque, quem apud se habebat, thesauro implevit Pomeraniam repetiturus. Classis quoque Danorum præfectique classis, postquam præsidio ac commeatu sic satis arci prospexissent, domum similiter regredi una cum Rege *Erico* instituerunt. At mox ubi Borringholmiam attigissent, flexa procinctu Rex Ericus Ruvaldiam Pomeraniæ, quæ erat ex adverso, suis cum navibus petiit, quarum binæ in littus rejectæ naufragium edidere; ipse in terram salvus delatus decennium & ultra etiamnum ibidem Ruvaldiæ superstes egit, postquam Gothlandiam annis novem una cum amica Cœcilia insedisset, ea mente, ut fratris sui filium Ducem *Bugislaum*, quomodo ipsi tempore Reginæ *Margarethæ* feliciter obtigerat, in Regem Daniæ assumerent. *Johannes Gothus*, quod ait Danis constitutum fuisse *Ericum* in Daniam deducere, sed ipsum eorum insidias fuga evasisse, id nec verum nec veri simile est cum ipse propriis usus navibus nautisque redire jam antea in patriam statuisset, atque ita quoque cum Danici exercitus ducibus ex pacto convenisset. Et licet hoc modo arcem obsidione liberassent Dani, eamque sibi asseruissent, Rex nihilominus *Carolus* ducibus suis serio mandavit exsequi cœptam obsidionem. Nec defuere, qui arci præsidio relicti erant id continuo ad Regem *Christianum* referre eumque docere, toleratum jam fere ad mediam usque æstatem obsidium, & incipere paulatim deficere commeatum, si tempori subsidium mitteretur, posse ulterius tolerari obsidionem, sin differretur longiusque tempus extraheretur, periculum fore nec evasuros, quin se arcemque dedere cogerentur. Quo accepto ipsemet *Christiernus* Rex Danorum electus, haud cunctatus eodem statim anno sub messis tempus cum navibus centum quinquaginta milite omnique commeatu probe instructus insulam petere. Quam ingressus est ipso mense Julio militiæ suæ robur ac florem Holsaticæ nobilitatis secum vehens adjuvante negotium undique re consilioque Slesvicensium Duce *Adolpho* avunculo ejus, quem & præsentem adfuisse ac Regi associatum, ut sunt, qui referunt, ita nihil ejus Holsatiæ annales meminerunt; nec verisimile annis gravem principem maritimo per id tempus itineri aut bello vacasse, ubi insulæ appropinquatum difficilia cuncta fuere. Nam nec Sveci cedere nec Dani quicquam concedere, quod illi flagitabant, animum inducere videbantur. Nam ut Sveci, quod agebatur, urbem & insulam; Dani, donec aliud statueretur, arcem ut possidebant ita possiderent, nullo adduci hi modo potuerunt. Itaque terrorem agere *Christianus*

Ericus Gothlandia profugus Ruvaldiam petit.

Ejus de Daniæ regno consilia.

Dani arcem Gothlandiam fortiter tuentur contra Svecos.

Christianus illis classe & commeatu succurrit.

nus aggressus copias in terram exponit, ac hostem, qui oppidum tenebat, invadens oppugnansque acriter aliquamdiu certavit, ac ultimo demum jussu ejus, tectis igne injecto, cum undique se is exsereret cunctaque vastaret, licet ædificia permulta ex solido exstructa saxo, fores ac fenestras ex ære factas haberent, Dani tamen, dum Sveci animis consternati stationes deserunt, effossa muri parte urbem irrumpunt cæsis mille octingentis, qui in armis erant, captisque pluribus, quos cum benigne habendos Rex *Christianus* juberet monerique faceret, ut fœdera, quæ pacta jam olim essent, rata haberent; idque illi, quod sibi consulerent, haud inviti pollicerentur, de induciis agi cœptum. Nec mora, die, qui ad vincula Petri præcedit, id est pridie calendarum Augusti pactio utrinque inita. Estque statutum præsentibus atque arbitris ad hoc delectis *Otthone Nicolai*, *Eggardo Frille*, *Nicolao Erici*, *Jacobo Lunge*, *Olao Lunge*, *Laurentio Thomæ*, *Magno Ebbonis*, *Petro Erici*, *Strangeno Nicolai* equitibus, nec non *Joachimo Krœnning* armigero, una cum decem a parte Svecorum, qui fuere dominus *Magnus Green*, *Jonas Caroli*, *Henricus Birger*, *Carolus Magni*, *Fœderus Olai*, *Eschillus Isaci*, *Laurentius Posseus*, *Simon Krœning*, equites, itemque *Frille Haquini* & *Petrus Suord* armigeri. His inquam in unum congregatis actum conventum, ut Sveci Gothlandia recederent, utque pax publica coleretur inter regna tria Daniæ, Sveciæ, & Norvegiæ a die S. Martini proxime insequente ad festum usque ejusdem Martini insequentis. Neuter interea regna aut ditiones alterius impeteret. Et id quoque datis utrinque codicillis principum alter alteri ratum redderet. Decretum præterea, ut Hellemstadii conventus haberetur ad festum Walburgis, quo duodecim e Dania senatores ac totidem e Svecis convenirent, quibus plena absolutaque esset potestas tractandi, conciliandi ac decidendi, quidquid inter Daniæ ac Sveciæ principem agitaretur controversi, tam Gothlandiam quam alia spectans. Principum singuli in aliquo loco propinquo præsentes adessent, quo cum iis commutare consilia deque singulis conferre delegatis liceret. Hisce anni unius durantibus induciis regni cujusque incolæ suis fruerentur per regna singula fortunis ac possessionibus. Essentque itinera ubivis ac negotiationes tutæ liberæque. Obiit per idem tempus festo exaltationis S. Crucis, qui fuit decimus quartus Septembris præsul Roschildensis *Johannes Petreus*, *Ferreobarbus* cognomento, quæ antiquissima olim prosapia habita, vulgo Jernskiegger dicta. Ei proxime est surrogatus *Olaus Daa*. Hinc mensis insequentis die Simonis ac Judæ Apostolorum, qui in octavum ac vigesimum Octobris recidit coronatio Regis *Christierni* Hafniæ celebrata per *Tuonem* archiepiscopum. Quo eodem tempore cunctis præsentibus regni privilegia atque immunitates iterato habiturum se rata ac firma pollicitus est, ac simul creati ab eo aurati equites triginta. Nuptiæque regali magnificentia simul factæ cum Regina *Dorothea* Brandenburgica *Christophori* Regis relicta vidua. Quarum celebritati interfuit Dux ipse Holsatiæ *Adolphus*, legatique Brandenburgici præter nobilitatem Danicam virginesque ac regni illustriores matronas, quæ solemni omnes ritu vocatæ invitatæque, ut adessent, comtu ac comitatu, quam possent, decentissimo Deoque & sponso sponsæque futuræ gratissimæ. Reginæ ad vitam assumta Samus insula, vulgo Samso dicta, una cum oppido Caldenburgo, quod maximam partem, cujusmodi hodie visitur, a Rege exinde *Christierno* est ædificatum. A Rege vero *Christophoro* tributa eidem jam antea fuerant Harasburgum, Roschildia, Ringstadium & Schioldenesium, apud Svecos retinebat Orebroam, Nerkam & Vermelandiam, apud Norvagos Romervigam, apud Holsatos Sunderburgam; cujus exinde vice traditum ei Randersburgum. Si post excessum Regis *Christophori* e regno recedere eam contigisset, decreta ei erant a regno unoquoque quindecim florenum millia, redditis cuique regno arcibus, oppidis, ac præfecturis jam memoratis. Hoc connubium Daniæ regno felicissimum atque auspicatissimum accidit. Eo enim delatum sublatumque est dedecus, quod ei jam annos sexaginta adhæserat, dum ex regibus ordine tribus masculi sexus heredem nullus reliquisset. Non enim Waldemarus neque Ericus neque etiam Christophorus filios aut prolem post se reliquere. Waldemaro quidem utriusque sexus liberi fuere, sed eorum sola superstes Margaretha, Ericum & Christophorum ex neptibus natos ad sceptrum accersiit, quorum postremo utriusque matrimonium sterile exstitit. *Dorothea* finito vix anno Olaum Christierno peperit, sed qui præmaturus obiit, funeratus Roschildiæ. Cum autem eum, ut memoravimus, in modum sibi regnoque felicibus armis vindicasset Gothlandiam *Christiernus*, id quo pacto irritum redderet secum identidem volutat *Carolus*. Itaque ultro citroque re perpensa agit clanculum cum archiepiscopo Nidrosiensi *Aslaco Boltio*, cumque Norvagis eo locorum extimis, ut in Regem assumtus tacite &, antequam *Christiernus* regni diadema susciperet, ab ipsis Rex coronaretur. Quapropter collectis militum aliquot manipulis tecte &, priusquam id rescisce re *Christiernus* potuit, penetrata Gemptelandia. Nidrosiam advenit, ubi assumta per archiepiscopum regni corona, juramentum incolis Norvagiæ solemniter præstitit. Quod vernacule conceptum, hanc propemodum latine sententiam habuit.

Nos *Carolus* Dei gratia Norvagiæ, Sveciæ ac Gothorum Rex constare omnibus volumus, nos ubi ad regni defensionem electi, designati ac coronati Nidrosiæ essemus Rex ac dominus Norvagiæ die Jovis, qui proxime præcedit festum S. Clementis anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, per archiepiscopum, episcopum, equites ac milites, regnique senatores & optimates, cives populumque Norvagiæ, pollicitos fuisse

Sveci depulsi atque victi.

Cum illis pactio.

Ejusque conditiones.

Christianus I. R. coronatur.

Ejus cum Dorothea Regina vidua nuptiæ.

Olaus Regi fil. nascitur, mox fato cedit.

Carolus R. Svec. Norvagiam sollicitat sibique ejus coronam ope episc. Nidros. sumit.

Juramentum ab ipso præstitum.

fuisse ac promisisse, hisque codicillis pollicéri ac promittere, nos in gloriam honoremque Dei, regni vero Norvagiæ & quicunque id inhabitant solamen, instaurationem atque ampliationem hæc, quæ sub scribentur, capita omnia inituros inviolateque servaturos. Et primo quidem nos sartas tectas habituros leges Norvagiæ per omnes ejus ditiones, operamque daturos, ut incolæ omnes fruantur utanturque bonis illis ac vetustis statutis, qui ipsis a Regibus Norvagiæ prædecessoribus nostris fuerunt indulta. Et ecclesiam similiter omnesque ecclesiasticos ac clerum fruiturum tutoque usurum privilegiis a Regibus Norvagiæ ipsis jam olim concessis, neque nobis aut nostris permissuros, ut res ecclesiæ aut ejus tribunal sibi vendicent ulterius, quam sinit vetus illud, quod inter Reges quondam & ecclesiam hac de re est latum decretum statutumque; nullis etiam exteris regni reditus oppignoraturos, neque eisdem concredituros arces, ditiones aut præfecturas ullas regni Norvagiæ, neque exterum etiam quemquam in senatum regni admissuros, neque bellum uspiam sine conscientia auspicaturos, aut denique ullius rei momenti negotia tractaturos absque regni senatus assensu. Pollicemur item nos, ubi in regnum Norvagiæ postmodum advenerimus, curiam aulamque nostram administraturos per officiarios, cujusmodi sunt aulæ magister, cancellarius, archimagirus, mareschallus, præfecti aliique, qui erunt singuli Norvagiæ regni indigenæ; idque secundum senatus regni beneplacitum: neque gravaturos incolas tributis enormibus aut hospitationibus aliisque ejusmodi oneribus, nisi flagitante necessitate, & tum quoque id ipsum facturos ex sententia senatus regni. Spondemus præterea, Norvagiæ regnum ejusque incolas a nostro discessu optionem liberam habituros eligendi in Regem, qui ipsis maxime videbitur regno commodus: nisi nos legitimum heredem ac filium in vivis habuerimus, qui ejusmodi functioni judicaretur non inidoneus. Promittimus item, si ita senatus e re fore censuerit nosque flagitet, habituros nos fixurosque intra Norvagiam sedem sive, ut vulgo vocant, intra Fadeburam. Quin & promittimus, nos ad minimum quovis tertio anno intra regnum adfuturos regni atque incolarum causa; quidquid autem per id tempus erit transactum, quod arces ditiones aut præfecturas regni spectet, id ratum habebitur usque in reditum nostrum, excepto, si obitus alicujus præfecti aut delictum alicujus erga nos regnumque aliaque inciderit, quæ dilationem non admittant. Pollicemur etiam, nos senatum nostrum Norvagiæ in Sveciam haud evocaturos propriis ipsius sumtibus, nisi summa urgente necessitate; ubi vero rerum regni causam Sveciam accesserit, prompto eum incolasque omnes responso expedituros. Quæ omnia sancte certoque nos Norvagiæ incolis servaturos ampliaturosque ex sententia senatus legumque Norvagicarum, quamdiu in vivis nos esse Deus voluerit, iterum iterumque promittimus ac pollicemur. Hisque litteris majoris certitudinis ergo sigillum nostrum nostrorumque Sveciæ senatorum appendi fecimus, qui præsto fuere, fueruntque *Brunolphus Michaëlis*, *Gregorius Benedicti*, *Carolus Magni*, *Eschillus Michaëlis*, *Stephanus VVolphius*, *Ago Jansenius*, *Canutus Benedicti*, *Arvidus Nicolai*, *Tordo Bondonis*, *Algodus Argisellus*, equites. Eodem illo coronationis suæ tempore equites ab eo aurati circiter viginti facti. Ex quibus duos Norvagiæ præfectos dedit, dominum *Aslacum Tursonem*, & dominum *Einerum Flugium* seu muscam cognomento; penes quos esset juris ac justitiæ administratio. Inde in Sveciam, qua venerat, celeritate regressus est *Carolus*. Et Arbogæ præter ceteros, ubi tum regni Svetici comitia habebantur, duodecim nominavit, qui exinde cum regni Daniæ duodecim similiter senatoribus, ut erat Visbyæ conventum, Hallemstadii de rebus ac controversiis singulorum regnorum invicem agerent.

Equites creat aurator.

Inde anno statim insequenti, qui fuit millesimus supra quadringentesimum quinquagesimus ipsa ascensionis vigilia advenere Halmstadium archiepiscopus Lundensis *Thuo*, *Olaus Daa* Roschildensis, *Hundecenus* Othonienſis, *Johannes* Arhusiensis præsules, una cum *Otthone Nicolai*, *Eggardo Frille*, *Claudio Nicolai*, *Petro Hogenschildio*, *Agone Axilli*, *Agone* & *Torberno Bilde* Daniæ regni senatoribus; quibus se a parte Regis Svecorum *Caroli* consociarunt *Nicolaus* Lincopiensis, *Magnus* Aboënsis, episcopi, *Benedictus Gustavi* electus Scarensis, magister *Helmichius* diaconus Upsaliensis, *Ericus Erici*, *Nicolaus Johannis* a Diursholm, *Ericus Axilli*, *Jonas Caroli*, *Laurentius Snackenbergius*, *Gustavus Olai*, *Ago Johannis*, & *Simon Kiæning*: Hi postquam frequentes adessent gravi oratione a Rege *Christiano* præmissa pauca, quibus ille demonstrabat, *Carolum* ambitu ac libidine dominandi magis, quam ulla necessitate contra fœdus contraque codicillos omnium ordinum sacramento juratos, Svedici regni sceptrum involasse, adjiciens, nec defuturos post eum alios, qui idem auderent, ut solent plerumque mortales, exemplo ut plurimum ad bella & factiones incitari, præsertim ubi simulasset, exorbitatum a via regia. Triaque hæc regna, quæ adeo firmo nexu a Regina *Margareta* summo ordinum consensu fuerant colligata conjunctaque, unius privati ambitu atque avaritia disjuncta nunc sint separataque. Adhortans postremo cunctos, monebat unum Regem velut unum caput universo corpori, quantum id fieri posset, constituere adlaborarent, & bella, quæ imminerent, a regnis singulis eorumque incolis, adeo graviter superiorum annorum cladibus ac calamitate sub *Erico Christophoroque* afflictis, sua prudentia ac moderatione averterent

Christianus R. Hallemstadii conventum agitat, ibique proposita. A. 1559.

terent ac propulsarent. Hinc decretum conventumque regni utriusque bono, ut quemcunque Regum *Christiernum* sive *Carolum* emori prius contingat, ejus confestim regni senatus, qui Regem amiserit, alteri se regno offerat, quo exinde utriusque regni duodecim consiliarii Helmstadii, post duodecimam a Regis obitu septimanam convenientes deliberent, ac Regem superstitem regno etiam suo Regem velint. Si inter eos conveniat, ratum id esto in Domini nomine. Si vero convenire inter eos nequeant, tum senatus, qui Regem desiderat, unum aut plures ex indigenis, qui regnum tutentur, eligito, idque ex sententia senatorum omnium regni atque incolarum, prout ipsis videbitur maxime regno commodum. Eorumque sive unus sive multi eousque regno moderator, quamdiu Regum alter superstes fuerit, si interea aliquid regno accidat, tum Regem ille, qui supervivit, quamdiu in vivis fuerit, laboranti regno cujusque moderatori aut præfectis auxilio accurret, eisque ac regno ex summis viribus aderit, quandocunque a regni tutore sive tutoribus fuerit ad id postulatus, idque ex sententia senatorum regni. Ubi vero Regum uter diem summum obierit, tum id regni, in quo Rex postremum vita excesserit, alterius regni senatui id significato, atque inde duodeni ex Daniæ ac totidem ex Sveciæ regni senatoribus convenient Halmstadii intra spatium proximum septimanarum duodecim ad eligendum Regem. Eo autem priusquam procedatur, si vel in Dania vel in Svecia vel utrobique filii fuerint regii, qui ei rei usui sunt, tum prædicti viginti quatuor senatores ex iis unum eligunto, quem maxime es sua conscientia idoneum existimarint, qui regno utrique præsit. Tum & ille ceteris regiis liberis prospiciat, ex æquo & usu cujusque, idque secundum senatus utriusque regni arbitratum. Isque Rex regno utrique moderabitur. At denique ab eo tempore Regna hæc bina Daniæ Sveciæque perpetuum uno sub Rege erunt, semperque conjuncta manebunt, ita tamen ut regnum quodque suum retineat nomen, sua jura, scripta, privilegia, immunitates, veteraque statuta ac consvetudines. Decretum itidem, ut quandocunque qui modo erunt, regum uterque emoriatur haud exinde eligerent sibi Regem ullum exterum, sed indigenam, & qui intra Daniæ Sveciæque regnum sit natus, & ut regnum quodque per indigenas ex lege a Rege gubernatur, ac ut quisque suis fortunis, immunitatibus ac privilegiis tam seculares quam ecclesiastici utantur. Qui delinquunt, secundum leges puniantur ejus loci, ubi delictum est commissum, eruntque perpetuo Daniæ Sveciæque regna invicem counita, nec alterum, ab altero ullo dissidio separetur, feratque alterum, quod alteri obtingit, ac mutuas denique operas auxiliaque sibi invicem præstanto; eum nimirum in modum, ut regnum, quodcunque alterius indigebit ope, id regni alterius auxiliaribus copiis, impendio ac commeatu prospiciat, damna vero Rex præstet. Nec interea Regi aut ulli horum regnorum potestas esto bellum aliquod inchoandi sine regni alterius, cujus auxilium requiretur, consilio arbitrioque. Statutum præterea de Rege & ejus in utroque regno sede cameræque magistro ex indigenis constituendo, deque reditibus regni a regno haud abalienandis, deque extorribus aliisque maleficis in regnis singulis æquali sorte habendis. Est quoque injectum de pace publica inter Regem utrumque *Christiernum* & *Carolum* intra hunc diem & festum S. *Olai* procuranda proclamandaque. Deque postremum unitione regni Norvagiæ cum utrisque Daniæ & Sveciæ regnis, ubi nimirum numine concedente hæc prædicta regna eo, ut relatum est modo, in unum conjuncta fuerint. Hæc præmissa capita singula ab ipsis ipsorumque regibus ac regni senatoribus, qui modo sunt inque posterum futuri essent, sancte promissa. Eodem tum tempore iidem Svetici senatores ac mandatarii nomine *Caroli* Regis amice resignarunt, Regique ac principi *Christierno* patefecere, quamcunque sibi partem aut jurisdictionem Norvagiæ vindicasset Rex ipsorum *Carolus*, nec eum ab ipso tempore ullam ipsi aut Norvagiæ incolis super eo litem aut controversiam moturum. De eo præterea membranaceos ejus codicillos se intra festum *S. Olai* exhibituros Helsingburgi promittebant. Sin minus, se redituros Helsingburgum, nec inde digressuros, nisi ex arbitrio *Christiani* Regis &c. Statutum insuper, ut captivi omnes, quos secum e Norvagia in Sveciam abduxerat jam nuper *Carolus*, liberi dimitterentur, & denique, ut alius conventus circa festum *Johannis* baptistæ super Gothlandia haberetur Rodnebyæ, ita ut in propinquo adesset principum uterque &, quidquid ibi vel amice vel jure decerneretur, ratum haberetur, nec quicquam interea id ipsum obesset hujus, de qua jam actum inter regna singula unionis vinculo.

Sveci senatores Caroli nomine Norvagiam resignant.

Hujus conventus actorumque nomine suspectus exinde apud *Carolum* Regem *Magnus* Green aliique, quibus negotium hoc curæ ac cordi fuerat, quasi clam cum Danis facientes, atque id agentes, ut tandem aliquando Regi *Christierno* liber ad tria hæc regna aditus patefieret. Quapropter prævenire ac sibi cavere *Carolus* cupiens alia comitia Calmariæ celebravit, vocatis eo ac novo sacramento obstrictis, quos sibi fore faventiores sperabat. Arcem imprimis Aboënsem *Magno Grenio* ademit, atque eam vicissim domino *Erico Axilli* tradidit nobili Dano, sed qui apud Svecos uxorem duxerat; archiepiscopum quoque præfecturis aliquot privavit, ut & alios, quos sibi adversarios existimavit: in his erat *Nicolaus Jonæ*, cui postquam arcem Orebroënsem, quam ei haud multo ante tradiderat,

Calmar. conventus a Carolo institutus.

Magnus Green Carolo suspectus aliique pœnas dant,

diderat, etiam Nicopiensem adimit. Archi-
qui hinc ad partes Christiani R. transeunt. episcopus cum peregre eadem ferret, ut & Scanensium præsul *Tycho*, *Benedictus Jonæ*, qui regni totius, priusquam inauguraretur Carolus, præses fuerat, itemque *Gustavus Olai*, *Gustavus Laurentii* aliique summa dignitate atque ordine viri capta inter ceteras hac quoque occasione, ad partes postmodum *Christiani* Regis, ut inde liquebit, transitum fecere. *Magnus* præfectura Aboënsi exutus paratis aliquot navibus se mari credidit, ac mox spoliatis mercatoriis quibusdam onerariis captus est a Lubecensibus, viginti vero ex ejusdem classiariis comprehensi a Dantiscanis capiteque plexi sunt. Rex *Christiernus* pro *Magno* apud Lubecenses intercessit; qui deinde tanti patroni intercessione dimissus in Daniam venit, ubi data Regi fide sacramentum præstitit. Et usus post modum fideli ejus opera Rex fuit. Erantque ei prædia herediaque apud Norvagos, cujus etiam nomine Regi ut subditus habebatur. Per eadem hæc tempora Frisii, qui inter Amasim & Visurgim sunt, exercere aut resumere piraticam aliquamdiu intermissam cœperunt. Ex his erant, qui Subolsburgum, quod jam olim solo erat æquatum, instaurare atque ædificare haud veriti passim navigantibus borealem eo tractu oceanum terrorem incussérunt. Quocirca urbium Vandalicarum nomine conventus Bremæ indictus; ubi inter cetera decretum, ut Hamburgenses una cum Bremensibus id agerent, ne denuo exstrueretur Subolsburgum. Hæc arx nomen acceperat a *Sibeto* sive potius *Siboldo* Frisio, qui anno 1431. una cum *Uddone* & *Jemelone* autor defensorque prædonum eo districtu existimabatur; quorum *Imelonem* Hamburgenses post eversum Sibolsburgum fugatosque ac fusos *Sibertum* ipsum & *Uddonem* captivum ac vinctum Emda Hamburgum usi singulari stratagemate abduxerunt. Postquam enim naves aliquot in Amasim emisissent, qui Embdanis insidiarentur, ferunt, eas naves ad Embdam dissimulato omni armorum apparatu nec se Hamburgenses professos in anchoris stetisse, ac mox negotiorum suorum causa oppidum ingressos, mercibusque nonnullis, ceu fieri solet, venum expositis *Imelonem* sibi conciliatum comiter invitasse, ut naves secum ingredi nauticoque convivio in ipsius honorem apparato interesse vellet. *Imelonem* nimis imprudenter fidem eorum secutum, benigne admodum & hilariter cum suis exceptum; deinde procedente convivii festivitate cum curas compotatio ademisset, Hamburgenses magno silentio anchoris sublatis vela ventis dedisse, nec sensisse *Imelonem*, antequam medio jam Amaso procul a littore navigaretur: tum compedes ei injectos atque ita compeditum Hamburgum esse devectum, inque vinculis ac carcere a senatu populoque Hamburgensi habitum multos annos, donec squalore & ærumnis confectus animam tandem ægram iisdem in vinculis exhalaret; & hæ ne inique & crudeliter facere viderentur Hamburgenses piraticam aut piratarum commercia ei objectasse, verum probare eorum nihil potuisse. Tum porro eosdem adhibita majori vi & metu quoque matri captivi *Fosæ*, quæ Embdæ erat, ex supplicio filii admota, Embdam tandem occupasse præsidiumque ei imposuisse, arce tamen sed inermi cum specie aliqua honoris & imperii *Fosæ* relicta. Ita fere Frisiorum annales. *Cranzius* paulo aliter referens ait, captis aliquot prædonum navibus & horum 40. Hamburgi capitis supplicio affectis sociisque omnibus per Frisiam eversis, tandem *Imelonem* quoque omni vi obsessum & oppugnatum adventuque sociorum territum & auxilia desperantem in fidem Hamburgensium se contulisse; ab his benigne acceptum & Hamburgum tractum honeste ac hospitaliter habitum esse. Victores vero oppido Embdæ haud multo post occupato præsidium etiam arci imposuisse.

Piratæ Frisii.

Subolsburgum restaurari impeditur.

Arcis ejus origo.

Imelo piratarum quondam patronus astu captus.

Emda occupata arcem relinquunt Hamburgenses.

Lata post hæc sententia assentientibus regni Norvagiæ episcopis aliisque ex optimatibus, esse penes Regem Nidrosiensibus archiepiscopum imponere, præsertim cum ejus diœceseos templum, cathedrale institutum sit dotatumque a Regibus. Quod præcipue decretum ob id factum, quod suo didicisset malo Rex, quam e re sua totiusque regni foret, eo loci aliquem virum agere fidum & cui insistere tuto posset. Tum quoque præfectura Hardangerana per Regem *Christiernum* Bergensi diœcesi addita & a pontifice præterea Romano indultum Norvagis iis, ad quos vinum non deferretur, medone aut simili potu missarum suarum solemnia celebrare. Alii hoc tempore non quidem id decreti latum, sed firmatum de novo, tradunt. Ejusdem tum anni æstate Norvagiam Rex adierat, estque Nidrosiæ vigesimo nono Julii solemniter ac regia magnificentia coronatus atque inde facto procinctu Bergas Norvagorum enavigans maxima ibi omnium gratulatione exceptus fuit. Literæ tum quoque a regni senatu ejusmodi promulgatæ.

De archiepiscopo Nidrosiensi constituendo decretum.

Medonis in missa usus Norvagis quibusdam concessus.

Christianus apud Norvagos coronatus.

„Omnibus has lecturis constare volumus, „quod nos regni Norvagiæ senatores post „domini nostri clementissimi ac principis „illustrissimi, domini *Christierni* Dei gratia „legitime celebratam Nidrosiæ regiam coro„nationem, Bergis Norvagorum congregati „fuerimus ad ponderanda ac perpendenda „utriusque regni Norvagiæ ac Daniæ com„moda, præsidia subsidiaque, quæ illis per„petua sint ac propria, quamdiu ea regna „uno sub domino amice conjuncta agent, „quomodo & ante hac egere idque ad Dei „omnipotentis gloriam & ad regnorum sin„gulorum eorumque incolarum solamen, „tranquillitatem atque instaurationem: ibi & „nos tum quoque de novo perpetuum ac „irrevocabile inter utraque regna Norva-

Regi ab illis pacta.

„giæ

„giæ ac Daniæ unionis vinculum confeci-
„mus, atque his conficimus, una cum colle-
„gis noſtris epiſcopis, equitibus, militibus,
„regni ſenatoribus, civibus populoque uni-
„verſo Norvagiæ tam nobilibus quam igno-
„bilibus, præſentibus ac futuris, idque hiſce
„legibus ac conditione, ut regna utraque
„Norvagiæ Daniæque ab iſto tempore ſint
„manеantque unanimiter amiceque uno ſub
„domino ac Rege unita conjunctaque, ad-
„eoque ut regnum alterum ejusque incolæ in
„poſterum, ubi id flagitabit neceſſitas, alteri
„auxilio ſubſidioque perpetuo adſit viribus
„quam poteſt maximis. Nec interim re-
„gnorum alterum cuiquam bellum indicet aut
„faciet, alterius regni ſenatu inconſulto aut
„absque conſenſu ejusdem arbitrioque. Cum
„incolarum quiſpiam, aut ex eorum delega-
„tis aliqui in Daniam deſcenderint negotii
„ergo, quod Daniam tangat, eas impenſas
„regnum Daniæ, Rex vel detrimentum eo-
„rum præſtabit. Eodem quoque modo Nor-
„vagiæ regnum ſe erga eos geret, qui e Da-
„nia ad Norvagos ſubmittentur. Regnum
„unumquodque utetur ac fruetur vetuſtis
„ac ſcriptis ſuis legibus, ſtatutis, conſvetu-
„dinibus, immunitatibus ac privilegiis; cu-
„jusmodi dominus noſter clementiſſimus Rex
„*Chriſtiernus* aut ejus olim majores regno
„cuique conceſſere aut ejus in poſterum lau-
„datiſſima progenies poſterique indulturi
„erunt. Promittimus porro nos poſteros-
„que noſtros regni Norvagiæ incolis fidos,
„utiles ac certos amicos, idque corpore,
„viribus opibusque noſtris, ubicunque dabi-
„tur. Polliciti præterea ſumus ſerioque ad-
„diximus addicimusque, nos ab iſta jam die
„fratres invicem amicosque futuros absque
„dolo omni malo. Si vero Deo ita faciente
„contingat hæc regna domino ac Rege deſti-
„tui, archiepiſcopi, epiſcopi, prælati, equi-
„tes ac milites intra ſpatium duodecim ſe-
„ptimanarum Helmſtadium convenient, ubi
„& Daniæ quoque ſenatus atque optimates
„pari ſe numero ſiſtent, atque eligent ſimul
„utrique regno ejusmodi Regem ac domi-
„num, quem regno utrique judicabunt fore
„quam utiliſſimum ac commodiſſimum. Si
„eam occaſionem Deus dederit, ut domino
„noſtro clementiſſimo Regi *Chriſtierno* ma-
„ſculi liberi legitimo thoro nati fuerint, ex
„iis regni utriusque ſenatus eum regem no-
„minabit, quem regno utrique maxime ex-
„iſtimabit idoneum. Datum loco & anno,
„ut ſupra.

Chriſtianus R. Sveciam infeſtat.

Sub finem anni ejusdem initiumque ſequentis, qui fuit 1451. poſt feſtum ſtatim nativitatis domini, copiæ navales *Chriſtierni* Regis littora Svetica prope Stocholmiam ferro, flamma ac deprædationibus infeſtarunt. Aderant ejusdem manipuli aliquot claſſiariorum *Olai* Abſolonis, qui Gothlandiam nomine regis ejusdem *Chriſtierni* defendebat. Cauſa incurſionis memoratur, quod *Carolus* Sveciæ Rex nihil eorum, quæ Hallemſtadii erant decrcta, penſi haberet, nec etiam quod ejus nomine delegati ibidem promiſerant, confirmationem de regno Norvagiæ renunciando transmittere Helſingburgam in animum induceret. Erat per hæc tempora, ut eſt jam modo memoratum, in poteſtate Hamburgenſium, Emdanorum in Friſia orientalis civitas una cum arce Lerorthana. Sed Hamburgenſes cum in dies animadverterent oneri magis quam emolumento eſſe ſuæ reipublicæ hoc ipſum, quod in Friſia tenerent, non ſemel cum ceteris Hanſaticarum urbium fœderatis agere inſtituerunt demonſtrando, quoniam perpurgando a piratis mari defendendisque negotiatoribus haud exiguos ſumtus, ut & Embdenſi ac arcis jam dictæ alendo præſidio impenderent, æquum videri, ut aliquid viciſſim a mercatoribus huic rei ſubſidii tribueretur, atque ita non nullum a ſingulis telonium exigerent. Quod cum urbibus earumque delegatis identidem ab Hamburgenſibus propoſitum eſſet remque perpetuo iidem differrent, coacti aliud in arena quaſi conſilium capere Hamburgenſes. Erat tum iis in locis præpotens ac dives amicis opibusque *Ulricus* Nordæ aliarumque ibidem ditionum præfectus. Cum hoc agitato primum per aliquot colloquia negotio tandem ſenatus Hamburgenſis ampla cum poteſtate ac mandatis legatos viros graves in Friſiæ eam oram miſit adulto jam menſe Martio. Ad quos cum legaſſet *Ulricus* ex cohorte amicorum maxime fidos omnisque ſecreti conſcios, & cum his duarum ſororum ſuarum filios *Sibonem* & *Popponem* Manningam, confecta tandem inter eos res eſt conditionibus, quæ non uno modo referuntur. Nam apud vulgum ſilentio partim preſſæ, partim eum in modum relatæ, quaſi Hamburgenſis ſenatus accepta pecuniæ certa ſumma, traderet *Ulrico* & fidei ejus committeret Embdam, & arcem Lerorthanam cum omni jure annexo, & *Ulricus* viciſſim facto ſacramento eas ac urbes, cives ac negotiatores defenderet, permiſſis cuique vetuſtis ſuis ſtatutis ac immunitatibus. Alii & in his Friſiorum annales addunt, ut dictam urbem & arcem non modo *Ulricus* tueretur, ſed & ſumtu ſuo ſartas tectas atque incolumes ſenatui eidem velut præfectus conſervaret in annos XVI., nec interea ſenatui fas eſſet, ante præfinitum tempus eum a præfectura dimovere. Si autem id facere ac fidei ipſius commiſſa recipere ad ſe vellet, hoc ei ante annum integrum denunciaret. Tumque teneretur viciſſim *Ulricus* recepta, quam erat numeraturus, pecunia ſine mora iis decedere ac ſenatui bona fide cum omni accepto inſtrumento ex ſyngrapha reſtituere, alias toto eo tempore annorum XVI. cives Hamburgenſes negotiorum cauſa Embdam inque loca vicina ventitantes ſummo ſtudio tueretur, cereviſiam Hamburgi coctam ceterasque civium Hamburgenſium

Hamburgenſes Emdam eum tractu vicino cedunt Ulrico præfecto Nord.

sium merces omni vectigalis aut portorii onere ſtatim levaret in omnibus ditionibus ſuis, eamque immunitatem perpetuam apud hæredes ac poſteros præſtaret, prædones portubus ac littoribus ejusdem tractus prohiberet. Ita fere annales illi, qui & integro propemodum biennio ſerius, quam retulimus, contigiſſe autores ſunt. Norvagiæ Regni ſenatores per idem circiter tempus editis codicillis proteſtati ſunt, publiceque reclamarunt coronationi, ad quam ſe, ut meminimus, furtim intulerat Nidroſiæ *Carolus*. Sueciæ Rex, eam illegitimam ac vitio factam, nec a ſe unquam approbatam, habere irritam declararunt. Quam vero jam antea Maſterlandiæ celebraverant, factoque ſacramento juraverant Regis *Chriſtierni* inaugurationem, eam firmam ac ratam fore, nec aliam ullam absque ſenatusconſulto peractam agnoſcere ſe profeſſi fuerunt. Non etiam aliud teſtificati tum ſunt, qui Norvagiam borealiorem colunt. Sed qui ipſos & ceteros Norvagiæ inhabitatores voluiſſe ſibi *Carolum*, non *Chriſtiernum*, Regem, eos falſa & contra Deum & æquitatem locutos aſſeverantes. Apud Sueecos ejusdem anni ætate ſub ſalvo conductu *Caroli* Regis, agebat Vaſtenæ *Nicolaus Ronnovius* palatii regii apud Danos Magiſter, omnem movens lapidem, ut ea procuraret, quæ regno utrique pacando facerent. Inter cetera de conventu actitare cœperat, Rodnebyenſi, ut ibi principum uterque præſens adeſſet, nec tamen, quod ad id, quicquam peragere tum potuit. Et mox ea, quæ proxime excepit, anni inſequentis hieme, circa quadrageſimam, collecto ex omnibus regni ſui ditionibus formidabili exercitu *Carolus*, Rex Scaniam vicinam ingreſſus eſt, eamque ferro & flammis, qua patet, latiſſime devaſtavit. Incenſa tum exuſtaque Helſenburgum, Landscronia, Londa clara oppida navesque eorundem, quæ in ſtationibus aderant, igne ſimiliter injecto abſumtæ aut fœdatæ univerſæ. Duo per id tempus eam *Carolo* incurſionem feliciter cedere fecerunt: Regis abſentia ac cæli vehemens gelu. Nam præterquam quod Vilsnaci rex *Chriſtiernus* tum eſſet cum Regina *Dorothea*, ut fratrem atque affinem Electorem Brandenburgenſem, aliosque principes ex intervallo coram ſalutaret fœderaque invicem ſanciret, erat præterea ea Oreſundæ freti ratio, ut nec tranſitum militi permitteret, glaciei fragilitas, nec tamen navibus per id ipſum iter pateret, quod undique glacie oppletus eum in modum totus ſinus haberetur, ut accedere Scandianis auxilio, quod maxime avebat, Regii palatii magiſter, ut & ceteris in vicino provinciis neutiquam daretur, cum nec ferre equitem glacies nec frangi navigiis aut penetrari potuerit. Dignus ea tempeſtate memoratu *Ivarus Axilli*, vir inter Scaniæ nobilitatem equeſtri ordine; Hic quam primum de adventu *Caroli* redditus eſſet certior ſummo mane Londam contendit, atque evocato ad colloquium archiepiſcopo *Tychone*, cum eum prodire tardius videret, & ipſe hanc affabilitatem ejus miraretur archiepiſcopus, quod inter ipſos utrinque ſimultas eſſet, tandem prodeunte in atrium præſule, eum in hunc modum Ivarus affatus eſt: Non te latet, Domine archiepiſcope, inter nos inimicitiam eſſe, ſed ea in tempus commodius dilata, nunc aliud agere res poſtulat. Carolus ecce Svecorum Rex in Scaniam cum exercitu populabundus; tu tuos, quam potes citiſſime, ſub ſigna redige; ego nobilitatem & quicquid in arma vocari dabitur, coram hic ſiſtam, ut ei pro viribus eamus obviam. Mox Londam appropinquans *Carolus* obtulit archiepiſcopo conditiones Attalicas, daret ſe modo, eo evecturum ſe eum, ut ipſi perpetuo gratias deberet. Præſul deliberandum aliquot diebus reſpondens ſibi & militem & commeatum, qua potuit, proſpexit: Carolus interea cuncta circum circa depopulando agreſtium propemodum duo millia prope Dalbyæ monaſterium, haud procul Lunda occidione cæcidit: atque inde Lundam regreſſus comperit alius mentis præſulem & eum ad defenſionem paratum. Unde minitando ſignificari ei per fecialem ſuum fecit, ſe eum ad extremam redacturum pauperiem. Ad quæ reſpondit archiepiſcopus, quam primo pollicitus eſſet dignitatis ampliationem, non videre quomodo eam dare, aut ſi majorem reddere poſſet, qui eſſet archiepiſcopus ac Sveciæ primas legatusque Pontificis; quod autem extremam nunc minitaretur pauperiem, nec hoc magnopere pertimeſcere, qui ſe adoleſcentem ac ſtudiis operantem extreme fuiſſe inter ſcholaſticos indigentem, non ignoraret. Quibus acceptis *Carolus* tectis ignem injecit urbemque in cineres redegit. Atque ultimo in curiam epiſcopalem ac templum cathedrale facto impetu utrumque expugnare inſtituit, ſed repulſus fortiſſime ac captis ex ejus manipulis ultra mille retrocedere coactus eſt. Dum autem in Sveciam ſe e Scania recipit, multa territoria ditionesque incendio fœdatæ, inter cœtera Veha oppidum una cum Geltoſtia, Ladegardia & Verpeninga penitus exuſtum. Ahuſia pacta pecuniæ ſumma incendium redemit. Inde Rex *Chriſtiernus* e Germania domum reverſus, & aliquanta ibidem collecta manu tum & domeſtico inſtructus milite in Sveciam procinctum movit. Ac primo omnium Ludoſiam Veſter-Gothiæ præcipuum portum ſtrategemate interceptum, præſidiis communivit. At mox pervaſa ab eodem Veſtergothiæ potiſſima pars, poſtquam obſequii ac fidei ſacramentum haud difficulter dixiſſet, idem & *Thuro Thuronis Axelvoldi* præfectus ſeorſim præſtitit deſerto & relicto *Carolo*. Qui, dum id fit, haud cunctatus occurrere cum exercitu, ſpargi fecit, ſe cum Rege *Chriſtierno* jamjam manum conſerturum, cum id nomine tantum evulgaret, hocque ageret, ut adverſarium hoc pacto terreret. Verum id agenti nuncius

Norvagi Carolum repudiant.

regno utrique pacando ſtudent Dani.

A. 1452. Carolus Scaniam bello devaſtat.

ejus ſucceſſus cauſæ.

Ioarus Axilli fidelem R. Chriſtiano præſtat operam,

itemque Tycho Archiep. Lund.

qui Lunda urbe exuſta arcem fortiſſime tuetur.

Chriſtianus cum exercitu movet in Sveciam.

nuncius ad aures accedit, *Olaum Axilli* & *Magnum Grenium* classe sex & quadraginta navium Stocholmiam appulisse, et archiepiscopum insuper Iohannem aliosque ex Uplandiæ proceribus de eo haud bene opinari, imo machinari aliquid; unde confestim eo vertit: sed priusquam Classem in adversum ducere potuit, Dani Syrtibus excesserant. *classe cum Carolo confligit,* Et eos licet aperto mari mox insequerentur Sveci, cum tamen parum aut nihil proficere se velitanda viderent, intra Stocholmiæ portum rediere. At Dani Vesterosiam versus vela pandentes, exscendere in terram haud dubitarunt, oppidoque direpto & flammis fœdato, præliati cum Svecis damna, ut fit, dederunt receperuntque: Quæ dum ibi aguntur, Rex *Christiernus* obsidere Tyvedæ ingressum ex suis nonnullis imperat, ne in *Vestergothiam petit.* Vester-Gothiam accessus inde cuique pateret; ipse Jenecopiam petiit, ea mente, ut occupatis, quæ ibi in proximo sunt, Sveciæ claustris, Holveden vulgo dictis, arma in Ostrogothos transferret. Verum *Caroli* Regis copiæ, quas in limite Norvagiæ tenebat, in eos primo, *cæsas.* qui servando Tyvedæ ingressui a *Christierno* fuerant destinati impetum faciunt stragemque edunt maximam. Nec gnarus eorum *Christiernus*, quod statuerat, Jenecopia suorum plurimos Holvedam versus dimisit, ut viam sibi suisque ad transeundum muniret. Verum eo ubi venissent, occurrit summis cum viribus episcopus Lincopiensis *Nicolaus* Kioninus locatisque circa ipsum ingressum insidiis cedere Danos coëgit, trucidatis pluribus ac captis ex nobilitate aliquot. *Vitfeldius, Ericum Nipperæ* equitem Svecum præcipue illis cum manu popularium objectum, ac transitum negasse memorat. Hæc victoria animum *Carolo* addidit, qui confestim Valdestenam se contulit: ubi *Tordonem Bondam* Virum inter Svecos strenuum militiæ toti ab ea parte præfecit, eumque Vestergothiæ quam primum immisit. *Christiernus* animadverso, defuisse consiliis suis successum, nec facile per Holvedæ angustias transitum sibi concedi, Hallemstadium rediit. Quod cum haud ignoraret *Tordo Bonda*, valido cum milite Vestergothiam ingressus omnium primo Ludosiam ignaris excubiis sub diluculum occupat, ac ceteras, quæ in proximo a Danis erant invasæ arces feliciter recepit, captis præter alios ex nobilitate perpaucis, qui se exinde redimere coacti fuerunt. Ludosiæ inter cetera Tordoni pera tradita, in qua literæ erant Vestergothorum ad Regem *Christiernum* missæ, ex quibus præter alia intellexit, quid animi erga *Carolum* esset *Thuroni Thuronis*, de quo mentionem injecimus modo. Unde præfectus Axelvoldam arcem per insidias cepit. Capta arce conjeci in vincula *Thuronem* fecit. Qui tamen paulo post custodia clam elapsus se *Eggardo Krommedigio* conjunxisset, cui erat nomine *Caroli* Regis Romblaburgi præfectura mandata. Nec *Vestergothensium primates quidam ad Christianum R. transeunt.* diu morati ad Regem *Christiernum* uterque secessit, ut & plures ex nobilitate Vestergothiæ. *Tordonem* exinde *Carolus* Rex regni Sveciæ mareschallum pronuntiat, ac præsidem constituit Vestergothiæ, utpote sororis filium, & cui omnium maxime fideret, qui & se pro virili tutabatur. Dein delata apud *Carolum* illustris matrona *Birgitta*, equitis aurati, *Olai Absalonis* sive *Axilli* filia, ob litteras liberius evulgatas, eoque nomine igni adjudicata fuit; sed parcitum ei, ob sexum fortasse. Erat & archiepiscopus cum aliquot fœderatis Stocholmiam evocatus, ubi cum eo Rex amice convenit, sed conventio ea exigui temporis fuit, ut deinde liquebit.

Proximi, qui insecutus est, anni initio, *A. 1453. De pace agitur;* ipsa dominica septuagesimæ interventoribus *Nicolao* Ronnovio regni Daniæ mareschallo & *Ivaro* Axilli, cum Rege Svecorum *Carolo* Nastenæ de pace in hunc modum actitatum, ut essent, inter Regem *Christiernum* & *Carolum* ab isto temporis puncto ad usque Valburgi festivitatem induciæ. Pacificationis ejus quam primum initium sumeretur, *ejus præliminaria.* quod ad regna Daniæ, Sveciæ Norvegiæque. Interea temporis nullus onera aut collationes imperaret iis, quos sui juris intra Norvagiam haberet, nec vicissim Rex *Christiernus* tributis gravaret, quos sibi intra Vester Gothiam dicto audientes retineret. Hæc pacis capita intra dominicam Reminiscere per legatum ac literas Norvagis borealioribus denuntiarentur, ut eodem simul tempore & ibi farta tecta haberentur omnia idque sine dolo malo. Si quis interea cursus aut expeditio in præjudicium earundem induciarum institueretur, de eo jure secum experiri *Carolus* concedebat. Simul & illud decretum, ut *Carolus* Rex senatum suum adesse Halmstadii faceret circa dominicam mediæ Quadragesimæ, quo ibi de pace concordiaque incolarum utriusque regni ulterius ageretur. Per idem id tempus magna cum festivitate nuptias *Tordonis Bondæ* Rex *Carolus* Vastenæ celebrari curavit. Et *Caroli R. facta.* unam suarum filiarum collegio Vastensi intulit. Abbatissam vero ejusdem cœnobii *Ingeburgam* Adolphi Holsatiæ Comitis sororem *Ingeburgam Holf. abbatia dejicit.* administratione sua deposuit; non alia de causa, quam quod frater ejus *Adolphus* cum Rege *Christierno* faceret. Inde haud multo post Arbogæ indultu *Caroli* concessum, ut festo Valburgi, de quo dictum, alius Rodne- *Rodnebyense conventus decernitur.* byæ conventus haberetur, in quo de pace deinceps colenda præsentibus utriusque regni senatoribus de novo ageretur, ita ut res utriusque regni quietæ interea haberentur. Damna autem si qua durante eo conventu & præfinito quoque eodem post septimanas quatuor intercurrerent, ea se præstiturum *Carolus* spospondit. Induciarum interim jam ante ad festum usque Valburgi sacrum dies dictus maneret immotus ac certus. Hafniæ *Christiani R. querelæ de oppignoratione regni Dan. & paucitate sum-* hoc circiter tempore præsentibus regni senatoribus demonstravit Rex *Christiernus*, coronæ Danicæ præfecturas exigua pecuniæ summa oppignoratas potissimam partem, adeo

tuum sibi hinc reliquorum, cet.

ut Regi ad sumptus aulæ faciendos aut regno defendendo parum aut nihil suppeteret. Quin & comperiri, re ad calculum vocata, esse plures, qui eousque regni territoriis ac possessionibus usi essent, ut triplo illis aut quadruplo sit restituta, quam exposuerant, pecunia. Quapropter ex sententia juris canonici a regni senatu pronunciatum, ut regno Regique *Christierno* cederetur, quicquid esset a quoquam ultra sortem ex iisdem præfecturis susceptum, ne alias forte res ea in animæ cujusquam detrimentum vergeret. Atque ita regni arces ac præfecturæ omnes diœcesi Viburgensi, ubi præerat *Torbernus* episcopus, regno restitutæ a temporibus etiam *Valdemari* oppignoratæ. Secundum præscriptum hujus per id tempus latæ sententiæ aliquot post annis carere Schilsora & Tranekera *Philippi Axilli* liberi coacti sunt; unde haud tralatitium regno malum accidit, quod eo tempore Axilli familia per regnum universum præpollens ac potens esset. Præter ceteros dominus *Ivarus* Axilli causam hanc suam faciens Regi *Christierno* obsequium ac fidem renunciavit. Dominus similiter *Ago* Axilli frater ejus, qui Vareborgam oppignoratam habebat, eidem se liti involvit. Horum uterque ad Svecos postmodum abiit, ubi frater ipsis erat Germanus *Ericus Axilli*, habens in conjugem sororem *Caroli* Regis. Et ipse præterea dominus *Ivarus Caroli* ejusdem filiam *Magdalenam* uxorem duxerat: Hi exinde aliquamdiu adversus Daniam arma lacessivere, ut deinde dicemus.

pecuniæ male collocatæ repetuntur.

hinc quorundam indignatio & ad Svecos transitus.

Corbiornus Norv. cum suis a Svecis funditur.

Apud Norvagos duce *Colbiorno Gastio* instituta in Svecos expeditio contractis in arma ex popularibus circiter millibus tribus. Sed incautius dum agunt, irruit in eos inopinato *Tordo Bonda* fuditque plerosque capto *Colbiorno* ipso, qui agmen ducebat. *Carolus* inter hæc publicis, quæ isto tempore Stocholmiæ agebantur, comitiis, rei monetariæ, in se curam suscipiens peregrini omnis atque exotici numismatis, quo vix aliud per Sveciæ tum regnum habebatur, æstimationem remisit aut in totum abrogavit, inducta Stocholmiam Aboam & Sydercopiam moneta nova atque indigena. Et idem cum animadverteret huic rei non sufficere, quod ad manus esset, argentum, promulgari atque edici fecit, ut mercatores una cum bonis, quæ importarent, quadraginta marcas valentibus, simul etiam libram argenti unam inferrent vendendam monetario.

Caroli R. circa monetam emendandam cura.

Ejus cum R. Christ. induciæ Holmiæ pactæ.

Per idem tum tempus ipso die corporis Christi Stocholmiæ iterum induciæ eæque annuæ pactæ inter Regem *Carolum* & *Christiernum* mediis ad id delegatis domino *Nicolao Ronnovio* Daniæ regni mareschallo, & domino *Ivaro* Axilli equitibus auratis. Hæ induciæ a proximo, quod instabat, pentecostes festo ad proximam pentecosten anni insequentis perdurarent. Interea temporis nihil utrinque terra marive hostile tentaretur. Die Iohannis Baptistæ procuratores suos Rodnebyæ *Carolus* præsto haberet, qui de pace utriusque regni tractarent, maneretque *Carolus* ad finem istius conventus Calmariæ, quo ejus præsentia consilioque uti liceret. Induciæ interim ad sequentem pentecosten ratæ haberentur.

Si quid in adversum *Caroli* administri molirentur, damnum *Carolus* præstaret, suos jure coërceret. Actum simul de præfecturis Stocholmiæ & Ludosiæ, eas scilicet in fide ejus, cui incolæ sacramentum dicerent, *Carolo* sive *Christierno* mansuras, & eas præterea ditiones, quæ essent, in potestate *Gustavi* Olavi Elsburgo manerent annexæ; ita tamen, ut & seculares & ecclesiastici viri feminæque suis herediis, quæ intra easdem præfecturas sita essent, libere fruerentur. Omnibus captivis, qui redemti non essent, sex hebdomodarum spatium concederetur sistendi se ad proximum, de quo dictum, Rodnebgensem conventum. Cuncti quoque, qui intra Norvagiam fide ac sacramento Regi *Christierno* adstricti erant, eadem in proximum pentecosten pace gauderent. Hoc induciarum pactum conventum, suis sigillis una cum Rege *Carolo* obsignarunt: *Johannes* archiepiscopus Upsaliensis, Nicolaus Lincopiensis, *Siggo* Strangenesensis, *Olaus* Aboensis, episcopi; *Ericus* Ericsonius, *Gustavus* Carelsonius, *Boetius* Stenonis, *Ergisselus* Nicolai, *Ericus* Axilli, *Ericus* Nipperus, *Burgerus* Trolle & *Ago* Gersenius, equites, quin & majoris certitudinis ergo iidem addito sacramento hoc ipsum firmarunt.

Constantinopolis a Turcis expugnata.

Hac tempestate, quod nequaquam hic silentio involvendum, Turci postquam Jonium mare ingressi, Asiæ primum littora essent depopulati & Asiam minorem una cum Cilicia, Armenia, Phrygia, possiderent, Macedoniam etiam ac Thraciam sui juris fecissent, iniquo ferebant animo, Constantinopolim in medio velut sui sitam, suo non parere imperio. Hoc itaque agere isto cum anno *Mahometes* serio instituisset, exstruxit quam celerrime juxta littus Bosphori castellum. Eoque bellum gerere armaque oppidanis ostentare contra fœdus ac jusjurandum jam ante datum primo aggressus est. Hinc trecentorum millium collecto exercitu, frustra Græcis a vicinis Europæ principibus opem eflagitantibus, urbem regiam terra marique circumdedit, actisque quam latissime latentibus fossis ac cuniculis tum aggere exstructo tam excelso, ut muros excederet, mœnia urbis eum in modum concussit, ut Græcos, licet strenue in adversum pugnantes, ad incitas postremum redegerit. Turcis post id in urbem irruentibus *Theophilus* Palæologus & *Johannes* Dalmata duces fortissimi fugere turpe putantes, cum Turcorum multos obtruncassent, inter cadavera hostium cecidere. Ipse Imperator *Constantinus*, dum ad portam trepidus se recipit, fugientium turba oppressus in portæ angustiis conculcatus animam efflasse memoratur; quamvis alii aliter, & ipsum quoque

fortiſſime in hoſtem pugnando occubuiſſe velint. Verum utcunque perierit, id conſtat, caput ejus juſſu *Mahometis* reciſum ac pilo affixum per oppidum ac caſtra mox circumlatum. Capta eſt urbs quarto & quinquageſimo poſt obſidionem die. Indeque triduo toto dum direptioni fœdiſſime pateret, videre erat, præter ludibrium capiti Imperatoris, de quo dictum, illatum, pueros, virgines, matronas ad ſtuprum promiſcue rapi omnemque ſexum ac ætatem profanari. Templum auguſtiſſimum *Sophiæ Juſtiniani* Cæſaris opus omnibus ſacris prophanisque rebus ſpoliatum ac cunctis contaminatum ſpurcitiis in lupanar quodammodo & ſcortorum equorumque ſtabulum redigi. Addunt *Rirelucam*, quem alii *Lucam Notarem* vocant, ſecundum ab imperatore *Conſtantino* inter convivandum mandante *Mahomete* cum duobus filiis decollatum. Et ipſam Conſtantini conjugem ac filias aliasque ſplendidiſſimas matronas primum eodem convivio ſtupratas, inde fruſtulatim ferro diſſectas, exceptis Genuenſium, Venetorum Latinorumque permultis, qui partim gladio cæſi partim auro liberati, ſicque *Conſtantino* Palæologo imperatorum orientis ultimo, qui natus matre *Helena*, capta everſaque Conſtantinopolis, Bizantium olim dicta, altera Roma, ſeu orbis caput, quod *Conſtantinus* Magnus, Helena item matre progenitus, eo primum nomine & ornatu ſplendidiſſimo conſtituerat. Hæc clades in anni jam dicti menſem Majum incidit, qui fuit III. cal. Jun. dies funeſtiſſimus, nec ſine horrore Chriſtianis memorandus. Sedebat tum Romæ Pontifex Max. *Nicolaus* VI, imperio autem Romano præerat Fridericus III.

A. 1454. Chriſtiani R. interdictum de pontium & portus Hafn. læſione.

Anni inſequentis milleſimi ſupra quadringenteſimum quinquageſimi quarti initio, circa feriam quintam poſt Pauli converſionis feſtum, oppido & oppidanis Hafnienſibus Rex *Chriſtianus* diploma evulgavit, quo præter cetera inhibuit, ne ea, quæ intra portum ſubductæ conſiſterent naves, ponti, qui inter urbem & arcem eſt, rudentibus annecterentur, eaque de cauſa ligneos palos fundo directe infigi, & eisdem alios transverſos, quibus navigia alligentur, ſuper imponi mandavit. Similiter etiam eodem edicto vetitum voluit, ne ædium aut platearum purgamenta in profluentem ejusdem portus conjicerentur, quo ita luto & pulvere impletus inhabilis redderetur navibus recipiendis. Nec multo poſt datis Roſchildiæ literis ſe apud Cæſarem *Fredericum* excuſavit, quod ei conventui, quem in publicum Chriſtiani orbis bonum adverſus Turcam indixerat, intereſſe non poſſet, cauſam adducens, quod litteræ Imperatoriæ decem tantum ante diem dictum diebus ſibi eſſent redditæ, nec potuiſſe interea regni ſui publica comitia, quod omnino factu erat opus, a ſe indici ob temporis brevitatem: dolori interim eſſe, quod jungere ſocia adverſus communem hoſtem non poſſet, cum domi bellis quoque diſtineatur ac milite ipſemet ſuo egeat; eisdem in litteris captam a Turcis Conſtantinopolim eorumque felices progreſſus deplorat, peccatis ac delictis hæc imputanda Chriſtianorum adjiciens; quæ ſi emendarentur, Deum adfore & tum ceſſura in melius omnia. Mox ſub anni æſtatem Norvagiam petiit, ubi copiis aliquot collectis eruptionem in Svecos meditabatur: ſed mutato conſilio Bergas profectus ſe ibi videndum ſubditis præbuit, jus ad juſtitiam petentibus dicens, dum in via eſt, a Dantiſcanis aliquot ludibrium illi objectum, qui exploſis in eum tormentis, ingredi portum, quem ipſi tenebant, inhibuerunt, adeo ut a portu non tantum excluſus ſit, ſed tota ea nocte aperto uti mare neceſſum habuerit. Cujus nomine ipſis poſtmodum haud temere vicem reddidit. Illo tum tempore inter regna utraque Sveciæ ac Daniæ denuo induciæ pactæ & quidem biennales; his tamen legibus ac conditione, ut integra interea regno cuique ſua eſſent jura, ſuæque actiones ac poſtulata.

literarum ad Frider. Imp. argumentum.

in Norvegiam profectus

iterata cum Svecis inducia.

Proxime, qui excepit anno Chriſti ſupra milleſimum quadringenteſimum quinto exædificari cœpta prope Tosbroam Danneholmia, idque eo fine, uti ibi Svecorum incurſiones & eorundem præcipue ultra amnem, qui Helligeaa dicitur in Scaniam ſimul inhiberentur trajectiones. Lætum etiam atque auſpicatum anni ingreſſum Regi fecit natalis atque ortus Principis *Johannis*, poſtmodum Daniæ, Sveciæ ac Norvegiæ Regis. Natus enim hic reginæ *Dorotheæ* poſt Olaum ſecundum ſecundus filius initio ſtatim quinti menſis anni hujus, qui fuit Junii dies octavus. Nomen ei atque appellatio indita *Johannis* Marchionis olim Brandenburgici, quem patrem habuit mater *Dorothea*. Eſtque eodem ſtatim anno felicibus auſpiciis regno inauguratus ac princeps ab omnibus ſolemniter ſuſceptus ac proclamatus, ne fortaſſe in omnem eventum aut regni heres aut regno ſucceſſor deeſſet. Iisdem circiter diebus feria quarta poſt feſtum Ægidii abbatis, qui in ipſas calendas Septembris incidit, editis codicillis promulgari fecit, ut cives Hafnienſes, & quicunque ea in urbe ædificia, prædia, aliasque ſoli poſſeſſiones haberent, cujuscunque eſſent aut ſtatus aut conditionis, urbem urbisque plateas aggere, ſtratis aliisque munimentis exſtruerent ac firmarent. Qui officio ſuo deeſſent, idque agere juſſi ſuperſederent, eorum reditibus ac bonis injicere manum magiſtratui poteſtas eſſet; Firmata tum quoque urbis ejusdem privilegia atque immunitates, mandatumque ſenatoribus ac oppidi conſulibus, ut ad eorundem privilegiorum præſcripta cives oppidumque moderarentur, ita tamen, ut eadem illa ampliandi muniendive penes Regem perpetuo jus ſtaret. Per idem hoc tempus miſere a Theutonis trucidati Bergenſis oppidi atque arcis apud Norvagos præſes *Olaus* Nicolai eques auratus, ejusque frater germanus, *Petrus* nomine. Res hunc in modum acta. Exigebat *Olaus* nomine

A. 1455.

Danneholmia ſtructa.

Johannes R. fil. naſcitur.

regni heres declaratus.

mandatum Regis de urbis Hafn. plateis ornandis.

Bergenſium præfectus una cum fratre a Teutonis interemtus.

mine episcopi a Theutonis oppidi incolis, secundum legem latam decimas; illi has nec pendere nec ejus nomine se sistere præsuli aut foro volebant. Episcopus re ad dominum *Olavum* arcis atque oppidi præfectum delata Theutonum contumaciam incusavit. Erat & uxor eidem præfecto virilis animi femina *Eliza* dicta. Hæc cum Theutoni navibus ad iter paratis in anchoris starent moxque oceanum petissent, ipsa instructa cum navi ac classiariis se mediam ipsis objecit spoliisque ablatis recessit. Quod cum identidem fieret, in animum induxerunt, maritum ejus neci dedere seque de illata injuria vindicare. Quo comperto *Olaus* cum fratre suo *Petro* in locum sacrum & veluti asylum monasterii divæ Birgitthæ se recepit; eoque cum advenissent Theutoni quæsitum eum, prodiit in adversum episcopus *Torlesius* manu synaxin tenens, ac ratus hoc pacto a proposito se eos deterriturum, at illi *Olao* non reperto episcopum trucidarunt ignemque cœnobio injecerunt. Unde & fumo excitus proditusque mox *Olaus* interemtus ab iisdem est in crypta graduum, ubi abditus delituerat. Ita acta domestica. At *Crantzius* aliter non nihil memorans, res novas spectasse *Olaum* refert; & conjugem ei fuisse miro animi fastu, utpote quæ regni insignia in velis vexillisque navigiorum suorum gereret, mercatores passim divexans ac naves eorum mercibus onustas, qua poterat, diripiens; & ad crimen præterea aliorum similiter negotiatores circumvenientium vel connivens vel ridens: mercatores vero præter damna etiam ludibrium perpetientes rem ad Regem retulisse, qui respondisset, haud quaquam se talia probare, & ea verba ita accepta ab ipsis, quasi Rege non invito foret, si quid in eum gravius statueretur; & ita cœpta patrataque, quæ memoravimus. At Rex *Christiernus* Pontifici Romano hoc scelus per litteras significans, ostendit tanti criminis solos esse reos Germanicæ nationis, qui urbem incolebant, ac ponti adhabitant, populos, ideoque excusatos purgatosque haberet oppidi inquilinos, nec eos eorumque ecclesias aut monasteria interdicto feriret. At postmodum, ubi adolevisset *Olavi* filius Axillus Gundersiosholmiæ dominus, delata ad Regem *Johannem* eadem quærimonia, qui ejus ergo Lubecensibus præcipue infestus eorum non unis navibus ac mercimoniis injici manum curavit. Estque hinc indies inter eum & Lubecenses simultas enata, quæ in bellum postremo, ut inde referetur, erupit.

Crantzius non nihil dissentiens.

Norvagenses clari.

Hac tempestate apud Norvagos clari habiti Archiepiscopi, episcopi, equites aliique ejus regni Magnates, præcipue isti dominus *Olaus* jam memoratus, *Olaus* electus archiepiscopus Nidrosiensis, *Torlessius* Bergensis, *Gunderus* Stavangriensis, *Johannes* Jeroensis episcopi, dominus *Henricus* Crommedigius, dominus *Colbiornus* Gast, dominus *Petrus* Nielsen, dominus *Ericus* Biornonis, dominus *Henricus* Johansen, item *Engelbertus* ac dominus Olaus Staffensón, *dominus* Jonas Smoreus, *Herlefus* Pederson, ejusque conjux domina *Christina* Tharalsi filia, alias Smorhette dicta, dominus *Ericus* Anderson, dominus *Magnus* Green, qui & Svecus & Norvagus censebatur.

Christiano R. Pontifex Rom. Orebroæ arcem restituendam statuit

Post eosdem dies an literis eisdem, de quibus dictum, ad Romanum Pontificem, an vero aliis seorsim obtinuit Rex *Christiernus* pontificios codicillos adversus Regem Sveciæ *Carolum*, quod is vi ac nullo jure Orebroæ arcem occupasset, quæ Reginæ *Dorotheæ* ad vitam fuerat concessa. Occupatum tum simul Elsburgi castellum per se, ac loci situ, tum & operibus munitissimum.

Elsburgum occupatum.

Nuncius Christiani R. Romæ degens in reditu a Colonienſibus spoliatur.

Invenio peculiarem per ea tempora nuncium habuisse Romæ Regem *Christiernum* apud Pontificem *Nicolaum*, qui & eodem hoc anno vitam cum morte commutavit, accepto successore *Calixto*. Nuncius regius erat Marcellus præsul apud Islandos Schaltholmiæ, is domum rediturus Coloniæ Aggrippinæ spoliatus ac male tractatus occasionem Regi præbuit de pontifice haud bene existimandi. Res ut clarior fiat, sciendum Regem *Olaum* cognomine sanctum ante annos & quod excurrit quadringentos propagata apud Norvagos Christiana pietate ædem ibi metropolitanam unam & alias insuper tredecim suffraganeas, ut vocant, fundasse reditibusque locupletasse hac lege, ut quandocunque archiepiscopus aut episcopus iis in locis esset per Pontificem ordinandus, id non nisi intellecto prius Regis utpote fundatoris ac patroni voto assensuque fieret, præsertim cum & reliquæ apud Norvagos ecclesiæ res ac donationes essent feuda regia, tum & eam ob causam quod archiepiscopus Regi esset a proximis consiliis, ac eodem absente regni præses, qui & belli pacisque negotia moderaretur: ideoque plurimi interesse Regum, ut hisce in oris archiepiscopus esset, cujus fides ac rerum peritia Regi regnoque haberetur perspecta. Cum igitur elapso jam ante tempore archiepiscopus Nidrosiensis, cujus superius meminimus, *Aslacus Boltius* e vivis excessisset, a Rege, episcopis ceterisque regni primoribus in locum ejus esset postulatus *Marcellus* jam memoratus episcopus Schaltholmiensis, qui ut indicatum, Regis apud Pontificem *Nicolaum* legatus Romæ agebat; estque de ejus electione certior redditus Pontifex rogatusque, ut eam electionem secundum regni statuta peractam, habere ratam vellet, ac suo assensu primorum regni postulationem firmare. At contra Pontifex, instinctu, ut videtur, quorundam, qui Regi *Christierno* regnoque Norvagiæ haud bene volebant, alium quempiam nomine *Henricum Caldesonium* virum senem ac exterum obtrudere Norvagis satagebat, hominem non modo ætate propemodum exacta, sed etiam ob linguæ ac idiomatis Norvagici ignorantiam ei muneri plane inidoneum, & qui cum Regis præterea

instinctu Pontificis R. ob dissensum a Rege in constituendo archiepiscopo Norvag.

inimicis clam aliquamdiu fecerat. Rejectus itaque hac occasione per Pontificem Marcellus a Rege, episcopis, regnique primoribus, ut meminimus, postulatus electusque. Dum autem, idem Roma relicta in Daniam festinat, Coloniamqve Agrippinam pervenisset, ibi faciente Pontifice, quo ad Regem tardius deveniret coactus non modo subsistere, sed & custodia detentus est, ablatis, quos secum habebat, codicillis, pecunia aliisqve haud levis pretii rebus ceimeliisque. Inter codicillos non modo postulatoriæ ejus erant litteræ, sed & alia regni privilegia epistolæque ad Regem *Christiernum* a maximis variisque principibus secreto ac familiariter perscriptæ magni momenti ac ponderis. Hæc a Rege indignissime accepta, utpote in sui contemtum ac dedecus perpetrata cum præsertim legatus ipsius esset, qui ubique gentium ab ejusmodi injuriis haberi immunes svevere: & maxime hic ipsi parci debuisse Rex existimabat, quod a se ad pontificem maximum esset missus, qui pacis ac beneficentiæ communis parens ac defensor haberetur. Quapropter misso ad Pontificem legato, ab eo additis etiam literis petebat, non modo electionem *Marcelli*, quæ secundum regni privilegia rite esset celebrata, firmari, sed etiam ut ea, quæ a Colonienſibus eidem erant ablata, restituerentur, operam navaret; & denique ut in ejusmodi facinus adversus episcopum more majorum electum fœde commissum debite animadverteretur: quod & ipsum ab episcopo, consulibus ac senatu Colonienſi efflagitabat; sed illi parum ad id animi sibi esse declarabant vivente Pontifice *Nicolao*. Unde

Christiani R. vindicta.

mox Colonienſium civibus ac institoribus eorumque bonis, quæcunque intra regnorum suorum fines habebantur, injici manum Rex imperavit. Sed commodum haud multo post obiit supremum diem *Nicolaus*, estque surrogatus ei *Calixtus* tertius, qui initio statim pontificatus sui instituisse memoratur, ut ipsa hora diei duodecima ubivis inter Christianos campanæ pulsarentur, quo eo horæ momento preces ad Deum ter opt. max. funderentur pro Christianis, qui adversus Turcam continue dimicarent, adhortans simul Christiani orbis principes universos ad communem in barbaros expeditionem; Sed parum profecit, quod eos privata odia atque intestina dissidia passim distinerent. Misit nihilominus in Germaniam legatum *Johannem Caravagelam* Hispanum Cardinalem Sancti Angeli. Is Septentrionis vires in barbaros concivit, estque, ut habet eorum temporum æqualis *Æneas Silvius*, *coactus exercitus non tam armatus quam fidelis. Vulgus incultum, populares, inopes arma sumsere, quos æternæ vitæ præmia commovere, opulentiores præsenti rerum statu contenti manserunt domi.* His

Turcarum progressus in Hungaria repressi.

quid effectum? Turca Taurinum, (*Albam græcam* vulgo vocant) ubi Savus Danubium influit, obsidione circumcinxerat, ut eo capto Ungariam invaderet; At hic supra opinionem egregie pugnatum ab illis ipsis; repulsus enim Turca & inclyto Dei munere parta victoria, quam Taurinensem appellant: duces exercitus præter *Guilhelmum* Album & *Capistranum* memoratur *Johannes* Hunniades Ungariæ procurator. Quo exinde vita functo Ungariæ principes inter se quoque dissidere cœperunt, & inter ceteros Ladislaus Rex Hunniadæ tam bene meriti filium Ladislaum etiam nomine, securi percussit, & fratrem ejus *Matthiam* arcta custodia servari mandavit: eorum scilicet virtutem suspectam habens veritusque fortasse ne ab illis propter ignaviam suam solio dejiceretur. Et nequid infelicitatis deesset, *Carolus* etiam Francorum Rex cum filio proprio *Ludovico Delphino* funem contentionis domi ducens foris similiter, quod timeret, habebat. Cum enim Anglis paulo ante gravissimo illato bello Burdegalam totamque Aquitaniam eripuisset, & Ducem eorum *Johannem Falbotum* una cum filio interimi jussisset, eum res domi potius firmandi, quam ad exteros auxilii mittendi cura versabat. Unde amicitias sibi circumquaque parare principum dum satagit, cum Rege quoque *Christierno* fœdus iniit, medium se interponente *Frederico* Palatino ejus nominis primo Spanhemii Comite. Hoc fœdus Coloniæ Agrippinæ pactum præsentibus a parte Regis *Christierni*, *Vernero* Parsbergio præfecto Holbekensi & Soburgi, magistro *Daniele* Kiepkeno, canonico Nidrosiensi regiis secretariis: & a parte Regis Francorum *Caroli Burchardo* præsule Constantiensi, *Johanne* Hengesto equite ac domino Giendæ Regi a consiliis ac cubiculo, nec non secretario ejusdem magistro *Johanne*. Capita ibi hæc statuta: Pax amicitiaque inter vtrumque principum, quamdiu in vivis fuerint, firma perpetuaque esto. Utrique præter hanc fœderationem fas & liberum sit cum aliis insuper dynastis, principibus, civitatibus pacem fœdusque pangere, ita tamen, ne sibimet invicem principes jam dicti reddantur obnoxii.

Hungarorum dissidia.

itemque Regis Franc. cum filio contentiones.

illius cum Rege Christierno fœdus.

ejus summa.

Iisdem quoque cum principibus ac rebus publicis aliis, tam hujus quam illius Regis hostibus, ferire fœdus permissum, modo id singularis svadeat necessitas utilitasque, & ipsimet hocce in fœdere uterque permaneant, nec quicquam alter in alterum vi aut bello aperto moliatur, quin & is, qui tale initurus fœdus sit, alterum id præmoneto. Si ita contingat Regem Danorum aliquam cum Regis Francorum hostibus pacem firmare, durante hac pace, eodem tum pacto se erga ipsum geret.

Si præterea Francorum Rex opem Regis Daniæ expetat, quadraginta aut plures naves, & in iis sex aut septem armatorum millia idque sive adversus Anglum sive Regis ipsius subditos ex occasione postulatus, suppetias ei laturus accurret, impendia interim stipendiaque præstabit tam navium quam militis Rex Francorum.

Idem

Idem in Daniam tempori ſuos mittet, ut ibi de copiis iisdem auxiliaribus, cujusmodi eas & quo tempore exſpectat, tranſigatur, ut & de ſtipendiis. Quidquid tum ibi ſtatuatur, id ratum habebitur.

Stipendia etiam formabuntur ad eum modum, quo in Dania perſolvi ſolent; Rex vero Francorum fratri ac fœderato ſuo damnum detrimentumque præſtabit.

Hiſce auxiliis ſi quid in Anglia obtineri poterit, id in commodum utriusque Regis cedet, aut alter ſe alteri eo nomine jure ſiſtet, ſubmittetque ſententiæ, quam dicent conſiliarii arbitrique Regis utriusque. Subditos libere ac tuto agere ac negotiari in ditionibus alter utrius fas erit, ſecundum nimirum morem ac conſuetudinem regionis cujusque gentis.

His quod interjectum a principe Palatino *Frederico* utpote medio caput quintum, quo cavebatur, ne quis Anglorum in ditionibus alterutrius regni ageret aut negotiaretur, id arbitrio Regis utriusque permiſſum. Si tamen utriusque Regum ſubditis interdiceretur in Angliam acceſſus ac negotiatio, tum is articulus, id vice verſa fieri debere in ipſorum regionibus, commonefacit. De delictis, quæ perpetrabuntur, ſecundum regni, in quo fiunt, forum ac conſuetudinem feretur ſententia firmo interea permanente principum utriusque fœdere.

Hæc fœderatio publice, & ad regni præſertim cujusque limitem promulgari curabitur, quo ejus ad vicinos ac conterminos circumquaque fama ſpargatur.

Operam porro navabit Francorum Rex, ut Regi Danorum ſatisfiat juxta tenorem eorum ſyngraphorum ac literarum, quas ipſi exhiberi fecit ſpectantes debitum Scotorum Regis; ſi vero Scotorum id Rex negaverit, tum ſe Rex Francorum talem erga Daniæ Regem geret, cujusmodi eundem erga ſe ſimili in re cuperet. Poſtulatum vero Daniæ Regis pecuniæ ſummam reſpicit, nomine Suderoræ & Mannoræ inſularum, quas Daniæ olim Regis majores certo pretio Scotorum regno conjungendas permiſerunt.

Francorum Rex quamcunque poteſt fidem, fraternitatem atque opem commodabit Danorum Regi adverſus Sveciam atque urbes Hanſeaticas, ſcriptoque eidem Francorum Regi Rex Daniæ ſignificabit, quænam ex iisdem urbibus ſibi adverſæ ſint; atque inde ſe talem hic erga ipſum Francorum Rex geret, qualem & ipſum erga ſe cuperet, tam ipſos quam bona ipſorum detinendo.

Hæc capita manu delegatorum utriusque partis ſubſignata, una cum litteris, quas habebant, procuratoriis ac plenæ poteſtatis, tradita principi Palatino, utpote medio, qui Regis utriusque ſuper iisdem confirmationem intra feſtum Martini proxime inſtantem procuraret.

A. 1456. Coloniæ con- Acta hæc anno Chriſti 1456. Auguſti 28. Coloniæ Agrippinæ, cum primo conventus iſte indictus eſſet Duſſeldorpii. At electa a transactoribus Aggrippinenſium Colonia, quod ea Duſſeldorpio videretur aditu opportunior: *ventus præ ſtituitur.*

Per idem circiter tempus iterum *Chriſtiernus* Rex movere in Sveciam arma cœpit, idque annuatim agere inſtituit, adeo ut *Carolus* Rex ſubinde iterato, aliquando etiam pluries uno eodemque anno ad expeditionem ſe parare neceſſum habuerit. Eratque in more hoc poſitum *Chriſtierno*, ut ſuos ſæpenumero eſſe in procinctu juberet quaſi jamjam in Sveciam irrupturus: cum id tamen ſerio haut ageret ſed ut defatigaretur *Carolus*, atque eum poſtremo imperii tædium caperet, & denique ut exhauſtus ac depauperatus aſſiduis expeditionibus, populus *Carolum* paulatim averſaretur. Quod & factum; nam volitabant identidem per territoria ac regni pagos cohortes ejus, cuncta ſic undique depaſcentes, ut vix agreſtium multitudini continuis hoſpitationibus attritæ quicquam reliqui facerent. Unde poſtremo timeri magis magisque indies ipſe ejusque miles cœpit, cum alias vir eſſet, ut tradunt autores etiam externi, ingenio ac prudentia excellens, & qui loquendi ſilendique momenta calleret, accedente his omnibus heroica corporis, qua eminebat, ſtatura, popularis præterea ejus *Johannes Gothius* eum in diſciplinis philoſophicis, & præſertim, quæ mathematicæ dicuntur, excellenter inſtructum addit; Odii vero in eum cauſas, præſertim nobilium atque ordinis equeſtris auxiſſe etiam hoc putatur, quod ipſe potiſſimas regni præfecturus ſibi retineret, vix ullis relictis nobilitati, & quibus eæ pro more & meritis ipſorum debebantur, tum & minus in re militari, quam ejus poſtulabat dignitas exercitatus credebatur, quamvis plurimum ei hac in parte *Tordo Bonde* adjumenti conferret, cum ejus in bellis felix audacia ipſi tribueretur; Nec multo poſt ſibi ac regno utiliſſimum eum virum amiſit, dum a proprio is præfecto *Johanne* Bœſenio in lectulo decumbens accepta circa caput lethali plaga miſerrime trucidatur: *Bœſenus* in Daniam exinde profugiens, quem exitum habuerit, nondum reperi. *Chriſtiani R. quotannis in Svecos facta expeditio, ejusque rei conſilium.* *Caroli R. character.* *indignationis in eum cauſſæ.* *Tordo Bonde dux belli Svec. trucidatur.*

Defuncto exinde, cujus ſuperius meminimus, Pontifice max. *Nicolao*, continuo Rex *Chriſtiernus* ſucceſſorem ejus Calixtum per legatos ſuos adire ac ſalutare haud intermiſit eum amice commonefaciens, ut ea, quæ prædeceſſor ejus *Nicolaus* imprudens adverſus regni Norvagici immunitates ac privilegia commiſiſſet, ipſe pro ſua, qua pollebat, ſingulari moderatione ac prudentia vellet corrigere ac emendare. Sed *Calixtus* nihilo prædeceſſore ſuo melior confirmavit *Henricum* jam ante memoratum, quem Pontifex *Nicolaus* adverſus regni ſtatuta, invitis quoque Rege ac regni proceribus, obtrudere eccleſiæ cœperat. Atque ita regios legatos ſine ulteriore reſponſo redire domum permiſit. Hac occaſione haud leves apud Norvagos exorti *Calixti Pont. R non minor quam anteceſſoris in Chriſtianum R. iniquitas.*

exorti motus, dum alii Romano Pontifici, alii regiæ adhærent majeſtati, epiſcopi ac proceres regni anſam hinc dari animadvertebant homicidiis ac pernicioſæ licentiæ, quod intelligeret populus, inter Regem & Pontificem minus convenire; tunc & plures, qui borealiores agebant, ab eccleſia Romana deficientes religioni Moſcovitarum, qui patriarcham ſolum Conſtantinopolitanum, non autem Romanum Pontificem agnoſcunt, nomen ſuum dare cœperunt, unde regni proceres Regi declararunt, debere eum regni defendere privilegia, & eorum tutari authoritatem, quomodo in ſua jam olim inauguratione facto ſacramento promiſerat, niſi ipſe excidere regno & ipſos de alio circumſpicere Rege mallet: Rex quo ſe verteret, hærebat: Si enim Pontifici aſſenſum ſuum præberet, univerſum in ſe regnum ire videbat; ſi vero promiſſis ac ſacramento jam olim præſtito ſtandum judicaret, erat exſpectandum Pontificis fulmen ac gladius ſpiritualis. Quocirca non ſolum Romano Pontifici, ſed & Regi Romanorum *Frederico* tanquam *eccleſiæ ſanctæ* (ita enim verba literarum ad ipſum formalia habebant) *ſupremo advocato* tum & Regi Aragonum *Alphonſo* aliisque dynaſtis, quos ſciebat Pontifici haud eſſe ingratos, legatos ſuos ſubmiſit, aperiens ac declarans, quid inter ſe & Pontificem Romanum controverteretur, oransque ſimul, vellent eo rem dirigere, ut eccleſiis Norvagicis ſua jura ac vetera privilegia conſtarent, quo & ſeditiones hoc pacto ac cædes inhiberentur, & ipſe, qui ſemper fuiſſet atque etiamnum ſit Romanæ ſedi filiali obſequio devotus, poſſet deinceps regno potiri, & ſubditi ſui Romanam eccleſiam ac fidem ſequi. Extantque præter alia in literis ad Pontificem regiis, poſtquam defectiones borealium quorundam ad Moſchovitarum eccleſias ceteraque incommoda, de quibus jam dictum, retuliſſet, verba iſta: *O ambitionis deteſtabile crimen! pro ovibus ſuis redimendis moritur Chriſtus, pro tumidæ ſuperbiæ inſatiabili faſtu, pro mundanæ gloriæ pompa ovile Chriſti ſurripitur. &c.* Quo igitur aliquem rei colorem Pontifex aſſueret, multa in *Marcellum* commenta excogitata confictæque rationes, quibus ab archiepiſcopatu arceri mereretur; Eaque per capita ſeorſim deſcripta transmiſſaque Lundenſium archiepiſcopo ejusque ſuffraganeis, ut ii vocato ad tribunal *Marcello* ſententiam pronuntiarent; nec defuit officio Marcellus, ſed coram reſpondens prolatis teſtimoniis innocentiam ſuam declaravit, cetera vero omnia invidia atque odio in ſe fuiſſe conficta. Cauſam igitur judices ad Pontificem remittunt, & licet ipſe tum quoque ſe Romam reciperet *Marcellus*, & præſens defenſionem ſuam proferret, res ad finem tamen perduci nequiit, hæſitque ſuſpenſa, donec interea vita excederet *Calixtus* & ei eſt ſurrogatus Pontifex *Pius Senenſis*, de quo exinde dicetur.

hinc motus periculoſi.

Rex in anciptiti conſtitutus legatos ad Frid. Imp. & Alphonſ. Arag. R. mittit.

cauſæ, quas interſerit Papa.

lis prorogata usque ad mortem Calixti P.

Friderici

Quæ dum fiunt, natus paulo ante, ſub diem ſcilicet 27. calend. Julii Reginæ Dorotheæ filius fuerat tertius *Fredericus* nomine, qui & poſtmodum regni diadema ſuſcepit. Atque inde vergente ad finem æſtate cinxerat obſidione Rex *Chriſtiernus* Borcholmiæ arcem, ſitam in inſula Olandia ductore copiarum ac claſſis præſertim, ut volunt, *Magno* Grenio, quamvis ejus nihil injiciant autores domeſtici. Hanc inſulam ut & arcem ſibi demandatam pro viribus defendebat *Ericus* Ericſon Caroli Regis affinis; ſed eundem, ubi difficilem ejus defenſionem fore animadverteret, conveniſſe cum regiis præfectis invenio (qui præter ceteros fuere *Ludovicus* Comes ab Hulfelſtein, Dominus *Ericus* aulæ magiſter, Dominus *Nicolaus* Ronnovius mareſchallus, nec non *Olaus* Axilli) & quidem in hunc modum, ut ſi Rex *Carolus* intra dominicam, quæ proxime ſubſequitur feſtum S. Dionyſii, qui in nonum Octobris recidit, arcem obſidione haud liberaret, aut Regem *Chriſtiernum* ex inſula profligaret, tunc arcem ſeque eo ipſo die dederet ante ſolis occaſum. Quo etiam nomine obſidis loco relinqueretur *Canutus* Benedicti eques, una cum decem aliis ex militum anteſignanis. Caſtellum ubi traderetur ſimul & inventarium arcis ſive rerum index iisdem ſuperius memoratis, aut aliis ex Regis præfectis, quibus in mandatis id eſſet, redderetur. Nec etiam interea temporis muniendæ arci præfectus Ericus ſtuderet. Omnes denique ex Danis, qui captivi habebantur, dimitterentur liberi, & præſertim *Olaus Giæd.* Incolis Olandiæ reſtituerentur, quæ in arcem delata eorum fuerunt bona. Si cum exercitu ad obſidionem ſolvendam Rex *Carolus* non adveniret, conquieſceret *Ericus* nihilque pro eo adverſus Danos tentaret. Eccleſiaſtici, qui in arcem confugerant, ibidem ſubſiſterent, bonisque ſuis fruerentur. Hæc Ericus cum ſuis promiſit omnia, conſignavitque addita ſponſione, ſe hoc ſtaturum pacto ſub pœna perpetui carceris, idque ad arbitrium Regis *Chriſtiani.* Cum autem nihil interea a *Carolo* mitteretur ſubſidii, tradita Regi *Chriſtierno* non arx modo Borcholmia, ſed & inſula quoque univerſa Olandiæ. Et miſſa per idem circiter tempus in oras Finlandiæ claſſis cum magna armatorum manu, qui direpto Viburgo id ipſum injecto mox igne exuſſerunt.

Princ. natalis.

Fridericus R. fil. natus.

Chriſtianus Olandiam arcemque in ea Borcholmiam capit.

Viburgum exuſtum.

Sub finem deinde anni ipſo in feſto natalis Chriſti, cum paulo ante crinitum ſidus haut ſine terrore conſpiciendum ſe præbuiſſet, celebrari Stocholmiæ Rex *Carolus* nuptias curavit Nicolai Sturæ. Quo & vocatus acceſſit cum pluribus aliis Caroli Regis inimicis archiepiſcopus *Johannes.* Finitisque nuptiarum ſolemnibus, cum jam annus Chriſti ageretur 1457. petit a Rege archiepiſcopus recompenſationem claſſis, quam ſuis impenſis æſtate ſuperiore adverſus hoſtem armaverat. Quo nomine cum ſe haud quaquam teneri Rex exiſtimaret, res juri permiſſa, eſtque ſententia omnium pronuntiatum, teneri

Nicolai Sturæ nuptiæ celebratæ.

A. 1457. Rex ſumtu claſſi impenſos archiep

scopo Jo. restituat proceres judicant. hinc ejus indignatio.

teneri Regem detrimentum archiepiscopo ejusque classi illatam præstare: Quod Rex indigne ferens succensuit omnibus, qui eam sententiam protulissent. Hinc procerum, qui ad nuptias convenerant, discessio facta, sed minus amica.

Simultatis inter R. & Archiepisc. Upsal. inveteratæ causa recensetur.

Fuerat vero inter Regem & archiepiscopum multo jam tempore occulta simultas; cujus occasionem sunt, qui referunt ad illud tempus, cum adhuc regni marescallum Rex ageret. Tum enim comprehendi dominum *Christiernum Nicolaum* archiepiscopi avum Carolus curaverat, & præter id regni quoque diadema absque archiepiscopi assensu acceperat, aliaque ejusmodi inter ipsos controvertebantur. Et erat præterea magna agnatorum manus archiepiscopo, aliique passim, qui ei studebant. Quod tamen flocci fecit *Carolus* fisus arcium, quas fere omnes ipse tenebat, robore earumque præsidiis ac militum multitudine, quos suum ad nutum paratos habebat. At *Gothus* in sua Sveonum Gothorumque historia his silentio omissis refert *Carolum* ob præfectorum suorum avaritiam inque subditos sævum imperium in publicum omnium odium incidisse, atque ea occasione imploratam adversus Regem archiepiscopi opem. Verba ejus ipsamet adscribam:

Gothi relatio additur.

Habebat Carolus præfectos ad omnem nequitiam audacissimos & ad omnem virtutem resque præclaras imbellissimos; Hi tam avare & atrociter subjectum populum deprimebant, ut tandem coactus fuerit fidelissimam subjectionem pertinaci rebellione commutare. Erant in legibus patriæ taliter eruditi, ut magis juris quam justitiæ consulti haberentur; nullus erat patrii juris titulus, quem non cogerent suæ avaritiæ inservire. Omnia verba legis ita interpretabantur, ut nihil prorsus ad intentionem legislatoris accedere viderentur. Summum jus summam æquitatem esse dicebant; severitas voluit justitia videri: imo ut consuetissimus tyrannorum mos est, omnibus nefandis sceleribus nomina summarum virtutum imponebant dicentes se omnia ob publicam totius patriæ salutem facere, cum tamen totam patriam desolare & funditus evertere contenderent. Igitur postquam accolæ ad plures annos a regis præfectis tam inhumaniter tractati, spoliati vexatique fuissent, ut jam nihil præter sanguinem residuum haberent, quem ne tyranni impune bibituri essent, diligentius prævidere vellent. Quocirca preces & lacrymas coram Johanne Benedicto, de Solestadia archiepiscopo Upsaliensi, quem sciebant eam tyrannidem in summo odio habere, sæpe & importune effundunt rogantes & obsecrantes, ut eorum extremæ calamitati de aliquo opportuno remedio consulere dignaretur. Factus igitur Johannes oppressi populi ductor statuit non modo in regios præfectos, sed & in ipsum Regem, cum quo longo tempore in gravi controversia steterat, patratæ tyrannidis injuriam vindicare; ipsumque regem multitudine incolarum succinctus in civitate Stocholmiensi obsedit.

de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

Hæc quidem *Gothus* saltuatim ac breviter de iræ atque odii in *Carolum* subditorum causis memorans, tum & obsidii, quo intra Stocholmiam ab archiepiscopo conclusus fuit; omittens interim, quod modo relatum, prius a Rege *Christierno* occupatam non tantum Borcholmiæ arcem, sed & Alaridiam totam, & ea occasione procinctum a *Carolo* in eam insulam institutum, sed re ab archiepisco percepta præventum *Carolum*, ac prius præfectum ejus *Haquinum Svenonis* carceri Salistadiæ mandatum, atque inde postridie Upsaliæ affixo templi foribus publico programmate, Regi *Carolo* obsequium ac fidem renunciasse, ac mox ingressum cathedrale idem templum, ibique deposuisse episcopalem habitum, & eum divi Erici scrinio servandum tradidisse cum voti sponsione, se ejusmodi vestitum non usurpaturum amplius, nisi aliter se regni res haberent; atque ita induto ferreo thorace & addito femori gladio prædæ eo loci dedisse aulam regiam ac statim circumquaque profectum sibique fide atque obsequio ditiones ac territoria regni reddidisse obnoxia: nec illud modo sed inde in Vesterosam quoque facta profectione ibi Darlecarlorum præcipuos ad se vocasse, facileque auditum esse, quod cuncti circumquaque regimen *Caroli* fastidirent. Additque nobilissimus *Vitfeldius* hunc esse primum archiepiscopum, qui Regi ac magistratui, cui erat sacramento obstrictus, se opposuerit, sed eundem hoc ipsum satis exinde magno luisse, cum Dei verbum docendum haberet, atque eo revocare ad officium exorbitantem forte Regem debuisset, non gladio & armis, quibus ille sine mandato sumtis perpluribus aliis detrimento exitioque fuerit.

Archiepiscopus Upsal. Regi obsequium recusat & Svecos indignantes in eum concitat arma sua mens.

Huitfeldi judicium.

Carolus igitur intellecto similiter, quod moliretur, supremus præsul, relicta, quo tendebat, Olandia, atque Ostergothia cum mille quingentis cataphractis, & aliquot e Stocholmia raptim collectis peditibus Strengenesum versus profectus archiepiscopum prope Vesterosiam se oppressurum speravit. Verum præsul celeritate præveniens circa Strangenesum summo ei mane occurrit; cæsis ibi & captis, priusquam arma capesserent, copiis pene universis. Ipse *Carolus* fuga elapsus, Stocholmiam devenit vulnere saucius. Hæc victoria archiepiscopo omnium primo obtigit die, qui Petro sacer habetur, quem & ideo per regnum quoque universum haberi festum voluit: Alii eo die ipsam Stocholmiam ab eo receptam tradunt, ideoque & festum habitum.

Rex Carolus cæsus.

Carolus Stocholmiam ingressus statim injici ignem suburbio utique, *Malmene* dicto, curavit quippe qui haud ambigeret subsecuturam haud multo post obsidionem. Verum & hic archiepiscopus opinione citius insequutus urbem extemplo corona incinxit. Nec erat uspiam, qui subsidio accurreret *Carolo*. Ideoque cum id agere archiepiscopum & qui ei aderant, animadverteret, nec etiam multum Stocholmiæ civibus fidendum existimaret

Holmia incensa & Archiepiscopo insequente aufugit Dantiscum.

maret, præsertim cum regnum fere totum a se aversum videret, convasat ex templo, quicquid ad manus haberet auri argentiqae, ac se de nocte mari committit, appulitque tridico exinde Dantiscum.

Joh. Gothi relatio.

De ea Caroli fuga ita *Johannes Gothus: Tum Rex in arcta necessitate positus ad memoriam revocabat amicitiam, quam alias in principatu Viburgensi constitutus cum Casimiro magno Lituaniæ duce iniverat, consiliumque cepit se ad ipsum jam Regem Poloniæ effectum pro auxilio conferre. Dispositis igitur navibus, cum jam sola anchora levanda restaret, quidam ex præfectis Regem interrogat, an quidquam in terra neglexisset. Quo verbo audito Rex suspirans respondit: Neglexi profecto ante plures annos Te & tui similes in furcam suspendere, quod si tunc fecissem, nunc quietus in tranquilla republica remanerem. Deinde erectis velis in Gedanum celeberrimum Prussiæ emporium magis grata quam jucunda navigatione pervenit. Exceptusque est a Rege Casimiro summa humanitate, a quo bene sperare jussus, mansit in ea civitate aut ejus vicinis locis aliquot annis.* Hactenus *Gothus.* Mansisse vero Dantisci exinde annos circiter septem reperio, ac magnam eo gazam attulisse secum, adeo ut Dantiscanis ingenti pecuniæ summa mutuo tradita Pustervicum ab eisdem pignori receperit. Poloniæ chronicon his omissis *Cazimirum* eo tempore e Polonia in Prussiam Gedanum divertisse, ac ibi a *Carolo* Svecorum Rege exule pedibus extra urbem progresso honorifice fuisse salutatum solummodo memorat.

Carolus Dantisci commoratur.

Christianus Hafnienses privilegiis auget.

Domi interea Rex *Christiernus* Havniensium civitati atque incolis privilegia sua atque immunitates firmavit, interque cetera hoc adjecit, ut ab onere, quo hucusque obstricti fuerant, rumpendi circa arcem hiemali tempore glaciem immunes essent ac liberi; Aliaque per eosdem dies promulgari fecit, quæ forum judiciale tum & officiarios suos spectarent, ut, nimirum vocati se juri sisterent aut dolum declinarent.

Svecl apud eum commorati in patriam redeunt.

Archiep. occupat urbem arcemque Holmiens.

totamque fere Sveciam sibi conciliat.

Benedictus autem Scarensis episcopus, ut & *Magnus Greenius* de quo superius dictum, itemque *Thuro Thuronis*, *Gustavus Olai*, *Gustavus Laurentii*, qui e Svecia in Daniam ob Caroli in se iram perfidiamque secesserant, intellecta ejusdem ad Prutenos profectione continuo in Sveciam regressi sunt. Et archiepiscopus, qui Stocholmiam obsidione cinxerat, eam haud magno labore suæ potestatis fecit, dissidentibus præsertim inter se civibus arcem quoque, quam *Caroli* adhuc nomine tenebat *Olaus Draco*, elapso post id mense per deditionem accepit, atque inde confestim misit, qui ex insula Gothlandiæ *Olaum Axilli* accerserent, & alios in Daniam, qui oretenus cum Rege *Christiermo* agentes ei rem omnem aperirent. Quæ dum fiunt dumque se cunctaque, quæ essent huic rei necessaria, Rex parat, Sveciæ interea ditiones ac territoria archiepiscopus adiit, egitque cum incolis quaqua versum, eos, qua poterat, ad obsequium reducturus. Arces etiam omnes excepta Calmaria, quam *Christierni* Regis nomine *Gustavus Caroli* tenebat, suam in potestatem redegit. Nec tamen de Rege *Christierno* ad regni sceptrum evocando consilium suum popularibus aperuit, quod non ignoraret, populo eum minus futurum gratum, ob clades aliaque detrimenta, quæ passim ipsi ac toti regioni, dum in bellum eos ac *Carolum* lacessit, ferro flammaque intulisset. Verum *Christiernus* prius, quam id rescisceret quispiam potuit, circa festum pentecostes coram adfuit ac portum vulgo *Diurschafnen* appellatum instructa cum classe ingressus nomen præberi fecit, quasi ad Sveciæ defensionem contra *Carolum* Regem, qui maximam in Svecos manum armasse ferebatur, cum suis accurrisset.

Christianus R. classe Holmiam appellit.

causam interserens auxilii contra Carol. R.

Quo itaque *Caroli* eam vim ac violentiam ab eorum cervicibus depelleret, se advenisse per omnium ora orasque regionum divulgari curavit; Interim archiepiscopus, ceterique cum archiepiscopo hoc idem actitantes certa concipiunt capita, quibus si Rex *Christiernus* subscriberet, eum in Regem ac dominum suum se electuros declarabant. Conscripti confestim articuli missique ad Regem, qui, ut dictum, cum classe universa haud longe aberat, lectique ab eo ac sine refragatione approbati regioque sigillo obsignati. Nec cunctatus exinde archiepiscopus, sed ad Regem extemplo salutandum gratulandumque excurrens eum ingenti cum magnificentia intra urbem deduxit, quamvis, quod addit nobilissimus *Vitfeldius*, idem hic archiepiscopus paulo ante familiari inter suos colloquio Stocholmiæ fuisset professus, se haud unquam ad regni solium evocaturum externum aliquem principem.

pactione fa-cta ipsi Sveciæ regnum per Archiep. defertur.

Hinc ipso die, qui Johanni Baptistæ est sacer electus Stocholmiæ *Christiernus* fuit Svecorum Rex, indeque Upsalim profectus ibi ab omnibus, qui præsentes aderant regni proceribus ad Morastenam est inauguratus, idque solenni inaugurationis more, ac mox die, qui Petro Pauloque dicatus habetur, Upsaliæ a præsule Svecorum summo *Johanne Salistio* est coronatus, Rexque salutatus ab omnibus, qui illic frequentissimi aderant. Ubi & integrum absumpsit octiduum festivis epulis lusuque Trojano; quo ipse præcipue delectatus excelluit. Tenuitque Sveciæ regnum, quamdiu apud Prutenos ageret Carolus, sancte moderateque ex initio quidem præcipue, quæ omnia sub finem mutari cœperunt. Præter ceteros *Thuronem Thuronis* Sveciæ marescha-llum creavit & eidem simul arcem Stocholmiæ custodiendam commisit. Aurum quoque argentumque, quod Rex *Carolus* fratribus Stocholmiæ prædicatoribus servandum tradiderat, universum abstulit. *Johannes Gothus* ingentem thesaurum appellat, eumque septem vasis inclusum fuisse; cum *Crantzius* ipsaque experientia declararint, haud ultra aliquot marca-

Christianus in Regem Svec. cooptatus.

inauguratus

& coronatus.

ejus mores & instituta.

marcarum fuiſſe millia, eaque in arca una & aliquot inſuper ſcyphos magnos minoresque in ciſta alia. Quæ hoc tempore haud tanti æſtimentur, apertis præſertim ac reſeratis nunc Indiæ atque orientis opibus. Laudat interim idem *Gothus Chriſtiernum* utpote principem admodum circumſpectum, archiepiſcopi vero ſugillat temeritatem, & cujus oblationem a principio haud magni *Chriſtiernus* fecerit, quod non ignoraret parum utilem aut honeſtam fore eam coronationem, quæ vivente adhuc Rege *Carolo* per proceres inter ſe diſſidentes ac ſine decreto publico ſenatus ac populi offerebatur. Et addit, eundem *Chriſtiernum* Regem magis aliorum, quam ſuo conſilio ad regni oras cum claſſe acceleraſſe. Quæ ut a vero fortaſſe haud plane abeant, ita egiſſe omnia archiepiſcopum conſtat, quo Sveci Sveciæque ditiones ſe in univerſum Chriſtierno ſubmitterent; nec quod idem *Gothus* innuit, intruſum regno, ſed exceptum a præcipuis benigneque admiſſum. Nam poſtquam initio ſtatim anni hujus *Johannes*, archiepiſcopus Upſalienſis Sveciæ primas, itemque *Siggo* epiſcopus Strangeneſenſis, & *Boderus Olaus* Veſterosiæ præſul una cum aliis ex regni Sveciæ conſiliariis literas ad nobilitatem Finlandiæ miſiſſent, ut Stockholmiæ circa feſtum divi Johannis frequentes adeſſent, quo ibi de novo eligendo Rege agerent, poſtquam ipſos a tyranno *Carolo* Deus liberaſſet; ad ea in hanc ſententiam *Olaus* Aboenſis epiſcopus, *Henricus Bitzerus* judex Sundfindelanſogenſis, *Henricus Claudius* judex Norfindelanſogenſis, Conradus Bitzerus eccleſiæ præpoſitus, *Nicolaus Mulle* archidiaconus, omnisque Aboenſis clerus una cum urbis conſulibus totoque ſenatu ac civibus populoque in hanc, inquam, ſententiam reſponderunt; ſibi litteras ſenatorum ſerius redditas, idque haud ante ſancti corporis diem, quo tempore occupari ſolerent miſſarum aliorumque ſacrorum ſolennibus divo ſuo Henrico præſtandis, tum & eodem circiter tempore dominum *Ericum Axilli* Sveciæ defenſorem cum exercitu ob obſidendam Viburgenſem arcem procurante *Carolo* appuliſſe, & ſe etiam cum eo totum hoc communicaſſe negotium, & ſtatuiſſe unanimes acceptandum habendumque pro Sveciæ legitimo Rege *Chriſtiernum*, poſtquam turpi ambitione & avaritia ductus *Carolus* ſe ipſemet regno ingeſſiſſet rupta, qua tria hæc borealia regna colligata junctaque habebantur, unione ac fœdere, ſeque ſerio ſancteque hoc ſuo promiſſo ſtaturos, præſertim cum in limine jam ſtaret Svetici regni lateque copias ſuas circumquaque explicaſſet *Chriſtiernus* & aliquam quoque regni laciniam teneret.

Iure ei a Gotho tributa.

Et Finni Chriſtianum Regem approbant

eorum petitio.

Eisdem porro literis hoc a Rege Chriſtierno petebant, eumque monitum volebant, ne ſe, poſtquam tales erga ipſum declaraſſent, ullo pacto vellet deſerere, aut permittere, quod præfecti ac præſides Caroli minitabantur, ut arces ac munitiones Finlandiæ in manus traderentur Ruſſorum, obnixeque ſimul flagitabant, ut immunitates ſuas ac privilegia antiqua veteraque ſtatuta ac conſuetudines habere ratas vellet, tum & præfecturas, quas ſinguli, ſive a Carolo, ſive ab archiepiſcopo aut regni defenſore Erico acceptas poſſiderent, easdem deinceps retinerent ac poſſiderent.

Hi codicilli Finlandiæ ſigillo obſignati fuere ſubſcriptaque ſingulorum hæc nomina: Epiſcopus Olaus, Ericus Axilli, Henricus Bizerus, Henricus Claudius judex, Conradus Bizerus eccleſiæ præpoſitus, Nicolaus Mullis archidiaconus, Eſebillus Iſaci, Hago Johannis, Chriſtianus Benedicti equites, ſenatores urbis Aboenſis, Olaus Drago, Frillerus Haquini, Petrus Sveridius, Chriſtiernus Frillis, & Henricus Favaſtenus. Actum Aboæ die Johannis Baptiſtæ.

A Viborgenſibus obtineri tum nihil potuit, quod eorum oppidum obſidione premeretur. Poſtea cum & illud ſuæ poteſtatis Chriſtiernus feciſſet, & ipſi & ejus quicunque erant diœceſeos ſe reliquis conjunxere.

it. Viborgenſes.

Per idem id tempus ingentes bellorum minæ motusque apud Prutenos inter ordinis præſides ac ſubditos exorti. Horum aliqui Caſimiro Poloniæ Regi ſua ſponte adhæreſcebant, alios ipſe ſibi vi ſubjectos reddebat. Quod imperatorem, electores aliosque Germaniæ dynaſtas ac principes pertæduit, adeo ut tam ipſi, quam ordinis præfecti apud Regem Chriſtiernum agere cœperint, ne commeatum ullum Prutenorum illis urbibus, quæ ad Regem Polonorum Caſimirum defeciſſent, advehi permitteret.

Prutenorum diſſidia, quibusdam ad Regem Pol. deficientibus.

Unde confeſtim literæ Clarigationis a Rege Chriſtierno datæ Hafniæ initio anni hujus ad Regem Polonorum Caſimirum transmiſſæ, quibus ſignificabat ordinis magiſtros apud Prutenos, qui hucusque & olim tam in Syria quam alibi perplurimum laborarunt, ut propagaretur chriſtiana pietas, non modo apud ſe, ſed & apud alios principes, præſertim Germaniæ, ſerio conqueſtos, ſuas ditiones & territoria invadi ab ipſo hoſtiliter, idque rebellium ac malevolentium quorundam inſtinctu absque jure ullo atque æquo, & fieri hoc pacto poſſe, ut maximum poſtremo detrimentum incurrat Chriſtiana religio, ſi nimirum premere ac peſſundare eos pergat, qui defendere eam ac tutari ſuſcepiſſent.

Chriſtiani R. ad Caſimir Pol. R. hinc literæ commonitoriæ.

Et ſe non tantum hucusque cum ſocietate Teutonici ordinis officia vicinitatis atque amicitiæ ſarte tecteque coluiſſe, ſed ſua etiam in coronatione ſacramento obſtrictum ad promovendam pro viribus Chriſtianam fidem & nunc inſuper cum ab imperatore Romano, tum ceteris imperii electoribus ac principibus compelletur rogeturque, ut ipſis in re ac cauſa juſta ſuppetias ferat, ſe haud quaquam deeſſe ipſis poſſe.

Atque ideo rogare amice Poloniæ Regem Caſimirum & cum ipſo facientes Pruſſiæ urbes, vellent ejusmodi bello, quod in Dei ejusque

ejusque sanctissimi nominis dedecus ac detrimentum cedat, supersedere & cum ordinis præfectis amice convenire, quo suas illi ditiones quiete possidere suasque in hostes Christiani nominis vires convertere possint. Eamque in rem etiam se lubenter, si ita ipsis videretur, incubiturum bonique pacatoris functurum officio. Si vero ea ratio modusque minus placeat, malitque cœptis insistere, se quoque ipsum, qui se Prussiæ dominum profitetur, omnesque status ac civitates ejusdem ditionis, ut & alios eorundem adjutores & præsertim Dantiscum, Elbingam, Thuronemque urbes pro hoste habiturum, idque eo usque, dum cum ordinis Theutonici dynastis in gratiam regressi pacem vicissim colere instituerint.

Dantiscanorum naves in Dania, detentæ.

Nec multo exinde post merces omnes navigiaque Dantiscanorum manu injecta a Danis detenta; unde Polonorum Rex Casimirus per literas & legatos Stocholmiam missos querebatur, subditos suos apud Danos Svecosque arresto detineri ac prædæ dari, nec causas satis percipere, neque bellum fuisse plane denunciatum. Quocirca denuo ei Christiernus literas transmisit, quibus ostendit præter rationes in clarigatione positas priore habere se etiam alias, quæ ipsum huc pertraxerint. Et primo quidem, quod per Balthici maris sinum, non per Oresundam, ut solet, navigarent ejus subditi, cum exteris perpetuo & jam olim ille transitus fuerit inhibitus, & ideo præsertim, quod eo flexu locus regii telonii, qui est Helsingoræ, præteriretur: deinde quod hostem quoque suum Carolum Canuti hospitio excepissent, & res ad hostem spectantes transvexerint. Et tertio, quia superioribus annis, cum ad Norvagas iter mari instituisset & tempestate adactus certum portum ingredi niteretur a subditis ipsius explosis tormentis arceretur a proprio portu, ac tota ea nocte aperto uti mari non sine naufragii periculo fuerit coactus. Et denique quod iidem subditi ipsius subinde in terras suas exscensione facta, agrestium suorum incolarum domicilia ac bona diriperent ac spoliarent.

Regi Pol. ea dere conqueventi Christianus R. causas exponit.

Caroli R. querulæ ad Reges Pol. & Angl. ducemque Burgund. literæ.

Dum autem Dantisci Carolus agit, non Regi solum Polonorum Casimiro, sed & Angliæ Henrico VI. Ducique Burgundiarum literas querularum plenas reddi curavit significans, Regem Christiernum jam ante ipsis eorumque regnis ac ditionibus magna intulisse detrimenta, probraque atque injurias, & nunc similibus quoque se suosque subditos afficere, idque se querulo apud ipsos deponere pectore. Et licet egisset, quantum in se esset, omnia, quo malo præveniret, jam tamen eo rem esse deductam, ut archiepiscopus ceterique episcopi se Christierno conjunxerint. Qui si in totum Sveciæ potiatur, facile colligi posse, quod ipsis inde ipsorumque subditis detrimenti immineat tam in occiduo quam in orientali oceano, idque docuisse experientiam tempore Erici Regis; & posse nunc facile hæc omnia præveniri, cum præcipua adhuc ipsemet castella arcesque intra Sveciam teneat, ac multos sibi etiamnum fidos ac dicto audientes habeat ibidem; se idcirco petere, velint primo quoque tempore adversus Daniæ Regem auxilio sibi accurrere: seque continuo aditurum fratrem suum Poloniæ Regem Casimirum, ut de omnibus cum eo coram agat, & quomodo averti injuriæ ac calamitates possint, quas subditis ipsius intentare jam idem Christiernus cœperit.

opem efflagitantis

atque consilium.

Orabat simul hisce Carolus, ut per præsentem delegatum suum sibi impertiri consilium ac opem suam, idque quam primum haud gravarentur certo sibi persuadens, eos haud desserturos ipsum tali præsertim tempore; se vero id nunquam oblivioni traditurum. Actum Dantisci die cinerum.

Carolus Dantiscanis adventus causam indicat.

Quamprimum autem Dantiscum Carolus appulisset, senatui urbano occasionem sui accessus & quam indignis modis instigante archiepiscopo Upsaliensi Johanne ab ipso ceteraque fere nobilitate sua universa esset desertus, coactusque intra Stocholmiam atque inde cum paucis suorum ad ipsos trans mare confugere, per litteras significat rogans eosque obsecrans, ne sua ope consilioque deesse ipsi vellent. Unde & ipse confestim urbanus senatus datis ad archiepiscopum ceterosque episcopos ac Sveciæ ordinem equestrem litteris, declarabat in urbem suam non sine vitæ periculo navi advenisse Regem Carolum, eumque ab se prout oportuit, debite exceptum. Ac mox Regis Polonarum consiliariis ut & urbis senatui causam suam aperuisse, quam & statim Regi Poloniæ Casimiro transmitti fecit, opem ejus implorando. Rogatos itaque ipsos habere, ut suam erga Carolum simultatem offensamque deponere, nec ejus justo legitimoque obesse regimini vellent contra sacramentum ipsi præstitum. Quo nimirum hoc pacto parci Christiano sanguini, qui alias innocenter profunditur, in tempore possit, præsertim cum se juri ac justitiæ secundum leges Sveciæ Carolus submittat luereque velit, si quam forte cuiquam injuriam intulerit.

Horum ii. circa literæ ad Svecos.

Similiter & litteras seorsim perscripsere ad eos, qui in Svecia adhuc Caroli partes sequebantur, illos commonentes, ut in fide Caroli veri ac legitimi sui heri ac Regis persisterent; aliter si faxint, haud defuturum ipsi dynastarum ac principum exterorum auxilia, suum idcirco honorem ac sacramentum considerarent: se hac aut alia in re, si ratificari ipsis possent, libenter facturos.

itemque ad Hanseaticas urbes.

Nec dissimiles ab iisdem literæ missæ ad urbes Hanseaticas, operam navarent, ut in Svecia exorti motus sopirentur; intellexisse se ordinis Theutonici magistros spectare res novas & velle eos Christierno se submittere, si Sveciæ potiatur; unde omni fortasse negotiatione Rhutenica & Novogardica urbes privarentur. Promittere vero Carolum privilegia exterorum novaturum se, si in regnum reducatur. Hæc aliaque eo usque per Dantiscanos

tiscanos acta, ut inter Poloniæ Regem Casimirum & urbes Hanseaticas statuto tempore conventus Dantiscі haberetur de rebus hisce Svecorum, nisi, ut est jam ante memoratum, prævenisset archiepiscopus & Regem Christiernum in regnum ultra vocatum corona donasseut.

Svecorum responsio.

Sveciæ præterea senatus ad Regem Polonorum & Dantiscanos literas submisit, quibus querebatur, ab ipsis Carolum Regem hospitio susceptum, idque in sui præjudicium & periculum. Et ipsum Carolum regni thesauros secum ablatos ad ipsos transtulisse, tum & Svecos in mari deprædatum prædamque Dantiscum invexisse. Sed hic respondit ex templo procurator Poloniæ Regis nomine Dantiscі agens hanc fere in sententiam: Nos Rege absente codicillos vestros ad Regem Poloniæ transmissos acceptavimus, & simul mentem ac postulationem vestram dominis nostris significari fecimus. Et primo verum quidem, Dantiscanos Carolo Regi salvum conductum intra suam civitatem concessisse, & eundem a Rege Polonorum Casimiro firmatum, nec fieri ab ipsis aliter aut minus potuisse ob amicitiam & fœdus, quo Sveciæ semper regno ejusque proceribus obstricta fuit Dantiscanorum respublica.

cui iteratum a legato Regis Polon.

Quod vero attinet Sueciæ thesauros a Carolo avectos & eorum partem commodo Dantiscanorum cessisse, sciendum Carolum Regem Dantiscanorum urbi certam pecuniæ summam, eamque haud magnam, utendam tradidisse sub pignore territorii ad urbem spectantis. Hoc ubi pignus redemerit, nec ei ulterius quicquam deberi, adeo ut regni Svetici thesauri penes ipsos haud sint, nec æs illud tanti habendum. De prædis vero, quod afferatur, id jam primum ab ipsis intellexisse, & monitum ejus Carolum, qui haud amplius id suos facturos pollicetur; si fiat, ejusmodi utique prædones puniturum. Juxta hasce literas Dantiscani se gravatos a Rege Christierno causabantur, quod in bona sua suorumque manus injecissent, nec prius more majorum, sed obiter & per transennam solummodo ipsos commonuisset. Addentes præterea de ordinis Theutonici dynastis, se necessitate & tyrannide eorum adactos jugum ipsorum excussisse. Similia fere iidem ad Sveciæ regni senatores referebant orantes, vellent apud Regem Christiernum id agere, ut res optatum finem sortiretur; alias vim vi & una cum sociis bellum bello propulsaturos.

Lubecensium intercessio.

Lubecenses quoque se veluti medios inter Regem & Dantiscanos interponebant agebantque omnia, ut id, quicquid esset, dissidii in herba veluti sopiretur, aut saltem, ut in annos aliquot induciæ fierent. Qua in re opera quoque utebantur ducis Slesvicensium Adolphi Regis avunculi & qui per plurimum apud eum poterat.

Induciis studetur in conventu Holm.

Hinc interjecto tempore & induciis faciendis dies Stocholmiæ dictus. Quo missi Regis Poloniæ & Dantiscanorum nomine dominus Reinaldus Niderhoff, consul & dominus Bernhardus Baptista senator, qui classe septem navium Stocholmiam appulere sub fide Regis Christierni: quibus se adjunxerant Ducis Slesvicensium ut & Lubecensium legati. Ac primo quidem actum nihil, quod Rex Christiernus etiam ordinis dynastas eidem tractatui insertos cuperet. Cumque Niderhovius retulisset, Regem Poloniæ ejusque subditos, priusquam fuissent debite commoniti, hostiliter impetitos, nec id in principem ejusmodi committi æquum fuisse, eo altercationis deventum ut rex in iram prorumpens responderit, si haud satis præmonitos vos existimatis, ecce etiamnum vobis bellum indico nomine trium regnorum nostrorum, Regi, inquam, omnibusque ipsius ditionibus & maxime Pruthenis ac Dantiscanis. Niderhovius idem vicissim eidem denuncians nomine Regis Poloniæ & Dantiscanorum, hoc insuper addit, Regem haud superfuturum illum diem, quo in dominos reciperent tyrannos illos crucis dynastas.

qui habita contentione dissolvitur.

Atque ita conventus iste dissolutus: Dantiscani inde navibus conscensis sub festum divi Johannis Baptistæ, domum rediere. Lubecenses & aliqui ex ordine equestri Svecorum denuo Dantiscum enavigarunt, ubi identidem de pace cum ordinis Theutonici dynastis ineunda tractatum, qui & locuti cum regiæ aulæ magistro Fiscucæ. Verum regressi vix aliud obtentum retulere, quam spem esse factam novi conventus. Interserit hic nobilissimus Vitfeldius, quod attinet clarigationis literas, de quibus dictum, eas Regi Polonorum scriptas esse transmissasque, inde constare, quod exemplum earum in modum, ut ante meminimus, in archivis habeatur; an vero neglectius curatæ redditæque fuerint, id ipsi latere profitetur.

Paulus Justinianus episc. Berg. ad Pontific. Rom. ablegatus ad sopiendas cum R. Pol. lites.

Eodem circiter temporis tractu Paulus Justinianus episcopus Bergensis Stocholmia Romam est missus ad Pontificem max. additis codicillis, quibus præter cetera Rex Christiernus sanctitatis ejus singulare studium in urgendo bello Turcico extollit dilaudatque, dolori sibi esse adjiciens, tam lente tenuiterque a principibus Christianis ei auxiliares manus commodari; se quidem libentissime, quod in se esset, communem causam promoturum, præsertim finito jam bello Svetico, sed transitum copiarum suarum a parte Ungariæ fore operosiorem, futurum paratiorem per Livoniam & Moscos, modo & ibi, quæ inter se & Polonum ob Prussici ordinis dynastas controversa habentur, composita prius forent alias vix transitum concedi, tum & necesse esse, ut sanctitas ejus Norvagianis satisfaciat tollatque litem, quæ diœcesim spectat Nidrosiensem ejusque episcopum contra regni leges a Pontifice Nicolao jam nuper admissum; alias vix permoveri posse suos, ut in Turcas ducant. Quæ in eum finem a Rege Christierno videntur perscripta Pontifici, si forte litem inter utrosque Reges componere satageret.

Christianus R. a Prutenicis pacis studio abstinet.

Et mirum sit, modo fines prolatandi Christierno animus fuerit, huic Brutenico bello haud acrius tunc temporis institisse. Nam & transmarinarum non tantum ditionum earum, sed & urbium adversus Polonum validissimarum potitus fuisset. Verum Christiernus, ut princeps mitissimus sua videtur regna jure sibi parta delataque tutari maluisse, quam dubiæ se Martis aleæ exponendo acquirere aliena. Bellum autem hoc Pruthenicum diu exinde pluresque per annos tractum, donec postremo Albertus ordinis magister se totum Poloniæ submisit, haud sine Romani imperii, cui antea paruerat, opprobrio, ut refert pluribus Casparus Scutius lib. 6. Quomodo vero inter se Christiernus Rex Poloniæque Casimirus exinde convenere id liquebit ex sequentibus.

Albertus Pruthen. ord. magister se Poloniæ submittendo finem bello facit.

Christiani R. cum Scotis ob retentas quasdam pensitationes controversia

Eodem hoc temporis tractu agitata inter Christiernum ac Scotiæ Regem Jacobum II. liticula fuit super annua insularum Suderoræ & Mannoræ pensitatione, quam Scoti Norvagiæ Regibus ex pacto, quod Haquini Norvagi & Alexandri Scotorum Regis temporibus erat factum, jam annos per plures debebant. Nam ab eo tempore, quo Daniæ præfuit Rex Ericus Pomeranus, id quicquid erat Scoti Norvagis haud persolverant; unde ad bellum res ire videbatur, nisi Galliarum Rex Carolus, quocum Regi modo Christierno, sed & Scotis fœderatio tum erat, se inter utrosque medium obtulisset. Qui & eo negotium deduxit, ut eodem hoc anno controversiæ hujus causa Lutetiæ Parisiorum conventus indictus sit. Cumque de eo ita esset statutum, accidit ut Regis interea Christierni apud Islandos præfecto Berani Torsleiffi ingens ac fœda tempestas naviganti sit oborta, quæ eum non sine vitæ periculo in portum quendam Orcadensem, qui ad Regem Christiernum spectabat, transversum ageret; ubi a Scotorum nonnullis impetitus cum conjuge ac familia, quam secum ducebat, custodiæ est traditus, ablatis simul navi mercibusque ac suppellectili universa. Quo facto literas confestim ad Regem Scotorum Christiernus hoc nomine transmisit efflagitans, ut dimitterentur, & in facinus denique ejusmodi a subditis ipsius sua in ditione perpetratum debite animadverteretur.

per Car. Gall. R. sopita.

præfectus Island. cum suis per tempestatem ad Orcadenses delatus hic indigne habetur.

hinc ad R. Scot. delata querela

sed parvi habita.

Quod a Scotis cum flocci videretur fieri, suspicio Christierno oborta, quasi ad arma potius devenire Scotus, quam in Galliam suos mittere, ut erat statutum, cuperet. Quocirca ad Regem Galliarum perscripsit Christiernus significans legatos suos haud transmissurum Parisios, quomodo erat conventum, nisi prius se quoque idem facturum Rex Scotorum, idque plenaria potestate ad omnes controversias tollendas suis tradita, declarasset, utque significaret, num ut amici aut feciales legati essent accessuri, ut & prius dimitteret captivum suum præfectum ejusque conjugem & familiam, & simul navem bonâque omnia restitui curaret: ac denique ut dies, qui erat statutus ad usque festum Martini prorogaretur, de quibus singulis responsum Regis exspectaret. Carolus his acceptis Christierno Regi haud multo post rescripsit ac significavit ad Regem Scotorum fuisse relata singula eumque respondisse, se suos certo transmissurum, nec ullo modo defuturum officio. Quocirca dies hujus conventus rejectus est in proximas calend. Octobr. de quo exinde dicetur. Missæ eodem hoc anno literæ Regis Christierni ad Calixtum Pontificem Romanum confirmationem requirentes electi præsulis Revalienſium. His in literis titulum Ducis Estoniæ Christiernus usurpat, suumque in eandem diœcesin jus a majoribus ad se delatum profitetur, ubi inquit: *Cum vero, Pater beatissime, ipsa ecclesia regiæ fundationis & per meos prædecessores erecta ac dotata sit, unde mihi jus patronatus in ipsam ab antiquo incumbit &c.*

hujus responsum.

Christ. R. præsulem Reval. constituit a Pont. R. confirmationem petens.

Upsal. Archiepiscopo ejusque sociis gratia a Calixto Pont. R. impertita.

Idem tum temporis Calixtus Romanorum Pontifex dispensavit ac gratiam fecit Johanni archiepiscopo Upsalienſi ejusque capitulo, & quicunque ex clero auxiliares eidem manus commodarant in effugando Rege Carolo Canuti filio demonstrans, cum ea in re princeps ac coryphæus fuerit archiepiscopus, tum & capitulum Upsalienſe cum nobilitate ordineque equestri ac regni militibus, misso ad ejusdem sanctitatem supplice libello, declararit atque incusarit grave Caroli imperium, quod ipsemet per avaritiam raptus, exactiones civiumque bonorum ejectiones, nec minus ordini sacro, quam profano infestus exercuerit, & ipsos ideirco adactos eum regno abdicasse, se eo nomine, si quam irregularitatem (ita est in diplomate) incurrerint eam ipsis ex autoritate pontificia condonare, modo ipsi nullius se cæde polluerint, nec manus aut membra alicujus mutilaverint, ut ita archiepiscopo ipsi ac cancellario una cum capitulo ac clero universo post confessionem ac peccatorum pœnitentiam servire altari & simul præfecturas gerere liceat.

Danis ab eadem confirmatum privilegium de in jus non evocando cet.

Est quoque ab eodem tum Calixto Pontifice firmatum privilegium, quod jam ante Nicolaus Pontifex Danis indulserat, quo nimirum statuebatur, ne quis ex Daniæ incolis Romam aut in Germaniam coram pontificio judice in jus evocaretur, priusquam causa ipsa domi & a legitimis judicibus esset cognita, & ne qua in quenquam absentem & cujus causa non fuisset jam ante domi agitata, præscriptio seu bannus exerceatur. Atque inde haud multo post ecclesiæ Osilienſis privilegia firmavit. Scripsitque secundo Pontifici Calixto super confirmatione, de qua dictum, præsulis Revalienſium: quibus in literis jus suum denuo asserit in easdem ditiones, eas ostendens a majoribus suis ad christianitatem fuisse traductas. Verba enim sunt: *Cum novissime Oxilienſis ecclesia sub Rigenſi metropoli constituta celebris quidem & cultu & divinis observantiis insignis, quæ regiæ meæ & prædecessorum meorum protectioni & auctioni subjecta existit,*

idemque ecclesiæ Osilienſi privilegium firmat

Christiani I. literæ ad Pontif.

existit, auxiliis & defensionibus regalibus tutoria gaudere assolet libertate per obitum N. N. vacare nascatur. Quod fere ipsum aliis deinde verbis ab eodem in literis ad cardinalem S. Georgii ad aureum vellus ita repetitur. *Quia a veteribus temporibus ecclesia prædicta & patria divis Daniæ Regibus prædecessoribus nostris & nobis tuitioni & protectioni noscitur commendata & propterea episcoporum electiones factæ Regibus soleant præsentari, & concessum optatius impetrare.* Cui Regum collationi opposuisse se videntur ordinis magistri. Unde & ista aliis ejusdem in literis ad Pontificem posita reperiuntur : *Licet patria & ecclesia prædicta nihil commune habeat cum ordine Pruthenorum, nec sibi aliquo pacto subdatur, sed divi Daniæ Reges a gentilitatis tenebris revocatam foverunt & protexerunt, sicut in præsentiarum fovemus & nostræ protectioni devote subsistunt.*

Magnum Pontifici commendat in episc. Otton.

Hoc præterea anno commendavit Pontifici *Calixto Magnum* Biornonis cognomento Craseum canonicum Lundensem, cancellarium suum, quem episcopus Othoniens. *Hennekinus* seniogravis coadjutorem sibi assumpserat, ut eum exinde post excessum Hennekini suo assensu episcopum Othoniensem declarare Pontifex haud nollet.

Actum Holmiæ in R. Carolum.

Dorothea Reg. accusat Carolum de exspolatione sibi illata.

Actum etiam per idem tum tempus Stocholmiæ in Regem *Carolum.* Et primo quidem coram senatoribus regni comparuit Reginæ *Dorotheæ* epistates sive procurator accusans *Carolum*, quod cum ipse vivente Rege *Christophoro* obsequii ac fidei sacramentum dixisset ; eum tamen posthabito exinde hoc sacramento sigilloque suo perfidiæ reum factum, & in morem tyranni exspoliasse Reginam jam dictam dotalitiis suis, ac usum sibi suæque conjugi vindicasse esflagitans idcirco, ut de fama, existimatione, honore ac nomine ejus sententia diceretur, ipseque ut perjurus ac falsi sacramenti propalam damnatus haberetur. Demonstrabat insuper idem epistates (procuratorem vulgo dicimus) senatores ac proceres regnorum Daniæ, Sveciæ ac Norvagiæ publicis codicillis ac chirographis inter se convenisse ac statuisse, ut quam primum Rex vita excessisset, in unum convenirent, deque novo Rege trium eorundem regnorum eligendo deliberarent. Eamque stipulationem sæpiuscule esse renovatam. Et *Carolum* quoque *Canuti* utpote Sveciæ regni senatorem eandem approbasse, obsignasse ac suo juramento se immotam ac firmam habiturum pollicitum : & eam nihilominus postmodo innata quadam dominandi libidine atque ambitione habuisse ipsam non irritam modo, sed etiam occultis machinationibus effecisse, ne regnorum trium jam dictorum senatores ad novam electionem faciendam convenirent. Atque ipsum exinde per vim ac violentiam adjuvantibus, qui a partibus ejus erant, se in Sveciæ Regem extulisse, atque eum in modum fraudulenter ac insidiose tyranniceque rupisse trium regnorum unionem, ditiones bellis involvisse & fœdasse sanguinis innocentium effusione, pauperum ac negotiantium depressione ac cædibus. Et suas præterea manus iramque & cupiditatem extendisse in Dei ecclesias earumque defensores episcopos & sacerdotes. Et simul immutasse festorum dierum solennia, inhibuisse capitulorum liberas electiones ac denique ecclesiarum ceimelia ac thesauros abstulisse. Et se postremo neque vocatum neque electum Norvagiæ quoque Regem obtrusisse. Addebatque fiscalis idem hoc ejus periculosum regimen, cum nobilitas & optimates ferre ulterius haud possent, eosdem ab illo exosos, oppressos ac deletos esse, adeo ut justa postremo nemesi arrogantiam ejus aversante ipse urgente conscientia & omnibus jam exosus sponte sua elegerit regnum ac regiones deserere, ablatis secum præcipuis regni atque ecclesiarum thesauris atque ceimeliis. Petebatque jam memoratus fiscalis, ut senatores, postquam allatas accusationes propius inspiciendas sibi assumsissent, ut de iis judicare ac sententiam ferre vellent ex æquo & jure idque in exemplum aliorum.

idem arguitur violationis pactorum regni se regem obtrudendo,

itemque vocationis sacrorum.

Quibus a fiscali eum in modum publice propositis, senatores exinde diem *Carolo* dixere, eumque circa festum pentecostes proximum adesse, seque ut coram judiciis principibusque aut delegatis eorum perægre adfuturis sisteret per libellum citatorium jusserunt. Et ne ulla ab eo obtendi ignorantia posset, voluit Senatus, ut idem libellus legeretur ac promulgaretur in curiis Stocholmiæ, Lubecæ, Vismariæ, Rostochii, Stralesundæ, Colbergæ, Dantisci ac Coningsbergæ & alibi, ubicunque habere sedem intelligeretur, atque simul in acta ibidem referretur. Dabantque iidem senatores salvum *Carolo* conductum, ut ipsemet comitatus ex contubernio suo decem ministris tuto adesset objectisque responderet. Si vero se non sisteret, ut in eum nihilo minus sententia diceretur inque absentem ageretur. Datum Stocholmiæ anno Christi 1457. regni Sveciæ 1, Daniæ 10, Norvegiæ 8. Sigillo regio.

dies Carolo dictus.

Hæc atque ejusmodi in primum eum annum, quo Sveciæ regno *Christiernus* est inauguratus, incidisse reperio. Et est adhæc illud quoque haud quaquam omittendum silentio, quod eodem hoc tempore, qui fuit Junii vigesimus tertius, nata ei domina *Margaretha*, quæ exinde, ut suo referetur loco, Regi Scotorum *Jacobo* ejus nominis III. nuptui tradita. Quin & anno hunc præcedente, quemadmodum mense Junio crinitum, de quo supra injectum, sidus, ita & anno hoc ipso mense eodem iterum *cometa* eluxit in gradu piscium vigesimo ; fuitque ex eo cometarum genere, quos *nigros* vocant : iisque significatos non domesticos tantum hosce motus ac mutationes, sed externas quoque clades, quibus Europa miserabiliter quassata est & afflicta, quis inficias magnopere iverit ? Nam & Mahometes capta ante triennium, de qua est memoratum, Constantinopoli multas Græciæ & Asiæ

Margaretha R. fil. nascitur.

cometa duo.

& Asiæ urbes subegit. Et licet Belgradum irrito conatu oppugnarit, Lemnum tamen, Mitylenen & totam Eubœam edomuit. Ut taceam reliquas Europæ provincias bellis intestinis passim flagrantes, ac mox subsecutum *Alphonsi* Regis obitum, cujus exinde posteritas gravi ac diuturno bello decertavit pro regno Neopolitano cum Gallis Andegavensibus.

A. 1458. decretum de revocandis regni Sveciæ bonis oppignoratis.

Hinc anni insequentis initio penes regni Sveciæ senatores *Johannem* Upsaliensem episcopum ac Sveciæ primatem, *Benedictum* Scarensem, *Siggonem* Strangenessensem, *Olavum* Westeraasensem ac *Laurentium* Vexioensem, episcopos, *Ericum Axilli* aulæ magistrum, *Boetium Stenonis*, *Ergisselum Nicolai*, *Magnum Grenium*, *Gustavum Caroli*, *Carolum Magni*, *Burgerum Trolle*, *Thuronem Johannis*, *Agonem Johannis*, *Eschillum Isaci*, *Fedderum Olai*, *Gregorium Magni*, *Johannem Christiani*, *Nicolaum Christiani*, *Magnum Benedicti*, *Davidem Benedictum* & *Nicolaum Sturonis*, lata sententia super bonis a Regibus nomine coronæ Sveticæ oppignoratis longoque tempore ab eadem alienatis, & quorum sors per reditus jam dudum esset restituta: de his pronunciatum, ut ea, qualiacunque & ubicunque essent profana aut sacra ad Regem *Christiernum* ac Sveciæ coronam reducerentur. Qui autem ejusdem coronæ bona nondum eo usque oppignorata habuissent, ut eorum reditus complere sortem potuerint, his, quod sorti deesset, Rex adjiceret: quorum vero reditus sortem superavissent, hi secundum ecclesiæ atque æqui bonique leges cum Rege transigerent. Actum Stocholmiæ. Die mox Lunæ post trinitatis Rex *Christiernus* Reginæ *Dorotheæ* Orebroæ arcem, oppidum ac præfecturam una cum *Nerecka*, Vermelandiæ & *Norreschona*, quæ ipsi jam ante Rex *Christophorus* ut bona dotalitia ad vitam concesserat, in plenum transcripsit, confirmantibus regios ea de re codicillos universis Sveciæ regni senatoribus. Et statim exinde die Mercurii post dominicam ejusdem trinitatis in arce Stocholmensi præsentibus ex regni senatu *Benedicto* Scarensi, *Scygone* Strangenessensi, *Olao* Westeraasensi ac *Laurentio* Vexioensi, episcopis, *Boetio Stenonis*, *Ergisselo Nicolai*, *Magno Greenio*, *Feddero Olai*, *Carolo Magni*, *Erico Nipperts*, *Burgero Trolle*, *Thurone Johannis*, *Agone Johannis*, *Eschillo Isaci*, *Gregorio Matthiæ*, *Johanne Christiani*, *Nicolao Christiani*, *Magno Benedicti* efflagitavit Rex *Christiernus* sententiam super *Carolo* ejusque bonis, ac simul declarari fecit detrimenta, quæ ejus nomine incurrerat regnum posthabita unione, qua pluribus annis inter se connexa regna fuerant, & in posterum colligata manebunt, utpote cautionibus firmissimis, ut sunt sacramenta, promissa atque obsignatis codicillis nixa, idque verbis disertissimis, inter quæ & ista habentur; *si quis sit aut in posterum adeo futurus sit amicis cognatis regnive præfecturis ac opibus potens, ut instituat amicissimam hanc unionem & harmoniam rumpere aut ei adversari ac semet ipsum aut ex suis aliquem intra horum regnorum aliquod in Regem evehere, ac regna hoc pacto disjungere, in eum agatur feraturque sententia, utpote in regnorum eorundem ac pacis publicæ turbatorem violatoremque.* Rex autem *Carolus* avaritia & ambitione motus vinculum istud flocci faciens contra proprium sacramentum promissa atque obsignationes se violenter in Sveciæ Regem eligi ac coronari sivit, idque contra Svecorum leges, senatorum regni mentem, licet illi, sibi suæque metuentes vitæ reclamare seque opponere haud ausi fuerint. Atque ita dissoluta sunt regna, belloque involuta calamitosissimo, quod & noxii innoxiique suo vel maximo malo perraptus ac cædes jamdudum persentiunt. His simul afferri Rex *Christiernus* curavit damnum istud, quod Sveciæ coronæ idem attulisset, avehendo regni thesauros, aurum argentumque tam signatum quam non signatum, nec tantum avehendo, quæ ejus temporibus coronæ accesserant, opes reditusque jure vel injuria acquisiti, sed regni quoque præstantissima ceimelia, coronas aureas, quæ regnis hisce honoris maximi ac memoriæ ergo ab illustrissimis principibus, Regina *Margaretha*, nec non *Philippa* Regina, quarum animabus Deus propitius sit, donatæ fuerant; Quodque ipse, ex quo regnum deseruerit, & Rex jam plena potestate *Christiernus* esset, idque secundum Sveciæ regni leges, quod inquam re interea consilioque arma in Sveciæ regnum moverit, vastarit atque excusserit indigenarum navigia, aliaque hostilia perpetrarit, excitando juvandoque regni adversarios auro opibusque, tum & id egerit, ut regni ditiones territoriaque in extremum deducerentur discrimen traductis eo contra Deum & æquitatem Moschorum aliarumque gentium ferarum auxiliis, nisi Deus sua singulari gratia tantum malum regno avertisset. Hæ cum accusationes in *Carolum* essent institutæ & eidem tutæ itineris litteræ a regia majestate forent transmissæ, ut se Stocholmiæ in regni comitiis, quæ in superiorem pentecostes septimanam fuerant indicta, libere sisteret, nec tamen ipse aut quisquam ejus nomine ad defensionem comparuerit, petiit rogavitque Rex *Christiernus* jam memoratus, ut eas accusationes sibi judices habere commendatas vellent, & super iisdem secundum jura regni Sveciæ pronunciare, deque bonis ejus hereditariis aut pretio emptis vel pignori traditis juxta leges statuere, quo nimirum ipse pro merito affici pœna ac luere posset: idque in exemplum aliorum, si qui forte adeo amicam regnorum unionem tot suffragiis, codicillis ac sigillis firmatam rumpere aut contravenire in posterum tentaturi forent.

Dorotheæ reg. possessiones in Svecia addicuntur.

Christianus R. senatui Svecorum detrimenta per Carolum regno illata exponit, & de regnis semper uniendis commonefacit.

Quibus omnibus in judicio serio ventilatis approbatisque pronunciatum postremo, ut bona cuncta *Caroli* sive hereditaria sive pretio empta aut pignori tradita cederentur Regi *Christierno* aut Sveciæ coronæ, idque in perpetuum

Caroli bona adjudicata corona Sveciæ.

petuum ob causas superius memoratas; Filiæ interea ipsius suo jure ac bonis maternis, ut & illis, quæ pater possedisset, antequam Sueciæ sceptrum invaderet integre relictis. Quæ sententia, ut nullo non tempore sarta tecta-que haberetur consignata fuit ab ipso Rege regnique senatu ac regni insuper sigillo, quod literis patentibus erat appensum, communita.

Immunitates Hafnienſibus Holmiæ conceſſæ.

Per idem circiter tempus Stocholmiæ Hafnienſium civibus varias immunitates Rex concessit; inter alia, neminem, cujuscunque etiam ille domicilium inhabitaret, haberi ab oneribus urbis exemptum voluit, nisi ex famulitio suo quosdam & quibus id seorsim indulsisset; qui contrarium feciſſent, ii secundum leges urbano magistratui haberentur obnoxii. Prohibitum quoque cerevisiam, vinum, panem aliaque ejusmodi edulia sive generis alius mercimonia peregre advecta distrahi aut emi a quoquam, priusquam urbis senatus ac consules pro veteri consuetudine certum eorum pretium posuissent. Qui contra facerent, mulctam incurrerent; cujus pars altera Regi, altera urbi cederet. Cumque durante superiore bello, senatus urbanus tributa, ut ceteri cives, persolvissent, nec ullis pro suis laboribus gavisus fuisset immunitatibus, permisit, ut iisdem, quibus ante sua tempora, fruerentur prærogativis. Ceteris, quibus Hafniæ civitatis jus erat, concessit casulas piscatorias aliasque in insula Dragoræ officinas, quæ bello eodem coronæ fuerant additæ, repetere, soluto, quod earum nomine persolvi sveverat.

Voluit etiam, ut cuncti, qui urbem incolerent, urbani magistratus judicio se sisterent, nec ulli externo tribunali submitterentur, & ne quis insuper ædes urbisque latifundia distraheret, aut oppido alienaret vel ædium plateas exaltaret absque magistratus consensu.

Chriſtianus Jacobum Scot. R. de tributo juxta pactum ſolvendo admonet.

Eodem hoc anno Scotorum Regi *Jacobo* ejus nominis secundo significari per literas fecit, prædecessores suos cum Regibus Scotorum amicam semper ac firmam pacem coluisse: & ea etiam occasione eosdem majores suos Norvagiæ Reges concessisse Scotiæ Regibus *Suderoram* ac *Mannoram* cum appendentibus, ea lege, ut nomine earundem quotannis persolverentur ducenti nobiles, qui templo divi Magni, quod est in *Orcadum* insula, in usum ac commodum Regis Norvagorum inferrentur, reservato intera per easdem insulas Nidrosiensi episcopo jure suo quod ad ecclesiastica. Eæ vero pecuniæ summæ, quod una erat cautum, si minus quotannis persolveretur, mulcta erat addita, quæ eodem pacti instrumento habetur expressa; atque inde a temporibus Regis *Erici Pomerani* pensio hæc annua neglecta. Unde utrinque & Daniæ & Scoti Regum nomine conventus indictus, ubi solutio ejus debiti præstita, ac simul renovatus est contractus de eadem pensione Norvagiæ Regibus quotannis præstanda. Cum autem abhinc annis quadraginta nihil istius pensionis persolutum sit, idque non modo in sum & Regum Norvagiæ successorum suorum præjudicium, sed & detrimentum cedat: Tum & nihil hucusque unice hac de re scriptis literis proficere potuerit, se idcirco ad clarigationem postremo cogi, ac opem imploraturum summi Pontificis, licet id ægre faceret, iisdem literis declarat.

Johannes in regnum Svec. ſucceſſor declaratur.

Die exinde S. Agnetæ filius *Christierni* primogenitus *Johannes* post obitum patris, & ei si quid humanitus accideret, in dominum ac Regem Sveciæ ab episcopis ac proceribus regni Sveciæ *Scaræ* susceptus est, & ut loco ejus, si forte mori eum contingeret, haberetur filiorum *Christierni* post ipsum natu maximus idque eam ob causam tum temporis decretum, ne quis fortasse decedente Rege *Christierno* quemadmodum *Carolus* violento imperio utendo ac trium regnorum amicabilem unionem rumpendo se regno ingereret. Hoc igitur a præsulibus regnique senatu eum in modum statutum, qui nec dubitabant, quin Sveciæ regni incolæ ceteraque plebs id esset approbatura, & ut approbaretur se operam navaturos spondebant, seque insuper obstringebant ad opem obsequiumque ac fidem præstandam Reginæ *Dorotheæ*, si forte vita excedere *Christiernum* maritum ejus contingeret.

Has literas sigillis suis obsignaverant *Johannes* Upsaliensis archiepiscopus, *Benedictus* episcopus Scarensis, *Ericus Axilli* aulæ magister, *Boetius Stenonis*, *Magnus Grenius*, *Ericus Nipperts*, *Magnus Benedicti*, *Thuro Johannis*, *Johannes Christiani*, *Nicolaus Christiani*, *Nicolaus Stureus* equites. Postea approbarunt firmaruntque *Laurentius* episcopus Vexioensis, *Burgerus Trolle*, *Gustavus Laurentii* equites, *Nicolaus Thuronis*, *Gustavus Magni*, *Benedictus Haquini*, *Thuro Koning*, *Johannes Magni*, *Magnus Olavi*, *Benedictus Giselius*, *Andreas Olai* & *Siggo Petri*, qui omnes Scaræ absentes fuerant.

Actum Vexioæ Dominica Quasimodogeniti.

Interjecto hinc tempore, senatusque consulesque ac populus Calmariæ eundem *Christierni* Regis primogenitum *Johannem* parentis sui in omnem eventum successorem declararunt, utpote jam ante a regni senatu electum & a judicibus ac legum præsidibus publice regni hæredem pronunciatum: Sicuti & mox Stocholmiæ *Martinus Lindormius* consul urbisque senatores ac cives eundem omnes, utpote regiæ domus, ac liberorum principem ac primogenitum sibi in dominum ac Regem post obitum parentis acceptarunt, atque eo vicissim defuncto fratrem ejus natu maximum: similiter quoque se erga Reginam *Dorotheam* declararunt ob rationes modo allatas. Hinc Upsaliæ *Siggo* episcopus Strangenessensis, *Broderus Olai* præsul Vesterosensis, *Gustavus Caroli*, *Carolus Magni*, *Fedderus Olai*, *Eschillus Isaci*, *Gustavus Olai*, *Gregorius Benedicti*, *Stephanus Olai*, *Gregorius Magni* & *David Benedicti*, *Johannem* similiter pro domino ac Rege suo se agnoscere professi

feſſi fuerunt. Nec aliud exinde teſtati *Nicolaus* epiſcopus Lincopienſis, *Ericus Trolle* præpoſitus, *Ergiſelus Nicolai*, *Ericus Holmſtſon*, *Algotus Ergiſeli*, *Ericus Magni*, *Carolus Canuti*, equites, *Andreas Andreæ* & *Borgerus Nicolai*. Fecit & idem Helſingiæ deinde populus.

itemque apud Norvagos.

Eodem hoc circiter tempore apud Norvagos quoque regni ſenatores *Chriſtierni* Regis filium, qui in vivis erat, *primogenitum Johannem* ad regni ſolium proxime poſt parentem vocandum pronunciarunt, in locum autem defuncti, qui natu eſſet ab eo maximus. Apud Danos eodem illo quo natum ſuperius anno 1455. meminimus, etiam regno inauguratum commonſtravimus.

Induciæ Chriſt. cum R. Pol.

Sub anni finem induciæ inter Regem Danorum *Chriſtiernum* & Poloniæ *Caſimirum* Dantiſci pactæ indultumque, ut Regis *Caſimiri* ſubditi Poloni Pruthenique in tribus hiſce Boreæ regnis, Daniæ, Sveciæ ac Norvegiæ ſuas libere negotiationes exercerent, & eorundem viciſſim boreæ regnorum incolæ tuto Polonos Pruthenosque adirent, eorumque oppida ac ditiones commercii gratia pro lubitu frequentarent. Actitatum tum quoque de alio die conventuque Lubecæ inſtituendo, nominatusque a parte Regis *Chriſtierni* velut arbiter Dux Sleſvicenſium *Adolphus* una cum urbe Lubecenſium, a parte vero Regis Poloniæ & Dantiſcanorum *Roſtochium*, *Vismaria*, *Straleſunda*, *Gripsvaldia*, *Stetinum*: utque urbium earundem duo eligerentur ſequeſtres, ſi forte de pace perpetua aut longioribus induciis conveniri haud poſſit. Hæ poſtquam eſſent induciæ factæ, anno ſtatim, qui ſuperiorem excepit, milleſimo ſupra quadringenteſimum quinquageſimo nono, Rex *Chriſtiernus* denuo ad Dantiſcanos ſerio ſevereque ſcripſit expoſtulans cum illis, quod Regem *Carolum* hoſpitio exciperent hoſtem ſuum manifeſtum, quique id ageret, ut Moſco Finlandiæ aliquot arces ac municipia traderentur, utque bella ac ſeditiones intra Sveciæ regnum conſurgerent, ac denique qui myoparones aliaque prædatoria navigia in tractibus Dantiſcanorum maritimis inſtructa parataque haberet, quibus ſubditos ſuos invaderet ac ſpoliaret, exiſtimans hæc omnia pugnare cum pacis, de qua ante memoratum fœderatione, pactaque ſuperiora reſcindere.

conventus Lubec. decernitur.

Chriſtianus per literas Dantiſcanis indignationem ſuam de Carolo ſuſcepto indicat.

Dantiſcanorum reſponſio.

At quæ Dantiſcani præter cetera Regi reſponderunt ſignificaruntque ſe eas regias literas *Carolo* una cum ſuis exhiberi curaſſe, qui ſub fidei ſacramento aſſeruerit, neque per literas neque per nuncios ſe apud Svecos tale quidquam machinatum; neque velle, quamdiu induciæ inter Reges ac rempublicam Dantiſcanam eſſent, vel ipſe ibi agat, moliri aliquid, quod in Regum jam dictorum aut reipublicæ Dantiſcanæ detrimentum cedat, neque etiam conſcium fuiſſe proditionis caſtelli apud Finlandias: intellexiſſe interim arcem Wiburgenſem a milite ipſius Regis *Chriſtierni* Moſchis relictam idque absque ſua vel machinatione vel intelligentia. Adeo ut ſe per omnia pactis ac fœdere ſtetiſſe exiſtimaret. Acta hæc Dantiſci vigilia Matthæi apoſtoli.

Dantiſcanorum naves ob vectigalium defraudationem detentæ a Danis.

Detenta eodem hoc tractu temporis ope atque inſtinctu dominorum ordinis Theutonici naves aliquot Dantiſcanorum in freto Oreſundano gravatæque majore telonio, quod ſcilicet merces Anglicas pro Dantiſcanis telonio inſcribi ſolvique vectigal more Dantiſcanorum curarint. Quapropter Dantiſcani pacis medios Ducem Slesvicenſium *Adolphum* ac Lubecenſes adierunt, ſuamque iis cauſam declararunt. Quorum *Adolphus* miſſa tergiverſatione Lubecam conceſſit, vocato eodem aut invitato Razeburgenſi epiſcopo. Regis Poloniæ nomine advenerunt Straleſundenſes ac Vismarienſes, prout fuerat decretum die Panthalionis Dantiſci.

In conventu Lubecenſi res tractatur.

Chriſtierni vero Regis vice *Nicolaus* Ronnovius Daniæ regni mareſchallus ibidem ſe ſtitit. Qui inter cetera Regis ſui nomine verba præfatus demonſtrabat, Dantiſcanos, poſtquam promiſiſſent pactis ſtare, ſcire debere, iisdem articulum contineri unum, quo alter in alterius præjudicium hoſpitari aliquem vetaretur, & id tamen in *Carolo* Canuti ab illis fieri: qui & ſveta ſibi machinatione effecerit, ut *Petrus Roldſonius*, qui a Danis eſt captus prope Varſſelanum, confeſſus ſit, ſe in Sveciam profectum ibique curaſſe, ut arx atque oppidum Stocholmienſe, *Aboa*, *Nicopinga*, *Sudercopinga*, *Viborga*, una eademque die traderentur in poteſtatem Caroli. Hoc idem ex Regis Poloniæ voluntate aſſenſuve factum ſibi haud quaquam perſuaderi poſſe referebat. Deum interea proditionem detexiſſe, captis, qui archegi ejus ac coryphæi fuerant, ac ceteris manifeſtata proditione quieſcentibus, niſi quod Viborgenſes, qui longius poſiti, arcem *Carolo* dediderint: Quam ut recuperaret, Rex *Chriſtiernus* ultra centies florenorum millia expendiſſe addebat, eamque pecuniæ ſummam ſe Regis ſui nomine repoſcere, atque id judicii arbitrorum facere.

Chriſtianus R. Dantiſcanos perfidiæ arguit.

reſp. Dantiſc.

Reſpondebat ad illa *Reinoldus* Niderhovius conſul, *Carolum* Regem per ſenatus literas legatosque ea de re certiorem factum, ſed ſancte juraſſe nihil a ſe ſcriptum aut actitatum, quod ad iſta, poſt pacem inter Regem utrumque Daniæ & Poloniæ initam. Cum Viburgenſibus vero ante inducias transactionem celebratam.

Dani adunt.

Inde denuo ingerebat *Nicolaus Ronnovius* Dantiſcanos in Balthici maris fauces moto procinctu, ibi in terras exſcenſionem feciſſe ac pagos plures exuſſiſſe: fuiſſeque conventum, ut quæ fuerant Dantiſcum introducta Danorum navigia, reſtituerentur, nec tamen ulla hucusque reſtituta. Et ſimul tres a Dantiſcanis myoparones armis ac viris inſtructas, quorum unus Finlandiæ ſinus intravit a *Carolo* emiſſos. Quibus viciſſim reſponſum, facta hæc ante inducias Dantiſci pactas; queſtique contra Dantiſcani plures ſuorum naves captas, nullo exiſtente hoſtilitatis indicio &

reſponſ.

pace

concluſum. pace adhuc integra. Decretum, poſtremo, ut denuo eſſent inter Danos & Pruthenos induciæ, quæ initium ſumerent de Bartholomæi proxima, atque inde toto quadriennio perdurarent. Si cui rumpere eas placeret, is anno id ante ſignificaret. Conditionibus ſuperioribus additæ hæ: Dantiſcani operam darent, ne quem belli apparatum aut expeditiones captaret *Carolus* in detrimentum Regis *Chriſtierni*. Captivi eorum, qui nondum ſe liberaſſent, utrinque dimitterentur. Pacta priora inviolata haberentur: nec iis hæc nova quidquam derogarent. De damnis illatis penes arbitros eſſet ſtatuere Lubecæ die divi Jacobi poſt triennium.

Dantiſcani prædationis accuſantur coram Chriſtiano R.

Interjecto hinc tempore Olaus Axilli, præfectus Godlandiæ regni admiralius incuſavit coram Rege Dantiſcanos, quod naves aliquot intercepiſſent ſub Borrenholmiæ ac Godlandiæ inſulas. Quocirca Rex literis Dantiſcum miſſis acriter eos increpuit monuitque, tractus ſuos a prædatione indemnes intactosque relinquerent. Sed illi reddito reſponſo ſignificabant ſibi a domino ſuo Poloniæ Rege injunctum, perſequi hoſtes ejus ordinis Theutonici dominos, & ſi qui cum illis facerent; hac ſi parte peccatum a ſe eſſet, quod in oris ac tractibus ſuis id perpetrarint, ſibi ignoſci poſtularent. Cumque iisdem in litteris Balthici maris ac tranſitus meminiſſet Rex, ſibi patere per eum tranſitum judicabant, præſertim cum eſſet pactis ſtatutum conventumque, fas ac liberum cuique relinqui ditiones ac oras alterutrius frequentare.

eorum reſponſum.

Erici Regis obitus. ejus fata.

Eundem hunc annum fatalem ac ſupremum habuit, Pomeraniæ Dux Ericus Daniæ, Sveciæ ac Norvagiæ quondam Rex. Qui raro principum exemplo, abdicatis tribus ſuis regnis, aut a regni potius proceribus ob minus gratam, ut ante eſt oſtenſum, rerum adminiſtrationem deſertus ac reprobatus poſtquam decennium circiter Gotlandiæ inſulam privatus tenuiſſet, in continentem Germaniæ Rivaldiam patriam ſuam conceſſit; ubi annis exinde plus quam duodecim ſuperſtes, hoc demum tempore ſeptuagenario major exſpiravit, cum interea ſola propemodum ſuorum heredum, quos ipſe Daniæ Rex declaratus principatibus ſuis ac territoriis liberali manu donatos honeſtaverat, benignitate ſe ſuſtentaſſet, exceptis, ſi quos ſibi annuos reſervaſſet reditus, aut bona teneret ære aut pignore ſuo parta, quamvis & Daniæ regni haud exiguos theſauros, ceimelia, chirographaque ſecum abſtuliſſe a regni ſenatoribus præter cetera inſimularetur. Ei præter regna hæc tria borealia gnaviter, quia dabatur, defenſa, etiam hoc præſertim Dania debet, quod ejus veluti nutricius Danorum gentis hiſtoriam a primo Regum, cui Dano nomen fuit, deductam ad annum circiter 1300. continua ſerie chronologice pertextam poſteritati reliquerit; & talibus tunc inde exornarit annotatis, ut inter Daniæ illuſtratores poſt Saxonem

conſcripta ab eo Daniæ gentis hiſtoria.

Grammaticum haud immerito memorandus videatur, de quo & ante retuliſſe memini.

Adolphus D. moritur.

Eum præpropere ſecutus eſt ſub anni finem, qui fuit decimus Decembris, laudatiſſimus princeps Adolphus Slesvicenſium Dux ac Comes Holſatiæ, Regis Chriſtierni avunculus. Is cum improlis defungeretur, eſſetque ex ſtemmate Scovenburgico ultimus, non levis exinde nata inter Regem Chriſtiernum & Comitem Scovenburgenſem Otthonem ejusque liberos de comitatibus Holſatiæ & Stormariæ controverſia. Sibi enim Comes Ottho eos jure competere exiſtimabat, ut proximo agnato a parte paterna, quibus pro more feuda cedantur. At contra Rex Chriſtiernus ejusque fratres Gerhardus Mauritiusque, Comites Oldenburgici, ſe jure ſanguinis veros heredes ferebant, utpote nati ex ſorore Adolphi Ducis Hedeviga.

de hæreditate ab ipſo relicta diſſidium inter Chriſt. R. & Ottonem Com. Schaumb.

hiems aſpera.

Fuiſſe hujus temporis adeo aſperam hiemem intenſumque frigus chronologis memoratur, ut a Dania Lubecam pedites per glaciem mare transmiſerint. Quod ut rari exempli, ita a nobis hoc loco præteriri ſilentio haud debuit.

conventus procerum Holſatiæ de novo principe adoptando.

Defuncto autem, ut memoravimus, Duce Adolpho, utriusque principatus nobilitas proceresque in unum coiere, ac omnium primo Hamburgum legatos miſere. Othonem Seſtedium equitem, Johannem Poviſchium, & Gerhardum Zvalium, qui Hamburgenſes inter cetera de obitu ſui Ducis certiores redderent, ac ſimul eorum de novo principe aſſumendo conſilium ſententiamque exquirerent, cum præſertim Hamburgum veluti metropolis eſſet Stormariæ. Inde conventus aliquot habiti nomine Othonis Scavenburgici comitis, qui ſibi ditionis univerſæ arces opidaque depoſcebat. Sed ei hæc abjudicata, quod & alii ſupereſſent dynaſtæ, qui ſibi in eadem jus competere haud minus demonſtrarent. Unde haud multo poſt dies comitialis Randersburgi ſtatutus, qua & Lubecenſes una cum Hamburgenſibus evocati. Eodem fratrem ſuum Gerhardum Oldenburgi comitem Rex Chriſtiernus ablegavit, ut & dominum Nicolaum Ronnovium regni Daniæ mareſchallum, petereque ſuo nomine juſſit, ut proceres plebsque tota provincia ipſum & proximum Ducis Adolphi agnatum in dominum ſuum adſciſcerent, ſe ita cum fratribus ſuis acturum, ut ipſos hujus facti haud unquam pæniteret; velle ſe præterea amice cum Otthone Schovenburgenſi convenire omniaque pacifice tranſigere. Et ſi quid bono forte obtinere haud poſſet, id jure cum eo experiri coram prælatis ceteroque totius ditionis equeſtri ordine, ſe paratum futurum.

Holſati in conventu Ripenſi Chriſtianum ſibi deligunt.

Poſtremo evocari Rex Chriſtiernus prælatos ordinemque equeſtrem univerſum Holſatiæ Stormariæque Ripam mandavit. Cui conventui non interfuere nec eo vocatos reperio Hamburgenſes. Ventilatum ibi aliquamdiu negotium, ac demum decreto omnium

omnium ſtatutum, Regem ſe Chriſtiernum in Ducem Sleſvicenſium comitemque Holſatiæ ac Stormariæ recipere. Eamque ſententiam decretumque ſuum Sleſvici pro curia publice promulgari curarunt. Acta hæc anno 1460, die Mercurii poſt invocavit, publicisque extemplo codicillis a Rege, proceribus populoque datis in modum ut ſequitur, cuncta firmata declarataque.

Pacta Regis. Nos Chriſtianus Dei gratia, Daniæ, Sveciæ Norvegiæ, Wandalorum ac Gothorum Rex, Comes Oldenburgi ac Delmenhorſtæ omnibus has literas lecturis viſurisque ſignificamus ac profitemur, reverendos prælatos, ſtrenuumque ordinem equeſtrem ut & civitates civesque ac incolas univerſi ducatus Sleſvicenſis ac Comitatus Holſatiæ ac Stormariæ, Ducem nos Sleſvici ac Comitem Holſatiæ ac Stormariæ elegiſſe ac declaraſſe, nosque ſibi in dominum ac dynaſtam prædictarum ditionum aſſumſiſſe ac proclamaſſe hiſce legibus ac conditione.

Prima ut firma colatur in territoriis jam memoratis pax concordiaque volumus, ſtatuimus ac pollicemur, nos Chriſtianam religionem cultumque divinum ac juſtitiam ſartam tectam cuſtodituros ac defenſuros, utque defendantur ſingula operam omnem navaturos, nec ut eorum quidquam imminuatur, verum amplietur ac promoveatur pro viribus elaboraturos.

Incolæ omnes regionum dictarum eccleſiaſtici, laici, equites, cives urbesque ut ſunt Sleſvicum, Flensburgum, Haderslebia, aliæque tam majores quam minores earumque inhabitatores, negotiatores, propolæ ceterique jus ſuum ac privilegia ſuasque immunitates conſvetudines retinebunt, iisque regentur ac protegentur: promittimusque ea ſingula ſigillo noſtro obſignaturos ac firmaturos. Quod & hiſce præſentibus nunc fieri concedimus haberique ratum perpetuo volumus.

Lubecenſes omnibus fruerentur immunitatibus quibus eorum negotiatores his in oris hucusque uſi fuere, tempore noſtri ayunculi laudatæ memoriæ Ducis Adolphi. Si & privilegia iisdem ſint, quæ ipſis avunculus noſter jam memoratus, præſtare tenebatur, eadem & nos ipſis præſtituros pollicemur.

Agnoſcimus porro ac promittimus, ex quo nos noſtrique fratres dilecti dominus Gerhardus & Mauritius, Comites Oldenburgi & Delmenhorſtæ defuncto avunculo noſtro chariſſimo Duce Adolpho dictarum ditionum proximi hæredes habeamur, nos in modum, ut eſt memoratum, earum dominum declaratos, nos autem, ut Daniæ Regem, verum ſicuti dictarum regionum incolæ ex ſingulari erga nos noſtramque perſonam favore, nos quidem non hæredem, ſed libera electione dominum conſtituerunt, ita & in poſterum, quotiescunque hæ regiones domino deſtituentur, liberæque erunt, poteſtatem ſemper habebunt eligendi dominum ac dynaſtam ex liberis noſtris, ſi vero eorum (quod Deus avertat) nulli ſuperſtites fuerint, is more majorum feudum ſuum a feudi domino ſuſcipiet.

Nullus interim ex ſubditis jam memoratis tenebitur militare nobiſcum aut opem præſtare nobis in bellis externis. Neque enim easdem has ditiones aut earum inquilinos in cauſis, quæ aut vitam aut poſſeſſiones ſpectant, ad nos evocari permittemus, ſed jus & juſtitiam procuraturi unicuique ſumus intra ſingularum regionum territoria, idque more antiquitus conſueto.

Si vero ex ſententia noſtrorum, qui in his ditionibus ſunt, ſenatorum aliquod ſuſcipiendum ſit pro pace ac commodo provinciarum bellum, aut ſi externus aut domeſticus aliquis hoſtis nos ob dicta capita articulosque impetere inſtituat, ei nos opponemus, ac tenebuntur ea occaſione ſinguli pro viribus tueri ac defendere codicillorum horum ſententiam contentaque.

Nos ſimiliter poſtrique hæredes ac poſteri nullas pecunias nullaque ſubſidia ab incolis harum terrarum cogemus ſive publice ſive privatim (propriis colonis exceptis) niſi voluntarie & omnium conſenſus accedat.

Obligamus quoque nos ad exſolvendum æs omne alienum, quodcunque avunculus noſter piæ memoriæ Dux Adolphus poſt ſe reliquerit.

Si quæ inſuper bona redimere, vendere, abalienare aut oppignorare his in oris volumus, id opibus ac ære proprio a nobis præſtabitur.

Pollicemur item, inſtrumenta omnia ac codicillos majorum noſtrorum habituros nos ſarta tectaque ac ſancte præſtituros, ſucceſſoribus interea noſtris haud quaquam fas erit, transſcribere conjugi noſtræ ullas poſſeſſiones hujus ditiones præter conſenſum ac voluntatem omnium ſenatorum harum provinciarum.

Præficiemus præterea ex ſententia ſenatorum noſtrorum Sleſvicenſi ducatui ſatrapam indigenam eumque perpetuum, qui cauſas univerſas ex æquo ac bono diſceptet ac finiat. Sic & mareſchallum conſtituemus Holſatis ac Stormariis, qui ſimiliter ſecundum jura & æquitatem officio ſuo fungatur. Horum cuique tam ſatrapæ quam mareſchallo, de reditu ac ſolariis annuis proſpiciemus ut habeant unde ſe ſuosque Conſiliarios de quibus cum iisdem agemus, honeſte ſuſtentent, Satrapa noſter, noſterque mareſchallus conventus ac judicia frequentia celebrabit, præſertim locis iis, ubi expediri quam maxime putabitur. Nosmet ipſi quoque intereſſe comitiis, atque ea ſingulis in ditionibus noſtris ſemel quotannis celebrare, ac ibi ſingulorum querimonias cauſasque coram excipere, deque iis ſtatuere ex ſenatorum noſtrorum ſententia conſtituimus.

Satrapa noſter ut & mareſchallus ante omnia Deum opt. max. reverebuntur cavebuntque, ne juſtitiam muneribus aut favore infringi ſinant,

ſinant, eorum ſi quis hac parte in culpa fuerit, ex merito luet.

Ea propter tenebuntur ſatrapæ ac mareſchalli univerſi ſacramentum nobis dicere, ac ſancte promittere ſe ex æquo ac jure, quantum in ſe eſt, ſententiam pronunciaturos, neque promiſſuros ſe vel donis aut favore ulla tenus corrumpi.

Unde & mandamus atque imperamus nunc & in poſterum ſenatoribus, præfectis ac ſubditis noſtris omnibus, ut ſi qui ſe opponere ſatrapæ aut mareſchallo iisque eſſe moleſti præſumant, ope eis ac conſilio adſint.

Promittimus nos pro virili his in ditionibus pacem conſervaturos, & ut indiviſæ eædem perpetuo permaneant, operam navaturos, quocirca neque altera alteram infeſtabit, ſed ſuum jus unicuique relinquetur. Et quo certius firmiusque pax concordiaque jam dicta ſervetur, volumus ut præfecti noſtri, cujusmodi ſunt ſatrapa, mareſchallus, pinſerna, diſpenſator, prætor diæcetes cæterique ejusmodi ſint indigenæ: utque iis munitiones atque arces noſtræ alii cuique credantur.

Quandocunque excedere hiſce regionibus nobis in animo eſt, eo tum tempore mareſchallus, ſatrapa cæterique ditionum præfecti famulos ac miniſteria ſufficientia nobis adjungent, quæ nos excipiant, nobisque, quamdiu his in oris verſemur. Nec interea volumus numeroſa ſtipatione aut epulis ſumtuoſis, ut vel a nobis aut regina liberisque noſtris adgraventur provinciæ verum impenſæ omnes totusque ſtatus noſter propriis ſuſtentabitur reditibus: Nemo colonum aut agricolam prædabitur, nemo vi eos aut alia moleſtia afficiet.

Cumque harum jam dictarum incolæ erga nos adeo amice affecti fuerint, eos viciſſim nos eorumque poſteros pollicemur indemnes præſtituros, ſive quis bello ipſos impetere, ſibique jus aliquod in dictas ditiones vindicare præſumat, præſertim quod ad fratres noſtros dilectos ac dominos Schovenburgios, id certo addicimus.

Et idem quoque adverſus eos pollicemur, ſi qui forte ſe adjunctim aut ſeorſim habere in has oras feudi jus vel authoritate Cæſarea, vel alias prætexant, ſive Eccleſiaſtici fuerint ſive Lacii.

Si quid porro ſenatores una cum ſatrapa & mareſchallo imperaverint, aut pacem aliudve in bonum harum ditionum cum vicinis aut conterminis conſtituerint, id habituri ratum ſumus, dum ipſimet præſentes adfuerimus, ac poſtea etiam ex ſententia ſenatorum noſtrorum quodque cauſa flagitaverit, eadem de re ſtatuemus.

Permittimus etiam vi harum literarum, ut ſatrapa noſter, nec non mareſchallus ac ſenatores noſtri puniendi atque animadvertendi in eos poteſtatem habeant, ſi quis his contravenire conſtituat.

Similiter operam pro viribus dabimus, ut in ducatu Sleſvicenſi legum codex admittatur, quatenus is cum horum codicillorum capitibus haud pugnet.

Arcibus totique regioni ex reditibus proſpicietur, ſi quid vero incurrat, quod animadverſione indigeat, ejus non vi, ſed jure mulcta exigetur.

Si qui intra Holſatiam ac Stormariam utantur legibus minus commodis iis, adhuc rogati, jus Holſaticum, priore inducto, procurabimus.

Quicquid Clerus ordoque Equeſtris ſuum in uſum, non vero mercimoniorum inſumet, ejus nomine vectigal non ſumet.

Præfecti ditionum arces oppidaque ſibi concredita fideliter cuſtodient, eaque nobis defunctis iis permittent, qui harum exinde ditionum Domini declarabuntur.

Si quis domeſticus aut extraneus incommodare dictas ditiones aut juri aut jurisdictioni earum contraire inſtituat, ea occaſione ſatrapæ ac mareſchallo fas erit manum ſubditorum nobis abſentibus colligere ac modum inſolentiæ ponere. Cui rei & ſuam quisque operam conferet.

Abſentibus etiam nobis liberum erit ſatrapæ ac mareſchallo imperitare quodcunque Regionibus ex uſu commodoque exiſtimabitur ad usque adventum noſtrum.

Hæc univerſa capita, ſacramento coram Divis omnibus præſtito, jurabimus nos bona fide ac viribns omnibus ſarta rataque habituros.

Itidem quoque Reverendi D. D. Prælati Ordoque Equeſtris incolæque omnes Ducatus Slevicenſis ac Comitatus Holſatiæ, ac Stormariæ, ut & ſenatores ac civitates earundem regionum ſancte ac ſine dolo malo promiſerunt.

Eſtque regium ſigillum hiſce appenſum ac in rei majorem certitudinem Johannes Arhuſienſis, Canutus Viburgenſis, Jacobus Borglumenſis, Henricus Ripenſis, Eadem Dei gratia epiſcopi, Ottho Nicolai, Ericus Otthonis aulæ magiſter, Nicolaus Rannovius, mareſchallus, Eggardus Frille, Nicolaus Erici, Petrus Hovenſchild, Canutus Henrici, Johannes Biornonis, Strango Nicolai, Johannes Oxe, Ludovicus Nicolai, Johannes Rantzovius & Johannes Frille equites, Regi Chriſtierno a Conſiliis, ſua quoque ſigilla appendi fecerunt. Datæ hæ literæ die Mercurii poſt Dominicam Invocavit, anno Chriſti 1460.

Diplomatis hujus quædam illuſtrantur.

Hoc in diplomate, præter cetera notari debet, pactionem, de qua refertur, cum Schovenburgo ejusque liberis, poſtea plene ac amice translatam: Et anno Chriſti 1390, de quo ſupra ſimilem propemodum cum iisdem pactionem factam. Nam defuncto per id tempus ſine liberis item Holſatiæ Comite, Adolpho nomine, Vagria ad Holſatos in totum recidit, tradita Schovenburgicis certa pecuniæ ſumma, cum præfecturis Penesburgi, Hattesburgi & Bramſtedæ, ut eſt ſuo loco & anno jam dicto ſuperius commemoratum. Quod porro iisdem in literis injici videatur, quaſi

Rex Christiernus ejusque senatores nobilitati Slesvicensi permiserint, quem vellent, eligere, largius accipi haud debet, cum ille ducatus feudum sit coronæ Danicæ.

Controversiæ ratio.

Ita finita tandem, quæ diu multumque agitata inter agnatos fuerat, super Holsatiæ comitatu, controversia. Crantzius a superioribus recedens non nihil, ait, Othonem Schovenburgium, quod is longa cognatione eaque mascula Adolphum contingeret, propiorem omnibus visum; Christianum vero Regem, quod ex sorore nepos haberetur, rem admodum difficilem ac dubiam reddidisse, præsertim apud Holsatiæ nobilitatem; licet in eo multi propenderent, utpote pluribus subsidiis nixum; Et qui Scovenburgico longe potentior, ad eorum defensionem parator videretur. Et ideo postremo præsulem Lubecensium Arnoldum, qui Cæsaris nomine conferendi jus haberet, id egisse, Todesloæ, ubi congregatos hujus ergo memorat, ut Schovenburgici (octo enim Othoni filii superstites erant) remisso, quod prætenderent jure Comitatus Holsatiæ, Stormariæ & Vagriæ Christierno cederent, acceptis ab eo quadraginta tribus aureorum millibus. Sed hoc posterius fuisse, & Odesloæ (quæ Crantzio est Fodesloa) rem eam universam præsente præsule ac liberis quoque Comitis Schovenburgici, accuratius esse tractatam transactumque statim referemus.

tractatum cum Ottone Com.

Christianus R. fratribus cedit comitatum Oldenb. & Delmenh.

Christianus igitur Rex potitus Holsatiæ ac Stormariæ comitatu, in fratrem suum utrumque Gerhardum & Mauritium Oldenburgi ac Delmenhorstæ comitatum transtulit, reservato sibi jure, ut vocans, superioritatis ac tutario. Nam priusquam ad Danici regni sceptrum accipiendum esset vocatus cum fratribus suis jam dictis ita transegerat, ut ipsemet solus comitatum Oldenburgensem & Delmenhorstæ teneret. Ipsi vero certam pecuniæ summam acciperent, aut quid ejus vice aliud.

pactis ante dictis quædam addit.

Post autem diploma superius Holsatis datum, vix triduum intercessit, cum aliud ab eodem indultum ipsis. Quod inter cetera, pollicetur nullum se bellum inchoaturum absque ditionis totius assensu: Comitia celebraturum in Holsatiæ comitatu semel quotannis, idque Bornevedæ; & semel item in Ducatu Uraehovæ, nulli nec Ecclesiastica nec Laica concessurum intra Ducatum beneficia, absque indigenarum ac Cancellarii sui Germanici approbatione. Neminem impunitum habiturum, qui aut raptu aut incendio quempiam infestaverat: præstiturum damna eorum, qui urgente hoste ad patriæ defensionem se absente, accurrerint. Præfectorum arcium se neminem præfectura sua moturum absque senatus arbitrio. Curaturum ut episcopus Slesvicensis ac Lubecensis nec non & alii ex Ducatu Slesvicensi ac Comitatu Holsatiæ Viri graves, se absente juridicundo præsint. Nec Conjugi aut cuiquam alii præter indigenas donaturum aut obligaturum possessiones ullas absque senatus voluntate, se præterea, neque hæredes suos ullam monetam procuraturos præter eam, quæ Lubecæ aut Hamburgi sit usitata. Si se aut liberos suos hæredesque vita decedere contingeret, filiorum nisi uno superstite, eoque Rege Daniæ, fore tum liberum ditionibus proceribusque eundem Slesvici Ducem ac Comitem Holsatiæ ac Stormariæ eligere, qui & tenebitur omnia capita, cunctaque jam dicta ipsis præstare. Si id renuerit, eum præterire & alium ei sanguine proximum eligere ipsis integrum est. Hæc acta Chilonii, die Veneris ante palmarum, anno dicto.

Christiani R. cum R. Scot. de insulis Mannoræ & Suderoræ controversia arbitro Rege Gall. agitata.

Eadem tempestate Rex Christiernus Canutum episcopum Viburgensem, & Cancellarium suum Trumheimensem, Danielem Kienkenium in Gallias ad Regem Francorum Carolum ejus nominis septimum ablegavit. Cum enim essent fœderati Rex Galliarum & Rex Christianus, & Scoto quoque cum Gallo amicitia constaret, operam omnem navavit Galliarum Rex, ut controversia super insulas Manoræ & Suderoræ, quæ diu inter Danum & Scotum agitata fuerat, cujus & antea meminisse nos scio, amice tandem componeretur. Eumque in finem cum esset hoc tempore Biturigi in Galliis conventus a Rege Gallorum Carolo indictus, ut ibi singulorum legati convenirent, inter cetera, quos missos a Christiano Rege diximus, episcopus Viburgensis & cancellarius Kiepkenus demonstrabant, allatis Alexandri Scotorum Regis anni 1366. codicillis, insulas Suderoram & Manoram cessisse Scotiæ regno Regem Norvagiæ Magnum ea lege ac conditionibus, ut Regi Norvagiæ solverentur quotannis centum marcæ Sterlingiæ, quatuor vero millia earundem marcarum semel: Ac idem pactum esse renovatum anno Christi 1426. inter Ericum Daniæ & Norvegiæ Regem & Jacobum Scotiæ: sed exinde ad præsens tempus nihil ejus pecuniæ solutum, petere itaque Regem Christianum redditus tot annorum solutionem ac mulctam summæ ingentis, quæ etiam literis fuerat expressa. His Scotorum Regis Jacobi II. ejus nominis, legati respondebat, Danos, quod peterent, non literis autographis, sed apographis solum demonstrare, & renovationem quidem literarum factam sub Rege Erico, sed nihil tamen solutum ac temporis præscriptionem interveniisse interea: & abesse quoque Præsulem Olivi Andreæ, qui Legationis suæ erat caput, valetudine impeditum ac decumbentem Brugis Flandrorum, penes quem fortasse literæ ejusmodi essent, quibus contractum, tum irritum esse factum posset ostendi. Quæ aliaque cum dici ultro utroque animadverteret Rex Galliarum, & literæ præsertim originales ad manus utrinque non essent, ipse ut medius, de connubio inter liberos utriusque Regis Christiani & Jacobi injecit, ut nimirum Scoti filius Daniæ Regis filiam Margaretham duceret: ac insulis dictis in dotem filiæ traditis, omnia amice sopita transactaque haberen-

R. Gall. eam nuptiis sopiendam suadet.

haberentur. Hic utriusque Regis Legati, quid de hisce videretur interrogati, sibi, quod ad ista, nihil in mandatis datum respondederunt, operam nihilominus daturos, ut ad Reges cuncta referrentur, nec sibi quidquam potius fore, quam ut pax concordiaque inter utrumque colatur. Ac mox, ubi accepisset Galliarum Rex propendere ad connubii tabulas constituendas Scotorum legatos, Daniæ tamen Regis legati nihil absque Regis sui consensu scientiaque statuendum declararent, tandem Rex usus suorum, & qui præterea aderant, legatorum consilio (quos inter memorantur Richardus titulo Eusebii Cardinalis, Episcopus Constantiensis, Andreas Laival, Dominus Delopar Franciæ mareschallus, Petrus Bretzius, comes Maolarire, Magnus Normandiæ Seneschallus, Johannes Hengatus Eques, Dominus Molleroltæ, Balivus Rothomagensis) e re fore existimavit, ut Jacobo, ejus nominis III. (cujus parens Jacobus II. paulo ante vi tormenti bellici ictus fatis concesserat) annorum circiter septem, ubi ad pubertatis annos veniisset, in matrimonium traderetur Margareta Christiani Danorum Regis filia, his præsertim legibus ac conditione, ut Daniæ Rex in dotem filiæ suæ Margaretæ cederet Scotorum Regi ejusque hæredibus & sortem & usuram omnem earum pecuniarum una cum mulcta, in quam incurrisset Scotiæ Rex, quasque nomine Suderoræ ac Mannoræ Dano debebat. Quidquid præterea Danorum Rex filiæ suæ ceimesiorum, monilium taliumque ornamentorum donare voluerit, id penes ipsum esset. Paxque inter utrosque Reges regnaque & eorum subditos solida haberetur: omniaque ut modo sunt, pacata manerent, donec Regum jam dictorum liberi ad ætatem provectiorem pervenirent. Hæc Galliarum Rex statuit, rogans insuper obsecransque Regem utrumque, ut ista pacis ac concordiæ nomine, a se fraterne in medium consulta propositaque eo etiam interpretari animo, sibique habere accepta vellet: Sin minus, ut integro saltem post eum diem biennio cuncta conquiescere sinerent, & suam postmodo sententiam declarare, allatis certis documentis, haud intermitterent. Datum Biturigi 8. Octobr. Anno 1460.

Ottoni Com. in conventu Oldesl. pecunia satisfit.

Eodem hoc circiter tempore Oldesloæ conventus habitus inter Regem Christianum & Othonem Schovenburgi Comitem ejusque filios *Adolphum, Ericum, Ernestum, Bernerum, Othonem, Henricum, Antonicum, Johannem.* Ubi Otho offenso, quod sibi & suis debebatur, in Holsatium Comitum jure, cum difficultates animadverteret, & Regem Christianum a ditione jam omni a proceribus comitem designatum arbitris rem permisit. Estque decretum, ut Otho, renunciato in perpetuum universo, quod sibi hæredibusque suis in dictum Comitatum competere existimabat, jure ejus vicem acciperet quinquaginta tria aureorum Rhenesium millia, certis temporibus persolvenda, quemadmodum superius dicere cæperamus. Pactis præterea insertum, ut Comitum Schovenburgicorum arx, quæ est circa Albim Holsatiam versus Daniæ Regi ejusque hæredibus belli semper tempore pateret, sine tamen ipsorum detrimento. Quibus transactis, idque consentiente Romanorum Imperatore Lubecensis Episcopus Arnoldus, cujus ea tum partes erant dicto comitatu, ut feudo Cæsareo, Regem Christianum investivit, ornavitque.

Pecuniæ vero haud multo post Comiti Schovenburgico aut ejus administris Ludovico a Faltzen & Ulderico a Landtbergen, fuerunt adnumeratæ, quarum hodie apocha in archivis servantur. Similem in modum per id tempus cum fratribus suis Gerhardo & Mauritio Oldenburgicis transigi curavit. Estque statutum, ut si quid in Holsatiæ comitatum competere sibi juris illi existimarent, ei in universum renunciarent, acceptis aureorum Rhenensium quadraginta millibus.

Christianus R. Hamburgenses adiens magnifice excipitur.

Quibus transactis Holsatiæ proceres Regi Christiano, ut vero & legitimo suo domino comitique sacramentum universi dixere. Hamburgum deinde, quod in annum proxime sequentem millesimum quadringentesimum sexagesimum primum rejicitur a Chronologis, profectus Rex Christianus sibi, cum urbi jam appropinquaret, senatum universum obvium habuit, ingenti stipatum civium multitudine, qui eum magnifice exceptum intra mœnia deduxerunt, fueruntque Reipublicæ totius nomine adjuncti senatoribus viginti quatuor, quibus plena cum Rege agendi tractandique potestas data. Ac proxima mox luce, qui fuit dies Mercurii, curiam equo vectus petiit, habens secum ex Consiliariis suis *Arnoldum* Episcopum Lubecensem, Dominum *Johannem* Alefeldium, equitem, & *Benedictum* ab Alefeld, *Volfgangum* a *Wisck*, Dominum *Nicolaum* Rantzovium, *Volradum* a Buckvolde, *Othonem* Splid, *Henningium* Paviscb, Dominum *Conradum* Conradi, Archidiaconum Slesvicensem & denique Magistrum *Kiepkenum* Cancellarium suum. Episcopus nomine Regis verba faciens sententiam esse hanc Regis demonstrabat, ut postquam ab utraque cum Slesvicensium tum Holsatiæ ditione in Principem esset assumptus, ipsi prælati atque ordo Equestris ceterique status juramentum fidelitatis, præmissa inauguratione præstitissent, similiter Hamburgensium senatus, Consules cœterique cives, utpote membrum jam dicti principatus suo ipsum suffragio eligerent, ac Dominum declararent, inaugurarentque. Senatus, his acceptis, ipsum ut Dominum recipere, eique se adhæsuros declarabant, quemadmodum jam ante avunculo ejus duci *Adolpho* adhæserant. Ac petere se vicissim, ut privilegia atque immunitates suas, tam in Daniæ regno, quam Ducatu Slesvicensi firmaret, sineretque inter se ad ditionum regnorumque ipsius incolas mutuo haberi commercia.

obedientiam ipsi spondent.

Verum

Verum id reſponſi parum Regi arridebat, urgebatque præcipue ut ſibi, facta inauguratione, juramentum diceretur, quemadmodum ab illis id præſtitum fuerat. Verum gravari hoc Senatores; Quod nec Duci Adolpho, nec cuique ex Regis prædeceſſoribus nomine earundem ditionum jurejurando ſe unquam obſtrinxiſſent. Quapropter cum longior diſputatio hinc exoriretur, qua & dies ille effluxit, ac ſuam tuerentur ſententiam viginti quatuor delegati jam dicti, tandem poſtero die rediit in Curiam Rex, ut & ſenatores cum iisdem, quos indicavimus viginti quatuor, qui additi ſenatui fuerant, præſentes adfuere. Ibi Dominus *Detlevius Bremmerus* Conſul, reipublicæ univerſæ nomine declaravit, ſe acceptare *Chriſtianum* Regem in dominum ſuum, quemadmodum jam ante a Prælatis, Equitibus, totoque populo atque incolis Sleſvicenſis Ducatus ac Comitatus Holſatiæ ac Stormariæ fuerat electus: Et ei haud aliter ſe, quam Duci *Adolpho* avunculo ejus, velle conjungi, eique perpetuo adhærere, ac recipere poſt obitum ejus, quemcunque tum prælati cœterique proceres ac populus, volente ac conſentiente ſenatu Hamburgenſi electuri fuerint, rogans ſe ac urbis ſuæ privilegia, immunitates ac conſvetudines longo ævo receptas, aſſumere, easque defendere, ac ſibi in Sleſvicenſi Ducatu de immunitatibus in poſterum proſpicere; & denique ſe civesque ſuos ſecundum jura ac juſtitiam tueri ac ſartos tectos conſervare vellet. Quibus peroratis a Rege reſponſum, ſe ipſos eorumque cives ut ſubditos ſuos ſibi commendatos habere, velleque ipſos eorumque privilegia ac prærogativas ſtabilire ac defendere, uti principem honeſtum tueri ſuos ac protegere æquum eſſet. Inde cum Rex ſenatoribus ac viginti quatuor viris, quos diximus, dextram porrexiſſet, deſcenſum eſt, Regem vero ſeorſim muneribus excepere, & ei præter vinum, cereviſiam, carnes, piſces, dono obtulere cyathos aliquot argenteos affabre factos inauratosque.

juramentum denegant.

data dextra donisque. Regi oblatis diſceditur.

Freginus legatus Pont. ingens æris pondus fraudulenter cogit.

Rex Chriſt. ejus partem ſibi vendicat.

Eadem hac tempeſtate Pontificis maximi legatus Maritus Freginus in Dania ac Svecia, Regis permiſſu agens, magnam populo auri vim emunxerat, dum omnibus, qui adverſus Turcam ſubſidia liberaliter conferrent, indulgentias deprædicat. Rex propius perpenſa re, partem illius aucupii intervertendam exiſtimans, de ovibus ſuis probe detonſis lanæ portionem nactus eſt, quod & ſibi adverſus trucem Moſcum, regnis ſuis conterminum depugnandum foret.

ſeliquum in via interciđit.

Operam, inquit Crantzius, collectioni impenderat homo peregrinus ac Italus, nec ullam ideo viciſſim injuriam paſſus eſt, ſi juſto Domino aliquam ejus particulam permiſerit. Cumque nundinator idem argentum ſuum mercibus negociatorum additum per rhedas Noribergam transmiſſurus, intercepti ſunt currus, periit labor omnis Collectoris. Qui ceperant, ſibi id jure deberi referebant, quod vehicula illa Luneburgo veniſſent, cujus civitatis mercimonia atque oppidani, ubicunque tenerentur, a ſummo Pontifice eſſent proſcripti, utpote contumaces, & qui mandatis Apoſtolicis in cauſa Cleri non paruiſſent. Impoſuerat enim in uſum oppidi ſui ſenatus vectigal quoddam ex Salinis clero, quod renuere Clerus videbatur, adſentiente Pontifice.

Luneburgenſes ob clerum expilatum Pontificis indignationem in ſe concitant.

Etenim ſenatus, perſpecta ærarii publici ratione, adeo preſſam ære alieno civitatem, ut & ſalinarum officinas per id tempus animadvertit, niſi eis ſubveniretur, ſtare haud poſſe. At eis peſſundatis cum etiam rempublicam caſuram certum eſſet, optimum ei viſum a cœnobiis atque ordine ſacro, quod eis ſupereſſe videretur, huic neceſſitati ſupplendæ repetere. Verum ut eſt hic ordo ſuo intentus, id perquam ægerrime tulit, & inprimis præſulum uterque Lubecenſium & Sverinenſium, qui delata ad Pontificem re, id obtinuit, ut uſu ſacrorum interdictum Luneburgenſibus ſit. Inde omnium non animi tantum ſed & arma per urbem commoveri cœpta. Mutatusque magiſtratus ac deſignati ejus loco viri ſexaginta, quibus cura reipublicæ commiſſa. Eodem quoque dementiæ, ſive furoris dicam, abrepta mox Lubeca & Hamburgum aliaque in vicino oppido. Eſtque diſputatum palam, an obſequendum Pontifici nunc eſſet. Erat inter ceteros præſul Verdenſium, Johannes nomine, qui partes Luneburgenſium ſecutus cum Sacris ſimiliter eſſet prohibitus, Regem Chriſtianum adiit eumque ſollicitavit, ut pro ea, qua polleret apud ſummum Pontificem, authoritate, ac gratia ſe medium interponeret ac diſſidium diu magno partium detrimento agitatum, amica compoſitione dirimeret. Atque is, accepto a Rege reſponſo, quum eſſet Verdam rediturus, perque Hamburgum veheretur, luto ac lapidum jactu a pueris eum petulantius inceſſentibus eſt petitus, adeo ut de curru deturbatus propemodum fuiſſet. Quocirca miſſo ad Regem nuncio, de injuria deque contumelia, quæ ipſi a ſubditis ejus Hamburgenſibus eſſet illata, prolixiſſime eſt conqueſtus. Verum Rex, cum iræ ejus adeo feſtine, & quo modo optaverat, morem haud gereret, ipſe ira in colonos Hamburgenſium turgens, invictus, eos qua poterat circa Albim flumen & alias divexare haud deſtitit.

ita & Lubecenſes atque Hamburg.

Verdenſium præſuli illatam ab Hamburgſ. contumeliam vindicat.

Per idem fere tempus Gottorpiæ ſtabilitæ capituli Sleſvicenſis immunitates ipſi a Regibus jam pridem aut ducibus conceſſæ, recepitque Rex Chriſtiernus epiſcopos, canonicos, vicarios, ſacerdotes in regiam ſuam protectionem, inhibens, ne quisquam adverſus eos quidquam attentaret, aut eorum colonis tributum imperaret, ſed ipſis actionem in ſuos relinquerent.

Sleſvicenſium capitulo immunitate ſtabiliuntur.

Segeberga deinde ad Comitem Gulielmum, Dominum St. Claræ ac Orcadum Comitem literæ miſſæ, quibus ipſemet coram adeſſe ad diem divi Johannis commonetur, ut Regi inaugurationis ſacramentum dicat, ſub pœnis in legibus Norvagiæ contentis, cum id facere

hucusque

item Hafnienſibus.

hucusque neglexiſſet. Poſt id Hafniæ urbis ejusdem privilegia atque immunitates firmatæ, atque illæ præſertim, quæ jam antea Rege Erico Pomerano ſtatutæ ac ſtabilitæ fuerant, de quibus ad annum Chriſti 1422. ſeorſim eſt commemoratum.

A. 1462. Luneburgenſium cum clero diſſidium Chriſtiani R. arbitrio tollitur.

Proximo, qui hunc ſecutus eſt, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum ſexageſimo ſecundo, cum res Luneburgenſium & cleri, de quibus eſt modo indicatum, multorum malorum occaſionem præberent, & arma ſubinde vicinorum principum concitarent, aſſumptus eſt Rex Chriſtianus, ut arbiter ad eam cauſam amice tranſigendam. Junctique ſunt ei epiſcopus Lubecenſis Arnoldus, ac Sverinenſis, qui in Reinsfeldenſi Cœnobio convenientes iſti, quæcunque erat, controverſiæ finem diu optatum impoſuerunt. Quæ & poſtmodum transactio a Summo Pontifice eſt approbata firmataque. Circa idem hoc tempus (alii ad annum præcedentem teferunt) obiit Soſchildiæ Epiſcopus Olaus Daa ipſa veſpera divi Valentini: Eſtque funus ejus in æde Roſchildiana humo mandatum. Quo etiam tempore in loco ſtatim ipſius eſt ſurrogatus Olaus Martinus Regis Cancellarius Roſchildienſis Eccleſiæ præpoſitus.

Chriſtiani R. cum Ducibus Pomer. fœdus adv. Ericum de reſtituendis quibusdam poſſeſſionibus.

Mox fœdus inter Regem Chriſtiernum & Duces Pomeraniæ Bugislaum & Othonem adverſus Ericum Ducem ſimiliter Pomeraniæ ictum: idque ob bona ac poſſeſſiones quasdam hæreditarias, quarum reſtitutionem ipſis denegabat Dux Ericus. Qui & idem theſauros ac privilegia una cum codicillis aliquot autographis a Rege olim Erico Pomerano a Regno avecta ſibi ſervabat, nec reſtituere Regi Chriſtiano ulla tenus cupiebat. Hoc fœdus eousque ſartum tectum haberetur, dum eſſet unicuique ſatisfactum. Ditiones quæcunque Erico Duci eriperentur, eas ſibi Pomeraniæ principes retinerent, ac Regi Chriſtierno quæcunque feciſſet vel impendia vel damna perpeſſus, ea arbitratu trium ſequeſtrum perſolverentur. Si quid etiam ex theſauro aut epiſtolis quisque recuperaret, id quidquid eſſet Regi Chriſtierno bona fide traderetur. Hinc multa detrimenta variæque illatæ Pomeranis terra marique clades. Nec tamen quidquam exinde Regi Chriſtierno ex ablatis codicillis aut theſauro reſtitutum.

Pomerani cladibus lacerati, Chriſtiano R. nihil recuperatum.

Bremenſibus hoſtilia indicuntur.

Per idem tempus miſſæ a ſenatu Cimbricæ Cherſoneſi ad Bremanos literæ, quibus Otho Nicolai, Ericus Othonis aulæ magiſter, Nicolaus Erici, Strango Nicolai, Canutus Henrici, Ludovicus Nicolai, equites, manu ſua ſubſcripſerant, ſignificantes conſulibus, ſenatui, totique Bremenſi populo, ſe ipſis poſtquam cauſam ſuam judici neutram in partem inclinato ſubmittere nollent, ſed Comitem inſuper Oldenburgi Gerhardum ac terras hæreditarias, Regis Chriſtierni hoſtiliter invaſiſſent, bellum indicere atque ipſis, qua poſſent, detrimentum illaturos. Ejusdem quoque exempli literæ transmiſſæ ad eosdem a Rege Chriſtierno. Miſit tum quoque clarigationis literas ad Regem Poloniæ Caſimirum Rex Chriſtiernus, eum ferio increpans atque objurgans, quod præter fas atque æquum ſolaque dominandi libidine, Marchionem Brandenburgicum Fridericum affinem ſuum bello perſequeretur. Ad quæ reſpondens Rex Caſimirus referebat, cauſas ejus belli ipſi fortaſſis incompertas eſſe, nimirum quod Marchio limites ſui Ducatus ac Regni Polonici, cujusmodi antiquitus fuiſſent & pactis erat ſtatutum, haberi ratos noluerit, neque cauſas ac controverſias ſuper iis territoriis, quæ a regno Poloniæ tenebat, prout fuerat conventum, decidi penes judicem competentem ac legitimum voluerit; æquum itaque eſſe eum, qui pacem renuat, bello infeſtandum. Adhæc Adakenus Sternebgius, Burgivius Pragenſis, poſtquam marchionem citaviſſet, ut ſe intra Poloniæ regnum ſiſteret, nomine arcis atque oppidi Cothus, quod regni Polonici feudum eſt, ille excipiens haud quaquam parere voluit. Ac mox Baltazarum Sileſiæ principem, qui culpa ſua principatu exciderat, receptum intra arcem eandem Cotbus, idque contra promiſſum pactaque: Marchionem præterea Luſatiæ ipſi fratrique oppignoratum, reddita pecunia, ut erat literis conventum, cedere noluiſſe, priusquam eundem armis potiſſima parte ſuum feciſſet. Has ſi Rex Chriſtianus æquiſſimas belli cauſas cognitas habeat, mirari ſe addebat Caſimirus, quapropter inique accipiat, ſi bellum gerat, jusque ſuum defendat, ſin ignotæ eſſent, haud quaquam debuiſſe eum literas clarigationis mittere, cum ipſi non ſubditus nec judicem ipſum agnoſcat. Scripſerat eodem tum tempore Chriſtiernus Rex, ſævaque minatus fuerat Bohemiæ Regi Georgio Podebratio ob eandem hanc cauſam Marchionis. Ac ſtatim exinde alteras eidem literas minarum haud minus plenas ſubmiſit, ſignificans Sterneburgium pugnam ac prælium obtuliſſe, ſed locum nondum deſignaſſe, quem ut deſignet, petere. Verum mox, interponente ſe Cæſare Frederico & Electorum nonnullis, aliisque Germaniæ principibus, amice omnia inter Reges ac Marchionem, compoſita fuerunt, ut inde dicetur.

Chriſt. R. Caſimiro R. Pol. ſuadet, ut deſiſtat a perſequendo Marchione Brand. reſponſum

eadem cum R. Bohem.

Eadem tempeſtate ſummi Pontificis literas obtinuit, Chriſtianus, quibus poteſtas ipſi conceſſa præſentandi præpoſitum Hamburgi ad Divæ Mariæ. Hinc in Sveciam cum adveniſſet Rex Chriſtiernus, ſub annum proxime inſequentem, qui fuit milleſimus quadringenteſimus ſexageſimus tertius, ut res ejus regni curaret, animadvertere cœpit nutare Svecos & animos eorum rerum novarum avidos alio ſpectare. Quapropter Nicolaus Ryttingius, qui Regis olim Caroli Cancellarius fuerat, Dominus Nicolaus Petri, Dominus Jonas Caroli, Steno Benedicti aliique plures capti, & aliqui torturæ ſubditi atque examinati, quaſi qui plebem concitare ac Carolum revocare voluiſſent: Quin & fama tum paſſim volitabat, Carolum Regem apud Boruſios cum claſſe

A. 1463. Chriſtianus R. præpoſitum Hamb. conſtituendi facultatem a Pontif. R. obtinet

Svecos novarum rerum ſtudioſos durius habet.

ac milite numeroſo paratum adeſſe, ut in Sveciam transmittat. Unde excitus populus confluxit undique, cum tamen falſa ea eſſent, nec eorum quidquam ageretur. Præcipue autem Archiepiſcopum Johannem, cujus tum per univerſum regnum ſumma erat authoritas, Rex ſuſpectum habebat, & eundem erga ſe, qui in Carolum fuiſſet, futurum metuebat. Quæ exinde ſuſpicio hinc aucta, quod Rex, cum in Finlandiam cogitaret, atque ibi conſentiente regni ſenatu, Cenſum colligere ſtatuiſſet, Archiepiſcopus author fuerit, ut ad ſeſe vocatis colonis ac popularibus in publico eorum foro, ea de re cum ipſis ageret. Idque ubi fieret, una omnes voce Regi collationes negare cœperunt ſe ita taxatos obæratosque, ut ſibimetipſis vix quicquam reliquum eſſet. Cumque reponeretur ejusmodi ſubſidium inpoſterum haud amplius ab ipſis Regem exacturum, itidem reſponſabant, ſeque mori malle, quam quod poſtularetur, ulterius velle præſtare referebant. Nec ii ſolum, ſed & Oplandi aliique idem alibi factitabant: Archiepiſcopus, his acceptis, promiſſo ſe apud eos obſtrinxit, immunes eos ab ea cenſione fore, & literas præterea ipſis hujus ergo tradidit, quas & publice promulgari loco ad id deſtinato, Stocholmiæ curavit; Quod tamen ipſum an ea mente ab ipſo factum, ut commotos agreſtium animos pacaret, an vero, quod ejusmodi pecuniæ vim evehi e regno haud vellet, parum conſtat. Ad Regem vero ubi delata hæc ſunt, Stocholmiam ipſe extemplo acceſſit graviterque Archiepiſcopum incuſavit, dicens: ipſum ipſiusque amicos ac præfectos plebem in ſe concitare. Unde confeſtim ad aulam ex conſiliariis perplures vocati. Ibique Rex pridie ejus diei, qui divo Lucæ Evangeliſtæ eſt ſacer, in arce Stocholmenſi quærebat ex regni Svecici ſenatoribus, quorum hi fuere Catillus Lincopienſis, Burgerus Veſtaſienſis, præſules, Ericus Axilli, Magnus Grenius, Eſchillus Illata, Fœderus Olai, Magnus Benedicti, Carolus Magni, Stephanus Olai, Ago Johannis, Guſtavus Laurentii, Johannes Chriſtiani, Gregorius Benedicti, Gregorius Magni, Ericus Nicolai, Guſtavus Olai, Ericus Ronningius, Ivarus Grenius equites, Johannes Olai armiger, ex his, inquam querebat eosque conſulebat, quem in modum cum reverendo patre archiepiſcopo Upſalienſi Johanne agendum exiſtimarent, cum ejus præſertim inſtinctu, ejusque cherographis ac literis animi agreſtium erga ſe ac regnum concitati fuerint, an ſcilicet ipſum intra regnum verſari conſultum putarent, nec ne. Reſponſum ab omnibus regique authores fuere, ut archiepiſcopum jam dictum arcte cuſtoditum ſervaret, eousque dum ſeditio miteſceret, & in eum quascunque haberet accuſationes, ſi interea decidi eæ amice haud poſſent, ut eum ad cauſam dicendam coram regni Svecici ſenatoribus ſiſteret. Eodem tum anno denuo Stocholmiam regni ſenatus convenit, erantque Cantillus Lincopienſis, Burgerus Veteracienſis, Conradus Aboenſis epiſcopi, Ericus Axilli, Thuro Thuronis, Guſtavus Caroli, Magnus Grenius, Eſchillus Iſaci, Magnus Benedicti, Carolus Magni, Ericus Nipperts, Gregorius Benedicti, Ericus Nicolai, Guſtavus Olai, Stephanus Benedicti, Nicolaus Stureus, Boetius Nicolai, Guſtavus Olai, Stephanus Benedicti, Laurentius Heraldi, Thordo Philippi, Ivarus Grenius Equites, Arvidus Trolle & Johannes Olai, armigeri. Hi ſimiliter Regem hortabantur, ſtatuebantque ut & ceteri eorundem collegæ poſtquam archiepiſcopus Johannes Benedicti ſuſpectaretur, eſſetque de ejusmodi factis accuſatus, quæ in Regis ac regni Svetici exitium tenderent, eum a Rege Chriſtierno cuſtodiendam, donec ejus cauſa criminaque propius eſſent inſpecta examinataque. Ipſum quoque archiepiſcopum, Rex præſentibus ex regio ſenatu nonnullis, ut & urbis Stocholmienſis Magiſtratu ac Conjugibus, gravium criminationum coram inſimulavit, tumque Regem cuncti monebant, ſuadebantque, ut arcem Stocholmienſem ab ipſo repeteret, atque evitandi majoris periculi ergo, quod inde in ipſum ac regnum recidere poſſet, archiepiſcopum cuſtodiæ mandaret eousque dum juſto numero regni ſenatus conveniret: Atque inde continuo archiepiſcopum cuſtoditum detinuit. Suntque paſſim per id tempus Schedæ repertæ, quæ ab Archiepiſcopi inimicis valvis publicarum ædium affixæ, quibus eſſe eum proditorem deſignabatur. Suſpectus quoque per id tempus Chriſtianus Benedicti. Unde & Caſtelholmiam ei eripere Rex conſtituerat. Verum pro eo ex regni Svecici ſenatu cujusmodi fuere, Catillus epiſcopus Lincopienſis, Dominus Magnus Grenius, Dominus Carolus Magni, Dominus Ericus Nicolai, Dominus David Benedicti, Dominus Ericus Ronningius, Dominus Ivarus Grenius, publicis ſuis Codicillis apud Regem Chriſtianum ſpoſponderunt, profeſſique ſunt Dominum Chriſtianum Benedicti, equitem ejusque miniſtros ſe coram regia majeſtate, quam primum in regnum rediret, purgaturos ac ipſos interea Regi nec facto aut alia fore re adverſus, ſed in fide atque obſequio ejus manſuros. Quod & alii, & inter ceteros Dominus Ericus Nippertz eorundem nomine eſt adſtipulatus. Ubi vero rumore famæ jam eſſet divulgatum, teneri captivum Archiepiſcopum, ingens agreſtium multitudo convenit, ſeque circa Malmenam, quæ borealis dicitur, univerſi ſtetere. Et id priusquam intra urbem quisque reſciſceret, pars Holmiam ceperat, quæ S. Spiritus appellatur. Quod ſimul ubi innotuit, Oppidanis ad arma conſtim itum. Et Rex quoque Chriſtianus, quam ad manum habebat, navium claſſem, reduci introrſus, ac ponti, qui ab arenis nomen habet, propius jungi imperavit. Inde diviſa popularium manus, parsque circa Malmenam, trecenti vero in Holmia S. Spiritus conſtitere. Quorum hi fere cæſi omnes aut capti, multi etiam ſupplicio affecti, Inde Archiepiſcopi arcem, Stocholmiam

etiam ſuſpectum habet Archiepiſc. Upſal.

cujus inſtinctu coloni Svec. cenſum recuſant

itemque Oplandi

Rex Archiep. increpat

de eo ſtatuendo ſenatores Svec. in conſilium vocat.

iterumque

Archiepiſcopus cuſtodiæ mancipandus.

hinc fit concurſus agreſtium, qui inopinato Holmiæ partem occupant.

occurritur ab oppidanis & Rege.

Rex arcem occupat,

miam Rex Christianus suæ potestatis fecit, Eaque ubi ad Catillum Episcopum Lincopiensem perlata sunt, missis ad Regem literis petiit Archiepiscopum dimitteret, atque eum jure Svecico frui sineret. Sed Rex scriptione ejus insuper habita, Archiepiscopum Hafniam transmisit. Quod ubi præsul Catillus intellexit, confestim agricolarum animos sibi adjungere, ac passim per Ostergothiam Rekernus Oplandiosque eos in Regem concitare instituit. Et ut est ad res novas mobile vulgus, facili negotio cunctos suas in partes traduxit. Hinc navium aliquot minorum classem Rex Christianus paravit, eamque viris probe instructam in terras immisit, ut Rekerneræ compescerentur. Qui ubi Ornikisundam attigere, manu conserta cum Catillo congressi navium aliquot suarum amisere, captique etiam nonnulli; Et denique damna dedere simul passique sunt.

Catilli episc. Lincop. petitione neglecta Archiepiscopum Hafniam devehit.

classe instructa cum Rekerno congligit.

Mox vicatim, regionem adiit, circuique Catillus Episcopus magnam secum populariorum manum ducens intrataque boreali Malmena, quæ in ore Stocholmiæ est, levia aliquot ibi prælia cum regiis commissa. Et multi quoque Malmenam austrialem ingressi una omnes voce exclamarunt, se Archiepiscopatum suum reposcere. In universum seditionis hujus causæ ferebantur. Primo multiplices, quibus indigenæ onerantur exactiones, quodque pecuniæ illæ e regno eveherentur ad expediendum Regis nomen æsque solvendum, quo obstrictus tenebatur emptione Holsatici comitatus. Secundo, quod Rex ipsemet intra regnum, quam rarissime adesset, quodque ob id incolæ, quique agros ac piscationes frequentarent, plus æquo a regiis Præfectis fatigarentur. Tertio, quod præfecturæ regni Svecici Danis traderentur, contra morem ac stipulationes initio factas. Quarto, quod Archiepiscopus captivus teneretur. Quinto, quia ex Optimatibus multi etiam capti fuissent. Sed hæc perhibebantur potius, quam quod revera res ita haberet, præsertim cum ad Regiam Majestatem haud unquam eæ delatæ, aut jam ante proditæ fuissent. Et ipse ille, qui postulabatur a Rege census, ex Regni senatus decreto jam ante erat statutus, moderatus, & secundum regni consvetudinem licitus. Et quæ uspiam respublica aut regnum absque tributis. Hæc ornamenta pacis sunt, hæc subsidia belli. Nam ut egregie magnus author Tacitus; nec quies gentium sine armis nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis. Verius igitur eorum motuum causæ fuerint, quod injicit nobiliss. Witfeldius ingenia ipsorum levia, & in res novas ac mutationem propendentia aliudque regimen, raro quod dici solet, priori melius prospectantia.

prælia leviora.

seditionis causæ, quæd. asseruntur,

diluuntur

Inde Rex Christiernus dominica post Bartholomei, literis ad Pontificem Max. qui tum erat, Pius secundus, datis, ei significabat, dum apud Finlandiæ populos agit, seque Moschorum irruptioni opponit, quem & feliciter a limite ejus repulisset, Archiepiscopum Johannem Benedicti clanculum in se conspirasse, tractis in partes suas ex nobilitate nonnullis. Atque eum idcirco a se custoditum teneri. Eoque facto nihil adversus ecclesiam patratum velle, præter id, quod Regem catholicum decet, nec aliud sibi perspasum ut habeat, sanctitatem ipsius rogare, addens se hanc causam prolixius declaraturum propediem. Cumque animadverteret omnia jam in deterius ire, & ad turbas publicamque defectionem spectare propemodum cunctos, imposito Stocholmiæ præsidio ac classe parata rediit in Daniam.

Rex literis Pontifici factum excusat.

Quo eodem circiter tempore obiit Lundæ Petrus Axilli, præpositus Lundensis, frater Germanus Domini Ivari Axilli, in cujus locum suffragiis Capituli est electus Johannes Bingius loci ejusdem Canonicus. Et mox ubi idem a capituli proceribus commendaretur Romano Pontifici, ut suo assensu electionem ratam habere vellet, animadverterunt Pium Pontificem, secundum ea, ut vocabant, prælatura donasse Franciscum Gonzagam Cardinalem Mantuanum, ut accepto precio eundem venderet. Quapropter ad eum literas dedit Archiepiscopus Lundensis Thuro, demonstrans haud quaquam id muneris decere personam ejus, nec posse eum apud Danos præpositum agere, qui in Italia absens, debere Præpositum perpetuo esse præsentem, utpote qui orator & capituli, ut tum dicebant, os haberetur.

Lis cum Pont. de constituendo præposito Lundensi.

Per idem tum temporis discordiæ ac lites natæ agitatæque inter fratrem utrumque Gerhardum & Mauritium Oldenburgi Comites, ob Comitatum Delmenhorstæ, quem sibi singuli vendicabant. Mauritio Comiti aderat Holensis Comes & Bremani; Dux vero Luneburgensis Gerhardum fovens ei auxiliaris adhærebat. Ventumque ad prælium, in quo utrinque capti plures cæsique, sed id exinde litigii Verdæ compositum statutumque, ut Comes Gerhardus Oldenburgum teneret hæreditarium, Mauritius vero Delmenhorstum simili jure possideret. Cumque jam apud Svecos percrebuisset, in Daniam regressum Christianum Regem, vicatim per regni omnes districtus profectus Præsul Catillus, censum undique ac reditus collegit, sed arcium, quas suo præsidio munierat Rex, potiri haud potuit. Ac mox proxima, quæ secuta est hyeme, collectis quam maxime copiis, in Sveciam progressus Rex Christiernus terrorem omnibus incussit, stabantque a partibus ejus Svecorum præcipui, & in his equestris ordinis fere cuncti, excepto domino Erico Axilli, aliisque paucis. Atque ipsum deinde ubi adesse intelligerent, facta fuga se in valles vulgo Dalernas receperunt. At Christiernus haud segniter eos insecutus pontem prope Helleschovam disjectum reperit; ubi tamen quinque vexillis potitus haut paucos eorum fudit ac fugavit: quamvis Sveci ideo a Catillo fugam institutam memorant, ut regium exercitum ad loca insidiis opportuna deduceret; idque factum

Liter inter Gerh. & Maurit. Comites Oldenburg. componuntur.

Rege in Daniam redeunte Catillus machinatur.

Rex instructo cum exercitu adventans terrorem incutit rebellibus primorum ope subnixus.

fugientes insectatus

factum. Et prope villam Haracher ſtationem firmatam atque ibi venientes Danos glaciali pugna ita exceptos repreſſosque, ut plurimi ex Holſatis Danisque captivi ſint abducti. Aliter tamen domeſtica Danorum annotata memorare reperio. Eſtque exinde Stocholmiam Rex profectus ubi arcem atque oppidum poſtquam novis præſidiis communiiſſet, ipſe Daniam mari rediit. Exercitus ſub vernum tempus terra regreſſus eſt. Epiſcopus interea Catillus undiquaque incolas ac populum excitaverat, ad obſidendum ab utraque Malmena Stocholmiam. Quin & Dalecarli (qui apud Svecos militum habentur fortiſſimi,) datis ad Regni ſenatum literis, eum commonuerunt, ut a Chriſtierno recederet, additis ſimul capitibus aliquot, quæ ut propius perpenderet, orabant. Horum inter cetera hoc erat non ultimum, quo ſignificatum volebant, Chriſtiernum ad regni ſceptrum haud rite admiſſum, cum de ejus admiſſione indigenæ prius cuncti conſuli debuiſſent, quibus de ejus adventu vix quidquam conſtare potuit, priusquam jam intra regnum præſens adeſſet: iterum iterumque commonefacientes regni ſenatores miſſum Chriſtiernum facerent, ſe Carolum Regem repoſcere, nec expetere tutorem, cum Svecia non principatus aut ſacerdotium ſit, ſed regnum.

caditur.

Catillus omnes contra Regem ſollicitat, Holmiam tentat.

Bergenſe incendium.

Maxima eodem hoc anno afflixit Bergarum Norvagiæ illuſtre oppidum calamitas. Nam exorto de ſubito incendio totum intra horas haud multas abſumtum eſt. Hamburgi quoque intra feſtum Pentecoſtes & Bartholomæi hominum millia viginti peſtis abſtulit. Gladii autem ſupplicio ibidem affecti tres & quadraginta.

Hamburg. peſtis.

A. 1464. Joannes Archiep. Sv. reconciliatur Regi Chriſt.

Hinc anno inſequenti 1464. Archiepiſcopus Svecorum Johannes Benedicti, die, qui divæ Birgittæ eſt ſacer, literis Chriſtiano Regi datis, publice profeſſus ac conteſtatus eſt, ſe divina favente gratia amice & ex votis cum Rege Chriſtierno eſſe reconciliatum, quod ad ea, quæ inter Regiam ejus majeſtatem & ſe inimica fuerant, ac controverſa, ſancte ſimul adpromittens, ſe Regi Chriſtierno, Reginæ Dorotheæ eorumque liberis fidum ſemper atque obſervantem commodoque futurum. Has una cum ipſo obſignaverat Olaus Epiſcopus Roſchildenſis, Dominus Eggardus Frille & Dominus Ericus Nipperts, inde liber ac ſolutæ cuſtodiæ eſt habitus.

Templum cathedr. Rotſchild. inauguratur.

Poſt idem tum tempus dedicatum luſtratumque eſt ab Olao Epiſcopo templum cathedrale Roſchildiæ, quod commodum tum reparatum inſtauratumque tectoque ac turri exornatum fuerat, poſtquam anno 1443. ut jam eſt indicatum, ſubito incendio exuſtum fœdatumque fuiſſet. Quo eodem circiter tempore Rex ipſe Chriſtiernus inſigne ſacellum e fundamentis exſtrui, & eidem cathedrali templo adjici Roſchildiæ curavit, quod

ſacellum trium Regum eidem adſtruitur.

trium Regum dicitur, nomine ſuo ac Reginæ Dorotheæ, ut & Chriſtophori Regis aliorumque prædeceſſorum. Hoc ſacellum maximis inſuper donavit proventibus. Fuitque ejusdem capellæ fundatio in mentionem fraternitatis cujusdam, in qua & ſe Rex ipſe profitebatur; exprimitque quid & quantum quique, qui ſocietati eſſet adſcriptus, ſacello eidem conferre teneretur. Plurimi per univerſam Daniam, ut & proximam, ſuum eadem tempeſtate dediſſe nomen reperio ei expeditioni, quæ, tum, amiſſa, de qua diximus, Conſtantinopoli, in Turcas parabatur: idque animum ipſis faciente Romani Pontificis nuncio, qui non ipſam modo Daniam, ſed & Vandaliam hoc nomine perambulans, cruces & indulgentias cunctis impertiebatur, quicunque ſe iſti militiæ accingerent. Verum ſucceſſum res non habuit, moriente Amone Romano Pontifice Pio ſecundo, qui eam expeditionem ſummis viribus urſerat. Dum vero in Dania agit hoc tempore Rex Chriſtiernus, miſit Epiſcopus Catillus, quique adſociati erant ei, legatos ad Regem Carolum, oratum, ut in regnum rediret. Qui nec moratus, extemplo poſt ſeptennii exilium adfuit, acceptaque in poteſtatem Stocholmia, rediit ad ejus paſſim obſequium regio. Dumque hoc pacto regno potitur, magnum etiam captivorum numerum obtinuit, tam equitum, quam militum, quos jam ante epiſcopus Catillus captivos duxerat, & quibus ut præfectis Chriſtianus uſus fuerat, ut alias, ſe decedente Stocholmiæ atque alibi reliquerat. Hos omnes Rex Carolus liberos abire permiſit preſule Catillo & ſi qui alias eorum curam geſſerant, inconſultis, qui ſibi, absque eo ſi fuiſſet, haud pœnitendum ex iis lyrrum aut alia emolumenta ſperaverant. Unde inter epiſcopum & Carolum ſimultas aliqua nata. An vero aliæ ac plures concurrerint cauſæ, parum conſtare video. Ceterum Chriſtianus Rex, intellecto rediiſſe in Sveciam Carolum, extemplo Archiepiſcopum Johannem & quos præterea ſibi alios ſuſpectos e Svecia ſecum abduxerat, cuſtodia in totum liberarit, ac datis literis, palam proteſtatus eſt, ſe & ipſi & ceteris, quicquid in ſe deliquiſſent, clementia ignoſcere. Quod & idem Regina Dorothea ipſi pollicita eſt, ſignatis Segebergæ literis, certo ſibi pollicentes, inter Carolum Regem & Archiepiſcopum Johannem haud amicius quam prius conventurum. Eæ literæ hujus propemodum exempli fuere

Expeditio in Dania contra Turcas paratur,

ſed fruſtra

Car. Cnutſon R. in Sveciam revocatur ab epiſc. Catillo.

diſſidia inter R. Carolum & epiſc. Catillum.

Chriſtianus R. Archiepiſc. Upſal. cuſtodia liberat.

A. 1465.

ejusd. literæ.

Nos Chriſtiernus Dei gratia Daniæ, Sveciæ, Norvagiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Sleſvici, comes Holſatiæ, Stormariæ, Oldenburgi & Delmenhorſtæ notum facimus omnibus, tam futuris quam præſentibus, nos divina gratia amice & benevole idque eventu & fine optato, conveniſſe ac concordaſſe cum dilecto noſtro ac reverendo Patre Domino Johanne Archiepiſcopo Upſalienſi, omnibusque Prælatis, equitibus, Clientibus, civibus, villicis aliisque ex plebe apud Sveones, quod ea, quæ inter nos hucusque & ipſos inimica ac controverſa fuerunt. Pollicemurque nos noſtraque conjux dilecta, liberique dilecti, cognati, amici, Nos haud unquam eas inimicitias,

citias, ſimultates, detrimenta, literas, dicta factaque vindicaturos, vel in ipſos ipſorumque hæredes, poſteros aut Clientes; Atque iis inſuper, qui poſthæc prædicto noſtro dilecto ac reverendo Patri Domino Johanni Archiepiſcopo Upſalienſi, obſequentes ſe ac dicto audientes præbuerint, in noſtrum, noſtrorumque regnorum commodum, unionem ac ſubſidium, iis, inquam omnibus, ac ſingulis, nos eſſe ac fore Dominum fidum ac certum haud aliter ac ſi eæ inter nos ſimultates haud unquam exſtitiſſent. Hæcque nos ſarta tectaque habituros ex fide regia adpromittimus; & quo firmiora cuncta habeantur, nobiscum has literas obſignaverunt ejusdem Divinæ gratiæ Regina Dorothea, Thuo Archiepiſcopus Lundenſis, Olaus Roſchildenſis, Johannes Arhuſienſis, Canutus Viborgenſis, Jacobus Friſius Borglarienſis, Magnus Othonienſis, Petrus Ripenſis ejusdem gratiæ Epiſcopi; Otho Nicolai, Ericus Olavi, Nicolaus Rannovius, Johannes Brunius, Prior Anderſchoviæ, Nicolaus Erici, Ago Axilli, Eggardus Frille, Torbenus Bilde, Petrus Hogenſchildius, Canutus Henrici, Johannes Biornonis, Magnus Ebbonis, Johannes Torbemus, Olaus Lunge, Johannes Oxe, Strangenus Nicolaus, Johannes Frille, Johannes Pantzovius, Axillus Lauezovius, Corficius Rannovius, Ludovicus Nicolai, Canutus Trudonis, Ericus Agonis, Andreas Johannes, David Hack, Magnus Hack, Johannes Due, Torchillus Nicolai, Petrus Nicolai, Vernerus Parsbergius, Andreas Nicolai, Ivarus Broſche, Ditlevus Reventlof, Engelbertus Alberti, Laurentius Axilli & Nicolaus Hanſenius regii in Dania Conſiliarii. Datæ ſignetæque Segebergæ die divæ Birgittæ dicato, anno Domini 1465.

Quæ priusquam literæ confectæ eſſent, aderat Hafniæ Rex ipſe Chriſtianus in cœnobii fratrum minorum triclinio, præſentibus Archiepiſcopo Lundenſi, Canuto Viburgenſi, Johanne Arhuſienſi, Epiſcopis Erico Othonis, aulæ magiſtro, Nicolao Rannovio Mareſcallo, Eggardo Frille, Ivaro Axilli, Torbeno Bilde, Johanne Agenſchildio, Othone Lange, Veruero Parsbergio Ludovico Nicolai, Andrea Johannis, regiis Conſiliariis, ubi & Archiepiſcopus Upſalienſis ſimul aderat; Tumque Ericus Othonis aulæ magiſter Archiepiſcopum Johannem affatus, eum interrogavit, an profiteri propalam atque identidem vellet, quæ ſuperioribus diebus coram regio Senatu ſeorſim fuiſſet profeſſus, quod ad commiſſa ſua, quo regis in eum ira eo redderetur placabilior, ac ipſe hoc nomine deprecari fidentius Regem ipſius vice poſſet. Qui confeſtim ſponte ſua in genua prolapſus Regem Chriſtianum oravit, ſibi clementer ignoſceret ac culpas ſuas condonaret, ſeque in gratiam reciperet. Et annuens Rex eumque amplexus de terra levavit. Et idem quoque archiepiſcopus fecit. Similiter & idem Archiepiſcopus rege flagitante, condonavit, omnemque ſuam in eos iram atque actionem remiſit, qui

Joh. Archiep. deprecatio & promiſſa.

incarcerationis ſuæ cauſa videri potuiſſent. In quorum omnium teſtimonium publice conceptum inſtrumentum ſignatumque manu notarii, præſentibus Magno Kraa Epiſcopo Othonienſi, Andrea Abbate Sorenſi, Johanne Brunnio, Priore Anderſchovienſi ac Domino Erico Nipperts.

Idem in Sveciam rediens reliquos pellicit ad abdicandum denuo Carolum R.

Cumque jam in Sveciam rediret Archiepiſcopus, ſe confeſtim ad Præſulem Catillum contulit, intellexitque haud placere ipſi Regem Carolum. Quocirca habito cum pluribus ſuorum amicorum conſilio, collatisque inter ſe capitibus de abdicando denuo Rege Carolo Conſilia ineunt. At mox collectis quam maximis copiis Stocholmiam excurrunt. Ubi commiſſo circa Franciſcanorum Holmiam adverſus Carolum in glacie acri prælio, ſuperiores ipſi fuerunt, fugato Carolo, ac multis ex manipulis ſuis in captivitatem abductis. Occubuit, præter ceteros in eo conflictu nobilis quidam Polonus, qui Carolum e Boruſſia ſecutus Nicolaus nomine. Hinc ita preſſus & veluti ad incitas redactus Carolus, ut vitam emendicare neceſſum habuerit; Coactusque Stocholmiæ propalam ejurare regnum, quamvis poſtremum ita res transacta, ut ipſi Ratzeburgum Finlandiæ permitteretur. Verum eo cum veniſſet, arcem occupatam reperit. Nam Epiſcopus Finlandiæ Conradus ei ſe adverſarium præbuit, ac partes ſecutus, ut videbatur, Regis Chriſtierni, flocci faciebat, quicquid imperitarent Archiepiſcopus aut Præſul Catillus. Atque ibi propemodum interemptus Rex Carolus fuiſſet, adactusque eſt totam circiter æſtatem Abore ſubſiſtere, priusquam ipſi Ratzeburgum traderetur. Accepta arce annos quidem aliquot moratus ibi eſt, ſed quanto id cum tædio, quantaque id cum ſui oppreſſione egerit, ex certis ad Conſules & Senatum Stocholmiam datis literis poteſt intelligi, quibus præter cetera ſignificat æs ſuum marcarum quinquaginta haud potem eſſe perſolvere. Conqueriturque iisdem in literis ſe calumniis peti, & falſo a Johanne Helmholtio in curia ipſorum de ſe relatum, quaſi dixiſſet, ſe intra proximum Michaelem plena poteſtate Svecorum Regem fore. Atque inde haud multo poſt iisdem in literis addit, Nos a Svecis inque Svecia ita ſumus excepti, ut deſideremus eum in modum vice tertia ab illis excipi. Inde initio ſtatim menſis Octobris Hamburgi inter Regem Anglorum Evardum ac Regem Chriſtianum fœdus ictum, quod ad vitam non modo, ſed & poſt utriusque Regum exceſſum integro biennio, ac denique eousque duraret, dum eſſet, qui retractatum id cuperet. Ei fœderi iniendo ab utraque parte cum plena agendi poteſtate inter fuere, nominatimque literis ſunt inſcripti, a parte Regis Anglorum M. Jacobus Godœlus diaconus ædis Dn. *Pauli* Theologiæ Doctor, *Johannes Cleinius*, eques, *Henricus Scharpius*, juris Doctor: Notarius ſupremus; *Valterus* Comicus & *Henricus* Barnikau, præſulis Lymnæ negotiator. A

Carolus R. prælio ſuperatus

regnum ejurare cogitur.

R. Chriſt. fœdus cum Eduardo Angl. R.

parte vero Chriſtierni Regis *Canutus* Epiſcopus Viburgenſis, Doctor, Dominus *Ericus Othonis* aulæ magiſter, *Eggardus Frille*, eques, & *Johannes Theodoricus*, Cancellarius ſupremus, magiſter artium ac Theologiæ Baccalaureus, itemque *Ivarus Vittingius*, Præpoſitus Norvagiæ, regni Cancellarius. Capita fœderationis hæc fuere. *ejus capita.*

1) Amicitia fœdusque inter utrumque Regem erit quamdiu ipſi ſuperſint: ſi mori eorum alterum contingat, tamen integrum exinde biennium eadem durabit fœderatio, ac denique eousque dum eam Regum quispiam retractandam ac denunciandam putarit. Ipſorum interea ſubditis fas utrinque eſto agere, verſari, negotiari in ditionibus, civitatibus, oppidis, portubus, fretis, cujusque libere ac ſine offenſione, ſoluto ſolum, qui pro more ac conſuetudine debetur, cenſu ac telonio.

2) Operam Rex Anglorum dabit, procurabit, efficietque ne ſubditi ejus ſine peculiari Regis Norvagiæ indultu vel navigent in Islandiam, vel ibi, vel circa eam negotientur, terramque frequentent in detrimentum Regis Norvagorum ſub pœna vitæ ac bonorum, uti nec in Helligelandiam, ac Findmarchiam, niſi neceſſitate eo ac tempeſtate adigantur. Quod ſi fiat, ibi tamen negotiari fas ipſis haud erit.

3) Omnes Angliæ Regis ſubditi ac Negociatores fruentur in ditionibus Regis Daniæ ſuis privilegiis, immunitatibus, conſuetudinibus, prout hucusque ſoliti fuerint: Et Daniæ viciſſim ſubditi in Anglia eodem jure ac more utentur.

4) Nemo Regum utriusque aut ſubditorum ipſorum hoſtibus alterius ſuppetias ferat ullo pacto.

5) Si forte Regum alter alterius in poſterum ope indigeat, eamque legitime flagitaverit, tum alter (modo id absque proprii regni detrimento fieri poterit) ſine fraude doloque ſuppetias ei accurret, ſed impenſis illius, qui opem rogaverit, idque æquis conditionibus & quomodo inter ſe ipſi, ex ſenatorum ſuorum conſilio, ſententiaque principes convenient. Fiet hæc auxilii efflagitatio menſibus totis ſex, priusquam ipſum ſubmittatur auxilium.

6) Miles, qui auxilio mittitur, ſi quas arces municipia, opidave ceperit, in his bona immobilia ad eum Regem referentur, in cujus ea diſtrictibus deprehendantur; mobilia vero bona, quæ ibidem prædæ venient, nec ulli Regum propria fuerint, ea pro numero nationum, quæ conflictui interfuere, dividentur, exceptis ſpoliis, quæ mari obvenient, horum tertia pars Regi cedet, qui ſumptus fecerit.

7) Regum alter alteri damnum non inferet, nec id ut fiat permittet, neque etiam ſtipendia facere ſuos ſinet adverſus ditiones alterius.

8) Si cui Regum alter alterius nomine belum denunciaverit, cum eo haud inſtituetur reconciliatio absque altero.

9) Hæc quamdiu duraverit pacificatio, neuter Regum aut eorum hæres aut ſubditi, ſeorſim, aut, generatim, ullam injiciet mentionem detrimentorum aut injuriæ, jam ante ſibi illatæ. Verum finita, aut, quod Deus avertat, rupta hac fœderatione, id cuivis liberum eſto.

10) Si vero interea adverſus hancce fœderationem per homines fortaſſe privatos (quod Deus prohibeat) aliquid inciderit, vel occaſione prædationum vel detrimentorum navibus, bonis, perſonis, aut aliis illatorum; tum Rex cujus id ſubditi perpetrarint, jure ac legibus ejusmodi delictum coërcebit: fœderatio interim firma immotaque ſervabitur.

11) Et poſtremo id quoque ſtatutum, quo pacificatio hæc firmior diuturniorque habeatur, ut ſi unus vel plures adverſus hæc capita peccaverit, fœderatio nihilominus iſthæc perduret, quodque commiſſum ſit, id jure ac legibus emendetur. Acta hæc Hamburgi 1465. Octobr. 8, atque inde 20. Novembris Veſtmonaſterii a Rege Edvardo Regio ſigillo firmata ſingula ſignataque.

Erneſtus Comes a Bened. Aleſ. captivus detinetur,

Iisdem his circiter diebus Domina *Dorothea*, vidua Ducis Sleſvicenſis *Adolphi* Thuringiam, quæ ipſi patria erat, petiit, vel ut Crantzio placet, ex ea rediit; cumque Rendesburgum rerum ſuarum cauſa divertiſſet, quod ei ad vitam nomine dotis fuerat adſignatum, detentus eſt ibi a *Benedicto* Alefeldio, præcipuæ nobilitatis apud Holſatos viro, conſanguineus ejus ac comes itineris Vir illuſtris *Erneſtus* Honſterii Comes, *Crantzius* in ſua Saxonia comitem appellat Mansfeldium. Cumque ad Regem Chriſtiernum id detuliſſet *Dorothea* querens, rem inuſitatam ſibi objectam neque exſpectaſſe ejusmodi inter amicos inque ſolo pacato, ideoque petere, ut hominem nihil tale merentem ſuumque domeſticum manumitti juberet increpato Alefeldio mandavit confeſtim Rex, ut dimitteretur comes *Erneſtus*. Verum ille priusquam ſuæ poteſtatis redderetur, coactus eſt obſignatis tabulis, ut erant tum temporis rerumque ſtatus, teſtari, *Benedicto* jam memorato ſe debere aureorum quatuor millia, atque ea ſe intra tempus certum ipſi perſoluturum. *ſed rege indignante liberatur arte promiſſo.*

Chriſt. R. & ipſius fratris Gerh. C. lis cum civit. Brem. transacta.

Quo eodem quoque temporis tractu conventum Hamburgi inter Regem Chriſtiernum & fratrem ejus Comitem Gerhardum a parte una, & Civitatem Bremenſium ab altera, idque amice paciteque hunc nimirum in modum, ut lis omnis & controverſia, de qua ad annum 1462. ſuperius injectum, hac transactione eſſet ſublata nullaque haberetur. Hinc Comes idem Oldenburgenſis *Gerhardus* in Holſatiam, Rege abſente, veniens apud Satrapam & Mareſchallum iſtius Comitatus eam pecuniæ ſummam, quæ ipſi ejusque fratri Mauritio nomine ac jure hæreditatis, quæ utrique in Holſatiæ Comitatum competebat, promiſſaque erat, efflagitavit. Nam ejus ſummæ ipſe

Gerh. C. obceſſionem juris ſui in Holſatiam pretium a efflagitat.

ipſe cum partem tantum alteram inſolutam accepiſſet, quod erat reliquum, ſibi reddi voluit. Verum ii, qui tum aderant ex nobilitate Holſaticæ ſenatores reſponderunt, ſibi ea de re nihil in mandatis a Rege eſſe relictum, debereque Regem ipſum hoc nomine compellari. Sed inſtabat Gerhardus, reponebatque ſe hæredium ſuum eousque retenturum, donec ſibi, quod debebatur, præſtitum. Unde Rex, qui tum in Svecos expeditionem moliebatur, quod inſtituerat, differre coactus, Chilonii extemplo indici conventum curavit. Ubi cum fratre pacifice tranſigens, ei præter ſummam ſuperius expreſſam, quadraginta inſuper aureorum millia pollicitus eſt, eaque per partes, intra certum, quod nominatum fuit, tempus, perſoluturum. Sunt, qui ad hæc quoque tempora referunt, quæ Crantzio memorata in Saxonia ſua de Friſiis Eidorenſibus, eos ſcilicet invaſos circumventosque a fratre Regis *Chriſtierni* Gerhardo in ejus juraſſe verba, poſtquam literas protuliſſet, quibus hanc etiam eſſe ſententiam Regis, eisdem pervaſiſſet: ſed regem re propius intellecta, acriter eos objurgaſſe, quod ea levitate dominum mutaſſent, ac evocaſſe haud multo poſt Segebergam *Gerhardum* fratrem ac ibi ad tempus cuſtoditum tenuiſſe, adjuvante negotium Regina *Dorothea*. At horum nonnulla longe eſſe poſteriora, & quædam confundi cum prioribus, & aliter, quam Crantzius resque habet, memorari, oſtendent ordine ſequentia.

Idem Eidoro-ſtadium invadens

a R. Segebergam evocatus cuſtodiæ traditur.

Jo. Archiep. arbitrio ſuo regnum Svec. moderatur,

Apud Svecos autem, abdicato, ut memoravimus, Rege *Carolo* Archiepiſcopus Johannes univerſum, qua patebat, regnum ſuum ad nutum, ſibique dicto audiens retinebat, nec erat uſpiam quem ſibi metuendum exiſtimaret,

Nicolao Stur. inſidiatur.

excepto domino *Nicolao Sturone*, amico Caroli, & ob id ſibi ſuſpecto. Cumque id eundem vocaſſet, hæſitaretque Nicolaus, nec ad eum propere pergeret, miſit continuo Archiepiſcopus quinquaginta ex ſuo Satellitio viros, qui captivum ac nolentem adducerent,

qui aufugit in Finlandiam.

ſed eo intellecto Nicolaus ſe in Finlandiam ad Ericum *Axilſonium* ſine mora proripuit; Miles vero, qui in eum erat miſſus, prædia ejus omniaque bona diripuit. Obiit circa

Catillus epiſcop. obit.

idem hoc tempus Catillus præſul: Et haud multo poſt comitia habita Stocholmiæ, quo

Nicolaus quæritur in comitiis de Archiep.

advenit præter ceteros Nicolaus Sturo una cum domino *Erico Axilſonio* multaque eſt queſtus ſuper injuriis ac vi ſibi illata ab Archiepiſcopo *Johanne*. Verum ab Archiepiſcopo nihil præter ludibrium ac ſannas retulit pro omnibus, quæ perpeſſus fuerat, damnis ac contumeliis. Atque ita ipſemet, abſumtis aliquot ex ſuis, in villam ſuam Penninybgam conceſſit: Et inde Giſtelam ac Giſtelandiam petiit. Ubi manipulis aliquot collectis, impetum in Archiepiſcopi præfectos fecit, ablatis ex prædiis ac peculio ejusdem manubiis quam maximis. Nec moratus Archiepiſcopus, trecentos in eum probe armatos ſubmiſit. Quos Nicolaus haudquaquam exſpectandos exiſtimans, ſe ad *Dalecarlos* contulit, atque eos fide ac obſequio ſibi addictos reddidit. Sed hoc priusquam fieret, varius de Archiepiſcopo ſenſus ac rumores apud Veſteroſenſes ſparſi, quaſi is Chriſtiano Regi Stocholmiam ſervare Sveciæque regnum eidem poſtliminio reddendum, deſtinaret. Verum Archiepiſcopus coram Stocholmiæ civibus, additis manu ſua ſignatis codicillis, ejusmodi rumorem falſitatis coarguit, declarans, ſe Stocholmiæ arcem ac præfecturam a præſule Catillo paulo poſt feſtum Paſchatis ea mente ac lege accepiſſe, ut eam ei principi ſartam tectam cuſtodiret, qui communibus totius ſenatus, nobilitatis ac incolarum regni Sveciæ votis ac ſuffragiis in Regem aut Præſidem regni eligeretur. Ac mox Chriſtiernus Rex denuo per literas ac procuratores ſuos exquiri curavit, num admitti in regnum poſſet, ſuoque jure ſibi uti fruique liceret, Archiepiſcopus juxta promiſſa, quæ in Dania Regi fecerat, ſe paratum ac volentem declaravit, conventumque Vaſtenæ cum regni ſenatoribus celebravit, atque inde ex ſuis aliquot, & quibus abſoluta agendi poteſtas erat tradita, ad Regis Chriſtierni procuratores, qui Jenecopiæ præſentes aderant, dimiſit. Quorum ex Svecis fuere *Johannes* Epiſcopus Scarenſis, *Magnus Grenius*, *Thuro Thuronis*, *Arvidus Trolle*, Dominus *Ergiſelus Nicolai*, Dominus *Ericus Nipperts*, Dominus *Laurentius Snackenburgius*, Dominus *Eggardus Crommedigius*, Dominus *Laurentius Haraldi*, & Dominus *Stephanus Benedicti*, a parte Regis Chriſtierni fuere. *Olaus Martini*, Epiſcopus Roſchildenſis, Dominus *Nicolaus Wittingius*, Præpoſitus Obsloenſis, Dominus *Nicolaus Rannovius* Mareſchallus, Dominus *Ago Axilli*, *Colbiornus Gaſto*, Dominus *Boetius Flemmingius*, equites, ac *Magnus Hack*, &c. Inter hos ſtatutum, primo ut unio, quæ inter regna Sveciæ, Daniæ ac Norvegiæ pluribus jam annis habita ſervataque fuerat, perpetua atque inviolata perduret: deinde ut quisque ſuis bonis mobilibus ac immobilibus ſingulis in regnis fruatur, & ſimul ut liberum cuique ſit hæc regna frequentare inque iis negotia ſua commerciaque exercere. Et tertio ut alius conventus Hallemſtadii circa feſtum divi Olai celebretur, in quo trium horum regnorum ſenatores de certa ac durabili pace concordiaque colenda decretum faciant. Qui aderant Svecorum procuratores, iis agendi poteſtas, ab Archiepiſcopo ceteroque regni ſenatu erat data. Fuitque Vaſtenæ dominus *Ericus Axilli* electus Sveciæ regni protector, atque ei Archiepiſcopus Stocholmiam defendendam tradidit.

Archiepiſc. rumores de ſe diluit.

Conventus Jenecop. Svecorum & Dan.

ibique pacta.

Ericus Axilli regni Svec. protector eligitur.

Cumque jam Dominus *Nicolaus Sturo* Dalecarlos ſibi reddidiſſet obſequentes, ac nomen præberi feciſſet, quaſi in regnum reſtitutum cuperet Regem *Carolum* ingreſſus eſt cum copiis militaribus Veſteraſiam, coactusque eſt ei cedere dominus *Ericus Nicolai*, qui a partibus erat Archiepiſcopi, & Veſteraſiam una cum Orebroa cuſtodiendam acceperat.

Nic. Sturo Dalecarlos ſibi jungit.

Ericum Nic. Veſteraſia arce ejecit.

Sed

Sed mox acceptis Nerkenis & Arakenboemsibus, *Nicolao Sturoni*, viciſſim occurrit prope Colbaasbroam. Nec tamen inter ſe conſerere manum potuerunt, quod inter utrosque amniculus fuerat, Albis dictus. Itaque excitata utrinque propugnacula ac munitiones: atque ultimo iisdem ſe junxit Dominus *Ericus Axillus*, regni protector, qui inter utrumque habita transactione, ita rem compoſuit, ut *Ericus Nicolai* ceſſerit *Nicolao Sturoni* Veſteraſiæ arcem, licet invitus. Quo etiam tempore exorta inter *Ericum Axilli* & Archiepiſcopum haud levis ſimultas, idque eam ob cauſam, quod dominus *Ericus* favere *Nicolao Sturoni* videretur. At dominus *Trotto Caroli*, dominus *Ivarus Grenius*, & *Ericus Caroli* fœderati erant domini *Erici Nicolai*: unde factum, quod miles, qui erat a partibus *Erici Nicolai*, aliique eidem adſociati forte fortuito occurrerint aulicis *Nicolai Sturonis* prope Arboam, eosque vinctos abduxerint, ac inde confeſtim, petita Stocholmia, *Ericum Axilli* obſiderint, ac mox etiam alios, quos habebat clientes, apud Aelſingelandos Nicolaus Sturo, qui circa fodinas æreas tum aberat, captivos ceperint. Qui ubi rumore famæ omnia accepiſſet Nicolaus Sturo, magnam manum collegit eorum, qui ferro ac æri effodiendo operam ſuam locabant: Quare & paululum ante ſuas in partes traduxerat Stenonem Sturi. Atque hiſce ſtipatus contulit ſe ad Ericum Nicolai, ac cœteros, qui cum ipſo erant, omnesque inopinato oppreſſit ac cepit.

Archiepiſc. Upſ. cum Erico Ax. lites.

hujus fœderati.

aulicos quosdam Nicolai Stur. capiunt.

A. 1466.

Factumque hoc anno ſupra milleſimum quadringenteſimum ſexageſimo ſexto. Inde haud multo poſt Archiepiſcopus *Johannes* regni Protectorem *Ericum Axillum* intra Stocholmiam concluſum obſedit. Verum frater *Erici* Ivarus Axilli Gothlandia cum manu nonnulla profectus, *Ericum* Nicolai prope Nerkam offendit, ac manum cum ipſo conſerens victor evaſit, rectaque Stocholmiam perrexit. Similiter & Dominus *Nicolaus Sturo* metallariorum ingentem manum ſecum ducens cum *Erico Caroli* aliisque a partibus Archiepiſcopi confligens, eosdem devicit: Idque cum intellexit Archiepiſcopus, qui Stocholmiam tenebat, fuſos ſcilicet ac fugatos ſuos, hoſtemque in ſe ducere, fugam capeſcere una cum *Erico Caroli*, *Trottone Caroli*, aliisque pluribus cepit, ac tandem Stocholmiam adveniens ibi paulo poſt exſpiravit, haud multum diſſimilis extorri ac profugo, cujusmodi ipſi jam ante reddiderat Regem *Carolum*. Poſt ejus exceſſum viros ac vires colligere ſeque armarunt *Ericus Caroli*, Dominus Trotto, Dominus *Ericus* & Dominus Ivarus Grenius: ac pluribus ex agricolarum multitudine ſuas in partes traductis, manus poſtremo conſerere prope Naſſeſcoviam cum Domino *Erico* Axilli, Domino *Stenone* Sture, Domino *Nicolao* Sture, Domino *Guſtavo Caroli*, *Canuto Paſeo*, ac Civibus Stocholmienſibus. Sed *Ericus Caroli*, & qui eum ſecuti fuerant, prælio victi receſſere. Ex quibus omnibus, facile eſt æſtimare, cujusmodi tum regni ſtatus temporumque conditio fuerit, ubi ditiones ditionibus adverſæ inter ſe luctarentur & alterum cum altero collideretur territorium.

Archiep. Ericum Holmiæ obſidet.

Socius illius Ericus Nic. victus,

itemque Nic. Sturo;

hinc Archiep. fugit & Holmiæ obit

pugna Naxkov. inter Ericum Ax. & Archiepiſc. ſocios.

Eadem tempeſtate Rex *Chriſtiernus* fratri ſuo Comiti Gerhardo Ducatum Sleſvicenſem una cum Holſatia Stormariaque in annos totos quatuor clientelari jure tenendum conceſſit, hac addita lege, ut ſummæ, quæ ipſi nomine hæredii ac juris in Holſatiam competeret, detraheret, quantum ad ipſum ſpectaret. Coldingæ tum idem Comes *Gerhardus*, publicato Chirographo, ſignificare omnibus fecit ſe Regis in eo tractu defenſorem adſumptum, & omnibus vice Regis jus ac juſtitiam procuraturum: ditionesque, quas ære liberaret, eas quam primum, quæ ipſi debebatur, ſummam accepiſſet, ad Regem redituras: arces quoque ac propugnacula Regi ſemper adaperta patentiaque manſura.

Gerhardo Com. ducatus Sleſv. & Holſatia, Storm. in quadriennium jure clientelari ceditur.

Eodem tractu temporis, poſt celebratam, de qua eſt memoratum, Hamburgi inter Regem *Chriſtiernum* & Anglorum Eduardum pacis transactionem, Rex *Eduardus*, animi ſui affectione prolixe declarata gratias per literas agit *Erico Othonis*, regio aulæ magiſtro, quod ſua ope ac induſtria pacis hoc negotium ſtudioſe ac ſerio promoviſſet, eumque quod eadem in re plurimum poſſe videret, adhortatus, operam deinceps daret, ut idem contractus ſartus tectus haberetur; id Deo placiturum adjiciens, ac fore inpoſterum utrique regnorum uſui, ſeque hoc ipſum omni erga ipſum regia clementia demeriturum.

Eduardus Angl. R. Erico Ottonis gratias agit pro opera in ſtabil. pace & porro cohortatur.

Atque hinc interjecto tempore, hoc, inquam, ipſo adhuc anno 1466. turbata hæc omnia, ruptaque pax peſſimorum quorundam inſtinctu, adeo ut edito 28. Junii codicillo revocari Rex Chriſtiernus curaverit diplomata omnia, quibus Anglis frequentare Islandiam indultum erat: interque cœtera, hæc verba iis literis inſerta leguntur. Quoniam ea, quæ ſatis conſulto in uno ſtatuta ſunt tempore, nonnuquam magis conſulto in alio tempore commutantur, & hoc ipſum plerumque ſolitum eſt accidere, ex temporum qualitate, hinc eſt, quod communi ſuadenti utilitate, cogimur inhibere.

Chriſt. R. ſædus illud rumpit.

Per idem tum tempus necdum ſatis pacatæ res erant, quæ ad Scotos & illis proximas Orcadum inſulas ſpectabant: quarum etiam ſuperius meminiſſe nos ſcio: Miſit itaque Hafnia Rex *Chriſtianus* ad Judicem ſuum, quem Orcadibus præfecerat, literas in hanc fere ſententiam: „Tuum erga regiam no„ſtram majeſtatem ſtudium ac curam, qua an„niſus es hactenus, ut annui reditus noſtri ex „Orcadibus, prout res atque æquitas flagitat, „nobis reddantur, ſatis hucusque proſpectum „habuimus, nihilque tuæ defuiſſe voluntati, „ſed interveniſſe obſtacula, ac aliorum male„volentiam: Quapropter petimus, ut his ac„ceptis, Te confeſtim itineri committas, nos„que ad eas, quo de rebus nonnullis, quæ co„ram commodius, quam per literas agi amant,

ejus literæ ad Orcadum inſ. præfectum.

tecum

tecum colloquamur. Interea ante abitum ad noſtrum epiſcopum Gilielmum convenias, & cum eo de hoc ipſo negotio diligenter conferas. Nam & ipſi ſcripſimus hac de re, ut tecum cum cura ageret &c. Erat quidem & Epiſcopus idem Guilielmus in Daniam tum vocatus, ſed ei poſtmodum ſub 16. Julii, redditæ regiæ literæ, quæ ſignificabant ſufficere, ſi inſulæ judex ſolus accederet. Et ut res magis liqueat, recurrendum ad priora tempora, & annos præſertim 1418. & 1422. quibus Daniæ præerat Rex *Ericus* Pomeranus occurrerentque ad ipſum tum ſcriptæ ab Epiſcopo Orcadum *Antonio* litteræ, quibus a Regibus Norvagiæ & inſulam & arcem ſuæ fidei commiſſas profitetur, & utramque ſe poſterosque ſuos Regi Norvagorum ſervaturos & ad legum quoque Norvagicarum præſcriptum eas gubernaturos. Johannes quoque de *Sancto Claro* obſequium & fidelitatem Regi Erico pollicetur ſuo totiusque Hetlandiæ nomine, ut patet es litteris datis anno 1418. Et aliæ quoque habentur Davidis Moineri, quibus ſibi a Rege Erico & regno concreditæ Orcades teſtatur anno 1422. Quin & Rex ipſe Chriſtianus paſſim in litteris ſuis ad Pontificem Romanum ac Regem Scotiæ vocat Guilhelmum Epiſcopum Orcadenſem juratum ſuum, id eſt fide obſequioque obſtrictum nomine regni Norvagici. Cur vero Daniæ Regibus reditus iſti haud tempori redderentur, ipſi Reges in cauſa fuere, quod eas ſcilicet terras non ipſi utendas elocarent, ſed aliis eas permitterent. Nam Comes Orcadum, Dominus de *Sancto Claro* ſibi jamdudum & ante inaugurationem Regis Chriſtierni dictas oras vindicare cœperat; unde impedimentum regio reditui injectum; de quo jam dictum. Eſt poſtremo iisdem his diebus, quod erat inter Regem Chriſtianum & Marchionem Fridericum ab una, & Regem Poloniæ Cazimirum nec non Regem Bohemiæ Georgium Podebratium a parte altera, ob mutuam, quæ facta utrinque fuerat, ut eſt jam ante memoratum, denunciationem, inimicum & controverſum, interveniente præſertim ipſo Cæſare ſublatum univerſe compoſitumque. Quin & eodem tum conventu a Cæſare injectum de nuptiis filiæ Regis Polonorum cum Principe Johanne Chriſtierni Regis primogenito, ut ex certis Chriſtiani Regis ad Cæſarem miſſis litteris anno 1467. die nativitatis Johannis Baptiſtæ datis, eſt intelligere. Quibus & ſuum iisdem nuptiis aſſenſum Rex videtur adjicere. Penes quem tamen aqua exinde hæſerit, parum liquere video. Vacabat per idem tempus Lubecenſis Epiſcopatus. Itaque Rex apud Pontificem Romanum ſua interceſſione id egit, ut idem præſulatus demandaretur Alberto Crommedigio nobili Holſato, ſibique a Conſiliis. Nec eam operam fruſtra ſibi Rex ſumpſit, quod ſua haud parum intereſſe exiſtimaret, aliquem ex ditionibus ſuis ei muneri præfici, cum eccleſia Lubecenſis intra Comitatum bona perplurima poſſideret.

totius rei ratio.

Chriſtiani R. cum Caſimiro R. Polon. diſcordiæ tolluntur.

die nuptiis Joannis R. filii cum R. Pol. filia agitur;

ſed irritæ fiunt.

Alb. Crommedigius interced. R. Chriſt. fit epiſc. Lubec.

Eſtque haud multo poſt die Auguſti, qui Laurentio erat ſacer, idem novus Præſul Crommedigius una cum Epiſcopo Viburgenſi J. U. Doctore Canuto a Domino *Vernero Pasbergio* Moſæ trajectum regio nomine miſſus, ubi habito conventu fœdus ictum inter Regem Chriſtianum a parte una, & Ducem Burgundiæ Carolum, Ducem Britanniæ Franciſcum, Ducem Normanniæ Carolum, Regis Galliarum Caroli fratrem ac Comitem S. Pauli Ludovicum a parte altera. Fœderis conditiones hoc præcipue continebant, ut libera eſſent utrinque ſubditorum cujusque in ſingulorum ditionibus commercia, utque amicitia inter principes ſarta tecta conſtaret, & quisque alteri, ubicunque id res efflagitaret, ſuppetias ſine mora ferens accurreret: Moxque domum ubi regreſſus eſt præter ceteros dominus Vernerus Pasbergius confeſtim idem ad Imperatorem Fridericum a Rege Noribergam eſt miſſus, quod tum in Turcam arma expediret Cæſar, deque auxiliis cum imperii principibus conſilia agitaret. Eodem tum itinere, deque via nonnihil flectens ſalutavit Regis nomine Pasbergius Electorem Brandenburgicum: Eſtque amice ſimul compoſita ea controverſia, quæ tenuerat aliquamdiu, & ad curiam quoque Cæſaream delata fuerat ſuper hæredio Reginæ *Dorotheæ* poſt exceſſum Marchionis Alberti. Apud Svecos vero Jenecopiam ablegati erant a Senatu regni Svecici numero quatuor, ac totidem e regia Danorum curia. Quorum Svecici legati, edito codicillo ſignificarunt, quod inter ſe ac Chriſtierni Regis legatos eſſet ſtatutum: Quod ſcilicet cuncta, quæ ad pacem colendam jam antea fuiſſent acta pactaque, haberentur inviolata ac rata, idque ad proximum usque conventum, qui erat indictus circa feſtum St. Olai.

R. Chriſtiani cum Carolo D. Burg. fœdus.

legati ad Imper. Frider. de auxiliis contra Turcas miſſi controverſia cum Elect. Brandeb. compoſita.

conventus Jenecop.

Hinc proximo, qui excepit ſuperiorem, anno 1467, vigiliæ Epiphaniæ memorantur iidem; quorum jam modo injecta mentio, *Canutus* Viburgenſis Epiſcopus J. U. Magiſter *Albertus Crommedigius* Præſul Lubecenſis, ac Dominus Vernerus Pasbergius in Belgium miſſi ad pacem conſtituendam inter Carolum Galliarum Regis filium, Ducem Burgundiæ *Carolum*, Ducem Britanniæ, Franciſcum & Ludovicum Comitem S. Pauli. Et incidit in idem circiter tempus exceſſus invictiſſimi Principis, Burgundiæ Ducis *Philippi*, ut & nuptiæ filii ejus Caroli tertiæ cum Eduardi IV. Anglorum Regis ſorore, *Margareta*, ingenti magnificentia Brugis celebratæ, defunctis jam ante *Catharina*, Caroli ſeptimi Regis Francorum, & *Eliza Caroli* Borbonii Ducis filiabus: Ex quarum altera *Eliza* unicam ſuſceperat filiam Mariam, principatuum ſuorum hæredem omnium, cum utriusque conjugis primæ ultimæque ſterile fuerit matrimonium.

A. 1467. legati in Belgium pacis inter Carolum Gall. & Car. D. Burg. cauſa miſſi.

Mentio ſuperius injecta *Guilielmi* Epiſcopi, rerumque Orcadenſium; & Epiſcopum quidem cum in Daniam proficiſci tum tempo-

Guil. Epiſc. Orcad. a Dom. de S.

Claro in vinculis conjectus.

ris constituisset, regio mandato subsitisse, navigante solum eo insulæ regio judice: Eum Episcopum hoc tempore a filio Comitis Orcadensis, qui & dominus de sancto Claro perhibetur, in vincula conjectum lego: & ejus

Christ. R. ejus causa ad R. Scot. literæ.

nomine Rege *Christierno* litteras ad Regem Scotorum datas, quibus Regem ejus audaciæ commonefecit, eum obtestans, vellet sibi defendendum sumere episcopum jam memoratum, nec ullo pacto permittere, ut quisquam subditorum ipsius ad causam ac facinus comi-

Christ. Regi fidem recusat Ivarus Axilli Svecorum subsidio fisus.

tis, adeo iniquum juvandum accurrat. Intra Daniæ regnum facessere hoc tempore negotium Regi cepit *Ivarus Axilli*, Dominus Lilloæ, & litteris quidem manu sua subsignatis fidem ipsi atque obsequium in universum renunciavit: Cujus defectionis causam referebat, quod Rex *Christianus* præfecturum Tranckerensem fratris sui *Philippi* liberis abstulisset, quibus ipse tutor erat. Tum & suspectari se apud Regem Christianum addebat ob affinitatem cum *Carolo* Rege, cujus ipse filiam *Magdalenam* uxorem duxisset, cum & frater ipsius Dominus Ericus Axillus, qui ejusdem Caroli sororem teneret, Svecici regni defensor esset; Quin & Gotlandia, quam a morte fratris sui Olai Axilli pignori tenebat, se orbatum iri prævidebat; unde tempori sibi consulendum existimans haud ambigere videbatur de Svecorum auxiliis ob affinitatem cum *Carolo*. Et apud eosdem quoque, quos haud ignorabat Gotlandiæ imminere deque ea obtinenda etiam Danos sollicitare, sibi semper paratam fore gratiam sciebat, si ipsis traderet Gotlandiam. Inde a Svecis petito salvo con-

Rex inde metuens

ductu, eundem obtinuit. Rex *Christianus* sibi ab *Ivaro* ejusque sociis ac machinationibus haud temere metuebat, quod eum non ignoraret amicis ac longa cognatione apud Danos Svecosque suffultum. Erant enim ei fratres novem unicaque soror Barbara nomine, nupta domino Olao Stisonio. Quapropter Rex continuis inquisitionibus hac & superiori æstate, ubicunque in pagis forum celebraretur, indagari fecerat, an essent, qui se accusarent, sive ob verba aut facta, vel alias ob literas si-

questus apud subditos Lilloam ac Solvisburgum obsidet.

gillaque edita. Nec, ullis repertis, ex senatus supremi consulto obsidere Lilloam ac Solvisburgum aggressus est, publicato primum diplomate, in quo memorabat, se jam aliquoties per pagos, & ubicunque jus ac forum haberetur, præsente regni senatu populoque universo obtulisse ac declarasse omnibus paratum se jus atque æquum exsequi, etiam in semetipsum, modo essent, qui de verbis, codicillis aut factis ipsum redarguerent, adiiciens inter ea nihilominus *Ivarum Axilli* fidem sibi atque obsequium renunciasse, ac Clarigationis misisse literas, eum tamen nunquam antea apud se aut senatum suum de se querimoniam instituisse: Et eum adhæc duas tenere regias arces Solvisburgum apud Scanienses, & in

sumtusque bellicos effligiat.

Gotlandiæ insula Visburgum. Quibus præmissis petiit iisdem litteris opem & auxilium popularium omnium non modo ad expugnandum Solvisburgum regni arcem, sed castellum quoque ipsius Axilli Lilloam dictam. Fateturque tempus huic rei perquam commodum, quod messis instaret, atque inde hyems ingrueret, ideoque pecuniarium potius subsidium, quam singulorum præsentium præsentiam efflagitat: eum nimirum in modum, ut quartus quisque quatuor marcas expediret, quarum dimidium ære præsente solveretur, quod esset reliquum, merces explerent, cujusmodi essent, hordeum, siligo, armenta, mel, butyrum, argentum; & tina quidem hordei, tonnam nunc dicimus, octo Scillingis Danicis æstimaretur, siliginis vero sex, butyri tina loco sex marcarum acciperetur, nec ultra septem taxaretur tina mellis; bos pastus mercis tribus valeret, argenti semuncia Scillingis octodecim. Hac ut singuli haud inviti penderent, imperat, ita tamen, ut pauperum in singulis territoriis ratio haberetur, & præter scribam unus ex ordine equestri censui annotando exigendoque præsens adesset, utque agricolarum nullus ultra noctem unam hospitari quenquam teneretur.

Ex quibus omnibus, præter alia, annonæ ejus temporis vilitas æstimari poterit, cum bos saginatus marcis solummodo tribus, & mellis tonna septem tantum valeret, & butyrum similiter cæteraque vilissimo venirent.

annonæ vilitas.

Hinc initio mensis Septembris Solvisburgum se Regi dedidit, hisce conditionibus: Quicunque in arce sint, in ea ad usque proximum festum Michaelis maneant, nec inde absque venia egrediuntor. Nihil interea muniendæ arci adjiciunto: Neminem ex militia aut ministerio Ivari intromittunto, Rege insscio; Neque ad eum quenquam dimittunto præter duos, qui nominati fuerant, quorum alter terra, alter mari ad eum proficiscatur. Regi nihilominus fas sit, quæ arci objecit monumenta, prout velit, ulterius adornare, & unum quidem, quod medio loco positum, ducta fossa cum extimis duobus conjungere.

Solvisburgum R. traditum certis conditionibus.

Nec interea regius miles vel clam vel palam arcem impugnet. Ipso facto S. Michaelis sub diei meridiem in Regis potestatem arx tradatur, remotis obstaculis omnibus, nisi interea duo præstet Ivarus, ut nimirum se cum Rege in gratiam reponat, vel arcem Rege depulso vi liberet. Quod si ad liberandam arcem accedat, tum præsidiarii arcis se quietos contineant, nec auxilio suis sint: Sin aliter, sese & arcem dedant. Dedita arce liberum cuique sit sua secum exportare, cætera Regis sunto &c. Erat per idem tempus obsessum quoque apud Scanienses Ivari prædium Lilloa dictum, quod intra duos amnes fluenti, quod vulgo Helgesaa vocant, positum haud parum natura loci tutum munitumque habebatur. Unde & tracta aliquamdiu obsidio, nec illud nisi anno insequenti, de ditione demum Rex obtinere potuit, ut inde dicetur. Scripsit ex iisdem tum castris Solvisburgensibus Rex ad Dominum *Ludovicum* patriarcham Antiochiensem, Imperatoris *Friderici* consiliarium

Lilloa arx obsessa.

Christ. R. literæ ad Po R. de non succurrend hostibus sui

ac

ac delegatum ad Regem Poloniæ, vellet eadem legatione ſua curatum dare, ne qui ex ſubditis Regis Polonorum ullo vel ſubſidio vel commeatu hoſtibus ſuis ſuppetias ferrent. Similiter & anno inſequenti ad ipſum Regem Poloniæ *Caſimirum* literas dedit, petiitque, ne ullum *Carolo Canuti* Regi, itemque *Ivaro Axillio* e Boruſſia vel in Sveciam vel Gothlandiam deferri commeatum permitteret. Menſe vero Aprili anni ejusdem, literas ad Regem Scotorum Jacobum ejus nominis tertium efflagitans identidem, ut ex annuis reditibus inſularum Soderoræ & Mannoræ, quod juxta contractum, qui ea de re inter Reges olim Norvagiæ ac Scotiæ *Magnum* atque *Alexandrum* fuerat initus, debebatur ſibi, more ſveto redderetur: Simulque declarans, nihil antiquius eſſe ſibi, quam amicitiam & pacem cum vicinis præſertim ac Rege Scotorum colere; teneri interea ſacramenti, quod præſtiterat, vi jus ac dignitatem veteraque privilegia ac fœdera regni ſui Norvagici conſervare ac tenere, iterum iterumque eundem Scotorum Regem commonens, ut quod ipſi regnoque ejus ſolvendum reſtaret, id dependeret, quod ita pax tranquillitasque ſarta utrinque tectaque haberetur. Nec ſe, modo id absque detrimento juris ac prærogativarum regni jam dicti poſſit fieri, ullo pacto officio defuturum.

item ad R. Scot. de reditibus inſularum Soderoræ & Mannoræ ipſi ſolvendis.

reſponſio R. Scot.

Quibus reſponderi Rex Scotorum curavit, ſe poſtquam ab obitu parentis ſui laudatiſſimæ memoriæ, regni gubernationi eſſet admotus omnino ac ſerio propoſitum ſibi habuiſſe, amicitiam ac pacem cum vicinis Dynaſtis ac Regibus colere, & maxime cum Rege Danorum *Chriſtiano*, præſertim cum utriusque regna ac ditiones adeo invicem conterminæ eſſent, ut ſubditi ſingulorum quotidianis inter ſe gaudeant commerciis. Quod vero penſionem attineret, cujus in literis mentio fieret, ejus ſe nullam, utpote ætate adhuc minorem adoleſcentem, nec rerum, quæ ad regnum pertinerent, ſatisgnarum, habere notitiam declarabat; & maxime cum ea nec parentis ſui nec avi temporibus depenſa fuiſſet. Se itaque prima occaſione ſtatuiſſe in Daniam legatos ſuos mittere, & per eos cum ipſo, tam ea de re, quam de aliis quoque ad pacem ac concordiam utrinque ſpectantibus propius agere. Amiceque idcirco petere, vellet id ratum gratumque ſibi habere, ac ſignificare, tempusque ſtatuere quando potiſſimum ipſi integrum foret ejusmodi cum Legatis ſuis negotium auſpicari. Rex reſponſo reddito, ſignificabat, ſibi peracceptum fuiſſe, intelligere non minori ipſum, quam ſe cum omnibus Chriſtianis & præſertim vicinis Principibus colendæ pacis teneri deſiderio, & ideo præfiniviſſe, ut ad feſtum D. Jacobi Hafniæ Legati ejus præſto adeſſent. His acceptis, Rex *Jacobus Andream* Glasguæ & Guilielmum Orcadum præſules, una cum Andrea Stuarto, Regis Cancellario, Thoma Araniæ Comite, M. Martino Wanio, magno Eleemoſynario ac Regis confeſſore, Gilberto Ririck, Archidiacono aliisque in Daniam legatos deſtinat. Princeps autem univerſæ legationis, præter ceteros haberetur *Andreas* Stuartius Valerii filius. Ac mox dicto tempore poſtquam Hafniam acceſſiſſent, ſubſiſtere nonnihil, abſente apud Svecos Rege, atque exſpectare adventum ejus tenebantut. Interea ex regni utriusque tam Daniæ quam Norvagiæ ſenatu nominati, quibus in anteceſſum cum eis conferre atque animum eorum tentare in mandatis fuit. Scoti id præcipue in medium adducebant, nihil ex commodo utriusque Regis ac regni magis fore, quam ſi pax utrinque perpetua, & quæ ejus quaſi vinculum foret, ſi nuptiæ ſimul inter Sereniſſimum Regem *Jacobum* & filiam unicam *Chriſtierni* Regis *Margaretham* inſtituerentur. Atque ut eo pacto, quæ petebatur, annua ac tot annorum reſidua penſio, quæ hucusque cladium haud exiguarum occaſionem præbuiſſet, pro parte dotis, quæ ſponſæ erat adſignanda, remitteretur. Etenim Norvagi ſœpenumero cum Scotis nomine Orcadum ac Schetlandicarum inſularum armis congreſſi, ſtrages utrique haud minimas perpeſſi fuerant, de quibus alibi, & ad annum præſertim 1566. injectum fuit. Et poſtmodum, licet ſub *Erico* Rege novus eſſet initus contractus ac debitum penſionis expunctum, tamen annis exinde totis viginti ſex nihil ejus adnumeratum fuerat. Rex igitur *Chriſtianus*, ubi in regnum mox eſſet regreſſus, haud multo poſt, re cum Senatu, qui aderat, Norvagici regni propius perpenſa, agi permiſit de pactis utrinque dotalibus, in modum fere, ut ſequitur: Quo in poſterum vetus controverſia de Orcadibus & Soderenſibus inſulis, magnis utriusque populi cladibus agitata, tollatur, & amicitia inter regna ac ſubditos utrinque ſit firmior, cedit & transfert Rex *Chriſtianus* in Regem Scotiæ *Jacobum* ac filiam ſuam *Margaretham* eorumque hæredes ac liberos, annuas ejus penſiones, quæ inſularum earum nomine debentur, loco dotalis portionis. Eruntque pacta omnia, quæ ea de re facta eſſent, nullius exinde momenti ac ponderis. Et ſuper hæc, in dotem ei Rex cedit ſexaginta aureorum Rhenenſium millia; Ejusque ſummæ priusquam e Daniæ regno ſponſa digrediatur aureorum numeraturus eſſet decem millia; Quod vero reliquum, ſuppleant inſulæ regni Norvagici, jam memoratæ, una cum jurisdictione ac cæteris eodem ſpectantibus; hac tamen lege, ut inſulas eas eousque teneat Scotiæ Rex, donec vel ipſe vel ejus hæredes Daniæ ac Norvagiæ Reges æqua viciſſim portione easdem redimant. Ad vitam cedat ſponſæ palatium de Lindle &c. Eidemque liberum eſto, ſi ante eam mori Regem contingat, ſubſiſtere intra Regnum Scotiæ, vel in Daniam concedere. Si redire in Daniam placeat, numerentur ei loco redituum tertiæ partis ex Scotiæ regno, aureorum centum viginti millia ſemel. Nec unquam Regina Margaretha ſive cum Rege Anglorum ſive cum alio quopiam ex gente aut

pacta dotalia.

bujusque ad Chriſtianum R. de nuptiis cum Margaritha R. filia legatio.

aut prosapia Anglorum nubito. Fœdus est inter utrumque regum mutuum. Alterque alteri, ubi necessitas flagitabit, pro viribus adesto. Si mori vel *Regem* vel *Margaretam* contingat, ante celebrationem nuptiarum, omnia jam pacta irrita habentor. Quæ dum fiunt, totus in eo erat Ivarus, ut arcem suam, quæ erat post Solvisburgum reliqua, Lilloam dictam obsidione, qua premebatur, liberaret. Sed cum id identidem frustraque tentasset, & postremum mediis se interponentibus Thurone Thursonio & Magno Grenio, ejusmodi pactione ab eo proposito demotus, ut tradita in potestatem *Thuronis* & *Arvidi* Trollei, qui gener erat *Ivari*, arx Lilloa eousque ab illis teneretur, dum, quæ inter Regem & *Ivarum* hæreret, controversia vel jure vel arbitrio honestorum virorum in totum foret composita terminataque. Quo eodem circiter tempore, motis apud Svecos rebus, non desiit *Carolus* Sveciæ regnum, licet is solenniter abjurasset, iterum iterumque appetere. Et est eadem occasione nonnullis, quibus res novæ cordi erant, jam tertio in regnum revocatus ac salutatus Finlandiæ Rex. Nec multo post in potestatem ejusdem tradidit *Ericus Axillus* Stocholmiam secutumque pene regnum universum. Nec pauci quoque ex iis, qui & antea adversi fuerant, obsequium promisere. Quos inter erant *Carolus Erici*, quamvis mutantes haud multo post, & in his Ericus Nicolai, aliique ab eo vicissim defecere: dictantes inter alia abjuratum jam ante ab eo regnum, nec rite id reddi aut tradi posse fœdi frago. Interim conventus ab aliis est impetratus, adsentiente *Carolo*, qui haberetur Helmstadii circa festum D. Olai, induciæ interea essent, vis atque injuriæ ubivis cessarent, pollicitus Rex Carolus se sub festum D. Johannis missurum ex suis Helmstadium, qui de conventu jam dicto ejusque modo coram agerent. At mox die jam indicato divi Johannis neque *Caroli* neque *Ivari* nomine quispiam comparuit. Sub festum vero Olai venerunt Helmstadium *Johannes* Scarensis Episcopus, Dominus *Gustavus* Caroli, Dominus *Ericus Erici*, Dominus *Ago* Johannis equites. Quibus præsentibus ex Dania accesserant Thuo Dei gratia Archiepiscopus Lundensis, Sveciæ primas legatusque Pontificis maximi, ut & Olaus Roschildensis, Johannes Arhusiensis, Jacobus Frisius Borlumensis, Magnus Othonensis & Petrus Ripensis eadem gratia præsules: Itemque Ericus Othonis, aulæ magister, Johannes Oxe, Canutus Truidso, Ludovicus Nicolai, Nicolaus Kaas & Nicolaus Christiani equites. Injectumque estque ex commodo regnorum statutum, si judices duodecim deligerentur, qui de jure ac causa utriusque Regis agerent decernerentque indicto hanc in rem sub annum proximum conventu, qui haberetur vel Halmstadii vel Landiscroniæ. Idque ratum haberetur, modo & Regi Danorum Christiano hoc idem videretur. Qui exinde consultus sibi haud quaquam

Ivarus Lilloæ succurrere frustra audet.

pactio ejus causa.

Carolus R. Sveciæ regnum iterum appetit.

a quibusdam revocatus

pene toto regno potitur

conventus Helmstad.

displicere, quæ ad bonum publicumque spectarent, referebat, quo suum unicuique redderetur, & pax tranquillitasque constarent. Interim publicos codicillos ab eo evulgatos reperio, in quibus conventus indictos memorat, alterum sub divi Johannis, quo nullus comparuit, & alterum sub festum Olai, ac simul medio tempore inducias pactas, sed eas minus servatas, dum interea Rex *Carolus* & Ivarus ad Finlandos excurrerint, ac ibi rejecto Episcopo *Conrado* suæ potestatis Finlandiam fecerint: Conquerens similiter, quod Dominus *Gustavus* Olai Halmstadiensem civem cepisset, qui, licet obnixe peteret, ut publica sibi pace frui liceret, id tamen obtinere haud potuisse: adeo ut facile exinde intelligi posse indicaret, ecquis in culpa esset, seque in aliena intruderet, suam omnibus opem pollicendo, nisi malo remedium adhiberetur. Erant quidem hoc tempore inter Reges Angliæ & Daniæ amica omnia; idque demonstratum Anglorum præcipue Rex Eduardus IV. voluit missa per hos dies ad Regem *Christianum* minori prætoria navi affabre ornata exstructaque. Invenio interim controversiarum iliadem quandam natam ex contractu, quo cautum erat, ne quis Anglorum sine Danorum Regis permissu Islandiam suis navibus ac mercimoniis frequentaret, idque sub amissione bonorum ac vitæ. Fueratque hoc regium placitum permittente Eduardo Rege Londini publicatum. Angli nihilominus & in his Londinenses præsertim ac Bristoenses hoc ipso anno 1468. Islandiam adeunt, inscio non solum Rege, sed præfectum quoque ejus vi armata impugnant, ac trucidant, direpto ac diruto, quod inhabitabat, regio præsidio; nec id modo, sed dispoliatis insuper incolis eorumque ædificiis incensis, etiam præfecti cadaver inhumari prohibuerunt, eique intra negotii foros absumpto varie ac barbarum in modum illuserunt. Cujus facinoris crimen ubi præfecti conjux liberique ac ceteri, qui perpessi detrimentum opprobriumque fuissent, ad regias aures deferri fecissent, petentes simul, ut scelus tam enorme, tamque inhumanum pro merito puniretur, & sibi ut damnum præstaretur. Coactus est Rex Christiernus in freto Oresunda manum injicere tribus aut quatuor Anglorum navibus, Londino ac Brisloa profectis. Hisque ac bonis earum distractis sibi ac conjugi præsidis sui ceterisque satisfieri curavit. Interea datis ad Regem Edvardum codicillis, causam & occasionem retentarum a se navium amice ac tempori perscripsit, ac fortasse aliorum falsa relatione aliud Edvardus animo conciperet: Precatusque est eum *Christianus* Rex, cum ejus jussu ac voluntate certo sciret, nihil ejusmodi patratum, vellet subditos suos, qui sceleris rei essent, dignis pœnis afficere, & adjuvare, ut damna ab ipsis data resarcirentur, quo omnia integra, & amicitia præsertim inter ipsos sarta tecta maneret similiter & literas misit ad Angliæ emporia celebriora, mercatorum singulos

A. 1468.

R. Christ. cum Angliæ R. de navigat. Island. dissidium.

gulos commonens, caverent ſuas in naves vel Londinenſium vel Breſtoenſium bona abſumere, ſub pœna amiſſionis tam bonorum eorundem, quam navium. Hinc variæ ſimultates natæ. Quippe ſuſpectabat Rex *Edvardus* urbes Pruthenias vel Vandalorum, quaſi Regem ei *Chriſtianum* incitaſſent ad retentionem Anglicarum navium: Et ideo eorum quoque navibus fortunisque injicere manum ſuis in portubus inſtituit. Quod continuo ad Edvardum datis literis excuſavit Rex *Chriſtianus* orans atque obſecrans, ne Vandalicis urbibus impingeret, cujus cauſam præbuiſſent ſubditi ipſius. Quod & aliis codicillis ad principes, dynaſtas ac civitates hinc inde miſſis haud ſubticuit, uſurpans in iis (Latine enim ſcriptæ erant) hæc formalia: *Ac & ratione cum vivat hominum genus, nequaquam impetu, quo feruntur beſtiæ, ſed ratione, qua beſtiis præſtat homo, hominum ſunt opera judicanda. Hisque tuenda modis eſt omnibus innocentia, ut qui non ſunt in cauſa conſcii, non ſint in pœna ſocii, nec in mulctatione participent, qui in crimine non communicant.* Reperio hoc tempore urbis Berganæ regii præſidis, quem a Theutonis pontem adhabitantibus trucidatum ſupra ad annum 1455. meminimus, conjugem *Elizam* depoſuiſſe apud Theutones eosdem ingentem theſaurum, ſcriniis ſive ciſtis quatuor incluſum. Et eos theſaurum huncce partim pecunia, partim aureis argenteisque ſcyphis perpluribus tum & monilibus, gemmis, torquibus, aliisque pretioſiſſimis cimeliis, quæ illis ſingulatim adnumerata ſunt, dato chirographo, conſtantem tenere ſe ab ea; idque ejus heredumque ejus commodo, nec damnum in *Elizam* ſed ipſos redundaturum; ſi forte depoſitum jam memoratum incendio fortuito abſumi contingeret, chirographo eodem teſtatos. Quod ſane, quis non miretur, cum, ut ſupra memoratum, trucidatum ab ipſis præter ceteros maritum ejus conſtet, & bellum hoc nomine Lubecenſibus exinde a Rege *Johanne* pro parte ſit motum, ut inde dicetur? Et præterea memorabilis *Demetrii Palæologi* memoria. Is ſiquidem in Daniam hoc tempore veniens, ex clade miſerabili Conſtantinopolitana, de qua jam ante dictum, ſuperſtes, omnium in ſe animos commiſeratione movit, utpote cujus uxor liberique a Turcis urbem invadentibus capti, ibidem etiamnum tenebantur. Erat vero Demetrius hicce Conſtantino, Græcorum Imperatori ultimo, qui ut dictum a Turcis intra mœnia eſt peremptus, ſanguinis cognatione proximus, unde & ei, qua dabatur, ſuam quisque pro viribus opem opesque deferre haud deſtitit.

Eliſa Berg. regii præſidis vidua apud Teutones ingentem deponit theſaurum.

Demetrius Palæologus e clade Cſtpol. aufugiens in Daniæ ſuſtentatur.

compoſita lite & dote præſtituta A. 1469.

Hinc Scotiæ legati, de quibus modo dictum, ad Regem ſuum retuliſſent omnia ex ſententia eſſe transacta, proxima fuit deliberatio de honeſto nobilium globo, ad novam nuptam e Dania ad Scotos deducendam, mittendo. Eſtque proximo ſtatim anno, qui fuit ſupra milleſimum quadringenteſimum ſexageſimus nonus, inſtructa cum claſſe miſſus Thomas Bodius Roberti filius, Comes Araniæ idque aſſenſu omnium & maxime aulicorum haud ex infimis, qui eum inteſtino odio abſentem potius, quam præſentem volebant, ut mox patebit, qui & ſalvus in Daniam cum illuſtri comitatu mox advenit. Priusquam vero, rebus jam peractis, ſolverent deinde e Dania Legati, iidem Scotiam cum ſponſa petituri, egit cum eis Rex ob impenſas, quæ ei in dies in Svedicum bellum faciendæ erant, ut loco decem aureorum millium, qui erant juxta pactum dotale, quam primum in Scotiam eſſet ſponſa deducenda, Scoto adnumerandi, duo jam millia acciperent, nomine vero reliquorum octo millium cederet Scotiæ Regi regni ſui Norvagici inſulam Hetlandiam, ea lege, ut eam cum proventibus omnibus Scotus non aliter atque Orcades eousque ſibi teneret, donec eam, redditis octo illis aureorum millibus, Rex *Chriſtianus* vel ejus *hæredes* redimerent. Inde in Scotiam, adulto jam vere, Danica claſſis Reginam deduxit. Suntque Edimburgi magno nobilitatis concurſu celebratæ nuptiæ die decimo menſis Julii. Scotii annales eum quidem nuptiarum etiam diem denotant, ſed anni inſequentis, ut fortaſſis retenta hoc anno ob tempeſtates claſſis vere demum anni proximi 1470. navigaverit, cum annum jam circiter duodecimum expleſſet ſponſa, utpote nata ad Chriſti 1457, menſe, ut eſt ſuperius memoratum, Junio. *Bodius* autem in Scotiam veniens ſibi omnia adverſa reperit. Etenim inimici atque æmuli ejus, ita eo abſente animum adoleſcentis Regis ab ipſo ejusque familia abalienaverant, ut indictis Edimburgum per Regem comitiis, varie ibi pro odio ac ſtudio cujusque Bodiorum fratrum, qui abſente Thoma, domi remanſerant, cauſa ſit acta. Ipſi certe tam inopinata re perculſi non tam factionis adverſæ potentiam, quam ſubitam Regis alienationem mirabantur. *Robertus*, omni ſpe incolumitatis abjecta in Angliam profugit: Alexander, quem valetudinarium lectus tenebat, mox firmior in jus venit. Crimini fratribus communiter datum, quod in Regem injecta manu, eum ſuopte conſilio Edimburgum duxiſſent. Cum affirmaret *Alexander*, ejus culpæ veniam in publico conventu factam; peteretque, ut ejus veniæ ex actis publicis Rex exemplum ſcribi pateretur; id negatum. Igitur *Alexander* eo in judicio damnatus, capite luit. *Thomas* igitur cum claſſe Danica & Regina, ut dictum, domum revectus, audita rei tragœdia, quanquam non deeſſent, qui in publica omnium lætitia ſpem ei veniæ promitterent, intra tamen naves ſubſtitit, dum ab uxore, quæ rumore adventus Danicæ claſſis advolarat, intelligit, nullum ad regis gratiam patere reditum omni aditu ab amicis præcluſo, ſtatim in Daniam, unde venerat, abſumpta ſecum conjuge reverſus eſt; At mox peragrata Germania Galliaque, poſtquam Galliarum Regem

Hetlandia ceditur

& Margaretha ad Jac. R. Scot. ſponſa deducitur.

Bodiorum familiæ inter Scotos nobiliſſimæ interitus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

salutassет, ad *Carolum* Burgundum est profectus, cui fortem & fidam in bello navavit operam. At Scotiæ Rex, cum nec ista satis viderentur, malum malo addens, primo parentem ejus, Scotiæ jam ante Proregem, proscribit; ac mox e Flandria sororem quoque uxorem per literas & legatos revocat. Illa licet ægre a marito divelleretur, tamen spe emolliendi ac placandi fratris in Scotiam redit. Ubi rediisset, statim de divortio cum ea Rex agit. Estque intra diem sexagesimum adesse jussus Thomas; qui cum diem non obiisset, pronunciantur priores nuptiæ illegitimæ, ac cogitur Maria nubere Hameltonio homini prope novo, si cum Bodiis conferatur. Liberi quin etiam, quos ex Bodio, (qui haud multo post apud Flandros obiit) Maria susceperat, similiter in Scotiam revocati. Atque ita *Bodiorum* familia, quæ tum apud Scotos erat florentissima, postquam paucos intra annos ad summam excrevisset, subito hoc tempore corruit, magno posteris documento, quam sint lubriæ Regum adolescentium amicitiæ; præsertim, ut verbis hoc addam maximi scriptoris Taciti, *ubi secretis criminationibus infamantur ignari, & ii, quo incautiores decipiantur, palam laudati.* Res Sveciæ turbatore, de quo dictum, *Carolo* Rege, anno superiori haud meliores itentidem in arma Danos Svecosque traxere; Etenim *Ericus Caroli*, assiduus Caroli Regis adversarius, ut & fœderatus ejus Ericus Nicolai prope Vadstenum aggressi Sveciæ dynastas aliquot, in his captivam abduxere dominam, Magdalenam Caroli filiam Ivari conjugem, itemque *Burgerum Trolle* ejusque filium & *Arvidum Trolle*, aliosque una cum famulis ipsorum; sed dimissi haud multo post, inde Olandiam versus profecti ingentem popularium manum sibi junxerunt. Nec minor numerus, adscito sibi *Boëtio Dyreo* præfecto Carolum sequebatur. Pactæque aliquot dierum induciæ, sed iis vix finitis invasit *Boëtium* nihil tale opinantem *Ericus* inque fugam egit. Ac mox *Stenonem Sture* cum Accerniis, Suderomannis atque aliis Stegelholmensi Ditione obvium idem habuit. Verum stantibus ad aciem utrinque paratis auditæ voces etiam eorum, quos *Sturo* adduxerat, clamantium atque adhortantium in Sturonem ut impetus verteretur. Quo intellecto *Stureus* facessere jussis popularibus in Dalecarlos concessit. Hinc Ericus versis in ipsum Carolum armis, eum prope Cnutbyæ ædem fudit ac fugavit. Quibus eum in modum prospere fluentibus, de toto sibi regno ad obsequium reducendo cogitabat, colligens hinc inde ac militem undique cogens, passim fere delectum agebat. Et Rex præterea Christianus non desinebat, Poloniæ Regem *Cazimirum* per literas convenire eumque docere quem in modum ante annos viginti duos Sveciæ regnum ejurasset *Carolus Canuti* ac resignasset, quicquid in illud juris habuisset, idque præsentibus Archiepiscopo Upsalensi aliisque ex senatu; Et modo nihilominus hoc ipsum sibi vendicare, tractis suas in partes subditorum suorum nonnullis, & in his *Ivaro* Axilli, qui se invito ac spreto, quod præstitisset, sacramento, castrum Visburgi retineat: Orans rogansque ejus majestatem ne quid ex portubus Prutenicis vel aliunde accedere ipsis commeatus permitteret.

Res Svec. turbulentæ.

Erici cum R. Carolo concertationes.

Christiani R. apud Casim. Pol. R. de Caroli actis querelæ per literas.

Quod autem volunt nonnulli hoc tempore, dum identidem in Svecos Rex ducendum haberet, ne legitimo regnum tore careret, si quid forte ipsis humanitus accidisset, curasse filium suum *Johannem*, jam duodecennem in Scaniæ conventu prope Lundiam Regem designari; idque nequaquam locum habere inde liquet, quod Johannes hoc tempore biennio circiter annum duodecimum esset supergressus, & inauguratio ejus, ipso, quo natus est, anno, ut est suo loco memoratum, fuerit celebrata. Memoratum superius, quid inter Anglos & Daniæ sive Norvagiæ regnum controversi accideret, occasione regii præfecti, quem apud Islandos Angli occiderant. Ea lis hodieque hæsit varieque agitata, tractis in partes urbibus Vandalicis; & convenere ejus nomine regni summates, *Canutus* Præsul Viburgensis, *Albertus* Crommedigius Episcopus Lubecensis, & Dominus *Vernerus* Passbergius, sed finire litem cum non daretur, saltem, ut arma & bella cessarent aliquatenus, impetratum paxque tandem difficulter obtenta; sed annis aliquot sequentibus, postquam multa hinc inde damna accepissent Angli dedissentque, in Sveciam, quæ erant immissæ non uno tempore regiæ classes, variis hinc inde damnis mercatores affecere. Præter ceteros in Livonios & Lubecenses illata damna. De quibus cum essent apud Regem questi Lubecenses, recessus factus permissumque ut pignori tenerent Chilonium. Præfectus autem maneret ex lege pactorum *Johannes* Rantzovius. Quo defuncto totum ipsi tenerent, donec id ære redimeret Rex, prout damnum illatum æstimaretur. Lubecenses interea cum Danis Daniisque Regnis pacem æqam colerent, & Dani vicissim Rexque ipse cum Lubecensibus. Omni quoque ope simul urbibus reliquis niterentur idque agerent, ut bellum Svecicum vel amicitia, vel jure terminaretur. Hæc acta præsentibus *Johanne* Arhusio, *Nicolao* Slesvicensi, *Magno* Othonienſi, *Alberto* Lubecensi, præsulibus; itemque *Erico* Othonis Equite, regiæ aulæ præfecto, *Benedicto* Alefeldio, Dynasta Doringæ; *Ditlevo* a Bucvold & *Hennigo* Paavisk, nec non *Erico* a Zende, *Henrico* Castrupio, urbis Lubecanæ Consulibus, ut & Senatoribus ejusdem urbis, *Conrado* Mollero & *Paridemo* Luthenio. *Ivarus* interea arces duas in Svecia, quæ Regem *Christianum* sequebantur, dum frustra emisso a Rege præsidio, aliquamdiu oppugnasset, vertit in Danos arma, sed nec felicius ibi pugnans retrahere pedem magna affectus clade, coactus fuit. Sed ad præcedentia & annum præcipue anteriorem referre hæc Crantzius videtur. Utcunque sit id constat, tot cladibus fessos

aliorum fallax relatio notatur.

lis cum Anglis de cæde in Islandia violenter patrata continuatur.

Lubecensibus hinc damna perpessis Chilonium oppignoratur.

Ivarus Danos aggressus prælio superatur.

fessos Svecos, veritosque ne ad regni interiora prorumperet Rex, iterum de pace cogitare cœpisse, idque mediis se interponentibus Vandaliæ urbibus. Rex igitur, ne aspernari, quæ offerebantur amica aut paci deesse videretur, ipse positis armis venit comitatus Gerhardo fratre ac tribus præsulibus procerumque non exigua manu.

Rex Christianus a Svecis ad conventum invitatu venit.

Cumque adesset Rex, aliquamdiu in exspectatione Svecici fuere. Sed & hi tandem, vento adverso nonnihil retenti eodem venerunt. Hinc indictus conventus non unus; varieque res agitata. *Christianus* id præcipue agere atque urgere videbatur, ut regno excederet *Carolus*, nec aliter constare aut pacem aut publicam quietem posse sibi persuasum habens, præsertim cum prompta ad bellum gens facile eo iret ac flecteretur præsente semper, & qui non longe abesset, belli duce. Quod ubi concedere Sveci, nec recedere a proposito Christianus vellet, re infecta utrinque discessum. Interim Rex cum Lubecensibus, Hamburgensibus atque Holsatis triennalis pacis ac mutui auxilii leges iniit. Suntque polliciti illi obsequium ac fidem vero ac legitimo suo domino ac Regi Christiano, utque is suis ditionibus ac jure per districtus universos Slesvici, Holsatiæ ac Stormariæ pacifice frueretur. Et Rex vicissim rata firmaque se habiturum promisit urbium præsertim Lubecensis atque Hamburgensis privilegia ac vetera statuta; seque utriusque incolas & eorum causam, quæ justa esset, omnibus modis tutaturum, nec eos unquam præter æquum ullis vel teloniis vel novis exactionibus aut oneribus gravaturum; aut ut graventur, permissurum. Idque vice versa polliciti quoque tam Holsati quam Lubecenses & Hamburgenses. Si etiam deprehenderentur, ex singulorum jam dictorum incolis, civibus, præfectis aliqui, quod juri adversum esset, actitare, aut fœderationes, quæ huic essent contrariæ, paciscí, ii ad æquitatem vel amice vel vi adigerentur. Nemo cum adversario suo seorsim paciscereturr, sed una eademque pace omnes concluderentur. Auxilia, quæ mitterentur, suo quisque impendio sufficeret, ita tamen, ut is, qui auxilia accepisset, ea suis sumptibus, dum ipsi merent, sustineret. Et cetera hujusmodi præfinita, quæ referre singula prolixius foret. Quin eodem tum tempore de Chilonio & detrimentis, cujusmodi passos se terra pariter ac mari querebantur, actitatum, idque hunc in modum, ut scilicet Chilonium ejusque fretum, & quæ eo spectant, ad Lubecenses transirent pretio sex ac viginti millium ac quadraginta marcarum Lubecensium. Qui codicilli ita scripti, ut facile intelligi posset, non meram venditionem, sed oppignerationem fuisse: quæ res empta reddito pretio, redit ad veterem ac priorem possessorem. His interfuere, suoque sigillo obsignarunt Comes *Gerhardus* Holsatus, *Nicolaus* Reventlow Eques, *Godsche* ab Alefeld Eques, *Nicolaus*, *Cajus* & *Johannes* Rantzovii, *Benedictus* ab Alefeld in Dorming, *Lyderus* Romer, *Ditlerus* Bucvold, *Henningus* Paavisch, *Benedicti* Filius aliique plures. Per idem hoc tempus Rex *Christianus*, dum Daniæ, Sveciæ ac Norvagiæ rebus multifariam distentus, tradiderat fratri suo Gerhardo Oldenburgensi præsidendam Holsatiam, sed ille parum pensi habens, quæ eum moneret præscriberetque Rex frater pro animi lubidine disponere cuncta instituit. Adeo ut in se postremo nobilitatem totiusque ditionis optimates concitarit. Hi maximo numero Chilonium convenere, ubi facto fœdere conjurarunt omnes ac singuli; datisque atque obsignatis codicillis invicem sposponderunt, hostes se fore uni aut pluribus, quicunque vel vi aut simili injuria quicquam adversus se esset tentaturus, si cui seorsim hujus fœderis nomine difficultas aliqua crearetur, de fœdere tamen nullus recederet, eique staret, dum omnium causa eundem finem acciperet. Qui his subscripserant, inter præcipuos erant *Nicolaus Reventlow* eques, *Gosigius* ab Alefeld, *Volfgangus* von der Wisch, *Sigvardus* Rathlow, Nicolaus ab Alefeld Benedicti filius, *Joachimus* & *Sigvardus* Brocktorff Henrici filii, *Didericus* & *Henricus* Blome Henrici filii, *Regnerus* Sestede Othonis filius, *Hennekenus* & *Otho* Valstrup Ditlevi filii, *Iroenus* Monstrup, *Marquardus* & *Johannes* a Lnelen, Nicolaus Porsveld, aliique perplures. Qui præterea datis ad Regem iisdem his diebus litteris significarunt; *Gerhardum*, quem ut præfectum acceperant, non ut præfectum sed dominum se gerere, dum fidei atque obsequii sacramentum a plebe ac civibus plerisque non invitis, exigit atque accipit, sibi iterare sacramentum haud integrum esse, qui semel facto sacramento se Regi ac Domino suo obstrinxere. Tenere *Gerhardum* arces ac munimenta totius ditionis Segebergam, Rendesburgum, Gottorpium, Hanroviam. Eaque non ut præfecturas, sed heredium suum possidere: Everti atque aboleri hoc pacto ditionis universæ vetera statuta ac privilegia, suasque immunitates atque consuetudines: rem efflagitare Regis præsentiam, isque ut primo quoque tempore adsit, rogare clementerque orare. Quibus acceptis Rex haud multo post ipsemet in Holsatiam concessit, evocans ad se Segebergam, fratrem Gerhardum. Qui, ubi venisset, jubetur in conclave reginæ concedere, quasi ibi cum ea mansurus. Verum eo cum venisset, deprehendit fores excubitoribus obsideri, ac simul monetur fratris sui Regis nomine, eam custodiam accipere. Hinc maximis impendiis atque ope auxiliariorum suorum Henrici Ducis Megapolitani, ut & Lubecensium & Hamburgensium coactus est Rex suam in fidem ac potestatem reducere arces suaque castella. Et in his quidem fuit Rendersburgum, quod sub finem Junii mensis Regi se dedit. Sequutaque mox Slesvigium, Gottorpium, Flensburgium, Sonderburgum ceteraque, sed diversis temporibus singula; insumptaque in eorum reductio-

Holsatiæ Gerhardo Com. administrandæ traditur. Hic male rem agens in se concitat nobilitatem Holf.

re infecta discessum.

R. cum Lubec. & Hamburg. fœdus pangit; ejusque summa capita.

quæ ad Regem querelas defert.

Ipse R. in Holsatiam venit & Gerhardum Segebergæ custodiæ mandat.

regis fidei restituuntur Rendesburgum aliaque.

Gerhardus C. certis sub conditionibus e custodia dimittitur.

reductionem æstas propemodum tota. Interea cum fratre Rex egit, eique redditum, quod postulabat, debitum recisso, quodcunque ex Holsatiæ principatu jam dudum insolutum accepisset. Simul obstringere se coactus est, nihil in posterum sive in Regem ejusque regna aut ditiones, sive in Ducem Megapolitanum, Henricum aut Lubecenses vel Hamburgenses, uti nec in nobilitatem incolasque Holsatiæ quicquam tentaturum; Essentque singula, quæ ejus sive custodiam sive alia spectarent, oblita omnia remissaque. Si quæ exinde inter Regem ejusque heredes & Comitem quoque ejusque heredes lis oriretur, ea æquis utrinque arbitris definiretur. Comes, si quid seorsim aut aliter quam esset ab arbitris pronunciatum, moliri deprehenderetur, excederet omnibus, quæ ei a Rege essent dicta assignataque. Quin & fas Regi foret in eum rejicere, quodcunque fuisset impendii, in reducendo Holsatiæ Principatu, idque jure omni, tam humano, quam ecclesiæ; non obstantibus ullis vel protestationibus vel revocationibus injuriarum ad animum, sive, quæ obduci etiam possit, dispositione Imper. Hadriani similibusque. Reperio eodem hoc anno singulariter a Rege Christiano commendatum Scotorum Regi *Jacobo* præsulem Orcadensem Guilielmum; idque ob morum ac vitæ ejus honestatem. Utque is, quantum daretur, esset domesticus filiæ suæ, Reginæ Scotiæ, donec ipsa Scotorum idioma propius calleret. Eundem etiam Guilielmum Pontifici Max. per litteras commendavit, præsertim cum ad summum Pontificem deferre querimoniam suam & accusare Orcadum Comitem Gulielmum constituisset, quod se innocentem & eo solum nomine, quod esse Regi suo fidus perseveraret, carceri mancipasset. Estque Romam tum temporis cum Regiis codicillis ablegatus *Laurentius* Branderus demonstraturus apud Pontificem (cum ordo S. Francisci in id esset institutus), ut quicunque in eo agerent, non seculariter, sed ad observantiam seu regularitatem, ut loquuntur, viverent: fratres vero divi Canuti, qui Othoniæ essent, contrario modo se gererent, illud elaborarent, ut illis semotis, hi in locum eorum instituerentur; & ipse eorundem *Gardianus* declararetur, quod & ei indultum, sed retractum exinde sub Rege *Johanne* faciente ejus matre Regina *Dorothea* Romam, de quo postea dicetur, sub anno 1488. habita peregrinationis profecta. Nec eo tantum prout erat seculum, promovisse rem pietatis Rex visus, sed insigne præterea cœnobium prope Sebyam ex ordine divæ Birgittæ conditum fecit, quod in honorem beatæ Mariæ Stadium est appellatum. Conventus vero, de quo dictum, Lubecæ habitus, cum, eum, qui sperabatur, successum non habuisset, nec carere *Carolo* suo Sveci vellent, ne scilicet regno contentionis perpetuæ seges & hoc veluti Eridis deesset pomum, statuit Rex, domum jam regressus, pacto interim, ut meminimus cum Holsatis cunque Hamburgensibus ac Lubecensibus triennali fœdere, Sveciam postliminio repetere. Atque eum in finem, proximo statim anno, qui fuit supra millesimum quadringentesimum septuagesimus, comparatis, quas potuit, bruma licet media, copiis ipsis cum nivibus & grandine inopinatus supervolans, antequam vel audiretur, intra montium abrupta constitit. Sveci cum hostem quasi intra sua viscera conspicerent, fisi tamen loco, qui erat ob itinerum ac rupium flexus ac fauces angustissimus munitiones vicissim atque arborum concædes certatim objiciunt; quas invadere & oppugnare Dani, ex loco tam incommodo, non nisi numero perpauci poterant. Unde facile erat, ut tradit æqualis eorum temporum Crantzius, a pluribus paucos circumveniri. Suntque hoc pacto ex Danis plurimi, nec infimæ sortis Viri haud magno negotio fusi ac fugati. Rexque difficultatem rei ac cladem suorum omniaque adversa sibi videns, dato receptui signo, copias in tutum reduxit. Commodum domum redierat, cum ecce nuncius, qui obiisse *Carolum* in arce Stocholmiensi memorat, adjiciens, ne filium, quem genuerat ex pellice, post se nothum relinqueret, moribundum jam solenni ritu concubinæ copulatum. Et traditur præterea commendasse *Stenoni* Sture, suo ex sorore nepoti, Sveciæ sceptrum, ac eum jam morti vicinus monuisse (si fides Johanni Gotho) ne coronam aut regium nomen imponi sibi sineret. At alii, in quibus erat ex regni senatu *Ericus* Caroli, *Trottus* Caroli, *Ivarus* Grenius, toti in Regem *Christianum* propendebant. Et hi postquam essent convocati, licet alio irent alii, consentientibus Smaalandiis, Oplandiis & Sudermanniis, codicillos Stocholmiam misere, quibus significabant, talem eligendum, qui præesse tribus conjunctim regnis posset, idque ex veteri, quod inter regna erat initum, fœdere, adjiceratque suis seorsim in litteris *Ericus* Caroli, penes Carolum eam potestatem haud fuisse, ut in manus *Stenonis* Sture regnum traderet, cum ipsemet legitimus Rex, postquam id solenniter abjurasset, haud quaquam haberetur. Contra Dalecarlii Stocholmensibus per litteras similiter significabant, se a partibus *Stenonis* immotos stare. Nec aliud memorabat *Ivarus* Axilli, qui Gotlandiæ præsidebat, & Ericus Axilli, qui partem Finlandiæ potiorem tenebat: Quæ dum aguntur, rediit Roma Archiepiscopus *Jacobus*, factumque, ut toto fere eo tempore contentionis funis ductus, nec certi quid de successore statutum fuerit, cum hi revocandum *Christianum*, alii *Stenonem* Sture eligendum existimarent. Estque exinde popularium concursus Upsaliæ factus ex Oplandiis, Sudermanniis, Dalecarliis, Helsingiis aliisque. Hi ex qualibet illorum ditione duodecim elegerunt, qui in unum collecti conventum haberent Jenecopiæ, ubi & Regni Senatores adesse, & unum agere omnes omnium erat votum, utpote quibus displiceret incolarum ac regni tam diuturnum dissidium,

Guilielmus Orcad. episc. Regi Scot. commendatus a Rege Christ.

ut & Pontifici max.

Laur. Branderus ad Pontif. R. ablegatus a R. Christ.

Rex cœnobium apud Sebyam condit.

A. 1470. Christ. R. cum exercit. in Sveciam redit.

fugatusque copias domum reduxit

Carolus Svec. R. obit notumque suum Sveciæ regem commendat.

Christiano ex Svecis nobilioribus favent.

Dalekarlii Stenoni addicti.

Jacobus Archiep. Rom. redux.

conventus Jenekop. agitatur.

diffidium, ſed nec iſte conventus magni uſus aut momenti fuit; præſertim eo neque *Steno* neque *Nicolaus* Sture conveniſſent: obtinuit nihilominus eorum ſententia, qui Stenonem Sture regni primatem declarandum voluerunt.

Ericus Stenonem fugat.

Inde *Erico* Caroli obvius eſt factus *Steno* circa Dalecarleos. Ibi, licet exigua manu, retrocedere eum *Ericus* coëgit. Cui exinde in Suecia tutus locus nuſpiam fuit, quocirca arrepta fuga in Daniam abiit. Quo ille cum veniſſet, haud multo poſt magnis cum copiis in Veſtergothiam Rex movit atque obſidione Oreſtenum circumcinxit. Hoc vt liberarent, occurrit in adverſum Sture uterque Steno & Nicolaus. Illataque copiis *Chriſtiani* nonnulla clade, ſolvere obſidionem, accepto etiam, ut volunt, vulnere, Rex coactus fuit. Eo in prœlio occubuiſſe præter alios Erici Nicolai vitricum, Ericum Nippertz, traditum memoriæ reperio. Extorres iisdem diebus agebant Angliæ Regina Margaretha Hannoniæ Princeps ejusque filius Edvardus; & præter ceteros, etiam Regem *Chriſtianum* urbesque Vandaliæ in auxilium ſollicitabant adverſus injuſtum regni poſſeſſorem Comitem Varvici. Nec defuit juſtis eorum precibus Principum paſſim benignitas. Quorum opibus claſſe ac milite in Angliam reducti fuere; ut alibi memoratum fuſius. Ipſe autem domi Rex *Chriſtianus* proximo, qui inſecutus eſt, anno milleſimo ſupra quinquageſimum ſeptuageſimo primo, conſentit, ut haberetur in uſum utriusque regni Daniæ & Sveciæ, quem indixerant Conſiliarii ejus Nicolaus Rannovius aliique ex regiis Senatoribus, conventus Diuſcavenſis, adſentiente ſimul Sveciæ Senatu, ipſisque *Stenone* & *Nicolao* Sture. Eſſet interea paxque coleretur per regna Daniæ, Sveciæ ac Norvagiæ ſingula a die pentecoſtes ad feſtum usque divi Johannis: Ipſe tum una cum Daniæ regni ſenatu prope Stocholmiam ſemet Rex ſiſteret, quo ibi cum *Stenone* Sture ejusque fratre, Nicolao reliquisque Sveciæ ſenatoribus ſuper pace ceterisque ad eam pertinentibus amice ageretur. Quæ ſi obtineri per id tempus haud poſſet, producerentur ad octiduum induciæ; dareturque ſalvus conductus eundi redeundique *Agoni* Axilli, *Ivaro* Axilli et *Laurentio* Axilli. Liber quoque itus ac reditus captivis eſſet. Obſidiones Calmariæ ac Stegeburgæ utrinque ſolverentur. Easque arces *Thuro* Thuronis et *Ericus* Caroli, prout tenent, ſua ſub præfectura, porro tenerent. Verum *Chriſtianus* animadverſo, parum profeciſſe, quicquid hucusque conventibus aut opera amicorum attentaſſet, vi agere ac ferrum Sveciæ inferre conſtituit, apparataque ſeptuaginta navium claſſe haud procul Stocholmiam ſub decimum Julii appulit. Subſtititque in freto non longe ab urbe diſſito, Vangesve nuncupato hebdomadas circiter ſeptem. Hinc indies cum regni ſenatu, qui Stocholmii aderat, actitando, deprehendit poſtremum id agere Svecum, ut verbis eum benignis effando, lactandoque tempus dilationibus duceret. Et factas nihilominus aliquot ſeptimanarum inducias reperio, ſancitumque, ut Dani interea Stocholmia quicquid ipſis claſſique opus eſſet, libere peterent. Nihil in Danos Sveci nec in Svecos Dani attentarent, navigationes utrinque, ut et mercatus omnibus eſſent liberi. Si quid in adverſum accideret, id induciis non officeret. His ſubſcripſerant *Jacobus* Upſalienſis Archiepiſcopus, *Johannes* Strengeneſſenſis, *Lydelenus* Veſteroſenſis Epiſcopi, *Steno* Sture, *Ericus* Axilli, *Ericus* Erici, *Nicolaus* Sture aliique. Verum iſtæ doloſæ induciæ ſpe pacis a Rege conceſſæ, ipſi exinde abſumto commeatu & milite defatigato per incommoda acciderunt. Etenim ultima primis reſpondere, nec a Svecis exſpectandum quicquam videns, ad interiora profectus eſt Rex, ſeque circa Malmenum, quæ boream ſpectat, munitionibus circumvallavit. Atque ipſe mox Upſaliam veniens, vicinas ibi ditiones ſuas in partes traduxit, ſequentibus ex nobilitate haud paucis. Præcipua ejus apud populares de regni ſenatu, qui eum circumducere ſtuderet, querimonia audita. Dumque octiduum circiter Upſaliæ egit, Elsburgum prævalidum munimentum, littori ac finibus Norvagiæ adſidens, a Veſtergothis interceptum ſibique præreptum accepit; *Stenonem*que Stocholmia clam moviſſe verſus Oſtergothiam, ac ei cum Dalecarlis occurrere fratrem *Nicolaum*, præter validam manum, quæ Stocholmia movens eisdem ſe jungeret.

Et *Steno* deinde poſtquam Erſam, quæ aliquot Stadia Stocholmia eſt remota, cum exercitu acceſſiſſet, dat litteras ad Regem, eum monens, ut e Svecia in Daniam faceſſeret: Reſpondit Rex, ſe haud eo animo veniſſe, ut ita domum feſtinaret. Nec mora; verſus Malmenum *Steno* ducit, Regis exercitus tripartitus habebatur. Erant enim navibus nonnulli præſidio relicti; alii montem Brunionis ſeruabant, quod editum eſt jugum, Stocholmiæ regiam a borea ſpectans, ceteri circa cœnobium divæ Claræ ſe continebant. *Steno* recta verſus Branchonis jugum, clara luce, (erat enim diei circiter meridies) pergens, ignem injici regiis tentoriis curat, ac ſimul myoparones ac lembi aliquot cum viris armatis Stocholmia ſubmiſſi, qui pontem ſublicium (hic inter Keplingam et Malmenum erat) vel ferro vel flamma ſubruerent. Quod dum fit, acerrime utrinque pugnatum. Prima acies circa frontem regii exercitus decertabant, ceteri tergum invadebant. Ipſe Rex malis haud cedens inque hoſtem alacriter vadens, dum pugnat ſuosque exemplo adhortatur, dentes ei aliquot ictu muralis tormenti, vel ut alii tradunt, bombardæ ſphærula excuſſi; miles interea jugum montis fortiſſime tutatus Stenonem bis terque retrocedere loco coëgit: Dum tandem fatiſcentes Dani & ad inferiora retruſi fugam capeſſere cœperunt, relictis haud paucis ſuorum, in quibus

Rex copias in Veſtergothiam movet Oreſtenum obſidet a Stenone & Nicol. Sture-is repulſus.

Margaretha Angl. Reg. cum filio extorris Chriſtiani R. aliorumque opem efflagitat.

A. 1471. R. Chriſt. conventum decernit

ejus conditiones.

ſed ſatius ducens vim inferre, claſſe in Sveciam appellit.

fruſtra interea agitur cum Svecorum procedilationibus.

Regis copiæ excenſione facta ditionem Upſal. occupant.

occurrit ipſis Steno cum fratre Nicolao.

pugnatur acriter.

Rex fortiter pugnans vulneratur.

tandem cedunt Dani.

præter eos, qui magno numero circa Danebrogae vexillum cæsi jacebant, captivorum propemodum nongenti fuere, et aliquot etiam centeni aquis hausti, dum naves repetendo fuga sibi consulere nituntur. Ex primoribus in ipso monte fortissime dimicans occubuit *Trottus* Caroli; captus vero *Nicolaus* Ronnovius Mareschallus, ut & *Thuro* Thuronis, *Biornus* Johannes, *Andreas* Friis, *Nicolaus* Lunge, *Ericus* Tagonis, *Didericus* Friis, aliique equestri familia ac stemmate conspicui. Hac victoria clarus Steno omnes passim regni ditiones percurrit, ac suæ ubique potestatis arces fecit, sive a Svecis, sive Germanis defenderentur, qui enim resisteret, nuspiam occurrebat. Quin & secutæ haud multo post cum Svecis induciæ ob captivos fortasse, quos magno, ut dictum, numero *Steno* tenebat. Et aliquot exinde annis actum super Svecis silentium vel oblivio fuit, cum eos nec impeteret *Christianus*, nec curaret magnopere, melioribus hoc, quicquid esset, fatis, aut filio reservans. Quamvis interea non deerant ex nobilitate, & in his ipse Archiepiscopus *Thuo*, qui Regi authores essent, repeteret ac resumeret ab injusto possessore *Ivaro* Axilli Gotlandiæ arcem Visburgum, cum eam bona fide sibi a Rege traditam jam olim accepisset. Proponebat quin etiam subinde sibi Rex, totam eam terram ferro ac flammis depopulari, ut neque ad se neque ad *Ivarum* ex ea commodi quicquid redire posset, sed ab ea cogitatione abduxit eum miseratio incolarum, quibus vitio verti non poterat, quod *Ivarus* delinqueret. Confirmavit iisdem his diebus Dithmarsis, quæcunque illi privilegia atque immunitates ab ejus majoribus Holsatiæ principibus jamdudum accepissent, ea se sarta tecta servaturum & ipsos terra marique defensurum promittens. Similiter & fœdus inter Holsatos quondam & Dithmarsos ictum nuto suo per idem hoc tempus approbavit, ratumque habuit.

Hinc Steno omnes regni arces ditionesque occupat.

inducia.

R. Christianus a Gothlandia incolarum misertus abstinet.

Ditmarsis fidem firmat

Amstelodamensibus Bergam Norv. navigandi facultatem tribuit.

Et Amsterodamensibus quoque obnixe id petentibus potestatem fecit enavigandi Bergas Norvagiæ atque ibi negotiari, magno minorique pondere, quæ vellent, mercari ac vendere, pro veteri consuetudine; exceptum interea pontem volebat, ubi negotia sua Theutones excercebant. Et Regi præterea ac regno, quæ erant pendenda, penderent. Posthæc Calmariæ anno insequenti, qui fuit supra millesimum quadringentesimum septuagesimus secundus, præsente utriusque Daniæ Sveciæque senatu, conventum, ut esset inter regna utraque eorumque incolas pax perpetua; alter alteri bellum haud unquam inferret. Quisque, ubi opus esset, auxilium mutuum alteri præstaret. Neutrum regnorum hujus fœderationis ergo bellum moveat, nisi consentientibus sibi regnis singulis, libere ab omnibus frequentarentur regiones ac regna jam dicta. Utque omnia, quæ controversa hærerent, tam de præfecturis quam ipso Sveciæ regno, ea demandarentur certis judicibus

A. 1472. Calmariæ pax inter Danos ac Svecos facta.

proximo anno Calmariæ enuncianda. Hæc exinde fœderatio, ut est ab ordine equestri ipsoque Stenone approbata, ita quoque perutilis regnis accidit oppidoque solatio indigenis fuit. Invenio eadem hac tempestate aqud Scotos in aula *Jacobi* Regis fategisse nonnullos de fœdere iciendo perpetuo cum Rege Galliarum *Ludovico* undecimo ac Rege *Christiano*, & nuptiis perillustribus simul inter filiam ejusdem Ludovici & filium Christiani *Johannem*; Actitatum de hisce Edimburgi præsentibus utriusque Regis procuratoribus. Sed ut fœderis ratio habita ratum id fuit, ita nuptiæ successu caruere. Nupta enim illa *Ludovico* XII. *Johannes*, vt mox liquebit, *Christinam*, Saxoniæ Electoris *Ernesti* Ducis Misniæ Marchionis filiam domum duxit.

Consilia de fœdere Jacobi R. Scot. cum Lud. Gall. R. itemque nuptiis Johannis Dan. pr. cum Lud. R. G. filia inita.

Incidit hoc tempore patratumque simul & punitum scelus viri, quem genus magis quam facta commendabant. Etenim perdi capite fecit *Henricus* Menstropius Regius Corsoræ præfectus, hominem prave nobilem atque extreme perditum, reumque sacrilegii non unius: Utpote cui ædium sacrarum ornamenta, hierothecas, calices pecuniasque rapere ludus fuerat. Is morte adjudicatus jamque supplicio vicinus e sinu pyxidem deprompsisse memoratur hostiarum, ut vocant, plenam, ac voce clara, cum se decennio toto synaxeos sacramento non usum proclamasset, semet id officii præstiturum sibi addidit, & simul hostiarum alteram post alteram sumendo ore singulos deglutiit hæc inquiens, anni primi vice esto, hæc sequentis &c. Quæ taliaque ex veteri memoria repetita, ne exempla vel recti vel pravitatis desint, uti se offerunt haud absurde memorari existimo. Ingens per idem hoc tempus Eidoræ oras inundatio pervasit, ruptis aggeribus, præsertim illis, quibus Ovenhubæ districtus defendebatur, quique annos jam ultra septuaginta infractus constiterat. Et præterea insignis obitu Archiepiscopi Thuonis, qui præsulum Lundensium vigesimus nonus censebatur. Ei est proxime surrogatus *Johannes* Boctrupius, regius Cancellarius ac juris præsertim canonici scientia clarus: hinc Romano pontifici dependisse tum annalis nomine duo aureorum millia memoratur; quod erat, ut alii interpretantur, togæ episcopalis vice donativum, sive anni ejus proventus, caducum alias appellatum. Proxime deinde, qui fuit annus millesimus supra quadringentesimum septuagesimus tertius, conventus, qui erat præfinitus, Calmariæ est habitus, maximoque ibi numero Sveciæ proceres præsto fuere. Verum cum ejus propemode, cujus nomine conventus fuerat, peractum vix quicquam esset, alius sub festum divi Johannis indictus est dies. Interim suffragiis omnium fuit approbatum, omniumque plausu exceptum, quod pacem præcipue, regnorumque concordiam, tum & judices utrinque duodecim, de quibus est dictum, spectabat. Detinebatur eo tempore haud leviter *Christianus* Rex importunitate fratris sui Comitis

Henrici Meinstorpii insignis impietas.

Eidoræ inundatio.

Thuo archiepisc. Lund. obit, cui Jo. Boctrup. succedit.

A. 1473.

Calmar. conventus celebratur.

Gerhardi Com. in Hi

Gerhardi

Satia machinationes.

Gerhardi. Qui raptis hinc inde manipulis, pervagatus Holsatiam Husæ oppidum invaserat, assumptis secum tignis aliaque materia, quæ ad loci munitionem pertinere videbatur. Erat illi occultus ac mutuus cum nonnullis sensus & conspiratio, & maxime cum *Henrico Volphio*, qui postmodum arrepta fuga, ad Dithmarsos confessus Husensibus exhibuit regios codicillos, sed die & æra literarum immutata; hoc nimirum passim agens, ut eum cuncti legitimum atque hæreditarium dominum agnoscerent. Strandii & si qui Frisiis minoribus vicina erant, fidem eum atque obsequium polliciti, eum jam sequi, ac dicto ei audientes esse videbantur. Estque audentior redditus Svavedstadium circumcingere, adjutus a Stapelholmiis haud destitit. Ac nunc propius propiusque accedens exinde *Christianus* & militem undique cogens præter Lubecenses & Hamburgenses, qui vires soci averant, ipsos præcipue Holsatos secum ducebat. Eoque cognito se in fugam Gerhardus conjecit, & cum eo ex popularibus aliquot: quorum singuli, tam ipse, quam qui eum secuti sunt, quique a partibus ejus stetere, in summum discrimen deducti, cum aliud propalam verbo & codicillis *Gerhardus* promisisset, ut est memoratum superius. Quocirca inspecta propius re, capti plures, & in his *Edlevus* Canuti ejusque gener capite plexi. Strandiorum quoque & Husensium haud pauci gladio similiter cæsi. Stapelholmensium, Eiderstedensium, ut & Lindeborgiorum quotquot *Gerhardo* sacramentum dixissent, infames pronunciati. Plurium nomine intercessio facta, quibus tamen vix ægre Rex veniam concessit. Husam igne injecto delere totam constituerat, nisi medios se objecissent *Petrus* ab Alefeld, Gottorpii Præses, & *Tottus* Vendekenus. Quorum deprecatione iram remisit. Quæ ubi cognovit *Gerhardus* magis magisque sibi metuit, seque in diœcesin Bremensem, atque inde Lyneburgensem proripuit. Præcipuo Lubecensibus & Hamburgensibus succensuit, quod illi auxiliariis suis copiis Regem juvissent. Et ideo ipsis vel maxime imputabat, quod rejectus ac seclusus a paternis herediis esset. Inde nec destitit, qua poterat, suis in ditionibus eorum & cives & negotiatores, dum iter faciunt, invadere homo, quod res ostendit, animi turbidi ac impotentis. Hinc cum Dithmarsis triennalis fœderatio inita; qua pollicitus illis Rex fuit, & illi vicissim Regi mutua auxilia; si præsertim illos vel illorum privilegia & immunitates impeti & infringi a quopiam contingeret. Neuter hospitium alterius inimicis concederet. Telonium Hannouiæ juxta pactum, quod esset concessum, Dithmarsis servaretur. Diximus ante triennium nuptias pactas atque initas cum Rege Scotorum *Jacobo* III. & filia *Christiani*, *Margaretha*, quæ ætatis annum vix duodecimum tum excesserat. Ea hunc annum festum ac lætum reddidit nativitate filii *Iacobi IV*, qui patri exinde in regnum successit, *avo Christiano* nepos optatissimus. Hic Regum exinde a stirpe Stuartia quartus fuit, habeturque (quod isto loco haudquaquam reticendum) Danicæ originis Stuartiorum hæc prosapia, & ea ab usque Saladini Syriæ Regis temporibus Scotiæ fuit inserta. Ac Reges deinceps aliquot *Jacobus* nomine, Scotorum posteritati serie nusquam interrupta suffecit ac propagavit, sed infelices fere omnes ac morte violenta peremptos, præter ultimum, qui magnæ Britanniæ monarcha fuit Jacobus nomine ejus sextus. Legitur etenim Macolmus secundus Rex Scotorum memorabilis Valterum sive Valerium nobilem pariter atque impigrum Ducem e Dania oriundum virtutis causa ad Stuarti dignitatem evexisse: quod in Syria insigni fama adversus Saracenos Christianis in castris militasset: eorum siquidem lingua regii convivii magister Stuartus appellatur. Hector Bœtios seneschallum eum regni a Rege creatum ait, & *Stuart* vulgari cognomento, a regio munere nuncupatum; id exinde nominis in familiam traxisse. Quam autem inauspicati ex eadem stirpe progressi Reges fuerint, docet primus ejus nominis *Jacobus* Stuartus, qui sub anno 1425, postquam imperium accepisset, eum conjurati familiares in cubiculo trucidarunt. Secundum hostile castellum incautius oppugnantem distracti tormenti ænei frustum interimit. At tertius, de quo locuti sumus, quarti hujus hoc anno nati parens ab eo ipso, parricida filio, ad Sterlinum justa acie superatus atque interfectus occubuit. Qui & ipse exinde haud meliore fato usus, absente Henrico VIII. Angliæ Rege atque in Morinis adversus Gallos res gerente, ubi Angliæ invasisset fines, a Surreio Britannorum Duce ad Floddum magna clade prostratis Scotis occisus est, superstite relicto *Jacobo* quinto impubere inque regni spem educato. Qui cum adolevisset, primo Galliæ Regis filia Magdalena, sed sterili, atque inde Claudii Lotharingiæ Principis Maria in matrimonium assumpta, postquam procreasset filiam *Mariam*, pari cum avis ac proavis felicitate, ipse tandem vel corporis vel animi potius ægritudine tentatus ob minus prosperos successus exspiravit; quamvis alii sublatum veneno suspicionem injiciunt. At hisce postremum omnibus, qui successit & agmen veluti clausit Jacobus sextus Maria progenitus Stuartia pius senex triumphator exstitit. Et licet non semel insidiis vique aperta petitus sit, id tamen æternum nominis sui decus post se reliquit, quod ipso imperante, conjuncta sit Anglis Scotia, & unum utriusque sceptrum sub unico magnæ Britanniæ titulo, seque Rege efflorescere fecerit, procreata relictaque post se ex Anna Regina filia Friderici III. Danorum Regis felicissima sobole & in hoc filio Carolo, qui ejus nominis primus Rex sceptrum hoc tempore moderatur, & utinam diu feliciterque cum ipse, tum ejus deinceps hoc ipsum moderetur posteritas. Tradit *Johannes* Ferrerius

Strandii & Frisii ipsi fidem addicunt.

Svavestedium obsidet.

Adventante Christ. R. cum copiis fuga salutem quærit. ejus asseclæ puniuntur.

Gerhardus Lubecensibus & Hamburg. infestus.

Rex cum Dithmarsis fœdus jungit.

Jacobus IV. Scot. natus

Stirpis Stuartiæ origo & fata hic interseruntur.

rerius Pædomontanus, qui hiſtoriæ Scotiæ Hectoris Boëtii appendicem addidit, Regem *Chriſtianum*, accepto e filia ſua Margaretha natum, de quo memoravi, Jacobum IV, ut congratularetur fœcunditati filiæ ſuæ, renunciaſſe juri ſuo, quod habebat ſuper inſulis Orcadibus & Hetlandia Scoto, ut dictum, ſub hypotheca traditis. Sed id cum ex auditione magis *Ferrerius*, quam ex ipſis tabulis, quas aſſervari in archivis Scotorum principum accepiſſet, commemoret, nec acta domeſtica accurrant, quibus fulciatur, nihil aſſerere his audeam. Rex autem, compoſitis, ut meminimus apud Holſatos rebus & Svecis pacatis, cum & domi tranquilla jam eſſent omnia, ſalutare Romanum non modo Imperatorem, ſed & Alpes transgredi, & illud orbis olim caput Romam, inque ea Pontificem mox videre ſive ex voto, ut illo ævo ſveverat, ſive quod eo negotia quoque regnorum ejus traherent, animum inducit. Erat Januarii menſis lux octava, hoc eſt, dies Dominica poſt feſtum trium Regum, anni, qui ſuperiorem excepit, milleſimi ſupra quadringenteſimum ſeptuageſimi quarti, cum Segeberga, quod Holſatiæ eſt oppidum atque arx munitiſſima, egreſſus, aſſumtis ſecum e regno præſulibus, equitibus aliisque magnatibus aliquot, ut & viris doctrina ac dignitate claris præter Germaniæ principes *Johannem* inferioris Saxoniæ, Lauenburgicum & Comitem Mellingæ ac Barbii *Burchardum*, Comitemque Helfenſteinæ *Ludovicum*; in Germania omnium primum Imp. *Fredericum III.* Roterbugi adiit. Ibi ab eo ſumma exceptus honoris ſignificatione, cujusmodi debebatur regnorum trium potentiſſimo Regi poſtquam de variis diſſeruiſſet, ac demum de ſtatu regnorum ſuorum ac orbis Chriſtiani communi republica interfatus nonnulla eſſet, adjecit poſtremum, eſſe ſuis in tractibus, quæ tamen imperio ſubjiceretur, gentem libertate vel potius licentia, præferocem ac gravem vicinis, qui Dithmarſi vocarentur; eos ſibi ab imperiali majeſtate, cujus hoc eſſet arbitrium, clementer ſubjici efflagitat; ſimul orans rogansque, ut Holſatiæ ac Stormariæ Comitatus & iis junctam Dithmarſiam evehere in ducatum ac ſibi regnisque ſuis hoc præſtare honoris haud gravaretur. Imperator regiæ petitioni aurem perlubenter commodans conceſſa Dithmarſia, veterem inſuper comitatus titulum, novo ac illuſtriori ducatus vocabulo commutat, traditisque eadem de re Cæſareis codicillis ac Electorum autographis, ſolenni ritu in Regem id totum transfert, ea, praeter cetera, lege, ut Cæſarem nihilominus ac ſacrum Romanum imperium, non aliter quam prius, ipſe ejusque poſteri agnoſcerent, dictoque ſe audientes præberent. Quibus peractis, haud diu moratus, ſub diem vigeſimum quartum inſequentis menſis Oenipontem pervenit. Hic in occurſum ei Dux Auſtriæ *Sigismundus* prodiit, ſimulque conjux ejus Duciſſa *Leonora* Regis Scotorum, *Jocobi Imi* filia. Quos inſecutum continue eſt ejusdem principis gynæceum, virgines, matronæque, pilentis aliquot inauratis vectæ, præter eas, quæ in equis ſpectabantur; ipſum Ducem equitatus comitatur equorum circiter trecentorum. Hic dum agit, honeſtis convictibus, haſtiludiis aliisque amœnitatibus transacti dies aliquot. Nec mora, Brixiam abiit. Ubi eum Venetorum præfectus quam honorificentiſſime excepit, ſibi Comites ducens equitum peditumque perplures. Inde eorundem Venetorum ditionis Malapagum profectus, Roiæ Dynaſtam obvium habuit cum equitibus quingentis. Eſtque deductus ab eodem in arcem oppidi, ac poſtera mox luce honorifice dimiſſus Tarviſium, atque inde Galleacii Sfortiæ Mediolanenſium Ducis territorium ingreſſus, in occurſum juvenes habuit circiter quadringentos; albis omnes veſtitos, quorum quisque vexillum manu ferebat, inſignia hinc Regis, inde Ducis inſcripta exhibens. Hi ut erant docti, læto celeuſmate Regem excipientes, Chriſtiano D. Daniæ, itemque Galeacio identidem acclamabant. Dux ipſe præmiſſo fratre ac ſenatu, magnoque clientum numero cum equite pediteque inſequutus, præter immenſum populum, qui ad aliquot miliaria in occurſum prodibat, Regem in urbem usque deduxit, reſonantibus cunctis, quod modo de juvenibus memoratum. Nec deerat circa oppidi portam clerus ſymphonia ſuisque canoris vocibus Regi adventum gratulari. Plateæ quoque ædiumque fores, qua erat transiturus, purpura undique ac floribus perſperſæ amœne, Regis Ducisque clypeos oculis viſentium ingerebant. Inde cum valedicturus eſſet Rex *Galeaceo*, ei offerre dono *Galeaceus* fecit ducatorum tria millia mulosque duos cum ephippiis inauratis ac ſtratò operis Phrygii. Quin & præferri eidem claves juſſit arcium ſuæ ditionis, & loca inſuper lautiaque ubivis præberi. Ac ultimo comitatus eſt eum Ticinum usque, ubi duos ex domeſticis Ducis equeſtribus inſignibus ornavit. Ipſemet Dux præter ſupra jam dicta a Rege digreſſurus monile pretioſiſſimo ſaphiro diſtinctum, ei in ſui memoriam muneri præterea reliquit. Quæ omnia tam prolixe a Galeacio Regi vel ideo præſtita, quo ille in reditu per Germaniam eum apud Imperatorem, quem offenderat, in gratiam poſtliminio reponeret; Quod & ipſe ſumma cum cura, ſumma prudentia præſtitit, ut inde dicetur. Poſt id ad affinem *Ludovicum* Mantuæ Marchionem iter flexit. Qui ipſi, antequam urbem ingrederetur, præter ceteros, filium ſuum ac conjugem Barbaram, quæ Reginæ Dorotheæ conjugis *Chriſtiani* Regis ſoror erat germana, obvios miſit, ſubſtititque apud eos biduum circiter. Proxime deinde, cum menſis jam eſſet Aprilis, Aquapendentem venit; quo Romonorum Pontifex Sixtus IV. Cardinalium duos ei in occurſum præmiſit. Ipſe cum reliquo patrum ac purpuratorum ſenatu, eum, ut par erat, tantæ potentiæ Regem ſumma

Christ. Rex gratulatur fœcunditati filiæ Orcades & Hetlandiam insulas cessisse Scotorum R. traditur.

Christ. R. iter ad Romanum Imp. & Pontif. meditatur.

A. 1474. abit.

Imperatorem convenit

qui Regis precibus adductus ipsi Ditmarsos adjudicat Holsatiam, Stormar. & Ditm. Ducatus titulo ornat.

Hinc Rex Oenipontem concedit, ubi a Sigism.

Austr. D. magnifice habitus.

dein Brixiam tendit & Italiam attingit.

Mediolanum cum pompa ingressus.

Mantuæ Ducem sibi affinem salutat.

Romam veniens a Pontific. Rom. excipitur

ſumma cum honoris demonſtratione Romæ excepit ac ipſi ſuo in palatio metari hoſpitium præcepit: ceteris in urbe ſeorſim ſingulis diverſoria monſtrata. Mox omnibus, qui aderant, Regemque viſum venere, indulgentias Pontifex impertiit. Ac ipſo Paſcatis feſto ipſemet Regi ejusque comitatui univerſo ſynaxin ſua manu miniſtravit. Traditaque ex auro roſa, quæ a Pontifice conſecrata ſummis tantum principibus dari ſolita, eam manu Rex tenens, perque urbem Romam comitantibus magno numero cardinalibus, præſulibus, aliisque prælatis, plateas obequitans ac cuncta obiter perluſtrans, prope ædes ſive palatium Cardinalis ad vincula Petri, cujus ad cœnam jam ante promiſerat, ex equo deſcendit. Hinc plurimis maximisque a Pontifice Max. muneribus ac donis honeſtatus Rex viciſſim regnorum ſuorum tria obtulit: quæ & miſſa Pontifici & Cardinalium nonnullis, erantque præter halecem piſcis Bergenſis & pelles Hermelinæ. Aderantque ibi *Franciſcus* Cardinalis Mantuanus, qui Regem quoque haud indonatum dimiſit. Exceſſit vero ſub finem Aprilis Roma, deductus Pontificis nomine a duobus Cardinalibus ac paſſim per ditiones ejus immunis ac liberaliter habitus. Hinc Florentiam tranſiens, Senas mox venit. Hic ubi oppidum erat ingreſſus *Auguſtinus* datus orator, ac philoſophorum ea ætate clariſſimus ſenatus univerſi nomine, ut honorifice, ita oratione eloquentiſſima eum excepit, ei inter elogia cetera Gothorum Vandalorumque titulos magna cum laude attribuens. Bononiam vero intrauit ſub ſextum Maji ibi de die in æde cathedrali Rege præſente *Hermannus* Reinsbergius itineris Regii comes, de nocte vero in Regis hoſpitio *Johannes* Heſſenius, domeſticus Regis a quatuor Academiæ profeſſoribus primariis doctoratus titulo inſigniti. Mox ubi Mantuam rediiſſet, manſit aliquot diebus apud affinem ſuum, de quo dictum, *Ludovicum* Marchionem conviviis haſtiludiis aliisque honoratus feſtivitatibus, ejus ex nobilitate ſeu domeſticis duos creavit equites, ac ducem ipſum aureo ſuo vellere, hoc eſt elephanto, donavit. Inde ad Lacum Cumanum, Larium alias dictum progreſſus, ibi naves in id paratas Caleacii Sfortiæ, de quo dictum Mediolanenſium Ducis intravit, una earum Regem excepit, pupilionem ita compoſium habens, ut undique proſpectus pateret. Hæc navis primariis cantibus ac muſicis modulis tota perſonabat, ut & ceteræ, quæ numero duodecim, militem inſuper ac Ducis Architriclinium vehebant. Quibus ſe quoque ex accolis nonnulli junxere, qui lacum circum habitant, adnavigantes utrinque Regis lembum; atque eum jucundis hinc modulationibus, inde vino & pane amice oblectantes honorantesque. Proximo deinde Junio Auguſtam Vindelicorum advenit. Quo & Imperator Fredericus ut & electores aliique Germaniæ principes Regis præcipue cauſa acceſſerunt, ut eo veluti medio controverſa, quæ inter ipſos & Imperium hærebant, opportune componerentur. Aderat & miſſus a Pontifice legatus, ſuſtititque ibi menſes circiter ſex. Controvertebantur per idem tempus cum præſule Colonienſi capitulum, ſibique veluti tutorem ac defenſorem aſciverat præſul Ducem Burgundiæ Carolum. Eratque in eo, ut urbem Noveſium, quæ ad eccleſiam ſive capitulum ſpectabat, non obſideret modo, ſed totam quaſi perderet. Quod ut præverteret hinc Cæſar & Electores, inde Pontificis nuncius miſere ad *Carolum*, una cum Regis legato, ſuos quoque, qui eum monerent, cæpto deſiſteret, ac rem amicæ compoſitioni permitteret. Tum quoque Henricus Monaſterienſium præſul Bremenſium Adminiſtrator contra pactum, quod cum Rege, antequam Romam peteret, icerat, fratrem ejus Comitem *Gerhardum* intra Oldenburgi mœnia obſeſſum tenebat. De quo apud Cæſarem & Electores poſtquam eſſet queſtus Rex, miſſæ ad Epiſcopum Cæſareæ litteræ, quibus deſiſtere ab ea obſidione, omniaque in reditum usque Regis differret ſerio & ſub amiſſione feudi ſive beneficii ſui fuit commonitus. Inter *Cæſarem* autem & Ducem Mediolani *Galeacium* Sfortiam, quicquid erat controverſi, quemadmodum ei pollicitus Rex fuerat, de quo dictum modo, amice & in totum compoſuit ac ſuſtulit. Valedicto Cæſari & Electoribus profectus eſt Auguſta cum *Alberto* Marchione Brandenburgico. Venitque Onoldbachium ſub tertium Julii menſis. Hujus Alberti e fratre Johannem neptem *Dorotheam* ſibi conjugem *Chriſtianus* habebat, ſororem Duciſſæ *Barbaræ*, quam, ut dictum, Mantuæ jam recens ſalutaverat. Hic diebus aliquot ſæte transactis, allatam ei obſidionem de qua injectum, Oldenburgenſem, a Præſule ex Cæſaris mandato ſolutam ac derelictam. Moxque Brunſuicum veniens, ibi ex ſuis, quos ad *Carolum* Burgurdum miſerat, accepit, Noveſium ab eo arctiſſime obſeſſum. Dum autem ibidem eſt, Brunſuicenſes Duces *Guilielmum* ejusque filios cum Duce Megapolitano *Magno* cumque diœceſi Hildeshemenſi, qui inter ſe dudum diffidebant, compoſitis amice omnibus pacatos concordesque reddidit. Inde ſub feſtum Bartholomæi, qui fuit 24. Auguſti, Reinsfeldiam ditionis ſuæ Holſatiæ cœnobium, ſuis cum omnibus incolumis ac ſalvus ingreſſus fuit. Hoc tertio itinere haud ultra viginti quinque aureorum Rhenenſium millia abſumpta reperio; eum utique immunem præſtantibus, & quaqua iter faceret, liberaliter excipientibus tam Italiæ quam Germaniæ Principibus. Domum & ad ſuos reverſus Rex (quod ſuperioribus perperam miſcent nec diſtincte tradunt ſcriptores exteri) illuſtri legatione a Cæſare & *Carolo Burgardo* vocatus eſt in diœceſin Colonienſem, quo ibi, quæ hærebat inter præſulem & eccleſiam gravis controverſia, eo adjuvante, tolleretur. Etenim duo inter ſe de Epiſcopatu

Romam linquens Florentiam tranſiens Senis honorifice habitus.

itemque Bononiæ

Mantuæ commoratur.

lacum Cumanum jucunde transvectus

Auguſtam Vindel. pervenit.

multorum apud Cæſarem controverſias amice componit.

Cæſari & Electoribus vale dicens Onoldsbachium tendit.

Brunſuici

Reinefeld. in Holſ. Rex redux factus.

Itineris ſumtus exigui.

Rex ad ſopiendam Colonienſ. controverſiam evocatus.

patu Colonienſi principes competitores a clariſſimis Germaniæ familiis *Robertus* Bavarus & *Hermannus* Heſſus contendebant. Aderatque non invitus Bavaro *Carolus*, quod vel inde occaſionem aliquam ſuborituram ſperaret turbandæ Germaniæ, ut erat etiam alias bello deditus is princeps. Rex qui pietate ſingulari ac pacis amantiſſimus audiebat, eo iter inſtituere ſub feſtum Simonis & Judæ, qui erat Octobris 28. haud deſiit. Venitque haud multo poſt Duſſeldorpium e regione Noveſii, quod ab epiſcopo & Carolo obſidebatur. Ducebat ſecum Rex equites centum & viginti; itemque Ducem Brunſvicenſem ac Luneburgi *Fredericum* cum equitibus quadraginta, ducem Saxoniæ *Johannem* cum ſeptem & viginti, ducem Megapolitanum *Magnum* cum equis viginti duobus, Comitem Oldenburgi fratrem ſuum *Gerhardum* ejusque filium, Adolphum cum equis item viginti tribus; Comitem Lindaviæ & Rupini *Jacobum* cum equitibus ſex, dynaſtam Ronsfeldæ Johannem Baronem ac præpoſitum Oſenburgenſem cum equis novem. Rex ubi perveniſſet Sueſtum, ei occurrere equites aliquot Colonienſes ac Veſtphali animo, eum, ſi occaſia tuliſſet, cum univerſo comitatu intercipiendi. Quod ubi Regi cognitum, eluſo hoſte flexit iter Lippiam verſus; venitque die Lunæ poſt divi Martini Duſſeldorpium. Hic cum aliquot diebus ſubſtitiſſet, priusquam convenire Ducem daretur, poſtremo *Carolus*, erecto ex adverſo Duſſeldorpii ad ripam Rheni in honorem Regis tentorio, eo ipſemet conceſſit, comitatus equitum cataphractorum quinque millibus ac myoparonibus duodecim præſidio armatis, quos Rhenum deſcendere juſſit. Rex ceterique Principes excepti celoce Ducis, atque ei occurrens mox alia celoce ipſemet *Carolus* ferreo ac ſplendenti indutus thorace magnique pretii margaritis undiquaque diſtincto, porrecta Regi acceptaque dextra, ei adventum eſt gratulatus. Eumque poſtero hinc die in caſtris invitatum una cum reliquis principibus opipare ac magno cum honore convivam excepit. Eſtque actum a meridie de pacis capitibus, ſed peractum parum. Hinc Coloniam Agrippinam digreſſus trium ibi Regum feſtum celebravit, ac ſimul ſcyphum inauratum affabreque elaboratum, religionis ergo eccleſiæ, in qua eorum corpora ſervari memorantur, dono reliquit.

inſidias evitans Duſſeldorpium venit.

Rex ibi benigne exceptus a Carolo Duce Burg.

ſed parum effectum eſt.

R. Coloniam Agr. petit;

hinc Andernacum ad Cæſarem concedit.

Colonia deinde Andernacum ad Imperatorem atque Electores profectum, adventantem mox Cæſar honorifice excepit, inque hoſpitium deduxit. Ibi cum ceteris principibus excuti iterum cœpta eſt Epiſcopi atque eccleſiæ cauſa, ſed dilata denuo ac rejecta in tempus aliud. Andernaco deinde cum rediret Coloniam, ter in eum de turri, quæ Rolandi dicta, licet de reditu ejus commoniti fuiſſent, exploſa tormenta. Exuſtique incenſa fortuito turri homines circiter triginta. Quod ubi accepiſſet *Burgundus*, ira incenſus, & præſulis & ſuum præfectum ad ſe evocatum, in caſtris Noveſii mulctari ſuſpendio mandavit, quod ſe & epiſcopo non conſultis explodi in regios tormenta feciſſet. Poſtremo Rex Duſſeldorpium iter reflectens, poſtquam parum proficere ſe reliquosque in reconciliando cum præſule capitulo videret, aliud quoque agente atque arma præſertim opinante Burgundo, Rheno in Italiam deſcendendo Navaliorum oppidum, nunc Compos dicimus, acceſſit. Ubi dum naves parantur, diebus aliquot ſubſiſtens, ſecundo mox vento Albim intravit; atque hinc Holſatiam petens, ſuas in oras ante æquinoctium vernale anni inſequentis ſalvis omnibus regreſſus eſt. Cæteri qui tum comitati fuerant Germanæ Principes, terreſtri via per Cattos & Angrivarios ad ſua redierunt, excepto fratre Regis Comite *Gerhardo*. Hic apud Burgundum Principem ſibi ingenio haud diſſimilem, utpote bello imprimis gaudentem, ſubſiſtens ac varia agitans, inſuper habito fratris Regis conſilio, qui id diſſvaſerat, fœdus cum eodem init. Ejusmodi ſcilicet, ut Burgundo *Gerhardus* annuo ſtipendio authoratus ei obſequium ac fidem, quos in hoſtes ducturus eſſet, obſtrinxerit. Etenim percommodum Burgando viſum, qui Friſios præcipue Hollandiæ ſuæ annectere aliquando meditabatur, per hominem ejusmodi id tentare, qui natura non tantum inquies ac ferox, tum & armis erat exercitus, ſed Friſiis quoque adeo loco vicinus. Hoc igitur Burgundus agebat, ſi uno forte tempore ſummis viribus debellare eam gentem non daretur, ſaltem laceſſendo & vexando ab omni parte ſenſim attritam fractamque ad imperium ſuum acceptandum adigeret. Regi autem multo majores hoc itinere, quam ullo Romano ſumptus factos memorant Chronologi. Impenſa enim ultra quinque & quadraginta aureorum millia litteris proditum. Apud Cæſarem inque Germania dum eſſet Rex, non tantum reconciliationes, de quibus memoratum, inter Principes imperii, beneficio ejus procuratæ. Et Holſatia cum ejus partibus & in his partibus Dithmarſia exſtincto, ut meminimus vetere comitatus titulo, in ducatum evecta; ſed & ipſe Cæſar ac Rex arctiore invicem fœderis vinculo in omnem eventum juncti, pollicitusque eſt alter alteri, cum id neceſſitas flagitaret, & maxime adverſus Turcam mutua auxilia. Magnique ſeorſim Chriſtianum Cæſar fecit, oppidoque ſibi charum habuit, quod eum aliquando ſibi domeſticum ac aulæ Conſortem fuiſſe intelligeret. Quin & Papa Romanus, præter quæ diximus, Regi hoc efflagitanti, ejus regnis ſingulare donum tribuit, ut quod agere olim Rex *Ericus* Pomeranus apud Pontificem Max. cœperat, de erigendo inter regnum Muſis domicilio, haud quaquam iſta occaſione mitteretur. Eſtque confeſtim inſtituendæ Academiæ poteſtas Regi a Pontifice conceſſa. Et locus in regni metropoli Hafniæ, ut inde dicetur, præcipue nominatus. Obtinuit & alia per id tempus apud Pontificem, & inter cœtera, cum eſſent

pendio puniuntur.

Rex re infecta in regnum redit

Gerhardus Com. ap. Ducem Burg. commoratus cum eo fœdus pangit.

Ducis Burgundi conſilium.

itineris hujus gravis ſumtus.

Rex Cæſari fœdere junctus,

apud Rom. Pontif. de Academia ſtabilienda agitat,

eamque Hafniæ ſtatuit.

ab eodem impetrat facultatem constituendi præfectos sacris muneribus.

de naufragis statuit.

Cæsar Regi prospicit de auxiliis contra Ditmarsos, si forte refragentur.

Vandalicis urbibus privilegia firmantur.

ipsique damna a R. Angl. resarcita.

Calmar. conventus.

A. 1475. Lubecenses aliæque civitates apud R. conqueruntur de Gerhardi C. injuriis.

esſent ejus regna longius ab urbe diſſita, & inciderent ſubinde; quæ moram non paterentur, indulſit Regi prælatos, præpoſitos, aliosque ſimiles in locum defunctorum ſufficere, ea tamen lege, ut, qui eum in modum eſſent ſuffecti, de eo intra quadrimeſtre pontificem certiorem redderet. Londenſium vero Eccleſiæ, quæ bellis atque incendiis multifariam variaque detrimenta incurrerat, annuas indulgentias conceſſit celebrandas perpetuo diebus divo Laurentio & Canuto ſacris, addita immunitatum omnium, quibus antiquitus gaviſa fuerat confirmatione. Cautum quoque ſuper naufragiis, petente Rege, ne promiſcue agricolæ quique littoribus adhabitarent, naufragas tabulas & quicquid eorum eſſet, ſibi vendicarent, ſed ei omnia proximæ ædi illata Regio præfecto recognoſcenda traderentur. Egitque per interpretem omnia Rex, mirante hoc magis ſummo Pontifice hunc in Rege non admodum litteris ac linguis exculto pietatem ac litteras bonaque ſtudia promovendi animum. Cæſar præterea codicillos evulgavit, miſſis Saxoniæ Ducibus *Guilhielmo* itemque *Erneſto* & *Alberto* fratribus; ut & Duci Stetini ac Pomeraniæ; nec non *Johanni* Lavenburgico de auxiliis Regi faciendis, ſi fortaſſis ei eſſe dicto audientes Dithmarſi detrectarent. Reddita quoque firmataque Moſætrajecti urbibus Vandalicis ſua privilegia atque immunitates, quibus in Anglia olim Londini atque alibi gaviſæ fuerant. Horum ſæpenumero nomine Brugis Flandrorum atque aliis in locis conventus, ſed fruſtra, habiti. Eſtque ex æquo & bono declarandum ſimul, quod in earum privilegiis vel æqui vel iniqui videretur. Aſſenſit & certam ipſis ſummam pecuniæ reddendam Rex Anglorum *Eduardus* vice detrimentorum, quæ paſſa ſe ab Anglis præſertim urbes eædem quererentur, de quibus injectum nonnihil ſuperius. Cum Suecis quoque iisdem his diebus conventus Calmariæ inſtitutus habitusque. Sed quod peregre abeſſet Rex, nihil ſtatutum magnopere, niſi, ut pax, prout erat jam ſemel poſita, ex æquo utrinque coleretur, & proxime novus indiceretur Calmariæ conventus. Ubi utrinque adeſſent illi, de quibus jam ante memoratum, duodecim judices plena cum poteſtate, adductis ex regno utroque, qui requirerentur, procuratoribus. Turbabat eodem hoc tempore haud leviter publicam quietem ac negotiatores paſſim Comes Oldenburgius *Gerhardus*. Ideoque iterum in eum initio anni, qui eſt inſecutus, milleſimi ſupra quadringenteſimum ſeptuageſimi quinti conſurrexere Lubecenſes, & quæ in proximo eſſent civitates: querelamque ſuam detulerunt ad Regem Chriſtianum fratrem ejus, clementer orantes rogantesque, eum moneret authorque eſſet, ut a publica graſſatione deſiſteret, niſi exſpectare graviora animum induceret. Authorem habeo, eumque domeſticum, qui ad hunc etiam annum refert promulgationem indulgentiarum per boreæ hæc regna celebratam, & ab homine Italo, *Mario* ſive *Marino Fregeno*, Pontificis nuncio, ut & interceptum ejus in Germania, quem hic corraſerat ex iisdem indulgentiis, haud exiguum theſaurum. Sed cum ea in tempus anterius rejiciat Crantzius, nos quoque ſuperius ad annum 1461. retulimus. Lubecæ vero conventus actus ab urbibus Vandalicis occaſione piſcationis, quæ ab illis circa Scandiæ oras quotannis inſtituebatur, tum & nomine ditionis Torpacenſis, quam aſſerere ſibi ac vindicare Theutonici ordinis præſes apud Livonos videbatur. Accedebat & alia liticula, quæ hæſerat aliquamdiu inter Hollandos, Selandos, Friſios & urbes præcipue eas Vandaliæ, quæ boreum & Britannicum mare frequentabant. Facta tum quoque ac firmata, volente Rege, conſtitutio de evehendo frumento aliisque mercimoniis. Eſtque inter cetera decretum, ut ruſticis cum civibus contrahere tantum liceat. Nec fas interim civibus eſſet, accepta peregrinorum pecunia, aut illis abſentibus, eorum agere aut exercere domi negotia; manerentque extra hæc regna tempore hyemis peregrini, æſtate vero in iis ſubſiſtere atque negotiari liberum ipſis foret. Hinc proximo, qui eſt inſecutus, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimo ſexto recepti Bremæ in fœdus Hanſeaticum, e quo exciderant Colonienſes. Quamobrem autem id juris amiſiſſent, ferebatur Colonienſium eorundem pervicacia, quod nimirum durante cum Anglis, de quo ſuperius relatum, litigio, ſeſe a ceteris civitatibus ſejunxiſſent, & cum Anglis ſeorſim ac ceteris inconſultis conveniſſent. Miſit per id tempus *Steno Sturens*, & cum eo ſenatus Svedicus, ſalvi conductus litteras ad proceres Danorum, qui ipſo feſto S. Canuti Calmariæ exſpectabantur. Eoque convenere e Svecia Upſaliæ Archiepiſcopus *Jacobus*, Henricus Lindcopiæ, *Nicolaus* Vexoenſis epiſcopi, D. *Steno* Sture Sveciæ curator ac præſes, *Ericus* Erici, *Ivarus* Axilli, *Eſchillus* Iſaci, *Gregorius* Matthiæ, *Thuro* Johannis, *Carolus* Canuti, *Jordo* Philippi, *Nicolaus* Claudius; a parte Danorum adfuere *Olaus* Martini Roſchildenſis, Johannes Arhuſiæ, *Canutus* Viburgi, *Petrus* Ripenſis, *Johannes* Bergenſis, Epiſcopi, *Ivarus* Wittingius præpoſitus Opsloenſis, *Henricus* Pomertius Decanus Hamburgenſis, *Albertus* Klitzingius præpoſitus Bergenſis, Doctor *Ericus*, archidiaconus Viburgenſis, *Ericus* Othonis, *Nicolaus* Erici, *Johannes* Oxe, *Ericus* Biornonis, *Henricus* Jenſonius, *Vernerus* Pasbergius & *Henricus* Menſtrupius milites: Verum hi, licet adeſſent frequentes, convenire tamen inter ſe haud potuerunt. Voluerunt enim Dani ſpoliatum, ut loquuntur juris conſulti, ante omnia reſtituendum; hoc eſt *Chriſtianum* Regem, quod cauſa inaudita Sveciæ regno eſſet privatus, in illud reducendum prius exiſtimabant, atque inde adverſus eum, quæ dicenda Sveci haberent, proponenda, quod eſſe in cauſa ſua judices ipſi haud poſſent. Interim

ſtatuta in conventu Lubecenſi.

A. 1476. Colonienſes in fœdus Hanſeaticum recepti.

In Calmar. conventu de regni Svec. negotiis tractatur.

terim eo priusquam deventum, firmata utrinque sancitaque, de qua aliquot jam conventibus statutum fuerat, publica regnorum pax. Et illud præterea a Svecis injectum, promissumque missuros ipsos ex suis viros ordinis senatorii quatuor, qui cum Rege *Christiano* super capitibus aliquot propius agerent. Qui si satisfacere per omnia Regi haud possent, rejiceretur, hoc quicquid esset in proximum Calmariæ conventum. Interea utrinque dimitterentur captivi cunctaque pacata haberentur. Acta ea Calmariæ in vigilia assumptionis Mariæ, qui fuit circiter 15. Augusti. Quo eodem deinde mense Augusti scilicet 25. ipso Veneris die post Bartholomæi ex Sveciæ primatibus regni Rodnebyæ convenere *Johannes* Scarensis episcopus, *Gustavus* Caroli, *Ago* Jensonius equites & *Arvidus* Trolle armiger, missi nomine eorum, quos supra nominavi, primorum Sveciæ; quod id Daniæ proceribus, qui & supra positi, polliciti fuissent, omnia nimirum acturos se apud Sveciæ incolas, clerum ceterosque tam ordinem equestrem, quam plebem ac cives, ut sereniſſimus princeps Christianus Rex proxima, quæ instabat, ætate, ab omnibus in Sveciæ regnum reciperetur ac salutaretur Svecorum Rex. Quæ tamen ita ab ipsis in medium allata, modo de capitibus nonnullis, Calmariæ propositis aut proponendis convenire daretur. Et hæc licet deducta hucusque peracta essent, Regi tamen *Christiano* obtingere Svecorum regnum haud potuit. Quod alia hinc inde aliaque identidem producerent Sveci, ac populi denique universi suffragium, quod omnino exspectandum dicebant, perpetuo ostenderent. Quibus eum in modum per varios conventus agitatis ac discussis, tæduit postremo Regem pluribus eadem identidem repetere atque iterare. Deoque ac tempori hoc omne permittens, ne bello quidem experiri cum ipsis deinceps voluit. Et anno statim proximo, qui fuit millesimus supra quadringentesimum septuagesimus septimus mensis Augusti die divo Laurentio sacro satis habuit, edito diplomate protestari adversum Svecos, acceptis eum in finem a Daniæ senatu codicillis, quibus is testabatur, nullibi officio suo defuisse Regem Christianum, ut pax utrinque coleretur utque tollerentur illa, quæ per tot annos Sveciam Danosque miserrimum in modum afflixissent, internecina dissidia bellique incommoda, & cum præterea, ex quo Sveci contra fas & æquum Sveciæ regnum, quod ipsi summo jure debebatur, sibi retinerent, tamen ut a cædibus & sanguine omnique devastatione supersederetur, consensisse in pacem, quæ esset inter regna utrinque perpetua, ac simul ut dies comitialis Calmariæ haberetur, ubi a Svecis missi viri prudentes duodecim ac todiem e Dania adessent; Hi, qui ut judices plena potestate donati invicem sacramentum dicerent, se quæcunque occurrerent, de iis secundum rectum atque æquitatem judicaturos. Quibus & esset exinde sacultas pronunciandi atque statuendi super jure, quod Regi *Christiano* in Sveciæ regnum esset, ejusque incolas subditosque & eorum vicissim in Regem: Constareque omnibus Regem in singulis, qui hoc nomine sive conventus sive judicia celebrata essent, per senatum suosque procuratores, prolixe egisse ac detulisse, quæcunque incolarum jura causasque spectarent, utque amice deciderentur omnia, quæ decidi in eum modum possent. Hæc ita se habere testati Daniæ regni senatores, qui tum erant, *Johannes* Brostrupius Archiepiscopus Lundensis, *Olaus* Martini Roschildensis, *Petrus* Ripensis, antistes, *Johannes* Martini Prior Anderschoviæ, *Ericus* Othonis Rosenkrantzius aulæ præfectus, *Johannes* Ivari Arhusiensis, *Canutus* Viburgensis, *Jacobus* Borglumensis, *Nicolaus* Ronnovius Mareschallus, *Nicolaus* Erici, *Strangeus* Nicolai, *Magnus* Ebbonis, *Corvitzius* Ronnov, *Canutus* Trudsonis, *Johannes* Oxe, *Axillus* Dagonis, *Ludovicus* Nicolai, *Vernerus* Pasbergius, *David* Hasch, *Nicolaus* Thomæ, *Johannes* Due, Equites; item *Magnus* Hasch, *Petr* Nicolai, *Nicolaus* Broske, *Henricus* Menstrupius, *Jacobus* Jensonius, *Eberhardus* Crubbe, *Mauritius* Nicolai, *Helgerus* Henrici, *Olaus* Martinus Armigeri. Composita tum quoque adnitente Sveciæ curatore *Stenone* Sture, & qui ei aderant ex regni Senatu, lis, quæ hærebat inter Regem Christianum & hæredes Agonis Axilli, idque eum in modum, ut ipsis reddita pecuniæ summa, cujus nomine Varberga tenebatur oppignorata, ac ejus vice remitterent, vicissim illi, quodcunque ob exustum Ludebergæ prædium flagitare atque obtendere viderentur. Dumque hoc pacto domi ac foris pacate biennium jam circiter Rex agit, circumspicere de illustribus nuptiis filio suo Johanni cœpit. Suntque missi ejus nomine ad Ducem Saxoniæ *Ernestum* imperii electorem *Albertus* Crommedigius antistes Lubecensis, *Ericus* Othonis Rosenkrantzius aulæ præfectus, itemque *Albertus* Klitzingius præpositus Hamburgensis, ut & alii nobilium, exceptique hi summa cum honorum demonstratione. Ac mox, quæ in mandatis habebant, exsequentes, postquam Regis filio electoris filiam *Christinam* annorum decem ac sex puellam, uxorem petiviſſent, honestissimis eorum votis ac petitioni assensus haud difficulter additus. Et simul de dote conventum; quæ cujusmodi per imperii passim ditiones principum filiabus dari sveverat nominata viginti millium aureorum Rhenensium assignataque. Et proximo deinde, qui fuit a nato Christo annus supra quadringentesimum millesimum septuagesimus octavus, deducta Rostochium sponsa fuit per patruum ejusdem Misniæ Marchionem Albertum, &, qui ei erat adjunctus, præsulem Mersburgeusem. Eos ex ordine equestri alii nobilissimi perplures comitabantur, equites scilicet octingenti præter esseda carpentaque virginum ac matrimoniorum totius gynæcei inaurata plenaque, erantque

Rex Christ. vana spe regni Svec. recuperandi dilatus tandem de eo conquiescit.

A. 1477. litteræ consignatæ, quibus Rex testatur, se ejus causa & pacis studio omnia fecisse.

Regis filio nuptia procurantur cum Christina Sax.

A. 1478. sponsa Rostochium deducta,

erantque hæc ultra circiter quadraginta. Excepit omnes citra Varnum flumen, quod intra Roſtochium Balticum illabitur mare, regni ſupremus antiſtes Johannes Broſtorpius, una cum regni mareſchallo Nicolao Ronnovio. Aderantque & alii ordinis equeſtris militesque magno numero. Inde quæ ad manum erat, claſſe transvecti in adverſam Falſtriam Selandiamque, ac mox ubi Hafniæ appropinquaret, occurrit eis Rex cum equitibus circiter quingentis veſtitu indutis nigricante cum fimbriis verſicoloribus. Eſtque confeſtim inſecutus ſponſus ipſe, cum cohorte equitum ſeptingentorum, quibus erat veſtitus viridis ac fimbriæ ſimiliter verſicolores. Is inter primos ſponſam amplexus, ceterosque per benigne excipiens ac ſalutans ab archiepiſcopo Lundenſium Broſtorpio ſolennibus ceremoniis connubio juncti. Ac mox ingenti apparatu celebratæ in arce Hafnienſium nuptiæ ad diem octavam Id. Septembris. Habitique & ludi equeſtres, quis ſe domeſtici exterique principes certatim publiceque oblectarunt. Atque inde cum abitum jam pararent, dynaſtarum præcipuis equos generoſiores circiter centum, præter honoraria alia ex opibus regni ſui, ut erant hermelinæ aliæque pelles pretioſæ, hinc inde dono miſit; juſſis inſuper atque ordinatis ex aulicis, qui abeuntes deducerent, & loca ubique lautiaque per regni ditiones libera præberent. Proxima deinde Regem cura cepit inſtituendæ novæ academiæ, cum jam ante condendæ aſſenſum illi ſuum tribuerat Pontifex maximus, ac locus deſignatus imo paratus modo erat in regni metropoli Hafniæ. Curavitque ſine mora ei rei ex regio mandato incumbente præcipue *Petro* Alberto, evocari e Germania Viros doctrina excellentes, qui lectionum auſpicium facerent. In his præter ceteros profeſſorum, qui peregre acceſſerunt, primi memorantur, *Petrus* Scotus S. Scripturæ, ut tum vocabant, Baccalaureus, item Telemannus Slechtius Ruremundenſis; qui exinde ſinguli doctoratus ibidem inſignibus exornati fuerunt. Non abs re erit hoc loco adſcribere regios codicillos, qui huc ſpectantes privilegii academici, quaſi vicem obtinent, ſuntque exvernaculo redditi ejusmodi fere. „Nos *Chriſtianus* Dei gratia Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, „Vandalorum, Gothorumque Rex Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, &c. omnibus hæc „noſtra viſurus, audituris ac lecturis, pacem, „gaudium ac ſalutem. Conſtabit omnibus, „nos ſingula perpendendo, deprendere, artium „præcipue Liberalium beneficio, adlaborante „illo, a quo cuncta bona proficiſcuntur, exiſtere ac provenire Viros eruditione præcellentes, per quos rectum ab iniquo diſcerni, „doceri, indocti ac ſimplices, ac fides denique „catholica firmari ac propagari queat. Quapropter conſilio procerum ac fidelium noſtrorum; nec non S. Sanctæ Apoſtolicæ eccleſiæ authoritate tum & poteſtate majoribus poſterisque Daniæ Regibus; nobisque „conceſſa condendi ac aperiendi Academiam „ſive univerſitatem, idque in uſum ac honorem regnorum ac ditionum noſtrarum, quo „nimirum opera ac luce bonarum litterarum „acquiri dulciſſimus animi paſtus, diſpelli intellectus tenebræ, verbique divinique cultus „vigere. Juſtitia coli, ſpesque hominis adimpleri quam locupletiſſimi poſſint. Nos idcirco aſpectu authoritatis jam dictæ, tum ut „exequamur, quod eſt impetratum, libenter „permittimus, hocque ipſo mandamus ac poteſtatem facimus reverendo ac dilecto noſtro Dn. *Petro Alberto*, artium liberalium magiſtro, Medicinæ Licentiato, id ex conſilio „reverendi in Deo Patris D. Olai Roſchildenſis Epiſcopi, aliorumque, qui nobis noſtroque ſenatui a conſiliis ſint, vocare ac convocare certum profeſſorum doctorumque numerum, qui una cum ipſo in urbe emporioque noſtro Hafnienſi lectiones inchoent, ac „facultates omnes profiteantur, aliosque, qui „digni cenſebuntur, ex more & modo, qui „aliis in Academiis eſt receptus ac uſitatus, „promoveant, honoribus, ac titulis ornent „honeſtentque. Qui & volumus, ut jam profeſſores doctoresque, ut & auditores eorundem domeſticique fruantur in urbe noſtra „Hafnienſi, inque ceteris noſtris urbibus ac „ditionibus regia noſtra pace, patrocinio ac „tutela; inhibentes judices, præfectos ſubditosque noſtros vel arrogare vel aſſumere ſibi „dictos doctores, magiſtros aut bona eorum; „Utpote quos eſſe immunes atque exemptos „cupimus apud judices noſtrarum ditionum „exceptis iis, quas modo præferimus, aut in „poſterum ſumus præfecturi academiæ ſeu „univerſitati noſtræ jam memoratæ, ut ſunt „reverendus in Chriſto pater epiſcopus Roſchildenſis, virique honorabiles diaconus ac „præpoſitus ibidem, ut & diaconus Hafnienſis; idque eousque, quamdiu eſſe bonorum „ſtudiorum cultores recognoſcuntur. Imperamus præterea ac mandamus conſulibus, „ſenatoribus ac judicibus urbis noſtræ Hafnienſis, ut dictos doctores, magiſtros ac ſtudioſos, quantum in ipſis eſt, juvent, diligant, defendant, & a vi omni atque injuria tutos præſtent, modo iram atque indignationem noſtram exire ac ſubterfugere velint.„ Datum in arce noſtra Hafnienſi die S. Franciſci ſub ſigillo noſtro 1478. Hactenus Regiæ litteræ, ex quibus liquere poteſt, hoc præcipue tempore poteſtatem factam *Petro* Alberto convocandi futuros profeſſores, ſed eo, quod mandatum erat, diligenterque exequente, reperio non iſto ſed anno demum proximo introductos ad lectionum publicarum auſpicium profeſſores, ac ita celebratam Academiæ inaugurationem ipſis Calendis Junii 1479. Rege atque epiſcopo Roſchildenſi *Olao* aliisque præſulibus ac prælatis, ut & plerisque ex nobilitate ſua præſentia publicam actionem exornantibus. Sed regiæ eædem litteræ hoc inſuper nos docent, cum prius hoc agente Rege *Erico* Pomerano conceſſiſſet Pontifex Max.

inde Hafniam claſſe transvecta magnificeque excepta.

nuptiæ celebrantur.

Academia Hafn. inſtituta.

litteræ regiæ.

A. 1479. inauguratur.

Max. Martinus, quod eſt ſuo loco memoratum, condere academiam iisdem privilegiis atque immunitatibus, quas haberent academiæ aliæ & præſertim Pariſina, excepto, quod Theologiam haud docere permitteret, nunc poteſtatem factam omnes facultates promiſcue docendi atque profitendi. Omitti porro haud debet, iisdem diebus circa anni, qui ſuperius eſt poſitus 1478, initium promulgatum Romæ ſub cenſura eccleſiaſtica bullam Pontificis Sixti quarti, qua non modo regni Svedici curator *Steno* Stureus, ſed & ceteri tam profani quam ſacri ordinis atro, quod dicitur, carbone a pontifice notantur, mandata pœnæ executione epiſcopis Halberſtadenſi ac Mersburgenſi, idque ideo, quod Reginæ Dorotheæ bona ſua, quæ mobilia paraphernalia dicuntur, cujusmodi præcipue erant ceimelia ejus nuptialia repetenti haud ceſſiſſent, ſed ea ſibi violenter ſervata retinuiſſent, licet ipſa per procuratores ſuos judici conſignatum tradidiſſet, quidnam id eſſet, quod repetere ſe memoret. Felicem annum ſive tempora hæc dicam rerum, omnium non ubertate ſolum, ſed annonæ quoque felicitate. Proditum enim memoriæ, butyri tum tonnam-marcis, mellis octo, bovem perpinguem-ſchillingis, ut vocabant, groſſis ſex, agnum groſſis tribus, vaccam item-ſchillingis groſſis tribus veniſſe. Nec indigna notatu talia puto, ſed tempora præſertim cum temporibus contendere, & quantis nunc iſta pretiis, auxerint, ad animum libeat revocare. Commonitum aliquoties Comitem Oldenburgi *Gerhardum* Regis *Chriſtiani* fratrem, ut quiete ageret, inque eum id flocci facientem conjuraſſe non ſemel Vandaliæ urbes una cum vicinis epiſcopis jam ante a nobis quemadmodum relatum, ita viciſſim hoc tempore, qui fuit ſupra milleſimum quadringenteſimum annus ſeptuageſimus nonus, denuo in eum itum ab iisdem reperio. Siquidem *Gerhardus*, ut tradunt authores, non contentus vexaſſe ſolum ac ſpoliaſſe vicinos & in his Bremenſes eorumque ſocios Lubecenſes, Hamburgenſes & Monaſterienſes; eosdem quoque in carceres compingere nec dimittere, niſi pecunia emunctos ſolebat: idque cum ferendum diutius hand exiſtimaret, Monaſterienſium præſul Henricus, qui & Bremenſium, ut dictum, adminiſtrator audiebat, in eum cum ſociali exercitu profectus eſt, & aliquot ejus arces ac præſidia ad Aontæ flumen atque alibi disjecit, exiſtimans vel hinc in poſterum curatiorem fore *Gerhardum*. Sed ille etiam iſtis inſuper habitis, antiquum obtinere haud deſtitit, & qua poterat, ex Delmenhorſto poſtremum arma circumferre inſtituit. Cujus loci ad excurſiones opportunitas, cum ſola reſtare ei videbatur, etiam illud munimentum extorquendum ipſi totis viribus epiſcopus judicabat. Quapropter majore, quam unquam antea, coacto exercitu, opibus præcipue diœceſeos ſuæ (nam reliqui non tam belli auxilia, quam commeatum ſubminiſtrabant) Delmenhorſto caſtra admovit, caſtrorumque ſummum præfectum fratrem Guntherum conſtituit. Sed erat in eo expugnando haud levis difficultas. Adiri enim, niſi uno itinere, ob circumjectas paludes, haud poterat; tum & vallum habebat & foſſam magni operis præter validiſſimum præſidium, quo illud *Gerhardus* diligenter communierat. Epiſcopus igitur cum expugnaturum id ſe deſperaret, ad obſidendum ſe vertit, ut intercepto nimirum commeatu, inedia ad deditionem præſidiarios urgeret. Verum hic dum ſedet, qui erant in vicino oppidani Oldenburgici, exque agro eo omni promptiſſimi quique aſſidue caſtris negotium faceſſere & obſidentes, qua poterant, incommodis afficere haud deſierunt, & inter eos præcipue *Gerhardi* filius *Johannes* juvenis manu promptus, quem & ipſum in arcem per devia ac nocte intempeſta perrepſiſſe, ac commeatum qualemcunque humeris bajulantem arci intuliſſe, ſunt qui memorant. Præterquam quod ipſi quoque præſidiarii eruperint ſubinde, ac caſtra obſidentium impetierunt, ut tradit Crantzius. Quibus incommodis ut occurreret præſul, relicto in caſtris fratre *Gunthero*, qui obſidionem urgeret, ipſe Oldenburgum, ubi *Gerhardus* filiusque ejus erant expedita cum manu progreſſus, oppidum atque arcem ita expugnavit, ut deſpondere animum poſtremo *Gerhardus* cœperit. Nam ille majorem Epiſcopi, quam opinatus fuerat, vim comperiens, tum ſerio hoc eum agere videns, ad aſtum & dolos ſe vertit. Nam ut erat ſimulator ac diſſimulator egregius, pœnitentiam facinorum ſuorum præferre ſeriam viſus, miſit ad epiſcopum homines idoneos, qui demonſtrata filiorum innocentia præſulem orabant, ne propter errores paternos in eos animadvertere durius, aut eos immerentes & inſontes fortunis ſuis exuere inſtitueret, decretum *Gerhardo* patri poteſtate ſe abdicare, & ea univerſa in filios translata, ſolitariam ac monaſticam vitam auſpicare; atque ita arcem epiſcopi fore, qui ea, ut domo ſua, ſive pace ſive bello, cum libitum eſſet, uteretur. Epiſcopus Gerhardi precibus eatenus aurem commodans, abducit quidem Oldenburgo exercitum, ſed Delmenhorſtum in caſtra revertitur. Hanc enim arcem, ut graſſatorum perfugium, nec dimittere, niſi ſuæ poteſtatis factam, volebat; nec aliud a ſuis, qui jam magnos in hoc bellum ſumptus fecerant, qui & primis periculis expoſiti erant, agere permittebatur. Et adigebat hac quoque *Jacobi* ingenium, cujus ea mox erat futura ſub patruo tutore iisdem moribus aſſueti, nec deſiturum, ubi juris ſui foret, cuncti fere perſvaſum habebant. Itaque Delmenhorſtum nec per hyemem quidem movente ſe Henrico Swartzenburgio, licet jam frater ejus Guntherus tormenti ictu occubuiſſet, eſt poſtremum ad eam rerum omnium egeſtatem obſeſſorum deducta pertinacia, ut arcem epiſcopo ſub 13. Cal. Februarii dedere coacti fuerint. In cujus etiam poteſtate, ut & ſucceſſorum ejus permanſit annis

licentia docendi Theologiam inſuper a Pontif. R. conceſſa.

hujus litteræ contra Stenonem & aſſeclas.

annonæ vilitas.

Urbes Vandal. bello aggrediuntur Gerhardum Com.

Delmenhorſtium difficulter expugnatur duce Henrico Monaſter. epiſc.

annis deinde pluribus, donec ab *Antonio* demum Comite, qui *Gerhardi* ex filio nepos erat, ad Oldenburgicos reducta sit. Ipse vero Gerhardus mœstus ac querens relicto filiis ditionum suarum hæredio, in Scotum concessit ad neptem suam Scotiæ Reginam *Margaretham*, fratris sui *Christiani* Regis filiam, quæ, ut supra memoratum, *Jacobo* ejus nominis Regi III. paucos ante annos nupserat. Estque fatis postremo functus, ut erat animo ac corpore inquietus in peregrinatione, quam religionis ergo Compostellam instituerat, sub annum 1500, ut suo dicemus loco, bellicosus cognomento, ut vitam bellis perpetuo impensam celebratus ab omnibus. Delmenhorstensem autem, de qua diximus, expugnationem eam, ut memoravimus, Crantzius refert, vere, verum anni æra ad 1482. relata. A quo nos domesticum authorem nobiliss. Witfeldium felicis memoriæ secuti hac parte recessimus. Miserat paulo ante Dux illustrissimus Fridericus Brunsvicensis, qui Gelriæ ducatus ac comitatus Zutphaniæ præfecturam nomine neptis suæ *Catharinæ* Gelriæ in se susceperat, nuncios sive legatos suos ad Regem *Christianum*. Hic ut fidem haberet haud aliter, quam ipsi sibi, ab ejus majestate per litteras majorem in modum efflagitans, demonstrabat, se ab illustrissima sua nepte Catharina Gelrensi ac ordine universo equestri invitatum suscepisse administrationem Gelriæ ac comitatus Zutphaniæ eorum defensionem adversus nepotem suum Austriæ ac Burgundiæ ducem Maximilianum, qui in dictas ditiones earumque hæredes haud simplici vice incendio rapinis ac principum, ad quos eæ regiones pertinerent detentione injurius esset. Iterum iterumque majestatem ejus obtestans, eos benigne audire, ac eorum accipere ac promovere mandata negotiaque vellet, se vicissim totamque Gelriæ gentem ac ditiones ei ad vota nutumque fore paratas. Quibus acceptis ac propius intellectis, quæ legati coram retulissent litteras extemplo deproperari magno animo Rex fecit ad Ducem Austriæ ac Burgundiæ Maximilianum: Quibus commonstrabat accepisse se ex ore legatorum cognati sui Ducis Brunsvicensis *Friderici* ejusque litteris vocatum ipsum a Ducissa Gelriæ ac comitatus Zutphaniæ ordine equestri, eorumque rogatu suscepisse, nomine dictæ jam *Catharinæ* cognatæ suæ, tum & liberorum illustris memoriæ Ducis *Adolphi* una cum administratione tuitionem, non ferro tantum & flamma, miserum in modum a milite Burgundico divastarentur indies, sed & oppida quoque & arces a corpore totius ducatus divellerentur, in detrimentum ac præjudicium haud exiguum liberorum *Adolphi* Ducis jam memoratorum, qui & inviti in aula Burgundica detinerentur; semoti a patria hereditate ac ditionibus. Et accepisse insuper se, dictum modo *Adolphum*, eorundem liberorum parentem, sumptis pro domo Burgundica armis, nihil non egisse, & vitam denique & sangui-

Gerhardus C. hinc dolens in Scotiam abit,

in itinere Compostell. obit.

Frider. D. Brunsv. Geldriæ duc. atque Zutphan. comitatum adversus Maximilianum Austr. D tutandum suscipit; atque id sibi ultro oblatum perhibet Christiano R.

hinc Christiani R. ad Maxim. D. litteræ.

nem pro eadem pugnando profudisse. Videri idcirco sibi ac pluribus aliis per iniquum atque inhumanum, retineri atque excludi ab hereditate sua liberos jam memoratos, eorumque agros ac ditiones avitas eum in modum a milite pessundari ac devastari; & maxime, cum iidem quoque liberi Burgundiæ Principes adeo propinqua cognatione contingant: petere ea propter obnixissime, ne eundem Ducem Brunsvicensem in ea, quam suscepisset ad defensionem ditionum ac liberorum jam dictorum, administratione, esse adversus aut ei facessere super ea negotium velit. Teneri alias se cognationis ac fœderationis ratione, ipsi pro viribus adesse, malle interim ac sperare, ut quæcunque hac parte controversa essent, amica aliquando compositione transigi ac tolli in totum possent. At domi Rex Christianus, cum flueret jam annus supra millesimum quadringentesimum octuagesimus convenire ad comitia Rensburgum, quod est Holsatiæ oppidum, præter Holsatos etiam Hamburgensium & Lubecensium legatos imperavit. Adessent quoque ibi Dithmarsi aut eorum delegati, significare per codicillos eisdem fecerat. Cum igitur advenissent singuli, Imperatoris litteræ per palam lectæ; quibus parere Ditmarsi Christiano Danorum Regi jubentur. Utque eum deinceps non ut Comitem, sed conjuncti cum Holsatia & Stormaria Ducem ac Dominum suum hæreditarium agnoscerent ac salutarent. Quo accepto, qui Dithmarsorum nomine præsentes aderant, responsum dedere: Imperatorem de Dithmarsis perperam statuere, & esse de alieno liberalem; terram, quam incolerent, suam esse; dominium ejus ad episcopum Bremensem pertinere, ab eo circiter tempore, quo deficiente Dithmarsis comite ipsos Hartvico Bremensium præsuli Imperator *Fredericus* ejus nominis primus subesse voluit. Reponente Christiano aut ejus procuratoribus, non semel ipsos ab eo die alium atque alium fortitos dominum, & modo Holsato, modo Daniæ Regibus, & in iis Valdemaro ejus nominis secundo, obsequium ac fidem dixisse. Illi nihilominus, quod dicerent, mordicus tutantes ac dictitantes, se hodieque a præsule Bremensium, quod certi dominatus judicium foret impositum, sibi præfectum agnoscere, ulterius per id tempus traduci acquierunt, quam ut deliberandi spatium acciperent, essentque in terra annuæ induciæ. Asperatum inter ista Regem Christianum, ac multa præter innatam ei consvetudinem exisse severius, innuere videtur Crantzius, & præcipue in magni nominis virum, hunc *Henningum* sive *Henricum* Povisium appellat Chronicon Holsatiæ, exilio ab eo una cum filiis Volfio & Henningo mulctatum, quod ex colonis nonnullos spectantes ad arcem Lutketunderam, quæ *Povischio* nomine 24. marcarum Lubecensium a Rege erat oppignorata, durius tractasset. Quæ de Rege minus benigne referuntur & maxime a Crantzio eumque secutis, quod causam ejus

A. 1480. Christ. R. comitia Rensburg. indicit.

ibidem præleguntur litteræ de Ditmarsis ipsius juri ab Imper. adscriptis.

Ditmarsorum responsum.

his deliberandi spatium a R. concessum

Rex indignans durius quædam agit.

facti latuisse addant, cum eam Holsatiæ Chronicon, ut jam positum, diserte exprimat, & clarius præterea autores domestici, & in his nobilissimus *Witfeldius* hoc insuper nos doceat, hunc Henningum in conventu Chilonienſi imploraſſe adversus Regem nobilitatis auxilia idque vi fœderationis, quæ inter ipsam esset inita anno 1469. de qua videndum superius, adjiciens, eos fœderis codicillos cum exinde ab equestri ordine Regi essent exhibiti, irritos factos in conventu, qui Segebergæ est habitus, penitusque dispunctos. Ac mox Reinsburgi, ne quis ullam querimoniam prætexeret, quasi insuper habitæ fuissent rationes, ob quas fœdus istud esset initum, curasse Regem nova quædam capita promulgari, ac valvis ubique templorum affigi: quibus ille, ut pax ubique per Holsatiæ districtus concordiaque coleretur, imperatum omnibus ac mandatum severe, idque sub pœna vitæ ac fortunarum voluit, ne suorum quispiam satraparum, toparcharum aut præfectorum aliusve aliquis, sive is profani sive sacri aut equestris sit ordinis, sive etiam ipsæ ditiones monasteriave, quocunque dici nomine possint, quenquam ex subditis ipsius vel vi superare, vel injuria afficere, aut denique carcere concludere ac premere instituant; sed administrari cunctis jus ac justitiam imperat, exque more ac consvetudine ditionis cujusque, utque promoveant ac præstent, quantum in ipsis esset negociatorum ubivis commercia. Quin & inhibetur similiter ordo equestris ac nobilitas, ut ceteri ditionum incolæ, itemque nobilium inter sese familiæ contendere, aut insurgere adversus urbes ipsiusque subditos. Ac simul monentes singuli, quod agendum in aliquem habeant, id jure agant. Et idem quoque civitatibus magnis ac minoribus sub amissione immunitatum ac privilegiorum ipsarum cautum cupit. Nec ulli quoque per easdem suas ditiones concedit telonia ac vectigalia cuiquam imperare, & præsertim usurpari ejusmodi in eos vetat, quibus immunitas aliqua, ut Hamburgensibus ac Lubecensibus jam olim tributa fuit. Conventum postremo ibidem inter Regem & ordinem equestrem ceterosque ditionis incolas, neque inscio Rege fœdus aliquod inter se pangerent, sed Regi per omnia obsequium præstarent, nemo quoque cives aut colonos prætor fas & æquum gravaret, aut oneri esset: quæ Rex deberet, expunctis expungendis solverentur; & Regi vicissim suum cederetur. Stia amnis ceteraque per Regis ditionem maria fluentaque aperta cunctis perviaque forent. Si qui in illis defixi pali essent, ii fundo exempti refigerentur. Fuerunt circa idem hoc tempus ex nobilitate quoque, qui in ære suo Regem dicerent: hos Segebergum evocatos, ubi & Hamburgenses & Lubecenses aderant, exhibere codicillos ac instrumenta jubet, quibus hoc ipsum demonstrarent; quo scilicet constaret, quem in usum quove loco ac tempore expensæ fuissent factæ. Quæ cum essent prolata, memorat Crantzius, acerbius a Rege distinctionem adhibitam inter usuram & sortem, eumque dispunctis aliquot chirographis solam sortem reddidisse. Additur, ex iis unum indignatum ita se rejici, accessisse submoto janitore Regem ac ei exposuisse, ubi pecuniam & quando expendisset. Ac denique, memoratis periculis, quæ bello Svedico & alias pro ipso multoties subierit, & addito, quoties ab hoste captus fuisset, ac lytrum solvisset: nunc autem, si pro iis omnibus talis rependatur gratia talemque sit experturus remuneratorem, se injuriæ, quam pateretur, Deum vindicim appellare. Et Regem cum serio ac severe hæc affirmantem eum videret, blandiore, quam prius, vultu affatum bono esse animo jussisse, & ei impensas se redditurum promisisse. Sed hujus cum nec Crantzius nec Holsatorum memoriæ hic mentionem faciant, penes autorem fides esto. Iisdem circiter diebus, cum se jam indies debilitari magis magisque Rex animadverteret, Reginæ *Dorotheæ*, quod ei prospectum ante obitum suum omnino cuperet, Ducatus suos Slesvicensem, Holsatiæ, Stormariæ, nomine marcarum Lubecensium centies mille oppignoratos attribuit. Estque tum quoque promulgata Cæsaris confirmatio super bonis iis, quæ eidem intra Ducatum Holsatiæ, ut dotalitia fuerunt assignata. Quibus eum in modum apud Holsatos constitutis, cum esset in Daniam regressus Rex, evocati Helmstadium, quod est in Sveciæ confiniis Scaniæ oppidum trium borealium regnorum senatores. Estque renovato ibi *Margarethæ* Reginæ fœdere ab omnibus identidem præsertim Daniæ ac Norvagiæ legatis, nominatus ac declaratus Rex *Johannes*, quem jam ante consortem regnorum assentientibus etiam Sveciæ proceribus, pater assumpserat, ut est suo loco ad annum 1458. memoratum. Hinc diebus statim insequentibus, qui fuit annus supra millesimum quadringentesimum octuagesimus primus Hafniæ tradi Reginæ Dorotheæ, de qua dictum, codicillos rite conscriptos Rex fecit, super Ducatibus Slesvicensi, Holsatiæ, Stormariæ, ut & oppignoratis ibidem arcibus ac prædiis, quæ ipsi redimere universa & usurpare & frui ad vitam permittebat. Hujus anni tempore ingens mortalitas pestisque, per Europæ non modo alias, sed has quoque boreæ oras grassata, mortalium plurimos abstulit. Et erat simul æstus torrida & magnæ ubiuis annonæ caritas, quibus jumenta hincinde armentaque erepta absumptaque accedentibus adhæc aquarum oceani circa littora & aggeres irruptionibus ac diluviis, quæ pascuis ac satis, ut & hominum pecorumque generi non unam calamitatem ac cladem intulere. Fuitque his in partibus, ipso statim Januario, funestus annus Nicolao præsertim Volfio, episcopo Slesvicensi, viro quidem provectæ ætatis, utpote qui annos quinquaginta duos eo præsulatu functus fuerat, sed anni adhuc vegeti & erga ecclesiam atque egenos præcipui benefici. Eum reperio a con-

Rex nova quædam capita promulgat.

Quæ convenerunt inter regem & nobiles ceterosque.

Debita a Rege soluta restrictius.

hinc multorum indignatio

Rex Dorotheæ conjugi prospicit.

Johannem fil. sibi successorem constitui curat. A. 1481.

pestis,

æstus,

inundationes

Nic. Wolf præsul Slesv. obit.

a consiliis Regi ac Cancellarium fuisse, & Regem quoque post ipsum, mense mox Majo, ut inde dicemus, mortalitatem compleviſſe. *Stenonis Stur. cum Ivaro Axilli controverſia.* Apud Svecos *Steno* Stureus callidi ingenii vir, qui, ut est memoratum, regni habenas sibi assumpserat, contentionis hoc tempore funem cum *Ivaro* Axilli regni primate ducebat, cum jam ante occulta inter eos odia tenuissent, quæ in apertum nunc prorupere. Causa hujus præcipue Finlandiæ præfectura fuit, quam sibi post obitum fratris *Erici* Axilli vendicabat *Ivarus*, donec impensæ, quas ejus nomine *Ericus* feciſſet ei aut hæredibus ejus essent restitutæ. Publicisque litteris ad regni senatum missis, autor senatus Ivarus fuit, hortatusque est, ne nimium *Stenoni* siderent, sed ejus potius ambitioni modum ponerent. Simul adjiciens se haud quaquam *Stenoni* Finlandiæ arces ac præfecturam, sed senatui traditurum, utpote quem haud dubitaret refusurum, quod Axilli hæredibus debebatur. Sed hæc privata hoc publicum habebant, quod videretur, dum nihil præter æquum postularet, innuere *Ivarus*, quid in detrimentum coronæ posset, si ab æquo recederetur, habens scilicet sua in potestate præsidia adversus Moschum ac monumenta præcipua. *R. Christ. I. d. 22. Maj. moritur.* Quæ dum ibi fiunt, domi fatalis hora Regem *Christianum* his e terris ad cælestia evocavit, defunctum in arce Hafniensi Maji mensis vigesimo secundo cum regnis suis præfuisset annis circiter triginta quatuor. Sunt, qui volunt, ejusdem mensis initio vidisse haud sine gaudio natum sibi e filio *Johanne* nepotem *Christianum II.*, sed perperam, cum is, ut inde dicetur, duobus fere mensibus posterior in lucem prodierit. Filios e Regina *Dorothea* duos post se reliquit *Johannem* & *Fredericum*; illum regni sui successorem, hunc Slesvici & Holsatiæ Ducem; atque inde post nepotem e patre Regem quoque Olaus, qui illi liberorum primogenitus fuerat, infans obiit. Filia, quam unicam habuit *Margaretham* Scotorum Regi *Jacobo* ejus nominis tertio est elocata. Quo ex matrimonio natus Jacobus IV. Scotorum postmodum Rex. Sed hæc suo pleraque loco memorata superius. Funus ejus Roschildiæ ductum, estque illatum corpus sacello, quod ipse exstrui sibi fecerat, a parte templi, quæ austrum spectat, Regium dictum. *ejus character.* Fuit Princeps, ut eum ævo ei proximus, celebrat Crantzius, humanitate ac clementia illustrissimus. Liberalitatem quoque, qua excelluit, ita dilaudat, ut inter aquilonares fuisse eximium ac clarissimum judicet. Est enim munificentiæ hæc virtus ut principi præcipua, ita ea ad cælestem gloriam sibi viam paratam solitus Augustus dicere. Certe Christianus haud alia meritus videtur DIVITIS, quo est insignitus, cognomentum. Alias quoque heroica ejus ut animi ita corporis majestas celebrata est omnibus, ut omittam de pietate in Deum deque fide ac moderatione, tum & bellica laude repetere, quibus principum nulli cesserit. Nam ex superioribus, quam eidem ardens pacis studium fuerit, satis liquere puto. Qui vel solo hoc nomine a Germaniæ atque Italiæ dynastis velut cælo delapsus habebatur, ac unus esse idoneus ad conciliandos diffidentium principum animos. Demonstravit ideo quasi extremo conatu, cum ex Italia ac Germania commodum domum rediisset, quantis denuo itineribus ex Holsatia ad Rhenum properavit, ut Burgundi animum ad pacem ac moderationem componeret, quamque egerit omnia, ut bellum, quod erat cœptum, dirimeret. Id enim si confeciſſet, ad famam sibi non minus amplum ac gloriosum fore existimasset, quam si ingens ipse bellum victricibus armis exsecutus fuisset. Itali scriptores præter alia pietatem, de qua injeci, ita interpretantur ac celebrant, ut religionis causa pedibus Romam itasse eum memorent, quo ibi sacrosancta altaria devotionis plenus videret, & Pontificem sacrorum principem veneraretur, munera dignationis eximiæ domum reportaret, sed hæc utcunque se habeat res actaque, superius memorata propius ostendunt. Hunc imitentur hunc-que exemplum sibi sumant boni principes, mali quod corrigant, quantumque ab hac cynosura recedant, secum perpendant, viamque rectam ingredi, tali duce, cogitent.

JOHANNES PRIMUS REX DANIÆ.

Defuncto, ut memoravimus, sub diem vigesimum secundum Maji Rege *Christierno*, ejus nominis primo ac feliciſſimo, filiorum ejus natu major *Johannes*, qui avi materni *Johannis* Marchionis nomen referebat, proxime in regnum succeſſit. Vix diem *Christiernus* obierat, cum Dithmarsi, impetratis Cæsareis codicillis, datis ultimo Junii, evulgavere, gratiam sibi factam earum litterarum sive clientelæ, qua eos jam ante Christiano Regi, ut Duci, idem Imperator obstrinxerat, concesso, ut ecclesiam Bremensem, ejusque præsulem deinceps dominum agnoscerent & ei, ut sveverant, collationes tributaque penderent, donec coram Cæsarea majestate jus utriusque ulterius foret demonstratum. *Johannes R. a Ditmarsis obedientiam poscit.* Et licet defunctus jam esset *Christianus*, designatus nihilominus Rex *Johannes* haud desiit reponere ac commonstrare, tributa ceteraque obsequii erga Bremensem ecclesiam argumenta magis in speciem, quam re ab ipsis hucusque præstita præstarique, sæpius dominum eos mutasse, aliquando Daniæ Regibus, aliquando Holsatis paruisse, & ideo frustra adscribi Bremensibus dominatum eum velut perpetuum ac proprium. Hinc proximi mensis, qui est insecutus, Julii sextum nonas lætum festumque *Johannes* habuit ob natalem filii, qui illi Reginæque *Christinæ* primogenitus fuit, *Christiernus* nomine. *Christianus ipsi filius nascitur.* Editus etenim

in lucem fuit horam circiter ſecundam pomeridianam Neoburgi apud Fionios, poſtmodum ut ſuo loco memorabitur, Daniæ Regum ex hac familia tertius, ſed boreæ his regnis parum felix aut ſalutaris. Cum vero, quod eſt in rebus *Chriſtierni* demonſtratum, receſſiſſent jam pridem, defuncto Carolo Canuti a fœdere trium borealium regnorum Sveci, ac ſibi *Stenonem* ſeniorem cognomento Sturam præfectum aſſumpſiſſent, non una comitia vivo adhuc Chriſtiano Rege habita, præſertim ſine quo tria hæc borea regna, cujusmodi Reginæ *Margarethæ*, atque inde *Erici Pomerani*, ut & *Chriſtophori* Regum temporibus, & ultimo denique vivente etiamnum Rege *Chriſtierno* fuiſſent, ſub unum iterum fœdus pactumque reducerentur. Et ideo hoc quoque tempore Daniæ regni ſupremus ſenatus officii ſui eſſe judicavit, Sveciæ Norvegiæque proceres de obitu ſui Regis per litteras ac legatum certiores reddere, amice efflagitando, ut Halmſtadium, quod Sveciæ limiti quam proximum eſt Hallandiæ oppidum, convenire haud gravarentur, ad ſocianda conſilia de Rege eligendo, qui veteri ex pacto tribus hiſce boreæ regnis unus præeſſet. Quo accepto, præter Svecorum ceteros, *Stheno* præcipue, qui rebus erat impoſitus, homo per ſe ambitioſus, regnandi præavidus, licet nihil minus conſtituerat, quam petere Halmſtadium, ne tamen, quod animo agitabat, proderetur, prolixe de ſuo ſuorumque adventu reſpondit. Cumque jam tempus præſtitutum veniſſet, itineri ſe ille parat, proficiſciturque. Verum aliquot miliaribus confectis, ubi Alvaſtrum acceſſiſſet, ibi hærere ac denique corporis valetudinem ſimulare apud domeſticos incipit. Quo tamen ſerio res agi videretur omni alimonia abſtinuit, ſiti atque inedia ſe propemodum conficiens. Et poſtremo ut omnium etiam procerum animis ſiniſtram cogitationem eximeret, ſuum ſigillum illis offert, eos identidem rogans, ut, cum adeſſe ob vires ac valetudinem non poſſet, ipſi, quodcunque de communi Regis electione ſtatueretur, ſuo quoque quaſi præſentis ſigillo communirent. At illi, quo iſta ſpectarent, haud difficulter ſecum perpendentes, accipere recuſarunt. Nec diu exinde ſubſiſtentes, alio huc, alio alio dilabentibus ſuam quisque domum re infecta repetiit. Quæ poſtquam in Daniam eſſent relata, Daniæ proceres, & cum his Norvagi, qui in fœdere conſtantes permanebant, inaugurationem, quæ erat, ut meminimus, anno ſuperiori Halmſtadii celebrata, ratam habentes, *Johannem* uno omnes ore Regem pronuntiant, quamvis *Steno* interea, (quod pauci obſervarunt) cum Norvegis, & eorum præſertim præſule Nidroſienſi *Gauthone* ita ſeorſim convenerat, ut unum Sveci, Norvagique agerent, ac ſuas quisque immunitates ac vetera ſtatuta aſſereret, nec Regem, niſi qui ea de re ipſis caveret, ullus admitteret.

Memoratu non indignum, eorum obiter, qui in ſupremo Regni ſenatu haberentur, cum diem ſuum *Chriſtianus* obiret, vocabula hoc loco exequi; quo nimirum poſteris conſtet, quibus tantus Rex conſiliariis uſus ſuo tempore fuit & modo, qui rebus admovebatur, cujusmodi filium exceperint. Et quidem inter præſules nominantur *Johannes* Broſtropius Lundenſis, *Olaus* Martini Roſchildenſis, *Jacobus* Friſius Borglumenſis, *Carolus* Ronnovius Othonienſis, *Nicolaus* Globus Viburgenſis Epiſcopus, *Olaus* Abbas Soranus, Doctor, *Chriſtophorus* præpoſitus Roſchildenſis, *Nicolaus* Borglumenſis præpoſitus, *Ericus* Ottenſenienſis aulæ magiſter, *Nicolaus* Erici, *Strangenus* Nicolai, *Nicolaus* Ronnovius, David Hack, *Axillus* Lagonis, *Corfitius* Ronnovius, *Ludovicus* Nicolai, *Ericus* Agonis, *Johannes* Due, *Nicolaus* Automides, *Eſchillus* Gopæ, *Andreas* Jacobæus equites, *Henricus* Monſtrupius, *Nicolaus* Broshæ, Everhardus Grube, *Benedictus* Bilde. Priore autem, qui erat cum Svecis decretus, conventu per eluſiones Stenonis irrito, ut memoravimus, reddito, de alio novoque indicendo cogitare Daniæ proceres cœperunt. Eſtque indictus ipſo aſſumptionis Mariæ die, qui fuit XV. Auguſti menſis anni inſequentis Halmſtadii, item. Nec effugere eum aut exire Sveci potuere, præſertim cum toties totque promiſſis ac codicillis non modo *Chriſtiani* Regis temporibus, ſed & alias ſe Danis obſtrinxiſſent. Inde per Regem *Johannem* evocatus Collimburgum regni ſenatas una cum prælatis, nobilitate ac popularium præcipuis. Qui licet jam ante, quod eſt in rebus Chriſtierni memoratum, electionem ejus probaſſent, obſequium tamen ac fidem denuo promiſere. Quin & Regina *Dorothea* ut & regni ſenatores, aliique qui urbium arciumque præfecturas tenebant, traditis clavibus ac loci cujusque plebiſcitis ei identidem ſacramentum dixere, quamvis coronatio tum nondum ejus celebrata fuiſſet. Erat *Johanni* frater unicus *Fridericus*, qui ut una ſecum ab Holſatis ducatui inauguraretur, poſtulabat Chilone Johannes. At cum renuere illi viderentur, quod ſibi a Rege *Chriſtiano* libertatem factam dictarent eligendi ex filiis ejus, quem vellent, nova Chilone indicta comitia. Quo etiam flagitatio ejus ſuper eodem ducatu coram Lubecenſium epiſcopo *Alberto* Crommedigio Sleſvici facta, a præſule circiter idem id tempus rejecta fuit. Etenim moris tum erat, ut præſules Lubecenſium conferendi Holſatiæ præfecturas Cæſaris nomine poteſtatem haberent. Eoque dilata res eſt. Interea Danorum Sveciæque procerum conventus, cujus jam modo injecta mentio, ipſa die, quæ erat ſtatuta, XV. Auguſti Halmſtadii celebratus. In hoc ex Svecis aderant *Jacobus* Archiepiſcopus Upſalienſis, *Henricus* Lincopienſis, *Bernulphus* Scarenſis, *Conradus* Strengeneſſenſis, Ivarus Vexuenſis Epiſcopi, *Steno* Sture regni præſes, *Ivarus* Axilli, *Guſtavus* Caroli, *Thuro* Thuronis, *Gregorius* Matthæi, *Ago* Johannis, *Carolus* Canuti, *Tordo* Philippi, *Guſtavus* Olai, *Ivarus* Grenius,

R. Sveos reducere tentat.

Halmſtadium evocat.

Steno cum proceribus ſe venturum ſimulat

in itinere morbum confingit.

hinc itineris ſocii dilapſi.

Dani & Norvagi Johannem ſibi regem ſalutant.

Norvagi antea Stenonis inſtinctu cum Svecis conſentientes.

conventus denuo indictus Halmſt.

A. 1482.

Friderico ab Holſatis homagium præſtandum differtur.

Halmſtad. conventus celebratur.



Johannes I. Rex
Daniæ
A. Ætat. 58. Regni 32.
Symbolum.
Pro lege et grege.

Brühl sc. Lips.



Greniús, *Ericus* Agonis, *Nicolaus* Erici & *Johannes* Agonis equites, *Arvidus* Trolle, *Ericus* Caroli, *Matthias* Caroli, *Georgius* Agonis, *Nicolaus* Nicolai & *Arvidus* Canuti armiger. Eſtque omnium ſententiis firmata rataque habita, quæ fuerat jam olim temporibus *Chriſtiani* Regis inter regna utrinque Calmariæ pacta unio, de uno utriusque ſibi rege eligendo aſſumendoque. Et licet tum ſimul *Chriſtierni* Regis natu major filius Johannes nominaretur, uſi tamen occaſione abſentia (quod ut indicatum ex compacto agebatur) neque nominare neque eligere Regem Sveci voluerunt, polliciti interim, ſe proxime miſſuros Hafniam ſuos, ut ibi de loco ac tempore alio ſtatueretur, quod adeſſe trium regnorum proceres plena univerſi cum poteſtate eligendi Regem, idque in honorem ſummi Numinis atque emolumentum regnorum jam memoratorum, certo poſſent. Poſt quæ Novembri menſe cum jam frequentes Chilonem conveniſſent Holſatiæ patres ad celebranda, quæ indicta ſuperius per Johannem diximus, comitia, omnium primus diuque conſultatum de principe, qui in ducatus Sleſvicenſem, Holſatiæ ac Stormariæ, quos ſibi hæreditario jure *Chriſtianus* acquiſiverat, proxime ſuccederet. Comparuit ibi inter primos *Dorothea* defuncti Chriſtierni vidua, minorem filiorum *Fridericum* ſecum ducens, eo nimirum animo, ut illi Sleſvicam feudi beneficio, unde & Daniæ regno obnoxius haberetur, Holſatia vero ac Stormaria paternarum ditionum velut hæreditariæ crederentur. Et erat in eum, ut ſolet in natu minores, haud levis quoque matris affectus. Quæ & hoc adducebat, hanc patris fuiſſe voluntatem ultimam, ut ſcilicet *Friderico* ducatus integri permitterentur, cum *Johanni* utrumque Daniæ ac Sveciæ regnum ceſſiſſet. Sed ea teſtatio, quia nec ſcripto neque codicillis demonſtrabatur, neque locum in Dania teſtamenta haberent, niſi aſſenſu heredum firmata, parum momenti attulit. Interim *Johannes* re accepta magnis itineribus una cum iis, quos ſibi a conſiliis habebat in Holſatiam feſtinavit, ut, quod ageretur, mature præveniret. Etenim oſtendebat continuo, quantum inde ſibi, quantum poſteris ſuis detrimenti accideret, cum regna eſſent electiva, nec obvenire niſi uni poſſent, ducatus autem hæreditarii, quibus excluderentur *liberi, ſi plures ei Deus largiretur*. Holſatiæ proceres videbantur nihilominus urgere, quod illis tribuiſſet jus *Chriſtiernus* Rex eligendi ex regiis liberis, quem maxime vellent. At Daniæ proceres aliter ſtatuere: Regna ſcilicet Daniæ Sveciæque cum electione non hereditate adirentur, *Johanni* quoque illa, licet alterum mutaret, ita obveniſſe: aſſumeret igitur ſibi *Fridericus* Norvagiæ regnum, quod erat hæreditarium. Ducatus vero in eorum compenſationem fratri cederet, aut, ſi minus id expedire videretur, diſtributis æqualiter ducatibus una cum *Norvagiæ regno ſua cuique portio aſſignaretur*. Quam in ſententiam ne continuo pedibus iretur, remorati illi, qui partitiones ejusmodi perpetuarum litium ac diſſidiorum, nec non bellorum, quæ inde naſci fortaſſis poſſent, materiam fore aſſererent, præſertim apud principum horum liberos nepotesque, quibus peſſime hoc pacto conſuleretur. Verum optimates cum in adverſum reponerent, hujusmodi facile occurri componique poſſe, Reginam poſtremo ſenatumque Holſatiæ ſuas in partes traduxere, revolventes ſecum, quam eſſent incerta, quæ electione obvenirent, *ſtabilia vero ac perpetua, quæ hereditate darentur*. Nec erat ignara hujus Regina, quæ paucis ante annis rebellantes Svecos ac bellum exinde grave concitatum adverſus maritum viderat. Quapropter, ut erat ſingulari prudentia, ampliata priore ſententia, vel antiquata potius, teſtata demum eſt, *eſſe utrumque ſibi filium, & charitate pari*, ideoque placere, *ut inter utrumque ducatus in partes æquales dividerentur*, rejecta, quæ Norvagiam ſpectabat nec tanti momenti habebatur, in tempus aliud controverſia, quæ quoque ſententia a ceteris, qui aderant, tam Holſatis, quam aliis, probata firmataque. Qua de re codicillos una cum Rege ejusque fratre *Frederico* matreque *Dorothea* obſignarunt *Carolus* Othonienſes, Nicolaus Viburgenſis epiſcopi, *Ericus* Ottheſon aulæ magiſter, *Strangenus* Nicolai, *Nicolaus* Thoneſonius, Regni ſenatores, ut & *Didericus* de Seidnitz, Doctorque *Johannes* de Krets, Electorales Ducumque *Erneſti* & *Alberti* fratrum delegati. Tum ſimul quæ indulta Holſatis privilegia atque immunitates a *Chriſtierno* olim fuerant, a *Johanne* firmata. Pollicitaque iisdem *Dorothea* eſt, idem quoque facturum filium *Fridericum*, ubi annis major eſſet. Notat horum temporum propemodum æqualis *Petrus* Parvus Roſenfontanus Eques Danus minus tum prudenter conſuluiſſe eos novo Regi Daniæque regno, qui Sleſvicenſium ducatum, qui ab obitu Adolphi Ducis coronæ erat redditus, utpote regni beneficium, nec ut Holſatiæ hæreditarius, ab ea diſtrahi & una cum Holſatia in ſortem ac hereditatem abire permiſerint. Etenim quanto ſanguine regno *Reginæque Margarethæ* atque inde Erico Pomerano ſteterit, ea, quæ habita eſt poſt obitum ultimi *Gerhardi* Sleſvicenſium Ducis cum propinquis ejus belligeratio, quo ſcilicet, ad regnum reduceretur is ducatus, docet hiſtoria resque Regum eorum: at modo quam facili, quod erat ab obitu *Adolphi* ducis regno redditum, retineri & ei in perpetuum jungi potuiſſet, ſi ita viſum conſultoribus fuiſſet! ſed egiſſe hoc maxime Holſatos reperio, qui Regis *Chriſtierni* placitum ſecuti, idque identidem urgentes, duas diverſi generis præfecturas, quarum altera ad Cæſarem, ad Daniæ regnum altera erat referenda, ejusdem legis ac ſortis haberi ac facere voluerunt, & quantum in ipſis fuit, fecere: Cum tamen Theutonum & quæ Cæſar tribuit feuda, ut plurimum hereditaria ſint, Daniæ vero regni & iſtud

ſed Sveci moras in eligendo Rege nectunt.

In conventu Chilon. Dorothea Reg. vidua Fridericum fil. Holſatis ducem commendat.

R. Johannes obnititur.

ipſi ceſſurus Norvagiam.

tandem Holſatia inter utrumque dividenda decernitur.

hinc codicilli conſignati.

diviſionis facta ratio.

istud præsertim Slesvicense haud quaquam, ut est in rebus *Olai* Regis & Reginæ *Margarethæ* tum & alibi suo loco monstratum. *Johannes* igitur Rex alteram ducatuum partem suo, alteram fratris sui *Friderici* nomine, qui tum minor annis adhuc erat, administrandum suscepit, quamvis alii universam in se ducatus administrationem suscepisse quidem *Johannem* tradunt, sed absque divisione, quæ anno demum 1490. speciatim instituta, quod & inde dicetur, tum suam in gratiam simul deprecantibus præsertim amicis, procerum Holsatiæ nonnullos, qui a patre *Christiano* jam pridem, ut est in rebus ejus relatum, acti in exilium fuerant; Quin & bona eorum fortunasque fisco addictas, eisdem reddidit. Quæ res maximam illi apud omnes sub initia principatus clementiæ ac moderationis laudem conciliavit. Operam tum quoque dedit, ut debita paterna, quæ summam haud exiguam conficiebant, sibique Holsati flagitabant, explicata haberentur, quo constare cunctis liquido posset, quid cuique deberetur. Memoratur & imperasse tum suis in Daniæ regno pecuniam, qua & illa, ut & alia, quæ erant vel pignori tradita, vel alias ab ducatu abalienata, facta solutione redimerentur. Quæ & redempta haud multo post expunctaque singula autores tradunt. Quæ cum essent Chilone peracta, eodem adhuc Novembri mense, Rex *Johannes* Duxque *Fridericus*, adsumptis ex senatu, aliisque secum & in his *Alberto* Crommedigio Lubecensium præsule, *Carolo* Ronnovio Otthonienſi, *Nicolao* Globo Viburgensi, Episcopis, *Adolpho* Comite Oldenburgensi ac Delmenhorstæ *Johanne* Ibsonio Cancellario Regio, Domino *Erico* Otthonis aulæ præfecto, Domino *Johanne* ab Alefeldt, equestri dignitate viris, item *Henrico* Rantzovio, Bredonis filio, Steenburgensium præfecto; his inquam equitibus, præterea sexcentis comitati Hamburgum veniunt. Cumque obsequium sibi ac fidem pro more præstari postularent, eo licet ægre adductus tandem urbis senatus, Principum utrique quemadmodum jam ante parenti ipsorum Regi *Christiano* sacramentum solenniter dixit. Et illi vicissim postquam immunitates ac privilegia civitati ac senatui ampliter firmassent, haud indonati, tum & locis lautiisque magnifice honestati domum redierunt. Erat eo tempore assidua ac frequens Hamburgensium quoque in insulam Islandiæ navigatio. Quam eorum navigationem, cum negociatores Theutonici, qui Bergis Norvagiæ agebant, sibi suisque rebus obesse plurimum judicarent, eos ad tribunal suum Lubecam evocarunt Vandalici, ubi cum acriter hoc nomine accusarentur Hamburgenses ac monerentur ea navigatione abstinere, auscultare tamen auremque illis præbere haud quaquam voluerunt. Etenim reponebant Hamburgenses privilegium, quod erat a Daniæ Regibus indultum societati Theutonicæ, quæ Bergis esset, non ulterius quam ad Norvagiam trahendum, nec Islandiam, esseque ac fuisse liberum semper Daniæ Regibus, eam, quibuscunque velint, navigationem concedere: & ideo non Hamburgensibus modo, sed & Bremanis aliisque permissam jam olim eam hodieque permitti. Fatalis ac ultimus hic annus fuit reverendo maximique nominis præsuli Arhusiensium Johanni, qui legum ac juris peritissimus una cum Ripensium episcopo *Christiano* Hemmingio admodum adhuc juvenis interfuit olim Basileensium concilio, sub Eugenio ac *Felice* celebrato missus eo a Rege *Erico Pomerano*, tum nondum episcopus. Singularis ibi facundiæ ac prudentiæ laudem meruisse autores tradunt; quod a nobis hoc loco præteriri haud quaquam debuit. Memoratum superius nihil magnopere in Halmstadiensi conventu obtineri apud Svecos potuisse, quod absentes tum essent Norvagiæ proceres, idque ex compacto, quod inter Svecos & Norvagos erat initum, quemadmodum jam modo injecimus. Designatus igitur Rex exponi continuo Nidrosiensium Archiepiscopo *Gauthoni*, tum & ceteris Norvagiæ primoribus, quam diligentissime curavit, rationem haberent inauguralium, quos ipsi misissent codicillorum, ut & fœderis, quo utrumque Daniæ & Norvagiæ regnum jam olim counitum fuisset, quo & cautum habebatur, sub uno eodemque Rege ac Domino mansurum utrumque. Se eorum privilegia & immunitates, non tantum ratas habiturum, sed eas majori insuper gratia suoque indultu ampliaturum. Non debuisse adeo facile in devia abduci eos, aut de ejus benignitate diffidere, vel de ipso siniſtri quidquam animo concipere, se, quæcunque ad regnum exornandum spectarent facerentque, libenter prolixeque facturum. Quibus omnibus perpensis consensere postremum Norvagi, placuitque, ut denuo Halmstadii conventus indiceretur, cui interessent singulorum regnorum trium proceres. Estque indictus is ipso profesto Purificationis divæ Mariæ, qui fuit Februarii secundus anni proxime insequentis millesimi supra quadringentesimum octuagesimi tertii. Sed dies jam dictus ubi venisset, comparuere quidem Dani Norvagique, sed Svecorum nulli, nisi aliquo post tempore. Interea, quod res ita regni utriusque flagitare, & metus esset, ne denuo aliorum technis irretiti relaberentur Norvagi, declaratur assensu omnium Daniæ Norvagiæque Rex *Johannes*: Ac simul evulgatum placitum ad Daniæ Norvagiæque indigenas incolasque præcipue spectans, præsentibus ac congregatis ibidem reverendo in Christo patre *Johanne* Dei gratia Archiepiscopo Ludensi Sveciæ primate ac legato pontificis max. *Johanne* Bostropio, *Olao* Roschildensi, *Carolo* Otthoniensi, ejusdem gratia episcopis, nec non *Erico* Otheson, *Nicolao* Ronnovio, *Stygenio* Nicolai, *Johanne* Oxe, *Canuto Canuti*, *Vernero* Parsbergio, *Axillo* Lagonis, *Eschillo* Gogæ equitibus, *Petro* Nicolai supremo Schaniæ judice, *Benedicto* Bilde, Daniæ regni senatoribus, ac

Johannes Holsatorum favorem sibi conciliat beneficio.

ab Hamburgensibus obsequii sacramentum exigit

Hamburgensium cum negotiatoribus in Norv. Teutonicis controversia de navigatione in Islandiam.

Joh. episc. Arhus. obit.

ejus merita & laus.

Joh. R. iterata ad Svecos commonitio.

Halmstadii iterum conventus indicitur.

A. 1483.

Sveci haud comparent in tempore.

Norvagis interim Rex pronunciatur Johannes.

ac plena potestate universi regni ejus incolarum nomine instructis. Itemque *Gauthone* providentia divina Archiepiscopo Nidrosiensi, pontificiæ sedis legato, *Johanne* Bergensi, *Carolo* Hammerensi, ejusdem gratia episcopis; *Gudone* Kane, *Svenone* Galde, *Jona* Smor, *Boëtio* Flemmingio, equitibus, *Andrea* a Bergen, & *Otthone* Matthia armigeris regno Norvagiæ senatoribus, ac plena potestate universi regni, atque incolarum nomine donatis: his inquam præsentibus, quod vivo adhuc Rege *Christiano* de filio ejus majore *Johanne*, in Regem trium regnorum adscisendum decretum jamdudum fuerat, resumptum hoc loco ac tempore; Estque absentibus Svecis, cum regna Daniæ Norvagiæque Regem flagitarent, declaratus, ac liberis omnium singulorumque suffragiis assumptus ac pronunciatus illustrissimus princeps Regis *Christiani* filius natu grandior *Johannes* Dei gratia Rex ac Dominus regnorum Daniæ & Norvagiæ. Et ipse vicissim dictis regni senatoribus nomine utriusque regni & incolarum ejus pollicitus fuit, idque sacramento ac verbo suo regio, se capita, quæ infra scripta habentur, omnibus modis servaturum habiturumque inviolata. Et simul præsente atque expetente eadem utriusque regni senatu sanctissime adpromisit eadem, salva, quæ inter regna esset, unione, se præstiturum Sveciæ regno ejusque incolis universis, quandocunque eum similiter suum in regnum reciperent Regemque agnoscerent. Capita quæ jurasse diximus, hæc fere erant:

itemque Daniæ

Sacramenti a Rege præstiti capita.

Inprimis & ante omnia secundum Dei timorem &, quem eidem cultum atque honorem debebat, se sartam tectam præstiturum promittebat sanctam Dei ecclesiam ejusque ministros ac clientes, ut & statuta, privilegia, immunitates ac consuetudines, quæ ipsis a Pontificibus Romanis sanctis patribus ac Regibus olim Principibusque Daniæ fuerant indulta concessaque; & idem quoque pollicitus fuit quod ad singulorum trium regnorum arces, oppida, municipia, ditiones, ac præfecturas, idque juxta præscriptas leges, consvetudines ac statuta, quæ essent cujusque regni ac loci propria; præterea exterorum neminem suum in senatum ac consilium adscisceret, neque eos præfecturis, arcibus aut ditionibus ullis præficeret; regna aulamque suam regeret ac gubernaret per viros ac præfectos cujusque regni indigenas; nemini arces, præfecturas vel domicilia demandaret, neque eis quemquam amoveret aut destitueret, nisi assensu consilioque supremi senatus, delata facti causa, ad eos regni proceres, qui locos, in quibus arces sive præfecturæ essent sitæ, quam proxime adhabitarent; neque etiam regni arces, emporia seu præfecturas vel oppignoraret vel abalienaret, nisi in usum regni cujusque idque conscio ac volente procerum regni senatu ac consiliariis. Tuta ubivis præstaret per regni cujusque oras ac ditiones itinera terra marique, salva ubique jurisdictione, teloniisque regni regnoque debitis. Haud quoque promitteret ipseve curaret, arrogare sibi quemquam præsulum aliorumve prælatorum electiones, sive litteras sive legatos Romam mittendo, aut obtinendo quidquam ecclesiæ contra jus ac jurisdictionem ejusdem. Operam vero navaret omnem, ut sua semper ecclesiæ ac monasteriis constaret immunitas. Si qui etiam in id impetrati essent a quoquam, vel impetrarentur codicilli, hi ab isto tempore ponderis ac momenti nullius forent, exceptis, in quæ regni proceribus Regique jus esset patronatus, nec ulli similiter ulla tribuerentur ecclesiæ beneficia, nisi regni cujusque indigenis virisque idoneis. Nullam insuper sibi potestatem assumeret minuendi ullius regni ditiones, præfecturas, oppida, arces, prædia, territoria, sive reditus regnorum annuos. Si quæ præterea ditiones, arces, oppida, debita, reditus, aliaque similia ulli regnorum annis superioribus & maxime tempore parentis ipsius laudatæ memoriæ Regis *Christiani* ablata aut deperdita essent, ea ut quam primum restituerentur Daniæ Norvegiæque coronæ, omnem omni fide ac diligentia navaret operam. Similiaque ut præstarentur Svecorum regno, curaret. Quod ad Gothlandiam, Scoedaliam, Svartequernam, Svertoriam alias dictam, quandocunque illi eum ut dominum suum ac Regem agnoscerent. Nec deesset quoque Daniæ & Norvegiæ regnis, ut quæ ipsis in Sveciæ regno competerent jurisdictione, aliaque jura, & inter cetera Bahusiæ telonium, ut, inquam, ea eisdem sarta tecta restituerentur. Adpromittit præterea, si ita, faciente Domino, primatibus ceteroque Sveciæ senatui placuerit, se in Regem assumere, pollicetur serio sancteque, se neque fratrem suum heredesve aut posteros, aut ullum amicorum suorum, quicunque is fuerit, potestatem habiturum, aut ullo adversus nobilissimum postremum ordinisque equestris Virum Dominum Stenonem Sture, Sveciæ defensorem, Dominum Nicolaum Sture, Dominum Ivarum Axilli, aut in ullos eorundem heredes, vel alios Sveciæ incolas, ii sive sancti sive profani ordinis fuerint, jure acturum, aut eos impugnaturum nomine detrimentorum, quæ illustrissimo Principi parenti suo laudatæ memoriæ, ejusve clientibus sive per bella, prædasque & incendia, sive alias ditionibus ejus municipiis, arcibus, aut territoriis terra marique illata fuerint: neque etiam moturum se actionem eam, quam habuit illustrissima Princeps Regina *Dorothea*, mater sua prædilecta in Sveciæ incolas, cujuscunque ii ordinis sint, quod reditus prædiaque ipsius dotalitia spectat: volens quoque idem intelligi, quod causam sive excommunicationem attineret, quæ Reginæ eidem *Dorotheæ* adversus Stenonem erat adjudicata. Hæc taliaque remittere se addicit cuncta, modo intra proximum nativitatis Mariæ festum Sveciæ primates senatusque in Regem se eligat. Sin vero minus id fiat, (quod Deus avertat,) tum eidem cum in his tum in aliis capitibus jus integrum

integrum esset, manente interim inviolata, quæ fuit jam olim inter regna ditionesque inita pacis atque amicitiæ unione; ut & promissis atque obsignationibus hæc ipsa capita spectantibus. Non etiam memoretur essetque penitus oblivioni traditum, quodcunque regnorum trium incolæ sive has sive illas partes sequendo, hostile, aut alias etiam inter sese inimicum perpetrassent. Adversus hæc si vel ipse vel alius quispiam quidquam attentaverit vel attentari fecerit, tenebuntur se iis simul trium regnorum senatus, episcopi, prælati, ordoque equestris, ac milites, ceterique incolæ atque indigenæ opponere, eaque impugnare atque averruncare. Eruntque hoc ipso captivi omnes liberi ac vinculis soluti. Si etiam contingat seditiones dissidiaque exoriri sive adversus Regem regnorumque aliquod, sive adversus eum, qui procerum communibus votis electus fuerit, ejusmodi omnia cum ipse ceterique nullis exceptis, avertere, atque in herba, quod dicitur, opprimere tollereque vi omni omnibusque fortunis suis tenebuntur. Similiter & ipse pollicetur, se nulli sive pauperi sive diviti, clero vel seculari ullam vim vel injuriam illaturum, aut ut inferatur curaturum. Si fecerit, tenebuntur ipsum regnorum incolæ ejus commonere; commonitus si auscultare neglexerit, in id incumberent omnes operamque navarent hoc quicquid esset, tollere & emendare haud quicquam hoc ipso delicturi. His præmissis obstrinxit præterea certis se legibus, manu ac sigillo suo obsignatis. Quarum prima tenebatur regni senatores, virosque Equestris dignitatis tam sacri quam profani ordinis, debito honore colere nec ullo pacto permittere, injuria eosdem affici: tum & plebi urbibusque cujusque regni haud ullum imperare tributum aut collationem, absque regni senatus præsulumque ac prælatorum consensu. Telonia apud Svecos argento solverentur: idque destinaretur, quemadmodum jam olim, officinis monetariis, neque fas esset aut potestas præsidum præfectorumve ulli telonii loco pannum, salem, lupulum, similesque merces accipere, nisi argentum, monetamque argenteam, atque id in usum, ut dictum, officinæ monetariæ: neque eam constitutionem, nisi consentiente regni senatu, immutare penes ipsum potestas foret. Norvagis præterea ex senatus consulto officinam monetatiam Nidrosiæ, Bergis & Opsloæ concederet, utque nummi ibi usitati ac Danici cuderentur. Nulla ullius regni edicta publicarentur, nisi adsentiente senatus regni parte potissima. Nec fas esset judici seculari in clerum aut ecclesiasticos sententiam dicere, essetque & haberetur ecclesiæ suum jus ac tribunal separatum ac inviolatum. Bellum nullum cœptaretur sine regni senatus voluntate, aut suffragio. Regnorum nullum, ab altero discederet aut sejungeretur. Quod uni alterive obveniret, id singuli pariter sustinerent. Arces, oppida, castella, si, Deo victoriam concedente, regnorum alicui obvenirent, ea ejusdem regni essent manerentque. Non etiam ipsi ejusque Reginæ liberisque permitterentur territoria ulla sive fundos ab ordine equestri aut alias pretio sibi parare: uti nec aliis, qui liberi non essent, fas esset, possessiones coëmere, quæ libere non censerentur. Neminem ex clero sua abdicare functione, vel Rex vel ejus præfecti præsumerent, neque ullam ecclesiæ aut ejus bonorum curam sibi arrogarent, etiamsi jus ipsis patronatus esset, in eandem ecclesiam. Nullus quoque esset urbis alicujus consul, senator, telonarius, præfectus, tribunus plebis aut secretarius, nisi indigena. Neque judicis apud Norvagos munus, nisi qui regni item indigena esset, cuiquam concederetur. Adlegeretur insuper in regni senatum supremum nemo, nisi qui natus ex equestri ac domestica nobilitate foret. Electio aut consilio aut secundum suffragia senatus fieret; qui electi essent, sacramentum, quod præstari solet, præstarent. Regni thesaurus ac codicilli custodirentur in Dania Callenburgi. Horum ex ordine sacro duo ac totidem ex prophano claves servarent, una cum præfecto conclavis, qui item ex quatuor unus foret, & hi quotannis certo tempore acceptorum expensorumque rationem coram Rege redderent. Idem apud Norvagos Bergis in palatio, quod ibi est, regio, apud Svecos in arce Stocholmensi fieret. Operam præterea navaret, ut regni clenodia, archiva reditusque haud uspiam deperderentur, quidquid ex regnorum proventibus, præter quod ipsi ejusque statui honestando impenderetur, supereset, id garzophylacio cujusque regni inferri curaret, seque obligaret promitteretque, haud unquam se codicillos prioribus contrarios evulgaturum, & debita reditusque majorumque suorum in regno unoquoque ex consilio senatus persoluturum. Quæ autem extra unumquodque regnum debita restarent, horum regna singula regnorumque incolæ haberentur indemnes. Ipse neque præfecti ejus ullam sibi naufragiorum curam ulterius assumerent, quam de ea leges loquerentur. Quæ idem instituta per tria hæc regna essent, inter ecclesiam & coronam, ut & coronam & ordinem equestrem, ditionum aliæque divisiones, eæ haberentur immotæ ac ratæ, nullos quoque nisi indigenas penes se aulæ præfectos Consiliarios similesque ministros haberet; hisque aulam aulæque negotia concederet. Ubi vero assumptus in Regem a Svecis foret, annum unum apud Svecos, unumque apud Danos tertium apud Norvagos ageret, nisi ex sententia senatorum aliud tempus regnique res flagitarent. Ubi ex uno in aliud regnum esset concessurus, obviam ipsi occurrant eumque exciperent præfecti aulicique circa extraque regni sui limitem comitati viris honestis atque obsidibus; & idem quoque facerent fierique curarent, quandocunque vicissim regno esset cessurus, prout regni cujusque mos ac consvetudo ferret. Non item permitteret gravari ab aulicorum suorum hospitatione

ſpitatione epiſcopos, monaſteria, aliosve ejusmodi, qui pignoris aut dicatelæ vice præfecturas poſſiderent, ſed amandari eos faceret adeos præfectos, qui arces regnique talesque præfecturas tenerent. Id præterea curatum daret, ut *univerſitas* utraque Hafnienſis & *Upſalienſis* in perpetuum conſiſterent ac florerent, idque ſecundum conſilium ſenatus ſui. Nullas quoque firmaret immunitates ſive privilegia aut nova indulgeret civitatibus ſeu negociatoribus exteris intra ullum horum trium regnorum, niſi ex conſilio ſenatus ejus regni ad quod ea præcipue pertinerent. Ubi aliquo e regno excedere ipſum contingeret, ſe abſente, quatuor ex ſenatoribus conſtitueret, qui ſuas vices ſupplerent, ſalvo ubique jure cujusque territorii, ut & poteſtate, quæ penes cancellarium eſſet. Omnem præterea moveret lapidem, ut impium facinus, quod eſſet a Theutonibus Bergis apud Norvagos in epiſcopum *Tælofum*, Dominum *Olaum* Nicolai, Dominum *Petrum* Nicolai eorumque liberos ac plures alios tum laicos, quam ſacri ordinis, perpetratum, debite vindicaretur. Erant & plura ſed longe quam hæc particulariora, & inter cetera de conventu indicendo annuo, ad quem convenirent quotannis, ſub diem divi *Olai* epiſcoporum ex quoque regno unus & duo ex ordine equeſtri; qui numero novem inter ſe diſquirerent ac conſultarent de rebus regna ſingula eorumque pacem ac qvietem ſpectantibus. Itemque de exteris, de prædiis exædificandis ac reparandis, deque navigatione ac commerciis Norvagicis, utque regni ejus ſenatus ſingulis bienniis ſemel conveniret, comitiaque per vices Opsloæ ac Bergis celebraret. Utque navigationes Vandalicarum civitatum in Islandiam prohiberentur, & ne eam in inſulam externi præſides mitterentur. Ac poſtremo pollicitus Norvagis fuit, nihil apud ipſos immutaturum ſe, aut de præfecturis, reditibus, ſimilibusque quidquam conſtituturum ante coronationem ſuam &c. Quæ omnia ſingulaque Daniæ Norvagiæque regnorum ſenatores ac delegati, quibus plena erat a regnis regnique ſenatu poteſtas conceſſa, ſancte ſevereque ſub fide ſacramenti ſarta ſe tectaque ſervaturos promiſere, ac ſimul adpolliciti ſunt; eadem etiam inviolate Svecis eorumque regno atque incolis ſe præſtituros ſervaturosque, quandocunque illi in Sveciæ Regem aſſumpſerint ipſum ac coronaverint. Data hæc ſignataque Halmſtadii An. Domini 1483. in feſto purificationis glorioſæ virginis Matiæ, qui fuit dies ſecundus menſis Febr.

Svecorum delegati, qui una Halmſtadium, ſed ſerius, ut indicatum, advenerant, poſtquam domum rediiſſent, retulere ſuis, quid a Norvagis factum, quid item decretum in univerſum fuiſſet. Et erat inter eos, quibus ſaniora haud diſplicerent, quosque Regi ſe a *Stenone Stureo*, ſibi æquali tædere videbatur. Hi quoque, quæ inita erat, ſervari regnorum unionem ſtareturque promiſſis authores erant.

Quapropter e re viſum, ut Domini *Thuro* Benedicti, *Ago* Janſonius, equites, *Carolus* Benedicti ac *Linderinus* Biornonis in Daniam profecti de inſtituendo Calmariæ conventu cum Rege agerent. Miſſique mox Hafniam oretenus cum Rege egerunt; nec mora: decretus conventus ab omnibus trium regnorum proceribus, ut ſcilicet haberetur is ſub nativitatem divæ Mariæ in oppido Calmariæ. Tum ſimul, priusquam Hafniæ recederent iidem, delegati, capitum aliquot puncta ab illis Regi ſunt exhibita, quæ erant fere injuſtæ ſententiæ: Certe ſibi perſuaſum haberet Rex *Johannes* ſe quoque Sveciæ Dominum ac Regem fore his legibus ac conditione, ſi nimirum firma rataque haberet capita omnia ac ſingula, quæ Daniæ, Sveciæ ac Norvagiæ regnis ſub fide ſacramenti pollicitus fuiſſet, ſuoque & Reginæ *Dorotheæ* ac fratris ſui *Friderici* Ducis ſigillo obſignaſſet, accederetque ſub diem aſſumptionis Mariæ, qui eſt decimus quintus Auguſti, Calmariam, aut ſaltem Calmariæ ita vicinus, ut in omnem eventum mittere eo ex ſenatu nonnullos poſſet, qui Sveciæ regni conſiliariis præſto Calmariæ adeſſe, ubi opus eſſet, poſſent, nemini denegaret tuti itineris litteras ſuas, vulgo ſalvum conductum vocamus. Nullus etiam de Sveciæ regni ſenatu, ignominioſe, probroſe aut male vel ſentiret vel loqueretur &c. Cudi nummos plures, quam eſſet monetaria lege permiſſum, haud ſineret & comitarentur eum in Sveciam ex aulicis quatuor, ſuorum autem aulicorum neminem diverti in civitatibus gratis aut hoſpitum civiumve ſumptibus permitteret. Quatuor ibidem ex regni ſenatoribus, duo ſacri ac totidem profani ordinis deſignarentur, quibus regni proceres arcium omnium inſpectionem ac curam committerent. Hi quoque, ſi decedere Regem contingeret, regni in ſe negotia ſuſciperent, donec ſingulorum trium regnorum ſenatus, indicto conventu, de novo aſſumendo Rege certum quid ſtatuiſſet.

Svecorum legati a R. Joh. conventum Calmariæ petunt

ſumma quædam capita ipſi ab iisdem exhibita.

A. 1484. Johannes R. Hafniæ coronatus.

Inſigne fecit inſequentis deinde veris initium *Johannis* Regis in urbe Hafnienſium coronatio, quæ huc usque ab obitu patris dilata fuerat. Suntque Hafniam, quæ Danici regni eſt metropolis, evocati proceres regnique ordines omnes, una cum Norvagienſibus, ut & principes aliquot Germaniæ, confluentibus ſua ſponte ad eandem ſolennitatem urbium Vandalicarum delegatis, ipſo feſto pentecoſtes, qui dies 28. tum Maji fuit. Hi cum adveniſſent undiquaque frequentes, ex arce in ædem urbis cathedralem deſcendens Rex, atque munitus ab antiſtite Lundenſium ſupremo *Johanne* Broſtorpio, una cum conjuge Regina *Chriſtina* regni diadema ſuſcepit; Qui &, eadem continuo in æde juxta ſummum altare poſtquam ex nobilitate nonnullos in ordinem equeſtrem pro more adſciviſſet, crebri tam equitum quam peditum pilentorumque comitantium pompa atque apparatu in arcem reductus eſt. Transegitque deinde

dies aliquot festis epulis ac ludis equestribus, qui in publico urbis foro haud uno genere modoque celebrati. Inde ad regni curas versus Rex, audivit, præter cetera, Lubecensium ac Gedanensium oratores. Quiritabantur hi præcipue institutam per *Jacobum* Oldenburgensem comitem in mari oceano piraticam, qua assidue civibus ipsorum varia plurimaque detrimenta inferrentur. Hæc ut coërcerentur, monereturque Comes *Jacobus* saniora sequi, Regem orabant, quod esset idem Regis agnatus ac filius patrui ipsius *Gerhardi*. Quin & petebant, firmaret immunitates ac privilegia, quæ ipsis a Daniæ Regibus non uno tempore fuissent indulta. Quod privilegia spectabat, eorum firmationem facili negotio impetrarunt, licet postmodum, ubi motum in Svecos bellum esset, ejus facti eum pœnituerit, cum præsertim summam ipsorum eo tempore experiri ingratitudinem cogeretur. Quæ vero Comiti *Jacobo* impingebantur, super iis, ut aliquid staturet vel pronuntiaret in absentem & non auditum, adduci haud potuit, & maxime, quod ille per litteras feciales, publice evulgatas, præmonuissent civitates Vandalicas, questusque fuisset, ereptam sibi ipsorum opera paternam hæreditatem, Delmenhorstæ arcem. Existimans jure idcirco repetere ab ipsis eam vindictam. Injectum quoque ab Holsatis fuit de præfectura Slesvicensi, quæ erat coronæ Danicæ beneficium, in fratrem Regis *Fridericum* solenni ritu transferenda. Sed cum minor tum adhuc annis esset Princeps *Fridericus* & Rex designatus Johannes ejus nomine, de quo ante indicatum, ditiones administrandas sibi assumpsisset, in aliud id tempus rejectum fuit. Confirmavit tum quoque civitatum in Dania, ut & capitulorum immunitates, adpromittens cœnobiis simul ac nobilitati suas, quibus hucusque gavisa fuisset, consvetudines ac privilegia re sarta tectaque præstiturum. Hac coronatione domi transacta, postquam Halmstadii, ut est memoratum, designatus jam ante a Norvagis, assumtusque in Regem Norvagiæ esset, octiduo statim post celebratam coronationem Hafniæ, in Norvagiam classe profectus, omnium primo Asloam appulit; quo in oppido dispositis rebus circa festum divi *Johannis* terrestri itinere Nidrosiam petiit. Hic summa omnium gratulatione salutatus, ipso die, qui divæ *Margarethæ* erat sacer, Julii scilicet decimus tertius, regiis ibidem insignibus decoratus est. Ac mox pacata universa Norvagia in Daniam rediens magna cum honoris & benevolentiæ, qua parerat, significatione exceptus receptusque ab omnibus fuit. Quæ tum temporis apud Norvagos nobilitas claruerit, operæ erit hoc loco adjicere. Et quidem inter præsules celebrantur *Gundius* Asloensis, *Johannes* Bergensis, *Carolus* Hammerensis episcopi, *Ivarus* Vicungius, præpositus Asloensis, Norvagiæ Cancellarius, Dominus *Ericus* Biornonis, Dominus *Olaus* Canutius, Dominus *Boetius* Flemming, Dominus *Gautho* & Dominus *Sveno* Galle, aliis est Galde, *Olaus* Oftensonius, *Johannes* Kruchouni, Dominus *Elimerus* Flugius, Dominus *Jonas* Thursonius, Dominus *Ottho* Matthiæ, Dominus *Magnus* Petri, Dominus *Guthormus* Thiold, itemque Jonas Smor, & Gudo Kane, qui in litteris superius positis, equestris dignitatis memorantur.

Lubecenses ac Gedanenses coram Rege queruntur de Jacobi Com. Oldenb. violentia,

& confirmationem privilegiorum a R. impetrant.

Jacobus vero C. Old. repetit Delmenhorstam

Fridericus in ducacum Slesv. sufficiendus.

Joh. R. in Norvegia coronatus.

nobilitas Norvagorum præcipua.

Quæ dum apud Norvagos agerentur, trajecit in insulam Gothlandiæ *Steno* Sture, ac mox Neogardiam veniens, prope Vesburgum, assentiente regni senatu contulit in *Ivarum* Axilli præfecturam arcis Razeburgensis, idque dum viveret, libere ac sine collatione aut rationibus possidendam. Ab ejus obitu eandem præfecturam reciperent liberi *Laurentii* Axilli ejusque heredes eadem conditione in annos viginti. Quæ omnia e spectabant, ut Finlandiam *Ivarus* Stenoni, tenendam permitteret. Nam & Borcholmiæ arci insulæque Olandiæ per idem tempus eundem præfecit, addita stipulatione, ut si quis interea Sveciæ Rex eligeretur, nihilominus contractus ille valeret. Cumque varia exinde intervenirent, nec auscultare usque quaque Stenoni viderentur Axilli heredes, tandem in hunc modum conventum, ut *Steno* reciperet Finlandiam, parti adversæ Olandia, Steburgum, aliæque arces ac municipia ejus vicem una cum Ratzeburgo traderentur ac cederentur. Mox cum appropinquaret, de quo modo dictum, dies, qui erat a Sveciæ proceribus Hafniæ statutus, ut Daniæ regni senatus Calmariam convenirent, venerunt eo Regis regnique Daniæ ac Norvagiæ nomine *Carolus* Ronnovius episcopus Othonienſis, Dominus *Nicolaus* Ronnovius regni mareschallus, Dominus *Ericus* Othensonius aulæ regiæ magister, itemque Dominus *Ericus* Krummedigius ac Dominus *Eschillus* Gogæ. Hi priusquam Dania excederent, sacramento, quo Regi regnoque obstricti erant, solvit eos Rex, idque eum in finem, ut judices agnoscerentur neutrius partis, si forte ad dicendam sententiam citari eos contingeret. A parte regni Svecici adfuere *Henricus* episcopus Lincopiensis, *Steno* Sture Svecici regni tutor & defensor; Dominus *Ivarus* Axilli, *Thuro* Johannis Olandiæ judex, *Johannes* Agonis judex ditionis Nerchanæ, equites, *Arvidus* Trolle, judex orientalis Gothiæ, *Carolus* Benedicti, *Magnus* Caroli, *Nicolaus* Claudius, Georgius Agonis, *Svanto* Nicolai, & *Ardus* Canuti, judex ditionis, quæ Tryge Herret dicta, plenam habentes potestatem a Sveciæ senatu atque incolis. Est tum in capita conventum initusque utrinque tractatus, qui Calmariensis nuncupatur. Hoc tractatu, præter alia, continebatur, ut tria jam sæpius nominata regna uno sub Rege ac domino perpetuo agerent. Utque Rex *Johannes* certo sibi polliceretur, Regem se omnium trium regnorum fore, modo staret iis, qui in Halmstadiensi conventu essent promissa, quæque Daniæ Norvagiæque proceres data fide juravissent. Utque adesset Rex ipse sub diem assumptionis Mariæ, qui esset 15. Augusti

Steno confert Ivaro præfecturam arcis Razeburg. in Gothland. it. Borcholmiam arcem & insulam, quo Finlandiam suam faciat.

Calmariæ conventus.

Sveci promittunt Johannem filium Regem deligendum.

gusti anni insequentis assumtis secum Daniæ ac Norvagiæ regni senatoribus, quo perficeretur, quod de Gothlandia, Schordalia & Svestovia esset promissum; Utque insulæ territoriaque, & in his Orcades Hetlandiaque, quæ essent Norvagiæ regno tempore *Christiani* Regis adempta, eidem restituerentur: itemque codicillos a parente obsignatos sartos tectos servaret, ejusque æs persolveret, idque si externum ac peregrinum foret, aliunde nec a regni reditibus peteretur, & plura his similia, aliaque, quorum pleraque superius expressa pactaque in conventu, qui jam dictus, Halmstadiensi. Habita vergente anno, qui fuit 25. Novembris ipso festo divæ Catharinæ Flensburgi comitia. Hic census decretus, qui aratralis vulgo Plougsckat dictus, exactique de aratro unoquoque aurei bini; plusque bis centenis aureorum millibus ex ea collectione fisco illatum, impensumque id omne solvendo paterno æri, quod sibi pater contraxerat emendis ac regno jungendis Holsatiæ ac Stormariæ principatibus, de quibus ante memoratum. Nec dissimilis in Daniæ etiam regno exactus census debitis, quæ belli Svecici tempore aut alias contracta jam ante fuerant, expungendis similiter destinatus. Hoc tributo rusticorum quisque dependere marcas tres, & aureum insuper solvere tenebatur is, qui terras prædiales easque proprias possideret.

In comitiis Flensb. census decretus ad dissolvendum æs alienum a Christ. R. contractum.

Per idem hoc tempus misit Coloniam ubiorum fratrem suum Ducem *Fridericum* studiorum liberalium gratia Rex *Johannes*, impetrato ibidem ipsi, eundem in finem, opimo ac luculento canonicatu. Verum cum aliquam Coloniæ moram traxisset, aliter sive a matre sive Holsatiæ proceribus persvasus, quasi id ageret frater Rex, ut ipso ordini sacro ac rebus ecclesiæ mancipato, ipse sibi ducatus vindicaret; vix transacto ibi biennio, &, quod acceperat, beneficio in alium translato valedictis Musis domum rediit, ac ipsemet ducatuum, qua ad ipsum pertinerent, curam atque administrationem in se suscepit, cum fortassis regi fratri haud unquam tale quid, quod modo injectum, in mentem venerit. Funestum atque extremum sibi annum habuit Comes Oldenburgensis *Jacobus*, cujus superius mentionem fecimus, vitam finiens sub Norvagiæ promontoriis, dum urbes Vandalorum classibus assidue ac deprædatione terret infestatque, quamvis ne sic quidem ab eo malo istisque harpyis liberatæ exinde civitates fuerint, quod eo scilicet defuncto alii suborti, qui causa ejus suscepta, haud minori negotio piraticam exercuerunt. Quibus nec purgari, nisi aliquot post annis mare potuerit. Sed ut hic fatalis domui Oldenburgicæ, ita lætus ac festus annus Regi accidit ob natalem filiæ *Elizabethæ*, quæ postmodum, ut suo dicetur loco, nuptui tradita Marchioni *Joachimo* Brandenburgico. Mox vero cum appropinquaret statutus Calmariæ dies, assumptionis B. Mariæ, prout decretum fuerat, ut accederet Rex ipse in locum Calmariæ quam proxime vicinum, una cum Daniæ Norvagiæque senatoribus aliquot, quo deliberari de tempore ac loco inaugurationis ejus, deque aliis ad regni Svecici commodum spectantibus possit: idcirco ad regni limites Rex se contulit, misitque Calmariam nomine utriusque regni Daniæ Norvagiæque *Eilicerum* Arhusiensem, *Hartbingum* Ripensem episcopos, *Eggerum* Krummedigium, *Ericum* Agonis, equites, itemque magistrum *Nicolaum* Othoniensem Diaconum una cum codicillis fiducialibus, qui dati erant Hafniæ die divi Petri ad vincula, ipsis calendis Augusti anni, qui est insequutus millesimi supra quadringentesimum octuagesimi quarti. Oretenus nomine vero Regis sui declararunt, paratum *Johannem* Regem prolixe liberaliterque exequi, quæcunque Calmariæ superioribus comitiis decreta fuerant; petereque diem ac tempus significarent, quo inaugurationem celebrandam & quem in modum peragenda cetera existimarent. Svecorum, qui ex adverso aderant, delegati fuere, *Henricus* episcopus Lincopiensis, *Steno* Sture Gupsholmæ Topartha, regni Svecici præses ac gubernator, *Ivarus* Axillus, *Gustavus* Caroli, judex Oplandiæ, *Ago* Jansonius judex Sudermanlandiæ, *Thuro* Jansonius judex Olandiæ, *Johannes* Agonis judex Narchiæ, *Carolus* Canutius, equites, *Arvidus* Trolle judex australis Gothiæ, *Nicolaus* Claudius, *Lindormus* Biornonis, judex Gotiæ occiduæ, *Ericus* Carsenius, Georgius Agonis & *Magnus* Conradi, armigeri: horum fiduciales codicilli signati Upsaliæ anno jam dicto, die, qui divo *Erico* sacer erat. Hoc conventu præcipue ferioque urgebant Sveci, idque toti agebant, ut quæ hucusque superGotlandia, Schordalia, Svertoriaque controversa hæsissent, in antecessum & omnium primo, priusquam in Regem Rex assumeretur, deciderentur. At Dani contra, minus id respondere pactis Calmariensibus demonstrabant, quibus erat statutum, ut ea post inaugurationem fierent. At Sveci cum identidem instarent, nec dimoveri a proposito possent, ne in vanum convenisse viderentur, factum sive resumptum potius die dominica post nativitatem beatæ Mariæ, qui fuit 4. dies Septembris, vetus decretum, quo cautum fuit, ut tria hæc regna vinculo deinceps amicæ ac fraternæ unionis conjuncta uno sub domino ac Rege permanerent; pactaque Calmariæ superiori anno 1483. inita honorata rataque haberentur. His transactis, cum totum jam per regnum divulgaretur, alia agere Svecos, & verbis solummodo lactare Danos suspensosque habere, haud defuere, qui ad bellum hortarentur, ut quod illi ejusque parenti jure debitum tamdiu negatum fuisset, vi atque armis repetitum iretur. Ex facile aurem accomodasset Rex, nisi Regina mater *Dorothea* supra sexum suum, ut provida ac prudens, ita animi præcipue moderati femina, alio revocasset. Etenim suscipi facile bellum, sed incertum ejus esse eventum aleamque demonstrabat: parentem ejus laudatæ memoriæ

Fridericus Coloniam Ub. adit studiorum causa largo ibi canonicatu fruens.

quod insidiosum a quibusdam putatur; hinc intra biennium revocatus.

Jacobus Com. Oldenb. obit piraticæ studens circa Norvegiam.

hinc plures piratæ exorti.

Natalis Elisabethæ filiæ Regis.

Calmariæ convenitur R. Johannis Sveciæ præficiendi causa.

ibidem controversia.

Bellum dissuadet Dorothea R. mater.

multa hoc nomine dura aſperaque perpeſſum, nec tamen potuiſſe, niſi uno ſeptennio gentis potiri, licet ſacramento ſibi aliisque promiſſis toties obſtrictæ: Quæ exinde pericula ipſe ſubierit eique crearint illi, recentem adhuc eſſe eorum memoriam. Monere idcirco filium, certa potius quam incerta ſequeretur, habiturus hoc pacto pacatum ac minime ſangvinolentum duorum inſignium regnorum imperium. Svecos fortaſſe ſibi relictos ipſo defectionis tædio aut malis quoque inteſtinis agitatos redituros aliquando ad antiquum fœdus; quod adeo ſancte cum majoribus ipſorum percuſſum non ignorarent, & tum fortaſſe certius ſanctiusque cultores fidem, ſi ipſi domeſtica ſeditione compulſi ſua ſponte eam offerrent. Quibus ſimilibusque maternis monitionibus aurem præbens, quamdiu in vivis ipſa fuit, nihil in Svecos tentavit. Interea tamen haud deſtitit regni Daniæ ſenatus hortari per litteras proceres, ut pactum decretumque Reginæ *Margarethæ* ad animum revocarent, regnorumque unionem, quæ erat adeo ſancte promiſſa reſtituendam ſatagerent. Et ſane reperti apud Svecos haud pauci, qui occulte cum Rege *Johanne* facerent, ejusque cauſam promotam cuperent, quamvis nec deeſſent, qui Stenonem, regni publicam ſalutem cauſæ ſuæ prætexentem ſequerentur. Quin & idem ubi occaſio ferret, quo magis ſibi plebem, quæ ibi plurimum poteſt, obſequentem redderet, ac facinus ſuum regnandique avidum animum honeſti ſpecie velaret, omnem in Regem *Johannem* culpam conjicit, eum neque patris debitum velle ſolvere neque concedere, ut Gotlandia, Schordalia & Svertoria Svecici regni, ut ipſe dictabat, ditiones coronæ reſtituerentur, palam ac falſo commemorans: & ad Regem ex adverſo *Johannem*, qua dabatur, referri Svecos obſtare populares & plebem Sveticam, cui ex nobilitate ſe multi junxiſſent, quo minus Svecia potiretur. Scio *Petro* Parvo Roſefontano rerum Danicarum, modo vita ſuppetiſſet, non incelebri ſcriptori & qui ipſum ſecuti aliter nonnihil ita memorari, & ſalutatum Calmariæ, aſſentiente etiam *Stenone*, Sveciæ Regem *Johannem* tum & rejici ea in annum præcedentem, ut & matris eam belli adhortationem anteriorem aliaque ſecius & propoſtere adduci. Sed nos acta ipſa chirographaque domeſtica ſecutos & annum & cetera ſuo quæque loco ordine propius adduxiſſe exiſtimo. Per idem circiter tempus ſex urbium Vandalorum Lubecæ conventus actus magna frequentia & ſolennitate. Ibi decretum præter cetera, ut ad Regem *Johannem* civitates ſeu delegati earum mitterentur, exoratum, quæ in præſulem Bergenſem ac virum prænobilem *Olaum* Nicolaum, de quo, ſupra memoratum, perpetrata eſſet Bergis cædem; utque cæſorum heredes id, quidquid eſſet, amicæ compoſitioni permittere ne nollent. Toto fere anno non boreæ modo has oras, ſed omnem paſſim Germaniam graviſſime afflixit hinc lues, inde rerum omnium neceſſariarum caritas; quæ ad extremam usque inediam mortalium plurimos adegit. Eſtque creditum partim peſte, partim fame plus quam alteram hominum ac jumentorum partem mortalitate abſumptam. At qui excepit, ſupra milleſimum quadringenteſimum octuageſimus quintus, tantam viciſſim rerum abundantiam & cornu velut copiæ retulit, ut vota propemodum ſaltem exſpectationem perplurium ſuperarit. Etenim memoriæ proditum apud chronologos hujus temporis reperio, leſtam, ut vocant, ſaliginis optimæ haud ultra marcas decem Lubecæ licitatam, quæ aureos Lubecenſes circiter ſex conficiunt. Sed eam temporis felicitatem obfuſcavit nonnihil hinc motus, qui ortus a vicinis Megapolitanis, &, qui illis erant contermini, Vandalorum civitatibus; tum & interturbabant reliquiæ, ſi ita appellare licet, belli, quod cœptaverant, de quo dixi, Jacobus Oldenburgenſis, piratici Etenim Megapolitani principes Dux *Magnus* & Balthaſar, convocatis Lubecam urbium delegatis, habebant, quæ in Roſtochienſes nomine eccleſiæ divi *Jacobi*, quam eſſe cathedralem volebant identidem, agerent. Sed urbes præcipue, educta in oceanum inſtructiſſima claſſe, terrorem ſui late concitarunt. Saltem id obtinuere, ut libera ipſis ad promontoria Bergenſium Norvagiæque navigatio pateret. Quin & mari infeſtatos tum quoque a Danis Holſatisque Anglos reperio. Nam, ut eſt in rebus *Chriſtierni* Regis memoratum, licet controverſum, quod hærebat inter Regem *Edvardum* & *Chriſtianum*, ob interfectum ab Anglis regium apud Islandos præfectum ejusque domum ac domeſticos ſpoliatos, æquali pace poſt longa inter utramque gentem odia diſſidiaque compoſitum foret, ferbuit nihilominus piratis mare, præſertim Anglicis, qui in hoc usque tempus ſuccreverant uberrime, adjunctis ſibi etiam Gallorum myoparonibus, qui Scotis adverſus Anglum bello, quod inter utrosque jam erat ante geſtum, auxiliares venerant. Hi maxima negotiatoribus non Vandalicis modo, ſed & Danis, detrimenta intulere, tam circa ipſorum quam Hollandiæ, Angliæ Gallorumque diſtrictus & littora. Et auſi ſubinde ipſam Oreſundam navibus ingredi, locum regii apud Danos telonii, qui & arce utrinque interjectu breviſſime freti clauditur, atque inde in anchoris ſtantia navigia ſecum abducere. Hac ſuper re cum querelæ ad Regem *Johannem* ſubinde deferrentur, officii ſui cenſuit vicinos principes hujus commonere, ac miſſis in Angliam Galliamque litteris de injuria ſuorum apud Regem utrumque poſtquam queſtus fuiſſet, & illi viciſſim reſponſum dediſſent, ſe inſciis ita geri nec tamen ad reſtitutionem bonorum prædones adigerent, indiesque hi ferociores redderentur, regni ſenatus Hafniam eſt revocatus, ut de pace publica in commune conſultaretur. Huc ubi frequentes conveniſſent proceres, Rex incommoda, quæ ſubditi

tranquillum ejus conſilium.

A. 1485. fertilitas

motus Megapolit. & bellum piraticum.

Danici regni ſenatus Svecos rurſus admonet pacti.

Svecorum quidam cum Joh. R. faciunt.

Steno in eum crimina ſpargit.

Narrationis veritas contra Roſefont. aliter paulo perhibentem aſſeritur.

Legati civitatum 6. Vandal. miſſi ad R. Joh. deprecatum cædem in præſ. Berg. perpetratam.

Lues peſtifera in Germ. & fames.

subditi ipsius tam patris quam suo tempore ab Anglis Gallisque perpessi fuissent, declarat litterarum quoque exempla produci jubet, quæ eo nomine ad Reges fuerant transmissæ, & quam illis parum aut nihil profecissent, ostendit. Quæ ubi essent exposita, decretum omnium sententia vim vi ac piratas piratis compescendos. Nec moratus Rex, classem celeriter contrahit, addit præfectos sociosque navales, qui jam olim ejusmodi militia sub patre ejus inclaruerant, *Pinningum* & *Pychorsium* aliosque, quorum nonnulli apud comitem jam nuper *Jacobum* Oldenburgensem stipendia fecerant, facta insuper omnibus potestate, ut suo quisque periculo ac commodo prædones invaderet ac proffligaret. Qui in mare Britannium missi sinus omnes ac portus circumquaque lustrarunt, ac tandem deprehensos velut indagine clausos in diversa egerunt alios ponto disjectos exstirparunt fugaruntque ac demum non una clade affectos pacatiores in posterum habuerunt. Hoc bellum ab eo tempore, quo cœptum sub *Christiano* primo est, in hunc usque diem novennium propemodo duravit, compositum postremo ista tempestate, ut inde dicetur. Quibus feliciter confectis, præter alia, Rex Hafnienſium civitati sua privilegia atque immunitates firmavit, & easdem pro temporum modo uc ratione etiam amplioribus exornavit. Romæ præterea papa *Innocentius*, evulgatis codicillis, quod jam ante *Nicolaus* quintus & *Calixtus* tertius agere cœperant, edixit serioque inhibuit, ne Dani in exteras oras, puta Germaniam aut alio ad caussam dicendam coram pontificis legato evocarentur, nisi id, quicquid esset, domi prius inspectum cognitumque fuisset. Quod idem indultum valere Rex & eandem obtinere apud Holsatos, Stormaricos, & Slesvicenses vim voluit. Tum & idem Pontifex Regi *Johanni* omnium prædecessorum, & præsertim, quæ patri laudatissimæ memoriæ Christiano concessæ fuerant, immunitates ac prærogativas ratas omnes firmatasque habendas mandavit. Exustum per id tempus præcipua sua parte totum propemodo Flensburgi oppidum, idque fortuito incendio, adusque curiæ ædes. Nec ulla restingui opera ignis, ut est violentum hoc elementum, ubi vires sumpsit, licet multa tentarentur, usque quaque potuit. Mortalitatem iisdem diebus complevit, & suo velut excessu annum coronavit, licet lugubri funere, *Olaus* Martini præsul Roschildensis. Is ex humili loco primo ad præposituram Roschildensem evectus, ac mox ad altiora promotus inter Regis cancellarios principem locum tenuit, ac demum pontificiali honore dignatus templum Roschildense egregiis ædificiis exornavit. Et præter hæc sacellum divæ *Birgittæ* maximis sumptibus exstructum annuis reditibus dotavit, addita in usum ejus, qui sacello præesset, domo lateritia, vir alias pientissimus, & in egenos promiscue omnes singulari liberalitate. In ejus locum concordibus omnium totius capituli suffragiis postulatus successit Nicolaus Scavenius, claro inter suos loco natus. Cui & ipsi post *Olaum* cancellariæ regiæ cura est demandata. Concesserant magna frequentia Vandaliæ urbes sive oratores earum proximo, qui insecutus est, anno supra millesimum quadringentesimum octuagesimo sexto, Lubecam ad solennem, qui ibi agebatur omnium nomine, conventum. Huc quoque *Steno* Sturus Sveciæ præses ac gubernator ceterique Svecorum prælati magnatesque suos delegatos misere, petentes, fœdus invicem iceretur. Quo haud quaquam negato, concepta inter eos certa capita, quibus illi acceptis in Sveciam redierunt, ut ea gubernatori *Stenoni* ceterisque e regni supremo senatu ac nobilitate propius ventilanda proponerent. Similiter & Borussiæ ordinum præfectus urbibus perscribi ac significari fecit, misso ea de re Cæsareo mandato, ne ulla Ripensibus sive ipsi capitulo in præjudicium ac detrimentum ordinis sui auxilia mitterentur. Adfuere & Hamburgenses & in his *Hartmannus* Langebecius, urbis consul & juris consultus; senatus vero nomine *Ericus* a Seven. Memoratur in rebus *Christiani*, virum prænobilem, e Danis oriundum, Ivarum Axelium privata de causa, quæ ipsum ejusque fratris filium tangebat, Regi *Christiano* obsequium ac fidem renunciasse: & eo nomine prædium ejus Lilloam, quæ in Scania est sita, obsessam a Rege captamque; & eundem Gotlandiæ tum simul insulam præfediſſe, post fratrem *Olaum*, cui unica solum filia superstes erat, Domina Birgitta a Vallos, & eidem affinitate junctum fuisse Regem olim Sveciæ *Carolum* Canutium, utpote cujus filiam Dominam *Magdalenam* connubio sibi junxerat; & insuper propinquum fuisse *Stenoni* Stureo, senatus ac regni præsidi, qui fratris ipsius *Agonis* Axilli filiam, Dominam *Ingeburgam* uxorem habebat. Hic igitur Ivarus tantis affinitatibus ac opibus agens, non dynastarum Sveciæ postremus, licet aliquamdiu jam partes Svecorum fuisset secutus, nondum tamen Svecis Gotlandiam tradiderat: quam sibi, post *Olaum* fratrem, oppignoratam a Rege *Christiano* acceperat. Magni eum faciebant, & qua poterant, obsequebantur ei undiquaque Sveci, ea spe, ut insulam, cujus etiam sibi jus vindicabant, & in qua tantum esse situm non ignorabant, ab eo aliquando reciperent. Danorum amicitiam perpetuo paratam sibi ac promptam non ignorabat, modo eisdem insulam permitteret. Regi igitur *Johanni* cum suspectaretur assidue, ne in partes *Stenonis* totus decedens Danis Gothlandiam averteret, insulam adeo regno opportunam, si præsertim gerendum cum Sveco bellum esset, convocari extemplo Hafniam supremi senatus proceres curavit. Ibi statutum communibus votis, ut *Ivarus*, qui rite ac solenniter arcem & urbem Visbyensem, ut & universam, quæ eodem spectabat, Gotlandiæ præfecturam a Rege Christiano acceperat, eam filio vicissim Regi *Johanni*

piratæ inpr. anglis & Galli vi compescuntur.

Hafnienſium privilegia confirmata & aucta.

Papa Danis quædam concedit jura.

Flensburg. incendium passa.

Olaus præsul Roschild. moritur.

ejus munera.

tur Nic. Scavenius

urbium Vandal. legati Lubecæ conveniunt & fœdus ineunt cum Svecis.

Gothlandiam inf. Sveci ambiunt, sed redditur ab Ivaro tandem Danis.

tui subroga-

hanni redderet: & eum hoc nomine compellandum, atque eo ſive amice ſive vi traducendum adigendumque. Cujus ergo miſſæ confeſtim ad *Ivarum* tam Regis quam ejus in Dania amicorum quorundam & præſertim Dominæ *Magdalenæ* conjugis ipſius litteræ. Quæ licet Sveca eſſet, ei tamen perpetuo author erat, prout probam ac generoſam fœminam decebat, ne in ullius manus ac poteſtatem, niſi a quo accepiſſet inſulam reponeret, nec hujus aut illius in gratiam fidem atque honorem proſtitueret. Intercedebat iisdem diebus inter *Ivarum* & *Stenonem* haud levis ſimultas, de qua eſt ſupra injectum. Unde facilius, dum pararetur jam mittenda in Gothlandiam claſſis inducere animum *Ivarus* cœpit, eo quoque ut dixi, ab amicis incitatus, ut inſulam, a quo acceperat, ad Daniæ viciſſim regnum transferret. Nec mora, poſtquam in procinctu jam eſſet, ſtaretque ſub Dragoræ promontorium claſſis, allatæ continuo ad Regem Ivari litteræ ſignificantes, pactum ſe Regi regnoque permittere Gotlandiam, ac petere viciſſim, ut quæ adempta ſibi coronæque eſſent adjudicata, & inter cetera territorium Guersherret, quod pignori tenuerat, aliaque in totum ſibi ſuisque reſtituerentur. Quibus acceptis, claſſe, quæ parata aderat, enavigavit in inſulam Rex, ac ibi extemplo evulgari codicillos *Ivaro* datos curavit. Quibus ei ſub fide regia, cavit & adpromiſit, ſe, poſtquam ille, quam a parente ejus *Chriſtiano* primo accepiſſet, Gotlandiæ arcem ac præfecturam, ſumma cum fide regno coronæque reſtituiſſet, ſe Ivarum viciſſim Axelium, equitem auratum, clientem ac dilectum ſuum, idque ex conſilio ſupremi ſui ſenatus ſuam in fidem ac favorem recipere ac recepiſſe, remiſſis ac condonatis, quæcunque ille, vel ejus clientes in regnum regiamque majeſtatem parentem ſuum ſubditosque incommoda, diſſidia aliaque ejusmodi inimica olim atque hoſtilia concitaſſet. Eum quoque ut talem præfecti ſui, ſatrapæ aulici aut qua alia dignitate præditi agnoſcerent, reciperentque, & ubi opus eſſet, tuerentur ac defenderent, ſerio efflagitans mandansque. Hi codicilli, ut verba habent, dati ſignatique a Rege erant in caſtro Visburgenſi feria octava feſtum corporis Chriſti, anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſeptimo, anno regnorum ejus Daniæ Norvagiæque quarto.

Ivarus in poſſeſſiones Danicas reſtitutus.

Simultas, de qua dixi, quæ inter *Stenonem* & *Ivarum* erat, ei occaſionem dederat Finlandiæ. Eratque ea tanta tamque capitalis, ut dedere ſe Dano maluerit, quem adeo offenderat, quam ad Svecos ire; quorum tamen affinitati tam arcte erat innexus; ut taceam dignitates ac præfecturas, quibus eum illi ornaverant honeſtaverantque non unis. Dum autem ſubſiſtit in inſula Gotlandiæ Rex, eamque e manu *Ivari* recepit, obſidione cinctam tenebat *Steno* Dominam *Magdalenam Ivari* conjugem in arce Olandiæ Borcholmia, idque ob Finlandiam, quam Ivarus pactam *Stenoni* cunctabatur die dicto tradere. Etenim egerat jam ante *Steno*, priusquam cum Rege *Ivaro* de Gotlandia conveniſſet, ut Finlandiam Gothlandiamque permutaret cum aliis nonnullis Sveciæ præfecturis. Et de Finlandia quidem voti compos factus idem quoque tentare ſuper Gotlandia cœpit. At hic *Ivarus* dolens emunctum ſe ab eo Finlandia tum & alias odio *Stenonis* in pleno procerum conventum agere Stocholmi cum nonnullis inſtituit, quos in Regem *Johannem* propendere non ignorabat, ut fidem, qua ſe Regi *Johanni* obſtrictos ſciebant, tandem aliquando, amoto a regni tutela Stenone, liberarent. Idque tanta vehementia ab eo actum, ut etiam amicos ſibi alios haud leviter offenderit. Et *Steno* viciſſim, ut adverſarium gravaret, ei piraticam objecit, quam in Baltico mari ex inſula Gotlandia ei rei per opportuna in Hollandos, Gallos, Anglosque, dum inſulam præternavigant, exercuiſſet, eos ſpoliando detinendoque, ea ſcilicet, quæ ille intuliſſet Sveciæ viciſſim incolis, ab iisdem expetenda ingerens. Quo crimine licet graviſſime preſſus, haud tamen ſubticuit *Ivarus* palam minatus, niſi aliter agere *Steno* conſtitueret, ſe brevi in Sveciam novos introducturum hoſpites, Moſchum ſcilicet. Sed is aliquamdiu cum ductus inter eos eſſet reductusque contentionis funis, aliorum interventu pax aliqualis utrinque conſtituta. Ac mox *Ivaro* etiam haud refragrante, Sveciæ regni gubernatio Stenoni deinceps prorogata. Hac dignitate de novo ornatus firmatusque *Steno* propoſitum ſibi de ſubjicienda Gotlandia haud depoſuit. Veniensque cum aliquot e ſenatu Calmariam Ivarum ex Olandiæ inſula, cui etiam præerat, ad ſe identidem vocat. At ille corporis valetudinem cauſatus cum haud veniret, ipſemet in Olandiam trajecit, ac miſſo ad eum *Johanne* Achone & *Arvido* Trollio, iterum iterumque colloquium rogatur. Sed nec ita obſequentem reperiens arcem Borcholmiæ obſidione adeo arcta circumcingere inſtituit, ne uſpiam elabendi rima pateret. Sed *Ivarus* de adventu *Stenonis* certior, proxima ſtatim nocte, relicto arci debito præſidio, ſcapham erat ingreſſus, ſeque in Gotlandiam receperat. Hæc cum in Daniam eſſent delata, conſilium Regis de mittenda in Gotlandiam claſſe acceleraverunt. Transmiſitque continuo poſt habitum, de quo dictum, Hafniæ ſenatum cum claſſe navium circiter quadringenta, regiæ aulæ magiſtro Duce *Erico Otthonio*. Atque ibi acta continuo transactaque ſingula, quæ memoravimus. Sveci cum eodem rumore famæ acciperent, metus eos habuit, ne prætextu invadendæ inſulæ vires in regnum verteret ipſosque imparatos opprimeret. Quapropter ut telum hoc exirent, varie inter ipſos eſt conſultatum, quid maxime facto opus foret. Alii recipiendum *Johannem* juxta acta Halmſtadiana & ei regni ſceptrum deferendum judicabant; alii contra, quæ pars major fuit, omnia agenda potius perferen-

Steno in arce Borcholmia obſidet conjugem Ivari.

Ivarus Svecos Joh. Reg conciliare omni opera nititur.

cui Steno piraticam objicit.

diſſidiis his ſopitis Stenoni prorogatus gubernatio regni Svec.

hic Gothlandiæ inhians

Ivarum Borcholmia obſidere cupit; hic v. in Daniam dilapſus claſſem adv. eum mitti curat.

qua territi Sveci.

perferendaque censebant, quam ut præteritis indigenis de extraneo in Regem assumendo consilium caperetur.

Borcholmiam obsidione jeount.

Rex recepta ut memoratum, Gotlandia firmoque præsidio cum novo præfecto *Johanne* Holgero arci imposito, egit præterea cum eo *Ivarus*, ut conjugem suam Dominam *Magdalenam*, quæ intra Borcholmiam, Oelandiæ insulæ munimentum, quod, ut memoravi, *Steno* obsedit, forte fortuito relicta fuerat, delata illuc classe liberatum iret. Rex nec illud detrectans, versis huc velis, classem circa boreum insulæ latus sistit anchoramque fixit. Inde ad *Stenonem* datis litteris (ita sunt, qui tradunt) eum ad se traditis obsidibus evocat. Alii *Stenonem* a Rege colloquendi diem ac locum petivisse volunt; Et hoc priusquam fieret, Svecos, qui arcem cinxerant, appulsa regia classe pavidos ad *Stenonem* qui Calmariæ sedebat, rei eventum exspectans, misisse exquirentes, an urgendam obsidionem vel omittendam svaderet. Et eum re propius intellecta, consilium, quod dicitur, in arena cepisse, ac per legatos Regem orasse, vellet colloquio diem ac locum constituere, se ad imperata faciendum haudquaquam abhorrere, modo venire in conspectum seque audire animum inducat; quod ubi promisisset Rex, ille accepta dicendi potestate pauca ad excusandam defectionem præfatus, non per se sed per indigenas ac populares stetisse ad stare demonstravit, quo minus, quod erat Calmariæ conventum, perficeretur. Esse apud Svecos atque obtinere fere eum regnandi morem, ut aliorum se imperio submittere, non suæ voluntati obsequi cogatur. His dictis iterum iterumque fidem sacramento obstringens, omnem se navaturum operam polliceretur, ut suis ipsorumque votis universa obsequatur Svecia. Qua *Stenonis* moderatione collaudata, eum hortabantur omnes, illud porro ageret, ut belli incommodis, quantum in ipso esset, salubribus consiliis præveniret, utque gentem suam, quæ *Christiani* Regis tempore audire sequius ob fidem minus servatam cœperat, ab omni deinceps obtrectatione vindicaret. Et Rex ut magis magisque sibi hominem devinciret, arbitrum se ac medium offert finiendæ controversiæ, quæ inter ipsum & Ivarum hærebat de Oelandiæ præfectura. Statutumque, ut Borcholmia *Stenoni* dedita præfecturam simul Oelandiæ eidem Ivarus cederet. Et licet moram res ea requirat seque in Daniam interea Ivarus reciperet, identidem tamen, ut pactis staret, per Regem admonebatur. Quæ omnia eo diligentius a Rege curata, ut virum potentia atque autoritate apud Svecos præcipuum sibi obsequentem aut redderet aut retineret. Sed *Steno*, ut erat ingenio callido, simulate hæc omnia & sub persona, quod dicitur, egisse, quo Regem a belli consiliis traduceret, postea compertum fuit. Nam ei, quam primum est redditum una cum Olandiæ insula Borcholmiæ municipium, quod tamen hanc in spem a Rege erat procuratum, Rexque in Dania jam redux ageret, ad ingenium *Steno* rediit culpamque denuo in populares rejecit, eos agnoscere Regem *Johannem* nolle; licet ipse aliique secum haud pauci eo omnino propenderent, identidem dictitando; palam scilicet hoc agens ejusque speciem præbens, clanculum, quod fere omnes ei impingunt, Regium si non nomen, saltem potestatem apud suos affectaret, libertatis & ejusmodi specioса nomina identidem ingerendo. Quæ ubi ad Regem perlata sunt, monet hortaturque per litteras senatum Sveciæ, fidem colant atque electionem Halmstadii factam, vivo adhuc parento suo Rege *Christiano Imo* atque inde Calmariæ eo defuncto firmatam esse ratam velint, nec sibi suæque existimationi ac famæ inuri perfidiæ aut levitatis notam permittant, Deum suspiciendo, qui perjuria inulta haud sinit. Posteros quoque ac præsentes cogitarent, quorum hæc animis semel insculpta esse apud eos perpetuo solent. Nec totam se gentem culpare, esse tamen, quibus & monitione & castigatione ex officio opus foret. Sibi nihil otio aut pace haberi antiquius eoque actiones ac vitæ actionem dirigere, ut bello ac turbis procul frui tranquillitate ac suis regnorumque saluti invigilare queat. Sunt & alia ejusdem fere exempli plurifariam a Rege ejusque senatu ad Svecos scripta missaque, sed nulla aut exigua opera impensa. Etenim illi aut eorum præcipui *Stenoni* præcipue aurem accomodantes, dum aut tempus trahunt, aut promissis Regem ab armis capessendis, quantum in ipsis erat, assidue dimovent. Nam & rescripta *Stenonis* exstant, quibus ad conventus agendos Regem senatumque invitat, obsides etiam offerendo, ut eo res certior videretur. Quæ tamen, cum nihil ejusmodi ageretur, eo spectasse postremo intellectum, ut ejusmodi dilationibus fastidium appetendæ Sveciæ & regi ceterisque paulatim injiceretur. Dumque in omnia animum intendit, Rex etiam Bergas Norvagiæ adulta jam ætate petiit. Ibi, præter cetera Archiepiscopum Nidrosiensem *Gauthonem* eo aut evocatum aut missis ad eum pontificiis codicillis doceri fecit, sibi in Tromsæ ecclesiam jus, ut vocant, patronatus esse. Idcirco id, quidquid esset ex consilio capituli cessit Regi episcopus; ita tamen, ut penes episcopum foret, repræsentare viros eidem ecclesiæ & functioni idoneos. Quo item tempore eundem Archiepiscopum, ut & ceteros Norvagiæ ordines sibi propius conciliatos adjunxit. Etenim mutasse subinde illi ac respexisse *Stenonem* comperti fuerant. Nunc fidei atque obsequii adamantino vinculo, postquam se de novo ei obstrinxissent, ipsis vicissim ille omni favore ac gratia adfuturum, se eosque, qua daretur, exornaturum promisit. Vicinis vero in urbibus, quas Vandalicas dicimus, haud levis quoque hæsit difficultas. Cum enim eæ, & in his Lubecenses præcipue Hamburgenses ceterique non Balthicum modo ac boreum hoc mare, sed & Britannicum,

Steno regis gratiam ambit & regnum Svec. ipsi conciliare pollicetur.

hinc ipsi cum Borcholmia arce Oelandiæ præfectura traditur.

sed versute agit ipse regiam affectans dignitatem.

R. Joh. ad Svecos litteræ commonitoriæ.

Rex Bergis Norvagorum sibi vindicat jus patronatus in ecclesiam Tromsensem.

& Norvagorum animos per Stenonem a se alienatos sibi propius devincit.

Brugis restituendam commerciorum societatem urbium Vandal. D.

Maximilianus ſtudet.

cum Flandricumque littus aſſidue frequentarent, miſerat his diebus Belgarum princeps *Maximilianus* legatum ac litteras ad omnes eorum circumquaque civitates, id expetens, ut quæ Brugis ad Anglos translata fuerat ipſorum ſocietas, contorium vulgo vocabant, Brugenſibus denuo eorumque emporio redderetur. Unde conventus inde acti, varieque ſuper eo negotio conſultatum ſtatutumque poſtremo, ut inſtaurandis Belgarum commerciis, & præſertim celeberrimo Brugarum emporio redderetur univerſæ ſocietatis collegium Brugas Flandrorum, ut autor eſt horum propemodo temporum æqualis *Hermannus* Lubecenſis, *Bonnus* cognomine; ſed infelix, quæ tum tenuit, inter Grandenſes Brugenſesque ac principem ipſorum illuſtriſſimum *Maximilianum*, controverſia, id totum turbavit ac ſuſtulit. Injectum nonnihil ſuperius de Megapolenſium, Ducum *Magni* & *Balthaſaris* ſuper æde, quæ erat apud Roſtochienſes, divi Jacobi, anxia ſolicitudine, qua eam ſuo jure & autoritate (utrumque enim ſibi vindicabant) luculentiorem redderent. Et id quidem perfeciſſe modo reperio, ſed tempore & ſucceſſu parum proſpero. Etenim cum urbem intraſſent una cum duciſſa & præſule utroque, tam Sverinenſi quam Ratzeburgenſi, aliisque magno comitatu, mox re, ut exiſtimabant feliciter peracta, ac urbe poſt celebratum miſſæ ſacrum excedere parantibus, tanta oborta eſt ſeditio, quæ ipſis propemodum exitio fuit. Nam continuo fremere cives, ædem divi *Jacobi* irruere ac disjicere, quæ obvia fuere, pulpita, armaria, ſedilia jubentque tacere præcentorem dira imprecantes, atque inde in domum, quæ proxima erat, ſummi præpoſiti *Thomæ* Rhodii, qui & ducum cancellarius audiebat, facto impetu eum colapis cæſum ac mox capillis prehenſum in publicum trahunt, minitantes turri, quæ ad Varnam ſtabat, incluſuros eum; Sed progredi detrectantem ita verberibus exceperunt, ut humi procubuerit; procumbentem, qui accedere propius ac pugnis contundere nequierunt, ſaxis impetivere, nec continere ſe imbecillior ſexus potuit, quin ſuam quoque in eum rabiem effunderet, ac mox enectum, ut canem luto platearum coopertum dereliquere. Capituli præſes *Henricus* Pompienus, qui ſe in xenodochium quoddam inter vetulas deliteſcens abſcondiderat, inde extractus, turri Ramsbergenſi includitur. Duces, re comperta, urbem quam primum faceſſunt, ſequente Duciſſa, quam prope erat, ut pilento everſo invaſiſſent, vociferantes in eo, abditum latere ſacerdotum aliquem. Hinc in urbanum magiſtratum verſi conſulum præcipue duos proſcindebant, cruce eos ac gemoniis dignos proclamantes, quaſi Ducibus a conſilio fuiſſent. Hi, ne quid in eos gravius ſtatueretur, clanculum ſe urbe proripuere. Duces extra teli jactum, & urbis mœnia poſiti rem ad civitatum conventum, qui Lubecæ habebatur, detulere, ac mox junctis ſibi Pomeraniæ principis auxiliis urbem Roſtochium obſidione cinxere, quamvis ne ſic quidem, dum multa utrinque aguntur, odia partium ac ſtudia ſopiri aliquot poſt annis potuerint. Lætum annum ac feſtum fecit (aliis eſt anni præcedentis initium) ſolennis ac publice decreta inauguratio Ducis *Chriſtiani*. Hic liberorum Regis natu maximus annum jam ætatis circiter ſextum agens, poſtquam Viburgum magno ac percelebri comitatu eſſet deductus, accepto pro more a regni ordinibus fidei ſacramento, in regni conſortem a parente aſſumptus eſt. Quin & Lundæ quoque circa 22. Septembr., qui divo *Mauritio* ſacer fuit, a regni ſenatu ſimiliter eum a patre ſecundum ac regni principem ſalutatum reperio, præſentibus, qui inter primos nominantur, Archiepiſcopo Lundenſi Johanne Broſtropio, *Nicolao* Scavenio Roſchildenſi, *Carolo* Ronnovio Othonienſi, *Nicolao* Globo Viburgenſi, *Eglero* Stygeo Arhuſienſi, *Hartvigo* Julio Ripenſi, Epiſcopis, *Jacobo* Martinio priore Anderſchovenſi, *Olao* abbate Sorano, *Johanne* Jacobæo præpoſito Dalbyenſi, magiſtro *Nicolao* priore Dalmyenſi, *Erico* Othonio, *Strangeno* Nicolao, *Engelberto* Albertio, *Corfitio* Ronnovio, *Erico* Agonis, *Johanne* Oxonio, *Axelio* Lagonis, *Ludovico* Nicolao, *Eſchillo* Gogæ, *Henrico* Menſtrupio, *Paulo* Laxmanno, *Eggerdo* Krummedigio, *Benedicto* Bilde, *Nicolao* Hiegs, Andrea Jacobeo, *Ludovico* March, *Axillo* Brahes, *Antonio* Parsbergio, Mauritio Nicolao Hackiæ Daniæ regni ſenatoribus; his inquam aliisque ex clero ordineque equeſtri, ut & civibus, incolis & indigenis ſolennitatem hanc ſua præſentia honeſtantibus, delata in eum poſt patrem autoritas omnis, omniumque votis regni ſucceſſor eſt deſignatus. Londini circa idem tempus, cum ageretur jam annus *Chriſti* ſupra milleſimum quadringenteſimum octuageſimus octavus, paſſim queritabantur negotiatores Anglici incuſabantque Theutones, qui Bergis Norvagorum, quaſi dominatum circa pontem, quem vocabant, excercentes ipſis omni negotiatione interdicebant, quin & eo rem, velut ex compacto deduxiſſe ferebant, ne quis ſuorum Anglis commeatum aliaque ad alimoniam neceſſariam ullo pretio divenderet. Adhæc *Erici* Regis tempeſtate ibidem a Lubecenſibus ſpoliatos ſe & alios quoque piſcatorum Anglicorum circiter quingentos prope Vinfiordam fuiſſe ab ipſis ſubmerſos memorabant, exiſtimantes iniquum eſſe, majorem urbibus Hanſaticis eſſe apud Anglos libertatem, quam Bergis Norvagorum Anglis eſſet. Unde miſſæ mox ad Regem *Johannem* Angliæ Regis *Henrici* litteræ, quibus inter cetera demonſtrabat pugnare ea adverſus immunitates, quæ Anglis ſuæque jam olim genti a Daniæ, Sveciæ ac Norvagiæ Regibus eſſent indultæ, efflagitantes, ejusmodi incommodis modus ac remedium poneretur. Quibus acceptis Johannes Rex agi exemplo cum Bergenſibus, aut, quæ apud eos agebat, Germanica natione, curavit, ſerio mandans

Ferd agitatis inter Brug. & Grandenſes diſſidiis irritum fit.

Roſtochienſium ſeditio cædesque Thomæ Rhodii præpoſ. ad ædem d. Jac.

aliaque violenter patrata.

Roſtochium obſidetur.

Chriſtianus princeps electus in regni conſortium.

A. 1588. Anglici mercatores coram R. conqueſti de Teutonum Bergis Norv. violentia.

mandans imperansque ut ſuum cuique jus ac negotiatio integra conſtaret; & ne alter alterum, ſive verbo ſive facto læderet, ſed indemnem usque quaque præſtaret. Inter quæ Regina *Dorothea* Regis *Chriſtiani* conjugis ſui exemplo, ac more ejus ſeculi ire Romam ſalutatum divos apoſtolos animum intendit, ſive etiam ut ſororem ſimul Duciſſam Mantuæ ejusque illuſtriſſimos liberos atque affines ex intervallo videret; quin & Palæſtinam tum viſere conſtituerat, ni eam Saracenici belli metus alio domum redire ſvaſiſſet. Hæc Reginæ profectio, poſtquam divulgata hinc inde eſt, adeunt Schovenſem & Soranum Abbatem religioſi, quos cœnobio divi *Canuti* Otthoniæ apud Fionios pulſos ſuperius in rebus Chriſtiani Imi meminimus, ſuam etiam tum deflentes fortunam, quod nec citati nec auditi monaſterio ejecti ac ſuis immunitatibus omnique proventu ſpoliati eſſent, orantes, occaſione itineris, quod Romam Regina inſtitueret, adjuvare ſe ordinisque ſui reſtitutionem vellent. Abbates, ſententia eorum intellecta haud quaquam ab eo negotio alieni, agunt cum Matthia Lupo, qui itineris ſocius erat futurus, utpote Reginæ a ſacris, ut reſtitutionem eorum apud *Innocentium VIII.* tunc Pontificem procurare, quantum in ipſo eſſet, haud intermitteret; cujus exinde, ubi Romam Regina & cum ea Matthias veniſſet, relata ad ſummum Pontificem oratio eum in modum excepta, ut, accedente mox Reginæ nutu pondus habuerit. Cum enim intellexiſſet Pontifex plures ante annos a prædeceſſoribus ſuis, volente hoc ipſum marito Reginæ *Chriſtiano* primo laudatæ memoriæ, eſſe ſtatutum, ut præſens eccleſiæ cathedralis apud Otthonienſes ſtatus, cujusmodi ab ipſis firmatus jam pridem eſſet, immotus permaneret, Reginam nihilominus ejusque filium Regem ſummopere exoptare, ut eadem ſedes in priſtinam formam ac ſtatum reduceretur, ne præter cetera animula defuncti Regis ob factam mutationem pœnæ ſempiternæ haberetur obnoxia; haud iniqua petere Reginam arbitratus, facto novo edicto prius irritum habuit, ſtatuitque, ut canonici ordinis Benedicti, qui ejecti cœnobio divi *Canuti* apud Othonienſes fuerant, in idem redirent locoque cederent, qui eum injuſte hucusque tenuiſſent. Quæ deinde controverſia, cum varios motus daret, partesque plurimum exaſperaſſet, & in ſe recipere aut pronuntiare deciſivam ſententiam, præſules abbatesque, licet id a Pontifice Romano demandatum ipſis eſſet, indies trepidarent, relata tandem ad ipſum Regem fuit, ut ſtatim dicemus. Regina vero ipſa, dum Romæ hæret, a ſummo pontifice piaculis omnibus ac ipſo mox profectionis Hieroſolymitanæ voto abſolvitur, injuncto, ut ejus vicem alia tam Romæ, quam domi, ſacra loca ſua liberalitate juvaret. Quod & præſtitit egregie, dotando non modo Romæ, ſed & Hafniæ Malmogiæque intra regni pomaria, ædes ſacras ac xenodochia, ſecuta exemplum hic etiam pien-

Dorothea Reg. Romam petitura.

religioſi cœnobio d. Canuti quondam apud Othonienſes ejecti reſtitutionem a Papa per reginam petunt.

Regina Romæ commorata.

tiſſimi Principis *Chriſtiani* Regis conjugis ſui, qui ſimilis voti reus a *Sixto* Pontifice haud aliter eo ſolutus olim fuerat. Cumque tum ſimul ad *Innocentium* detuliſſet injuriam, qua ipſam Sveciæ præſes *Steno* afficeret; detinendo Orobroæ arcem, ſibi jam olim antipharnæ loco donatam, litteras continuo dari ad *Stenonem* apoſtolicas *Innocentius* curavit, iterum ſerioque mandans, ut Reginæ, quod debebatur, quodque ei propter nuptias eſſet traditum, ſine mora reddi faceret, anathema, niſi pareret, minitando. Et dati quoque ſimiles ad Sveciæ præſules codicilli, quibus interdicere ei ſacris, niſi fieret, jubebantur. Advenerat eodem circiter in Daniam legatus Pontificis *Antonius* Maſra colligendis indulgentiis vacaturus, qui & mox in Sveciam pariter iter fecit. Sed, adveniente eo, aberat *Steno*, hoſtium Moſco circa Finniæ fines irruptionem minitanti arma obvertens. Regina autem Roma domum rediens haud intermiſit, facto per Germaniam itinere cognatos atque affines illuſtriſſimos Brandenburgi Marchiones coram affari: & ipſum ſimul adire Viſenacum, tum præcipue ſanctitatis opinione percelebre. Amice iisdem diebus compoſita lis, quæ cœpta temporibus *Chriſtiani* primi fuerat cum Henrico Poaviſcio, equeſtri apud Holſatos dignitatis viro, & continuata exinde cum heredibus ac liberis ejusdem. Recepitque nunc eos in gratiam Rex ejusque frater Dux *Fridericus*, redditis, quæ adempta ipſis inque regium fiſcum traducta fuerant, bonis ac poſſeſſionibus ipſorum, exceptis, quæ Tonderæ oppignorata tenuerant. Sicque finem habuere arma ac graſſationes, quibus illi vel principes vel ſubditos eorum, inducta identidem hoſtilitate ſæpius iterumque laceſſebant, dum ſibi ſua extra forum aut latam a judice ſententiam quiritarentur. Quod eſſe documento magnatibus omnibusque in eminenti collocatis poteſt, ne quid de vita aut fortunis ſubditorum ſuorum ſtatuant, niſi prævia ac lata pro judicio ſententia. Animadverſum per idem tempus ab Hamburgenſibus in Friſios quosdam, qui ſpeciem diu præbuerunt, quaſi ſolis Hollandis oppoſiti mare frequentarent, ſed cum Rex inde comperiret, etiam Danos urbiumque negotiatores ab ipſis impetitos, pro prædonibus habiti mulctatique. Evulgatum etiam eadem tempeſtate Regis diploma, qua declarabat, atteſtante regio ſenatu, haud aliter aut alia mente confirmatas a ſe, de quo ſupra dictum, urbium Hanſaticarum immunitates ac privilegia, quam ut eædem ſvetis atque antiquitus uſurpatis formulis uterentur, utque tenerentur edictis, quæ a regia majeſtate intraque ditiones ejus publicarentur, ac denique regiis ſubditis nuſpiam apud ipſos vel jus æquumve negaretur. Cum autem indies magisque tardarent præſules abbasque uterque tam Soranus quam Scovenſis, ceterique ſententiam ſuper cœnobio atque eccleſia divi Canuti apud Otthonienſes dicere, Rex poſtremum, adhibitis in conſilium ſenato-

a Papa petit ſibi reſtitui Orebroam Stenonis violentia ſubtractam.

Ant. Maſra Pontif. indulgentiarum venditor in Daniam & Sveciam venit.

Regina in reditu viſit agnatos in Germania.

Henr. Powiſchius & heredes cum rege & duce in gratiam redeunt & poſſeſſiones recuperant.

Rex in Friſios prædones animadvertit.

regium diploma pro declaratione immunitatum civitatibus Hanſeat. conceſſarum.

monach. ord. S. Bened. Otthoniæ per Regem reſtituuntur

ſenatoribus ſuis ita res compoſuit, ut omnis ea controverſia, quæ tantis impenſis ac litibus tamque diu inter partes agitata fuerat, hoc fine terminaretur, monachi nimirum ac fratres ordinis Benedicti, absque mora eccleſiam divi Canuti ut ſuam ſibi aſſererent ac vindicarent una cum omnibus tam mobilibus quam immobilibus, ornamentis, ceimeliis, craterибus paterisque aureis argenteisque, ut & privilegiis, codicillis, ceterisque cœnobium ipſum ejusque bona ſpectantibus, ea ſcilicet lege, ut dicti jam fratres ſeu monachi, & ſi qui exinde in idem cœnobium aſſumerentur, viverent ſeque componerent ad normam per omnia, vitamque S. Benedicti &c. Ex reditibus interim ipſorum demerentur laſtæ ſecalis viginti, quæ diſtribuerentur in prælatos ſive canonicos, ita ut magiſter *Johannes* Urne laſtas acciperet annuas unam ac mediam, magiſter *Ottho* laſtam integram, D. *Johannes* Eggertus unam itidem & mediam, magiſter *Nicolaus* Dalunenſis laſtas quinque, D. Laurentius Andreæ laſtas duas & mediam, magiſter *Andreas* laſtam unam, D. *Petrus* Theodori laſtam unam, D. *Adreas* Cimber laſtam unam, D. *Petrus* laſtæ dimidium, D. *Petrus* Harius totidem, D. *Johannes* Petri laſtam mediam, D. *Johannes* Alberti laſtam mediam. Horum ſi quis vita excederet, ejus continuo proventus ad cœnobium recideret. Retineret vero prælatorum quisque domum, quam habitaret ad vitam a cepta cœnobii domo, quæ fratribus cederetur &c. Codicillorum quoscunque ſub capitula ſigno prælati evulgaſſent ſuam vim ac robur obtinerent, ac eſſent hoc ipſo lites actionesque omnes, ut & bullæ litteræque papales irrita omnia ac ponderis nullius. Hæ litteræ regiæ datæ fuerunt Neoburgi prima adventus dominica Anno 1468. Quæ ſi conferantur cum iis, quæ memorata nobis in rebus *Chriſtiani* primi ſub a. 1468. abire ab iis nonnihil videantur. Certo interim habendum eam mutationem inſtitutam primitus adjuvante per litteras *Laurentium* Brenderum hoc nomine Romam miſſum Rege Chriſtiano, idque ſub Papa ut dixi ad ann. 1468, Paulo ſecundo, non vero ut habet *Roſefontanus* & qui eum ſequuti ſunt, Sixto ſecundo, quem Romæ vidit, quidem & ſalutavit, ſed aliquot annis poſt Rex *Chriſtianus*. Doceant hæc numerales hujus ævi verſus, barbariem admodum ad ſeculum ſuum redolentes, quorum priores hanc religioſorum expulſionem, ſequentes eorum reſtitutionem innuunt; iſti nimirum:

ejus rei conditiones.

MCD legis LX duplex Vque Calixti
Eſt paſta exilium divi domus ecce Canuti
MCDL, tribus X nonoque fulgebat
Poſteriore die Thomæ, hinc paca quærentes.

Matth. Lupus ſecuritatem extra Daniam

Matthias vero Lupus, qui, ut memoravimus, hanc apud ſummum Pontificem contra canonicos cauſam ageret, magna exinde invidia cum ſe laborare domi animadverteret, nec vitæ ſuæ certus videretur, adnitente Regina Chriſtina profectus in Germaniam commendatus eſt Archiepiſcopo Magdeburgenſi Erneſto. Ac mox elapſis aliquot annis, poſtquam ei vitam atque integritatem ſuam ſic ſatis probaſſet, ab eo in vicarium adſumptus, aliquamdiu ut ſuffraganeus toti illi diœceſi præfuit, teſte, qui hæc prolixius memorat, & ipſum exinde veneranda canicie viridique ſenecta florentem *Matthiam* Brunſvici coram compellavit *Petro* Parvo Roſefontano. Eadem tempeſtate *Axillus* Olaus Grundoloviæ dynaſta naves aliquot adverſus Hanſaticos armavit, vindicaturus, de qua in rebus *Chriſtiani* Regis dixi, parentis ſui ac præſulis Bergenſis Torlavi perpetratam a Lubecenſibus fœdam cædem: cepit naves eorum tres tenuitque, quod nulla adhuc inter eum ipſosque de cæde eadem compoſitio interveniſſet. Ipſa vero Bergenſium civitas, maximum per idem tempus detrimentum paſſa, exuſta vago igne, quæcunque ad littus ſtabant, ædificiis. Ultra littus quod erat, contra fati ac voluntatem magiſtratus a Teutonis exſtrui cœptum, dirui intra triennium, tum ſimul publica autoritate juſſum. Supra de immani Roſtochienſium in Duces Megapolitanos ſeu miniſtros eorum ſævitia atque inſolentia injectum fuit, eos ut in gratiam reciperent, pluribus hoc tempore agitatum, interponentibus ſe Electore Brandenburgico, ac urbibus Lubeca, Hamburgo ac Luneburgo, ſed fruſtratum cuncti fuere. Hafniæ ipſo feſto Divi *Jacobi* præſente Norvagiæ regni ſenatu, *Gauthone* Archiepiſcopo Nidroſienſi ac ſedis apoſtolicæ legatis Johanne Bergenſi, *Olao* Stavangrienſi, *Hermanno* Hamonenſi Epiſcopis, *Olao* Asloenſi Electo, magiſtro *Chriſtiano* præpoſito Asloenſi, *Olao* Canutio, *Boëtio* Flemming, *Otthone* Matthia, Andrea a Bergeno, Domino *Henrico* Krummedigio, *Nicolao* Henrici equitibus; *Jona* Biornonis & *Andrea* Due Norvagiæ regni ſenatoribus aſſumptus eſt ac deſignatus dux *Chriſtiernus* poſt parentem Rex Norvagiæ idque ipſorum ac urbium populariumque omnium nomine. Eique uno omnes ore obſequii ac fidei ſacramentum dixere. Statutumque factis ea de re codicillis, ut arces præſidiaque in Norvagiæ ſolo *Chriſtiano* Duci poſt obitum parentis paterent univerſa. In actis Calmariæ aut Halmſtadii, ſi fortaſſe occurrerent, quæ adverſari ei ullo pacto poſſent, ei tamen haud officerent præſenti tractatui. Subſcripſerat his ſuaque ſigilla ſuperioribus adjecerat nobilitas virique reverendi ac ſpectabiles *Thoro* in Draxmar, Paulus in Hovetoer, *Giordus* in Linze, Abbates, Dominus *Canutus* Alfius, Dominus *Ottho* Alfius, *Theodoricus* Penning, *Olaus* Bagge, *Amundus* Jonæ, *Laurentius* Muſius, *Amundus* Thoſtonis in Samſale, *Gulhornus* Thieldius, *Henricus* Friſius.

quærens fit vicarius Magdeb. epiſc.

Axillus Olaus patris cædem vindicaturus naves Lubecenſibus 3. eripit.

Berg. urbs incendio attrita.

diruuntur novæ Teutonum ibidem ædificia.

Roſtochienſes gratiam Ducum Meckl. ambiunt per interceſſores.

Chriſtianus regni Norvag. ſucceſſor declaratur.

Supremum ſibi ac fatalem annum habuit Vir Reverendus ac primæ apud Holſatos nobilitatis *Albertus* Krommedigius, Lubecenſium

Alb. Krommedig. epiſ Lubec. obit

succedit Thom. Grotius,

sium præsul. Ei successor contigit *Thomas* Grotius Lubecensis, qui vulgo episcopus in angulo sive latens dictus, quod rarius prodiens ac vitans quasi hominum consortia intra larem perpetuo delitesceret. Regi *Johanni* cum minus idem gratus esset litteras ad pontificem Romanum dedit, ei significans haud placere sibi electum e civium Lubecensium numero præsulem, quod eos diœceseos præcipui reditus non e Lubecensium districtu, sed ex Holsatiæ ducatu provenirent, ac ibi eorundem bona ac possessiones sitæ haberentur.

huic Theod. Arvides

Sed paucis ille superstes annis successorem sortitus est *Theodoricum* Arvides in ordine præsulum Lubecensium vigesimum quartum,

Jacobus Scot. R. a suis trucidatus.

Hamburgo oriundum. Scotorum quoque Rex *Jacobus* ejus nominis tertius hoc item tempore, alii ad annum antecedentem referunt, a suis trucidatus occubuit, ætatis suæ anno trigesimo quinto, cum paulo ante Reginam *Margaretham* conjugem suam, Regis Johannis sororem germanam singulari cum forma tum probitate feminam, quæque effrenatos mariti impetus, attestantibus quoque Scotiæ gentis scriptoribus, plerumque moderari erat solita, morte subita amisisset. Hac defuncta, ipse non tam pravo ingenio, quam prava consvetudine corruptus, in præceps datus est. Eaque neci ejus inusta est ignominia, ut publico in regni conventu jure cæsus ab omnibus sit judicatus; ac simul statutum, ne fraudi cuiquam esset, qui adversus eum arma tulisset. De eo ejusque cum Regina *Margaretha* illustribus nuptiis mentio facta in rebus Regis Christiani. Et ille idem Jacobus, ne hoc quidem felix, quod ex ea filium superstitem sibique cognominem reliquisset, cum etiam ejus exitus haud minus exinde infelix fuerit.

A. 1490. Friderici ditiones in Holst. forte acceptæ & pacta cum R. fratre.

Principio anni, qui est insecutus, millesimi supra quadringentesimum nonagesimi, ditionum Holsatiæ, quæ hucusque dilata fuerat, inter Regem ejusque fratrem *Fridericum* instituta divisio, sorteque *Friderico* obvenit, quam & ipse sortionem sibi præelegerat, Gottorpium, Eiderstadium, Eckelenforda, arx & præfectura Runlosla, itemque Tondera minor, Lundua territorium, Hadersleba, Kilonium, Trittava, Steenberga, Izhoa, Osterhovia, Thylla, Plona, Neomonasterium, Lytkeburgum, Kohovia, Aldenburgum ac Neostadium. Regi attributa Segeberga, telonium Oldensloense, Flensburgum, Norstranda, Rendersburgum, Synderburga, Arra, Apenrada, Femera, Glambecum, Norburgum, Hanrovia, Haseldorpium, ut & prædia ac possessiones Richendorpenses. Duci præterea *Friderico* permissum, si eum sortis, quæ ipsi obvenit, pœnitudo caperet, post quadriennium commutationem instituere. De venationibus cœnobiorum ita conventum, ut Rynchfelda, Arnsboca, Dreza, & Rukloftera Segebergæ cederent, Borcholmia vero, Cisinaria, Reinebeca, Utersena & Lugumkloftera Gottorpio jungerentur. Episcopi, ordo equestris, ceterique clientes æquale principibus singulis obsequium præstarent. Præfecturæ clientelares peterentur ab utroque Ducum. Si uterque haud adesset, ab eo sumerentur, qui præsto esset. Fidei interim atque obsequii sacramenta dicerentur utrique. Penes utrumque die statuto, qui divo Laurentio sacer habetur bona ecclesiastica transferendi potestas foret exceptis præposituris Hamburgensi ac Slesvicensi, in quas cuique per vices potestas esset. In urbem Hamburgensem, & quæ eo pertinerent, suum cuique jus integrum haberetur, ut & actio, quæ utrique in Dithmarsos esset. Seorsim præterea Rex, ut suam erga fratrem regiam liberalitatem declararet, quæ ipsi adjudicata fuerat Nordstrandia in fratrem transtulit. Neuter alterius hostes aut homines in judiciis convictos permanere aut uti apud suos hospitio permitteret. Rex suam in clientelam ac defensionem fratrem susciperet. Si quæ forte inciderent super limitibus controversiæ, eæ per viros honestos ac prudentes ad id delectos componerentur. Hæc subscripserant principum uterque, ut & mater eorum illustrissima *Dorothea* & cum his Holsatiæ senatus *Johannes* ab Alefeldt eques, *Henricus* ab Alefeldt Johannis filius, *Johannes* Rantzovius *Henrici* filius, Sivardus Bruktorp, *Claudius von der Wysche*, *Margvardus* ab Alefeldt, *Auvenus Rantzovius*, & *Gerhardus* Krummedigius.

Pax inter Danos & Anglos.

Hafniæ paucis diebus post, cum jam pluribus annis terra marique gravissime certatum utrinque fuisset, inita pax inter Regem Johannem & *Henricum* septimum Anglorum Regem, præsentibus a parte Regis Anglorum doctore *Jacobo* Huthon regio consiliario, *Thoma* Clarentio feciale, Thoma Charterio, & *Johanne* Pali negotiatoribus Lundensibus. Pacis capita fere ista fuere: Ante omnia principum uterque eorundem heredes ac subditi terra marique pacem colerent. Daniæ Rex intra diem St. Michaelis fratrem suum Anglorum Regem certiorem redderet, quosnam amicorum suorum hac simul perpetua pace comprehensos velit. Utriusque subditi libere ac tuto intra ditiones ac regna cujusque agerent, suaque negotia exercerent, soluto, quod cuique deberetur, jure ac telonio. Subditorum insuper quisque intra ditiones cujusque suis gauderet consvetudinibus ac privilegiis. Regis Anglorum subditis, negotiatoribus ac piscatoribus libera esset in Islandiam navigatio. Ibique subsistere, piscari, mercari, venundare, sine ullo obstaculo, quæ vellent, fas ipsis esset, ita tamen, ut iis in portubus, ubi agerent, solvere tenerentur, quod pro jure ac more loci deberetur. Id quoque cautum, ut Angli posthac unoquoque septennio idque in perpetuum, a Regibus Daniæ ac Norvagiæ, de novo sibi veniam impetrarent eo navigandi. Anglis præterea libera esset in Scaniam, Smalandiam, Dragoram, aliosque in tractus navigandi, negotiandi haleces salitas ac recentes coëmendi facultas, modo quod deberetur telonium, singuli dependerent. Si

ejus capita.

quæ Anglicarum navium vi ventorum ac tempestate, cogerentur sinum Balthicum transire telonium hæ solverent Neoburgi. Alias transeundum his sit Oresundæ fretum. Interim navarchus una cum duobus ex sociis navalibus, facto sacramento testaretur necessitate coactum se eo cursum vertisse. Cessarent utrinque hostilia omnia, quibus impetere hucusque alius alium solitus fuit. Nulla ex Anglia Daniave navis solveret, cujus non ante nomine & nauclerus & navis exercitor debite caverit, neque piraticam se ea exercituros neque mare infestaturos. Anglicæ nationi universæ ubivis per Daniam, Norvagiamque libera pateret navigatio. Essetque fas ipsis non Bergis modo, sed & aliis in locis judicem sive seniorem constituere, qui inter ipsos componendis litibus aliisve tollendis difficultatibus vacaret. Si quis moriatur ex Anglis intra Daniæ ditiones, ad ejus hæredes proximos reciderent bona ejus, supellexque. Si hæredum nullus adesset, ejus vicem subiret curamque hujus in se assumeret senior sive judex, de quo dictum, salvo iterum jure quod Regem spectat. Fas item Anglis esset alere Hafniæ, Malmogiæ, Lanskroniæ aliisque in urbibus negotiatorum suorum procuratorem, qui si continuo ibi sedem figat, subeatque onera civium, ei fas foret pannos etiam suos sive in solidum sive per partes distrahere. Nuspiam Anglis per universam Daniam Norvagiamque jus aut æquum negaretur, sed prompte id ipsis parateque ubivis expediretur. Qui vel apud Danos vel Anglos naufragium incurrat, ei sive per se sive alios servare potestas esset. Et simul qui in proximo esset regius præfectus commodare eidem eumque juvare teneretur soluta pro reservata, quæ pacta foret, mercede. Nemo Regum eorumve subditi alterius Regis hostibus auxilia præstaret. Nullum prædonibus circa littora aut intra portus Angliæ, Daniæ sive Norvegiæ perfugium sive receptus concederetur. Si forte Regum alter alterius ope atque auxiliis indigeret, suppetias ferret intra spatium mensium sex, nisi ipsemet belli motibus domi destineretur. Neuter etiam Regum vel belli vel detrimenti causas sive occasiones in alterum moveret aut concitaret, vel etiam permitteret, suam gentem stipendia adversus alterum facere. Pacem quoque neuter eorum nescio altero, cujus nomine bellum esset aliquod cœptum, vel admitteret vel iniret. Captivi, qui utrinque adhuc tenerentur, absque lytro liberi dimitterentur. Supra his intra proximum divi Michaelis festum ratificationem sui Regis supra memorati procuratores se allaturos spospondere. Estque allata inde ea multo celerius & quidem vere proximo nondum finito. Quo simul tempore datis Erecopiæ publicis codicillis *Steno* Stureus Regi *Johanni* significavit accepisse ex *Thurone* Thuronis & *Arvido* Trolleo, qui Hafniæ nuper fuissent, suspectari apud ejus majestatem se de invadendis armata classe Viburgo Gothlandiaque, sed immerito atque ideo testatum istis coram omnibus idque Sveciæ universæ nomine voluisse, nihil hujusmodi tentasse neque tentaturum se aut Svecorum gentem vel in Gothlandiam vel in alias regiæ ejus majestatis ditiones adversus eam, quæ pacta jamdudum esset, trium regnorum amicam unionem sibi propositum eam omnino inviolatam sartamque servare. *Axillus* autem Olai, arcis Falsterboæ regius præfectus, quem memoravi jam ante vindicandæ paternæ cædi prætorias aliquot in mare adversus Hansaticos naves eduxisse, is iisdem his diebus appetente jam vere suo quidem ductu, sed regio auspicio, idem iterum aggressus fuit. Idque hac lege impetratum a Rege acceperat, ut prædæ pars altera regio fisco cederet, & ne ullam in alios vim verteret, aut aliqua injuria afficeret, & denique ne cum parte adversa transigeret Rege insscio. Sed idem sub exeuntem æstatem cum accusaretur hinc inde de promisso ac pactis parum servatis, syngrapha sua est attestatus, se fortunas suas omnes bonaque tam in Dania quam apud Norvagos sita pignori opponere, eaque in compensationem damnorum refusurum, si quæ vel a se vel a suis illata detrimenta demonstrari posset iis, qui aut regias litteras aut alias tuti itineris codicillos habuissent. Hic an asperati in Danos Vandalici fuerint, traditum quidem diserte non reperio. Id interim constat, hoc statim tempore fœdus inter Sveciæ regnum ac Lubecenses ceterasque Vandaliæ urbes pactum initumque de mutuis invicem præstandis auxiliis, si fortassis alterutri eorum bellum moveretur, revocata simul pactione, quæ jam ante fuerat inita, ne scilicet ullam altera pars cum hoste pacem faceret sine consensu alterius. Et Rex quidem Johannes, cum satis jam perspectum haberet, alia agere *Stenonem*, nec promissis de regno tradendo staturum, modo ad hunc, modo ad illum litteras suas in Sveciam mittit, demonstrans, nihil esse fide sanctius, eam colerent pactisque starent, nec inuri sibi perfidiæ notam permitterent, aliaque in eam sententiam: quæ tamen apud *Stenonem* flocci habita. Eodem circiter tempore, die divo Laurentio dicata, qui fuit decimus Augusti, denuo *Nicolaus* Scavenius Episcopus Roschildensis, publicis codicillis testatus est, iterum iterumque agnoscere se, in regni principem adscitum Ducem *Christiernum*, & operam porro navaturum, ut & hi, qui nondum consenserant, id quoque firmum ratumque haberent. Et est tum simul, quod diu in votis fuerat, pridie divæ Chathrinæ redempta receptaque a Rege *Johanne* insula Fimbria ejusque arces ac munimenta Glambeca ceteraque. Etenim hæc omnia Dux *Adolphus* Lubecensibus hac lege vendiderat, ea ut suum in usum retinerent, donec a se aut suis refunderetur, quam acceperat ab iis hoc nomine pecuniæ summam. Quæ summa vix Lubecensium marcarum viginti quatuor millia excessit. Apud Norvagos variæ

Axillus Olai navibus præfaticos excurrit.

Hinc Vandalicæ urbes cum Svecis fœdus pangunt.

Rex Svecos ut pactis de regno sibi tradendo stent admonet.

Fimbria regi restituta a Lubecensibus.

Stenonis ad Joh. R. litteræ de non invadenda Gothlandia &c.

Conſtitutiones novæ apud Norvag.

variæ iisdem diebus conſtitutiones factæ permulgatæque. Et inter ceteras, ut, quæ exſtruentur, ibi in uſum indigenarum navigia, haud excederent leſtas tres, tum etiam ne iisdem in oras exteras, ſed tantum intra ditiones ſuas ligna tignaque tum & ſimiles aliasque merces negotiandi cauſa transveherent, idque eam ob cauſam, ne domi dum foris agunt, agri relinquerentur inculti ac ſentibus obſiti non ſine ordinis utriusque tam ſacri quam profani, totiusque reipublicæ inſigni detrimento: aliaque non abſimilia his ſed magis peculiaria Ansloæ tum lata decretaque, præſentibus ex regni ſenatu *Herulpho* Ansloenſi, *Jona* Paulino divæ Mariæ præpoſito Norvagiæ Cancellario, *Boëtio* Flemming regio Agerhuſiæ præfecto. *Henrico* Krommedigio præfecto Bahuſiæ, Andrea Bergenſi, præfecto Tonsbergenſi, equitibus, *Erico* Erico Judice Ansloenſi, *Biornono* Halvado judice Hedemarchenſi, *Thormondo* Jonæ, judice Tonsbergenſi. Eodem quoque tempore decretum prodiit *Innocentii* Octavi ſive indultum potius ejus, quo ſacerdotibus interioris Norvagiæ miſſam celebrare permiſit, non vino, ſed qui uſitatus illis eſſet, potu medonis aut ſimili.

Innoc. VIII. P. permittit Norvagis inter. in miſſa medonis uſum.

Hinc proximo, qui eſt inſecutus, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum nonageſimo primo celebratus Antverpiæ conventus eſt inter Angliæ Regis legatos & Lubecenſes, Colonienſes, Hamburgenſes, & Dantiſcanos, idque urbium omnium nomine. Quiritabat etenim Hanſatica ſocietas omnesque Vandalici de damnis ſibi ab Anglis identidem illatis deque privilegiis ſuis, quæ ipſis Londini perque Angliam paſſim vel præriperent Angli vel imminuerent. Et Angli contra ſua recenſebant incommoda, ſeque multoties ac ſua ſibi e Danis erepta, quibuscum facerent Hanſatici fœdusque occultum icerant. Interfuere huic cœtui ex Hamburgenſibus *Hermannus* Langebecius juris conſultus, ut & *Ditlevus* Bremanus. Acceſſerant quoque magna cum pompa & apparatu Lubecenſes comitati equitibus ultra quinquaginta. Qui & Anglos, priusquam accederent, integrum propemodo menſem præſtolati ibi fuerant. Neque tamen ubi ad res ventum, actum aut ſaltem peractum magnopere tum quidquam, regerentibus identidem Anglis paria paribus. Miſerat quoque eodem legatos ſuos Brugenſium civitas, quibus id præcipue in mandatis erat, ut cum Hanſaticæ ſocietatis delegatis agerent de reducenda Brugas Flandrorum eorundem ſocietate, contorium vulgo vocabant, de quo & antea, ut ſuo loco dixi, actitatum nonnihil fuerat. Sed neque tum obtineri aut peragi operæ pretium quidquam potuit ob bella, quibus identidem involvebantur, inteſtina. Similiter & Hamburgenſium legati cum Hollandis egere de ſuis in oras importandis ipſorum mercimoniis ex lege ac conſvetudine veteri. Sed promiſſa promiſſis, ac verbis utrinque verba reddita, ſed vento mox tradita.

A. 1491. Antverp. conventus inter Angl. & Vandal. civitt. de reſtituendis damnis mutuis irritus.

Brugenſes ibidem cum Hanſat. agunt de reducenda ad ſe ſocietate mercat.

Sicque magnificis ille ac maximis impendiis inſtitutus Hanſaticorum conventus ſine fruge ſolutus evanuit diſparuitque. Feliciter per idem hoc tempus, quæ jam diu inter Megapolenſes Duces & Roſtochienſes tenuerat lis, de qua memoratum ſupra, finem accepit, his præſertim legibus ac conditione, ut præter cetera, perſolutis Megapolenſium Ducibus aliquot marcarum millibus, ſe Roſtochienſes obſtrinxerint, pacem in poſterum culturos cum ordinis canonici collegio ac revocaturos, qui moti magiſtratu fuiſſent. Lis iisdem quoque diebus hæſit Lubecenſibus cum Rege Johanne, idque occaſione myoparonis a Lubecenſibus detenti. Hoc navigium ſuum eſſe Rex, Lubecenſes ad *Henningium* Huſenum, & qui cum eo facerent, pertinere exiſtimabant. Unde detenti apud Danos Lubecenſes eorumque mercedes, & Dani viciſſim apud Lubecenſes. Quæ ut amice componerentur, venerunt Lubecam Regis nomine *Nicolaus* Bergenſium præſul, *Ericus* Otthonius Borhunenſis, *Johannes* ab Alefeldt, *Euvoldus* Anefeldt præpoſitus Sleſvicenſis, & *Johannes* Rantzovius; Hamburgenſium miſſi acceſſere, *Hermannus* Langebecius juris utriusque doctor & urbis conſul, *Carſtenius* Barſecamp ſenator Roſtochienſis, *Conradus* Langius conſul Luneburgenſis & *Henricus* Fobingius ſenator Viſmarienſis, item Fikenus Saſo, qui ut arbitri utrinque ac medii, poſtquam propius nonnihil cauſam inſpexiſſent, ſtatutum poſtremo, ut manus injectiones in bona negotiatorum utrinque ceſſarent ſuumque ſingulis redderetur. Quod myoparonem ſpectaret, id rege volente, alio rejiceretur aliasque inter cauſas Lubecam etiam ſpectantes diſcutiendum reſervaretur. Pax interim ſarta tecta coleretur eſſentque commercia inter utrosque libera. Illuſtris fuit annus inſequens inauguratione Principis *Friderici*, qui a ſubditis ſuis accepta obſequii fide cum ſacramento in Ducem receptus, magna ubivis honoris ſignificatione ab iisdem affectus eſt. Firmatæ quoque indultæque Hafnienſibus immunitates nonnullæ, quæ vel in deſvetudinem venerant vel alias neglectui fuerant traditæ. Eſtque revocatus, præter alia, in uſum priſtinus mos, qui ſervari nundinarum tempore circa ſcenas fuerat ſolitus, quot ſcilicet illæ diebus proſtare, & quid hoc nomine dependere urbano magiſtratui tenerentur ſingulæ, aliaque ejusmodi. Condemnatus eſt per idem tempus *Olaus* Oxe traditusque regiæ poteſtati, penes quam ſtaret vita eum donare, nec ne; crimini dabatur, quod villam prædiumque regii judicis *Laxmanni* Alzirboam vi invaſiſſet, dum ille in inſula Gothlandia regio nomine cauſas cognoſceret, qui & Regis codicillos habebat, quibus vetabatur, ne quis ageret, quamdiu juſſu Regis domo abeſſet. Ac deinde, quod regium præfectum in ditione Holbecana, exonerata bombarda, globo petiiſſet, idque pleno in foro, dum is pro tribunali judex ſederet. Sententia lata præſente Rege

Roſtochienſes cum Ducibus Mecklenb. in gratiam redeunt.

Lubecenſium cum R. Joh. controverſia.

A. 1492. Fridericus Dux inauguratur.

Hafnienſibus immunitates reſtitutæ.

Olaus Oxe condemnatus ob violenter facta.

Rege ac regio mareſcallo *Eſchillo* Gogæ, *Henrico* Menſtrupio, *Erico* Erico, equitibus, *Marquardo* Thegenhus, *Esbeno* ſcriba, nec non *Laurentio* Tottero conſule Havnienſi. Memoratur iisdem diebus in ducatu Sleſvicenſi imperatus cenſus, quo ſolveret ſubditorum lautiorum quisque marcas Lubecenſium quinque: et ingens inſuper non hiemis modo aſperitas, ſed annonæ quoque tanta fuiſſe caritas, ut ſiliginis modium, ſcepelam dicimus, Hamburgi venierit marcis duabus cum dimidia ac quatuor inſuper ſolidis Lubecenſibus, cujusmodi tum pretium caritas habita, cum noſtro ſeculo haud aliter fere vulgoque veneat. Proxime hinc, qui ſuperiorem excepit, anno milleſimo ſupra quadringenteſimum nonageſimo tertio, variæ inter principes fœderationes initæ. *Steno* Stureus, quo ſuas apud Svecos res firmaret, cum Lubecenſibus non tantum, ſed & ceteris Vandaliæ urbibus, quæ Balthico ſunt mari adſitæ, fœtus fere hunc in modum feriit, ut in poſterum Sveciæ portus negotiorum ſuorum cauſa libere frequentarent, ingratiis etiam eorum, quibus id minus placeret. Si quod eo nomine paſceretur bellum, hoc tamen jus ſuum veteremque morem quisque tutaretur, nec pacem ullus admitteret, niſi quæ conſenſu utriusque iniretur. Qua exinde fœderatione pactisque ſimilibus oppido ferocior redditus *Steno* flocci facere Regem *Johannem* cœpit, quamvis idem gravioribus ſimul tributis ac collationibus, quam ferret Sveciæ conſvetudo, cum ſacrum tum profanum ordinem premens, quo ſibi undiquaque belli nervos pecuniam pararet, ſe paulatim inviſum ſuis reddidit. Inierat tum quoque cum Magno Moſcorum Duce pactum Rex, præſertim quod Norvagiam ac eam regnorum ipſius limitem ſpectaret, ut ſcilicet inter utrosque, cujusmodi antiquitus culta fuiſſet, deinceps pax coleretur, utque alter alterius amicus, hoſtibus vero hoſtis eſſet. Quæ & oſculo utrinque, qui tum mos erat, crucis excepta firmataque. Horum legatorum pars ad Moſchos, per boreæ terra oras, reliqui Narvam verſus claſſe remiſſi. Cujus fœderationis ergo haud leviter Regem Sveci ſuſpectarunt, quaſi irruptiones, quæcunque Moſchorum fierent, ejus inſtigatu excirent. Et *Steno* quoque ſuam in rem idem vertens, haud deſinebat inter populares hoc nomine *Johanni* invidiam creare, cum tamen nullum ille adverſum Sveciam fœdus feriiſſet; et Moſci pro more &, ut ſolent, vicini vicinos ex intervallo Sveciam Finniosque impeterent. Inita præterea per idem tempus, ſive renovata potius, quæ fuerant jam olim inter Scotos & Danos regnumque Norvagiæ vetera fœdera. Nam ut memoratum modo, extincto Rege *Jacobo* ejus nominis tertio, qui *Margaretham* Regis Johannis ſororem, de quo etiam dictum, connubio tenuerat, haud committere filius voluit *Jacobus* item ejus appellationis quartus, quin & ille ſe cum Rege Danorum avunculo ſuo ad decus ac firmitudinem utriusque propius ſociaret. Venerunt-que hoc nomine in Daniam miſſi menſe Majo *Jacobus* Oglucius dynaſta Arebogæ, Regis conſanguineus, & qui ei a ſecretis erat *Johannes* Linſtormus, præſes collegii, quod Santandreæ erat, divi Salvatoris. Inter fœderis præcipua capita pax ſancita, quæ eſſet inter ditiones ac regna utriusque certa ac perpetua, manſuraque etiam inter heredes eorundem & poſteros, utpote fratres ac conſanguineos. Et alter aſſidue alterum tam pace quam bello, coleret ſuisque auxiliis, ubi opus foret, juvaret. Sive Danorum Rex ſive Rex Scotorum, eorumve heredes ad bellum gerendum juſtis de cauſis rogantur, alter alteri ſuppetias occurreret, ita tamen ne alius alio inſcio bellum cœptaret. Libera eſſent tutaque per regna utriusque incolarum commercia, ſolutis ſemper, quæ cuique pro more deberetur, teloniis. Fœdus inter Regem olim *Chriſtianum* & *Jacobum* tertium parentem ejus initum omnibus ſuis numeris haberetur inviolatum. Inter quæ apud Norvagos homo turbulentus *Gundo* Andreæ regni paſſim indigenas ac populares concitare adverſus regem cœperat adſociatis ſibi incolarum haud paucis. Sed idem haud multo poſt a regio præfecto, qui Varbergæ præſidebat, *Ebbone* Munchio, cum aliquot ex fœderatis interrogatus inque vincula conjectus, poſtquam capite pœnas luiſſet, motus ille velut in herba compreſſus finem habuit. Extremo anni, qui fuit undecimus Decembris, Chilonii Dux *Fridericus*, a Cæſaris, ut vocabant, ſubdelegato, præſule Lubecenſium *Theodorico* Holſatiæ ac Stormariæ ducatus, utpote imperii beneficia, in feudum ſuſcepit. Et idem tum quoque per delegatos ſuos fieri, ſuamque ducatuum eorundem partem ſibi transferri Rex curavit. Fuitque utrique autor Elector Brandeburgius *Joachimus*, ab ipſa potius Cæſarea majeſtate, quam ab epiſcopis ſuis ducatus acciperent, quemadmodum & factitatum poſtmodo. Invenio eodem Holſatiæ in diſtrictu pagum Podensdorpium prope Lovenzoviam ſitum, utrique tum principum *Johanni* Regi ac fratri ejus *Friderico* eorumque fiſco adjudicatum; cauſa tamen confiſcationis non addita. Proximo hinc anno, qui fuit ſupra milleſimum quadringenteſimum nonageſimus quartus, in furcam actus regius ſcriba; qui obſequii ſui promptitudine Regi aliquamdiu charus, poſtea ſupra modum tumens ac cunctos præ ſe deſpiciens publicum populi atque aulicorum odium factum, in ſe poſtremo, peculatus ac furti a Rege condemnatus, miſerabilem exitum concivit. Quo facto, cum Rex deinde in phreneſin delaberetur, eam ægritudinem ob ſcribam innocenter ſuſpenſum ei inflictam vulgo ferebatur, cum vitium potius fuiſſe valetudinis ac ſanguinis, etiam in liberis exinde ejus obſervatum, autores eorum temporum notarint. Rex deinde, poſtquam ad ſanam mentem rediiſſet, & jam ſatis ſuperque pateſcerent technæ *Stenonis*, dat identidem ad *Stenonem*

Cenſus Sleſvicenſium.

A. 1493. Steno cum civitt. Vandal. fœdus firmat.

Joh. R. pactum cum Moſchis.

unde Rex inviſus Svecis factus.

Fœdera inter Scotos & Danos Norvagosque reſtaurata.

Gundo in Norv. turbas ciens capite plexus.

Fridericus a Cæſ. ſubdelegato feuda Holſat. ſuſcipit.

Podensdorp. in Holſ. fiſco adjudicatum.

A. 1494. Regius ſcriba capitis damnatur.

Rex phreneſi correptus

ad regni Svec. ſenatum litteras dat.

Stenonem regnique senatum litteras, petens de voluntate eorum certior fieri. Utque ambagibus omnibus, omnique verborum involucro siparioque remoto, diserte testarentur, an iis, in quæ toties vivo patre ac postmodum quoque conventum esset, stare in animum induxissent. Quibus acceptis, convenere *Brunolphus* Scarensis, *Arvidus* Trolle, *Nicolaus* Claudius, a Stenone delegati, ut & electus Vexoensis, *Christianus Johannides* & *Paulus* Collius regni senatores, missique hi ad *Johannem* Regem de pace, deque unione regnorum ulterius constituenda. Estque decretus tum conventus, qui haberetur Lodissæ sub proximam pentecosten. Acceperant hæc illi in mandatis a regni senatu Calmariæ, die inventionis S. crucis, qui Maji fuit tertius; cum paulo post, qui fuit Junii decimus tertius, Dux *Fridericus* a fratre Rege regnique senatu præfecturas sibi aliquot tegni, & in his Laallandiam, Falstriam, Monam, una cum oppidis arcibusque permitti efflagitavit, haud alienum id fore existimans, cum & olim regiis liberis indulta ejusmodi beneficia fuissent. Ad ea coactus, qui tum aderat, regni senatus *Johannes* Brostrupius archiepiscopus Lundensis ac Sveciæ primas legatus Pontificis, *Nicolaus* Scavenius Roschildensis, *Carolus* Ronnovius Otthonienſis, *Nicolaus* Globus Viburgensis, *Hartvigus* Julius Ripensis, episcopi, Magister *Petrus* Prior Anderscovensis, *Johannes* Ibsonius præpositus Dalbyensis, *Ericus* Otthonius, *Paulus* Laxmannus, aulæ magister, *Eschildus* Gogæ mareschallus, *Henricus* Menstrupius, *Nicolaus* Hoy, *Ludovicus* Marck, *Steno* Bilde, *Johannes* Valkendorpius, *Olaus* Stysonius, equites, *Mauritius* Nicolai, *Nicolaus* Erici, *Georgius* Marsvin regni senatores. Hi inquam postquam Hafniæ reposuissent id quod ab illustrissimo Duce *Friderico* peteretur, universum regnum spectare, & ideo plene responderi vix posse, nisi regni universi ordines convocati suam super eo sententiam declarassent, seque in gratiam Ducis convocaturos regni totius ordines, episcopos, abbates, præpositos ordinemque equestrem, ut & urbium regni delegatos ac popularium præcipuos. Qui & ipsi ubi evocati mox convenissent, unanimi omnium consensu Duci significari fecerunt, esse Daniæ regnum non hereditarium, sed electivum, & se idcirco officii sui ac sacramenti, quod præstitissent, aspectu, neque svadere, neque consentire posse, ut regni ditiones, urbes, arcesque in plurium dominorum quam unius potestatem partirentur. Hoc responsi signatum Callumburgi die sancti corporis, id est, die Junii decimo octavo. Qua ordinum regni sententia offensus nonnihil Dux *Fridericus*, existimabat ejusmodi regni beneficia, puta Langelandiam, Hallandiam insulamque sanum, permissa jam olim regiæ domus principibus fuisse, & se alias in reliquis ditionum divisionibus, quod desideraret, habere, ut refert suis in scriptis, quæ edidit adversus *Christiernum II.* apologeticis Petrus Scavenius. Post id mense Augusto

Hinc conventus.

Fridericus D. quasdam sibi petit præfecturas regias.

sed conventu facto repulsam fert.

procerum Sveciæ præcipui *Jacobus* Archiepiscopus Upsalienſis, *Conradus* Strangenessensis, *Olaus* Vesteroſensis, *Magnus* Aboensis, *Ericus* Otthonius, *Nicolaus* Fadderus, *Ivarus* Grenius, *Benedictus Christianus* equites, Doctor *Ragvaldus* Archidiaconus Upsalienſis, *Canutus* Eschillus, *Svianto* Nicolajus, *Ericus* Trollius, *Ericus* Erici, *Nicolaus* Bosenus, *Janus* Canutius, *Benedictus* Fedderus, *Benedictus* Coning, *Steno* Thuronis, *Joachimus* Hemmingius, aliique ex regni senatoribus programma publicarunt, quo significatum volebant, conventum, qui superioribus mensibus per collegas ipsorum Brunulphum Scarensem, *Arvidum* Trollium & *Nicolaum* Claudium fuerat sub festum pentecostes indictus Daniæ proceribus, ipsum Calmariæ celebrandum ipso festo divi Johannis anni insequentis, eoque vocandos conventurosque trium regnorum senatores potiores præcipuosque, quo ibi regnorum singulorum commoda propius inspici & pertractari ac simul, quæ decreta jam dudum, totiesque statuta Halmstadii Calmariæque fuissent, perfici aliquando suisque numeris absolvi reducique ad colophonem possent. Qui iterum conventus a festo Johannis, in quem erat, ut memini, indictus, in diem usque Ægidii, qui fuit cal. Septembr. a. 1495. est prorogatus. Quos adeo varios suspensosque Svecorum sensus dissensusque præcipue *Steno*, & qui cum eo faciebant, causabatur. Alia enim mens longe erat saniori Svecorum parti, in quibus imprimis recensebatur Jacobus, quem supra nominavi, præsulum summus. Adeo enim acriter egisse eum Regis causam etiam in publicis conventibus palam est, ut linguæ libertate *Stenonem*, qui pacis ac patriæ studio ambitionem suam tegere volebat, hostem sibi reddiderit. Nec deerant & alii Svecorum cordatiores, quibus idem minus eademque placebat sententia. Inter hæc de re monetaria certabatur Lubecæ, ac disceptabant ultro citroque urbium Vandalicarum delegati, sed cura majori quam fructu, dum alius hoc, alius aliud statuendum censeret. Rostochii quoque novi motus post sedatos priores, de quibus supra dixi, iterum inter Duces & civitatem exorti. Etenim cum urbe egressuri cum domesticis suis essent Megapolitani principes, occlusæ ipsis urbis portæ; & auditi ex senatu nonnulli inter plebem dictitare, neque pactis neque sigillis stare Duces. Quod cum Rostochiensibus objicerent exinde Duces ut crimen gravissimum sibi impactum, illo bellorum tædio, iterum amicæ compositioni hoc quicquid esset, permisere. Estque res acta Visimariæ, præsentibus urbium delegatis, ubi inter cetera resumptus fuit firmatusque prior contractus, & aliquot insuper marcarum millibus, quas Ducibus denuo persolverent mulctati Rostochienses. Ac jussi præter id, cum proxime urbem ingressuri essent principes, ipsis obvii occurrere senatores civiumque præcipui, genibus flexis culpam deprecantes. Apud Svecos, qui erat Lodissæ, uti supra memoravi, indictus conventus,

Conventus Calmariæ indictus.

prorogatur.

Quidam ex Svecorum proceribus R. Johanni studeut.

De re monetaria Lubecæ disceptatur.

Rostochiensium novi motus,

qui Visimariæ sopiuntur.

A. 1495. Calmariæ conventus celebratur.

ventus, in proximum, qui ſuperiorem excepit, annum milleſimum quadringenteſimum nonageſimum quintum celebrandus ſub diem divi Ægidii Calmariæ, ibidem quoque hoc ipſo tempore habitus fuit, præſentibus Sveciæ primatibus *Jacobo* Upſalienſi, *Ingemaro* Vexoenſi, epiſcopis; *Stenone* Stureo Sveciæ præſide, *Ivaro* Grenio, equitibus; Arvido Trollio, *Canuto* Eſchillo, *Nicolao* Claudio, *Arvido* Canutio, *Svantone* Nicolajo, *Petro* Ravellio, ut & *Nicolao* Globo præſule Viburgenſi, *Stenone* Bilde, & *Nicolao* Hoegs, regni Daniæ ſenatoribus. Hic denuo iterumque aſſerta, quæ ſæpius jam reſumpta firmataque fuerat, amica illa Calmariæ primum inſtituta regnorum unio. Et ea, quo certior firmiorque haberetur, de novo decretus ibi in annum proximum 1496. conventus celebrandus Niloſæ circa feſtum divi Johannis, quo ibi Regis Johannis poſtulata, & ſi quæ præterea regnorum ſtatum ſpectarent, propius excuterentur. Cumque e re fore judicatum eſſet, quod ſupra relatum memini, ut ipſe Rex quam proxime Calmariæ ipſius conventui adeſſet, quo de ejus ſententia conſilioque, ubi opus foret, edoceri quam primum quisque poſſet; idcirco inſtructa cum claſſe navium prætoriarum octodecim legatos quam celerrime Blegingiam verſus eſt inſequutus. Ac mox Egeſundam delatus, qui portus eſt Rothebio oppido quam proximus, quosdam conſiliariorum ſuorum in freto Eſpeſundenſi idoneam tempeſtatem præſtolantes ad ſe evocavit. Qui confeſtim acceptis regiis literis, ubi convenissent ſuaque cum Rege conſilia ſociaſſent, incenſo derepente pulvere tormentario, ſive a cælo ſive fortuito correpta eſt flammis regiarum navium una. Navales, qui reſtinguere incendium ſatagebant, ita fumo flammisque e Veſtigio involuti, ut plurimos vis æſtus ac ignis ſuffocavit, alios eum in modum uſtulavit, ut vitam in dies aliquot, ſed plane miſerrimam protraxerint. Et erant quoque qui, ut flammam exirent, in mare præcipitantes, undis abſorpti periere. Si quis cladi ſuperfuit, is ægrum vulneribus corpus, ſub manu medentis, priusquam ſanitati redderetur, diu traxit. Nec ſtetit hic malum. Etenim proxima nocte adeo fœda validaque tempeſtate disjecta univerſa claſſis, ut brevi temporis momento, quo loci naves eſſent, parum conſtaret, altera alteram quæreret, nec inveniret. Periclitatum graviſſime, multaque ad levandos navium alveos in profundum ejecta varieque trepidatum. Ac mox redeunte ſerenitate, ubi in portum quæque conveniſſet, nulla fuit, quæ non eſſet quam graviſſime adflicta laceratque. Maxime vero in una damnum enituit, quæ regiam non modo ſupellectilem ſed & litteras & documenta vehens, quibus eo in conventu præcipue opus erat, aut vado illiſa, aut quo alio caſu demerſa perierit, parum compertum habetur. Non enim in conſpectum poſtea prodiit. Hæc fuere quæ Svedicum bellum, quod mox cœptatum multumque civilis ſanguinis in hac boreali mundi plaga abſumpſit, veluti ominoſa quædam minusque proſpera præceſſere. Necalia fere, accedente præſertim hoc infortunio, Calmarienſis iſtius conventus cataſtrophe, quam aliorum fuit: callide enim, ne doloſe dicam, acta omnia. Et ad eam poſtremo, quod ſolenne Svecis erat, trium regnorum, de qua dixi, amicam unionem ſacramento firmandam regreſſus fuit: eaque cuncta terminata. Quamvis nec deſunt, qui tradant *Stenonem*, ob regiæ claſſi, de qua dictum, inflictam calamitatem, multo quam ante animoſiorem, ſpreviſſe, quem ipſe cum aliis indixerat conventum. Ac ultimo iterum iterumque ut adeſſet, monitum reſpondiſſe, penes Regem ſtare, ſive pacem inter regna ſive bellum vellet; ſe hic regiæ ejus mageſtati nihil præſcribere, totum hoc quidquid eſſet, ei permittere. Rex, iſtis acceptis, ſatis videns non trahi modo, ſed impediri per Stenonem coronationem ſuam, dimiſſo trium regnorum conſeſſu, iter in Daniam reflexit. Domi vero agens, cum non ignoraret, fœdus iniiſſe cum Vandalorum civitatibus *Stenonem*, illud ut diſſolveret, ne, ſi forte bellum ingrueret, cum utrisque ſibi res eſſet, miſit ad eum ſummos ac primarios regni ſui viros, qui jam ante conventui quoque Calmarienſi interfuiſſent, *Nicolaum* Globum præſulem Viburgenſem, *Stenonem* Bilde ſupremum Scaniæ judicem, nec non *Nicolaum* Hoegs, offerentes regio nomine multorum annorum inducias, modo, quod pepigiſſet cum Vandalicis, fœderi renuntiaret. At *Steno*, qui in eo robur ſuarum rerum collocatum judicabat, cum id haudquaquam facere, animum induceret, ne tamen egiſſe nihil aut reſpuiſſe oblatam occaſionem culparetur, in anni ſolummodo unius inducias conſenſit. Legati, qui haud dubitarent, quin *Steno*, quod offerebatur, cupide fuiſſet amplexurus, poſtquam anni tantum unius pacem petere intellexerunt, ea approbata domum redierunt. Duo præterea hunc annum illuſtrem reddidere; brumæ aſperitas, quæ tanta fuit, ut nivium vis molesque in unum conglomeratæ concretæque agreſtium caſarum culmina eum in modum texerint, ut eas rhedæ ſupergrederentur: alterum eſt obitus, qui incidit in 25. Novembr. reginæ *Dorotheæ*, quæ *Chriſtophori* primum, inde Regis *Chriſtiani* uxor, ætate jam extrema vitam Callumburgi finiit, nobilitata per familiam Brandenburgicam duorumque, de quibus dixi, maximorum Regum matrimonio clariſſimæ. *Chriſtophoro* quidem nullam ſobolem ediderat, at mox *Chriſtiano* juncta regiam domum illuſtri ac læta prole beavit, cujus hodieque poſteritas regni habenas feliciter moderatur. Funus ejus memoria meritorum magnificum fuit, traductumque Callumburgo Roſchildiam, ibi in eodem cum marito conditum mauſoleo ſervatur. Ab ejus obitu prærupta omnia, & obex velut remotus, qui bellum hucusque Svedicum ſufflaminarat. Nam ea incolumi filius Rex ſæpius, ab ea iterumque monitus, nihil in Svecos magnopere aut ſerio tentaverat:

Rex claſſe appropinquat.

cujus una navis incendio correpta multique periere;

claſſis tempeſtate disjecta & attrita,

documenta regia intercidunt

Rex iterum eluſus & deſpectus.

Stenonis cum Vandalicis urbibus fœdus diſturbare ſtudet.

Hiemis violentia.

Dorothea R. mater obit.

hinc Johannes R. in bellum prorumpit.

verat: at modo exſolutus hoc freno, quo ferebatur, prorupit. Et cœperat jam Moſchus Regi *Johanni* fœderatus bello quaſi præludere, dum Finlandiam magno agmine ingreſſus incendia ubivis & cædes facit, obtruncatis & in his ſupremo militiæ Svedicæ præfecto *Canuto* Carolo aliisque, qui in adverſum arma tuliſſent. Ac mox cum arcem Viburgenſem aliquamdiu, ſed fruſtra, defendente animoſe eam *Canuto* Poſcho, oppugnaſſet, ſuorum haud paucis deſideratis cum præda domum reverſus eſt. Hac Moſchorum in Finnos irruptione nuntiata, pœnitere *Stenonem*, ſed ſerio, cœpit, quod inducias multorum annorum a *Johanne* oblatas non admiſiſſet. Interim copiis, quantum potuit, celerrime coactis domique ordinatis rebus ipſe in Finlandiam magnis itineribus contendit. Sed ventis cæloque adverſante, tum & frigore aliisque incommodis, conſumpto propemodum exercitu, cum tardius eo veniſſet, intellexit in ſua reverſum hoſtem; quapropter diſtributo in præſidio milite, majoris habendi delectus gratia in Sveciam rediit, acceptam a Moſchis cladem proximo, ut ſperabat, vere vindicaturus ſed illi, omiſſa mora, præveniendum *Stenonem* rati ſtatim inſequenti Februario anni ſupra quadringenteſimum milleſimi nonageſimi ſexti, maximis iterum viribus irruptione facta per Careliam in Tavaſtiam, quod iter 80. milliariorum eſt, tranſitum fecere, cæſis in utraque ditione hominum circiter ſeptem millibus. Ac mox eadem, qua advenerant celeritate, domum revertuntur. Steno interea majoribus copiis, quos iterum coëgerat, reverſus in Finlandiam, cum ſe ab hoſte tanta illata clade præventum illuſumque animadvertiſſet, relicto apud Finnos exercitu *Svantonem* Nicolajum & *Ericum* Trollium cum *Stenone* Thurſone belli veteres ei præfectos ordinat, jubetque, ut ibi ſubſiſtentes adventum ſuum exſpectarent, addito mandato, ne tam laceſſerent, quam irrumpentem hoſtem propulſarent. At *Steno* in Sveciam rediens, ut copias novas colligeret, modo a Regis præſidio circa limitem diſtinetur, modo amicos Regis, quos intra Sveciam plures habebat, ſuſpectans timensque opinione diutius apud ſuos hæret. At Duces interea, quos Finnis præfecerat, cum totam propemodo æſtatem ſed fruſtra, eum exſpectaſſent, ipſi communicatis inter ſe conſiliis, ſub exeuntem Auguſtum ſumtis, quas ad manum habebant, copiis arma in Moſchos transferunt. Qui ubi hoſtiliter ad novam usque Narvam cuncta pervaſiſſent atque arcem munitiſſimam Wangradium ſuæ feciſſent poteſtatis, quantocius in ſua redierunt, captivos circiter trecentos ſecum abducentes, idque ea celeritate, ut admirationi cunctis fuerint. Inter iſta mox adeſt cum novis manipulis *Steno*, qui & ſtatim de expeditione *Svantonis* ceterorumque Ducum in fines Ruſſiæ ubi intelleXiſſet ſucceſſu eo qualicumque, tum & novis, quos adduxerat, copiis ferocior, iterum eo ducendum hortatus eſt. At Svanto cum hiemem imminere ac imbres quotidie exſpectandos reponeret, minus ea *Stenonis* placuit oratio. Alii memorant, Svantonem, cum diu ac fruſtra dictum *Stenonem* exſpectaſſet, continuo poſt invaſos Moſchoviæ fines reditum in Sveciam paraſſe, atque id agenti occurriſſe cum novo milite *Stenonem* hortatumque, ut ſubſiſteret, ſe denuo cum eo in Moſchos ducturum, ac retinente pertinacius *Svantone*, excanduiſſe *Stenonem*, eum in cauſſa eſſe, quod nihil præclari gereretur, perfugam denique ac defectorem dictitando. Atque eæ utrinque dum magis magisque exardeſcerent iræ, etiam *Stenonem* reducto in hiberna milite, in Sveciam rediiſſe, & anno vix integro poſt, interponentibus ſe procerum nonnullis, reconciliari invicem potuiſſe, quamvis de eo alii ſileant. Volitabant circa idem tempus per oceanum Britannicum & Cimbricum piratæ Francici. Hi cum identidem Danos quoque deprædarentur, armavit in eos prætorias aliquot naves Rex Johannes, præſertim cum Galliæ Rex *Ludovicus* datis ad *Johannem* litteris, a ſe haudquaquam autoratos teſtaretur. Conceſſit quoque eum in finem Scotorum Rex *Jacobus*, ut claſſes ac negotiatores regni Daniæ libere ac tuto Scotiæ portus frequentarent, merces ibi ac manubias ſuas pro lubitu diſtraherent, ſoluto ſaltem, quod deberetur, telonio. Exuſta eſt iisdem diebus a Danis Holſatisque, quam in inſula Hillegelandia Bremari habebant, telonii domus, aliæque ædes. Exiſtimabat Holſatiæ Princeps plus ſibi in eam inſulam uſurpaſſe juris Bremenſes, Hamburgenſes ac Stadenſes, quam ipſis competeret, nec ad Juſterlandiam, quod illi exiſtimabant, pertinere, ſed eſſe Holſatiæ, ut conterminum, ita proprium, non eum modo, ſed & ceterarum, quæ in vicino ſunt, inſularum diſtrictum. Tum quoque intra Daniæ pomæria coërcita feminarum libido; cautumque regio decreto, ut quæcunque corpore quæſtum facerent, calentica ſive vitta diſcernerentur, ita ut altera pars ejus fuſci, reliqua rubri coloris eſſet. Etenim mos inter veteres receptus habebatur, qui ſatis pœnarum adverſum impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant. Fuerat in hunc annum, quod antecedente eſt memoratum, indictus de novo conventus, Niloſæ in Sveciæ confiniis celebrandus, ſedis, diſſentientibus inter ſe Sveciæ primoribus, ſucceſſum non habuit. Etenim epiſcopi, & qui cum his faciebant, omnino ſigillis ac promiſſo ſtandum, tum & ſummo Pontifici, qui *Stenonem* anathemate feriebat, obſequium inprimis debere ſe declarabant. Erat inter antiſtites præcipuus *Jacobus* Archiepiſcopus Upſalienſis, cui haud parum roboris addiderunt, *Svanto* Nicolajus, *Ericus* Trollius, *Arvidus* Trollius, Nicolaus Boſonis, & *Thuro* Thuronis ſe eidem aggregantes. Horum continuo nomine ſignificatum Regi, quæ & ſenatorum plurium (ita addebant) eſſet ſententia, accederet quantocyus cum exercitu, non defuturos, qui ſequerentur. Tum & Sveciæ ſenatus veluti precibus cum *Stenone* agens, orabat, ſua ſponte,

Moſchus Finlandiam invadit.

cui Steno difficulter occurrit.

A. 1496. Moſchi irruentes in Careliam & Tavaſtia cædes patrant.

occurrunt Sveci.

Steno in Moſcos ducturus a Svantone retardatur; hinc cum eo enatum diſſidium.

piratas Francicos R. Johannes inſectatur.

Danis in Scotia conceduntur libera commercia.

Bremenſium in Hilligelandia inſ. telonii domus exuſta a Danis.

feminarum in Dania libido coërcetur.

Niloſæ conventus fruſtra decretur.

Jac. Archiepiſc. Upſal. aliique R. Joh. ad bellum concitant.

Stenoni ſuadent ut re-

gnum Johanni R. tradat; sponte, ac ultro regni administrationem in Regem *Johannem* ex pacto trasferret, quo & ipsi sibique atque omnibus frui pace atque agere quietis liceret. At alia *Stenoni* mens erat, respondit*que*, non a patribus tantum aut nobilitate, sed a plebe quoque ac popularibus principatum sibi traditum, sine cujus unanimi consensu, etiamsi vellet, deponere eum haud esse arbitrii sui. Ac simul evocato,

sed renuit,

militesque advocat. quem limitum custodiæ apud Finnos reliquerat, universo equitatu, ostendit hoc se agere, ac serio, quam accepisset, dignitatem tutari statuisse. Habebantur deinde Stocholmiæ proxima, quadragesima, quæ erat anni supra millesimum quadringentesimum nonagesimi septimi, regni comitia. In his *Svanto* Nicolaus, delata ad regni senatum causa ac crimine, cujus eum, ut modo relatum, graviter *Stenno* accusaret, quasi is fuisset, qui se regni militiæ vexilloque subtraxisset ab eo in totum immunis ac liber pronunciatus, tum & opera ejus regno fuisse summo opportuna atque utilis judicata. Eodem tum quoque conventu, quod seorsim singuli fecerant unanimiter flagitat petitque a *Stenone* regni senatus, ut quam illi detulerant præsidis regni dignitatem, ea se abdicaret, quo regnum Regi *Johanni*, prout sæpius iterumque promissum fuerat, permitti, atque ita ejus aliorumque procerum fides, toties totiesque Regi *Johanni* obstricta, liberari aliquando posset. At *Steno* aliud agens, ad plebem popularesque provocavit, eos neutiquam permissuros indicando, ut ullus unquam extraneus regno præficeretur; quod satis illi superque exploratum haberent, quanta inde mala olim damnaque regno multoties obvenissent. Cum igitur animadverteret Sveciæ senatus haud quaquam constitutum *Stenoni* regno cedere, aut illud alii cuiquam permittere, obsequium illi ac fidem renunciarunt. Et licet nondum ei ad manus esset, qui subsecutus est miles, in arce tamen Stocholmiæ callide pervenit, lata jam de eo sententia ac regno depositus. Ac ibi eo usque se continuit, dum ad eum mox omnis e Finlandia equitatus acceleraret. Eoque accepto animosior redditus, vi regnum retinuit ad suum passim, qua potuit, obsequium, modo hos, modo illos traducens. Inter ceteros captivum abduci fecit præsulem Lincopiensem. Archiepiscopo, qua dabatur, insidias struxit, quod ei potissimum regni senatus, amoto jam ipso, videbatur dicto audiens. Ac postremo in bellum apertum cuncta prorupere. Clausæque regni senatus jussu Stocholmiæ urbis portæ. Ac quiritantibus proceribus, quod a se regnoque ac pactis discessum esset, respondit *Steno*, non se ab ipsis, sed a se ipsos secessum fecisse: se enim in eo esse, ut regnum defendatur; ipsos satagere, ut introducto externo dominatu regnum pessundetur, idque contra fidem, quæ patriæ deberetur. Inter hæc explevit mortalitatem *Johannes* Brostorpius, summus regni Daniæ antistes. In ejus locum suffectus est *Burgerus* Archidiaconus Roschildensis, quique pluribus annis Reginæ

A. 1497. Comitia Holmiæ.

ubi Svanto fidem contra criminationes Stenonis purgat.

Steno de regno tradendo iterum admonetur frustra.

regno abdicatus,

ad viribus collectis sibi vindicat.

archiepiscopo insidians,

causam suam defendens.

Joh. Brostorpius obit.

Christinæ archivo præfuerat, vir non tam claris natalibus, quam virtute, doctrina atque autoritate præcipuus. Inde novus Hafniæ conventus regni describitur, in quo præsente Rege ac regni proceribus, iterum ab ipsis in Regem eligitur, assumiturque princeps *Christianus* annis jam circiter 16. natus. Ac mox in utramque partem, postquam diu esset in eodem senatu agitatum, an decernendum in Svecos bellum foret, huc postremo itum, statutumque, haudquaquam videri occasionem omittendam: dissidere non tantum inter regni proceres, sed evocare quoque ad se Regem *Johannem* eumque ut assertorem exspectare, qui ipsos jugo *Stenonis* eximat. Decretumque itaque iisdem his comitiis, gerendum in Svecos & eos præsertim, qui rebellantem *Stenonem* jam annos circiter quatuordecim fuissent secuti, terra marique bellum. Estque copiosus continuo conscriptus exercitus, tam ex indigenis, quam milite externo: occurrentibus præsertim huc catervatim manipulis magnæ, ut vocabant, guardiæ; qua & liberari tum ditiones suas principibus peroptatum accidit. Etenim usus illis præter ceteros *Magnus* fuerat Saxoniæ inferioris Dux comprimendis Hadeloicis ac Vorsaciis, Frisiis, imperium detrectantibus. Hi quæcunque adirent loca, more locustarum cuncta depascebant, terribiles non minus summis dynastis, quam graves præsertim colonis ac popularibus. Eos apud Belgas duxerat auspiciis Regis *Maximiliani Georgius Mentzicus* & *Nithardus Foxius*, qui paulo ante occubuerat. In Sveciam vero auctorati, postquam in Daniam advenissent, expeditionem Rex maturat, conscribique apud Norvagos auxilia jubet. Eisque imperat, ut quam possent expeditissimis copiis vicinam Sveciam invadant, loca bello opportuna occupent ac sui terrorem quam latissime edant. Ante omnia, missis in Sveciam codicillis, *Stenonem* ipsum, ceterosque proceres ac regni incolas certiores reddit, huc se adigi, quod toties totiesque insuper habitis sigillis fidem fefellerint; sibi alias pacem omniaque amica placere cordique esse. Inde peti Calmariam classe, quam duobus navalium millibus impleverat, equites vero peditemque itinere terrestri eodem tendere jubet. Delectum singulorum circa Austerram fecerat, constituto præfecto omnium viro prænobili ac bellicoso *Marquardo* Ronnovio. Sagittariis caput ac dux erat *Georgius* Rudius manu promptus, servante exercitus totius post principia lateraque aulæ magistro Laxmanno, militia veteri claro. Ubi limiti est appropinquatum, Svedici aliquot coloni, qui in proximo erant, ingenti sublato clamore speciem præbuerunt adventantis exercitus. Unde moniti a vigilum præfecto, ut sua quisque curaret. Sed intellectum continuo non militem, sed vagam esse agrestium turbam. Quapropter iter, ut cœperant, accelerantes sub undecimam cal. Sextil. Calmariam advenere, ubi & classis jam anchoras fixerat. Calmarienses ex oppidi propugnaculis exercitus apparatum

Christianus regni successor electus iterum.

Bellum in Svecos movendum decernitur.

magna guardia famosa olim se Regi adjungit.

Norvagis bellum expediendum imperatur.

Svecis ejus causa declaratur.

Marquard. Ronnov. milit. præf.; Georg Rudius sagittariorum dux.

Rex Calmariam dedi-

tione accipit. paratum conſpicati, cum hinc admota hoſtili claſſe graviter premerentur, & Rex terra validus incumbens, mœnia tormentis verberaturus adproperaret, neque auxilium a *Stenone* ſperaretur, miſerunt in caſtra Regis oppidani, qui deditionem oppidi arcisque promitterent, modo vitam ipſis fortunasque ſalvas relinqueret. Quod Rex flagitantibus haud gravate conceſſit, quamvis eſſent, qui agendum ſeverius judicarent. Inde effuſo civium populo, præeunte ſacro ordine, poſtquam eſſet in oppidum introductus Rex, validum arci imponi præſidium curavit. Ac mox quibus erat claſſis cura mandata, proximam Olandiam petere juſſi eamque intrantes arcem ante omnia Borcholmiam expugnandam aggrediuntur capiuntque, ac ſuo exinde præſidio muniunt. Alii memorant, Regem, locatis ad Calmariam caſtris, cum ipſe intra cœnobium, quod urbi proxime adjacet, ſe contineret, jamque quatere tormentis urbem cœpiſſet, deditionem a civibus factam ac poſtero deinde die arce demum potitum, demiſſis ea conditione arcis oppidique præfectis *Matthia* Petrejo ac *Petro* Thurone, ne in poſterum clam palamve Regi adverſarentur. Quæ dum fiunt, convenere Calmariæ Regem, nomine ſenatus Svedici, *Arvidus* Trollius, *Nicolaus* Boſonus ac *Thuro* Johannides, eique ſuo reliquorumque ex ſenatu nomine fidem ac ſacramentum dixere, tradito ſimul in ejus poteſtatem Caſtrenſi jure, quod vocant, arcium Borcholmiæ, Orebroæ, Oreſtanæ, ac Stegeholmiæ, ringente præter ceteros *Paulo* Killio. Nec multo poſt evulgari affigique per univerſam Sveciam, de quibus & modo injectum nonnihil, codicillos curavit, datos menſe Junio Haſniæ, priusquam caſtra moveri feciſſet. His inter cetera ſignificatum Svedici regni incolis voluit, ſe, vivo adhuc patre, rite electum deſignatumque Sveciæ Regem ac dominum teſtantibus id, qui ea de re habentur tam ſacri quam profani ordinis codicillis. Ac ſe exinde ſuamque hanc electionem multoties a ſenatu regni ipſoque *Stenone* fuiſſe firmatam approbatamque, ac eo nomine plurimos domi forisque habitos conventus, non ſine regni utriusque maximis impenſis, quamvis fruſtra omnia, *Stenone* renitente. Atque hæc aliquot jam annis eundem in modum transacta ac a ſe celebrata, vel ideo, ne in bellum regnorumque perniciem res deduceretur, dum palam *Stenonem* ejusque factionem, qui nec ipſi, nec regnorum ſenatui auſcultare animum inducat, armis invadendum haberet. Et modo cum omnibus conſtare palam ſit, id agere *Stenonem*, licet contra ea, quæ ab ipſo obſignata toties juratæque eſſent, ut in ſe reſurgant ac concitentur incolæ, ac ipſe imperium retineat, diviſo inque partes diducto regno, ſc. haudquaquam ulterius hoc ipſum in ſummum regnorum detrimentum concedere aut tolerare nunc conſtituiſſe, ſed velle, ut tabulis, quæ obſignatæ ab omnibus ſunt, ſatisfiat: nec dubitare, quin & ipſi hoc quoque, ut æquum, ſint acceptaturi, nec obluctaturi

Borcholmiam expugnat, Oelandiam occupat.

Evulgati ab ipſo in Svecia codicilli.

regni ſenatui, qui ſe paratum profitetur promiſſis ac pactis ſtare, ac velle, ut ea, quæ inter regna eſt conſtituta unio, perpetua ac ſalva maneat, utque regnum utrumque ſub uno capite ac Rege habeatur. Se igitur iterum iterumque hortari eos ac flagitare, ut ſe ipſi regnique ſenatui ſubmittant, ſe viciſſim neque collationibus ullis aut tributis regnum gravaturum, aut quicquam ſine regni ſenatus unanimi conſenſu, quod ipſos regnumque ſpectet, exſequuturum, idque ſancte certoque promittere. Interea traducta, ut memoratum, ad obſequium ſui Calmaria Oelandiaque haud ſubſtitit Rex, ſed proxima loca ab incolis deſerta diripi juſſit, neque prius populandi finem fecit, quam ſilvis ſuis, in quas metu confugerant, egreſſi Sveci imperata facturos ſe pollicerentur. Eoque exciti conſternatique interiores, qui erant Sveciæ incolæ, *Stenonem* adeunt, obſecrantque, communi rei ſuccurrat conſulatque; eum omnium conſenſu delectum, qui omnibus adeſſet omniumque ſaluti invigilaret. Circumvallarat tum ille *Jacobum* antiſtitem Upſalienſem, quod eum Regi *Johanni* præcipue eſſe addictum non ignoraret, & ideo aut tollendum e medio, aut vivum prehendendum omnino e re judicabat, ne, dum hoſtem externum oppugnat, intraneum aleret. Stegam vero ſe præſul receperat, quod ejus domum, quæ Upſaliæ erat epiſcopalis dicta incendio jam ante abſumi *Steno* fecerat. Verum epiſcopus Stegam arcem ita communierat, ut neque præſidium deeſſet, neque commeatu indigeret. Nam & *Svanto*, bello militiaque clarus, qui a *Stenone*, ut retuli, diſſidere cœperat, eodem ſe quoque eum aliis receperat. Hanc itaquæ arcem, dum obſidet *Steno*, omniaque agit, ut ejus potiatur, haud paſſus eſt Rex homines de ſe optime meritos adeoque ſui ſtudioſos ſua cauſa periclitari. Sed e veſtigio miſſis eo copiis laborantibus opem pollicetur. Eſt erant jam in eam neceſſitatem adducti obſeſſi, ut ſuſtinere hoſtem ulterius vix poſſent. *Steno* tamen adventantem Regem haudquaquam exſpectandum exiſtimans, deſerta obſidione ac motus properanter caſtris Stocholmiam conceſſit. Eoque fugato, propius ad arcem accedens Rex, omni eos periculo liberat, ac hortatur, ut in fide deinceps maneant. Nec immemor ejus beneficii antiſtes, Regi in poſterum ſumma conſtantia adhæſit. Per idem tempus Norvagi, ut erat imperatum, ducibus *Herico* Krummedigio & *Ebbone* Munchio, aliisque ex ordine equeſtri, non Daniæ modo, ſed etiam Norvagiæ, tum & miles, qui illi erat additus, extraneus, facta in fines Svecorum irruptione Elsburgum arcem admodum præmunitam admotis operibus obſident ac ſine miſſione ſummis viribus oppugnant. Diu acriterque ab obſeſſis defenſum hoc propugnaculum, ſed inſtantibus identidem Danis Norvagisque, nec effulgente uſpiam liberationis ſpe, vitam ac fortunas poſtremo pacti, ſeſe Norvagienſibus dediderunt. Ac ſimul omnis ea, quam late patet regni ora, ſe ſuaque

Jacobus antiſtes Upſal. a Stenone obſeſſus Stegæ cum aliis ſe defendens.

Steno fugatus.

Elsburgum arx a Norvagis expugnatur.

vicina ibidem ora Regi ſe dedit.

Regi permittentes, armis positis obsequium promisit. Quæ dum magno felicique successu a Rege geruntur, ecce e Dania nuncius, qui filium ei *Franciscum* natum nuntiat. Rex igitur hinc prospera rerum fama, illinc fausto lætoque conjugis partu exhilaratus, ne tamen recolligendi spatium *Stenoni* daret, eum magnis itineribus universo cum exercitu Stocholmiam insequitur, comitantibus eum ex Svecis *Svantone* & Archiepiscopo. Est vero Stocholmia urbium regni maxima, ac loci natura munitissima, hinc Sveciæ rupicosa, illinc mare prospectans; assidetque proxime montis jugum, quod Brunikonis vocant. Hic castra Rex locat, ubi & olim parens ejus, quod suo est loco redditum princeps fortissimus Rex *Christianus* sua posuerat. Qua vero mare urbs respicit, classem applicat. Sicque terra, pariter marique obsessos urgens, subinde levis armaturæ militem immittit, ut latitantem intra mœnia *Stenonem* ad prælium eliceret, subinde tormentis grandioribus agens obsessis haud uspiam facessere negotium desiit. Tum & Regem in castris accessit *Ericus* Ericus, regni Sveciæ senator, fidem atque obsequium eidem pollicitus, ac simul tradens in ejus potestatem Stegeholmiæ arcem. At Stocholmienses, cum serio jam imminerere sibi obsidionem viderent, pulsari grandiorem ædis cathedralis campanam jusserunt, ac convocato senatu, quid facto opus esset, exquirunt. *Steno* fortes eos ac animo esse præsenti hortatur, adfore brevi triginta Dalecarliorum millia, quorum operam conduxerat. Nec mora, missus clam qui eos acciret. Est hæc gens inter Svecos gloria fortitudinis ac belli prima oppidoque sagittandi perita. Eos per legatum ac litteras edocet, quanto in discrimine patria versetur, hostem adesse potentem ac ferocem, quique hoc agat, ut occupato regno omnes ejus incolas in extremam servitutem redigat. Invasa ab eo esse aut dedita ipsi plurima regni loca arcesque solum superesse Stocholmiam regni Regiam metropolim, quæ hosti animose portas clausit. Ea expugnata de communi libertate actum videri. Esse enim civitatis ejus ac regni unam quasi fortunam, nec everti alterum sine altero posse. Proinde publicam regni salutem isto tempore suis in armis ac virtute sitam non ignorarent. Pergerent, modo & quanta possent coacta manu accelerarent, inque castra hostium irruerent. Se urbe egressurum a parte altera ac terga cæsurum, neque dubitare adspirante paulum fortuna, quæ juvare audentes solet, quin direptis atque incensis hostium castris eos in universum sint profligaturi, aut ita excepturi, ut bello ulterius sustinendo vires deinceps sint defuturæ. Quæ ubi accepissent Dalecarli, læta bello gens, haud multo post regi nuntiatur in procinctu jam esse, ac magno numero finibus suis egressos ad jugum montis, in quo posita regia castra dixi, contendere. Rex istis acceptis, sine mora convocatis belli ducibus singulorum sententias exquirit. Ipse haudquaquam e re fore judicabat utrumque hostem, & hunc quidem a tergo, illum a fronte esse pugnantem exspectandum, reparandum potius aut præveniendum consultius videri. Qua in re adeo ancipiti ipsi secum deliberarent ac pristinam virtutem ad animum revocarent. Inter Duces, qui imminebant, *Nicolaus* Krummedigius, & *Henricus* Canutius uterque accepta hac Regis sententia existimabat, Dalecarliis, priusquam castris appropinquarent, magno agmine occurrendum, foreque illis vel cæsis vel profligatis certam atque indubitatam spem potiundæ non tantum Stocholmiæ, sed obtinendæ quoque, quæ regnum exinde totum polliceretur, exoptatæ victoriæ, eaque ab omnibus collaudata sententia jubetur miles lautiore cœna refici. Atque inde ante matutinum crepusculum itineri jam accinctus equitatus, ubi signum daretur, sine strepitu quantum poterat, e castris faceſſit. Ac mox eodem silentio, ne hostis præsentiaret, cum pedite secutus Rex equitatui se jungit, gnarus sub lucem adfuturos Dalecarlios. Vix tenebræ recesserunt, cum spargit diei radios aurora, & simul intelligit ex iis, quos speculatum præmiserat, esse in propinquo Dalecarlios. Eoque accepto, paulisper subsistens hortatur omnes se viros præstent, ac esse memores antiquæ virtutis velint, adveniſſe jam horam, qua si fortiter rem gererent, exiguo temporis momento imposituri forent bello, quod alias diuturnum ac grave immineret, lætissimum finem. Inde in hostem recta vadens, eum circa pontem Rodensem assequitur. Fit acre prælium. Stabant ad primum Danorum impetum immoti Dalecarli, nec inferentes minora, quam accipientes incommoda, præsertim ubi tela sua, quæ schitas vocant, arcubus ejaculabantur. Hæc non directe gens ea in adversum agmen verum in sublime adeo scite mittere docta, ut in hostem de super cadant, velut imber, sævumque vulnus infligant. Quibus sauciati hinc inde Dani excedere nonnulli prælio cogebantur, alii penitus trajecti, ipsa in acie exhalabant. Et notant temporum horum autores, nihil pæne ad virtutem, defuisse tum illis præter equitum aliquot cohortes, quas si in promptu habuisset, popularium hæc manus dubiam propemodo Danis victoriam reddidisset. Nam adeo in cuneos arcte collecti pugnabant, ut non nisi in summa ordines eorum prorumpere agmenque dissipare equitatus potuerit. At dissipati exceptis haud multis, qui fuga evasere trucidati pene omnes. Tranare præterea vicinum lacum conati numerantur circiter quingenti, qui aquis absorpti omnes perierint. Hanc tot millium miserabilem stragem causatus *Steno* auxilium, quod promiserat, serius attulit. Nam Dani continuo post pugnam depugnatam in castra se recipiunt, signa, quæ hosti abstulerunt, suis præferentes. Quod cum *Steno* vel ipse vel a speculatoribus accepisset, existimans penes suos stetisse victoriam, se quantocius ac tumultuarie suis cum manipulis urbe effudit. At cum castra Danorum

Franciscus R. fil. nascitur.

Rex Stenonem Stockholmii terra marique obsidet.

Stegeholmia arx Regi traditur.

Dalecarlii a Stenone acciti & litteris permoti.

a Danis occurrentibus fortiter repulsi.

Steno eruptione facta profligatur.

norum propius acceſſiſſet in medios ſe pene hoſtes illapſum animadvertit. Etenim Dani licet feſſi a recenti præliatione, impetum tamen in Svecos faciunt, facilesque eos profligant, præſertim perculſos ac turbatos, & aliud, quam exiſtimarant, re compertos, eosque ad urbis usque portam perſecuti fugant ſingulos cæduntque. Multos inter fugiendum peremptos conſtat; multi quoque in mare, quod proximum erat, præcipites acti aquis abſumpti. Horum quoque par *Steno* fuit, quem una cum aliis pavida turba ſibique conſulere ſtudens in mare trepidantem egerat, undisque ſuffocatus interiiſſet, niſi eum navicularius periculo exemiſſet. Signa aliquot Dani in ipſa urbis porta civiumque conſpectu Svecis ablata ſua in caſtra ovantes retulere. Periiſſe ex eo Svecorum numero haud infra ſexcentos memorant. Eſtque hoc pacto vindicata clades, quam eodem in loco, ut eſt ſuperius indicatum, paucos ante annos pater *Chriſtianus* incurrerat. His an omnibus præſens adfuerit Rex ipſe, quomodo *Parvum* fere ſecuti jam modo retulimus, controverſum reddunt Vitfeldii. Is etenim pugnas has in feſtum Divi Michaëlis referens, ait paulo jam ante Regem *Johannem* claſſe Calmaria egreſſum Stocholmiam petiiſſe, ac ibi in ore propemodum urbis, poſtquam anchoras fixiſſet, ei lætum etiam hunc allatum victoriæ nuntium. Sed in medium hoc poſito, id certo habetur, cum ad incitas jam pæne *Steno* redactus videretur, & Regi quoque inſtante hieme, quæ eum urgerent, haud deeſſent, tentatum primo idque ex conſilio ſenatus Svedici per epiſcopum *Jacobum* aliosque Stenonis animum. Ex mox omnium conſenſu, colloquium ab eo petitum, cui etiam Rex interfuit & habitum id intra cœnobium, quod Stocholmio eſt proximum Claræ dictum. Nec abnuerim interim, quod *Parvus* item habet, Svecos nuntiata Rodenſi clade, deſperatis quaſi rebus, ultro jam alium ad Regem reſpexiſſe. Et *Stenonem* quoque perſpecta ſuorum hac inclinatione, faciliorem ad ſaniora conſilia urbisque deditionem veniſſe. Rex igitur accepta *Stenonis* ſententia ei renunciari juſſit, licet longe ſibi gratius fuiſſet, ſi ante datam eam tot hominum ſtragem ea mente fuiſſet, ſe tamen, ut omnibus conſtare poſſet, bellum non perdendorum hominum, ſed pacis cauſa ſuſcepiſſe, libenter permittere, ut fide publica ad colloquium veniat: eſtque ſtatutum, id quarto Octobris. Ac *Stenonem* quidem ubi veniſſet, perſtrictum a Rege *Parvus* tradit, quod is ſacramento poſthabito, nec ulla adactus neceſſitate, ſed dominandi ſolo ſtudio in ultimum diſcrimen ſe ſuosque præcipitaſſet. *Stenonem* vero indigenas ac populares regni obtentiſſe dixiſſeque eorum magis, quam ſua voluntate, ad bellum extremaque propulſum. Hic primus quaſi conventus fuit. Inde ſub ſeptimum Octobris ſecutus, in eodem Claræ cœnobio alius, ubi omnes poſtquam conveniſſent, hæc ſtatuta: Impedimenta, quæ hucusque vel *Steno* vel alii injeciſſent coronationi Regis *Johannis*, ea oblivioni tradita, haud memorarentur amplius, nullas ab eodem *Stenone*, vel regni rationes vel alia exigeret, regni ſenatus, uti nec Regina *Dorothea* nomine arcis Orebroæ; acta Calmarienſia haberentur deinceps integra ac inviolata; *Steno* haudquaquam reſpondere cuiquam teneretur eo nomine, quæ tempore ipſius geſta accidiſſent. Rex *Johannes* totius regni Sveciæ ipſaque Veſterſoraſia potiretur, ac debitis *Stenonem* reditibus proſpici curaret, pro modo ſtatus ipſius. Captivi utrinque liberi dimitterentur. Exteri quoque omnes ſive indigenæ, quicunque parti alteri auxiliares fuerint, ſive hoc ſive ſuperiori, quod Rex *Chriſtiernus* geſſit, bello nullius rei obnoxii, ſed in totum ac perpetuo haberentur rerum omnes indemnes. Horum quoque nomine Stenonem ſeorſim conveniant ante meridiem ejusdem diei præſul *Jacobus* Upſalienſis, *Nicolaus* Claudius & *Ericus* Trollius. Miſſus præterea a Stenone fuit, permittente tam Rege quam regni ſenatu, *Ericus* Thuronis, & *Paulus* Killius ad populares eos ſive Dalecarlios, qui ſe adhuc circa Rodebroam continebant, ac ipſe deinde ad eosdem *Steno* excurrit, permiſſu ſimiliter Regis ac ſenatus ac Regem mox ceterosque biduo poſt in Claræ cœnobio conveniens, ſignificat eſſe hanc voluntatem popularium, ut ſibi permitteretur Veſteraaſia ſive Dalecarly; ſed obtinuit nihilominus, quod ſtatutum prius fuerat. Pronuntiatum tum quoque, decernente item regni ſenatu, de Stocholmia, ut ea civitas ſuis immunitatibus ac ſtatutis gauderet, eſſetque ab iſto ac deinceps tempore Regi Johanni fide ac dicto audiens. Hinc urbis portæ Regi adapertæ, atque oppido effuſo cives, eique obviam euntes, præeunte ſacerdotum agmine ac cereos plerisque accenſos præferentibus non ſine ſolenni cantu, ſonantibus hinc inde campanis ac tubis elegantibus aliisque læta ſignificantibus, exceptum eum in templum deduxere. Ibi ſacro peracto, mox in arcem, comitantibus ceteris conceſſit. Hic poſtquam aulam ſuperiorem ingreſſus paululum conſediſſet, *Steno* ad genua ipſius provolutus jus caſtrenſe, quod vocant, coram utriusque regni ſenatu illi de more tradit. Rex eo regnique jure accepto, exſurgere eum jubet, ac una hortatur, conſtanter deinceps fidem coleret, ſancita ſimul, (quod & pacis capita modo poſita oſtendunt) ſuperiorum omnium, quæ tempore ipſius geſta fuerant, amneſtia. Eodem tum tempore de coronatione tum mandat agi, ut ea ſcilicet Upſaliæ atque inde Moraſtenæ celebraretur. Verum cum *Steno* non modo, ſed & regni proceres auctores ei eſſent, ut coronatio Stocholmii haberetur, quod præſulis domus exuſta, ac cetera circumquaque fœdum in modum deſolata exhauſtaque a milite paſſim eſſent, votis eorum haud difficulter aſſenſit. Eſtque dies divæ Catharinæ ſacer, qui fuit 25. Novembris, ei ſolemnitati ſtatutus, ac ſimul convocatis undique ac confluentibus mox in diem dictum

Steno in undam actus periclitatur.

Stenonem ad colloquium admiſſum Rex increpat.

Tandemque Johanni R. traditur Sveciæ regnum.

R. Johannes Holmiam ingreſſus exceptusque.

Stenonem ſibi ſupplicem habet.

Rex Sveciæ coronatur.

dictum ordinibus omnibus læta singulorum acclamatione publice designatus a summo regni præsule Upsalensi Sveciæ Rex, Regium diadema Stocholmii accepit; cunctis iterum iterumque pro se posterisque suis ejus in verba solenniter jurantibus: Et ipso quoque faciente vicissim, quod regno subditisque Reges solent debentque, svetum sacramentum. Atque inde die divi Andreæ, qui fuit ultimus Novembris, omnia ista publicis codicillis signata subscriptaque a regni senatu, qui tum aderat, Jacobo Dei gratia Archiepiscopo Upsaliensi, Brunulpho Scarensi, Conrado Strengenecensi, *Olao* Vesterasensi, Magno Aborensi eadem gratia episcopis, *Arvido* Trollio, *Svantone* Nicolajo *Canuto* Eschillo, *Nicolao* Claudio, *Erico* Ericio, *Erico* Trollio, *Nicolao* Bosenio, *Stenone* Thuronis, *Benedicto* Ronio, *Benedicto* Gregorio, *Henrico* Bitzero, equitibus, itemque *Petro* Ragivaldo, armigero, Sveciæ regni senatoribus. Profitebantur hi dictis jam codicillis, se Regem *Johannem*, qui tempore laudatissimæ memoriæ parentis sui Christiani, ejus nominis primi, atque inde variis tam Calmariæ quam Lodisiæ & alibi habitis comitiis esset electus ac designatus plenæ potestatis Sveciæ Rex, unanimi nunc omnium ordinum consensu, idque secundum regni Sveciæ statuta; & id firmasse simul ipsum suo & ejusmodi, quod secundum regni morem præstari solet, regio juramento, & ipsos quoque se omnesque, qui præsentes aderant, ditionum judices, ceterosque tam ex nobilitate quam civibus ac plebe, incolarum universæ Sveciæ nomine, eidem obsequii ac fidei sacramentum dixisse: esseque præclare hæc omnia acta in æde cathedrali Stocholmii ibique unctum ac coronatum accepisse regni Diadema una cum ense, sceptro pomoque, ac ceteris, quæ exhiberi ac tradi Sveciæ Regibus mos esset. Et ideo se porro, cum hunc in modum juxta regni leges regno sit inauguratus, hoc publico diplomate omnes singulosque testatos voluisse, se in posterum omni fide & obsequio culturos eum, habiturosque pro legitimo ac vero Rege ac domino regni totius Sveciæ. Data hæc Stocholmii die divi Andreæ jam memorato. Quo eodem tum tempore Steno quoque, subsignatis codicillis testatus est, se, consentiente Sveciæ regni senatu, tradere in potestatem Regis Johannis Vesteraſiæ arcem ac præfecturam una cum ceteris eodem pertinentibus, ut & alia regni Sveciæ castella ac municipia, remissa ipsis, quam Sveciæ regni nomine ipsi præstiterant, fide ac sacramento. Hortatus est, ut deinceps domino suo clementissimo Regi Johanni dicto audientes fidei essent. Hinc quatriduo post Rex Johannes, assentiente similiter Sveciæ senatu, *Stenonem* Stureum, quo deinde eo fideliore uteretur, insignibus aliquot præfecturis ornavit; quas inter erant, diœcesis Finlandiæ Aboensis universa, dicta Osterdalia, una cum munitionibus ac præfecturis, cujusmodi sunt Viburgum, S. Olai Burgum, Thavasta, Ratzeburgum, Aboa, Castelholmium, borealis Boltia, & Corsholmia una cum emporiis, itemque arx Nicopiensis, cum præfecturis, & addita his denique occidua Gothia prope Scaram, Getalia dicta, aliaque. Hæc omnia sub fide ac clientela regia *Stenoni* hac lege tradita, ut ab ejus obitu ad regnum vicissim redirent, excepta Tavestæ arce, sive domus est, uxori ejus ad vitam permissa, si fortasse supersesse eam post ipsum contingeret. Cumque jam eo felicitatis tales res essent deductæ, idque secundum regnorum amicam unionem, quæ sæpe totiesque resumpta firmataque fuerat, & uno sub Rege ac domino esse ipsis atque agere liceret, sancita simul inter regni summum Antistitem *Jacobum* Upsaliensem ceterosque episcopos, Stenonemque Stureum, ac reliquos regni senatores amnestia omnium, quæ adversus regiam majestatem ab illis gesta fuissent, eamque illi per omnia Regi approbarunt. Et ipse seorsim *Steno* aliis codicillis manu sua subscriptis ac firmatis ab episcopis aliquot Regi adpromisit, adhæsurum deinceps se ei inque fide constanter mansurum. Post hæc regni senatus ad commendationem *Christierni* principis, filii Regis, curam vertit. Cum enim is electus jam ante ac designatus esset, post parentem Daniæ Norvegiæque Rex, & essent eum in modum inter se devincta hæc tria regna, ut uno sub Rege ac domino perpetuo agerent, æquum judicavit senatus, ut idem quoque princeps *Christiernus* patri succesor a Sveciæ proceribus denominaretur. Unde & Sveciæ princeps ab iisdem tum quoque declaratus fuit, ac dies simul divi Baptistæ anni insequentis, aut qui eum exciperet, statutus, quo id unanimi omnium ordinum acclamatione in posterum perageretur. Quæ cum eum in modum transacta essent, Rex instructo splendidissimo convivio, Svecorum exinde satrapas genialiter excepit, ac dies aliquot per hastiludia aliasque amœnitates, festos agens, nihil omisit, quod eis oblectandis, sibique propius propiusque devinciendis deesse posset. Ac mox, cum discessurus quisque domuitionem pararet, tradunt, Regem pro more sibi usitato quæsiviſſe ex familiaribus, quibuscum sermones cædebat, anne magnifice satis digneque excepti Sveciæ proceres fuissent, & an desideratum quidquam existimarent. Ac ceteris subtientibus, unum omnium lingua promtiorem quique gente Germanus Regi ob belli merita reliquis familiarior erat, reposuisse, unum, Rex inclyte, si dicere liceat, regio huic convivio defuisse existimem; Hoc quidnam esset, cum Rex requireret, nimirum ajebat postquam regaliter satis excepisses omnes, advocasse speculatorem te oportuit, qui cervices singulorum super veste holoserica humi strata, gladio feriisset, quo perfidia sua dignam pœnam luentes esse posteris exemplo possent, docereque fidem sanctius colendam. Quo responso attonitus quasi Rex, oculisque in terram dimissis, postquam conticuisset nonnihil, tandem attollens vultum, ac torve intuens hominem, malim vero ego te, inquit, cum isto tuo consilio

Stenone consentiente.

qui nobilioribus præfecturis ornatur.

Christianus R. fil. a senatu Svec. commendatus regno.

idemque declaratus patri successor.

Rex convivia opipare celebrat.

consilium cujusdam crudelius a Rege reprobatum.

consilio usque adeo crudeli hinc ad corvos facessere, quam ut ego innocentiam meam tali facinore fœdatam polluam, ac regium istud mihi libera electione debitum adeo detestanda immanitate vel acquisitum vel firmatum eam. Quo dicto hominem post sua familiaritate aut colloquio haud amplius dignatus fuit. Quod utinam patris pientissimi responsum ad aures atque animum filii ac successoris ejus Christiani II. deveniisset, qui ad exemplum crudelissimi hujus monitoris hanc ipsam curiam tot exinde procerum aliorumque innocentium cæde ac sanguine cruentavit, ut suo hinc loco referemus. Inde exacto jam fere anno, Rex in Daniam regredi cœpit. Ante tamen reditum suum, ipsa Dominica ante festum divæ Luciæ, qui fuit 17. Decembris, id obtinuisse reperio, assentiente Sveciæ senatu, cui tum quoque interfuit ipse *Steno* Stureus, ut arcibus Sveciæ, quæ ipsius ac reginæ velut propriæ erant, præficere Danos, Svecos sive Norvegos, prout ipsis videretur, fas esset. Erant vero hæ arces Stocholmium, Calmaria, Nicopia & Orebroa. Quæ dum ibi agerentur, factæ sunt inter Anglos & urbes Hansaticas biennales induciæ. Missus in hanc rem ad Angliæ Regem urbium nomine fuerat Doctor Albertus Crantzius. Qui & statim exinde in Galliam quoque ablegatus ad regni admiralium, id effecit, ut aliquot post id annis conquieverit circa Galliæ littora & mare, quod ibi latissime patet, Germanicum Britannicumque Vandalorum piratica. Eodem quoque tempore iniquior Vandalicis negotiatoribus Magnus Moschoviæ Dux aliquot eorum Neogardiæ circiter biennium captivos tenuerat: qui deinde vinculis exempti cum essent, oneraria navi, maximi pretii mercibus probe saburrata, Lubecam redituri oborta de subito tempestate mari omnes absumpti perierunt. Et isti quidem non infortunio seu captivitati, &, quæ sequuta est, dissipatæ apud Neogardienses Vandalorum societati occasionem dedisse reperio negotiatorum luxum, libidinem aliaque mala, tum & flagitium inter Moschos obvium, sed a Revalienſibus ignis supplicio punitum, quod Bonnus memorat. In insula, quæ Helligelandia dicta, iterum his diebus Bremenses, Hamburgenses, Dithmarsique, quod antea in eos, de quo supra dixi, Holsatiæ Dux Fredericus, perpetraverat, in ejus vicissim, quam ibi habebat, telonii ædem arcemque, sive appellare domum libet, præfecti impetum fecere; incensamque cum iis, exustamque præter cetera etiam armamentarium æneis aliquot ferreisque tormentis aliisque bellici apparatus operibus luculente instructum; unde haud leves exorti utrinque motus incommodaque, de quibus statim. Fuitque secundus Januarii cum Stocholmiensibus, priusquam recederet, firmatis, quæ antiquitus habuissent, vetustis statutis ac immunitatibus, ipsi vicissim ei ejusque hæredibus ac successoribus obsequium ac fidem dixere, renunciatis, quæ cum nobilitate aut aliis iniissent, pactis ac fœderibus, qui istas se, neque alias culturos pactiones ratasque habituros sancte polliciti. Ac statim deinde itineri se dedit, constitutis in ante secundum acta Calmarienſia ex senatu quadrumviris, qui regni res, ipso absente, curarent. Inter hos principem locum *Stenoni* tribuerat, omnibus eum modis aptare sibi ac devincire studens. Sed ignoramus sæpenumero homines esse malos, aut bonos, cum id tempus flagitet: interim quod ille ait, bonus homo semper tiro est, præsertim veteratores ejusmodi nactus. At in Daniam ubi rediisset Rex Johannes, omnibus honoris ac lætitiæ significationibus non exceptus modo fuit, sed ei quoque applausit gratulatusque est ordo universus, magni minoresque, præcipue adeo feliciter gestis rebus ac regno Svecorum, quod tamdiu fuerat expetitum, Daniæ Norvegiæque regnis counito. Domi dum est, inter primos motus, qui oborti, præcipui fuerunt, quos experta est Holsatia. Etenim cum Hamburgenses Bremanique una cum Dithmarsis longo jam usu ac frequentatione sibi aliquid vindicare in Hillegelandiam viderentur, & anno superiori, quod modo relatum, direptionibus atque incendiis in ædificia prædiaque Ducis Frederici grassati fuissent, captivos perplures, & in his præsertim Dithmarsos ex insula abduci Gottorpium Dux idem fecit. Et ideo Holsati cum arma atque incursiones Dithmarsorum indies vel sentirent, vel metuerent, toto hoc anno Eiderstadium præsidio communire necessum habuere. Et Rex quoque Johannes a fratre Duce commonitus, Danicum præsidium, cui præfectum constituerat Godefridum a Giesnes, inferri insulæ curavit. Hic quoscunque nactus esset Hamburgenses, Stadenses, Bremanosque tum & Dithmarsos ut hostibus injici catenas traducique in Holsatiam mandavit. Celebrati per idem hoc tempus in Holsatiæ districtibus, præsente etiam Rege *Johanne*, judiciales hinc inde confessus. In his Flensburgi præsertim, adjudicata inter cetera *Frederico* Duci prædii Sogardiani portio foraria. Convenerant quoque iisdem diebus Lubecam civitates Hansaticæ. Eoque missi ab Hamburgensibus Hermannus Longebecius J. C. & Carstinus Horeza, urbis senator. Inter cetera, quæ acta ibi, decretum ordinis Teutonici magistro, quod in Moscum flagitaverat auxilium. Atque inde ut Brugis societas decederet, seque urbe commerciisque abstineret, donec inter Anglos & civitates cuncta propius essent composita. Iisdem diebus cum Rege Galliarum Ludovico XII. medio se interponente Scotorum Rege *Jacobo*, ejus nominis quarto, pacis diuturnioris capita aliquot Johannis Regis regnique totius nomine inita. Etenim cum hinc piratæ Francici Danos & Dani vicissim Francos aliquamdiu deprædati fuissent, ita postremo statutum, ut inter Regem Galliarum, Regemque Daniæ Johannem eorumque regna, ditiones, urbesque ac incolas perpetua pax esset. Regum uterque in id unice incumberet, ut subdit ipsorum terra marique pacem jam factam religiose

induciæ biennales Anglorum cum urbibus Hansat.

Vandalici negotiatores a Mosco detenti jamque liberati mari pereunt.

Bremenses cum Hamb. & Dithmarsi. se ulturi præfecti in Helgolandia Holsatici domum exuunt.

A. 1498. regni rebus bene constitutis Rex in Daniam redit.

Motus ob Hilgelandiam.

judiciales in Holst. consessus.

civitt. Hanseat. Lubecæ conveniunt.

R. Joh. cum Gall. R. pacem firmat piratica sublata.

ligioſe colerent, libere ac tuto etiam absque ſalvi, ut vocant, conductus codicillis alter alterius regna frequentaret, ſoluto ſaltem, quod deberetur, portorio. Ingens ac fœda tum ſimul exorta in mari Balthico tempeſtas claſſem Hollandorum, quæ commercii cauſa eas oras frequentare ſolet, ita disjecit, vadisque naufragamque alliſit, ut hominum circiter quatuor millia funerata circa littus fuerint. Tenebat adhuc eodem tempore controverſia, de qua ante injectum, nata occaſione cædis perpetratæ Bergis Norvagorum a Teuthonis in regnum ibi præfectum, ac præſulem urbis ac diœceſeos ejusdem Bergenſis. Nec deſinebat præfecti filius Axillus Olai agere in Vandalos eosque, qua poterat, terra marique diripere. Et id, quo tutius poſſet, tertiam manubiarum ſuarum partem regio fiſco addixit, quo eos hoc pacto magis magisque ad æquas ſibique expetitas compoſitionis leges traduceret. Eſt memorabile, quod eadem tempeſtate promulgari diploma Rex fecit Academiam præcipue Hafnienſem ſpectans. Hoc Muſarum domicilium paucis ante annis parens ejus Rex *Chriſtianus* erigi curaverat, ut eſt ſuo loco memoratum. Sed cum obiter ac prælibatis vix ibi artibus ac ſcientiis juventus ſe alio & ad exteras Academias nimis præpoſtere conferret, idque cum exiguo ejusdem fructu, ſed maximo impendio, ſtatutum ſerioque inhibitum Rex *Johannes* voluit, ne ulli ſive nobilium ſive aliorum, cujuscunque ii ſtatus eſſent, incolarum liberi exteras Academias excepta, quæ erat in Svecia Upſalenſi viſerent, niſi integro prius triennio Hafnienſem frequentaſſent. Hoc edictum ſuum ne quis flocci faceret, addidit pœnam amiſſionis beneficiorum omnium, quæcunque indulta quis ſibi a regno haberet; tum & excluderentur iidem intra regnum omni promotione, quam alias in clero ordineque ſacro exſpectandam haberent. Facta tum ſimul ſive celebrata potius promotio clariſſimi Magiſtri ac Profeſſoris Petri Scoti, quem una cum Tiuemanno Ruremundenſi aliisque doctis viris ad novam hanc ſcholam Colonia Agrippina evocatum a Rege *Chriſtiano* in rebus ejus memini. Conſecutus eſt autem, quem dixi, Scotus ſummum in Theologia gradum, doctoratus dictum, tribuente eum viro prænobili magnæque doctrinæ *Erico* de Tange Academiæ Decano. Hanc publicam renunciationem *Chriſtiernus* ſecundus, filius Regis, florenti ætate juvenis ac litteris tum quoque imbutus, cum ſua præſentia honeſtaſſet, haud leviter eruditorum cœtui totique ſtudioſorum coronæ ad optimas artes ſtimulum addidit. Proximo, qui inſequutus eſt, anno milleſimo ſupra quadringenteſimum, nonageſimo nono, concedente in fata præſule Nicolao Globo ſucceſſit in pontificatu Viburgenſi *Nicolaus* cognomento *Friſius*. Et Rex ineunte ſtatim anno una cum Regina Chriſtina Sveciam petens Stocholmiam ante veris initium pervenit. Inde haud multo poſt Upſaliam conceſſit, ubi procerum conſenſu coronatio celebrata eſt Reginæ, octiduo circiter ante quadrageſimum. Nec diu moratus, ſtatimque dominum parentem inſequutus, princeps Chriſtianus continuo poſt feſtum paſchatis eodem advenit. Et licet inter Regem *Stenonemque* omnia jam amica ſopitaque per amneſtiam Stocholmii fuiſſent, inter Sveciæ tamen proceres ipſumque *Stenonem* hærere adhuc aqua videbatur. Nam Archiepiſcopus *Jacobus* aliique ex Svedico ſenatu arceſſere eum vitæ ac fortunarum inſtituebant, impetratis in hoc Pontificiis codicillis, quibus, nullius compoſitionis habito reſpectu, ipſis, quos toties totiesque damnis afeciſſet, perpetuo in eum agere permittebatur. Quapropter multis in Stenonem ejusque auxiliares conjectis criminibus, cujusmodi erant, incendia, cædes, direptiones, vaſtationes, aliaque hoſtilia, ſibi horum omnium nomine ſatisfieri petebant & in his præcipue *Jacobus* Archiepiſcopus Upſalienſis, *Henricus* Lincopienſis, *Ingemarus* Vexoënſis, Magnus Aboënſis, Epiſcopi Svanto Nicolajus, Arvidus Trolle, Nicolaus Claudius, Canutus Eſchillus, *Ericus* Ericius, Ericus Trolle, Nicolaus Baſſenus, Benedictus Roningius, Benedictus Gregorius, Henricus Bitzerus, Abrahamus, Chriſtianus armigeri. Hi, inquam, inſtituta coram Rege accuſatione, ſententiam ſuper Stenone ejusque ſociis pronunciari eflagitabant. Verum Rex Johannes quo promiſſo ſuo de conſtituenda ubivis per regni ditiones, pace, quod Sveciæ ordinibus jamdudum fecerat, non habita ratione pontificii mandati tum & inſita ſibi benignitate in id totus incubuit, ut inter ſe convenirent. Et eſt continuo facta compoſitio, promiſſaque præter cetera Archiepiſcopo certa pecuniæ ſumma; quæ & chirographis inter ipſos ſancita ſingula. Seorſim vero factis quoque ea de re codicillis pollicitus *Steno* fuit, nihil ſe in regiam majeſtatem moturum in poſterum, uti nec in filium ejus natu majorem principem Chriſtiernum, Sveciæ electum Regem, & ſi quid ejusmodi fieret, ejus quicunque auctores forent, haberentur honore omni ac fama, tum & immunitatibus ac privilegiis, quæcunque illis jam olim Sveciæ Reges tribuiſſent, in totum orbati privatique. Ejusmodi codicilli, utrinque conſcripti, datique regiæ ejus majeſtati, & priores quidem ſubjecta manu ac ſigillis ſolius Stenonis, alteros obſignaverant ſubſcripſerantque *Jacobus* Archiepiſcopus Upſalienſis, Henricus Lincopienſis, Brunulphus Steorenſis, Conradus Strengeneſſenſis, Olaus Weſteraſenſis, Magnus Aboënſis, Ingemarus Vexoënſis Epiſcopi, Svanto Nicolaus, Arvidus Trolle, Nicolaus Claudius, Canutus Eſchillus, Ericus Ericius, Ericus Trolle, Nicolaus Poſens, Benedictus Ronnius, Benedictus Gregorius, Henricus Bitzerus, Steno Sturerus equites, Canutus Poſeus Ragvaldus, Johannes Bitzerus, Abrahamus Chriſtiani Sveciæ regni ſenatores. Tum quoque Rex Johannes, conſentientibus regni proceribus, Reginæ Chriſtinæ loco antiphernæ conceſſit præfecturam Orobroæ una cum Nerchia, Nordſchovia, Werme-

Hollandorum claſſis tempeſtate in mari Balth. naufraga.

Axillus Vandalicorum naves inſectari pergit ob patris cædem.

Rex incolarum filiis litt. ſtud. Academiam Hafn. triennium frequentandam præſtituit.

Petrus Scotus & Tilemannus ibi profeſſores.

Chriſtianus renunciationi doctorali præſens.

A. 1499. Nic. Globus moritur.

Rex cum Regina Stockholmiam petunt,

quos mox ſecutus Chriſtianus II. fil.

procerum Svecicorum cum Stenone diſſenſio continuata.

regis opera componitur.

Steno Regi fidem de novo confirmat.

poſſeſſiones reginæ in Svecia conſtituta.

Wermelandia, Dala. Quæ omnia Regina Dorothea, jam ante ut dotalitia ſua apud Svecos poſſederat, poſſidenda ſcilicet eadem conditione in poſterum Reginæ Chriſtinæ, ut ea ſcilicet defuncta ad regnum cuncta redirent. Cumque jam ante, quod eſt ſuperius memoratum, declaratus eſſet a Sveciæ ſenatu poſt parentem Sveciæ Rex princeps Chriſtianus, & id in tempus commodius, quo ſolenniter ac more regni præſentibus ex ſingulis regni ditionibus popularium duodecim judicibus, ut & nobilium aliquot, plenius perageretur, dilatum tunc foret, & ii nunc præſto Stocholmii eſſent, reſumta idcirco firmataque unanimi omnium conſenſu prior electio deſignatioque idque codicillis eam in rem evulgatis. His ſupremus regni antiſtes, Jacobus Upſalienſis, Henricus Lincopienſis, Brunulphus Scharenſis, Conradus Strengeneſſenſis, Olaus Veſteraſenſis, Magnus Aboënſis, Ingemarus Vexoënſis, epiſcopi, Steno Stureus ſupremus aulæ Sveciæ præfectus, Svanto Nicolajus regni mareſchallus, Arvidus Trolle judex ditionis Thrigeherrit, Canutus Eſchillus, judex Uplandiæ, Ericus Trolle judex Narchiæ, Nicolaus Boſenius, judex orientalis Gothiæ, Steno Sture, judex Veſtermandlandiæ, Henricus Bitzer, judex borealis Findlandiæ, Thuro Johannides, judex Gothiæ occiduæ, equites, Canutus Poſeus, Petrus Ragvaldus, judex Sudermanniæ, Claudius Henricus, judex auſtralis Findlandiæ & Johannes Bitzerus armigeri, regni Sveciæ ſenatores, teſtati inquam, profeſſique taculis hiſce ſunt, ſtatum regni, quamdiu ab amica trium regnorum unione, quæ toties totiesque reſumpta promiſſàque eſſet, diverſi egiſſent, fuiſſe ſemper miſerrimum, ſeque perpetuis direptionibus, cædibus, incendiis aliisque ejusmodi malis agitatos; ſequutam vero continue ſerenitatem omniaque hoſtilia ceſſaſſe, poſtquam nuper ſereniſſimum principem Daniæ & Norvagiæ Regem Johannem jam ante electum ac deſignatum ſibi plenæ poteſtatis Regem aſſumſiſſent: & ideo, ut eadem hæc bona regno eſſent perpetua ac propria, conſcriptis undique, quemadmodum erat decretum, ac convocatis Stocholmiam ex unaquaque regni ditione præcipuis popularium duodecim, aſſumere ſe modo ac declarare, illis omnibus præſentibus, idque ſecundum morem ac conſvetudinem regni, filium Regis natu maximum principem Chriſtiernum Sveciæ univerſæ poſt fata parentis plenæ poteſtatis Regem ac dominum; & id quoque juxta tabulas eam in rem factas, tum & amicam trium regnorum unionem etiam tempore Reginæ Margarethæ ſancitam: quibus ſtatutum, ut regna hæc tria borealia uno ſub Rege ac Domino perpetuo eſſent atque agerent: ſeque idcirco caſtrenſia omnia, quæ vocant, jura in ejus poteſtatem tradere ac transſcribere, ſi eum parenti ſupereſſe contingat: ac ei ſe fidem obſequiumque polliceri, in modum ut memoratum: interim Rege a parente ſuperſtite, ſe haud alium ullum, præter eum agnoſcere Regem, cui ea, quæ dicta ſunt, reddenda jura ſervandaque ſint: Hinc a principe Chriſtierno juratum viciſſim ſancteque promiſſum, ſe, quandocunque poſt fata parentis ad Sveciæ regnum perveniret, regni commoda ſummo ſtudio curaturum, ejusque incolas dites pauperesque ſecundum æquum & bonum regnique jura ac conſvetudines acta Calmarienſia gubernaturum. Poſtremo iisdem tabulis expreſſum, conventuros Rege defuncto, trium regnorum ſenatores, ut de Rege futuro deſignatoque ſtatuatur, juxta unionis jam ſæpius memoratæ formulam. Hæc Stocholmii acta celebrataque ipſo die decem millium ſanctorum equitum, præſente, qui ſuperius memoratus, regni ſenatu tum & præcipuis ex popularibus cujusque ditionis, qui fuere (ne quid prætermiſiſſe videamur) Canutus Caroli ab Upſalia, Benedictus Caroli ab Helſinglandia, Biorno Petri ab Angermanlandia, Olaus Petri e Tocida, Ericus Janſonius e Dregiſta, Laurentius ex Habya e Lagunda, Magnus e Roda, Olaus e Schinlinga ab Hagvida, Jacobus e Suderbya, e Geſtinglandia Johannes Aſcachius, Petrus Benedictus e Findinglandia, Petrus Eggertus e Loſſingherrit, Georgius Findius ab Oſtingherrit, Ericus Birche e Birboherrit, Janus Voldemari ab Lisningherrit, e Smalandia Georgius Hagonis, Olaus Petri ab Oelandia, Petrus Henrici & Jonas Lindenes e territorio Gothiæ occiduæ, Georgius Caroli eques, Ericus Jonæ, Georgius Ingemarus e Vortorftherret, Nicolaus Stochius, Godefridus Flattha e Pidingherrit, Tobernus e Lena & Kyndeſen, Nicolaus Borrerius e Vermelandia, Nicolaus Olai, judex ejusque comites e Nerca, Petrus Johannides, Jonas Nicolai, Petrus Nicolai in Aſta, Torgelius in Nederojus, Laurentius in Vedua, Andreas Hagonis in Svenesta, Petrus Hagonis in Budinga, Ivarus Engelberth, Petrus Schytte in Norashaga, Olaus Nicolai ibid. Ex Sudermandlandia Petrus Uragius, Simon Kiornius, Nicolaus Brandius, Haroldus in Sveriſta, Laurentius Fadderſonius, Laurentius in Ledebye, Nicolaus in Bondehalde, Laurentius in Gerthbye, Laurentius Borrenius, Nicolaus in Lulunde e Veſtermandherret, Ericus Laurentius, Laurentzius in Radeskiel, Ingvaldus in Hornſe, Olaus Starchius in Sildi, Olaus in Sternby, Ingvaldus in Vangſta, Joniſcus in Bryniſta, Jonas Olai, Matthias in Greſſala, Ingvaldus in Forsby, Petrus Olai Landby, Johannes Helle e Coperberga, Nicolaus Magni, Johannes Rapſonius e Dala, Petrus Ivari, Laurentius in Hallandia, Andreas in Breſinga, Laurentius in Velsmudia. Ex Finlandia auſtrali, Laurentius Svenonis, Petrus Andreæ, Johannes Hermanni, Michaël Jenſonius, Laurentius Jenſonius, Magnus Katarumne, Johannes Matthiæ. Ex Findlandia boreali Martinus Piponia, Petrus in Kierre, Alfius in Valles, Jacobus Vachim, Conpus Ternes in Vallas, Laurentius Puttenhitte, Philippus Sukalle, Petrus in Hammes, Petrus in Kanneba, Laurentius Nacko, Ragvaldus Benedictus, Johannes Fordalius. Ex Frimherrit

Chriſtiano pr. ſucceſſio in regnum ſtabilitur.

præcipui Svecorum recenſentur.

herrit Haſegavenſis diſtrictus Axillus Gregorius, Gudmundus Gronlovius, Anolbiornus Petri, Bureus Scriverius, ſive Scriba, Gudvaſtus in Ornſtulda, Olgerus Sluchius, Petrus Magni, Hago in Forſta, Laurentius in Hetlandia, Johannes Petri, Petrus Rogeſenius, in Holsby, Magnus Johannides in Allehulda, & Ambiornus in Hilderdes. Quibus accenſendi inſuper, quorum ſigillatim nomina non prodita, e nobilitate perplures, ut & cives civiumque ac civitatum præter Stocholmienſem conſules & ſenatores. His feliciter transactis, Rex Johannes conſtitutis, qui in Svecia ſe abſente rebus pro more præeſſent, in Daniam eodem anno reverſus eſt Stenonem ſecum ducens. Eum ut omnibus ſibi modis devinciret, & magis magisque fidum deinceps experiretur, nullis non muneribus affecit, ac tandem omni honore honeſtatum in Sveciam remiſit, ut habet fere Petrus Parvus; quamvis ejus apud Vitfeldium nulla occurrat mentio. Is tamen quod memorat, quoquevo modo traditum haud occultare mihi in animo eſt. Ait ſiquidem Regem Johannem dum in Svecia jam eſſet, comperto, qui ſibi e regno annui eſſent proventus & quantum viciſſim ex iis impendii facere teneretur, deprehendiſſe majores eſſe Stenonis, pro ejus ſtatu reditus quam coronæ. Et judicaſſe e re haud eſſe, non minus potentem eſſe regni clientem, quam eſſet ipſe: ideoque tranſegiſſe cum eo, ut regno coronæque redderentur præfecturæ aliquot, & in his, quas ante apud Finnonios conceſſerat, arces Aboenſis, Viburgenſis & Olaiburgum, ceteris, quæ apud Finnos eosdem ut & Svecos, eidem tribuerat, integre relictis. Ita Vitfeldius, exiſtimans ſimul indubie hæc occaſionem dediſſe novæ, quæ in apertum poſtmodo prorupit, inter Regem & ipſum ſimultati. Reverſus igitur in Daniam Rex, cum ei prima hæc belli alea non infeliciter ceſſiſſet, conſtituit in Dithmarſos ferrum vertere, ſuppetente præſertim, quem nondum in univerſum exauctoraverat, milite & matre quoque Dorothea, quæ ſuſſlaminare hos impetus ejus prudenter ſveverat, ad plures jam recepta. Quin & calcar currenti quaſi ſubdebant aulicorum nonnulli, qui eandem hic belli fortunam animo præſumere eum identidem ſpe certa victoriæ accendebant. Hujus vero belli ut conſtet, quæ fuerit occaſio, ex iis, quæ ſupra in rebus Chriſtierni de Dithmarſis dixi, colligi facile poteſt.

Rex in Daniam redux Stenone itineris comite, qui benigne habitus.

Sed novam ipſi a Rege alienationis cauſam Huitfeldius tradit.

R. Joh. bello in Ditmarſos movendo ſtudet.

ejus ratio enarratur.

Etenim ut ibi relatum, donarat Fredericus Imperator *Chriſtierno* Regi Romam pietatis ergo per Germaniam iter facienti Dithmarſiam terram, utpote quæ Daniæ olim Regibus aliquamdiu dicto audiens fuerat: at modo, ut omni ſe dominatui ſubtraheret, eccleſiæ Bremanæ imperium prætexebat. Et præter id, defuncto inde Rege Chriſtierno, impetraverunt Dithmarſi iidem ab eodem Imperatore Frederico alios ac contrarios prioribus codicillos, quibus gratiam illis facit, quod & ſuperius memini, earum litterarum ſive clientelæ, qua eos jam ante Chriſtiano Regi ut Duci Holſatiæ obſtrinxerat, conceſſo ſimul, ut eccleſiam Bremenſem ejusque præſulem deinde agnoſcerent, & ei, ut antehac, collationes tributaque penderent, donec coram Cæſarea majeſtate jus utriusque ulterius foret demonſtratum. Quo accepto haud deſiit tamen, qui patri Chriſtiano jam ſucceſſerat, de quo agimus, Rex Johannes Cæſarem docere ac commonere, Dithmarſos tempore Regis Valdemari ſubditos fuiſſe eccleſiæ Sleſvicenſi ac Daniæ Regibus. Atque inde haud ſemeldominum mutaſſe, & modo Bremenſis eccleſiæ, magis ſpecie quam re, imperium agnoſcere. Quod cum Cæſari demonſtratum ſatis, ſeque optimo jure inniti exiſtimaret, re cum fratre Friderico Holſatiæ principe communicata, demonſtrat Dithmarſos, niſi imperata facere ſua ſponte vellent, dignos eſſe ob diutinam contumaciam, adverſus quos vires ſuas experiatur. Patet hæc terra, ut obiter id præmittam, ſeptem in longitudinem milliaribus, pauloque minus in latitudinem, ſitu naturaque loci magis quam arte munita. Quod ab oriente eſt, tuetur flumen Eidora, ab occaſu occurrit mare Britannicum, ad meridiem clauditur Albi flumine, aquilonare latus cingunt foſſæ & aggerum munitiones. Incolæ Marſi ac Dithmarſi vocantur, quaſi inter paludes limoſasque voragines demerſi habitantes. Sunt & his vicini Stormarſi, Crempermarſi, Viſtermarſi, Haſeldorpermarſi, qui omnes una quaſi ſerie Albi adjacent. Cujus fluminis ut & oceani præterlabentis vim atque æſtum, quo exire ac ſuſtinere queant, cum utroque & flumine & ſalo depreſſius humiliusque ſolum incolant, objectis aggerum molibus ſe muniunt. Hos igitur aggreſſurus Rex, antequam arma inferret, literis prius nunciisque monet terretque, ſubmitterent ſe imperatoris decreto, volentesque & bona cum gratia id agerent, ad quod inviti nolentesque cogi poſſent. Et licet non deeſſent, qui tranquillitatis ſtudioſi deditionem ſvaderent, major tamen pars vulgus, cui obluctari tanto in motu tutum non erat, pacem omnem ac pactiones reſpuit. Volunt nonnulli, Regem etiam, ſi ſemel rejectum, ſecundo nihilomiuus miſiſſe, qui animos agreſtium tentarint, ſed & hos quoque apud obſtinatam & præferocem nimis gentem fruſtra fuiſſe. Se itaque cum rejici in totum videret, arma denunciat. Ac ſtatim comparatis undique copiis, anno a Chriſti natali ſupra milleſimum quingenteſimo, menſe Februario, exercitum in eos ducit, ſed pede parum fauſto, habens in agmine præter Fredericum fratrem, ac nobilitatem Holſaticam, milites inſuper peditesque omnis generis, quos ex ſuis non tantum ditionibus evocaverat, ſed in finitimis quoque oris conſcripſerat, ſtipendiariorum circiter quatuor millia: quorum præcipui adverſus Svecos ipſi jam ante militaverant. Eratque nomen eorum, ſive ob virtutem ac partam ibi victoriam, ſive graſſandi conſvetudinem cunctis formidabile. Quæ manus ubi eſſet in unum coacta, conſtitit per dies aliquot prope Hammæ vicum

Ditmarſi ſitus

itemque vicinarum Marſiarum.

Ditmarſi commonitiones Regis reſpuunt.

A. 1500. Exercitus validiſſimus in eos ducitur.

Ditmarſi

cum in conſpectu hoſtium, ſive ut reliquæ convenirent copiæ, ſive ut belli tantus apparatus terrorem viſentibus incuteret, & obſtinatos ad ſaniora capeſſenda conſilia hortaretur. Et ſane collectis in unum manipulis omnibus tantus exercitus apparuit, ut ad debellandos non unos Dithmarſos ſuffeciſſet, modo cœpta res fuiſſet anni tempore oportuniori, & acie magis ordinata, tum & illud ſi abfuiſſet malum, quod plures perdidit, nimius hoſtium contemptus. Cum enim exiguam hanc terræ molem, aditu planam, cum Sveciæ editiſſimis jugis ac rupibus in viis ac lacubus profundiſſimis ad animum revocarent, eam facili negotio ac nulla ſuorum clade ſubigendam ſibi perſvadebant. Quapropter certam victoriam animo præſumebant, & antequam ſuperaſſent hoſtem, ſpolia inter ſemet dividebant. Plures e nobilitate vix armis induti, ſed ornatu lautiore eſſedis aut equis ſuis vecti, velut ad feſtas dapes non prœlium procedebant, adductis ſecum ſeorſim curribus, quibus ab hoſte devicto raptas mox manubias ac ſpolia domum reveherent. Nec deerant civium ac volonum multi, qui prædæ ſtudio militi ſe miſcuerant, ſigillis ac pecuniæ zonis induti, ut quæ vili pretio, ut fieri in talibus ſolet, coëmiſſent, ea litteris continuo ac ſigillis roborarent; ita ſibi divitias quisque & aureos montes pollicebatur: at pericula & caſus incertos mortemque eſſe communem non erat, qui vel obiter cogitaret. Multi quoque ex regni proceribus avaritia & ambitione cæci eo ſocordiæ devenerant, ut, priusquam in hanc militiam proficiſcerentur aut hoſtem viciſſent, ſacerdotia regni opimiora jam ſpe devoraverint, ea nimirum fuſis hinc hoſtibus ac domum reverſi inter ſeſe partituri. Et maxime luxuriabat hic ordo ſacer, priores, abbates, præpoſiti, decani aliique ejus generis. Adeo ut, poſito quaſi pudore, nonnulli modo his, modo aliis dignitatum eccleſiaſticarum titulis ſe invicem ſalutarent ac reſalutarent. At homines vani ac vecordes, fati ac ſortis ſuæ neſcii, dum vitæ deliciis inhiant, vitam plerique amiſere. Quin & divulgatum exinde, nullo in prœlio tantum ſacrorum capitum occubuiſſe, quantum iſto Dithmarſenſi. Occultus præterea inter regni primates, qui caſtra regia ſequebantur, diſſenſus hærebat, ſuſpectantibus nonnullis, vaſtum ac nimia capientem Regis animum, tum & ſecum reputantibus, eum, ſi votis etiam hic, ut in Svecia, cuncta reſponderent, moturum mox in Vandalos, nec unquam bello finem futurum, aut ſe poſt tot tantasque belli difficultates, totque labores, pericula, atque impendia quiete unquam fruiturus. Aliqui etiam, quos bello Svetico diſciplinæ militaris rigor vel alia offendiſſent, concepto in eum odio, ſublatum e medio optabant, ſed adeo occulte, ut inſidias haud animadverſurus fuerit, niſi eas, quod Parvus tradit, puer prodidiſſet. Erat hic Danici exercitus ſtatus. Dithmarſi vero animo ſecum reputabant, adveniſſe ſibi hoſtem, qui Svecia devicta ferox, ac trium regnorum jam potens, nihil non eſſet acturus, ut hanc quoque prioribus adoream adjiceret. Videbant præterea quam pauci adverſus multos eſſent, nec poſſe ſe belli rudes cum veteranis & exercitatis congredi, niſi maximo cum incommodo ac clade ſuorum. Eaque dum ſinguli circumſpiciunt ſecumque perpendunt; id conſilii vel maxime placuit, ut nec oppido Meldorpio parum communito fiderent, nec æquis locis cum hoſte manus conſererent, ſed deſertis, quæ altiora erant, Holſatisque finitima, cum equitatum non haberent, ad interiora, quæ paludibus, foſſis atque æſtuariis tutiora eſſent, ſe cum liberis uxoribusque reciperent: vel denique ut in Butzam inſulam, quæ æſtus quotidie marini acceſſu ac receſſu muniretur, tranſirent, eodem commeatum, tormenta, aliaque bello neceſſaria deferendo. Et eſſe hanc ſoli ac gentis, quam oppugnatum venerat, naturam & arces licet non ignoraret Rex Johannes; hic tamen interritus, poſtquam aliquamdiu copiis cogendis circa Hammam, ut dixi, moram tranſiſſet, ſeque inde moturum ſimularet, a Dithmarſis aliquot, qui ſub eo merebant, per occultos tramites, in vicum Unitersbersgum, qui eſt intra ditionis fines, deductus ipſis idibus Februarii quosdam ibi, quaſi nullus ad portas Hannibal eſſet, hilaria ac nuptialia agitantes opprimit. Quibus partim cæſis, partim fugatis, Meldorpium progreſſus ibi paulum ſubſtitit. Ac mox diſpoſitis tormentis, poſtquam in urbis mœnia fulminaſſet, dato militibus ſigno, ſpeciem præbuit, quaſi ad oppugnandum vallum properaret. Quo comperto, ejiciunt ſe ex oppido, qua poterant, magno numero, irrumpentibus hinc inde regiis, eſtque in omnes, qui remanſere, promiſcue fere cædes facta, quo terror ceteris injiceretur. Qui pericula evaſerant, perdita jam cuncta divulgavere. Eaque fama tam late ſparſa, ut urbes Vandaliæ vicinæque nationes ita eſſe perſvaſum ſibi haberent; Dithmarſi ipſi, tanquam in extrema jam tegula res ipſorum verſarentur, pars in inſulam, de qua dictum, Butzam tranſeundum; alii paciſcendum cum hoſte judicabant. Unde & militem, quem e Germania admodum exiguum evocaverant, nulli amplius externo fidentes procul ab agmine ſuo amovendum curarunt. Fuitque multorum opinio, ſi Rex diutius ſe oppido quietum continuiſſet, ultro ad pacis leges, abjectis armis, venturos univerſos fuiſſe. Sed refecto nonnihil intra oppidum milite, mittit continuo, qui, quo loci hoſtes conſediſſent, quidve conſilii cepiſſent, propius explorarent. Eos cum intercepiſſent plerosque, vel interfeciſſent Dithmarſi, ceteris, qui reverſi ſunt, nunciantibus, quæ acceperant, Rex paulo poſt Valentini feſtivitatem die, qui fuit 17. Februarii, levi præſidio intra Meldorpium relicto, minus auſpicato, una cum Frederico fratre, caſtra movet. Nec deerant, qui diſſvaderent, non tantum, quod is dies inter nefaſtos atque inproſperos haberetur, ſed etiam, quia cælo de ſubito eſſe mitius cœpiſſet & gelu, quo terra fuerat conſtricta,

a infauſto omine, inpr. ab nimium hoſtis contemtum;

cæduntur tamen Meldorpia occupata.

in inſulam Buſam concedunt.

quo accedebat indignatio nonnulla primatum regni.

inſidiæ Regi a ſuis paratæ.

Ditmarſi ſuæ agunt,

Rex inſeliciter caſtra movet; diſſvadentibus aliis ob gelu remiſſius.

ſtricta, in undas reſolutum, campos paſſim viasque impeditas atque equitatui vel maxime lutoſas atque inequitabiles reddidiſſet. Hortabantur idcirco eum, differret aliquamdiu prœlium, præſertim quod id iſto tempore admodum anceps eſſet futurum, & poſſe mora paucorum dierum obtineri, quod modo haud ſine diſcrimine ſperaretur. Sed difficulter id Regi tum perſvadebatur, poſtquam tribuni veterani ſententiæ etiam regiæ accederent. His etenim ob navatam in bello Svetico præclaram operam inprimis fidere atque auſcultare videbatur. Clamitabant ſiquidem illi omnes, præſentem rei bene gerendæ occaſionem minime negligendam eſſe: Et fieri poſſe, ne in totum liquefacta glacie, uſpiam exinde aditus aggrediendi hoſtem pateret, atque ita inglorii redire domum cogerentur.

Ditmarſi ſpeculatore capto viam vallo obſtruunt.

Hoc prætorianorum militum (vulgo Guardianos vocabant) collaudato conſilio, iterum Rex exploratum nonnullos mittit, qui a Dithmarſis trucidati omnes, uno excepto, gente Friſio, quem minis tormentisque adigunt aperire ipſis, qua potiſſimum via venturi regii irruptionemque facturi eſſent. Quo comperto, per omnem inſequentem noctem continuato pertinaciter labore viam prope Hemmingſtadium anguſtam admodum, qua progreſſuros acceperant vallo communiunt, & juxta ſuorum aliquot millia in excubias locant, reliquis ad alia munia præſidiaque obeunda traductis. Non enim in totum ſpeculatori, quem ceperant, fidem adhibendam exiſtimabant. Rex ignarus horum omnium, nullas inſidias veritus, die, quem dixi, cælo nebuloſo admodum ac turbido, reclamantibus Holſatorum nonnullis, quibus loci etiam anguſtiæ ſuſpectæ erant, cum omni copiarum mole in

Exercitus procedens.

hoſtem vadit. Ante ibat pedeſtre agmen prætorianorum militum, quos turmæ aliquot militum ſequebantur, aderantque circumquaque vehicula, in quibus crates, plutei aliaque ad foſſas contegendas erant impoſita. Hæc proxime excipiebant, equites ex oppidis atque agris collecti, quorum terga claudebat reliquus equitatus. Nec deerant impedimenta tormentaque, ſuis quæque locis diſpoſita. Hunc in modum procedente Regis exercitu, poſtquam per viam anguſtiſſimam foſſis utrinque cinctam recta in hoſtem progreſſi prætoriani eſſent, nullum amplius ſupereſſe diſcrimen equitatus exiſtimans, ocius eorundem veſtigia preſſit. At mediam circiter viam permenſus, ubi circumſpicere inciperent,

anguſtia locorum reditus intercluditur.

ita ſe intercluſum ab impedimentis tormentisque videbat, ut qua venerat, ſi opus foret, haud retrocedere ſine incommodo poſſet. Quod ubi animadverterent Dithmarſi, qui intra aggerem, de quo dixi, excubabant, continuo tela tormentaque expediunt, fulminantque in adverſos, qui vallum jam propius acceſſerant. Et licet ſtragem aliquam facerent, haud tamen territi, qui prima in fronte pedites erant, propius propiusque ſubeunt, & aliqui pontibus plateisque, alii ſaltu ſuperatis foſſis, ubi planiciem quæ petebatur, occupaſſent, adeo anguſto ſe loco concluſos viderunt, ut arma expedire non poſſent. Et præter hæc dies erat ventis graſſantibus ita turbidus, tum & cælum grandine atque imbribus usque adeo fœdum, ut foſſæ ad extremas fere oras complete ſtarent, & ſtrata paſſim prataque profundo adeo cœno impedita, ut ſui vix tranſitum permitterent. Et ea eo difficiliora fuere, quod incolæ immiſſis per cataractas undis, ſi quid elevatius aut ſabuloſum eſſet, in mare quodammodo aut lacus converterent. Hucusque certatim adhuc eminus, & mox exſtinctis continuo imbre funiculis, cum incendi regiorum tormenta non poſſe, tum & loci tanta iniquitate conflictari eos Dithmarſi viderent, cominus pugnare inſtituunt. Cumque ingentem pilarum glandiumque molem in hoſtem effudiſſent, ac plurimos hinc inde ſtraviſſent, foſſas poſtremo uno omnes impetu tranſiliunt, ac ſe in ipſo viæ exitu Danis objiciunt. Hic explicatis copiis, ad primos usque ordines tormentaque evertenda, quantum in ipſis erat, omni vi nituntur. At Dani contra, licet fortiter reſiſterent, jamque planitiem, de qua dictum, plerique tenerent, & pedes undique acriter rem gereret, cum exitus non pateret, tamen abſorbente plerosque luto tum & loco, qui erat, ut memini, arctiſſimus, impedimentum faciente, parum proficere potuerunt. Erat enim ea diſtrictus iſtius facies, ut neque commode prœliari, neque aciem replicare, nec in hoſtes ob aggeris molem ire, aut locum equitatui cedere daretur. Quibus preſſi difficultatibus capiunt in arena, quod dicitur, conſilium, idque agunt, ut extenſo pro loci anguſtia in partem utramque exercitus agmine hoſtem interceptum aggere excluderent, ac ipſi proſtremo aggerem occuparent. Verum Dithmarſi, re animadverſa, emittunt, continuo qui laborantibus opem ferrent. Eos Dani licet fortiſſime repellerent, ac bis in fugam agerent, Dithmarſi tamen loco tuti ac novis refecti copiis animos reſumunt, ac Danos luto pluviaque madidos ad priores, quas evaſerant, anguſtias reditum facere cogunt: Inde contis in hoc paratis huc illuc circumlati ac foſſas transgreſſi, ſaucios undique proruebant: Ac eadem mox agilitate reſilientes, quoties uſus eſſet. facillime Danorum tela vitavere, cum ex adverſo crurum tenus, obhærens cœno regius miles exire Dithmarſorum ictus vix poterat. Hiſce malis acceſſit ventus, qui Danis ita adverſus erat, ut vapore, fumo, pluviaque miſtus ac ora oculosque ſingulorum infeſtans, proſpicere eos, quæ erant proſpicienda, haud ſineret. Ita Dani tot incommodis, vulneribusque impediti cum paſſim interfici ſuos inque foſſas agi cernerent, nihil tamen virtute ſua indignum commiſere, hinc cadaveribus, illic impedimentis, quæ valli inſtar obverſa ſtabant, circumſepti, nec huc nec illuc progredi ipſis permittebatur. Hinc ingenti exorta trepidatione & animum ſimul & conſilium amittunt. Multi quo ſe verterent incerti, dum evitare diſcrimen incaute ſtudent, in foſſas

tempeſtate ſœviente

funiculis ignitis imbre exſtinctis tormentorum nullus uſus.

cominus pugnatur acriter.

Ditmarſos aggere excludere ſtudent fruſtra.

Dani luto hærent pluvia madidi, vento ipſis adverſo;

fortiter tamen reſiſtunt.

tandem cadentes foſſ plerique ſu merguntur

fossas provoluti; & alii ne stricto quidem ferro a commilitonibus obtriti, postquam equitatum a fronte defenderant, inglorii ipsimet animum exhalarunt. His territi legionarii e Germania evocati omnium primi terga vertunt hostibus. Succedunt deinde pedites oppidani ceterique agris exciti, seque non tam, ut pugnarent, quam ut sibi quisque consuleret, hostibus objiciunt. In eos dum undique tela Dithmarsi conjiciunt, exoritur clamor ingens, strepitusque formidabilis, habuitque sollicitos omnes id præcipue, quomodo se ex istis angustiis extricare quisque posset. Sicque in unum coarctati tumultuantur, fremunt; Et denique vociferatione non hominum modo sed & equorum hinnitu repleta omnia. Quibus cum hostis animosior redderetur, vi majori connisus nihil non egit, qui circumventos in totum pessundaret. Ac demum prostrato quodammodo pedite, equitatum exinde, qui solus morari victoriam videbatur, invadit. Hinc petiti telis equi, ubi spicula sensere in furorem quasi acti, prosternere sessores ac pedites incursare cœperunt. Postremum extrema trepidatio castra pervasit, nec erat amplius, qui de hoste aut victoria, sed de fuga deque via, qua hostem evaderent, consilium agitaret. In his, dum quisque fortiter desudat miles, quem Meldorpii præsidio Rex reliquerat, subvenisse laborantibus ac exitum inter impedimenta conclusis aperuisse memoratur. Quo facto, tam incondita omnium fuga procursusque fuit, ut multi integri a suis hic etiam obtriti, alii ab hoste insequente confossi interierint. Traditum creditumque reperio eam sessorum obtritorumque stragem ac multitudinem fuisse, ut multi per oppletas cadaveribus fossas incolumes evaserint. Rex postquam horas integras tres, ea, qua dictum est, iniquitate loci cum hoste certasset, ipse cum paucis, inter quos illustrissimus Holsatiæ tunc temporis princeps, Fredericus ejus frater fuit, per densos cadaverum jacentium cumulos via inventa vix elabitur. Elapsus illud vetus sibi & suis occinuisse fertur: Vir fugiens iterum pugnabit. Victoribus quanta in devictos truculentia fuerit, hinc cognosci potest, quod nullos propemodum, quanquam armis abjectis, ceperint, sed trucidarint omnes. Etiam a prælio, si quos spirantes adhuc deprehenderent, quod reliquum in iis vitæ erat, ferro haustum est. Nonnullis quoque semianimis & aures & nares labraque præciderunt, & aliis ejusmodi dehonestamentis barbarorum in morem illusere. Quin nec sepultura nisi peditibus concessa. Hos raptim terra effossa obruere; ceteris omnibus, præsertim vero equitibus, in quos asperiores visi, etiam istud humanitatis ultimum officium negavere, repertique viri virtute & sanguine factisque egregiis clari in lacunis, in fossis ac campis cœno integente squalidis sub dio computrescere, ac suis corporibus feras immanes canesque pascere. Strages enim mortuorum ingens fuit, quamvis alii numerum minuant, augeant alii. Constans interim fama est, ad quatuor circiter millia cecidisse. Hos inter memorantur Adolphus & Ottho comites Oldenburgici, Gerhardi comitis filii, aliique equestri dignitate viri, nobilesque Daniæ perplures, ut taceam ex sola Holsatia desideratos nobilium sexaginta; præter manubias, monilia, torques totamque regiam ac Ducis Friderici suppellectilem, argenteam aliaque pretiosa, auro argentoque gemmisque constantia, prædæ fuerunt tormenta machinæque bellicæ universæ; capta quoque signa fere omnia, & in his Danebrogæ vexillum, quod olim tempore Valdemari Regis (ut suo est loco memoratum) pugnantis adversus Livonos fidei Christianæ tum hostes cælitus Danis obvenerat. Locus ubi pugnatum est, Meldorpium est, Hemingstadium interjacet, vocaturque ominoso ac infami hodie nomine, cacodæmonis opus sive jactus. Accepto incommodo Rex continuo in Holsatiam concessit. Ibi suos, qui una e prælio superstites redierunt, benigne affatus hortabatur, ne animo flacceserent, accepta licet ingenti clade, superatos quidem non tam hostis virtute ac viribus, quam cæli ac loci iniquitate, cujusmodi avertere aut prævenire in hominum potestate haud esse non ignorarent. Errare longe, qui in bello semper secundos rerum eventus exspectarent; sibi statutum brevi temporis intervallo coactis majoribus copiis denuo hostem adoriri. Interea feliciter agerent seque spe bona foverent. Hæc Regis oratio Danis Holsatisque oppido grata fuit, spem certam animo concipientibus, brevi recuperato, quod amiserant, decus, cædem ac sanguinem suorum se vindicaturos. Et vero dum id agit Rex deque singulis cum Holsatiæ principe fratre Frederico deliberat incertum, quibus auctoribus, intervenere, qui bello pacem præferentes alio utrumque traxere, indictusque haud multo post Hamburgi conventus, ubi urbium nomine, quo præveniri ulterioribus incommodis posset, velut medii ac pacis arbitri inter Regem ejusque fratrem Ducem Fridericum ac Dithmarsos. Lubeca adfuere delegati Johannes Hartzius consul & Henricus Vestphalus, senator, Luneburgo Conradus Langius ac D. Tollingius, consules; Hamburgo Christianus Barchomerus, Ericus de Gone, Hermannus Lanœbecius ac Ditlevus Bremerus. Accesserunt eodem Holsatorum vice Didericus præsul Lubecensis, Ottho Rantzovius eques & Johannes Rantzovius fratres, & denique viginti octo virorum Dithmarsicorum nomine, Christianus Holm, Claudius Marquardus, Claudius Julius & Paulus Videricus. Hic inprimis allata in medium, de quibus quiritabantur Dithmarsi, esse nimirum contra codicillos & pacta inter se & Holsatos olim inita, suo jure fraudari, tunc & immunitatem, qua in insula quondam Hillegelandia gavisi fuissent ereptam sibi modo ac indies negari. At est id, quidquid esset controversiæ in sequestros rejectum, ut & ea quoque lis; quæ erat inter utrosque tam Holsatos quam Dithmarsos de limitibus cis & ultra Eidoram;

trepidatio & clamor exortus,

equi confossi plures proterunt.

reliqui in fuga occidunt

vix elabente Rege & fratre Duc. Freder.

victores saviunt.

strages IV. circiter millium putatus, in quibus viri nobilissimi.

opima relicta præda.

pugnæ locus cacodæmonis vocatur.

Rex in Holsatiam concedens suorum animos confirmat.

bellum redintegrare statuit;

sed dehortantibus aliis pacem præfert,

cujus causa Hamburgi conventus agitatur.

Ditmarsi querelas exponunt.

lata sententia.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Eidoram; injuriæ ædium & incendiorum, quibus vel affeciſſent Holſati Dithmarſos, vel Dithmarſi viciſſim Holſatos eæ diſceptarentur a legatis urbium; eſſetque ſupremus omnium arbiter D. Albertus Crantzius. Atque ita ceſſarent inimicitiæ atque hoſtilia cuncta. Si quæ vero forent, quæ decidi ab urbium delegatis non poſſent, cujusmodi inter cetera jus erat, quod in Dithmarſos ſibi vindicarent Holſatiæ principes, id vero perpetuo ipſis integrum reſervaretur, quo idem ad judicem ſuum legitimum, ubi hoc illis commodum videretur, referri poſſet. Non abs re ſit ad poſteritatis memoriam, ſi recenſeam nominatim, quatenus quidem haberi potuere, qui communi ea ſtrage Dithmarſica ex Danica non modo ſed & Holſatica nobilitate ſuum pro patria & Rege ſanguinem profudere. Et licet Danorum multo plures, quam Holſaticorum occubuerint, Danorum tamen, quos nominibus expreſſos reperire fuit, iſti tantum ſunt: Adolphus & Otho Comites Oldenburgici, Nicolaus Crummendigius, Henricus Ericus, Laurentius Brochius, Canutus Goye, Trudo Andreæ, Georgius Rudius, Georgius Vernerus, Pasbergius præfectus Vordingburgi, Henricus Canutius, Laurentius Albertus, Sivardus Nicolajus, Gosvinus Cetelius, Nicolaus Ericius, Johannes Olaus, præfectus Gothlandiæ, Margvarelus Ronnovius, Holgerus Ericius: ex Holſatis memorantur hi, Johannes Alefeldius eques, Hennekenus & Henricus Alefeldii fratres, Marquardus Alefeldius in Saxdorp, Georgius Alefeldius in Sovard, Henricus Alefeldius in Steenborg, Laurentius Alefeldius Nicolai filius, Benedictus Alefeldius, Benedicti filius in Bochorſt, Ditlev Alefeldius Benedicti filius in Haſeldorp, Johannes Alefeldius in Nienſtad, Ditlevius Buckvaldius in Sirhaven, Benedictus Bockvaldius in Haſelborg, Johannes Bockvaldius in Nienſtad, Dithlevius Bockvaldius in Venſin, Joachimus Rantzovius in Aſchenberg, Bredo Rantzovius Henrici filius, Henricus Rantzovius, Ovo Rantzovius in Raſtorp, Volphius Paaſiſchius Henningi filius, Volphius Paaviſchius in Dobberſtorp, Joachimus & Johannes von der Viſche in Neunhoven fratres, Luderus Heſſen ejusque filii Volradus & Bartramus, Margvarelus Suube, Henricus Suube, Gerhardus Veſteholt, Johannes Blomme in Sedorp, Henricus Blomme præfectus Gottorpii, fratres, Paulus Seſtede in Rendesborg, Benedictus Seſtede in Cluveſick, Johannes Seſtede in Seſtede, Paulus Seſtede in Dohoffurde, Joachimus Seſtede Reimeri filius, Borchardus Seheſtede, Ivarus Reventlau, Hartwigus Reventlau in Gram, Marqvardus Breide, Otho Schacke in Nutshore, Ditlevus a Qualen, Henricus Stur, Ditlevus a Siggen, Schacke Rumor, Johannes Valsdorph, Nicolaus Venſin, Benedictus Smalſtede, Schacke Smalſtede, Otho Rhode, Nicolaus Rode fratres, Helmichius Volf, Eggertus Godſche in Soldick, Otho von Thinen in Valsdorp, Nicolaus Ratlów, Michaël Rathlów, Emmikenus Ratlou in Voderkampe, Sigvardus Ratlou in Lenſanen, Nicolaus ab Hagen in Nubel. Præter hoſce equeſtri ordine ac nobilitate apud Danos Holſatosque inſignes memorantur inſuper ex aliis diſtrictibus perplures cujuscunque ordinis ac dignitatis circiter quatuor millia. Ipſi Dithmarſi eorumque ephemerides in immenſum augentes numerum, cecidiſſe in univerſum volunt vix infra hominum undecim millia. Sed eam cladem totque fortiſſimorum virorum indignam necem Deus ter optimus maximus ſemper ac ſceleratæ crudelitatis juſtiſſimus ultor per poſteros eorundem anno quinquageſimo nono poſt, egregie vindicavit. Tunc enim repetito bello, Fridericus ejus nominis ſecundus, Regis hujus a fratre prænepos haud procul hoc ipſo loco una cum Holſatiæ Duce maximis eosdem animis invaſit ac vires eorum fregit, & tandem legitimæ ſed moderatæ dominationi in totum ſubjecit, ut ſuo prolixius dicemus loco, ubi ad ea cum Deo tempora narrationem perduxerimus. Fatalem ac ſupremum annum habuit, de cujus variæ vitæ caſibus retuliſſe nonnihil ſuperius memini, Gerhardus Comes Oldenburgicus. Is hoc tempore poſtquam totum fere Belgicum, Galliam, Angliam & Scotiam ditionibus ſuis velut exul perreptaſſet, poſtremum apud Hiſpanos cœnobium, ut portum ingreſſus, vitæ ibi fabulam, ſive animum dicam, cucullatus explevit, cæſis paulo ante in illa, de qua dixi, clade Dithmarſenſi, filio utroque Adolpho & Othone Comitibus Oldenburgicis & Delmenhorſtæ. Qui patri ſucceſſit filiorum tertius Johanni nomen fuit. Obiit item iisdem diebus Nicolaus Scavenius præſul Roſchildenſis, virtute ac generis claritudine præſtantiſſimus. Qui licet regia magis interceſſione, quam libera collegii electione præſulatum fuiſſet adeptus, nullæ tamen in eo, quæ præſulem commendare ſolent, dotes deſideratæ. Ei eſt ſurrogatus Johannes Jacobus, vir haud minus inſignis, quique ab infimis ad ſummas dignitates conſcendens, canonicatu primo Roſchildenſi honeſtatus fuerat: inde ſupremus Regi Cancellarius Angliam ac Scotiam legatus adiit. Ac mox præpoſitura monaſterii Balbyenſis apud Schandinavos ornatus ab ea ad pontificatum Roſchildenſem evectus eſt. At Steno Sturius, quem ſummæ rerum apud Svecos jampridem Rex præfecerat, ubi cognoviſſet, prælio ſuperatum eum, ac profligatum cum univerſo exercitu a Dithmarſis gente adeo modica, nec magnarum virium, vehementer id ipſum ægre habuit, ſeque reſpicere cœpit, quod non & ipſe Sveciæ regnum, ſeque adverſus eundem tutatus fuiſſet. Quapropter, ut erat ingenio irrequietus ac levis, ad res novandas conſilia vertit. Nec jam beneficiorum, quibus eum tam multis & magnis nuperrime adhuc Rex ornaverat, ulterius memor, capta hinc occaſione, a Rege iterum recedere in animum induxit. Ne tamen, quod ageret, continuo palam redderetur, datis ad Regem litteris eum orat, ut comitatu quam poſſet minimo & qui incolis bello exhauſtis & annonæ inſuper caritate laborantibus, gravis haud

Nomina cæſorum percenſentur.

alii numerum XI. millium cenſent.

Gerhardus Com. Oldenb. obit: ejus poſtrema fata.

ſuccedit ipſi fil. Johannes.

Nic. Scavenius moritur;

cui ſurrogatus Jo. Jacobus meritis inſignis.

Steno novis rebus inhiat.

Regem in Sveciam blande invitat ad regni negotia inquirenda

quam minimo ſtipatus comitatu.

haud foret, in Sveciam quam primum properaret, ſe ipſi circa regni fines occurſurum atque ibi ſuo ſatellitio excepturum venientem. Eſſe negotia ingentia ac gravia, quæ ejus præſentiam flagitarent, nec ignorare eum poſſe, quanta apud magnates invidia laboraret, ob decretum adeo benigne ſibi ab ipſo indultum. Tum & Moſchum Sveciæ minari, cui licet hi impares eſſent, ejus tamen ſententiam conſiliumque requiri, & ſane quod ad invidiam, verum erat. Quam enim Steno Svecorum optimates initio principatus ſui graviſſime afflixiſſet, ex iis, quæ memorata ſuperius, intelligi poteſt, adeo ut etiam ſummus regni antiſtes Jacobus Upſalienſis decretum adverſus eum pontificium impetraverit, quo in illum nullius gratiæ aſpectu agere perpetuo poſſet. Atque ita non uno modo actiones repetundarum, damnorum perfidiæque in eum modo ab hoc modo ab illo inſtitutæ. Nec evaſiſſet, imo capitis diſcrimen ſubiiſſet, niſi Rex decretum maximi Pontificis ſua auctoritate mitigandum ſvaſiſſet. Sed horum omnium facillime oblitus Steno, hanc nihilominus technam ei ſtruit. Et Rex, quo erat candore nihil tamen ſiniſtri aut mali cogitans, ſed fide bona agere Stenonem arbitratus, poſtquam de profectione cum regni Daniæ ſenatu deliberationem inſtituiſſet, ſe primo quoque tempore cum exiguo comitatu, prout poſtulaverat, in Sveciam venturum Stenoni ſignificat. Nam ut detrectaret profectionem, haudquaquam conſultum judicabatur, ne fortaſſis rebellandi inde occaſionem Svecus ſumeret. Accingitur itaque itineri, ac paucis quidem ſuorum, ſed iisdem fidiſſimis, comitatus, ſub initium veris anni, qui eſt inſecutus, milleſimi ſupra quingenteſimum primi una cum conjuge Regina Sveciæ fines attigit. Hic quemadmodum promiſerat, occurrentem ſibi Stenonem habuit, ſtipatum caterva hominum audaciſſimorum ad quidvis ad nutum domini patrare parata. Nunciat nihilominus pacata omnia. Nec Rex ulterius progreſſus, ſecus, quam retulerat, rem habere comperit, ſpem certam animo concipiens, fore ut, reconciliatis partibus ac rebus in Svecia feliciter compoſitis, celeriter in Daniam reverteretur. At Steno non neſcius, in apertas jam inſidias deductum Regem, per litteras quoquo verſum miſſas concitat nobilitatem ac procerum quoscunque ſibi præcipue addictos & ab imperio Danico averſos non ignoraret. Horum clam operam implorat, atque orat circumſpecte cuncta agant, & armati, ſi res flagitaret, præſto adeſſent. Nec deſinit mandare aliis, ut in lucis ac remotis locis convocatam plebem clandeſtino armarent, alios huc, alios alio ablegans. Quod Stenonis conſilium cum Regis familiaribus, quos circum ſe habebat, ex frequenti eorum, qui Stenonem aſſidue adirent, tum etiam ex occultis eorundem ſucceſſibus ac colloquiis ſatis innotuiſſet, eum ſedulo monent, Stenonem obſervaret alia agitantem; niſi faceret, metuere ſe, ne opinione ejus citius circumventus aut teneatur aut tol-

Advenit Rex.

Steno, quoscunque poteſt, in Regem concitat.

Rex inſidiarum commonitus

latur. Permoverunt initio leviter hæc Regem, qui ſuſpicari vix potuit, tantum in ſe ſcelus concepiſſe Stenonem: tamen illi cum finem non facerent monendi eum atque obteſtandi, cœpit poſtremum Rex propius obſervare Stenonem ac vultu ejus ceterisque, quæ ageret, ad animum diligentius revocatis, deprehendit haud eſſe vana, de quibus moneretur. Cumque eo loci ac temporis deeſſent ei, quibus ad ſe tutandum opus eſſet, nec e re fore judicaret in auctorem inſidiarum propius inquirere aut de eo quidquam ſtatuere, diſſimulatione totum transmiſit. Tantum inſidias quo evaderet, cauſas proponit, ob quas ſibi in Daniam feſtinato redeundum eſſe demonſtraret, obſecrans identidem Stenonem, vehicula & rhedas præparari curaret, quibus ad Daniæ fines quam citiſſime reduceretur. Obſequitur quidem ille juſſis, ſed ita, ut eſſe id tempus conſiliis ſuis exequendis peropportunum judicaret. Nec mora, emiſſis ſuæ factionis ducibus, hominum circiter tria millia ex agris ſumma celeritate convocat, qui in rhedis tecte ſecum arma portarent, hisque eos ipſos, quos emiſerat, duces tribuit, ac mandat, ut viis undique obſeſſis, qua in Daniam iretur, mox eum ad lacum nigrum, ubi currus exſpectandi novi erant, nocturno tempore per tumultum opprimerent. Ipſe ne uſpiam in eum proditionis ſuſpicio oriretur, a latere Regis haud decedens ei quam arctiſſime adhærebat. At Rex harum omnium per ſuos certior redditus, capit pro tempore conſilium, ac nocte eadem, qua invadendum eum condicti populares erant, verſo itinere, Stocholmium una cum Regina petit, ac eam circa primam noctis vigiliam intrat. Steno poſtquam inſidias ſuas artesque arte eluſas animadvertit, ſeque excidiſſe, quam animo conceperat, ſpe, ſibi haud bene conſcius, in loca tutiora Rege haud ſalutato, ſe recipit. Inde ſenatum proceresque vocari Stocholmium Rex imperat, nec illi deſides, poſtquam frequentes adveniſſent, excepto Stenone & qui cum eo faciebant, Rex ipſum quoque, ut intereſſet comitiis, pet litteras moneri curat, ſed ille reſpondere, non quidem id detrectare, ſed ſine fide publica venire ſibi haud tutum videri. Quo accepto, pauca præſentibus proceribus proloquutus eſt Rex de concepta adverſum Stenonem ſuſpicione. Ac mox compellatos benigne ſingulos rogat, utrum ex eo die, quo habenas regni Sveciæ moderari cœpiſſet, quidquam contra jus & æquum vel antiqua regni privilegia ſeu conſuetudines commiſiſſe videri poſſet. Et item vel publice vel privatim gravis fuiſſet, ſive etiam abuſus poteſtate remp. perperam adminiſtraſſet. Quarum rerum ſi quis ipſum merito inſimulari poſſe judicaret, paratum ſe aut reſpondere, aut regno cedere. Et denique ſubmittere ſe judicio ſenatus ac procerum, ac eis in utramque partem ſtatuendi poteſtatem concedere. Quæ prolixius dicentem poſtquam accepiſſent omnes, plura parantem dicere fremitu iuterpellant, accuſantes cuncti Stenonem, eum præcipue animo

reditum in Daniam maturat.

paratas ipſi inſidias evitaturus

Stockholmium concedit.

Steno propoſiti fruſtratus fuga ſe proripit.

Comitiis Holmiæ convocatis rem Svecis exponit Rex.

subdolum ac perfidiosum, & eo majori sibi dolori esse, quod vitium ac culpa unius cunctis imputaretur. Inde jubent, bono ac forti esset animo, nec dubitaret de fide atque obsequio ipsorum erga ipsum, etiam contra Stenonem, si imperata facere detrectaret. Rex igitur ut Stenonem de se quiritantem coram audiret, studioque ac comitate potius, quam armis obsequentem sibi redderet, missis ad eum publicæ fidei codicillis, quos & flagitasse diximus, evocari eum Stocholmium curat. Qui cum redditi ei essent, nec ignoraret Regem exiguo admodum comitatu civitatem ingressum, ipse assumto multo majore & associatis insuper sibi Svantone mareschallo, Canuto Alsonio, itemque Henningio Gaddio, quem præsulem paulo ante Rege inscio Nicopiensem crearat & præter hos equitibus ad hæc quingentis stipatus Stocholmium intravit. Et eum priusquam advenisse Rex cognovisset, ædibus oppidi munitioribus occupatis, merito esse apud plures suspectus cœpit, quasi non ad amicum Regis colloquium, accepta fide publica, in urbem venisset, sed ut castra sua medio in foro contra eundem locaret; iisque acceptis Rex, quo propius imminere periculum videt, eo magis de se suisque sollicitus, ita cuncta in arce disponit, ne si agere vi instituerent Sveci, ad eos repellendos imparatus deprehenderetur. Hinc Stenonem ad se in arcem vocat, ac palam, quod in eum haberet, proferre jubet. Ille accepto hoc nuncio cum accedere sine obside recusaret, & eum quoque haud gravate Rex concederet, postquam tandem advenisset, factaque illi fandi copia esset, composita oratione ita cœpit. Quod a Rege olim secessisset, id se nullius sceleris conscium, sed ideo feciss̃e, quod apud Regem ab inimicis traductus tutum sibi locum necessarium animadverteret, donec innocentiam suam eidem vicissim probasset. Nec mirari quenquam debere, si, priusquam tanta tam atroci suspicione se liberasset, irato Regi occurrere haudquaquam e re judicasset; Qua in re si quid offendisset, ignosci sibi, & id, ut imprudentiæ suæ tribuatur, obsecrare sese ac resecrare. Non esse sua in potestate linguas aliorum; loqui quemque pro arbitrio ac captu fere suo: ceterum culpa vacare, id casta conscientia testari se posse, esseque paratum pro Regis dignitate ac salute facere quævis & pati. Unum modo occurrere, quod aliis etiam regni Sveciæ optimatibus displiceret; Calmarienſe nimirum decretum, quod ipse Rex tantopere commendatum omnibus velit, haud omni modo servari servatumque fuisse. Ac Rege interrogante, qua id parte violatum existimarit? Reponebat arcibus regni Sveciæ, quod erat promissum, non nobiles aut indigenas Svecos, sed Danos aut Cermanos præfici præfectosque esse. Id si emendetur, non esse, de quo vel ipse vel alii magnopere quiritentur, seque reliquosque ejus deinceps fidei manere mansurosque perpetuo obstrictos. Addit hic Parvus & gratias Regi prolixe actas, ejusque justitiam, clementiam, temperantiam aliasque virtutes ab omnibus collaudatas, ac publica cunctorum voce ejusdem innocentiam declaratam, neque inventum, excepta hac una re, qui eum vel minima accusaret. At nec ista parte merito accusatum, facile repe- *excusat auctor.*
riat, qui meminerit, quod est supra memoratum, ei, priusquam e Svecia, post celebratam coronationem recederet, regni senatus assensu permissum, ut arcibus suis ac Reginæ præficeret, quos liberet, non Svecos modo, sed Danos quoque Germanosque. Et hic, quod præteritum Parvo sed traditum Vitfeldio, præcipue Svecos ussit, quod Arci Orebroensi præsidere Regina fecisset nobilem Danum Johannem Falsterum, qui in subditos severior suspendio affici jussisset Arildum Plattingium, eumque, ut volunt, insontem. Alias totum se Regis esse, & ejus salutem suam putare, iterum iterumque Steno ingerebat. Et his ma- *ceterum Svecici maxime collaudant regem.*
jora senatus ceterisque proceres contestati, id se unum votis expetere referebant, ut regnum quam diutissime incolumis teneret: se haud alium quam eum Regem exoptare, petereque, ne hominis unius suspectam fidem, falso fortassis ab adversariis accusati, universis impingeret, suam interea salutem præsidio muniret, seque in omnem eventum auxilio ei adfuturos ac suam pro ipso vitam omniaque vilia habituros. Hac senatus oratione sententiaque collaudata Rex, quod Svecos inter Stenonem præcipue suspectaret, utpote summæ apud eos auctoritatis, tum & magna spirantem, eum ut in fide officioque maneret identidem adhortatur. Et denique ut, positis inter se odiis atque inimicitiis unanimes reverterentur, cunctos convivio excipit. Sed pilum, *Steno iterum nefaria contra Regem molitur*
quod dicitur, vulpes vix mutat, ita Steno sui similis iterum nobilitatem concitare in Regem instituit, fisus factionis suæ sociis, quos inter Svanto erat, tum & præsidiis, quibus urbem in potestate tenere se existimabat, & qui adire Regem sine obside modo recusabat, a Rege petit, ut ex arce in urbem ad se veniat, esse, de quibus consilium ipsius flagitarent. Verum Rex hominis fastum indignatus, tum & fraudem veritus, intra arcem se continet. Hinc vario comitatu discursare per oppidi regiones Steno ac nova inire consilia. Et Rex velut in hostes se adversus Svecos armaturus ante omnia communiri arcem, & locari circumquaque præsidia jubet. Inter hæc die, quæ erat Dominica, cum ad sacra audienda populus, qui in urbe est, dato signo, vocaretur, & idem quoque urbis templum Regina, ut erat inprimis pia, petitura videbatur, vetuit redire eam Rex cum comitatu eorum, qui in urbe essent. At mox peracto sacro, cum Steno Svantoque, & qui cum iis erant, Reginam, honoris ergo, reducere in arcem pararent, viderentque præsidia undique dispositа, salutata ac dimissa Regina, urbem indignabunde repetivere. Steno igitur cum eam animo Regis eximere suspicionem haud facile posse videret, quam de ejus in se parricidio conceperat, & essent quoque, qui Regem in ea opinione magis magisque firmarent, urbe tandem excedit,

Steno accitus

majori, quam rex comitatu advenit,

occupatis munitioribus urbis ædificiis

obsideque dato regem adit, factum oratione extenuat.

querelam adjungit

sc. de præfectis arcium Danis & Germanis.

hunc ex arce ad se invitans,

renuente Rege.

Steno regiam a sacris redeuntem comitatus cum suis regiam intrare audet, sed præsidiis dispositis avertitur.

Jam discedens longi hostem se regi palam profitetur

auxiliis conquisitis.

excedit, ac mox in loca tutiora ubi veniſſet, nulla ulterius uſus ſimulatione hoſtem ſe manifeſtum profitetur, ac ſollicitatis hinc inde regni primoribus, eos hortatur, ut fidem obſequiumque Regi propalam renuncient. Conciones præterea paſſim inter populares habet ad invidiam odiumque Regis paratos haud temerarium fuiſſe dictitans, quod in conventu procerum, Stocholmenſi adeo diligens ſollicitusque Rex fuiſſet in ſemet purgando captandaquè omnium ubique Svecorum benevolentia: Hoc enim agere eaque indole eſſe, ut quibus in præſentiarum imparem ſe eſſe animadvertet, eos blanditiis eo usque lactet, quoad firmatis viribus cunctos improviſo opprimat, adveniſſe nunc tempus, quo Sveciæ regnum ejusque vetus libertas, niſi armis vindicetur, penitus peritura videatur. Conſilia inſuper Regis, quæ regno erant futura admodum ſalutaria, modo in ipſum adhiberentur, utpote ad pacem concordiamque vocantia, paſſim apud plebem ignaram traducit, præfectorum avaritiam ac crudelitatem invidioſe admodum exaggerans, quamvis fortaſſe haud præter rem, importune tamen. Hinc Norvagienſium exemplum intueri ſuos jubet, qui aſſumpto fœdere Danico, extremam nunc ſervitutem ſerviant, ac ſimul ſacramento cunctos adigit, ut quod eſſe ex uſu regni Sveciæ intelligerent, in commune conferrent. Cujusmodi invectiva concitatis undique animis, ac ſubito exorto tumultu, arma quisque capeſſit. Pars quoque nobilitatis Stenonem circumſiſtens, eum ad depellendum, quod immineret, patriæ commune periculum, ut Ducem, depoſcit. Addebat huic incendio facem Svanto, qui inter regni primores primaria dignitate, currentem eundem, ac ſuomet ingenio dominandi avidiſſimum, adeo inſtigavit, ut regnum denique invaſerit. Quo autem rebellionem novam, prætextu belli coloraret, ſub diem calendarum Auguſti conventum Alvaſtri indicit. Eo cum Svanto ceterique factionis ſocii frequentes conveniſſent, ad Johannem Regem, tunc adhuc Stocholmii agentem litteras feciales ſuo ceterorumque nomine mittit, nunciatque, indicta hoſtilitate ſe reliquosque officium illi ac fidem renunciare, & ſe ad bellum ei movendum a ſuis præcipue cogi, quibus in animo eſſet vindicare armis ac ſanguine ſuo tyrannidem præfectorum, quos ipſis regnoque Sveciæ præter fas jusque impoſuiſſet. Eæ litteræ dum Regi deſtinantur, iter in Daniam inſtituerat. Sed in via certior factus præfectorum ſuorum unum a Stenone Chriſtiani captum interfectumque, redit Stocholmium: ubi convocato regni ſenatu ac nobilitate, præter Stenonem Chriſtianum, qui adeſſe renuit, iterum amneſtia omnium ſancita. At mox terra minus tutum ſibi iter Rex exiſtimans, paratis tribus navigiis in Daniam navigavit, relicta in arce Stocholmii Regina Chriſtina, quod eſſe gravida putaretur, & ſimul ſi parere eam contingeret, ut in regno regni ſucceſſorem pareret. Arci quoque præſidium reliquit mille militum, ad

Regem inſidioſe blanditem inſimulat.

etiam Norvagos ſollicitat.

Regi bellum denunciat prætenſa crudelitate præfectorum.

Rex cæſo per Chriſt. Stenonem quodam ipſius præfecto ex itinere Stockholmium revertitur,

A. 1501. regina relicta navibus domum petit præſidio arci

actis ſacramento civibus, ut in fide perſiſterent, ac Rege viciſſim pollicente, haud defuturum ſe illis, ſed brevi cum juſtis copiis ſubſidio adfuturum. Et hæc dum fierent, addit Parvus, multa eum ſuper Stenone quiritatum, quod ille ſacramenti ſui oblitus contra fidem toties datam denuo ad bellum provolaret, a quo quid eſſet exſpectandum, neminem adeo imperitum, qui non videret. Sibi in Daniam redire, multis de cauſis neceſſarium, ac rebus ibi pro tempore conſtitutis adfore brevi juſto cum exercitu. Ne autem de ſe aut ſuo in ipſos affectu dubitarent, relinquere in arce conjugem ſuam regni Reginam. Et illi, accepto hoc regio conſilio, præter ſacramentum, quod feciſſe jam dixi, primum enixe rogare, ne deſerere ſe velit, neque exiſtimare eas eſſe Stenoni vires, ut perficere cœpta poſſet: eſſe vehementem primum plebis ac popularium impetum, at eo elangveſcente cito ad veniam petendam recurſuros. Verum permanente in propoſito ſuo Rege, neque præſidio tam exiguo e re judicante obſidium exſpectandam, it, ut prius fide data obſtrictaque precati omnes fauſta fuere. Nec intermiſit interea regni Sveciæ ſenatus Daniæ regni proceres per litteras certiores facere de Regis in regnum Sveciæ adventu, deque iis, quæ ipſo præſente, actitata eſſent, & inter cetera, de exorto nuperrime, cum in procinctu jam eſſet Rex redeundi domum, inter Stenonem Chriſtianum ac Regium præfectum diſſidio, eſſeque non captum modo, ſed & interfectum a Stenone eundem præfectum, & porro id agere, ut populi ditionesque totæ factioſis hominibus ac Regi, ipſisque adverſis ſe conjungant, idque in ſummum Regis regnique atque ipſorum detrimentum: orare igitur iſta in animum admittere, ac cogitationes eo conferre vellent, ut pax concordiaque reſtituantur, indicto quamprimum regnorum omnium conventu, ubi agi de ſingulis propius poſſet. Quibus litteris acceptis Daniæ regni proceres continuo reſponſum deproperarunt, inſcriptum Henningio Gaddio electo Lincopienſi, Stenoni Sture aulæ magiſtro, Svantoni Nicolajo mareſchallo, nec non Benedicto Roningio. Eo dolere magnopere ſeſe ſignificarunt, eſſe tenerique inter ipſos ac regiam majeſtatem diſſidia, foreque pudendum apud exteros, ubi intelligent, amice jam nuper unita hæc tria borealia regna tam ſubito viciſſim inter ſeſe diſſidere. Se quidem ejus motus conſcios haud eſſe, nec cauſam aut occaſionem noviſſe, laboraturos interim idque operam daturos, quantum in ſe ſit, ut ea tollantur, & ſperare, ſi penes Regem culpa hæreat, hoc apud eum obtenturos, ut ſe rationi ſubmittat, nec dubitare quoque de ipſis eorumque prudentia ac moderatione, quin & idem facturi ſint. Et conſtituiſſe idcirco, tanto ut malo tempeſtive occurratur ſub proximum feſtum Michaëlis, Vaſtenum ablegare regni Danici nomine viros reverendos ac nobiliſſimos, collegas ſuos, Carolum Othonienſem, Nicolaum Friſium Viburgenſem, epiſcopos, Paulum Luxman-

relicto civibusque confirmatis.

Daniæ regni proceres a ſenatu Svec. per litteras rei certiores facti.

reſponſum.

num aulæ regiæ præfectum, itemque Marquardum Ronnovium, Olaum Stigotum ac Nicolaum Hogh, equites Danos, ut medios ac arbitros inter ipsos & Regem; rogareque, ut velint dicto die ac loco, aut quam possint citissime, ibidem præsentes adesse. In Daniam vero postquam esset, ut memini, regressus Rex, multo quam antea ferocius agens Steno, & qui cum eo erant, ex Sveciæ senatu, Henningus Gaddius, præsul Lincopiensis, Svanto Nicolajus mareschallus & Benedictus Ronningius, adjunctis sibi Johanne Beseo & Canuto Alefsonio, præfecto Agerhusiensi, magni apud Norvagos nominis. Evulgari continuo sub festum divi Laurentii codicillos curant, quibus inhibentur regni populares Regi Johanni aut ejus præfecto dicto audientes esse, additis causis ac rationibus, quamobrem id fieri juberent: Quod nimirum Rex Johannes, licet monitus, secundum acta Calmarienſia, removere, qui erant Sveciæ arcibus ac præsidiis impositi, Danicos præfectos & habere, prout par erat, monetæ rationem, hactenus neglexisset. Tum & esse in æde cathedrali Hafnienſium Svecorum quædam vexilla, veluti trophæa in dedecus gentis suspensa & fœdus insuper, quod ei cum Moscho esset, cessurum haud dubio in detrimentum regni Sveciæ, quemadmodum compertum ante hac apud Finlandicos præsertim fuerat. Monebat igitur, uti spretis regiis præfectis, quod pendendum ipsis esset, penderent hominibus suis, quos ad ipsos misisset, Johanni Burerio & Esterno Laurentio, ac simul patriæ communi cominvigilando, armis, quandocunque monerentur, parati adessent. Alia & antea quæcunque ipsis nomine Regis essent imperata, ea vitio nec rite imperata scirent. Quibus acceptis mirum in modum commota passim plebs nobilesque, ut & oppidani circumquaque. Et sparsum tum quoque auctore Henningio Gaddio, Moschici Imperatoris legatos, qui paulo ante Stocholmii fuerant, palam testatos, ingentem Finlandiæ districtum a Rege ipsis concessum tributumque. Et Steno quidem, capto hoc tempore, regni arces, quas suo præsidio regii præfecti tenebant, suam in potestatem reducere opportunum judicans, omnium primum invadere Orebroam instituit. Hic præsidebat Johannes Falsterus, in quem odio flagrans, quod is paulo ante, ut est memoratum, Haraldum Rattingium hominem ejus agi in patibulum jussisset. Atque ideo vehementius impugnatam arcem, postquam recepisset, ignominiosam amici mortem vindicaturus, Falsterum in vincula conjectum duci Arbrogam, ac ibi graviori supplicio asservari jubet. Hinc sub proximum octobrem, motis Stocholmium castris, Orcta obsidione oppidum circumcingit. Ac mox excitato intra urbis mœnia incendio, ac civium quibusdam, sive promissis sive largitione corruptis, portæ ad apertæ, atque ipse confestim introductus, qui locis opportunis postquam præsidia disposuisset, propius imminere arci, in qua Regina erat, exinde cœpit. At Rex in Dania jam

Steno rege absente ferocius agit,

in suas partes trahit nonnullos e Norvagis, incolis interdicit obedientiam Regi præstandam additis rationibus.

confictis aliis omnia movet.

Orebroam expugnat,

Holmiam intrat arcemque obsidet.

agens, neque ob hiemem occurrendi subsidio suis rationem aut copiam circumspiciens, litteras, quod solum dabatur, ad senatores illos quadrumviros superius nominatos, in quibus Steno eminebat, mittit. Eos monet, arma ponerent, paratum se in jure cum iis agere, ac resarcire quodcunque vel peccatum vel commissum per præfectos, seque omnibus modis, si non steterit, staturum actis Calmarienſibus; præfectos autem suos ac Reginæ, qui arcibus ab ipsis erant impositi, eos unanimi senatus Svedici assensu, quod omnibus constare posset, fuisse admissos, decretoque statutum, ut Regi Reginæque liberum foret arcibus suis, quos vellent, Danos, Svecos Germanosve præficere. Dum igitur cunctatus Rex, aut hieme, ut dixi, impeditus, idoneum expediendæ classi tempus operitur, occasionem hanc nactus Steno, admodum atrociter sæviebat in omnes, quos Regi Johanni addictos non ignorabat. Ac missis aliquot in vicina loca cohortibus, regios arcium præfectos, quoscunque nancisci potuit, omnibus tormentis excruciatos in conspectu suorum necari imperat. Horum in numero Johannes Falsterus fuit, qui Arbogum, ut dictum, exquisitiori cruciatui servatus eodem hoc tempore Svecis ad dilaniandum a Stenone traditus, maxima crudelitate plures in partes ab ipsis discerptus est. Existimabat scilicet ille, hac pœnarum immanitate terrere Danos ac suos simul talibus exemplis audentiores reddere. Regina vero amissa, de qua dictum, urbe Stocholmio, arcem jam solam defendendam habebat. Eamque ea animi magnitudine tutata est, ut ejus propemodum potiundæ spem Stenoni eripuerit. Etenim cum jam aliquamdiu obsidionem sustinuisset, & assumpto commeatu vix quidquam præter carnes equinas supersset, mirabili calliditate obsessorem eludit. Suem siquidem unam in vivis servatam, quotidie velut cultro subjiciendam mactandamque ad vallum deportari imperavit, ut exaudiri grunnitus ejus ac stridor per oppidum posset. Quo effecit, ut crederent oppidani, nulla adhuc fame eos aut rerum inopia laborare. Estque hoc pacto, quæ erat expugnabilis, arcis deditio in totum circiter protracta biennium. Interea autem, dum obsessa Regina tenetur, proxima hieme in matrimonium sibi filiam ejus Elisabetham a patre Rege petierat Joachimus Marchio Brandenburgicus imperii septemvir. Qui & eam haud multo post, ineunte scilicet Majo anni, qui est insequutus, supra millesimum quingentesimum secundi, domum duxit, celebratis Stendalia regia magnificentia non ejus modo, sed & Regis Johannis Germani fratris principis Friderici Holsatiæ Ducis nuptiis, cui tum simul tradita Marchionis ejusdem soror Anna; quæ mater exinde facta principis Christiani Daniæ postmodum Regis ejus nominis, tertii. Dum vero celebrat in Dania sponsalia filiæ suæ Rex Johannes, laborare nonnihil fama ejus cœpit, quasi neglecto conjugali amore Reginæ suæ, quæ Stocholmii obsidebatur, animum alio trans-

Rex per litteras cum & socios commonet.

Steno contra atrocius sævit.

regios præfectos diris suppliciis necat.

regina fortiter tuetur arcem Holm.

callide inopiam alimentorum hostem eclat.

A. 1502. Joach. Marchio Brand. Elisabetham regis fil. simul Fridericus Dux ejus sororem Annam matrimonio sibi jungit.

R. Joh. rumorem de neglecta conjuge spernit.

transtuliſſet. Quem tamen ille falſiſſimum rumorem adeo flocci fecit, ut purgandi ſui cauſa nunquam quicquam contradixerit, nec delatos eo nomine redarguerit, aut in eos ſeverius unquam animadverterit. Venit in Daniam per idem tempus ordinis Hieroſolymitani, monachus Hermannus nomine, gente Danus, miſſus a ſummo Pontifice, ut populares ſuos ad capeſſendum contra Saracænos militiam ſacram adhortaretur: ſed Rex Johannes, cum domi, quod ageret adverſus rebellantes Svecos plus ſatis haberet, nec urbibus Vandalicis admodum fideret, miſſo Romam ad Julium Pontificem legato, cur auxilia eo tempore nulla mitteret, honeſte ſe excuſavit. Inter hæc Steno haud multum adhuc promotum exiſtimans, niſi ſibi vicinos Norvagos in belli ſocietatem traxiſſet, libertatem illis perpetuam onerumque publicorum immunitates promittit, ſi communia cum Svecis arma in Regem ſumerent. Et quidem illi mentione libertatis quaſi dementati capita inter ſeſe primùm conferre atque inde deliberare inſtituunt. Ac mox accedente atque idem ſvadente Canuto Alenſonio, qui apud Norvagos nomine Regis Aggersthuſio præſidebat, ſpectatæ auctoritatis viro, ſeſe in totum Svecis conjungunt. At id quamprimum Rex cognoviſſet, miſit continuo ad Norvagos Johannem Ibeſonium, antiſtitem Roſchildenſem, & Henricum Crummedigium, qui expoſtularent cum Canuto, quod a fide atque obſequio Regis adeo temere diſceſſiſſet, iique ſublatis in altum velis, poſtquam ingreſſi portum Aggerhuſienſem eſſent, Canutum ad ſe publica fide in navem prætoriam evocant, & accenſis mutuis incuſationibus, cum utrinque, ut fit, verbis aut vino incaluiſſent, incertum an Regis mandato, interficiunt. De ejus cæde exorta poſtmodum controverſia, effecit, ut cadaver annos totos duodecim inſepultum eodem loci ſervaretur. Nec diſſimilis caſus paulo ante e medio ſuſtulerat aulæ regiæ præfectum, auctoritate apud Danos haud minus excellentem Paulum Laxmannum: eum ex arce Hafnienſi venientem aggreſſi in ponte, quem altum vocant, Ebbo Strangius & Biorno Anderſonius, poſtquam vulnus pectori inflixiſſent, de ponte in ſcaphas ſubjectas atque inde in profluentem præcipitant, improperando per ludibrium, eum cum ſalmo vernacule diceretur, in aquis potius quam terra degere oportere. Facta cæde, percuſſores urbe egreſſi, nemine perſequente, in tutum evaſere. Unde non levis in Regem ſuſpicio nata, quaſi is, ſi non auctor, ſaltem conſcius exiſtimaretur, quod in urbe aut arce cum eſſet, auctores facinoris comprehendi neglexerit. Atque idem, licet ſupra ſe magiſtratum non agnoſceret, tamen in cauſa ſua ne reus aut judex videretur, in electores imperii exinde impromiſit, & ab illis ſententiam ſuam confirmari curavit, additis inſuper litteris, quibus cædis culpa ab Ebbone ejusque heredibus in ſe Danæque Reges ſucceſſuros translatum fateretur: Verum hujus ſententiæ adeo poſtmodum pœnituiſſe agunt, ut in mortis agone ſæpius Laxmanni nomen ingeminaverit: quod Petrus Parvus memorat. Nobis quoque modo traditum occultare conſilium haud fuit: quanquam mirari ſubit, nullo in Laxmannum odio aut cædis cauſa, quæ quidem refertur, ab illo vel Regi vel percuſſoribus data, tantum in ſe ſucceſſoresque ſuos ſuſcipere crimen Regem voluiſſe, niſi ſi dominandi latuerit ſtudium aut cupido, quæ cunctis affectibus flagrantior. Nam in opes & poſſeſſiones ejus multiplices, quibus præcipue ac ſupra reliquam nobilitatem eminebat, quod infortunii hujus aut odii ſaltem cauſa rejiciat nobiliſſimus Vitfeldius, neque auſuros quicquam in eum ſicarios fuiſſe addat, niſi regis in eum perſpectum animum habuiſſent, ut conjectura nixum neque aſſerere neque refellere animus eſt. Quod vero perpetratum in Canutum Alefsonium retulimus, lata eſt poſtmodum ſuper eo, publico in judicio ſententia. Et habitus idem eſt vir per ſe quidem haud malus, ſed ſimplici præditus ingenio, & ideo ſeduci facilis, ſeductus quoque ſubdolis Stenonis conſiliis exiſtimatur: an vero intra navigium, quod ſupra memoratum, manu conſerta aut dolo confoſſus, ſive navi egreſſurus, ac largius potus, in undas prolapſus perierit, id, utcunque habeat, in medium relinquimus. Saltem ne ejus nomine male audirent legati, latam adverſus eum ſententiam pro ſe inducunt: qua ſtatutum reperio, violatum a Canuto, qui ei erat indultus, ſalvum conductum; idque nec ſimplici vice, dum prædatur, infeſtaque non modo præſulem Hammerenſem ejusque prædia, ſed & alios Regi ſubditos, tum & ideo, quod præſidium Aggerhuſienſe contra promiſſum in proxima loca non ſine terrore ac damnis incolarum immiſiſſet, ac tranſita Asloënſium urbe in agrum, ubi ſubjectum effundi præſidium idem hoſtiliter feciſſet, aliaque ejusmodi præter morem ac pacta fieri permiſiſſet, quæ omnia ejusmodi eſſent, quibus ſecundum jura Norvagorum vita ac fortunis excidiſſet, & eſſe quoque idcirco regiæ majeſtati permiſſum de ejus funere, quod in arce ſervaretur, ſtatuere, quodcunque ipſi liberet. Acta hæc Ansloæ, ſedentibus Erico Ericio judice Ansloënſi, Thormeto Jonæ judice Thunsbergenſi, nec non Henrico Coccio & Holgero Biornonis conſulibus. Indultum per idem tempus ſive imperatum potius Scaniæ emporiis, idque Rege mandante, ut ſemel quotannis Lundæ conventum agerent. Atque ibi diſpicerent, quid potiſſimum toti ditioni ſuæ e re eſſe judicarent, & id exinde ad majeſtatem referrent. Erat jam in eo Rex, ut claſſem liberandæ Reginæ educeret. Et id priusquam captaret, exiſtimabat, præmonendas urbes Vandalicas, ne in Svecorum potius, quod verebatur, quam ſuas partes irent. Ne tamen occaſionem elabi ſineret, ſatis ſæpiusque expertus ſubdolam ac lubricam gentis fidem, anni ſtatim inſequentis vere Balthicum mare cum claſſe ingreditur, cum jam tolerare ulteriorem obſidionem Regina vix poſſet. Et id ubi Steno intel-

pontificius legatus ſruſtra a Joh. R. ſubſidiarios milites petit contra Saracenos.

Steno Norvagos ad ſocietatem belli ſollicitat,

remque perficit.

Rex miſſis legatis dehortatur.

Canutus Alenſonius præf. Aggerhuſ. interfectus,

itemque Paulus Laxmannus per inſidias perit.

ſuſpicio in regem cadit,

qui rem dijudicandam committit electoribus imperii.

de cædis Laxm. cauſis conjecturæ.

itemque de Canuti Alefſon. cæde

lata ſententia.

Scanenſibus quotannis conventus agendus.

Rex urbibus Vandal præmonitis

A. 1503. claſſem emittit,

intellexiſſet, quam intermiſerat aliquamdiu, arcis oppugnationem repetit, tormentis. Undiquaque horrendum in eos intonans, ſed obſeſſis haud minus alacriter repugnantibus, fulminaque in obſidentem vibrantibus, iterum ab oppugnatione deſtitit. At Rege interea ob ventos adverſos tardius navigante, jam eo usque adegerat obſeſſos inedia, ut tolerari ulterius fames aliaque incommoda haud poſſent: Et denique flagitante, deditionem univerſo præſidio, obſiſtere diutius Regina nequiit. Tum illa incolumitatem ſuam & ſuorum ac liberum in Daniam diſceſſum pacta, deditionem fecit, poſtquam obſidium in annos jam circiter duos mirabili & ſupra ſexum ſuum conſtantia protraxiſſet. Sed fides Reginæ de reditu data, quam ſubleſta ac fluxa fuerit, eventus oſtendit. Cum enim pactum ſanctiſſime fuiſſet, fidem facientibus, qui ex regni proceribus præſentes erant, Henningo Gaddio, Electo Lincopienſi, Svantone Nicolajo mareſchallo, Canuto Eſcillo, Stenone Chriſtiano, Erico Johannide, equitibus Svecis, & urbis ad hæc conſulibus, ut intra Minoritarum cœnobium Stocholmi ejusque ſubſiſteret, donec, qui aberat, in urbem Sveno rediiſſet, quo deliberari propius poſſet, quem in modum ſive terra ſive mari, in Daniam quam honorificentiſſime reduceretur, redeunte mox Stenone abducta velut captiva fuit in Alvaſtre cœnobium, ac ibi in annum ſequentem ſervata. Præſidiariorum ejus, qui initio obſidionis mille numero erant, maxima pars ſcorbuto, (quod malum e cibo ut plurimum corrupto ac ſalſo contrahitur) abſumpta periit. Non enim ultra centum ex mille illis incolumes abiere. Vix Regina deditionem fecerat, cum ecce Rex claſſem oppido atque arci oſtendit, ſuis auxilium laturus. At ille percepto, in Stenonis cuncta ipſamque Reginam deveniſſe poteſtatem, varie affectus, modo ſuam tarditatem, modo ventos adverſos incuſabat. Ac ſtatim, miſſis ad Sveciæ, qui aderat, ſenatum litteris ac nuncio, cum neutrum admitteretur, indignatus dat ventis vela, ac claſſem majoris delectus habendi gratia quam citiſſime domum reducit. De Vandalicis vero civitatibus, quod veritum ſuperius dixi, id quoque comperit. Nam qui ſemper ſtabilire cum illis pacem laboraſſet, nec laceſſiſſe eos prior aut belli occaſionem dediſſe diceretur, eam aſpernari hoc tempore, ut pote in Svecum propenſiores, aut ei ſacramento addictos manifeſte deprehendit. Miſit nihilominus præſulem Othonienſem Johannem, & duos præterea ex nobilitate haud infimæ dignitatis viros, qui eos exponerent, quibus ipſum dolis atque inſidiis Steno Stureus cognomento ſenior contra fidem contraque ſacramentum, quod dixerat, jam pridem in Svecia propemodum circumveniſſet; quibus niſi eum Deus e machina, quod ajunt, eripuiſſet, prius nefarie oppreſſus fuiſſet, quam in ſe machinationes illius deprehendere potuiſſet: nec eum inſidias poſuiſſe contentum, niſi palam præterea in ſe una cum Svecia rebellare Norvegiam ac arma ſumere feciſſet. Et poſtremo ne quid intentatum ſineret, poſitis ad Stocholmium caſtris, primum oppido inde arce per deditionem occupata, etiam Reginam conjugem, quæ, dedita arce, liberum in Daniam reditum pacta fuerat, contra datam etiam hic fidem, velut captivam, intra Alvaſtri cœnobium detinere. Quibus ideo urgentibus cauſis cum ad bellum in Svecos neceſſario gerendum compellatur, quo & ſuos præſenti periculo eximat, & contumaces ac perduelles in ordinem redigat, orare eum & petere id largiri amicitiæ Regis velint, ut dum illi cum hoſte negotium eſt, ipſi quietos ſe contineant, nec armis, commeatu, aut aliis ad bellum neceſſariis Stenonem juvent. Quod ſi Regi ejusque juſtiſſimæ petitioni conceſſerint, ſenſuros viciſſim in omnibus, quæ vel ad commodum ipſorum vel dignitatem pertinere judicabunt, regiam ejus clementiam ac libertatem & gratiam: Et contra, habiturum hoſtium loco, quoscunque commeatum Svecis apportare aut alias commodare iis reperiret. Ad quæ reſponſum Lybecenſes ejusmodi dederunt: eam cauſam ad ſe aut ſuam rempublicam haud pertinere; non quidem placere ſibi Svecorum contumaciam, neque tamen in ſua eſſe poteſtate injuriam Regi ab iis factam vel prohibere, vel vindicare: Ipſorum eſſe, quæ ipſis eſſet illata, injuriam vimque propulſare; ſe neutri partium addictos mercaturam agere, quibus ut libera conſtet navigatio, fas eſt jura permittere. Quo Lybecenſium reſponſo, poſtquam ſatis indicaſſent, quid animis occultarent, regii legati, quæ in mandatis porro habebant, ubi expoſuiſſent, diſcedunt. Poſthæc legatus a Jacobo IV. Scotorum Rege Johannis Regis ex ſorore Margaretha nepote Lubecam venit, atque inde ad ceteras Vandalicas civitates profectus, eadem fere, quæ jam ante legati Danici ipſis expoſuerant, proponit, ac repetit; ſtatuiſſe ſcilicet Dominum ac Regem ſuum Johanni avunculo, contra Svecorum perfidiam juſta arma moventi, auxilio occurrere; Et ideo monitas civitates omnes maritimas velle, ne ſua frequentatione ac rerum neceſſariarum invectione gentis contumaciam ac rebellionem promoveant, ac juvent. Si quis contra fecerit, eum in mari deprehenſum Scotis pro hoſte futurum. Quibus illi acceptis, mutata nonnihil pro tempore orationis, quamvis non multum a priori diffidenti, repoſuerunt, ſe, cum merces pecuniasque ac ſocios negotiationis ſuæ in Sveciæ regno paſſim haberent, ſubituros irrecuperabile rerum ſuarum detrimentum, ſi ea, quæ libera ſemper fuerit, navigatione prohibeantur. Tum & inique ſecum agi, ſi ob mutuas utriusque regni atque incolarum ejus iras ac diſcordiam ſuperſedere uſitatis hucusque commerciis, ac denique averti fortunis ſuis debeant. Præter hæc nihil ſeſe alias cum Svecis habere commune perſvadere conabantur: cum tamen apud omnes conſtaret, quod eſt ſuo loco memoratum, anno ſuperioris ſeculi nonageſimo, fœdus ab ipſis hac

qua vento retardata regina arcem tandem dedit pacta ſibi ac ſuis incolumitate liberoque in Daniam reditu,

petitque ne Svecis commodent.

reſp. Lubecenſes.

ſed mox inſtar captivæ habita. præſidiariorum pauci ſuperſtites facti.

Vix deditione arcis facta Rex cum claſſe adeſt.

R. Scot. iisdem per leg. indicat, ſe R. Johanni auxilia laturum petitque ne Svecis commodent additis minis.

mox domum revertitur majoris delectus cauſa.

civitatibus Vandal. in Stenonem propenſioribus Rex cauſam per legatum exponit,

reſp.

hac lege cum Svecis initum, ut pars neutra absque voluntate atque consensu alterius ullam cum Rege pacem faceret. Reversis mox in Daniam regiis oratoribus, postquam Rex, quid animi esset Lubecensibus, sic satis cognovisset, nec ullo modo obtineri apud eos potuisset, quod speraverat, armatas continuo naves aliquot in mare Balthicum emisit, jussis earum præfectis, id operam darent, ne quid Lubecenses aut reliquæ Vandalorum civitates rerum necessariarum Sveciæ inferrent. Qui contra facerent, eorum naves interceptas in proximum quemque regni portum abducerent, dum de voluntate sua certiores redderentur. Nec mora prætoriis circumquaque navibus, obsessum mare, ac forte fortuito intercepta Lubecensium una, quæ Riga veniens, Lubecam petebat, sed merces vehens ad Svecos pertinentes. Quod ubi Lubecam est perlatum, illico concurrere ac vociferari negotiatores, non esse ferendam ulterius vim Danici Regis, repetenda bello, quæ bello abstulisset, nimis diu ad injuriam civium connivere senatum: aliter haud dubio facturum, si res ejus privatas Rex invasisset. Moverunt quidem civium istæ voces, imo permovissent ad arma capessenda senatum; fœdere præsertim Svecis obstrictum, nisi ærarium tenue ac belli nervus, qui in parato nondum erat, pecunia, haud svasisset. Itaque missis litteris ac legatis sibi quæ essent ablata, repetunt. His responsum fuit: Regi animum non fuisse nec esse contendere aut bello agere cum Lubecensibus aut ceteris Vandalorum urbibus, ex eo liquere satis posse, quod pridem missis ad eos oratoribus, significaverit, quam justis ac necessariis causis, ad bellum cum Svecis gerendum moveretur; & orasse, ut durante hoc bello, Sveciæ regno abstinerent. Atque hic non modo postulatis ejus aurem non commodasse, sed responsum reddidisse præferocius. Quod an tempori ac loco convenienter ab iis factum sit, ipsis dijudicandum relinqui. Naves vero Regis prætoriæ quod modo feciissent, id aliquando facturas per oratores dudum præmonitum, nisi abstinere ad tempus Sveciæ regno constituissent. Et modo ac deinceps, si exequi postulata velint, quod esset eis ereptum, id ultro restituere esse paratum, ac suis mandaturum, ne quid in posterum ejusmodi committatur. At si persistere in proposito animus ipsis sit, non ea modo, quæ jam adempta sibi queruntur, sed multo majora illaturum detrimenta. Et scire adhæc Lubecenses debere, quæ a Regibus Daniæ privilegia antiquitus obtinuissent, in id indulta esse, ut regno ac Regibus honorem ac suam, ubi ea flagitaretur, opem præstarent. Quapropter si commodare hosti perferent, forte fortassis, ut hæc, quæ gratuita accepissent, ingratis vicissim adimentur. Quæ ubi essent ad Lubecenses perlata, arma illico conclamat vulgus: Et veluti pelagus, quod ventis pacatum steterat, subito iisdem insurgentibus commovetur, ac stridet, ita intra urbis mœnia auditi undique civium clamores ac murmur inconditum. Verum senatus nonnihil sedatior, & ne continuo ad sagam iretur, iterum iterumque litteras mittit, sed & illis cum nihil pro exspectatione senatus a Rege reponeretur, tandem se ad bellum Lubecenses parant. Ac semotis remoris omnibus, continuo duces militemque legunt, classem instruunt, idque ea festinatione, ut certare cum Rege aut eum celeritate prævenire velle viderentur. Nam & Rex haud ignave agens, ea cuncta, quæ obesse hosti possent, in medium producenda curabat. Dumque pariter ac magno utrinque impetu hoc agunt, Slesvicensium atque Holsatiæ Dux, germanus Regis frater Fridericus rebus componendis se medium interponit, ac paucis comitatus Lubecam veniens nihil non egit, ut dissidentes ad concordiam revocaret. Verum difficile erat optimo principi cives ardore belli jam incitatos sufflaminare, cum & ea postularent, quæ nec voluit, nec potuit Dux, sine assensu ac voluntate Regis permittere; Acta diebus aliquot magno utrinque civium motu causa fuit, sed nequicquam. Postremo illud obtinuit, ut denuo, si Regi videretur, idque loco, quo vellet, ad rem eandem conveniretur. Ac missus simul ad Regem est ex Holsatiæ primatibus, qui & acta Ducis, & ea, quæ postularent Lubecenses, Regem edocerent. Erant autem ista: Pluribus de causis nolle Sveciæ negotiatione abstinere Lubecenses; cupere eos liberam navigationem, & indulta a Daniæ Regibus privilegia servari inviolata: Tum & navem bonaque ablata restitui. Quæ si ultro polliceri ac præstari Rex velit, armis destituros esse: sin aliter, quæ injuste ipsis ademerit, bello repetituros. At istæ verborum minaciæ nihil animi inprimis generosi Regem terruere, qui causæ suæ æquitati fisus missis continuo pluribus navibus diligentius ingressus initia exitusque maris ejusque sinus, quos frequentandos haberent, observare jubet, & operam dare, ne quid uspiam detrimenti inferre regno Lubecenses possent. Auxilia præterea a fœderatis sibi Regibus Galliæ, Angliæ, Scotiæque, ut & vicinis principicus assumit & inprimis a Rege Scotorum, nepote suo Jacobo IV, ut & Joachimo Electore Brandeburgico. Atque ita minæ minis, armaque armis opposita id effecere, ut Lubecenses remittendo nonnihil de priori ferocia, classem propemodo instructam intermitterent, ac magno rerum suarum dispendio collectum militem exauctorarent. Regii vero navium præfecti, ut erat imperatum, loca omnia hostibus oportuna quam arctissime obsedere, ac sedulo rem noctu dieque gerendo hosti in dies magis magisque esse formidabiles cœperunt, ac alteram insuper navem, quæ Sveciam petebat, in proximum regni portum vi interceptam abduxere. Rex porro, acceptis, de quibus memorari, a Rege Scotorum ac principe Brandeburgico, quas sufficere judicavit, auxiliaribus copiis, eas suis conjunxit. Atque inde, collectis in unum omnibus, imprimis de reducenda ad obsequium Norvagia, quam Steno jam pridem, quod supra injeci,

Rex naves emittit, qui observent Lubcenses cet.

una Lubecensium capta; qui hinc fremunt,

& per legatos eam repetunt; quibus responsum gravius.

Hinc bellum orepat vulgus Lubec.

senatus rem frustra agens per litteras tandem bellum parat.

Rex contra.

Dux Frider. concordiam tentat nequicquam.

Lubecensium postulata minaria.

quibus nil motus Rex, sed navium numero & copiis auctus.

Lubecensium ferociam compescit.

injeci, ad arma concitarat, concilium indicit. Ubi cum esset variatum sententiis, placuit præcipue senatui, ut a fratre Frederico Holsatiæ Duce, qui se quoque Norvagiæ heredem profitebatur, auxilium flagitaret. Ac missi sine mora, qui copias non solum auxiliares ab eo poscerent, sed & regni partem alteram deferrent, quamprimum eas suffeciisset. Verum Fredericus sua sorte ac ducatu, quem tenebat, contentus tum & bellum fortassis, ob recentem Dithmarsiæ cladem animo aversatus, cum aurem hic parum commodare, nec curare magnopere Norvagiam videretur, statutum, ut Rex tota Norvagiæ cura in se susceptа, eo copias omnes sub principe Christiano filio suo, mitteret ac ejus ibidem ductu, suis vero auspiciis belligeraret. Qui animo alacri obsequutus paternis mandatis, ubi in fines Norvagiæ cum exercitu venisset, Asloæ substitit: ac ibi levibus præliis atque excursionibus in hostem institutis, cepit Hermilaum Hudfadium, perduellionis ducem, ac eum lata sententia damnatum, sub oculis ac mœnibus arcis Bahusiæ rotis imposuit. Quo facto, vertit se ad profligandum auxilia, Norvagis a Stenone missa. Et in his, trucidato in prima acie Canuto Carolo, exercitus Svedici ductore, de illo ut homine perduelle, & qui contra datam fidem, deserto Rege Johanne, Stenonis fuerat partes sequutus, haud leviter triumphavit. Captivum quoque inque vincula adduci jussit, quem suspectum sibi habuit Carolum antistem Hammerensem. Qui evadere exinde carcerem effractione ac saltu dum satagit, crurifragium incurrit, quo ex infortunio postmodum obiit; quemadmodum in rebus deinde Christierni propius dicetur. Quin & aliquot præterea ex nobilitate Norvagica ejusdem hujus, ut haberi volebat, defectionis conscios ultimo supplicio affecit. Ac eum in modum tum ibi imperium exercuit, ut ejus hodieque adhuc Norvagis hæreat memoria. Hæc ductu suo, paternis vero auspiciis Christiernus secundus ut juvenis, ita acer bellator, postquam compositis ex animi sententia rebus apud Norvagos gessisset, omnem belli molem ad Svecos transtulit. Horum fines cum exercitu ingressus, omnium primum Losam oppidum potestatis suæ factum ubi diripuisset, inde igne injecto exustum solo æquavit. Ei oppido proxime adjacent arces munitissimæ, Elsburgum & Orestenum, quas vallo militari circumcinctas obsedit. Præsidebat hisce Ericus Ericius, vir non manu minus; quam natalibus clarus, qui intellecto Christiani adventu, cum nec munitum se satis, nec ad tolerandam longiorem obsidionem commeatu satis instructum videret, ordinatis pro tempore & loco rebus, ac constituto, quod opus videbatur, præsidio ipsemet se subducens obsidionem haudquaquam exspectandam putavit, sive quod displiceret cœpta a Svecis rebellio, sive etiam, quod arma in eum ferre recusaret, cui sacramento se obnoxium non ignoraret. Idem postmodo a plebe rustica trucidatus misere interiit, ut statim dicam. At Christianus, ut majorem Svecis vicinis metum incuteret, præsidiariis, qui dedere sese vita salva cupiebant, veniam negavit. Quapropter cum de incolumitate sua desperarent, nec aliud nisi extremum exspectarent, clam nuncium per noctis silentium emittunt, qui Stenonem de re tota edoceret, &, nisi propere subveniret, de se deque arcibus actum diceret. Quibus permotus Steno, ut suos tam præsenti periculo liberaret, ac ceteris hostium metu consternatis animum adderet, magnum continuo equitum pariter peditumque numerum ex agris cogit; additque ducem illis Achonem Ostrogothiæ præsidem, qui per saltus perque rupes obliquis ductibus ac aëre caliginoso iter indefesse agens, Danorum nil tale opinantium castra circa Elsburgum ex improviso occurrit. Cumque quartam sc. vigiliam noctis haud longe abesset, deliberare cum suis cœpit, quibus potissimum locis invadendos Danos judicarent. Ac viso forte fortuna agricola, qui equos in pastum eduxerat, hunc ad se adduci per suos jubet, si forte ex eo de castris hostium fieri certior posset. At ille ubi in se irruentes equites animadvertit, ipse quoque, ne caperetur, equo conscenso ad castra Danorum, quanta potest celeritate, contendit. Quem adeo accelerantem cum videret Canutus Thymius, ex familiaribus Christiani principis nobilis Danus, quærit, quod rerum adferret. Is ut erat animo consternato, adesse magnum armatorum numerum pro castris respondet, quorum manus ea, qua potuit celeritate, evasisset. Quæ cum ad ducem exercitus, prout acceperat, Canutus retulisset, forte cum pridie ejus diei Elsburgum se dediderat ac ipse Christianus cum familiaribus aliquot in arce pernoctaverat. Erantque jam cum nocturnis excubiis commutandæ diurnæ. Et id dum agendum instaret, ecce repente, nebula prædensa tecti adsunt cum equitatu Sveci. Nam pedites, quod eadem celeritate sequi equitem non poterant, in via adhærebant. Sveci igitur, ut cuncta propius inspectarent, proximum, qui erat castris, collem præsidio ob digressas, de quibus dixi, excubias destitutum occupant. Hic animadvertens Acho majorem, quam exspectaverat, esse in castris Danorum solitudinem, quiescentibus adhuc fere cunctis, utpote summo diluculo, neque hostem omnino exspectantibus, ac ratus simul Christianum, quod de arcis deditione nihil accepisset, etiam somno vacare, ut virtute non dolo hostem aggrederetur, classicum canere tubicinem jubet. Qui miratus Ducis sui importunum mandatum, non inquit, Dux illustris classico nunc opus, sed silentio potius invadendus hostis, suntque in proclivi omnia; At Acho mandatum, iterando malum etiam minabatur, nisi pareret, dictabatque sibi haud propositum Regis filium, tantamque nobilitatem fraude aut occultis, sed Marte aperto aggredi, neque aliter æquum aut decorum esse. Vir quippe ingentis animi, licet solum ad manus equitatum haberet, satis tamen virium sibi esse ad hostem profligandum

Fridericus D. frustra rogatur, auxilia in Norvagos mittat.

hinc Christianus R. fil. cum copiis in Norvagiam missus. qui velitationibus factis perduellionis ducem Hudfadium captum rotæ supplicio affici jubet. it. Canutum Car. cædit

Carolum antist. Hammer. capit

aliosque severe punit.

sedatis Norvagis in Sveciam tendit.

Losam opp. perdit.

Elsburgum & Orestenum a præfecto derelicta obsidet.

veniam Svecis negat.

Stenonit copiæ accitæ.

ex improviso Danos obtruncare statuunt;

a rustico quodam res Danis indicatur;

qui Elsburgum deditione ceperant.

instant Sveci & Danorum castra opinione citius invadunt,

gandum judicaret. Igitur incinente & ad arma concitante tubicine, impetum in caſtra Danorum Sveci faciunt, magnamque initio ſtragem edunt, ac multos priusquam ſomno eſſent experrecti, aut, quid ageretur, ſatis intelligerent, interficiunt. Unde ingens exorta in caſtris trepidatio, quam & diluculum ac ſolitudo matutina, haud minus quam inopinatus hic hoſtium adventus mirum in modum adauxit. Eoque in rerum æſtu tum caſtra obequitat ac cædit aco defertur forte fortuna ad illud tentorium, quo ea nocte Andreas Bildius, Sogardiæ dynaſta, itemque Otho Rudig quieverant, viri uterque ut nobilitate generis, ita animi virtute præcipue clari. Quorum hic auſpiciis ſui principis peditatum ducebat, ille tormentis præerat. Et Othonem quidem inter primos aggreſſus Acho manum cum eo conſerit, idque Bildius videns, quod ſui erat muneris, derelicto ſocio ſe cuniculo ad belli machinas confert. Otho interea hoſti diſtinendo, atque aliis aliisque auxilio mox accurrentibus id agit, ut exiguo aut nullo fere ſuorum detrimento Achonem tentorio prohiberet. Eoque facto, ubi ceteris ſe ille junxiſſet, advocat extemplo vexillarius Danus, inque media caſtrorum arca, quod fieri tali cauſa, ſolet ſignum repente explicat. Quo animadverſo, ex Danis reliqui eodem procurrentes, facto undique agmine, utpote numeris paulatim augeſcentes circa ſignum conſiſtunt. Atque inde hoſti tumultuanti, compoſito ordine, obviam eunt, eumque paſſim trucidant. Nec pauci quoque e vicina claſſe, quæ proximo in flumine ſtabat, tormentis petiti ac diſſipati perierunt. Cecidit haud exiguus Svecorum numerus, præſertim ubi in fugam actos, ac caſtra jam trepide deſerentes, Dani inſequuntur. Eſtque eodem tum tempore captum ſummum ipſorum ac regium, quod vocabant, vexillum. Profligatis eum in modum Svecis ac caſtris vindicatis, veriti belli aleam iterum tentare fortunam deſtitere. Princeps vero Chriſtianus, hic magis magisque irritatus, quam negaverat militi vitam atque incolumitatem, eam quoque interfectis omnibus, qui caſtello utrique impoſiti fuerant, illis haud permiſit. Atque injecto deinde igne exuſſit ſimul utrumque. Quibus circa Elsburgum perpetratis, poſtquam univerſum in fines Oſtreburgi duxiſſet, ac eos ferro flammaque qua poterat, eſſet depopulatus, in Scaniam reduxit exercitum. Fuitque prima hæc Chriſtiani principis expeditio, qua ille haud dubia indolis ſuæ ac crudelitatis, quæ in apertum poſtmodum prorupere, ſigna miſit. Exarſit deinde haud levis inter Othonem Rudium & Andream Bildium contentio, atque animi eousque exaſperati, ut fruſtra interponentibus ſe arbitris pacari haud potuerint. Quapropter tandem ad Regem delata cauſa, pronunciavit, Andream Bildium, cum nullo metu aut perditione ſocium deſeruiſſet, ſed officii ratione ad obeundum quod ipſis erat conceſſiſſet, fas & æquum poſtulare, ut ſuum quisque locum ſeduloque operam det, ne uſpiam officio deſit. Iisdem diebus Otho Rudius, qui Bahuſium præſidebat, Olsburgum arcem ſingulari ſtratagemate cepit. Erat hæc ſita in ditione Vichenſi, ac ſtructa a Svecis ad agri circumjacentis defenſionem, quam & firmo præſidio communitam utpote magni momenti locum Sveci perpetuo cuſtodiebant. At Rudius nocte, quæ natalem ſervatoris antecedit, cum ſciret ubivis more gentis pridie iſtius feſti largius ſe invitare omnes; ille ſuos ſub primam noctis vigiliam armari ac lineis ſuperindui induſiis, ſeque ſequi imperat. Atque ita Bahuſio egreſſus non ſine labore per nivem, quæ alte admodum terram texerat, reptando nocte jam intempeſta, ubi Olsburgum appropinquaſſet, & agi excubias negligentius animadverteret, cunctis fere intra aulæ hypocauſtum ad compotiones deſidentibus, vallum cum ſuis ſcandit, ac oppreſſos univerſos inter pocula & ſomnum invadit, capit ac multos trucidat; præfectus ipſe (Nicolajo Rantzen nomen erat) ceteris alacrior ac ſibi intermedios hos motus conſulere ſtudens in arcem fuga evaſit: ubi cum tegulis ac lateribus in hoſtem projectis in diem usque ſequentem ſe fortiter defendiſſet, nec ſpes ulla liberationis effulgeret, in Rudii quoque poteſtatem poſtridie devenit. Interrepta in hunc modum arce, ac ſimul inſignibus manubiis, præter captivos egregie auctus, cum rei ſucceſſum ac pericula, quæ in expugnatione adiiſſet, Rudius Regi exinde expoſuiſſet, is virtute ac induſtria ejus collaudata arcem una cum agro adjacente ipſi ac ejus heredibus in perpetuum poſſidendam liberali manu concedit, additis codicillis, quibus hanc donationem ſuam perpetuo eſſe ratam teſtatus fuit. Hi codicilli poſtquam aliquamdiu latuiſſent, ab obitu demum Eſchilli Bilde, regii equitum tribuni in ejus tabulari inventi, ad veros poſtremum heredes redierunt. Sed Othoni viro ſummo ac belli laudibus claro, magis domi quam foris ſecunda omnia fuere. Quippe annis aliquot poſt cum Seelandiæ præfecturam a Johanne Rege accepiſſet, pro more ejus ævi, Hieroſolymam voti ergo profectus, in itinere Lansbergi prope Auguſtam Vindelicorum morbo obiit. Verum Ericus Ericius, quem ſuperius, relicto præſidiariis ſuis Elsburgo, arce egreſſum diximus, ſive quod arci ac rebus ſuis diffideret, ſive alias, ut memoratum, ſævas circa hoc tempus, qui dies fuit Magdalenæ ſacer, ruſticorum manus effugere haud potuit, vir nobilitate ac virtute oppido inſignis, crudeliter ab ipſis diſcerptus ac laniatus. Eum ſc. accuſabant populares, quod in partes Danorum ſemper fuiſſet propenſior, quodque dixiſſet, recte ac ordine accidiſſe, quod arces iſtæ Elsburgum & Oreſtenum in ejus poteſtatem redactæ fuiſſent, ad quem jure pertinerent. Nec profuit illi quidquam Acho, licet in eum procumberet, ac diu corpore ſuo jacentem obtegeret, orans obſecransque identidem, ut innocenti parcerent. Lubecenſes urbesque Vandalicæ, quam primum ad eos de arcium deditione deque clade Svecorum perlatum

ſed ſtrage aliqua edita multa cum ſuorum cæde depelluntur.

Chriſtianus iratior omnibus præſidiariis Svecis interfectis utrumque caſtellum exurit.

Oſtreburgi fines depopulatur.

Ottonis Rudii cum Andr. Bildio contracta inimicitia.

Olsburgum Otto Rudius aſtu capit.

ipſi poſſidendum perpetuo datur.

ſed Rudius Hieroſolymam petiturus in itinere obit.

Ericus Ericius præf. Elsburgo arce profugus a ruſticis crudeliter dilaniatus.

ejus cædis cauſa.

Lubecenſes Svecis ſubſidio mittunt naves 6.

perlatum, adornari naves prætorias ſex curant, easque ſubſidio Svecis mittunt. Quæ omnes, commoda mox uſæ tempeſtate, haud multo poſt ſine ullo impedimento Stocholmium ſatis feliciter pervenerunt, Steno autem trucidatis aut in ordinem redactis paſſim regiis præfectis & arcibus fere præcipuis, quas ipſi Regis nomine apud Svecos tenuerant, ſuam in poteſtatem traductis, cum bella jam ardere cuncta videret, quo etiam recuperare ceteras poſſet, & occaſionem ei rei idoneam conſequeretur, de Regina, quam etiamnum captivam tenebat, dimittenda cogitationes cœpit agitare. Eaque dum animo verſat, jubilæum per univerſam Germaniam deprædicabat legatus a Pontifice, miſſus Raimundus Papandus Cardinalis Sveciæ apud Corinthios antiſtes, qui & illud ſibi negotii datum ſignificabat, ut diſcordantes per Germaniam ac orbem Arctoum ditiones ac principes ad unionem revocaret, quo ita pacato exinde orbe Chriſtiano omnium unanimi conſenſu in Turcas & Saracenos, hoſtes Chriſtiani nominis infenſiſſimos arma transferri poſſent. Is a Lubecenſibus accerſitus, ſive, quod alii tradunt, ultro Lubecam, ubi veniſſet, a Deo auſpicatus, eum ut pacis auctorem, indicto ſacro, invocare atque orare cœpit, ut cœpta ſecundaret, conſiliaque ſalubria diſſidentibus largiretur. Ac miſſis deinde ad Regem Johannem litteris, petit, ut legatos plena poteſtate inſtructos, ad conſtituendam inter ipſum & Lubecenſes pacem deſignaret mitteretque. Quas ubi litteras accepiſſet Rex, etſi ægre, ſuorum tamen ſvaſu inductus Johannem antiſtitem Othonienſem & cum eo ex Holſatiæ primatibus unum eodem amandat. Et præter eos evocat quoque ad ſe Cardinalis vicinos principes, & in his Regis fratrem Sleſvicenſium atque Holſatiæ Ducem Fridericum & principem præterea Megapolitanum Magnum: tum & ordinis ſacri nonnullos, qui rebus agendis viderentur vel maxime idonei. Magno initio tumultu agitata res fuit, clamantibus aſſidue Lubecenſibus, ſe juxta vetera privilegia atque immunitates ſuas, ut libera ipſis navigatio relinqueretur, flagitare, ac ſimul ut illata ſibi nuper damna Rex reſarciret; ad quæ alii & præſertim Regis legati reponebant, non ideo ipſis libertatem navigandi privilegiaque ac immunitates a Daniæ Regibus eſſe conceſſas, ut eorum beneficio opibus & potentia aucti in Reges ipſos regnumque, a quibus ea accepiſſent, inſurgerent; ſed ideo potius, ut ipſis, quandocunque id uſus resque flagitaret, officia viciſſim ſua redderent: atque ea cum ipſi hoc tempore hoſtium conatus adjuvando, in Regem ejusque ſubditos vertant, haud inique facere Regem, ſi cum hoſte colludentibus privilegia ipſis indulta adimat. At ſi poſtulatis acquieſcant, ac regno Sveciæ eousque abſtineant, donec Rex rebellantes armis coercuerit, non veteribus modo privilegiis in poſterum gaviſuros, ſed & ablata, quæ ſibi quiritantur, cum fœnore redditurum, atque ita cum eis acturum eſſe, ut quam optime a Rege optimo actum ſecum eſſe ipſi faſſuri ſint. Quæ cum primis diebus non ſine ſtrepitu ac partium ſtudio agerentur, viſa ſunt magis exaſperare Lubecenſium animos, quam ad æquitatem. Indignum igitur oratores regii exiſtimarunt, eos tam æquis poſtulatis obſtrepere, neque deferre quidquam vel cardinali & ceteris principibus tanta cura ac contentione in id incumbentibus, ut diſſidentes ad concordiam reducerentur, præſertim cum & ea ab ipſis proponerentur, quæ vel maxime ad honorem ac commodum ipſorum pertinere nemo non æquitatis amans judicare poſſet. Quapropter re infecta redire domum ſtatuebant, id animo præſagientes, quod & poſt evenit, ut belli, cujus cupidiſſimi jam eſſent, pertæſi ſua ſponte atque ultro, quam modo recuſant, pacem oratum venirent. Cardinalis re ad animum propius revocata, ex conſularibus, ut putabat, ſaniores quosdam aut ſaltem, ut videri volebant, ad pacem magis pronos, ſeorſim ad ſe vocatos hortatur ac monet, vulgi ac civium ſuorum inconditas voces, quocunque modo poſſent, compeſcerent ac ſedarent, cum Rege tranſigerent, priusquam diſcederet princeps: Et ut animo ſecum perpenderent, quam eſſet dubiæ aleæ ac periculoſum, hoſtem non modo potentiorem, ſed pacis quoque leges haud iniquas offerentem, provocare. Quæ ſimiliaque licet inculcaret Cardinalis, illi nihilominus perſtabant in ſententia. Quocirca animo commotior, uti reprimeret ferocientes, minatur, miſſurum in Sveciam ſe, qui Reginam manibus Svecorum eriperet, ac Svecos, niſi ad obſequium Regis redirent, ſacris omnibus interdictos anathemate feriret. Quibus elatis cum ſedatiores nonnihil experiretur, hoc poſtremo itum eſt, ut Cardinales & Lubecenſes ſuos ablegarent, qui cum Svecis ac Stenone ſeorſim de liberanda Regina agerent: Atque inde ab eodem, præſertim Stenone ceterisque proceribus, peterent, ut Sundam ſub diem Auguſti decimum, qui Laurentio eſſet ſacer, oratores ſuos anno inſequenti mitterent, quo & ſuos Rex eſſet miſſurus, utque ibi de iſtis præcipue capitibus tractatio inſtitueretur. Rex nimirum Lubecenſibus pro illatis jam pridem detrimentis octo aureorum millia perſolveret; naves direptas una cum mercibus, quæ ſupereſſent, reſtitueret, privilegiis atque immunitatibus, quibus hucusque gaviſi fuiſſent, iisdem ut frui ſineret, modo Svecia abſtinerent. De ceteris opportuniore tempore apud Holſatos tranſigeretur. Octo vero illa aureorum millia Fridericus Holſatiæ Dux præſulque Othonienſis, Lubecenſis, Sleſvicenſis, & aliquot item Daniæ Holſatiæque proceres exhiberent, idque die ſtatuto Lubecam evocati, neque urbe egrederentur, niſi debito ſoluto, quamvis exceptum hic Fredericum Ducem & in ejus litteris, ne ſiſteretur, ſingulari amanuenſis ſtudio cautum, Parvus memorat. Eſt & præſul Othonienſis Johannes, minus benigne, ubi in Daniam eſſet reverſus, a Rege exceptus, quod eam præſtationem ſine regio mandato in ſeſe ſuſcepiſſet.

Steno majora ſemper ſperat,

reginam captivam dimittendi conſilium capit.

legatus pontif. pacis auctorem ſe præbet Lubecæ agens.

advocantur legati e Dania.

ſed in caſſum, Lubecenſibus pacis conditiones reſpuentibus

hinc purpuratus ille minas addit.

tandem conditiones a Lubecenſibus propoſitas ratas habent legati Danici,

aſt Regis cum indignatione.

Missō cum Lubecensibus ad Svecos purpurati nuncio regina liberatur

domumque reducitur comitantibus Lubecensibus ita gratiam Regis inituris.

qui vero a Rege haud admittuntur.

Steno exspirat, quod Danos celare studeat Sveci.

Regina e Svecia abiens testimonium sibi tribuendum petit,

fuscepisset. Transactis, autem, quæ diximus, instante apud Lubecenses Cardinale, haud gravate cum ejus oratore ipsorum quoque delegati Sveciam petivere. Eoque ubi ventum esset, proponit in regni senatu cardinalitius nuncius, quæ in mandatis haberet, super Reginæ liberatione, estque ab omnibus perbenigne auditus. Etenim non ignari Sveci venturum mox Regem ac manu armata conjugem repetiturum, omnes ejus dimittendæ occasiones sua sponte captabant. Nec mora, acquiescentibus ejus petitioni Svecis immiscent se eidem negotio. Lubecenses, ac Svecis identidem de eo salutatis, flagitant: præterea, ut quo loco videretur, quoque tempore mitterent legatos suos, qui de pace semel ac certo constituenda cum regiis consiliariis, agere propius possent. Quibus cum annuissent Sveci, nec se defuturos paci dicerent, educta continuo est Albastro cœnobio Regina, in quo jam annum & ultra custodita fuerat, deductaque exinde honoris ergo ab ipso Stenone ad fines usque Hallandiæ. Substitit nonnihil Halmstadii, ubi ei primaria mox Scaniæ nobilitas regiique præfecti occurrentes, magna ipsam cum honoris significatione excepere comitatique sunt ad fretum usque Oresundæ. Eoque trajecto, Christianus Julius, insigni lectissimorum juvenum manu stipatus, advenientem lætabundus excepit, atque inde Hafniam eodem comitatu deduxit Lubecenses, qui sua præcipue opera liberatam eam videri volebant, ac eo nomine inituros se apud Regem haud levem gratiam sperabant, Hafniam usque regni regiam reducem eam prosequuti fuere. At ibi cum subsistitissent aliquamdiu, adeo sua spe excidere, ut ne in aspectum quidem suum Rex venire passus fuerit: utpote qui simulatum hoc eorum officium nec ullo suo jussu assumptum non ignoraret, atque ideo severior quam ferebat ejus indoles, eos absque responso dimisit. At Steno postquam a Regina discessisset, Lenecopiam reversus circiter Christi natalem, contracta, ut Gothus habet, pestifera ægritudine paucos intra dies in villa Schefigardiæ exspiravit. Ejus mortem in aliquod tempus, ne Dani rescisserent, celatum Svanto volens, itinere sedecim dierum deferri Stocholmium cadaver festinato curavit. Gothus non id Svantoni, sed Gaddio Lincopiensi, qui moribundo quoque adfuit, tribuit, adjiciens in villa vice ejus hominem collocatum ad habitum Stenonis effigiatum. Svecorum si qui eum laudibus vehunt, magnum in eo atque excelsum animum admirantur; vellem effrontem etiam ac subdolum addidissent, quo ille fas nefasque fidem ac jurajuranda vilia omnia habuit dominandi cupidine. Reperio Reginæ, priusquam a Svecia, sive cum jam inde discessisset, publicum testimonium petenti tributum, quod manu supremi præsulis, Jacobi Upsaliensis, itemque Matthiæ Stregenessensis, ut & Svantonis Nicolaji mareschalli subscriptum legitur. Hæc illi profitentur, arcem Stocholmiensem ab ea ad usque extremum & supra morem ac modum sexus ejus, haudquaquam feminee defensam. Et alias tam in arce quam extra eam, in Vastensi cœnobio, atque alibi, vitam egisse, quæ talem tantamque deceret principem. Ubi in regnum & ad suos rediisset Hafniæ ob felicem sui reditum ac liberationem Deo quasi gratitudinem testatura cœnobium continuo condi fecit, divæ Claræ dicatam. Ac mox religionis ergo Sterneburgum in Marchiam Brandeburgensem profecta, ibi simul salutavit, amplexaque postliminio fuit illustrissimam filiam Elisabetham, nuperrime & dum adhuc, ut memoravi, captiva teneretur, Electori Brandeburgico nuptam. Quin & defuncto mox marito Rege aliud præterea eidem Claræ adsciterium dicavit, dotavitque Othoniæ apud Fionios maximis quoque impendiis structum, ut ita illustrissimæ hujus principis nuspiam non exstarent singularis pietatis vestigia; At obitu Stenonis jam divulgato, post longam disceptationem, quod plerique procerum Sveciæ Johannem in regnum revocandum, alii gubernatorem novum constituendum contenderent ad diem XXI. Januarii, qui fuit anni insequentis millesimi supra quingentesimum quarti, divæ Agnetæ sacer, Svantonem Nicolajum equitum regni tribunum, maresschallus est vulgo, regni præsidem principemque designat. Designatus Stenoni quasi parentaturus, ejus ante omnia funus inferri majorum tumulo Gripholmiæ curavit, in cœnobio, quod Carthusæ dictum ipsemet suis impensis fundari Steno fecerat. Obiit siquidem improlis. Inde cum tempus jam appeteret, quod erat, ut supra est positum, die decimo Augusti præstitutum, ut suos quisque legatos tam Svecus quam Daniæ Rex, Sundam mitterent, misit quidem eo suos Rex Johannes: qui ubi Svecos aliquamdiu Strafesundæ essent præstolati, nec venirent, idcirco ne frustra tempus tereretur, re infecta redire in regnum coacti sunt. Erant quoque per idem tempus in procinctu, venerantque jam Rostochium, Vandalicarum civitatum legati, ut se eodem conferrent. Sed cum bellum tunc inter Stralesundenses ac Ducem Bugislaum esset, negavit legatis tuti itineris litteras Dux, utpote quod Stralesundanis socii ac fœderati essent; unde iterum civitates cum Lubecensibus fœdus Rostochii fecere, ad tuitionem præcipue privilegiorum ipsarum pertinens. Inter hæc Svanto jam rerum, ut meminimus, potitus, pro hoste se gerere, ac undique contractis copiis, obsidere Calmariam instituit. Hemmingum vero Gaddium præsulem Lincopiensem, hominem sago magis quam togæ natum, in Oelandiam, quæ exigua est, Calmariæ, ac ei continenti prætexta insula, ad oppugnandum ibi castellum Borcholmium armata cum manu mittit. Utrumque locum valido satis præsidio communierat Rex ab eo jam tempore, quo in Svecia regni diadema accepisset. Sed incitabat Svantonem præcipue temporis opportunitas, ut, dum Johannes cum urbibus Vandalicis maritimo bello occupatur, illi arces sibi peropportunas recuperaret.

domum redux facta cœnobium d. Claræ condit.

in Marchiam abit filiam Elisab. visura.

A. 1504. Svanto regni Svec. præses designatur.

In conventu Sundensi Sveci non comparent.

legatis Lubecens. Bugislaus Pomer. D. tuti itineris litteras denegat; hinc Lubec. cum civitt. fœdus novum.

Svanto Calmariam obsidet,

itemque Borcholmium cum Johannes K. maritimo bello occuparetur.

cuperaret. Quæ tamen eum fefellit ſpes, quod Regi per intervalla ac vires nova mittendi ſubſidia occaſio non deeſſet. Interea animadvertens Rex Svecicum bellum longius fortaſſe ſpe ſua duraturum, & inſulam Borringholmiam, & quæ in ea eſſet poſita, arcem Hammarenſem, una cum vicina Gothlandiæ inſula plurimum allaturas momenti ad prohibendas Svecorum in Balthicum mare excurſiones, totus in id incubuit, ut non minus Borringholmiam, quam Gothlandiæ inſulam ſua in poteſtate teneret. Cum igitur reperiſſet in archivis ſuis codicillos Archiepiſcopi Lundenſis Nicolai, quibus ille profitetur, ſe hanc inſulam arcemque a Rege Valdemaro IV. ut ejus regnique beneficium tenere ac reſignaturum, ubi repetierit; Johannes ceu ſucceſſor Valdemari a Birgero ejusdem metropolitanæ eccleſiæ ſummo tunc antiſtite, vi præcedentium codicillorum ſibi reſtitui & arcem inſulamque flagitavit, utpote iſto tempore ſibi regnoque peropportunas maximeque neceſſarias. Calmariam interea, quam obſidere, ut dixi, Gaddius inſtituerat, dum inſtat acrius, urbem quidem, non tamen arcem capit & mox appulſa, quæ in propinquo erat, regia claſſe, cum arcem adhuc Rex aut ejus præſidium retinet, haud diu ſuſtinere vim ejus oppidum potuit, deditumque viciſſim Regi. Ac ibi quod Vitfeldius memorat, damnati capitis affectique ultimo ſupplicio ex ſenatu ac civibus aliquot, qui rei perfidiæ urbem dediderant. Quæ dum fiunt, ac levibus ſubinde prœliis Svecos Danus experitur, oritur inter duces Megapolitanos & Lubecenſes haud tralatitium bellum: cujus occaſione cum ſe duplici ſuſtinendo hoſti vix pares viderent, mittunt ad Regem, qui pacem petant. Audita eorum legatione, cum e re ſua eſſe ob Svecos præſertim, Rex judicaret, ut morem eorum petitioni gereret, ceſſit eorum poſtulatis, ac locum colloquio Segebergam attribuit. Quo ubi ventum eſſet, acta transactaque his legibus res fuit: Lubecenſes ceteræque Vandalorum civitates fovendo Svecico bello neque importarent Sveciæ quidquam ipſi, neque per alios importari curarent. Nullas quoque Svecorum naves aut mercimonia ſuos in portus reciperent. Svecos, qui naves mercesque ſuas ipſorum portubus inveherent, in gratiam Regis detinerent. Lubecenſium naves, ſi quæ regiis occurrerent, velis dimiſſis curſum ſiſterent, litterasque ac merces ſuas regiis navarchis inſpiciendas exhiberent, quæ & dimitterentur continuo, ſi nihil Svecicarum rerum vehere deprehenſæ forent. Naves denique ereptæ mercesque, ſi quæ ſupereſſent, redderentur. Hæ a Lubecenſibus acceptatæ tum conditiones ac ſimul promiſſum, ut iisdem etiam ſubſcriberent Dantiſcani, Revalienſes ac Rigenſes. Sed illi cum id flagitarentur, negarunt ſe aut ſocias civitates eo, quod in rem ſuam pacti ſeorſim fuiſſent Lubecenſes, nullo modo teneri. Fremebant interim Sveci, & ſe a ſuis civitatibus injuſte deſeri quiritabant. Rex vero iſtis transactis, denuo in Svecos movet, ac eam præcipue Sveciæ oram, quæ Scaniæ eſt contermina, quam graviſſime affligit. Miſerrima quippe tum rerum apud Svecos facies fuit, dum media ac ſæva hieme tectis ejecti in ſilvas ac rupes una cum liberis ac conjugibus ſeſe abdere mortales cogerentur. Ubi haud pauci fame ac frigore enecti, duriſſimo mortis genere ſpiritum exhalarunt. Quibus malis ac calamitatibus tum & defectione Lubecenſium motus Svanto, aliique procerum regni Hafniam legatos miſerunt, qui de pace agerent ſpem bonam facientes, rationem inventum iri, qua regnorum trium toties rupta concordia ſtabiliri aliquando poſſet. Rex licet ægre ad ullam cum Sveco toties deluſus tractationem ineundam accederet, locum tamen eorum poſtulatis hoc tempore dedit, idque interceſſione Scotiæ Regis legati, qui tum commodum ad pacem promovendam e Scotia advenerat. Fuere autem Scotorum legati Matthias, præſul Strangenceſſenſis, itemque Benedictus Ronningius eques Svecicus, regni ſenatores: iique apud Regem regnique proceres, poſtquam exauditi verba feciſſent, & cum illis viciſſim Rex regnique ſenatus contuliſſet, factis atque evulgatis codicillis teſtati palam ſunt, ſe ore tenus cum illuſtriſſimo principe Rege Johanne reverendis ac ſtrenuis viris ex ordine equeſtri ac regni ſenatu Hafniam convocatis ita egiſſe ac conveniſſe utrinque, ut anno abhinc proximo, diebus circiter ante feſtum divi Johannis quatuordecim haberetur Calmariæ conventus, cujus octiduo poſt idem feſtum finis eſſet, niſi aliter penes regni ſenatum ſtatueretur. Interea pax utrinque terra marique coleretur ab iſto nimirum tempore ad dictum jam anni inſequentis diem, traderetque Rex ac toto eo tempore eſſe ſineret arcem oppidumque Calmariæ in poteſtate Nicolai Giedve viri apud Svecos indigenæ. Si autem ipſe adeſſe Johannes Rex ob valetudinem, aut morte, (quod Deus avertat) prætentus haud poſſet, ejus tum loco accederet majeſtatis ejus filius princeps Chriſtianus una cum iisdem trium regnorum ſenatoribus. Ceſſaretque continuo Calmarienſis obſidio. Si autem, (quod abſit) neque per amicam compoſitionem neque juris æquitate terminari controverſum poſſet, quod inter Regem ac Sveciæ ſenatum hæret, rediret in poteſtatem Regis Calmaria ejusque præfectura univerſa. Si vero terminaretur, eo, quo nunc modo permaneret. Borcholmiæ item in Olandia arx ac diſtrictus, cui Regis nomine præeſſet vir equeſtris Nicolaus Roſenius, penes eundem quoque ad finem usque conventus ſervaretur. De Gothlandia inſula, quam ſibi ac Daniæ regno vindicabat Rex, quodcunque decreturus eſſet, trium regnorum ſenatus, id ratum haberetur. Unusquisque regni cujusque incola ſuis fortunis frueretur ac ſua libere exerceret commercia. Captivi utrinque dimitterentur. Et denique ſub fide ac honore nominis ac famæ ſuæ polliciti jam dicti legati ſunt, nomine procerum Sveciæ ac ſenatus, a quo mandata ſua acceperant, adfuturos Calmariæ

Borringholmiæ & Gothlandiæ inſulis retinendis ſtudet Rex.

claſſe ſuccurrens Calmariam urbem Svecis traditam recuperat; quosdam urbis primarios ſupplicio afficit.

bellum inter Lubecenſes & Duces Megap. hinc illi a Rege pacem petunt; quæ & facta Segebergæ.

pacis capita.

civitt. reliquæ illis ſubſcribere recuſant.

Sveci indignantes.

Svecicarum rerum miſerrima facies.

Sveci legatos Hafniam mittunt pacis cauſa.

Regem ægre annuentem commovet legatus R. Scot.

conventus Calm. decernitur.

præluſiones pacis.

mariæ se reliquumque senatorium ordinem tempore præstituto, ac sancte insuper, quæ posita superius sunt, capita uniuersa ac singula servaturos. Data actaque hæc Hafniæ, ut loquitur instrumentum, die quarto Erici Regis ac martyris, qui fuit, Maji 18. Ao. 1504. Per idem circiter tempus Fredericus Holsatiæ Dux, ceterique Holsati, qui apud Lubecenses fidem suam interposuerant, pro octo illis aureorum millibus, de quibus superius memoratum, moniti a Lubecensibus promissum præstarent. Et licet Dux ipsemet exemptus haberetur, id tamen effecit, ut illis hoc tempore Trittavia pignori sit tradita. Extremo anni mortalitatem complevit regiæ aulæ præfectus vir oppido famigeratus Ericus Othonius eques Danus, sepultura honoratus in æde cœnobii Matiagræ. Ejus nuptiis interfuisse memoratur Rex Christianus I. & Regina Dorothea, nec insumptum ultra medium vini cannam, quod traditum chronologis: hic vero repetere libuit, quo intelligeretur, quam ab eo tempore in immensum excreverit ad usque hanc nostram tempestatem mensarum luxus. Fluente hinc anno, qui est sequutus, millesimo supra quingentesimum quinto, appropinquare paulatim cœpit, qui erat conventui Calmariæ dictus dies. Quocirca ne uspiam in mora Rex esset, tradita prius, juxta tractatus superioris formulam in potestatem Nicolai Giedæ, arce Calmariensi, ipse Calmariam sub decimum Junii, prout erat statutum, profectus ibi senatum regni Norvagiæ, Scotiæque Regis legatum, tum & oratores Electoris Brandenburgici, Ducum Megapolitanorum aliorumque vicinorum, Vandalicarum item urbium consiliarios syndicosque præsentes deprehendit, soli, qui conventum ipsi postulaverant, Svecorum nulli comparuere. Diu exspectati cum non venirent, ablegat Rex, qui vocarent ac hortarentur, caverent, ne publicum regnorum negotium adeo grave ac regnis borealibus universis adeo salutare ac necessarium dicis tantum causa ac verbis ad fucum compositis egisse viderentur, sese juxta datam fidem sisterent ac publicum tot gentium suis consiliis moderari præsentes ac promovere non intermitterent. Ipsos suo regnique commodo comitia ista flagitasse seque regem clementer indulsisse. Agerent, quod graves ac prudentes viros deceat, nec sibi levitatis notam inuri paterentur; ad animum potius revocarent famam atque existimationem suam quasi in theatrum modo productam periclitari, quam quicunque sibi amiserit, nihili postea fieri. At iis omnibus parum moti Sveci, licet civitati venturos se identidem pollicerentur, non tamen uspiam comparuere, nec missi etiam, qui ullam cunctationis causam redderent. Rex igitur cum iterum iterumque se ludificari videret, convocari duorum regnorum Daniæ pariter ac Norvagiæ senatum curat, ac iis Svecorum codicillos, quibus manu ac sigillo additis, fidem suam quam sanctissime obstrinxerant, publice exhiberi ac recitari jubet. Iisque recitatis cum jam constaret universis, Svecos neque fidem toties datam, neque litteras ullas pensi habuisse, & modo quoque aliorum judicium de se subterfugiendo satis se reos declararent, Rex ne in sua causa judicis partes sibi sumpsisse videretur, senatorum quos dixi regni, utriusque sententiam flagitat. Ii præsentibus Regis Scotorum, Electoris Brandenburgici, ducatuumque vicinorum urbiumque Vandalicarum delegatis, aliisque fide ac auctoritate præstantibus viris, hunc in modum pronunciant. Stenonem, Svantonem, & qui cum illo heredibus Stenonis, qui perduellionis erat auctor, jam olim modoque facerent ac litteris Hafniæ nuper subscripsissent, ut perfidos, contumaces ac perduelles, honore, fama ac fortunis excidisse, Regem vero Johannem in Sveciæ regnum, quo eorum injuria ac machinationibus esset destitutus, restituendum, ad reddendum Reginæ Christinæ suum dotalitium Orebroe castellum; quæque eodem spectarent, cum repræsentatione detrimentorum, quæ passa interea fuisset. Sed hujus sententiæ cum apographum habeatur, Germanice, Danice & latine scriptum, operæ pretium existimavi, ejus hic exemplum formulamque subjicere. Quæ pro more ejus ævi latina ejusmodi est: Nos Dei gratia Birgerus Lundensis Sveciæ primas, & Gauso Nidrosiensis, Archiepiscopi, sedis Apostolicæ legati; Johannes Roschildensis, Nicolaus Burglovensis, Nicolaus Arhusiensis, Nicolaus Viburgensis, Ivarus Ripensis, Johannes Othonienses, eadem gratia episcopi; Carolus electus Hamerensis, Jonas præpositus ecclesiæ divæ virginis Ansloæ, regni Norvagiæ cancellarius, Nicolaus Hoogh, Perbernus Pudebuch, Nicolaus Henricus, Henricus Crumediek, Antonius & Georgius Pasbergii, Magnus Goüe milites, Johannes Holgerus, Nicolaus Hack, Jacobus Andreæ, Johannes & Torbernus Bilde, Ebbo Strangonis & Henricus Achonis regnorum Daniæ & Norvagiæ consiliarii, nunc Calmariæ constituti, notum facimus, quod anno 1505. ante festum Johannis baptistæ die decimo quarto essemus Calmariæ ad satisfaciendum contractui facto per Rever. Dominum Matthiam episcopum Strengenessensem, & Benedictum Runningium militem, de regni Sveciæ consiliaris cum pleno mandato ad hoc missos: in quem contractum consentientes finaliter concluserunt, pro se singulisque regni Sveciæ consiliariis, cum illustrissimo potentissimoque principe ac domino D. Johanne Daniæ, Sveciæ, Norvagiæ, Sclavorum Gothorumque Rege ac domino nostro, & cum nobis omnibus regni Daniæ consiliariis, Hafniæ anno 1504. die 18. mensis Maji. Qui contractus, inter alios articulos clarissime continet, quod hic Calmariæ celebrabitur diæta publica cum omnibus istorum trium regnorum, scilicet Daniæ, Sveciæ, & Norvegiæ consiliariis; quæ diæta inchoanda sit quatuordecim diebus ante festum Johannis baptistæ anni 1505. durando usque ad octavam dicti Johannis festi; medio tempore ab incolis istorum

Lubecensibus ex pacto pretium a Rege postulantibus oppignoratur Trittavia.

Ericus Othonius moritur.

A. 1505. conventui Calmariensi desunt Sveci.

hinc ablegati, qui eos commoneant advenire.

sed frustra.

hinc præsentes legati de iis sententiam pronunciant,

quæ hic actiæ jungitur tota.

rum trium regnorum ſecuriſſimæ treugæ ſerventur terra marique undecima ſeptimana menſis Junii incipientes & ad finem dictæ diætæ durantes. In qua diæta conſiliarii regni Sveciæ & nonnulli illius regni incolæ ſtabunt vel compoſitioni amicabili vel juri regiæ majeſtati noſtræ, pro omnibus cauſis, actionibus & accuſationibus, quæ regia majeſtas adverſus eos habeat: pariter eis majeſtas ſtabit regia juri, ſi quid ipſis contra ſuam majeſtatem competit coram trium iſtorum regnorum conſiliariis; & tunc obligarunt ſe prædicti dominus Matthias epiſcopus & Benedictus Runningk, ſecumque omnes conſiliarios regni Sveciæ vigore mandati eorum, ſub chriſtianæ fidei veritate & privatione ſtatus & honoris, quod omnes in præfata diæta comparent ad ſatisfaciendum contractui prælibato cum cunctis articulis ac verbis. Simili modo obligaverat ſe regia majeſtas, & nos omnes regni Daniæ conſiliarii in chriſtianæ fidei veritate, & ſub privatione ſtatus & honoris. Et ideo proxima die poſt feſtum Johannis baptiſtæ Calmariæ in prætorio fuimus congregati; & in præſentia regiæ majeſtatis ac præſtantiſſimorum egregiorumque virorum Leonis armorum præfecti, Hieromi Schutleri Doctoris, Theodori de Beverneſt, illuſtriſſimorum illuſtriumque principum ac dominorum D. Jacobi Regis Scotiæ, Joachimi Marcgravii Brandeburgenſis, ſacri Romani imperii Archicamerarii & Electoris in Stetin-Pomerania & Ducum Megapolenſium &c. conſiliariorum ordinatorum & ambaſatorum. Acceſſit ſtrenuus miles Nicolaus Hoyck, proponens nomine regiæ majeſtatis in hunc modum; quod majeſtas regia una cum ambaſatoribus prædictis atque nos regnorum Daniæ Norvagiæque conſiliarii fuiſſemus conſtituti, integris nunc Calmariæ quatuordecim diebus ante ſupradicti Johannis baptiſti diem, & abſtulit nobis ſupradicti contractus litteras, factas per dominum Matthiam & Benedictum Ronningk; quibus affixæ erant litteræ mandati eorum de ſingulis & omnibus regni Sveciæ conſiliariis ipſis dati & ſigillis eorum appenſis roborati, taliter, ut absque ſigillorum læſione ſeparari non poterant. Dehinc abſtulit quosdam articulos nomine regiæ majeſtatis contra præfatos regni Sveciæ conſiliarios, & nonnullos illius regni incolas, cum pluribus aliis documentis & litteris patentibus ſigillatis, quæ regiſtratæ ſunt, quemadmodum hæc & alia acta manifeſtant. Præterea ſæpe dictorum conſiliariorum & incolarum regni Sveciæ accuſavit contumaciam, quod etiam nec modo comparuiſſent, nihili pendentes obligationem eorum ſatisfaciendi ſub chriſtianæ veritate fidei & privatione ſtatus & honoris. Et petiit, ut vigore initi contractus condemnaremus eos contumaces, ac pœnam eorum contumaciæ M. R. juſtis de cauſis admitteremus ulteriorem in judicio proceſſum. Quapropter decernimus, prædictos conſiliarios & incolas regni Sveciæ contumaces, admittimusque unanimiter, regiam majeſtatem, contra prædictos accuſatos in judicio procedere ſicuti ab antiquo in illis tribus regnis ſimilibusque cauſis obſervatum fuerit, contumacia eorum non obſtante. Idcirco ex ſuper abundanti nos Burgerus Archiepiſcopus Lundenſis &c. & nobiſcum præfati domini, Archiepiſcopus, epiſcopi, milites atque militares regnorum Daniæque Norvegiæque conſiliarii decrevimus R. M. noſtram peremptoriam citationem, ad terminandum totam illam cauſam, quam R. M. habet contra heredes Stenonis Sture, Svantonem Nicolai, Nicolaum Nicolai, Stenonem Chriſtierni, Trottonem Magni, Ericum Turonis, Achonem Johannis milites: Antonium Erici, Ericum Johannis, Petrum Turonis, regni Sveciæ incolas, cum complicibus & adhærentibus eorum, regiæ majeſtatis infideles rebellesque ſubditos, quod ipſi de cetero coram Calmariæ in prætorio judicio ſiſti & reſpondere R. M. ad hoc, quare in ſuam majeſtatem legitimum dominum eorum conſpiravere: non attento homagio eorum ſeu jurejurando ab eis ſuæ majeſtati præſtito. Nec taliter ſatiati, ſed ultra hoc plebem communem vi & armis coëgerunt, ut eis homagium præſtarent; imo magis & de facto regiam majeſtatem vi armata privarunt & ſpoliarunt omnibus caſtris, civitatibus, dominiis & proventibus, & ita toto Sveciæ regno cum pluribus falſis dictis & inauditis rumoribus, quibus de peſſima eorum voluntate manantibus ſtatum regiæ majeſtatis macularunt; crimen ſc. læſæ majeſtatis committendo, prout acta cum articulis clarius doceant, vel excipere, ſi aliqua eis competeret exceptio. Quare non ipſos judicare & declarare debemus in pœnam criminis læſæ majeſtatis incidiſſe: etiam quare non poſſumus adjudicare R. M. & ipſam reſtituere in regnum Sveciæ, quo illi ſuam majeſtatem contra jus & de facto ſpoliarunt cum damnis & intereſſe. In eadem citatione monuimus conſiliarios regni Sveciæ ſub pœna prælibati contractus, hic Calmariæ nobiscum comparare & ſatisfacere contractui in omnibus ſuis punctis & articulis, veluti ipſa magis citatio patefacit, quam per præconem & publicum Notarium noſtrum Calmariæ in foro, ſtratis & per totum clara & intelligibili voce publicare mandavimus diebus totis Saturni Lunæque ſibi immediate ſequentibus; quam, ut præmittitur, exſequutus eſt. Et quamvis nullus eorum comparuit, nec aliquis pro eis cum idonea exceptione contumaciam ipſorum excuſans, diutius tamen exſpectavimus, & interim diligenter deliberavimus examinantes cauſas, articulos, documenta, litteras, & totum proceſſum regiæ majeſtatis inibi contra heredes Stenonis Sture, Svantonem Nicolai, Nicolaum Nicolai, Stenonem Chriſtierni, Trottonem Magni, Ericum Turonis, Achonem Johannis, milites; Antonium Erici, Ericum Johannis, Petrum Turonis regni Sveciæ incolas, cum complicibus & adhærentibus eorum. Ex quibus cauſis, documentis, litteris & actis didicimus, ut quivis per ſe cognovit, rei hujus etiam memoriam recentem

gerimus,

gerimus, videlicet Regem noſtrum Johannem, electum in Regem Sveciæ & tunc poſtea Svecis ſuæ majeſtati, ut legitimo eorum domino & Regi homagium præſtiterunt, tandem rite cum omnibus ſolennitatibus, ut decet, in Regem coronarunt. Taliter majeſtatem ſuam pro domino & Rege acceptarunt & cognoverunt cum caſtrorum fidei traditione omnia, civitates, caſtra, dominia, proventus, & ſic totum regnum ſuæ ditioni ſubjicientes: etiam quæcunque ad Sveciæ regnum ſpectant, ea omnia pacifice tribus ſucceſſive annis regia majeſtas tenuit; & ut juris & conſvetudinis eſt, poſſedit tam diu, donec Steno Sture, Svanto Nicolai, Nicolaus Nicolai, Steno Chriſtierni, Trotto Magni, Ericus Turonis, Acho Johannis milites, Antonius Erici, Ericus Johannis, Petrus Turonis, incolæ regni Sveciæ; cum complicibus & adhærentibus eorum dicto regno ſuam majeſtatem, ut ſupra dictum, ſpoliarunt, qui & nunc cauſa incognita immemores Dei, liciti juris & honoris, præfatum de facto occupent regnum. Quare nunc Chriſti nomine invocato nos ſæpe dicti regnorum Daniæ & Norvegiæ cancellarii ſedentes pro tribunali, nihil niſi Deum & juſtitiam præ oculis habentes, diligenter omnibus in judicio productis, innatis atque diſcuſſis in his ſcriptis declaramus & decernimus & definimus, præfatos Stenonem Sture, Svantonem Nicolai, Nicolaum Nicolai, Stenonem Chriſtierni, Turonem Magni, Ericum Turonis, Achonem Johannis, milites, Antonium Erici, Ericum Johannis, Petrum Turonis, regni Sveciæ incolas, cum complicibus & adhærentibus eorum præter omnem cauſæ cognitionem propria malevolentia vi armata & de facto contra majeſtatem regni Sveciæ dominum noſtrum conſpiraſſe; &, quod indecenter & contra jus, ſpoliarunt ſuam majeſtatem in plenam poſſeſſionem ejusdem regni Sveciæ, quemadmodum ante ſpoliationem illius ſua hoc majeſtas cum caſtris, civitatibus & omnibus dominiis & proventibus poſſedit, habuit & uſa eſt. Etiam adjudicavimus ſuæ majeſtati omnia præſcriptorum Stenonis Sture, Svantonis Nicolai, Stenonis Chriſtierni, Nicolai Nicolai, Trottonis Magni &c. cum complicibus & adhærentibus eorum bona mobilia & immobilia, ubi & in quo habeantur, ut iſta ſint aperta & fiſcanda regiæ majeſtatis cameræ in perpetuum. Præterea judicamus illuſtriſſimam dominam D. Chriſtinam regnorum Daniæ, Sveciæ, Norvagiæ, & dominam noſtram, ante omnia debere reſtitui in pacificam poſſeſſionem; Et harum ſerie reſtituimus & mittimus ſuam majeſtatem in pacificam, realem & corporalem poſſeſſionem caſtri Orobroæ, cum omnibus dominiis, juribus, & proventibus ad hoc caſtrum ſpectantibus, nullo excepto, ut pro dotalitio ad vitam, ſuæ majeſtatis hoc fruatur, veluti litteræ conſiliariorum regni Sveciæ datæ deſuper doceant, cum plena ſatisfactione damnorum & intereſſe. Nos quoque, præſcripti Nicolaus Hoëgh, Prebernus Pudebusk, Nicolaus Henrici, Henricus Crommedigius, Antonius & Georgius Pasbergii, Magnus Goüe, Johannes Holgerus, Nicolaus Hack, Jacobus Andreæ, Johannes & Tobernus Bilde, Ebbo Strangonius, & Henricus Achonis, regnorum Daniæ & Norvegiæ conſiliarii condemnamus omnem bonam memoriam Stenonis Sture & ſæpe dictos Svantonem Nicolai, Nicolaum Nicolai, Stenonem Chriſtierni, Trottonem Magni, Ericum Turonis, Achonem Johannis, milites; Antonium Erici, Ericum Johannis, Petrum Turonis, regni Sveciæ incolas & omnes complices & adhærentes eorum declaramus vigore propriæ obligationis eorum, ipſos privatos eſſe honore & libertatibus, privilegiis & gratiis, quæ unquam ab aliquo aut Rege ſeu domino obtinuerunt, eosque incidiſſe in pœnas criminis læſæ majeſtatis. Hæc omnia facta & acta ſunt loco & anno ut ſupra, die vero prima menſis Julii. In quorum omnium evidens teſtimonium cum ſubſcriptione publici notarii, nos omnes & quilibet per ſe appendimus noſtra ſigilla; ad hæc teſtes vocati & rogati ſunt venerabiles magiſtri Avo Bilde & Tycho Vincentii. Quam ſententiam, ne in ſua cauſa ſe conſiliariorum ſuorum judicio ſtetiſſe videretur, Cæſari mox Maximiliano, quamquam ei haudquaquam ſubditis, utpote ſupra ſe magiſtratum non agnoſcens, propius inſpiciendum deque ea ſtatuendum transmittit. Qui ubi rite, quæ in regio judicio fuiſſent prolata, examinaſſet, eadem quoque non probavit modo, ſed in ſuo quoque imperio promulgari fecit, & tanquam a ſe in Stenonem Svantonemque ac ſocios ejusdem factionis lata, haberi rata voluit, addito diplomate inſuper ſuo, quod cum Germanice ſolum extat, alibi & ad calcem fortaſſe, ſi neceſſarium fuerit exhibendum curabimus. Datum Cæſareum hoc inſtrumentum Gratzæ reperio, menſe Octobri, anni qui proxime eſt inſequutus milleſimi ſupra quingenteſimum ſexti. Quo tempore transactis, quæ memoravimus, excudi demum typis latam ſententiam Rex curavit, atque inde eandem exſequutioni mandans damnatorum fortunas omnes aut bona quæcunque in Dania ut Norvegia haberentur, fiſco ſuo addixit. Litteras præterea ſive diploma, de quo dixi, Imperatoris Maximiliani per urbes ubivis Vandalicas publicari juſſit, ne quid rerum neceſſariorum, quamdiu in rebellione perſiſteretur, invehant aut invehi permittant, neve ſtipendium illis faciant, aut ulla cum illis commercia habeant, modo frui in Dania immunitatibus ſuis ac privilegiis eum poſt diem velint. Qua inſigni contumelia cum ſe tanquam perduelles ac reos majeſtatis per univerſum imperium tractos traducique indies intelligerent Sveci, ſuimet pudor illos cœpit, ac eam ut aliquo modo eluerent maculam, denuo Hafniæ adeuntes Regem de pace agere identidem inſtituunt. At cum toties fluxam eorum ac ſubleſtam fidem experiretur, vix, quod petunt, impetrant. Atque ita paucorum tantummodo menſium obtentis induciis domum redeunt. Eſt eodem circiter tempore præſcriptus a ſummo

A. 1506. Sententia Cæſari Maximil. probata ab eodem per imperium Germ. promulgatur

hinc pudet Svecos atque de pace agere inſtituunt.

Henningi Gaddii electi Lincop. cum Jac. Cardin. cui Pontif. R. id muneris adjudicarat, controversia.

a summo pontifice Henningus Gaddius electus Lincopiensis. Etenim Jacobus Cardinalis presbyter titulo S. Clementis Arboiensis nuncupatus, ecclesiæ Lincopiensis perpetuus, ut eum præterea vocabant, administrator, ante quinquennium post obitum statim Henrici præsulis Lincopiensis ab Alexandro VI. pontifice Romano codicillos super eadem Lincopiensi ecclesia impetraverat. Quod, ut videtur, insuper habens Gaddius postmodum commendatione ac cura Stenonis Sture, nec non Svantonis Nicolai, eum in episcopatum ingerendo eligi a capitulo canonice ut vocant, sese fecerat. Et id cum ferret ægerrime Cardinalis, qui & commodo non exiguo & jure simul transferendi episcopatum in alium privabatur, novos super eadem donatione codicillos a pontifice Julio II. obtinet, & alios quoque, quibus vetabatur Gaddius curam sibi præsulatus istius assumere, & reditus, quoscunque accepisset, eos referre ad Cardinalem jubebatur: Et id nisi certum intra tempus præstaret, a pontifice proscriptus haberetur. Quin & clero universo ejusdem diœceseos mandabatur ne eum antistitem agnoscerent, & ceteri quoque & Svanto præsertim, similiter inter proscriptos censerentur, si opem ei suam ac defensionem commodarent. Et denique potestas cardinali eidem facta erat, ut exequendum decretum pontificium, invocare opem magistratus præsulumque Ragusiæ, Lubecensis & Roschildensis. Transtulerat adhæc idem Cardinalis in Regem Johannem, quid ipse a Pontifice juris acceperat agendi in eundem Gaddium: existimans haud illubenter susceperturum hoc cum odio hominis, qui adeo hostili diroque in ipsum regnumque esset semperque fuisset animo. Sic siquidem hic ille Henningius Gaddius, cujus extat virulentum illud ac meris consutum calumniis in Danos scriptum, a Parvo refutatum. Quo & ipso velut ex ungue leonem cognoscere est, nihil in ipso viro fuisse magnum, præter summam animi inquietudinem ac bilem, qua in totum fuisse conflatus videtur. Quæ dum agerentur, hæret inter Megapolitanos & Lubecenses bellum; nec compositum id, nisi aliquanto post. Obsessum quidem & oppugnatum a Duce Brunsvicensium Henrico, qui Megapolitano auxiliaris venerat, Mollenum oppidum, sed irrito conatu. Direpti interim exustique ab eo post solutam obsidionem pagi Lubecensium aliquot damnaque hinc inde illata. Et Rex per idem tempus repeti ab Episcopo Monasterienſi Conrado Delmenhorstum fecerit, itemque Harpostedum ac Vesterburgum castalla ac præfecturas vi iam olim ab ipso occupatas, ut suo est loco dictum, pertinentes ad liberos ac hæredes Diderici Oldenburgensium Comitis. At Rex, ut heres ejusdem comitatus, Delmenhorstam, ne forte præscriptio aliquando temporis ipsi heredibusque obduceretur, quod episcopi non erat, interpellare ac commonere eum non desinebat. Misit iisdem quoque diebus ad Regem Galliarum Ludovicum fecialem suum Thomam Zelandum, qui fœderis eum jam olim facti commoneret, ac belli simul, quod sibi cum Sveco ac urbibus Vandalicis esset, causas atque occasiones exponendo, opem præterea flagitaret, præsertim cum non Sveci modo, sed urbes præcipue Vandalicæ Svecis deditæ, sibi vindicare Balthici maris usum ac frequentationem quasi solæ viderentur. Ipsis ad Galliæ Regem codicillis ejus inserta de civitatibus iisdem Hansaticis hæc verba, esse perniciosas eas principum statui. Erat simul in mandatis eidem regio caduceatori injicere aliquod de matrimonio inter principem Christianum ac neptem Galliarum Regis, illustrissimam principem Magdalenam, de quo & Scotiæ Rex ejusdem Christiani nomine jam ante nonnihil agere cœperat. Erat Magdalena, Annæ Britanniæ ducissæ consangvinea. Athanæ apud Scotos Dux sororem ejus duxerat. Verum quod ad auxilia, nulla a bello missa; sed eorum vicem legatus Monnoius Regis nomine advenit cui in mandatis erat, ea cœptare, quæ ad pacem ac animos singulorum pacandos spectarent. Inde ad Scotiæ Regem scribi Johannes fecit, de Gallico matrimonio tractare supersederet, aliud injici ab affinibus, amicis ac principibus de Polonia & aliis. Videturque ex iisdem ad Scotum litteris colligi, diffisum Monnoio Regem, quasi minus integre rem ageret, & qui aliud simularet, aliud tegeret. Atque ideo quoque eas quæ erant a Ludovico Rege ad Hansaticas scriptæ suppressas reservari curavit. Sed postmodo ipso ab anno 1507. cum Megapolitanis pax Lubecensibus facta; quæ iterum eos in Daniam concitavit, quasi motos invidia, quod felicius quam optaverant Regi cum Svecis res successissent. Quo igitur bene cœpta turbarent, insuper habitis, quæ pacta pridem fuerant, non naves modo ac merces Svecorum suos in portus receperunt, sed iisdem quoque, quæ poterant, subsidia misere. Et aliquoties Sundenses exinde, cum Sveticas naves suos in portus excepissent & eas sibi tradi Rex secundum pacta, juberet, urbium eas Vandalicarum esse repossuerunt. Ejusmodi responso irritatus, iterum classiariis suis mandat, viderent, ne quid a Lubecensibus ac ceteris Vandalorum civitatibus in Sveciam deportaretur aut fraudis quidquam committeretur. Atque ita captæ perplures coram naves inque regni proximos portus Hafniam Malmogiamque traductæ; ubi dum vili sæpenumero divendita pretio, quæ essent pretiosissima, haud leviter efflorescente vel tali occasione civium questu ac commerciis, urbibus iisdem commodaverunt. Quæ ubi Lubecam deinde aliasque in urbes Vandalicas perlata sunt, misere, qui ereptas naves fortunasque sibi suas restitui flagitarent. Sed responsum tulere, jura aolata esse, quæ amisissent, quod Sveco contra pacta conventa submitterent, quæ erant prohibita, ac ipsi ne fieret, polliciti fuissent. Unde iterum ad arma itum fuisset, dissuasissent nisi prudentiores, qui deliberatione longiore opus esse ad bellum Regi movendum dicerent. Ne tamen

auxilia poscit.

connubium inter pr. Christ. & Magdal. Gall. instituendum proponitur.

auxiliorum loco legatus Gall. paci reducendæ studet.

cujus operæ diffidit Rex matrimonio isto misso.

A. 1507. Lubecenses pacati cum Mecklenbg. iterum Svecis commodant

unde a Danis ereptæ illis navæ.

bellum inter Megapolit. & Lubec. continuatur. Mollenum obsessum.

Rex Delmenhorstum ceteraque restitui comiti Oldenb. postulat.

a Gall. Rege ex fœdere

deferuisse

Lubecenſium opera fretus Svanto iterum bellum molitur,

deſeruiſſe in totum Svecos viderentur, miſſi ad eos clam, qui animum illis adderent, ac præſidium quæque alia ad bellum eſſent neceſſaria pollicerentur. Quibus ineſcatus Svanto, non exſpectato induciarum fine, quas a Rege vix ægre impetraſſe ſupra diximus, inſtituta in Blegingiam irruptione, Lycham arcem ubi cepiſſet diripuit eandem atque incendit: aſſumtisque, quas ſecum ferre potuit, manubiis, in Sveciam præpropere revertit. Deferebatur interea per littora & ſinus Balthici maris regia claſſis, ac mox accepto, quod erat in finibus Blegingiæ, a Svecis perpetratum, continuo præfectus claſſis Severinus Norbyus, in portus Finlandiæ invectus ac cuncta viciſſim ferro flammaque depopulatus, Caſtelholmum poſtremo circumcingit, ac igne mox injecto ſolo æquat. Hinc Stenonem Turſonum unum e regni optimatibus una cum conjuge captum in Daniam cum ingenti præda abducit. Quare haud pauci ex primoribus, qui Stenonem ſanguine contingebant, cum propinqui ſui vicem ſummopere deplorarent, tum & aliorum infortunium miſerati, in id ſibi omnibus modis incumbendum judicarunt, ut iterum cum Rege de pace ageretur. Et licet merito potuiſſet, non tamen etiam tum aurem avertit Rex benigniſſimus. Suntque varia inde comitia habita, modo Helſingburgi, modo Varbergæ Hafniæque, & primo quidem Hafniæ. Quo tamen priusquam ſe Sveci conferrent, transmiſerant in Sveciam Vandalicæ civitates ad regni ſenatum capita pacis, quibus cum Rege Lubecenſes Segebergæ, ut ſupra poſitum, convenerant, quæ Nicopii deinde, hoc anno 1507. confirmata, præſentibus Regum Galliæ ac Scotiæ legatis Daniæque regni ſenatoribus, ut & urbium delegatis, adhortantes ſimiliter eos, quæ pacis eſſent, conſectarentur, ſeque Johanni electo atque inaugurato Regi ſuo volentes ſubmitterent: Quo & ibant ex Svetici regni ſenatu aliquot, & maxime regni antiſtites. Miſſique ea occaſione Hafniam Ottho epiſcopus Veſteraſenſis & Ericus Trollius eques Svecanus, regni ſenatores plena poteſtate a ceteris omnibus regni Sveciæ proceribus inſtructi. Quibus deinde, ut & Daniæ Norvegiæque ſenatu præſente, ſtatutum decretumque, ut proxime convenirent Varbergam ex trium regnorum delegatis numero viginti quatuor, de pace ac commodis eorundem acturi. Eſſetque & haberetur, apud Svecos etiam firmum ratumque, quodcunque iisdem ſuper pace ac tranquillitate ſingulorum regnorum decernerent. Si vero (quod Deus averteret) neque pax neque induciæ proximo illo conventu conſtitueretur, interim ab iſto tempore haberetur ac coleretur inter tria hæc regna eorumque incolas pax firma immotaque, niſi quod interdictum, quo erat vetitum, ne quis rerum neceſſariarum quicquam in Sveciam deportaretur, nihilominus ratum haberetur. Hunc excepit conventus Varbergenſis, in quo præſentes fuere ex Sveciæ ſenatu Vincentius epiſcopus Scarenſis, Matthias Strengeneſſenſis, Ericus Trollius, Turo Johannis, Petrus Thuronis, Steno Chriſtierni, Acho Johannis, Chriſtiernus Benedicti, equites Svecici, Axillus Doſeus, Benedictus Abiornus, Nicolaus Claudius armigeri, plena omnes agendi poteſtate donati. Eſtque actum ſtatutumque inter eos Regemque ac Daniæ Norvegiæque ſenatum, ut eſſent ad feſtum usque Martini induciæ, ita tamen, ne quid interea vel e Svecia vel in eam deportaretur. Intermedio tempore id agerent, operamque darent, ut Regem ipſum Sveci in regnum ſoliumque reciperent, vel afferrent rationes, propter quas id facere prohiberentur. Easque ſi æquas afferrent, docerentque, cur ipſemet admitti non poſſet, tum haudquaquam renueret, quin filium ejus Chriſtiernum, quem Stocholmi annis ſuperioribus Regem ipſi unanimes appellaſſent, ſuo loco Sveciæ gubernatorem conſtituerent ac ſe defuncto, Regem ſalutarent. Si quoque nec id, ex uſu æquis arbitris judicaretur, certam pecuniæ ſummam quotannis penderent, ita tamen, ut ipſum Regem ſuum agnoſcerent, quos & ipſe viciſſim ut ſubditos ſuos agnoſceret ac tutaretur. Quæ & quota ea ſumma eſſet, & quæ viciſſim ipſi officia operasque Sveci præſtarent, de eo judices honeſti atque æqui pronunciarent. Et eſt ſimul conventum, ut de eo ſub proximum Michaëlis Malmogiæ decerneretur. Nec interea derogarent tractationes iſtæ quicquid fœderationibus aliis, quæ in uſum jam olim eorundem regnorum utiliter initæ ſtatutæque fuiſſent. Dimitterentur utrique captivi, ac maneret Calmaria Oelandiaque in Regis poteſtate, ut antehac. Hinc ſequutus eſt conventus Helſingburgenſis, cui interfuere Sveciæ regni nomine Doctor Johannes Braskius præpoſitus Lincopienſis, Ericus Trollius eques & Benedictus Abiornus Sveciæque ſenatores ac legati plena cum poteſtate. Aderant & Regis Regnique Daniæ vice Burgerus epiſcopus Lundenſis, Henricus Abbas Eſerumenſis, Steno Bilde, Thomas Pasbergius, Henricus Crumedigius & Henricus Achonis armigeri; eſtque decretum, ut eſſet colereturque pax certa inter regna hæc tria, adusque proximum divi Johannis feſtum. Regis claſſiarii nihil interea tentarent in Sveciæ incolas, manente ſemper interdicto evectionis invectionisque in Sveciam, de quo memoratum. Pollicitique ſanctiſſime delegati iisdem Sveciæ ſunt, miſſuros Malmogiam Svecos intra jam dictum tempus ex Sveciæ ſenatu ſex ad Regiam ejus majeſtatem ac regni ſenatum, qui inde haud recederent, niſi abſolutis ac declaratis, quæ erant Varbergæ decreta, ut vel regiam ejus majeſtatem, vel filium ejus principem Chriſtianum, electum Daniæ ac Sveciæ Regem reciperent, vel ut penderent pecuniæ ſummam, quæ eſſent, ut poſtmodum pronunciatum annua marcarum Holmenſium tredecim millia; Calmaria ceteraque a Rege poſſiderentur haberenturque uti poſſidentur. Acta hæc transactaque omnia locis jam dictis, anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum octavo. Quo eodem tempore

Lycham in Blekingia captam devaſtat;

claſſis regia Finlandiam accedit.

Caſtelholmum vaſtatur Stenone Turſon cum conjuge in Daniam abducto.

Hinc Svecos denuo pacis ſtudium inceſſit,

nec venuit rex.

A. 1508. Hafniæ conventus,

ibi ſtatuta.

ibi decreta.

Hinc conventus Varbergæ;

Conventus Helſingburg.

R. Joh. Angliæ Regem commonet de compescenda suorum in Islandos violentia.

pore ad Angliæ Regem Henricum Rex litteras dedit, quibus eum commonebat, damnorum atque injuriarum, quas inferrent identidem Angli ejusque negotiatores Islandiæ incolis subditis suis, portoria insuper, & quod debebant, telonium negantes. Volens hoc nomine commonitum eum, quo modus poneretur licentiæ & negotiatores honeste ac juxta contractus deinceps se gererent, nisi suam experiri vim vellent. Habitus tum quoque honos optimis studiis commendato summæ spei ac principe juventutis Thycone Lungio regiæ Francorum majestati: missus siquidem Lutetiam Parisiorum hic erat, ad capiendum uberiorem ibi animi cultum, quo egregie profecerat, & ut magis proficeret eum commendatam supremæ curiæ ejusque præcipuis viris Rex cupiebat. Sed de eo ejusque extremis in rebus Christiani II. dicetur. At Sveci illo, quo vetabantur Vandalici in Sveciam invehere & evehere quidquam, regio edicto cum se vel maxime supremi & quasi ad incitas redigi viderent, modo has modo illas pacis atque induciarum inire leges ac comminisci contractus, dum iterum cum Rege Hafniæ, quod Malmogiæ agere voluissent, sub annum insequentem agunt, missis Othone Episcopo Vesterasensi, Johanne Braseio præposito Lincopiensi, Henrico Vernerio præposito Aboensi, Erico Trollio, Petro Turonis, equitibus, ut & Nicolao Eschillo, quibus a parte Regis regnique Daniæ adjuncti senatores Burgerus Archiepiscopus Lundensis, Sveciæ primas ac legatus Pontificis maximi, Johannes Roschildensis, Nicolaus Borglumensis, Johannes Andreæ Othonienſis, Ericus Caasus Viburgensis, episcopi, Eschillus prior Anderschovienſis, Doctor Antonius Forstenbergius præpositus Borglumensis, Steno Bilde, Nicolaus Ericius, Nicolaus Hoëgh, Thomas Pasbergius, Henricus Crumedigius, Predebornus Podebusch, Magnus Goge, equites, Georgius Marsvin Daniæ Regni Cancellarius, Jacobus Andreæ, Johannes Bilde, Torbernus Bilde & Petrus Lucke, Regis ac regni Daniæ consiliarii. Hi collatis studio summo in unum consiliis, ut tollerentur aliquando mala ac vastationes, quibus borealia ista regna, ac Svecia præsertim, infestaretur, ac loco eorum pax aurea rediret, statuerunt promiseruntque Sveciæ delegati vi potestatis, qua eos Sveciæ proceres donaverant, ac datis istis codicillis, sponderunt Sveciæ proceres, depensuros quotannis ex regni reditibus illustrissimo principi Johanni Regi duodecim millia marcarum Stocholmensium ac millia insuper annua illustrissimæ principi Christinæ Daniæ, Sveciæ ac Norvegiorum Reginæ. Eaque redderentur annis singulis in arce Calmarnienſi, idque eousque, donec ex consensu Regis regnorumque trium borealium vel Regem Johannem in Sveciæ regni solium, unde eum vi ac machinationibus suis deturbaverant, reponerent, vel, si id magis placeret, filium ejus principem Christianum, quem Stocholmiæ jam olim unanimiter elegerant, Regem salutarent; eaque

Thyco Lungius Parisios Lutet. ablegatus studiorum causa.

A. 1509. Sveci attenuati cum Rege de pace agunt.

de re conventus in Sveciæ eo limite, qui Schera dicitur, celebraretur. Quem conventum si ad vigesimum quartum Junii, qui divo Johanni est sacer, celebrandum Sveciæ proceres vellent id ante natalem domini proximum Regi per litteras significarent; Et idem vicissim Rex faceret, si forte aliis impeditus adesse ei præscripto die haud integrum esset, nominato, qui magis ei opportunus foret, in ejus locum alio. Ageretur porro ibi de negotiis, litteris ac postulatis Regis, regni Sveciæ optimates ceterosque ejusdem regni incolas, concernentibus; ut & de arcibus Borcholmo & Calmaria, insulaque Oelandia, deque nobilium bonis passim in Dania fisco adjudicatis. Arcem autem insulamque jam dictas cum advectione libera, liberaque rerum necessariarum advectione possideret Rex, donec finitus foret conventus jam dictus, possessiones interim ac reditus omnes ad oppidum arcemque Calmarniam pertinentes, penes optimates regni Sveciæ permanerent. Ceterum ecclesiastica ac cœnobiorum bona in Oelandia sita ac illis adempta eodem redirent finito conventu. Quamdiu inter Regem ac Lubecenses bellum esset, Sveciæ proceres incolæque, neque auxilium ferrent illis, neque subveherent quidquam, antequam cum Rege in gratiam rediissent. Ediceretque Rex classiariis suis ac militi, ne quid ultra damni Svecis inferrent, vel eorum interturbarent negotiationes. Et postremo si interea, dum ista fiunt, decedere Regem contingeret, principi Christiano ejus filio jus in Sveciam universam, quod ei libera electione esset delatum, permitteretur integrum atque illæsum. Captivi beneficio hujus tractatus sine onere & lytro liberi utrinque dimitterentur. Et servaretur hæc pax sive pactio terra marique ac suum utrobique locum obtineret. Verum Vandalicæ civitates, & in his præcipue Lubecenses, ne hæc quidem diu esse rata pactaque ferre potuere. Et licet Segebergæ atque inde Nicopii actum cum illis esset, & illi vicissim cum Rege convenissent, ut durante, quod cum Svecis illi erat, bello Svecia abstinerent; tamen etiam invito, qui ipsis præerat, magistratu, navigationes eo suas atque inde Rigam Revaliamque instituere haud omiserunt; ubi dum merces suas, quas e Svecia referunt, commutant, novo cum Svecis fœdere clanculum se jungunt. Et mox, priusquam ad Regem res esset delata, domum redeunt. Quod cum Regem ureret, isque quæreretur, rupta jam ea, quæ toties totiesque modo Segebergæ, modo Nicopii erant transacta, ad tempus tamen dissimulavit, seque continuit. At cum nec sic quidem sufflaminarentur illi, quod cœperant, porro exsequi, & ipso hoc, quod supra est positus, anno 1509. totas octo naves in Sveciam mitterent, rem cum senatu propius Rex communicandum censuit. Videbantur siquidem civitates ejus lenitate ac conniventia ferociores fieri, quasi qui metu magis quam studio pacis ad arma & sagum pigrior iret. Quapropter re diligentius perpensa,

Vandal. civitt. præcipue Lubecenses eam turbant.

Rex eos repressurus fratrem sibi belli socium cupit; hic vero renuit.

pensa, placuit Lubecensium hanc insolentiam reprimere. Sed priusquam eo veniretur, animum etiam fratris Friderici principis tentandum putavit. Profectusque in Holsatiam, ut eum in belli societatem pertraheret, reperit eum ab eo consilio alieniorem, quod ipsemet paulo ante cum Lubecensibus, qui Regem callide prævenerant, pacem feriisset. Quo tamen ostenderet, magis jure, quam armis, sibi propositum agere, causam suam arbitrandam offert Archiepiscopo Lundensi ac Roschildensium antistiti, tum & Hamburgensi ac Luneburgensium senatui. Et illis velut medium adjiciens Anglorum Regem, nec nou imperii, quem vellent Electorem, se, quodcunque illi statuerent, ratum deinceps habiturum pollicetur. Nec displicuit id initio consilii Lubecensibus, adeo ut missis ad Regem litteris se conditionem accipere testarentur. Sed mox mutata sententia a proposito resiliere, hoc solum interventu quorundam constituto, ut pax inter ducatus & inter urbem Lubecensem coleretur, secluso regnorum utroque, quibus Rex imperaret. Cum igitur repudiari pacem omnem Rex videret, missis in Angliam, Scotiam ac Franciam litteris, auxilium navale a Regibus fœderatis petit: tum ut negotiatores Lubecensium quotquot intra regna sua deprehenderent, & bona quoque eorum manus injectione detinerent; missurum propediem se, qui causam adversus eos agerent. Neque cessatum a Lubecensibus, qui extemplo firmandæ suæ factioni nuncium ad Imperatorem Maximilianum mittunt impetrantque, ut ille dari ad Germaniæ principes litteras curaret mandaretque, causam Lubecensium adversus Regem susciperent, ne sinerent per suas ditiones ullum in Daniam transire conductitium militem. Inde ad Regem ipsum scribens flagitat, ne Lubecensium negotia ac navigationes, quæ hactenus illis in mari Balthico fuissent liberæ, ullo modo vel impediret vel turbaret. Sed imperatoris hoc sive edictum sive intercessio opera ac litteris ad eum Galliarum Regis irrita postmodum fuit. Tum & missus a Rege ad Cæsarem est Laovitius Orne juris consultus, qui belli Lubecensis veras eum causas edoceret, ac demonstraret, Cæsaream ejus majestatem causam non habuisse inhibendi, ne imperii electores auxilio ipsi essent, cum illi Svecis essent fœderati, quos Cæsar ipse nuper suis codicillis proscripsisset. Sed Lubecenses rupta semel pace, fabricari naves ac classem instrui non intermittunt; estque vere statim ineunte primus eorum in regias naves, quæ in anchoris circa Bessorem stabant aut ibi ad littoris custodiam velis ferebantur, impetus factus; Ac una eorum, quæ erat prætoria, cygnus nomine, emissis grandioribus tormentis, ita est impetita, ut plures in ea ex classiariis globis bombardarum perierint; & mox ubi clavus eidem assidua tormentorum explosione, propemodum esset excussus disruptusque, versis velis petere Hafniam coacta est. Lubecenses subitanea ista ac prospera velitatione ferociores, littora Holmiæ, Blegingiæ, aliarumque in Baltico hoc mari prædas ubivis ac passim agentes. Ac ultimo directis versus Helsingoram navium rostris, in freto Oresundæ captas, quæ ibi stabant, naves tredecim Travemundam abducunt. Exasperatis hoc pacto partium utrinque animis, Rex ut navigatione Lubecenses prohiberet, ac simul commercia, quæ ipsis cum exteris erant, ut & commeatum interciperet, apparatis rebus omnibus navium viginti quatuor classem instruit. His imponit peditum quatuor millia, quorum præfectis in mandatis dat, ut nacti ventum secundum Travemundam Lubecensium ad Travæ flumen portum, subeant, ac ibi curent operamque dent, ne quid eo rerum necessariarum subvehatur importeturque. Quo turbati Lubecenses, quidquid intra urbem Dani mercimoniorum haberent, manus injectione detineri jubent: Et Rex vicissim edicto per regna inhibere facit, ne quispiam siliginem, hordeum, aliave quæcunque eo deveheret. Inter quæ Revalia redeunt, quæ eo a Lubecensibus missa superius memoravi, navigia octo, rerum harum ignara, applicantque juxta Danicam classem. Quæ continuo anchoris sublatis, & facto in ea inter Dassum & Verrorum impetu, facile expugnassent singula, nisi nimia prædæ cupiditate, dum in principem ac præcipuam, quæ erat navium, tresque alias minores, incurrunt, easque capiunt, reliquis fuga ad urbem evadendi facultatem reliquissent. Quibus eum in modum gestis, regia classis, captas secum naves ducens Hafniam redit. At Lubecenses, ut sese vindicarent, præter manus injectionem, de qua dixi, mercatores insuper nautasque Danos, quicunque Lubecæ deprehenderentur, arripi extemplo ac vadimonio obstringi hac lege imperant, ne urbe prius exeant, quam a suis allato lytro redempti abeundi potestatem accepissent. Quod ubi in Daniam esset perlatum, Rex vicissim toto regno Lubecenses &, si quæ ad manus bona haberent, detineri jubet, addito edicto, quod non modo per Daniam, sed ducatus quoque suos proponi facit, quo severissime cavet, ne Lubecam suorum subditorum quisquam quidquam importare, aut cum illis commercia exercere instituat; qui admississe contrarium deprehensus esset, is capite ac bonis mulctaretur. Lubecenses accepto, suos quoque passim a Rege obtineri, & edicto usque adeo severo prohiberi urbe Danos, litteras ad Regem deproperant ac suos dimitti petunt. Quibus Rex humanius, quam pro merito eorum, hunc in modum rescribi fecit: Quod si injuriam primis intulisse se agnoscerent, & Danos, qui injuste ab eis detinerentur, redire domum sinerent, facturum quoque se, quod bonum ac æquum flagitaret. Post id litteras ad Regem Scotorum nepotem suum mittit, apud eum graviter dolens ac queritans, quod civitates Vandalicæ, dum amicitiam simulant, odium ac vim exerceant; Et in his præsertim Lubecenses, qui cives ac subditos suos, urbem eorum negotiandi

Tractatur cum Lubecensibus per arbitros,

qui acceptatis pacis conditionibus mox resiliunt.

Hinc Rex socia conquirit arma.

Imp. Lubecensibus favet,

hinc Rex Dan. per legatum belli causas Imp. edocet.

Lubecenses classe parata Danos aggressi horum prætoriam male afficiunt:

hinc prædæ in Bornholm. Blekingia cet. vacant. 13. naves ex Oresunda abducunt.

Rex classem 24. navium instructam Travemundæ portum conclusuram mittit. Aliquot Lubecensium naves captæ Hafniam deducuntur.

Lubecenses detinent Danos quoscunque eorumque bona;

Dani vicissim.

Lubecenses suorum liberationem a Rege per literas petunt; quibus Rex respondet humanius.

Rex litteris ad Scot. R. datis de Lubecensium violentia conqueritur.

tiandi gratia frequentantes in vinculis aut arresto detineant: ac missis praetera litteris ad se palam glorientur, se, quocunque luberet, navigaturos vel ipso invito; quodque falsis denique narrationibus Cæsaream majestatem, ut & electores imperii circumvenissent, ut in se eosdem concitassent. Interea cum gravi jam annonæ ac rerum, quas desiderarent, egestate premerentur Sveci, mittunt Stocholmiam Lubecenses sociæque civitates bellicas naves octodecim panno, sale, aliisque mercimoniis, quibus vel maxime indigerent, probe saburratas. His præsidebat Hermannus Mesmannus, Bernardusque Bomhoverus, qui capta occasione, ac ventis faventibus exscensionem fecerunt in insulam Bornholmiam; ac eam deprædati populatique Gothlandiam deinde invaserunt, ubi una navium amissa, reliquis septendecim salvis in Sveciam delati sunt. Exciti præcipue Lubecenses per id tempus fuere excitantibus eos Svantone ac ceteris, qui cum eo faciebant. Hi docebant pacem, quæ esset postremum inter Sveciam & Regem Hafniæ inita, eam instantibus solum antistitum nonnullis ac aliquot ex senatu, qui cum Danis agerent, initam pactamque fuisse. Persisterent idcirco Lubecenses in fœdere, neque sese, qua daretur, commeatu opibusque suis juvare & suam ipsimet adversus Danos tueri libertatem intermitterent. Similes quoque tum litteræ ab eodem Svantone ad finitimos Norvagos deproperatæ, quarum exempla depromi ex archivis etiamnum possunt. Sveci igitur haud leviter ista Lubecensium subvectione recreati, receptisque, quæ exspectaverant, iterum iterumque cum Lubecensibus pacti in Danos conjurant; sed eadem, de qua dixi, Lubecensium classis, postquam Stocholmiam feliciter perveniset ac mox sub ingruentem brumam reditura domum esset, coorta gravis tempestas, totam cursu disjectam ita afflixit, ut ex grandioribus navium quinque naufragio elisæ, perierint, remigum ac præfectorum circiter quingentis aqua suffocatis. Ceterarum, quæ discrimini superfuere, ex iis nonnullæ ejectis in mare armamentis aliisque oneribus, qua adversus æstum sævientem alvei levarentur, male quassatæ ac laceræ Lubecam appulere: Reliquæ Dantiscum vi tempestatis actæ ibidem hibernarunt. Una harum, quas periisse dixi, Balhoam dicta, onerum, sive ut vulgo vocamus, lastarum fuisse trecentarum Bonno memoratur. Hac in Daniam fama perlata, Rex Lubecensium ea clade ac calamitate admonitus naves continuo triginta, & in iis navalium ac classiariorum magnum numerum præfecto Severino Norbio versus Travemundam mittit. Hi mare ingressi cum aquilone paulo vehementius flante, urbis portum, ut erat imperatum, intrare minus poterant, sinum eum, qui a nova civitate nomen habet, subeunt. Ac ibi in terram facta exscensione, postquam pagos aliquot Lubecensium ferro ac flamma divastassent, cum ingenti inde præda Oldesloum se recipiunt, ubi cum dies circiter viginti tres consedissent, ac frustra Lubecenses exspectassent, quos tantus invaserat pavor, ut opem adferre laborantibus suis haud possent, soli Travemundæ cives scaphis octo vecti, myoparones Danorum aliquot, nullo præsidio defensos, partim capiunt, partim igne injecto exurunt; Ac iis actis, se vicissim intra municipium, sine ulla suorum clade, quam celerrime recipiunt. At ipsi deinde Lubecenses cum sequi majoribus copiis Regem accepissent, & eum in proximos districtus facta eruptione, ibi quæcunque Lubecensium prædia ac villæ essent, depopulari, prætorias, quæ ad manus erant, naves in proximum Balthici maris sinum emittunt, quarum opera Slesvicensium aliquot insulæ, ac in his Arrea direpta vastataque. Postremo motis Oldensloo, quæque in proximo habebant, castris, postquam in regnum Dani rediissent, iterum Johannes Rex Anglum Scotumque Reges fœderatos datis ad eos codicillis auxilia flagitat. Atque inde, dum illi cunctantur, publica præconis voce promulgari per regna oppidaque eorum curat, ut quicunque classiarii nautæque illis in regnis essent, qui bellum navale adversus Lubecenses eorumque socios suo periculo gerere vellent, in Balticum mare ingressi, libere ibi piraticam exercerent, habituri non patentes modo ubivis Daniæ regni portus, verum ipsum quoque Regem horum, quæ in Lubecensium detrimentum ac cladem perpetrassent, dominum ac defensorem. Hæc Decembri mense sub diem vigesimum anni memorati 1509. Hafniæ data, ea piratarum multitudine Balticum mare impleverunt, ut iis ubivis per sinus mare volitantibus, non Lubecenses tantum sociæque civitates, sed & Sveci clausum undique intutum sibi oceanum experirentur. Nec alienigenis duntaxat usus Rex, classem etiam domi quamprimum Lubeca & eo ex tractu rediisset, aut reparavit, aut novam instruxit; eam ducibus Severino Norbyo ac Tilemanno Giselio gubernandam tradidit. Cui haud multo post, commoda usi tempestate, cum ingressi Finlandiæ portus essent, militem continuo in terram exponunt, ac late divastatis circumquaque agris, postquam urbem Aboënsem diripuissent, ingenti onusti præda domum redeunt. Has manubias vigecuplo fuisse potiores eo tributo, quod a Svecis in annos singulos Rex postulaverat, domesticis autoribus traditur. Tradunt quoque iidem, quod ab aliis alio rejicitur, movisse per idem tempus in Vestergothiam Regem sive regios potius, ac ibi direpta incensaque Losa, nec exigua abducta præda in Scaniam mox ovantes reversos: Et eam ut ulciscereturcladem Svanto, ab eo in Verum Scaniæ municipium ac pagos ei vicinos paria perpetrata. Missus iisdem diebus a Rege Polonorum Sigismundo Hafniam advenerat Johannes Cœritius, cujus opera inter Regem utrumque Johannem, Sigismundum, eorumque regna, ditiones, clientes ac subditos perpetua pax firmata. Uterque Regum Daniæ Poloniæque fœderati inter se amicique ut fratres agerent. Alter alteri, nisi aliis impeditus,

Lubecenses Svecis necessaria subvehentes Bornholmiam & Gothlandiam populantur,

a Svantone exciti.

Idem sollicitat Norvagos.

Lubecensium classis in reditu tempestate male afflicta.

Rex classem versus Travemundam mittit.

Exscensione facta Lubecensium pagi vastantur.

Travemundenses scaphis subvecti Danorum classi damna inferunt.

Lubecenses majoribus emissis navibus Slesvicenses aliquot insulas prædantur.

R. Job Anglorum Scotorumque auxilia flagitat.

Piraticum adv. Lubecenses suis liberam facit.

Unde piratarum maxima in mari Balth. copia.

Regia classe instructa Finlandiam prædantur,

itemque Vestergothiæ partem.

Svanto paria facit in Scania.

Regis Dan. cum R. Pol. amica consensio perpetuaque pax instituta.

ditus, & si ferret occasio, auxilio adesset. Subditi interim singulorum in regnis alterutrius tuto utrinque ac libere commercia sua exercerent, solutis tantum, quæ soliti essent, teloniis. Nec obessent istis, si quæ alias, & cum aliis dynastis principibusque inita ab ipsis pactaque fuissent. Hinc Sveci, qui nulla fœderum, uti nec ejus, quod ultimo pepigisse Hafniæ diximus, habita reverentia, se iterum iterumque, quod modo ostensum est, Lubecensibus quam arctissime junxerant, ut ejus aliquam causam ac colorem ederent, sub nomine Svantonis dynastæ in Eskesoe, Sveciæ regni defensoris, Henningi Gaddii, electi Lincopiensis, Nicolai Bosonii, Stenonis Christierni, Achonis Johannis, Trollonis Magni, equitum, & Johannis Magni armigeri, Sveciæ regni senatorum, eam in mentem evulgari diploma curarunt, ut dicerent; se haudquaquam certos esse de recipiendis, quæ a Sveciæ lacinia ac corona jam essent abalienata, ut erant Calmarnia, Oelandia & Borcholmium; et Regem quoque Johannem multifariam infregisse pacis Hafnienſis capita; nec ideo præstare se posse aut teneri, quæ a delegatis suis promissa essent, tredecim millia marcarum Holmensium annuarum summa, uti nec ceteris, quæ filium ejus principem Christiernum spectarent: & se facta invicem fœderatione, advocatis etiam in has partes nobilitate cetera ac civibus, oppidanis, aggrestibus, Dalecarniis aliisque ex popularibus, sive illi metallarii, sive cucuscunque essent generis testari modo ac pronunciare, nullam ejusmodi pecuniæ summam exteris se principibus ac hostibus suis manifestissimis dependsuros, sed vitam potius fortunasque suas una cum ceteris Sveciæ indigenis ac popularibus suis periclitaturos adversus Regem Johannem hostem suum manifestissimum. Erant hæ litteræ designatæ apud Vesteraſenses, anno qui superiorem excepit, millesimo supra quingentesimum decimo; & addita hæc præterea causa, cur Johannem Regem averſarentur, ne eum agnoscere Regem vellent, quod scilicet is, omnibus modis ac cura id ageret, ut Sveciæ introducerentur tyranni, ethnici, hæretici, fratres ejus jurati, Russi sive Moschi (ita enim verba habent ac formula ipsa literarum.) Et insuper quod Heraldum sive fecialem suum Davidem nomine in aula Moschi assidue alat, idque in hoc præcipue, ut eum, cum ipsi opportunum sit, in Svecos concitet. Nec deerant velut ex compacto idem agentes senatus populusque Lubecensis. Nam licet bellum jampridem ac palam esset gestum, hoc tamen tempore missis ad Regem minitantibus litteris, id quasi denunciant, dolentes initio ac queritantes super damnis, injuriis, direptionibus, detentionibus manuumque injectionibus, cædibus, homicidiis, incendiis, aliisque ejusmodi, quæ toties tantaque ab ejus præfectis, navarchis, classiariis militeque perpessi, præsertim urbis suæ negotiatores fuissent, hodieque perpetrantur, idque non meritum, contra latam ullam adversus se sententiam contraque amicos tot contractus ac jura sua vetera privilegiaque, ac denique contra mandatum Cæsareum communemque imperii pacem, nihilo habito & æstimato, quod se multoties obtulerint paratosque dixerint tribunali, quodcunque vellet sistere, ac æquo judici causam committere: inde adjicientes se ulterius ista pati animum haud induxisse, sed ea constituisse usurpare media, quæ Deus, natura, fas atque æquum suppeditarent, ac vim vi ad suam suarumque fortunarum defensionem repulsuros. Quo etiam Cæsareæ majestati ac sacro Rom. imperio ratione sacramenti obstringerentur. Et licet feciali opus non esset, cum & ipsi tot passi detrimenta sint absque ulla belli denunciatione, se nihilominus vel ex supervacuo honoris atque æstimationis suæ ergo istis codicillis, una cum sociis atque auxiliaribus suis indicere regiæ Danorum majestati ejusque regno ac incolis clientibusque omnibus, cujuscunque status ac conditionis sint, terra marique hostes futuros: idque prædando, cædendo, homicidia incendiaque faciendo concitandoque, atque alia ejusmodi, qua daretur, damna detrimentaque inferendo. Dat. Lubecæ, dominica Jubilate 1510. Quæ dum fiunt, scribit ad Ducem Pomeraniæ Bugislaum Rex, petitque, moneret subditos suos Sundenses, ne Daniam communi bello impeterent, aut Svecos, qui essent a Cæsare proscripti, juvare suis commerciis ac commeatus advectione vellent. Hamburgenses vero, licet essent, ut ceteri, Lubecensibus fœdere juncti, hoc tamen adversus Regem bello assensum præbere iis haudquaquam voluerunt. Præcipites igitur, ac odio in Danum Vatiniano Lubecenses, statim post belli denuntiationem, cum nullam jam Rex eruptionem magnopere pertimescret, in mare navibus aliquot provolant. Stabant circa Gessoram prætoriæ regiæ tres. In has impetu ac levi cum iisdem velitati prælio, celeri mox cursu se subducentes Langelandiam petunt. Hi projectis anchoris, ac facta in terram excursione, cum pagos aliquot diripuissent igne injecto exurunt. Inde grassantibus ubi occurrerent insulani, raptis armis, ac notis sacrarum ædium, quod belli signum est, pulsatis; illi alio versi, ubivis incendia prædasque faciunt. Quo viso, dum trepidant Langelandenses, adest ex primariis insulæ, vir belli vetus, qui pepla mulierum capitibus, popularium inducens, galeatorum speciem atque armatorum velut multitudinem grassatoribus exhibuit. Atque ita fugientibus ac subito procursu naves repetentibus, quam in littore sepositerant prædam, trepidantibus his rursum Langelandenses extorquent. Rex, ut suos porro tutos præstaret, naves Gallicas, Belgicas, ut & Scotorum Anglorumque in Oresundæ fretum delatos, retineri ac bello parari jubet. Eaque de re litteras mox mittit ad vicinos Reges ac principes, quibus hoc sibi suisque prædecessoribus Daniæ Regibus, jus semper ac consuetudinem fuisse demonstraret; ita tamen, ut expeditione peracta naves possessoribus redderent, ac damnum si quod illatum fuisset, præsta-

A. 1510. Sveci Lubecensibus untissimi Regi pensum promissum conflictis rationibus denegant obedientiamque omnem.

Lubecenses obstetricantes Regi bellum denunciant.

Sundenses ne iis auxilientur Rex Dan. rogat. Hambgses idem efflagitati contra faciunt. Lubecenses navibus advolantes

Langelandiam populaturi abiguntur egregio strategemate

Rex naves Gall. Belg. & Angl. in Oresunda detentas pro consuetudine bello aptas.

præstarent. Sed priusquam paratis omnibus in apertum & velut arenam, hæ producerentur, prævenere Lubecenses expedita cum classe, qua in Monam insulam irruptionem fecere. Naves eorum haud infra quatuordecim fuere. Insulam Regis nomine defendebat Andreas Bilde, vir ut generis claritate ita bello egregius. Is ut hostem adesse accepisset, magnum extemplo popularium numerum, itemque tela, commeatum, aliaque ad propulsandam vel etiam tolerandam obsidionem opportuna, tam in oppidum quam arcem Stegam oppido junctam inferri curat. Ad hæc permagnam aquæ ferventis copiam picisque calci permixtæ in promptu habere circa mœnia, oppidanos imperat, ut ea, quicunque tractare arma nesciret, aut alias ætas sexusque a militiæ oneribus prohiberet, in hostem hostiumque capita profunderent. Civibus intra urbem arcemque hunc in modum dispositis, exscendere tamen in terram hostem non prohibet, suos tantum intra vallum quietos agere jubet. Id metu fieri hostes rati, longius in insulam securi excurrunt, obvia quæque ferro flammaque vastantes. Ac mox propius propiusque accedentes, oppidanos tanquam prodire non ausos, magnis clamoribus ad manum conferendum provocant. At nemine prodeunte, aut arma in adversum objiciente audaciores illi redditi subire jam mœnia instituunt. Nec mora, Duce Stortebolio ipsos oppidi fossas insiliunt, vallum, ut existimabant, continuo invasuri. Quod animadvertens præfectus, dato suis signo, exonerari statim, quæ transversim erant posita, tormenta facit, ac iis magna edita strage, etiam eos, qui jam muris imminebant, ac fossas evaserant, pice & aqua in medium omnium effusa, tum & saxis projecti, ita excipiunt, ut plerique luto inhærentes, ac graviter vulnerati occubuerint, ceteri animum despondentes, relicto inter cadevera suorum, quem antesignanum habuerant, Stortebollio, se in fugam conjecerunt. Nam ut dixi, Stortebolius inter primos ingressus fossas, ac murum inde, quo suos animaret, conscensurus, aqua & pice fervente eum in modum, præter ceteros conspersus est, ut iis suffocatus temeritatis suæ pœnas dederit. Oppidani inde e vallo tumultuari hostem, ac fugam capessere conspicati, facta eruptione, ac magno simul numero ax agris accurrente multos trucidarunt. Quæ cum Regi nunciarentur, mittit illico, qui arcis ac oppidi præfecto, ut & insulanis laudata eorum virtute ac fide gratias redderet, tum & memorem fore, ac commendatos perpetuo habiturum se eos pollicetur; monens adhæc præfectum, excubias deinceps popularium sicuti haberi olim sveverant, toto littore dispositas ordinaret, nec opprimi inopinato se suosque sineret. Qua in Mona insula ad Stegam accepta clade Lubecenses nihil deterriti, Langelandiam Monæ vicinam, iterato invadere animum inducunt; sed exciti nupera invasione insulani, hosti circa littus occurrunt, nec ei nisi ingenti cum strage in terram exscendendi copiam concedunt. Quo illi animadverso ulterius per Balthicum mare cursum agunt, ac circa Helsingoram, quod freti Oresundæ oppidum est, classem sistunt. Ubi cum littus quoque firmatum undique regio præsidio reperirent, nec uspiam, nisi summo cum periculo descendere in terram daretur, explodunt in oppidanos, sed sine tamen ullius detrimento, tormenta aliquot. Acultimo ne egisse nihil viderentur, naviculas quasdam, cujusmodi illic sine custode ut plurimum in anchoris consistunt, partim incendunt, partim secum Lubecam versus abducunt. Eoque cum pergerent, haud ultra Travemundæ portum progressi, ibi consistunt, & aliquamdiu commorantes, quasi novas copias collecturi, seditione adversus senatum concitantur, palam proclamantes in altum haud redituros se, nisi præter sumtus ac stipendium, etiam manubiæ ipsis ac prædæ permitterentur. Erant quoque, qui missionem flagitarent, ac temeritatis senatum populumque accusarent, qui se adversus regiam majestatem bello implicuissent non cecessario. Senatus consulesque, licet omnia agerent, ut tumultuantes placarent, parum tamen sibi exinde fidos reperere. Qui deinde missis in Sveciam legatis, proceres regni sollicitant, ut terra Danum impeterent, se, quod possent, ope consilioque non defuturos, & mari quoque emissis, qui proximas Daniæ oras insulasque infestando, terra præcipue rem gererent, se vel ita usuros prosperiore successu non dubitabant. Eam legationem Sveci animis non illubentibus excepere. Nam continuo magnum equitatum, cataphractorum circiter septingentum, Hallandiæ immisere Achone duce. Qui cum populabundus hinc inde levia aliquot damna feciset, occurrit illi quanto ocyus jussu Regis Tycho Crabbius, vir non minus nobilitate generis, quam bellica laude clarus, assumens aliquot secum ex Scaniæ primatibus, viris militarium similiter rerum peritia egregiis. Hi non magnis, sed expeditis ac selectis copiis prodeuntes antequam manus conseruerunt, e re Crabbius censuit, ut sibi de hostis consilio certum quiddam constaret. Quocirca Turdonem mittit e numero popularium, Achoni non incognitum, utpote cujus jam ante opera in re non absimili usus fuerat. Is occurrentem cum exercitu Achonem propere adit, ac prospera cuncta precatus, de successu bene sperare jubet, facile, si utatur celeritate, opprimi hostem posse. Acho vera referri arbitratus, quantum potest cum omni exercitu adproperat. At Turdo clanculum dilapsus, ac viæ usus compendio ad Tychonem redit, nuntiatque hostem in propinquo esse ac festinare, sed acie ac ordine minus composito. Quod ubi accepisset Tycho, suos confestim e pratis pabulabundos in unum cogit, congressurus cum hoste, ubi commodum videretur. Habebat ad manum Tycho præter equitatum exiguas peditum copiolas, ex urbe Lichensi evocatas. Qui ubi ad signa convenissent singuli, inter Duces delibera-

Lubecenses prævenientes in insul. Monam exscendunt libere populantes;

ab oppido & arce Stega magna suorum clade rejiciuntur.

Lubecenses iterum Langelandiam perpessa quadam strage appetunt.

Circa Helsingoram consistunt.

Nihil egregii efficiunt.

Travemundam reversi adversenatum tumultuantur;

hinc missi in Sveciam legati, qui eam in Danos concitent.

Equites in Blekingiam populantes emissi duce Achone, quibus occurrunt Dani duce Tychone Crabbio.

Turdone exploratore usi.

liberatum de loco & modo, quibus hoſtem invaderent, utrum aperto in campo, an vero ex inſidiis, ac nihil tale cogitantem aggrederentur. Dirimebat utrumque exercitum lucus, & in eo vallis depreſſa, per quam rivulus vadoſus defluebat. Hanc circa vallem ſubſiſtendum Tychoni ac exſpectandum hoſtem placuit, aliis aliud ſvadentibus. Sed obtinuit, quæ potior habebatur, ſententia Tychonis. Erat ab utraque parte equitatus validus ac uſu belli exercitus, duces egregii ac militiæ veteris. Inter eos Tycho conſiderare ſuos juſſit, toties a Svecis violata fœdera pactaque, & eos adverſo potius fato genioque, quam recto conſilio bellum iſtud Danis movere: eſſe Deum, qui perjuros puniat, ac reos fœderis fideique non ſervatæ agat; ſtringerent modo ferrum, victoriam juſtæ cauſæ haud defuturam. Obſequitabat interea ſuos quoque Acho, illis identidem perpeſſa a Danis detrimenta, & his graviorem ſervitutem, quæ immineret, niſi ſe viros præſtarent, ob oculos ponens. Hortatur itaque ſingulos, pro libertate patriæ, pro ſalute ſingulorum ſtrenue pugnarent, ac recordarentur, hoc eſſe tempus, quo opprimi hoſtis, & averti iſta, hæc obtineri euncta poſſint. Ita utrinque excitatis copiis, inter primos Acho ſilvam ingreſſus, ubi ad vallem veniſſet, quam Phantæ ſpeluncam vulgus vocabat, cani claſſium Tycho jubet, ac ſimul impetu in hoſtem facto, prælium inchoat. Diu immobilis pars utraque ſtetit, dantes accipientesque hinc inde vulnera. Erant toti in eo Dani, quæcunque ſigna inferrent, ut Svecum loco pulſum retrocedere cogerent. Atque eum in modum ubi certatum aliquamdiu æquo propemodum Marte eſſet, tandem Laurentius Froſtius, Burgeri ſummi antiſtitis eques clarius, Achonem lævo cornu ſuos cohortantem invadit, & adacta in pectus haſta jumento dejicit. Strato Achone, conſternati cæde Ducis ſui, cæteri ac terga dantes fugæ ſe cuncti mandarunt. At dum inſequuntur fugientes Dani, obtruncati Svecorum multi, plures capti, cœteri fere, qui poſt principia ſervaverant, beneficio ſilvæ in tutum evaſere. Achonis inter cæſos quæſitum repertumque cadaver in æde Monaſterii, quod olim ante Helſingburgum arcem ſtetit, a Danis funeratum. Ablata vero militaria ſigna, una cum vexillo regni Svecici captivisque Hafniam deportata læto ſingula vultu a Rege fuerunt accepta. Qui & collaudata ſuorum virtute, ac gratiis nominatim actis, inter ceteros, donata Turdoni libertate, Laurentio inſuper Froſtio nobilitatis inſignia tribuit. Inde dominica die ſacro peracto ac gratiis pro tam inſigni victoria Deo dictis, ſuſpenſa e fornice ſummi templi Hafnienſis captiva ſigna, præferente regium Svecorum vexillum Tychone Crabbio ductore totius exercitus fortiſſimo. Hac clade tantus illico pavor Svecos invaſit, quod metuerent, ne totis mox agminibus in Sveciam Dani properarent, ut continuo Antonum Furſonum e Findlandia ad Magnum Moſchorum Ducem miſerint, qui annorum ſexaginta inducias poſtularit, ne fortaſſe hoſtibus utrinque circumſepti aut hic ſuccumbere aut ibi neceſſum haberent. At Johannes Rex maris ſuſcepta cura, ut Lubecenſibus ſubitam ac juſtam vim opponeret, a Regibus fœderatis Galliæ, Angliæ, Scotisque magno ære comparatas aliquot naves Hafnienſium portui inferri curat. Nec ipſemet domi ceſſans ædificari etiam nonnullas magnas minoresque fecit, & in his duas præcipue ita munitas, ut ulla vix vi perfringi aut lacerari poſſent, & ea præterea magnitudine, ut onerum circiter quadringentorum eſſent capaces. Strui quoque eodem tum tempore in Lalandia munimentum mandavit, quod undique circumfluum inſulanis adverſus Lubecenſium ac civitatum repentinas incurſiones velut refugium. Inde completis milite ac commeatu navibus, de iis in hoſtem educendis agit: ſed id priusquam fieret, edicto, quod jam ante evulgaverat, renovato, graviter vetuit, ne ex ſubditis ſuis quispiam commeatum Lubecenſibus aut ceteris Vandalicarum civitatum portubus ullum inferret; qui faceret, is capitis ac bonorum amiſſionem ſubiret. Qua re factum, ut brevi tempore non minus Lubecenſes, quam Sveci commeatus, omniumque rerum neceſſariarum egeſtate laborarint. Cui malo id incommodi acceſſit, ut nihil a Danis tantum, obſtante regio edicto, importaretur, ſed etiam, ſi quid aliunde ſubvehi ſibi ipſi curaviſſent, id a regiis caſſiariis interceptum ipſis deperierit. Porro Svecorum in Hallandia accepta clades, poſtquam eſſet Lubecam perlata, ſenatus illico placatis, qui tum ultiari cœperant, militibus, ſuam denuo illis opem adverſus Regem prolixe pollicentur, id flagitantes, ut claſſes ſuas navali bello educerent, & ad opprimendum communem hoſtem ſecum jungerent. Quod ejus vires, quæ paulatim inſurgerent, niſi celeriter infringerentur, omnibus ex æquo pertimeſcendæ mox forent. Sveci qui tum Calmariam Svantonis ſvaſu contra pactum conventum obſidebant, acceptis civitatum poſtulatis ac conſiderato, quo in ſtatu res ipſorum eſſent, nec tutos diu fore ſe, periclitantibus civitatibus, promiſſa earum auxilia avide amplectuntur: Ac ſimul legatum ſe Lubecam miſſuros promittunt, qui de belli ratione propius cum illis agerent. Sed Lubecenſes non exſpectatis Svecorum legatis, ne mora periculum ipſis crearet, adjuvantibus ſociis urbibus, claſſem viginti ſex navium (triginta ſex habet Bonnius) in mare reducunt. Ejus præfecto in mandatis datur, ut quamprimum ſe Svecis junxiſſet, in regias oras navesque moveret. Is igitur Lubeca ſolvens, poſtquam Avingholmo inſulæ appropinquaſſet, velis dimiſſis curſum ſiſtit. Hinc milite lecto, qui in inſulam exſcenſionem faceret, præmoneri inſulanos jubet, tributum penderent, ſi eſſe ab incendio ac direptione liberi vellent. Quod cum illi denegaſſent, mittit cohortes aliquot prædam acturas. Quo animadverſo inſulani arreptis deſubito armis, in littore adventantibus occurrunt, exſcenſionem

Achone cæſo Sveci fugiunt.

Quavictoria territi Sveci a Moſcis inducias annorum 60. petunt.

Johannes accitis ſociorum navibus novas ædificat, duasque excellentiores,

in Lalandia munimentum ſtruit,

naves in hoſtem educit,

intercepto Svecorum & Lubecenſium commeatu.

Lubecenſes Svecis ſubvenire ſtudent,

quod Svecis Calmariam obſidentibus gratiſſimum.

Lubecenſes claſſem 26. navium emittunt;

nem, quantum in se esset, prohibituri. Sed ad prohibendam vim adeo repente illatam, neque numero, neque apparatu pares, interfectis primo impetu nonnullis, qui acrius in hostem procurrerant, ceteri ad insulæ interiora redire coacti fuerunt. Ubi dum pyris incensis, more gentis, adesse hostem indicant, ac suos undique in unum cogunt, longius excurrens hostis, pagos aliquot depopulatur atque incendit, præda in naves quam celerrime deportata. Inde datis vento velis, sinum Calmarienſem ingressi, Svecis, arcem urbis obsidentibus, quæ promiserant pridem auxilia, postquam tulissent, Sveci vicissim, ut suas quoque partes implerent, prætorias aliquot, quas tum instructas habebant, ductore Gaddio Lubecensibus subsidio mittunt, pollicentes propediem etiam plures, ubi arcem suæ potestatis fecissent. Quibus acceptis, læti Lubecenses inde movent continuo, ac mox prætervecti Blegingiam, qui erant ibi littori propiores, pagos omnes igne injecto exurunt. Nec diu loco hærentes, cum Svecos jam sibi auxiliares ac junctos haberent, in Balthici maris interiores sinus digressi, iterum Lalandiam appellunt. Hic jactis anchoris, postquam armatam cohortem expositissent, ea quam latissime se diffunderet & clamore cuncta compleret, jubent. Quo ita metu perculsos incolas prius dissiparent, quam agmine facto coire in unum possent. Inde universis cum copiis exscensione in terram facta, Nachskoviam oppidum neque præsidio ullo neque munitione defensum subito direptum incendunt. Quod dum flammis absumitur, ibidem adsitum monasterium invadunt ac diripiunt. Incolæ clamorem hostilem undique exaudientes, cum incendia quoque passim ac direptiones fieri animadverterent, quid consilii caperent, incerti primo, inde hortatu eorum, quibus bello exercitis plus animi erat, colligunt se ac cogitare de armis instituunt. Quæ cum fierent, hostis de præda, quam ingentem acceperat, sollicitus, ut eam navibus inferret, spargitur forte rumor fortunæ de classe regia, quæ in propinquo adesset. Quo ita perculsi, ut nemo non ad naves festinarit. Et quo expeditius fugerent, relicta in agris magna prædæ parte, tanto studio delati in naves sunt, ut etiam iis, qui intra navium foros erant, terrorem incusserint. Cohortes ubi essent in naves denuo receptæ, Duces adeunt ac circumstant, id uno omnes flagitantes ore poscentesque Lubecam ut reducantur, extrema minitati, nisi fieret. Et licet eodem tempore onerarias aliquot submisissent illis Lubecenses, quæ commeatum ac mille militum supplementum apportarent, non tamen obtinere Duces potuere', ut Fioniam, rebus omnibus affluentem ac ditem insulam eadem occasione incursarent. Ac iterum iterumque cum se abduci Lubecam majore clamore postularent, volentes nolentesque redire domum coacti Duces. Inde in portu urbis, postquam dies aliquot substitissent, commeatum, quem peramplum acceperant, multusque supererat,

in Aringholmiam insc. excendunt.

Sveci mutua auxilia præstant.

Lubecenses Lalandiam invadentes Naxkovium opp. direptum incendunt;

incolæ animum colligentes resistere instituunt.

Lubecenses rumore adventantis regiæ classis in naves se propipiunt fugam meditantes ducibus ad eam coactis redeunt.

commessando bacchandoque absumunt, ringentibus licet civibus nec mutire ausis, nisi exspectare seditionem priori graviorem vellent. Sveci interea per legatos Lubecam missos de gerendo deinceps adversus Danum bello cum senatu deliberantes consultantesque, in id fere singuli convenere, ut viribus junctis communem hostem terra pariter ac mari simul adorirentur. Quibus transactis cum eosdem legatos ineunte mense Octobri reducturi in Sveciam essent, accidit, ut circa Borringholmium tanquam periculum jam omne evasissent, derelinquerent, ac ipsi vento secundo domum redirent. Quod dum agunt, occurrunt Lubecensibus, qui octo naves ducebant, totidem regiæ in id missæ, ut obsessis Danis in arce Oelandiæ Borcholmio commeatum apportarent. Hæ cum Lubecensibus, postquam diu acriter fuissent prœliatæ, ægre tandem, interemptis utrinque ac vulneratis haud paucis, noctis interventu diremptæ recesserunt. Et quamvis æquo propemodum Marte dimicatum esset, non tamen die insequente Lubecenses instaurare prœlium ausi, in Sveciæ vicinos portus se abdidere. Dani dum insequuntur quæruntque hostem, nec uspiam reperiunt, Gothlandiam cursu petunt. Ac ibi quæ in mandatis habebant, apud arcis ac insulæ præfectum depositis ac nunciatis, mox inde solventes Hafniam redierunt. Quo comperto, cum Lubecenses tutum sibi apud suos reditum patere viderent, nacti idoneam tempestatem, ipsi quoque domum properarunt. Inter quæ Johannes Rex, cum jam ante, ut memoratum, cum Rege Polonorum Sigismundo fœderationem iniisset, mitti istis diebus ad eundem sereniſſimum Regem legatum suum curavit. Qui ubi Cracoviam advenisset, continuo a Johanne Bonnero, cum aliis, qui eodem accesserant, legatis, præstolari Regem jussus fuit. Atque inde auditus fuit, filio Regis sui principi Christierno Elisabetham sororem Sigismundi uxorem postulavit. Sed illa maris periculis territa & apud suos in patria diutius manere malens, aut alias forte ob causas, connubium recusavit. Legatus vero honorifice donatus ac dimissus fuit. Appetente hinc anni, qui est insecutus, millesimi supra quingentesimum undecimi verno tempore, Lubecenses, ut datis, ita acceptis præcipue haud levibus incommodis, sive quod ipsi formidare belli aleam inciperent, sive ut exemplum Regis sequerentur, fortunam mari tentare cupientibus, liberam diripiendi incolas regni potestatem faciunt. Fabricatis igitur hi ad celeritatem cursus celocibus, suo periculo insequi negotiatores, atque infestare Daniam instituunt. Erat inter eos Conradus, cognomento Regulus, qui cum navigia ejusmodi aliquot speculatoria sibi comparasset, Danorum in Baltico mari circiter quadraginta, si Bonnio fides, vectorias naves, partim vacuas, partim mercibus onustas, sine cura ac custode relictas, capit aut exurit. Qua de re cum apud Regem quærerentur, quorum res agebatur, is suorum detrimentis motus,

Svecis impellentibus Lubecenses bellum redintegrandum statuunt.

Svecorum legatos Bornholmiam usque reducunt,

octo Danorum navet commeatum obsessis Borcholmensibus subvectantes cum iis revertentibus confligunt,

hosteque remoto cursum perficiunt.

Lubecenses deliteſcunt, usque dum domum reversæ sunt; legatus Dan. ad R. Pol. hujus fororem Christierno I. junior gendam petit,

nec tamen succedit negotium.

A. 1511. Lubecenses suis liberam piratica potestatem faciunt;

inter quos Conradus Regulus Danis quam maxime nocet.

Danica classis obsidet Travemundam;

motus, ut hostem excursione prohiberet, mense Majo, emissa viginti navium instructissima clade, ac tradita earum præfectura Johanni Roligero, occupare Travemundam, ac omnes ibi exurere naves imperat. At Lubecenses de adventu Danorum certiores redditi, quicquid ibi navigiorum esset, e portus ostio ad interiorem urbis sinum traduxere, ubi facile defendi ac esse tutiores poterant. Direpto itaque Travemundæ portu, ac ejus passim incensis ædificiis, & si quæ relictæ adhuc naves essent, per sinus deinde omnes Balthici maris digrediuntur, ac mercatores urbium, quicunque deprehenderentur, aut naves eorum bonaque intercipiunt. Ac ea ubi inter se distribuissent, vilissimo inde pretio venum suis tradidere. Et mox majora quoque ausi, inque portum Vismarienſem progressi naves ibi quatuordecim capiunt: inde in terram descendentes ædificia suburbana omnia se continentibus nec ad defensionem prodire, aut arma contra ferre ausis civibus spoliant. Quibus ad Vismariam gestis, Varnemundam primo impetu diripiunt, inde ulterius in agros evagati, ac magna ad littus præda acta, pagos complures Rostochiensium incendunt, nullo prius prædæ aut incendii fine facto, quam ad arma conclamantes Rostochienses, fumum circumquaque e mœnibus conspicerent. Quibus inde ad pugnam se parantibus, congerunt in naves prædam Dani, & retro pedem ferentes in Rugiam vela vertunt. Transegerat per idem tempus Rex cum Duce Pomeraniæ Bugislao, ac fœdus eum in modum fecerat, ut hostibus ejus hostis quoque foret Bugislaus. Atque ideo ad Jasmundam facta exscensione, ac profligato, qui se cum exigua manu obvium ferebat, insulæ præfecto, Sundensium aliquot pagos devastant. Sundenses, re accepta, ut laborantibus auxilium ferrent, summa celeritate pedites octingentos, ac modicum equitatum cum tormentis aliquot bellicis in insulam transferri curant, ea spe atque animo, ut insulæ præfectus coacta popularium manu tergum hostium cæderet, dum ipsi eos a fronte lacessunt. At eo, ut dictum, in fugam paulo ante acto, cum se solos atque imprudenter opponerent hostibus Sundenses, nec agrestes, quod speraverant, suppetias ferrent, sustinere Danorum impetum haud diu potuere: seque mox fugæ tradidere, captis ipsorum pluribus, ac multis interfectis, tum & relictis in potestate victoris tormentis sarcinisque propemodo omnibus. Magna quoque eorum pars, cum se ad naves in summa ea trepidatione reciperent, nec contingere eos possent, metu Danorum, qui fugientes insequebantur, in mare præcipites acti perierunt. Quæ in Baltico mari littoreque dum geruntur adversus Vandalorum civitates, Sveci aliquamdiu ab hostili Danorum incursione liberi, amissa recuperare omni studio annituntur, quo ita expugnatis, quæ in Regis adhuc Johannis potestate erant, arcibus plena aliquando potestate agere ipsis liceret. Recepta itaque mox, quam annis aliquot obsederant, Calmariensium arce,

qua direpta exusta Dani spoliant urbium naves in mari obvias,

portum Vismar. ingressi 14. capiunt urbem affligunt.

Varnemunda direpta Rostochienses infestant.

Rugiam adorti præfectum ejus itemque Sundenses succurrentes cædunt.

Sveci bello intenti arces reliquas Johanni eripere nituntur.

Calmariensem arcem occupant.

Borcholmium inde Oelandiæ insulæ, quæ eidem Calmariæ proxime adjacet, validum munimentum, obsessum etiam antea, obvallare jam Sveci majori cura instituunt. Hoc Borcholmii munimentum Parvus & qui eum sequuti, Borcholmum, quæ non arx, sed insula seorsim est perpetuo & perperam nominant. Igitur regiæ classis præfectus, profligatis, de quibus dictum, Stralesundensibus, postquam e Rugia decessisset, Oelandiam versus navigare instituit, suppetias aut saltem commeatum allaturus obsessis. Fuerat ei arci a Rege jam dudum præfectus Otho Rhudius, bello clarus; sed is Hierosolimam profectus Canutum Rudium, fratrem suum germanum, ea lege suum in locum substituerat, ne ulli, nisi regiæ majest. arcem traderet. Ac mox defuncto in ea peregrinatione Othone, ut datam fratri fidem Canutus servaret, se in arcem receperat, adducto secum Petro Urio, antea arcis Hafniensis Vice-præfecto, cui arcis præfecturam universam Rex præcipue demandaverat. Sed cum ille perplures, qui tum arcis præsidio impositi erant, Hafniæ haud leviter sibi inimicos reddidisset, eos odii istius ergo, sibi non admodum dicto audientes expertus fuit. Supervenientibus igitur, quos Svanto continuandæ obsidioni submiserat, Canutus cum præsidio inclusus hortator auctorque est, publicæ saluti privatas offensiones posthaberent; facile propulsari hostem foris posse, modo intus concordes essent, unumque agerent. Tormenta in arcem ordine direxerant Sveci, quæ saxifragia appellebant. Iis eam tribuebant vim, ut quoties in arcem eorum aliquod exoneratsent, nullum irritum casurum telum sibi persvasum haberent. Sed Dani ut vanam eorum persvasionem risu exciperent, post gravissimam quamque intonationem scopis murum forinsecus verrebant, ut inanes eorum conatus eo ludibrio demonstrarent. Tolerata jam aliquamdiu obsidio quam fortissime fuerat, cum Rex Vandalico bello occupatus neque commeatum iis neque copias novas submittere potuit. Et regia item, de qua dictum, classis, post Sundensium ac Rugiorum, cladem, ob arctam loci obsidionem exclusa, redire Hafniam coacta est. Quapropter exhaustum viribus præsidium, & siti atque inedia propemodo enectum extrema impellente necessitate, post quintum circiter obsidionis mensem arcem obsidentibus tradidit. Fueratque inter cetera pactus Canutus, & suam & suorum ut incolumitatem, ita etiam liberam, quo vellent, abitionem; quæ tamen permissa ei haud fuit: nam recepta arce captivum in Sveciam missum diu Stocholmii custodivere. Dum vero tenetur obsidione, missæ a Rege distrahendo hosti in Sveciæ eam partem, quæ occidua Gothia dicitur, pedestres aliquot copiæ; quæ Scheram usque progressæ late omnia ferro flammaque divastarunt, atque inde sublatis indigenarum plurimis, magna onusti præda domum redierunt, Svantone regni præside, nihil magnopere in adversum agitante, nisi quod equitum turmam submiserit, quæ Danos palantes

Borcholmium oppugnant;

tandem iis cedit.

Sveci pactis in deditione arcis conditionibus haud stant.

Rex copiis emissis Gothiam occid. vastat.

lantes commeatu ac pabulo prohiberet. Tum quoque recenti ſuorum ac Sundenſium clade moti Lubecenſes, & opem quoque ut ferrent, identidem ab iisdem rogati, poſtquam naves ſuas, quæ erant grandiores e navali productas quantocius reparaſſent armaſſentque, Rugiam petivere, exſpectantes ibi dies aliquot, ut ſuam ipſis Straleſundenſes claſſem jungerent. Verum nimium cunctantibus illis, nec ad præſcriptum tempus venientibus, inde ſolventes, Borringholmum abiere. Ubi iterum Sundenſium adventum dum præſtolantur, duces in terram exponere copias prædamque ex agris agere, omniaque populari jubent. Nec ſecus illi, quam erat imperatum, in inſulam continuo irruptionem faciunt, magna undique pecorum multitudine in naves acta. Eoque ad Regem allato nuntio, ille claſſem quam maximam educi atque armari quam celerrime curat, ut hoſti quam primum ad Borringholmium occurratur. Ei duces addit Johannem Holgerum, Severinum Norbyum, Tillemannum Giſelium aliosque fortiſſimos: & eos inter ſummum eſſe imperium penes Holgerum voluit, virum ut animi magnitudine, ita bellica re atque auctoritate præ ceteris eminentem. Nec ille moratus, ſed ventum commodum nactus ac inſulam mox propius accedens pridie feſtivitatis, quæ Laurentio eſt ſacra, Auguſti menſis die nono, hoſtium claſſem in conſpectu habuit. Ac paucis alloquutus ſuos, hortatur, ut in hoſtem, quem toties viciſſent, intrepide irent, ſeque viros præſtarent. Eaque dicente ipſo, cum nauticus in adverſum clamor tolleretur, & cuncti poſtularent pugnæ ſignum dari, ſponderentque oſtenſuros, ſe neque a gentis ſuæ virtute degeneraſſe, neque opinionem ejus fefelliſſe, propius in hoſtem devecti ſe ad dimicandum putarunt. Inde continuo dux, ordinatis navibus ac collocatis, quæ erant grandiores, in cornu utroque, & inter eas, ſi quæ minores eſſent, ceteras poſt has conſtituit, ut opem laborantibus ferrent. Ac ſimul, quæ quamque præire quæque ſequi deberet, aliisque ſubſidio venire diſponit mandatque. Nec ceſſant interea Lubecenſes, qui productam ſine mora claſſem ſuam hoſtium claſſi ex adverſo locant. Nec diu deliberatum, ecquis pugnæ initium faceret. Etenim moræ tædio Dani, primi in conſertam hoſtium claſſem impetum fecere. Eumque dum ſuſtinent aliquamdiu Lubecenſes, tandem ubi naves eorum quinque ſauciis atque occiſis haud paucis, graviter laceratæ quaſſatæque eſſent, incitati incommodo, audacius quam prudentius nec ordine ſervato in Danos feruntur, & eos ſequuti Dani ſimiliter virtute magis quam induſtria prœliari inſtituunt. Sicque globis aſſidue hinc inde emiſſis diu acriterque res acta fuit, dum poſtremo Danicarum Liburnicarum una velociore curſu in hoſtem delata circumventaque ab hoſte caperetur. Quo animadverſo Dani ut contumeliam vindicarent, magnis animis in claſſem hoſtilem irruunt. Nec diu illa ſuſtinere impetum, ſed fuga ſibi conſulere ſatagens, intercepta propemodum hoc ipſo fuiſſet, niſi noctis ingruentis tenebræ tutam præſtitiſſent. Etenim Holgerus regiæ claſſis ductor nolens mari aut tenebris naves committere, locum continuo capit, quem hoſtis reliquiſſet, lucem ibi exſpecturus. Quæ cum orto mox ſole effulgiſſet, dato ſigno ac anchoris levatis, rurſus in apertum mare progreſſus quærit Lubecenſes, ſed nequicquam ac diu quæſiti cum non occurrerent, in locum ſuum Dani redeunt. Vix redierant, cum ecce fors fortuna ac caſus offert, quod ſtudio ſummo quærebant Etenim tres Sundenſium naves prætorias diu ac fruſtra eodem loci circa Borringholmum a Lubecenſibus, ut meminimus, exſpectatas, procul adventantes conſpiciunt. Sundenſes quieſcentibus Danis, & quo ſe illæ recepturæ eſſent, exſpectantibus, non Danos, ſed eſſe Lubecenſium claſſem arbitrati, propius adnavigant. At ex ſignis volitantibus cum eſſe Danos viderent, verſis celeriter velis, fugam capeſſunt. Inſequuntur, quantum poſſunt, Dani, ac duas aſſequuti, dum eas circumſiſtunt, ac ſuæ poteſtatis vi faciunt, tertia, in qua conſulares duo, præſidii ductores erant, e manibus elabitur. Quæ dum apud Borringholmum feruntur, claſſis Hollandorum e Livonia, mercibus probe ſaburrata, domum reditura, Lubecenſibus iſtis, qui e conflictu, de quo dixi, cum regia claſſe fuga evaſerant, inter Reſchœridam & Heilam magno ſuo malo occurrit. Conſtabat hæc navibus ducentis quinquaginta. Hærebatque tum adhuc vetus inter Hollandos & Vandalicas civitates ſuper jure commerciorum in has oras controverſia. Eaque cum nondum in totum eſſet diremta, injuriæ inferendæ hoc tempore occaſionem præbuit. Sed & incitabat mixtus vindictæ pudor. Utpote qui armatas Regis naves vix evaſerant, adverſus inermes experiri ſuas vires, & eſſe vel hic ſuperiores deſiderabant. Hollandi in ſe iri cum viderent, multi in Scaphas ſe conjiciunt, periculum vel illo modo evaſuri, alii manus dantes ſe captivos tradiderunt. Qui effugere tentarunt, eos inſequuti ceperunt, ac navibus direptis ignem injecerunt. Quatuor, quæ aderant ipſis, bellicæ naves impares pugnæ, ad Borringholmium, ubi regia claſſis ſtationem habebat, ſalvæ pervenerunt, ac ibi, quæ acta ad Heilam eſſent, regiis ſignificant. Holigerus his acceptis, convocatos extemplo militum tribunos navalesque ſacramento adigit, ut vel fortiter prœliando hoſti prædam eripiant, aut morrem oppetant. Nec difficile id erat apud eos, qui ſua ſponte eo ferebantur. Et alacriores præterea reddebant Hollandorum naves quatuor, quas acceſſiſſe diximus, tum & id, quod numero earum cuncti eſſent, quas ereptas pridem Sundenſibus ſecum ducebant. Itaque ſummo mane cum relicto Borringholmio in mare excurriſſent, circa meridiem ſecunda uſi tempeſtate ad Heilam omnes delati ſunt. Hic miſerandis modis diſſipatos Hollandorum naves, ac multas ſine rectore fluctuantes, alias recenti adhuc incendio, velut buſta quædam

Lubecenſes claſſe emiſſa circa Rugiam fruſtra præſtolantur Sundenſes ſibi jungendos;

hinc Borringholmium inſ. invadunt populantes,

Sundenſium duæ naves captæ.

cum regia claſſe confligunt;

Lubecenſes Hollandorum naves e Livonia redeuntes offendunt, quas partim abducunt, partim flammis perdunt.

Dani hoc nuncio accepto Lubecenſes inſectantur;

pulſi fugiunt.

dam mari innare conſpicantur. Et quod Danos maxime excruciavit, cernunt non procul inde Lubecenſium claſſem, qui ob prædæ magnitudinem inſolentiores, victis etiam tum ſuperbe inſultarent. Viſum itaque propius advehi ac hoſtibus pugnandi poteſtatem facere. Sed illi, cum undecim tantum bello inſtructas naves haberent, ceteris quinque ad Borringholmum ita laceratis, ut ad dimicationem inutiles eſſent, nec iis, quas captas ab Hollandis eo tempore præſidio armaverant, ſatis fidere viderentur, claſſem ſuam in unum contrahunt prælium quaſi detrectantes. Qua re animadverſa, Dani, ut ad pugnam provocarent, aſſidue in eos tela jaculantur ac clade magna cunctantes afficiunt. Quibus identidem verberibus irritati Lubecenſes, tela retorquere, ſed ita inſtituunt, ut magis ſpeciem pugnæ, quam prælium cierent, ac tempus ducendo id agerent, ut ſe indagini hoſtium eripiendo fugam, in qua ſola ſalutem poſitam videbant, capeſſerent. Quod cum Dani intelligerent, haud paſſi diutius ſe ab hoſte ludi, explicatis navibus, claſſem hoſtium cingere ac undique intercludere cœperunt. At Lubecenſes id agi conſpicati, vi ſibi viam parant, ac datis vento velis, Travemundam petunt, paucas tantum ex Hollandorum navibus, & eas præcipue, quæ curſus celeritate præſtarent, ſecum abducentes. Quas & ipſas inſequuti Dani facile disjectas intercepiſſent, ni regia navis, quæ erat prætoria, rupto forte pede nautico, ſive, ut aliis placet, concuſſo ac lacerato tormenti globo navis clavo, in media inſectatione offenſa, dimittere velum ac ſiſtere curſum coacta fuiſſet. Nam ea re etiam ceteræ, quæ eo velut ſigno revocabantur, ſubſtitere univerſæ. Inde reparata prætoria cum ad Heilam reverſi eſſent, diſperſas undique pelago Hollandorum naves in unum colligentes, eas poſſeſſoribus ſuis, qui eas pridem metu deſeruerant, reſtitui ſingulas curant, deſideratis tamen earum quamplurimis, partim incendio, ut dictum, corruptis, partim vi armata a claſſe Lubecenſium intra Travæ flumen abductis. Fugatis eum in modum Lubecenſibus, atque intra urbis ſuæ portum compulſis, & ipſi ceteræque Vandalicæ civitates omni poſt eam diem navali expeditione adverſus Regem abſtinendo, pacis potius conſilia ſequenda ſibi, quam bellum inſtaurandum exiſtimarunt. Quin & eo neceſſitatis deducti, ut non modo mare Balticum tutum ab eorum excurſionibus præſtitum ſit, ſed Dani ubicunque dominando etiam interioribus ejusdem maris finibus ſuam in poteſtatem redactis, negotiatores eorum ac merces, ubicunque eas deprehenderent, in prædam abſtulerint, ac ſuas faciendo intra regnum deportarint; unde factum, ut bellum iſtud, licet decennium totum duravit, non tamen ulla annonæ apud Danos caritas, ſed earum potius rerum omnium, quæ ad vitam ac victum, ut & alias eſſent neceſſariæ, cujusmodi fere pace ſolet, abundantia exſtiterit. Funeſtum ac fatalem hunc annum habuit completo ætatis ſuæ anno XIV. filius Regis Johannis Franciſcus nomine, funeratus Othoniæ in æde fratrum, quos prædicatores vocant; ubi & poſtmodum Regis quoque Johannis ac Reginæ Chriſtinæ funus depoſitum. Ei quod conſtat, ex regia proſapia neminem haberi cognominem memorant, ſed nomen Franciſco ideo inditum, quod ipſo S. Franciſci die, dum in Svecia parenti res proſperrime cederent, de eo nato nuntium accepiſſet. Et mox qui inſequutus eſt proxime, anno ſupra milleſimum quingenteſimum duodecimo, finivit Svanto Nicolaus, Sveciæ proprinceps, morte ſublatus Aroſiæ, quæ ſedes regni pontificia eſt, poſtquam rebus præfuiſſet annis octo circiter, haud feliciore uſus fortuna, quam prædeceſſor ejus Steno ſenior. Erat hoc ſcilicet fatum Regis Johannis, uti in tam longo ac difficili bello victor, hoſtibus ſuis, qui toties violata fide adeo graves in eum ſeditiones concitaſſent, ſuperſtes ageret, ac poſt proſcriptionem, cum infamia eorum ſempiterna, ipſe intaminatis fulgens honoribus, e medio ſublatos ac velut ſideratos videret. Defuncto Svantone Sveci ejus filium Stenonem juniorem pro-Regem ſalutarunt, poſtquam diu inter ipſos diſceptatum fuiſſet, cui ea inſignia jure deberentur. Sed vicit pars eorum, qui Regem Johannem ejusque filium Chriſtiernum, quanquam jusjurandum iis ac fidem ſuam dediſſent, ut exteros ac populo minus gratos, poſthabendos judicarent. Stenonis vero vices ſuſtinuiſſe initio Ericum Trollium inter Svecanos nobiliſſimum, ſunt qui tradunt. Gothus a magna ſenatus parte deſignatum eum principem memorat, ſed ea dignitate aut dominatu haud diu gaviſum ſuſpectatumque, quod Danis amicior inque Dania poſſeſſiones prædiaque non una haberet. At Lubecenſes cum undique, ut memoravi, clauſo mari navigatione prohiberentur, nec commeatus jam uſpiam a parte accederet, quæri apud ſenatum hac de re cives cœperunt; id ſibi dari flagitantes, ut vel pacem a Rege peteret, vel aliunde importandum commeatum curaret. Sed cum opis hoc ejus aut poteſtatis non eſſet, id conſilii initum, ut miſſis ad Regem litteris flagitarit. Locum idoneum ac fidem ſibi publicam dari, ſe habere, de quibus agere cum ipſo ſeorſim veller; neque fruſtraneum id fore, neque male locaturum operam modo petentibus auſcultaret. Rex accepta Lubecenſium voluntate, utpote cui pace ſemper bellum vilius fuerat, brevi ſe Flensburgum venturum reſcribit, eo quicunque eorum nomine venirent, data fide, ſe tutos habiturum. Inde Lubecenſium conſules duo adſunt, qui cum Rege de pace conſtituenda acturos ſe ſignificant. Rex gravate, tamen ne uſpiam defuiſſe paci videretur, poſtulatis eorum ad poſtremum annuit. Statuto igitur die, cum Rex ad locum, qui colloquio erat deſignatus, concederet, gladio ſe accingens, quosdam e familiaribus ſequi ſe jubet. Qui cum interrogarent, cur armatus ad colloquium accederet, quia, inquit, mihi longa conſvetudine ita noti

qui fugam capeſſunt.

Dani eos conſectaturi laſa prætoria curſum fiſtunt.

Hinc Lubecenſes pacatiores redditi.

Franciſcus R. fil. moritur.

A. 1512. Svanto regni Svec. præſes extinguitur;

ejus filius Steno jun. in ipſius locum ſubjectus pro-rex.

Lubecenſes commercio atque commeatu privati pacem a Dan. R. petunt,

cujus cauſa Flensburgi conveniunt Regem.

noti Lubecenſes, ut inermem me iis committere tutum non putem. Hinc conclave, in quo erant, ingreſſurus, ad ſequentes ſubridens ajit: Vos me hic operimini, dum intus cognoſcam, quid adferant Lubecenſes: Si vim intentent, contra duos unus dimicabo, ſi impar fuero, opem veſtram implorabo, vosque accurrite actutum laboranti. Jocum hunc ſeriis, de quibus tunc agebatur, ita immiſcuit Rex, ut non obſcure ſimul indicaret, quantum ipſorum fidei tribueret. Finito colloquio, cum eſſet ad ſuos regreſſus, retuliſſetque ad ſenatum, quæ flagitaſſent, eaque a pace haud aliena viderentur, pax inter eos & Regem conſtituta his legibus ac conditione. Si neque Johannem Regem recipere Sveci neque filium ejus Chriſtiernum, nec etiam tredecim marcarum Holmenſium millia, quæ promiſerant, pendere quotannis in animum inducerent, tum Johanni ad redigendum in poteſtatem regnum Sveciæ auxilio adeſſent. Nullum ejus aut heredum ejus hoſtem urbe ſua exciperent aut foverent. Detenta utrinque bona reſtituerentur. Portus regni Norvagici quocunque in bello immunes eſſent, ibique commercia quilibet libere exerceret. Quæcunque inter Regem & Lubecenſes haberentur controverſiæ, de iis quatuor ei negotio deſignati, propius inquirerent ac pronuntiarent. Tradit inſuper Vitfeldius, ſtatutum ibidem, ut exinde conventus Malmogiæ haberetur, cui etiam reliquarum civitatum deputati intereſſent; habitumque ejus haud multo poſt præſentibus Scotorum Regis Jacobi IV. legatis, ipſoque principe Chriſtierno Rege electo, ut & Byrgero archiepiſcopo Lundenſi ceterisque regni ſenatoribus, ibique inter Regem & civitates Vandalicas, Lubecam, Hamburgum, Roſtochium, Straleſundam, Viſmariam, & Luneburgum, ſive incolas earum, ita pronuntiatum, ut remoto ſopitoque omni bello pax utrinque coleretur, captivi dimitterentur, nullæ in poſterum prætoriæ naves in detrimentum Lubecenſium aut civitatum mare ſervarent. Telonium in freto Oreſundæ penderetur pro more veteri: jus diceretur Lubecæ regiis ſubditis absque reſpectu perſonarum: commercia civitatum intra Daniæ regnum & regni vicißim incolarum in civitatibus prout ſveverant, eſſent utrinque libera. Si bellum exſurgeret inter Lubecenſes & urbes Vandalicas, parti nihilominus utrique fas eſſet Daniæ regnum frequentare. Rex quandocunque in Regem & regnum Sveciæ eſſet admiſſus, id operam una cum regni ſenatu daret, ut vectigalia, quæ ibi penderent, moderarentur, & ſe præterea erga ipſos ac ceteras civitates faventem & benignum demonſtraret; ſi quæ exorirentur inter ipſum heredesque ejus ac ipſos controverſiæ, eas diſceptarent deciderentque delegati utrinque quatuor ad hoc deſignati. Per idem tempus Malmogiæ Lubecenſes ſui & ſuorum nomine Regi Johanni codicillos tradidere, quibus pollicebantur, ſe intra ſpatium duodecim annorum vice detrimenti, quod ejus ditionibus multifarium intuliſſent, ſoluturos illi triginti aureorum millia. Pollicitique ſunt præterea, quo gloria & honos Deo, æquitati ſuum tribueretur, ſe ab omni avectione advectioneque in regnum Sveciæ deſtituros deſiturosque, donec vel ipſe Rex Johannes vel ejus filius princeps Chriſtiernus ſemel inque totum cum Svecis tranſegiſſent conveniſſentque. Hæc poſtquam in Sveciam eſſent allata, Lubecenſes & urbes Vandalicas poſitis armis cum Rege pacem feciſſe, ſuis jam viribus diffiſi, ad Regem quoque ipſi oratores mittunt, qui pacis rationes cum Rege Malmogiæ, Helſingburgi, Hafniæ & alibi pridem inchoatas reſumerent. Fuere hi Matthias antiſtes Strengeneſſenſis, Georgius Nicolaus archidiaconus ibidem, Holgerus Caroli & Benedictus Abiornus plena poteſtate a Sveciæ ſupremo ſenatu donati. Eos ubi coram perorantes audiviſſet Rex rebellione gentis tam diutina ac toties iterata haud parum offenſus, averſari eos & absque reſponſo remittere domum, & ſimul novam in Sveciam expeditionem parare animum induxerat, niſi interpoſuiſſet ſe regni ſenatus. Is etenim poſt tot clades terra marique acceptas, pactis conventis eos ſtaturos, & ictu, quod dicitur, fore prudentiores certo ſibi perſvaſit ac veluti ſpoſpondit. Eſtque idcirco his utrinque legibus conventum, ut intra vertentem annum in regnum Regem Johannem reciperent aut filium ejus principem Chriſtianum, in cujus jam ante verba juraverant, patris loco Pro regem aſſumerent, ac ei in Sveciæ regnum jus illibatum relinquerent. Quod ſi horum neutrum placeret, tredecim marcarum Holmenſium millia Regi aut ejus filio, ſi eſſe eum parenti ſuperſtitem contingeret, quotannis perſolverent. Eſtque hunc etiam in modum cum Svecis tandem paxſancita: ſed ea item, qua fide & quamdiu ſervata, ſequentia oſtendent. Rex confectis bellis Vandalico Svecicoque, ac domi forisque pace conſtituta, animum ad pietatis opera adjecit. Ac miſſo Romam ad ſummum Pontificem legato Johanne Volphio, ſibi ab epiſcopis præpoſituram Othonienſem, quam epiſcopus ejus urbis ſuam fecerat, regiæ jurisdictioni reſtitui curavit; ac ea exinde Johannem Globum archigrammateum ſuum honeſtari fecit. Concitaverat iisdem diebus Cardinales nonnullos adverſus Romanum Pontificem Rex Galliarum Ludovicus. Hi generale concilium indici Piſis ad reformandum eccleſiæ cleri mores toti volebant: iisque ſuum quoque aſſenſum Cæſar Maximilianus adjecerat. At Pontifex non Piſis, ſed Romæ celebrandum illud cupiebat. Quo durante diſſenſu, erat in eo Rex Johannes ejusque cognatus Rex Scotorum Jacobus IV, ut cum Rege Ludovico in gratiam reduceret Pontificem. Dederatque Johannes Rex in mandatis eidem legato ſuo, quem miſſum Romam dixi, Johanni Volphio, id ut ageret, flagitaretque a Pontifice, ut idem concilium, quod Rex Galliarum & Cæſar Piſis, ipſe celebrandum Romæ vellet, in Germania circa Rhenum

Pacis conditiones.

Malmogiæ conventum præſentibus legatis ceterarum urbium Vandal. refert Huitfeld.

Lubecenſium ibi promiſſa.

Hinc & Sveci legatos ad R. pacis cauſa mittunt.

R. indignans gentis perfidiæ bello coercere eos ſtatuit; ſed pacem ſvadet ſenatus; ejus conditiones.

Rex præpoſituram Othonienſem ſuæ jurisdictioni reſtitui a Pont. R. petit.

Circa concilium Piſis celebrandum diſſenſus Pont. cum R. Gall., quibus reconciliandis operam dat Joh. R. cum R. Scot. ſvadetque in Germania habendum.

num haberi posset, quo ita non Germaniæ modo principes, sed & ipse quoque ceterique boreæ Reges, suos eo legatos mittere commodius possent. Rex Galliarum serio hanc rem agere visus, suum quoque legatum ejusdem concilii nomine Petrum Corierum Parisiensem in Daniam miserat, qui & mox in Germaniam, idem apud Electores acturus, profectus fuit. Nec intermisit interea Rex agere cum Gallo, eumque per litteras monere, e re fore orbis Christiani, si potentissimus Galliarum Rex summusque Pontifex idem unumque agerent: sibi constitutum convocare regnorum suorum præsules ac prælatos, & identidem flagitare a pontifice maximo petereque, ut idem concilium non in Italia, sed in Germania prope Rhenum haberetur, & idem quoque acturum apud imperii electores, nec non magnum Moscorum Ducem, quo & ille semet cum reliquo orbe Christiano propius jungere unireque posset, mutatis, si quæ vel græcam ecclesiam vel ritus prophanos nimium reciperent. Domi præterea tria Franciscanis cœnobia strui curavit: unum Coagii, alterum Malmogiæ, tertium Halmstadii. Hafnienſem quin etiam Academiam, a patre institutam, adauctis docentium discentiumque stipendiis, non uno modo auxit ornavitque. Compererat siquidem longo usu sibi pace belloque, oppido necessarios esse viros idoneos, quorum opera in legationibus ac regni negotiis uteretur, nec eos aliunde, quam e scholis & academiis bene constitutis legi debere. Summopere quoque incubuisse in id constat, ut filio suo principi Christierno de illustribus nuptiis ante suum excessum provideret, multis hoc nomine cum fœderatis principibus ultro citroque habitis deliberationibus. Ad Pontificem præterea Max. defuncto præsule Nidrosiensi Gauthone, litteras dedit, & alias ad Cardinalem titulo S. Mariæ, quibus maximopere commendabat Ericum Walckendorpium principis Christiani filii sui Cancellarium, ut eum Gauthoni successorem declararet; simul commonstrans, eum Norvagiæ districtum se jam annis aliquot parum sibi obsequentem habuisse, & egere viro, cui fidere posset, & esse talem Ericum Walckendorpium sibi multo usu ac fide cognitum: operam itaque apud summum Pontificem navaret, ut iste præsulatus haud alii, quam Walckendorpio traderetur, præsertim cum antistes Nidrosiensis in omnibus apud Norvagos consessibus præsidis locum teneat, & ei ut plurimum dicto audientes reliqui essent. Scripsit ad eum iisdem diebus Scotorum Rex Jacobus IV. sororis ipsius filius, certiorem reddens de nato sibi ex conjuge sua Anglorum Regis Henrici VIII. sorore illustrissima Margareta optatissimo filio: tum & illud adjiciens, sibi statutum cum Anglo, affine suo, bellum gerere: Addito armorum capiendorum causas esse res repetitas & non redditas, Roberti Cari interemtorem Johannem Heronem palam se ostentare. Andream item Britannum præter fœderis leges spoliatum & interemptum Regis ipsius jussu & præter has injurias ferre æquo animo haud posse, Ludovici Francorum Regis veteris amici & Caroli Gelriæ Ducis propinqui sui ditiones hostiliter invadi ac vastari. Petereque Francorum Regi fœderato ac sibi suis quoque adesse auxiliis haud intermitteret. His respondit Rex, ei initio de nato filio plurimum gratulando, ac omnia simul, ut & illustrissimæ ejus reginæ fausta apprecando, cum spe atque exspectatione, ut idem ille filius ejus Deo opt. Max. charus esse acceptusque & ipsi amicisque ac consanguineis ipsius omnibus solatio gaudioque posset. Inde commemorans, quæ inter Pontificem max. Venetos, Francorum Regem, ac ceteros Christiani orbis principes dissidia ac simultates agitarentur, demonstrabat, summopere sibi displicere ea, & maxime, quod ejusmodi discordiæ bellaque universo Christiano orbi haud levi essent detrimento, & ideo se ablegasse hoc nomine ad summum Pontificem legatum suum, ac ejus propediem exspectare reditum: Quod vero auxilia sua spectaret, satis constare ipsi, bellum aliquamdiu a se gestum, & ei neque Francorum Regem, neque reliquos principes, præter ipsum, opem tulisse; tum & illud non latere, non minus se ipsumque Regi Anglorum, quam Regi Francorum esse fœderatos, & se haud unquam ab ullo eorum vel offensum vel læsum: tum & christianissimum Franciæ Regem a se hucusque suppetias nullas efflagitasse. Quod autem seorsim quoque ipse sibi opem auxiliumque ipsius adversus eundem Anglorum Regem postulet, perægre hoc ipsum accepisse se, cum id haud levem calamitatem malumque præsagire videatur, quod ii scilicet, qui adeo arcta inter se affinitate juncti sunt quosque colere invicem amicitiam ac pacem omnino par sit, capitaliter dissideant. Se idcirco hortari auctoremque ipsi esse, quiete pacateque agat: & ad animum revocat, intercedere non amicitiam tantum, sed summum inter utrumque affinitatis nexum; si tamen potentissimus Anglorum Rex contra fas & æquum impetere ipsum, atque armis belloque involvere instituat, haudquaquam defuturum se ipsi, idque re consiloque: Et hoc præcipue atque eo si obtinere, quod æquitas dictet, non posset, paratum se, quantum in se sit, vim vi retundere, atque ipsum armis auxiliisque suis, modo tempori ea de re commoneatur, terra marique tutari. Isto autem tempore, se post partam pactamque cum Sveco Vandaliæque urbibus diu optatam pacem, exauctorasse militem suum, ac eum, quocunque vellet, abire permisisse, &c. Similes fere ejusdemque exempli litteras ad ipsam illustrissimam Reginam dedit, id præcipue agens, ut ipsa suis amicis hortatibus monitisque, absternere ac retrahere ab omnibus, quæ ad bellum armaque ducerent, dominum suum Regemque allaboraret. At hisce omnibus sanisque consiliis fata prævaluere. Quæ eum anno insequenti circa Fluidonem ac Turdæ amnem cum Anglo post longas suorum quoque ac Comitis præsertim Angliæ hominis

R. Joh. tria Franciscanorum statuit cœnobia, academiam ornat Hafn.

filio circumspicit nuptias;

defuncto Gauthone Ericum Walckendorpium Pontifici præsulem Nidrosi. constituendum commendat.

Jacobus Scot. R. Johanni affinis nunciat sibi natum filium, & ad bellum adv. Anglos paratum auxilia petit;

resp. R. Joh.

auxilia negat,

pacem svadet,

sed bellum suscipiens cadit.

senis ac multa prudentia præditi dehortationes prœlio confligentem e medio abstulere.

Angli navem Danis abducunt; Scoti quandam Anglorum in Oresunda capiunt; utramque restitui postulat R. Joh.

Hinc inter Anglum Scotumque insurgente paulatim bello, naves Danorum mercatorias, & in his regiam unam ad Galliæ salinas iter dirigentem, cui Scotum navarchum imposuerat Rex, Angli ceperunt, inque portus suos avexere. Et Scoti vicissim Anglicam stantem in anchoris e freto regio Oresunda in Scotiam abduxere. Quo nomine Rex expostulatorias continuo ad cognatum suum Scotorum Regem litteras dedit, serio efflagitans, & navem & bona sibi confestim restitui, cum illud præsertim navigium intra jurisdictionem suam ac locum telonii esset captum avectumque. Ad Angliæ quoque Regem codicillos similiter misit, excusans se atque ostendens, id quicquid esset, se inscio atque ignaro esse perpetratum; ac eo nomine serio commonuisse Scotorum Regem, sibi a subditis ipsius haud leve dedecus ac probri notam inflictam; ac ideo suis mandaret, restituerent, quod ipsorum non esset quodque vitio cepissent. Inter

A. 1513. Rex mortem sibi præsagiens testamentum facit;

hæc velut fatum sibi ac mortem imminentem præsagiret, anni statim, qui est insequutus, initio, millesimi supra quingentesimum decimi tertii, integra adhuc valetudine, in arce Hafnienſi testamentum suum fieri fecit: ac multa familiaribus legans, plura sacris ædibus ac piis usibus ad cultum divinum consecrando, etiam eo supremo actu, qua in Deum semper pietate fuerit, demonstratum voluit. Nec

signa eam antecedentia.

defuere per idem tempus signa, quæ mortem ejus prænunciarint. Etenim condito testamento, postquam cum familiaribus die quodam hilarius ageret, allatum est inter pocula calendarium e Germania, in quo cum referretur, eo anno principem magni nominis moriturum, idque forte legeretur, siluisse aliquamdiu eum ferunt; ac mox interrupto silentio cum nullus interpellaret, circumstantes percunctatum, ecquem illi designari principem existimarent, cui fatum prædicaretur? Cunctantibus & quid responderent dubiis, celeriter in hæc verba prorupisse ipsum; Me designari haudquaquam puto: & mox, valeant somnia, & vatis hujus inauspicatissimi commenta; nos vitam adhuc longiorem Dei beneficio speramus. Jocatum etiam eum alii ferunt in filium suum Christianum ac dixisse: Parcas nulli parcere, nec ullo ætatis respectu etiam juniores invadere; ac morte abreptos Libitinæ sacrare. Auditi adhæc nocturno tempore in arce eadem Hafnienſi formidabiles canum latratus, se quasi in provocantes irritantium. Sacelli quoque, quod in arce est, reseratis de nocte sua sponte foribus, audita in eo lamenta ac voces velut ejulantis, aliique insoliti strepitus perculsos haud leviter atque attonitos habuere, qui propius accubarent. Vestes denique sacræ in ara ejusdem sacelli summa, secus atque eas pridie statas ædituus deposuerat postridie non sine multorum admiratione in unum congestæ atque convolutæ spectabantur. Quæ tamen summo tum studio suppressa tacitaque, ne ad regias aures perlata, eum fortasse percellerent. Compositis in Selandia pro arbitrio rebus nondum adulto mense Januario, Hafnia movit, una cum conjuge sua Regina Christina filioque Christierno, ac pluribus e nobilitate comitatus, in Cimbriam chersonesum, ut ibi pro more jus incolis diceret, iter instituit. Quo itinere cum trajecerit mare Balticum, tanta desubito exorta tempestas est, ut navis, qua vehebatur, huc usque fluctuans haud leviter periclitata fuerit. Quo ereptus discri-

Rex in Cimbriam tendit ibi jus dicturus,

in mari periclitatur

mine, postquam Neoburgum appulisset ac de navi in terram exscendisset, ad mare conver-

ominosa locutus.

sus, vale, inquit, Balticum, vale; eam in nos hodie exercuisti sævitiam, ut deinceps per te patere nobis transitum haud velle te satis ostendens. Et sane velut imminens sibi fatum animo præsentiens verum dixit: neque enim exinde id transiit. Hinc instituto per Fo-

Ripis commoratus,

niam itinere Ripas venit, quod Cimbriæ maritimum est oppidum, atque ibi invitatus a loci præsule, Ivaro Munchio, qui annis jam aliquot ante inauguratus, ac primus facturus sacrum, & in eo Lagonem Urnium episcopum Roschildensem, simul consecraturus, rem in eum diem distulerat, magna pompa peregit, præsentibus insuper Asloensi, Arhusiensi ac Viburgensi episcopis. Ubi dum hæret Rex, & epulo adjiciali antistitis excipitur, adeo derepente exundavir oceanus, ut obsessus quasi circumfluo mari, plures ibi dies subsistere necessum habuerit. Et egressus per otium pau-

a mari exæstuante includitur,

lum extra urbis portas, cum mare propius accessisset, & illud modo in se recedere, modo ad littus redire videret, admiratus ac versus ad suos, Ecce inquit, Regum Regem ac dominum dominantium! Eum merito supra omnes

pia locutus.

potestates, quæ in terris sunt, veneremur: qui absque machinis & telis bellicis, sola unius elementi vi intra hoc oppidum nos clausos tenet. Huic summo induperatori cælum, solum, salumque moderanti, quas hostibus non dedimus, victas manus demus. Ei laus & honor gloriaque sit per infinita secula. Quibus ille verbis, quanta in Deum pietate fuerit, non obscure declarare visus est. Hinc æstu sub-

Aleburgum ex equi lapsu æger venit,

sidente inde decedens Aleburgum sub nonum Cal. Febr. æger pervenit, quod prolapso in paludes Tormicas equo, pedem pectusque nonnihil offendisset. Huc ex universa Cimbria, ejus adventum præstolantes, magna frequentia perplures convolarant. Ac ibi e via fessus & e casu item langvens dum sese recolligit & ad res agendas cognoscendasque parat, tentari initio levi valetudine ac dubie affici cœpit. Mox ingravescente indies malo

ultima sibi imminere præsagit,

ultimum sibi imminere diem suis professus fuit. Qua re cum universi, quibus salus non minus regni, quam regis cordi erat, animis consternarentur, luctus tota urbe ingens exortus est. Verum ille nihil motus, summa animi constantia & in Deum pietate se ad excipiendum supremam illam horam paratum ostendebat. Inde in medio agone, cum jam fere ingruentem ob oculos mortem cerneret,

filium adhortatus;

pro regni salute sollicitus filium suum Christiernum

ſtiernum præſentibus e regni ſenatu aliquot, aliisque e nobilitate paucis affatus hortatur, primum, ut Deum bonorum regnorumque omnium largitorem ac conſervatorem, quique Regum corda moderaretur, ante omnia coleret ac veneraretur. Et ab eo ſapientiam rectaque conſilia in regnis adminiſtrandis expeteret. Deinde, ut ordinis regni ſingulos debito honore proſequeretur, nulli quicquid per vim eriperet, ſed juſte ac ſecundum leges cuncta exſequens ex æquo omnibus, tam locupletibus quam tenuioribus, jus diceret. Tum quos in honore habeat, non novos aut peregrinos, ſed vetuſtæ ac honoratæ proſapiæ viros indigenas diligeret: nec tam externorum quam ſuorum opera pace belloque domi ac foris uteretur. Et eos præterea, quorum fidem atque induſtriam probatam habuiſſet, etiam poſt mortem ſuam, ipſe ſibi demereretur. Ac denique felix illi regnum optans vale ſupremum dicit. Hæc cum filio locutus, collacrimantibus, qui aderant, univerſis cælorum terræque ſummo Regi ſe ſuosque commendans, paulum ultra nonam veſpertinam decimo Cal. Martii in fata quam placidiſſime conceſſit. Corpus ejus, quod in Fioniam eſt deportatum, Otthoniæ in Franciſcanorum cœnobio (cathedrale nunc templum eſt) ſepulturæ mandatum. Tenuit regnum annos duos & triginta; vixit quinquaginta octo. Fuit princeps etiam hoſtium confeſſione ſummis laudibus digniſſimus, ac Regibus quibusque maximis comparandus; rerum vero geſtarum gloria paucis inferior. Bella licet plura geſſerat, eorum nullo victus, ſi unum Dithmarſicum excipias, in quo tamen non tam eum quam duces eorumque ſocordiam culpes. Et ea quoque ipſa quæ geſſit, bella, in ea magis fato & hoſtium pervicacia, quam genio ſuo protractus incidit, utpote qui conſiliis, quam armis exſequi cuncta maluiſſet. At quis Stenonum Svenonumque dolos, ac toties totiesque violatam eorum fidem ignoret? aut ſi ignoret, ex iis, quæ memorata ſuperius, repetat recolligatque. Petrus Parvus Roſefontanus auctor ipſemet domeſticus ac eques Danus, & ſi qui eum ſeqvuti, deliquiſſe eo vel impegiſſe, vel, ut clarius dicam, contra pactum, inter cetera cum Svecis initum feciſſe exiſtimant, quod Danos Germanosque, homines peregrinos, non indigenas, Svecis impoſuerit. At ignorant illi, quod ſuperiora oſtendunt, diſerte ei Reginæque Chriſtinæ a Sveciæ ſenatu ipſoque Stenone indultum, ut arcibus, quæ utrique ſeorſim erant apud Svecos permiſſæ, quoscunque ſive Danos ſive Svecones Germanosque præficerent. Hic ſi peccatum, non eo peccatum, quod factum id ſit, cum patrum aſſenſu ſit factum, ſed eo fortaſſe, quod fieri aſſenſerit, etiam hinc peregrinos non arcuerit. Igitur illibata etiam hic illi fides conſtitit, codicillis præſertim inter ipſum & Sveones firmata, quam aliis etiam verbis factam haud unquam violaſſe deprehenſus eſt. Nam adeo promiſſi quoque tenax fuit, ut quod ſemel in ſe recepiſſet, id propenſa ſemper voluntate præſtiterit. Tanta inſuper gravitate, ut in eo dignam magno Rege majeſtatem cuncti agnoſcerent ac venerarentur. Quam tamen ipſam ea viciſſim temperabat comitate, ut omnium ipſe magnorum minorumque amorem provocaret, ita ut nec deſpiceret eum, ſiquis majores eſſent, nec metuerent minores. Externorum Regum ac principum legatos, ut excipere erat ſolitus quam honorificentiſſime, ita quoque expedire ac dimittere eosdem quam citiſſime ſveverat; identidem dictitans, haud expedire Regi, ut legati externorum regni arcana pernoſcerent. Eum ſibi ſubditorum præterea favorem gratiamque paraverat, ut, quod efflagitare ſe ac velle ſemel demonſtraſſet, id ſine mora ac omnium conſenſu ſemper impetravit. In puniendis delictis ut erat ſeverus, ſi quando uſus resque flagitaret, ita lenire viciſſim ſeveritatem humanitate ſveverat, ut pœna nulla perinde ſit gravis viſa. Judicio ita excellebat, ut in deliberationibus de rebus regni graviſſimis ejus fere ſemper conſilia perlata ſint. Et licet ea ingenii eſſet acrimonia, ut quid in re quaque opus foret, ipſemet ſatis judicaret, nihilominus tamen ſenatus ſui ſententiam in magni præſertim momenti rebus libentiſſime exquiſivit audivitque. Pietatem ſummo ſemper ſtudio coluit, Deo aſſidue ſupplicans, ut in rebus ac regnis adminiſtrandis ſapientiam ſibi largiretur ac ſua in ſubditorum ſalutem fortunaret conſilia. Etenim dicere ſubinde ſolebat, nulla humana ſapientia recte gubernari regnorum ullum, niſi cælitus accederet, cunctaque proſperaret divina faventia. Hanc principis tam inſignis pietatem haud exiguis quoque donis Deus cumulavit, ejus ubique conſiliis rebusque proſperos ſucceſſus tribuendo. Nam regnum quamdiu tenuit, ea frugum rerumque neceſſariarum ubertas fuit, ut nihil deſideratum uſpiam ſit. Etenim cum editum edictum eſſet, quo cavebatur, ne Lubecam commeatus quidquam deportaretur, quiritabant plurimi, niſi edictum id tolleretur, frumentum & id genus venalium peritura; ac æris rerumque aliarum, quibus carere regnum haud poſſet, ſi belli onera a Rege impoſita ſuſtinenda eſſent, haud levem porro ſuborituram inopiam; reſpondit juſſitque, frumentum & quicquid præterea venale habebant, arcibus ſuis inferrent, ibi a ſcribis pecuniam ac pretium recepturi. Statuerat initio regni ſui, ut opinati nonnulli, exactionibus novis eccleſiaſticos ac clerum premere, idque non tam inſtinctu ſuo, quam ſvaſu aliorum, quibus odio hic ordo erat, ſed deprehenſa eorum fraude ac invidia, mutavit ſententiam ac ſumma eos humanitate perpetuo complexus immunitatibus ubique ſuis ac privilegiis gaudere permiſit. Erat ſtatura mediocri & quadrata pectore lato & nonnihil prominente, facie rotunda ac oculis item decentibus haud invenuſta; corpore bene compacto & ſucculento, ut eum Parvus deſcripſit, ejus fere temporis æqualis. Veſtium luxum & nova, ut ille inquit, nomina adeo faſtidiit.

filium adhortatus

pie vitam finit X. Cal. Martii;

ejus laus;

fortiſſimus victor,

vindicatur adv. P. Parvum Roſefont. quod exteros quosdam præfecerit Svecis;

gravitati

juncta comitas,

conſilii promtitudo,

pietas,

amor in ſubditos,

ejus ſtatura,

cultus,

fastidiit, ut discerni ab inferioribus haud subinde potuerit. Cibo & potu ad exemplum veterum frugalis, contentusque simplici posca, perraro meracius bibit. Ubi tamen locus resque splendorem ac regium apparatum postularet, nulli quidquam concedebat: tum variæ condituræ ac potus exquisiti haud deerant; quæ tamen non ad voluptatem, sed in gratiam amicorum propinabat. Tum & ipse inter primos summus, ac veste ad talos demissa, cinguloque constricta indutus, & gladio insuper antiquitus usitato, quem Dani hodieque Core vocant, accinctus prodibat; adeo morum suæ gentis amans, ut quamvis multo requisitiore armorum, aut vestis genere uti potuisset, ne tamen aspernari patriam videretur, maluerit patrio, quam more peregrino atque exotico vestiri vel armari. In convivis ubi se largius invitasset, frontem subinde exporrigebat, adhibita, ut plurimum, qua delectabatur, sive vocali sive alia, quæ plectro vel manu pulsabatur, musica. Laboravit nonnihil ejus fama capta apud Sveones Regina, quasi alio animum transtulisset. Eamque auxit suspicionem conjux præfecti Vordingburgensis. Hæc enim moribunda & posita in agone regi professa memoratur, se, ejus nomine, male sibi conscium. At eam Rex animi generosi, qualis fuisset in vita, talem quoque esse in morte respondens, hæc taliaque ut falsa & ementita adeo nihili fecit ut ne purgandi quidem sui causa quidquam contradixerit, aut alios hoc nomine redarguerit. Liberos e Christina conjuge, Electoris Saxoniæ Ernesti filia, tres suscepit: mares duos, Christiernum ejus nominis secundum, successorom suum, qui regno mox ejectus exulavit, ut inde dicetur: & Franciscum, egregiæ spei principem, sed ævi brevis, utpote intra adolescentiæ annos, ut est superius memoratum, morte interreptum, cum ageret ætatis annum decimum quartum; ac filiam denique Elisabetham, quæ Joachimo Marchioni Brandenburgico Electori elocata, cum svasu fratris Christierni, qui regno jam exutus eam subinde visebat, religionem suscepit Augustanam, relicta Pontificia; ac ideo quoque deserto matrimonio, postquam in Saxoniam concessisset, a nepote suo Johanne Frederico Electore perhumaniter suscepta est, nihilo fratre fortunatior, ibi aliquamdiu exulavit, donec defuncto marito, a filio, qui patri successit, in Marchiam revocata, prædia ac possessiones suas dotalitias recepit. Ac annis exinde multis superstes, liberos nepotes, neptesque suas supervixit, ac senio tandem longoque languore confecta obiit sub annum Chr. 1555. fratris, ut dixi, quam patris similior, patris, inquam, quem rexisse propemodum pro arbitrio suo fortunam & eam ad nutum habuisse dicas: si cum utroque contendas hujus felicitatem atque suorum perpetuas clades atque infortunia, dirigente cuncta summo illo rerum arbitro, qui fragilitatis humanæ nos commonens illos solio deponit, reponit alios.

musicæ amans,

suspicio conjugis apud Svecos neglectæ redarguitur;

ejus liberi.

Elisabetha Joach. El. Brandeb. uxor matrimonio soluta est puriorem amplexa religionem fratris Christierni exulis svasu;

grandæva tandem moritur.

CHRISTIANUS II.

DANIÆ REX.

CHRISTIANUS, de cujus modo rebus dicendum, natus Neoburgi apud Fionios die secundo Junii Ao. 1481. Cum Avus ejus Rex Christianus I. vigesimo secundo Maji paulo jam ante eodem anno decessisset. Ferunt ejulasse in utero matris ac clare exauditum, inque lucem prodiisse explicata manu altera, altera vero in pugillum convoluta, cruoris plena: quæ indubie tempora ejus deploranda, & eum, quod res ostendit, sanguinarium fore significarunt. Memoratur & illud in arce Neoburgi, cum in cunis negligentius esset relictus, & forte fortuna conclavi exiisset nutricula, a simio in proximum quoddam tectum sive turriculam ulnis deportatum, cum omnium, qui aspexere, horrore, & denique ab eodem simio blande revocato, depositum in pavimento illæsum. Quod & ipsum haud varie præindicavit, eum ad summa exinde triaque evehendum regna; sed a fortuna postmodo destitutum, ad infima carceremque postremo detrudendum, in eo, quod & contigit, moriturum. Qui deinde admoti pueritiæ ejus adolescentiæque præceptores ac ephori in eo omnes excedens quiddam nihilque moderatum deprehendere. Septennis circiter inauguratus est, siquid forte patri accidisset, regni Daniæ Rex, ac anno denique proximo apud Norvagos, in regni similiter principem est assumptus. Nec Sveci defuere apud quos decennio post ab omnibus patri successor designatus proclamatusque fuit, factis de eo codillis, quos Steno Stureus ac reliqui Sveciæ regni senatores suis sigillis obsignarunt. Agebat enim annum decimum circiter octavum, nec multo post sui juris redditus, & eos, qui ut morum ei magistri erant additi, flocci faciens Hafniæ sæpe numero totis noctibus per lasciviam transactis vicos urbis & diverticula veste habituque ad dissimulationem sui compositis pererrabat, comitantibus, qui everterent raperentque ad venditionem exposita & obviis vulnera inferrent, adversis ignarus, adeo ut ipse quoque ictus subinde exciperet ac ore præferret. Quæ cum crebro fierent, ac principem esse, qui grassaretur, pernotuit, mussari cives ac ringi; parens vero Rex ægerrime ferre ac objurgare. Hinc annorum jam circiter viginti in Norvagos, qui ad Svecos magna sui parte defecerant a patre cum exercitu missus a. 1502, vel, ut alii habent, eum insequente 1503. vertit se omnium primo ad profligandum auxilia a Stenone ipsis submissa. Et in his trucidato in prima acie Canuto Carolo Svecorum ductore, captivum quoque paulo ante acceperat, dum levibus prœliis atque excursionibus lacessit Hermolaum Hudsadium gente Norvagum, perduellionis ducem, ac eum lata sententia damnatum rotis imponi prope Bahusium curavit. Delatus tum quoque ad principem ac suspectatus ab æmulis & invidis suis quasi

Christianus II.

singularia circa ejus nativitatem

& quæ ei infantulo accidérunt,

puer nil moderati ostentat;

septennis regni successor inauguratur, & a Svecis,


adolescens dissolutius agit;

hinc exercitum fortiter ducens ferociorem se præbuit adversariis.



Christianus II.
Rex Daniæ A. Ætat.
78. Regn. 9. Symb.
Sic erat in fatis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



quasi idem cum Hudfadio egisset, antistes Hammerensis, eum similiter princeps, ut erat supra modum suspicionibus deditus in vincula continuo abduci mandavit: ac idem, cum evadere carcerem satagens e vestibus sive lecti lodicibus ac stragulis confecto fune, se eo ubi dimittere instituit, rumpitur funis ac ei ex casu crus alterum confringitur. Tamen de nocte per densam nivem, hiems enim erat, reptando, eousque promovit, ut se in proximum lucum intra cavam arborem abditum occulerit. Dumque illucescit, ac res divulgatur, ipse princeps Christianus assumptis aliquot ex suis eum investigando egreditur, ac secutus, quæ nivi erant impressa reptantis vestigia, hominem reperit, prodente enim venatici canis, quem ad manus habebat, latratu, principi eum severe & verbis minacibus alloquenti respondit, esse se in potestate ejus, ac stare penes ipsum, si trucidare insontem vellet; inde reductus in arcem morbo deinde sive febri crucifragium aggravante diem obiit. Quibus peractis profligato, de quo est dictum, Svecorum duce Canuto Carolo, movit cum exercitu in Sveciæ confinia, ac facto suæ potestatis incensoque Losa oppido arces, quæ erant in proximo Elsburgum & Oresterium obsedit. Hic qui præsidebat Ericus Ericius, intellecto Christiani adventu ac ordinatis, quæ agenda, præsidiariis ipse ob causas, quæ relatæ superius, ubi res exsecuti Regis Johannis sumus, ex arce dicessit. Christianus cum arcem diebus aliquot obsedisset, & dedere se vita ac rebus salvis præsidiarii vellent, hoc negavit. Illi perculsi atque postremum exspectantes, mittunt clam in Sveciam, qui auxilium flagitet. Quod cum Steno quam citissime colligi fecisset, misso expeditis cum copiis Actine Ostrogothiæ præfecto, qui castra Danorum, ut est in rebus Johannis memoratum, postquam fortiter invasisset ac pari modo esset repulsus, Christianus princeps his ferocior redditus, quam negaverat arcium præsidiariis vitam atque incolumitatem, re implevit ac morte omnes, ut ceteris terrorem injiceret, mulctari fecit. Nec mora, deinde postquam agmen universum in fines Ostrogothorum duxisset ac eos ferro flammaque, qua poterat, esset depopulatus in Scaniam reduxit exercitum. Hic cum accepisset Norvagos borealiores & in his Bergenses tumultuari resque novas spectare, confestim eo cancellarium suum Ericum Valchendorphium terrestri itinere, quod admodum est ob rupes scruposque ac valles difficile, proficisci mandavit. Cum advenisset, cuncta ille rumore ac fama minora deprehendit. Itaque dispositis, quæ videbantur, haud multo post ad herum rediit. Atque inde transacto tempore, cum omnia vi aut metu apud Norvagos inferiores pacasset, ipse animum induxit Bergas visere. Estque profectus eo sub annum 1507, assumptis secum ex aulicis aliquot, quos sibi suisque rebus idoneos putavit. Est vero Bergarum hæc civitas etiam Plinio ut alibi meminimus, nominata totius non tantum

Bergarum urbis descriptio.

boreæ hujus plagæ, sed Galliæ quoque, Angliæ Belgarumque ac Vandalicarum urbium commune & celeberrimum emporium, multis jam olim immunitatibus ac privilegiis a Daniæ Norvagiæque Regibus donatum identidem ornatumque. Eum eo venientem non arcis modo regiæ præfectus, sed & cives ceterique urbem incolentium multa honoris significatione exceperunt, affeceruntque. Ac ibi dum esset delatum, ad eum eximia præ ceteris pulchritudine ac modestia puellam Hollandicam ibi agere, Columbam nomine, vernacule Duvecam vocabant, cui mater esset Sigbritta fœmina effœta ac annis obsita. De hac traditum reperio Amstelodamo, ubi in foro pomano federat propola, habitatum Bergas venisse, ac ibi vitæ sustentandæ causa, tabernam cervisiariam aperuisse. Hac ejus filia ut potiretur, institui in urbis curia convivium fecit, ac eo inter ceteras oppidi virgines, cum invitasset etiam Columbam, ac semel iterumque cum virginibus aliis, ne animadverteretur, ubi saltasset postremo choream cum Columbula duxit, adeoque adamare cœpit, ut post unam alteramque saltationem etiam deperire videretur. Sed magno post modum ipsi hæc saltatio stetit, cum occasionem postmodum præbuerit, ut tribus desilire excedereque potentissimis regnis Dania, Svecia, Norvagiaque coactus sit. Hinc ubi Bergis aliquamdiu substitisset, redire tandem Ansloam instituit. Sed prius inter Sigbrittam matrem Columbulæ, & ipsum ita convenit, ut ibi subsisterent, donec utramque evocandam per litteras vel nuncium Ansloam curaret; nec mora, ubi rediisset Ansloam, continuo ex adverso arcis exædificari lateritiam domum fecit, eaque parata, utraque Bergas mater filiaque eo vocata accessit, ac filiam, quamdiu in vivis esset Rex parens, ac ipse Norvagiæ præsideret, thori sociam habuit: Sed pater Rex cum annis jam gravis operam filii desideraret, eum domum revocavit. Ille quamvis adesse adamatæ suæ præoptasset, obsequi tamen patri ac navigare in Daniam paratus, mandat Sigbrittæ Columbulæque, ut brevi quoque se Hafniam conferant. Reversus in Daniam non patri modo, sed & ceteris omnibus ob res apud Norvagos compositas regnumque ab ipso pacatum charus oppido gratusque adfuit, quamuis Norvagis ipsis & præsertim nobilitati imperium ejus ob truculentam, qua ab eo perplures, quod favisse solum Sveco suspectarentur, e medio essent sublati invisum magis quam gratum fuerit. Hinc cum animum induxisset pater Rex, ditiones regni sui non unas visere, ac subditorum causis jurique dicendo interesse, præter ceteros etiam his adesse filium Principem Christianum voluit, ut ita rebus regni paulatim assveseeret. Unde profectus cum patre, primum in Fioniam, inde in Cimbriam chersonesum trajiciens, venit cum eodem Ripas, ubi interfuit una cum parente Rege panegyri, quæ in honorem Lagonis Urnei Episcopi Roschildensis est celebrata cum ille ab Ivaro Munchio

Ibi commorans Columbæ capitur amore.

Quam in Daniam reversus accersit.

Patrii itineris postremi comes.

ejus diœceſeos præſule, mitra ibi epiſcopali donaretur, faciente tum primum ſacrum eodem Munchio, qui annis aliquot ante inauguratus ſtudioſe in eum diem facere ſacrum diſtulerat. Inde Ripis digreſſus Rex cum Alburgum veniſſet, ac ibi valetudine adverſa, ut meminimus, correptus in fata conceſſiſſet,

Patre mortuo regium ſumit diadema.

translatum eſt in principem Chriſtianum, jam ante Regem deſignatum, regni diadema, defuncto patre, continuo, ut ſolent inter ſe principes, Rex Chriſtiernus de ejus obitu certiores reddidit Scotiæ, Angliæ, Galliæ, ac Poloniæ Reges, ut & Electores Brandenburgicum & Saxonem, eorum efflagitans gratiam amicitiamque, ac ſimul a nonnullis eorum petens, ut ejus quoque exſequias eodem, quo ſepeliretur, die celebrare apud ſuos haud intermitterent. Inde extemplo deportari paternum funus Othoniam, atque ibi in æde fratrum deponi curavit magna cum ſolennitate. Regina Chriſtina, peractis mariti exequiis, aulam confeſtim reliquit, vixitque ut plurimum, vel Othoniæ, vel in prædio ſuo, quod habebat Othoniæ vicinum, dotalitio, donec ad colophonem perduxiſſet, quod intra Othoniam exædificari faciebat, Claræ cœnobium, in quo exinde, quod reliquum erat vitæ, pie transegit.

A Jac. IV. R. Scot. auxilio flagitatur.

Scotiæ Rex Jacobus IV. non diſſimiles ſuperioribus, quas dediſſe eum ad Regem Johannem diximus, ad filium quoque Chriſtiernum, defuncto jam patre, litteras miſit, auxilium illius ac ſocia arma adverſus Anglum efflagitans: verum excuſavit ſe Chriſtiernus ac

R. Chriſt. honeſta excuſatione uſus negat.

dolere reſpondit, inter eos adeo arcta affinitate conjunctos ſimultatem interveniſſe, eam alio tempore obortam maluiſſe ſe, quod eo temporis puncto expedire auxilia vix poſſet, præſertim, cum ignoraret, quid urbes Vandalorum, quid etiam Svecus, adverſus quos bellum pater geſſiſſet, eſſent molituri; jacere intra regnum omnia, ac veluti juſtitiam deeſſe, donec coronatio celebretur: interim nihil dubitaret de optima erga ipſum tam ſua quam regni ſenatus voluntate. Inde ſub diem Mariæ Magdalenæ ſacrum, qui fuit 22. Julii Haſniæ frequentes adfuere Daniæ Norvagiæque

Daniæ & Norv. ſenatores conſilia de eo tribus regnis præficiendo ineunt.

ſenatores, Archiepiſcopus Lundenſis Byrgerus, Sveciæ primas ac ſedis pontificiæ legatus; Lago Vineus Roſchildenſis, Nicolaus Styggius Bortumenſis, Nicolaus Nicolai Arhuſienſis, Ivarus Munchius Ripenſis, Johannis Andreæ Othonienſis, Andreas Muſius Opsloenſis, Andreas Bergenſis, Ericus Raaſius Viburgenſis, Magnus Hammerenſis epiſcopi, Henricus abbas Soranus, Chriſtianus præpoſitus Bergenſis, Eſchillus prior Anderchovenſis, Antonius præpoſitus Borlumenſis, Steno Bille, Nicolaus Erici, Predbiornus Pudebuſch, Antonius Pasbergius, Henricus Crummedigius, Magnus Goë, Tygo Krebbius, Antonius Nicolai, Albertus Jacobæus, equeſtri dignitate viri, Johannes Holgeri, Johannes Bilde, Jacobus Andreæ, Henricus Agonis, Georgius Marſvinus, Canutus Canuti, Joachimus Luche, Petrus Luche, Ago Andreæ & Matthias Andreæ. Aderantque quoque delegati ac plena potestate a Sveciæ ſenatu donati Matthias epiſcopus Strengeneſſenſis, Otho præſul Veſteraſenſis, Ericus Trollius, Thuro Johannis, Petrus Thurſonis, Chriſtianus Benedicti, Holgerus Caroli equites, Johannes Arvidus & Benedictus Abiornus. Cum his amice actum injectumque de electione principis Chriſtierni, deque amica inter hæc tria regna unione jam olim Reginæ Margarethæ temporibus conſtituta atque inde ſervata, donec eam ruperit nuperrima, quæ exorta fuit inter Stenonem & Regem Johannem ſimultas, aut ſaltem ut in illud, de quo ultimo eſſet Haſniæ actitatum, Daniæ Regibus annuatim pendendum tributum aſſenſum ſuum flecterent a Daniæ proceribus flagitatum. At Sveci eo tempore nihil ſibi in mandatis eſſe reſponderunt, quod principem Chriſtiernum ſpectaret. Eoque accepto Dani Norvagique eum ut Regem ſuum mox coronandum ſine mora utrique ſalutarunt, quod regnum utrumque carere diutius Rege ac capite haud poſſet. Suntque extemplo conſignata ab ipſis certa quædam capita, quæ Regni utriusque immunitates ac privilegia ſpectarent, quibus idem data fide ſubſcriberet. Omnia huc referre prolixius foret. Inter cetera illud reperitur permiſiſſe eum nobilitati in ſubditos ſuos actionem capitis ſeu vitæ, & quæ appellantur marcarum quadraginta; ſed ab eo ſervatum id, ut cetera Svecis quoque polliceretur, ſe, quandocunque eum ut Regem recepturi eſſent, abunde ipſis eorum confirmaturum auctumque immunitates. Habetur & hoc, non obligari ſe ipſi aut obligatos fore, ſi quas promiſiſſet, ab ipſo haud præſtarentur. Sveci, quos dixi, aſſenſum hic ſuum commodare detrectarunt, & dum moras ac dilationes quærunt dicerentque nominatum a ſe regni principem Stenonem juniorem, quid animi ipſis eſſet, ſatis hoc ipſo ſignificarunt, cum & innuerent haud obſcure electionem, quæ facta fuiſſet anno 1499. principis Chriſtierni diſplicere Svecorum pluribus, quod ea omnium Sveciæ ordinum conſenſu peracta haud fuiſſet. Priusquam tamen Hafnia recederent induciæ pactæ, ſed brevis admodum, & eædem repetitæ identidem, ne deliberandi ipſis tempus defuiſſe poſtmodum quererentur. Leo vero decimus, qui Julio defuncto ſucceſſerat, Romanorum ſummus pontifex intellecta morte Regis Johannis ac iſta filii Chriſtierni II. in ejus locum ſucceſſione, continuo ad eum gratulatorias deſtinat. Hæ litteræ cum latine exſtent, ab illuſtriſſimo Cardinale Petro Bembo, nomine Pontificis Maximi, exaratæ, earum exemplum adſcribendum hic cenſui. Eſt autem id ejusmodi: Daniæ Regi S. Perlatum eſt ad me, quod quidem mihi jucundiſſimum fuit, magno te iſtarum nationum favore incredibilique voluntate Regem Daniæ ſalutatum, illuſtris viri patris tui loco bene & cum laude regnare, adoleſcentiæque tuæ annos egregia ſpe tuorum de te populorum firmare: ſicque ejusdem patris tui deſiderium præſenti tua præſtantique virtute facile

Præſentibus Svecorum legatis.

Sveci nil ejus rei ſibi in mandatis eſſe reſpondent.

A Danis & Norvagis Rex coronatur;

nobilibus benignus,

ut Svecos alliciat;

ſed bi imperium ejus detrectant.

Induciis pactis deliberandi ſpatium iis conceditur.

Pontif. Leonis X. litteræ gratulatoriæ ad R. ſcriptæ per Pet. Bembum.

Earum exemplum.

cile lenire. Quam nos rem eventumque tum fortunæ tum prudentiæ imprimis tuæ animi erga te noſtri propenſione ſociantes te paterna noſtra charitate ac pietate amantiſſime complectimur, omniaque tibi, quæ quidem ad regium honorem dignitatemque tuam confirmandam augendamque pertinebunt, quoad noſtræ rationes patientur, libentiſſime polliceor. Quoniam autem ea noſtra mens eſt, is animus, ut Chriſtiani Reges atque principes, qui diſſentiunt inter ſe, concilientur, ut ad Chriſtiani hoſtes nominis repellendos ſuſcipiendumque contra Turcas bellum convertere cogitationes noſtras poſſimus, te hortor, ut hanc noſtram cogitationem juves. Id optime fiet, ſi in Chriſtianos Reges, quiqui ſunt, tua arma non movebis tuasque vires non exercebis: quorum quidem, quod unus, inprimis Henricus Britanniæ Rex multis de cauſis mihi eſſe chariſſimus debet. Illud abs te impenſius peto & poſtulo aut id fieri permittas a tuis. Hoc nobis gratius facere nil potes. Dat. 3. Cal. Martii M D XIII. An. primo Roma.

Quibus inter cetera, verbis Pontifex dehortari non obſcure intelligitur, Regem electum Chriſtianum, ne adverſus Anglum pro Rege Scotorum Jacobo arma ſuſciperet, & memoratæ ſuperius relatæque cauſæ, quamobrem iſto tempore expedire ea vel auxiliaris Scoto venire Chriſtiernus haud poſſet, ut eum potius, quæ pacis eſſent, ut conſectaretur, obnixe ſerioque adhortatus ſit. Quæ & ipſa vix in Scotiam ad cognatum ſuum reſcripſerat miſeratque Chriſtianus, cum ecce haud multo poſt litteræ procerum regni Scotiæ pertriſtes in Daniam adferuntur, nunciantes occubuiſſe IV. id. Sept. Jacobum adverſus Anglum acie decertantem. Quod ut Regi Chriſtiano, qui tali tantoque cariturum ſe amico videbat, inexſpectatum accidit, ita intelligere peracerbum fuit. At Pontifex maximus Leo, accepto eodem nuntio, ad Regem Anglorum Henricum VIII. ſcribens, ſatis affectum ſuum, quo is vergeret, declaravit, cum præter alia ſuis in litteris hæc ponat: Tametſi mihi permoleſtum tantum Chriſtiani ſangvinis effuſum fuiſſe, tot millia hominum e populo dominico deſiderari, tum Chriſtianum Regem egregii ſane nominis neque ſpernendarum virium ſororis tuæ virum Chriſtiani itidem Regis ſibique conjunctiſſimi ferro confoſſum cecidiſſe, valde tamen ſum gaviſus, te adeo illuſtrem adeoque celerem victoriam de hoſtibus tuis, qui te ab optimo tuo concepto revocare conabantur, reportaviſſe. Revocare ſcilicet, cui Pontifex favebat, Henricum octavum, Anglorum Regem ingentibus tum copiis Galliæ oras infeſtantem, Rex Jacobus a Gallo excitatus conabatur. Sed ille fatorum neſcius, dum ad Fluidonem in Northumbrias, quemadmodum jam ante a nobis memoratum, cum hoſte animoſius quam prudentius confligit, incautius cecidit. Hafniæ autem iisdem in comitiis, de quibus modo dictum, aderant præter Svecos Lubecenſium quoque delegati, urbium Vandalorum nomine. Ac ibi inter eos & Regem electum pacta fere eadem, quæ jam ante Segebergæ, Neoburgi aut Malmogiæ fuerant ſtatuta: Ut nimirum tenerentur Lubecenſes Regi electo Chriſtierno ſuppetias ferre ad occupandum Sveciæ regnum, ſive ut Sveci, quemadmodum erat promiſſum, Daniæ Regi in ſignum recognitionis tredecim marcarum Holmenſium millia annuatim penderent. Lubecenſes nullum Daniæ Regis hoſtibus, durante aliquo vel inter regna vel urbes Vandalorum bello, auxilium ſufficerent. In omnes Norvagiæ portus, ut & Bergenſium emporium liber iisdem acceſſus eſſet. Hollandis quoque ceterisque occiduis negotiatoribus ſuis frequentare claſſibus Norvagiam, quacunque licet inter Lubecenſes & Hamburgenſes ſimultate vigente, fas liberumque eſſet. Si quæ inter Daniæ regnum & Lubecenſes controverſia oriretur, ea a quatuor viris ad id delegatis decideretur. Lubecenſibus contra ſuas immunitates, privilegia ac navigationes ſartæ tectæque conſtarent, nec ullis inuſitatis teloniis gravarentur. Cujus poſtremi capitis ergo maximæ exinde inter urbes & Regem exortæ ſimultates, cum urbes Vandalorum id ita interpretarentur, quaſi fas ipſis eſſet, claſſibus ſuis ac negotiationibus Sveciam frequentare, cum Rex contra haud ulterius accipiendum idem vellet, quam pacis & induciarum tempore id ipſis licere, non vero durante inter Svecum & ſe bello. Iisdem diebus cum ipſi hereditario jure ex ducatibus Sleſvicenſi, Holſatiæ & Stormariæ certa portio, quæ patris ejus antea fuerat, ut ſunt Flensburgum, Sunderburgum, Abenrade, Segeberga, Rendersburgum, Haſeldorpium, Hanrovium ac Femera inſula incolæque ceſſiſſent, eum viciſſim illi ejusque patruum Ducem Fridericum, cui loca & oppida eorundem ducatuum reliqua obvenerant, poſtquam ſingulis ſua ampliter privilegia atque immunitates ab iisdem eſſent firmatæ, ut duces Sleſvicenſium atque Holſatorum agnovere eosque more ac ritu ſolenni inauguratos, ut eos cuncti acceptarent talesque agnoſcerent, proclamari publice fecerunt.

Cum autem, ut jam meminimus, late divulgata mors eſſet, ac clades illa miſerrima Scotici Regis Jacobi IV., præcipue Galliarum Rex, cujus gratia & rogatu bellum illud periculoſiſſimum adverſus adfinem ſuum potentiſſimum Anglorum Regem ſuſceperat, id agere apud electum Danorum Regem Chriſtianum ejusdem conſangvineum Ludovicus cœpit, ut filii ejus, quem ſibi cognominem Jacobus ſuperſtitem reliquerat, ætate circiter biennalem, in ſe curam ſuſciperet, hocque operam daret, ne regnum ejus paternum ad peregrinos, aliamve proſapiam devolveretur. Nec defuit officio Chriſtianus reſcripſitque extemplo ſub annum inſequentem, qui fuit ſupra milleſimum quingenteſimum, decimus quartus, Regi Gallorum Ludovico, ut & Scotorum proceribus, illis cuncta, quæ opis ſuæ regnorumque ſuorum eſſent, prolixe promittens,

R dolet ob Jacobum Scot. R. acie cæſum.

Pont. R. gaudet.

Chriſt. R. cum Lubecenſibus facta;

circa aliquod eorum caput varia interpretatio.

Holſati & Sleſvicenſes ipſi cum patruo ſacramento fidem obſtringunt.

Gall. Regis rogatu tutelam impuberis filii a Jac. IV. Scot. R. relicti ſuſcipit.

A. 1514.

mittens, quam primum Rex esset a Regni senatu populoque inauguratus. Tum se legatos in Scotiam missurum suos, ut de omnibus singulisque agi ac consultari propius posset. Seorsim vero Gallorum Regi Ludovico gratias reddi fecit, pro affectu, quo Scotos prosequeretur, eum iterum iterumque rogans in eo prœlio perseveraret; præsertim cum Rex ipsorum omnia sua non esset modo periclitatus, sed ipsius quoque & fœderis, quod cum ipso pepigerat, nomine vitam in acie profudisset, adjiciens se propediem cum Scotis per legatos suos prolixe acturum, eisque demonstraturum, quid opis ipsis auxiliique accedere a se suisque regnis posset. Similes quoque ad Ducem Albinum sive Albianæ Ducem, qui tum in Galliis fama secunda apud Ludovicum Regem agebat, litteras dedit, eum adhortando, ut Regem Scotorum, annis adhuc minorem sibi tuendum assumeret, utpote qui sanguine illi proximus esset. Erat quippe Albinus ex Alexandro genitus Jacobi tertii fratre. Addiderat quoque ad ipsum Ludovicum codicillos eum amice obtestans, rogansque, ut Albinum Ducem ordinandis Scotiis rebus peridoneum sua ex aula clementer dimittere ac domum redire sineret. Inde comitia indicta celebranda Hafniæ die 27. Maji, quo cum advenissent frequentes Daniæ proceres, regnique nobilitas, de coronatione ejus non omnium idem sensus fuit. Erant quippe quibus suspecta habebatur dissolutior ejus ac fornicaria vita, tum & sævum ingenium & ea, quam apud Norvagos nuper tam erga indigenas quam Svecos exercere cœperat crudelitas. Tamen cum jam ante electus Rexque esset designatus, ut multi de eo inposterum meliora sperarent, cum & arces & regni præfecturæ in ejus forent potestate, omnium suffragio in ejus coronationem fuit consensum. Estque hoc pacto ipsa die sacrosanctæ Trinitatis celebrata inauguratio, ac traditum eo ab Archiepiscopo Lundensi Byrgero regni diadema præsentibus regni ordinibus, ut & principum & vicinarum civitatum delegatis: aderant enim missi ab Electoribus Brandenburgico & Saxone, tum & urbibus Vandaliæ, ei muneribus ac faustis ominationibus gratulantes. Agebat ætatis tum suæ annum trigesimum secundum, ac statim postquam facto pro more sacramento, promisisset regni proceribus, se sarta tecta servaturum, quæ ipsis antiquitus essent concessa privilegia, atque immunitates, & civitatibus quoque & in his Hafnienſium oppido, cœterisque Seelandiæ præsertim emporiis sua vetera statuta ac consvetudines firmasset auxissetque, ac idem præterea Vandaliæ civitatum delegatis præstitisset. Opsloam profectus etiam a Norvagis, cum vivo adhuc patre designatus ab ipsis Rex fuisset, coram regni senatu ac nobilitate coronari se fecit. Ibi dum hæret, insignem legationem in Scotiam destinat, ac novo Regi regnique proceribus, quæ exspectanda a se auxilia aliaque benigna haberent, prolixe significari curavit; sed felicem sortitæ exitum res Scotorum, præsertim cum Regina Margaretha defuncti Regis conjux, Henrici octavi Anglorum Regis soror, quæ sceptrum non admodum æquis Scotis tenebat, eodem hoc circiter tempore Arcibaldo Duglassio, Scotiæ juventutis primario denupsisset, ac se hoc ipso velut imperio abdicasset. Etenim Regis testamento, quod profecturus ad bellum fecerat, catum habebatur, ut Regina, quamdiu cælebs maneret, summæ rerum præesset. Itaque licet factiones essent, & ea, quæ Duglassum Reginamque sequebatur, penes Reginam manere summam potestatem cuperet, vicit tamen ea, quæ evocandum e Gallia Ducem Albinum, ac eum Regem statuendum judicabat. Quem etiam in finem missæ identidem ad Regem Ludovicum a Christierno litteræ, quibus enixe id agebat, ut prima quaque occasione in Scotiam remitteretur Dux Albinus. Peracta tum apud Danos, quam Norvagos coronatione hoc deinceps agere ac secum mente volutare instituit, ut se regnaque sua adversus inimicos omnes suos hostesque impervia firmaque redderet. Videbat Svecos repetita toties rebellione, licet victos sæpius, in patrem tamen perjuros, nec sibi fortasse fidem servaturos, aut pacatos aliquando in pace tamen obsequioque haud diu mansuros: Vandalorum quoque civitates, & in his vel maxime Lubecenses ambigua fide agere, & quamvis illi, ut & Hamburgenses, cum patre in gratiam rediissent & secum etiam reconciliati postremum essent; standum tamen ipsis haudquaquam judicabat. Inter hæc itaque agitante Rege Christierno regni senatus, ut amicos ipsi regnique firmitudinem adderet, ut eum simul remoto, quem colebat, minus honesto, legitimo thoro assvefaceret, proposuit, eique autor fuit, ut affinitatem potentissimæ Burgundiæ domus affectaret, ac filiam sibi peteret, Hispaniarum Regis Philippi, neptem Imperatoris Maximiliani. Erant ipsi fœderati Reges Europæ præcipui, Galliæ, Angliæ, Scotiæ; Electores Johannes Fridericus Saxoniæ & Joachimus Brandeburgicus, qui ei vel avunculi vel fororii erant; quibus si accederet & hoc succesſum sortiretur connubium, ab ejus partibus staret, præter Imperatorem, Maximilianum, Rex quoque Ferdinandus & Carolus Belgii atque Hispaniarum princeps. Quibus ille acceptis ac animo secum perpensis obsequi senatus sententiis consilioque haud difficulter animum induxit. Est & exinde res concredita, Electori Saxoniæ avunculo ejus, qui hoc ipsum tecte & aliud quasi agens promovere apud imperatorem data occasione haud intermitteret. Ac missi haud multo post Linzeum ad Imperatorem ipsum episcopus Slesvicensis Godeschalcus Anefeldius, ut & Magnus Goæus aulæ regiæ præfectus. Ibi initio post solennes salutationes, de obitu sereniſſimi patris Regis Johannis ac filii ejus Christierni in locum paternum surrogatione, Cæsaream ejus majestatem certiorem reddebant, orantes, ut veteri ac solita clementia, quemadmodum & olim antecessores ejus, prosequi

Dux Albinus Scot. Regi cognatus rebus in Scotia gerendis præficitur.

In comitiis Hafn. de coronatione disceptatur;

In eam tamen consensum est;

atque ita facta illa in Dania confirmatis ab eo incolarum privilegiis,

itemque in Norvagia;

legationem in Scotiam instituit.

Regni sua firmat.

Svecis, itemque civitt. Vandalicis diffidit;

regni senatus eum ad legitimum thorum flectere studet;

consilio senatus ambit Elisabetham f. Isabellam Burg.

sequi Daniæ Reges regnumque vellet, sua vicissim illi officia prolixe deferendo. Seorsim interea haud obscure injiciebant, quæ ad promovendum matrimonium pertinere videbantur. Hinc iidem postquam domum rediissent, Bruxellas ablegati ad principem Carolum fratrem & amitam Margaretham Belgii gubernatricem, Duciſſam Sabaudiæ. Rex autem Christiernus seorsim eodem misit instructissimam navem prætoriam, quæ classiarios circiter quingentos, qui Ducem agnoscebant Severinum Norbyum, eamque universam principi Carolo donavit; qui eam haud multo post adversus Frisios misit. Dum autem ibi legati sunt, assensum fratre amitaque præbentibus domina Elisabetha, Philippi Regis filia desponsata Magno Goæo Christierni Regis nomine, ejusque thoro, obeunte ceremonias Episcopo Croccinsi solenniter, ut mos est principum Magnatumque, destinata, quamvis non desit, qui memoret, authore, quem sequatur, non vocato, Christiernum, ubi Rex esset creatus, statim peregrino habitu & exiguo comitatu Belgium petiisse ac ibi compellatis Margaretha & Carolo voti compotem factum, hincque reversum in Daniam continuo, quæ ad nuptias essent necessaria, magno studio parasse. Nos domestica acta secuti, præter superiora illud insuper reperimus, legatos, de quibus dictum, accepto amitæ fratrisque benigno responso, de dote extemplo & antifernis agitare cœpisse, partamque dotis summam aureorum 300000, antifernæ vero loco concessa sponsæ Sunderburgum & Noroburgum inter præcipua Cimbriæ Chersonesi regia castella seu præfecturas habita. Legatis autem exinde amice ex Burgundia dimissis, domumque regressis, de classe paranda, quæ sponsam ejusque comitatum e Belgio in Daniam transportarent, cogitatum, paratamque hinc classem mense Junio, anni insequentis eique ex nobilitate additos, qui sponsam deducerent, Ericum Walckendorpium archiepiscopum Nidrosiensem & Henricum Goæum, aliosque ex regio senatu e gentis nobilitate viros primarios. Præsulem Walchendorpium seorsim compellasse sponsæ frater princeps Carolus memoratur a Vitfeldio, quasi gnarus, familiarem esse Regi amasiam, cui nomen esset Columbula, monitumque ab eodem, ut officii ratione a tali eum consvetudine revocaret, & id in se sumpsisse Walckendorpium, sed exigua cum gratia, ut inde dicetur, Sigbrittæ matris Columbulæ. Porro Regis legati, postquam parata essent omnia, quæ ad sponsam deducendam erant ordinata, ineunte mense Augusto e Zelandia classe solverunt. Hujus classis erant octo regiæ Danorum naves, ceteras numero tres Zivisienses instruxerant, præeratque illis admiralius Zelandiæ Philippus, nothus Burgundiæ, nomine principis Belgarum Caroli; vehebantque illæ Isabellam sponsam, ejus gynæceum, præter nobilissimas alias matronas & in his dominam Chimaræ, virosque principes, dominum Fagæ, dominum Cortgenæ, ac dominum Castellæ, doctores Sacotum & Mucronium aliosque illustres viros. Unde ad Cimbrorum usque promontorium ubi esset perventum, tanta desubito oborta tempestas, ut maris impatiens Regina deliberationem instituerit de excedendo navi, ac reliquum, quod esset iter terra conficiendi. Sed aliud svadentibus aliis ac breve supereſſe deinceps Hafniam usque spatium, mansit intra navigium, deveĕtaque exinde salvis omnibus ad Unidoram usque uno ab urbe Hafnienſium miliari. Hic navi egressam exceperunt una cum Rege universa aula regia, virginesque ac matronæ nobilissimæ, quæ in occursum ipsi cum essedis pilentisque inauratis progressæ multa cum gratulatione, multaque honoris significatione exceptam salutarunt, intraque Hafniam magna cum solennitate deduxerunt. Initio admodum erat sudum ac serenum cœlum, videbaturque suo juvare publicam lætitiam; at mox obductum nubibus inque pluviam dissolutum hilaritatem, quæ erat omnium, haud parum obfuscavit. Interim qui nomine regio verba erat facturus felicemque ac salutarem adventum gratulaturus Lago Urneus antistes Roschildensis, verso in melius omine, candidiorem illo haud illuxisse diem Daniæ memorabat, ut qui illam incolumem ac salvam intra regnum stetisset, & esse ejus judicium, quæ cælo decideret pluvia, omnium rerum ubertatem ac copias, quod dicitur cornu una cum adventu ipsius haud varie præsignificans apportansque. Inde deductum longe genus ac stemma ipsius factaque majorum postquam enarrasset, vertit se ad Regem Christiernum, eique diu dilectam speratamque suam Elisabetham velut in manu tradere se referebat, felicem terque beatam memorans Daniam, quæ talem Regem Reginamque fuisset nacta, quæque a talibus regeretur dominis, quorum animæ bona cum fortunæ corporisque bonis certarent, & claudens postremum cum voto orationem exoptabat, Deumque orabat, ut sub illis Regibus religio, pax, tranquillitas, victoria omnisque felicitas, & Dania denique ipsa Dani eorumque avita virtus libertasque majus majusque incrementum indies acciperent. Inde post triduum, qui fuit duodecimus Augusti, celebrata in urbis majore templo coronatio; estque ab omnibus regni ordinibus Regina salutata, ac simul habitæ regia cum magnificentia nuptiæ, cum annum jam ætatis compleviſſet decimum quintum. Inter principes, qui magna huc frequentia convenerant, Fridericus quoque fuit Slesvici atque Holsatiæ Dux, sponsi Christierni patruus. Is præter reliquum comitatum adduxerat secum Ditlevum Reffentlovium cancellarium suum, virum nobilem ac peritum non juris tantum, sed & astrologiæ; qui cum forte cum reliqua nobilitate compotando mensæ assideret, & Dux Fridericus atrium ingrederetur, vertens se ad Danos, qui una accumbebant, surgite, inquit, & futuro vestro Regi obviam ite. Dani hoc ejus dictum ut hominis temulenti risu excepere, sed eventus velut a

quæ & illi per legatum desponsatur.

Svaningius notatur.

Dotalitia.

A. 1515. classis sponsæ adducendæ causa missa.

Carolus legatum Dan. de amica regis submovenda submonet.

Tempestate nonnihil acta classe

tandem adventanti sponsa læto excipitur;

sereno cælo mox in turbidum mutato

orator omen benignius interpretatur.

Regina coronatur æt. 15.

Ditl. Revonlovii inter compotationes dictum de Frider. futuro Rege.

vate prolatum mox oſtendit, cum excedente e Dania Chriſtierno a regni viciſſim ſenatu evocatus Fridericus regnum acciperet. Aderat & Cæſaris Maximiliani nomine nuptias honeſtaturus Sigismundus liber Baro ab Herberſtein, Muſcoviticarum rerum hiſtoria deinceps edita clarus: ac ſua denique princeps Henricus Dux Megapolitanus cum conjuge Helena Philippi Electoris Palatini filia biennio ante eidem nupta. Hæ tam illuſtres nuptiæ, hæcque cum maximi Europæ principibus affinitas Regem Chriſtiernum multo quam ante elatum magis ſuperbumque reddidit. Nam cum ipſe Daniam, Sveciam ac Norvegiam ducatusque Sleſvici, Holſatiæ ac Stormariæ, a parente ſuo accepiſſet, & Gallum, Anglum Scotosque fœderatos haberet, jam quoque Hiſpaniam, Hungariam & Bohemiam & totum denique imperium, Belgiumque nexu hoc connubiali ſibi obſtrinxerat. Qua ille ratione hoc ſane conſecutus fuit, modo æſtimare Dei dona ſuo pretio potuiſſet, ut ante eum ea potentia Regem poſt Canati magni tempora Dania vix ullum habuerit. Ferierat cum Angliæ Rege fœdus jam ante, pactusque conditiones certas Rex pater Johannes fuerat, quibus boreum oceanum Islandiamque, ac eas inſulas adnavigare ac frequentare negotiatoribus Anglis permittebatur, quæ exinde cum minus ab illis ſervatæ eſſent, miſit in Angliam Chriſtiernus nuncios ſuos, quiritatum ea, quæ inter ipſos Regemque patrem Johannem & alios ante eum Daniæ Norvagiæque Reges pacta conventa fuiſſent, irrita haberi, ac omnium primo demonſtrabat, jam annis aliquot plurimum detrimenti paſſos ab Anglis Islandiæ incolas, dum armenta oviumque ac boum greges raptu ipſis auferrent, ac poſito in eadem inſula munimento ſui eam juris facere viderentur, adeo ut incolæ debitum Daniæ Norvegiæque jurisdictionem teloniaque negare cœperint. Hinc de cæde quereb:tur, quæ perpetrata item ab Anglis apud Islandos fuiſſet in procuratorem ſuum, quodque ibidem, quæ intra portum ſteterat onere ac mercibus ſaburrata, regiam navem cepiſſent ſuamque feciſſent. Quorum detrimentorum, injuriarum ac deprædationum nomine iſtam cognitionem inſtitui Rex petebat, ac navis abductæ vice rependi ſibi decem millia librarum Sterlingicarum. Memoratur & navis Juliana dicta ad Regem item Chriſtianum Daniæ ſpectans ac deſtinata ob votum, quod tempeſtate circumventum fuerat, religionis ergo Compoſtellam in Hiſpaniam, quæ intercepta ab Anglis quoque eſſet, cujus nomine poſtulabat librarum Sterlingicarum quatuor millia. Erant præterea detrimenta alia, ſeorſim ab Anglis illata plurifariam ſubditis ipſius majeſtatis, quæ aliquot item millena Sterlingica pondo ſuperarent. Et ea licet ita haberent, Rex tamen cum intelligeret offerre Anglorum Regem fœderis ac pacis novam confœderationem, referebat, neque ſe ab ea abhorrere, modo in poſterum certior pax amicitiaque coleretur, ac fieret eorum, quæ jam

His nuptiis elatior factus R. Chriſt.

R. Chriſtianus damna ab Anglis ſibi illata queritur,

& magnam æris ſummam ſibi pendendam poſtulat,

memorata, damnorum omnium ſatisfactio. Tum & illud Rex petebat, ut bona, quæ ſuo nomine emi apud Anglos curaret, a telonio immunia haberentur, & ut Dani iisdem immunitatibus ac privilegiis, quibus Hanſatici gauderent, & Angli viciſſim in Dania veteri more & modo agerent; fasque ipſis eſſet tam indigenis quam exteris venundare ſua ſive in ſolidum ſive per partes. Ut Angli præterea quicunque Islandiam ſuis navibus ac negotiationibus frequentarent, datis codicillis docerent, quo ex Angliæ portu aut loco ſolviſſent, & ut annuatim priusquam ex Islandia recederent, præſtarent ac ſolverent regio ibi præfecto jus ac telonium, quod eo loci ſolvere antiquitus conſveviſſent. Pactum denique & illud volebat, ut ſubditi ſui Galliæ ſalinas, quæ Borvaciæ dicuntur, tuto ac libere Anglorum tractus tranſeundo adnavigarent, ſine alio ullo, quam ſuo, ut vocant, ſalvo conductu; & ſe viciſſim hoc idem Anglis permiſſurum. Quibus ordine acceptis Anglorum Rex, ſe ut inſcio, ita quoque nolente perpetrata a ſuis ea damna memorabat, & de illis, ut cognoſceretur, mandaturum ſupremæ curiæ hominibus ſuis & ſedulo daturum operam, ut jure adverſus reos ageretur, ac ſuum quisque recuperaret. Inde utrinque his legibus conventum pacatumque, ut amicitia paxque jam olim inter Reges Daniæ Johannem & Angliæ Franciæque Henricum ſancita factaque inter ipſos quoque immota deinceps certaque haberetur ſecundum capita ejus univerſa, ea tamen lege, ut eadem vel augere vel diminuere fas ipſis perpetuo eſſet, prout res neceſſitasque ſingulorum Daniæ Angliæque regnorum efflagitaret. Pactum quoque inter Moſchum & Regem Johannem fœdus olim fuerat. Hoc itidem ut revocaretur Rex Chriſtianus operam dedit. Conventumque de mutuis auxiliis, quæ Rex Moſcorum Baſilius Regi Chriſtierno ad Svecos ſubigendos, & ipſe viciſſim Chriſtiernus Baſilio ſufficeret. Si autem movere adverſus arma Poloniæ Regem Sigismundum contingeret, vel ab eo ſi impeteretur Dania, promittebat Baſilius, id quantum in ſe eſſet, miſſis in eum, ejusque oras copiis, impeditu-rum aut operam omnem aut lapidem moturum apud Cæſarem Maximilianum, quem fœderatum haberet, ut junctis viribus in officio contineretur. Eſſent poſtremo commercia utrinque libera, ac libere commearent tabellarii nunciique utriusque Regis, tam apud Moſcum Dani, quam in oris ac tractibus Daniæ Norvagiæque Moſchi. His transactis, cum belli nervum pecuniam eſſe non ignoraret, ac regnum diutius adverſus Svecos ac Vandalos, quod pater geſſerat, bello eſſet exhauſtum, novum vectigal mercibus fere omnibus, quæ intra regnum divenderentnr, imponi curavit, ſolvendum non minus indigenis quam exteris, nomenque præberi fecit: Id haud ultra biennii tempus duraturum; quamvis collationes ejusmodi, ubi ſemel occuparunt, immutari haud facile aut tolli ſolent. Hoc quoque tum egit effecitque, ut ex Hollandia huc accederent

ſuis immunitates in Anglia concedenas mutuo efflagitat

aliaque.

Regis Angl. reſponſum

Fœdus cum Moſchis renovatum.

R. Chriſt. novum vectigal mercibus imponit;

ex Hollandia ruſticos ad-

vocat, qui suo more agros & pecora colant.
Qui in insulis considunt Amago

derent ruſtici, qui ſuo modo agros hortosque ac pecora colerent ac curarent. His immunitates & privilegia ampla pollicitus fuit, locumque aſſignavit in Amago inſula Hafnienſium oppido proxime juncta. Ubi hodieque poſteri eorum ex ea ſtirpe degunt, pagum incolente, qui Hollandicus dicitur, & forum præterea urbis quod Amagenſe vocant, quotidie propemodo frequentantes, lacte, ſero, caſeo & butyro ejusque eduliis admodum gentis ſuæ paratis haud leve oppidanis publicæque annonæ momentum, adferunt. Rex exinde Hollandicæ genti, cum ob Reginam, quæ eam vel maxime expetiverat, tum quod ipſa natio honeſti quæſtus admodum eſſet ſtudioſa mirum in modum fuit deditus. Nam

& Sprova

eodem quoque tempore Sprova, quæ eſt intra Selandiam & Fioniam exigua inſula Hollandos excepit, animum induxerat, totam Helſingoram Hollandis incolendam permittere, niſi obſtitiſſent indigenæ, qui hereditaria prædia arvaque circumquaque habebant. Quapropter ipſis totique urbi & oppido minus exinde æquus fuit. Lubecenſes autem Vandaliæque civitates, ubi accepiſſent novum, de quo dictum, vectigal mercibus, quæ intra regnum diſtraherentur, eſſe impoſitum, miſſis confeſtim ad Regem oratoribus, haud leviter ſe eo gravari querebantur, ac pugnare idem cum immunitatibus ſuis, quas ipſis tribuiſſent jam olim Daniæ Reges. Reſponderi eis Rex

Lubecenſes cet. de novo vectigali ap. Regem querunturi.

Reſp.

fecit, privilegiis ipſorum contineri non minus eos, quam ſibi indigena, omnibus regni privilegiis gaviſuros; nec ideo nunc eſſe quod querantur, cum ipſi indigenæ idem contribuant, nec duraturum id ultra biennium ſit, tum & referebat, poſcere idem ſummopere regni ærarium, oppido exhauſtum, quod ut referre ad Lubecenſium urbium ſenatores eosdem oratores vellet, ita & illud monitos eos volebat, ut abſtinerent ſubditi civesque ipſorum, idque ſecundum pacta conventa, ab omni in Sveciam invectione commerciisque cum Sveciæ natione; ipſos æqua colentes omnia viciſſim æqua benignaque experturos. At Lubecenſes capta deinde occaſione, cum eſſet Flensburgi Rex, denuo eum hoc nomine compellarunt expetentes, ut id, dum ad tempus duraret vectigal, remitterentur, quæ ex laſta una cereviſiæ teutonicæ pendebantur marcæ duæ. Sed nec illud ipſis conceſſum tunc, quod regno abeſſet Rex, nec ſtatui quicquam poſſet abſente atque inſcio regni ſenatu.

Guſt. Trollius Roma redux ad archiepiſcopatum capeſſendum.

Per idem hoc tempus in Sveciam Roma rediit Guſtavus Trollius, quo profectus anno antecedente fuerat, ut in archiepiſcopatus dignitate, quem ætate jam gravis in eum transtulerat prior Archiepiſcopus Jacobus, a Romano Pontifice confirmaretur. Eum ut conſanguineum atque amicum ſuum, ad ſe Stocholmium evocare Steno, atque ibi benigne adventum gratulari eumque excipere animum induxerat. Sed Trollius declinans Stocholmium, alia via Upſaliam profectus, Stenone non ſalutato, domum venit. Etenim Trollius, quamprimum Roma Lubecam adveniſſet,

Stenonem, qui illum exceptarus erat, evitat.

ubi & ſubſtitit aliquamdiu, eum ſalutari per ſuos Rex Chriſtianus curaverat, egeratque omnia, ut in ſuas eum partes, quod ſciret inter Svecos ſimultates haberi, paulatim traduceret; Itaque in memoriam eo præter alia revocari fecerat, ignominiam, qua pater ipſius Ericus Trollius, cum is in principem Sveciæ eſſet electus, a Stenone ejusque clientibus, in quem deinde principatus translatus eſt, affectus fuiſſet. Trolliorum ſcilicet proſapiam, quod Danis illi oriundi eſſent, ab illis rejectum contemtamque. Tum & exiſtimabat Trollius, nihil ſibi cum Stenone negotii, ſolum eſſe Romanum Pontificem, cui ſubeſſe ac reddere rerum ſuarum rationem teneretur. Cumque jam iſto circiter tempore effluxerunt fere, quæ inter Sveciam & Danos poſtremum pactæ fuiſſent induciæ, advenit e Svecia nuncius, qui peteret, tolli, ante omnia, quæ inter regna haberentur, controverſa, priusquam quid ageretur. Et eſt idcirco, quam fieri opportuniſſime id poſſet, Helmſtadii in proximum annum conventus decretus: ubi præcipue id ſibi concedi a Danis Sveci ſimul ac firmiter volebant, ut arces ac præfecturæ apud Svecos haud aliis quam Svecis traderentur, utque in Sveciæ ſenatum non eligerentur, niſi Sveci ac regni indigenæ. Inter quæ Roma Lubecam atque inde anno ſtatim proximo, qui fuit milleſimus ſupra quingenteſimum decimus ſextus, in Daniam venit legatus a ſummo Pontifice Leone X. Angelus Arcemboldus papales indulgentias populo venditans, idem cruce, quam indulgentiarum ad oſtentationem vocabant, erecta, etiam ædium paſſim ſacrarum foribus diploma Pontificium affigi fecerat, nec eſſent uſpiam, quos latere hoc tantum beneficium poſſet, quod tamen priusquam fieret, Regem Chriſtiernum ære ſuo ſive auro potius placandum ſibique devinciendum ante omnia curavit, ut ejus in regnis, Daniæ, Sveciæ Norvagiæque collationes iſtas ad ædificationem ædis S. Petri, ut nomen fecerat, obire ipſi atque exigere ab indigenis liceret. Lubecæ autem dum idem Arcemboldus hæreret, argenteam ſibi ſupellectilem fieri vaſorum, ſcyphorum, paterarum, ahenorum, pelvium, lanciumque atque orbium, adeo luculentam curaverat, ut principum aliquis haud majorem efflagitarit. Et ibidem quæſtor ejus Antonius Valus, alii Antonium de divite vocant, civis Colonienſis, cujus opera utebatur, remittendas ad Italos pecunias ſuas, dum noctem agit in domo non ſatis honeſta, trucidatur a rivalibus, qui ut cædes occultaretur, cadaver in puteum projecerunt, teſte Bonno Lubecenſi chronologo, qui pluribus id memorat. Arcemboldum, priusquam in Sveciam reciperet ſe, ſeorſim Rex Chriſtianus vocans rogat, ut Stenonem Stureum ceterosque Sveciæ proceres moneret atque hortaretur, ne a fœdere ac unione trium regnorum ſecederent, ſed in gratias potius cum Rege Chriſtierno vero ac legitimo ipſorum domino ac Rege redirent; ſimul eidem aperit, quos ibi inimicos & quos viciſſim utroque in

A Chriſtiano R. in partes pertractus.

Induciis elapſis Sveci conventum Halmſtadii petunt.

A. 1516. Angelus Arcimboldus legatus Pontif. indulgentias venditat.

Daniam petiturus Regem ære ſibi conciliat;

quæſtor ejus Lubecæ trucidatus.

In Sveciam pergenti Rex cauſam ſuam commendat;

ordine

ordine tam ſacro quam profano amicos ſibique faventes haberet, quibus tuto fidere & ſtare poſſet, iterum iterumque obteſtans, ne eos Stenoni proderet. Polliceturque prolixe omnia Arcemboldus, ſed nec fidem nec ſilentium præſtat. Etenim in Sveciam cum veniſſet, quod ſub hiemem demum anni inſequentis factum eſt, ac colloquens cum Stenone, cuncta ei Chriſtierni verba memorat, & amicos ſimul hoſtesque, ſed amicos maxime, quorum occultari ſtudioſe nomina Rex voluerat, revelat ſingulos; qua hominis futilitate ingens malorum lerna apud Svecos eſt excitata. Nam Steno odio atque ira in eos incenſus, hoc exinde agere inſtitit, omnemque anſam ac occaſionem eſt aucupatus, qua deturbare præcipue e ſolio exque Svecia removere ſummum regni antiſtitem Guſtavum Trollium, ejusque parentem Ericum, vel etiam revertere utrumque ac peſſundare totos poſſet. Et præter Guſtavum commiſſis cum Stenone etiam aliis e regni primoribus, qui partes Chriſtierni fovebant, res in nervum abiit, ut inde dicetur. Cum Moſcho per idem tempus licet renovata, quod ante meminimus, vetera fœdera eſſent, hoc inſuper egit, eoque proceſſit fœderatio, ut etiam intra ejus ditiones Danis conceſſum ſit, ſocietatem inſtituere, quæ haberetur Neogardiæ & Ivangardiæ, ibi omne genus mercimoniorum illis emendi, vendendique, ut ædem præterea ſive templum exſtruendi, in quo ſacerdotem alerent, qui ſacra ipſorum more faceret, poteſtas foret. Et pollicebatur hæc magnus Dux, ſi quæ orirentur inter Danos Moſchosve controverſa, ea qualiacunque forent, operam daret, ut quam citiſſime deciderentur, ac jus cuique diceretur. Si quod etiam navigium in Danos pertinens in littore Ducis naufragium forte faceret, id ejusque bona, quæ ſervata e naufragio forent, redirent ad eum, qui damnum incurriſſet. Domi interea Rex Chriſtiernus, quamvis illuſtres adeo ut memoravimus nuptias nactus, amore tamen ſemel adamatæ ſibi Columbulæ, quæ & Duveche vulgo & Belgice dicebatur, adhæreſcebat. Hinc ut eum retraheret, quæ aulæ & gynæceo Reginæ erat præfecta, Anna Menſtrupia, veneranda canitie matrona Holgeri Roſenkrantzii vidua, ſive ab ipſa Regina ſive ab aliquo ex ſenatoribus inducta, minus hoc decere ejus majeſtatem, utpote nec decorum apud homines nec Deo gratum, referebat; quamvis parum proficeret, imo pro gratia maximum in ſe odium atque indignationem concitarit. Nam poſtmodum falſis criminibus accuſata, quaſi colonos præfecturæ Hagſtrupianæ, quam a Rege pignori tenebat, defraudaſſet excedere regno coacta fuit. At Rex deinde præfecturam eam ſuam, ac regni faciens, nec pignoris, nec pecuniæ, quæ ejus nomini debebatur, rationem habuit, quod tamen ei detrimentum, cum Rex exinde Fridericus I. rebus eſſet admotus, reſarcitum invenio. Per idem quoque tempus regium ſcribam Johannem Foburgium, Torbernus Oxius arcis Hafnienſis præfectus ut

ſed arcana Regis poſtea Stenoni prodit.

Steno Guſtavum Troll. regno exturbare ſtudet, aliosque.

Cum Moſcho fœdera ampliantur.

Regem ab amore Columbulæ retrahere auſa matrona,

falſis criminibus regno ejicitur; bona ejus ſibi Rex vendicat.

Jo. Foburgius reg. ſcriba in crucem

reum peculatus agi in crucem curavit. Hic cum ſedulam aliquamdiu Regi operam navaſſet, adeo poſtremum ejus ſibi gratiam conciliavit, ut nihil propemodo poſtulanti negarit. Unde indies ferocior redditus Foburgius, & ut ſolent, qui ex humili in altum conſurgunt, modum ſervare neſciunt, præ ſe alios quoscunque aſpernari atque inſultare quoque nonnullis cœpit: nam præter ceteros Toberno Oxio, arcis, ut dictum, Hafnienſis præſidi viro inter regni proceres non infimo, cum eum familiaritatis cum Columbula nimiæ accuſatum in ſuſpicionem apud Regem primo adduxiſſet, poſtremo etiam exitium creavit, quamvis vindicante ejus improbitatem Deo morte pudenda Oxio prior periit. Nam verum fortaſſe fuerit Columbulam hortante matre Sigbritta liberaliorem ſe præbuiſſe, ſpe matrimonii, quod adjuturus fortaſſe eſſet. Rex interim aliud agens & modo hoc modo aliud ſive vera ſive falſa Regi inſuſurrans Foburgius, aures ſibi regias temerari fidebat. Ac Regem perpetuo benignum reperiens ea abutens facilitate nova quotidie efflagitabat. Qua ille importunitate hoc poſtremum obtinuit, ut tædere tandem Regem tot petitionum ejus cœperit. Ac mox cum defunctus forte apud Roſchildenſes canonicus eſſet, & id ſibi hoc concedi beneficium peteret, annuit, ut erat ſolitus, Rex juſſitque Roſchildiam ſequi; quo ibi, quod petebat, acciperet. Sed inter viam dum hominis avaritiam ac ſitim aliena petendi ſecum animo volveret, ac eam inexplebilem animadverteret eum adverſari cœpit. Nam ut erat in diligendo ſuos vehemens ita quoque mobilis facile, quem evexerat, leviter offenſus rejiciendo deſtituerat. Roſchildiam igitur ubi veniſſet, per litteras Oxio ſignificat, iter ſibi in Cimbriam eſſe; eum interea monens, ut inſpectis Foburgii rationibus, quamprimum Hafniam rediiſſet, in eum, ſi minus eæ rectæ reperirentur, jure agere inſtitueret, easque litteras Foburgio ipſi tradit Torberno reddendas, qui cum illas accepiſſet, extemplo eum rationes accepti expenſique exhibere imperat, ac eas cum parum conſtare deprehendiſſet, primo carceri eum includi, inde in crucem etiam rapi ac tradi carnifici laqueo ſuffocandum mandat. Suſpenſus ac laqueo enexus ubi eſſet, multi collaudare factum & meritas eum ſubiiſſe pœnas, ob faſtum non tolerandum referre, alii mortem nimis feſtinatam ac odio illi irrogatam fugillare. An vero, quod video non deeſſe qui tradat, Regi etiam ſuſpectatus ob conſvetudinem cum Columbula fuerit, affirmare hic, tacente præſertim Vitfeldio & actis, quæ ſequor, domeſticis, non audeo. Sed varius, qui de eo ſupplicio ſpargebatur rumor, reverſo haud multo poſt Hafniam Rege conquievit, donec iterum excitaretur repentina mox morte Columbulæ, de qua inde dicetur. Cum autem, ut memini, Archiepiſcopus Guſtavus aperta jam ſimultate in Stenonem, ut in eum viciſſim Steno, ferretur, ſibi de amicis quoque proſpiciendum cogitavit Guſtavus, multique

actus curante Torberno Oxio, quem nimiæ cum Columb. familiaritati, inſimularat apud Regem

Steno conventum proceribus Sveæ indicit,

tique ea occasione ex Svecica nobilitate, eum in arce Stegensi visum quotidie venerunt, quod cum suspectum Stenoni esset, indici conventum Telliæ curavit, ut quæ essent in proximo Halmstadiensi trium regnorum conventu, de quo superius injectum, agitanda, ibi præparari ac ventilari propius possent. Huc cum esset præter ceteros evocatus etiam archiepiscopus Gustavus, ut Stenoni sacramentum diceret ac sua simul consilia cum ceteris sociaret, adesse una cum aliis aliquot detrectavit, ac illud potius egit, ut Stegæ arcem munitiorem redderet. Similiter & Steno Carstenius, qui Nicopiam præsidebat, ac idem cum archiepiscopo agere ferebat, domi se continuit, verum transactis in conventu, quæ potuere tempusque permiserat, in sua quisque concessit. At Steno Stureus principatum inter omnes gerens, assumptis secum aliquot copiis clam Nicopiam perrexit ac cepit. Ibique captum Stenonem Carstenium, postquam abduci Stocholmium fecisset, haud multo post in carcere diem obiit, ante tamen obitum confessus memoratur, archiepisco pum & cum eo plures a partibus stare Christierni Regis, ac judicare, in Regem acceptandum eum, ob ea, quæ toties totiesque promissa a Sveciæ proceribus obsignataque codicillis fuissent. Nec aliter quoque, qui arcem Stocholmiæ tenebat, Petrus Tursonius suspectari apud eundem est cœptus, ac adempta simul Stocholmiæ præfectura traditaque Jonæ Arvizonio. Inde profectus in Vesteraſiam quam gravissime apud populares passim incolasque universos incusare instituit archiepiscopum Gustavum & si qui cum eo facerent, quod statutum penes se haberent introducere intra Sveciæ regnum Regem Christiernum, perniciem excidiumque futurum plurimorum mortalium. Idque confessum Stenonem Carstenium. Quæ postquam intellexit archiepiscopus, seque talem apud Vesteraſenses a Stenone haberi, ac publice proclamatum evulgari ac mitti ad diversos litteras fecit, quarum ad senatum quoque Stocholmensem nonnullæ pervenere, in quibus esse ea in se conficta omnia demonstrat, petitque inter ipsum & Stenonem interponeret se senatus, quod & idem quoque senior archiepiscopus suis apud eosdem senatores codicillis suis egit. Quamvis Steno nihilominus ad capitulum sive canonicorum apud Upsalienses collegium litteras dedit, eos adhortans, authores essent archiepiscopo suo, ut abstineret ab iis, quæ inducere illo pacto ac causari rerum mutationem possent. Atque ea occasione antistes Scarensis, Stregeneſſensis, Vesteraſensis, & Aboënsis archiepiscopo Gustavo unanimes perscripsere eum commonentes atque adhortantes, ut in gratiam cum Stenone rediret, nec quicquam aggrederetur, quod tam ipsi, quam toto Svecorum regno periculum uspiam aut discrimen crearet. Similiter & summi antistitis Leonis X. ad eum codicilli Roma missi svadentes ea, quæ pacis

Gust. Trollius ad sacramentum ipsi dicendum evocatus non comparet arcem Stegam munitionibus firmat; desiderantur & alii quidam.

Steno Nicopiam occupans Stenonem Carstenium ejus præsidem captivum abducit.

Petrum Tursonium itidem sibi suspectum præfectura Stockholm. orbat.

In Vesteraſiam tendens archiepiscopum gravissime incusat.

Criminibus sparsis hic litteris occurrit.

Steno literis movet episcopos, ut archiepiscopo meliora svadeant.

Item Pont. max. concordiam commendat.

esſent, sectaretur; quamvis paulo ante, quam ea fierent, adfuisset Stenoni episcopus Lincopiensis eum serio adhortans, rogansque, ne qua afficeret archiepiscopum molestia, aut ullum ei molestiam inferret, præsertim cum alter adeo alteri sanguine conjunctus esset: & respondisse tum Steno memoratur, nihil sibi esse pace antiquius; & idem aut simile professus archiepiscopus. At ulterius tamen peractum nihil, infortunium scilicet ac magnum, quod secutum est, malum agitantibus satis. Fuit sui sensus aut tenax propositi Archiepiscopus. Unde & Stegam dum in dies communit, ac fama ferret, inducturum propediem eum in Svecos Regem Christiernum Steno abduci captivum parentem ejus Ericum Trollium ac eum in arce Stocholmiensi servari sub custodia curat. Eoque facto obsideri deinde circa mensem Augustum Stegæ arcem & in ea archiepiscopum fecit, cui tamen liberaliter obtulit, rem modo compositioni permitteret, omnia salva fore, sed renuit ipse &, quos intra arcem habebat, præsidiarios sibique deditos animavit sustinuitque hoc ipso, quod non dubitaret, quod brevi suppetias accurreret Rex Christiernus ipsos arcemque liberaturus. Sed illæ suppetiæ in annum sequentem dilatæ cum interea circa festum divi Martini Rex Christiernus capi a suis onerariam mandat Stenonis Sturei juxta portum Lubecæ Travemundam in anchoris stantem, sale, pannis, thoracibus ferreis atque aliis ejusmodi, quæ vel bellum vel annonam juvare possent, probe saburratam. Hujus rei indicium Teloni Gislero navium regiarum præfecto, magnæ fortitudinis adque animi viro, fecerat Svetica matrona prænobilis Metta, illustris illius & strenui equitis Svantonis vidua, paternis possessionibus ipsaque Svecia per Stenonem pulsa. Hæc Stenonis esse navem, quæ Lubeca in Sveciam profectionem pararet significans, impulit Gislerum, ut eam suæ potestatis factam Hafniam abduceret. Mercium autem potissima pars ad cives Lubecenses spectare dicebatur; & ideo prædæ esse omnia, inque fisci jus abducenda Christiernus existimabat, quod sancte nimirum promisissent Lubecenses, se ab omnibus in Sveciam transvehendis mercimoniis supersessuros, & Svecos simul eodem habendos jure, quod unum cum Lubecensibus egisset. Præcipue hoc facinus ægre Lubecenses habuit, & maxime quod velut intra portum ipsorum patratum fuisset, idque in dedecus atque ignominiam Cæsareæ majestatis, a qua mandata & jurisdictionem se existimabant habere. Tum & Sveci pacem eo atque inducias, quæ pactæ jam pridem fuerant, rupta memorabant. Etenim ut est superius indicatum, certum erat induciarum statutum tempus, intra quod haberetur conventus, qui & proximo jam anno Helmstadii erat celebrandus, in quo de pace trium regnorum propius ageretur. Et quidem ad Regem extemplo Christiernum protonotarius Lubecensis Jo-

Archiepiscopi Stegam munire pergentis patrem captivum abducit Steno.

Stega obsessa archiepiscopus pacem renuit confidens auxilio Christiani R.

Rex capi jubet Stenonis onerariam Lubecensium mercibus in Sveciam devehendis contra pactum onustam.

Hinc Lubecensium querelæ,

ut & Svecorum;

conventusque Halmst. intercidit.

hannis Rodius, res navemque repetitum miſſus, ſed Rege ob cauſas modo memoratas difficiliorem ſe præbente parum ab ipſo promotum, quin & navis ipſa ad Svecos, ut dictum, pertinens, dum intra Hafniam retineretur, omni id, quod agi cum Svecis erat conceptum, & ille præſertim, qui fuerat Helmſtadii decretus, conventus irritus exinde fuit, nec in eam denique, quod Bonni chronicon memorat, quæ erat a Svecis præpoſita, annuam ex Sveciæ ærario Danis reddendam penſionem conſentiri poſt illa Sveci voluerunt. Sicque ad arma paulatim bellumque, de quo dicendum poſtea, itum deventumque, bellum ut fatale, ita utrique Svecorum oppido Daniæque genti luctuoſum. Inter hæc, qui fuit annus ſupra quingenteſimum milleſimum decimus ſeptimus ſubita admodum valetudine affecta defunctaque eſt Columbula, Duvecha, ut dixi, vulgo nuncupata. Eſtque continuo ſepulturæ mandata in æde cœnobii Helſingorenſi. Ejus ſuper obitu varii ut ſermones, ita judicia fuerunt. Erant qui morbum mortemque ejus minime fuiſſe naturalem, ſed accerſitam, eique a regni fortaſſe ſenatu procuratam dicerent, cui ægre eſſet, Regem tam vili aſſveſcere contubernio, idque juxta Reginam adeo illuſtrem ac probitatis ſpectatæ; & ita ſeorſim gratificatos eos Reginæ, quod Rex ſubinde Columbulæ magis conſvetudine, quam Reginæ frueretur. Alii acceleratam ei necem ab agnatis Torbernii Oxii ominabantur, ne ille in ſuam totiusque familiæ ſuæ ignominiam ac dedecus matrimonio tam abjecto ſordidoque jungeretur. Et iisdem paulo ante diebus, cum cæraſa aliquot dono Tobernii miſſa comediſſet Columbula, perſvaſum ſibi Rex habuit, iis venenum immixtum, eoque exſtinctam obiiſſe. Sed facti hujus licet ſeſe aliquando purgaſſet Torbernius, alia tamen occaſione Rex, cum Reginam, ejus gynæceum matronasque ac virgines aliquot e nobilitate invitaſſet, inter pocula choreasque, quaſi aliud agens quærit ex Torberno, num, ut detulerat Foburgius, quem laqueo enectum ſuperius memoravi, conſveviſſet aliquando cum Columbula: fateretur ingenue & ſine involucro verborum, quod res eſſet. Qui adſtabant e Regni primatibus, nutu ac ſignis ſat indicabant, non niſi bene perpenſa apud Regem, qui iram callide occultaret, in apertum proferret ille, ſive minus ea animadverteret ſive conſcientiæ fiducia nihil mali cogitans, candide affectum quidem in eam ſuum ejusque exoptaſſe copiam atque potitum haud unquam profitetur. Quod effatum altius animum Regis penetrans abſtinere continuo ſermonibus cum eo fecit ac frontis ſerenitatem immutare. Quod cum illi, qui aderant ex proceribus animadvertiſſent, eorum unus, qui ingenuam eam confeſſionem Torbernio ultimum portendere prævideret, ei in aurem ait, utinam verba ea adeo improvida nunquam ex ore tuo protuliſſes; id ſane tuam vicem obtaviſſem; a malo, ut exiſtimo, genio & vitæ tuæ hoſte tibi ea dictata. Rex indies magis magisque ſuſpectare Torbernum conferreque cum inimicis ejus ac quærere ex ſuſurronibus cœpit, num familiares interſe Columbula Torbernusque, num ſæpius miſcere invicem ſermones ſoliti fuiſſent. Qui ut fit, cum Regi, quæ grata eſſent, adferrent, mandat extemplo palatii præfecto, Magno Goæo, apprehenderet Torbernum ac eum una cum Canuto Gyldenſtiernio, qui epulanti ac cerasis veſcenti in atrio regio cum Torberno adfuerat, in carcerem abduceret. Quo peracto vocatur in jus Torbernius, & incuſatur ſtupro commaculaſſe regium thorum; ſenatus, cauſa propius cognita, cum pronunciaret nullam cogitationibus, ſed factis pœnam legibus ſtatutam, tum & eſſe Regi legitimo thoro pactam Reginam, hanc ſolummodo pellicem fuiſſe, multo quam ante gravius excandeſcens, inquit, ſi in ſenatu tot amici fuiſſent, quot Torberno conſangvinei, alia procul dubio ſententia fuiſſet prolata, tunc etiamſi Torberno cervix foret taurina, amiſſurum tamen eam, ac eo dicto Solberga mox aliisque ex pagis Hafniæ proximis ruſticos numero duodecim evocari facit, ac eos extra portam arcis Hafnienſis concluſos intra lanceas quatuor in formam quadrangularem projectas inde haud diſcedere jubet, priusquam in Torbernum, qui præſens aſtabat ſententiam protuliſſent, mandati ſeveritate pavefacti, poſtquam voce præconis publice latum crimen accepiſſent, haudquaquam, inquiunt, Torbernum judicamus nos, ſed delicta eum ipſius condemnant. Qua prolata ſententia agere extemplo de ſupplicio Rex cœpit. Quod ut agnatis amicisque intellectum Torberni, ambire continuo illi ac prenſare omnes viros, feminas, ſenatores, & quoscunque apud Regem vel dignitate vel gratia aliquid poſſe non ignorarent. Inter primos Arcemboldus fuit, de quo dixi, tum recens in Daniam a Pontifice Roma miſſus, ac mox in Sveciam iturus, cujus vel maxime ob debitam Romanæ ſedi reverentiam, tum & officia, quæ erat apud Svecos Daniæ regno præſtiturus, rationem habiturus putabatur. Eum proxime ſecuta cum gynecæo propemodum toto aliisque dignitatis præcipuæ feminis Regina ipſa, cujus petitioni ac gratiæ nihil etiam denegaturus credebatur. Eunt prenſantque Regem cuncti & ad genua ſe ejus proſternunt, orantque gratiam delicti Torberno faceret, quod vel ignarus vel temere commiſiſſet. Accedunt & feminarum promanantes de genis lacrimæ, ſed nihil illæ, nihil ceteri magni minoresve potuere, nihil Eliſabetha ipſa ante pedes provoluta, ſtabat immotus Rex materque Sigbritta, ut cautes Marpezia. Et eſt deinde uno alterove die poſt deductus in cœmiterium divæ Gertrudis Torbernus, atque ibi gladio carnificis capite plexus, corpus ſepulturæ mandatum in æde ſancti Spiritus. Quem detentum cum eo in cuſtodia ſimul dixi, Canutum Gyldenſtiernium

Penſione annua Regi ſolvenda ſublata.

A. 1517. Columbula vita excedit ſubito.

De cauſis ejus mortis conjecturæ.

Torberno liberius de Columbula faſſo Rex parat exitium.

Hinc veneni ſuſpectus carceri traditur.

Senatus convocatus capitis ſententiam in eum pronunciare recuſat ſumma cum indignatione Regis.

Rex 12. ruſticis ſententiam dicendam committit,

qui audita cauſa eum capitis damnant,

intercedentibus regina totoque genitorum cœtu,

ad ſupplicium tamen trahitur.

Canutus Guldenstiernius carceris socius a Regis conspectu arcetur.

stiernium ei vitæ gratia hac lege facta, ut Regis conspectum haud unquam subiret. Et est memorabile, dum uterque adhuc intra carceris turrim tenetur, per risum & ludum sortem ab illis ductam; uter eorum ad capitis supplicium prior procederet, cecidisse in Torbernum sortem, sicque lusus simulachrum veram ei historiam actumque figurasset. Christiernus his patratis, magnam in se nobilitatis invidiam concitavit & proceres quoque eam judicii severitatem indignati, vel ob levem offensam extrema in posterum etiam sibi exspectanda pertimescebant. Unde tyrannus vulgo ac degener optimi patris filius apud omnes fere exaudiebat. Hinc interjecto tempore, salutatum eum Ovo episcopus venit, ac metuens pejora, eum monebat de immutatis propemodo omnium erga ipsum animis, & ordinis præsertim equestris, quem supremum habebat. Unde sibi postremo metuens id operam dare instituit, ut Torbernus, quem plerique innoxium judicabant, jure affectus supplicio demonstraretur: quod dum animo volutat, forte fortuna, qui erant in arce Hafniensi excubitores supra patibulum suspensi ante annum scribæ lumen eminus emicare per noctes aliquot atque cum passim jam vulgaretur, & lippis jam tonsoribusque notum esset, jussit extemplo Rex, si idem iterum animadverterent, se ejus certiorem facerent, illi verso in patibulum obtutu, cum iterum solitam faciem effulgere viderent, ad Regem, ut erant jussi, referunt. Ille re animadversa atque oculis quasi propriis usurpata, vertit id in scribæ innocentiam, eum a Torberno per vim & odium, quo in eum ferebatur, in crucem fuisse raptum dictitans. Quapropter, ut se ejus culpæ immunem omnibus ostenderet, deduci e patibulo cadaver, ac id honorifice ac funebri pompa in urbem introduci, inque area postremum summi templi solenniter sepeliri jubet: alii in æde cœnobii Franciscanorum conditum tradunt, & excitum ab ipso Rege monachorum aliquem ejusdem cœnobii, qui lumen illud spiculo elevatum patibulo admovisset. Ab hoc tempore, & toto, quod secutum est, sexennio mire se resque suas disposuit Christiernus, senatum regni neque bonorum quemquam audire magnopere studio habuit; sola illi Sigbritta ab intimis consiliis erat: ei regni regimen veluti proregi demandatum, non sine multorum inscio sæpe Rege, exitio, quicquid agi peragique haud raro senatus volebat, ad eam deferri propius oportebat; erat ipsa altera Regi manus, eam & nobiles proceresque demisso capite adire ac colere tenebantur, domicilium intra Hafniam habebat prope ædem S. Spiritus. Hæc veluti Regina adibatur. Cum in vivis adhuc esset, filia ejus Duvecha, ipsa materque Huidoram arcem tenebant; inde ut plurimum Hafniæ ac frequens fere semperque apud Regem in arce agebat, cum præsertim ipsemet ibi Rex Reginaque adesset. Johannis Michaëlis Malmogiensis, Nicolaus Holstius, Theodorus Slaghegcius, ut & magister Godescalcus consilia ut plurimum sua ipsi communicabant aderantque inter primas admissiones. Horum ac Sigbrittæ instinctu variæ collationes ac vectigalia imposita mercibus, quas vel evehi e regno vel invehi contingeret. Reditus etiam ecclesiarum, relictis, quæ vino ac pani erant destinata, in fiscum redigebat, aliaque introducta per contributa teloniaque, ut iis scilicet paternum debitum, quo laborabat ærarium, resarciretur, & vires simul colligerentur bello, quod in Svecos meditabatur. Quicquid novum aut ejusmodi invehebatur, ejus Sigbrittam arguebant; quod omnium sensus ac sententia esset, nihil ejusmodi a regni senatu proficisci. Erigi cruces ac patibula per imporia passim mandabat, in terrorem præcipue eorum, qui pendere, quæ erant imperata, detrectarent. Non cogitans longe præstare, regnoque omni esse salutarius, amari, quam metui a suis. Eodem hoc anno convocari regni senatum proceresque Hafniam curavit, ut publicis in comitiis deliberatio haberetur de modo gerendi belli, quod in Svecos parabat; comprehendi tum quoque Johannem Andreæ Othoniensem præsulem, qui cognomento Beldenacus, imo potius Schaldenach Danice dicebatur, quod capitis occipite calvus esset, eumque abduci in carcerem jubet, una cum cancellario suo, Johanne Andreæ cognomine. Prima in episcopum actio instituta coram senatu urbano in curia Hafniensi: inde tradi eum archiepiscopo Lundensi mandavit, quo excusatior apud Leonem Romanum Pontificem esset, quod legibus canonicis statutum sciret, ne quem sacri ordinis Rex aut ordo judicaret; simulque scribi ad Pontifiem fecit, præsulem jam dictum turbido esse ingenio, & inter ipsum subditosque ipsius dissidia ac seditionem moliri, & cædium quoque atque homicidii reum esse; adjiciens eum bello Vandalico Lubecam missum cum aliis e nobilitate Holsatica ad constituendam pacem, ibi Johannem Regem patrem ipsius magno ære obligasse ad compensandum jacturam, quam e navibus mercibusque interceptis passi Lubecenses fuissent, easque pecunias, cum haud obstringi patrem suum aut se nomine patris existimaret, teneri ad promissum Lubecensibus æris summam episcopum, nec aliter judicasse Lagonem Urneum præsulem Roscildensem, quem arbitrum litis constituerat, & ideo se præsente pontificiæ sedis legato Angelo Arcemboldo, tradi curasse præsulem archiepiscopo Byrgero, quo vel ipse cum Lubecensibus componeret, vel sibi suoque regno præstari ab ipso securitas posset; Cædem vero quod spectat, cujus accusatur quoque superius præsul, ita se habet. Compotabant Otthoniæ ex domesticis episcopi aliquot cum aulicis Reginæ Christinæ matris Christierni Regis, quæ Otthoniæ domicilium fixerat, obortaque inter pocula rixa, occiditur forte aulæ Reginæ præfectus, e familia Morsfeldiorum nobilis

Qua cæde patrata Rex suorum incurrit odium tyrannusque appellatur.

Cujus rei eum commonet Ovo episc.

Unde Rex metuens ostentoque quodam motus scribam suspensum honorifice sepeliri jubet;

innocentemque a Torberno in crucem raptum causatur, ut supplicii causam in hunc traducat.

Rex Johannem Andreæ præs. Otton. carceri tradit, itemque aulæ cancellarium,

causam interferens.

Rex prudentiorum consilia respuit,

Sigbrittæ soli aurem accommodat.

Consiliorum ejus socii.

nobilis Holſatus, & id de præſulis mandato cum factum crederetur, ac ſibi id Regina perſvaderet, illa cædem indignata filium concitavit, ut in eum etiam hoc nomine ageret, ſed atrox iisdem in comitiis factum Regis emicuit. Accuſari ſiquidem Petrum Canutum regni Norvagiæ ſenatorem ob id fecit, quod is tempore patris Johannis Regis cum ad Svecos Norvagia defeciſſet, cum Stenone feciſſe & ab ejus ſtetiſſe partibus diceret. Et licet eum jam ante regni Norvagiæ ſenatus & modo quoque Daniæ proceres liberum atque indemnem pronunciaſſent, eum tamen ſupplicio capitis plecti aut bona ejus regio fiſco adſcribi curavit. Cujusmodi ejus immanitas ſenatores regni pavefecit adeoque exterruit, ut verſari cum eo tuto, aut libere, quod ſentirent, proloqui vix auderent, idque maximo publici boni ac totius regni detrimento, quin & contra pactum promiſſum, quod deſignatus Rex prænobili virgini Birgittæ a Vallo fide fecerat, bona ejus coronæ ſubjecit, mulctato etiam haud leviter ejus avunculo Chriſtophoro Roſchildenſium præpoſito neptis ſuæ tutori. Nec multo poſt cum e Zelandia in Fioniam trajeciſſet, ad colloquendum cum matre Chriſtina, quæ, ut dixi, Othoniæ agebat, ex civibus primariis quatuor fidem ſuam pro cancellario, quem una cum præſule captum memoravi, ita obſtrinxerunt, ut is e carcere dimiſſus Othoniam rediret, ac ibi quandocunque citaretur, Regi ſe aut ejus procuratori ſiſteret, epiſcopus vero variis exinde caſibus & carceribus fatigatus, exulante mox Chriſtierno, qui eum bis captivum tenuit, a Chriſtophoro Oldenburgico, moto in Chriſtierni ſucceſſorem bello vix tandem liberatus, & a Lubecenſibus deinde ſuſceptus, poſtremum a Chriſtierno ejus nominis tertio dignitati ſuæ eſt redditus. Vir, ut illa erant ſecula, fuiſſe non incommodus memoratur, ſed magiæ ſuſpectus: cum enim prima vice ſub cuſtodia eum Chriſtiernus haberet & Theodorus Slagcheccius ex intimis Regis eum accederet, nuncians teſtamentum ſuum conſignaret; moriturum enim eum, ſcribere continuo Slagcheccium juſſit, ſe eo victurum die, quo & ſuſpenderetur ipſe & cremaretur, & quod contigit, ut inde dicetur. Et alias quoque quod magiæ ſuſpicionem firmavit, cum ipſi patente in campo ex inimicis ſuis Ronnovius obvius fieret, numero longe ſuperior, memoratur aperto, quem ad manus habebat, libro ita terruiſſe adverſarium, ut continuo fugam capeſſeret, haud aliud exiſtimans, quam omnia circumquaque equitatu ac milite complecta a ſe conſpici. Rex Chriſtiernus e Svecia reverſus, cum ſecundo eum cuſtodiri mandaſſet, aquis ſuffocatum voluit, niſi inhibuiſſet reverentia ſummi pontificis, cui clerus ſubjicitur. Poſt hæc telonium, quod e Britannia, Hiſpania, Gallia Belgioque & aliis oris adventantes claſſes pendere Helſingoræ præfectis regiis conſveverant, transferri Hafniam fecit, rationem adducens aper-

itemque Petrum Canutum Norv. ſenat. ſupplicio afficit,

bona fiſco ſuo addixit,

mulctat epiſc. Roſchild.

Præſul Otton. vadibus datis carcere liberatur; cancellarius vero carcere langveſcens diu poſt liberatur, ceteroquin magiæ ſuſpectus,

mirus quippe vates.

Telonium nãvibus pedendum Helſingora Hafniam transfert;

tam eſſe nec tutam ſatis Helſingoræ navium ſtationem, flante præſertim Euro auſtrum verſus, tum & nullum ibi portum haberi, intra quem hiberno tempore ſtabulari navigia poſſent. Ea vero Hafniæ præcommoda omnia & tuta eſſe. Sed verior cauſa erat, quod recuſaſſent Helſingorenſium indigenæ recipere Hollandos ac illis, qui erant in proximo, cedere prædia paſcuaque. Tuncque commiſſæ Sigbrittæ ſumma telonii cura, & additi ipſi ſcribæ atque amanuenſes; ac ſimul promulgatum, quicunque Gallicæ, Germanicæ Britannicæque & Belgicæ aut gentis alius ſuas Hafniæ merces deponerent, ornaturum ſe eos ampliſſimis immunitatibus. Et ſeorſim Hollandi, Moſci ac Fuggeri convenire eo quidem cœperant. Sed res ſucceſſum non habuit, quod mercium prædeſtinatio, quæ primo erat ab ipſis indigenis inſtituenda, ingentem æris vim, imo aliquot milliones flagitare videbatur; ut ita nihil inde Hafnienſibus magnopere commodi acceſſerit, niſi quod ad ſe telonium translatum haberent. Verum Regis iſtud de conſtituendo emporio conſilium, ſicut improbabant, maximopere Vandalici, utpote ſummo ſibi futurum detrimento, ita irritum ut idem redderetur, omnem movebant lapidem. Sed & locum telonii quiritabant ſibi Hafniæ admodum eſſe devium, eſſe idem perincommodum, longinquumque; & Sigbrittam ad hæc data ſæpenumero opera, naves nauclerosque flante licet ſecundo vento detinere ac iter eorum interrumpere ac ſufflaminare, ſagam denique eſſe ac lamiam publice proclamantes; cujus etiam nomine apud Danos jam pridem audire male cœperat. Præſulem iisdem diebus Opsloënſem Andream Muſium, licet haud volentem, nec conſulto capitulo, usque eo egit urſitque Rex, ut transferre in Michaëlem Mulenium diœceſin cogeretur, quaſi ſenio gravis, ut qui res eccleſiæ curare minus poſſet. Hic iſte eſt Muſius, qui Romæ ex pharmacopolio valetudinis ergo carnem ſibi ſuillam infumatam petiit, reſpondente pharmacopola, id herbæ ſuo in herbario non reperiri. Memoratum ſuperius Stenonis Sturei navem indicio nobilis matronæ Sveticæ, quam egerat in exilium Steno, interceptam a regio præfecto Gislero, ac eandem Hafniam fuiſſe abductam, ac ibi a Rege prædæ habitam. Quæ exinde cauſa fuit, quod nulla ulterior de pace mentio haberetur, ſed omnia ad bellum jam ſpectarent. Exiſtimabat ſiquidem Steno, captam eam navem rebus jam peractis ac factis induciis, & ideo ruptam a Rege pacem. Rex vero deprehenſis intra eam bonis ad Lubecenſes ſpectantibus, unum cum Lubecenſibus egiſſe Svecos judicabat. Quo & illud acceſſit, quod Steno Svecique, poſtquam cum Rege conveniſſent, eſſetque compromiſſum, factum, quo neuter alteri noceret, a Stenone tamen promiſſi ejus immemore, reverendiſſimum patrem Guſtavum archiepiſcopum Upſalienſem, quod partibus Regis adhæreret, obſidione preſſum; ac

ejus cauſa;

ſed ſucceſſu res deſtituitur.

Andr. Muſium præſulem Opſl. cedere officium Mich. Mulenio cogit.

Ille valetudinis cauſa mira apetit.

Steno a Rege violatum capta nave pacem arbitratus.

Rex contra juſte factum putat.

Accedunt alia.

ac missum in exilium, de qua memoratum, nobilissimam apud Svecos matronam Mettam, Svantonis equitis Svecani & qui Sveciæ aliquando cum imperio præfuerat, derelictam viduam. Quin & animum induxerat Rex, haudquaquam jus suum, quod in Svecos haberet, missum facere ac deferre, eos, qui in Svecia ab ejus partibus starent, ipsisque jure omni debere regnum perfvasum haberent. Lubecensibus interim diu multumque hanc causam agentibus, cujus modo memini, protonotario ipsorum Johanni Rodio aliqua gratia bonorumque restitutio facta. At nihil quod reperiri potuit Sveco redditum. Unde utrinque ad arma itum. Scripsitque continuo ad Leonem Pontificem Christiernus, ac commonstrans, quem in modum contra fidem, sacramenta ac codicillos sibi a Svecis tempore pacis, alios datos, factosque Sveciæ dominio semet ingressérit ac principem tulerit Steno Stureus. Ac modo reverendissimum in Christo patrem Upsaliensem archiepiscopum Gustavum obsessa Stega conclusum teneat, & una reverendum ejus fratrem, qui Gustavo archiepiscopatum cessit, Jacobum, aliosque ecclesiæ prælatos sub custodia habeat, tantum ob id, quod fide & codicillis, quos olim dederant, standum existiment; orans rogansque ejus Sanctitatem, procedere atque agere adversus Stenonem vellet, tanquam adversus ecclesiasticæ libertatis oppressorem, idque ex canone & constitutione nova Clementis quinti contra episcoporum persecutores, ac adjiciens simul & significans, hoc se de eodem ad Cardinalem sanctorum quatuor, sed prolixius scripsisse, eaque ut inde repetantur, si quæ desiderari hic possent, eundem commonet. Quibus acceptis Pontifex ad archiepiscopum Lundensem Byrgerum, tanquam Sveciæ primatem ac his in boreæ oris summi Pontificis legatum, litteras dedit, eum adhortans, re propius inspecta, ageret in Stenonem pro ejus merito. Ac mox, convocatis regni passim præsulibus, omnium suffragiis Steno Stureus, una cum clientibus ejus, ac sociis ejus, facto in eum anathemate publice proscriptus est. Inter quæ dum urgetur Stegensis obsidio, petiit identidem Archiepiscopus cum Stenone colloqui. Nec mora, assumptis secum ex regni senatoribus aliquot, colloquio se offert ille Steno ad Stechæ arcem quam proxime progressus, metuebat, siquidem incursionem in eum Sveciæ tractum Regis Christierni, atque opem suppetiasque ejus archiepiscopo tam diu promissas exspectatasque. At Steno ubi revocari archiepiscopum curat, seque ad colloquium quod flagitaret, paratum significaret, renuit prodire archiepiscopus, quod scilicet in procinctu esse Regis Christierni auxiliares copias accepisset. Et erant quidem ex Jacobi Trollii, Severini Norbyi ac Caroli Canuti naves aliquot prætoriæ, quæ adactis quam proxime Stechæ arci proris juvare commeatu ac milite obsessam sperabant;

Lubecensibus bona capta restituuntur, non tamen Svecis.

Hinc ad arma concurritur.

Rex litteris causam exponit Pontifici R.

hinc Steno sacrorum usu interdictus.

Archiepiscopus obsidione pressus colloquium cum Stenone petit:

quo accedente prodire renuit fisus auxiliis Danorum proximis.

adfuisse etiam navarchos Tilonem Gislerum, & Andream Morianum, sunt, qui tradunt; sed Steno re accepta, misit continuo ex suis, qui archiepiscopum commonerent, Svecus esse persisteret & Svecicos patriosque lares defenderet ac tutaretur; ac idem ut ageret frater ipsius Jacobus Trollius, quo ita a cædibus ac sanguine plurimorum innocentium temperaretur, iterum iterumque svadentes. Sed aurem præbere his omnibus renuebat, fisus auxilio, quod adfuturum haud dubitabat. Itaque exscensionem ubi feciissent haud multo post, circa Stocholmiam ducentes circiter peditum quatuor millia, occurrit illis circa Wedelam Svecus, habitoque brevi prælio repetere eorum naves coëgit. Aliquot eorum vivis in potestatem Svecorum delatis, nonnullis quoque cæsis aut aqua absumptis. Hoc igitur cum parum succesisset, nec spes magnopere affulgeret liberandi Stegam aut eam juvandi commeatu, denuo terram petunt, deprædantes passim atque exurentes, quæcunque circa Sceram, Vestervigiam ac Sudercopiam eaque loca occurrebant, redacta postremum in cineres Egholmia, ac inde flexu facto, totam propemodo Finlandiæ oram maritimam postquam diripuissent, incendio defœdarunt. Et hæc quidem suopte instinctu ductuque Rex Christiernus. Nam licet, ut est superius memoratum, indictis comitiis convocari regni proceres feciisset, deque bello Svetico in medium, quod agitaret, proposuisset, illis tamen inconsultis indicere, idque contra sacramentum, quod corohandus feciisset, contraque libertatem regnique privilegia ac vetera statuta, quibus Regum haud ulli auspicari bellum permittitur, absque senatus ac procerum regni assensu ac voluntate. Steno autem cum jam vela versus Finlandiam regia feciisset classis, missis Stegam e captivis aliquot, significari archiepiscopo jussit, frustra esse, ac fore; eum si ulterius auxilium exspectaret, fusum aut fugatum regium militem & classem, datis vento velis domum rediisse. Quo archiepiscopus accepto, despondere animum cœpit. Qui vero classi erant præfecti, eis a Rege mandatum fuit, ut passim apud Svecos affigerent litteras seu programmata, quibus a pontifice maximo habebatur proscriptus ac diris devotus, omnique piorum cœtu exclusus Steno, & quicunque cum eo facerent, quod vi atque armis persequeretur, atque obsideret ecclesiæ reverendum patrem in Christo Gustavum Trollium Upsaliensem archiepiscopum, & data erant hæc Lundis, ut habebat suscriptum, 1517. in vigilia pentecostes ac obsignata munitaque præsulis Lundensium Byrgeri sigillo. Quibus & Rex suo nomine scriptos codicillos submitti continuo classis ejusdem præfectis curavit datos Hafniæ visitationis Mariæ, qui fuit Julii secundus anni ejusdem. His omnibus Sveciam incolentibus constare volebat, se, vivo adhuc laudatæ memoriæ parente suo Johanne Rege, ac postmodum eo-

Stenonis commonitione spreta.

Sed repulsi Dani prædationibus vacant.

Rex inconsultis regni senatoribus comitia indicit de bello Svec. acturus;

nuncio accepto de Danorum fuga archiepiscopus animum despondet.

Dani per Sveciam promulgant Pontif. R. litteras contra Stenonem;

quibus alias addit ipse.

dem defuncto, assumtum ac designatum Sveciæ legitimum Regem, testantibus idem procerum ac senatus regni tum & incolarum litteris, quæ in archivis servarentur: Stenonem vero Svantonis statim post obitum Johannis Regis parentis sui, conciliatis sibi Svecorum non infimis, contra jus atque æquum sibi regnum detinuisse, tum & archiepiscopum in arce Upsaliensis ecclesiæ contra similiter omnem æquitatem & absque ulla probabili ratione obsessum tenere. Hæcque inhumana & impia ipsius facinora dicere se, utpote principem non modo Christiani nominis, sed principem quoque ac regem Svecorum electum & designatum, quatenus id posset inhibere atque avertere, idque in honorem & laudem S. Sanctæ ecclesiæ ac solatium omnium Svetiæ ditiones incolentium, missamque in eum finem classem ac militem fuisse suum non adversus amicos, sed eos, qui ut hostes se gerunt, ac sibi, quod omni jure debetur, tribui haud concedunt. Orare igitur omnes, se agnoscere ac Regem suum accipere non detrectent, se vicissim omni favore ac clementia, ut principem Christianum æquum est, id agniturum repensurumque. Classis ea regia navibus plusquam centenis constitisse memoratur. Erantque inter eos Lubecensium nonnullæ. Quas cum illi detentas dedignarentur, facta illis spes de navibus non modo reddendis, sed de naulo quoque, quod ipsis hoc nomine a regiis procuratoribus solveretur. Atque inde quamprimum Lubecam legatos Rex suos misit, viros prænobiles, Nicolaum Hagium & Hermannum Pavisium, ut & doctorem Ditlevum Smiterum præpositum Lundensem aliosque nomine Regis efflagitantes, abstinerent a navigatione in Sveciam, nec eo commercia sua mitterent. Et est postremo ab iis impetratum, ut integro biennio, ab ea negotiatione supersederent, ea tamen lege, ut alias in vicino urbes frequentare suis navibus commerciisque fas ipsis esset. Iisdem fere diebus Christiernus Rex, sed ferocius nonnihil ad imperatorem Maximilianum ac ducem Carolum, qui tum in Hispaniis agebat, itemque ad amitam suam Margaretam Belgii gubernatricem super dote, quæ ipsi debebatur, scribi mandavit, & licet aliquoties hoc nomine per litteras ac legatos egisset, nunc demum sine dilatione, quod sibi Reginæque jam diu debitum, nec depensum adhuc esset, expetere subindicavit; & simul commonebat principem Carolum, vellet pignori sibi tradere Hollandiam, ut ea eousque, dum dos in universum esset soluta, frueretur. Aut id si impetrari non posset, aliæ ineundæ rationes essent, quibus obtineretur, quod flagitaret. Sed ei expedita responsio per præsidem Belgarum dominam Margaretam deproperata. Et est tum illi continuo solutionis triens depensa. Quia ita inter eum Carolumque convenerat, ut omnis ea dotis summa, quæ erat ter centum aureorum millium, tripartito solverentur. Nec diu exinde tenuit, quin id, quod erat residuum, mox item expungeretur. Sed qui in arce, ut dixi, Stegensi tenebatur archiepiscopus, comperto recessisse regiam classem, nec potuisse, quæ ad manus ipsi erant, copias, Stegam seque ea obsidione liberare, de deditione agere hac lege instituit, ut sibi ad suam diœcesin redire, eaque pacate ac tuto frui fas esset. Verum responsum ei, ante id petivisset, & si factum fuisset, multorum, qui ejus nomine miserrime oppetierunt sanguini fuisset parcitum, & modo cum tot mortalibus causa exitii exstiterit, minus decere ejus personam archiepiscopi munus aut titulum. Reposuit archiepiscopus, sibi a Papa potestatem ejus factam ac traditum sibi jus utriusque gladii, id est tam spiritualis quam seculi. Nec ideo homicidii se reum habendum, quod suo nomine plures occubuissent, satis ipsum defensurum Pontificis dispensationem. Inde convocari Sveciæ regni proceres comitiaque haberi Stocholmiæ Steno curavit. Ad ea quoque ut accedere archiepiscopus posset, salvus illi, ut vocant, conductus publica fide indultus, sanctequ promissum, ut postquam proposuisset, quæ proponenda ipsi essent, & audivisset vicissim, quæ in eum dicenda regni senatus haberet, tuto in arcem redeundi potestas illi foret. Hic igitur ventilatis in utramque partem, quæ ad ipsum spectabant, omnibus, ita in eum lata ab ordinibus sententia pronunciatum: Stega diœceseos arx, quam hucusque Gustavus natura loci opereque permunitam, suo præsidio adversus Sveciæ regnum tenuisset, funditus diruta solo æquaretur, nec unquam exinde exstrueretur, quod regno fere perpetuo adversa aditum atque occasionem indignis ad rebellionem præbuisset. Gustavus quoque archiepiscopus ab eo die & quam diu vivat, pristina dignitate aut sede, haud unquam redonaretur. Jussitque omnes, qui præsentes aderant, elatis digitis ac facto sacramento contestari, se eum exinde haud unquam pro archiepiscopo habituros, agnituros, ac simul singuli cunctique jurarunt, si forte vel interdicturum, aut simul, quod a Romano Pontifice ejusque successoribus adversus ea, quæ modo in archiepiscopum deque Stega arce essent decreta, producerentur, ea conjunctis animis viribusque consulerent ac prohiberent, esseque communis hæc causa omnium. His subscripserant sigillaque sua adjecerant Johannes Dei gratia episcopus Lincopiensis, Matthias Strengenecensis, Otto Vesteracensis, & Arvidus Aboënsis, eadem gratia episcopi. Itemque doctor Johannes Gaddius electus, Ericus Johannis eques, Benedictus Arvidus, Axelius Posel, Benedictus Ambiornus, Johannes Georgii, Magnus Grenius, Axelius Matthiæ, Henricus Erlandus, & denique Benedictus Gylte, regni Sveciæ senatores; erantque data Stocholmiæ die S. Clementis martyris & Papæ, qui fuit Novembris vigesimo tertio. Memoratur inter eos, qui superius nominatur, episcopus Lincopiensis Johannes

Classis regia C. navium.

Lubecenses biennio abstinent a Svecorum commercio.

Rex dotem sibi pendendam postulat,

Hollandiamque interim sibi concedi.

Solutio facta.

Archiepiscopus de deditione agit.

Comitia Holmiæ instituit Steno; ad quæ archiepiscopus vocatus venit.

Lata in eum sententia.

Johannes

hannes Brasilius singulari industria intra cereamcupam, quæ codicillis subjicitur, schedulam abdidisse, in qua perscripserat, se invitum & coactum illis litteris suum sigillum appendisse, idque ei exinde, cum in Sveciæ mox proceres Stocholmiæ insurgeret ac sæviret Rex saluti fuisse, de quo in loco dicam. Hisque eum in modum Stocholmiæ transactis, cum archiepiscopus propositi sui tenax ac fisus vel ulteriori e Dania subsidio vel exspectans a Pontifice maximo codicillos, quibus suam ille causam componeret, tenere ac tutari ad extremum usque arcem constituit. Quapropter remissio, ut erat stipulatum, in sua archiepiscopo, continuatur, quæ erat cœpta, Stegensis obsidio, eamque excipere de novo atque sustinere deinceps pro virili archiepiscopus animum induxit. At sustinere haud diu potuit. Quippe præsidiarii, qui arcem hucusque defenderant, cum adesse ei ulterius ac tolerare obsidionis onus detrectarent, coactus est arcem seque dedere, in morem fere, nec meliore propemodum conditione, quam si captivus fuisset. Nam continuo exinde ut erat decretum, diruta Stega. Et Archiepiscopus abdicata Upsaliensi diœcesi eam Leoni X. Pontifici maximo resignavit, ipse Vesteraſiam se contulit, ac ibi aliquamdiu intra cœnobium, quod ibidem est, semet continuit. Ultimo Etholmiam petiit. Hæc secutus autores & acta domestica, de archiepiscopo & obsidione Stegensi retuli, non ignarus esse, qui liberatam a Danis Stegam ac Danos ea liberata mox recessisse, assumpto in Daniam secum archiepiscopo, ac eum in liberalitate Regis per biennium fere Hafniæ sustentatum fuisse prodiderit, sed nullo, qui memoratur, in medium allato, qui certo hoc tradiderit, scriptore classico. Dum autem geruntur apud eos ea, advenerat jam sub brumam e Dania in Sveciam Angelus Arcemboldus, qui, ut memoravi, prolixe petenti id Regi pollicitus suam operam fuerat conciliandi sibi Stenonis animum, ac eum reliquosque monendi, ut codicillis suis ac ceteris, quæ obsignassent, actis pactisque stare in animum inducerent, tum simul ut mentionem injiceret archiepiscopi, & in eum quod commisissent malæ tractationis crimen, eosque doceret, quisnam super eo sensus ac sententia esset futura summi Pontificis. Quum & ante rem ad summum Pontificem Leonem X. litteras dederat, ejusque sanctitatem commoverat, ut si forte ei diœceseos Upsalianæ resignatio aliqua offerretur, persvasum sibi haberet, eam non sponte factam, sed vi expressam esse, cujusmodi accidere subinde viro etiam honesto posset; & ideo neminem vicissim nisi Gustavum Trollium, qui coactus resignasset ea redonaret: præterea ne Stenoni regium nomen aut titulum concederet, ab eo licet rogaretur, idque ob jus, quod sibi in Sveciæ regnum competeret, quemadmodum addita quidem codicillis longiore super eas deductione multifariam demonstrare haud destitit. Memoratum superius quænam a magno Moscorum Duce Basilio immunitates privilegiaque intra oppida Moscoviæ ac Neogardiæ concessa inductaque liberaliter Danis essent; Horum Rex Christiernus initio insequentis anni, qui fuit millesimus supra quingentesimum decimus octavus publicam mentionem faciens, gratias eidem hoc nomine per litteras benigne scriptas agit, excusando præsertim suos, quod isto anno accedere ac suis commerciis frequentare ditiones ejus ob bellum, quod cum Sveco ipsi esset, haud possent; futurum tamen id in posterum adjiciens. Simul tum ab eodem efflagitabat, ut suo, quem una mittebat, nuntio, potestatem faceret, aliquot salis nitri onera sive lastas intra ipsius ditiones suo nomine coëmendi ac has in oras transvehendi; eandem gratiam ac vicem redditurum se ipsi data occasione pollicendo. Inde post pentecostes festum ipse Christiernus magno navium ac militum apparatu numeroque Stocholmiam usque profectus, castra locari a parte australiori Malmenæ curavit, ac ibi directis explosisque in urbis majorem turrim, quæ addita habetur, meridionali portæ, grandioribus tormentis etiam oppugnationem aliquam, sed perfunctorie instituit, exspectans, si forte ad deditionem permovere Svecos posset, aderantque ex ducibus ac classis præfectis præcipui Severinus Norbyus Tillemannus Gislerus, Andreas Morianus aliique. Sed cum nihil ibi nisi longa mora, ac novo militum totiusque exercitus complemento perfici magnopere posse animadvertit, expeditas aliquot suorum copias terrestri itinere Brendelucham versus mittit, qui forte fortuna Stenoni occurrentes cum eo manus conseruerunt, repulsusque Rex relictis suorum aliquot, & in his Christierno Ronnovio, castra sua Malmenam versus repetiit; ubi quum aliquamdiu substitisset æstasque laberetur, tum & equitatu destitutus, receptui signum dare ac suos repetere naves jubet. Quod ubi Steno animadvertit, urbe derepente egressus impetum in eos facit, & invadit agmen, quod erat posterius, compulsis in mare nonnullis ac cœptis ultra trecentis, quos continuo misso lytro redimi Rex curavit: dumque jam egressa circiter rupium fauces, quas Scheras vocant, classis esset, ac dare vela ventis Daniamque repetere cogitat, adeo sibi adversum ventum expertus est, ut plures e militibus in Daniam terra contendere imperaret. Ac inde magis magisque aspirante in adversum aquilone, laborare commeatu classis, ac miles Stenonem petere eique stipendia facere cœpit. Hoc videns Rex, ac ventos hominesque sibi jam contra niti, alia inflari tuba ac significari Stenoni curat sibi propositum cum eo de pace agere, quæ esset inter regna hæc septentrionis perpetua. Eoque accepto, qui pacis peravidus erat Steno, dum Regi aurem fidemque adhibet, oves illi bovesque ac cetera, quæ victui essent opportuna, submitti imperat, cum alias inedia ad ultimam necessitatem deducti classiarii fuissent,

Archiepiscopus porro arcem defendit.

Tandem præsidiariis efflagitantibus dedit.

Arce diruta, munere abdicato in Vesteraſiam concedit.

(aliter refert alius quidam.)

Angelus Arcemboldus in Sveciam pervenit bene a Christiano R. instructus, ut suam & archiepiscopi causam agat.

A. 1518. Christiani R. ad Moscorum Ducem litteræ, quibus ei gratias agit pro beneficiis, quæ suis concessérat.

Christianus R. copiis instructissimus Holmiam urbem leviter oppugnat.

Dani Brendelucham petentes a Stenone fugantur.

Iterum a Stenone invasi cæduntur.

Classis domum revertens adverso vento laborat & inedia.

Milites in terram expositi plures ad Stenonem abeunt.

Jam pacem Rex offert Stenoni ejus avido.

eique insidiatur.

issent. Totusque id agebat, tunc Rex, ut ipsemet ad colloquium prodiret Steno, quem si nactus fuisset, aut tolli e medio, aut evehi in Daniam fecisset. Quin id agere Steno ac salutare Regem adeo ei fidens animum induxerat, nisi obstitisset Stocholmiensis senatus, qui palam protestabatur, si ad Regem excurreret, se alium electurum populi ac regni principem, quod certo sibi persvasum haberet, eum haud unquam e manibus Regis vivum ad se rediturum. Quapropter intra Stocholmiam se continuit. Quo autem amicus ille, de quo egerant, conventus haberetur, erat decretum, ut obsides utrinque traderentur. Missique bona fide sex a parte Stenonis Gustavus Erici, qui postmodum Rex Sveciæ fuit, Laurentius Siognis, Olaus Rolingius, Byrgerus Nicolai & Hemmingius Gaddus electus, quos secum Christiernus omnes, nulla fidei datæ ratione habita, in Daniam avexit; qui vero vicissim ad Stenonem erant parati, ac viam jam ingressi spirante secundo vento revocati ad eum non venerunt: quo facto, quid animi erga Stenonem Regi fuerit, satis intelligi potuit: nam soluta deinde classe ac ipso in Daniam reverso, nihil quod pacem spectaret agi cœptum manseruntque inimica atque hostilia omnia inter regnam utrumque, ut prius; & dedit, quamprimum rediisset, in mandatis architalassio suo Severino Norbyo, qui Gotlandiæ insulam eo nomine præsidebat, ut Svecos assidue, qua posset, infestos haberet, ac eos præcipue invaderet, ac detineret, quicunque juvare commeatu commerciisque suis Sveciam tentarent, quod & ille utpote mari valens ac inter omnes præeminens ac manu gnavus, pro virili est exsecutus, qui & isto tempore urbium Vandalicarum terror flagellumque est habitus, a quo vel maxima damna ipsis detrimentaque venirent. Postquam vero, de quo injectum superius, in Sveciam concessit Angelus Arcemboldus, ad eum Rex præter ea, quæ illi oretenus demandasset, litteras dedit, serioque petiit ipse, dum apud Svecos esset, utpote summi Pontificis Legatus, omni id studio ageret, ut Sveci sive in totum ad ejus obsequium redirent, sive ut induciæ, in quibus hoc agi posset, quamprimum indiceretur. Verum earum conditionum Sveci nullam acceptare voluerunt, quod diffidere jam ipsi inciperent, postquam obsides modo memoratos contra datam fidem in Daniam secum abduxisset. Quin & Arcemboldus quamdiu apud Svecos esset, secunda, quod dicitur, agere est visus, & idem quod ipsis placeret, sibi placere significavit. Venerunt iisdem circiter diebus a Pontifice ad Regem missi codicilli, quos memoriales vocant. His sub pœna canonum, ut iidem habent, demandabatur ipsi, restituere in veterem sedem ac dignitatem episcopum Othoniensem Johannem Beldenachum. Quo cum agere inducerentur, suspectus ei fuit Arcemboldus, quasi ejus præsulumque ceterorum instinctu id procuratum fuisset. Lætum indè festum habuit, qui est insecutus, anni supra millesimum quingentesimum decimi noni initium, tum enim supra 22. Febr. natus eidem filiorum primogenitus Dux Johannes, qui patrem mox exulem secutus Ratisbonæ postmodum, ut suo dicetur loco, nondum annum supra decimum tertium egressus, dum Cæsarem comitatur, in fata concessit, capto jam per idem id tempus a Danis patre, ne quid uspiam supereset, quod metui post eum e filio possent. E Svecia circa idem hoc tempus rediit Angelus Arcemboldus omniumque primo archiepiscopum Lundensem salutatum accessit. Multa ac magna Christierno Regi, priusquam in Sveciam iret, pollicitum, supra memini; sed magna pollicitus, parum præstitit, imo assensum suum, dum ibi esset, adjecit, recteque ac ordine a Svecis ac Stenone depositum archiepiscopum Gustavum, suaque abdicatum diœcesi pronunciavit. Hic occulte agens, ut idem archiepiscopatus ipsi permitteretur, quod & factum a Svecis, pollicente vicissim Arcemboldo, se apud Pontificem maximum adfuturum ipsis re consilioque, & id hac præsertim lege, ut sua vice in dicta diœcesi suffraganeo eousque uteretur, dum res Svecorum suasque Romæ peregisset. Quæ etiam arcana Christiernus eidem concrediderat de conciliando erga se Stenonis animo deque amicis, quos sibi faventes in Svecia haberet, ea omnia haud aliter tecta servataque ab eo fuerunt, quam aqua, quæ cribro hauritur. Vix enim in Sveciam venerat ac colloqui cum Stenone instituerat, quam cunctas ei aperit, ac simul amicos, & si qui fidi Danis essent, edit. Qua hominis levitate offensus Rex fratrem ejus Antonellum Arcemboldum, quem præmiserat, varia ac multa, quæ erat ex indulgentiis apud Svecos & Norvagos collecta, merce auctum ditatumque retineri mandavit. Et idem ut Angelo quoque fieret, suis significaverat. Sed ille quamprimum Lundam venisset, ibi ad se datas Reginæ litteras reperit, quibus monebatur, regio nomine, ibi subsisteret, propositum enim Regi cum eo de Svecia rebusque Svecicis, & si quæ ipsi demandasset, propius agere. Sed intellecto quid fratri ministrisque ejus accidisset, idem & sibi contingere posse suspicans indicari extemplo archiepiscopo Byrgero curat, ibi ad tempus mansurum se, & ad regiam majestatem continuo daturum litteras suas, sed ille exigua interposita mora clam Calmariam atque inde Lubecam se recepit, ubi postquam publice sacrarum ædium foribus affixas adversus Stenonem & Svecos summi Pontificis diras atque interdictum vidisset, præventum se Romæ animadvertit, cecidit-que, quam animo perceperat, spes omnis. Bonorum vero pecuniæque, quodcunque frater ejus Antonellus attulerat, ejus potissima pars regio fisco cessit; & est vicissim ille e custodia, qua tenebatur, hoc nomine demissus. Datum insuper syngrapha, qua profitebatur id regiæ majestati tributum, ideo quod

Senatus Stockh. dehortatur Stenonem, ne Regi se fidat.

Rex datis a Stenone obsidib. conventus causa in Daniam devehit inter quos Gustavus Erici;

nec de pace quicquam actum.

Severinus Norby regis jussu gravissime Svecorum naves & ad eos commeantes afficit.

Arcemboldus in Svecia regis causam parum promovet.

Pont. max. restitui jubet Joh. Beldenachum episc. Otton.

A. 1519. Johannes R. fil. nascitur.

Arcemboldus e Svecia in Daniam redit.

Archiepiscopatum Upsal. recte sibi captat.

Omnia Regis arcana Svecis effutivit;

hinc ejus frater multum aeris ex Svecia reportans in Dania detentus & spoliatus: ipse Regis evitat insidias.

Lubecam rediit.

quod indulsisset suis in regnis collectionem ejusmodi institui. Quem præterea ad ministrum suum trajicere in insulam Gotlandiam, colligendis similiter indulgentiis jusserat, is ibi jussu Regis Christierni demersus profundo ac suffocatus memoratur Witfeldio. Dum vero Lundæ hæret Arcemboldus, prolixas ad Regem Christiernum litteras dederat. His se cogi memorat, quam difficillimo itinere egressus fuerat, repetere Sveciam, idque tantum ut vitæ suæ consulat, atque exeat, quod imminere ab ipsius majestate infortunium sibi sentit. Eoque in itinere, si ita visum Deo, ut vita excedat, occumbatque, mortis causam ipsius fore, qui ejus ansam dederunt, ac mali genii instinctu autores fuere, ut regia ipsius majestas, dimidium ejus, quod summis difficultatibus colligisset, ad ædis, quæ Romæ est d. Petri ædificationem sibi eriperetur, idque principum quorundam Germaniæ exemplo, qui simili humanitate se excepissent, quamvis de ejus semper majestate, ditionibus ac regnis alia esset meritus. Hinc memorato, quam perpetuo sive in Dania sive apud Svecos pro ejus majestate die nocteque laboraverit, hanc sibi repensam ait gratiam, ut detenta sit pecunia, quam apud Fionios collegerat, licet jam ante ab ipso mille centum ac viginti aureos majestas ejus hac conditione accepisset, ut quæ deinceps per regna ac ditiones majestatis ejus colligerentur, ea cuncta cederent ac servarentur dictæ ædis exstructioni; se tamen non motum hisce, sed in partem omnia benigniorem interpretatum, inde cum nuper majestas ejus relictura Sveciam, quod nihil se ibi operæ pretii posse obtinere speraret, missum a se refert ad eum Antonellum Arcemboldum fratrem suum rogatum, an ei aliqua in re adesse atque obsequi, dum in Svecia adhuc esset, posse existimaret; sibi tum in mandatis tria mandata, quæ & diligentissime exsecutum se, pro eo præsertim tempore, ait, & maxime, quod archiepiscopum, ejus patrem & alios nonnullos spectarit, nihil tamen obtinere potuisse, quod ad pacis contractum, & Svecos, quoties de eo sermo institueretur, cum risu eum excepisse dictitando, se etiamsi Rex filium suum primogenitum obsidem offerret, tamen de pace cum ipso haud acturos, nisi prius restituerentur, qui essent Stocholmia in Daniam deportati nobiles sexumviri. Et ultimo cum ea, quæ regiæ majestatis nomine Svecis a se erant proponenda, conditionalia essent, ad ea singula responsum a Svecis existimat, sibi vero cum datus esset salvus, ut vocant, a Rege conductus, redeunti e Svecia in Daniam illud improviso accidit, quod pedem vix Lundam intulisset, cum regio mandato ibi subsistere commoneretur, & simul intelligeret manus injectione bona sua ubivis retineri; tum ex certis insuper amicis acciperet, animum induxisse regiam majestatem, nullo contractuum, quos ab ipsa accepisset, respectu, dimidium eorum omnium, quæ collegisset in tri-

Istius socius regio jussu circa Gothlandiam suffocatus.

Angeli Arcemb. ad Regem litteræ querulæ.

bus istis boreæ regnis, sibi aut fisco suo vindicare & in se haud leve quoque concepisse odium, quasi causa exstitisset, quod, id quod in præsulem Otthoniensem sibi proposuerat, successum non habuisset. Et his similibusque siniſtrum in se Regis animum satis superque colligendum putat. Et iis accedere, quod mater Sigbreta (utinam mater dicta) ita addit (bono trium horum borealium regnorum) sermones in vulgus jecerit, quibus dixisset, habere legatum eum, quod sibi gratuletur, nihil ipsi, præter retentionem bonorum gravius obtigisse. Et præstare, ipsam aliosque ejusmodi proditores agere aliud, quam de se verba facere ac fabulari. Et dixisse præterea audientibus id viris honestis, se, si Regis loco esset, legatum eum ejusque clientes aquis suffocaturam & fisco, quæ convasassent, universa trahituram. Quæ taliaque ubi accepisset, nihil sibi consultius fuisse putavit, quam se quamprimum movere loco ac recedere quam longissime, quo a fulmine ejusmodi esse tutus posset: quamvis conscientiæ innocentia, tum & regiis promissis ac syngrapho fisus vix animum induxisset ea tentaturum catholicum ejusmodi dominum ac Regem, aut manus injecturum, idque præter fas & æquum, in patris sanctissimi Papæ legatum ejusque fratrem ac ministros; cum principum nullus legatum alterius, etiam inimici principis violare, sed habere perpetuo sacrum ac inviolabilem soleat. Sibi itaque propositum, cum per Daniam sibi intercluſa quasi sit via, redeundi in Germaniam, regredi ad Svecos hostes ipsius regiæ majestatis, nec tamen quidquam in ejus aut regnorum ejus detrimentum moliturum, relinquendo post se fratrem suum dilectissimum, qui sui alloquii ac solaminis ergo relicta domi nobilissima conjuge juvencula ad hujus Arctoi orbis extremas oras descenderit. Orareque humillime regiam ejus majestatem, ipsum ceterosque habere sibi commendatos ac liberare e custodia, in qua innocentes detinentur, clementer velit, adjiciendo postremum, cogitaret, quanti momenti sit sibi vindicare, quod ipsius ac sanctæ Romanæ ecclesiæ esset, & ejus duplici loco reddendam ipsi rationem coram Deo sub extremum judicium & hic coram sede apostolica, quæ haud dubio data occasione suum cum fœnore esset repetitura. Datæ erant Lundæ die 8. Aprili Ao. 1519. & missæ tum quoque similes fere ad Reginam Elisabetham, quibus inter alia eam commonebat, id agere apud dominum suum regiam majestatem vellet, ut is, quod ageret, iterum iterumque secum animo perpenderet, & ne in sedis pontificiæ legatum quidquam gravius statueret culpæque se involveret. Cessurum id in laudem ejus sempiternam apud Romanam ecclesiam, seorsim vero fratrem suum ejusque salutem ac commoda, ut sibi habere commendata vellet, enixe atque identidem orabat, adjiciens, nihil se cogitasse minus, quam ut legatus catholicus in regno catholico tam indigne haberetur.

Item ad reginam.

Hinc per Germaniam pergens Romam redit.

Arcemboldus igitur, relicta, quanta potuit celeritate ac silentio, in quam e Svecia adve-nerat, Scania, proximum Sveciæ oppidum Calmariam petiit. Inde transmisso feliciter Baltico mari Lubecam venit, Lubeca Colo-niam Agrippinam petiturus celebre ad Visur-gum Corbeæ monasterium transiit. Atque ibi dum est, quod isto loco haudquaquam in-volvendum silentio, quinque priores Cor-nelii Taciti annalium libros repertos in ejus cœnobii bibliotheca magno rei litterariæ bo-no ad Leonem X. Pontificem maximum ut singularem thesaurum Romam secum depor-tavit, redonatus ab eodem præmii loco du-catorum sive, ut aliis placet, aureorum quin-gentis. Frater ejus Germanus Antonellus postmodum quoque non sine difficultate & eorum, quæ collegerat, relicta potissima por-tione dimissus fratrem in Germaniam, atque inde Romam secutus fuit. Domi vero Chri-stiernus Rex, dum alios aliosque corradendi a subditis pecuniam, (qua ingenti opus erat ad bellum Sveticum) modos excogitat, pas-sim prædia regnique possessiones nobilitati atque aliis oppignorat. At pignoris arra cum esset reddenda, eam vix ulli reddidit; sic ob-jecto vel assumpto aliquo crimine præfectura, quemque, aut prædio, quod tenebat, dispo-liat, sententiam ipse ut reus & judex ferens, ut ita cum se omnium quisque, quæ posside ret, dominum existimaret, introducta est in Daniæ regnum tyrannorum illa vox, da mihi de meo; non considerans esse suarum rerum non minus potentem ac dominum ex popu-laribus quemquam aut civium aut ordinis equestris aliquem, quam Regem ipsum, si bo na videamus regni, de quibus sine regni se-natorum assensu disponere Rex nil potest. Quicquid tamen vel hoc vel illo modo con-quireret, parum eo aut nihil, quodcunque bellum gereret, proficit. Estque postremo admodum vile monetæ genus, quod Clippi-nos vulgo nuncupant, cudere inductus; un-de & Rex Clyppinus populariter est nomina-tus, ut habent vernaculi versus, qui eo tem-pore in eum vulgati, quamvis inauguratione sua fuisset pollicitus, monetam se cusurum bonam & probam, & qualis esset urbium Van-daliæ. Hinc factum, ut fugere Daniæ re-gnum negotiatores, alioque transferre mer-cimonia sua cœperint; si tamen Daniæ por-tus appellerent, venundare sua, nisi sub mo-neta urbium vel aureorum Rhenensium haud volebant. Ex aulicis ejus Nicolaus Daa forte fortuna Hafniæ in taberna cerevisiaria deci-dens vitreos aliquot fenestrarum rhombos inter compotandum excusserat, ac statim cum hospite illati, quodcunque esset, damni com-positionem init. Rex nihilominus missis in prædium ejus paternum Pratensdorpium ex satellitio suo aliquot, auferre, quæcunque ibi habebantur, suppellectilia curavit, coactique eo nomine parentes Regi pendere quatuor millia argenti dispondia, licet filius vivis ad-huc parentibus nihil e bonis eorum possidet.

Rex undique a subditis cogit pecu-niam injustis modis.

Monetam viliorem cudit.

Ob vilem causam suo-rum involat bona.

ret. Cum autem certior jam ante redditus esset Leo summus Pontifex eorum omnium, quæ essent adversus archiepiscopum Gusta-vum Trolle apud Svecos gesta, & questus quoque Rex sive præsul foret de injuriis sibi illatis, ac iterum iterumque a Pontifice mo-nitus esset Steno, ut archiepiscopum veteri sua sede ac dignitate redonaret, ac Stegam solo æquatam repararet, nec attendere aut aurem magnopere præbere iis Sveci aut Ste-no viderentur, convocare per idem tempus Cardinalium senatum Pontifex Romæ fecit; & cum ante jam statutum esset, addita atroci insuper sententia, ut Sveci, quicunque cum Stenone facerent feciissentque, quique illatis summo regni præsuli Gustavo armis ab eccle-siæ unione recessissent, pœnis afficerentur, quibus affici schismatici solent, id est gladio igneque de medio tollerentur. Eamque sen-tentiam cum mandasset simul Pontifex Regi Christierno missis ad eum hac de re litteris, ut exsequeretur, quam primum ille quam ala-criter volensque sit obsecutus summo huic sa-crorum antistiti ejusque postulatis ostendent sequentia. Nec multo post parata aliquanta classe eaque in Oelandiam immissa, occupata est a milite ejus & classiariis insula, & capta quoque extemplo arx ibidem Borcholmium. Arci postquam præsidium esset impositum, ceteri expedita cum manu bellicisque machi-nis Calmariam petiere. Hi in terram facta exscensione & positis circa urbem castris ver-berare tormentis mœnia cœperant. Inde cum aliquot insultus atque oppugnationes, sed frustra fuissent tentatæ, ac cæsi plures, classem ac mare repetiere; quamvis Rex co-hortes aliquot, in quibus equites erant se-ptingenti, ipsis subsidio misisset. At Steno equitatui mox obviam cum suis factus uni-versum propemodum fudit ac fugavit, capto præter ceteros Agone Brahe. Tum quoque ad recuperandam Olandiam se parans, sed re-pulsus a milite ac præsidiariis Regis, qui illo validiores erant, nihil obtinere potuit. Præ-sidebat arci insulæ regio nomine Stephanus Weberstenius, Thuringus, natalibus ac mi-litia clarus; sed qui postmodum a Christier-no, quamvis immerito, ut suo mox dicam loco, capitis supplicio affectus est. Invale-scente autem indies magis magisque autori-tate Sigbretæ, instinctu ejus exacti Hafnia, regio mandato omnes, qui ludum litterari-um, quem trivialem vocamus, frequentan-tes (cujusmodi erant tenuiorum hominum liberi,) sibi cibum ac sportulas ostiatim cor-rogarent. Hi per id tempus ut dignoscerentur ab aliis, toga induti erant talari, cujus pars siniſtro tantum humero appensa, reliquum corpus tegebat, exceptis brachio, ac manu dextera, ut ea scilicet stipem ac cetera, quæ distribuebantur in ipsos, acciperent inque manticam reponerent. His igitur obire ostia-tim civium ædes foresque vetitis exiit man-datum, quo illi solum frequentare liberalium artium ludum permittebantur, quibus eæ essent

Pontifex max. senten-tiam contra Svecos pro-nunciat.

quam exse-quendam de-fert Christi-ano R. ejus rei cupido.

Qui classe emissa occu-pat Oelandi-am & Bor-cholmiam in ea arcem.

Calmariam frustra op-pugnat.

Steno Danos fundit,

Oelandiam affectans rejicitur.

Sigbritta instinctu triviales pueri Hafnia ex-acti.

Ditioribus tantum pa-tuit ludus litterarius.

essent facultates, ut suis sumptibus sibi parare victum possent, idque eo fine, ne repleretur otiosis ejusmodi mendicabulis civitas, volebatque Sigbrita hos omnes ad stivam & aratra vel artem manuariam redigendos assumptis in eorum locum e nobilitate aut civium honestorum liberis, qui liberalibus disciplinis imbuerentur. Juvabat Sigbretam Theodorus Slagheccius, qui nuper opera Hermanni Hondii fratris Sigbretæ Regi commendatus inter ejus clientes habebatur, homo, ut eum Vitfeldius describit, natione Vestphalus, qui in Belgio atque inde Romæ tonsoriæ officinæ operam suam locaverat. At modo Regi a consiliis, famulus hero, ut idem addit, haud dissimilis, id præcipue agebat, ut Regi suggereret, ad quæ duci eum ingenio naturaque, nec displicitura ipsi cognoverat. Cumque annis superioribus omnia tentasset movissetque, quibus traduci ad obsequium Sveci possent, sed parum promovisset; hoc igitur tempore totis viribus idem agere, ac Sveciam justo exercitu invadere constituit. Sed belli nervum non ignorans esse pecuniam, omnibus modis id egit, ut ea in promptu haberetur. Quapropter additæ prioribus tributis ac collationibus novæ, exactumque annonæ ac mercium ceterarumque rerum venalium ad ova usque anseresque ac plumas eorum vectigal; & imperata hæc ordini tam sacro quam profano; quin & capita juxta ætates censa, non dominorum solum, sed eorum quoque, qui illis ministrabant; & denique indictum regni magnatibus, ut redituum suorum, quos annuos habebant decimum nummum penderent, & idem clero monasticisque mandatum. Sed illis postquam vetera sua statuta privilegiaque diu obtendissent, eatenus immunitas servata, ut singuli e bonis, quæ ipsis erant hereditaria, idem traducerent. Quicquid vero mercimoniorum e regno eveheretur, ejus unumquodque onus seu lasta areos duos; quod invehebatur nummum centesimum numeraret. Quæ postquam suis imperasset Rex, vertit se ad socios & Regis fœderatos, & horum quoque auxilia solicitare consilium fuit. Missique ad Franciscum Galliarum Regem Georgius Scotbergius, Philippus Pratensis, Rhotomagus & Antonius Metensis vulgo a Metis dictus, quem Moguntinum alii, sed perperam faciunt. Pratensis cum Elisabetha Regina in Daniam primitus advenerat, canonicus postmodum Arhusiensis pater exstitit Johannis Pratensis medicinæ ac in academia Hafniensi professoris quondam ac summa alias doctrina viri, quem alibi & suo loco celebravi. Hi quod demandatum erat, feliciſſime apud Gallos exsecuti, peditum duo millia, ac sex grandiora tormenta ænea, cum lilii effigie, quæ & ido liliata vulgo apellata, a Rege Francisco impetrarunt. Transvectique in Daniam universi navibus sedecim. Dux ipsis supremus erat Jacobus de Valles, bello clarus, habebatque is proxime sibi junctos, velut optiones ac vicarios Pisolium, Gunderium, Sublimontium & Londam. Aderat & Regis Christierni nomine Eilerus Ronnovius, quasi interpres, utpote qui in aula aliquamdiu Regis Galliarum egerat. Dum Diena hi solvunt Daniam petituri, quo & mense April. advenere. Antonius Metensis, quod illi mandaverat Christiernus, in Hispaniam excurrit ad Carolum affinem Regem, ut cum eo, quod jam ante cœptum erat, de solutione dotis porro ageret, subsistente interea in Belgii confiniis Scotbergo. Nec mora, peracto feliciter apud Carolum negotio postquam rediisset Metensis uterque & ille, & Scotberga Antverpiam petiere, ibi triens dotis, quæ fuere aureorum Philippicorum centum millia, quamprimum procurata. Nam quod supra memini, ita convenerat, ut dotis hæc pensio per trientes expungeretur. Estque omnium prima per cambii litteras procurante Antverpiæ Scotbergio in Daniam remissa; alteram navarchus Gislerus Hafniam navi salvam transvexit: quod reliquum erat detulere Metensis, & qui cum eo erant. Auxilia præterea & alia aliunde conquisita; missique in Germaniam, qui peditum quatuor millia, & in Angliam Scotiamque, qui haud pauciora conscriberent. E Borussis quoque permittente Rege Sigismundo in Daniam adduxit insignem militum manum Sigismundus a Sychen, ac mox detentæ in freto Oresundæ naves aliquot Anglorum negotiatoriæ ut & Hollandorum plurimæ, sed missis continuo in Belgium Britanniamque litteris demonstravit, se id vetere more ac consvetudine, quæ apud Danos belli præsertim tempore obineret, factitare, ita tamen ut soluto singulis salario menstruo extra detrimentum haberentur. Lubecensibus vero per litteras significabat, ut illi a commerciis omnibus, quæ exercere cum Svecis fuissent soliti, abstinerent, nec ad eos quidquam devehi idque juxta fœdus, quod Malmogiæ jam olim erat initum, ullo pacto prætermitterent, sed id potius secundum idem fœdus facerent, ut Sveciæ quam citissime ipsis adjuvantibus potiri posset: se vicissim, si id facerent, sua eos gratia clementiaque perpetua complexurum. Inde Lubecensium trina navigia, quæ Revalia veniebant, & alia bina, quæ Riga Rostochium repetebant, regiis navibus in prædam cesserunt, quod ea, quæ veherent, mercimonia, esse Svecica & a Svecis eo delata Dani judicarent. Lubecenses hoc nomine haud leviter commoti, nec aurem commodare Dano volentes, urbium legatos Lubecam cogunt, decretumque faciunt, quo inhibitum, ne quid uspiam ex oris suis in Daniam deportaretur; quod tamen ipsorum interdictum nec ipsi admodum religiose observabant. Atque ea dum fiunt, impetratæ Ducum Saxoniæ ac Brandeburgici, ac præter eos Electoris quoque Alberti Moguntinensium Archiepiscopi, ut & ordinum & status Belgii litteræ, missæque ad Lubecenses, quibus sedulo serioque ab ipsis petebatur, ne qua suis commerciis, commeatu, ac navigationibus,

Theod. Slagheccius tonstrinæ assuetus Sigbritæ cliens Regi consilia suggerit.

Pecuniam novis tributis cogit.

Rex auxilia a sociis petit,

a Galliæ R. nonnihil impetrat.

Residuum dotis a R. Hisp. obtinet;

ex Anglia item copiæ conquisitæ atque Borussia.

Coactis Anglorum & Hollandorum navibus in Oresunda.

Lubecenses interdicit commercio cum Svecis

iisdem trina navigia subducit.

Hinc Lubecenses urbium legatos convocant & suos prohibent invehendis in Daniam mercibus.

Per varios principes sollicitantur, ne Svecis commodent.

tionibus, aut alias in detrimentum Regis Christierni, commodum vero regni Sveciæ quidquam tentarent, vel agere instituerent.

Byrgerus archiep. Lund. moritur.

Diem suum Lundæ obiit sub initium Decembris, hoc est anni fine regni archiepiscopus Byrgerus, postquam sedisset annos duodecim ac menses aliquot, sepultura honoratus in æde d. Laurentii sub crypta, quam ipse exstrui eo loci fecerat: Ubi & Epigrapha ejus hodie legitur ejusmodi: HIC JACET REVERENDISSIMUS DOMINUS BYRGERUS DE NORRE HOLLANDIA, Dei gratia Archiepiscopus Lundensis, Sveciæ PRIMAS & Apostolicæ sedis LEGATUS. Hujus cryptæ reformator & horarum d. Virginis in ea inceptarum fundator. Qui obiit Ao. M D XIX. sabbatho post festum Annæ Viduæ; is erat Decembris X. sepultus est autem die mensis ejusdem XII. Statura fuisse traditur haud excelsa, sed animo elato ac generoso; ab infimis ad summa evectus est, accedentibus ad ejus virtutes ac animi dotes nutu ac favore principis præcipuæ Dorotheæ, Christiani Imi relictæ viduæ, cui a consiliis ac cancellariis fuerat, quamvis natalibus nullis clarus. Defuncta Dorothea, pronunciatus archidiaconus Roschildensium. Inde circa annum 1494. interponente se Rege præsertim, ad archiepiscopatum promotus, ubi accepisset regni nobilitatem, quod reposcere instituëret, quæ nomine diœceseos suæ oppignorata nonnulli nobilium tenerent, vel alia accepta ab ea injuste possiderent, ampliore se adversus eos satellitio communivit. Nam quotidie comitatu usus dicitur hominum circiter centum ac triginta. Tum & pupugit quosdam & in his nobilium haud infimum Henricum Crommedigium regni senatorem, cujus gentilitia insignia tiliam præferebant, cujusmodi & Byrgerus præter alia suis addiderat. Quem ejusmodi clypei symbolum, utpote patre plebejo aut agricola natum minus decere Crommedigius existimabat. Sed Byrgerus, qui pro dignitatis suæ jure Regi tum (erant enim comitia) proximus assidebat, cum agi de insignibus suis intelligeret, petita dicendi facultate ita sentit: Ego quod fortunas ac natales meos spectat, agnosco & singula ab initio tenuia ac paupertina fuisse; quod ad eas vero, quibus modo emineo, dignitates provectus sim, id totum Deo & Regis Reginæque benignitati debeo, quorum voluntati me meaque omnia hucusque consecravi, & deinceps quoque offero consecroque; interim neque suum, quod existimet quispiam nobilitati decus aut dignitatem invideo, neque etiam ejus insignia aut clypeos usurpare mihi animus aut est aut fuit. Neque latet me quoque tiliam arborem Crommedigiorum insignia, ut gentilitiam ac eorum prosapiæ propriam præferre, quam mihi vindicare neque cupio neque possum. Quæ enim mea est tilia, longe alio spectat, me scilicet aliosque sui officii commonens. Ut autem constet, quod mea denotet, sciri refert, natum me in Hollandia boreali, quæ vulgo Norre Hollandia dicitur, in pago, cui vocabulum Lindeberg, id est tiliæ mons, ubi parens meus templi ædituum egit tenui in re, cujus me fortunæ pœnitere nedum potest. Quo autem meminisse tam parentis mei quam soli natalis ac veteris conditionis possim, hanc clypeo meo inscribi tiliam curavi, quæ hæc mihi singula in mentem revocaret, haud secus ac olim Rex Agathocles, qui in prandio cœnaque usus perpetuo fictilibus memoratur, quo ita meminisse promptius parentis sui posset, qui figulus fuerat. Quæ aliaque cum pro se dixisset Byrgerus, placuisse ea omnia & Regi & senatui memoratur. Nam & de radice & ramis quoque ejusdem arboris addidisse quædam refertur ad sanctissimam trinitatem, quæ in Deo est, ac fidei Christianæ veluti radix & fundamentum habetur, ea referens. Habebat & quinque circumpictas rosas, eademque tilia, quæ Christi quinque vulnera, ex quibus cruor profluxit, notarent, tum & foliis decem ornabatur, quæ illi in memoriam decalogum referebant decem præceptis constantem, ut & pavimentum quod arbori erat circumpositum septem tessellas habens, quæ notare peccata septem mortalia memorabat fugienda ac pedibus conculcanda; ac denique cælum cœruleo colore arborem superne inumbrans, non territorium modo Himmel-Herret, in quo situs est Lindebergæ pagus, sed ipsum præcipue cæleste illud significare territorium memorabat, ad quod per veram fidem ac recta facta cuncti anhelaremus. Est autem Himmel Danis, quod latinis cælum dicitur. Defuncto præsule Byrgero vacillavit aliquamdiu episcopalis sedes, cum totis exinde sequentibus annis 17. quinque electi fuerint, quorum tamen a pontifice Romano confirmatus nemo fuit, & ii, qui electi aut brevis plerumque vitæ aut loco moti aut enecti fuere. In locum Byrgeri designatus continuo a capitulo Ago Sparre, vir majorum non minus imaginibus quam virtute clarus; sed ejus electio cum Regi minus placeret, ita cum capitulo transactum, ut in locum ipsius assumeretur Georgius Scotbergius, archidiaconus Arhusiensis, qui & Regi a secretis fuerat. Estque, hoc pacto, Agone non renuente, ad summum hunc regni totius præsulatum provectus Scotbergius, de quo exinde referetur. Lætum annum Regi regnoque fecere liberi, qui ipsi hoc tempore nati fuere. Etenim Elisabetha Regina sicut initio ejus, qui 22. Februarii fuit, ut est supra injectum, primogenitum suum Johannem Ducem peperat: ita sub finem ejusdem quoque anni gemellos edidit, quorum alter die, qui lustricus erat Maximiliani nomen, alter Philippi tulit. Sed extincti continuo post eorum neuter fuit; sed ea ut lætis tristibusque mixta fuere, ita præcipue defunctus Maximilianus Imperator eodem hoc anno regiam aulam universam luctu complevit, utpote qui Reginæ avus fuerat. Et terruere præterea, quæ apud boreæ populos Norvegiam incolentes prodigia

Ejus character & fata.

Ejus cum Henr Krummendick de insignibus haud dissimilibus contentio

& oratio.

Insignia sua explanans.

G. Scotberg. fit præsul Lund.

Regina gemellos partu edit.

Ejus avus Imp. Maximil. moritur.

Portenta visa.

digia visa, & inter cetera miræ magnitudinis marina bellua. Inde qui secutus est anno proximo, qui fuit supra millesimum quingentesimum vigesimus aliqualis est instituta inter Lubecenses & Regem compositio, interponente præsertim se Duce Holsatiæ Friderico, idque hunc propemodo in modum: urbium Vandalicarum ac Lubecensium amicus Rex esset, ac eas earumque incolas subditosque tueretur ac defenderet, iisdemque intra regna sua permitteret veteribus privilegiis ac jure suo frui, nec eos novis oneribus aut tributis gravaret. Naves quoque, quæ æstate superiore a suis essent captæ, singulari clementia restitueret, & vicissim erga ipsum Lubecenses omni officio obsequioque agerent, ac annum integrum navigatione Svecica, commerciisque abstinerent. Paterent interim ipsis liberæque essent Dantiscum, Rigam ac Revaliam versus navigationes ac commercia, idque sub ejusmodi documentis, quibus fraus omnis fucusque abesset; Et eum in finem stipulatus præterea Rex erat, vel quid iis ex urbibus Riga nimirum Revaliaque aut Dantisco, vel cupri vel ferri, quod eo e Svecia esset delatum, toto eo anno Lubecam aut suas ad urbes deportari facerent. Miles vero, de quo est memoratum, undique jam coactus magno indies numero affluere cœpit, & in his præter ceteros Holsatiæ Dux Fridericus patruus ejus aulicorum suorum, ut & subditorum perplures submisit. Et alias quoque Marsi Frisiique Holsatis proximi ac bello gaudentes confestim advenere suaque sponte militiæ eidem nomen dedere. Quo eodem tempore male sibi ac suis consuluit Rex, dum auxiliares propemodo copias universas Hafniam inducit. Erant hæ nationis non unius. Nam præter eas, quæ a Rege Galliarum Francisco fuere missæ ducente Jacobo Valesio aderant quoque Germani, Scoti Anglique; de quo cum moneretur, dedisse responsum fertur, animalium generi rostrato pulchræ plerumque convenire, ut habet proverbium Danicum. At aliter accidisse res ostendit. Nam ædes in urbe habebat haud procul templo cathedrali homo Scotus pistor cupedinarius, qui hospitium simul publicum cuivis præbebat. Hujus ædes quotidie & assidue frequentabant Scoti: Quo & in dies convenere magna turba Germanorum plurimi, qui fores obsidebant invidentes fortasse Scotis, quod illis eo in diversorio præ ceteris locus pateret. Et ut fit, dum verba & voces efferuntur, provocabant Germani Scotos, interminantes eis, foras prodirent ac ferro secum certarent. At Scoti, ut videtur, Germanorum multitudinem veriti, intra ædes se continebant; nec mora, Germani ignem ædibus subdunt. Ac eo paulatim exardescente, se in ædium superiorem contignationem recipiunt Scoti; inde lateribus ac saxis projectis cum parum promoverent, invalescit tandem incendium ac coacti postremum Scoti in publicum procurrere, ubi trucidati eorum plerique ac mox unum in tumulum cœmiterii conjecti omnes. Hinc forum Amagrianum suæ potestatis fecere Germani, & catervatim per publicum incedentes, ubicunque occurreret eis Scotus, eum peremerunt. Quod cum ad Regem referretur, misit confestim ex arce fecialem, qui imperaret, se quisque domum reciperet; sed cum is frustra esset ac significaret compescendæ multitudinis se haud parem esse, continuo equum ipsemet ascendit assumpto secum regni marscallo ac duobus ex senatu cum aulicorum nonnullis, inque urbem non sine magno vitæ suæ periculo digressus agere omnia, sed incassum, innisus est, iterum iterumque commonens, ne in semet, sed in hostes sævirent, ibi locum prœliis ac pugnæ futurum ac veram ex victoria parari posse adoream. Ubi in forum provenit, animadvertit fugari hinc Scotum, inde Germanum, & alius alium per angiportus platearum insequi mucronibus, nec sedari motus potuit, nisi ubi profligati e publico ac plateis omnibus forent Scoti, ac comprehensus, qui cædem in oculis Regis perpetraverat Germanus ille, noctuque ad supplicium raptus, omnium oculis sub diluculum exponeretur capite mulctatus. Inde ad expeditionem, quæ erat instituta, dum indies se Rex parat, contigit, ut inter duos illustres Viros Danum & Belgam orta lite, certamen committum sit, alter alterum eorum e medio sustulit. Etenim Ivarus Lungius, nobili Lungiorum prosapia apud Danos oriundus, qui commodum e Germania, Gallia Burgundiaque, ubi, quamdiu tam apud Galliæ Regem Franciscum, quam apud Burgundiæ Ducem Carolum stipendia meruerat, domum & ad lares suos reversus sibi proposuerat etiam hanc operam patriæ suæ impendere ac Regem in Svecos euntem sequi: quod cum Regi peracceptum esset, studuit præterea ejus ulterius gratiam demereri, ac ea mente, quam e Galliis secum detulerat, armatura Regem donat, quod ei affabre elaborata haud facile parem invenire crederet. At Belga, cui nomen erat Tegraglius Regi quoque ob varia, quæ sub exteris principibus fecerat stipendia, tum & clarum quod inde sibi nomen paraverat, simplice vice commendatus, item armatura spe majoris gratiæ ac favoris Regem muneratur. Ac uterque dum suum munus commendat, & alterum alteri præfert, nata inde æmulatio, & eo magis, quod uterque unam eandemque cohortium præfecturam ambiret. Rex ut litem dirimeret, quemque induere, quæ ab ipsis muneri acceperat, arma demandat, ac hastis concurrentes periculum facere, utra potiora essent, eum qui victor abiret, peditum ducem fore. Accepta utrique conditio, & die & loco, qui area vinearum, vulgo Weingaarden dicitur, statuto, in hominum corona confertissima certamen ineunt, atque ecce dum concurritur, impacta in galeæ foramen alterum hasta Tegraglium ejusque equum ita turbavit, ut frustum hastæ, quod oculo Tegraglii inhærebat, dum equus pa-

A. 1520. Compositio inter Regem & Lubec.

Militum magno numero Hafniæ collecto,

inter Scotos & Germanos funestæ oriuntur contentiones,

ac cades.

Ivari Lungii & Tegraglii Belgæ certamen.

rietem incurrit, magis magisque infigeretur, adeo ut ipse denique exanimis equo decideret. Verum Lungius hac victoria potitus ea gavisus haud diu fuit. Etenim hiberno tempore, dum e Scania Hafniam petit, ac urbi vicinus transire glaciei aliquam partem necesse habet, frangitur sub pedibus glacies, ipseque aquis haustus vita eripitur. Quæ cum Hafniæ interque aulicos Regis agerentur, de Svecia propius cogitare Rex cœpit, ac jus suum quod in illud sibi regnum competebat, priusquam bellum cœptaret, constare omnibus deque eo esse certos voluit, & primo quidem editis codicillis memorabat, Reginam Margaretam tria hæc boreæ regna, Daniam Sveciam ac Norvegiam uno sub vinculo consentientibus singulorum regnorum proceribus eum in modum colligasse, ut perpetuo sub uno Rege & domino counita junctaque haberentur, & ea deinde defuncta ejusque filio Olao Regem sibi Svecos, quem & Dani Norvagique agnoscebant, Ericum Pomeranum, Margaretæ sororis filium acceptasse, ac eum sequutum mox Christophorum Erici ejusdem agnatum. Quo defuncto, cum fœdere posthabito Margaretæ, se eo solutos Sveci dictitarent, quod ad electionem Regis Christophori vocitati haud essent, subsecutus Rex Christianus primus, ita porro codicilli regii, qui jure ac fœderibus prioribus fisus, postquam semel iterumque regnum intrasset, jus hoc idem in filium Johannem transtulit, & eum eousque pace belloque cum Svecis egisse, ut datis syngraphis publice sint protestati, se propediem aut Regem Johannem aut ejus filium Christiernum pro Rege suo dominoque cognituros, aut saltem se ei Marcarum Holmensium tredecim millia soluturos quotannis. Et hæc haberi habendaque certa ratague voluisse quidem præter ceteros archiepiscopum Gustavum Trollium; sed id cum displiceret Svecorum aliis, ideo eos concluſum archiepiscopum intra Stegam obsedisse, ac ejus arcem funditus evertisse, ac eum denique in perpetuum diœcesi sua excidisse lata inter se sententia promulgasse. Hanc injuriam profectam præcipue a Stenone Stureo, & qui ei adhærebant, Svecis ceterisque, cum archiepiscopus adjuvante Rege Christierno coram Pontifice maximo exposuisset, pronunciatum a summo Pontifice referebat iisdem codicillis Rex, ut causam archiepiscopi in se susciperet ac vindictam ferro flammaque persequeretur; & idem quoque placuisse antistitibus regni sui Lundensi & Roschildensi. Christiernus igitur, qui in procinctu jam erat Sveciam impetendi, observato anni tempore, quæ sub ipsum Februarium mensem hiems erat durissima, e Dania movere cœpit ductore Othone Crumpenio &, qui ab eo secundus erat peditatus præfectus, Reinaldo Hedensdorpio. Etenim haud ignorabat Rex duas solummodo in Sveciam patere vias Holvadam Tyvedamque, nec eas ob angustiam nisi hiberno tempore, cum gelu obstricta essent, quibus eædem alluuntur cinguntur que, stagna mariaque aditu faciles haberi. Isto igitur tempore hiemis, ut dixi, asperrimæ, cum maria undique paludesque obduruissent, Helsingburgo Sveciam petiit. Sunt, qui volunt, præmissum Crumpenium ac impressione facta in inferiorem Sveciam late populatum omnia; sed deficiente commeatu regredi coactum, at aliter rem habere, angustiæ faucesque, de quibus dictum, viarum Holvidæ Tyvidæque ceteraque satis ostendunt; Nam ut acta habent domestica, quamprimum accepisset Steno, qui Sveciam inter principes defendebat, adventare cum exercitu Regem Christiernum, arborum concædes circumquoque ingentes fieri, ac glaciem qua poterat frangi atque operiri imperavit. Crompenius contra, qui copias jam suas propius admoverat, jussit extemplo minora tormenta, quæ falconettæ dicuntur, circa aditus ac frondispicium exercitus sui constitui, atque ea in Svecos identidem exonerari, quod dum fit altero statim ictu atque ejaculatione percussus est circa femur Steno, qui frontem & ordines suorum primos curabat. Qua re non parum perculsi Svecorum ceteri occasionem dederunt Danis occupandi, qui erat in proximo, Tyvedæ ingressum. Ingens hic erat arborum concædes & veluti sepimentum Danis objectum, in quod dum insultus identidem fit, haud pauci eorum periere. At inde cum alibi sibi transitum per ambagem Dani facerent, idque animadverterent Sveci, relicta statione, quam tenebant, circa sepem seu concædem jam dictam diffugere, hoc dum oppugnatur munimentum, occubuit inter primos fortissime dimicans Jacobus Valesiæ, de Valles alias dictus, ut memini, Gallicarum cohortium præfectus. Interea graviter vulneratus, quem dixi Steno, Strengenesum pervenit. Hic ei nuncius adfertur, transgressos Tyvedam Danos, ac pergere jam ad Oplandos. Veritus igitur Steno, ne se Danis conjungeret archiepiscopus Gustavus, qui tum non Engelholmi, ut perperam alii, sed Egholmiæ se continebat, mittit continuo ad eum urbis præsulem, Matthiam una cum Magno Grenio aliisque: hi cum patriæ regnique statum, & quanto id in periculo versaretur, ei ob oculos ponerent rogarentque, ne sua consilia adversus patriam Stenonemque propinquum suum verteret aut se hosti jungeret, respondit obiter, sibi haud aliter propositum quam amica sequi, ac fausta omnia consangvineo suo Stenoni precari, diras vero in capita eorum jacere, qui discordiæ inter ipsum & Stenonem authores fuere, hinc iidem dum instant culpamque deprecantur, affirmavit, se haud ulli fide obsequioque erga patriam cessurum, idque ut sibi certo polliceretur oravit. Moverat tum forte Strengenesio Stocholmiam petiturus Steno. Hic mox ad lacum circiter Mellorum, aliis Vennetum est, ubi perveniisset, inter transeundum rheda impositus animam exhalavit. Sicque irritum fuit, quod inter ipsum & archiepiscopum agi erat

Quo ille superior paulo post aquis suffocatus perit.

Rex editis codicillis bellum adv. Svecos declarat ejusque causas.

Cum exercitu in Sveciam solvit mature duce Ott. Crumpenio.

Dimicatio circa Tyvedæ ingressum.

Stenone vulnerato

transeunt Dani.

Jac. Valesius Gall. coh. ductor occumbit.

Steno archiepiscopum de auxilio suo patriæ haud denegando orat.

Steno expirat.

Dani in Oplandiam pergunt

erat inſtitutum. Hinc pede libero in Oplandiam progreſſi Dani quocunque iter agerent, cauſas expeditionis ſuæ templorum foribus affigi fecerunt, nec abſtinuit incendio ac rapinis miles. Alicubi etiam redemtione pecuniaria contenti a vi ac violentia temperarunt. Sublato autem, ut eſt memoratum, Stenone, dum deliberant Sveci & aliqui eorum Strengeneſam, alii alio pergunt conſilii capiendi ergo, Dani Veſteraſiam prorupere dictitantes jactantesque, paratos ſe quocunque loci dimicare cum ruſticis, etiamſi plueret cœlum ruſticos. Et hic quoque loco non uno concurrentes Sveci inter ſeſe conſultare cœpere, quomodo ab ulteriori irruptione adituque prohibere poſſent hoſtem, ſed quod maxime deſiderabatur, caput ducemque exercitus non habebant. Erat præter ceteros Thuro Johannides, qui ſe quidem ſponte ſua ducem offerebat, ſed ingratus popularibus nihil ille nec auſus nec potuit. Tum & populares ipſi, licet unum agere viderentur, aliorſum tamen reſpiciens nobilitas eorum conſilia irrita reddidit. Et erant qui dicerent, ſibi nec animum nec propoſitum eſſe certandi præliandique pro heredibus familiaque Stenonis: alii viciſſim omnino ſupervacuum dicebant arma adverſum ſumere. Erat hoc tempore Stocholmiæ Chriſtina Stenonis vidua, quæ conſentiente tam urbano magiſtratu populoque Stocholmienſi, quam ceteris qui a conſiliis ipſi erant, per litteras monuit hortataque ſingulos eſt, unum agerent ac ſumptis animis ſe hoſti opponerent, ſed eos Chriſtinæ codicillos flocci fecere. Nec erat interim, qui rerum ſibi ſummam aſſumere auderet. Poſtremo huc itum, ut cunctis regni viribus in unum convocatis hoſti circa (ita Witfeldt) Sverſundam occurreretur. Aderant hic quotquot ferre propemodum arma poterant ſine ordine ac duce coloni, cives nobilesque. Ac inde ex adverſo conſpicati nobilium plerique Danorum conſertam ordinatamque multitudinem, qui jam ſuæ poteſtatis Veſteraſiam fecere, iterum territi ſunt ac vociferari cœperunt, nondum ſibi conſtare mortuo Stenone, quem ducem ſequerentur, aut cujus nomine vitam fortunasque periclitari debeant: quæ cum & aliis horrorem injicerent, retroſpicere ſinguli cœperunt, ac dilabentibus hinc inde, qui præcipui habebantur, equitum nobiliumque turmis, haud multo poſt ſubducere quoque ſe peditatus inſtitit, quo paulatim amiſſo diſſipatoque, qui e principibus ſupererant, recta Thondelſvecam abeunt, quo ſe quoque qualiscunque is erat regni ſenatus, quaſi in tutum adventantibus Strengeneſſa Danis, receperat. Tum etiam ut de rei ſumma cum præſule Strengenenſi Matthia, qui eadem aberat, conſilia ſua opportunius ſociarent. Hic dum hærent atque ultro citroque agitaretur, omnium propemodum ſententia fuit, ut cum hoſte quacunque ratione id fieri poſſet, amice componeretur. Nec mora, præſul Matthias miſſis ad Crumpenium litteris, tutum iter commeatumque pro ſe ſuisque efflagitat. Atque eo accepto, continuo ad Crumpenium venit. Eſtque dierum undecim inducias pactus. Quo interea temporis ſtatuere ſecum Svecorum nobilitas, ſive belligerare cum hoſte ſive cum eo paciſci, ac Regem Chriſtiernum agnoſcere vellet. Quibus decretis pactisque miſſæ extemplo ad Sveciæ proceres ac nobilitatem circumquaque litteræ, quibus ad Oplandios accedere frequentes commonerentur. Quod & factum die, qui erat præfinitus. Et ipſe quoque eodem profectus tum archiepiſcopus Guſtavus. Ac mox ubi & ceteri, qui venire conſtituerant, præſentes adeſſent, ſeque ſtitiſſet una cum Carolo Canuti aliisque aliquot Chriſtierni Regis centurionibus ſupremus militiæ Dux Crumpenius, ita ſtatutum, ut ante omnia Stocholmium ad Chriſtinam Stenonis viduam nuncii utriusque gentis mitterentur ſciſcitatum, an & ipſa &, qui cum ea erant facerentque, equeſtris ordinis viri ea, quæ apud Oplandios decernerentur, habere etiam rata vellent. Quod cum aliis placeret, diſplicuit viciſſim aliis ſupervacuum judicantibus cum iis agere, qui ex more & ſolenniter ad comitia vocati adeſſe recuſarent. Inde omnino decrevere Svecorum, qui aderant, cum Duce Crumpenio totius regni nomine agere, quod ille ſe iis inſtructum regiis codicillis affirmaret, quibus & fidere & ſtare cuncti poſſent, quibuscunque omnium præterea, quæ vel ipſius Chriſtierni vel patris ipſius Regis Johannis tempore transacta minus amice fuiſſent, amneſtia ſancirentur. Tamen ut ceteris quoque & maxime, qui intra Stocholmium apud viduam Stenonis Chriſtinam erant, ſatisfactum etiam foret, miſſi, qui orarent rogarentque, ne quod adeo regno eſſet neceſſarium, ſua tergiverſatione aut contumacia irritum haberent; ſed omni potius ope ac ſtudio, ut eventum optatum ſortiretur, adjuvarent. At eam ne ſic quidem vel delegatos ſuos, vel codicillos mittere animum inducerent, de pace inter eos, quæ convenerant, actum transactumque in modum, qui ſequitur: Svecorum quicunque ſe Chriſtierni Regis fidei volentes ultroque tradidiſſent, ii ab eodem in gratiam recepti, ejusdem perpetuo benignitate ac clementia fruerentur. Injuriæ aliaque inimica, quæ vel tempore patris ipſius Regis Johannis vel poſtmodum occurriſſent, ea omnia ſempiterna oblivione ſopita haud unquam commemorarentur. Regni arces aliæque præfecturæ, quæ hactenus ac veteri more nobilitati fuere delatæ, in poſterum quoque eidem permitterentur. Jura regni antiqua, immunitates, privilegiaque priſtina, ut & conſvetudines hucusque receptæ atque uſitatæ ſartæ ſemper tectæque haberentur. Neque quicquam adverſus conſtitutiones, quas D. Ericus ſanxiſſet, decernetur, modo ipſi in fide obſequioque conſtantes perſiſterent. Quibus ita transactis indies a Rege ad nobilitatem

& Veſteraſiam.

dum Sveci conſultant ducemque deſiderant diſſidentes.

Sveci Thondelsvecæ congregati

cum hoſte tranſigendum ſtatuunt.

Stenonis vidua cum aſſeclis ad comitia Oplandica venire renuit.

Tranſactio.

Hinc ratihabitionis tabulæ a Rege ad nobiles mittuntur.

tatem ut & ceteros id efflagitantes, quibus aliqua modo præfectura dignitasque erat, missæ epistolæ & ratihabitionis (ut vocant) tabulæ, ac plus pæne, tam ejusmodi codicillorum missitatione quam gladio aut armis promotum. Cum autem, ut memoratum, neque vidua Stenonis Christina, neque ceteri, qui cum

Dani Svecis sibi junctis Stockholmium propius adeunt cum Christina Stenonis vidua acturi.

ipsa faciebant, interesse Oplandiæ comitiis voluerint, e re censuerunt tam Sveci quam Danorum duces propius adeundum Stocholmium existimantes, hoc pacto ad colloquium prodituram ipsam vel se intra urbem admissos de singulis cum ea ceterisque coram acturos. Profecta itaque motaque ex Oplandiis armatorum circiter tria millia, alii existimant quinque millia, cum senatorum nobiliumque ea parte, qui convenerant, castra sua Spongæ locarunt unde confestim regni summus

Spongæ subsistunt evocantque illam ad colloquium vel aditum petunt;

præsul Gustavus domesticum suum Henricum Sledromium, Matthias vero Strengenensis, quem ad manus habebat, cancellarium suum Olaum Petri rerum Svecicarum scriptorem ad Christinam ablegarunt, qui præter alia, tuti commeatus litteras ipsi erant oblaturi, ac simul rogaturi, ut ad colloquium Spongam, vel ubicunque luberet ipsi, veniret: vel si id minus placeret, semet admitterent, intellecturi tam ea, quæ ad ipsorum, quam regni totius securitatem incolumitatemque spectarent. At urbi ubi appropinquatum, animadverterunt, oppidi exteriorem pontem recisum seque aditu prohiberi. Prodiit interim

sed hostiliter eos a se arcet.

vir annis canus ac ordinis senatorii, qui ubi verba cum ipsis commutasset ac intellexisset a regni senatu Sponga missos adesse cum litteris ad Christinam ceteramque nobilitatem ac proceres, subsistere nonnihil eos jussit, se in urbem rediturum ac Christinæ, quod afferrent, relaturum, ac citius cum responso ad ipsos reversurum. Quo dicto, cumque ille intra urbem se recepisset, ac ipsi circa pontem stantes responsum ac senis reditum præstolarentur, cœpit Magnus Gravius, qui Christinæ partes sequebatur, ex insula urbi adsita & quam spiritus nuncupant, minora aliquot in eos tormenta explodere, adeo ut consulere sibi ac retrocedere coacti fuerint; regressi igitur Spongam, quid sibi responsi datum quidve exspectandum haberent, ordine exposuere. Quibus Dani Svecique intellectis, cum frustraneam hic esse prensationem omnem deprehenderent, quisque se ad sua recipit; verum militiæ supremus præfectus

Crumpenius avertere Saxonis classem frustra nititur.

Crumpenius cum auxiliares aliquot copias ab urbibus Vandalicis exspectare Stocholmienses ac stare in proximo circa Elsvebum cum classe Saxonem accepisset, eam ut aditu in urbis portum prohiberet, eo se agmenque suum vertit; ac Saxo priusquam adesset Crumpenius adventus ejus haud ignarus, classem altius provexerat ac fructis glacierum ita circumsepserat, ut contingere naves haud posset, eoque irritus consilii sui Crumpenius rediit ad Oplandios, ubi hiberna dispositа ac peditum pars Vesterasiæ collocata, qui eam ditionis partem dubiam ac nutantem tueretur. Nam præter alios Ericus Petri Olaus Walravius ut & Matthias Laurentius Christinam adhuc respiciebant. Equites præcipuæ una cum Michaële Blichio, quibus Nicolaus Bilde præerat, Strengenæ autem impositi, qui inter cetera id quoque operam darent, ne quid ibi loci præsul Matthias Svecorum pluribus, quod regiis sese junxisset, minus gratus detrimenti incurreret, ut & cœteri, qui paci aurem commodassent. Quæ dum ibi geruntur, Vir illustris apud Germanos principum stemmate oriundus, comes Lippiæ, Simon appellatus, Esævæ ac Widmundæ dynasta belli militiæque vetus, cum expeditis mille quingentis peditibus per Smalandos atque Ostergothos procinctu Regis mandato Crumpenio se junxit. Qui isto supplemento jam validior & animo quoque accedentibus indies navis manipulis alacrior præsidia hinc inde circa Vesterasios Oplandiosque disponit, at ægris oculis, qui Christinæ adhærebant, secundas Danorum res intuentes; hinc Oplandii & Vesterasii haud desinebant imminere ac struere insidias, qua poterant, Danorum cohortibus. Primus eorum motus incursatioque circa Vesterasios, & ea hiberna, quæ remotius posita, audire cœpta &, eo dum divertunt copiæ, circa Ballansasam damnum incurrere cæsis manipulorum aliquot; nec incruenta popularibus victoria fuit, quibus Ericus Patrejus præter ceteros haud instrenue dimicando amissus est. Inde alius motus secutus eorum, qui apud Oplandios se continebant, quibus & alii se miscuerant Stocholmio profecti. Hi Lamberto Matthia duce impetum in ipsum Crumpenium vertunt arbitrati eo profligato de ceteris facilem victoriam fore. Erant his præter ceteros immixti etiam ex oppido cives; factusque hic motus extra Opsalium die grandine, pluvia ac nive fœdo, qui vel maxime Danis erat incommodus, quod explodi tormenta haud facile poterant, & nix quoque fumum densissime operiebat, liquefacta haud leve quoque impedimentum equiti afferret. Hic priusquam ad prœlium veniretur, allocutus est suos Lambertus, ut revocarent in animum, se pro patriæ libertate dimicare ideoque, si unquam alias, eo tempore viros se præstarent, & hostem, quanta possent fortitudine, invaderent. Iterum iterumque eos nomine liberorum uxorumque nomine Christinæ Stenonis viduæ, quæ Stocholmium unicum asylum ac receptaculum suum tenebat, orans obtestansque vitam ac fortunas præsenti, quæ imminebat, servituti periculoque eriperent. Quod dum fit, pervenit ad aures Crumpenii hic nuncius, qui continuo capere arma suos monet, prodeuntque extra oppidum & ordinata, quantum poterat acie dispositisque tormentis, quæ pondere subinde suo intra nivem decidebant, nihil non agit, ut hosti quam fortissime occurreretur. Sveci in lævum ejus cornu, quo maxime laborare videbatur, præcipue incumbentes,

Christinæ partium præcipui.

Simon. Lipp. Com. in Danor. auxilium succurrit.

Sveci Danos lacessunt.

Iterum congredientes cæduntur.

bentes, id propemodo suo gradu disjecerant, nisi sors fortuna in pristinum statum reduxisset milites. Etenim ex veteranis unus rapto de manu signiferi, qui proxime veluti trepidans ac nutans adstabat vexillo, id ferreis clavis, propinquo sepimento, quod erat, affixit, ut avelli nisi vi magna posset, ac simul vi magna inclamat. En commilitones hoc Regis nostri signum esto, id si viri estis, haud eripi vobis nisi cum ingenti hostis clade patiamini. Et cum dicto summa vi irruentes Sveci impetum in locum faciunt, ac toti in eo sunt, ut lignum sepimento ac loco suo moverent; verum Danorum cohortes in cuneum junctæ animose obsistunt signumque vendicant. Estque hic acriter ac diu dimicatum Svecis haud minus quam Danis rem fortissime gerentibus. Svecos numero potiores fuisse ac triginta circiter millia exstitisse constans fama habet, cum Dani vix tertiam partem æquarent ac vento quoque uterentur ac loco minus æquo. Equitatus interim eorum Svecico expeditior, aciem hostilem postquam irrupisset, fregissetque, fusi paulatim fugatique a Danis Sveci ac pars intra arctissimum locum compulsi, pars amne, qui erat in proximo, mersi perierunt. *Desideratorum numerus.* Voluntque auctores eorum occubuisse ad minimum decem, qui augent numerum viginti circiter millia tradunt: Danorum vero haud ultra millia quatuor desiderata memorant. *Comes Lipp. fortis cadit.* Et in his illustrem Lippiæ Comitem, qui ut illustri cum novo supplemento a Rege submissus Crumpenio auxiliaris accesserat, æque belli gloria ac mortis quam in pugna adeo famigerata oppetiit, apud posteros perpetuo celebrandus. Memorat nobilissimus Vitfeldius præcipuum, quod Danis in eo prœlio illatum est detrimentum idque popularium ac rusticorum armis factum, adeo ut illi, si idoneum nacti fuissent ducem, comperissent haud dubio Dani, quales jam ante stulte ac temere viros contemptui habuissent, jactitando, de quo superius injectum, se cum rusticis paratos confligere, etiamsi vi de cælo pluerent. Tradit Chytræus, quod apud alios non reperio, Gustavum archiepiscopum cæsorum cadaveribus sepulturam negavisse, quam nec barbarus barbaro negare consvevit. Ita excepti multatique Svecorum populares; fuit enim ab rusticis præcipue collecta multitudo aliquamdiu exinde quievere. *Matthias Svecos conciliare Christiano strenue allaborat.* Matthias in terra Strengenesensium adjuncto sibi, quem Crumpenius Strengenesæ imposuerat, equitatu universam hinc inde diœcesin circumequitat lustratque, id ubique agens, ut ad obsequium Regis Christierni, qui id hucusque recusaverant, aut saltem ad eam, quæ jam pridem in Oplandiæ comitiis sancita fuerat, pacem amplectendam singulos aptaret adigeretque. Nec erat Svecorum procerum ullus, qui eo vel acrius vel alacrius vel etiam studio majori Regis Christierni causam egerit. Quam tamen ille hoc nomine ab ipso gratiam reportaverit, dicetur statim. Inde

finita quadragesima, cum jam pascha instaret, Stocholmienses clade superiori nihil dum fracti denuo tentare fortunam haud timuere, egressique cum turmis aliquot Stocholmio obviam sibi, habuere circa Telliacum antistitis Matthiæ equites, a quibus retusi iterumque fusi post se interfectum reliquere ducem ac ductorem suum Johannem Helbrogium, qui & Christinæ a consiliis in ejus flagranti semper gratia fuerat. Inter captivos memoratur præter gregarios Gundo Gallus & Esehillus Gothus ordinis equestris viri Strengenessam abducti omnes, ubi eos aucta custodia detineri Matthias mandavit. Quæ licet eum in modum ad nutum votumque Regis fluerent, id nihilominus, qui interiora colebant Sveci, quique partes Christinæ sequebantur, perpetuo agebant, ut regiis, qua poterat, detrimentum inferretur, auctoresque suis erant, ne in asserenda majorum libertate quidquam, quod facto opus videretur, intermitterent, & se quoque officio suo haud uspiam defuturos. Qui & ipsi multa deinde magnaque haud semel adgressi, sed repulsi plerumque fuere. Semel tamen favit eorum conatibus fortuna in Arno oppido diripiendo, capiendoque regni supremo præsule Jacobo, insigni virtute ac pietate viro. At inde cum iterum adoriri, quæ circa Upsaliam erant, regia castra in animum induxissent, id eorum propositum irritum per id tempus reddidit, qui pro excubiis agebant, præsidiariorum vigilantia. Laborantibus hoc pacto Svecis ac hæsitantibus, in cujus potissimum se castra transferrent, advenit sub festum pentecostes instructa cum navium classe ipse Rex præter ceteros adducens Theodorum Slagheccium, quem studio sibi assumpserat, hominem ingenio crudelem, quique, ut ante meminimus, ante tonsoria sibi tum apud Italos victum paraverat, quem & postmodum archiepiscopum Lundensem pronunciavit. Perperam alii eo tum munere functum. Et præter eum expeditionis hujus socium adesse voluit Johannem Calvum vulgo dictum Skaldenach Othoniensem olim episcopum, virum acrem & isti præcipue tragœdiæ, quod juris omnis canonici pergnarus haberetur, futurum oppido idoneum & ideo e custodia ipsum Borringholmiensi, qua ob causam superius memoratam detinebatur, dimitti continuo inque aulam redire curavit. Ille haud simplice vice Regis gratia ac liberatione sua lætatus, postquam propositum insuper Regis de suscepta in Sveciam expeditione propius intellexit, fidem suam operamque prolixe pollicetur. Ac istis præcipue duobus, quasi interioris commissionis consiliariis concitatus, ubi ad urbem Stocholmium classem appulisset, confestim summus militiæ præfectus Crumpenius cum ceteris, quos additos sibi duces habebat, ut & Sveciæ quoque proceres, qui pacem Oplandiensem acceptaverant, Regem salutatum eique gratulatum procedunt. Atque inde collatis inter se consiliis optimum ac primum

Fundit Svecos iterum progredientes.

Pertinaces tamen invertendo alii, quanquam sæpius attriti.

Jacobum v. præs. capiunt.

Rex cum classe advenit comitantibus eum Theodoro & Jo. Calvo.

Rege propius Stockholmium accedente gratulatum obviam eunt ipsi ex regni proceribus additi.

Consilia &

pacta eorum cum R.

factum visum, ut in unum contractis cohortibus classeque propius adducta Stocholmium terra marique obsideretur. Seorsim vero inter Regem proceresque Sveciæ Gustavum regni summum antistitem ac Matthiam Strengenensium præsulem ceterosque, qui obsequium promiserant, ita actitatum, ut quæcunque sancita per præfectos regios Oplandiæ Upsaliæque ante Regis adventum pactaque fuerant, ea omnia firma rataque haberentur. Et esset præterea amnestia oblivioque sempiterna injuriarum offensionumque, eæ quacunque de re & quocunque etiam tempore exortæ factæque fuissent. Quæ & novo deinde sacramento confirmari, ac datis codicillis super eodem iteratis communiri singula velut regio verbo curavit. Evocari quoque ad se ex popularibus rusticisque Oplandiorum circumquaque jussit agique cum eis, ut sibi fidem obsequiumque pollicerentur, promisso vicissim, se eos juxta jura, consvetudines ac statuta Svecia sartos tectosque conservaturum, mediis ad hæc usus Matthia Strengenessensi & Henningio Gaddio electo Lincopiensi, quibus haud illibenter eos præbere aurem non ignorabat. Et ut promptiores sibi devinctioresque redderet, cum jam redire myoparonibus suis domum pararent, non indonatos dimittebat, ita ut tradi rusticorum binis salis tonnam unam juberet. Quibus largitionibus obtinuit, quod alias multis molitionibus haud potuisset. Et licet essent eo Svecorum haud pauci, in quibus præcipue nominabantur Nicolaus Ebbonis & Magnus Jonæ præfectus Vesteraſiæ, aliique Regi perpetuo adversantes, quique id perpetuo agebant, ut in eum concitarentur populares, idcirco non tam vi & armis, quam levibus promissis, ac convocatis ad colloquium conventusque Svecorum primoribus, ut transigerentur omnia, incumbendum sibi animadvertebat. Ac demum, quam exercere in Strengenesenses Magnus Jonæ cœperat injuria ac importunitate commotus in Vesteraſenses levium aliquot navigiorum classem dimisit, quibus oppugnata expugnataque arce, & Magnus in regia Christierni castra captivus abductus fuit. Quod cum in urbem spargi & significari fecisset, oppidanos passim ac proceres, qui Christinæ adhærebant, haud leviter percelluit; cumque omnia Rex ageret, ut ante brumam Stocholmio potiretur, non ignarus, ea ingruente futura cuncta difficilia, ideo res eo deducta idque ope intermediis Matthia Strengenesense & Hemmingio Gaddio, ut in urbem iidem admitterentur, repugnantibus licet civium plerisque quod nulla adhuc rerum ullarum penuria premerentur. Ac mox in urbem admissi, pene inter civium manus discerptus fuisset Gaddius nisi senatorum primores, qui pacem item ac compositionem svadebant, semet interposuissent. Sunt qui obsessos ad extrema redactos deditionem fecisse memorant, quorum in actis domesticis, & quæ secutus nobilissimus Witfeldius fuit, nihil occurrit. Cum igitur omnium assensu & suffragiis de urbis deditione esset statutum, idque conditionibus, quæ sunt memoratæ, adeo luculentis; patefactæ ei initio statim mensis, qui Septembris octavus fuit, urbis portæ fuerunt, claves in occursum deferrentibus urbani magistratus senatoribus. Qui & solenni tum simul more & sacramento obsequium ipsi polliciti fuerunt; ac ille vicissim, quod litteris ac codicillis suis sæpius iterumque promisisset, id se suosque sartum tectumque habituros, sanctissime prolixeque id promisit. Et edidere tum quoque codicillos Christina Stenonis vidua, itemque Benedictus Arvidius, Magnus Grenius, Michaël Nicolai, Ericus Rufe, aliique regni proceres, ut & urbis Stocholmiensis magistratus ac senatores, quibus demonstrabant, inter ipsos & Christiernum amice esse conventum, & bello tandem diuturno cruentoque, quo hucusque miserum in modum per cædes, incendia aliasque clades ac calamitates indigenæ regnumque universum fuisset discerptum afflictumque, nunc optatum cum Deo finem impositum, ac earum omnium utrinque injuriarum atque offensionum sempiternam oblivionem atque amnestiam sancitam: ac inde deincepsque mansura Svecis, cujuscunque status aut conditionis forent, sua jura, privilegia, immunitates ac consvetudines statutaque illibata inviolataque; & idcirco Regi vicissim ut fidos subditos urbem arcemque in ejus potestatem tradere ac permittere, ac utramque ad nutum obsequiumque ipsius servaturos. Hinc postquam in urbem cum aulicorum selecto comitatu advenisset, atque inde templum urbanum esset ingressus ac Deo supplicasset, arcem petiit. Estque celebratus solennis hic ejus introitus haud multo post datas superiores litteras, si eum recte notarunt chronologi. Ac inde ubi publica pax clangentibus litteris esset promulgata, erigi continuo ad terrorem patibula curavit, quod alterum in foro, quod magnum dicitur, alterum in foro ferreo est collocatum. Ac paucis interjectis diebus in foro magno affici supplicio dissecari in partes quatuor Magnum Jonæ, de quo dixi, arcis Vesteraasiæ præfectum, velut suppliciorum, quæ sequuta sunt, prodromum imperavit. His eum in modum constitutis patratisque, rediit in Daniam Rex, dimissis, quas a Rege Galliarum accepisset, militum cohortibus. At navibus quidem illi marique remissi, ac obviam forte fortuna Lubecensium navem nacti, eam dispoliant, referentes solutionem ipsos in Dania accepturos; ubi satisfactum sibi pro debito haud existimabant. Quin & Germanorum aliquot copias exauctoratas Borussiæ Duci Alberto, cui per id tempus cum Sigismundo Poloniæ Rege res erat, transmisit, præfecto illis addito Sigismundo a Sichem, militiæ veteri ac claro. Ac statim exinde hac tanta adversus Svecos victoria exsultans haud leviter ferociterque Christiernus, ejus per litteras ac codicillos certiores reddit

Rex Oplandiorum rusticos sibi devincit largitionibus additis,

ut & quosdam Svecorum primores sibi adversantes.

Vesteraſenses a violentia Magni Jonæ vindicat, huncque capit.

In urbem Stockh. admittitur.

Obsequium ipsi promissum.

Christinæ & procerum codicilli.

Rex urbem ingressus patibula erigi jubet.

Magnus Jonæ diro supplicio affectus.

Rex in Daniam redit.

Galli dimissi in mari spoliant navem Lubecens.

Copias quasdam Germ. transmittit Alberto Bor. D. Victoriæ suæ certiores facit vicinos principes.

reddit vicinos circumquaque ac fœderatos hinc inde principes. Et eodem tum quoque tempore cum accepiſſet, matris ſuæ Chriſtinæ fratrem germanum Saxoniæ electorem rejecto papiſmo, Lutheri amplexum doctrinam ac bona eccleſiaſtica ſibi vindicaſſe, idem nec ſibi diſplicere, & quoque re ipſa demonſtraturum non obſcure ſignificavit, modo intelligeret ex nobilitate ac plebe eo propendere nonnullos. Et id, ut auguratur Witfeldius, ſpe ac cupidine potius reducendi in fiſcum ſuum eccleſiæ reditus, ac cogendi in ordinem epiſcopos ac prælatos, quam religionis ullo aut pietatis inſtinctu. Etenim tum Dani ejus doctrinæ guſtum aliquem perceperant. Unde datis ad avunculum ſuum Saxoniæ electorem litteris, ab eo verbi divini miniſtrum evangelicum, concionatorem tum vocabant, ad ſe mitti petit. Et miſſus continuo eſt Martinus, vir quidem eruditus, qui Hafniæ, quæ Daniæ regni metropolis eſt, feſtis a meridie diebus magno cum populi applauſu docuit. Sed idem quia geſtus in dicendo minus decoros obſervaret, a canonicis ad divæ virginis ſalſe fuit exceptus irriſusque. Et puer inter ceteros repertus ingenio cato, qui in conviviis & alibi paſtorem novum imitaretur, eumque vulgo magiſtrum Martinum vocitarunt. Claruit iisdem tum diebus Paulus Eliæ, quo doctiorem eo tempore Dania non habuit, monachus Carmelita. Is verbum Dei e S. Scripturæ fontibus aliquamdiu explicuerat, ſed ab epiſcopis Lagone Urne & Otthone Bilde ornatus canonicatu cœpit mutare, ac dictus deinde eſt doctor Paulus Vende-kaabe, quod latine eſt pallii immutator. Idem tamen, quod antea ſemper ſe docere dicebat, ac poſtmodo ſcriptis, quæ edita ſunt, Johannem Tauſanem aliosque Lutheri ſectatores conſultare ſub Rege, qui ſecutus eſt, Friderico haud dubitavit. Perægre vero ferebant paſſim epiſcopi obtruſum hunc ſibi atque eccleſiis ſuis Martinum, qui plebi ſolummodo, ut exiſtimabant, ſeducendæ invigilaret. Unde & Regem incuſare ſibi jam ante etiam aliis nominibus minus gratum, deque eo male exiſtimare iidem cœpere. Et eſt eadem occaſione evulgata ab epiſcopis divæ Birgittæ, ut vocabant, de ſeptem Regibus prophetia, quorum ſextus ob tyrannidem atque immoderationem regnis aliquando ſuis excederet atque eliminaretur. Et eam in Regem Chriſtiernum quadrare, niſi tempori ſibi caveret, memorabant: quo eum hoc pacto injecto quaſi terrore in viam reducerent, & ab ingenita, qua flagrabat crudelitate ad conſilia mitiora devocarent. Et idem quandoque cum ad aures ejus eſſet delatum, idque viro ex ordine nobilitatis ſuggerente, reſpondiſſe memoratur, eum, quæ de nocte ſomniaſſet, de die in commentarios retuliſſe. Obiit per idem id tempus, hoc eſt anno jam dicto 1520., Hafniæ peſtilentia abſumptus M. Petrus, ut eum vocabant, de Scotia, qui ſacrarum litterarum in ea academia profeſſorum omnium in ordine primus fuit. Etenim, ut eſt ſuo loco memoratum, univerſitas a Rege Chriſtiano primo impetrata a pontifice maximo Sixto, ejus nominis quarto, poteſtate erecta primum apertaque eſt ſub annum Chriſti 1474. quamvis jam ante annis quatuor & quinquaginta Ericus Pomeranus appellatus, idem ſibi propoſuerat, accepta tum a Papa Martino V. licentia. Ericus autem bellis ac ſeditionibus domeſticis innexus, cum Marti magis quam Muſis litandum haberet, res usque adeo præclara in illud, quod dixi jam, tempus ac felicitatem imperii Chriſtiani ejus nominis primi prolata fuit. Invenio & illud ad eundem hunc annum ſpectans, virum apud Gallos perilluſtrem, principem de Briſe nuncupatum, qui poſtquam ingentem æris ſummam ab indigenis, civibus mutuo accepiſſet, commonitum nomine Regis, regno nec excederet, priusquam creditoribus ſuis ſatisfeciſſet, & illud præterea, quod mari deprædatus, iisdem Daniæ indigenis abſtuliſſet, in totum eſſet reſtitutum. Dum autem tenet, de qua memoratum, Stocholmienſium obſidio, miſſi in Daniam ſunt Lubecenſium legati, quos tædebat eo tempore diutinæ moræ, qua ſe a Svecica navigatione abſtinuiſſent, ac demonſtrabant Reginæ, (Rex enim abſens Stocholmium tum obſidebat) ſe ex pacto cum Rege inito a Svecicis commerciis aliquamdiu continuiſſe, nunc autem orare, ut priſtinam negotiationem repetere liceret, nec enim poſſe aut animum induxiſſe iis carere ulterius. Et fuit veluti eo tempore neceſſitate adacta Regina, convocatis in conſilium regni ſenatoribus liberam ipſis navigationem permittere in menſes ſaltem duos. Quod cum intelexiſſet, qui Stocholmium obſidebat, Rex, confeſtim magiſtrum Theodorum una cum Antonio Metz equite ad Lubecenſes miſit, confirmando, quæ Regina conceſſiſſet, eſflagitans interim, ut commerciis ac commeatu ſuo, quæ erant circa Stocholmium locata caſtra, copiasque ſuas juvarent, ſe viciſſim id omni gratia clementiaque demeriturum, quamprimum res optatum finem ſortita fuiſſet. Eoque a Lubecenſibus accepto conceſſoque, haud parum ea res urbis, quæ ſecuta haud multo poſt eſt, de qua & memoravimus, deditionem celeravit. Inde conſtitutis domi rebus Rex Sveciam repetiit, erantque jam Stocholmium ad cal. Novemb. convocati proceres omnisque nobilitas, ut & urbium & emporiorum nec non & territoriorum per pagos ac civitates ubivis præfecti. Fecitque Rex in jugo montis urbi adjacentis, cui Brunchoni eſt nomen, erecto ibi theatro, concionem indici. Hujus montis pedem milite circumquaque numeroſo implet, ac eo ſedentes ſuperiores ſenatores populusque circumcincti, ipſemet loco editiore poſitus Johannem Calvum vulgo Skaldenach, perperam Bredenach Chytræo & aliis dicitur, epiſcopum Othonienſem præ ſe verba facere jubet,

Ejus conſilium de amplectenda religione evgl.

Hinc ab avunculo Elect. Sax. petit concionatorem;

ille mittit Martinum, qui Hafniæ docet.

Itemque Paulus Eliæ Carmelita veritatis teſtis.

Hinc epiſcoporum indignatio.

Prophetia epiſcoporum d. Brigittæ de 7. regibus evulgata ad Chriſtianum deterrendum.

M. Petrus primus Hafniæ Theol. prof. obit.

Lubecenſibus eſflagitantibus libera fiunt commercia Svecica.

Qui tum Regi obſidenti Stockholm. commeatum ſubvehunt.

Rex in monte Bruchoni juxta Stockh. concione convocata cauſas belli exponit.

jubet, qui elata voce exorſus ab ovo, quod dicitur, repetere rem ac belli cauſas enarrare inſtituit, inter cetera memorans omni jure Svecorum regnum ad Regem Chriſtianum ſpectare, quod vivo patre electus jam Sveciæ princeps eſſet, teſtantibus id procerum codicillis, qui penes ipſum ſervabantur, tum & regno natum addebat, idque ſecundum Sveciæ leges, quæ publice recitabantur; hoc volentes ſi filius Regi Svecorum ſit, qui regno cenſeatur idoneus & dignus, eum regno proximum haberi. Memorabat præterea nullo jure aſſeri a quoquam poſſe, quaſi regno ſemet ingeſſiſſet. Et hos merito in eum injurios eſſe, qui ipſum jure ſuo privare ſtatuerent; idque ipſi minime ferendum ac ſimul cum proceres populumque, qui aderat, univerſum interrogaſſet, an eum, qui eo jure nitatur, pro Rege ac domino ſuo agnoſcere vellent, aſſenſum ab omnibus, applauſumque.

Hinc inauguratur & coronatur Rex Sveciæ.

Inde inauguratio celebrata, dictumque Regi ſacramentum, ac palam promulgatio facta omnium, quæ jam ante codicillis ac ſcripto conſignata fuerant, ac proxima inde dominica die, coram regni ſenatoribus coronatus in urbis cathedrali templo fuit ab archiepiſcopo Guſtavo ceterisque præſulibus. Eaque

Solennia.

in ſolennitate præferebat Regi Crumpenius coronam. Severinus Norbyus, regni admiralius ſceptrum, Henricus Goë ſphæram, tenente gladium Georgio Paviſcio ſeniore. Volebat enim intelligi Rex Sveciæ regnum, quod alias ipſi jure debebatur, a ſe jam gladiis ac armis aſſertum, tum & iterum denuoque ſanctiſſime adpromiſſa firmataque omnia, quæ jam ante totiesque pollicitus fuerat, peractisque ceremoniis, quæ huc præcipue ſpectabant fere omnibus, poſita eſt ſella ante

Equites facti Dani quidam excluſis Svecis.

altare, ac ſimul equeſtri dignitate ornavit tum Rex Othonem Crumpenium, Nicolaum Bilde, Nicolaum Lychium, Severinum Norbyum aliosque nobilium ac centurionum ſuorum, Danicæ præſertim proſapiæ; ac indignantibus poſt id Svecis, eum honorem Svecorum nemini tributum, reſpondiſſe fertur, acre jam diu bellum cum Svecis fuiſſe ſibi, idque Danorum, non vero Svecorum auxiliis, ſe alias eum honorem eorundem meritis, haud denegaturum. Inde chorum, ut

Car. V. Imp. per legatum ipſi ante altare conſtituto torquem aurei velleris offert omniaque auxilia promittit.

vocant, templi intrat imperatoris Caroli legatus, Doct. Johannes Sucottus, uno ſolum comitatus feciale. Is poſtquam latina oratione Regem ad ſummum altare conſiſtentem eſſet affatus, omniaque felicia apprecatus, quem manu utraque tenebat, torquem aureo vellere diſtinctum, collo ejus caput leviter inclinantis circumponit, ut ſignum ac ſymbolum proprioris ſocietatis, addito promiſſo, nunquam ipſi, ubi opus foret, defutura majeſtatis ejus auxilia ſolatiaque. Quibus peractis omnibus triduum exinde geniaCodicillis Regi firmatur regnum Sveciæ hereditarium.

liter cum ſuis epulatus eſt Rex. Aderantque invitati ad idem convivium Dani, Sveci ac Germani; cum feciſſet paulo ante promulgari Sveciæ regni ſenatus certos codicillos, in quibus declarabatur, Regi Chriſtiano ceſſiſſe Sveciæ regnum, & id poſſeſſurum eum ut hereditarium, non ut electivum, idque juxta S. Erici Regis ſtatutum. Præſcripſerant iisdem codicillis ſua nomina ut teſtes ejus decreti Guſtavus Dei gratia archiepiſcopus Upſaliæ, Johannes Lincopienſis, Vincentius Scarenſis, Matthias Strengenenſis, Ottho Veſteraaſenſis eadem gratia epiſcopi. Et præter hos addiderat quoque nomen ſuum Ericus Trolle judex Oplandiæ, Nicolaus Boſſon judex Gothiæ orientalis, Steno Thuronis, Thuro Johannides judex Gothiæ occiduæ, Petrus Thuronis judex Olandiæ, Holgerus Caroli judex Nervicæ, Ericus Johannis, Chriſtiernus Benedicti, Ericus Abrahami judex Weſtermanslandiæ & Dalenæ, equites, Henricus judex auſtralis Manslandiæ, Axillus Poſe, Magnus Grenius, Nicolaus Erlandi, Benedictus Gylte judex in Tygel-Herret, Ericus Konning, Canutus Benedicti & Canutus Nicolai armigeri, Sveciæ regni ſenatores ac primates. Declarabant hi initio iſtarum litterarum, hoc a ſe decretum factum Stocholmiæ, circa feſtum omnium ſanctorum, poſtquam eos eodem loci adiiſſet ac fabulaſſet orator ac legatus potentiſſimi principis Caroli Romanorum Imperatoris electi, illuſtris dominus Johannes Sucottus, doctor & eques, itemque in Chriſto reverendus pater Johannes Andreæ epiſcopus Otthonienſis, ac ſimul monſtraſſent nomine regiæ majeſtatis haberi S. Erici ſcriptam legem, qua decretum eſſet, ut ſi plures eſſent regii filii, ex iis unum eligere fas foret regni judicibus. Si vero præter unum alii haud ſupereſſent, quomodo hoc tempore Chriſtianus patri ſuo Johanni Daniæ & Norvegiæ non ſolum, ſed & Sveciæ Regi, unicus ſupereſſet; & ideo haud alium præter eum creandum pronunciandumque. Quo accepto non intermiſerunt proceres, prius inſpecta S. Erici hac de re ſanctione & adhibitis, qui convocari ſolent, non ſolum regni primoribus ac nobilitate, ſed & urbium præcipuarum ſenatu ac magiſtratubus, quæ hoc ſpectarent in medium proponere ac omnium tandem communi ſuffragio, Chriſtianum ejus nominis ſecundum Regem Sveciæ deſignare, declarare ac hereditarium nuncupare. Et hæc acta Stocholmiæ ipſo die Martis, qui præceſſit feſtum omnium ſanctorum. Ex quibus præter alia hoc quoque eſt cognoſcere Sveciæ regnum non minus quam Norvegiæ eſſe ac fuiſſe antiquitus hereditarium, ad tempus usque Reginæ Margarethæ, quo is rerum ſtatus nonnihil eſt immutatus, ac factum Sveciæ regnum electivum, donec idem ad vetuſtiſſimum viciſſim morem ac modum reduxerit Rex ejus nominis primus Guſtavus, qui omnium conſenſu fecit hereditarium. Peracta vero de qua dictum, epulatione, aliud continuo eſt inſtitutum convivium. Ad quod invitati præter Danos Germanosque Sveciæ proceres pene univerſi, idque in arcis majori palatio. Egeratque cum

Adhibita S. Erici ſanctione.

Rex novo inſtituto convivio archiepiſcopum pellicit ſequenti mox die in-

cusare sibi adversatos;

cum archiepiscopo Gustavo Rex, ut is tertio statim solennitatis hujus die, suam adversus eos omnes, quos culpæ in se & ecclesiam reos norat accusationem institueret. Quod cum Gustavus faceret, & maxime Stenonem inculpare &, qui ei adhæsissent, in obsidendo ipso atque arce Stegensi & eadem mox demolienda, efflagitans, ut eadem e solo vicissim exædificaretur, utque sibi ecclesiæque refunderentur, quæ invasissent hoc nomine, & alia quoque detrimenta. Et ea cum eum in modum dicentem archiepiscopum exaudisset Rex, nec id, quod ille ageret, urgere eum videret, acribus exinde verbis a Rege exceptus fuit. Nam Rex quod archiepiscopus haud satis animadvertisse est visus, non tam de ære eorum, quam capite intendi ipsis litem voluit. Atque inde haud multo post clausis foribus cum iisdem egit, seorsim quemque poscens atque efflagitans, quid illi, qui in archiepiscopum inque ecclesiam adeo graviter deliquissent, commeriti essent; responderunt illi ad crimen proscriptionis eorum deferendum facinus, animum initio haud inducentes, eum adeo in eos gravia voluisse statuere. Suntque coacti exinde datis codicillis enarrare singula, quæ ad ipsum aliquando queruli detulissent, quo se hoc pacto causamque suam excusatiorem redderet. His codicillis nomen suum præscripserant Gustavus Dei gratiæ archiepiscopus Upsaliensis, Johannes Otthonensis, Johannes Lincopiensis, Ottho Vesteraasensis, eadem gratia episcopi, M. Georgius Ivarus præpositus Upsaliensis, Vernerius archidiaconus Lincopiensis, Laurentius Andreæ archidiaconus Strengenensis, Johannes diaconus Scarensis. Declararunt hi codicillis istis sibi cum a Rege in atrium arcis majus essent convocati, atque ibi considerent, exhibitum a Johanne canonico Upsaliensi libellum, quo continebantur querimoniæ causæque adversus defunctum Stenonem Svantonis, ut & alios, quorum nomina eodem in libello consignata essent, cujusmodi erant D. Steno, domina Sigbrita, domina Christina, Magnus Grenius, Michaël Nicolai, Ericus Konning, Christianus Sigvardi, Olaus Walravus, Ericus Cuse, Nicolaus Aqville, Olaus Biornonis, Regnerus Erici, Nicolai Ericus, Eschillus Nicolai, Petrus Schredderus, Joachimus Brede, Sveno Hoëg, Petrus Smit, ut & consules ac senatus Stocholmiensis; hi ut injurii erga archiepiscopum Gustavum aliosque præsules, tum quoque ut heretici erga ecclesiam ipsamque christianitatem proscindebantur, & præsertim defunctus ille Steno ut hereticus nominabatur, qui non solum una cum ceteris toto anno ac sedecim septimanis obsedisset archiepiscopum, sed eundem quoque captivum mox Stocholmium deportari, ac eum e curia Stocholmiensi publice ut regni proditorem proclamari fecisset damnato eodem ad perpetuos carceres atque integro deinde biennio, in vinculis detento, donec tandem a Rege Christierno liberare-

qui detrimentorum sibi illatorum sumtus deposcens nimis leniter agere visus est regi,

Nomina eorum, quos accusarunt libello isto,

Stenonem inprimis.

qui vitæ ipsorum intentabat supplicium; hinc seducti codicillis enarrare jubentur querelas, quas olim ad Regem detulerant.

tur, quarum omnium injuriarum, ut & rapinarum & sacrilegiorum, quibus tam archiepiscopo quam ecclesiæ Upsaliensi ultra tonnas aliquot auri abstuliissent, præter Stegam arcem, quam non occupassent modo, sed & funditus evertissent, vindictam expetebant. Inde iisdem in codicillis sive indiculo memorabatur, quid etiam antistes Vesteraasensis Otho aliique passim prælati, ac clerus fere universus seorsim perpessus fuisset. Nec his contentus Rex etiam litteras proscriptionis, quas olim conceperat Lundensium antistes Byrgerus tam in Stenonem quam ceteros eodem in confessu recitari curavit, & Christinam præterea Stenonis viduam ad idem synedrium postquam evocata venisset, rogari jussit, cur Steno maritus ejus arcem Stegam evertisset & archiepiscopum Gustavum suo solio dejecisset, & ne unquam pro archiepiscopo agnosceretur apud suos effecisset. Quo illa accepto, quamvis turbaretur initio, tamen resumto mox animo litteras produxit, quibus non solum maritus ejus, sed & ceteri, ut id fieret, pronunciassent. Eas litteras cum subsignatas a conjuratis Rex videret, eas lectas servari mandavit. Inde quod postulaverat archiepiscopus & ceteri, ut Rex in eos jure ageret, haud illubenter annuit, nihil cogitans, aut pensi habens, quod jam ante injuriarum omnium oblivionem, atque amnestiam cunctis adeo sancte pollicitus fuisset. Sunt qui tradunt, usum imprimis sæpiusque hic Regem consilio Theodori Slagheccii, quem ut modo indicatum Stocholmio præfectum imposuerat. Is remissionem, quæ erat a Rege Christierno facta, ita interpretabatur, quasi nihil ea ad pontificem pertineret, cujus velut executor & latæ ab ipso sententiæ transactor constitutus Rex esset, quamvis vix unquam adeo severe hic usum authoritate sua pontificem constet, nisi in schismaticos forte ejusmodi, qui religionis simul decreta pessundare animum induxissent. Inde Rex excedens judicio, qui fuit dies octavus, post festum omnium sanctorum per tubicinem promulgari fecit, ne quis domo egrederetur, ac statim post meridiem, quos vinctos intra arcem habebat, educi ad supplicium in forum jussit utrumque antistitem Scarensem & Strengenesensem, una cum equitibus ac baronibus aliquot, ut & civibus oppidi Stocholmiensis. Hic in circo consistebant ex senatu regio nonnulli, & in his Nicolaus Lychius commonens cunctos, ne quid mirarentur eorum, quæ isthic geri cernerent; inductum gravissimis de causis necessitate summa Regem compulsum suppliciis tradere proscriptos quosdam, qui in sanctam Romanam ecclesiam ac sanctissimum patrem Papam Romanum adeo graviter deliquissent. Alii memorant e loco curiæ, unde statuta recitari solent, a Lychio ea promulgata & addita inter alia, pulvere tormentario arcis quædam loca ab ipsis occulte fuisse oppleta, quo ita incenso regio conclavi Regem tollerent.

Litteræ proscriptionis, ejus recitantur.

Ejusdemque vidua ad causam dicendam inpr. de archiepiscopo evocatur;

consensu ceterorum id factum litteris prolatis edocet, quas nominibus conjuratorum subsignatas asservari Rex jubet. Theod. Slagheccii atrocia consilia.

Rex executorem pontificis sententiæ se asserens, educit captivos ad supplicium præter alios antist. Scarensem & Strengenes.

Qui mortis ſententia in ſe pronunciata animoſe reſpondentes ſupplicii cauſam efflagitant.

Verum, qui ut ſontes adſtabant vinculis conſtricti antiſtitum utrique animoſe reſpondeRunt, maxime Vincentius Scarenſis, loqui eum falſiſſima, & Regem proditorie cum Svecis agere, ſe ceterosque expetere, quamobrem morti ſupplicioque eſſent adjudicati; niſi fieret, Deum juſtum judicem tantum nefas, atrocitatem injuriamque haud inultam ſiturum. Nec tacuerunt, qui ex urbis ſenatu ſupplicio ſimiliter deſtinati adſtabant Andreas Rudius & Andreas Caroli, teſte cælo Deum vindicem invocantes ac orantes Svecorum gentem, ne unquam hanc inultam crudelitatem relinqueret. Inde omnium primus Matthias Strengenecenſis, qui vel maxime laboraverat, ut Regi regnum ſubjiceretur, capite plexus eſt, ac eum ſecutus Vincentius Scarenſis, quamvis alii omnium principem eductum ad ſupplicium velint Ericum, cujus poſtea filio Guſtavo regni diadema impoſitum fuit, quod utcunque habeat, id conſtat, ſoli Strengenecenſi caput inter crura collocatum. Johannes Braſcius epiſcopus Lincopienſis, vir rara probitate, cum ex arce in foro deductus eſſet, & jam percuſſori cervicem exhiberi moneretur, elata voce ſe innocentem proteſtatus eſt, quod cum iterum iterumque feciſſet, tandem ſupplex orat, ut curia cerea, quæ litteris appenſa erat, aperiretur, in ea ſchedam reperturos, cui inſcriptum eſſet, ſe invitum & coactum illis litteris ſuum ſigillum appendiſſe. Quo accepto Rex ut circumventum ab aliis liberum pronunciavit, unum hoc edens exemplum æquitatis in ſumma iniquitate. Hinc ordine capite mulctati Ericus Abrahami, Ericus Johannides, Guſtavi poſtea ut dictum Regis pater, Ericus Canuti, Ericus Kœnning, Ericus Nicolai, Joachimus Braë, Magnus Grenius, nobilesque haud pauci ac denique tres urbis Stocholmiæ conſules ac ſenatores pene omnes; præter cives, qui ex ædibus vel mediis laboribus rapti inque forum protracti capite luerunt. Hoc die a carnifice, octuaginta & quod excurrit interfecti. Proxima inde luce nobilium ac civium perplures detruncati. Triſte oculis omnium ſpectaculum, ſiquidem nudi omnes in foro projecti cruore ſqualente & canibus dilaniendi triduum totum relinquebantur, cruor quoque aquis pluvialibus tum copioſe decidentibus immixtus per urbis canales defluebat. Die poſtremum Saturni extra ſuburbium auſtrale, necatorum cadavera protrahuntur, rogoque incenſo cremantur. Inter ſummam vero crudelitatem hoc quoque eximium fuit, quod ſupplicio deſtinati cum peterent, ut ſibi copia ſacerdotis fieret, cui peccata ſua confiterentur ſeque rite expiarent, ne id quidem obtinere potuerint quaſi in corpus non modo ſed in animam ſimul ſævire voluerit. Nec parcitum defunctorum manibus, Stenonis etenim gubernatoris cadaver, quod ultra ſemeſtre ſpatium terræ fuerat mandatum, e monumento erutum una cum tenelli infantis ipſius

Sed ad ſupplicium rapti una cum Andrea Rudio & Andr. Caroli, atque Erico Guſtavi patre aliisque.

Jo. Braſcius epiſc. Lincop. liberatur.

Alii trucidati numero eadem die 80, proxima plures.

Triduum ſqualentia cadavera nuda relinquebantur, hinc cremata.

Clerici copia ſupplicio deſtinatis negata.

Stenonis corpus e ſepulcro erutum flammis mandatur.

paulo ante demortui corpore eidem rogo committitur. Quæ, dum fiunt excuſabat ſe tyrannus, quaſi invitus ac coactus hoc faceret, volentibus ita pontificiis ſanctionibus, quæ proſcriptos exurendos juberent. At tales ab ipſo habiti haud fuere, cum ei fidei atque obſequii teſtamentum dicerent, & ipſe viciſſim regni diadema ab iis imponi ſibi pateretur. Quos ſuſpendio perire fecit, numerus ignoratur, vix ſiquidem triduo integro aliud agebant ſpiculatores, quam ut cadaveribus deciſis alios alligarent, idque tanta cum feſtinatione, ut nonnullos, maxime nobilium truncatorum famulos, ab equis cum ocreis & calcaribus abreptos recte in patibulum ducerent, poſtremum invaſis jugulatorum ædibus eas auro argento atque omni ſuppellectile diſpoliari permiſit, pupillis ac viduis vix quicquam præter nudos parietes relinquens. Apud Finlandios ſimili truculentia uſus obtruncari ibi Achonem Georgii, Antonium Erici, Nicolaum Eſchilli & Hemmingum Gaddium curavit, aliosque tam ex nobilitate, quam e vulgo etiam aliquot. Chriſtinam Stenonis viduam aliasque matronas & virgines nobiles, atque Guſtavi, poſtea Regis, matrem & ſororem in carcerem conjici & paulo poſt Stocholmio in Daniam deportari juſſit. In locum præſulum, qui erant capite mulctati, Scarenſis & Strengenecenſis, ſufficit egregium par, M. ſcilicet Didericum Slagheccium, quo præcipuo crudelitatis miniſtro uſus fuerat, & epiſcopum olim Othonienſem Johannem Calvum, Skaldenach vulgo nuncupatum. Memorat Vitfeldius inſignem præterea perfidiam, qua uſus eſt, dum eſſet Stocholmii, in nuncium Regis Polonorum. Is cum a Rege ſuo miſſus adeſſet, ut intelligeret, cur militem, quem permiſerat in ejus gratiam Rex Polonorum colligi apud Boruſſos, ad Marchionem Albertum, quo cum diſſidebat tum Polonus, transmiſiſſet, & id tum inſcio ſe factum Polono reſcriberet, cum aliter tamen res haberet, juſſit eum nuncium digreſſum a ſe in itinere cum omni comitatu quaſi a latronibus impeditum trucidari. His Stocholmiæ perpetratis ac novo magiſtratu novisque ſenatoribus in locum cæſorum conſtitutis terreſtri itinere in Daniam contendit. Quamcunque ad urbem, dum iter agit, deveniret, erigi furcam curavit. In urbe Vaſtenenſi Svenonem Hock & Petrum Fabrum epiſcopi Lincopienſis fraude proditos enecari vivos ac quadrifariam partiri juſſit rotisque imponi. Lincopiæ Lindornem Ribbingum virum nobilem aliosque nonnullos capite truncavit, adeoque in Ribbingianam domum deſæviit, ut, cum adulti, in quos truculentiam exerceret, non ſupereſſent, innocenti ætate puerulos binos, alterum octennem, alterum biennio inferiorem mactari præceperit. Abbati Nidaliæ ejusque fratribus, a quibus fuerat honeſtiſſime exceptus, hanc gratiam retulit, ut abbatem manibus vinctum cum fratrum plerisque in profluentem

Se invitum hæc facere tyrannus ſimulat.

Suſpenſorum numerus ignoratur.

Jugulatorum ædes prædationi expoſitæ.

Apud Finnos eadem crudelitate uſus.

Dieter. Slagheccius & Joh. Calvus in locum epiſcoporum capite plexorum ſuffecti.

R. Chriſt. Regis Pol. legatum, quarentem, cur in Polonia collecti milites permiſſi Alberto D. Pr. ficto reſponſo dimiſſum in reditu trucidari curat.

Stockholmia recedens in Daniam ubique furcas exſtrui curat.

Vaſtenas duos nefando ſupplicio enecari jubet.

Lincopiæ in Ribbingum ejusque familiam ſævit.

Abbatem Nidaliæ cum fratribus pro hoſpitio

sibi facto aquis demergi jubet.

In Daniam redux factus

sine exemplo crudelis.

entem detrudi submergique jusserit. Memoratur Abbas liberatis manibus cum in ripam enatasset crudelissime nihilominus trucidatus. Atque ita in Daniam rediit hac tam immani per universam propemodo Sveciam laniena cruentaque adorea clarus, quam nulla unquam ætas silebit, nulla etiam sine horrore memorabit posteritas. Legimus Imperatorem Constantinum, sed nondum Christianum, & Carolum item magnum Christianum jam principem immaniter in adversarios sæviisse, dum ille tricentos bestiis objecit, hic quoque haud minorem numerum propemodo Saxonum gladio percussit; sed rebelles omnes ac fœdifragos. Et ante eos Julius Cæsar in Galliis agens cum bellum in Venetos movisset, eosque terra marique vicisset, omnem mox senatum eorum necari jussit, reliquos sub corona vendidit, causam reddens, quod legatos ejus contra jus gentium retinuissent. At ista mactatio in amicos perpetrata, & eos quidem talesque amicos, quibus præteritorum jam omnium oblivionem toties tamque sancte promisisset. Quid interea tentatum a Svecis, & quomodo ex hisce tristissimis calamitatibus Sveciam pene oppressam & tot annorum continuis bellis velut exhaustam mirabiliter eripuerit Gustavus Erici illius Johannis, quem inter primos cervicem securi submisisse memoravimus, filius, ut clarius pateat, repetenda ex antecedentibus nonnulla sunt, ac illis continuo, quæ secuta exinde fuere, ordine subjungenda. Etenim Rex Christiernus, postquam, ut est relatum, ad annum 1518. frustra tentatis in Svecia rebus, redire cum classe in Daniam pararet, ac ventos identidem adversos experiretur, diffluente paulatim inedia aliisque incommodis milite ac classiariis, fingit propositum sibi cum Svenone de pace agere, quæ esset inter regna hæc septentrionis perpetua. Quo accepto cum aurem præbuisset Steno, omnia prolixe agendo tum & commeatum permittendo haud istis contentus rex amice quasi petiit, ut ad colloquium veniat, sed renuentibus ac iterum iterumque disvadentibus Stocholmiensibus, conventum, ut missis utrinque obsidibus colloquium haberetur. Atque ita missus a parte Stenonis præter ceteros hic Gustavus fuit. Christiernus vicissim, quos miserat, dum ventus secundus aspirat, ex itinere eos confestim revocat, retentis Svecis, & in his, quem dixi, Gustavo. Qui in Daniam ubi venit, pro captivo in Cimbricam chersonesum abductus est, ac ibi intra arcem Calvæ dictam postquam esset anno statim insequenti, qui fuit 1519, custodiæ traditus ac severissime commendatus arcis præfecto Erico Banner equiti Dano, idque hac lege, ut si forte elaberetur, mulcta solveretur aureorum sex millium, evenit tamen, ut laxiore observatione habitus bubulci habitu Lubecam magnis itineribus, atque ope Lubecensis magistratus in Sveciam enavigando perveniret.

Gustavus patriæ vindex e custodia Calvensi Dan. elapsus.

A Lubecensibus susceptus

Arcis continuo præfectus, ubi elapsum comperisset, eum Lubecam usque secutus restitui sibi captivum suum popposcit. At Gustavus exponens senatoribus causam suam, salvum ut vocant, conductum ab iis impetravit. Tum & captivum haud unquam fuisse se, sed obsidem pro ipso Rege datum & e regno Sveciæ injuste ac vi evectum ubi demonstrasset, æquitate & patrocinio Nicolai Bromsii consulis, cujus tum erat in urbe præcipua authoritas, defensus Gustavus carcerique ereptus ad suscipiendum Sveciæ sceptrum haud aliter, quam illi olim amplissimorum imperiorum conditores, Cyrus, Romulus & patrum memoria Matthias Hunniades ex afflictissimis initiis & rebus propemodo conclamatis divinitus evectus fuit, si antiqua novis & parum magnis componere, quamvis Sveciæ regnum haud inter parva numerandum. Exulans igitur eum in modum a Lubecensi præcipue consule in tutum receptus haud multo post, conscensa Lubecæ navi oneraria in sinum Calmariensem devectus & cimba in littus Stensoë expositus, ac inde Calmariam, quæ a Svecis adhuc defendebatur, occulte ingressus, benigneque a Johannis magni vidua arcem feudi loco tenente exceptus, cum malignam captivitatem & mirandam liberationem suam ipsi & aliis exposuisset, eorumque vicissim querelas & gemitus de miserabili servitute, qua patria opprimebatur exaudisset, cives Svecumque militem hortatur, ne ullo pacto urbem vel arcem Christierno dedant, quod dum agit, parum abfuit, quin a peregrinis militibus interimeretur, itaque a præfecti vidua adjutus per Smalandiam ad suorum prædiorum colonos iter instituit, idque maximis vitæ periculis confecit, jam tum Christierni Regis emissariis in Smalandia circumeuntibus, qui plebem ad juramentum fidelitatis Regi præstandum invitarent. Et erant e Smalandiensibus haud pauci, qui Regi Christierno addicti, Gustavo svadenti, ut mutuam inter se concordiam servarent, neque Christierno Svecorum hosti facile se crederent, necem, ni quiescerent, comminati fuere, jactitantes, sale & halece nunquam carituros se, quoad Christiernum Regem haberent, memorantibus Chytræo & Vitfeldio, maximis igitur declinans periculis ad prædium suum Ferna perrexit, & comparatis necessariis, Refnes, quod pater tenebat, pervenit. Hic cum bonam æstatis partem latuisset cum Jacobo olim archiepiscopo Upsaliensi in vicino Carthusianorum monasterio Chryphisholm degente, sene sapiente ac sibi amico, de reditu ac liberatione sua e custodia Danica locutus fuit. Svadebat autem archiepiscopus, ut se Christierno Regi crederet, tum quod patefactioni per litteras dominæ Christinæ ante urbis Stocholmiensis deditionem a Christierno datas erectæ ac confirmatæ nominatim esset inclusus, tum quod suis litteris Regis Christierni gratiam & securitatem certam facile sit impetraturus. Sed Gustavus antea Christiani Regis fidem expertus, neglecto archiepiscopi consilio

frustra a custodiarum præside repetitus,

& in Sveciam reductus.

Calmariam veniens adhortatur, ne arcem Regi tradant,

hinc periculum incurrens ad suos colonos revertitur majori cum discrimine hic agens.

Jacobum olim archiepisc. Upsal. convenit; cujus tamen consilium de submittendo se regi neglexit.

consilio in prædium patrium Refnes revertitur, ubi cum paucis exinde delituisset diebus, tandem e suo colono Stocholmia redeunte de nefanda inauditaque Regis Christierni, quam in Svecos ipsiusque Gustavi parentem exercuerat, crudelitate fit certior. Animi igitur incertus, quod in tam turbulento & ancipiti rerum statu sequeretur, hortantibus amicis per varia discrimina ad montanos primum se recepit, ubi haud minore cum periculo aliquantisper commoratus est. Tandem vero apud nobilem quendam Aronem Petri divertitur eique suarum rerum statum & consilia tuto, ut speravit, concredidit. Sed is cum magna se commiseratione ipsius duci propalam ostenderet, & securitatem non modo commorandi apud se, sed & opem opesque polliceretur, occulte fraudem subesse intellexit. Etenim paucis interjectis diebus ad Christierni Regis præfectum Brunonem Benedicti clam profectus, ei quid ageret ac moliretur Gustavus, ordine aperuit. Sed conjux mariti consiliorum non ignara, Gustavo veram profectionis mariti causam indicat, ac eum ad parœciæ Svartro, pastorem Johannem, cum quo studiorum communio Gustavo olim Upsaliæ intercesserat, devehi curat. Inde cum esset reversus jam maritus, præfectumque ac milites ad Gustavum apprehendendum secum adduxisset, clam aufugisse Gustavum respondit. Gustavus mulieris pietate postquam præsentissimum vitæ periculum effugisset, humanissime a pastore exceptus, & aliquot apud eum diebus commoratus, inde trans vallem Dalkarlorum ad parœciam Retwech delatus fuit. Hic cum immanem illam nobilium reliquorumque cædem adeo atrociter a Christierno Rege recens perpetratam exposuisset, vulgus permoveri, commiserari indigneque ferre, imo ultionem vindictamque expetere, si modo vicinos aliosque ad belli societatem attrahere daretur. Quapropter Gustavus ad præceiam Mora totius Daliæ præcipuam maximamque se contulit; atque ibi in feriis domini natalitiis, quæ transigi hilaritate apud nos solent, animos similiter omnium ad liberandam ex tanta miseria ac tyrannide patriam exstimulat. Cumque non infacundus esset, neque historiarum ac rerum patriæ ignarus, non istius modo jam nuper a Christierno perpetratæ crudelitatis exemplum exaggerare cœpit, sed & senes admonuit, ut præteritorum quoque temporum reminiscerentur, & juniores ab ætate grandioribus perdiscerent, quot injurias, damna & contumelias Sveciæ regnum sub externorum dominatu perpessum esset; imprimis vero recordarentur, quam Rosso Erici Regis Erici præfectus aliique ei non absimiles, inhumaniter planeque tyrannice parentes ipsorum, consanguineos & amicos cruciarint, tormentisque exquisitissimis e vita sustulerint, & nunc etiam flagrent. Cujus & sensum percepturi paulo post sint, nisi mature obviam eundo conatus ipsorum animadverterint. Quod si Dalecarli & cæteri Sveciæ regni indigenæ in accepta injuria ulciscenda patriaque vindicanda fidelem navare operam velint, se paratum esse una cum ipsis fortunas suas universas vitamque ipsam in discrimen dare. Responderunt Morenses, agnoscere se deberi hoc patriæ, ut pro virili tantæ calamitates tantæque injuriæ a patriæ charissimæ cervicibus propulsarentur, eaque a durissimæ servitutis jugo liberaretur; rogare tamen, ut sibi Gustavus de locis tutioribus prospiciat, donec vicinæ etiam parœciæ provinciæque in eandem expeditionis hujus societatem adduci ac consentire possent. Quapropter Gustavus continuo ad Dalecarlos occiduos, exeunte jam, quem posuimus, anno 1520. se recepit. Gustavus igitur incensus amore lustrandæ patriæ, dum apud Dalecarlos agit, eorumque sensus ac voluntates explorat, commodum accidit, ut Laurentius Olai, qui aliquamdiu sub Stureo Stenone meruerat, belli jam vetus, ea non tantum, quæ a Christierno Gustavo de crudelissima Christierni tyrannide erant recitata, nimis esse vera memoraret, verum adderet præterea, Regem homagii solennisque exceptionis causa universum regnum paulo post lustraturum, esseque promulgatum, ut in singulis provinciis singulisque territoriis ac pagis furcæ ac patibula erigerentur, neque multos adeo intercessuros dies, quin litteræ regiæ ad Dalios adferrentur, quibus ad commeatum Regi ejusque militi præstandum Dalecarli adigantur. Dalecarli his tam gravibus imminentibus periculis moti continuo quosdam ex primoribus ad Gustavum, qui in remotiora loca secessérat, ablegant rogantque reditum mutaret, universæ Daliæ adversus Christiernum tutor ac Dux futurus. Hoc accepto nuncio Gustavus, qui in penitissimis parœciæ Limæ partibus morabatur, cum legatis extemplo revertitur, atque ibi consentientibus omnium suffragiis applausuque in gubernatorem ac ducem electus est, ac simul obsequii ac fidei sacramentum eidem præstitum, traditique satellites, qui vitæ ejus in omnem eventum præsidio essent. Sicque Gustavus interemptorum procerum nobiliumque ministris ac famulis aliisque aulicis, quibus aqua & ignis a tyranno interdictum erat, certatim ac magno numero ad eum confugientibus exercitum quotidie auxit. Die igitur anni insequentis 28. Januarii, qui Carolo magno sacer habebatur, copias suas ad Cuprimontanos Gustavus adduxit, & regium illius provinciæ præfectum Christophorum Olai ejusque socios cepit, & Danorum præterea, qui ibi negotiabantur, merces universas intercepit, exacto similiter, quod Regi debebatur, annuo tributo, ut & frugum decimis. Hinc in Daliam regressus auctis copiis denuo iterumque ad Cuprimontanos remeare, omnium identidem consensu in dominum ipsorum ac gubernatorem assumptus est. Postmodum cum parte exercitus in Helsingiam abiit, reliqua in

Regis in patrem aliosque patrata cæde comperta ad montanos se recipit.

Insidiis appetitus effugit,

& ad Dalkarlos abit, quos ad liberandam patriam excitat narrata crudeli plurimorum trucidatione.

Securitatis causa ad Dalcarlos occiduos concedit, quos ad societ. belli commovet.

Ipsis tutor atque dux deligitur.

Eique fidei sacramentum dicunt, qui junctis sibi satellitibus & ministris occisorum exercitum auxit.

Ad Cuprimontanos movens ibi præfectum regium capit & Danorum merces, tributum regium exigit.

Hinc regressus iterumque rediens ab his dux cooptatus.

In Helsingiam tendit.

in montanis relicta, cui virum celebrem Petrum Svenonis ductorem præfecit. Absente Gustavo litteræ ab archiepiscopo Upsaliensi ejusque patre Erico Trolle & Benedicto Canuti in montana perferuntur, quibus hortantur incolas orantque, ne a Christierno Rege deficiant, simulque pollicentur, sese ab eodem gratiam & amicitiam salvique conductus litteras Gustavo impetraturos, dummodo a cœptis desistant. Et hisce quidem in litteris sese regni senatum appellarunt. Sed eædem litteræ partim risu, partim indignatione exceptæ sunt. Helsingi autem submisse a Gustavo impetrant, ut aliquantisper adhuc ipsis parcat, neve tam propere in belli illius societatem illos alioquin satis exhaustos pertrahat. Quare per Gestritiam, cum ejus incolas civesque Gepsalienses ad debiti obsequii sacramentum faciendum nullo negotio perduxisset, in Daliam rediit, illoque in itinere militibus, qui sese præ timore ruri occultaverant, se illi conjungentibus copias suas ita auxit, ut Christierni Regis in arce Arosiensi præfectus Henricus a Millen, etsi aliquot millia in Daniam duceret, ut initia motuum opprimeret, tamen metu adventantis Gustavi re infecta recesserit. Gustavus igitur, cum ad quinque millia exercitum collegisset, Arosiam, quæ Danicis præsidiis tenebatur, perrexit; ubi cum copias suas lustrasset, duas in partes distributo exercitu, cui utrumque Laurentium, hunc Olai, illum Erici, præfecerat; vallem eos Ballingsas pertransire & prope divi Olai sacellum castra metari, sed ab hoste ac prœlio abstinere mandavit; ab hoste in Svecos cum præcipuo equitatu irruente necessariam suam defensionem suscipere Sveci coacti, equites primum extra urbem obvios profligant. Gustavus autem, qui in medio adhuc agmine constitutus longius aberat, pugnam inchoatam audiens, ac veritus ne æque prudenter rem sui aggrederentur, in primam aciem procurrit, adeo ut parum ab ipsius latere dissiti hostium tormentis uti procumberent, Laurentio interim Olai hostem in fugam versum, per mediam urbem usque in ipsorum castra persequente, Laurentius Erici ejusque socii per viarum compendia progressi hostem anteverterunt atque illos, qui grandiora tormenta bellica in medias urbis plateas in Svecos directa asservabant, a tergo adorti interemerunt, tormentis in suam potestatem, qua dabatur, redactis. Qui arcem Arosiensem tenebant, cum suos terga dedisse cernerent, flammas in urbem ejaculantur; at Sveci igne extincto maximam urbis partem conservarunt ab incendio. Præcipuam vero intra urbem prœlii molem Laurentius Olai vir fortis & acer cum hostibus in foro se conglobantibus sustinuit, donec victoria ad Svecos inclinante hostes in castra se reciperent, quæ cum aliquamdiu tutati essent, arcemque novo præsidio confirmassent, cimbis Stocholmiam profugerunt. Hac obtenta qualicunque victoria plurimi e militibus

Montani litteris ab Erico Trolle & Ben. Canuti frustra admonentur, ut Regi fidem servent.

Helsingi belli societatem præmaturam submisse a se declinant,

Gestritienses facile sibi conciliat.

Copiarum incrementa ex militibus latentibus capit.

Ad 5. millia virum auctus Arosiam pergit.

Urbemque occupat;

media in urbe cum hoste confligens eoque depulso arcem quoque suam facit.

Hinc plurimi Svecorum ipsi juncti.

& nobilitate Svecica Danorum castris relictis sese Gustavo junxerunt; quorum e numero Arvidus Vestgothus erat, quem ad arcem Stegeburgam obsidendam atque Ostrogothos defendendos aliquot cum copiis Gustavus emiserat. Quo eodem tum tempore Nycopensem & Orebroënsem quoque arces obsideri curavit, præmisso cum armatorum expedita manu Laurentio Erici, cui se in itinere præterea Laurentius Olai juncturus erat. His appropinquantibus Benedictus Bing archiepiscopi præfectus, emissis exploratoribus hostium numerum & reliquum apparatum rescire avebat. Quos cum Sveci intercepissent canonici senatusque urbis Upsaliensis datis ad Gustavi officiales litteris, rogant, ne gestationem scrinii argentei divi Erici Regis, quod ejus festo in nundinis Upsaliensibus ad veteris Upsaliæ templum semi milliare ab urbe distans deferri consveverat impedirent, illis respondentibus, ut Sveci & non advenæ illos ritus servarent, Benedictus Bing extreme illos se contemnere ostendens, convivium in horto episcopi instituit. Quem Sveci sub gallicinium vino somnoque sepultum, cæsis vigilibus & ædibus archiepiscopi occupatis excitarunt & urbem incendio ab hostibus immisso liberarunt. Ipse vero Bingius prope Vade Hollesunt, transiturus, sagitta per mediam brachii ulnam medullæque meatum ad cubitum usque a carpo immissa lethaliter vulneratus, non sine exquisitissimis doloribus sagitta extracta vitam Stocholmiæ finivit. Hinc Junio mense Gustavus ipse Arosia Upsaliam profectus convocato collegio canonicos interrogabat, an Sveci vel Dani haberi velint, simulque plurima ab ipsis illorumque episcopis adversus patriam eorumque legitimum magistratum Caroli atque Stenonis utriusque tempore designata facinora ipsis objicit, & si agere deinceps similia non cessarent, pœnam severam minitatur, denique an sacramentum ipsi dicere seque erga patriam obsequentes fidosque declarare velint, ut aperte profiteantur; Illis vero submisse se excusantibus ac petentibus, ut cum archiepiscopo communicare sibi primo per litteras liceret, quibus autores archiepiscopo essent, ut relicto Christierno sese cum regno patriaque conjungat. Gustavus acquiescens simul ipse quoque ad archiepiscopum Stocholmiæ agentem ejusdem argumenti litteras mittit, quas ille ad se perlatas Theodoro Slagheckio arcis Stocholmiensis præfecto monstrans, eum sarcasmo & contemtu, inquit, semetipsum Gustavo propediem responsurum tabellariumque detinuit, donec equites peditesque extra urbem eduxisset, atque ad sesqui milliare solummodo ab urbe Upsaliensi abesset, Gustavus non tantum ex transfugis atque exploratoribus, hostium adventu cognito, sed hostem adventantem ex loco editiore contemplatus, cum a canonicis se delusum & imparem exercitui hostium, Dalecarlis & aliis paulo ante a se dimissis, fore animad-

Stegeburga obsidetur.

Itemque arces Nicopensis & Orebro.

Emissos a Bened. Bing archiepiscopi præfecto speculatores intercipiunt.

Upsalienses rogant, ne sacra ipsorum tunc solennia turbet.

Illum secure convivantem fugant urbem incendio liberant, is vero in fuga vulneratus obit.

Gustavus canonicos sollicitat, ut se ipsi jungant.

Hi consulunt archiepiscopum, ad quem etiam ille litteras mittit.

Quibus visis Theod. Slagheccius Gustavo cum forti manu occurrit ex improviso.

Cui impar Custavus recedit.

Discrimen incurrens.

animadverteret, in silvam nocte se recipere cogitabat, ubi in vado prope Ladebii hærens ac excussus ex equo ab hoste propemodum circumventus & oppressus fuit, donec Dei beneficio & comitum, qui aderant, virtute evasit, & paulo post recollectis e vicinia copiis archiepiscopum Stocholmiam redeuntem viriliter adortus insigni victoria profligavit, qui cum vix sextum quemque suorum Stocholmiam reduxisset, obsidere urbem castris ad jugi Brunconis radices collocatis Gustavus instituit. Sed erumpentibus Danis inde depulsis, longiore ab urbe intervallo castra ad Rotobio firmiora posuit, auctus tum etiam copiis, quas Helsingii adduxerant. Quin & mense exinde Julio veteranorum aliquot militum agmina duce Stephano Sassio, Gustavo venere & alia præterea aliunde. Interea Severinus a Norby, qui Regi suo Christierno fidus adhærebat, insulæ Gothlandiæ præfectus, arcem Stegeburgam ab Arvido Gustavi duce obsessam liberare conatus, militem ex classe in continentem exponit. Sed is a Svecis impeditus repetere classem coactus fuit. Nihilominus tamen Severinus nova in arcem præsidia ac commeatum mari immisit Nicolao Boëtii de Vienes, Holgero Caroli equitibus Svecorum auratis, quod minus eis fideret, in Daniam abductis, ac relicto, qui arcem Regis custodiret, homine Germano Bernhardo a Mylen. Severino digresso suas in partes Gustavus attraxit Johannem Brascium episcopum Lincopiensem jam ante nutantem: atque inde continuo sub 24. Augusti ad comitia, quæ Westeræ erant indicta, proficiscitur, in quibus omnium ordinum hominibus ex Ostra Gothia, Smalandia, West-Gothia, Wermelandia & Dalia congregatis Gustavus solenni oratione patriæ pericula exponit, atque eorum fidem atque operam & opem ad ea avertenda ac depellenda veteremque libertatem revocandam exoptat; cui omnes uno ore non tantum sua, quæcunque possent subsidia promittere, sed & maximas præterea gratias Gustavo agere, quod patriam e faucibus tanti tyranni eripere ac liberare esset aggressus ac precibus pariter quam humillimis deinceps rogare, ut quod cœperat, fideliter continuare, ac numine adspirante, velit præficere, ac postremo non gubernatorem modo, sed regni totius legitimum aliquando dominum ac Regem se profiteri haud gravaretur. Quibus respondit Gustavus, se contra communem patriæ hostem arma gerere non regni aliqua cupidine, sed justo incensum dolore ac commiseratione, precibusque transylvanorum Svecorum permotum indignissima illius in summos regni proceres aliosque quam plurimos a Christierno contra juramentum totiesque datas syngraphas crudelissimæ cædis perpetratæ ultorem patriæque vindicem accurrisse. Quod si suam quoque ad bellum hoc feliciter porro exsequendum fidam conferre in posterum operam velint, se non recusare ducis ac directoris partes assumere. De Rege vero creando tum demum sint solliciti, cum Dei beneficio bellum integre perfecerint; tum enim quemcunque regni ordines ex procerum Svecorum sangvine ac prosapia oriundum in Regem electuri forent, illi se quoque suum obsequium ac fidem libenter commodaturum. Sicque consentientibus omnium votis ac voce magno cum applausu lætitiaque ordines regni Gustavum ut ducem ac dominum suum agnoscunt, eique obsequium ac fidem interdicentes sacramento sub dio ac cælo teste solenniter promittunt. Hisce comitiis peractis copias in Westrogothiam mittit, quæ capta arce episcopi Lehoæ oppidum arcemque Elsburgensem obsiderent, Smalandiæ quoque immissi milites, ejus provinciæ arces atque oppida Gustavi auspiciis occuparunt. Dum vero ista in Ostrogothia fiunt, qui erat arci Stocholmiensi impositus Theodorus Slaghek, ut & Georgius Holstenius cimbis aliisque navigiis per lacum Melerum Arosiam missi arcem novis præsidiariis, prioribus secum inde avectis communiunt, sed cum angustum fretum Colesund in reditu transmissuri essent, Sveci utrinque exstructis propugnaculis, ac medio transitu cisternis ligneis saxo repletis submersisque obstructo per biduum istic cum hoste pugnarunt, priusquam fretum superare potuerunt. Exinde Septemb. mense Gustavus copias militum Nicolao Arvidi & Henrico Johannis ductoribus in Finlandiam ablegavit, quibus tam ex nobilitate quam plebe se plurimi conjunxerunt, atque inter hos quidam ad militiam natus educatusque Nicolaus Grabbe de Granbacha, qui in hostibus Finlandiæ exstirpandis mirum industriæ militaris specimen exhibuit. Navigiola enim exstructissima ac myoparones cum ad manus haberet, iis huc illuc ad littus vectus, ex inopinato securum hostem invadebat, alios somno immersos ferro occidens, alios etiam repagulis firmissimis ad fores appositis subjectoque igne una cum igne in cinerem convertens, adeo ut subinde vix duodecim militibus comitatus plurimos una nocte e medio tolleret, dumque hostes concurrunt ad eum comprehendendum levibus navigiis ad Revaliensem aliosque Livoniæ portus confugit; illisque minime cogitantibus desubito in Finlandiam recurrens, haud sine aliquo ipsorum incommodo, eos denique e veterno quasi excitavit. Miseratque ad obsidendum Abogiam copias aliquot Gustavus sub finem fere Novembris, quæ dum ibi sedent, facta irruptione hostis, Arvidi Svecorum ductoris fratrem Benedictum Nicolaum extra vici murum captum laqueo mulctatum suspenderunt. Mox ad obsidionem Stocholmiæ continuandam intentus Gustavus tribus ex partibus ad meridiem, septentrionem, reliqua in insula Loso castra locavit, eo in prædio, ubi hodie domus est regia, quibus Petrum Frittagium ducem præfecit, qui haud segniter rem agendo aliquoties

At collectis copiis rediens archiepiscopum profligat.

Hinc numero auctus.

Sev. Norby Stegeburgam obsessam liberare tentat irrito, arce tamen præsidia & commeatu aucta.

Gustavus in suas partes pertrahit Jo. Brascium epi/c. Lincop. Comitia Vesteræ agitat,

ubi omnes auxilia promittunt.

Svadentque Gustavo regni diadema sibi vindicet.

Hujus resp.

Hinc Westrogothiam petens arcem Lehoæ capiunt, Elsburg. obsident, Smalandiam occupant.

Theod. Slaghek. Arosiæ arci subvehit præsidia & commeatum; qui reditu intercluso pugna sibi viam aperit.

In Finlandia quosdam ablegans socios ibi acquirit, inpr. Nic. Grabbe paucis sibi junctis hostes magna clade afficit.

Gustavi copiis obsidentibus Abogiam hostes capiunt Bened. Nicol. Arvidi fratrem, quem mox suspendunt.

Gustavus obsidere pergit Stockholm.

ties ex oppido erumpentem hoſtem fortiter profligavit. Eſtque Stegeburgenſis arx 18. Decemb. Guſtavo dedita; præfectus ejus Bernardus Sudercopiam miſſus, ubi cum menſibus duobus in cuſtodia fuiſſet, facto ſacramento partes Guſtavi ſecutus fuit. Severinus interim a Norby, ignarus arcem Svecis traditam prætoriis aliquot navibus ad promontoria Stegeburgenſia appulit, ut navis arci præſidiis ac commeatu ſubveniret. At ei in freto Eſterſund obviam properantes Sveci acerrime cum ipſo dimicarunt, donec tandem fretum Severinus evaſerit, ſuorum plusquam ſexcentis deſideratis. Dedita Steheburga continuo Arvidus Guſtavi dux cum altera copiarum parte ad obſidendam Calmariam eſt miſſus, alteram ad ſe traduci Stocholmiam Guſtavus imperavit. Per idem quoque tempus arcem Nicopenſem, quam hactenus Chriſtierni Regis nomine tenuerat Henricus Rantzovius, pridie natalis Chriſti Guſtavo dedidit.

Stegeburg. arx Guſtavo deditur; ejus præfectus tandem ſe illi adjungit.

Sev. Norby illis ſuccurrere volens detrimenta capit ſuorum.

Calmariam & Stockholm. obſidentes aucti.

Nicop. arx traditur Guſtavo.

His eum in modum & ad nutum Guſtavi procedentibus in Svecia rebus, domum atque in Daniam ſuam reverſus Rex Chriſtiernus, imprimis Lubecenſes comperit haud uno modo durante bello clam palamque Svecis adfuiſſe, & eos ſubvectione commeatus vel alias, qua poterant, juviſſe. Quo nomine minus ipſis æquus hoc egit, ut omnis, quæ haberi cum Hanſaticis urbibus negotiatio ſolet, intra regnorum ſuorum Daniæ Norvegiæque oppida & loca contineretur. Præſertim cum Stapulæ jus, quod anno ſuperiori 1517. Hafniæ haberi, quam & evehere in emporium celeberrimum conſtituerat, ſucceſſum non habuiſſet. Quocirca evulgari codicillos curavit, quibus inhibebantur nobiles, prælati, colonique omnes, ne bona mercesque ſuas inter peregrinos diſtraherent, ſed ea, quæcunque eſſent, in urbes & oppida devehi facerent; quo ibi dari venum civibus poſſent. Quibus codicillis hunc in modum evulgatis, præcipue offenſæ Vandalorum Hanſaticæ urbes, ut & regni univerſi nobilitas, quod ejusmodi ſanctionibus eorum privilegia ac vetera ſtatuta haud parum infringerentur. Quin nec erant, quod notat Witfeldius, iis opibus cives, ut ſuo ære univerſos ex frumento aliisque mercibus reditus nobilitatis ac prælatorum comparare ſibi poſſent. Sed id egiſſe videtur, ut hoc edicto Hanſaticos moleſtia afficeret, irritaretque eos, & cives præterea plebemque ſibi propediem, nobilitati vero adverſam redderet. Nam nec ipſemet hujus edicti ſui memor, aut legis, quam aliis præſcripſerat, admodum obſervans regni reditus evehi ac vendi, quibuscunque lubebat, non intermiſerat, adeo ut non tam publicum civium ac civitatum bonum reſpexiſſe exiſtimaretur, quod multi augurantur, quam ut hoc pacto Lubecenſibus ac nobilitati obeſſe poſſet, natura ſcilicet pervicax ac auram præcipue gratiamque captans popularem, nobilitati adverſus. Evulgari per idem quoque tempus diploma fecit ſuper naufragiis. Etenim cum antea apud Danos hisque in oris res hominesque naufragi peſſime ubivis fere exciperentur, idcirco in poſterum cavit metuitque, ne ab indigenis incolisque ad littus habitantibus raperentur res alienæ. Trucidatis ſæpenumero ipſis hominibus ac nautis. Hoc piiſſimum Regis diploma ſtat in apologia Cornelii Scepperi Cancellarii olim ipſius Regis, qui ea apologia reſpondet Lubecenſibus, commemorans inter alia hoc diplomate egregio conſultum eſſe rebus naufragorum, invidentibus licet ac ringentibus nobilitate ac epiſcopis, qui inde ſummas ſibi opes conquiſiverant. Et addit, præſules illos non epiſcopos, ſed lupos verius fuiſſe, qui ob iſtam ſimilesque laudabiles ſanctiones Regem Chriſtiernum facta cum Lubecenſibus conſpiratione regnis ſuis exuiſſent. Diploma ipſum ſubjeci, quod eſt ejusmodi:

Diploma ſuper naufragiis.

In Scepperi apologia extans.

Nos *Chriſtiernus* Dei gratia Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ &c. Rex, Dux Sleſvici, Holſatiæ, Dithmarſiæ, comes in Oldenburg & Delmenhorſt omnibus & ſingulis præſentes noſtras litteras viſuris ſalutem & noſtrum ſincerum amorem & præſentibus obedire. Quoniam indies multorum relatione diſcimus, quanta mala e naufragiis provenire ſolent, quamque iniquos ſeſe multi hac in re exhibeant, ideo volentes huic rei pro viribus noſtris conſulere, deſtricte mandamus & præcipimus, hæc, quæ ſequuntur, ab omnibus qui nobis obediunt, aut quovis modo obedire volunt, obſervari. Primo, ſi aliquis nauta naufragium aut pericula maris perpeſſus fuerit, vel navis ſcopulo alliſa fuerit, volumus, ut illi & ſociis ejus pars, quanta illa fuerat, protinus cedat nemine reclamante. Quod ſi propriis viribus ſubvenire periclitantibus mercibus non poterit, volumus, ut præfecti noſtri minime auxilia illi denegent, ſed auxiliatores ſubornent, quandocunque pro juſta pecunia requiſiverint. Quisquis autem fuerit præfectorum, qui reclamaverit, vel contra hoc noſtrum mandatum egerit, potius hoc ipſum illi capitale ſit. Item quicunque ſuppetias tulerit his bonis liberandis, ſingulis diebus fideliter a diluculo usque ad veſperam inſudans habiturus eſt ſex Daniæ monetæ ſolidos; ita tamen, ut quilibet ſibi alimenta ſuppeditet. Quod ſi profundius ex mari bona iſta extracta fuerint, in duplo cuilibet præmium reſpondeat. Quod ſi per milliare in mari usque ad flumina opem tulerint, cuilibet eorum quotquot fuerint 24. ſolidi cedant pro diligentia ſua & expenſis, ut dictum eſt. Quod ſi ad hoc inſtrumenta ſubordinaverint, ut ad ea bona, ſi quæ graviora fuerint, e fundo elevanda, cuilibet pro perpetui diei labore duæ marcæ perſolvantur. Si autem his præmiis bona levata non reſponderint, lilis laboratoribus ceſſura ſunt. Qui autem

Chriſtianus Rex Lubecenſibus infenſior ob Svecis præſtita ſubſidia, Hanſaticorum in regnis ſuis commercia tollit.

Stapulæ jus Hafniæ conſtituendum non ſuccedit.

Codicillis vetat ne ſubditi extra urbes aliquid vendant.

Hinc offenſæ Vandalorum civitates & regni nobilitas.

Ejus rei conſilium.

autem currus disposuerint, atque ad locum ordinatum his bonis proximum scilicet templum vexerint, cuilibet currui marca respondeat; sic tamen, ut equis aurigæ de expensis providere suis sumptibus cogantur. Item si naufragi non fuerint solvendo, hæc laborantium præmia decernimus & mandamus, ut ipsi mercatori, cujus bona sunt, vel ejus scribæ præsenti, imo cuilibet nautarum potestas sit ex bonis tantum vendendi, quantum illis satisfaciat. Nec vir neque mulier audeat opem ferre periclitantibus bonis, nisi a naufragis subordinatus & requisitus sub pœna prædicta. Quod si bona, quæ periclitantur, talia fuerint, ut servari citra mutationem & corruptionem non possint, qualia sunt oleum, vinum &c. damus & concedimus præfecto nostro adjunctis duobus aut tribus spectatæ fidei civibus potestatem ea vendendi justa pecunia, atque pecuniam in commodum & usum justi possessoris, quandocunque venerit, reservandi, accepta ab illo pecuniæ redditæ quitancia, sicut & præfectus litteras det restitutionis, & alter acceptionis & requisitionis. Quod si aliquis præfectorum nostrorum, qualis fuerit officii, contra hoc egerit, naufrago in his bonis negotium faciens, punietur ut supra. Item si naufragio nullus marita vel comes fuerit, nostri commissarii hoc in templum proximum deponent, ut supra, servaturi, hoc possessori integrum annum, cui tum demum venienti bona reddantur. Ita tamen, ut laboratoribus & vectoribus &c. quemadmodum præscriptum est, persolvatur, si intra annum justus non advenerit possessor, facturusque est præfectus noster nobis horum bonorum rationem. Hæ præsertim quo nobis duæ partes, tertia proximi templi sacerdotibus pro naufragis oraturis proveniant. Quod si tertia pars major sit, quam admodum necessarium sit, in eos usus arrogare, tum sacerdotibus, quod decet, pro officio celebrando contribuetur, quod superfuerit autem, Hafniam deferretur, deponeturque apud cives ad hoc electos in usum pauperum erogandum, quoad bonorum latores quitanciam a civibus recipient. Et pro his bonis sacra sua semel in die in hospitalibus istis facta sint. Alia autem pecunia pauperibus orphanisque pro dote subveniatur. Item ne aliqua infamiæ macula nobis irrogetur, volumus, ut præfecti nostri apertum, non clancularium aut violentam rationem horum naufragiorum reddant; ita nobis ipse naufragus sub determinata pœna significabit, atque super hoc litteras hujus negotii promotrices impressas accipiet, ad hoc cuilibet expositas & subordinatas, & per magistrum Casparum secretarium nostrum Hafniæ impressas. Item hanc nostram ordinationem volumus & præcipimus ab omnibus tum ecclesiasticis tum secularibus, cujuscunque generis, stemmatis & officii, inviolatam cum omnibus & singulis punctis & articulis servari, quousque nostri delecti totius Daniæ regni consiliarii collecti aliud consilium præbuerint invenerintque articulum aliquem in his non satis justæ ordinationi respondentem, quem tum demum juxta illorum pium consilium in meliorem & saniorem modum emendabimus. Datum in castro nostro oppidi Hafniensis dominica trinitatis anno domini 1521. regnorum nostrorum Daniæ & Norvegiæ anno septimo, Sveciæ primo.

Memoratum superius ad annum 1519. de tribus Lubecensium navibus, quæ illis ex pacto Segebergensi, auxiliante præsertim Holsatiæ Duce Friderico fuere restitutæ. Ejus tum nomine, qui a Rege missi Segebergam fuerant, Volfius fuit Paviscius junior, & doct. Amelungus Amelungi, ut & doct. Ditlevus Smitter præpositus Lundensis, voluntque seorsim ad Regem per litteras retulisse Amelungum procuratum; unde Paviscus iratum Regem expertus concessit haud multo post ad Electorem Brandeburgicum, quo & Amelungum Regis nomine venturum cognoverat. Atque ibi Amelungum coram Electore hac de re conveniens petiit ex eo, an de ipso ejusmodi ad Regem detulisset, sed tergiversante Amelungo, ac rem ad compositionem amicam devolvente, parum obtinere Paviscius potuit.

Bergenses suburbani urbem miserè diripiunt.

Per idem hoc tempus celeberrimum illud Bergensium Norvegiæ emporium miserrimum ac fœdum in modum direptum ab operariis illis seu opificibus fuit, qui eo tempore pontem, ut vocabant, magno numero incolebant, cujusmodi erant calcearii, doliarii, vietores, sartores, fabri ferrarii & alii id genus, qui a Lubecensibus defendebantur, & eodem cum illis jure ac privilegiis fruebantur, præter tamen privilegiorum, quæ illis antiquitus concessa fuerant, rectum sensum & mentem, compellatique hac de re Lubecenses, se ignaris nec volentibus id perpetratum respondebant. Unde postmodum, ut solent fere ex malis moribus nasci bonæ leges, sub urbanum magistratum ejusque dicasterium revocati hi omnes.

Hinc coacti sub magistratum urbanum.

Rex Christ. in Belgium ad Car. Imp. sibi affinem abiens ab eo impetrat, ut duces Holsatiæ loco episcopi Lubec. ab ipso per Holsatiam suscipiant.

Rex Christiernus haud multis diebus, postquam sibi jam dicto audientem Sveciam ut existimabat in totum reddidisset, festinato ad Imperatorem Carolum affinem suum, qui tum in Belgio erat, iter ingressus fuit, atque ibi præcipue ab eo petiit, ut ab ipso deinceps Holsatiam acciperent principes, sub vice, ut loquuntur, delegatoria, non vero ab episcopo, quemadmodum hucusque consueverant; indignum scilicet ratus, ut Holsatiæ duces ab Episcopo, qui ipsis minor esset, principatum susciperent. Quin & varie eodem tum tempore apud Cæsarem Lubecenses accusavit, deque illis querelas instituit, ac simul id effecit, ut ad præsulem Raceburgensem suos codicillos Cæsar transmiserit, quibus monebatur, ne in nervum, quod dicitur,

Lubecenses item varie accusat.

citur, aut bellum res erumperet, animum induxisse, se id, quicquid esset controversi, quod Lubecenses spectaret, in universum tollere ac pacare. Dum autem Belgium transit Rex, intellexit eodem advenisse episcopum suum Nidrosiensem Ericum Walchendorpium. Etenim is cum non ignoraret inimico in se animo esse Regem, & ob id a Regiis præfectis indigna indies pateretur, constituerat in Daniam navigare, & causam suam apud ceteros, qui ibi erant, præsules deponere, idque dum agit navigatque, oborta desubito tempestas, quæ navem in Hollandiam detulit. Cum igitur Amstelodami esset, idque Regi, qui eodem accesserat, significaretur, continuo misit, qui a se hominem adduceret. Sed episcopus delata ad magistratum causa, cum se ut episcopum provocare ad Pontificem maximum nec eo loci Regis sui, sed Pontificis solius mandatis atque imperio teneri responderet, nihil in eum permittendum Regi magistratus judicavit. Inde Amstelodamo Ultrajectum se contulit, ac ultimo Romam est profectus, ut causam atque innocentiam suam ad summum Pontificem deferret. Ac ibi dum hæret, & æs sibi alienum contrahit, ex hac vita migravit. Ultrajecto tamen priusquam decederet, litteras dedit ad regni Daniæ senatores, in his præter cetera magistratus Amstelodamensis erga se ut & civium, & præsertim hospitis sui Pompei Oeconis humanitatem deprædicans, prolixe recenset quid a regiis præfectis in Norvegia passus fuisset, iram Regis erga se concitatam a Sigbreta occasione mandati Cæsarii, quod de ejus abdicanda filia ad Regem pertulisset, de quo superius est relatum; tum addens de profectione sua e Norvegia, refert in Hollandiam se casu delatum, atque ibi intellexisse, eodem venturum Regem & ideo Amstelrodami substitisse, sed Regem quamprimum advenisset, deque ipso accepisset per prætorem & magistratum voluisse apprehendi ipsum, ac sibi sisti ut sacrilegum & raptorem, quique ædes Norvegiæ sacras deprædatus fuisset, sed a magistratu ut sacerdotem fuisse defensum, frustra reponente Rege, se hoc nomine indemnes ipsos præstiturum tam apud Pontificem maximum, quam apud Cæsarem. Et causam postremo suam supremo senatui commendans significat, paratum se cum suis coram Rege & ipsis sistere, modo eam securitatem, cui certo fidere possent, ipsis præstarent.

Ericus Walchendorpius episc. Nidros. tempestate illuc delatus.

Hominem ad se arcessendum jubet Rex;

sed obnititur magistratus.

Hinc Romam proficiscitur episcopus Pontifici querelas contra Regis præfectos expositurus; ibique exspirat.

Litteris Ultrajecti datis causam regni senatum edocuerat.

Dumque in Belgio hæret, instant apud Holsatiæ ducem Fridericum Lubecenses, ut ex pacto Segebergensi libere ipsis permittatur, Sveciam ceteraque ea loca commerciis suis frequentare, & maxime cum ejus modo regni compos Rex esset. Dux, ut Lubecensibus satisfaceret, ablegat in Daniam nuncium suum ad Reginam Elisabetham; quæ responsum continuo dedit, nihil absente Rege, qui ad Cæsarem erat profectus, certo statui atque concedi posse. Et ipsi tum quoque Lubecenses, cum similem in modum urgerent, & vetus ipsis piscatio, quæ haberi apud Scanorenses solebat, restitueretur, nihil etiam obtinere potuerunt; quod domo Rex abesset, & minus Lubecensibus æquus esse diceretur, ob naves Anglicanas a Lubecensibus, uti dictabant, captas direptasque: cum eas tamen non Lubecenses, sed ipsiusmet Regis prætoriæ intercepissent, sicut & ante Dantiscanorum aliquot naves injecta manu teneri ac exonerari fecerat, quas inde milite & commeatu repletas Stocholmiam misit ad sustentandos iis in locis præsidiarios. Cumque exinde, tam domi quam foris pessime audiret, ob perpetratam a Svecis immanem illam lanienam, idque nec ignoraret, idcirco ut a se invidiam amoliretur, petiit per legatum a Pontifice, ut porro quæ ab ipso jam essent facta, suo testimonio calculoque probaret, præsertim cum jam ante Svecos, ut est memoratum, sacrorum usu prohibuisset, & ejus quoque operam ad exsequendam sententiam Rex imploravisset. Misit Pontifex Johannem a potentia Cardinalem, qui omnibus propius inspectis discussisque nihil a Christiano factum præter jus pronunciavit. Et volunt, eundem Cardinalem publico instrumento, quod Regi exhibitum sit, idem firmasse, idque secum, cum regno excederet Rex abstulisse; quamvis de eo dubitare videatur Vitfeldius, præsertim, cum id typis editum nuspiam sit visum. Et Scepperus in apologia sua non instrumentum, sed processum vocet, ubi ait: Romanus Pontifex misso legato D. Johanne de potentia, qui legitima inquisitione facta, ut ex ipsius, qui penes nos est, processu patet, nihil præter justitiam factum esse judicavit.

Lubecenses a Frider. D. Holsat. efflagitant, ut libera sibi fiant commercia cum Svecis cet.

Quos ad reginam ablegat, hujusque responsum.

Et ipsi tum quoque Lubecenses, cum similem in modum urgerent, & vetus ipsis piscatio, quæ haberi apud Scanorenses solebat, restitueretur, nihil etiam obtinere potuerunt; quod domo Rex abesset, & minus Lubecensibus æquus esse diceretur, ob naves Anglicanas a Lubecensibus, uti dictabant, captas direptasque: cum eas tamen non Lubecenses, sed ipsiusmet Regis prætoriæ intercepissent, sicut & ante Dantiscanorum aliquot naves injecta manu teneri ac exonerari fecerat, quas inde milite & commeatu repletas Stocholmiam misit ad sustentandos iis in locis præsidiarios. Cumque exinde, tam domi quam foris pessime audiret, ob perpetratam a Svecis immanem illam lanienam, idque nec ignoraret, idcirco ut a se invidiam amoliretur, petiit per legatum a Pontifice, ut porro quæ ab ipso jam essent facta, suo testimonio calculoque probaret, præsertim cum jam ante Svecos, ut est memoratum, sacrorum usu prohibuisset, & ejus quoque operam ad exsequendam sententiam Rex imploravisset. Misit Pontifex Johannem a potentia Cardinalem, qui omnibus propius inspectis discussisque nihil a Christiano factum præter jus pronunciavit. Et volunt, eundem Cardinalem publico instrumento, quod Regi exhibitum sit, idem firmasse, idque secum, cum regno excederet Rex abstulisse; quamvis de eo dubitare videatur Vitfeldius, præsertim, cum id typis editum nuspiam sit visum. Et Scepperus in apologia sua non instrumentum, sed processum vocet, ubi ait: Romanus Pontifex misso legato D. Johanne de potentia, qui legitima inquisitione facta, ut ex ipsius, qui penes nos est, processu patet, nihil præter justitiam factum esse judicavit.

que responsum.

It. de piscatione circa Scan.

Arguuntur Lubecenses direptionis navium Anglic.

Hi vero sibi a Danis violentiam factam queruntur.

Facinorum approbationem Rex a Papa petit, qui etiam misso purpurato judicat nihil præter jus esse factum.

Hinc reversus e Belgio Rex evocari ad se Coldingam curavit Holsatiæ ducem Fridericum patruum suum; is ubi advenisset, in speciem atque honorem intra arcem hospitium ei assignatum, relictis, quos secum adduxerat, in oppido plerisque. Statim deinde exhiberi ipsi mandatum Cæsareum fecit, quo imperabatur, ut ab ipso, non autem episcopo Lubecensi Holsatiæ ducatum deinceps haud aliter quam Slesvicensem susciperet. Eadem, qua advenisset, nocte erigi in terrorem patibula ac furcas circa forum curavit, idque ante fere hospitia, in quibus diverte-bantur Holsati, quo eo scilicet citius dux postulatis ejus assensum commodaret. Verum Slesvicensem ducatum quod attineret, non negabat dux eum ad Daniæ regnum spectare, & ab eo ejusque Regibus solenni more suscipiendum semperque fuisse susceptum. De Holsatia vero aliter rem habere demonstrabat, & tantillum sibi temporis a Rege concedi petebat, ut de eo cum ducatus sui nobilitate ac proceribus publico indicto conventu agere liceret. Cæsaris hac de re codicilli regiæ ejus majestati qui erant indulti, hunc fere sensum habuerunt.

Rex Ducem Frid. evocat Coldingam communstrans ipsi Cæsaris decretum de Holsatia a Rege suscipienda; patibula ibidem erigi curat.

Resp. Dux

& quoad Holsatiam recusat.

Cæsaris codicilli hic inseruntur.

Nos Carolus &c. notum facimus omnibus atque universis, fuisse olim Holsatiæ ceterosque eodem spectantes ducatus ac ditiones sacro S. Rom. imperii proprias atque inde a prædecessorum nostrorum nonnullis Romani imperii Cæsaribus ac Regibus permissas concessasque præsuli ac diœcesi Lubecensium his legibus ac conditione, ut eosdem ducatus fructusque ab imperio ut beneficium acceptaret, atque inde eosdem imperii nomine in possessores transferret, clientelari ratione & modo. Et jam cum aliquamdiu iidem præsules acceptare a sancto Romano imperio eosdem ducatus ditionesque neglexerint, atque ideo relapsi ad imperium sint, idcirco potentissimum atque illustrissimum principem Christiernum secundum Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum Regem, Slesvicensium, Holsatiæ, Stormariæ ac Dithmersiæ ducem, comitem in Oldenburg & Delmenhorst, fratrem nostrum & affinem charissimum præsertim (cum & jus ei hereditarium in eosdem competebat) ornamus donamusque iisdem ducatibus secundum Cæsareorum nostrorum codicillorum (quos ea super re confici jussimus) sensum ac sententiam, ut nimirum in posterum Holsatiæ ceterique illi ducatus ut feudum, quod vocant, secundarium a fratre nostro charissimo Daniæque acceptentur Regibus &c. Nec exinde nos aut successores in imperio nostro haud unquam episcopo Lubecensi aut ejus diœcesi potestatem faciemus aut restituemus, aut eum ejusque successores ullo ejusmodi successores ullo ejusmodi denuo honore dignari animum induximus &c. Datum Gandæ Flandrorum 1521. Julii 21. imperii nostri 21. Romani regni tertio, aliorumque regnorum septimo.

It. Cæsaris litteræ commonitoriæ ad Frider. Duc.

Similem in modum litteras etiam dedit ad Fridericum Holsatiæ ducem, eum iterum serioque adhortans commonensque, ut Cæsaris codicillis, quos Christierno Regi indulsisset, aurem obsequiumque commodando ab eo solo ducatus suos clientelari modo moreque acceptaret, neque ei se ullo pacto opponeret, præsertim cum ille suis regnis, ditionibus ac populis non uno modo adesse prodesseque Romano imperio posset, & idem quoque postulatum ejus videatur sibi honestissimum, & ideo iterum denuoque, ut obsequatur quam amicissime adhortari rogareque, reservatis semper Cæsareæ majestatis sanctique imperii, populorumque ejus ac magistratuum juribus ac prærogativis quomodo & regia ejus Danorum majestas hæc se sarta tectaque habiturum sanctissime promisit. Datum ut supra Gandavi Flandrorum 1551. 20. Julii. Reperio circa idem hoc tempus & quantum conjicere licet, post ejus e Belgio reditum ipso volente ejectum ex aula ac munere suo depositum Johannem Mansnerum Reginæ confessorem. Quæ ad Cæsarem ubi essent delata, litteras hoc nomine ad Regem misit benevolentiæ, qua ipsum complectebatur, significatione plenas; addens, neque dubitare se de ejus erga sororem conjugem ac Reginam ipsius maritali charitate. Et inde miratum, quam ob rem ejus confessorem Johannem Mansnerum aula & officio, quo apud eum fungebatur, exsolvisset privassetque; existimare se, id non nisi dolori sorori suæ esse, ubi se spoliatum ministerio ejus videat, præsertim cum in eum accusatio non cadat, & nil præter officium feciisse constet: petere igitur, ut in locum restituatur veterem, ac Reginæ, ut antehac suo ministerio inserviat, ac ejus quæ spectent salutem deinceps procuret. Idque se apud eum, qui in arduis multoque majoribus rebus convenire soleant, facile obtenturum, neque sibi denegatum iri omnino confidere. Sed has litteras Mansneri nomine procurasse apud Cæsarem, ab ipso exinde suspectatus fuit Maximilianus Reginæ a cubiculis, cumque haud multo post denuo ad dominam Marcam in Belgium esset ablegatus, emisit continuo, qui eum in via insequerentur atque assecutum clam trucidarent.

nere orbatus.

Hinc Cæsaris ad R. litteræ.

Litterarum harum procurationis suspectus Mansnerus subornati, qui eum in Belgio perimunt.

Joh. Mansnerus reginæ confessor mu-

Nec aliter e medio sublatus ab eo Stephanus Uberstenius, qui cum fidem suam in bello Svecico multoties Regi regnoque probasset, atque esset hoc nomine præfectura Oelandiæ redonatus, accidit, ut Hafniæ in publico diversorio postquam gladium in adversarium commilitonem suum strinxisset, eum quæri atque e templo asylo, ad quod confugeret, palam abduci fecerit, idque haud aliam ob causam, quam quod ei Oelandiam ulterius permittere nollet, ac inde in contumeliam Teutonicæ nobilitatis decollari est jussus, nihil eum juvante, quam pro Rege regnoque sæpenumero exercuisset, fideli sua opera.

Steph. Uberstenius item vita privatus, cum ei invideretur præfectura Oelandiæ.

Per idem quoque tempus ut hic ejus ingenita notetur sævitia, ad eum missi ab ipsius præsidiariis, qui tum adhuc Sveciæ præcipue maritima tenebant, ex ordine equestri tres, inter quos Hedensdorpius quidam celebratur, qui partim super Theodori Slagheccii jam ad episcopatum Strengenecensem, uti diximus, promoti, arcis alias Stocholmiensis præfecti, morositate ac duritie querelam instituerent, partim ut præsidiariorum solutionem efflagitarent, horum postquam postulata accepisset, ipse confestim recedens per anum Sigbretam atque arcis Hafniensis præfectum sub noctem ingruentem intra arcis aream gladio percuti ac decollari illos mandavit. Quo quid dici aut fieri crudelius potuit, quam homines innocentes, quique status sui publicam necessitatem a suis delegati significatum venerant, ad lanienam ac supplicium, idque de nocte a ceteris ignaris, nec admisso, apud quem expiare se peterent, sacerdote, ac per carnificem abripere.

Quidam præsidiariorum ex Svecia, delegati de morositate Slagheccii conquerente & sociorum solutionem efflagitantes trucidati.

Sed est haud multo post e Svecia subsecutus ipse Mag. Theodorus Slagheccius & præsul

Accedunt e Svecia Slagheccius, Sk-

denackius & archiep. Gnſt. Trolle reſeſentes ſuos laborare ejemque effugitantes.

præſul Skaldenackius, calvus latine dictus, ut & archiepiſcopus Guſtavus Trollius, ad Regem referentes ſinguli, in armis eſſe Svecos inſtigante eos Guſtavo Erici; extremaque pati Stocholmienſes, Calmarienſes & Aroſienſes, atque opus eſſe, ut tempori, quæ requirebantur, commeatus ſc. militesque eodem amandarentur. Sed Regi archiepiſcopus jam minus erat gratus eumque averſari videbatur, quod intra Sveciam haud ſubſtitiſſet, ubi opera atque ope ſuorum amicorum, quique ſangvine ipſi erant juncti, rebus lapſis ſuccurrere eaque exſequi potuiſſet, quæ occaſio ac tempus dictaſſent. Diu exinde Regem prenſans, comitansque, parum ab ipſo opis ſolatiique impetravit. Quod in animum Rex revocaret, infeliciter ejus cauſa tentatos Svecos, totque exinde clades ac detrimenta ſibi objecta, quibus modo premeretur. Tamen quia jacta eſſet alea, ne cœpta deſerere omnino videretur, equitum quadrigentorum cohortes, præfecto illis dato Erico, comite Holſenſi, ut & peditum juſtum numerum, ducentibus eos Georgio Hoffund, Georgio Herde aliisque centurionibus in Sveciam amandavit.

Rex archiepiſcopo ſuccenſet, quod jam abſenti ſuis in Svecia non ſuccurrat.

Rex mittit quasdam equitum cohortes in Sveciam.

Rex a Georg. Scotbergio ſibi tradi inſ. Bornholm. poſtulat.

Seorſim cum electo Lundenſi Georgio Schotbergio agere inſtituit, ut cederet ipſi inſulam Borringholmienſem, quod ea ejusque portus percommodi eſſent, conſervandis a vi atque injuria tempeſtatum, ſuſtinendisque, quas indies in Svecos mittenda haberet, claſſibus, tum & demonſtrabat, Daniæ Regibus in eam inſulam peculiare eſſe jus, idque vi litterarum, quas archiepiſcopus Lundenſis Nicolaus ſub a. 1362. Regi Valdemaro tradidiſſet, quibus ſignificabat ac profitebatur, eam inſulam arcesque ac municipia ejus beneficium ſeu feudum eſſe Regis Waldemari ſibique tradita a Jacobo Splid, ac redditurum eadem Regi Waldemaro aut ejus heredibus Daniæ Regibus. Scotbergius commiſſo contigiſſe id eo tempore, cum ab Holſatis Regi Svecorum Magno Smeco divendita eſſet Scania; ac tum Borringholmenſes ipſumque Lundæ epiſcopum non tam diœceſin quam Daniæ Regem reſpexiſſe reſpondit, capitulo ſe Lundenſi ſacramentum dixiſſe, atque ideo cedere eam Regi ditionem nec velle nec audere; malle ſe renunciato ſuo munere monachum profiteri. Quod cum illi Rex permitteret, ſumpto Franciſcani habitu Hafniam conceſſit. Inde in Cimbricam cherſoneſum Ripas proficiſcens, comitatus haud multo poſt eſt Mag. Thomam canonicum Haderslebienſem Romam usque, ubi cauſam ſuam querimoniasque ad aures Pontificis maximi detulit. Sunt alii, qui memorant ſuper eodem Scotbergio, eum cum ſummus regni præſul eſſet conſtitutus, ac Romam ſuos mitteret, ut confirmationem ipſi a Pontifice impetrarent, litteras ſimul ad Pontificem dediſſe, quibus a Pontifice flagitabat, ut diplomate pontificio minaretur Chriſtiano in Sigbretam feminam impiam, & cujus filiam diu antea in contemptum Iſabellæ feminæ multo illuſtriſſimæ magna cum Dei omniumque regni ordinum offenſa concubinam habuiſſet, removeret, ſacris ſe ei interdicturum eſſe, ac eas litteras ſtudio nuncii non traditas pontifici, ſed Sigbretæ, & eam continuo ad Regem detuliſſe, ac Regem mox eundem nuncium Romam ablegaſſe una cum Theodoro Slagheccio, homine, ut ante eſt a nobis deſcriptus, flagitioſo ac mancipio præſertim Sigbretæ, quem Pontifex petente id Rege, archiepiſcopatu Lundenſi, depulſo Scotbergio, exornavit. Sicque per ſummam injuriam dejectum Scotbergium tamen poſt a Pontifice obtinuiſſe, ut ſedes ipſi ſua redderetur, & in ordinem redacto Theodoro Slagheccio, a Lubecenſi ac Bremenſi epiſcopis confirmaretur, & eundem, ut ſe contra iram odiumque Chriſtiani communiret, litteras Pontificis commendatitias illi attuliſſe, ac iis motum Chriſtianum, cum pontificis gratiam eo tempore neceſſariam maxime exiſtimaret, preſſo animi affectu in ſpeciem benigne excepiſſe, & paſſurum etiam facile fuiſſe, ut capeſſeret deſtinatam dignitatem, ſi per alios licuiſſet. Ita illi falſa veris miſcentes. Nam ut nihil jam referam de litteris, quas ad Pontificem Scotbergius de Sigbreta ſcripſerit, cujusmodi nihil habent acta domeſtica, ita verum non eſt, ante hoc, de quo jam retuli, tempus, ceſſiſſe epiſcopatum Scotbergium aut ullas ad Chriſtianum Regem attuliſſe a Pontifice commendatitias litteras, cum id multo poſt acciderit tempore nimirum Friderici primi, qui in locum Chriſtiani eſt ſurrogatus. Tum enim videns Scotbergius ſucceſſiſſe Regi Chriſtiano jam extorri Ducem Fridericum patruum ejus, impetravit ab eo ad Pontificem commendatitias litteras, quibus etiam denuo ad archiepiſcopum Lundenſem per pontificem maximum eſt deſignatus. Sed a Rege Friderico res aliter acta, præſertim cum non legitime ſed per Regem Chriſtianum intelligeret electum Scotbergium, & alium, cui Acho Sparre nomen erat, a capitulo ſolenniter fuiſſe vocatum. Cumque idcirco Achonem, non Scotbergium, ad eam dignitatem, non nolente etiam ſummo Pontifice promovit, atque intravit Rex Fridericus, ut ſuo exinde loco memorabo.

Illo renuit additis rationibus,

hinc monachi habitum ſuſcipit

ac querelas ad Papam defert.

Juxta aliorum relationem.

Scotbergius apud Pontificem accuſat regis

cum Sigbreta familiaritatem,

hinc Theod. Slagheccius Romam miſſus loco Scotbergii reportavit archiepiſcopatum Lundenſem,

reſtitutum tamen illum poſtea ferunt.

Sed notatur hæc narratio.

Jam ut ad ſeriem narrationis redeam. Rex cognito ſuſceptam a Schottbergio monaſticam vitam convocat extemplo prælatos Lundenſes & in his Mag. Achonem Sparre diaconum, Atzerum Petrum cantorem, Nicolaum Conradi archidiaconum, Nicolaum Canuti ſeniorem, Holgerum Sckalder aliosque. Cum his iterum de tradenda ſibi Borringholmia agit. Sed ille ſe excuſantes pertinere eam inſulam reſpondebant ad diœceſin Lundenſem, unde continuo licet eum in modum, ut retuli, amice ab ipſo eſſent evocati, in fœdum eos carcerem conjici juſſit, ac ſtatim exinde contra fas & æquum, contra capituli jura ac privilegia, quæ firmata erant a Pontifice

Scotbergio monaſticam vitam amplexo Rex Chriſtianus Borringholmiam ſibi vindicat. Monentes, eam inſ. ad diœceſin Lund. pertinere, in carcerem detrudit.

tifice Romano, Borringholmiam ſuam fecit una cum arce Hammershuſa & præfectura univerſa Aahuſienſi in Schanis ſita. Quin & Theodorum Slagheccium hominem commendatum, ad ſummum archiepiſcopatus Lundenſis culmen evehit, ut vel inde arguantur, qui hunc Theodorum, antequam in Svecia arci Stocholmienſi imponeretur, ſupremum Lundenſium fuiſſe antiſtitem injiciunt; epiſcopum vero Johannem Skaldenach, vulgo Calvum dictum, quem ut injectum ſuperius, carcere Borringholmenſi exemptum in Sveciam ſecum abduxerat, ut virum induſtrium ac juris canonici peritum, quem & epiſcopum ibi deſignari Scarenſem fecerat. Eum epiſcopatu jam dejectum & e Svecia reducem iterum carceri includi in eadem hac inſula Borringholmenſi mandavit, cum initio animum induxiſſet eum aquis merſum necare. Anni finem, qui fuit 8. Decembris coronavit obitus Chriſtinæ matris ejus. Filia fuerat hæc Erneſti Saxoniæ Electoris nupta patri ipſius Johanni ſub annum 1478. cum decem & ſeptem vix eſſet annos egreſſa, femina ut raris, quæ hoc faſtigium decent, animi dotibus prædita, ita imprimis pietate inſignis. Viſitur Mauſolæum ejus Otthoniæ intra cœnobium Franciſcanorum, quod ipſa luculentis ædificiis præclaris operibus exornaverat. Et vero, ut matrem ipſi Chriſtinam hic annus abſtulit, ita reddidit filiam matri cognominem. Hanc Chriſtinam Cæſar exinde Carolus deſponſavit Mediolanenſium Duci Franciſco Sfortiæ, atque inde ſecundis nuptiis eſt tradita eadem Lotharingiæ Duci, mater poſtmodum facta multorum illuſtrium utriusque ſexus liberorum, ut ſuo referetur loco, ſi numen faverit. Erat ei inter ceteros a ſecretis Georgius Hoffenſtener, cujus opera in arduis ſæpenumero negotiis apud Cæſarem & electores uſus fuerat, hunc anno ſuperiori proximo, qui fuit milleſimus ſupra quingenteſimum vigeſimus ſecundus, eum in modum apud eum detulerat criminataque fuerat anus illa, ſive aulicam Medeam dicam, Sigbritta, ut jam vitæ ejus fortunisque immineret. Quod cum animadverteret Georgius verſo ſolo Lubecam conceſſit. At Rex non ignarus, nota ei ſecreta ipſius eſſe, denuo iterumque, ut rediret, per litteras petit, ſed incaſſum; quod ſibi haud parum metueret, videns ſcilicet veſtigia, ut ille inquit, leonis omnia in adverſum ſpectantia, nulla retrorſum. Nec multo poſt cum ſe identidem peſſime ubique audire Rex intelligeret crudelitatis perpetratæ nomine, quo itaque in alios & maxime in autores, quibus ut conſiliariis uſus fuerat, culpa derivari poſſet, juſſit magiſtratum Theodorum Slagheccium, quem Lundenſibus archiepiſcopum impoſuerat, Hafniam evocari, ac eum publicitus accuſari, quod ejus ſeveritate ac immitibus conſiliis, jam denuo rebellarent Sveci, quod ille præcipue lanienæ quoque ejus atque immanitatis, quæ in reverendos illos Sveciæ præſules atque reliquos honeſtiſſimos viros erat exercita, ut & ſimilium crudelitatum aliarum autor ſvaſorque exſtitiſſet. Ad diem igitur Januarii 24. poſtquam tortura quoque ad criminum confeſſionem eſſet protractus, in forum inde, quod vetus vocant, fuit deductus; ubi & patibulum & rogum paratum vidit. Rex urbe exceſſerat, aut ſaltem abſentiam ſimulaverat. Sigbritta quoque, cujus ſolius commendatione tot dignitatibus fuerat cumulatus, in proximo habitans, claudi eo die fores & feneſtras ædium ſuarum imperaverat. Atque inde ad patibulum collo in laqueum inſerto cum eſſet productus & ſcalas aliquot juſſus aſcendiſſet, deſcendere eum ſpiculator monuit, ſatis in eo itinere profectum dicens, alio progrediendum eſſe. Ad rogum igitur ubi eſt ventum, veſtibus exuitur holoſericis & ſcalartinis, ut & crepidis ſimilibus. Quæ cum ſingula poſuiſſet, excepto femorali atque induſio, ſcalis eſt alligatus, inque ignem deſuper conjectus. Præco, qui cauſam pronunciaverat, inter cetera referebat, eum, qui apud Svecos occaſio & autor fuiſſet tot ſuſpendio incendioque miſerrime peremptorum idem ſupplicium jure merito ſubire; Compertum etiam verum ei jam olim prædixiſſe præſulem Johannem Calvum, vulgo Skaldenach dictum, cum eum & ſuſpenſum aliquando & exuſtum iri diceret. Refert nobiliſſimus Vitfeldius, cum ad ſupplicium duceretur, videretque in ponte arcis ſupplicio obviam ibi fieri Caſparum Brochmannum, unum e regiis ſecretariis, ſalutaſſe eum ac dixiſſe; Vale Mag. Caſpare, hæc ſunt præmia laborum noſtrorum: ſed repoſuiſſe Caſparum, non, non, pœna peccati, pœna peccati. Ex ante memoratis conſtare puto, hunc Theodorum e Veſtphalia oriundum, arte tonſorem fuiſſe, & ea cum Romæ adoleſcens aliquamdiu vitam toleraſſet, in patriam inde reverſum, ac mox in Daniam reverſum, poſtquam ſe in gratiam Sigbrittæ per Hermannum Hondium ejus fratrem inſinuaſſet, Regi ab eadem eſſe commendatum, ac tanta exinde gratia apud eum valuiſſe, ut omnibus prælatus ad ſummos honores evectus ſit. Nam in Italiam, quia linguam ibi tonſor didicerat, ad Pontificem eſt ablegatus, ac Sveciæ mox pro-rex arcem ac urbem Stocholmienſem ſua in poteſtate tenuit, accepto etiam Strengenecenſi epiſcopatu, poſtquam ſecuri eſſet percuſſus, ut ante memoratum eſt præſul Strengenecenſis Johannes. Atque inde rebellantibus de novo Svecis, duce Guſtavo Erici, cum ſe in Daniam evocatus recepiſſet, Lundenſium archiepiſcopus ac regni Daniæ primas in locum Scotbergii eſt deſignatus, in altum ſcilicet & ad ſumma hoc pacto provectus, ut lapſu graviore rueret, homo ad truculentiam ac bonorum perniciem natus; & eo cum ferri etiam Regem animadverteret, currenti alas & calcaria addidit. Spectat huc hujus inſtar Cæſar Borgia. Is cum in ſuam poteſtatem Romaniam Flaminiamque redegiſſet, continuo ſummos earum ditionum viros

tuncque Slagheccium præſulem ſummum Lundenſem conſtituit,

Jo. Scaldenach ſ. Calvum epiſcopum cuſtodiæ rurſus tradit Bornholm.

Chriſtina R. mater obit.

Ejusdem nominis filia naſcitur.

A. 1522. Georg. Hoffenſtener Regi a ſecretis inſidias Sigbrittæ effugit fruſtra revocatus.

Rex crudelitatis perpetratæ cauſas in conſiliarios derivat. Præcipue in Theod. Slagheccium, qui ad patibulum ductus vivus dein comburitur.

Ejus ortus & fata.

Simile exemplum inſeritur.

viros e medio tolli curavit, existimans se hoc modo stabiliturum sua, usque in hanc rem opera fuerat, hominis sibi haud dissimili ingenio Remari Orchi. At ipsemet huc profectus cum se ob immanitatem suppliciorum exosum omnibus intelligeret, culpam conjicere in Orchum cœpit, ac eum ante diluculum gladio percuti jussit, capite ejus intra pedes collocato. Et licet hoc pacto nonnihil satisfactum plebi populoque videretur existimantibus, inscio Borgia hæc talia ab Orchio perpetrata; haud tamen desiit, quod erat, esse tyrannus Borgia: nec mutavit pellem aut indolem suam Christiernus.

In ejus locum surrogatus Jo. Wee Belga mox regem exsulem secutus.

Slagheccius igitur postquam vix duobus mensibus præsulatum tenuisset, surrogavit in ejus locum Rex Johannem Wee, hominem Belgam, ex Wesiorum, ut existimo, apud Gelros nobili prosapia ortum. Hic annum vix unum ea dignitate potitus fuerat, cum herum ac Regem suum mox exulem secutus est. Postmodum a Cæsare Carolo ac Rege Ferdinando in antistitem Constantiensem est postulatus, qui & ejus in arduis variisque imperii negotiis opera consilioque haud semel usi fuere, utpote viri singularis industriæ ac prudentiæ. Meminit quoque ejus Johannes secundus in epistola quapiam ad fratrem Hadrianum Secoviæ in Hispaniis scripta, ubi eum episcopum appellat Lundensem. Quin & ejus præclaram mentionem facit epicedium, quod ei est positum in choro, ut vocant, monasterii, quod in insula est Rheni intra Constantiam Richena dicta. Hoc anno 1601. cum eo iter facerem, legere me atque excerpisse memini. Est autem ejusmodi: Reverendissimus in Christo pater ac dominus Johannes a Vetra, episcopatu Lundensi in Dania & ejusdem Sveera Ganeolo Roschildensi exulans episcopus, in gratiam Romanorum Imperatoris Caroli nec non Regis Ferdinandi in episcopum Constantiensem postulatus repentina morte 13. Junii anno a nato salvatore M D XXXXVIII. præventus sub hoc saxo sonum tubæ exspectat.

Ejus postea episcopi constantiensis epicedium.

Rex Ottonem Crumpenium præfectura Helsingburg. privat,

Per idem hoc tempus, qui fuit, ut indicatum, annus Christi 1522. dom. Otthoni Crumpenio Helsingburgi præfecturam & arcem ademit, illustri ac nobili viro & qui id ipsum ab eo minime commeruerat, utpote militiæ Svecanæ supremus præfectus, & cujus præcipue armis consiliisque superiori bello ad fidem atque obsequium Sveci compulsi fuerant. Similiter quoque præter fas & æquum Tygoni Krabbe pagum invertit Fiskebech dictum, qui patri ipsius ipsique hæreditarius erat, nulla habita ratione meritorum ejus, quæ bellis paternis in Dania Norvagiaque adversus Svecos toties tamque illustria fuerant.

Tych. Krabbe pagum suum eripit,

leges novas & plerumque

Leges tum quoque tulit non minus novas quam regno omnique statui graves ac pericu-

losas. Nam adsvescere hujusmodi, rejectis, quæ recepta fuerant, haud facile habetur. Et licet intercurrerent nonnulla, quæ usum haberent, pleraque tamen alio abeunt. Præter cetera novum in iis justitiæ forum instituit, quod singularum ditionum ac præfecturarum territoria concerneret. Hoc duobus & tribus, qui juris essent periti, doctoribus ac totidem secretariis ac notariis constaret. Hi autem assidue regiam sectarentur. Regni quoque sigillum iisdem concrederetur. Huc ditionum judices præfectique pagorum confluerent, causæque ejusmodi omnes deferrentur. Cujusmodi munus proprium est cancellarii, qui regni dicitur. Modum quoque iisdem in legibus ponit archiepiscopo, ne comitatus ejus numerum excedat vicenarium; ceteri præsules famulis haud ultra decem aut duodecim stiparentur. In iisdem quoque erat, cautumque volebat, ut ubicunque urbem aut similem locum esset ingressurus, ibi in occursum ei consules senatusque venirent, equis descenderent seque in genua demitterent, ac claves per prætorem offerrent, nec exsurgerent priusquam ipsis per eundem prætorem reddi claves feciisset. Tumque equis conscensis in urbem Regi præcederent. Prætor supra consules haberetur, & ad eum, in emporiis præsertim, deferrentur causæ omnes, quas regias vocant. Filium aut liberos suos frequentare ludum litterarium nemo permitteret, nisi eis eæ essent facultates, ut eos propriis sumptibus alere possent. Extra regnum nulli fas esset studia sua persequi, nisi qui intra regnum aut ejus academiam titulo bacalaureatus esset ornatus. Nobilium ædes, quæ haberentur intra emporia, eæ civium essent propriæ, excepto solo, quod ad nobiles solummodo pertineret; Equos neque boves frumentumve extra regnum transferri, nisi per cives, fas esset, boves stabulariis ad usque Ripas Cimbrorum neque ulterius agi ducive concessit, ut ibi scil. a mercatoribus externis peterentur. Hæc aliaque ejusmodi ab eo tum lata, quæ tamen antiquata postmodum a patruo ac successore ejus Duce Holsatiæ Friderico. Viburgi autem in comitiis provincialibus publice exusta sunt, ut regni bonis legibus statui adversa periculosaque.

promulgat;

quæ postea abolitæ.

Sev. Norby regis jussu

Hinc sub idem fere tempus Severino Norbyo, regni, ut vocant, admiralio, qui intra Gothlandiæ insulam haud exiguam navium ac classiariorum ut & militum copiam habebat, serio iterumque in mandatis dedit, ut in Svecos vim atque impetum identidem verteret, utque munimenta præsertim & arces, quas ibi adhuc dicto audientes haberet, præsidiis ac commeatu juvare haud intermitteret. Quod & ipsum ut ab eo feliciter est tentatum, ita quoque successum habuit, initio statim anni hujus, qui fuit mensis Januarius. Quippe Severinus cum urbem commeatu ac novo præsidio communisset, Dani continuo in ca-

succurrit obsessis urbi & arcibus.

ſtra Svecorum a parte urbis boreali impetum fecerunt, eaque deſerere eos coëgerunt. Et luce deinde inſequente ab altero oppidi latere, quod meridiem ſpectat, feliciter quoque idem aggreſſi. Hic etiam movere eos caſtra adegerunt, & eſt hoc pacto ab omni obſidione liberata arx oppidumque. Quibus Danorum proſperis ſucceſſibus ſufflaminatus Guſtavus nonnihil, qui magna jam ſpirans Aroſiam & Findelſiam ſuæ poteſtatis paulo ante fecerat, & niſi iſta intercurriſſent, etiam Stocholmiam ſua ſpe propemodo devoraverat.

Ab urbe Svecos rejicit & Guſtavum magna ſpe deturbat.

Statim liberata eum in modum Stocholmia prolixas ad Regem litteras dedit Godeſckalcus Erici, easque perferendas commiſerat Henrico Goë illuſtri nobilitate apud Danos viro. In his præter cetera ſcriptum erat, liberatam eſſe omni obſidione arcem urbemque Stocholmiæ, eoque nomine ſe regiæ ejus majeſtati ingentes gratias agere ac debere; eſſeque nunc intra urbem rerum omnium venalium & maxime, quæ vitam victumque ſpectarent, haud ullam penuriam, ipſisque copioſe abundeque ſubminiſtrari butyrum, carnes, piſcesque tam ſalitos quam aëre induratos, frumenti etiam præter hordeum, quod parce adveheretur, ſatis quoque eſſe. Addit inde certiorem redditurum de ceteris majeſtatem ejus Henricum Goë, de quo jam dictum, ſeque confidere ſatis ſuperque, defenſuros ſe ac ſervaturos commodo majeſtatis ejus arcem oppidumque, recepto, quod a Norbyo immiſſum erat, militum ſupplemento. Aitque captivos nonnullos intra urbem cuſtodiri, quibus dimiſſis parum fidei poſſit tribui, & ideo in arcem acriori cuſtodiæ amandatos. De Henrico nobili quodam ſuggerit eum majeſtati ejus fidum quidem nec inutilem eſſe, ſed rerum, quibus eſſet præfectus, parum peritum, nec ſatis in iis verſatum. Hic an frater Theodori, quem extremo ignis ſupplicio affectum diximus, an alius fit, dubitare facit epiſtola, quæ Henricum Slagheccium appellat. In eadem porro epiſtola innuit, modo regia ejus majeſtas, quæ requireretur, tempori ſubmitteret, præſidia nimirum militemque ac commeatum, haud ambigere, ſe, quin auſtralis Gothia, itemque Sudermannia, Oplandia & quicquid Stocholmiæ proxime eſt adſitum, ad vota mutumque ipſius redituram ſit. Guſtavus in iisdem his litteris, ubicunque nominatur, ſeditioſi ac flagitioſi epitheto afficitur. Datæ fuere Stocholmiæ 21. Febr. 1522.

Præfecti Stockholm. ad K. litteræ.

Miſſæ iisdem diebus, a Rantzovio dedita jam arce Nicopenſi, ſeriæ ac ſeveræ ad Sveciæ paſſim præfectos regiæ litteræ, quibus monebantur, neci darent eque medio tollerent, quicunque reprehenderentur ſive e plebe ſive nobilitate Svecica Regi adverſi aut dicto minus obſequentes; & id cum fieri haud multo poſt etiam apud Finnos fando accepiſſet,

Rex per litteras ſuos admonet de enecandis ſibi adverſariis.

Ab Erico Flammingio

vir ibi celebris & celebri loco natus. Ericus Flammingius ſimulavit ſe cane pejus & angue odiſſe Svecos. Et idem ut re probaret, petiit, ſibi dari aliquam militum manum, quos in hoſtem duceret, quibus ille acceptis in caſtra Svecorum non rediturus conceſſit, ſeque hoc pacto periculo eripuit, ac deinceps ſub ſignis Guſtavi militans, acerrimum ſe Danorum hoſtem præbuit. Hoc exemplum cum ſequi ſibi propoſuiſſet Finlandiæ præſul Aboënſis Arvidus, & in eo jam eſſet, ut crudele iſtud Regis edictum exiret, ſecumque aſſumpſiſſet ex nobilitate Finnica, ut & alios utriusque ſexus perplures, & bonis eorum ipſisque navigium oneraſſet, accidit, ut fœda exorta tempeſtate naufragium prope Oregundiam circa Vigiam inſulam adeuntes miſere cuncti perierint. Agebat tum Upſaliæ Guſtavus, ac cernens deſtitui ſe neceſſaria claſſe, quæ maritimas in urbem Stocholmienſem invectiones impediret, amandat continuo ad Lubecenſes domeſticum ſuum Sigvardum ab Holten, qui a ſenatu populoque Lubecenſi naves aliquot bellicas tormentis, pyrio pulvere, militibus aliisque ejusmodi apparatibus abunde inſtructas ſtipendio Guſtavo militaturas impetraret. Lubecenſes, qui ob violata mercatorum ſuorum, ut videri volebant, privilegia ac naves quoque ac merces ſibi ereptos jam dudum inimico in Daniæ Regem animo erant, navium novem claſſem omnibus, quæ eo ſpectabant, probe inſtructam Guſtavo ſuppetias mittunt navarcho Friderico Brun & duce militum ſupremo Johanne Slamelio. Hi ſecundo vento uſi, pridie pentecoſtes Sudercopiam appulerunt. Sic feliciter licet in Sveciam traducti, nulla tamen adduci ratione potuerunt, operoſe quamvis annitentibus Bernardo a Myllen aliisque, ut ſacramentum aliquod præſtarent, priusquam eum, cui eſſent ſtipendia facturi, coram eſſent comtemplati. Quapropter Guſtavus Upſalia Sudercopiam feſtinato excurrens cum ſe exercitui oſtentaſſet, ac eum claſſiarii milesque propius conſpexiſſent, illum eſſe omnes affirmavere, ſeque juramento militari ei obſtrinxerunt. Ex his ad obſidionem Calmariæ continuandam Arvido Weſt-Gotho quingentos ſubſidio mittit, reliquos in caſtra, quæ paulo ante accitis Dalecarlis, Helſingiis aliisque borealibus Svecis circa Stocholmiam inſtaurarat, ipſemet adduxit, ac ſimul dimiſſis ruſticorum manipulis ſolummodo retinuit, quos e Svecis & Germanis conduxerat. Nec multo poſt nova ſubſidia ab urbe Lubecenſi Bernardus Bomhover ſenator, & Hermannus Plonius octo navibus advexit.

apud Finnos mire deluſus.

Arvidus præſul Aboënſis crudelitatem regis effugiturus cum comitibus pluribus naufragio perit.

Guſtavus claſſem a Lubecenſ. aliquam comparat urbi commeatum interclusurus.

Lubecenſes, antequam militent, Guſtavi conſpectum deſiderant;

quo facto illi juramentum dicunt.

Guſt. ſubſidia ablegat ad Calmar. obſidionem continuandam.

A Lubecenſibus auxilia accipit.

Ejusdem anni hujus 1522. menſe Julio arcis Aboënſis apud Finnos præfectus nomine Thomas conſilium id ſuggerente Severino Norbyo aliquot prætoriis cum navibus aliisque milite & commeatu onuſtis Stocholmiam verſus e Finlandia transfretare ſatagens, vicinis

Navis a Sev. Norbyo exploratum emiſſa cum Thoma Aboenſ. præfecto a Guſtavi

classiariis intercipitur. vicinis promontoriis appropinquans, cum celocem exploratum præmisisset, eum Gustavi classis, cui præerat Ericus Flammingius in statione post excelsam rupem latitans intercepit, ac eum ubi Sveco milite ac nautis compleviſſet Thomas in occursum navigat. Qua redeunte Thomas, qui in cimbam vicina litora exploratum descenderat, ad eam remigando contendens, quomodo res habeant, requirit, illis respondentibus, salva esse omnia, ex cimba eam conscendit navem, cujus cum summitatem vix attigisset, proditum se vidit, ac frustra avellere cimbam conatus a Svecis est comprehensus. Inde Svecorum classis expansis velis, reliquas Thomæ naves aggreditur, ac in suam potestatem plerasque redigit. Thomas vero ad Gustavum ductus, cum Svecos in arce Aboënsi juxta Regis Christiani mandatum crudelissime tractasset, in arce Timello custodiæ traditus est, & in querna arbore suspensus. Hinc sub exitum Octobris ad promontorium urbis Stocholmiensis quinque cum navibus appellens Severinus Norbyus haud procul a Lubecensium classe, quæ Gustavo subsidio accesserat, anchoras projicit, naviumque suarum aliquot in proximæ insulæ portum, quæ erat adsita, subduxit. Quæ una illa nocte adeo glacie constrictæ sunt, ut pedibus rhedisque ad classem commeare liceret, & licet Ericus Flammingius, Stephanus Scarte aliique e ducibus Gustavi adoriendum hostem svaderent, nil tamen tentatum, cum in deliberationem vocaturos se rem Lubecenses ostenderent, ac biduo post orta tempestate ac flante Zephyro glacies resoluta navesque Severini liberatæ Calmariam redierunt. Quæ dum fiunt arctius obsidere Stocholmiam Gustavus instituit, & castra, quæ a meridie urbi imminebant, in suburbium usque promovit. Quæ vero ad boream collocata erant, primo in parœciam Brumma, inde in insulam monachis antiquitus donatam ubique vicinissimam transtulit, & ponte sublicio super aquas constructo insulam per alteram intermediam cum suburbio australi conjunxit, ut hostibus erumpentibus castra sibi mutuo auxiliares operas conferre possent. Similiter sublicio sive ligneo pote ad orientem a suburbio australi in insulam usque Valdemari deducto ac ibidem firmissimo posito munimento, ne ullus vel commeatus præsidiave importari Stocholmiam forinsecus possint effecit. Qua Gustavi industria cum urbs quatuor ex partibus obsessa foret, obsessorum vires vehementer attritæ inque summas angustias redactæ sunt. Cives durante obsidione in omnes occasiones intenti, nunc lembis nunc pedibus ad Gustavum, qua poterant, profugere. Quidam ad divæ Claræ cœnobium, quod in suburbio boreali erat situm, sese receperant, ut istic in tuto latitantes, commodum fugiendi tempus exspectarent. Verum abbatissa ex sororis suæ marito Georgio Holsato, apud quem

Plures capta,

Thomas suspensus.

Classis Danica ad Lubecenses appropinquans una nocte glacie defixa;

hinc liberata Calmariam repetit. Gustavus Stockholmiam arctiori obsidione premit.

Cives plurimi ad Gustavum dilabuntur. Alii ex fuga retracti horrendum luunt supplicium.

Rex Christianus diverterat, id edocta, datis de nocte per lucernam indiciis, de die per linteolum ex fenestra protensum omnes illuc confugientes prodidit, quos exinde retractos, ac ligneis ferris dissectos, aliisque duris torturis subjectos Svecici scriptores tradunt. Nec desiit interea obsidere Stocholmiam Calmariamque Gustavus, idque hieme, quæ insecuta est, tota; sed ita, ut per Svecos potissimum frigoris tolerantiores utrumque obsidium continuaverit. Germanis ac Lubecensium plerisque in proxima hiberna dispositis, quorum nihilominus stipendia soluta fuere. Quin & misit ipse brumæ tempore Laurentium Siggonis cum copiis aliquot in Norvegiam, qui provincia Wickensi recepta arcem Calsburgum præsidio communitam nobili Sveco Nicolao custodiendam mandavit. Multis per idem tempus de causis minus in Daniam æqui Lubecenses, de fœdere adversus eum in modum consilia cœperunt agitare, indicium ejus faciente classe, quam missam Svecis subsidio jam meminimus. Nec ignorabant etiam illi Daniæ nobilitatem ac præsules præsertim parum in Regem suum Christiernum ob ejus sævitiam propensos, tum & patruum quoque ejus ducem Holsatiæ Fridericum facile huc etiam iturum, si præcipue, quod cœperat adversus Holsatos urgere ulterius Cæsareum mandatum instituerit. Et miserat jam pridem ad Regem insuper dux Fridericus ex aulicis suis unum, qui eum commonefaceret æris, quod ipsi deberet. Et inde capta occasione, injecisse Regem tradunt, non existimare se, aliquid in ipsum hostile aut inimicum agitare patruum: sed respondisse vicissim aulicum verbis, quæ ambiguitatem præferrent, se cum Deo meliora ominari. His accedebat, quod iisdem fere diebus indicto nobilitati non tantum & plebi, sed & ecclesiasticis quoque atque agros colentibus gravi atque insolito censu parum etiam sibi illos æquos experiretur. Sed de Lubecensibus cum maxime laboraret, id operam dedit omnemque movit lapidem, ne illi cum duce Holsatiæ, Friderico patruo ipsius unum agerent. Quapropter ante omnia ad eos dirigi curavit codicillos Cæsaris, qui monitoriales appellantur, quibus sub ingenti mulcta commonebantur, quietos se continerent, nec in Regem hostile quicquam aut inimicum tentarent, priusquam utriusque causam exaudisset, qui id in mandatis haberet, Episcopus Ratzeburgensis. Quæ licet permulgata jam essent, non tamen destitisse Rex Christiernus memoratur detinere Lubecensium mercimonia ac naves, quarum altera Bergis Norvagorum, altera Amstelrodamo advenerat.

Sveci per hiemem continuant obsidionem Stockh. & Calmar.

Provinciam Wickensem in Norv. arcemque Calsburgum occupant.

Lubecenses consilia agitant de classe adv. Regem mittenda.

Dux Frid. Regem æris debiti commonet.

Rex subditos omnes gravi censu exagitat.

Fœdus Lubecensium cum Duce avertere studet codicillis Cæsareis.

Detinet tamen eorum naves.

Per idem circiter tempus ipsemet Christiernus Rex in Holsatiam proficiscitur, haud exiguam secum equitum manum adducens. Cumque Flensburgum venisset, ut memorat

Rex cum armatis Holsatiam petit & Stender-

boum evocat Fridericum D.

Holſatici chronoci autor Johannes Peterſenius, adeſſe Stenderboum jubet patruum ſuum Holſatiæ ducem Fridericum una cum nobilitate Holſatica. Nec moratus dux eodem cum exiguo comitatu & equis, quos appellant, venatoriis ipſemet carpento vectus accedit, id ſolum in cognato ſuo Rege Chriſtierno ſuſpectum habens ſive admiratus potius, quod ille ad amicum colloquium armatus veniſſet, inde eſſedo deſcendens trajecto amne ac paucis comitatus Regem ſalutatum abiit, ac poſt ſalutem utrinque dictam datamque & acceptam fidem ſignificat ei Rex, eſſe, de quibus cum patruo & nobilitate & proceribus Holſatiæ agendum ſit, & ea non minus ad regni ſui quam ducatuum utriusque commoda pertinere. Atque cum repoſuiſſet dux, ſi ad totam Holſatiam reſpectaret, neceſſum eſſe, totam convenire nobilitatem; tum & locum eum eſſe talem, ad quem convocati ejusmodi conſeſſus haud ſoleret. Reſpondet viciſſim Rex, is ſi locus minus placeret, conveniri Levenſovicum poſſe. Idque Friderico approbante a colloquio diſceſſum. Inde Gottorpii cum inter epulas hæc iſta nobilitate ac proceribus ſuis dux Fridericus retuliſſet, ſtatuerunt & illi Chilonem armati convenire, atque inde Lenſovium eodem modo comitari Ducem ſuum. Cum igitur dies veniſſet, non ipſe Dux, ſed ejus vice ejus filius Chriſtianus acceſſit. Doctorem vero Reventlovium, ſi forte abſentiam ejus Rex iniquius ferret, reſpondere juſſit, quia Stendeboum armatus veniſſet, ac eo magis hoſtem quam amicum ſe declaraſſet, haud e re judicaſſe Ducem herum ſuum propius accedendum, & præterea, ſi forte ditionibus quædam graviora nec ferenda proponerentur, addebat, ad ea ſe nihil reſpondere poſſe, ſed ad principem omnia relaturum, qui idcirco filium ſuum huc ablegaſſet. Levenſovium inde, qui rivus eſt exiguus, limes agri inter Sleſvicum & Holſatiam, cum appropinquare Regem Holſati, qui priores venerant, intellexiſſent, confeſtim conſcenſis equis obviam ei occurrunt, & Rex inter primos patruelem ſuum Chriſtianum conſpicatus, eum porrecta dextra affatur ac vibrans, quem educebat, brevem enſem blando vultu & vos, ait, armati adveniſtis; nec multo poſt progreſſus in medium Reventlovius, ut erat juſſus, excuſabat principem ſuum, quod non ipſemet, ut erat conventum, acceſſiſſet. Sed Rex animadvertens, ita inter Holſatos conventum, ut ſi quid gravius efflagitaſſet, plane negaturi forent, per Johannem Rantzovium, quem eſſe ipſis non ingratum ſciebat, hunc in modum eos eſt allocutus: non dubitare ſe, conſtare univerſæ Holſatiæ, quam ob rem belligerare cum Lubecenſibus cogeretur; ſerio idcirco rogare, ut re conſilioque ſibi adeſſe non nolint. Quod ſi facerent, operam omnem daturum, ne id ipſos pœnitere unquam poſſet. Ad quæ poſt brevem delibe-

Hinc conventus Levenſov. decernitur.

Proceres Holſati illuc Fridericum armati comitaturi.

Hic eo mittit Chriſtianum fil. Reventlovio oratore.

Jo. Ranzovius Regis nomine verba facit ad proceres Holſat. de bello adv. Lubecenſes ſuſcipiendo. Cui reſp.

rationem Holſatiæ proceres per Henricum Rantzovium reponi fecerunt; ſe haudquaquam inducere animum poſſe nec obſtringi aut teneri, ut, qui regni hoſtes eſſent, eos etiam ſuos facerent, & maxime cum nec autores belli exſtitiſſent, nec eo quoque ulla conſilia contuliſſent: quin & ipſi, ſi ferrum in Lubecenſes ſtringerent, Regi id parum profuturum, ſibi autem oppido damnoſum futurum. Obnixe ergo orare, ne, quod optimo jure recuſarent, a ſe rejici ac negari in partem pejorem accipiat. Atque ita quoque is conventus, quemadmodum Stenderboënſis, fruſtraneus fuit. Rex inde Gothorpium ſe contulit, Holſati unde venerunt, Chilonem rediere, ut ad Ducem, qui ibi ſubſtiterat, Regis poſtulatum referrent. Rex Gothorpii haud diu ſubſiſtens, die poſtero Randersburgium conceſſit, ubi cum intelleXiſſet, adveniſſe Flensburgum Marchionem Brandenburgicum aliosque principes una cum oratore Cæſareo & epiſcopo Ratzeburgenſi, eos ad ſe omnes Randersburgum evocavit. His cum aperuiſſet, quid cum Holſatis actum hactenus fuiſſet, denuo a patruo Friderico petit, ut quosdam e conſiliariis ſuis Flemhudam die in litteris expreſſo ablegare haud detrectaret, ſe etiam ſuos eodem miſſurum. Qui utrinque ubi conveniſſent, decretum, Bordsholmium, quod Holſatiæ eſt monaſterium principum uterque accederet, ubi inter partes principesque hunc in modum ſtatutum: Rex Chriſtiernus, quod a Carolo imperatore ſuo affine ſua ſingulari indulgentia privilegium accepiſſet, quo Holſatiæ aliosque huic conjunctos ducatus, quos ipſe Fridericus ejusque olim majores petere ab epiſcopo Lubecenſi inſtar beneficii conſueverant, ab ipſo ejusque ſucceſſoribus, & ipſe ejusque heredes petere & acceptare deinceps jubebantur, hoc eatenus ac ea lege remiſſum, ut Fridericus dux contrarias litteras petat impetretque a Cæſarea ejus majeſtate, quibus hoc indultum revocaretur, ſe nec laturum id ægre, nec prohibiturum eſſe. Bellum Lubecenſe, ſi componi haud poſſet, liberum Friderico foret pacem certam firmamque ſtatuere, cujusmodi ea ſub Johanne patre ſuo fuerat, ſeque omnino id malle, quam ut ipſi ejusque ditionibus detrimentum quispiam ferat. Quod deinde Fridericus ſibi ut Regis filio partem aliquam in regno Norvegiæ utpote hereditario tribuendam & de tutela quoque patris, quomodo eam ille geſſerit, cognoſcendum, tum & centum aureorum millia in ducatus diſtributione ipſi attributa deberi, ac denique, ut filio Regis juniori etiam ſibi jure aliquid deſignandum, ut in Dania eſt moris, exiſtimaret. De his ita pronunciatum, aſſenſitque Rex Chriſtiernus, ut Johannes parens ſuus cum Friderico egiſſet, inque certos arbitros compromiſiſſet, ſimiliter & ſe paratum præſtare, quicquid æquitati ac legibus cenſeretur conſentaneum.

Henr. Rantzovius procerum Holſ. bellum detrectantium juſſu.

Ita diſcedunt.

Rex Randersburgum concedit, quo evocat marchionem Brand. aliosque, qui advenerant.

A patruo Frid. D. poſtulat, ut quosdam Flembudam mittat ad negotia conficienda.

Bordsholmii conveniunt legati; ubi de Holſat. inveſtitura & pace cum Lubec. firmanda agitur.

Friderici Ducis poſtulata;

cui Rex amice reſpondet.

Quin

Quin & operam daturum, ut regni utriusque Daniæ Norvegiæque scrinia excutiantur, & quæ in rem eam documenta reperiantur, ut ea ante diem undecimum proximi Novembris exhibeantur, quo quod patruo deberi cognoscatur, sine mora aut exceptione præstetur. Foreque negotii hujus universi arbitros Joachimum Brandeburgicum electorem, Henricum & Albertum fratres, Duces Megapolitanos Bogislaum, item Ducem Sverinensem, & Henricum præsulem Ratzeburgensem, hosque ante proximam anni insequentis pentecostem ad diem XIV. Segebergam conventuros, ac ibi sententiam juxta æquum & bonum pronunciaturos, & id elaboraturos, ut inter partes pax concordiaque colatur. Aut si benigne transigi cuncta nequeant, integrum inde esse, cuique jure agere & ut hoc patruo concesserit, ita vicissim sibi quoque dari velle, ut quod ipse postulandum habeat, id similiter ut disceptandum sibi arbitri sumant. Marcarum undecim millia, quæ pro patre Fridericus patruus exposuisset, ea se mercatu proximo Chilienſi cum gratiis redditurum, statutum insuper inque hoc assensum suum contulere utrique, ne vel Holsatiæ, vel etiam Slesvicensem ducatum incolentes ad forum aut dicasterium alterius loci, quam ducatui utrique proprium, in quo ipsi habitarent, evocarentur. Quod ad nobilitatem & antistites de eorum controversiis uterque pronunciaret; absens qui esset, in locum suum præfectos aut consiliarios deputaret, quodque simul censuissent, id ratum haberetur: ita tamen ut more apud Holsatos recepto provocatio ad Cæsarem cuivis permitteretur. Lites vero omnes in ducatu Slesvicensi, qui Daniæ regno adhæret, dirimerentur secundum statuta ac leges Waldemari ejus nominis II. idque ex recepta consvetudine. Apud Holsatos autem secundum decreta juris, quæ comprehensa sunt in codice juris Saxonici, quod speculum vulgo Saxoniæ nuncupant. Itinera porro, quæ Tritoum, Segebergam atque Oldesloam ducunt, tuta ubivis redderentur; & denique ut Rex Christiernus Duci Friderico gratiam impetrare Cæsarii privilegii feciſſet, ita vicissim largiretur Christierno Fridericus, quicquid ipsi pro auxiliis, quæ bello Svetico submisisset, deberetur. Sicque sancita utrinque veterum omnium injuriarum oblivione mutua pax amicitiaque tam inter ipsos quam heredes filiosque ipsorum promissa firmataque; idque litteris & codicillis, qui utrumque principum sigillis rite sunt obsignati.

Arbitri delecti & Segebergæ conventus destinatur.

Cæteraque ibi statuta.

Lubecenses bello jam cœpto a R. vocati haud veniunt.

Quæ dum agerentur, identidem citari Rex Christiernus Lubecenses fecerat, aut saltem, ut per delegatos suos, priusquam recederent Germaniæ principes, Flensburgum adessent. Verum cœpto jam bello & misso in Balticum mare, de qua statim dicemus, navium prætorianarum classe, adesse consultum haud judicarunt. Interim non omisit commonere Principes, ut Lubecensium, cum ea essent transituri, meminisse vellent, ac eos hortari, pacem sectarentur, sed navibus eorum in mari jam volitantibus, tum etiam quod rebellari Sveci cœpissent, & Cimbri quoque movere in adversum intelligerentur, ea pax pactioque Bordsholmensis in fumum abiit. His peractis, priusquam Hafniam rediret, non potuit, quin ipso in itinere tyrannidis suæ & sævæ naturæ indicia & signa daret relinqueretque. Fuerat paulo ante sepulturæ traditus Arhusiæ in cœnobio minoritarum vir nobili prosapia Johannes Thomæ a Damsgaard, hunc terra erutum capulo sive cista, qua erat inclusus, affigi patibulo mandavit, idque in loco publico; causam adferens, quod unum e suis colonis affeciſſe injuria diceretur, nullo in judicio accusatus publice vel condemnatus.

Pactio Bordsholm. irrita fit.

In reditu Arhusiæ Johannis Thomæ exuvias e sepulchro protractas patibulo affigit.

Inter hæc sub 22. mensis Maji cum classe navium triginta Lubecenses urbesque Vandalicæ mare Balticum ingressæ, insulam Borringholmiam invadunt, atque occupato, quod ibi est, valido munimento Hammershusa, ac simul trucidato, quod erat impositum, præsidio, universam insulam sunt depopulati, liberato, quem ibi custodiæ mandaverat, postquam e Svecia cum Theodoro Slagheccio, ut ante est relatum, ad Danos redierat, Johanne Schaldenachio Otthoniensium præsule, qui, ut indicavimus, Calvus vulgo dicebatur. Inde vela versus Hafniam naucleri vertere, fixis in portum anchoris, quasi in terram ascensuri. At inde diluculo noctis Helsingoram profecti, quod oppidum Oresundæ fretum adjacet, totam id muris nullis incinctum, cum se jam ante suaque in proximam silvam cives abdidissent, in favillas dedere ipso festo Divi Bartholomæi, qui fuit 24. Augusti, memores adhuc jocularis verbi, quod in ipsos & Lubecenses præsertim tempore Regis Johannis jeciſſent tunc oppidani, quod scilicet Lubecenses forte fortuna suis tormentis decussissent. Isti Helsingorensium calamitati prævenire Regem facile potuisse existimabant nonnulli, sed conniviſſe ad id, quod noluisset senatus, quemadmodum superius injecimus, urbem Hollandis inhabitandam concedere.

Lubecenses classe instructa Borringholmiam insf. occupant atque depopulantur.

Liberato Jo. Scaldenach in Hafniæ portu anchoras figunt; hinc Helsingeram igne delent,

Rege haud prohibente.

Interea Germaniæ principes ipseque, de quo dictum, elector Brandenburgicus, dum urbem Lubecam transit, rem eo deduxit, ut certa capita Lubecenses in chartam conjecerint, quibus cum Rege componi posset. Quæ & Regi continuo in Daniam transmissa. Redierat etenim festinato ex Holsatia, cognito Lubecensium classem Balticum mare pervagari atque appropinquare Hafnienſibus; erat autem Calumburgi, cum ad eum is nuncius adportaretur. Quocirca Hafniam con-

Intercedente Elect. Brandeb. Lubecenses consignant pacis cum Rege incundæ momenta.

Rex Hafniam festinans exercitum ex insulanis cogit.

tinuo accurrit, arma capere circumquaque insulanos jubet. Quæ circiter decem hominum millia fuisse autores tradunt, ac castra metatos circa pagum, qui Hafniæ est proximus, Solbergum vulgo dictum. Cumque castra lustrandi ergo extra urbem prodiisset, & eum una comitata famula pedes mox esset secuta mater, ut vocabant, Sigbritta, factum, ut eam, eum ad lacum, qui extra urbem est, scholasticorum dictum, veniisset, duo ex rustico illo vulgo collecto milites iique probe poti, postquam convitiis incessissent, hanc esse dictitantes, quæ Regem regeret, in lacum eundem diffugiente ancilla projecerint. Quod dum fit, reversus Rex ac eum in modum tractatam Sigbrettam videns, equo concitato occurrit, ac extrahi aquis imperat, inque rheda collocatam domum vehi. Sed ei periculo vique ereptam aliud haud levius continuo excepit. Ad portam enim urbis cum accessisset, cohors quædam, quam Roschildenses submiserant, ante eam excubias agens, ac ita exceptam in rheda venientem conspicata, tela in eam cœpit torquere, per quæ in urbem vix ægre evasit. At Rex extemplo popularium illos milites, qui in lacum paulo ante eam præcipitaverant, inquisitos prehensosque in custodiam duci ac plecti capite jussit.

Sigbritta aquis immersa.

A Rege servatur.

Sed ad portum urbis telis petitur.

Facinoris auctores capite plexi.

Rex suos ad fortiter reprimendum hostem adhortatur.

Hinc paucis interjectis diebus denuo Hafnia egressus castra lustrat, militemque affando hortatur & monet, viros se præberent, hostemque in terram si forte excurrentem animose profligarent, ac meminissent toties a majoribus tremefactam superatamque Vandaliam ejusque populos ac ejus præferre indicium regni insignia regnique titulum, cum se Vandaliæ Vandalorumque Reges profiteantur. Neque esse, quod navium ipsorum, quæ circa littus volitarent, vel magnitudine vel numero, magnopere terrerentur, cum eæ, non tam ad belligerandum quam ad merces oneraque recipienda aptæ magis factæque sint, & ipsos, qui eas regerent, negotiis potius ac mercimoniis suis, quam armis ventilandis assvetos. Hincque fortiter ubicunque exscendere pararent, a milite ac præsidiis, quæ littus servabant prohibiti. Et laude inter ceteros sua haud fraudandus Johannes Weezius Lundensium archiepiscopus, qui integras sex horas id agitantibus circa littus Rulungæ viriliter institit repulitque; nec multo post haud alia quam Borringholmiæ & Helsingorensibus, de quibus dictum, dato magnopere damno classem singuli domum reduxere.

Inter quos hostium vim strenue propulsantes eminet Jo. Weltz archiepisc. Lund.

Hinc classis Lubec. domum reducta.

Inde regni comitia indicturus Rex misit in Cimbricam chersonesum fecialem suum, ut Calumburgum regni senatores convenirent ad diem 10. Decembr. quo cum iis de postulatis Friderici Ducis deque nova Svecorum rebellione ac Lubecensibus atque ceteris eo spectantibus coram ageret. Verum Selandi Scanique cum se dicto die stitissent, soli in exspectatione erant Cimbriæ proceres. Verum hos cum accepisset Selandiæ jam propinquos, vento & hieme adversante repulsos, locum mutat, & Arhusiam, quæ Cimbriæ chersonesi urbs est, anno insequenti ad diem 25. Januar., qui conversioni divi Pauli sacer habetur, convenire jubet, ac ipsemet eodem profectus locum secum Lagoni Urnio episcopo Roschildensi, Henrico abbati Sorensi & Eschillo Biorn Anderschovienſi Hafniæ tutandum demandat: sed tergiversabantur Cimbri, qui non ignorabant, Selandos occasione Lubecensium in armis esse; sed & quatuor peditum externorum signa Hafniæ ad præsidium ejus urbis sub Georgio Hojmanno, sub Erico vero Comite Hojensi equitum aliquot turmas in Fionia eum habere; itaque jure metuere sibi cœperunt. Et ut metu se, in quo perpetuo versabantur, semel exsolverent, statuunt ad securitatem suam asservandam sibi quoque arma capienda, & ejurandum, quod ipsi polliciti fuissent, fidei obsequium, præsertim cum intellexissent, præterea famaque ferret, universum belli instrumentum Cimbriam versus transferri, & esse illi ad manus carnifices aliquot satellitum habitu aliaque dira agitare, & fore haud lætiora ea comitia, quam fuerant ante biennium & quod excurrit Stocholmensia. Quapropter convocata Viburgum nobilitate, obsequium illi & fidem cuncti renunciant. Et advenerat jam tum Weilam Cimbriæ oppidum Rex, ut inde porro ad comitia Arhusienſia pergeret. Sed ibi dum est, accessit eodem Magnus Munchius, Cimbriæ supremus judex. Is continuo ad regiam mensam invitatus vario sermone, ut erat vir festivus ac familiaris Regem exhilarare instituit, ac verba inter cetera de venatione canibusque venaticis & ejusmodi fecit; sed Rex cum eum interrogaret, quo iter instituisset, respondit se in Holsatiam ad Ducem Fridericum negotii sui privati causa cogitare, quod & verum erat, sed, quod tacuit, publico simul nomine eodem erat ablegatus, ut Duci regnum offerret. Cumque porro quæreret, quomodo Viburgi res haberent, & quamobrem regni senatus eo nobilitatem convocasset? Respondit, metuere eos, ne regia ejus majestas insvetis collationibus ac tributis eos gravet jam propemodum tot oneribus ac bellis exhaustos. Atque inde de Magno Goë loquens, cum se non ambigere Rex diceret, quin is a partibus ipsius staret, respondit Munchius, eum regiæ majestati virum necessarium oppidoque fidum esse. Et ultimo, cum peteret sibi Rex donari ab ipso, quem sciebat excellere in venationibus canem vulpinarium; & hunc, inquit, polliceor, me regiæ majestati donaturum notæ optimæ. Inde exsurgens ac clanculum se subducens, in fenestra chirotecas suas studio reliquit,

Comitia Callumburg. indicuntur.

In quibus Cimbriæ proceres desiderantur tempestate retardati.

Hinc Arhusiæ celebranda.

A. 1523.

Sed tergiversantur Cimbri armatorum, quos Rex paraverat, metu.

Qui periculi avertendi causa arma capiunt.

Magnus Munchius ablegatus, ut regnum Friderico Duci deferat.

Ad Regis mensam invitatus.

in abitu relinquit chi-

rotecas cum litteris latentibus, quibus obsequium Regi recusant Cimbri.

reliquit, & iis inclusas litteras, quibus recedere se ab ejus obsequio Cimbri profitebantur, quas cum regius puer ibi relictas invenisset & simul insertas iis litteras ad Regem detulit. Rex, ubi litteras inspexisset, consternatus accersiri continuo Munchium jubet, sed is cum aliud agens clam recessisset, reperiri haud potuit uspiam. Rex eo accepto, vere, inquit, canem ille nobis vulpinarium donavit. In litteris enim illis hæc præter alia erant, considerasse serio se, quam esset periculosum ejus regimini, quamque pugnans cum regni legibus ac statutis, quibus observandis tam solenniter se obstrictum non ignoraret: esse ab ipso conculcata præfecturarum arciumque vetera jura, eaque exteris ac nebulonibus personisque vilissimis permissa; episcopatus divenditos, & præsules reverendos, inque his Johannem Fionensem per vim & absque prævio ullo judicio depositum ac carceri mancipatum, nec aliter exceptum suaque expulsum diœcesi reverendum quoque patrem ac præsulem Ericum Walkendorpium; constareque omnibus, quomodo vita bonisque suis exciderit Canutus Canuti, quomodo ditiones regni propemodum universæ bello ac milite oppressæ, sub oneribus insuper ac tributis gravatæ gemant. Cogitasse præterea inque mentem revocasse, quam etiam misere ac innocenter e medio Stocholmiæ idque carnificis manu viri reverendi, viri nobiles ac regni primates, equites baronesque jure & æquitate omni posthabitis sublati; nobis talia similiaque præter demeritum nostrum parari, haud temere metuentes, instigante præsertim pessima illa feminarum Sigbreta, quæ nobilitatem regni universam exosa ac detestata omnes nos ut proditores proscindit exclamatque. Novisse Deum, quam semper erga regiam majestatem officia sua prompta parataque erant, & aliud quam gladium patibulaque commeritos. Satisque notum pessimæ ejusdem feminæ instinctu detruncata sub noctem trium illorum nobilium virorum capita, qui e Svecia missi Regi, quod res erat, suggestum ac significatum cum fide venerant. Et palam quoque esse, quod in Severinum Norbyum majestatis vestræ fidelem clientem machinata eadem Medea sit, aliaque ejusmodi, quæ referre omnia prolixius foret, se idcirco merito extimescere vel comitia cum ipsius majestate vel alia actitare, cum vitæ suæ incerti perpetui forent, nec æquum existimare, quæ a Deo & majoribus concessa haberent, prædia & possessiones derelinquere, ac ideo coram Deo & mortalibus omnibus protestari se ipsius majestati, quæ olim fuerat pollicita, fidem atque obsequium palam renunciare, fisos ac fidentes Deo, excitaturum eum, qui causam ipsorum suscipiat &c.

Rex iis lectis consternatus cum frustra investigari jubet. Literarum argumentum.

Aliæ hinc litteræ omnium fere renatorum missæ.

Fuere hæ renunciationes, quæ ipsi missæ, litterarum primæ; inde e castris, dum obsidetur exinde Hafnia, omnium fere regni senatorum missæ aliæ, & promulgata quoque hoc ipso tempore haud dissimilis civium ac plebis universæ renunciatio, quæ ob prolixitatem hic non posita. Magnus vero Munchius, quem clam profectum ad Ducem Fridericum meminimus, postquam inter cetera sua negotia, quid in mandatis præterea haberet a regni plerisque senatoribus de tradendo in ejus manus ac potestatem regni universi Daniæ Norvegiæque sceptrum exposuisset, adjecto etiam, nisi id ille, qui sangvine & loco esset proximus, acceptaret, fore haud dubio alios, qui eam sponsam haud aspernaturi essent, & in his aut Scotiæ aut Angliæ aliosque Reges ac principes, & cujus tum vel maxime nomen erat celebratissimum, Gelriæ Ducem Carolum, qui Cæsari ac domui Austriacæ invisus, ipsis præcipue bellum per id tempus facesseret. His talibus acceptis, dum Fridericus missis per eundem Munchium ad Cimbrici distractus senatores litteris inter cetera respondit; se intellectis gravibus ac justis causis, quibus moti regnum ipsi offerrent, id miseratione quadam communis patriæ non potuisse rejicere aut justam ipsorum petitionem recusare vel in alium ut transferretur id Regem permittere, præsertim, cum iidem senatores ac proceres ipsum ut filium legitimi ipsorum olim Regis agnoscerent, ea morum indole ac lenitudine tum & ea generositate, iisque dotibus ac virtute (quas tamen ipse laudes sibi non ascriberet) quæ principem christianum decerent. Constituisse idcirco eum, si ita summo ordini videatur, id onus aggredi acceptareque, ea mente ac spe, ut posset aliquando antiqua nobilitatis dignitas natioque Danica vetus suum ac pristinum decus cum Deo recipere. Quibus deinde litteris hoc accessit, ut statim post id Lubecenses Duxque Fridericus unum acturi, fœdus quoque inter se firmum ferierint.

Nec Dux recusans

fœdus cum Lubecens. ferit.

Christiernus vero Rex intellecta defectione, cum identidem animorum isti armorumque, apud Cimbros præsertim, motus ingravescerent, Weila recessit abiitque Coldingam, quæ est in limite fere Holsatiæ Cimbriæque. Hic ad se evocat Coldingensis arcis præsidem, Magnum Bildium & Olaum Rosencrantzium, ac summum peditatus ducem Hedensdorpium regni senatores. Hos interrogat, quid rerum hoc statu faciendum arbitrentur. Hedensdorpius ut dux militiæ primo loco sententiam rogatus, cum non sufficiant, quæ ad manus essent in Zeelandia Fyoniaque cohortes, advocandas respondit e Germania novas copias; esse ibi affinem Carolum V. Cæsarem ceterosque consangvineos principes, archi-Ducem Ferdinandum, marchionem Joachimum Brandeburgicum, electorem Saxoniæ. His significaret, eam, qua premeretur, necessitate; eo excurrere militem-

Rex Coldingam concedit ibique in consilium adhibet Magnum Bildium & Ol. Rosencrantzium.

qui suadent e Germania accersendas copias.

militemque conſcribere. Hinc rogatus Bildius author erat, ut duo ſenatorii ordinis ablegarentur ad Cimbriæ primates, qui oſtenderent, Regem jus non averſari, ſed ei ſiſtere ſe paratum, dum ab armis decedatur. Exiſtimabat vero Roſenkrantzius e re fore, ut Hafniam ſe transferret, ubi Regina liberique eſſent, ibi fortaſſe ea oblatum iri, quibus motus iſti opinione citius conſileſcerent.

Bildius ad Cimbriæ proceres ablegatus oſtendit Regem jus ſecuturum.

Ol. Roſencranzius Hafniam abit ibi motus ſe compoſiturum facile putans.

Miſit deinde ad præſulem Arhuſienſem litteras, quod eum, etiamnum fidum ſibi exiſtimaret, & aliorum magis inſtinctu quam ſuopte ingenio aliis aſſenſum præbuiſſe. Miſit item Coldinga Magnum Goë, Canutum Henrici & Olaum Nicolai ad præſules ceteros, ut ipſis reliquisque ex regni ſenatoribus ſignificarent, nimis adverſus ſe rigide procedi, ſe nullius ſibi rei conſcium aut convictum, neque demonſtratum etiam, adverſus privilegia a ſe peccatum; ipſi in ſeſe redirent, omniaque maturo conſilio perpenderent, ſe paratum cauſam ſuam deferre ad Cæſarem, ac tueri eam coram judicibus, qui neutri eſſent parti faventes. Hinc de Horſænæ conventu habendo injectum aliquid, ſed nil ſtatutum certo. Interim eodem tempore, tum quod epiſcopos proceresque Sveciæ Daniæque & eos ſpectaret, quos ſuſtuliſſe e medio præcipitantius accuſaretur, injicit, ſe eo nomine debitam pœnitentiam, eamque Roma petendam polliceri, ac bona donaturum locis ſanctis, & deprecaturum culpam apud peremtorum cognatos liberosque, tum & regna ſua recturum ex conſilio non advenarum ſed ſenatorum ſuorum atque indigenarum; denique horum omnium ſponſores ac vades daturum, ſi minus ipſi fiderent. Quæ epiſcopi ceterique ex proceribus poſtquam accepiſſent, licet præ ſe ferrent, quaſi in partem benigniorem cuncta eſſent accepturi, ſine tamen nobilitate, civitatibus aut plebe haud quicquam audebant. Ac convocatis mox ſingulis, omnium nomine reſponſum dederunt, ſuperiorem ſe judicem non agnoſcere, obligationes ipſius & ſacramenta eſſe præ manibus, quæ rupiſſet, ſe in poſterum ipſi haud fidere, & eſſe de alio domino ſibi proſpectum, eſſeque eum Holſatiæ Ducem Fridericum. Chriſtierni Regis commiſſa culpamque mundo notam, ac eum hoc nomine regni jure excidiſſe.

Rex ad varios per regnum litteras legatosque mittit cauſam ſuam excuſatum.

Omnia benigniora promittens;

ſed reſponſum grave tulit ſide ipſi denegata.

Chriſtiernus igitur Rex cum ſibi haud aliter reſponderi intelligeret, animum induxerat inde, quod ſuaſerat Roſencrantzius, Hafniam ac Malmogiam præſidio communire, ut regni præcipua munimenta, & quibus in poteſtate retentis facile ſe univerſi exinde regni potentem fore judicabat. Sicque in Fioniam transgreſſus comitem Ericum Hoyenſem ſubſiſtere atque exſpectare, quæ illi eſſet mandaturus, imperavit, ac ſimul convocatis proceribus ac nobilitate de novo illi juramentum dixere Georgius Marsvinus, Johannes Bilde, Johannes Urne, Johannes Biorn, Laurentius Stinchel, Johannes Stiſſon, Petrus Ebbeſon & Jacobus Hardebergius Neoburgi præfectus. Dominus item Ottho Crumpenius, qui Langelandiæ erat impoſitus, partes quoque ejus ſecutus eſt. E Fionia in Seelandiam venit, ac convocata Ringſtadium univerſa multitudine tam oppidanorum quam nobilitatis & qui agros colebant, flebilem in modum Cimbrorum motum ac defectionem eorundem nulla habita ſacramenti reverentia coram expoſuit, eos identidem orans obteſtansque, ut juramenti memores in fide atque obſequio perſiſterent, & novo præſidio ſacramento utrumque obfirmarent. De novo itaque fidem ipſi ſuam obſtrinxere, ac ſanguinem vitamque & quicquid haberent pro eo periclitari paratos ſe dixere Lago Urne antiſtes Roſchildenſis, Henricus abbas Sorenſis. Eſchillus prior Anderſchovenſis, Albertus Jacobi, Matthias Erici regni ſenatores, dominus Henricus Goë, qui Regi perpetuo fidus fuit, Johannes Urnes eques, Johannes Kraſſe, Georgius van der Wiſch, Canutus Rud, Andreas Henrici, Mauritius Scklave.

Hinc Hafniam & Malmogiam tutandi conſilio

in Fioniam transgreſſus, ejusque & Seelandiæ incolas novo ſacramento ſibi obſtringit.

Hafniam inde poſtquam acceſſiſſet continuo ad Scanos miſſis legatis eos quoque de Cimbrorum rebellione certiores reddidit, atque idem, quod ſuperius eos obteſtans oransque obtinuit, ut dicto ſacramento fidem illi atque obſequium de novo polliciti fuerint, Henricus Agonis, Henricus Crommedigius, equites ac regii ſenatores, Axillus Brahe, Tycho Brahe, Mauritius Ipſen, Holgerus Gregorii, Tendus Gregorii, Nicolaus Lyche eques, Johannes Torbernii, Prædbiornus Podebuſch, Lago Urne, Nicolaus Haſch, qui eo tempore nobilitatis Scaniæ erant principes.

Hinc Hafniam concedens Scanorum fidem ſibi de novo devincit.

Non deſtitit quoque, dum adhuc apud Cimbros eſſet, de turbulento iſto apud Cimbros ſtatu, Reginam, quæ Hafniæ erat, commonere, & ſimul miſſo ad eam litterarum exemplo efflagitare, ut in Belgium continua ad amitam ſuam dominam Margaretam ejusmodi transmitteret. Erant eæ hujus propemodum ſententiæ: iſtis diebus triſte ac periculoſum a domino marito noſtro nuncium accepimus, ordinem ſcil. equeſtrem ſe ipſi opponere cœpiſſe, idque præter jus fasque omne, & illud inſuper agere, ut eum nosque liberosque noſtros ditionibus hiſce ac regnis evertant; quocirca precamur oramusque vos ob charitatem, qua vos complectimur, quoque fratris noſtri nomine commendati ſumus vobis, hoc habere curæ cordique velitis & per litteras extemplo ipſos hortari, cœpto deſiſtant, niſi ſe ſuaque adducere in certum ac ultimum diſcrimen cupiant.

Abſens conjugem commonet, ut motuum certiorem faciat amitam ſuam Margaretam ejus opem imploraus.

Sed

Cimbri Lubecenſ. indicant Frider. D. ſibi regem eſſe aſſumtum, idemq; per regnum paſſim divulgant.

Sed & Cimbri, qui palam jam rebellionem agebant, Lubecenſibus ſignificant, in Regem a ſe aſſumptum Holſatiæ Ducem Fridericum; ei re conſilioque adeſſe non intermitterent; & miſſi quoque ſimiles ab eis codicilli per regni paſſim ditiones & ſeorſim ad

Magnum Goë ad ſuas ſollicitant partes amplectendas.

Magnum Goë, quem non ignorabant Regi charum addictumque, eum partim promiſſis partim minis, qua poterant, ſuas in partes allicientes vocantesque. Chriſtiernus vero Rex cum Danos fere cunctos unum agere animadverteret, & jam quoque epiſcopus Roſchildenſis Lago Urne, Henricus abbas Sorenſis & prior Anderſchovenis Eſchillus, quos huc usque fidos habuerat, Calundburgum receſſiſſent, ut inde trajecto mari Baltico ſe Cimbris conjungerent, ipſe jam puſillanimis ac ſpe omni abjecta, ut ſolent Tyranni in adverſis, de diſceſſu cogitare inſtituit; quamvis alii non ante eos deſeciſſe tradant, quam ipſum jam Chriſtiernum ſua omnia fugæ parare intellexiſſent. Ne, igitur quod fama ferebat, Cimbri ac Lubecenſes inſtructa cum claſſe & illi quoque terra promotis armis Hafniam aggreſſi iter undique intercluderent; viginti idcirco e regia claſſe naves, cujusmodi in portu Hafnienſi præſto ſemper erant, parare juſſit, ac eas opulenta, quæ ad manus erat, gaza aliaque pretioſa ſuppellectile impleri curavit, non negleto etiam, quod erat Calumburgi ſanctiore regni ærario, ut tradunt nonnulli, ſed eo ſimul (quamvis recludi non niſi in ſumma neceſſitate ſoleret) aperto ac nudari juſſo omnia abſtuliſſe ſecum cum pulviſculo, quod dicitur, memoratur. Nam & regni quoque archiva populorumque multa abduxiſſe privilegia, ut ſe eo magis ulciſceretur. Sunt, qui referunt, Sigbretam, quæ in arcem clam confugerat, ut ſe a civium ac vulgi injuria tueretur, intra ciſtam reponi & comportari ſuam in navem, ut theſaurum aliquem mandavit, cum cauſa præcipua exſtitiſſet, quod ſolio ſuo dejectus potentiſſima hæc tria regna deſerere cogeretur. Refert Vitfeldius, quod tamen in medium relinquere quam deſerere mallim, eam poſtmodum affatam in navi Regem dixiſſe, ſi in Dania tibi Regi eſſe non dabitur, eſſe vel Amſtelrodami conſul poteris. Priusquam vela ventis daret, arcem atque urbem Hafnienſem fidei Henrici Goë commiſit, ac novo præterea ſacramento tam ipſum quam urbanum magiſtratum obſtrinxit, brevi admodum & ad ſummum trimeſtre cum auxiliis adfuturum ſe ipſis promittens. Impoſuit ad hæc urbi Georgium Hofmannum cum ſignis peditum quinque; equitum qui fuerit numerus, non memoratur. Veniunt inter hæc utriusque Electoris tam Brandeburgici quam Saxoniæ Ducum ad regni ſenatores Cimbriæ cherſoneſi miſſæ litteræ ea ſerio atque indentidem commonentes, ne a fide veri ac legitimi ſui Regis diſcederent,

Transeunt ad hos alii hucusq; Regi fidiſſimi.

Hinc Rex fugam meditatur & accelerat.

Gazacorraſa & archivis & ærario ſanctiori ſpoliatis elaſſem 20 navium onerat.

Sigbreta ciſta inclusa violentiæ vulgi ſubducitur;

regem hinc ſolata.

Hafniam tuendam reliquit Magno Goe.

Præſidii reliqui numerus.

Litere Brandeb. El. & Saxon Duc. ad Cimbr. commonitorie.

memores ſacramenti, quod ſemel ipſi præſtitiſſent; ſi uſpiam eſſet peccatum, ut emendaretur, omnem ſe operam adhibituros ut medii ac ſequeſtres pollicebantur. Sed ſerius & fruſtra hæc cuncta fuere, cum in armis circumquaque jam eſſent Dux & civitates. Rex igitur, quod cœperat, jamque naves ingreſſus die 14. April. qui fuit S. Tiburtii Hafnia ſolvit comitatus inter ceteros nonnullis, quos ut interioris admiſſionis ſecum ſemper habuerat Johanne Veezio archiepiſcopo Lundenſium, Johanne Michaelio, conſule Malmogienſi & Johanne Momboe. Navi, qua ipſe vehebatur, Leoni nomen erat, in ea milites numerabantur centum & viginti, claſſiariorum duplicatus erat numerus. Deceſſit e portu circa diei meridiem procurrentis propemodo in oppidi vicinum vallum, omnibus, qui urbem incolebant, magnis minoribusque & viſu, qua poterant, abeuntem proſequentibus, dum promontorium, quod eſt circa ſilvæ caput, Skovshovet dictum dota cum claſſe flexiſſet, atque omnibus in eminenti conſtitutis humanæ ſortis atque inſtabilitatis exemplum ac documentum poſt ſe relinquens. In apertum oceanum ubi delata claſſis eſſet, eam deſubito exorta tempeſtas huc illuc disjecit. Pars proprio nutu navigans eo, quo ferebat ventus curſum flexit. Ipſe rex cum ceteris Norvegiam ingreſſus atque ibi paulo poſt zephyrum ſecundum auramque nactus Veriam Selandiæ oppidum ac portum ſalvus cum ſuis intravit. Alii & in his navium maxima mari Armadam delata. Una inſuper Galliæ littus forte fortuna attigit, quæ ipſi haud unquam reſtituta, cauſante Gallo, quod Cæſarem, non ſe adire conſtituiſſet.

Rex Hafnia ſolvit comitantibus paucis.

Tempeſtate iactatus in Norvegiam deſlexit;

hinc Veriam Zeland. delatus,

non paucis aliorſum disiectis.

Rex eum in modum poſtquam regno exceſſiſſet, etiam alii ex nobilitate ac ſenatoribus, & inter cœteros Magnus quoque Goë & reliqui agros extraque oppida colentes Ducem Fridericum ſecuti fuere, renunciato, quod Regi feciſſent, ſacramento fideique obſequio. Stocholmiam quoque, quod tum adhuc, ut ante memini, obſeſſum a Guſtavo tenebatur, hoc rerum ſtatu neque liberari neque ullæ eo transferri a Danis ſuppetiæ potuere, ut inde loco ſuo referetur.

Jam & alii procerum Friderico adſtipulantur; inter quos Magnus Goe.

Hic finis hæcque cataſtrophe imperii, quod in Danos Svecos & Norvegos Chriſtiernus exercuit, facto initio ab ejus coronatione, quæ habita eſt anno 1514. adusque hunc annum 1523, quo tandem deſerta ſtatione regnis excesſit. Nec tamen totius hic tragediæ ſeu vitæ finis fuit; utpote qui in Belgia Germaniaque hinc Cæſarem, inde principes Germaniæ aſſentando prenſandoque annos ultra octo exul ageret, & moc modo illud pro recuperandis regnis, ſed fruſtra ſategerit, tum tandem intra Anſloam, quod oppi-

Hic finis regni Chriſtierni II, quamquam turbæ hinc variæ conſecutæ.

oppidum est Norvagiæ a regio Friderici patrui exercitu una cum classe, quæ e Belgio venerat, obsessus & captus, ac carceri inde perpetuo mancipatus vivendi finem fecerit sub a. Christi 1559. ætatis suæ 78, ut inde tempore ac locis suis memorabitur.

ejus liberi. Habuit ex Elisabetha Austriaca Caroli V. imperatoris sorore germanos liberos quinque, quorum primogenitus Johannes annum circiter 13. excesit, hinc Philippus & Maximilianus infantes defuncti sunt Hafniæ in cœnobio Franciscanorum sepultura honorati. Filiarum natu maxima Dorothea innupta fuit Electori Palatino Friderico, aliis, sed perperam, est Ludovico; Christinam vero Mediolanensium Dux Franciscus Sfortia primis nuptiis, alteris Dux Lotharingiæ Franciscus itidem dictus elocatam sibi uxorem tenuit.

Apologiæ adv. eum editæ. Qui adversus eum apologias suas ac criminationes ediderunt, non Dani tantum & Sveci, sed & Lubecenses fuerunt. Patruus itidem Fridericus Holsatiæ Dux causas, quibus motus regnum a subditis oblatum accepit, publici similiter juris fecit. Sed maxime in eum invecti Daniæ præsules, quorum etiam invectiva typis tunc temporis descripta. Et nactus vicissim Christiernus Rex virum non indisertum Cornelium Sceppe-

Inpr. invectiva in scripta Daniæ præsulum.

Defendit Christiern. Corn. Sceppe-rum ejus vice-cancell.

rum juris consultum ac vice-cancellarium natum Neoportii apud Flandros, qui singulis & præsertim Lubecensibus, ac patruo ipsius Duci Friderico latine respondit. Sed ille quicquid obvelet, ea sunt fueruntque Regis Christierni commissa, eaque, ut molliter loquar præclara facinora, ut tegi ea, excusari vix possint; ut omittam violatas inde regni leges, aliaque perpetrata, spretis sæpe numero nec consultis, qui ipsi aderant regni senatoribus, & ideo effato illo divino nil certius, quo exclamat summus ille rerum arbiter Deus, se Reges regnaque eorum ob admissa peccata ab uno transferre in alium &, quod poëta ait, locum hic quoque habet:

Epicrisis.

Regnare qui vult, languida, regnet manu.

Successit illi princeps benignissimus a junioribus quidem initio electus, sed a Deo contra maximorum principum potentiam sustentatus.

Successit igitur princeps moderatissimus patruus Fridericus, idque instinctu atque adhortatione juniorum, de quibus dixi, apud Cimbros præsulum ac senatorum, qui in consultis ceteris regni episcopis ac proceribus se opponere ausi Regi potentissimo, & qui non Carolum modo imperatorem affinem, sed & Germaniæ principes electoresque cognatos sibi adeoque vicinos haberet. Et fortasse successum res haud habuisset, nisi ab alto summoque numine Deo hæc provenissent, qui ejus immanitatem totque innocentium supplicia aliaque ejus nominis horribilia facinora inulta diutius noluit. Translatum autem regnum in Ducem Fridericum, qui alterius quidem lineæ, sed ejusdem est domus prosapiæ Oldenburgicæ, haud secus, quam etiam olim in eadem hac Dania factitatum, cum Rex Christophorus Erici, ejusque filius, tum & Woldemarus, quem quartum nonnulli faciunt, & Ericus denique Pomeranus, postquam a regni senatu depositi amotique imperio essent, haud alios in locum eorum quam similiter agnatos surrogaverat; & Erico quidem Rex Christophorus successit, evocantibus eum proceribus. Nec regna modo a Regibus suis vel ob privilegiorum similiumque immunitatum immutationem, tum & sævitiam ac intractabilitatem eorundem defeciisse constat; sed & resp. etiam illustres & in his Helvetii Belgæque sese ex jugo Austriaco Hispanoque ob causas haud alias in libertatem vindicaverunt, ut omittam, quæ suggerit super defectione adversus Jeroboam ac Judam sacra Veter. Testam. pagina. Sed & hoc ilti super Rege Christierno ejusque rebus epilogo addi obiter aut repeti hoc loco potest, quod injectum superius de ejus, cum in hanc lucem ederetur, primordiis non tantum cruentum ejus regnum præsignificasse, quod alteram manum sanguine plenam in ipsa nativitate obstetrici exhibuerit, sed & desultorium id fore, atque eo aliquando excutiendum carcerique mancipandum indicasse, quod eum insuper e cunis in altum sustulerit simius, ac in planum ac pavimentum vicissim deposuerat, plane alio modo, quam accidisse apud Svetonium Augusto Cæsari Cajus Drusius memorat cap. 94., etenim, ait is, Augustum Cæsarem infantem adhuc repositum in cunas a nutricula loco plano postera luce non comparuisse: & diu quæsitum tandem in altissima turri repertum esse jacentem contra solis exortum, ubi solis exortum ac turris altitudinem, ad quam adeo mirabiliter fuit delatus Augustus & mox in eadem quoque turri, quod jacens contra solem exorientem repertus sit, quis non magna ea omina constantiaque denotasse manifesto videat? At Christiernus cum a simio in altum fuerit delatus, & ab eodem in plano vicissim depositus, quis non subitaneam ejus ad tria regna evectionem & ejusdem e solio vicissim eorundem subitaneam quoque dejectionem præfiguratse hoc ipsum cognoscat. Transmisso in Belgium per mare oceanum, ut memoravi, Rege Christierno una cum Elizabetha Regina Cæsaris germania liberisque tribus, Johanne principe, Dorothea & Christina, ac tota propemodum regia domo versa desubito fortuna. Nam Rex ubi Veram Selandiæ, ut dixi, oppidum ac portum appulisset, vertit concontinuo in Brabantiam. Antverpiam ubi veniisset, licet mirati omnes ejus e tot regnis ac ditionibus florentissimis inopinatum digressum,

Rex Christianus Antverpiam venit.



Fridericus I.
Rex Dan. An. Ætat. 56. Regn. 10.
Symb.
Nil sine Numine.

Brühl sc. Lips.

digreſſum eum,
Ducis Brabantiæ
exceptum Mechlin
Ille illi aula pro
Sed hæc priusqu
minari haud debet
pii primo fuere ab
re diruta, ejusq
ac deducti in arcem
dum cum essent c
nus ejus Adolphus
ab Saluvii a Belgii
Regiæ amica, ut
nus adjiciens eand
Regiæ in oppido B
nem assignasse ac l
se duæ exinde, da
difficilis, sed prac
Hispaniam abiera
qua ad eum de suc
ornatum reddidit.
provocatum, ob n
in praxique experu
ex ædibus adver
in defendendam l
subjuperari eoden
non principes ac e
animos suos fecit.
Philippi fuit amanti
ejusdem curavit,
Philippi demandat j
Daniæ Sueciæ ac Norv
Britanniæ quæ pr
Scotiæque Cim
Regiæ litteras m
Comitis Hollatiæ Duc
Regiæ placuere. Simili
Germaniam atque alibi
Principibus ac cogi inhil
Hispanicas ac ma
Regiæ, ne cum eod
Principi copiis vel op
Regia mandata qua
Eidem tamen hoc
Regi Toleti data conil
Principio suo elector
Ludovico, identidem
Principis nobilitatem Cimb
Principi Regem domin
Regimentum dixil
Principique, utroque
Principum medium offe
Principi promoveretur, d
Principi vulgo vocant, ca
Principum adversu
Principatiæ. Nam
Principe delegisse, delegat
Principum plena, ut ap
Principe, demonstrans
Principio excelluisse Ch
Principi in ejus locum legi
Principis vocatus, & quam
Principum ejusque fæv
Principi regia singula
Principi timuisse metuerent

digreſſum eum, nihilominus ut Cæſaris ac Ducis Brabantiæ affinem, magnificentiſſime exceptum Mechliniam usque deduci curarunt. Hic illi aula propria erat, in quam divertit. Sed huc priusquam perveniſſent, quod omitti haud debet, Veræ benigniſſime excepti primo ſunt ab Adolpho Burgundo, Beveræ dinaſta, ejusque conjuge Anna Bergenſi ac deducti in arcem Scanderburgi, ubi octiduum cum eſſent commorati, mox comitatus eſt eos Adolphus idem Mechliniam usque ubi ſalutati a Belgii gerbernatrice Margarita, Reginæ amica, ut habet Selandiæ chronicon, adjiciens eandem Margaretham Regi ac Reginæ in oppido Brabantiæ Liræ habitationem aſſignaſſe ac ſecum retinuiſſe liberos. Nec diu exinde, datis ad Belgii præſidem codicillis, ſed præcipue ad Cæſarem, qui in Hiſpaniam abierat, miſſis & litteris ac legato ad eum de ſuo adventu ejusque cauſis certiorem reddidit. Sed nimirum egredi regno coactum, ob nobilitatem, quam adverſam præcipue expertus fuiſſet, quod ſibi cives ac plebem adverſus ejus vim atque imperium defendendam ſumpſiſſet. Nec diſſimilia deproperari eodem fere tempore ad Germaniæ principes ac electores conſanguineos atq; amicos ſuos fecit. Cæſar ut erat ſororis atque affinis ſui amantiſſimus, exemplo evulgari dictum curavit, quo ſeveriſſime Friderico Duci demandat jubetque abſtinere a Daniæ, Sveciæ ac Norvegiæ regnis, donec de cauſa utriusque propius eſſet cognitum. Seorſum quoque Cimbricæ cherſoneſi nobilitatem per litteras monuit vetuitque cum Friderico Holſatiæ Duce agere aut arma cauſamque ſociare. Similiter & militem per Germaniam atque alibi in gratiam Friderici conſcribi ac cogi inhibuit. Seorſim civitates Hanſaticas ac maxime Lubecenſes commonuit, ne cum eodem fœdus ferirent, aut ei vel copiis vel opibus adeſſent. Hæc Cæſarea mandata quamvis non uno tempore eodem tamen hoc anno 1523. apud Hiſpanos Toleti data conſignataque. Nec defuere officio ſuo elector uterque Brandeburgicus & Saxo, identidem per litteras commonentes nobilitatem Cimbricam. cœpto deſiſterent, ac Regem dominum ſuum, cui jam olim ſacramentum dixiſſent, agnoſcerent reciperentque, utroque ſe ad cauſam componendam medium offerente. Sed ita cum parum promoveretur, delata res ad forum, ſive ut volgo vocant, cameram Spirenſem. Hic actitatum adverſus Fridericum ut Ducem Holſatiæ. Nam & ipſe ne videretur forum defugiſſe, delegatos eodem ſuos miſerat, cum plena, ut appellant facti informatione, demonſtrans ſimul, quem in modum regno exceſſiſſet Chriſtiernus, & ipſe viciſſim in ejus locum legitime atque ordine eſſet evocatus, & quam præterea Regem Chriſtiernum ejusque ſævum animum ac crudelitatem regna ſingula deteſtarentur, & ab eo ſibi cuncti metuerent.

Mechliniæ commorat ur

Liræ habitatio ipſi cum coniuge aſſignatur.

Carolo Imp. in Hiſp. ac genti adventum ejusque cauſas exponit per litteras,

Itemq; Principibus ac elect. Germaniæ ſibi conſanguineis,

Imp. literæ ad Frid. D, itemq; nobilitatem Cimbr. & civit. Hanſat. præcipue Lubec.

accedunt commonitiones Elector. Brand. & Sax.

hinc ad cameram Spir. delatum; quo ſuos mittit legatos D. Frider.

Quæ dum fiunt, nihilominus Rex Chriſtiernus militem in Germania & alibi cogere, Fridericum hinc armis, inde jure fatigaturus, quamvis aliud, quæ tum quoque allatæ, ſvaderent Ferdinandi Bohemiæ Regis litteræ, qui utrumque & Regem Chriſtiernum & Fridericum adhortabatur, ut omiſſis tam armis quam foro rem amicæ compoſitioni permitterent, quod & neutri diſplicuit. Fridericus ſuo in reſponſo electum ſe Daniæ Regem ſcripſerat, quod a principum nonnullis ſequius & cum riſu quodammodo acceptum; ſed ferre id illi debuere, nec mutari potuit, quod viſum fuit ſummo Numini.

R. Chriſt. copias in Germania cogit. Ferdin. Boh. R. amicam compoſitionem commendat.

Ad Fridericus accepto ſolviſſe Hafnia Regem Chriſtiernum continuo evocatus a nobilitate Cimbrica in oras boreales conceſſit. Ubi haud multo poſt ab univerſo procerum cœtu, civitatibus ac populo ejus tractus pronunciatus, reſignatus ac Rex declaratus eſt. Interea qui erat ei ad manum miles, quemque præterea conſcribi juſſerat, convenire Coldingam atque ibi exſpectare ejus adventum in mandatis habebat. Quo eodem tempore promulgari placitum fecit, quo inter cetera Danicæ nobilitati vitæ ac necis in proprios ſubditos poteſtas permiſſa, ut & jus XL. macarum, aliaque indulta, quæ alibi & apud Germanos præſertim, ſolis tamen qui comitum ac baronum titulo gaudent, conceſſa conſtat. Multa præterea eodem illo placito, quæ a Chriſtierno noviter erant ſancita, penitus abolita atque antiquata. Dioeceſi Lundenſi, quam idem ademerat, Borringholmiam reſtituit, ut & epiſcopatum Fionenſem, quem coronæ adjecerat. Cruces quoque & patibula quaqua versum ab eodem erecta, paſſim diruta ac ſublata. Peremtorum corpora & in his Johan. Thomæ cadaver Archuſiæ patibulo detractum, tumuloque honorifice illatum.

Poſt diſceſſum Chriſt. mox Fridericus a nobilit. Cimb. evocatus in oras boreales Rex declaratur, militibus ſuis Coldingam convocatis. Jus vitæ & necis in proprios ſubditos nobilitati Danicæ conceſſum, aliaque privil.

Sollicitabat inter hæc Senatus Cimbricæ cherſoneſi ſive Jutiandiæ proceres ac civitates, quæ in proximo erant, Fioniæ & Selandiæ, & ultimo quoque Scanienſes, ut idem ſecum facerent & arma adverſus Chriſtiernum, & qui eum ſequebantur, ſociarent. Unde & continuo Fionenſes, qui Jutlandiæ proxime erant adſiti, fidem atque obſequium Friderico polliciti. Et ſecuti haud multo poſt eorum exemplum, quos habebat Rex Chriſtiernus in ducatu Holſatiæ, arcium præfecti, excepto, qui Segebergam tenebat, Wolfgango Poviſcio, qui tam levi exinde obſidione a Duce preſſus paucis poſt ſeptimanis ſe arcemque dedidit. Inde Rex electus Dux Fredericus Gottorpio litteras miſit ad ſenatum populumque Hafnienſem, quibus demonſtrabat, receſſiſſe a Rege Chriſtierno ob ejus immanem ſævitiam ac tyrannidem non modo epiſpocum Roſchildenſem Lagonem Urnicum & abbatem Soræ Henricum, ut & Eſchil-

Fionenſes Friderico juncti,

itemq; arcium in Holſatia præfecti, ubi & Segeberga capitur.

Rex electus Frid. Selandienſes quoq; inpr. Hafnienſes ſollicitat.

Eſchillum Anderſchoviæ in Seelandia priorem, qui rebus ac vitæ ſuæ metuentes jam dudum Chriſtiernum deſeruerant, ſed & totam Jutlandiam ac Fioniam ad ſe conceſſiſſe, ſeque inauguraſſe una cum Holſatiæ ducatus ea parte, quæ Chriſtiernum ut Ducem agnoſcebat, & eos ſe univerſos ſuam in clientelam ac defenſionem recepiſſe, eosque veteribus privilegiis ac immunitatibus redonaturum: & ideo prima occaſione cum exercitu in Seelandiam quoque moturum, quo & ibi univerſos libertati priſtinæ reſtituat: ac cunctos a vi ac tyrannide Chriſtierni immunes præſtet. Petere idcirco ac rogare, mitterent ad ſe conſules urbis una cum ſenatore ac uno alteroque ex civibus, qui omnium nomine fidem atque obſequium ſibi polliceantur. Se viciſſim privilegia ipſis vetera atque immunitates permiſſurum, ac ſimul abrogaturum, quibus premuntur, collationum onera a Rege Chriſtierno hinc inde civibus atque indigenis impoſita. Verum reſponſum a Hafnienſibus ſe obſtringi ſacramento, quod Chriſtierno jam dudum fecerant, & urbem adhæc valido ejusdem præſidio teneri.

Reſp. Hafnienſes.

Coldingæa R & Frid. in Fionia conſtituti ſalvum conductum impetrant.

Hinc Coldingam ubi electus adveniſſet, eo ſe ex inſula proxima Fionenſium, qui ut meminimus, fidem ei atque obſequium jam ante promiſerant, contulere Ericus comes Hojenſis & Georgius Hardes militiæ Chriſtierni Regis eo locorum præfecti, liberum, ac ſalvum ex inſula decedendi conductum omnium nomine efflagitantes, qui & ipſis liberali manu conceſſus fuit. Ipſe deinde in Fioniam transgreſſus militum ſex millia ad manum habuit præter equitum unam alteramque cohortem, cui ex aulicis ipſius præerant Aſchemus Cramus & Georgius Boeck. Primam omnium Otthenſeam petiit in inſulæ meditullio ſitam, ub ab omnibus ac nobilitate præſertim gratanter exceptus, ſuam in fidem arces ac munimenta quaqua verſum recepit. Ei ſe ex Lubecenſium auxiliaribus junxere peditum duo millia, præter equitum ducentos, qui iisdem ex fœdere erant additi. Signum, quod ex Gelrica natione unicum Hojenſi militaverat, in fidem ac ſacramentum electi tranſiit. Urbes atque emporia ubicunque intraret, ibi ſimul ab incolis ac civibus ſacramentum ei dictum, factaque inauguratio. Iisdem in urbibus ut & aliis in locis quæcunque erecta per Regem Chriſtiernum patibula ac cruces fuiſſent, loco moveri juſſit, ut & ſeveriora mandata ejus juſſu promulgata. Erant in procinctu & ad manum cum claſſe Lubecenſes circa ſinum Balthicum, quomodo ex pacto conventum fuerat. Hic dum in littore circa Neoburgum cum exercitu hæret electus animique pendebat, quam in oram Selandiæ, quæ Fioniæ erat adverſa, militem exponeret. Coronam, quæ erat oppoſita ingredi hæſitabat, quod eam milite atque hoſte teneri exiſtimaret. At mox per exploratores ubi accepiſſet, nudum ibi littus nec hoſtem ullum ad eſſe, univerſum ibi exercitum transpoſuit. In Seelandiam igitur transgreſſus primo Anderſchoviam, inde Ringſtadium ac ultimo Roſchildiam advenit, ubi evocati ad eum ex nobilitate Seelandica plerique fidem polliciti fuere, diffugiente, qui per proxima loca ac pagos erat diſpoſitus, Chriſtierni milite ac præſidiariis. Sub initium Junii menſis motis caſtris Haſniam acceſſit, caſtraque poſuit verſus boreum urbis latus, idque ob commeatum, qui eo loci advehi percommode mari potuit. Circa eundem ex adverſo locum Lubecenſium claſſis conſtans navibus octodecim anchoras jecit. Excitatum præterea munimentum prope Valbyam ſub mœnia propemodum urbis occidentem verſus. Eratque hoc pacto obſeſſum oppidum terra marique; cum de novo ſacramentum a milite flagitatum, & Rex viciſſim electus ſe cum iisdem mori ac vivere paratum declaravit. Crebræ poſt id velitationes habitæ, dum ex urbe identidem excurſiones fierent, moleſque aliquot altiores, quas cattos vocant, oppidani in urbis mœnibus educi curarunt, inde in caſtra obſidentium, exploſis grandioribus tormentis, creberrime fulminatum. Sed tum maxime, ubi ſe in urbem recepturi erant, qui excurſiones fecerant. Electus enim Rex nulla grandiora tormenta urbi admovere voluit, quod eam fame expugnaturum ſe perſuaſum haberet. Interim ex levibus tormentis, quibus falconettæ nomen, mœnibus admoveri unum juſſerat, quo inter cetera miles, qui in mœnibus erat circa pectus ita percuſſus ut integrum ejus cor in terram procideret, ea magnitudine, quod annotatum tum fuit, ut bubulum adæquarit, memorante Witfeldio.

Rex Frid. in Fioniam tranſit, ubi exercitum colligit; quo accedunt Lubec. auxilia.

Sacramento ſe illi civitates ultro obſtringunt.

Patibula & ſeveriora Chriſt. mandata amoventur.

Claſſis Lubec. parata.

Aliquamdiu deliberans Corſoram in Seeland. tranſfretat.

Roſchildiam usque penetrat; quo evocati nobilit. Seeland. plerique idem ipſi obſtringunt, militeChriſt. diffugiente.

Hafnia terra marique obſidetur.

Fame tam compeſcere ſperat R. elect.

Dum obſidio hæc durat actum ſeorſim per Magnum Goë aulæ magiſtrum cum Erico Bollero, qui Callenburgum Chriſtierni nomine tenebat, ut ſe Regi electo jungeret, quod & factum, adornatis inſidiis, quibus admiſſi per oppidi certam turrim, qua ſervari olim ſolita regni archiva, milites aliquot, qui & arcem & urbem occuparunt. Huic exinde Erico cognomen inditum Slippeslot, quod illi in dedecus hæſit.

Ericus Bollerus Callenburgi præfectus ſe Friderico adjungit.

Inter hæc denuo exſcribi electus Rex typisque excudi codicillos cauſamque fecit, qua motus Daniæ regnum ſibi aſſumpſiſſet, hocque belli auſpicatus eſſet; & Lubecenſes ſimiliter edi rationes curarunt, quibus juſtiſſimis de cauſis ſe arma adverſus Chriſtiernum ſumpſiſſe ac cauſam ſuam cum Rege electo Friderico ſociaſſe demonſtrabant.

R. electus codicillos typis exſcribi facit de cauſis ſuſcepti regni itemque Lubec. rationes belli publico loci exponunt.

Fluentibus hunc in modum rebus deproperare itidem ad Scanienſes eorumque nobilitatem litteras haud deſiit Magnus Goë, ut ut & Epiſcopi ceterique ex Regni ſenatu eos identidem rogantes atque ſollicitantes, ſe ut Regi electo conjungerent, poſtquam eos

Literis iidem miſſis Scanienſes moventur.

deſe-

deseruisset Christiernus. Polliceri electum se privilegia vetera atque immunitates ipsis restituturum, & simul, quæcunque introducta inveteraſſent ad subditorum atque indigenarum onera ac gravamen, ea sublaturum singula. Nec mora, assensere Scanienses; rogaruntque ipse in Scania præsentem se modo electus sisteret, haud illubenter imperata facturos. Quod ubi relatum accepisset, electus continuo demandata filio Christiano regnique marschallo Johan. Rantzovio exercitus atque obsidionis cura in Scaniam trajecit, ubi a Nobilitate atque urbibus omnibus excepta Malmogia lætiss. exceptus atq. salutatus, accepta dataque fide solenniter est inauguratus. Hæc Malmogia ab exteris ob loci flexum, quo est sita, Ellebogia a brachii curvatura nuncupatur, positaque est ad oram maritimam Balthici maris ex adverso Hafniæ, ut merito hæc duo oppida tractus ejus ac regni velut claustra haberi possint, modo adsit, quæ fauces maris custodiat, idonea simul classis. Hæc urbs, sicuti & Hafnia, de qua dixi, acceptis Christierni Regis, antequam e regnis decederet, præsidiis ei se fidam atque obsequentem mansuram pollicita fuerat: idque instinctu vel maxime Johannis Michaelis, qui Regem abeuntem, quod antea meminimus, secutus est, hominis, qui ea ætate plurimum apud cives suos poterat pollebatque. Electus itaque cum invaderet extrema exspectaturos Malmogienses, jussit Scanienſi nobilitati, additis eidem aliquot cohortibus, ut Malmogienses levi obsidione premerent, aut saltem id agerent, ne uspiam ipsis terrestri itinere commeatus adveheretur, cetera Lubecenses ac classem, quæ mare servaret curaturos.

regemq. ad se invitatum lete suscipiunt

excepta Malmogia;

hujus urbis situs

Malmogienses levi obsidione cinctli commeatu intercludun-tur.

Georg. Hansenius Stenio præf. Bergensis relictio Jo. Canuto dominum sequitur in Brabantiam.

Per idem tempus apud Norvagos arcis atque oppidi Bergensis præfectus Georgius Hansenius aviæ meæ maternæ parens, ubi accepisset Regem suum regnis relictis ad Cæsarem concessisse, arcem atque oppidum diœceseos præposito, Johanni Canuto Regis ac domini sui nomine commisit, ipse herum secutus in Hollandiam quoque sive Brabantiam abiit. Hic Georgius Hansenius, cui Stenio cognomentum erat, eam a Christierno præfecturam statim sub initium imperii ejus acceperat, ac arcem, cujusmodi hodie visitur, e solo ac fundamentis exædificare curavit, vir acer ac rerum suarum satagens, quique Theutonum insolentiam, qui partem urbis juxta pontem, ut appellant, inhabitant, haud semel coërcuit compressitque, octo inter cetera in crucem eorundem pistore, idque ut major ipsis terror incuteretur, posito in oculis ipsorum, & e regione domus, quam frequentare consilii causa solent, patibulo. Stenium abeuntem comitatus est Hermannus Guilielmus, cui aliquid etiam a Rege commissum in Norvegos imperii fuerat.

comite Herm Guilielmo.

Malmogien.

Inter hæc sedente ad Malmogiam Scanensium nobilitate & qui ipsis erat ab electo adjunctus e legione Germanorum milite, crebræ non tantum excursiones ab oppidanis factæ, sed & velitationes utrinque habitæ, in quibus præter ceteros desideratus est Tycho Brahe eques ut & Severinus Turdonis nobilium haud infimus. Et capti eodem circiter tempore Scaniæ procerum, qui ad conventum Schaberſoënſem vocati venerant, præcipui fuissent, nisi desubito commoniti de Malmogiensium procinctu, relictis ephippiis & calcaribus sibi, inscensis præpropere equis celeri fuga consuluissent. Hinc cum accepissent, dimissas a Rege Svecorum Gustavo copias aliquot, eas sacramento adactas sub duce ac ductore Petro Potino sibi junxere, ac mox vallum munimentaque objicere Malmogiensibus cœpere, prohibitæque in totum eorundem deinceps excursiones. Tum simul iidem vacante apud Lundenses episcopali sede, ad eam dignitatem promoverunt Agonem Sparre, virum non minus insigni eruditione quam familiæ claritate spectabilem. Eum electum jam ante rejecerat Christiernus Rex, repositio in ejus locum secretario suo Georgio Scobergio.

ses excursiones & velitationes crebriores faciunt, quibus cadit Tycho Brahe & Sev. Turdonis.

Obsidentes copias aliquot a Gustavo R. Suec. dimissas sibi jungunt, illosq. arctius includunt.

Ago Sparre fit præsul Lund. ante a Christ. remotus.

Dum autem obsidetur eum in modum, ut dixi, Hafnienſium civitas, deficere paulatim commeatus aliaque ad victum urbemque defendendam necessaria cœperunt. Nec tamen illi desponderunt animum; sed certo sibi persvasum habuere, brevi vel terra vel mari a Rege Christierno missum adfore subsidium. Interea celoces, quæ pluribus remis agebantur, exstrui fecerunt. His identidem in proximum mare excurrentes oppido, quantum poterant, de victu & commeatu ceterisque ejusmodi prospicere haud desierunt, cum id nec facile per semper inhibere urbium classis posset; utpote quæ in anchoribus stans similes naviculas aut eum in modum instructas armatasque ad manus non haberet.

Hafnienses obsessi Christierni auxilia exspectant.

Celocibus addunt sibi commeatum

Exortæ sub hæc in castris electi haud levis tumultuatio, nam a ricolæ ac populares, qui ex proximis pagis commeatum in ejus exercitum deferebant, cum a milite minus exacte persolverentur, & nonnullis solutio negaretur, remanere ili, nec quiquam ei venum deferre cœperunt. Unde miles, cui nec ipsi fortasse stipendium numeratur, satis prompte invadere pagos & vi extorquere, quod alias obtinere nequiit, cum instituissent, plures utrinque occidione occisi sunt. Quapropter promulgare placitum Rex electus fecit, quo & prompta militi salarii solutio decreta, & idem ut agricolis ac sua divendentibus præstaretur ac ipsis quoque quid flagitandum haberent, præscriptum.

Tumultuatio in castris ob solutionem agricolis pro mercibus denegatam subtractumq. militi stipendium.

sedatur.

Quæ dum agerentur, erat in eo totus Rex Christiernus, ut collectis apud Brandeburgicum, Brunsvicenſen ac Misnenses tam peditum quam equitum expeditis copiis in Danos Holsatosque moveret. Erant illi ad manus viginti sex

Regi Christi. expeditum 26. millium armatorum exercitum ducenti

ti sex militum millia, quibus præter ceteros Elector Brandeburgicus Joachimus præsens intererat; pars hujus exercitus delectus sibi locum circa Hadelæ districtum elegit, quo & ceteros convenire erat jussum, quod ut inhiberent Hamburgenses, naves armatas Albi imposuerunt, ne eum transgressi in proximam Holsatiam inopinato irruerent. Quæ ubi electo Regi ad aures accidere, metuere coepit anceps dubiusque, quid potissimum sibi agendum foret, quippe militi, qui Hafniam obsidebat, sacramento addactus juraverat, se haud eum deserturum.

Frid. & R. in Holsatiam occursurus tendit,

Inter quæ consultissimum visum, ut ipse in Holsatiam pergeret, filium & marschallum Rantzovium exercitui, qui Hafniam corona circumcinxerat, adesse præesseque mandaret. Quod consilii cum & ipse probasset, confestim in Holsatiam concessit, atque ibi in arma rapuit, quicquid esset tam nobilitatis quam civium populariumque. Non enim ambigebat, Christiernum, quod deessent ei naves ac classes tum & urbes Vandaliæ sibi adversas haberet, primum in Holsatos Jutiæque oras impetum armaque versurum. Itaque Rex electus delectu mox habito, qui factus est in agro, cui Granderhedæ nomen, comperit ad manum sibi esse peditum equitumque haud minus octuaginta millibus. Quibus haud moratus est obsidere proximos ditionum suarum limites ac hostem adventantem cominus exspectare, ac se ei animose opponere. Filius ejus Christianus e castris, quibus obsidebatur, ut memoravi, Hafnienſium civitas, litteras ad electorem Joachimum Brandeburgicum dedit; quibus declarabat, se haudquaquam exspectasse, quod ille sibi regis Christierni causſam assumpsisset; idque adversus affinem & consanguineum suum, tum & isto tempore, quo in foro & camera Spirensi utriusque causa agitaretur, sed aleam modo jactam ac Deo deinceps committendam. Interim non ambigere se addebat, ubi causa utriusque coram æquis judicibus ageretur, pronunciaturos omnes, haud injuria ipsos aut nobilitatem Danicam relicto Christierno alio respexisse. Reposuit ad ista Brandeburgicus, se non affinem suum Regem Christiernum deserere, aut ei negare potuisse, ut ære suo intra ditiones suas militem cogeret.

ubi copiar. 80000. numerum complet.

Christ. ejus fil. electorem Brand. literis coarguit.

Resp. ab electi.

Christierni R. exercitus stipendii incertus circa Perlebergam dissipatur.

At mox ubi Perlebergam venisset Christierni Regis exercitus, de stipendio, & ubi solutionem exspectandam haberet, agere cœpit. Sed ille cum nec vadem nec sponsores ac multo minus belli nervum, pecuniam ad manus haberet, tergiversari miles ac ultimo tumultuari, quod se delusum videret, undique cœpit. Rex id videns abdidit sese ac latebras quæsivit. Nec multo post diffluxere eæ copiæ omnes deserente hinc eas Rege ac illis vicissim Regem desetentibus. Interim Brunsuicensium ducibus, qui impensas fecerant, ut & Brandeburgico, ingentis summæ nomine se obligavit. Brandeburgicus insuper ceimelia illi sua perplura tradidit, quæ in Germanica & alibi pignoris loco relicta, nec adhuc Brandeburgico restituta sunt. Ea tempestate dum hæret in marchionatu Christiernus, colligendis, quas dixi, copiis, abstulit Brandeburgi ex æde Mariæ virginis Triglæ imaginem, quod Vandalorum olim idolum fuisse triplici vertice memoratur. Hecatem quoque & Dianam tricipitem a gentibus cultam constare vel ex illo Ausonii potest; *Tergemina est Hecate tria virginis ora Dianæ.* Volunt, qui Homerum est commentatus, *Eustathium* tradere Dianam item Triglam nuncupatam; quod an *Eustathio* traditum, neque affirmare neque inficiari habeam: id interim verum est, Athenæum aliosque docere, Athenis olim locum fuisse dictum Triglam atque inibi simulachrum Hecates Triglarinæ, quæ, ut jam dixi, tergemina & triceps fuit, quemadmodum est Diana.

& Ducibus Brunsu.

Triglæ idol. vet. imagin. Brandeb. abstulisse fertur.

quodnam illud idolum disquiritur.

Dum hæret in Holsatia Rex electus Fredericus, avertendis, quæ minabatur Christiernus, armis, quatuor ex ea classe naves, qua in Hollandiam trajecerat, in fretum Oresundæ appulere. Hæc armis ac munitione, sed nullo milite tantum classiariorum duplici ordine probe instructæ, prius quam in fretum, quod dixi, advenissent, duas ex Norvegia adventantes naves vi captas sibi adjunxerant, pisce Bergensi & aliis mercimoniis oneratæ. Hisce navibus mandaverat Rex Christiernus, ut primo Hafniam peterent, inde ubi intellexissent militem ejus adesse, ut ei transvehendo juvandoque, qua opus esset, præsto essent. Dum hærent in freto, quod dixi, Oresundæ, unus ex classiariis, relictis navibus in castra, quæ erant circa Hafniam, pedes concessit; is coram marschallo deductus exposuit, naves eas militem præsidiarium nullum vehere, tantum adesse classiariorum duplicem numerum; alias pulvere tormentario aliaque munitione ac commeatu satis instructas esse. Quod cum intellexissent, continuo ad classem Lubecensium, quæ circa portum in anchoris stabat, profecti sunt comes Hojensis nomine Lubecensium, Magnus Goë aulæ magister, Johannes Rantzovius mareschallus, eisque significarunt, cujusmodi essent regiæ illæ naves, quæ in Sundæ fretum appulissent, serio eos obtestantes rogantesque ut sinerent naves suas præsidiario milite compleri, semet ipsos etiam ad comitandum ac invadendum jam dicta navigia paratos. At territi Lubecensium navarchi ac capitanei responderunt, naves, quibus præessent, pertinere potissima parte ad negotiatores Lubicenses, eas si amitterent, sibi imputatum iri. Et licet comes jam memoratus, ut ceteri, ex ordine equestri illustres viri. damnum, quodcunque fieret, regni nomine se præstituros pollicerentur, frustra tamen omnia fuere.

Redeunt ex Belgio 4. naves, quæ Christianum transvexerant, Hafniensibus commeatum aliaque adducta.

Quarum naves territi Lubecenses tum pisime fugiunt;

Nam

hinc illæ urbem facile ingrediuntur,

Nam illucescente, qui secutus est, die velis vento datis Lubecam se turpissima fuga receperunt. Inde postridie ejus diei sex illa Christierni Regis navigia Hafniam petiere, & antequam portum urbemque intrarent naves quæcunque occurrerent, commeatum in castra Regis electi aliaque devehentes, secum abduxere ac simul explosis in castra electi Regis grandioribus aliquot tormentis urbem absque ullo impedimento ingressa fuere. Fecerat quidem paulo ante electus Rex deprimi navigium unum alterumque circa portus introitum, sed frustra id fuit. Hafnienses plurimum exhilarati

recreatique quodammodo Hafnienses.

sunt, ubi de Lubecensium abitu deque regiis navibus, quæ urbi liberandæ præsto essent, allatum ad ipsos foret; unde & statim sub vesperam, cum dictæ jam naves urbi appropinquarent, festi ignes favillæ in turri cathedralis ecclesiæ accensæ fuerunt, explosaque in mœnibus circumquaque tormenta summum ipsorum gaudium significantia, sed breve nec solidum id gaudii fuit, postquam viderent spe atque opinione sua id, quidquid esset, subsidii multo minus leviusque deprehendi.

Ol. Rosencrantz. e castris missus ad præf. Hafn. suadens, ut urbem dedat.

Biduo statim in urbem e castris missus præter ceteros Olaus Rosencrantzius, qui urbis præfectum Henricum Goë ceterosque commoneret, urbem dederent; patere jam quid a Rege Christierno subsidii ipsis venisset, tum & significaret, numerosas ejus, quas in Germania collegisset, copias esse dispersas ac penitus diffluxisse, subsidii, quod exspectarent, ulterius haud esse. Pergebat igitur urbem versus Rosencrantzius, præmisso tubicine, manu rudem tenens, docebatque qui primas excubias servabant, venire e castris se nomine electi Regis, atque esse, de quibus cum urbis præfecto ageret. Quo relato, subsistere paululum jussus, ac mox in urbem cum suis admissus præfecto declarabat, non ignorare eum, cujusmodi fuisset Christierni Regis imperium, sævum ac tyrannicum, adductis, quæ in Dania quæque in Suecia perpetrasset: nec præterito, quod regni res permisisset peregrinæ & ex Hollandis oriundæ feminæ *Sigbretæ* nomine, idque nec lecto atque insuper habito regni senatu & inde regnum ejusque ditiones ad incitas paulatim redactas. Hortabatur igitur, Regem electum agnosceret, nec solum se ei opponeret, cunctis jam ejus propemodo partes sequentibus tum & satisfeciisse ipsum sacramento addebat, quod Regi Christierno feciisset, & urbem non quatuor tantum, quomodo promiserat, sed octo integros menses in gratiam ejus defendisse; & animadvertere jam satis eum ex pauculis hisce quaternis navigiis, quæ ipsis Christiernus submisisset, quid in posterum ab eo exspectandum habeat, nec esse quod Cæsarem magnopere respiciat, cum undique bellis distentus satis habeat, quod alibi agat. Et interim sperare, ipsum Cæsarem utpote christianissimum ac prudentissimum imperatorem sibi haud vindicaturum regni res, & maxime Christierni Regis causam, quem non ignoret regno legitime esse abdicatum & imperium in omnes exercuisse intolerabile. Inde subjecit Rosencrantzius, si urbem jam dedere parati sint, patere ipsis gratiam, & acturos de militis stipendio, qui octo tum mensibus solutionem non accepisset; sin minus, gratiam exinde nullam fore. Goëus, his acceptis, ubi rem cum centurionibus contulisset, & famem ac difficultates, quibus premebantur, perpendisset, sibi concedi hebdomadas octo, ut interea, Christiernus quid posset, exspectarent. Tum & naves, quæ advenerant ad satisfaciendum militi, sibi item petebant. Quæ cum omnia minus placuissent, tandem in hanc fere sententiam cum Goëo conventum. Traderet Hafniam sub proximum annum in Regis seu ejus senatus potestatem cum classe, tormentis ac reliquis rebus ad regnum spectantibus: militi liber ac salvus conductus discedendi, quo vellet, traderetur, ea tamen conditione, ut singulis, qua iter agerent, satisfacerent. Militi indigenæ fas similiter esset urbe excedere, & intra regnum, si ita placeret, consistere aut peregre abire & alibi stipendia merere, modo ne adversus regnum militent. Canutus Rugius retineret Sebyæ prædium ac villam, & filius Gisler Proningsholmiam. Pro Henrico Goëo Hafnienium præfecto intercederet apud Regem electum regni senatus, idque ob vetera ejus erga regnum merita, modo consistere ac manere intra regnum veller. Idem Goëus civesque urbis, quascunque celoces minoraque navigia durante obsidione exstrui fecissent, ea sibi retinerent. Amnestia esset omnium quæcunque tam Hafnienses quam Malmogienses terra marique damna, regiis intulissent. Sacerdotibus, agricolis omnibusque aliis, qui partes Henrici secuti fuissent, facultas facta ad suos redeunti &c.

Tandem conveniunt pacta cum præsidiariis.

Similiter & urbis senatus consulesque suos in castra electi miserunt, ac certis conditionibus cum eo pacti sunt. In his erant a parte Regis Lago Urne antistes Roschildensis, regni cancellarius, Henricus Christiani Abbas Sorensis, Eschillus prior Anderschovensis, Magnus Goeus aulæ magister, Johannes Bilde, Matthias Erici, Eschillus Brede regni senator, Johannes eques, Hennekenus Sestede, Otto Ratlou, Holsatiæ senator, itemque a parte urbis Johannes Broleggerus consul Hafnienium, Petrus Kempius, Johannes Danhorstius, urbis senatores. Hos inter hunc in modum convenit, ut urbs Hafnienium in manus ac potestatem Regis aut ejus senatus permittatur, proximo die trium Regum, qui esset anni sequentis. Redderentur ipsis ac fruerentur immunitatibus, statutis ac privilegiis suis omni-

Itemque cum urbis senatu

omnibus, cujusmodi ea antiquitus a Daniæ Regibus accepissent. Portus quoque ipsorum sua gauderet immunitate, quam semper obtinuissent, muri ac munimenta urbis manerent integra, novæ impositiones ac vectigalia tollerentur, tormenta aliique munitionum apparatus ac suppellex, quæ ad urbem ac senatum spectaret, illis salva essent. Rationum codicilli, archiva & quæcunque a nobilitate aut monasteriis senatui ac consulibus essent bona fide concredita, ea ipsis integra servarentur, nisi demonstrari posset, durante bello ab hoste direpta ea esse dispersaque. Amnestia esset omnium, quæ bello durante utrinque essent acta perpetrataque. &c.

Quatuor autem illa navigia regia, quæ Hafnienſibus subsidio venerant, qnæ sibi servari solvendo militi Henricus Goë petierat, ut est superius memoratum, de eo postmodum inter ipsum Regem & Henricum Neoburgi, atque inde Hafniæ statutrm, ut Rex militi solutionem præstaret, sibi eas naves regnoque servaret, quæ erant nomine, Ludolphus, Petrus ab Hul, elephanta ac barca Hamburgensis. Similis deinde tractatus cum Malmogienſibus initus; aderantque fere iidem ex nobilitate a parte electi Regis, qui superius nominati; ex urbis senatu interfuere cum plena omnium nomine agendi potestate Georgius Koch urbis consul, Johannes Jensenius, Jabobus Michaelis, aliique aliquot ex oppidi senatu ac civibus. Inter hos eodem modo conventum, ut civitas sub diem trium Regum anni insequentis in potestatem ac manus senatorum regni, qui ad id essent delegati, traderetur, servatis ac restitutis, quæcunque aut a quibus obtinuissent a Daniæ Regibus, privilegiis, statutis, atque immunitatibus; munitiones ac mœnia, cujusmodi nunc essent, ipsis sarta ac integra tecta relinquerentur. Novæ impositiones ac vectigalia abolerentur, & ad veterem & primum morem cuncta reducerentur; aliaque speciatim ac seorsim addita statutaque, quæ referre singula prolixius foret. Quæ cum essent solenniter utrinque acta transactaque, missi ad Regem electum Johannes Rantzovius & Justus Bock, qui eum de singulis certiorem redderent, tam de urbis Hafnienſis, quam de Malmogiæ deditione; deque capitibus ac conditione, quibus essent peracta singula. Hi Regem Neoburgi reperere reversum ex Holsatia, ubi limiti adversus irruptionem quam minabatur Christiernus, ut ante est memoratum, tutando, ac ceteris ordinandis adfuerat. Neoburgi autem dies aliquot substiterat, ob subitum, quod obortum fuerat, gelu, quo transmittere Balthicum illum sinum myoparonibus prohibebatur. Hic cum ei capita ac conditiones exhibitæ prælectæque essent, quibus transacta omnia, plurimum ob rem bene gestam gavisus fuit. Inde Rex electus litteras deproperari ad Romanum Pontificem fecit, ejus sanctitatem obsequiose certiorem reddens, quibus ille modis atque occasione ad Daniæ regnum perveniſſet. Nec defuit similiter clerus, aut ejus nomine, quæ vocant capitula vel capitulares ad eundem etiam literas suas dare, demonstrando, quam essent Christierni tempore oppressæ ac depauperatæ ubivis ecclesiæ ac ordo ecclesiasticus. Adjicientes simul, quibus ille modis imperium in omnes idque summa cum immanitate exercuisset, ac maxime in antistites ac clerum sæviendo; orantes idcirco ac flagitantes summa cum submissione paternam ejus opem atque auxilium. Seorsim vero electo Regi authores perplures fuere, ut cum exteris principibus, dynastis ac Regibus amicitiam ac fœdus sociaret, quod in eo plurimum esset momenti positum. Unde præter ceteros cum Rege Gallorum Francisco & Rege item Scotorum fœdus percussum. Et est tum etiam ad Gelriæ Ducem Carolum Egmondanum missus Diderichus Rethren, qui ei Regis sui amicitiam ac societatem offerendo fœdus cum eodem feriit, quod Gelricum exinde fœdus est nuncupatum.

Item tractatur cum Malmogienſibus.

Joh. Ranzovius & Jac. Bock ad Regem proficiſcuntur relaturi de Hafn. & Malmog. deditione.

Regis Frid. ad Pontif. max. littera

item cleri.

Hinc R. el. fœdus firmat cum Regibus Gall. & Scot. itemque Duce Gelr. Carolo Egmond.

Quæ dum domi intraque Daniæ regnum geruntur, Suecorum dux Gustavus Vigam jam ante Norvegiæ, ut & Carlsburgum, duce Laurentio Siggone suæ potestatis fecerat, impoſito Nicolao Grummio homine Sueco aliaque ibidem tentans, Norvagos identidem distinebat, jam hic jam illic ferrum minitando, quo ita a liberanda Stocholmia Regem Christiernum diverteret. Alii, fugato ex arce Carlsburgi profecto Nicolao Grummio, occupatam eam ab eodem Siggone memorant. Secuta deinde exeunte Majo Calmariæ urbis & arcis deditio, quam circa pascha novis præsidiis firmare Severinus Norbyus conatus fuerat, sed de Christierni Regis ultraneo ex Dania discessu certior redditus, cum copiis in Daniam rediit, relictis solummodo militibus sexaginta ad arcis præsidium, quibus in mandatis erat, si urbem tutari diutius non possent, ut urbe arceque incensis in insulam Gothlandiæ navigio trajicerent. Cives vero cognita præsidiariorum hac sententia, portam urbis borealem Suecis, qui mœnibus adsidebant, noctu aperiunt. Sicque illi oppido potiti, hebdomada sequente etiam deditione recipiunt, ac mox, ductore Arvido Vestrogothio, totam Olandiæ insulam Smalandiæ objectam novendecim miliaribus longam, Sueciæ regno ac ditionibus, a quibus erat divulsa, postliminio adjecerunt. Hoc Gustavi successu, ac intellecta simul Regis sui ex Dania fuga, cœperunt præsidiarii Stocholmienses despone animum, ac urbem his conditionibus Gustavo offerunt, ut desisterent ab hostilitate atque obsidione pari Sueci ulteriori, ac urbs interea in potestatem ac manus Lubecensium traderetur. Qui Duci Friderico Daniæ electo

Gustavus Vaga & Carlburgo capt. Norvagos detinet.

Calmariam deditione capit.

De traden. sibi Stockholmia tracta.

lecto Regi nunc essent fœderati; hi amice vel jure de urbe atque arce Stocholmiensi statuerent. At Gustavus in eas conditiones haud quaquam consentire voluit.

In comitiis Strengenesii hab. novus eligitur regni senatus sublato priori per Christ.

Celebrata deinde sub ferias pentecostes Strengenesii comitia: In his præter cetera, novus regni senatus creatus fuit, postquam prior immani Christierni crudelitate, ut ante est memoratum in publico Stocholmiensium foro, vel laqueo vel gladio per carnificem esset sublatus. Qui in eum tum ordinem noviter allecti, memorantur Johannes Linkopiensis, Ingemorus Wexoensis, Magnus Scarensis, Magnus Strengenescensis, Petrus Arosiensis, episcopi, itemque Turo Jensenius, Bernardus a Millen, Canutus Erici Johannes Aressen, Axillus Matthiæ, Axillus Pase, Nicolaus Nicolai, Henricus Erlandi, Nicolaus Olai, Laurentius Siggonis, Michaëlis Nicolai, Turo Benedicti, Petrus Erlandi, Ivarus Flemming, Canutus Andreæ, Petrus Jensenius, Axillus Andreæ, Bionus Laurentii. Hi magna moderationis ac prudentiæ opinione regni clavo admoti, per oratorem suum Canutum præpositum Arosiensem a Gustavo petunt, ut qui hucusque regentis nomine rebus præfuissent, universum nunc regni onus, in se suscipere, ipsorumque Rex esse, & regnum ipsosque omnes, quemadmodum feliciter cœperat, ita porro vindicare in totum a Christierni tyrannide haud recusaret. Gustavus vicissim gravem regni molem humeris suis imparem deprecatus, sibi laboribus, curis totque periculis ob communem patriæ utilitatem abunde perfuncto ac jam propemodum defessо exhaustoque parci petebat; ostendens haud displiciturum etiam sibi, si quemque alium ex generoso ac nobili Svecorum stemmate oriundum electuri forent. Verum regni ordinibus serio obnixeque instantibus & accedente præterea Johannis Gothi, qui pontificis nomine legatus Roma nuper redierat, hortatu Gustavus tandem annuit, delarans simul, se haud ulla regni cupiditate aut ambitione, sed præcipue patriæ amore ac rebus regni id urgentibus oblatum imperii onus in se recipere; addita hac petitione, ut cum tanta imperii moles ab uno homine vix sustineri posset, sed amicos ac socios curarum laborumque multos requirat, vellent deinceps fideli consilio atque opera se patriamque communem juvare ac votis assiduis a Deo opt. max. petere, ut cœpta secundaret. Inde more majorum ac mutuo acceptis dictisque utrinque juvamentis Gustavus Rex Svecorum die Junii VI. solenniter est designatus, declaratus ac pronunciatus. Coronari interea tum temporis recusavit, quod remoræ inter cetera essent, quas sublatas prius cuperet; episcoporum nimirum nimiam potentiam ac opes immodicas, quæ Regum authoritati officerent ac sæpenumero maximorum bellorum ac motuum occasionem præbuissent. Hinc dedita haud multo post Stocholmia. Cum enim a-

Qui Gustavum Regem Suecia creant.

Coronationis moram petit, usque dum de nimia episcoporum potentia dispectum fuerit.

nimadverterent, qui eam Regis Christierni nomine hucusque defenderant, Hedensdorpius & Henricus Slagheck, aliique ex centurionibus, frustra vel terra vel mari exspectari obsidionis libertatem, tum mori ac minui indies præsidium, nec superesse, qui sufficeret commeatum, tandem sub finem mensis Junii post durissimam ac diu toleratam obsidionem in manus Lubecensium Bernardi Bomhoveri & Hermanni Plonnies urbem tradiderunt, qui eam extemplo Regi Gustavo sartam tectam permisere. Præsidiariis libere, quo vellent, abire permissum. Lubecenses, qui urbem maritima obsidione presserant, ex fœdere, quod ictum inter ipsos & Fredericum de occupanda Svecia, quam ei fidem præstiterint, ex ista tum obsidione, tum urbis in manus Svecorum deditione, sat est intelligere.

Stockholmia Regi Gust. cedit.

Postquam hunc in modum ad manus Gustavi Regis rediisset Stockholmia Svecici regni metropolis, pridie Johannis Baptistæ cum omnium lætitia atque applausu eam ingressus est, ac Rex Svecorum salutatus ab universis. Eodem mense a Svecis ductore Bernardo a Millen invasa occupataque Bleckingia, quæ regni Daniæ est lacinia, & arx præterea Elfenburgensis portum ad mare occiduum in regno eodem Sveciæ commodissimum habens, diffugientibus Bahusiam Christierni Regis præsidiariis a Svecis ibidem est recepta.

Sueci occupant Blekingiam atque Elsburgum arcem.

Rebus feliciter & ad votum electi Svecorum Regis Gustavi, ut meminimus, fluentibus, peregrinum militem universum, persoluto, quod ei debebatur, stipendio, dimisit, ac mox modico exercitu, qui ex indigenis præcipue constabat, Finlandiam e manibus Moschi, qui eam occupaverat, Ivaro & Erico Flemingo ductoribus totam recepit. Et ut Moscho deinceps amico ac pacato uteretur, missa ad Ducem Basilium insigni legatione pacem cum eo sive inducias annorum aliquot pepigit.

R. Gustavus Finlandia recuperata cum Moscis fœdus pangit.

Cum urbibus vero Vandalicis, & præsertim, cum Dantiscanis & Lubecensibus, seorsim egit: eosque insignibus privilegiis ac immunitatibus pro præstito auxilio liberali manu donavit. Et inter cetera indulsit utrique, ut bona, quæ ad se pertinere demonstrare possent, cum dederetur Stocholmia, ea ipsis redderentur, damnum ipsis a Danica classe, dum obsideretur Stocholmia, illatum, præstaret Gustavus. Immunes intra Sveciam ab omni telonio atque exactione haberentur & ipsi bonaque ipsorum. Nulli peregrinorum exceptis Dantiscanis & Lubecensibus negotiari apud Svecos fas esset, &c. Fas vicissim Svecis esset, quemadmdoum olim fuerat, frequentare urbes Vandalicas ibique libere, negotiari naufragorum bona, quæcunque servata ac periculo erepta essent, ipsis restituerentur &c. Hæc veteraque ipsorum privilegia & quæ jam olim a Regibus Svecorum alias obtinuissent statuta ac consvetudines, ea omnia ut integra sartaque ipsis in posterum haberen-

Urbes Vandalicas inpr. Lubec. et Dantisc. privilegiis ornat.

tur, datis codicillis ſigillo ſuo obſignatis ſancte adpromiſit Rex electus Guſtavus.

Obſeſſi Hafn. & Malmog. cives inter ſe diſſident.

Quæ dum agerentur in Svecia, tenebantur adhuc apud Danos obſeſſæ, de quibus memoravi, Hafnienſium & Malmogiæ civitates. Ac cives præterea indigenæque paſſim inter ſe diſſidebant, cum pars Chriſtiernum, alii Fridericum electum ſequerentur. Tenebat iisdem diebus Gothlandiam Severinus Norbyus Chriſtierni Regis nomine; ac eum ubi viderent Vandalicæ civitates magnum ſibi ab ipſo ejusque claſſe, qua mare illud quaſi ſuum fecerat, inferri indies detrimentum, nec ignorare, aliquod etiam olim in eam inſulam ſibi jus vindicaſſe Svecos, agere cum electo Rege Guſtavo ejusque ſenatu cœpit Hermannus Israel, qui Vandalicarum urbium nomine agebat Stocholmiæ, ut ereptam e manibus piratæ inſulam Sveciæ poſtliminio adjicerent. Sed cum animadverterent hærere hic Guſtavum, nec falcile ad id animum appellere, quod bello diutino exhauſtus, & magno inſuper apud Lubecenſes ære teneretur, tum & inſulam eam ſemper ad Danos ſpectaſſe ſciret, alio eum aggredi modo inſtituerant. Nam & impenſarum, quas eſſet facturus, alteram partem in ſe recepturos, tum & æris, quod debebat, reditus ei in annos aliquot remiſſuros, aliaque ejusmodi pollicebantur, iisque ineſcatus Guſtavus promittit viciſſim obſidione preſſurum ſe atque intra Viburgi mœnia concluſurum, quem dixi, Severinum. Sed id priusquam fieret, amicas ad Severinum Norbyum litteras dedit, miſſis ſimul fiduciariis codicillis, quibus ei poteſtas fiebat, ut Stocholmiam ſeque cum hominum centum comitatu tuto accederet. At Severinus ſatis animadvertens de Gothlandia actum iri; venire ſuperſedit.

Lubecenſ conſilium de eripienda Severino Norbyo inſ. Gothlandiæ.

Sed renuit Guſtavus.

Norbyum ad ſe vocans,

Qui vero haud venit.

Nic. Hac refractarius & turbas ciens capite truncatur.

In Dania vero Nicolaus Hac Hickebergæ dominus Malmogia Hafniam evocatus ibi capite detruncato gladio percuſſus eſt. Ei crimini dabatur non ſolum, quod dicere ſacramentum electo regi Friderico recuſaret, ſed quod plebem ceterosque, qua dabatur, abverſus Regem itentidem concitaret.

Regni Dan. ſenatus literas mittit ad Norvagos de ſervanda ſecum unione

Scripſerat per idem tempus ad Norvagos regni ſenatus, eosque commonuit, ne ſe ab amica ea ſocietate, quæ inter utraque regna, Daniæ & Norvegiæ, perpetuo fuiſſet, ſeparari ſinerent, ſed uniti cum eodem manerent. A quo cum haud alieni deprehenderentur, nec ad Svecos ulterius reſpicerent, poſtquam ab illis invaſa occupataque Wiga eſſet, continuo Bergis codicillos edunt, quibus Regi Chriſtierno fidem atque obſequium omne renunciarunt, ac Regi viciſſim electo Friderico, qui jam eſſet a Danis receptus, obſequium quoq; ſuum ac fidem pollicentur, modo ille ſua viciſſim ipſis privilegia ac vetera jura ſarta tecta permitteret. Suntque haud multo poſt ad Norvagos ſubmiſſi viri nobiles Vincentius Lunge & Nicolaus Lucke in Dania quidem nati, ſed qui Norvagicis connubiis innexi poſſeſſiones ibi peramplas haberent. Horum alteri Bergenſium diœceſis demandata, alter Nidroſiam ac totum eum boreæ tractum gubernandum accepit. Eſtque adhibitus præcipue uterque ad ea, quæ etiamnum apud eosdem Norvagos controverſa ſupereſſent, amice componenda.

Mi Reg. Erid. haud inviti ſuſcipiunt.

Vinc. Lunge Bergenſ. & Nic. Lucke Nidroſ. præfecti.

Eodem hoc anno in totum propemodum incendio abſumpta Roſchildia, quæ in eam amplitudinem exædificata fuit, ut ibi etiam Reges olim ſedem ſuam collocarint, circa eam præcipue partem, quæ littus maris ſpectat. Et eſt tum quoque Weilæ Cimbriæ oppidum incendio atque igne fortuito fœdatum; & denique Roſchildenſium epiſcopo Lagoni Urne conceſſa præfectura Horſtholmiæ.

Roſchildia incendio fer. abſumta.

Item ḍ Weila Cimbr. oppidum eodem attritum.

Lag. Urne præf. Horſtholm.

Evocati Luneburgum ſub annum inſequentem, qui fuit milleſimus quingenteſimus vigeſimus quartus Johannes Rantzovius, Aſchenius a Kiram & Melchior Rantzovius, ut militi peregrino electi Regis cujus nomine ſpoſponderat, ſolutio præſtaretur, eaque ad extremum quadrantem rite peracta celebrataque Apud Svecos autem, poſtquam, ut memini, pollicitus Lubecenſibus Guſtavus eſſet, ſe preſſurum obſidione Severinum Norbyum, id agere haud multo poſt cœpit miſſa in oras Gothlandiæ ſub admiralio Bernardo a Millen navium aliquot claſſe, cui & ſuam conjunxere Lubecenſes. Hi ad littus inſulæ ubi veniſſent, continuo in terram facta excenſione, univerſam ſibi inſulam dicto audientem reddiderunt; ſola reſtitit, quam tenebat Norbyus, Visbyenſis arx. Ea munitiſſima erat, exſtructa olim ab Erico Pomerano Daniæ Rege, qui eam, poſtquam e Dania exceſſiſſet, multis annis inſedit, ut ſuis eſt locis memoratum. Durante ea obſidione miſit in Daniam Norbyus Otthonem Ulfeldium, ac ſe in clientelam ac fidem tradidit electi Regis Friderici. Wolfgangus Seheſtedius & Wolfgangus Pferſius, una cum Otthone jam memorato, nomine ejus ſacramentum Frederico dixere. Habebant iidem, quam & exhibebant, plenam a Severino poteſtatem codicillis conceptam ac manu ejus ſubſignatam, cum electo Rege in modum, quem dixi, tranſigendi. Litteræ eæ conſignatæ erant die dominica, quæ præcedit feſtum Viti & Modeſti, anno, quem poſuimus, 1524. Fridericus eis acceptis in totum, quemadmodum a Rege Chriſtierno inſulam acceperat, eidem ſub fide ſibi data permittit. Verum Rex, qui nactum ſe virum fidum, & quo niti poſſet, ſibi perſuaſerat, haud multo poſt aliud deprehendit, ut mox dicetur.

Lag. Urne præf. Horſtholm.

A. 1524. de ſolvendo militi peregrino ſtipendio Lubec. per regios legatos agitur.

Suecis invadunt Gothlandiam in duce Bern. Millen.

Arx Visbyenſis oppugnatur.

Hinc Norbyus inſulam ſeque in R. Frider. poteſtatem permittit.

Hæc obſidio poſtquam tenuiſſet menſibus circiter duobus, perſvadere ſibi Bernardus a Millen a Norbyo finit, eam miſſam faceret, quod diceret Norbyus ſe eam inſulam tenere, non Chriſtierni, ſed electi Regis Friderici nomine, quo cum & Lubecenſes facerent; quin & pugnare eam hoſtilitatem cum pace & pactis, quæ proxime Vandalicæ urbes inituras ſe ſperarent inter utrumque Fridericum Daniæ & Guſtavum Svecorum electum Regem.

Sueciſq; ḍ ſceſſum perſuadet,

Sicque

Sicque recedentibus Svecis obsidio illa soluta est. Antequam in Sveciam solveret Bernardus a Millen, invitatus est a Norbyo, ut infanti, quem ex concubina nothum susceperat, baptizando ut testis assisteret, quin & unum ex grandioribus tormentis avehere idem a Millen haud potuit, quod id sibi retineret Norbyus. Unde Gustavi in Bernardum a Millen irarum causæ atque occasiones. Nec multo post, ubi in præfecturam suam Calmarienſem ac Smalandiæ rediisset, citatus est a Rege Gustavo; sed venire subterfugiens, relicta adeo opima, qua erat ornatus, præfectura, se in Germaniam cum uxore & familia clam recepit.

Eorumque duci grandius aliquod tormentum detinet.

Hinc Millenium a R. Gust. indignante citatus, in Germaniam aufugit.

In Sveciam paulo ante accesserat Johannes comes Hojensis Justi filius, quem arci Steheburgensi præfecerat Gustavus. Ei sororem suam Magaretham connubio junxit antea nuptam Joachimo Brahe. Ex hoc connubio natus Johannes episcopus Osenburgensis, Monasterienſis & Baderbornæ, itemque Justus, captus exinde a Francisco Hall pater conjugis Henrici Rantzovii. Ex Joachimo Brahe sustulerat Petrum Brahe, qui postmodum a Rege Erico ad comitis dignitatem est evectus.

Joh. Comes Hoj. Gustav. affinitate jungitur.

R. Friderici coronatus per archiep. Gust. Troll.

Electo igitur Daniæ Regi Friderico, cum ex votis hoc pacto res cederent, author illi regni senatus fuit, quo Regi Christierno spes omnis præcideretur, ut regni diadema acciperet seque coronari permitteret; unde extemplo comitia regni indicata sub mensem Augustum, quo solenni ritu ab archiepiscopo Sveciæ Gustavo Troll Hasniæ est coronatus. Hunc antistitem, qui tempore Christierni Regis e Svecia profugerat, seque apud affines ac consanguineos, quos in Dania plures habebat, aliquamdiu sustentaverat, maximum sibi postmodo adversarium Rex Fridericus expertus fuit, ut inde suis locis memorabitur. In hac coronatione equites perplures creavit aliaque solennia ac festivitates transactæ, quæ memorare singula longius foret. Confirmata præterea oppidorum ac civitatum jura ac privilegia. Aderantque legati urbium Vandalicarum fere omnium ac renovatum fœdus, quod fuerat jam ante utrinque percussum, adversus Regem Christiernum, & quicunque ei adesse auxilio tentaret. Quin & iisdem se interponentibus eo res deducta, ut amica inter regnum utrumque Daniæ ac Sveciæ iniretur societas, idque Malmogiæ, ubi Rex uterque Daniæ & Sveciæ datis utrinque obsidibus, præsens adesset, & si quæ contreversa decidi tum haud possent, ea postmodo urbium delegati terminandi potestatem haberent.

Fœdus cum Vandal. urbibus renovatum.

Quarum ope societas inter Daniæ Sveciæ regnum

Scripserat petieratque jam ante Rex Ferdinandus, ut amicum utrinque inter partes colloquium haberetur super causa Regis Christierni. Et vero est hoc tempore celeberrimus in eam rem Hamburgi conventus indictus, quo præter ceteros convenere nomine Pontificis Romani Clementis VII. episcopus Ratzeburgensis itemque legati Caroli Imperatoris, ut & Angliæ Regis Henrici VIII. Itemque Austriæ Ducis Ferdinandi Margaretæque Burgundiæ, Belgii præsidis, ac simul Ducis Saxoniæ Friderici, & Electoris Brandeburgici Joachimi, Ducumque Mechelburgensium Henrici & Alberti cum urbium delegatis. Hinc Fridericus Rex pronunciari petebat, num ad regni Daniæ diadema accipiendum legitime ab iis esset evocatus, quibus jus ac potestas esset eligendi Regem, & qui nulli nisi uni Deo facti sui rationem reddere tenerentur. Variæ interea conditiones ac media proposita, & inter cetera, ut Christierni regni altera pars, & pars item ducatuum cederetur. Sed legati Regis Friderici aurem hic præbere, nec ullam regnorum vel ducatuum divisionem admittere, voluerunt. Obtulere interim se post obitum Regis Friderici certis legibus electuros filium Christierni principem Johannem & Elisabethæ Reginæ annuum salarium depensuros ex dotalitio ipsius. Sicque ille conventus sine operæ pretio solutus est. Inter legatos tamen Margarethæ Belgii præsidis, ac Regis id statutum decretumque, ut, licet hærerent inter Regem utrumque discordiæ, liberæ tamen essent Belgarum per fretum Oresundæ navigationes, reservatis, quæ regiæ majestati debebantur, teloniis; tum & facto promisso se adversus Regem aut regna ejus nihil inimicum aut hostile tentaturos. Hic contract. anno deinde insequenti utrinq; est obsignatus.

Proponunt legati divisionem regni inter Christ. & Frideric., quam hic renuit.

Belgis interim libera conceditur per Oresundam navigatio.

Hunc conventum proxime præcessit, sive ut aliis placet, excepit, de quo injeci, Malmogiensis: ad quem uterque Regum Fridericus Daniæ & Gustavus Svecorum Rex, datis obsidibus, ut erat statutum, convenirent, una cum ipsorum senatu ac urbium Vandalicarum delegatis, qui eum præcipue procuraverant. Huc igitur postquam cuncti frequenter accurrissent, ea spe, ut sublatis secialibus odiis, quæ inter regna utraque hucusq; tenuissent, pax & amicitia in eorum locum sancirentur: conventum in urbis templum, quod cathedrale appellant. Hic Fridericus in procerum utriusque regni præsentia, expositis calamitatibus ac periculis, quæ utrumque regnum proximis annis involvissent, & adhuc a Christierno communi hoste impenderent, qui hinc Germaniæ principibus ac electoribus cognatis ac affinibus, inde Caroli Belgarum principis ac Cæsaris potentissimi affinis etiam sui viribus nisus regno utrique imminet, graviaque singulis minatur. Se idcirco pacis ac concordiæ cum Gustavo ineundæ, modo justas & tolerabiles conditiones non adversantur, cupidum esse demonstrabat. Gustavus Regis Friderici consilium & necessitatem mutuæ societatis prolixa vicissim oratione commendans, nulla in re communi paci ac tranquillitati, modo æque conditiones proponantur, defuturum se esse pollicetur.

Conventus Malmog. præsente utroq; rege Dan. & Svec. urbiumque delegatis.

Orsus igitur Fridericus, aut qui ipsi a consiliis erant, a solemni illo trium regnorum borealium fœdere & unione, juxta Reginæ

Gustavus Danorum Regi superio-

riatem concedere detr.-etat.

ginæ Margarethæ & acta Calmarienſia olim conſtituta & ſanctiſſime jurata, reſtitui illam & ſervari, nec tamen præſentem regni ſtatum, ulla in re mutari petiit, tantum ut Daniæ Regem ſuperiorem Guſtavus recognoſcat. Guſtavus licet eam petitionem graviter acciperet, tamen modeſte initio excuſans, & invitum fere & repugnantem ad accipiendum Sveciæ ſceptrum eſſe pertractum reponebat, & optare, ut tria hæc regna ſub unius imperio conſiſterent. Diſſolutam vero eſſe eam unionem, non ſuæ, ſed præfectorum ac Regum Daniæ priorum culpa. Cumque nullis minis aut bellis ſubjicere ſibi hucusque Svecos ſtabili ac diuturno imperio Dani potuerint, multo id minus his rationibus eos impetraturos. Nec ſe, qui defenſorem libertatis Svecorum ſe futurum juraſſet, hanc pacis rationem probare, vel Svecis ſuis, ut eam recipiant, eſſe authorem poſſe. Fore nihilominus ſe Daniæ Regi, non ſubditum, ſed amicum & fœderatum, & gratificandi, quibus in rebus poſſet ſtudioſum. Fredericus, cum fruſtra ſe niti hac in re animadverteret, pacem Guſtavo his legibus obtulit, ut regnum Sveciæ antiquis limitibus circumſcriptum retinens, omnes Danorum provincias, belli tempore occupatas, imprimis vero Blekingiam, & alia eidem annexa territoria reſtitueret, quod ſine magna difficultate conceſſum fuit. De Gothlandiæ inſula, in quam aliquid etiam juris vindicare ſibi Sveci videbantur, major diſceptatio hæſit. Verum neutris de jure ſuo cedere volentibus, cum inſulam etiam Danus jam teneret, in aliud tempus cauſæ illius tractatio dilata. In præſentiarum vero pax ac fœdus inter utrumque Regem ac regnum & Hanſæ civitates adverſus Chriſtiernum exulem velut hoſtem communem junctis viribus atque auxiliis depellendum eſt conſtitutum; ac toto id vitæ Guſtavi tempore, cum Friderico ejusque filio Chriſtiano III. Daniæ regibus ſanctiſſime eſt ſervatum. Captivi tum ſimul liberi utrinque dimiſſi, & in his præter ceteros, *Stenonis* Sturi olim gubernatoris Sveciæ vidua, & mater ejusdem *Sigridis*, aliæque illuſtres feminæ, quæ in Daniam olim a Chriſtierno deportatæ fuerant, in Sveciam & ad ſua redierunt: ut & Bürgerus Nicolai in Wines & Nicolaus Booſen aliique.

Blekingiam ceteras que Danicas ditiones occupatas cedit.

De Gothlandia lis haud diſcuſſa.

Pax ac fœdus adv. Chriſtianum firmatur.

Lis de Wiga & Gothlandia civitatibus Vand. ſex dijudicanda traditur.

Quæ autem inter Regem utrumque de Wiga Norvegiæ deque Gothlandia aliaque ejusmodi controverſa manerent, ea civitatibus ſex, Lubecæ, Hamburgo, Roſtocho, Wismariæ, Luneburgo ac Dantiſco aut earum delegatis, ut arbitris ac ſequeſtris decidenda terminandaque permiſſa: Idque hac lege, ut anno proximo ſub feſtum pentecoſtes ſententiam paratam pronunciatamque haberent. Interea quæ nuper a Svecis invaſa fuit occupataque Bleckingia, una cum Rodnebya & eo ſpectantibus, ea omnia Regi Danorum Frederico quamprimum rederentur. Similiter & certæ conditiones capitaque poſita ſuper Viga Norvegiæ, ſuperque Gothlandia, quæ attendere præſertim ſequeſtres haberent, inferenda de ſingulis ſententia. Ab omni præterea hoſtilitate Regum uterque continuo abſtineret, & Rex inſuper Daniæ ex inſula Gothlandia domum revocaret copias, quo liberæ paſſim eſſent per Balthicum mare navigationes. Decedente ex inſula Severino Norbyo, Rex Fridericus in ejus locum ſubſtitueret virum moderatum, & qui cum Lubecenſibus ac Svecis pacem atque amicitiam colat &c. Huic compoſitioni Regum uterque ſigilla ſua ſubjecerat, ut & ſenatus regnorum Daniæ Sveciæque, itemque urbium jam memoratarum delegati.

Fanatici duo Melch. Rinck & Cnipperd. Malmogiæ plebem ad ſacra turbanda concitantes Svecia regno eliminantur

Memorabile eſt, dum iſta Malmogiæ inter Reges utrosque agerentur, fanaticorum hominum duos, Melchiorem Rinck & Cnipperdollingum e Germania per Hollandicas naves Stocholmiam transvectos, templum ibi, quod divo Johanni eſt ſacrum, occupaſſe, & plebe concitata ſtatuas, imagines & organa ex templis tumultuoſe ejeciſſe, aliaque inſolentiſſime perpetraſſe; quos redux Guſtavus in carcerem conjectos, poſtea urbe ac regno eliminatos proſcripſit. Hic eſt ille Cnipperdollingus, qui paucis annis poſt Monaſterii apud Weſtphalos, poſtquam Johannem Leidenſem, hominem ſartorem regio titulo cum ceteris inſigniiſſet, mox finita tragœdia extremo cum eodem Rege affectus ſupplicio fuit, dignam meritis ſuis pœnam reportando.

Lis inter Roſchildenſes atq; Hafn. tranſacta.

Habita eſt per eosdem dies cum Roſtochienſium capitulo amica transactio, præſentibus ex regio ſenatu fere omnibus. Controverſia, quæ agitabatur, pertinebat præcipue ad jugerum ſive terræ certæ diviſionem, qua etiam ex Hafnienſibus nonnulli fruebantur; ſed capituli beneficio, idque ut eo obſequentiores haberentur erga ſacroſanctam, ut verba contractus habent, eccleſiam, & ejus ſimul perſonæ omnes concordes inter ſe agerent, ac reſiſterent, quantum in ipſis eſſet, Lutheri erroribus atque hæreſi. &c.

Nic. Cniphovius & Clemens nauclerus a Chriſtiano R. contra Danos & Norv. emiſſi.

Egit circa idem tempus cum nauclero Clemente, qui Vice-ammeralii titulo præerat regiis navibus, Nicolaus Cniphovius, ut acceptis a Rege Chriſtierno fiduciariis literis e Belgii atque Hollandiæ portubus cum navibus aliquot in mare boreum excurrerent, ac prædæ ſuæque poteſtatis facerent, quascunque nanciſci Danorum Norvagorumque naves poſſent. Prædæ ac manubiarum media pars Regi, reliqua pars in commodum ipſorum cederet. Quis autem qualisque facti hujus ſucceſſus atque eventus fuerit, ſtatim dicetur.

Frider. R. Norvagorum privilegia confirmat atque amplificat.

Norvegis eadem tempeſtate obſignavit Fridericus certos codicillos, quibus ampliſſimæ illis immunitates & privilegia, quæ hodie præ manibus ſunt, indulta, traditaque Vincentio Lungio, qui eo tempore cum imperio ipſis præerat. Hoc inſtrumentum 25. capitibus abſolvitur, interque ea primum ponitur, regnum Norvagiæ, quod hucusque

Regnum Norvagiæ

Dan. electiv. fore conſtitu. itur, cet.

que fuiſſet hereditarium, deinceps haud minus quam Daniæ fore manſurumque electivum. Orcades Hetlandiæque inſulæ, quæ dotalitii nomine Scotis eſſent a parente ipſius oppignoratæ, idque contra aſſenſum Norvagici ſenatus, ad regni coronam ac jus reducerentur exterorum negotiatorum nullus ſuis navibus boreales oras adiret aut frequentaret, niſi ſub amiſſione navis ac bonorum. Coronatio Regis perpetuo haberetur Nidroſiæ. Cum eſſent celebranda regni comitia, de iis ſemeſtri ante omnes præmonerentur. &c. Hoc inſtrumentum obſignatum habetur a Rege Friderico, archiepiſcopo Olao, Eſchillo Stavangrienſi, Magno Hammerenſi, Olao Bergenſi epiſcopis, Vincentio Lungio, Olao Bilde, Erico Ugerup, Olao Bagge, Erico Erici, & Johanne Kruckou, regni ſenatoribus. Lata tum quoque ſententia ſuper decimarum parte, quæ vernacule, ipſis *Bonde-lutte* eſt nuncupata, pronunciatumque, ut ejus decimæ ſolutione univerſa Hedemarchia teneretur.

Severinus poſt hæc, dictus Norbyus, qui, ut meminimus, intra Visbyæ arcem a Suecis ac Lubecenſibus obſeſſus, inſulam eam ſeque in Regis Friderici poteſtatem permiſerat, alia exinde agere, alioque reſpicere cœpit. Etenim cum navibus abundaret, & fidem, quam Regi *Friderico* dixiſſe jam modo memini, flocci faceret, *Chriſtierno* exſulanti perpetuo fidus, miſit cum claſſe in Schaniam, ſub Aprilem anni inſequentis milleſimi ſupra quingenteſimum vigeſimi quinti, Orthonem Ayſſenium, qui inopinato arcem Sellisburgum invadens, non eam tantum, ſed & Aahuſiam, ac totam eam maris oram ſuæ poteſtatis fecit. Quo comperto, qui tum arci Helſenburgenſi præſidebat, regni marſchallus, *Tycho* Crabbius, evocata confeſtim ad ſe nobilitate Scanica, magnis itineribus movit verſus Aahuſiam, monuitque populares, adventante hoſte faces atque ignes circa littus accenderent, excubiasque agerent. Sed inibi, dum eſt, idque agit mareſchallus, majori cum claſſe ac manu advenit *Norbyus;* eſtque Malmogiam ſe recipere coactus mareſchallus, quo & confugerant ex nobilitate fere omnes. Malmogiam eo tempore tenebat *Reinholdus* ab Hedenſtorp, cum præſidiariis ducentis. Norbio vero tota patebat jam Scania. Landscroniam, quæ paulo ante ab eo fuerat occupata, vallo communiri ac firmari per populares curavit, datis ſimul ad *Nicolaum* Brade dominum in Windaas, cui fidebat, literis, itemque ad præfectos ditionis Gunganæ, aliosque ut ſibi *Chriſtierni* Regis nomine obſequium ac fidem præſtarent, & Regem *Chriſtiernum*, cujus etiam juſſu id belli ſuſceperat, ut verum ac legitimum ſuum dominum agnoſcerent. Inde adjuvante *Nicolao* Brahe magnam popularium manum in arma contraxit, fuiſſeque haud infra octo aut decem millia memorantur; quorum nonnulli ſponte ſua, alii eum inviti ſequebantur. Sed & præter hos ad manus illi erat miles veteranus & exercitatus, quem ex inſula ſecum adduxerat. Ex oppidis Scaniæ plerique ei ſacramentum dixerant excepta Malmogia.

A. 1525. Norbyus a fide R. Frid. data recedit Chriſtiano adhærens; Sellisb. & Aahuſiam in Norv. occupat.

Obviam ſibi euntes Frid. copias fundit,

Scaniam univ. ſibi ſubjicit præter Malmogiam ſubditis ſibi ſacramento obſtrictis.

Intercepti aliquanto poſt in mari Balthico Regis Chriſtierni codicilli ad Norbyum in id miſſi, ut eos apud Scanos publicaret. In his, præter cetera memorabat, ſe a nobilitate tam eccleſiaſtica quam politica ob id præcipue regno ejectum, quod opprimi peſſundarique vectigalibus, teloniis aliisque ejusmodi inuſitatis collationibus incolas paſſim ac cives agrariosque indignaretur ſeque illis oppoſuiſſet. Hos eccleſiaſticos ac politicos ſatanæ progeniem appellat: & operam dediſſe utrosque, eccleſiaſticos quidem, ut divis ſuis atque excommunicationibus, ceteros vero ut exactionibus aliisque intolerabilibus modis ipſis ſubditi, & præſertim agrarii ita ſint attriti, ut eos veluti canes habuerint, cum tamen haud minus, quam ipſi, homines nati eſſent & pro illis quoque ſanguinem ſuum ſervator effuderit. Additque factum ſubinde in Selandia & alibi, ut miſer pauperque agrarius vel ex liberis ejus aliquis, pro cane divenditus ac permutatus fuerit. Hortari igitur atque authorem ipſis eſſe, ut ſe a talibus ſegregent, qui nec æqui ullius aut fidei ſuæ rationem habeant; ſeque ſperare, fore brevi, ut juſtis cum auxiliis a Cæſare affine ſuo acceptis in regnum ſuum reducatur: præſertim cum jam ipſi ſummus Deus inſignem victoriam tribuerit, capto atque in Hiſpaniam traducto Galliarum potentiſſimo Regi *Franciſco I*; nec ulterius jam defore ipſum promiſſis, cum id facillime poſſit a bellis atque expeditionibus aliis immunis ac liber: nec etiam alios conſanguineos ſuos ſummosque principes officio ſuo defuturos, ſed vires ſuas Cæſareæ majeſtati juncturos. Monere igitur ac præmonere omnes, qui in fide perſiſtent ſeque ut dominum ac Regem ſuum agnoverint porroque agnoſcent, gratiam eos ac clementiam experturos, ceteros vero, qui contra ſaxint, pœnas pro merito luituros. Et modo cum fidus ei cliens inſulæ ipſius Gothlandiæ præfectus *Severinus* Norbyus eques, quem cum imperio in Scanos ire mandaviſſe ſe ait, eas fere oras univerſas ſuæ poteſtatis fecerit, ipſi ut obſequium ac fidem commeatumque ac cetera deinceps præſtent, hortatur, dum ipſe advenerit, idque viciſſim ſe cum favore & clementia recogniturum; hoſtes vero atque adverſarios ſuos quam ſeveriſſime puniturum, niſi reſipuerint. Inde Scanos ſeorſim compellans, eos dilaudat, plurimumque commendat, quod primi auſi fuerint opponere ſe ac vindicare quaſi poſtliminio immanem illam cædem, quam in majores ipſorum ac propinquos olim perpetraverat, *Tycho* Baſpiud, ac ultimo optat vovetque- ut Scanorum exemplum Selandi, Fionii ac Cimbri ſequantur, ſeque *Severino* ſubjiciant, eique

Chriſtiani codicilli ad Scanos intercepti, quibus falſam interſerit cauſam ſuæ e regno ejectionis præmiis pœnisq; ſubnexis.

obſequantur. Hanc viciſſim ille opem eorum ac favorem ſe prolixe agniturum pollicetur, quam primum ipſe advenerit: venturum autem cum Deo (ita porro addit) iis præſidiis ac viribus adjutum firmatumque, ut ipſum denuo rejicere haud facile poſſint. Datæ hæ literæ erant Liræ apud Brabantes, ipſo hoc anno, 1525.

Nobilitas Regis Frid. opem efflagitat.

Poſtquam, ut memoravi, ſuam in poteſtatem redegiſſet jam Scanos excepto Malmogiæ oppido *Severinus* Norbyus, literæ confeſtim a nobilitate ad Regem *Friedericum*, qui tum Gottorpii agebat, miſſæ auxilium ejus atque opem flagitantes. Unde Segebergæ confeſtim, quæ Lubeca quatuor circiter milliaribus diſtat, conventus Vandalicarum urbium, ex pacto, quod inter Regem & ipſas erat, indictus fuit; ſtatutumque, ut urbes jam dictæ naves aliquot milite & claſſiariis probe inſtructas in fretum Oreſundæ dimitterent ac militem continuo in terram exponerent. Eoque impetrato, Rex *Johannem* Rantzovium equitem Holſatum, & cujus opera belli tempore uſum eum diximus, cum duobus peditum vexillis ac tricentis equitibus in Scaniam ablegat. Is adjunctis ſibi in itinere Selandis nobilibus Hafnia Malmogiam trajecit; ubi conjunctis cum Scanica nobilitate, & præſidio regio, quod in urbe erat, copiis, & communicato cum *Tychone* Crabben imperio, ex urbe eas Lundam verſus eduxit. Huc enim ad octo circiter millia hominum *Chriſtierno* adhærentium ſub Norbyi auſpiciis concurrerant, qui *Mauritium* Aldenburgenſem nothum ducem habebant. *Severinus* enim arcem Helſenburgum ex adverſo freto Oreſundæ eo tempore obſidebat. Duces nihilominus ejus, qui Lundenſi exercitui præerant, contempta Ranzovianorum paucitate, nam bis mille non excedebant, ante oppidum inſtructa acie hoſtem excepturi conſiſtunt. At invadente eos magno & excelſo animo, & prœlium acre ac cruentum ciente *Ranzovio* tandem virtute & conſtantia regiorum Norbyani repulſi, fuſi & profligati ſunt, cæſis ad mille quingentis, præter captivos, qui circiter quingenti fuere, miſſique omnes Regi *Friderico* in Holſatiam agrariorum ac populorum, qui occubuere, haud infra tria millia fuiſſe memorantur, nec pauci etiam ex regiis deſiderati ſunt.

Duce Jo. Rantzovio Norbyanos Helſinburg. obſidentes ſtrenue fundit.

Sev. Norby Landscronæ obſidetur, Otto Stiggeſius cum ſuis cæſus,

Severinus accepto apud Helſeburgum cladis nuncio abductis inde militum & agricolarum copiis & recollectis equitibus & ceteris, qui ex Lundenſi prœlio evaſerant, Coronam profiſciſcitur, ac munitioni, quæ deerant, adjecit. Quo ipſius conſilio animadverſo Ranzovius, nova indies a Rege *Friderico* auxilia exſpectans *Severinum* in oppido circumſidet. Congerebat autem paſſim in Scania *Severini* legatus *Otho* Stiggeſius agricolarum *Chriſtierno* Regi faventium aliquot millia, quibus ſolvere Coronæ obſidionem, ac liberare Severinum nitebat. Verum antequam ad oppidum appropinquarent, explorato eorum adventu, Ranzovius ante lucem equites ac pedites ſuos ex caſtris educit & Stiggeſio occurrens ac die jam elucente agmen ruſticorum invadens fugiente eorum duce Stiggeſio fundit ac diſſipat, eadem die in caſtra reverſus, obſidionem continuat. Dum vero ruſticorum turba diſſipatur, pars maxima in ſaltum ſe recepit, quæ Brunchetoffte dicta; at ibi dum miſere cæditur, interceſſit nobilitas, ut in gratiam reciperetur, ſi dare fidem ac ſacramentum dicere Regi *Friderico* haud detrectarent ac ducem ſuum Othonem Stiggeſium captivum traderent. Nec multo poſt adductus ab ipſis *Stiggeſius* obſidioque ut dixi, continuata.

Civitt. claſſis Frid. R. ſocia accurrens peſſundat Norbyanam.

Inter hæc ſolvit Lubeca, quæ erat condicta Vandalicarum urbium claſſis; nec Oreſundam, quomodo erat ſtatutum, ſed Blekingiam petiit, ibi, quæ ſtabat circa id littus, Norbyi claſſis, ab illis impetita incendioque conſumpta eſt; Hinc verſis velis recta Godlandiam petiit ſpe ejus potiundæ, quod præſidiis minus munitam crederent. Unde colligi ſat ſit, non tantum fœderis habuiſſe rationem Lubecenſes, quam ſibi præcipue ac rei ſuæ ſtudu-iſſe. Hic licet inſulam inſulanosque ſuam in poteſtatem recepiſſent, potiri tamen arce, quæ erat munitiſſima, haud quaquam potuere.

Rei ſuæ intenta Gothlandiam ſibi ſubigit, ſed arcem fruſtra tentat.

Inſ. & arx Regi Frid. Norbyo tradita tandem.

Corona vero, quæ arctiſſime obſidebatur, ac rerum omnium indiga, cum tolerare obſidionem diutius haud poſſet, gratiam poſtremo petiit atque impetravit. Cum Norbyo, qui tum adhuc arcem Godlandiæ ſuo præſidio defendebat, hunc in modum tranſactum. Arcem ac urbem Wisbyenſem Regi *Friderico* traderet ac fidelitatem eidem juraret, præteritarum offenſionum omnium venia eſſet, ac arcem viciſſim Selsburgum in Scania vitæ ſuæ tempore tenendam a Rege acciperet, militique ejus, quod inſolutum reſtaret, ex regio ærario ſolveretur: Quas ille conditiones lubens accipiens, Hafniæ ejus majeſtati, delato obſequio fidem ac ſacramentum dixit. Inde *Otho* Krumpen & Cunradus Webbekuck nomine Lubecenſium eo cum navibus aliquot amandati, quos & *Norbyus* ſecutus fuit, ut arcem cum indice ſeu inventario in Regis poteſtatem transferret. Quamprimum eo ventum eſſet, id agebat Norbyus, ut in arcem admitteretur, ſed id cum regii legati non niſi certa ſub cautione ac traditis obſidibus permitterent, in arcem conceſſit, ac mox militi ſuo, qui eam ſervabat, re omni declarata in poteſtatem Regis arcem tranſtulit. Ac ipſe mox ubi Selsburgum rediiſſet, demandavit eam Rex ſuo nomine præfidendam Henningio ab Alefeld. Eſtque certis conditionibus ita cum eodem transactum, ut ipſe retineret regio nomine arcem & urbem Wisbyenſem, cetera in annos quatuor Lubecenſibus cederent. At eæ conditiones biennio poſt, ita immutatæ, ut vice Godlandiæ acceperint pro impendiis, quæ toto belli tempore feciſſent, Boringholmiam, idque in annos quinquaginta; ita tamen ut jurisdictio omnis ac inſulæ adminiſtratio Regi reſervaretur; diœceſi vero Lundenſi, ad quam ea ſpectabat, aliis viciſſim modis proſpectum fuit.

Scani ob

Nobiles Scaniæque omnes incolæ indigenæque,

perfidiam multati. que qui partes *Severini* secuti fuerant, neglecta, quam Regi *Friderico* dixerant, fide obsequioq; pœna omnes pecuniaria mulctati. *Norbyus* autem, ubi in Daniam rediisset, graviter accusare Othonem Krumpium coram regio senatu instituit, quod eum intra urbem Wisbyensem totum quatriduum detinuisset, nec in arcem nisi sub obsidibus datis admittere voluisset. Sed causa hæc in adventum Regis, qui tum in Holsatia erat, dilata. Ad præfecturam vero suam ubi mox rediisset, Norbyus, ædificare atque instruere naves prædatorias cœpit, & a regia majestate ob id citatus, accedere supersedit, quod diceret, fidem militibus suis dedisse, non decessurum se ab ipsis, nisi plene ipsis satisfactum esset. Unde ei exactio, quæ in territorio Blekingiæ institueretur, concessa, donec a Rege aliter ipsi militiq; provideretur. Misit tum quoq; ad eum codicillos suos Rex *Gustavus*, reposcens colubrinæ tormentum, quod *Bernardo* a Millen cedere renuisset, ut ante memoravi. Est & seorsim cum Nicolao Brahe tum actum, qui & graviter a mareschallo Crabbio accusatus de vita & bonis periclitabatur, ac mox sæpius iterumque in jus vocatus, cum venire defugisset, tandem deprehensus Hasniæ & decollatus. Eadem & Othoni Stiggesio, quem a rusticis captivum *Ranzovio* traditum dixi, dica fuit intentata. Sed ille miro commento evasit. Nam cum evulgasset, constare sibi de ingenti thesauro auriq; magna vi, quam certo loco Rex *Christiernus*, antequam regno excederet, deposuisset, causa ejus non nihil dilata fuit. Tum & accedentibus intercessoriis magnatum pro eo literis ac dictitante *Norbyo*, nec se stare promissis, quod ad Godlandiam velle, si cliens suus Stiggesius, cui fides ac securitas fuisset promissa, inclementius exciperetur. Sicque data fide, se in posterum Regi *Frederico* fidum fore atque ei perpetuo militaturum, custodia est emissus. Aurum, quod erat commonstraturus, cum nullum reperiretur, alio translatum obtendens, corvos delusit hiantes. Venerunt eodem hoc circiter tempore Danorum delegati Lubecam, quomodo erat conventum, ut ante meminimus, de Wiga ac ceteris, quæ inter Sueciam & Danos controversa hæserant, propius acturi. Verum ibi cum ex Suecis nullos reperirent, facta inq; literas relata protestatione, recesserunt.

Norbyus Krumpium accusat.

Prædatorias naves parans à Rege vocatur; haud venit, priusquam militi suo satisfactum.

Nic. Brahe capite plexus.

Ott. Stiggesi. supplic. calide retardat atq; evitat.

Lubecam ablegati Danitract. de Viga cæt.; ast Sueci non comparent.

Memoratum superius, navarchos *Christierni* Regis, Clementem, Cinthium, Finchium & Kniphovium, acceptis a Rege suo fiduciariis codicillis, cum classe ac navibus aliquot in mare boreum e Belgii portubus egressos, ac Danos præsertim Norvagosque veluti in prædam datos pasim intervertisse ac dispoliasse, & maxime in his eminuisse *Cniphovium* qui & Hamburgens. infectus subinde erat. Unde & mox, cum non modo Norvegiæ littora, sed & Albim quoque & Amasim infestaret, tandem in Amasi & Hamburgensibus captus, Hamburgi cum septuaginta ex suis capite truncatus fuit, capitibus secundum Albis oram stipitibus ad terrorem impositis. Habebat ille non modo Regis Christierni sed & præsidis Belgii Mariæ codicillos, sed restrictiores, quam Regis *Christierni*. Tamen Mariæ nomine per literas pro eo intercessum; sed priusquam literæ advenissent, quod id agi Hamburgenses non ignorarent, supplicium in eum est festinatum. Per idem hoc tempus Hasniæ, ubi comitia habebantur, præter cetera ob imminentia indies regno pericula, quæ exsul Rex *Christianus* ciebat, exactiones ac collationum onera, tam in ecclesiasticos quam ceteros exaucta fuere, idq; in annos tres.

Pradatores contra Danos emissi.

Cniphovius ab Hamburg. captus & cum 70. suorum capite truncatus.

Tributum Hasniæ promulgatum.

Sub anni finem idem *Christiernus* literas Lira Dantiscum misit ad urbis consulem *Johannem a Wendendal*. His in literis, præter cetera exhilaratum se ait, quod & ipse & Dantiscani ad veram & rectam evangelii confessionem traducti essent, gratiasque se ipsi agere addit, quod per *Johannem* Michaelis fidum suum clientem alloquio etiam suo solari ipsum voluerit. Ac confitetur iisdem in literis, exorbitasse se ac impegisse in multis, cum esset regnorum suorum potens ac res domi militiæ que moderaretum; nunc divina gratia illuminatum perductumque esse ad veram Dei agnitionem. Non se jam esse *Christianum*, qui fuerit, & ideo dejectum se ac punitum a Deo, quod hominum tot innocentum sanguinem effuderit, ejus pœnitentia nunc serio se duci: Ita solere Deum omnipotentem, deprimere & evehere, seque cum Davide sperare, rediturum aliquando se ad regna ac regiones suas, & gratiam denuo obtenturum hostium atque inimicorum, qui ipsum deseruissent. Se jam per Spiritus renovationem esse regenitum; nec esse quod sibi ab eo quisquam metuat. Se antea Deum haud agnovisse. Hinc consulem jam dictum rogat atque obtestatur, ut cum fidei eandem confessionem amplecteretur, adesse ipsi una cum suis velit, ac palam facere, ipsum quoque eandem fidem profiteri atque amplecti. Privilegia atque immunitates, quas habuissent, ea omnia integra ac inviolata ipsis mansura. Huic epistolæ præfationem exinde addidisse *Johannem Michaelis*, quem dixi, & typis in Germania ab eodem evulgatam, sunt, qui memorant.

R. Christ. literæ ad Dantiscanos, quibus sub religionis specie eos in auxilium vocat.

Insignem præterea annum reddidere illustres nuptiæ, quas contraxit cum Dorothea Saxonis Ducis Magni filia, Dux Holsatiæ *Christianus*, Frederici Regis filius. Celebrata nuptiarum solennia Lauenburgi, atque inde Hamb. veniens aliquot ibi dies decursionibus atque hastiludiis absumpsit. Hoc connubium ingratiis *Friderici* patris initum tradit Witfeldius. Pactæ eodem circiter tempore nuptiæ cum filia Regis *Friderici* sorore *Christiani Dorothea* ac Duce Borussiæ Alberto. Eam initio veris anni, qui est insecutus, millesimi supra quingentesimum vigesimi sexti in Borussiam petente Rege comitata est præter insignes ex nobilitate virgines matronasque alias Sophia Goe ut aulæ ipsius magistra. Petierat ut & ipsam comitaretur *Severinus Norbyus*: sed ille cum id facere renuisset, gratia Regis excidit. Idem quoque, quod & ante memini, naufragam navem, cujus bona inter se, & suos partitus fuerat, reparari in littore Blechingiæ curaverat. Hac cum late prædari idque littus infestum reddere instituret, querimoniæ Lubecensium atque aliorum

D. Christiani R. Frider. fil. nuptiæ cum Doroth. Lauenb.

Dorothea R. fil. nubit Alberto D. Borussiæ A. 1526.

Sev. Norby Regis gratia excidit.

Prædas agens maritimas. *Ac nova moliens.*

rum ad Regem delatæ, ac monitus identidem eſt, huiusmodi inclitionibus abſtineret, niſi faceret, alia adhibituram media regiam ejus majeſtatem. Eratque magna illi ad manus hominum vis, ſuſpenſosque hinc Danos, inde Suecos habuit, cum neutri ſatis intelligerent, quo reſpicere, aut quid acturus videretur; & maxime cum jam ante nuptias abiſſet ſummæ apud Suecos exiſtimationis matrona Stenonis Sturæ. Unus ex ejusden clientibus nomine *Severinus* Bruno captivus eodem tempore apud Regem Sueciæ tenebatur; hic ut dimitteretur, nomine *Norbyi* ad Regem *Guſtavum* ſenatus literas dedit; verum reſponſi id redditum, tunc dimiſſum iri, cum Norbyus, quod ſibi retinuiſſet tormentum Bernardi a Millen, Regi ac regno Sueciæ reſtituiſſet. Inde & eum Lubecenſes, citare cœperunt, ut coram regio ſenatu rationem redderet eorum bonorum, quæ ſibi vendicaſſet ex naufraga ea navi, quæ in littus Blekingiæ nuper impegiſſet. Quibus omnibus cum accederet recens in eum Regis *Friderici* offenſio, quod ut memini, regiam ſponſam deducere ad ſponſum Borusſiæ Ducem ac eam ſuo comitatu honeſtare dedignatus fuiſſet, alio animum ac cogitationes vertit. Nam videns ſe jam gradu veluti dejectum nec eo eſſe loci, quo apud Regem *Chriſtiernum* fuerat, regno excesſit. Dumque in proximam Borusſiam, quæ Germaniæ eſt contigua, trajicere inſtituit, tempeſtate actus Narvam usq; navigio ſuo delatus eſt, atq; inde vinctus ad magnum Moſchoviæ Ducem miſſus ſub annum demum 1529. intercedente pro eo imperatore *Carolo* V. dimiſſus fuit. Ac mox cum aliquamdiu ſecutus apud Belgas Cæſaris aulam fuiſſet, ſub annum 1580. in Italiam venit, merens ſub eod. Cæſare, qui tum præſente Pontifico max. Clemente VII. Bononiæ eſt inauguratus. Ac idem dum adeſt exinde Pontificii in obſidenda Florentia, percuſſus ibi eſt lethaliter, idq; globo, qui ex urbe emiſſus, grandioris tormenti (falconetttam vulgo vocant) *Severinus* hic Norbyus, tumulatusq; in proximo, quod eſt extra urbis mænia, cœnobio. Epicedium tunc ei ſcripſit *Cornelius* Scepperus, homo Flander, Regi *Chriſtierno* a conſiliis. Id epitaphii, cum veluti hiſtoriam univerſæ vitæ ac rerum *Norbyi* paucis verſibus non minus eleganter quam ſuccincte complectatur, hic apponendum putavi. Eſt autem ejusmodi

Hinc regno excidit.

Boruſſ. petens Narvam tempeſtate defertur, ubi captivus per triennium a Moſcis detinetur.

Reliqua ejus fata

vitaque exitus,

epitaphium.

Oceanum hoſtili toties qui ſangvine tinxit;
A gelidæ Thyles littore ad usq; Cronum,
Quem non immerito Slavi Svediq; Gothiq;
Vandalicæque urbes extimuere Ducem;
Norbyus Hetruſco jacet hic Severinus in antro,
A Florentina miſſus in aſtra pila.
Barbarus ille nequiit captivum exſtingvere Moſchus,
Mergere non in mediis Ennoſigæus aquis:
Debuit in Latio velut orbis in arce perire,
Tanta viri ut virtus undique nota foret.

Hæc de *Norbyo* deque extremis ejus occaſione ſubiti ipſius e Dania abitus ideo deducere hic prolixius nonnihil viſum, quia in ſequentibus de eo dicendi ulterius locus haud erit. Non deſiſtebat inter hæc Chriſtier. jam hos jam illos modos mediaq; proponere, quib. aliquando ad regnum, quod deſeruerat, redire aut ſaltem ad amicam, aliquam cum R. *Friderico* compoſitionem devenire poſſet. Per Ducem Megapol. Albertum id offerebatur, ut R. *Chriſtierno* certa pecuniæ ſumma promitteretur, ſeque *Albertus* medium offerebat: ſed ea oblatio minus placebat, quod exiſtimarent proceres, eum, ſi pecunias nactus fuiſſet, eas ad bellum regno inferendum uſurpaturum. Inde med. ſe interponente D. *Henrico* petebatur, ut amice inter ſe conveni-rent. Sed reſponſum fuit, nullo pacto a regno, quod illi legitime erat delatum, R. *Fredericum* poſituram receſſurum, quemadmod. jam ante quoq; principib. aliis atq; electoribus ſignificare curaſſet. Inde Dux idem *Henricus* quærebat, num aliqua regni arx ſive præfectura *Chriſtierno* R. ejusq; filio permitti ad vitam poſſet, nec id concedendum voluerunt. Propoſuit & alia id. *Henricus* inter cetera, num placeret aliquam in proxima Germ. vel dynaſt. vel comitatum emere, qui R. *Chriſtierno* ejusq; filio ad vitam cederetur: vel potius num annua aliqua penſione emend. putaret. Quorum alterutrum haud omnino rejicere *Fridericus* videbatur, ſed certis conditionib., de quib. eſſet cum ſenatu ſuo acturus. Inde Sax. el. ſe quoq; obtulit ad eand. cauſam componend., idq; Lubecæ aut alibi; quomodo & elector ſimiliter Brandeb. miſſis in eund. finem Cæſ. aliorumq; principum literis id. flagitantibus. Reſponſ. a R. *Friderico* fuit, ſe alior. vota ac ſententias libenter auditurum, ac diem conventus Lubecæ indixiſſe, qui haberetur circa feſt. pentecoſtes. Ac mox miſſi eo R. *Friderici* nomine Wiburgenſis antiſtites *Georgius* Friiſius, ac Lubecenſium *Henricus* itemque Magiſt. Wolfgangus Utenhovius cancellarius *Bredebornus* Podebuſch, *Wolfgangus* Paawiſch junior & *Otho* Krumpen.

Hinc arb. D. Henrico præfigendum; Henrico præfigendum; quandam poſtulat.

Vel tractum Daniam ſibi compandam; quod non plane rennit

hinc conventus Lubeca.

His in mandatis erat declarare coram Electorum ac Principum qui præſentes eſſent delegatis, placere ac permittere regni proceres, idque annuente Rege, ut filius Regis Chriſtierni Johannes poſt obitum Regis Friderici (quem Dominus Deus diu ſuperſtitem ſervet) in Regem elegatur, his legibus ac conditione, ut vadibus, codicillis, aliisque modis plenarie ipſis caveatur, eum neque in moderando regno, aut alias ſecuturum veſtigia paterna: & fore omnium, quæ adverſus patrem ejusque cauſa acta factaque eſſent, amneſtiam; neque ea vel per ſe vel per alios unquam vindicaturum, ac ſtaturum regio juramento, neque introducturum ſecum in regnum Patrem *Chriſtiernum*, aut permiſſurum exinde, ut intra regnum admittatur; neque etiam absque regni ſenatus voluntate aut conſcientia permiſſurum, ut peregrinus miles vel extra vel intra regnum colligatur, & præterea, ne quis ab iis, qui Regi *Chriſtierno* vel a conſiliis fuere, vel alias ſervierunt, vel eum, cum regno excederet, ſecuti fuerunt, in regnum recipiatur, & ut ipſe *Chriſtiernus* in ſempiternum hæc regna hasque ditiones abjuret, renunciet que prætenſionibus, quas in ea ſe habere aut habuiſſe exiſtimet omni-

Joh. Chriſt. fil. regni ſucceſſor conſtituendus proponitur aliaque.

omnibus idque tam suo quam suorum nomine, concedereque insuper, ut Norvegia, quod olim regnum hereditarium fuit, priusquam Daniæ regno jungeretur, cedat Regi *Johanni* ejusque hæredibus, ducatis vero Slesvicensis, ut & Holsatiæ, Stormariæ, cæteræque illæ ditiones, ut *Friderici* Regis hæredibus permittantur: Ac denique indulgere, ut annua pensio juniori principi decerneretur, vivente Rege *Friderico* &c.

Hæc capita hunc fere in modum concepta etiam signataque fuerant, paulo post *Christierni* Regis e regno discessum, ac simul tum decretum, Reginæ *Elizabethæ* conjugi ejus, loco dotalitii, quod intra regnum erat, annua pensio persolveretur. Nobiles eodem hoc tempore, qui heredia ac possessiones intra Daniæ regnum habebant, tertiam honorum ac redituum suorum portionem Regi se permissuros polliciti fuere: idque ea lege, ut agnosceret Rex, id non ut debitum, sed spontaneum indultum ab ipsis Regi regnoque persolvi.

Fœdus regni Daniæ cum Scot. Rege renovatum.

Missus iisdem diebus ad Scotiæ Regem *Magnus* Guldenstiern, petens offerensque, ut pax vetusque amicitia, quæ inter utraque regna Daniæ Scotiæque sarta hucusque tectaque constitisset, ita deinceps haberetur. Et licet jam ante legatus Regis *Christierni* Doctor *Alexander* nomine Christierni auxilia a Scotiæ Rege flagitasset, tamen Scotorum Rex se veteri amicitia, quæ semper inter utraque regna fuisset, etiamnum stare ac eam firmam inviolatamque servaturum declaravit. Quod autem navem spectaret, quæ in portu Masterlandiae aqud Norvagiam Scotis esset erepta eam non a Danis aut subditis suis, sed a prædonibus, qui Regis *Christierni* nomine ex Hollandia in boreum mare emissi essent, ac portus ibi undique infestos redderent, esse captam abductamque Rex vicissim *Fredericus* ostendit. Inter Regem præterea Galliarum *Franciscum* I, & Regem *Fredericum* fœdus, ut memoratur, ictum fuerat: Id sibi placere fœdus, oblatumque subsidium per idem hoc tempus Franciscus significat, efflagitans simul, ut id sub proximum ver præsto esse possit. Fueratque iisdem diebus decreta Regis *Friderici* apud Norvagos coronatio, ut ea Ancloæ haberetur. Sed ob loci incommoditatem & temporis brevitatem dilata ea in aliud tempus. Apud Scanos etiam, de qua ante memoratum, *Agonis* Sparre ad Lundæ diœcesim seu episcopatum promotio, quæ facta per Lundense, ut vocant, capitulum fuerat, firmata: non admisso, quem jam ante eo promoverat *Christiernus* secretarium suum *Scotbrogium*, qui id tamen summis viribus per pontificem capitulaque Colonienſe ac Bremense, sed incassum, hoc tempore agitabat.

Item cum Franc. R. Gall. institutum

episcopatus Lund Agoni Sparr stabilitur.

Funestum annum reddidit, si Hollandiæ chronicon sequimur, (nam alii ad annum præcedentem referunt) obitus celsissimæ principis Reginæ *Elizabethæ*, *Christierni* conjugis *Caroli* Cæsaris Germanæ. Quæ cum excederet regno maritus Rex, ejus esse comes maluit, quam intra regnum cum illius tribus ac regiis liberis subsistens reginale diadema retinere; sive hoc tantæ principis factum sive aliorum suasus fuerit, in medium relinquo. Ejus epicedium sui Nardi, quod est Abbæ Blandinienſis extra Gandam prætorium, prope mausoleum ipsius brevi elogio comprehensum legitur, sed dignum quod non ibi solum legatur. Ejus epicedii author esse creditur *Cornelius* Scepperus, *Christierni* Vice-Cancellarius, intra cujus quoque manus ac brachia exspirasse, sunt qui memorant. Est vero elegia illa ejusmodi:

Elizabetha Christ. R. uxor. moritur.

Quam cernis gelido recubantem marmore lector, *ejus epicedium.*
Indutam exuviis, o Libitina, tuis.
Cæsaris illa ego sum Caroli germana, sed orba
Jam dudum regnis, Elizabetha tribus.
Si genus inquiris, summo est e stemmate ductum,
Longis & e multis regibus ordo viget:
Si formam, potuit charo placuisse marito,
Quina cui soboles, me pariente, fuit.
Si vitam, vario & multo est transacta labore;
Forsan in hac dices, quod quereremur, erat.
Nondum lustra ferox Lachesis tria fecerat,
& me
Traxit hymen patria de regione procul,
Atque dedit socio Dano convivere Regi,
Cumque hoc fortunam jussit utramque pati.
Feci & quam dederat mentem Deus, ipsa secuta
Servavi castos fœmina casta thoros.
Non me ullæ sortes, non me ulla pericla, nec unquam
Flectere congestæ me potuere minæ.
Sum profugum comitata virum per mille labores,
Cumque hoc exilium, quod tulit, ipsa tuli.
Me sæpe insomnes ducentem Cynthia noctes
Præteriit, lassis dum veheretur equis.
Sæpe etiam Phœbus turbatam ut mente videbat,
Hæc ait a charo conjuge cura venit.
Denique si in casto labi queat uxor amore,
Hac plus quam reliqua labe notanda fui.
Annoter ipsa licet, feci & feciſſe juvabit,
Pertrahet ad superos me labor iste Deos.
Cætera quid? Deus & tituli, tot regna, tot urbes
Decrevere, sola hæc gloria fixa manet.
Hoc cineres sequiturque meos semperque sequetur;
Major & ex istis gratia rebus erit.
Talibus in curis terna tria vixi
Quarta laboranti meta suprema fuit.
Hospitio exceptam & morientem Flandrica vidit,
Heu quantum fatis detulit illa meis!
Nec mors hæc mihi dura fuit, si Danica conjux
Imperia & magni regna teneret avi.
Si deserta suum sequerentur pignora patrem,
Si tegeret cineres Danica licta meos.

de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

At fruſtra hæc mea vota fluunt, manet æthere in alto,
Qui regit arbitrio ſingula quæque ſuo.
Hunc præter ſupero quicquid miramur in orbe,
Eſt ſimul & laudis & rationis ingens.
Quare age, quisquis ades, vana hæc ludibria mundi,
Gaudiaque exemplo ſpernere diſce meo.
Nil mihi nunc proavi, nec opes, nec ſtemmata proſunt,
Non ætas & quæ forma pudica fuit.
Non fratres, quorum imperium terra omnis adorat,
Non germanarum turba relicta trium,
Diſpar conditio longe eſt vitæque neciſque,
Si qua fuit virtus, hæc mihi ſola manet.

Lutheri teſtimonium de ejus conſtantia in fide evang.

De ea hæc habet Lutherus in epiſtola ad Johann. Agricolam: *Regia illa mulier & vere regina, Elizabeth Danorum Regis uxor, exceſſit e vivis, ut ipſe mihi ſcripſit Chriſtiernus Rex, ſed magna fide exceſſit, accepta cœna Domini legitimo ritu Chriſti, nec perſuaderi potuit, licet fortiter tentata per proceres, ut in papæ fidem rediret.*

purioris religionis in Holſ. initia tutante K. Frid.

Cœperat jam præeuntibus *Luthero Zwinglioque* ſpargi ac late ſeſe diffundere per utramque tam boream quam auſtralem Germaniam, purior evangelii doctrina. Et eam quoque anno ſuperiori doceri ac prædicari per principatus ſuos Holſatiæ Stormariæque permiſerat Rex *Fredericus*, defendens ac ſuam in tutelam adverſus antiſtitum vim ac ferociam recipiens, quicunque vel docebant eam, vel ſectabantur. Quæ & ipſa prima fuere initia receptæ mox per univerſum boreum, & maxime Daniæ & Sueciæ regna, excuſſis papiſmi ſuperſtitionibus melioris hujus doctrinæ. Et

it. in Suecia auſpicio R. Guſt.

ut de Suecia primo dicam, Guſtavus Rex, poſtquam ex Malmogienſi conventu, ubi uterque Regum Fridericus & Guſtavus præſentes fuere, ut ante eſt memoratum, Stocholmiam rediiſſet, ac ſimul intellexiſſet, & motibus illis, quos Stocholmiæ in re religionis, de qua ſuperius dixi, concitaverant anabaptiſtæ *Rinckius* & *Cnipperdollingius*, offenſiones & ſcandala paſſim in borealibus regni ſui eccleſiis enata, eas adjuncto ſibi *Olao* Petri Theologo viſere inſtituit; Atque inde cum Upſaliam eſſet reverſus, circa feſtum nativitatis Chriſti atque omni in univerſum doctrinæ emendationi reluctaretur, qui ibi erat, archiepiſcopus & canonici, diſputationem de præcipuis Chriſtianæ religionis captibus in publico Academiæ auditorio inſtitui fecit, cui & ipſe præſedit, partes Pontificias tutante Doctore *Petro*

diſputatio Upſaliæ publice inſtituta inter Pet. Gallium & Ol. Petri.

Gallio (aliis eſt Ballio); evangelicas vero defendente, *Olao* Petri, quem dixi, Theologo. Hæc *diſputatio* capitibus XII eſt comprehenſa ac typis tum excuſa; atque inde anno Chriſti 1625 recuſa in omnium adhuc manibus verſatur.

A. 1527.

At *Guſtavus* convocatis poſtmodo Upſaliam ſub feſtum divi *Erici* qui fuit annus milleſimus quingenteſimus vigeſimus ſeptimus, cunctis regni ordinibus, conſilium ſuum de religionis reformatione & abuſuum ac ſuperſtitionum abolitione, deque ſana doctrina veroque Dei cultu per regnum univerſum inſtaurandis publice declaravit ſimul effiagitans, ut antiſtitum ac cleri prædia ac opes immoderatæ, quæ luxui ac faſtui, tum & ſeditionibus concitandis potius, quam veræ pietati ſervierunt, ad communes reipubl. uſus ac Regis fiſcum transferentur, relictis, quæ illorum ordini ſufficerent, alimentis ac ſumptibus neceſſariis.

R. Guſtavus reformationem religionis urget.

Verum epiſcopi totusque clerus huic Regis orationi ſe quam acerrime oppoſuerunt per doctorem ſuum Gallium & Georgium Turonis, eccleſiæ Upſalienſi præpoſitum, reponentes, privilegia, libertates & opes a Cæſaribus, Regibus ac principibus olim donatas clero literisque ac codicillis ipſorum firmatas non poſſe neque debere niſi ſub perpetua excommunicatione æternaque condemnatione ullo pacto vel reſcindi vel infringi. Contra quæ *Guſtavi* & aliorum nomine referebatur, veros eccleſiæ miniſtros & in his præcipue doctores ac populum verbo vitæ paſcentes duplici honore, id eſt honeſtis vitæ alimoniis ac reverentia dignos eſſe; ſed deſides iſtos ac ventres, qui nec Deo nec hominibus vel verbo vel factis inſerviunt, publico ſtipendio alendos haud eſſe. Ad hæc, quæ inique vel minus penſitate a Rege aliquo vel principe ſint donata, illa jure ab eorum ſucceſſoribus poſſe ac debere tolli & emendari. Denique nullum in ſacris literis apicem exſtare, qui eccleſiæ miniſtris politicam poteſtatem tantasque opes annuosque reditus attribuit utpote quibus freti ac comitati perpetuas fere ſeditiones adverſus legitimos ſuos Reges ac Dominos abhinc jam annis centum concitaſſent, & bellis perpetuo motibusque aſſiduis regnum turbaſſent. Decretum igitur poſtremo eſt, cleri privilegia ac immunitates eſſe in Regum poteſtate, ut ea pro temporum & eccleſiarum conditione vel amplient vel imminuant mutentque ſalva ſemper religionis ac doctrinæ puritate.

Obnitente clero.

Nic. Sture ſubornatum Weſtergothi & Dalecarli deſerunt.

Cum vero pertinaciter adverſari huic optimi Regis inſtituto antiſtites clerusque haud deſinerent, ut eum paſſim per regnum univerſum & apud exteros tanquam hereticum ac regia majeſtate indignum traducerent, ſubornato *Nicolao* quodam Sture tanquam *Stenonis* Sture gubernatoris filio, qui apud Weſtergothos & Dalecarlos ad tuendam avitam religionem ſeditiones moveret, animosque ſubditorum Regi adverſos redderet; haud tamen cedens aut fractus tot adverſantium odiis ac molitionibus Rex *Guſtavus* contra animoſior ibat, ut excelſa animi magnitudine haud ulla pericula adire vel ſuſtinere recuſans religionis emendationem conſtanti pectore urgere nihilominus haud deſiit. Ac mox perſonatum illum *Nicolaum* Sture, qui a multis jam parœciis Daliæ, Orſiæ ac Moræ apud Suecos, & apud Norvagos ab ipſo archiepiſcopo Nidroſienſi juvabatur

tur, deseruere tamen Delecarli, cognito, ex vidua *Stenonis* Sture fraudem subesse: quippe quæ declarabat filium suum jam dudum obiisse, nec in vivis ullum amplius esse. Unde continuo relicta Suecia ad archiepiscopum Nidrosiam profugit, ut inde dicetur.

Famem benigne levat Gust. R.

Premebatur iisdem diebus Sueciæ regnum magna frumenti inopia, multique inedia conficiebantur. Hanc publicam famem frugumque penuriam cum plebs ab episcopis & sacerdotibus edocta, mutatæ religioni atque avitis sacris passim imputaret, & ideo quoque tributa annua pendere Regi tergiversaretur, Rex aliquot millia medimnorum frumenti e Polonia Livoniaque in Sueciam transvehi, ac singulas moderato pretio distribui ac divendi curavit.

Dalecarlos sibi obedientes reddit.

Hinc *Gustavus* collectis circa Arosiam copiis literas ad Dalecarlos dat denunciatqve, ut circa paroeciam Tunæ vel armati ad prælium vel inermes ad veniam ac pacem petendam sese sistant: Qui ubi advenissent, militum corona cinctos gravissime objurgat, quod prioribus seditionibus clementer condonatis, mox novam temere cœptassent. Sed excusantibus se nonnullis, ac cæteris veniam petentibus, intercedente regni senatu, de authoribus seditionum supplicium sumptum, reliquis supplici ter deprecantibus vita condonata, ac jussi omnes novum fidelitatis juramentum præstare

item Helsingios & Gestritios.

Post id Helsingiis quoque & Gestritiis erratorum veniam petentibus culpa omnis remissa, & ex anteignanis nonnulli, qui intra custodias detinebantur, impune similiter dimissi.

Jo. Magnus episc. Upsal. religionis reformationem renuens regno profugus.

Johannes Magnus Upsaliensis episcopus, postquam eum *Gustavus* objurgasset, quod ecclesiarum reformationem a se ac proceribus decretam non exsecutus fuisset, convasatis occulte rebus omnibus regnique antiquissimis codicillis ac documentis primo Dantiscum, atque inde in Italiam Venetias ac tandem Romam commigravit. Ubi Gothorum, quæ est in manibus, historiam concinnavit; defunctus mox ibidem in hospitali, quod appellant S. Spiritus.

Gust. R. coram regni senatu accusat episcoporum repugnantiam in propaganda religione evang.

Postremo *Gustavus* ad finem optatum deducere cuncta super religionis emendatione cum in animo haberet, gravissime in ordinum regni consessu de episcoporum erga se injuriis, deque eorum malitia desidiaque per cancellarium conquestus fuit; admonitos a se antistites, ut curam gregis sibi commissi gererent, evangelium prædicarent, & ceteris officii sui partibus fideliter fungerentur; illos vero hanc gratiam retulisse, ut ipsum hæreseos vicissim apud plebem insimularint ac passim seditiones per regnum concitarint. Pronunciari idcirco super his a regni senatu expetebat. Verum cum antistitum plerosque ac ceteros ipsis addictos nihil de sua potestate annuisque redditibus, in quorum justa possessione essent, cedere velle aut regni inopiam sublevare *Gustavus* intelligeret, vehementer commotus regnum ipsis in publico conventu resignavit, essagitans simul, ut pro prædiis, quæ intra regnum haberet, hæreditarii pretium persol-

offensus regno se abdicat sumtus repetens.

veretur, tum ut impensas in regni liberationem a se factas restituerent. Quibus dictis in arcem concessit.

tandem obtinet

Postridie episcopis ceterisque ordinibus inter se rixantibus, & *Magno* electo Strenge-nessensi suadente, ut Regi potius obsecundarent, quam regnum, quod se recolligere jam cœpisset, hostibus rursus dilaniandum prostituerent. Et denique facta mentione disputationis, quæ inter doctorem *Gallium* & Magistrum *Olaum* erat habita, paulatim ab episcopis descisscere & partibus Regis se jungere cæperunt. Tertio demum die ursit tam agrestium quam civium populus ne senatus regni & antistites novorum motuum authores essent, sed Regi nihil iniquum postulanti obtemperarent. Tandem pontificii suffragiis superati communi omnium nomine ad Regem placandum mittunt cancellarium & M. *Olaum*; qui ad

maximisque precibus adductus convivui interest.

Regis genua, sed frustra, provoluti lachrimantes redeunt, & Regem in sententia persistere, nec dimoveri posse referunt. Itaque iterum alii, & rursum alii mittuntur, qui tandem impetrant, ut postridie ad conventum se descensurum promitteret. Adveniens maximo omnium ordinum obsequio exceptus ac humillimis eorundem precibus rogatus, ne regni molem a se rejiciat, actionem inchoavit. Atque inter cetera statutum, ut episcopi ac prælati arces ac feuda Regi traderent, & honestis contenti salariis viverent, mulctæque fisco regio cederent, &c. His eum in modum constitutis, arces ac feuda sua episcopi Regi resignoque resignarunt, excepto *Johanne* Braschio Lincopensi, qui arce Müncheboda ut se vivo frueretur, petiit ac certis conditionibus sponsione impetravit. Hinc aliquanto post, cum in Ostrogothiam Rex venisset, ac ei splendidum convivium episcopus idem exhibuisset, iterum a Rege jam hilariore impetravit, ut sponsores una cum ipso liberi essent, multaque de Godlandia locutus, ne cum politica jurisdictione ecclesiastica quoque regno Sueciæ inique præriperetur, utile ipse censuit, ut ab episcopo annuatim visitatio institueretur, utque id muneris sibi delegaretur. Quod ubi illi demandatum esset, ac Rex Stocholmiam rediisset, ille aurum, argentum & res quascunque pretiosas poterat, ex Ostrogothorum templis ac cœnobiis corralit; Suilercopiaque solvens, ac post peractam in Godlandia visitationem, quemcunqve exoptans ventum præter eum, quo in Sueciam reveheretur, Dantiscum appulit, atque inde ad Polonos sese in monasterium Lendæ abdens, ibi aliquanto post tempore obiit.

arces ac feuda sua tradunt.

Jo. Braschius episc. Lincop. visitationem sibi demandari cupit: qua impetrata

paulo post apud Polonos obit.

Inter hæc confestim ad Regem *Fridericum* Norvagiis inimicos suos, & in his *Nicolaum* illum, assumto fictitio sibi *Sture* cognomine, refugium inter ceteros inveniisse apud Nidrosiensem episcopum, idque pugnare cum pactis conventis, quæ inter ipsos jam pridem Malmogiæ erant statuta. Quibus acceptis, ex templo Rex *Fridericus Holgerum Ulfland* ad Sveos Regemque *Gustavum* ablegat cum manda-

R. Gust. liscribit teris ad Frid. datis queritur apud Norvagos perfugium dari regni fui turbatoribus cui sua offi-

cia ad eos caſtigandos offert R. Frid.

tis ac plena poteſtate excuſandi ſe, quod ignoraret, quid ille *Nicolaus* Sture eſſet, aut quid in Norvagia rerum geſiſſet, ſe hiſce de rebus regni Norvagici ſenatum prima occaſione certiorem redditurum, idque ſecundum præſcriptum, quod ad ſe miſiſſet, & operam præterea daturum, ut quoſcunque e Suecia profugos apud Norvagos vel Danos latitare in poſterum intelligeret, vel retineantur vel in Sueciam vincti remittantur: Significari per eundem hunc legatum ſuum fecit, feſtinare ſe Opsloam, ut ibi Norvegiæ regni (quo omnis Chriſtierno Regi de regno recuperando cogitandi anſa præcideretur) coronam acciperet, & ideo optare, ut Rex *Guſtavus* locum indicaret circa limitem utriusque regni, ubi convenire ac colloqui de Wiga deque ceteris, quæ Malmogiæ nuper peracta haud eſſent, commode poſſent.

Nic. Sture profugus Roſtochii Guſtavo R. poſcente capite plexus.

Quæ ubi agi intellexiſſet *Nicolaus* Sture, admonitus fortaſſe per archiepiſcopum Nidroſienſem, ſe primo verſus Maſterlandium proripuit, atque inde Roſtochiam profectus, cum ibi aliquantum hæſiſſet procurante Rege *Guſtavo*, gladio cervicem percuſſus vitam cum morte commutavit, tam ob ſeditionem in Suecia motam, quam quod ſe eſſe eum finxiſſet, qui non eſſet. Poſt fugam Nicolai, de quo dixi, ſe quoque ad Norvegos e Suecia receperant archiepiſcopus Aroſienſis, cancellarius, ut & *Canutus* præpoſitus ibidem, aliique ſeditionis, de qua memoravi, capita & coryphæi. Qui mox omnes, cura Regis *Guſtavi* in Sueciam retracti, ſupplicio ibi affecti, ac rotis impoſiti ſunt.

aliique refractarii & transfugæ puniti.

Collationes triennales Regi Frid. a nobilitate prorogatæ.

Prorogatæ inter hæc Regi *Friderico* triennales illæ, de quibus dixi, collationes, ipſi ab univerſa nobilitate Danica liberali manu ac motu ſpontaneo jam ante indultæ; idque ob pericula ac bella, quæ imminere adhuc regno indies videbantur. Tum & de religione ſerio actitatum. Nam, quæ Othoniæ hiſce diebus celebrabantur, regni comitia, cum ibi quærerentur antiſtites, negligi antiqua ſacra, ac clanculum in emporiis prædicari paſſim doctrinam novam, quam evangelium vocabant, idque autoribus præſertim magiſtro *Johanne Thauſenio* & *Chriſtiano Arochio*, qui Aſcenis has partes ſtrenue agebat, e re cenſuit Rex *Fridericus*, animi ſui ſenſum ſuper toto negotio propius aperire. Converſa igitur per oratorem ſuum ad antiſtites oratione, eos officii ſui commonuit, ut populum ac gregem ſibi commiſſum verbo vitæ paſcerent. Aut ſaltem permitterent curarentque, ut Dei verbum per diœceſes ipſorum ſane recteque doceretur. Accepiſſe haud dubio ipſos, quæ apud exteros rerum eſſet facta commutatio, plurimos etiam hoc in regno doleri acqueri indies, quod loco divini verbi fabulæ & humana commenta docerentur; idque agerent, ut populus, quæ doceri Deus præcepit, doceretur. Non ignorare regiam ejus majeſtatem, juraſſe ſe, ut ipſos ſecundum leges ac præſcriptum Romanæ religionis contineret, non tamen exiſtimare, ita eos id ſacramentum interpretaturos quaſi errores etiam Romanæ eccleſiæ defendere ac præſtare ipſis teneretur. Juraſſe ſe epiſcopis, ut ſartus tectus ipſorum ſtatus ſervaretur, tantum de docendi munere & quod ipſorum officii eſſet agi. Eo jam usque per proximas oras ac regnum ipſum eſſe ſparſam *Lutheri* doctrinam, ut ea jam tolli ac loco moveri vix poſſit; e re idcirco judicare, ut ſuo in regno etiam *Lutherana* religio toleraretur, uſque dum generale concilium ea ſuper re haberetur. Regiam ejus majeſtatem libenter, quodcunque eo in concilio decerneretur, admiſſuram. Quod & ſtatutum tunc temporis; licet adverſarentur antiſtites. Et ſimul hoc additum, liberum ac licitum fore tam monachis quam monialibus, intra monaſteria manere vel ea deſerere. Unde factum, ut plurimi monaſteriis exierint. Epiſcopis præterea interdictum Roma pallium petere mandatumque, ut electio antiſtitis penes capitulum eſſet.

Jo. Thauſen. & Chr. Arochius evangelii præcones ap. Danos.

R. Friderici propoſitiones in Concilio Otthon. pro ſtabilienda relig. evang.

monaſteria non pauci dere ſerunt.

Emanare in iisdem comitiis Rex *Fridericus* placitum fecit, quo inter nobilitatem & ordinem eccleſiaſticum, quod hærebat controverſum, de jurisdictione eccleſiaſtica, qua antiſtites nobilium colonos ac ſubditos gravare videbantur ſublatum fuit.

Dum autem in Dania apud Fiones hæc, de quibus dixi, Othoniæ celebrantur comitia, ibique Rex rebus ordinandis hæret, præſidebat ducatibus Sleſvicenſi atque Holſatiæ ejus Filius Dux *Chriſtianus*. Et aſſentiente patre evocari Magdeburgo curavit doctorem *Evervardum Windeſce*, & *Hermannum Taſtium*, Paſtorem Huſanum, qui eccleſias per univerſum ducatum Sleſvicenſem, Holſatiæ ac Stormariæ viſerent, easque ſublatis pontificiis abuſibus reformarent. Adjuncti his erant ex nobilitate *Johannes* Ranzovius, aulæ magiſter & Johannes Reventloff. Similiter & paſſim tunc apud Danos prædicabatur verbum Dei, & maxime apud Schanos, idque cum viderent epiſcopi, tum & libros non unos lingua Danica indies evulgari, quibus Lutheri doctrina firmabatur, ac deſtrueretur pontificia, nec ipſi ei aſtruendæ pares eſſent, alio mentem conſiliaque vertere. Etenim continue in Germaniam literas miſit *Lago* Urne epiſcopus Roſchildenſis & Magiſter *Offo* Bilde ſuo & reliquorum antiſtitum nomine efflagitantes, ut ad ſe in Daniam mitterentur doctor *Cocleus* & *Ecchius*, qui tum Engelſtadii agebant ac præcipui inter pontificios claritate nominis habebantur, quibus tutandi papatus cura incumbebat. Eſtque miſſus eo *Henricus* Gerkens, qui ſingulis annuum ſtipendium adpromitteret, idque hunc in finem, ut adverſus Lutheranos ſcriberent, ac vetera ſacra ore ac ſtylo tuerentur. Inter cetera, quibus regnum regioque ipſis commendabatur, erat optimum ejus ſolum, quodque ibi, quæ ad victum eſſent neceſſaria, abunde & vili pretio haberentur.

Chriſtianus Dux advocat Ever. Windeſc. & Herm. Taſtium miniſtros, qui eccleſiam ab erroribus repurgent ſtipati regiis præfectis & Reventl. it. religionis negotium ap Danos propere ſuccedit epiſcopis indignantibus, qui Cochleum & Eccium ad oppugnandum excitant.

Eadem tempeſtate renovari per *Petrum* Suavenium cum Rege Gallorum *Franciſco* fœdus jam ante initum *Fridericus* fecit, ac ſimul ab eodem peti, ut inhiberet, quantum in ipſo eſſet, ne quid ac Anglo vel Scotis inimicum atque hoſtile in Daniæ Norvegiæque regna tentaretur, & idem ut per Ducem Albaniæ ac ſecre-

R. Frid. et R. Gall. fœdus renovatur.

secretarium *Budæum* apud Regem urgeretur, tum simul efflagitatum.

A. 1528. R. Gustavus regium diadema suscipit.

Gustavus anno, qui proxime est insecutus, millesimo supra quingentesimum vigesimo octavo, cum antea electus esset Sueciæ Rex, hoc tempore coronari se permisit, depositis jam, sive in ordinem redactis episcopis, qui perpetuo seditionibus ac turbis, quæ regnum hucusque inquietassent, occasionem dedissent.

Thausenius Viburgi decans egregius relig. evang. in Dania promotor.

Insignem Daniæ regno operam hoc tempore præstitit *Johannes Thausonius* sive Tagonis. Is cum Monachus esset apud Zelandos in monasterio Anderschovensi, inde ob suspectam doctrinam Wiburgum est missus, ubi populus, qui eum libentissime docentem audiret, seditionem ac motus excitavit, quod episcopus Wiburgensis eum silere jussisset. Et eo magis irritati omnes ad audiendum *Thausonium* armati prodierunt, & eum adversus episcopum Wiburgensem *Georgium Frisium* ejusque vim sartum tectum defenderunt. Natus hic *Thausonius* fuit apud Fionios in pago, cui nomen Birkinde fuit; missusque initio a priore Anderschovensi in Academias Germaniæ, ac domum mox reversus laurea magisterii Rostochii honoratus Theologiam sub annum 1521. in Academia Hafnienſi publice est professus; ac ultimo cum singulari dicendi facundia polleret, concionandi etiam munere est perfunctus, præsertim Wiburgi, ubi eum, ut dixi, cum populus civesque annuente etiam Rege adversus antistites strenue defenderent, inter primos celebrari meretur, qui his in boreæ oris puriorem evangelii doctrinam promoverunt.

Oldesloæ evangelium edocetur; unde ad Lubecenses transit.

Similiter & Oldelsloæ per hoc tempus Rex *Fredericus* pastorem ordinari fecerat, qui publice Papæ abusus pro concione notavit populumque rectiora docuit. Quo & plures Lubecensium civium certis diebus se contulere, ut eum docentem audirent, quod Lubecæ tum adhuc temporis conciones non haberentur, quæ permissæ demum anno 1530.

R. Frid. fœdera cum R. Scot. firmat.

Iisdem his diebus, quod antea agi cœptum erat, cum Scotiæ Rege *Jacobo* V fœdera vetera renovata ac missus de novo a Rege Scotorum insignis legatio ad Regem *Fridericum*. Hic de omnibus, quæ acta essent, inter Doctorem *Alexandrum Christierni* II legatum, proceres Regemque docuit. Scribi tum quoque Rex Gallorum *Franciscus* ad *Petrum* Suavenium jussit, qui anno superiore a Rege *Friderico* in Galliam missus fuerat, ut est jam modo relatum, ut suppetiæ, quæ erant promissæ, *R. Gall. suppetias frustra a R. Frid. deposcit.* statuto tempore expedirentur: Sed ea ob eminentia pericula ac invasiones, quæ hinc a Cæsare, inde a *Christierno* metuebantur, per idem tempus dilatæ aut excusatæ fuerunt.

Legati Dan. & Sueci Lodissæ conveniunt tractaturi inpr. de inf. Wiga Danis restituenda.

Legati eodem tempore tam a Rege *Friderico* quam Sueciæ *Gustavo* Lodissam missi. Ex his, qui erant a *Friderico* delegati, quærebantur, Wigam ejusque universum territorium Daniæ regno nec dum redditum, quomodo fuerat Malmogiæ conventum, nec convenisse Lubecam *Gustavi* legatos, ut una cum Regis *Friderici* ac urbium de legatis agerent, quemadmodum similiter decretum fuerat, ac recessisse cum protestatione Daniæ legatos: Contra vero referebat *Gustavus*, hostibus suis apud Norvagos receptum inque Dania patuisse, & impetum e Norvegia in Sueciam ab iisdem factum: quæ omnia pugnarent item adversus contractum, qui fuerat Malmogiæ habitus. Quin & *Gustavum* Trollium hodieque adhuc intra Daniæ regnum tolerari. Nec tamen inter Regum utrumque, qui jam fœderati erant, aliquid inimicum moveretur, sed ut pax concordiaque utrinque sarta tectaque maneret, hujusmodi inter utrosque pactum conventioque ibidem facta: ut nimirum quod jam ante Malmogiæ tractatum actumque fuerat, firmum ratumque haberetur, de cetero, quæ haberent controversa, super Wiga ac reliquis suo loco exinde ac tempore amice peragerentur, idque eum in modum, ut sibi uterque satisfactum fateretur: Auxilia interea utrimque promissa, ubi id flagitaret necessitas, certo atque inviolate præstarentur. Hic exinde contractus, prout erat a legatis conceptus, Flensburgi est confirmatus probatusque.

de prædio Wram conventio.

Inter hæc privatæ conventiones judiciaque interveniente Regis regnique senatu facta pronunciataque, & maxime inter episcopum *Belnacum* ac *Ronnovios* Holsatiæ nobiles, itemque inter episcopum sive electum Lundensem *Agonem* Sparre & *Johannem* Schongardium, idque ob prædium Wram dictum, quod ad se pertinere *Schongardius* asserebat, aliaque.

collationes Scanenſium.

Tum & collatione Scanis indictæ, & quidem hunc in modum, ut viri viginti bovem solverent, aut ejus loco marcas octo; ac sic de ceteris, puta butyro, lardo, secale ac talibus.

monast. S. Spir. Foburgense reditibus auctum.

Statutum quoque Regis placito, ut S. Spiritus monasterium intra oppidum Foburgum exaugeretur ac donaretur reditibus, qui pertinerent ad Ecclesiam cathedralem eodem loci, idque in eum finem, ut ægri, qui in eodem monasterio essent, aut in posterum in id reciperentur, debito de singulis, quæ ad eorum sustentationem spectarent, providerentur.

Magnus epiſc. Scar. & Thuro Joh. e Suecia in Daniam profugi cum archiep. Gust. Trolle regno proscripti.

Inter hæc Episcopus *Magnus* Scarensis, itemque *Thuro Johannis* se e Suecia, in Daniam contulere. Hi initio salvum conductum ac liberum ingressum moramque intra Daniam subsistendi a Rege petebant seqve judicio sistendi, idque ob certos codicillos, quos ab ipsis conceptos Rex *Gustavus* assereret. Hi quidem ad tempus tolerati, at mox, ubi ad Regem est delatum, qui tum in Holsatia erat, conjurasse eos cum ceteris aliquot ex nobilitate adversus Regem *Gustavum* & religionem, & conscios simul fuisse ejus motus ac seditionis, quæ fuerat apud Delecarlos excitata, de qua ante memoratum, & ipsi & archiepiscopus *Gustavus* Trolle e regno proscripti atque amandati sunt.

R. Friderici fœdus arctius cum elect. Sax. & Landgr. Hass.

Fœdus tum quoque propius initum inter Regem *Fridericum* & electorem Saxoniæ, ut & Landgravium Hassiæ, ut alter alleri subsidio adesset, idque armatis mille ac ducentis equitibus sive adversus Regem Christiernum sive alios, prout res postularet; & fuit id primum fœdus, quod inter Regem & Germaniæ princi-

qui bellum moverant episcopis.

pes est initum. Estque tunc temporis ab iisdem principibus bellum motum adversus vicinos episcopus, quo & evocatus fuit Rex *Fridericus*. Evocatique confestim a Rege in Holsatiam

R. Frid. nobiles evocat, ut quosdam eorum illis subsidio mittat.

præter ceteros ex nobilitate cum equitibus armatisque viris, quod ad manus haberent, *Magnus Bilde*, *Ericus Crommedige*, *Sivardus a Wiske*, *Georgius a Schaugaardi*, *Johannes Jule*, *Ericus Bron*, *Envoldus Jull*, *Bartholdus Jull*, *Ericus Schram*, *Nicolaus Friis*, *Till Waskergaard*, *Boske Ranzou* til Wandrup, *Olaus Lunge*, *episcopus*, *Andreas Schiel*, *Nicolaus Brotschou*, *Baggius Friis*, *Ericus Högh*, *Nicolaus Winther*, *Ericus Banner*, *Nicolaus Broch*, *Georgius Rostrup*, *Otto Guldenstern*, *Axillus Sive*, dominus *Christianus Friis*, *Laurentius Sekenkel*, *Ericus Högh*, *Ericus Steen*, *Petrus Huos*, *Johannes Bagge*, *Jacobus Brun*, *Nicolaus Huas*, *Otho Ungeren*, *Gabriel Guldenstern*, *D. Petrus Lucke*, *Eilerus Rannou*, *Nicolaus Urne*, *Johannes van Mellen*. *Jacobus Norbyus*, *Michael Bröckenbus*, *Nicolaus Brockenbus*, *Johannes Oldeland*, *Cortvitius Hardenberg*, *Jacobus Hardenberg*, *Busch Schenck*, *Petrus Broch*, *Wernerus Svale*, *Olaus Norbye*, *Otho Krumpen*, *Johannes Oxe*, *Petrus Fulster*, *Georgius a Wisck*, *Georgius Wenstermand*, *Laurentius Knob*, *Matthæus Lund*.

qui renuunt.

His acceptis, regni senatus & præsertim episcopi in id Callinburgum convenerunt, ut Regi significarent, pugnare cum regni privilegiis atque immunitatibus, quod ad se regni nobilitatem eum in finem evocasset, ut in expeditione, quæ erat, extra regnum facienda ea uti instituerat. Quapropter ad regiam ejus majestatem miserunt *Canutum* Guldenstiernium, præpositum Wiburgensem ac Dominum *Mauritium* Sparre ad inhibendam hanc expeditionem, ac simul ut, iidem regiæ ejus majestati demonstrarent, quam esset periculosa illa res, quantoque in periculo regnum foret, si eam nobilitatem, quæ regni quasi robur esset, occumbere contingeret. Seorsim vero ægre eos habebat, quod ea fœderatio facta esset cum principibus Lutheranis, ac religioni eorum adversis. Addebant, nec constare etiamnum, quomodo Rex *Gustavus* esset accepturus, quod proceres Norvegiæ ejus hostibus subsidia receptumque concessissent, neque esse quoque controversiam de Wiga, quæ a Svecis adhuc teneretur, ad finem optatum perductam. Tum & de Cæsare adjiciebant, idem eum quam ægerrime laturum. Respondit Rex *Fridericus* eam petitionem suam non ut imperatum quiddam, sed precationis in modum a se institutam & liberum relinqui nobilitati excedere aut intra regnum manere. Tum & indemnes præstiturum se, qui eam militiam erant secuturi ac omni vicissim favore id compensaturum. Quod Cæsarem spectaret, eum jam satis superque offensum, & offendi vix magis posse. Nulli tamen per id tempus ex nobilitate subsidio missi principibus,

pecunia

tantum pecuniarum subsidio auxilium Landgravio subministratum, quod ex apochis ejus constat.

Landgravio in subsidium missa.

Accensus eadem tempestate honesto promovendæ sanioris doctrinæ zelo extremus etiam boreas. Estque Bergis Norvegorum depredicatum publice evangelium, atque inde totus is tractus pontificiis sordibus paulatim repurgatus, accedentibus indies, qui ceterorum studium juvarent. Quin & firmatus apud eosdem Bergenses politiæ urbanæ status, ac eum in modum ordinata respublica, ut duo consules, Rege mandante constituti sint cum senatoribus aliquot.

extremus boreas Bergenses Norvegique evangelicam doctrinam suscipiunt.

magistratus Berg. constitutus.

Sed & id silentio omitti haud debet, quod Malmogiæ apud Schanienses iisdem diebus prodierint psalmi Davidici idiomate Danico, ac mox anno insequenti, qui fuit millesimus supra quingentesimum vigesimus nonus, ibidem penitus sit eliminata religio pontificia, & recepta, quam vocabant, reformata sive Lutherana. Quod eodem studium probavit Rex *Fridericus*, qui evulgato publico placito magistratui urbano indulsit, ut hæredia, quæcunque intra aut extra urbem essent, pio olim zelo admissæ sacrificia celebranda donata, ea ad se reciperet, & ex iis in usum pauperum nosocomium exædificaret, scholamque aperiret, in qua juventus Christianam & orthodoxam pietatem doceretur. Inter primos qui Malmogiæ evangelium est concionatus memoratur *Nicolaus* Victor, qui etiam scholæ ac studiosis erudiendis præfectus est & una cum eo lector *Andreas*, qui monachatum reliquerat, ut & *Franciscus* Wormondus natus Amsterodami, monachus Carmelitanus cœnobii Helsingorensis, e quo egressus fuerat; & quartus denique *Olaus* Chrysostomus, postmodum pastor ecclesiæ virginis Mariæ apud Hafnienses, qui & episcopus postremo creatus diœceseos Borglomensis. Nominatur & *Petrus Laurentius*, qui postmodo ad canonicatum ac Scholam Lundensem est vocatus. Sed & præter placitum, quod dixi Malmogiensibus seorsim a Rege indultum super religionis libero exercitio, aliud hoc tempore evulgari curavit, quo idem permittit universi regni sui ditionibus ac provinciis. Et statim post hæc Wiburgo Hafniam evocari fecit *Johann* Thausenium. Qui a civibus postquam gratanter esset exceptus, ac magno cum eorum studio libenterque auditus ecclesiæ eum divi Nicolai præfecerunt.

Psalmi Dav. danice prodeunt Malmogiæ. A. 1524.

Religio pontificia ibi prorsus eliminata. adstipulante Rege.

præcipui relig. evang. ibi doctores.

Jo. Thausenius Hafniam ad docendum evang. evocatus.

Obiit autem circa idem tempus Bistropiæ archiepiscopus ac cancellarius *Lago Vrne*, qui, ut ex superioribus patuit, reformationi perpetuo fuerat adversatus. Illi successorem Rex fieri permisit *Jacobum* Rannovium, ea tamen lege, ne reformationi jam feliciter cœptæ vel hostem se vel adversarium præberet, sed eam, quantum in se esset, promovere semper ac fidis pastoribus prospicere diœcesi suæ elaboraret; & ipse vita atque exemplo suis præluceret. Cumque in comitiis Fionienses decretum nuper esset, ne pallium deinceps Roma peteretur, sed a Rege id quisque acciperet, solvitque ejus nomine *Rannovius* Regi

Lago Urne archiep. obit relig. evang. adversarius. succedit Jac. Rannovius ea lege, ut illam promoveat.

idem a R. pallium accipit pretio soluto.

Regi 6000. aureos Rhenanos. Quæ pecuniæ, cum in fiscum Regis referentur, in usus regni necessarios depensæ eousque fuere, dum episcoporum illa præeminentia alia in formam fuit constituta.

Legati Dan. ad R. Gustavum de Wiga inf. restituenda,

Missi per idem tempus in Sueciam ad Regem *Gustavum* D. *Trudo Vlfstand*, D. *Axelius Brahe*. His in mandatis erat, significare ejus majestati, Wigam quæ nunc esset in potestate Svecorum, perpetuo ac semper Norvegorum fuisse. Et iterum denuoque & nuper quoque Malmogiæ petiisse dominum ac Regem suum, ut iisdem redderetur, quin & ibidem Malmogiæ ab urbium delegatis, consentiente Regum utroque statutum tunc, ut eo nomine Lubecam utriusque Regis legati una cum urbium delegatis statuto tempore convenirent; qvi autem non adessent, mulctam penderent centum millium aureorum. Adveniisse autem decreto tempore Regis sui legatos, & eos, cum nulli Svecorum se sisterent, cum protestatione domum recessisse; & ideo existimare Regem suum, ea mulcta teneri Sveciæ legatos, cujus pars altera arbitris sui urbium delegatis, altera Regis sui fisco deberetur. Sed & alios super eadem re habitos exinde conventus cum iidem adjicerent, nec ad finem optatum negotium deductum fuisse, idque maximo cum Regis sui detrimento, statutum postremo per *Gustavum* fuit, qvo pax concordiaque inter utrumque Regem firma certaque maneret, ut de mulcta pendenda amice convenirent.

item de mulcta a Suecis pendenda, quod statuto tempore Lubecæ non convenerint.

Dux Christianus ad Norvagos abit, ut se regni hereditarium inauguret.

Missus tum quoque Opsloam ad Norvagiensium comitia fuit celsissimus princeps Dux *Christiernus* Regis filius, qui inter cetera inaugurari a Norvegis petebat ut hæres Norvegiæ: Sed responsum ab episcopo Nidrosiensi ceterorum nomine fuit, existimare Norvegos, non esse amplius Norvegiæ regnum hereditarium; sed regno Daniæ ita innexum junctumque, ut alium, præter eum, quem Dani haberent, Regem habere haud possent. Sed & alia tunc quoque cum essent inibi firmanda constituendaque, & maxime quæ fœderationes utriusque regni spectabant, honorifice regieque a Norvegis exceptus dux habitusque in Daniam haud multo post rediit; referens ad Regem patrem eorum, quæ in comitiis essent acta transactaque tum subditorum commoda ac causas, quam fœderationes veteres spectantia, regni utriusque Daniæ Norvegiæque senatus fiduciarias literas.

quod hi renuunt.

alia ibi tractantur.

Quidam episcopi & ex regni senatu pr. Johannem apud se educandum a R. petunt eum religione pontif. initiaturi regnoque destinantes.

Neoburgi iisdem his diebus episcopi ac prælati aliique ex regni senatu aliquot agere seorsim cum Rege *Frederico* instituerunt, ut filius ejus natu minimus Dux *Johannes* in Daniam mitteretur, ut ibi educari quam commodissime sub oculis, quasi Regis ac regni procerum posset. Etenim desiderabant antistites eum moderatoribus pontificiis erudiendum committere quod fratrem ejus Ducem *Christiernum* natu maximum, & qui ex thoro quoque priori erat natus, Lutheranæ hæreseos, ut vocabant, suspectum haberent. Estque hoc pacto ex Holsatiæ quidem ducatu in Daniæ regnum traductus junior hic princeps *Johannes* & a pluribus licet lætissime exceptus ac salutatus sit, non tamen communibus omnium suffragiis ullo unquam tempore est inauguratus.

Vienna Austr. a Solimanno Turc. imp. obsessa.

Hic est ille annus, qvo Turcarum imperator *Solimannus* Viennam Austriæ trecentis hominum millibus gravissima obsidione, sed in cassum tamen, circumcinxerat, adeo ut isto etiam tempore magnopere non esset, qvod a Cæsare metuendum Dania haberet, cum hinc Turcam, inde Gallum, hostes acerrimos, ipsemet formitandos respiciendosque haberet. Inter præcipuos duces, quos adeo immani hosti opposuit imperator Carolus, fuit Fridericus elector Palatinus, cui exinde, re feliciter præclareqve gesta, neptem suam *Dorotheam* Christiani II Danorum Regis filiam ex sorore genitam in conjugem collocavit.

A. 1530. Vincentius Gronland. episc. suffraganeus Roskild. parum stat promissis Regi factis.

Sub annum, qui est insecutus, millesimum qvingentesimum trigesimum, in Daniam venit, qui se Gronlandiæ episcopum ferebat, *Vincentius* nomine. Hunc suffraganeum suum creavit antistes Roskildensis; eique fidem atqve obsequium suum datis codicillis obstringit idem *Vincentius*, obiturumqve se ipsius nomine sacros, ut vocabant, tam majores quam minores ordines, confirmationes ecclesiarum, altarium ac coemiteriorum consecrationes, aliqua pastoralia officia; quamvis alia & meliora, cum ad eam dignitatem admitteretur, Regi pollicitus fuisset.

structæ ap. Norvagos ferræ molis actæ.

His primum diebus apud Norvagos exstructæ sive adinventæ ferræ illæ, qvæ motis aquaticis actæ asseres aliaqve tigna sive assamenta sectilia conficerent, cum antea ea omnia magno longoqve labore communibus ferris aut laminis ferreis perficerentur. Hujus artificii author memoratur Norvegus sive Svecus, qui apud Bohemos id aut simile fieri animadverterat.

monasteriis plurimi excedunt.

Miræ passim eadem hac tempestate monasteriorum ac hominum monasticorum mutationes ac migrationes factæ. Nam cum cœnobiis pleriqve excederent Horsenæ, Foburgi, Landscroniæ & alibi, ea sibi vindicare loca magistratus haud desiit.

Randershusii tantum in pontificios odium invaluerat, ut cives Randerhusienses, quem adversus Lutheranos conscripserat librum frater *Paulus* Eliæ urbis consulibus dicatum columnæ adfixerint, sed hoc ad annum antecedentem referendum.

R. Freder. ad comitia Hafn. vocat quosvis sacra docentes, ut fidei capita discepent.

Isto autem tempore conscribi Rex *Fredericus* ac convocari Hafniam ad publica comitia, quæ ibi erant habenda, non tantum antistites ac religionis pontificiæ anteignanos, sed & eos, qui saniorem doctrinam concionari coperant, omnes jussit; qvo scilicet exhibere singuli religionis suæ capita possent, ac certi qvid eo in negotio statui, quod ad regni totius ac subditorum publicam quietem pertineret.

Pontificii in subsidium sibi accersunt Stagefyr.

Pontificii, ne imparati deprehenderentur, quantum in ipsis erat, ad se hinc inde vocant, quos adversariis haud impares futuros, crederent, ac inter cæteros Colonia Ubiorum ex magistris, ut vocant, nostris auxilio illis venit doctor *Stagefyr*, qvi inter præcipuos habebatur. Inter orthodoxos principulus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lus erat *Johannes* Thauſenius, qvi initio ſtatim Rege flagitante capita ſua, ſive confeſſionem, cui & ceteri collegæ ejus ſubſcripſerant, comitiis exhibuit conſtantem articulis 43. Contra hanc exceperunt Pontificii, & viciſſim reſponderunt alii. Tauſenii & collegarum ejus confeſſio capitaque ejus hæc erant.

a Tauſenio ibi propoſita.

1. Sacra Scriptura, quæ dicitur canonica, lex & norma eſt omnibus, qui adipiſci ſalutem ac gratiam apud Deum deſiderant.
2. Ideoque homo vere Chriſtianus haud alia eget ad ſalutem regula, quam ſola Chriſti doctrina, quæ eſt hæc ipſa S. S. Scriptura nullis commentis humanis corrupta.
3. Qui autem alia quam hac via ad vitam æternam pertingere ſe poſſe exiſtimant, ii ſe ipſos fallunt, licet mundo videantur ſanctiſſimi.
4. Ex eadem hac S. Scriptura ſcimus ac cognoſcimus, eſſe æternum, omnipotentem ac ſapientiſſimum Deum, conſtantem tribus diverſis perſonis Patre, Filio & Spiritu Sancto, qui cælum, terram omnesque creaturas condidit.
5. Credimus ſimiliter Dei filium, Jeſum Chriſtum ex ſola Dei miſericordia natum vere hominis filium, absque tamen peccato, idqve ex virgine Maria, nobis datum ac ordinatum ſalutis unicum magiſtrum, ac doctorem, cujus & vocem ſolius audire atque obedire tenemur.
6. Aliorum hominum voces, doctrinam, titulos ſive nomina nihili facimus niſi ea hac Chriſti doctrina ſuffulta ornataque deprehendatur.
7. Credimus item Domini noſtri opprobria, perſecutiones, pœnas, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem ad cælos, & cetera, quæ in terris docuit ac geſſit, ea omnia ad rectam ſapientiam noſtram pertinere eſſeqve ſatisfactionem pro peccatis noſtris omnibus.
8. Dicimus ad credimus qvicunqve aliam ſapientiam aut ſatisfactionem, quam Chriſti meritum, pœnam ac mortem comminiſcuntur, eos eſſe hæreticos.
9. Docemus ac credimus dominum Jeſum Chriſtum, ubi ad judicium erit venturus, cuique ſecundum opera retributurnm, id eſt prout in Chriſtum recte vel minus crediderit &c., non vero ſecundum titulos ac gradus, raſuram, aliave ejusmodi humana commenta.
10. Non interim contemnimus ceremonias omnes externas aut conſvetudines antiquas quæ & pie olim aſſumptæ ſunt ac deponi viciſſim poſſunt, ſed eas rejicimus, quæ pugnant cum verbo Divino, & quæ homini ſanctitatis aliquid attribuere putantur.
11. Credimus ac docemus, Spiritum S. tertiam Deitatis perſonam, eſſe Chriſtianorum omnium conſolatorem, qui mentem ac corda noſtra donis omnibus ſpiritualibus renovat ac regenerat.
12. Credimus eccleſiam eſſe ſanctorum communionem, eorumque omnium, qui Deo ejusque filio vera fide inſerti ſunt; alias peculiares eccleſias, quam etiam illæ ſanctæ illustresque videantur, nihili facimus.
13. Hæc enim eccleſia ſæpe numero adverſa eſt veræ Eccleſiæ; damnat, quibus Deus benedicit; rejicit, quos Deus recipit, hæreticos proclamat, qvi ſana docent, qvique hominum lapſus ac peccata arguunt ac caſtigant.
14. Credimusqve, fictitias hominum benedictiones indulgentiasqve eſſe coram Deo maledictiones.
15. Credimus, veram excommunicationem non eſſe æternam maledictionem;
16. Ideoque nihili facimus eorum excommunicationem, qvi eos excommunicant, qui veritatem docent & homines de peccatis ſuis commonefaciunt &c.
17. Credimus docemusque, veram excommunicationem non adeo temere & præter Chriſti inſtitutum eſſe adhibendam, ſed uſurpandam eo fine ac modo, ut qui peccarint corrigantur culpamque emendent.
18. Sanctæ eccleſiæ ſacramenta credimus ac dicimus homini chriſtiano eſſe neceſſaria, & ea præſertim, quæ in S. S. ſcripturis ſunt expreſſa, cujuſmodi ſunt baptiſmus & cœna domini.
19. De hiſce duobus SS. Scriptura loquitur. Plura qui inducunt, ii præter SS. Scripturam id faciunt.
20. Credimus præterea ſtatuimusqve matrimonium, qvod in ipſo paradiſo eſt inſtitutum, eſſe ſanctum & honorabile & licitum id contrahere aut non contrahere, prout in ſe qvisqve continentiæ donum ſentiat.
21. In matrimonio honeſte vivere, vera coram Deo eſt caſtitas; hujusmodi vitam vel viro vel fœminæ interdicere ſub ſpecie caſtitatis, non Dei, ſed diaboli dogma eſt.
22. Credimus ſimiliter docemusque, prohibere aut diſcrimen ſtatuere in cibis aut diebus eſſe ſimiliter diaboli doctrinam.
23. Quod monaſteria ac vitam monaſticam ſpectat, credimus ac dicimus ex SS. Scripturis demonſtrari ea haud poſſe; vitam vero ac merita eorum fictitia, ceremonias, otium miſſasqve pugnare cum SS. Scripturis.
24. Vota item monaſtica, pugnant cum hominis libertate: & ea etiam ſi mundo videantur placentia, tamen Deo diſplicent, quia hominum adinventa ſunt. Nihil enim Deo placet, niſi quod ab ipſo eſt præceptum.
25. Verus Dei cultus eſt adorare Deum cæleſtem in ſpiritu & veritate, id eſt ex corde credere ac ore confiteri, unum Deum ac Jeſum Chriſtum ſervatorem noſtrum, qvem ad noſtram omnium ſalutem in mundum Deus miſit.
26. Item dicimus ac credimus, veram Chriſti miſſam nihil aliud eſſe, quam Jeſu Chriſti pœnarum ac mortis commemorationem, in qua ejus corpus editur ac ſangvis potatur in certum teſtimonium, quod ejus nomine peccatorum remiſſionem obtinuerimus.

27. Di-

27. Dicimus item & credimus, verum Dei cultum non consistere in externis cantibus, missis, vigiliis, templis, rasuris, cucullis, unctionibus, aliisque talibus externis ceremoniis, cujusmodi a clero indocto hodie exercentur, vulgusque miratur.

28. Ubi hæc Christi cœna a Christo instituta celebratur, ibi etiam hominem Christianum debere utriusque partis esse participem; panis, qvi Christi corpus notat, ac vini, quo sanguis ejus indicatur.

29. Credimus præterea ac dicimus, veram Christi ecclesiam unicum habere sacrificium nimirum Jesum Christum, in temporis plenitudine in cruce pro mundi peccatis semel oblatum, nec posse amplius offerri, quomodo in missis ridicule fit, idque pro vivis ac mortuis.

30. Item credimus ac profitemur, sacramenta, evangelium, scripturam s. psalmosque, qui in ecclesiis canuntur, debere ea lingua atque idiomate usurpari, quod intelligatur ab omnibus.

31. Credimus item ac docemus, Dei sanctos, id est, vera Christi membra, debere hic alterum pro altero orare ac charitatem suam demonstrare. At de istis Dei sanctis, qui demortui sunt, nihil, ss. scripturis occurrit, eosve a nobis invocandos vel nos ad eos confugere oportere.

32. Profitemur ac credimus, Dominum Jesum Christum esse unicum nostrum interpretem ac mediatorem inter nos & Deum patrem; & esse eum (cum Deus sit & homo) etiam sufficientem, nec alio opus esse.

33. Credimus ac dicimus, hominis prudentiam, industriam, sanctitatem ac merita, indulgentias aliaque talia apud Deum valere, nec quicquam ad salutem nostram posse, quod monachi persuasum voluere.

34. Statuimus insuper ac credimus, duas tantum esse vias post hanc vitam, quarum altera, quæ ducit ad inferos, impii ingredientur, hanc, quæ ad cælos ducit, pii possidebunt. De tertia via, quæ est purgatorium, nihil nos scriptura sacra docet.

35. De celebrandis pro iis, qui in Christo obdormierunt, vigiliis aut missis nihil habet sacra scriptura. At vigilias, quas vocamus, celebrarunt antiqui patres, non ad defunctorum, sed eorum, qui in vivis adhuc essent, solatium ac doctrinam, ut spreta nimirum temporali hac vita ad æternam anhelarent.

36. Veri episcopi sive sacerdotes, qui iidem omnes sunt, nihil aliud sunt quam verbi divini administri, nec eorum est, curare ea, quæ ad mundi pompam vel politiam spectant, puta belligerare aut militiæ præesse, præsidere in judiciis & alia ejusmodi exsequi, quæ ad eos non pertinent, alterutrum horum aut deferendum aut faciendum.

37. Credimus item ac statuimus, omnes homines sive illi ecclesiastici sacri aut profani sint, mundanæ potestati esse subditos debere, in omnibus, qvæ Deo ejusque decretis non adversantur, &c.

38. Profitemur præterea ad credimus, commu-

nem, quæ hucusque a nobis est usurpata, confessionem conducere nobis ad salutem, dum nos coram Deo ejusque filio ut peccatores sistimus, veniam delictorum apprecantes; Quod vero auricularem confessionem attinet, eam ut hominum inventum rejicimus.

39. Authores interea sumus, ut quicunque accedere ad cœnam domini constituit se ipsum prius probet, atque inde, re cum pastore ecclesiæ communicata, secundum præceptum Domini ea cum ceteris frui digne possit.

40. Credimus item ac docemus, nos in Christo Jesu unico nostro sacerdote esse omnes sacerdotes, hoc est, tales, qui se debeant offerre Deo gratam ac viventem victimam &c.

41. Credimus item ac statuimus, monachos omnes otiosos, ac quicunque ii sint, qui sani ac validi iis fruuntur eleemosynis, quæ ad orphanos & ægros pertinent, ejusmodi esse dignos, qui iis priventur ejiciantur que.

42. Credimus quoque atque existimamus, ut omnis vitetur superstitio, præstare in ecclesiis nullas omnino esse imagines, idque propter simplices, qui iis facile abripi in devium sensum possunt.

43. Credimus denique ac statuimus, ecclesiæ caput ac protectorem esse solum Jesum Christum, qui & salus & mediator noster est apud Deum omnipotentem, neque præter eum aliam aliquam creaturam, sive in cælo sive terra. Et ab hoc capite in omnia membra, id est in omnes vere Christianos vitam, salutem ac sanitatem promanere.

Antistitum pontif. thesis Lutheranis affictæ.

Antistites ex adverso alia quædam producebant, quæ a Lutheranis dogmata asserebant, idcirco ut loco subsisterent efflagitabant, præsertim cum regia majestas promisisset, se sartam tectam ecclesiæ Romanæ doctrinam, dogmata, ac ceremonias servaturam, ner permissuram, ut Lutheri doctrina aliæque hæreses reciperentur, & ausum nihilominus *Johannem* Fausenium arguere Romanam ecclesiam in hisce, quæ sequuntur, capitibus:

1. Sanctam nimirum ecclesiam errasse jam annis circiter post natum Christum mille tricentis aut quadringentis.
2. Ecclesiæ veteres ceremonias, consvetudines, statuta, itemque jejunia vestitus, dignitates, prælaturas & ejusmodi mutari & antiquari debere.
3. Omnem in sola fide consistere justitiam.
4. Deum opera nulla respicere, nec illa ad salutem conducere, quam etiam illa maxima videantur, & fiant vel Dei vel hominum mandato.
5. Hominem liberum arbitrium non habere, & ea quæ in mundo fiunt, ita fieri ut aliter haud fieri possint.
6. Et ideo non esse in nostra potestate aliquid vel facere vel non facere.
7. Esse impium invocare sanctos, nec minus impium venerari sanctorum ossa seu reliquias.
8. Post mortem non esse animarum redemptionem aut solatia, nec remissionem post obitum ullam restare.

9. Esse tantum duo sacram. baptismum & cœnam domini, cetera esse hominum adinventa.
10. Negare laicis calicem pugnare cum Christi doctrina.
11. Et ideo antistites ac sacerdotes, ut fures ac nebulones, privasse laicos altera parte hujus sacramenti.
12. Omnes Christianos utriusque sexus esse sacerdotes.
13. Nullum esse externum sacerdotium.
14. Et ideo omnibus, qui in Christo sunt baptizati, fas esse consecrare Christi corpus, & exsequi singula, quæ ad Christi ministros spectant.
15. Omnes Romanos antistites post tempora apostolorum fuisse anti-Christos.
16. Et ideo episcopos ac sacerdotes omnes, qui ab illis sunt initiati, non esse veros sacerdotes aut episcopos, sed esse papistas
17. Omnes sacerdotes debere esse conjugatos, & cum defunctæ eorum conjuges sunt, licitum ipsis, si placeat, aliam superinducere.
18. Et ideo sacerdotum castitatem esse satanæ inventum.
19. Missam non esse sacrificium, nec habere novum testamentum peculiare aliquod sacrificium.
20. Et ideo qui hodie missam celebrant ad morem Romanæ ecclesiæ, abominabile facinus committere, dum indies ac de novo Christum crucifigunt.
21. Missam nulli prodesse, esseque vanum commentum.
22. Et ideo missas omnes, vigilias, preces, eleemosynas, & jejunia, quæ pro defunctis fiunt, meras esse elusiones ac fraudes.
23. Et ideo reditus decimasque & alia ejusmodi, quæ olim monasteriis atque ecclesiis sunt donata, injuste esse principibus ablata, ad alendam monasterium avaritiam.
24. Nulla vota obligare conscientias, esseq; idcirco vitam monasticam nihil aliud, quam merum fucum & dolum, quæ nec convenit cum Christi doctrina nec cum bona conscientia.
25. Et ideo cœnobia ac monasteria omnia destrui ac tota infringi debere.
26. Sibique potestatem sumsisse *Johannem* Thausonium initiandi pastores, qui hodie apud ipsos sunt, &c.
27. Et maxime Viburgi damnatos atque excommunicatos eos omnes, qui vetera sacra sequuntur.

Quæ omnia capita cum essent antiquitus (ita porro antistites) tam a Romana ecclesiæ quam principum ac Cæsarum decretis, tum ab ipsa ejus majestate damnata, utpote quæ suo recessu promisisset, Romanæ ecclesiæ sacra se tutaturam; orabant, ut respiceret ejus majestas promptum ipsorum obsequium ac fidem, qua perpetuo ejus majestati se obstrictos fatebantur, & id ageret, ut *Johannes Thausenius*, & qui cum eo facerent, ejusmodi capita deinceps, si possent, probarent, se etiam sua, si opus esset, illaturos; & petere denique, ut quod justum & æqvum esset, in ipsos statueretur.

resp. Thausenius ejusque socii. Quapropter *Thausenius* & qui cum eo aderant, verbi divini administri, petita ab ejus majestate venia, responderunt in modum, ut sequitur:

1. Vera Dei ecclesia, quæ Christo lapide vere angulari est fundata, sana fide docta, atque illustrata, ac spiritu sancto donata, qui eam regit, ac omnibus in semitis suis dirigit, errare nequit, ut ipse Christus loquitur Mtth. 6. At ecclesiæ, cujusmodi est vestra, quæ tota in externis inque carnali sanctitate consistit, perpetuo errant Esa. 28, 58. Jerem 2. & Corinth. 2.
2. Ritus, ceremonias veteraque statuta ac consuetudines, quas ex Dei verbo ecclesia assumsit, eas nequaquam contemnimus aut rejicimus, uti nec jejunia, quæ secundum Dei præcepta sunt instituta ac cetera ejusmodi.
3. Coram Deo justificamur sola fide, Joh. 3. Rom. 3, & 4, quæ tamen Dei interna, aut justitia operatur in nobis fructum, quæ est externa atque incorrupta justitia, quæ in operibus vere Christianis consistit; De qua Christus verba fecit Mtth. 24 & tradunt apostoli Rom. 4. & Jac. 2. ita ut vera fides esse nuda haud queat, sed operibus se bonis exserit atqve continuo ostendit.
4. Salus ac fides nostra merum est donum Dei Rom. 4. Eph. 2. adeo ut mereri salutem nullis operibus nostris queamus Gal. 2. quum ea opera non aspernetur Deus, quæ ex vera fide perficiuntur, cujusmodi operum exempla reperiuntur in Abele Gen. 4. Abraham. Gen. 22. ac centurione ethnico Act. 10.
5. Quid in nostro arbitrio libertatis sit, experientia quotidiana satis evincit, quo circa ex sacra scriptura edocemur, quod natura cæci simus, nec Deum vere cujusmodi sit agnoscamus, Joh. 9. Quomodo igitur eum Deum recte colere queamus, quem natura non agnoscimus? Ideoque Paulus ait: Deum in nobis quod bonum est non solum perficere, sed etiam in nobis voluntatem, quæ ad bonum fert, creare; unde & Christus ait, neminem ad se venire, nisi a patre trahatur, &c.
6. Dominus Deus nos in prima creatione ita condidit, ut agere aliquid possimus, edere, bibere, stare, ambulare, & alias ejusmodi exsequi actiones naturales, at ubi nobis solis fidimus ac stamus, statim ea ipsa Deo minus placeant, quia arbor mala ferre bonos fructus nequit Mtth. 7. opus itaque ut ex nobis novam creaturam Deus constituat, quæ non se ipsa, sed Deo nitatur, Philip. 4.
7. Odiosa hæc verba sunt, ut id docuimus & docemus etiamnum, nulla nos sacra scriptura doceri, ut sanctos, qui defuncti sunt, invocemus; nec dehonestamus eosdem, si auro & vestimentis, quibus hodie in ecclesia circumdatos eos videmus, viventes, ac nudos sanctos vestiamus, &c.
8. Id fatemur, cum nullibi s. scriptura purgatorii mentionem faciat, nihil id aliud esse, quam monachorum somnium ac inventum sacerdotum, præsertim cum dicat Christus, Joh. 15. se ea omnia quæ a patre acceperit, discipulis suis aperuisse, & ille purgatorii nusquam meminit, &c.
9. Si in genere aut contentione accipere vocabulum sacram. licet, possent omnia Dei opera appellari sacramenta; alias stricta accepta

duo

duo tantum sunt novi fœderis sacramenta a Christo instituta, cœna & baptismus, ut externa duo signa, quibus recordari ipsius ac meminisse nos juxta sacrum ejus verbum mandavit &c.

10. Nihil certius, quam dominum Jesum Christum discipulis suis, utrumque id est, & panem, & calicem exhibuisse, cum diceret bibite ex eo omnes Marc. 14. &c.

11. Laicis altera sacramenti pars est denegata sine ulla ratione, idq; iterum iterumq; fatemur.

12. Cum sacra scriptura denuo itemque dicimus 1 Petr. 2. Apoc. 1. & 5. & cum ipso Christo, qui se factum ait, quod nos eramus, ut ipsi redderemur, quod ipse erat.

13. Verum est ſs. scripturam non agnoscere aliud sacerdotium, quam quod omnium est Christianorum hominum, at aliud sunt sacerdotia, quibus hodie ministratur ecclesia.

14. Hic vult Paulus 1. Corinth. 4. ut omnia ordine atque apte fiant, &c.

15. Quod attinet ad pontifices atque episcopos, id dicimus, nullos vel antistites, vel pontifices habere pro anti-Christis, nisi eos, qui contraria Christo & ejus præcetis docent.

16. Ideoqve antistites, ac sacerdotes, ab ipsis instituti haud verbi Dei antistites aut sacerdotes sunt sed Papæ ac Romani pontificis.

17. Partem priorem hujus capitis non agnoscimus esse nostram, optamus etenim, ut ex Dei gratia matrimonium cuique sit liberum, prout Deus unumquemque continentiæ dono ornavit. Paulus 1 Cor. 7. Christus Matth. 19. At alteram nostram partem esse profitemur, nec enim id scripturæ contrarium est, nec aliquod hic ſ. scriptura discrimen agnoscit.

18. Quicunque ex sacerdotibus continentiæ hoc dono sunt prædi ti, eo cum gratiarum actione, uti par est, qui autem eo abuntuntur, aut dono ejusmodi non sunt prædi ti, & tamen ex hominum decretis eo abripiuntur, eorum castitas satanica est castitas, &c.

19. Verissimum est, qvamvis hoc non omnibus effatum placeat, missam non esse offertorium, sed memoriam tantum ac reminiscentiam ejus sacrificii, quod in cruce Christus semel perfecit, Luc. 22. &c.

20. Agnoscimus hoc caput iterumque dicimus in missa, quæ hodie celebratur in ecclesia Romana ita offerri Christum, quasi ipse jam ante se pro nobis non obtulisset &c.

21. Hæc qvoqve dicimus in cœna domini, qui editur panis & bibitur calix, eum edi panem ac bibi calicem in reminiscentiam 1 Cor. 11.

22. Iterum iterumque agnoscimus ac profitemur, vigilias omnes, preces ac missas pro defunctis esse vanas, nec ullius momenti.

23. Delusos esse Reges ac principes pecuniaque emunctos, quæ in loca, ut vocant, sacra est depensa: denuo asserimus, ac deducemus exinde clarius, ubi opus erit.

24. Hunc quoque articulum rectum esse fatemur, modo accipiatur de iis votis, quæ in sacris scriptis mandata non sunt, cujusmodi vota non sunt monastica.

25. Imo idem de omnibus ejusmodi impiis ac fatuis votis asserere non dubitamus Eccl. 5.

26. Quod ad hoc caput, ita respondet *Thausenus*, se nullos initiasse sacerdotes; id enim solius esse Dei: interim idoneos, ac doctos viros sæpe declarasse, ac coram universa ecclesia cum manuum impositione pronunciasse dignos, qui evangelium deprædicarent, ac Christi sacramenta administrarent.

Ultimumque caput Wiburgenses spectat, a qvibus concedunt, excommunicationem aliquando denunciatam in sacrificulos quosdam pertinaces atque inquietos, qui impia sua missificatione Christi doctrinam dehonestarent &c. donec saniora sectarentur.

De judice controversiæ disputatur.

Post exhibita utrinque hæc scripta hasque excusationes restabat, ut publica haberetur disputatio. Volebant antistites, ut ea latine fieret, & a monachis illis, quos sibi in auxilium peregre evocaverant; At evangelici urgebant, ut Danico idiomate, quemadmodum capita, de quibus jam dictum, concepta fuerant, etiam disputaretur. Hinc de judice quæsitum: Eum evangelici sacram scripturam esse volebant, itemque Regem, &, qui disputationi interesset, populum. At pontificii volebant, nisi Romanum pontificem & generale concilium, judicem agnoscere, existimantes populum de rebus, quæ fidei essent, judicare haud posse, tum & addebant, dignos haud esse Lutheranos, quibus cum disputationem instituerent, cum essent hæretici, atque ita se clerus ea disputatione exsolvit.

tandem pontificii d sputationem instituendam detrectant.

Evangelici interea varias adversus antistites & clerum criminationes intulere, & inter ceteras eos urgebant, quod populum ipsi non docerent, neque satis idoneos viros deputarent ad id officii præstandum, quomodo se facturos regiæ ipsius majestati polliciti fuerunt. Et quidem loco piorum virorum ordinari dicebant indoctos atque impios monachos, qui commenta humana ac nugas publice proponerent, idque per mendicabula quædam ac fratres indulgentiarum, qui hinc inde vagantes, id agerent, ut simplicibus imponeretur.

evangelicî eos arguunt munera sacramale administrari.

Cum igitur clerus ab omni disputatione se immunem habendum vellet, evangelicis demandatum est, ut deinceps verbum Dei, quomodo hucusqve fecissent, depredicarent, donec generale concilium statueret, quid ab omnibus communiter recipi posset. Sicque religionem sibi utramque defendendam suis in regnis Rex interea sumpsit. Omniaque maturo consilio, nec quicquam tanta in re agendum judicavit præcipitantius.

hinc utrisque liberum religionis exercitium permittitur usque ad concilium generale.

Post hæc inter partes libris ac scriptis velitatum, *Paulus Eliæ* Carmelita rogatus ab episcopis explicationem edidit canonis missæ ad Hafnienses. Hunc refutavit exinde alio scripto *Johannes Thausenius*. Edi item antistites apologiam curarunt, qua veluti refutare confessionem ministrorum & ostendere conati sunt, neque locum ipsis satis tutum fuisse, qvi erat disputationi destinatus, arcem scilicet Hafnienſem neque regem neque populum sibi

Pauli Eliæ explicatio canonis missæ refellitur a Jo. Thausen.

ut judicem placuisse, quod uterque parti adversæ, quam sibi æquior esset, & adeo se jure merito ad pontificem Romanum vel concilium provocasse,

in episcopatu Roskild. verbum Dei docetur.

Interea tamen Episcopus Roschildensis *Joachimus Rannovius* regiæ majestati significavit ac tradito scripto permisit, ut sua in diœcesi verbum Dei doceretur: ac inde mutata hinc in hospitalia ad alios usus monasteria; moniales ac monachi claustra deseruerunt, aliaque paulatim facies rebus reddita.

Memoratum jam ante, quem in modum Archiepiscopus *Gustavus* Trollius, Svecia excesserit, & qvomodo item a regno suo Rex *Gustavus* proscripserit episcopum *Magnum* dominum Thuronem Johannis item canonicum Upsaliensem, quod papatum tueri ac retinendum intra regna vellent; qui extorres cum aliqvandiu intra Daniam se contulissent & animadverteret quotidie *Gustavus* machinari eos in dies, quæ in regni sui detrimentum cederent, a Rege *Frederico* obtinuit, ut juxta pactum conventum, qvod fuerat Malmogiæ initum, Dania excederent.

episcopi regno profugi in Megapolim, hinc v ad Christianum R. se conferunt.

Ubi vero regno jam essent egressi, aliquandiu apud Ducem Megapolensem *Albertum*, aut ejus in ditionibus commorati sunt: At mox Regi se *Christiano* junxere, sperantes per eum, aut ea, quæ a Cæsare ille expectabat, auxilia redituros se ad veterem statum & dignitates &c.

literis concitare seditiones frustra tentant.

Inter ceteros *Thuro* Jenson haud semel gloriari auditus est, duorum aut trium militum millium subsidio atque ope totum a se posse subjugari regnum, si audientes haberet; Seorsim Archiepiscopus *Trollius*, itemque *Magnus*, ut & *Thuro* literas singuli ad senatorum aliquot regni Daniæ dedere, eorum tentantes animum atque explorantes, num aliquis intra regnum animorum armatorumque concitari motus possit, per quem & illi & Rex *Christianus* reverti in regnum possent. Hi codicilli præ manibus etiamnum sunt, sed prolixiores, qvam inseri hic commode qveant, maxime urgebant ac magnum ad incitationes momentum fore haud dubitabant, ipsum Regem *Fredericum*, qvod ejus imperium fastidirent non tantum antistites omnes, sed subditi qvoqve, qui vetera adhuc sacra servabant.

Gust. Trolle Norvagos adit eosque ad recipiendum Christianum sollicitat.

Verum *Gustavus* Trollius ceterique Sveciæ, quos jam dixi, antistites canonicique extorres cum apud regni senatum intra Daniam nihil efficere se posse, & literas, quæ erant ad senatorum nonnullos missitatæ, contemptas Regique exhibitas intelligerent, alio velum vertere. Estque ipsemet archiepiscopus *Gustavus* Trollius in Norvegiam profectus, ut ageret cum archiepiscopo *Olao* Nidrosiensi antistite, *Magno* Hammerensi, *Olao* Bergensi, *Johanne Revio* Obslvensi, eosque moneret partes sectari Regis *Christierni*. Is in Norvegiam ubi venisset, episcoporum præcipuos adiit, eosque prensans, maximis eos mendaciis opplevit, subsecutura nimirum Cæsaris auxilia, quibus in regna sua restitueretur Rex *Christiernus*; esse jam alium eundem omnino *Christiernum*, deposuisse eum ex animo sævitiam omnem, & esse totum clero Papæque deditum doctrinæ.

quosdam etiam pellicit.

Hinc missitatæ ad alios antistites literæ, qvi exinde a Trollio inescati suos quoque ad Regem *Christiernum*, codicillos dedere, ei obsequium & fidem pollicentes. Trollius, quas ad Hammerensem episcopum literas scripsit, prolixissimæ fuere ac datæ 23. Augusti anni, qui fuit millesimus supra quingentesimum trigesimus primus, Nidrosiæ Norvagarum. Verum Rex *Christiernus* quicquid ab episcopis ac cæteris, qui ejus partes apud Norvagos sequebantur, subsidii corradere potuit, naves sive pecuniæ & calices fuerint aurei argenteive ex delubris & aris templorum hinc inde desumpti, clam convasatum est, ac mox a *Georgio Hansenio* præfecto olim arcis Berganæ, cujus & antea memini, in Hollandiam transmissum ac traditum in manus *Christierni* Regis. Hic *Georgius* Campis tum quæ urbs est Transalaniæ agebat, vir, ut eum Vitfeldus celebrat, singulari prudentia ac promptitudine, & ob id Regi præcipue *Christierno* clarus: Eum post modo Rex *Fredericus* ob publicum ditionum depeculatorem ac sacrilegum, qui aras & monasteria despoliasset, accusari fecit; sed ille missis ad Regem *Fredericum* patentibus Regis *Christierni* codicillis, id ejus jussu ac mandato a se factum demonstravit.

A. 1531.

Subsidia inde ad Christian. subducta per G. Hansenium.

Christiani R. de invadenda Norvegia consilium.

Christiernus igitur, cui jam octennii exilium tædium esse cœperat, de invadenda Norvegia, deque conficienda ulterius pecunia sollicitus a Cæsare affine suo qui tum Augustæ Vindelicorum erat, aliquantam summam accepit, sed quæ salarii magis annui, quam subsidii vice esset. Reliqua & præsertim classem instruere illi cives Amsterodamenses, Campenses, & Enchusani, connivente potius, quam rem aut studium eorum juvante Cæsare. Commodum eodem tempore exauctoratus utrinque miles erat, qui Gelriæ duce *Carolo* ac Friesiæ dynastis Essenibus meruerat; Hos sibi *Christiernus* junxit præter eos, qui aliunde advenere; putaturque peditum in universum fuisse numerus decem millium, præter classiarios & naves, quæ circiter quadraginta fuere, cum iis, quæ commeatum, munitionem aliaque advehebant; Hinc Campis, ubi se aliquamdiu, dum classis ac miles advenit, apud clientem suum Georgium Hansenium arcis olim Bergensis præsidem detinuerat, decedens Medenblicum venit; Atque inde cum classe universa sub finem Octobris solvens, ubi oceanum boream lem esset ingressus, classis ejus vento adverso dispersa est; navium aliquot amissæ, ipse cum reliquis navium sub 5. Novembris portum Norvegiæ attigit, qui Hesnes dicitur, unde mox datis vento velis fretum Opsloense petiit, intravitque, nec tamen universa ejus classis pertingere eo potuit, ob hiemis, quæ tum fuit, vehementiam. Pars etenim Tonsbergam, alii alio advenere.

Medenblico solvens tempestate adversa agitur.

Norvegiam attingit hiemis tempore.

Opsloam ubi venisset, continuo evulgari codicillos fecit, quibus significabat, se ad Norva-

Opsloæ codicillis evulgatis

gos

tit sibi obedientiam depoſcit.

gos, ea mente, acceſſiſſe, ut regna ac ditiones ſuas, poſtliminio recipiat. Se cunctis quicunqve libenter volentesque ipſum acceptarent, clementer ignoſcere, & quæ peccaſſent benigne condonare, confirmare inſuper eorundem privilegia atque immunitates: iisdem in codicillis Norvagos excuſat, quod plerique eorum a Danis ſeducti ſe *Friderico* duci junxiſſent, ideoque clero ac nobilitati univerſæ permittere ſe indicat, ut Opsloæ ſe ſiſtant, ſub diem S. Andreæ ad ipſum ſolenniter inaugurandum, niſi vita ac bonis mulctari velint, agreſtium populus ex ſua quisque diœceſi quatuor cum plena agendi poteſtate, ad ipſum mitteret, & idem urbium ſenatus ac conſules pro ſua qvisqve ratione & modo facerent.

Similiter idem *Chriſtiernus* archiepiſcopo *Guſtavo* Trollio, qui, ut memoravi, ad *Olaum* epiſcopum Norvegiæ Nidroſiam confugerat, in eandem fere ſententiam ſcribit, & id quoque ad *Olaum* Nidroſienſem epiſcopum ſcripſiſſe ſignificat, ſe nimirum cum claſſe ac milite Opsloam adveniſſe, ac eos monere, ut cum delectis aliquot popularium ac civium, & ſi qui eſſent ex nobilitate Opsloam accederent, hoſtes vero ipſius, quos apprehendere poſſent, ad ipſum adducerent, & in his præcipue doctorem *Vincentium Lunge*, itemque *Nicolaum Luckium*. Quicunque autem, ſive hi, ſive alii ſe offerent, qui gratiam ipſius peterent, eis ſe libenter condonaturum.

Olaus archiep. Nidroſ. ad ejus partes concedit, quem ſecuti alii.

Horum primus fuit archiepiſcopus Nidroſienſis *Olaus*, qui relicto *Frederico* partes Chriſtierni ſecutus eſt, ejusque exemplum excepere mox epiſcoporum ceteri, *Johannes Revius* Opsloenſis, *Magnus* Hammerenſis una cum nobilitate univerſa. Interea *Magnus Guldenſternius*, eques Danus Aggerhuſiam, *Eſchillus Bilde* Bergenhuſiam, Bahuſiam vero *Nicolaus Bilde*, præcipua Norvegiæ munimenta, atque arces pro Rege *Frederico* defendebant, ſacramenti ſui, quod ipſi dixerant, memores, ut &

R. Chriſt. de Aggerhuſia cum præf. Guldenſtern tractat.

Olaus Bergenſium antiſtes. *Guldenſternius* autem, poſtquam eum *Chriſtiernus* clementiſſime blandiſſimeque ad arcis ditionem invitaſſet, tandem in hunc modum reſpondit. *Licet agnoſcat Chriſtiernum Regem natum ac coronatum eſſe trium orbis Arctoi regnorum dominum, nec ſe, hyberno frigore portubus glacie concretis, prohibere ipſum, quo minus arce potiatur poſſe, tamen ſui ac familiæ ſuæ honoris cauſa, petere aut prius ad Fredericum ſcribere liceat, a quo niſi ante Cal. Martii auxilia (quæ mitti non poſſe hoc anni tempore prævideat), adveniant, ſe ſtatim arcem illi patefacturum.* Qua declaratione *Chriſtiernus* quievit, ac *Magnum* aliquoties ad ſe in domum epiſcopi invitari fecit, deque tanti viri amicitia ac benevolentia ſibi eſt gratulatus.

Olausburgum inſ. Wigæ occupat.

Interea non ceſſavit ſuæ poteſtatis facere Olausburgum Wigæ, quam Sueci tenebant, validam arcem, perſecutusque eſt ad usque Nidroſiam eosdem Svecos, ac oppidum id cepiſſet, niſi metuiſſet, qvas occultari ab ipſis circa oppidum exiſtimabat, inſidias. Guldenſternius continuo exinde ad Regem *Fredericum*,

Aggerhuſiam mittuntur auxilia;

cum literis miniſtrum ſuum mittit. His periculum, in quo verſetur, exponit, & commeatum ac munitionem nondum ſibi deeſſe oſtendit, ſed viros aliquot fortes & militem expeditum, ad præſidium arcis firmandum, ſine mora transportari efflagitat; Miniſter ille Helſenburgi traditis *Johanni* Ranzovio, equiti Holſato arcis præfecto eo tempore literis, opera præfecti militem ſubitaneum ex vicinia conductum, celoci ſecum impoſitum in Norvegiam avehit, ubi navem ad litus appulſam nocturnum frigus conſtringit. Nihilominus tamen eductus in continentem miles, per occultos ſilvarum tramites, miniſtro notos, in arcem incolumis pervenit. Hoc præſidio auctus *Magnus* ex tota vicinia comportato in arcem ampliore comitatu ac monaſterio arci vicino deſtructo, ad defenſionem omnia comparat; *Chriſtiernus* cum ſe artibus ſuis deluſum cerneret, obſidere arcem ne quid amplius inferretur, cœpit.

unde ſpe ſua excidens R. Chriſtiernus eam obſidet.

Senatus regni Norvegici, quem evocaverat ad ſe Chriſtiernus, ut ſe Opsloæ ſiſteret, ad diem S. Andreæ, cum ibidem inauguravit poſtqvam prolixam ad eos orationem præmiſiſſet Cancellarius *Paulus Kempe*. Erat inſertum inaugurationis hujus codicillis, teneri eos, ſi decedere fortaſſe *Chriſtiernum* contingeret, in locum ejus ſurrogare ipſius filium *Johannem*. Quo etiam tempore iidem Norvegi Regi *Friderico* fidem atque obſequium renunciarunt. Ac ipſe continuo cum miles ſtipendium flagitaret tributum imperari Norvegis flagitavit. Quod ut obtineretur vel modicum, non deſierunt fatagere, qvantum in ipſis erat, antiſtites, qui ei præcipue ſtudebant.

ſenatus Norvag. eum inaugurat.

Frederici Rex, qui hanc ſibi a *Chriſtierno* imminere tempeſtatem non ignorabat, jam ante Sveciæ Regem *Guſtavum*, ac ceteros ſuos fœderatos, atque in his Vandaliæ civitates commonere non deſierat, ut tempori auxilia ſua parata in omnem eventum haberent; Quod & factum præſtitumque eſt a ſingulis promptiſſime nominatimque Lubecenſes, Roſtochienſes, Stralſundenſesque officio haud defuere. Princeps quoque Philippus Vilhelmus Landgravius peditum aliquot millia ei ſufficere haud omiſit; Sed maxime cum res mari agenda eſſet, claſſis deſiderabatur, quam urbes, quas dixi, Vandalicæ, tum & Daniæ emporia, Hafnienſes, Malmogienſes, Landſcronienſes præter Jutiæ civitates quam citiſſime expedivere.

Freder. R. ſuppetiis per ſocios ſibi lætis illi occurrit.

Interea exules Sveci, qui ad *Chriſtiernum* confugerant, *Guſtavus Troll* archiepiſcopus Upſalienſis, *Magnus* Scarenſis, *Turo Johannis* Nidroſenſis Dalecarlos hortantur, ut relicto *Guſtavo* Chriſtiernum Regem recipiant, qui jam natura & moribus plane immutatus ab omni crudelitate alieniſſimus ſumma benignitate & clementia eos complexurus ſit; Plurimos item & Reges & principes *Carolum* V Imperat. *Franciſcum* Galliæ, Henricum Angliæ Reges, quos jam infenſiſſimos regno futuros, eſſe, denique quod caput eſſet, in ſummi Pontificis gratiam & eccleſiæ catholicæ communionem reſecturos eſſe; Quæ literæ parum fidei &

exules Sueci ap. Chriſt. commorantes Dalecarlos ſollicitant, ſed exiguo cum ſucceſſ

ritatis apud plerosque habuerunt, a multis palam deriſæ & ludibrio habitæ ſunt.

A. 1532. Aggerhuſiæ ſuccurritur.

Hinc ſub Martium menſem, qui fuit anni in ſequentis milleſimi ſupra quingenteſimum trigeſimi ſecundi Danicæ aliquot & Lubecanæ naves bellicæ Norvegiam verſus in ſinum Asloenſem navigarunt, ut arcem Aggerhuſianam illato commeatu pulvereque pyrio ac milite firmarent; Qua in explicatione Friderici primi Lubecenſes virtute ac induſtria quinque Hollandicas naves poſt ſcopulum ſtationem hibernam habentes ceperunt; Eædemque naves aperto deinde per glaciem aditu arcem propius acceſſerunt, & immiſſo commeatu ac præſidio ampliore Hafniam 14. Apr. redierunt, ubi tum comitia habita, in quibus de bello adverſus Chriſtianum gerendo eſt deliberatum.

quinque naves Belg. captæ.

Hafniæ comitia hab. de bello adv. Chriſt.

Advenitque interea vis ac numerus Danicæ claſſis, præterea ſubſidia, quæ mari quoque miſſa a Lubecenſibus, Roſtochienſibus, Sundenſibus ac Duce Boniſſiæ. Erantque eæ naves bellicæ omnes magno numero. Univerſæ claſſi ac claſſiariis ſupremus a Rege *Frederico* præfectus eſt deſignatus *Canutus Guldenſternius*, electus Othonienſis magni præfecti arcis Aggerhuſianæ frater. Priusquam claſſis ſolveret, miſſus ad Regem *Guſtavum Nicolaus Bilde*, rogans, ut auxilia quoque ſua in tempore ſufficeret; Qui Chriſtiernum terra laceſſens, hinc equite, illinc pedite eum, qua poteret, diſtinebat.

claſſis numeroſa ad R. Frid. concurrit.

ejus præfectus Canutus Guldenſtern.

Chriſtiernus etiam a R. Guſtavo laceſſitus.

De Wigatum quoque eum in modum eſt actitatum, ut ea certis legibus Norvegiæ reſtitueretur. Inde Majo ineunte claſſe Hafnia ſolvens nonis ejusdem menſis in ſinum Asloenſem pervenit, & arcem Aggerhuſianam a Chriſtierni copiis eminus obſeſſam, immiſſa denuo annona & milite ſublevavit. Exuſta continuo quæ ad mare erant poſita piſcatorum tuguria, ut & naves, quæ citra Opsloam ſtationem habebant, in ſavillas verſæ; Ipſe Chriſtianus cum copiis ſuis univerſis intra oppidum ſe recepit, ac mox ad exercitus univerſi ducem ceterosque, qui eminebant, centuriones literas miſit, quibus ſignificabat, perpetuo pacem quæque pacis eſſent, ſectatum ac ſpectaſſe, nec eam etiamnum obtinere potuiſſe: Quo tamen evitaretur eo tempore humani ſanguinis effuſio; cujusmodi actiones Chriſtianos haud decent, ſe iterum denuoque offerre ait, ut res datis utrinque obſidibus amicæ compoſitioni permittatur. Nec mora electi ac deſignati utrinque, qui de pace aut induciis agerent, & in his præſertim nominati ipſe *Magnus Guldenſternius*, *Nicolaus Luchius* aliique; ſimiliter a parte Chriſtierni adfuere præter ceteros, *Johannes Revius* epiſcopus Opsloenſis, ut & cancellarius *Paulus Kempe*. Ad actionem ubi ventum reſtitui in regna ſua *Chriſtiernus* flagitavit, at reſponſum a legatis, non in id a regia majeſtate ſe miſſos, ut ejus regna aut aliquam eorum partem alii donarent, ſed ut ea potius ſarta tecta ſervarent; aliud itaque proponeret, ſi quid effectum vellet, unde digreſſi non nihil Chriſtiani Regis delegati, poſtquam rediiſſent, hoc unice ejus vice ſibi concedi poſtulabant, ut

Claſſe advertente Chriſtianus amica offert.

tractatus cum illo

ipſi, quam modo teneret, concederetur Norvegia; Quæ ſi ei permitteretur, velle ipſum ceteris ſuis regnis ac ditionibus in perpetuum renunciare. niſi forte ſponte ſua ac volentes eum poſt obitum patrui ad Daniæ regnum vocare proceres animum inducerent; Sed hæc quoque ut prius reſponſum fuit adveniſſe ſe, ut regiæ ejus majeſtatis regna ab hoſte ac vi aliena liberarent, non ut ea aliis cederent.

Cum jam undique ſe velut cinctum Chriſtiernus eſſe, non effugio locum patere videret varie cum delegatis regiis agere de pace deque Chriſtiana pietate, & quid illa poſtularet ſermonem inſtituit, traxitque ambagibus tempus in ultimum Junii menſis. Ac ea dum agit, inter cetera ſubornavit, qui literas in caſtra Regis perferret, datas quaſi ad Regem Chriſtiernum, quibus ſignificabatur adveniſſe e Scotia in ſuperiorem Norvagiam Scotorum circiter peditum tria millia & expectari a Domo Burgundica ante feſtum pentecoſtes novam ex Hollandia claſſem, quam procuraſſet apud Belgii præſidem, Berganæ olim arcis præfectus *Georgius* Hanſenius, dictus Steen, qvem Campis fixiſſe domicilium jam ante memini. Hæ literæ Hamburgi ſcriptæ memorabantur, admiſſæ ad Regem *Chriſtiernum* ab ejus cliente Severino Sandero; ficta ea & ad terrorem aliquem Danis incutiendum compoſita fuiſſe mox patuit.

literæ ad Chriſtiernum de ementitis ſubſidiis adventuris in Danorum caſtra perferuntur.

Interea dum tempus eum in modum ducitur, commeatus inopia laborare exercitus utrinque cœpere. Friderici etiam duces majora equitum peditumque auxilia deſiderabant, & miſſi, qui ea flagitarent, Petrus Schram & Willeſtedius, qui & Regi retulere, quid poſtularet, quid hucusque propoſuiſſet Chriſtiernus. At Rex iis continuo eosdem remittit, ſerio mandans inhibensque, ne ullam cum hoſte amicitiam inirent; ſed ſummis viribus ac armis *Chriſtiernum*, vel ad captivitatem vel ad internecionem adigerent. Sed dum illi abſunt, *Canutus* Guldenſternius actionem de pace cum *Chriſtierno* in hanc ſententiam conſtituit, ut promiſſo Friderici Regis nomine ſalvo conductu, *Chriſtiernus* ad *Fredericum* patruum in Daniam navigaret, & coram de conditionibus pacis cum eo tranſigeret, quod ſi displicerent, liberum ei eſſet, quo vellet, ex regno decedere. Qui tamen ſalvus conductus ea lege ei præſtaretur, ſi nihil interea ageret, quod vel in regiæ ejus majeſtatis vel regnorum ejus detrimentum cederet; Quæ pacta cum legati Schrammius & Vilckeſtedius ex Dania reverſi ſimul obſignare a Canuto juberentur, non modo recuſarunt, verum etiam cum mandatis, quæ a Rege *Frederico* haberent, pugnare amicam hanc actionem coram Canuto teſtati ſunt. Canutus nihilominus receptum in navem ſuam Chriſtiernum Hafniam ducit, fretus primis mandatis, quæ a Rege *Frederico*, cum in Norvegiam adverſus *Chriſtiernum* mitteretur, acceperat. Ea etenim plenam ei poteſtatem concedere videbantur agendi, quod maxime e re exiſtimaret. Eadem hac captivitatis die, ut ſolet unum infortunium aliud excipere, nimirum pertriſte acce-

Tempus propoſitionibus variis ducitur, commeatus copia aliaque jam deficiunt.

Fridericus pacem cum Chriſt. renuit; interim Guldenſtern. cum eo tranſigit. rege inſcio & invito.

Hafniamque ex pacto eum deducit.

Chriſtierno affertur de obitu filii

Johannis nuncius.

accepit de obitu unici filii illustrissimi principis Johannis, qui in aula Cæsaris vitam paulo ante cum morte commutaret, filius ut unicus, ita spes unica, ad quam se conferre regna ejus possent. Antequam ad Fredericum Hafniam veniret Christiernus, præmisit codicillos ad Regem *Fredericum* quibus eum inter cetera svavissime submisseque est affatus, ut patruum sibi dilectissimum, & de quo nihil nisi benigna omnia, & quæ pectus Christianum decerent, sibi polliceretur, & quem exsecuturum cuncta secundum salvum conductum, quem ipsi delegati ejus dedissent haud dubitaret &c. Verum Rex *Fredericus*, acceptis, quæ acta essent, & advenisse una cum Canuto Guldensternio Hafniam Regem *Christiernum*, ægerrime hoc ipsum tulit, quod existimaret nulla necessitate ejusmodi contractum factum, cum præsertim copiæ atque auxilia Regis Svecorum *Gustavi* jam adventarent, & sua quoque supplementa haud deessent, tum in arctum res *Christierni* eum in modum actas, ut dedere ipse se ac miles ejus diffluere cogeretur. Varie itaque de *Christierno* ejusque causa consultatum: Alii non tenere Regem *Fredericum* existimabant, præstare eum salvum conductum, quem non ipse, sed delegati ejus obsignassent, cum etiam idem pugnaret cum mandatis ultimis, qvæ *Sckrammio* & *Wilckestedio* tradidisset; Ipse vero Guldensternius id præcipue adducebat, quod salvus conductus, qui ei erat concessus, certa lege restringeretur, si nimirum nihil interea adversus regiam ejus majestatem aut regna moliretur; at molitum esse & varie infractum a *Christierno* salvum illum conductum ostentebat: & maxime, quod codicillos inaugurales, quos a Norvagis accepisset, quibus pollicentur Norvegi, se eum Regem acceptare, & ejus post obitum accepturos filium ejus *Joannem* continuo post obsignatum salvum conductum, ad Cæsarem transmisisset; Cum igitur maximo in periculo versari regnum nobilitas cunctique viderent, si suæ potestati permitteretur *Christiernus*, missæ undique ad *Fredericum* Regem literæ, tam a nobilitate Svecia, quam Danica, quibus & suas junxere Holsati urbesque Vandalicæ, petentes serioque obtestantes, ut arresto teneretur *Christiernus*.

Christianus R. causa ipsi intentata &

efflagitatione nobilit. Svec. & Dan. itemque Holsatorum & civitatum Vandal. captivus detinetur.

Decretum idcirco, dum quia salvum conductum non servasset *Christiernus*, tum etiam, quia in eum publica detentio seu arrestum esset factum, & regii præterea legati & in his *Guldensternius* speciale Regis mandatum secuti non fuissent, & ultimo ut perpetuo metu regnum liberaretur, si liber dimitteretur, statutum est, ut intra Sunderburgum detineretur; coactusque est polliceri nobilitati, Holsatis atque urbibus Rex *Fredericus* se eum haud dimissurum, priusquam se juri judicioque ipsorum stitisset, sicque arcta custodia intra eam arcem conclusus, ubi annis aliquot, atque inde Callenburgum translatus paucis post annis intra eam custodiam exspiravit.

hinc Sunderburgum delatus,

dein Callenburgam, ubi exspirat.

Inde rejecta in Hollandos culpa, quasi ii *Christiernum* classe juvissent inque Norvegiam cum copiis ac milite transportari curassent, serioque institere Vandalicæ præsertim urbes, ut ipsis regiæ ejus majestas navigationem per Oresundæ fretum perque Balthicum mare negaret: sed res totumque negotium, postquam propius esset inspectum, intellexere Dani, privatorum ei non Cæsaris aut urbium nomine naves subministratas, easque ære ipsius conductas. Quapropter continuo inter Hollandos & Regem contractus initus præsentibus Cæsareæ majestatis oratore ac supplicium libellorum magistro *Gerbardo Mullart* & *Justo Amesenio* supremi senatus apud Brabantos assessore itemque *Heimanno* consule & *Cornelio Bennius* senatore & thesaurario urbis Amsterodamensium; Hoc contractu in annos 24. renovata inter Danos & Hollandos vetera fœdera, navigatioque per Oresundæ fretum perque Balthicum mare, cujusmodi antiquitus semperque fuisset, liberaliter benigneque permissa. Quinque etiam illæ Hollandiæ naves, quas a Lubecensibus apud Norvagos captas inque Daniam deductas memoravi, cum esse mercatorias neque ad bellum fuisse instructas, demonstratum esset, possessoribus una cum mercimoniis in totum restitutæ. Præcipue, qui suis ac propriis sumptibus *Christiernum* juvisse, ejusque classem instruxisse memorantur, hi fuere *Georgius* Hanssen arcis Bergamæ apud Norvagos olim præfectus, qui ut ante memoratum, Campis hoc tempore agebat; *Wilhelmus* Schultis Enchusanus; *Wilhelmus Frey* Campensis, *Joachimus Bur* Amsterodamensis, *Petrus Haar* natus in Dania, *Ulfredus Wicke* Staurensis, *Theodorus Munck*, *Vilhelmus* Hornensis, *Junius Rath* ejusque frater Alcmariæ degens, aliique præter 7 filios, quorum nomina non reperi.

culpa in Hollandos rejecta;

sed cum ea fuerint privatorum naves aere conductæ a Christiano

pax cum illis firmatur.

naves, quæ mercatoriæ, remissæ.

Lubecenses cum viderent rem inter Hollandos & Regem compositione decisam terminatamque, ipsi classe instructa excludere Oresundæ freto Hollandos aggressi præfecto classis constituto *Marc Mejero*; sed Rege Frederico indignante ac factum eorum prorsus improbante tum & classis admiralio *Mejero* adversa tempestate in Angliam rejecto res successum non habuit. Fulgere hoc tempore cometæ fax cœperat, quam excepit haud multo post obitus Regis optimi, ut jam dicetur.

Lubecenses tamen Hollandos freto Oresundæ excludere audent rege indignante; sed tempestate in Angliam alii recessere.

Cometa A. 1533.

Initio enim anni, qui est insecutus, millesimi supra quingentesimum trigesimi tertii, Aprilis die tertio e vivis excessit Gottorpii Rex *Fredericus* postquam borealibus regnis annos decem summa cum laude præfuisset, utpote cui præter cetera utriusque status tam ecclesiastici quam politici, quod ex superioribus patere potuit, prima debentur exordia laudatissime constituti, & qvo floret hodieque Dania. Mortalitatem complevit, postquam annos vitæ exegisset duos & sexaginta, ut qui natus fuerat anno Christi 1471 quod antea posuisse memini, præmonente haud dubie, ejus obitum, quod anno antecedente fulserat, crinito fidere. Scribit de eo *Justinus* Sobblerus in rebus Lubecensium, eum post obitum balsamo conditum & sarcophago picato inclusum adeo effuse sangvinem emisisse, ut multis eum vasculis excipere

R. Fridericus Gottorpii e vita excedit.

opus

opus fuerit. Quod ut idem auguratur *Sobbleros* magnam illam, quæ ſubſecuta eſt bello proximo, cum rebus jam eſſet admotus filius ejus *Chriſtiernus* III, ſangvinis effuſionem ac ſtragem hominum haud vane portenderit.

CHRISTIANUS III.
REX DANIÆ.

Sicuti obitum maximi principis, FRIDERICI Regis, crinitum ſidus præceſſit (ut ſupra memoratum) ita ejus filium, qui ad ſucceſſionem deſtinabatur, *Chriſtianum* III. cæleſte item oſtentum, quod menſe Julio cœlitus apparuit, populo ſignificavit, aut ſalten indicare cruentum illud atque ingens prælium voluit, qvod apud Fionios haud multo poſt eſt depugnatum, de quo exinde dicetur; Defuncto autem *Frederico* continuo regni ſenatus comitia Hafniæ indici curavit, quæ ibi haberentur ſub feſtum divi Johannis, ut ex promiſſo, quod *Frederico* fecerant, Regem ſibi haud alium, quam ex filiis ipſius aſſumerent. Erant autem ſuperſtites ipſi filii quatuor, *Chriſtianus*, *Johannes*, *Adolphus* & *Fredericus*. *Chriſtianus* natu maximus genitus erat ex Maregravii Brandeburgici filia *Anna*: ceteri matrem agnoſcebant duciſſam Pomeraniæ *Sophiam*, Ad hæc comitia inprimis Dux *Chriſtianus*, non ſuo ſolum, ſed fratrum quoque ſuorum nomine, utpote natu omnium maximus, inſignes nobilitate viros ablegavit dominos *Wolphium Poviſck* & *Melchiorem* Rantzovium, petentes, revocare in memoriam vellent, quanta eſſent Regis *Frederici* illuſtriſſimæ memoriæ erga Daniæ regnum ac ipſos beneficia, utpote qui pro ejus incolumitate ipſisque periclitatus eſſet adverſus Regem *Chriſtiernum* & vitam omniaque ſua. Neminem tamen illi ex filiis *Friderici* nomiatim producebant, id ſenatus arbitrio quaſi relinquentes. Interim non tacebant, eum eſſe rerum ſtatum, ut differri haud diu electio poſſet, nec conducere, ut longo tempore regnum aliquod ſine capite agat. Inter prima, quæ ab epiſcopis proponebantur, ea religionem ſpectabant, neceſſarium eſſe, ut vetera ſacra ſarta tecta habeantur, a quibus decedere nonnulli cœpiſſent. Deinde querebantur, quod Rex *Fredericus* vitæ ac necis poteſtatem & cauſas quadraginta mercarum nobilitati non ceſſiſſet, quod eo haud leviter regno & antiſtibus, quorum illa ſola ac propria fuiſſent, derogaretur. Accuſa exinde ab ipſis puncta ſive capita aliquot, quibus aſſerta religio pontificia ac labefactata, quæ jam invaleſcere cœperat, reformata.

F. Friderici liberi.

ad comitia Regni Chriſtianus, ablegat Wolf. Powiſch & Melch. Ranzov.

Epiſcopi urgent conſervationem ſacrorum priſtinorum.

Inde agi de Rege eligendo cœptum & quinam ex liberis *Friderici* Regis, prout ipſi ſcripto promiſerant, in Regem eſſet aſſumendus quærebatur. Epiſcopi & qui cum illis faciebant, urgebant, eligendum eſſe *Johannem* Ducem, quod is jure genituræ natus eſſet filius Regis. *Chriſtianus* vero cum naſceretur, ducis tantum titulo pater gauderet; At alii, qui facile videbant, quo ſpectarent antiſtitum conſilia, in contrarium reponebant, omnino eligendum ducem *Chriſtianum*, quod is ætate jam florenti eſſet, ac domui Lauenburgicæ connubio innexus, quodque regnum tueri continuo poſſet; adjicientes, illi haud qvaqvam obeſſe poſſe quod non Rege, ſed duce patre natus eſſet, cum Daniæ regnum non hereditarium, ſed electivum eſſet. Hinc diſſenſiones exortæ; etenim Epiſcoporum ſententia, differendam electionem in annum proxime inſequentem, quo interea evocari ad comitia qvoqve Norvagorum delegati poſſent, atque ita utriusqve regni conſenſu Rex elegi. Decretum tum item, ut Daniæ Holſatiæque legati ad Belgii gubernatricem *Mariam* mitterentur, qui vel pacem vel in annos aliqvot inducias paciſcerentur, duoque miſſi *Otho Krumpe* & *Melchior Rantzovius* regni nomine. Quod autem eo tempore, electio nulla fieret, irati comitiis exceſſere dominus *Magnus Goe*, & *Ericus Banner*, aliique palam teſtati, eo ſe conveniſſe, ut Regem eligerent, ſed alio ſpectare antiſtites, ut eſſe majorem illis curam agendi rem ſuam, quam quæ regnum ſpectarent; cum id tamen eſſe absque capite & moderatore idoneo haud poſſet: ideoque publice proteſtari ſe addebant & haberi excuſatos velle, ſi qvid interea regno ac reipubl. detrimenti accederet: ſicque relicta urbe domos quisque abire, ſeqvutaque ilios ex nobilitate pars potiſſima.

Ex epiſcoporum ſententia electio ad ſequent. annum dilata, vt regni Norv. delegati evocentur.

Dani Holſatique per legatos pacem aliquot annorum a Maria gubern. Belg. petunt: alii moram electionis indigne ferunt.

In eligendo rege diſſenſus.

Epiſcopi volunt Johannem, alii poſtulant Chriſtianum.

Hi poſtquam deceſſiſſent, antiſtites, ac ſi qui illis adhærerent, inter ſe unanimes conſentiunt, conſpirantque de *Johanne* Duce in Regem eligendo, erat is per id tempus annorum circiter octo intra regnum agens, ut ante memini, ac rebus moderandis parum adhuc idoneus. Qvo igitur eum ſibi ſuisque moribus ac ſacris antiqvis aſſvefacerent, aulæ ei magiſtrum addidere *Olaum Roſenkrantzium* a Wallo, moderatorem vero *Petrum Svavenium*; Hi id agerent, ut a teneris papiſticis ſacris imbutus etiam regnum exinde ad eum modum moremque formaret teneretque. Thauſenius, qui ut in rebus Frederici meminimus, evangelium in Selandia & alibi libere concionabatur, a docendi munere eſt abdicatus, ac mox in priſtinum ſtatum reſtitutus certa ſub ſponſione ac legibus, quas recitat *Witfeldius*, ſed fuſius non nihil, quam ut hic referantur ſingula.

antiſtites ſibi vindicant Johannem & eum ſacris pontificiis ſedulo imbuunt.

Thauſenius docendi munere privatus.

Cum eſſet adhuc in vivis Rex *Fredericus*, volens nolens Lubecenſibus conceſſerat, ut tranſito Oreſundæ freto prædas in Hollandos agerent, idque in aperto oceano, quem occiduum vocamus; male ſiquidem Lubecenſes habebat, qvod cum eſſent fœderati Regis *Frederici*, Hollandis, qui præter cetera Regem Chriſtiernum juverant, non minus, qvam ipſi, Oreſundæ fretum ingredi, ac mare paſſim Balthicum navigare fas eſſet. Itaque inſtructa viginti quatuor navium claſſe, cui velut admiralius præerat, *Marcus* Mejerus, Hollandis, qua, dabatur, vim inferunt. Sed ipſe fœda tempeſtate petere Angliam adactus, poſtquam ibi a Rege Anglorum *Henrico* VIII detineri eſſet juſſus ac mox dimiſſus interceſſione ſocietatis Vandaliæ, quæ ibi tum potens erat, in ordinem equeſtrem a Rege relatus eſt.

Marcus Meierus cum claſſe in Anglia tempeſtate delatus ibi detinetur.

Hic



Christianus III.
Rex Dan. Ætat. 57. Regn. 25.
Symb.
Fiat Voluntas tua Domine.

Brühl sc. Lips.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ejus fata

Hic *Marcus* Mejerus opificio faber ferrarius initio fuit Hamburgi agens, ac mox a Lubecenſibus aliquot cohortibus præfectus, quæ in Ungariam adverſus Turcam deſtinabantur, ſedem exinde, cum id belli non procederet, Lubecæ fixit. Meruit etiam ſub Rege *Frederico*, cum is Hafniam obſideret: At mox reverſus ex Anglia, jam ut memini, eques creatus,

unſulatus

conſulis cujusdam Lubecenſis viduam parentibus licet invitis in conjugem duxit, atque inde haud multo poſt conſul & ipſe renunciatus fuit. Conſulari imperio ornatus id egit, ut in ordinem ſenatorium reciperetur *Georgius* Wullenvever ac ſtatim exinde, ut conſul quoqve idem

animusque rerum novandarum cupidiſſimus cum ſocio Wullenwebero.

crearetur; Hi uterqve vanarum rerum machinatores fuere. Nam cum antea Lubecenſes vivo adhuc *Frederico* agere cœpiſſent, ut Hollandi non niſi certo navium numero Oreſundum quotannis tranſirent, qvod tamen ſucceſſum non habuit, alia illis haud minora tentarunt. Nam belli inter Hollandos & Lubecenſes occaſio ſaxque fuere, ac ipſa in urbe Lubecenſium authores primi exſtitere mutandi ſenatus, qvi ante erat perpetuus, ac ea occaſione ipſemet *Meierus* conſul eſt creatus, quod ſimul plebi perſvaſiſſet aboleri papiſmum haud poſſe, qvam diu vetus ſenatus locum retineret. Lubecenſium exemplum & aliæ urbes Vandalicæ ſecutæ fuere, ſummo ipſorum detrimento, quod omnis ſubita mutatio, præſertim in rebus publicis, admodum ſit periculoſa. Durantibus inter Hollandos & Lubecenſes, qvas diximus, diſcordiis, denuo eodem hoc anno cum imperio & claſſe adverſus Hollandos emiſſus in Oceanum eſt *Marcus Mejerus*, *Wullenveberus* vero Hafniam ablegatus, ut intereſſet, quæ celebrata ſuperius dixi, comitiis, ibi de ulteriori cum Lubecenſibus fœderatione agendum, ut Hollandis Oreſundiæ fretum ac Balthicum mare paulatim interdicendum oſtendat, aut ſaltem ut illi non niſi certo navium numero fretum illud tranſirent, permittendum, qvod Rege *Frederico* vivente, ut modo innui, agere ſed fruſtra, Lubecenſes inſtituerant. Et miſerant paulo ante iidem Lubecenſes ſimilem legationem ad Regem Svecorum *Guſtavum*, ut idem ille cum ipſis ageret, Hollandosque Balthico mari prohiberet. At ille, rejectis illorum poſtulatis, reſpondit, id fieri haud poſſe, cum Oreſundæ fretum ipſis tranſire Rex Daniæ permittat, qvocum fœderatio atque amicitia intercedat, adjiciens liberas eſſe debere navigationes univerſis nationibus, præſertim cum oceanus ac vaſtum mare cunctis pateat, nec huic magis, qvam illi intercludi poſſet. Nec aliud fere *Wollenvebero*, poſt decem hebdomadarum Hafniæ commorationem a regni Daniæ ſenatu reſponſum fuit; qui & legatos præterea ſuos ad Regem *Guſtavum* miſit eum docens commonensque, quid eſſet, qvod Lubecenſes tantopere flagitarent, ſe de eo nihil certi poſſe conſtituere, illo præſertim interregni tempore, qvo jam in fata conceſſerat Rex *Fredericus*, & ſe quoque cum domo Burgundica de pace agere cœpiſſe; Quocirco ira-

claſſe Belgas invadit in ſocietatem belli perductis civit. Vandal.

Lubecenſes ablegato Wullenwebervoillos interclusuri commercio maris Balth.

id agentes apud R. Frider. quondam & R. Guſtavum; hujusque reſp.

item regni Dan. ſenatus

tus ac fremens conſul *Wollenveberus* Lubecam rediit, effecitque, ut Lubecenſes naves ac merces Sveticæ omnes, tam Regis, qvam ſubditorum in urbe Lubeca detinerentur, ſimulque Thraſonice jactarunt, ſe *Guſtavum* in regni ſolium collocaſſe, ac eum viciſſim inde exturbare poſſe. Deque his & aliis cum hoſtibus regni Sveciæ *Bernardo Mylen*, *Arſchanio Werden* & profugis Svecis conſilia communicarunt. Regi autem ipſi objecerunt, ipſum adhuc in ære eſſe ſuo, quod eum pecunia & claſſe juviſſent, cum e captivitate Danica ex urbe ipſorum in Sveciæ regnum transportaretur. Eam ſummam ingentem eſſe, nec adhuc perſolutam. Quamvis & hic reſponderat Rex *Guſtavus*, exiſtimare ſe ejus ſummæ ſortem eſſe maxima parte ſolutam, uſuram ſolum nimis ab ipſis ampliari; nihil tamen æqvi ac boni ſe recuſare. Inter hæc doloſa conſilia adverſus *Guſtavum* ineunt, ac ejus præcipuum amicum & affinem *Johannem* Comitem ab Hoia, cui ſuam ſororem in matrimonium dederat cum ampliſſima Wiburgenſium præfectura ſollicitatum per *Hermannum Mollerum* ſibi junxere. Etenim hic proximo vere prætexens ſe valetudinis curandæ cauſa coactum petere Lubecam, eo cum conjuge ac liberis abiit. Atque inde *Svantonem Sturæum*, *Stenonis* Sture junioris olim Sveciæ gubernatoris filium qui in Germaniam recens exſpatiatus fuerat & in *Magni* Ducis Saxoniæ, qvi Regis Sveciæ ſocer erat, aula vivebat arte ac dolo interceptum ſtudio *Marci Mejeri* turma equitum Molla Lubecam abduxerunt eique authores fuere, ut Lubecenſium copiis adjutus, regnum Sveciæ, quod ipſius parens & avus antea tenuiſſent, vi & armis exturbato *Guſtavo* occuparet; Sed cum *Svantho* nullis pollicitationibus aut promiſſis a fide Regi *Guſtavo* jurata deduci poſſet, poſt aliquot ejusdem proteſtationes ſignificatum fuit, ipſum non Lubecenſium, ſed *Marci Mejeri* ſolummodo captivum eſſe, ipſique liberum fore, qvocunqve vellet, ſeſe deinceps conferre; Petere autem ſenatum, ut civitatis ſuæ amicus eſſe vellet.

hinc Suecorum merces Lubecenſes detinent, ſi- *Elanterque loquuntur*

conſilia agitant cum Suecis profugis,

hic renuens dimiſſus.

Priusquam vero ex urbe Hafnienſium decederet, de quo dictum, Lubecenſium conſul *Georgius Wollenveberus*, videretque regnum Rege deſtitui, & aliud antiſtites, aliud velle nobilitatem, tum & acceſſiſſe diſcordiæ malum, quod religio ſvaſerat, clam agere cum duobus urbis conſulibus cœpit, quorum alter Hafnienſium conſul erat nomine *Ambroſius Bæckebinder*, alter Malmogiæ præerat conſulari item dignitate *Georgius Munter* dictus natione Weſtphalus peregrinus uterque. Hi poſt multa invicem actitata pollicentur *Wollenvebero*, ſe poſt habito ſacramento, quod regni ſenatui fecerant, quam primum in Oreſundæ fretum Lubecenſium claſſis advenisſet, deſerturos regni ſenatum, ac ipſis deinde auxilio adfuturos in regno occupando fugandoque ex ea nobilitate & antiſtitibus & introducenda in regnum idem *Lutheri* doctrina; Ipſis viciſſim addicebat *Wollen-*

Johannem Com. Hoy. Reg. affinem ſollicitant, qui Lubecam concedit.

Svantonem Sturæum ex Lauenb. aula ſubductum in Sueciæ regnum evehere ſtudent.

G. Wollenweberus cum juratione cum Ambr. Bæckebinder Hafn. & G. Muntero Malmog. conſulibus facta regnum Lubecenſibus vindicare nititur.

veberus, fore eos ſub urbium Hanſeaticarum protectione defenſumque iri adverſus quoscunque. Hæc fœderatio ſive proditio protius adeo tecte acta habitaque, ut de ea neque nobilitas, neque ceteri reſciſcere potuerint quod ea eſſet apud omnes *Munteri* præſertim fides atque exiſtimatio. Donatus idem erat præfectura Bonebyenſi & equeſtri inſuper dignitate jam olim a Rege *Frederico* ornatus, ſuſpiciebatur ab omnibus, vir alias perinduſtrius & in rebus agendis oppido ſubactus atque verſatus.

Dux Chriſt. hoc rerum ſtatu vel ſe vel fratrem regem eligendum petit.

Dux uero *Chriſtianus*, qui hoc tempore in ducatu ſuo apud Holſatos agebat, ubi accepiſſet diſſentire ſuper electione novi Regis regni ſenatum & inter ceteros *Magnum Goe* & *Ericum Banner* equeſtris ordinis ac ſenatoriæ dignitatis viros, quorum ſuperius facta mentio, præcipue ipſum proceribus totique ſenatui commendaſſe, literas ad eos dat, commonens hortansque ut electionem ſuam promoveant, ſe optimi principis officio haud defuturum, nec minus, quam illuſtriſſimæ memoriæ parens ejus aſſerturum immunitates ac privilegia ipſorum, nec illis derogaturum quicquam, ſed ea ampliaturum potius: ſin uero fratrem ſuum Ducem *Johannem* mallent, nec id impeditурum ſe, ſed permiſſurum quoque libenter; id ſaltem agerent, quod flagitabat neceſſitas, ut regno Rex & caput aſſignaretur. Hanc *Chriſtierni* Ducis animi erga fratrem ſive moderationem ſive appellare pietatem libet ſingulari elogio, ut certum optimi ac vere pii principis indicium in publicis prælectionibus ſuis celebrare Philippum Melanchthonem ſolitum memorant.

In comitiis Othenienſ.

Eodem hoc anno convocati denuo proceres, habitaque Othenſeæ apud Fionios regni comitia, cum ob hanc electionis cauſam, tum quod e Belgio rediiſſent, quos eo miſſos ſuperius memoravi, *Otho Krumpen*, *Melchior Rantzovius* & *Volfgangius Utenhoff*. Eorum relatio ad regni ordines hæc fuit: ſtatutum decretumque Gandavi, ut inter Belgas, Danos Norvegosque ac incolas ducatus Holſatiæ eſſent manerentque induciæ annorum triginta; utque Belgis tranſitus per Oreſundæ fretum liber pateret, ſalvo regno ac ſoluto, qvod regno debetur, jure ac telonio. Si qua inde Danis Norvegisque bellum oriretur, tum Cæſar Belgæque auxilio Danis adeſſent navibus prætoriis ſex, idque ſuis impenſis, quam diu id belli duraret. Navium quæque ducentarum laſtarum eſſet, veheretque præter claſſiarios aliaque ad munitiones ſpectantia milites ducentos. Eadem in fœderatione reperitur clauſula, qua indicatur eo fœdere, quamcunque in eum usque diem alius in alium actionem habuiſſet, eam emortuam ac nullam fore.

indicantur induciæ cum Belgis eorumque auxilia promiſſa, actione omni ſopita.

Chriſtiano D. Cæſareum ſtipendium additur.

Et eſt præterea principi *Chriſtiano* ut Duci Holſatiæ, Cæſareum ſalarium attributum aureorum ſex millium. Hæc inter Danos Belgasque fœderatio plane adverſa erat Lubecenſibus ac urbibus Vandalorum, qui Cæſaris ſubditis navigationem per Oreſundæ porthmum ac Balthicum mare omnino negandum nec concedendum ipſis a Daniæ Regibus efflagitabant. Eamque poſtquam ſignaſſet Belgarum præſes Cæſaris ſoror, Regina Ungariæ *Maria*, pollicita ſimul fuit, eam ſigillo quoque ſuo propediem firmaturam Cæſaream majeſtatem: Et Danici ſimiliter legati viciſſim promiſere, regni proceres ac ducem *Chriſtianum*, quam primum domum rediiſſent, eam item obſignaturos; quod & factum eſt. Iisdem in comitiis e re viſum fuit, ut in Sveciam ad Regem *Guſtavum* legati mitterentur, *Trudo Ulſtand*, *Nicolaus Lunge* & *Axillus Jull* idque ut arctior arctiorque cum Svecis inſtitueretur amicitia fœderatioque. Habebat & ſuos ibidem legatos Dux *Chriſtianus*, qui id agebant, ut procerum regni favorem ac gratiam hero ſuo magis magisque conciliarent, demonſtrantes ſimul, e re omnino fore, ut regna Daniæ Norvegiæque ac principatus Holſatiæ arctius invicem jungerentur, idque perpetuo quodam fœdere ac unione, quod regnum Rege deſtitueretur ac multos præterea hoſtes haberet. Et factum haud multo poſt, ut Rendersburgi apud Holſatos conventus ſic habitus, ubi propior inter regna jam dicta & Holſatiæ ducatum firmata unio fuit, idque pluribus capitibus, quæ hic, ut prolixiora, præterii.

ablegati ad firmandam cum Svecis amicitiam.

Rendersb. conventus de uniendo cum ducatibus regno.

A. 1534.

Legati Danorum, quos in Sueciam ſuperiori anno miſſos dixi, ſub qvadrageſimam anni inſequentis, qvi fuit milleſimus ſupra qvingenteſimum trigeſimus quartus, in Daniam redierunt, pacto ſeu renovato de multis utrinque præſtandis auxiliis fœdere, cujusmodi id jam olim cum Rege *Frederico* initum fuerat. Ad hoc feriendum fœdus de novo non invitus acceſſit Rex *Guſtavus*, partim ut ſe eo commodius in novo regno, quod a reliquis duobus jam erat ſeparatum, firmaret, partim, quod hoſtes jam experiretur Lubecenſes, ac denique quod non ignoraret, molitueos, aliquid in Sveciam Lubecenſes, quod illi detentione navium ac mercium Suecicarum, de qua modo dixi, haud obſcure ſignificabant. Quapropter & Rex *Guſtavus* icto hoc cum Danis fœdere, continuo detineri Lubecenſes, eorumque navigia ac merces in Svecia fecit. Dimiſit tamen haud multo poſt negotiatores retentis navigiis ac mercibus.

icto hoc fœdere Guſt. R. Lubecenſium naves detineri jubet negotiatoribus dimiſſis.

Cum autem, de quo dictum, domum rediiſſet conſul Lubecenſium *Wullenveberus* operam dare cœperunt Hamburgenſes, ſeque velut medios interpoſuere, ut quod eſſet inter Burgundos & Lubecenſes ortum diſſidium amice componeretur. Locus & dies huic conventui deſtinatus, Hamburgi indictus eſt. Quo ubi advenîſſet conſulum Lubecenſium uterque, *Wullenveberus* & *Marcus Mejerus* pleno cum equitatu urbem armati equis inſidentes intrarunt, præmiſſis lituis ac tubicinibus altum inſonantibus, quaſi adverſus hoſtem in certamen deſcenſuri: Quod ut graviter tulit Hamburgenſium ſenatus, ita haud minus diſplicuit, qui paulo ante advenerant Burgundicis legatis, quos Cæſar miſerat. Erant autem hi, *Georgius* ab *Auſtria*.

Hamburgenſes ſeſe interceſſores offerunt pro amica Lubecenſ. cum Burgundis compoſitione. In conventu Hamb. conſulum Lubec. inſolentia.

Epi-

Episcopus Brixiensis & *Maximilianus Transilvanus*. Verum exinde, ubi ad rem esset ventum, videretque consulum uterque haud ex animi ipsorum sententia cuncta processura, se haud multo post Lubecam recepere. Etenim hæc erat Lubecensium ac urbium Vandalicarum mens ac sententia, ut Hollandi nonnisi navibus duodecim Oresundæ fretum, qui Daniæ regni porthmus est, qvotannis transirent, cum ex adverso Burgundici reponerent, eam libertatem, quæ erat patebatque in Belgio Vandalicis ac Balthici maris incolis, eandem & Belgis vicissim negari apud ipsos haud posse, & ad hæc debere inter Christianos navigationes, commerciaque esse libera. Cum autem reversis tam subito ac inopinato, ut dixi, Lubecensium consulibus quærerent cives, quamobrem adeo cito ac re infecta reversi essent, multos ex illis custodiæ ob id mandari consulum uterqve fecit, cum alii, ne caperentur, urbe profugerent. Nec tamen qvievere Hamburgenses, & est idcirco, dum adhuc adessent Burgundici, per novos Lubecensium delegatos causa resumpta, ac eo deducta, ut essent inter utrosque annorum quatuor induciæ. Quisque interea quocunque liberet, navigationes instituere, commerciaque exerceret, salvo jure ac jurisdictione, quæ esset unicuique ditioni ac principi propria. Dum autem ibi Cæsaris, quos dixi delegati agunt, miserunt illi ad Daniæ proceres ratificationem, ut vocant, Cæsaris super fœdere, quod inter Danos Hollandosque Gandavi, præsente ac præside Belgii gubernatrice *Maria* pactum superius memoravi.

& cum indignatione dissus.

aliis Lubecens. delegatis inducia fiunt.

Cæsar ratum habet fœdus Dan. cum Hollandis.

Inter hæc Lubecam advenerat *Johannes* Hoiæ Comes, quem Lubecenses, ut memoravi, ad defectionem a Rege Suecorum *Gustavo*, cujus sororem duxerat, per *Hermannum Mullerum*, sollicitaverant, qui nec desinebant alia præterea adversus eosdem Suecos hostilia tentare, dum naves eorum ac merces intra portus suos Lubecæ detinent, ut ante a nobis injectum, & Rex quoque *Gustavus*, eo irritatus, in Lubecensium vicissim naves ac mercimonia manus injicit. Eaqve hostilia cum animadverterent vicini principes, & præsertim Daniæ proceres, qui Rege destituebantur, in nervum aliquando eruptura, & simul eosdem Lubecenses suspectarent, qvod eodem illo tempore collecto milite terra marique se ad bellum parare viderentur, se apud *Gustavum* Regem medios offerunt componendo, qvod esset inter ipsum & Lubecenses dissidio. Idque dum agitatur responsaque, a Lubecensibus præsertim, ambigua redduntur, versum in Danos bellum; Idque nixum, eo fundamento, quod inter Lubecensium consulem *Wullenveberum* & consulem Hafnienſium *Ambrosium* & Malmogiensem *Georgium Munterum*, de qvo ante indicatum, Hafniæ fuerat positum jactumque. Ne autem bello caput deesset, evocant *Marcus Mejerus* & *Wullenveberus* Colonia Agrippina Christophorum comitem Oldenburgi, qvi tum ibi inter canonicos agebat, ut nimirum is Lubecam accederet, ac bello præsef

Dani operam navant componendis Lubecensium cum Svecis litibus.

Lubecenses bellum Danis movent

duce accito Christoph. com. Ol-

set, quod in Danos molirentur, ad liberandum e carcere ita nomen præbebant) cognatum ejus Regem *Christianum* II. Teneri eum cognatione ac jure id præstare officii captivo Regi, & rem præterea facto perfacilem fore, qvod Daniæ oppida bina, Malmogiam & Hafniam, quæ veluti claustra regni essent, sibi fœderata haberent; ea, qvam primum se classis Lubecensium in freto Oresundæ sisteret, ad nutum parata fore & operam datura, ut oppida continuo minora ipsorum exemplum seqverentur. Addebant non minus se in regnum Daniæ, qvod capite erat destitutum, introducere posse Regem *Christiernum*, qvam in Sveciam jam ante introduxissent Regem *Gustavum*, & rem eam oppido præterea gratam fore non tam Cæsari *Carolo*, sed & Germaniæ principibus & præsertim Electori Brandenburgico, qvi sororem *Christierni* duxerat. His magnificis promissis Lubecam *Christophorus* venit. Ubi advenisset, constabat, exceptis solum, qvos dixi, *Marco Mejero* & *Wollenwebero* consulibus, qui clanculum eo cuncta agitabant. Ad mox Lubecæ agens, & omnia propius ex utroque consulum intelligens, propalam demonstrabat, advenisse in id se, ut e custodia cognatum suum Regem *Christiernum* liberaret, flagitans eum in finem auxilium atque opem Lubecensium. Quod ubi fama est divulgatum, oppido & cunctis placuit, paratosque se ad bellum illud demonstrabant, & maxime qvod nihil illis adversus Hollandos a Danis auxilii suppeditaretur. Et accedebant consules, qvi dicerent, eo quoque pacto posse boreæ illud regnum evangelii luce donari; esseque Episcopos, qvi hucusqve impedivissent, qvod Lubecensibus nihil adversus Hollandos opis fuisset præstitum, qvodqve peractum non esset, qvod agi cum Rege *Frederico* adversus eosdem cœptum fuisset. Hinc ubi militem *Christophorus* collegisset parataqve peditum haberet qvatuor millia, literas ad Ducem Holsatiæ dat significans cognoscere se causam velle, cur in arce Sunderburgi detineretur Rex *Christianus* II, simul querens dolensque, qvod contra codicillos ad datum salvum conductum in custodiam esset traductus; petere idcirco se ut liberari ex tam fœdo carere posset. Teneri alias, utpote sanguine ei conjunctum, una cum amicis atque auxiliaribus suis huic etiam negotio se interponere; nec competere ipsi eum, utpote propinqvum suum, incarceratum diutius tenere. Ad quod respondit Dux *Christianus* Regem *Christiernum* captivum fuisse in custodiam arcis illius traductum actione adversus illum allata non tantum Danorum, sed Svecorum qvoqve; idque tempore domini parentis sui Regis *Frederici*; nec liberari eum posse, nisi eorum assensu & voluntate; in sua autem potestate haud qvaqvam id esse. Ad quæ vicissim reposuit, in hanc fere sententiam Comes Christophorus; inexpectatum sibi accidere, quod Dux *Christianus* se per ejusmodi populum, cujusmodi sunt Dani Svecique, qvibus cum nihil sibi negotii esset, excusare instituat; Esse in ejus potestate arcem Sunder-

fam præ se ferentes

Chp. Com. liberationem Christiani II. R. e carcere literis effla-gitat.

Ducis resp.

instat ille.

bur-

burgenſem, æqvumque ac jus flagitare, ut is, qui in ea contra fas & æqvum cuſtoditus habetur, liber emittatur: & id ſi fiat, ceſſurum hoc in laudem ipſius perpetuam; ſin aliter fiat, proteſtari ſe addit, nihilque neque ſe neqve ceteros, qvi ipſi adeſſent, principes ac urbem præſertim Lubecenſem, ut & reliquas Vandalicas civitates, quæ ſalvum conductum Regis Chriſtierni una ſubſignaſſent, tentaturos, niſi quod ad Regis jam dicti liberationem ſpectat.

Comitis ad Danos literæ.

Similes fere literas in Daniam qvoqve mitti ad regni proceres curavit, nomen præbens, quaſi ſuis armis ac milite ſolum videretur impetiturus Holſatiam. His in literis admodum exaggerat ac conqueritur de inhumanitate, qua Regem *Chriſtiernum* ejus domeſticos clientesqve poſt datum ſalvum conductum Dani exceperint, oſtendens eſſe in eo jam ſe cum fœderatis ſuis, ut liberet ex tetro illo carcere Regem *Chriſtiernum*, & id ceſſurum in bonum ac felicitatem regni ipſorum, eoqve ſe conſilia eoque ſe conſilia omnia ſua operamqve verſurum.

idem codicillis Oldenburgi affixis liberum ibi petit tranſitum.

Inde publice codicillos affigi in oppido ſolum Oldenburgo valvis publicarum ædium fecit, petens liberum commeatum ac tranſitum per id oppidi, eſſe ſibi in animo Holſatiam intrare, ut liberet, qui contra fas & datam fidem in arce Sunderburgenſi detineretur, Regem *Chriſtiernum*, cognatum ſuum; ſi obſiſtere conatibus ejus inſtituerent, ſe ferrum in eos verſurum. Inde absqve ulla ulteriori denunciatione inopinato Holſatiam irrupere, & ipſe & *Marcus Mejerus*; ceperuntqve primo ingreſſu Othinum, epiſcopi Lubecenſis arcem, itemque *Tritoum* & *Plonam*. Segebergam, quod præcipuum Holſatorum eſt munimentum obſidione cinxerunt. Arensbogum una cum cœnobiio Reinfeldenſi redimere ſe coactum fuit. Multique pagi ac prædia villæque in favillas verſæ.

Holſatiam invadit & populatur.

Danorum auxilia Holſatis ſubmiſſa.

Hæc ſubitanea eorum in Holſatiam invaſio ob id ab illis inſtituta, ut vires Danorum frangerent ac ſepararent; Quod & factum eſt; Nam continuo Holſatiæ Duci, qvi Hafniæ Malmogiæque haberent præſidia auxilio miſere. Ille acceptis auxiliis, cum jam in procinctu ſtaret, ut hoſtem circa Segebergam invaderet, obſidionem ſolvit *Chriſtophorus* ſeqve repente incenſo oppido Segebergæ Travemundam recepit, ubi cum milite ſuo conſcenſis navibus in Daniam navigat una cum utroque Lubecenſium conſule. Quibus ſe junxere Wismaria & Roſtochienſes; ſuntqve literæ conſignatæ priusquam claſſis ſolveret, inter Lubecenſes & comitem, quibus demonſtrant Lubecenſes, ſe præcipue ſpectare promotionem ſ. evangelii ac liberationem *Chriſtierni* Regis idque in bonum publicum; eoque ſtipendia ſuffecturos Comiti in certum tempus nec ea repetituros, niſi opportuno tempore, exque oppidis ac locis, qvæ in poteſtatem ejus eſſent deventura. Comitem viciſſim Lubecenſes, ſi omnia votis reſponderent, certa pecuniæ ſumma honoratum dimitterent. Quæ dum hic geruntur, miſerat Dux Holſatiæ *Chriſtianus* cum expedita manu *Johannem Rantzovium*, ut *Othinum*, quod ceperat comes, ſuam in poteſtatem reduceret; qvod & feliciter ab eo curatum, nec ſine militum, qvos Lubecenſes præſidio intulerant, clade ac calamitate. Eſtqve haud multo poſt ab *Andrea Bilde*, qvi Monæ præſidebat, animadverſa primum Lubecenſium claſſis. Ea cum hærerent ſinguli, an adverſus Hollandos vel regnum eſſet miſſa, ſerius intellectum, cum præcipua jam præſidia in Holſatiam eſſent tradu&ta, Daniam peti.

Othino depulſi Lubecenſes.

hinc Chp. ſoluta obſidione Segeb. navibus Daniam petit comitante utroque Lubec. conſule janctisque Wiſmarienſibus & Roſt. literis prætexunt Lubecenſes religionis ſtudium. pacta inter eos & Com.

Inde mox Dux *Chriſtianus* cum omni, qvem ad manum habebat, exercitu Travemundam movit, qvod oppidum arxque eſt ad exitum Travæ prope Lubecam ſita. Eam ſine mora occupat, & aliud quod erat, in proximum propugnaculum Muggeberch dictum ſolo æquat. Dumque ſternendo ſupra Travam ponti invigilat, excurſionem in eum cum ſignis aliquot militum, quibus & cives nonnulli aderant, Lubecenſes faciunt; habitaque utrinque acris velitatio, qua Lubecenſium pleriqve occidione occiſi, ceteri in poteſtatem Ducis vivi venerunt. Redierant jam in urbem *Marcus Mejerus* & *Wullenveberus* conſules; qvi licet omnia in adverſum agerent, ne ponte per Travam poſito, utramque fluminis ripam ſuæ poteſtatis Dux faceret, id tamen impedire nequierunt; Nam continuo exinde occupata Schulapa, qvi velut portus eſt urbis, ſive ſtatio earum navium, quæ in Hiſpaniam aliasqve in oras exteras navigant, omnia ibi magna minoraqve navigia aut cepit aut igne abſumpſit magnumq; urbi terrorem injecit, duravitqve obſidio aliquot exinde adhuc menſibus, quod ſeqventia dicent.

D. Chriſt. Tranemundam capit

Lubecenſes excurrentes cædit.

utramque fluminis ripam ponte facto occupat.

naves Lubec. prope Schlunkop. perdit.

Eaqve dum fiunt, ablegavit Regina *Maria* Belgii gubernatrix ad Ducem Holſatiæ *Chriſtianum* ſecretarium ſuum *Johannem Creudenerum*, qui Ducem inter cetera, certiorem redderet, machinari adverſus eum, varia adverſarios ejus, & inter alia Lubecenſes videri cum Rege Anglorum *Henrico* VIII. fœdus feriiſſe, in detrimentum ditionum ipſius & maxime regni Daniæ, cui imminere uideantur; ſe hortari, ut ſibi proſpiciat, nec paſſurum Cæſarem, ut in illud regnum præter liberos Regis *Friderici* admittantur alii; id ſi agatur, non defore in adverſum Cæſaris auxilia. Eadem Regina, ubi accepiſſet, invaſam a Duce Travemundam & occupata inſuper, qvæ in vicino erant prope Lubecam loca, eum literis ſuis ad ulteriora audenda excitavit, addito promiſſo de auxiliis Cæſaris, ubi opus eſſet.

Chriſtianus D. inſidiarum & fœderis Lubecenſium cum Anglis a Maria Belgii gubern. admonitus & ad ſtrenue agendum excitatus auxiliis promiſſis.

Hæc poſt Crudenerium, qvem primo miſſum diximus, acta exinde per *Gerhardum* Mulartium ſupplicum libellorum magiſtrum; qui tamen ipſe mandata non pertulit, ſed miſſis ad Ducem literis Vordæ ſubſtitit, unde & ipſe qvoqve ad Ducem intentidem ſcribens petiit ut certum ad ſe hominem mitteret, qvo cum agere de auxiliis poſſet, quæ & cujusmodi mittenda judicaret. Eſtque miſſus *Wolfgangus Powiſch* nobilis Holſatus, cui addictum pecuniarum, ſubſidium, quod Amſterodami

cura-

curaretur. Quæ omnia metus excussit, qvod videretur, huic se negotio miscere etiam Anglorum Rex. Verum aliud agi Regina mox intelligens, aliam quoque mentem induit, ut statim dicetur.

Munterus consul Malmoy arcis præfectum circumvenit tamque occupatam solo æquat.

Apud Danos vero ubi consul urbis Malmogiæ *Georgius* Munter accepisset, invasam a Lubecensibus Holsatiam, misit continuo ad arcis præsidem, *Magnum Guldenstiernium*, eum orans, ne gravetur in urbis curiam accedere, esse haud levis momenti quiddam, quod ipsi communicandum haberent. Magnus ubi advenisset, confestim eum custodiri Munterus jussit, ac simul concitatis civibus ac plebe, invasa eodem momento arx soloque æquata est. Nobiles qvi harum rerum ignari, vel Hafnia vel aliunde venientes urbem postridie intrarent, capti similiter aut custoditi sunt; ut & liberi nobilium, qui urbis scholam frequentabant. Quibus actis extemplo Malmogienses scribi ad regni maresciallum *Tychonem Crabbe* curarunt ei significantes, assumptam a se evangelii doctrinam, idqve renuentibus episcopis ac nobilitate & ideo in perpetuo metu versari, nec alio fine dirutam a se urbis arcem, qvæ contra assensum urbani senatus posita olim eo loco fuisset.

factum ejusque causas Malmogienses referunt ad regni maresciallum.

Lubecensium classi in Oresunda adventanti occurit Munterus,

Inter quæ Lubecensium classis Oresundæ fretum ingressa fuit. Qvod qvam primum Malmogiæ intelligeretur, conscensa cymca ad comitem *Christopherum* properat *Georgius Munterus*, qui salutato Comite eum de re apud se feliciter gesta certiorem reddit. Anchorasque classis jecit circa promontorium, qvod Schoushoef vulgo vocant, haud procul Hafnia situm. Atque hic haud multo post in terram expositus miles, ipsa vespera divi Johannis. Primus inde in Roschildiam impetus factus, a quibus cum esset admissus cum exercitu suo Comes *Christopherus* inaugurari se a civibus nomine Regis *Christierni* II. curavit; Quod nisi fecissent, direpturum se urbem minabatur. Quo eodem tempore episcopalem illius loci dignitatem donabat antistiti Upsaliensi *Gustavo Trollio*, qui Svecia extorris eum Lubecæ comitatus fuerat, ac partibus semper adhæserat Regis *Christierni* II. Hic Coagium, Scholmia, Stegæ urbs ac arx eidem se dedidere. Arx Stegensis stratagemate a ciuibus, qui Comiti favebant, intercepta soloque æquata est.

Roschildenses comitem suscipere coacti.

Gust. Trollio episcopatus ille datur.

alia loca occupata, Steg. arx diruta.

Cum esset Roschildiæ Comes Hafniæ se continebat Roschildensium episcopus *Jacobus Rannovius*, qvi ubi cives urbis commonuisset, ne a sacramento semel præstito decederent, se paratum cum ipsis vitam ac fortunam periclitari, nec audire eum cives vellent, mortemque minitarentur, ipse clam urbe excessit, sed vix excesserat, cum mox accepto a Comite salvo conductu in urbem rediit, dictitans se idem velle, qvod vellent cives.

Jac. Rannovius episc. Rosk. Hafnienses ad persistendum in fide adhortans urbe a civibus pulsus.

Coagio potitus Comes continuo fecialem suum Hafniam misit, qui a civibus ac magistratu Regis *Christierni* nomine petebat, urbem dederent. Responderunt illi, dicis scilicet causa, se de eo deliberaturos, nec facile urbem dedere posse, nisi Regem *Christiernum* II. liberatum ac suæ esse potestatis viderent; Reponi vicissim Comes fecit, de liberatione ejus non dubitandum fore, & eam ob causam advenisse se; Vix octiduum præterierat, cum ipsi delegatos Coagium ad Comitem mittunt, qvi ei his legibus urbem dedidere; Privilegiis atqve immunitatibus pristinis fruerentur, Lutheri doctrinam, quae erat a civibus acceptata retinerent, arva omnia ac pascua, quæ circiter miliare unum extra urbem essent posita, ad urbem pertinerent. Inde in urbem magna cum pompa ac solennitate receptus Comes, continuo se ad occupandam arcem, qvam defensurus præfectus *Johannes Urne* videbatur, convertit; sed & hic, cum ille parum sibi fidos aut dicto audientes animadverteret præsidiarios, arcem, post octitui oppugnationem dedidit. Quæ omnia cum in potestate Comitis essent, simul potitus est, quæ ibi in portu stationem habebat, regni classe ac navibus prætoriis, ut & munitione universa cæterisque ad bellum spectantibus; cujusmodi illi in posterum haud leviter usi fuere. Nec destitit continuo apud eum agere consul *Ambrosius*, ut in locum veteris magistratus novus sufficeretur, idqve securitatis causa, ut fieri in novo regimine solet; penes *Ambrosium* interim summa imperii urbis maneret. Erat eo tempore congregatus Malmogiæ Selandiæ Scaniæqve senatus ac proceres, eos scribere ad Norvegos & præsertim ad regni archiepiscopum *Olaum Nidrosiensem*, ceterosqve regni senatores jussit, dixisse sacramentum se nomine Regis *Christiani* II comiti Oldenburg. *Christophoro*, rogare idem facerent, nec se a Danis separarent. Dum autem Malmogiæ agit, Malmogiensibus, sicut jam ante Hafniensibus, tribuit ac donavit, qvicqvid extra urbem territorii esset, ad unum circiter miliare, de alieno scilicet liberalis facilisqve. Cudi præterea monetam fecit, magnam minoremque in altero hujus latere *Christiani* II, in altero ipsius nomen delegebatur. Deditis autem Malmogia Hafniaque, earum exemplum, præter Selandiam Scaniamqve secuta continuo Lalandia, Falstriaqve & quicquid in illis urbium arciumqve esset, sicuti & Langelandia ceteræqve in proximo insulæ.

itemque arx.

classe regni potitur idem.

senatus Selandiæ Scaniæque litteris Norvegos sollicitant.

Comes monetam cudi curavit,

insulas obtinet alias.

Quæ dum fiunt, ut causam suam cunctis probarent, publicum programma edi Lubecenses curarunt typis expressum. In eo declarant, causamque exponunt, cur initio Holsatiam invaserint, atque inde in Daniam arma verterint. Qvod nimirum delegati ipsorum salvum conductum, qui datus fuit in Norvegia Regi *Christiano* II, subsignaverint; is autem cum servatus a Danis non sit, eum ut viri honesti servandum existiment; qvodqve nobilitas Holsatiæ perpetuo, qvæ in urbis ipsorum perniciem ac detrimentum cederent, machinata sit: auctis insuper teloniis & qvæ eo spectabant. Quod præterea Daniæ regno classibus suis sæpenumero subsidio venerint, nec earum impensas receperint, & qvod promissum erat a Rege *Frederico*, ut excluderentur Oresunda

Lubecenses belli causas publico declarant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ac Balthico mari Hollandi præſtitum non eſſet, & inde quod Dani ſe adverſus Lubecenſes, cum Svecis fœdere junxerint. Ultimum quod addebant, erat religio, ſive ſana evangelii doctrina, qvam communicatam etiam Daniæ incolis vellent, & ſimul ut probroſa antiſtitum vita & mores vel emendarentur, vel tollerentur. Hæc cum ad Cimbros proceresque Holſatiæ perferentur, conceſſiſſe in Comitis poteſtatem Scanos ac Selandos, eorumqve præcipua oppida, nulla vi aut neceſſitate adacta eidem dedita, nec ullam jam ſibi opem inde exſpectandum eſſe, in arena, quod dicitur conſilium ceperunt: Evocatique extemplo epiſcopi omnisque nobilitas juſſique adeſſe ſub 4. Julii, in loco, qvi Rija dicitur prope Scanderburgum. Hic omnium votis ſtatutum, eſſe e re, ut caput ac Rex regno qvam citiſſime adſciſceretur, nec adſciſcendum juvenem aliquem principem, ſed qui ætate ac prudentia præſtans rebus afflictis ſuccurrere in tempore poſſit. Eſtque plurium ſuffragiis electus ac nominatus Dux Holſatiæ *Chriſtianus*, qvi tum Lubecam obſidens ſelectum atque expeditum militem ad manum haberet. Epiſcopi, quibus hoc minus placeret, quiqve vetera de Lutheri doctrina taliaque obtenderent, auditi haud fuere.

proceres Cimbri Rijæ conveniunt & Chriſt. Regem eligunt.

adſentiunt Fionii.

Ac mox cum idem ad Fionios eſſet delatum, ac illi qvoqve calculum ſuum huic electioni adjicerent, & extemplo una cum delegatis Cimbrorum ad Ducem *Chriſtianum*, qvi tum in caſtris circa Lubecam Pretzæ agebat, miſſus *Joannes Friſius* ab Heſſelager, qui ei diadema regni omnium votis eſſe delatum ſignificaret. Seorſim præterea *Friſio*, in mandatis erat, ut certiorem electum Regem faceret, eſſe qvidam Fioniæ inſulam exiguam, nec magnarum virium, ſed eo ſitu intra Selandiam & Cimbricam cherſoneſam poſitam, ut ſi ab hoſte, qvi in vicinio eſſet, occuparetur, plurimum regni rebus incommodare poſſet, & ideo e re fore, ut inprimis ea inſula præſidiis muniretur.

Fioniam præſidiis firmandam ſtatuunt

Quæ aliaque mandata delegatis, ubi eſſent incoram ad Ducem relata, vitam ſe fortunasque ſuas cum ipſis periclitaturum reſpondit; eum privilegiis ipſorum & immunitatibus haud derogaturum quicquam, ſed ea ampliaturum potius, qua occaſio daretur. Nec mora, raptim rebus in obſidione Lubecenſi conſtitutis, Horſenam Dux excurrit, quo tum magno numero tam Cimbrica, qvam Fionenſium nobilitas, agreſtium populus ſparſim convenerat; factaque ibi propalam inauguratio ac cuncti eum Daniæ Regem ſolenniter declararunt, ac pronunciarunt, addito ſacramento, quod utrinque eſt præſtitum.

Horſenæ Rex inauguratur.

Quæ ubi parata eſſent, continuo affinem ſuum, Regem Suecorum *Guſtavum* certiorem eorum dux reddidit, eum ſimul auxilia flagitans, nec defutura ea ſperans, non tantum ob neceſſitudinem affinitatis, ſed ex fœdere quoque, qvod ultimo Stocholmiæ ictum eſſet; Addebat, eum ut affinem dilectiſſimum orans, Scaniam ſibi vicinam invaderet ac hoſti, qui eam teneret, ereptam Daniæ regno poſtliminio adſereret; iterum iterumque rogando, ut unum agerent adverſus hoſtem communem Lubecenſes, qui modo Daniam, inde fortaſſis Sveciam ejusque ditiones eſſent impetituri.

Chriſt. R. Svecorum auxilia efflagitat.

Guſtavus, licet eum per literas ſollicitarant Lubecenſes, ne iſti ſe bello miſceret, tamen novis eorundem machinationibus, præſertim qvod comitem *Johannem* ab Hoja & alios, qvi ab eo ut ante relatum, defecerant, ſuis in caſtris duces conſtituiſſent, irritatus, tum & *Chriſtianum* affinem haud deſerendum ratus, opem ipſi ſuam prolixe lubensque promiſit.

promiſſa ea, Lubecenſibus licet dehortantibus.

Idem interea Dux *Chriſtianus*, ſimilem in modum referri continuo ad Reginam *Mariam* Cæſaris ſororem ac Belgii gubernatricem fecit, ſe communibus ſuffragiis Daniæ Regem electum ac pronunciatum eſſe, amice ſerioque eam efflagitans, ut expedirentur ſex illæ armatæ naves, quæ eſſent in fœdere Gandavenſi promiſſæ adverſus Lubecenſes, qui modo Daniam bello premerent, irritati præcipue atque offenſi, qvod Hollandis libera eſſet per Oreſundæ porthum navigatio a Daniæ proceribus permiſſa, ſed ab illa nihil tum opis præſtitum. Cum enim animadverteret, geri hoc bellum Chriſtiani II, affinis Cæſarei, nomine, eventum belli exſpectare, quam auxilii qvicquam mittere maluit.

Maria Belg. gub. ea retardat.

Per idem tempus volente Cæſare in matrimonium ſibi ſumpſit captivi Regis *Chriſtiani* II. filiam *Dorotheam* elector Palatinus *Fredericus* ac paulo poſt altera ejusdem Regis filia *Chriſtina* connubio tradita *Franciſco Sforliæ* Mediolanenſium Duci, quæ anno tantum uno ſuper vixit. Has ob nuptias haud leves exinde Duci *Chriſtierno* motæ difficultates, ut eo mox loco dicemus.

Freder. elect. Palat. junxit ſibi matrimonio Dorotheam Franc. Sforlia Mediol. duci Chriſtierno motæ difficultates, ut eo mox loco dicemus.

Poſt hæc Coldingam rumor adfertur deſeciſſe Fionenſes ac civium, qvi a Comite vanis promiſſis erant ineſcati, ut & popularium, qui agros colebant, inſtigatu ejici paſſim atque affligi nobilitatem; Unde electus Rex Dux *Chriſtianus*, licet equitum ac peditum aliquot cohortes ſubſidio nobilitati mitteret, ac prælio ſecundo circa Faſcoviam pugnatum eſſet, & ſimul coacti fere omnes ſint, in verba Regis *Chriſtiani* de novo jurare, tamen haud multo poſt omne propemodum exercitus ſui robur circa Cartemundam in inſulam eam Comes transmiſit. Qvi ubi adveniſſent, diluculo noctis proditione aliquot civium in oppidum Neoburgi admiſſi, continuo exinde arcem qvoqve ejus urbis expugnarunt, ac totam hoc pacto inſulam ſuæ poteſtatis reddiderunt.

Chriſtinam, utramque R. Chriſt. II. filiam. Fionenſibus a fide deficientibus

inſula cedit Comiti Old.

Hinc Hamburgenſes & alii aliquot urbium Vandaliæ delegati ſe medios obtulerunt ad pacem inter Regem & Lubecenſes conſtituendam. Sed ea negotiatio, licet in longum tracta ſit, finem optatum non habuit, quod Lubecenſes militem in dies cogentes bellum adhuc ſpirarent.

Hamburgenſ. & alii delegati pacis mediatores in caſſum agunt.

Poſtqvam autem e Scania Malmogiaqve in Selandiam rediiſſet Comes, prædones continuo aliquot, qui Regi olim *Chriſtierno* militaverant, in Cimbriam borealem cum claſſe atqve imperio miſit; Inter hos præcipuus erat nau-

Clemens piratarum emiſſus Jutiam borealem occupat, nobilitate e

jecta

nauclerus, ut eum appellabant, *Clemens*, qui duabus cum navibus, occupato Alburgo, totum eum boreæ tractum ſuæ poteſtatis reddidit. Ac mox concitatis ex agreſtium populo millen's aliquot fudit fugavit nobilitatem, quæ ſe illis adverſam objecerat. Et eſt deinde Randreſium usque fugientes ſecutus, ubi cum vim majorem ſibi objectam experiretur, rediit Alburgum. Idque erectis hinc inde propugnaculis, accuratius communiit.

dii pacis arbitri.

Inter quæ circa feſtum, circiter divi *Martini*, in caſtra, quæ circa Lubecam Rex electus habebat, advenere Dux *Henricus* Megapolenſis, ac delegati principis Landgravii una cum Hamburgenſibus ac Luneburgicis. Hi conſtituto die de pace cœperunt agere. Actaque res in eum modum, ut eſſet inter Holſatos ac Lubecenſes ſolida pax: Nullum Holſatis detrimentum inferrent Lubecenſes, nec Lubecenſibus viciſſim Holſati; nullum quoque comiti auxilium niſi adverſus Danos præſtarent Lubecenſes.

Chriſt. R. ad tutandam Daniam ſe confert R. Guſtavi auxilia efflagitans.

Hac de pacificatione continuo certiorem reddidit Rex electus affinem ſuum Regem Suecorum *Guſtavum*, eam inter Lubecenſes & Holſatos, non vero Danos factam indicans, & ſe iſto jam tempore transferre in Daniam militiæ ſuæ robur, equitum nimirum duo millia, ac ſigna peditum novendecim, ſecuturum mox ſemetipſum, eſſeque ſe bono animo. Petebat præterea pecuniarum qvod erat promiſſum, ſubſidium, ut tempori adeſſet; adjiciens ſe qvoqve Belgii gubernatricem de promiſſis auxiliis commonuiſſe, iterum denuoqve eum orans, ne cauſam deſereret, bonum eam ſucceſſum cum Deo habituram, non dubitans, ſe in omnem eventum, & ubi opus eſſet, vicem relaturum.

vetus Lubecenſium magiſtratus reſtitutus.

Iisdem diebus reſtitutus in locum ſuum apud Lubecenſes, qui erat abdicatus, vetus magiſtratus, ac ſimul novæ copiæ auxili qve in Daniam Comiti ſubſidio miſſa. Quibus omnibus

novæ Lubec. copiæ in Daniam ſubmiſſæ ducibus Marco Meiero & Joh. Com. Hoj.

præerat *Marcus Mejerus*. Venit tum qvoqve in Daniam *Johannes Hoiæ* Comes, *Guſtavi* Regis ſororius, qvem deſerta ſtatione, qvam ei honeſtiſſimam *Guſtavus* in Svecia tribuerat, ad Lubecenſes defeciſſe ſuperius memoravi. Hic cohortem equitum unam, & aliquot item peditum ſigna ducebat.

Alburgum a Chriſt. R. receptum.

Peracta hac cum Lubecenſibus pacificatione, toto cum exercitu in Cimbricam cherſoneſum ſe continuo Dux *Chriſtianus* recepit, ac ibi conſtitutis, qvi boreali Cimbriæ præeſſent, *Othone Bilde* & *Magno Goe*, tum & militiæ præfectis ordinatis *Johanne Rantzovio* & *Erico Banner*, ductum extemplo agmen adverſus Alburgum, quod nauclerus, ut dixi, Clemens tenebat; Eſtque ſine mora oppugnatio inſtituta ac primo ſtatim impetu expugnata urbe occiſi quicunque in armis reperti; nobiles, qui captivi tenebantur, dimiſſi; ex aggreſtium populo, qui ſe *Clementi* junxerant, & velut coryphæi ac capita ſeditionis fuerant, capite plexi. Ipſe clemens clam urbe evaſerat,

Clemens nauclerus captus & dein

ſed agnitus ac retractus, Coldingam miſſus eſt, atque ibi poſtquam aliquamdiu cuſtoditus ſive potius ſupplicio reſervatus eſſet, id demum de eo, ſub annum circiter 1536. ſumptum fuit. Eſtque palo circa caput ejus impoſita plumbea corona, quod ſe ab agreſtibus nomine Regis *Chriſtierni* II. inaugurari feciſſet.

ſupplicio affectus.

Per idem tempus circa feſtum nativitatis Chriſti traditis utrinque obſidibus colloquium Coldingæ eſt inſtitutum inter Regem electum Ducem *Chriſtianum* & comitem *Chriſtophorum*: actumque de modis, quibus obtineri pax poſſit. Comiti aderat *Tycho Krabbe* & *Andreas Bilde*, ejus ut proximi conſiliarii; Sed convenire haud potuere. Rex electus comiti offerebat certam pecuniæ ſummam, ut bello decederet. At Comes ſibi liberari Regem *Chriſtiernum* volebat; retineret ſibi Rex electus Cimbricam cherſoneſum cum principatibus Holſatiæ: *Chriſtiernus* II viciſſim acciperet Norvegiam, Scaniam, Selandiam, Fioniam, ac reliquas minores inſulas. At electus Rex ejusque conſiliarii haud e re judicabant diviſionem fieri regnorum ac ditionum. Et eſt hoc pacto ſine profectu diſſolutus hic conventus.

Colloqvium inter R. Chriſt. & Com. Old. Coldingæ de pace irritum.

Inde ubi in Selandiam rediiſſet Comes, indici comitia Haſniæ curavit. Quo & convenere ex nobilitate tam Scanica qvam Selandica fere omnes. Ac mox in conventu, poſtquam adeſſent ſinguli, demonſtrabat, egere ſe ingenti æris ſumma, rogans, ut ad eam pendendam paratos ſe præberent, adducentes, quas haberent ipſorum conjuges ac filiæ torqves, monilia, aliaqve ex auro argenroqve ceimelia; ſpectaturum id ad ipſorum tutelam ac ſecuritatem, cum alias metuendum eſſet, militem ſua ſponte in eos theſauros involaturum. Hic nobilitas veluti adacta fuit ingentem ipſi pecuniæ ſummam polliceri, cum ejusmodi hominum preces non preces, ſed juſſa ſint; Excuſabant vero ſe, qvod conjugum ac liberorum ſuorum ceimelia ſpectaret, cum ea in ipſorum poteſtate haud eſſent, ut illi ubique gentium immunes haberentur. Qvo eodem tempore prorupit in eundem conſeſſum *Georgius Munter* & *Ambroſius* conſules querimonias ſuas ſuper nobilitate ac proceribus prolixe inſtituentes, quaſi illi malorum omnium cauſæ forent, qvod ii Regem *Chriſtiernum* II e regno exegiſſent, eos plectendos & caſtigandos eſſe tradendosque in manus comitis; Unde ingens metus nobilitatem invaſit nec egredi curia auſi fuiſſent, niſi ipſis Comes ipſe ſecuritatem præſtitiſſet. Fuit quoque nobilium apud Scanos durior conditio, poſtqvam Lubeca copioſior in Daniam miles eſſet transmiſſus, & res electo Regi proſpere apud Cimbros ceſſiſſent, tum & eosdem ſuſpectabat Comes, intelligens in armis eſſe Svecorum Regem *Guſtavum*, quaſi illi eum haud evocaſſent, aut eo ſe conferre in animo haberent, idque ob vim atque injuriam, qua modo a milite, modo ab oppidanis & agreſtium populo indies afficerentur. Unde Comes nova continuo præſidia urbibus Scaniæ imponi curavit, ſub ducibus *Marco Mejero* & Comite Hoiæ. *Georgius* quoque *Munterus*, qui ſignis item aliquot præerat, Malmogia Lundam digrediens antiſtitem ibi *Torbernum Bilde*

Comes aſtis Haſniæ comitiis magnam argenti vim a nobilitate efflagitat.

nobilitas a G. Muntero & Ambroſio accuſata,

in Scania ſuſpecta durius habita

de conjici in vincula mandavit, ac secum Landscroniam traduxit. Editisqve inde publice codicillis evocavit similiter Landscroniam universam Scaniæ nobilitatem, sed dies præstituta antequam veniisset, intellectum jam in limite Scaniæ esse Suecum, & eo sane, si accessissent nobiles, qvod postea intellexere, periissent omnes. Quapropter cum cohorte, qvam collegerant, equitum circiter quingentorum, quibus præerant *Axillus Brahe* & *Christopherus* Withfeldius, vagi nec comiti sat fidentes tandem acceptis propius, quæ agerentur, & esse in vinculis archiepiscopum ipsorum *Torbernum*, se Regi Gustavo junxere, ei fidem solenniter pollicentes, & unam cum eo acturos se, idque electi Regis *Christiani* ducis nomine. Sicqve annus hic variis casibus modo lætus modo dubius ad finem decurrit, sed in hoc felix, qvod, circa initium mensis Julii, electo Regi filium, natum Haderslebii dederit ac regno simul successorem auspicatissimum *Fredericum*, qui postea ejus nominis Rex secundus est salutatus.

R. Gastavo cum copiis accedenti se jungit

Frider II. natus.

A. 1535. Hinc sub initium mensis Januarii, anni insequentis, qui fuit millesimus supra quingentesimum trigesimus quintus, facto in Hollandiam cum equitum ac peditum aliquot signis procinctu Sveci Halmstadium obsidere cœperunt. Inde Helsingburgum, Landscroniam, Malmogiam versus, nobilitate passim in Regis *Christiani* fidem ac potestatem recepta, arma circumtulere.

Sueci Hallandiam petunt. Halmstadium obsident, nobilitatem ad fidem Christiani III reducunt

Prope Helsinburgum, commisso cum Comitis Aldenburgici ac Lubecensium copiis prælio, pulcherrimam victoriam retulere, ac duces haud ex infimis & in his præter *Marcum Mejerum*, qvem custodiendum Wradbergiam misere, captivos abduxerunt *Michaelem Lilich*, *Christophorum* Hack & *Petrum Gelrum* Gelriæ Ducis *Caroli* nothum. *Georgius Munterus*, qui prælio similiter interfuit, arrepta circa littus scapha periculum effugit; Habebat Comes expeditissimum quidem peditem, sed equitatu inferior erat, quod animadvertens *Gustavus*, catus ac vetus militiæ princeps, qui hac parte validior erat, facile eorum omnes copias diffiavit, præsertim cum eidem se junxissent, equestres Scaniæ nobilitatis turmæ, quæ haud minus quingentis equitibus constabant, ut modo nemini. Hæc dum pugna circa Helsingburgum pugnaretur, tenebat oppidi arcem regni mareschallus *Tycho Krabbe*, qui licet comiti juraverat, tamen adveniente *Muntero* ex arce tormentum explodi fecerat, quod illi vitio versum. Sed ille se excusans, eas fuisse Lubecensium turmas referebat, qvibus sacramentum nullum dixerat, quas & arci, qvam tenebat, imminere certo acceperat. Hinc ad Regem electum Coldingam missus *Christophorus Witfeldius*, qvi lætum hunc ei nuncium deferret, ac simul supplementum aliqvod militum flagitaret, ad obsidendam Malmogiam, qvod & concessum fuit; Habebatqve jam Rex justum propemodo circa Scaniæ eas oras exercitum, qvo obsessum non modo Malmogiæ, sed & Landscroniæ oppidum; sed diu utrinque obsidio tenuit, ut inde dicetur.

Vincuntur Lubecenses prope Helsinburgum captis eorum ducibus Marco Meiero aliisque.

Christ. R. nova auxilia mittit ad Malmogiam, & Landscron. obsidendam.

Misit Rex electus initio statim ejusdem hujus anni ad Sveciæ Regem *Gustavum* delegatos suos, *Ovonem Lunge* & *Ivarum Jull* petitum ut classe armata sub proximum ver Balthicum mare ingrederetur, quo non modo Hasniæ, sed & Malmogiæ Landscronitæqve, quæ omnes maritimæ urbes essent, commeatus intercideretur, qvæ vix alias premi aut ad deditionem adigi possent, similiter & in mandatis ipsis erat, ut cum Norvegis agerent, eosqve monerent, unum cum Rege electo, Cimbris & Scaniæ nobilitate agerent, nec se ab illis separarent; Quod & factum fuit a præcipua nobilitate Norvegica Opsloæ circa pentecostem, & idem ut sequeretur exemplum archiepiscopus Nidrosiensis, ab ipso per codicillos petierunt.

Norvagorum præcipui Christiano R. el. se dedunt.

Post prœlium Helsingburgense lis inter Danos & Suecos orta de *Marco Mejero*, cujusnam is captivus esset. Sveci suum esse dicebant, quod eorum potior esset exercitus, non eqvitatu tantum, sed & pedite constans: at Dani contra referebant, quod, cum caperetur, in ipsorum fidem ac tutelam concessisset. Inde postremo ita conventum, ut intra Warbergam, quæ erat in convinio pro tempore custodiretur. Ubi dum in arce laxius servatur, egit clam cum oppidano uno alteroqve de arce occupanda, quod illi facile fuit. Nam oppidum tunc comitis adhuc præsidio defendebatur, arcem pro Rege electo tenebat *Trudo Ulstand*. Marcus arce positus confestim id comiti significat, qui ei præsidium submisit, tenuitque, dum iterum a Danis Svecisque caperetur, ut inde dicetur.

Marcus Meierus Warbergæ captivus arcem capit.

Hinc comitis jussu, magna nobilium manus, qvi Hafniæ erant, capti ac missi Malmogiam; qui evasere, electum Regem secuti sunt, seque in arcem Draxholmiam recepere. Unde eos expellere, adducta secum equitum peditumque cohorte Hoiæ Comes, sed frustra, conatus fuit. At Callenburgum, qvod simul ab ipsis tum impetitum, se Comiti dedidit præfectumque accepit *Longum Hermannum*, qui aliquoties per insidias intercipere exinde, quæ in vicino est sita, Draxholmiam, in quam, ut dixi, nobiles confugerant, sed incassum, tentavit.

Draxholmiam concedunt nobiles, qvi comitem effugerant.

Callenburgum comiti se dedit.

Quæ dum fiunt, authores Lubecenses fuere Duci Megapolensi *Alberto*, ut is partes sequendo Regis *Christierni* II, affinis sui in Daniam se quoque reciperet. Quod & ille haud invitus fecit. Venitque associatus consule Lubecensium *Wollenwebero* Hafniam; sed mox parum inter ipsum & comitem convenit, cum alter esse altero superior studeret. Comes interea classem Hafnia in proximum Oresundæ porthmum misit, quæ ibi a navigiis peregrinorum eum transeuntibus telonium exigeret. Et venerant tum commodum in id freti Hollandorum naves septuaginta. Ab his non modo telonium, quod debebatur, exactum, sed naves qvoqve ac merces eorundem a classiariis direptæ ac veluti in prædam datæ. Quod continuo Regis mareschallus *Tycho Krabbe* & reliqvus Scaniæ senatus electo Regi significant, eique

Alb. D. Meckl. venit Lubecensibus auxilio; sed dissidet cum Comite

Comes Hollandorum naves diripit.

que autores sunt, ut in Daniam quam primum trajiceret, & maxime dum inter se dissiderent, nec unum agerent comes & Dux Megapolensis *Albertus*. Et præterea operam omnem navaret, ut classe comparata, Balthico mari potiretur. Quibus acceptis extemplo electus Rex, qvod & agere jam ante cœperat, universum exercitum suum silentio noctis in Fioniam prope Helleneſum transmisit, idque tanta celeritate, ut animadversi haud fuerint, priusquam intra insulam cuncti consisterent: Excubiæ Comitis præsidiaque, quæ circa littus agebant, id ubi intelligerent, continuo cives agricolasque omnes, qui in proximis locis agebant, convenire intra Middelfurtum & Ottenseam jubent. Sed his in adversum profectæ regiæ copiæ loco eos pellunt, fugientibus primo militibus, atque inde, quæ aderat, agrestium cohorte. Miles intra Assenum qvod ad littus est positum, se recepit, secutique regii, qui continuo oppidum corona cinxere. Nec mora, omnis eodem magno numero convenit Cimbrica nobilitas, ut & alii, qui militiæ eidem nomen dederant.

Rex el. in Fioniam cum exercitu festinanter trajicit.

Comitis copiis fugatis Assenum obsidet

classis Lubecensium Neoburgum missa

Nec multo post decem navium classem misere Lubecenses per Balthicum mare Neoburgum, quod Fioniæ oppidum est, novo milite, quem in Germania cogi Comes fecerat, refertam. In his erat *Nicolaus* Teckenburgensium Comes *Othonis* filius. Et præter hæc *Albertus* Dux Comesqve *Christophorus*, Hojæ Comitem *Johannem* majore cum manu transmittere eodem mandarunt, ut adesset subsidio ceteris, qui oppida ibi passim suo præsidio tenebant. Erat insuper eidem classi in mandatis, ut fretum Middelfurti occuparet, ac sedulo invigilaret, ne quis ulterior commeatus aut novæ copiæ in castra electi Regis ex proxima Cimbria transferrentur.

& subsidia advecta

Othenseam diripiunt.

Præerant universo huic comitis exercitui uterque Comitum Hojæ & Tecklenburgensis, Neoburgi haud diu morati Orthenseam, quæ est in insulæ veluti meditullio, se contulere; Hic dum dies aliquot trahunt, oppidum diripuere. Quod ab illis imprudenter & malo omine factum plures interpretabantur. Inde varie inter ipsos consultatum, quo pacto aggredi electum Regem, ut eum ex insula dimovere quam commodissime possent. Alii hoc, alii illud in medium adducebant. Placuit postremum, ut sub ipsum crepusculum matutinum castra Regis inopinato invaderent significato prius qvi intra Assenum obsidebantur, ut, ipsis adventantibus in regia castra irruerent. Sed id consilii cum per certum hominem, qvi captivus e castris Comitum clam effugerat, esset detectum regiisque significatum, e re illi judicarunt, ut illo ipso tempore incensis castris versus hostem moverent, qvi circa Foburgum castra posuerat; Miles igitur, qui intra Assenum erat, videns tentoria regiorum flammis fulgida, omniaqve igne collucere, egredi oppido, & in regios irruere, qvod ipsis erat mandatum, haud ausi fuere, ignorantes, qvid rei esset; Qvin & constitutum a regiis erat, ut equitum cohors, quam *Christophorus a Felten* ducebat prope urbis egressum consistens, eruptionem, si qvam forte tentare nihilominus instituissent, inhiberet.

Regii itaque motis castris hosti occurrere, ac eum circa jugum montis, cui Oxenberg nomen erat, semi circiter milliare ab Assено urbe dissito, primum conspexere, qui & id agebat visis regiis, ut occupato ejusdem montis colle se vallo ac vehiculis clauderet. Id cum viderent regii, terrorem illis injectum facile conjiciebant; & ideo, exoneratis in eos grandioribus tormentis, tandem eo adacti sunt, ut in aciem apertam prodierint; Hic Regii, duce *Rantzovio* intra gradum ac ordinem suum consistentes non ante in adversum progressi sunt, qvam jactu circiter lapidis alter ab altero abesset. Tum impetu facto hostem invadunt ac cædunt, qvi & sponte sua, dum rumpere ordinem instituit, irruunt in latus eorum, qvi erant in id ordinati cataphracti aliquot equites, & mox, quæ illis tempori se junxit, *Christophori* a Felten turma. Sicqve rupta in totum ipsorum acie, ingens cædes facta, multiqve in vincula abducti. Captus est ipse Comes Hojæ, qvi dum equo descendit, gladio eum trajicit Holsatus qvispiam, veteri in eum odio ductus; In acie dimicans occubuit Tecklenburgensium Comes ut & *Sebastianus a Gisen*. Inter captivos memoratur Burckgravius a *Donha*, cujus prænomen non reperi. Itemqve *Remmerus* a *Wolde* peditum ductor, & præter hos mille octingenti pedites. Antistes Upsaliensis *Gustavus Trollius* lethaliter vulneratus Gottorpium est delatus, ubi vitam cum morte commutavit, fidei suæ, qua adhærere potius crudeli tyranno *Christiano* II, quam patriæ suæ ac popularibus voluit, hoc veluti præmium referens. Præsidium comitis, qvod intra Assenum erat, intellecta suorum clade, Hafniam navi concessit. Comitis utriusque cadaver, qvod erat in loco, ubi prælium contigit, terræ mandatum, Rex *Christianus* deportare postliminio Othenseam jussit, ubi conditum est in cœnobio *Divi Canuti* cum hoc Epicedio:

cæduntur a regiis circa Oxenbergam.

Jo. Hojæ comes trucidatus, Tecklenb. occumbit.

captivi.

Gust. Troll ex vulneribus obit Gottorpii.

præsidium Assense aufugit.

epitaphium utriusque comitis cæsi

ANNO DOMINI MD XXX. V. JUNII JOHANNES
DE HOJA ET NICOLAUS DE TECHLENBURCH,
COMITES IN HOSTILI LUBECENSIUM ACIE CÆSI,
PROPE ASSENS AD REGIONEM OXENBIERG, IBIQUE
SEPULTI CHRISTIANI III. REGIS VICTORIS PIO JUSSU HUC TRANSLATI.

Inde electus Rex receptis Assено, Svinburgo & Othensea, aliisque insulæ oppidis, & in his, quod Balthico mari adjacet, Neoburgo, suis ea singula præsidiis communiit;

Rex el. Fioniam occupat

Neoburgo ejusqve arci *Christophorum Witfeldium* impoſuit, eam præfecturam ejus fidei ac meritis tribuens.

D. Alb. & Com. Old. Selandenſes cohortantur.

Moxqve facta hac ſtrage uterque principum, Dux *Albertus* Megapolenſis & Comes Oldenburgenſis *Chriſtophorus* miſſis ad conventum ſeu forum Selandenſium publicis codicillis eos commonuere, animo præſenti eſſent, nec moverentur, quam in Fionia accepiſſent, clade; eſſe adhuc præcipuum militiæ robur ſalvum atque integrum, qvo defendi poſſent; ſaltem & ipſi officio haud deeſſent, excubiasque præſertim circa littus agerent, ac inhiberent, ne Holſatiæ Ducis navigia aut milites in id de nocte aut die tranſitum facerent, adjicientes exſpectare ſe inſigne militiæ ſupplementum, quod propediem adeſſet; Ante omnia vero eos hortabantur, ne Holſatiæ Ducis aut procerum ejus promiſſis fiderent, eſſe eos fœdifragos, nec meliores, quam fuerint erga Chriſtianum II. prædeceſſores ipſorum.

ſed hi regem electum reſpiciunt.

At Selandenſes & nobiles præcipue hac clade dejecti, parum ſe promptos aut paratos præbuere ad ea, quæ poſtulabantur, præſtanda. Cunctique electum jam Regem reſpicere cœperunt. Qui & claſſem navium qvatuordecim, qvam a Rege Svecorum petierat, jam indies exſpectabat præter eam, quam ei pollicitus Boruſſiæ Dux fuerat, cui & ſuam electus Rex erat juncturus: Et venit haud multo poſt utraque claſſis obviamque circa Borringholmiam habuit Comitis naves armatas circiter viginti ſex. Qvibus cum confligi continuo cœptum, ſed nox ac orta ſubito tempeſtas prælium diremit, tum & Comitis navis prætoria tormentis grandioribus, ita erat perforata, ut peſſum iviſſet, niſi tempori ſe intra portum recepiſſet; Ac eam dum ſeqvitur Hafniam aut Oreſundam verſus reliqua comitis claſſis, adferuntur electi Regis literæ ad Sveciæ Daniæque claſſis admiralium *Schrammium*, nobilem Danum, ut interius Selandiam ac Fioniam verſus procederet. Quod ubi factum, decem Lubecenſium bellicas naves vi cepit, ac ſtatim Beltæ fretum propius ingreſſus Tranckeram ac Corſœrum ſuæ poteſtatis fecit, quæ ab illa parte verſus Fioniam veluti initia ac clauſtra ſunt, quibus invadi Selandia poteſt. Unde & Rex electus poſtqvam inaugurari ſe a civibus Otthenſeæ, quæ Fioniæ eſt metropolis, feciſſet ac militi ſtipendium numeraſſet, confeſtim in Selandiam equitem ac peditatum univerſum transportari curavit. Ac ipſe continuo ſecutus prima caſtra circa Coagium poſuit; Ubi cum accepiſſet, claſſem ejus in anchoris prope Hafniam conſiſtere, movit Coagio, ac cingere obſidione urbem cœpit, ipſo feſto divi Olai; Advenitque eodem tempore claſſis Norvegica, qvam parari apud Norvegos fecerat, ſeque reliquæ ejus claſſi, quæ circa Hafniam ſtabat, conjunxit. Dum tenet ea obſidio partem militiæ transmiſit in Scaniam Rex electus, ut arctius premerentur Landscronia & Malmogia. Nonnulli quoque in eo erant, ut reducerentur ad obſequium minora aliquot Selandiæ oppida, & in his Nicopia, Callenburgum, Helſingorum aliaque.

advenit claſſis ſocia R. Svec. & D. Boruſſ.

præliatur cum Lubecenſ.

decem horum navibus captis itemque Tranckera ac Corſora opp.

Rex el. in Selandiam trajicit,

Hafniam obſidet.

jungit ſibi Norvagorum claſſem, Malmogiam & Landscr. arcet,

Inter hæc *Trudo Ulſtand*, cui Marcus Mejerus arcem Warbergenſem, in qua ut diximus, captivus tenebatur, per inſidias eripuerat; ut ſe vindicaret arcemque reciperet, impetrat a Rege aliquam militum manum, qua arcem eandem obſidione premit, dumque premitur, & jam tormentis grandioribus verberare mœnia peditum præfectus inſtituit, pollicetur ei *Marcus Mejerus*, ſe arcem ei dediturum hac lege, ſi vitæ ſuæ ſecuritatem obtinere idque certo poſſit. Et eſt hoc pacto dedita arx; omniaque egit peditum præfectus, ut ei ſecuritas præſtaretur; Ad Hoidoram ubi veniſſet, qui locus haud procul regiis caſtris aberat, poſitus inter Helſingoram & Hafniam, ibi eum *Melchior Rantzovius* juſſu dubio Regis coram affatus ei graviſſima ejus crimina ob oculos poſuit; Ac mox Helſingoram ductus tortusque lata ſententia quatuor in partes diſſectus eſt ac rotis una cum fratre *Gotofrido Mejero*, & aliis, qvi aderant, impoſitus, dignum meritis ſuis exitum ſortitus fuit; Hic *Marcus Mejerus*, dum Warbergam teneret, clam per Lubecenſes agi curat, ut Daniæ regnum Angliæ Regi *Henrico* VIII. traderetur, ſi ille impenſas ipſorum, qvas illi bello fecerant, refundere vellet, acciperetque ab ipſis ſuoqve præſidio ad rei majorem ſecuritatem muniret Hafniam, Malmogiam & Warbergam; Miſſiqve hoc nomine Waerbergam ad *Marcum Mejerum* Angliæ Regis delegati, & poſtmodo qvoque Embdam venere alii cum Lubecenſibus acturi, ſed ſerius nonnihil; Nam *Marcus Mejerus* ſupplicio tum affectus erat, & dedita inſuper Hafnia.

Warb. arcem recipit

Marcus Mejerus iterum captus & diro ſupplicio affectus cum fratre aliisque.

ejus cum R. Angl. de tradenda huic Dania pactum.

In caſtris dum agit Rex electus, inter alia edi publicum programma fecit, qvo refutatæ accurate ſunt, rationes, quas publicari jam ante Lubecenſes fecerant, quibus ſcilicet moti eſſent ad bellum iſtud gerendum, ac demonſtratum, qvam illæ vanæ ac longe accerſitæ eſſent; ac veram nec aliam belli cauſam cenſendam, quam eorum ambitionem, qui ſoli dominari Balthico mari excluſis peregrinis & præſertim Hollandis cuperent.

Rex publico ſcripto confutat rationes belli Lubecenſium.

Periculoſum per idem tempus renuente ſenatu in Sveciam Rex electus aſſumptis ſecum præter *Rantzovium* paucis aliquot iter inſtituit; Nam ubi rediiſſet & adfinem ſuum Regem *Guſtavum* ſalutaſſet, deque ſingulis coram cum eo egiſſet, ſero intellexit ex vultu & verbis *Guſtavi*, non vana fuiſſe, quæ eum ante deceſſum monuerat, qui tum in Scania erat regni ſenatus. Quod nimirum magnatum ejusmodi congreſſus raro proſperum eventum ſortiantur, quem admodum etiam, ubi de Rege ſuo agit, vivo exemplo commonſtrat prudens ſcriptor *Cominæus*; Ut omittam, admodum dubiæ aleæ cenſeri, principem regno aut ditione ſua egredi, ſeq; alienæ poteſtati committere. Scriptores Svetici ab his nonnihil recedentes memorant

R. Chriſt ad Guſtavum R. Svec. commeat

tant, Regem electum peramice ac magna cum honoris ac benevolentiæ significatione a *Gustavo* ut exceptum, ita quoque dimissum, prodente id etiam fœdere & unione, quæ inter utrumque arctior arctiorque est constituta. Quæ tum inter utrumque Regem acta fuere, hæc fecerant: Primo Rex electus gratias *Gustavo* Regi ut affini ac fratri suo optimo prolixe reddidit pro præstitis hucusque auxiliis, ac simul certiorem fecit, esse in eo Cæsarem, ut promoveat ad tria hæc regna, qvi *Dorotheam* filiam *Christiani* II neptem ejus duxerat, *Fredericum* Pfaltzgraviam imperii electorem, ideoqve omnino necessarium videri, ut regna hæc utraque novo nexu ac ulteriore unione jungerentur &c.

indicatque Fridericum elect. Palat. tribus regnis hær. a Cæsare destinari.

Lubecenses, dum classis, de qua dictum, regia circa Hafniam & Malmogiam hæret, capto tempore minoribus aliquot lembis, qvos majoribus suis navigiis junctos habebant, commeatum aliquem Hafnienſibus intulere. Quod admiralius *Petrus Schrammius* dum inhibere satagit, sclopeto circa crus percussus est. Et id cum accepissent Lubecenses, audaciores eos fecit ad idem simul iterumqve tentandum, dum constituto in locum *Schrammii Johanne Prenio*, id in totum ipsis negatum fuit.

Lubecenses Hafnienſibus obsessis commeatum subvehunt.

Paulum ante id Landscronia, quod Scaniæ est oppidum, quodqve obsedere *Holgerus Ulstand* & *Magnus Guldenstern*, sese dediderat, acciditqve ea deditio electo Regi peropportuna, quod portus ejus urbis esset non incommodus, præsertim ad recipiendas naves hyberno tempore.

Landscronia regiis dedit.

A. 1536. Imp. legati electori Sax. consilium de Frider. Pal. in regnum Dan. suffici. endo aperiunt;

Dumque obsidetur Hafnia, illustres delegatos misit Imperator ad electorem Saxoniæ & Hassiæ Landgravium, circa festum paschatis anni supra millesimum quingentesimum trigesimi sexti; erant hi *Johannes* Comes Montfortiæ, *Wilhelmus* Rennebergæ dynasta, itemque *Godschalcus* Ericæ: significabant illi, constituisse Cæsarem juvare *Fredericum* Pfalzgravium, ut ei Daniæ regnum cederetur; cujus & justus heres esset nomine *Christierni* II, quam in conjugem sibi haberet. Qvi & addebant & veluti accusabant *Christianum* Holsatiæ Ducem, quasi is contra fas & æqvum sibi arrogare regnum id vellet, authorqve esset capti adversus urbes belli, existimantes, si ei jus aliquod in id regni competeret, causam suam juri submitteret: Cæsaris itaqve nomine rogatos eos volebant, ne qua auxilia Duci *Christiano* sufficerent, & si qua ei jam suffecta præstitaque essent, ea revocarent. At responderunt illi; Cæsarem illius majestatem minus recte super ea re edoctam instructamqve esse, nec in id regnum quicqvam juris posse competere *Frederico* Pfaltzgravio, quod electivum id esset; nisi quod spectaret dotalitium conjugis ipsius Dorotheæ, existimabant haud gravate id, quicqvid esset, expediturum electum Regem, idque secundum regni morem, seqve, ut id fieret, adjuturos, si opus esset. Cæsareæ præterea majestati significabant, haudqvaqvam Regem electum belli occasionem dedisse; sed Lubecenses, qvi primitus irruptionem in Holsatiam fecissent, vocato ac constituto belli Duce Comite Oldenburgico, idque instinctu duorum seditiosorum hominum *Marci Mejeri* & Wollenweberi consulum Lubecensium. Inde, relatis qvomodo regno excidisset Pfalzgraviæ Dorotheæ parens *Christianus* II, & in ejus locum electus fuisset patruus ejus *Fredericus* I. Addebant postremo, electum Regem Cæsareæ domui semper deditum fuisse, & adhuc fœderi Burgundico innexum esse; & hinc veram belli causam repetendam, odium nimirum Lubecensium & urbium in Daniæ Reges & proceres, qvi hucusque ob idem fœdus liberam navigationem per oresundæ fretum Hollandis permittebant &c.

sed ab eo rectius edocti.

Dum autem durat Hafnienſium obsidio, editi & sparsi in vulgus a malevolis passim famosi libelli ac cantiones, quibus denigrare atqve accusare nobilitatem studebant, quasi homines forent fœdifragi ac fluxæ fidei, aliaqve ejusmodi in eos jacentes. Sed iis haud defuere vicissim nobiles, qui evulgata in contrarium prolixa pro se apologia eas calumnias facile dissarunt.

nobiles in sc jacta probra refellunt

Hoc licet tempore arcte intra Hafniam obsessus teneretur Comes *Christophorus*, regnum nihilominus spirabat; misitque certum hominem ad aulam Burgundicam, qui recte inquireret, num ipsi in matrimonium credi posset *Christierni* captivi filia *Christina* Cæsaris neptis, vidua Francisci Sfortiæ, qvi anno superiore obierat: simul flagitans, ut ei adesse subsidio Burgundici vellent, seque obsidione ea liberare; se Hollandis vicissim non modo liberam per Oresundæ porthmum navigationem permissurum, sed & alia concessurum, quæ Cæsareæ majestatis subditis summo emolumento essent futura: agens hoc pacto non Lubecensium jam, sed suam causam; At gubernatrix Belgarum *Maria* parum æque accipiens, quod de matrimonio injiceretur, reponi fecit, auxilia, quæ pararentur, ea Pfalzgravio destinata esse, idque jussu ac voluntate Cæsareæ majestatis; Ac inde ad ipsum *Fredericum* Pfalzgravium, qui alteram, ut dixi, *Christierni* captivi filiam Dorotheam duxerat, versæ Hafnienſium ac civium Malmogiæ preces, missæque ad ipsum literæ, quibus orabant, subsidio ipsis veniret ac liberaret e carcere Christiernum II. socerum suum, qui licet exinde, qvod jam ante animo agitaverat, serio agens, ac ipsemet in Belgium digrediens classem, qua potest celeritate, parare instituit, juvante haud obscure Belgii gubernatrice; tamen cum essent, ex magnatibus quoqve, quibus negotii istud minus placeret, parum accelerata res fuit.

Christoph. com. Hafniæ obsessus Christinam R. Christ. II. fil. viduam ambit regno inhians.

repulsam fert.

Freder. Pal. ad regnum occupandum se accingit in Belg.

Interim tamen Rex electus cum non ignoraret, agitari hæc apud Belgas & numerosum jam militem ad manus esse Pfalzgravio, tum & literas a gubernatrice Belgii *Maria* ad Hafnienses, mari missas, quæ a regiis sunt interceptæ, quibus eos monebat, urbem ne dederent, adfore brevi cum classe & auxiliis Pfalzgravium; ea, inqvam, cum non lateret electum Regem, dare operam cœpit, ut eam Pfalzgravii expeditionem suis ab oris averteret; egitque continuo cum

hinc Menardus ab Ham R. Christ. instinctu im-

preſſionem in agrum Groning. facit.

cum *Menardo* ab Ham, qui cohortium ductor diu ſub ſignis Gelriæ Ducis *Caroli* militaverat, ut is in Cæſaris ditiones, quæ Amaſi erant proxima, impreſſionem faceret. Quod & ille, bello lætus haud ægre aggreſſus ſuis cum copiis Dammum prope Groningam invaſit, ac locum eum in modum oppidi communire, ac nomine Regis electi *Chriſtiani* ornare privilegiis inſtituit, conceſſo etiam monetam cudendi jure. Quod cum maxime ægre ferrent Groningenſes, Cæſarem aulamque Burgundicam concitant, quo auxilia in adverſum præſtarent. Milesque in id a Burgundicis collectus, cui præfectus fuit *Georgius Schenck* a Tautenberg, & additæ illis, quas jam paratas inque vicino poſitas habebat copias, *Fredericus* Pfalzgravius. His Schenkius in agrum Groningenſem profectus, minora aliquot præſidia atque arces, qvas ſuæ poteſtatis Monardus fecerat, initio occupat, atque inde Dammum verſus movens id obſidione premere cœpit. Dumque tenet obſidio, tria millia ſelectorum militum ſubſidio

auxilia a R. el. Chriſt. miſſa cæduntur.

Rex electus *Monardo* miſit ſub ductoribus *Bredone Rantzovio* & *Georgio Munſtero* a Wede. Sed a Schenckio illi, qui in adverſum illis circa Weſtervoldam occurrit, fuſi ac fugati fere omnes, capti *Rantzovius* aliique Holſatiæ nobiles. Inde ſe *Schenckius* ad Dammum propius obſidendum cum retuliſſet, ac traheretur diutius obſidio, venit Groningam ipſe Pfalzgravius, ut copias ſuas ſub ſigna reduceret; ſed id cum obtinere, niſi dedito Damno, non poſſet, in fumum ea ipſius expeditio eæque in Daniam

irrita abitea Pfalzgravii expeditio.

minæ abiere. Nam dedito deinde Dammo, intellexit continuo, qui caſtra, ut dixi, adiverat Pfalzgravius, & Hafniam & Malmogiam in poteſtatem electi Regis conceſſiſſe.

legati Dan. ad epiſc. Nidroſ. capti; hujusque turbæ in gratiam elect. Palat.

Quæ dum aguntur, miſerat Rex electus ad Epiſcopum Nidroſienſem *Olaum* delegatos ſuos, viros nobiles *Vincentium Lunge* præſidem Bergenſem, *Nicolaum Bilde* arcis Aggerhuſiæ præfectum ac denique *Eſchillum Bilde* Hagenſchoviæ præpoſitum, ut antiſtitem monerent, ne ſe ſuosque a Daniæ regno ſepararet. Sed ii, priusquam advenirent, venerant jam ante ad eundem antiſtitem miſſi a *Maria* gubernatrice Belgii illuſtres Cæſareæ majeſtatis legati, qui eum hortabantur in fide, quam *Chriſtierno* II. tempore *Frederici* I. juraverat, perſiſteret, ei certo pollicentes adfore mox auxilia ac claſſem armatam *Frederici* electoris Palatini, qui Cæſaris neptem *Dorotheam Chriſtierni* II. filiam in matrimonio habebat; unde continuo ille Regis electi delegatos ubi adveniſſent, con-

Vinc. Lunge ab ipſo trucidatus.

jici in vincula jubet. Quorum Vincentium intra cuſtodiam, qua tenebatur, veteri præterea in eum odio ductus trucidari mandavit. Atque inde miſſis quaque verſum per Norvegiæ, diſtrictus ac diœceſes equitibus ac militeſe nomine electoris *Frederici* inaugurari fecit. Erant qui vim majorem veriti opponere ſe haud auſi fuere. Egregiam hic operam præſtitit e-

Ericus Guldenſtern captivos liberat.

lecto Regi *Ericus Guldenſtern*, qui acceptis aliquot navibus ac milite Nidroſiam profectus eſt, ac nobiles, quos archiepiſcopus *Olaus* captivos tenebat, e cuſtodia exemit; ipſum qvoqve archiepiſcopum cepiſſet, niſi Steenwigsholmia arce munitiore ſe continuiſſet.

Hinc cum ad incitas ire res ſuas animadverterent Lubecenſes, & ſe vix ſufficere beli ulterius gerendi, impenſis viderent, tum & aliis cauſis moti, de pace cum Rege electo faciunda cogitare cœperunt, uſiqve ad eam rem maximis interceſſoribus, Electore Saxoniæ aliisqve Germaniæ principibus, ut & urbibus aliquot Vandaliæ. Eſtque facta hæc pax Hamburgi, ſed cum inſcio Rege *Guſtavo* transactum hoc totum eſſet, ægerrime id tulit. Ac ſtatim claſſem ab obſidione Hafnienſi revocat, & pecuniam mutuo datam ab electo Rege repoſcit, vel Norvegiæ provincias Wikiam & Bahuſienſem pignoris loco flagitat. Chriſtianus igitur, miſſis continuo legatis *Holgero Ulſtand* & *Axillo Vrop*, Regi *Guſtavo* ſe excuſat, qvod principibus interceſſoribus & amicis urgentibus tum & neceſſitate adactus in eas conditiones cum Lubecenſibus deſcenderit: Omnia tamen Regi *Guſtavo* integra eſſe nec eum ea pace excluſum haberi: Atqve ita lis illa inter utrumque Regem aliquali tum transactione compoſita eſt. Lubecenſibus interim integra, cujusmodi antea habuerant, privilegia conceſſa haud ſunt, ſed libera in Sveciam navigatio interceſſione *Chriſtiani* poſtliminio permiſſa.

Pax cum Lubecenſ. Hamburgi facta inſcio R. Guſtavo, hinc ejus indignatio

Chriſtiani R. excuſatio.

Verum illi dum priſtinas immunitates ac jura ipſorummet temeritate amiſſa recuperare non poterant, variis criminationibus tam apud Cæſarem, quam principes Germaniæ Regem *Guſtavum* inceſſere haud deſierunt; Ac ultimo, quod hac in gente horrendum ſit, ad occultas proditionis inſidias confugere; Etenim Germanos cives Stocholmiæ habitantes excitarunt, qui vel veneno Regem tollerent, vel pulvere nitrato ſub ſedili Regis in templo urbis defoſſo, cui adpoſita ænea fiſtula, quæ intus elychnium incenſum haberet, ex numero vivorum exturbarent; Quo pacto ac civium etiam urbis potiſſima parte interfecta bonisque eorum direptis ac arce regia diruta omnem magiſtratus authoritatem ad Lubecenſes conſules ac ſenatores transferrent; Verum detectis machinationibus de ſceleſtiſſimis hiſce conjuratis ſupplicium debitum eſt ſumptum, qvod fide non mea, ſed *Georgii Erici*, qui res *Guſtavi* idiomate vernaculo ſuccincte contexuit, hic apponendum cenſui.

Lubecenſium in R. Guſtavum ob privilegia illis imminuta conſpiratio.

Cum autem animadverterent Malmogienſes, & cujus illi nutu cuncta geſſerant, *Georgius Munterus* nulla advenire ſubſidia & fruſtra expectari, quam elector Palatinus Fredericus, claſſem ac militem promiſerat, tum & Lubecenſes cum Rege electo reconciliatos deditamqve Landscroniam, & ultima neceſſitate premi Malmogiam, alio animum vertit; miſitqve in caſtra, qvibus Hafnia obſidebatur, Holſatum nobilem, qvem Malmogiæ captivum detinuerat, ad Regem electum, qvi ei *Munteri* nomine ſignificabat, paratum eſſe *Munterum* dedere ei Malmogiam, atqve inde conferre ſe Hafniam, ac curaturum, ut & ea ſe propediem dedat, modo regia ejus majeſtas in gratiam ipſum recipere ac vita bonisque donare velit. *Muntero*

G. Munterus gratiam R. elect. ambit.

ſal-

salvus conductus a Rege concessus, venitque clam ad Regem, seqve majorem in modum excusans defectionis veniam petiit atqve impetravit. Reversus *Malmogiam*, ita cum civibus egit, ut Regi electo dederent, ubi intellexissent, Hafniæ ipsum esse: Quod & contigit, deditaqve Malmogia die secundo Aprilis, veniaque ipsis concessa, ac permissa, qvam Lutheri vocabant doctrinam salvis qvoqve, qvas antiqvitus obtinuerant, immunitatibus ac privilegiis. Inde haud multo post Malmogiam Rex ipse venit, urbemque intravit statim post dominicam Palmarum, qui fuit undecimus Aprilis. Inde Malmogia rediens, ut Hafniam arctius premeret, propugnaculum collocari facit in insula, quæ urbi proxime adjacet, Armagia dicta. Nam eam quam diu liberam habuissent cives, ex ea commeatus in urbem deferebatur; At mox cum id totum esset ipsis negatum, tanta inedia pressi ut eqvos, canes, feles, & quicqvid talium erat, edere plerique cogerentur. Unde & seditio inter cives & milites orta, qua cives circiter ducenti tam in publico quam intra ædes perempti fuere. Incredibilem ac saguntina haud minorem eam Hafnienſium famem fuisse, ex eo est colligere, quod plures per publicum incedentes alii in lectulis inopinato morerentur; alii humi decumbentes erigere sese nequirent. Liberi & infantes præsertim lactantes eousqve ubera suxere, dum elicito sanguine & ipsi & matres enecti fuerint.

Malmogia qu dedita.

Armagria inf. occupata Hafnienses fame labo-rant.

hinc tumultus & cædes intra urbem oriuntur,

exitialisque calamitas

Hafnia Regi dedita.

Sicque jam integrum annum postqvam obsessi Hafnienses fuissent, de deditione agere cœperunt; Primi se obtulere Dux *Albertus* & Comes *Christophorus*, qvi delegatos suos ad Regem electum misere gratiam ac veniam expetentes; qvam illis ægre concedere Rex cum videretur, medium se interposuit Dux Luneburgensis *Guilelmus*, qui tum in castra commodum advenerat. Suntque pacis conditiones factæ continuo deditaque urbs XXVII. Julii. Inter conditiones id stipulatum erat, ut Dux *Albertus* & comes *Christophorus* flexis genibus culpam apud electum Regem deprecarentur. Et factum, dum in genua procumbunt, ut eos, sed maxime comitem *Christophorum*, asperrime Rex affatus sit, eum accusans, qvod ille sine ulla causa aut belli denunciatione in Holsatiam irruisset, atque inde suam operam Lubecensibus collocarit, in Danici hujus belli motu nomen præbendo, quasi de liberatione captivi Regis ageretur, atque occasionem hoc pacto dederit tantum sanguinis effundendi, esse jam occasionem se de eo vindicandi ac pœnas ab illo reposcendi, sed cognationis causa tum & nominis ac famæ suæ ratione id remittere. Hinc surgere jussi urbem repetivere. Erat præterea conditionis id positum, ut Dux *Albertus* & comes *Christophorus* navigio Regis in Germaniam quam primum reveherentur, & venia quoqve esset *Muntero*, ut & Ambrosio. Rex deinde una cum Regina urbem est ingressus ac mox convocatis præcipuis regni proceribus cum eis clam egit de episcopis deponendis, deqve puriore evangelii doctrina in omnes regni diœceses ac provincias invehenda. Nec mora capti hinc inde antistites, ac bona diœcesium regno adjudicata; Sed episcopi mox dimissi & aliis beneficiis clementer a Rege ad vitam ornati, excepto *Jacobo Ramnovio*, qui reluctari conditionibus a Rege propositis videbatur. Facta tum quoqve atqve inita cum Rege *Gustavo* perpetua amicitia, idqve sub certis capitibus, quæ pacis articuli sive capita appellantur. Decretum tum qvoqve, ut delegati ad Gubernatricem Belgarum Cæsaris sororem *Mariam* mitterentur; qui ei in memoriam revocarent fœdus, qvod esset inter Daniam & domum Burgundicam in annos triginta Gandavi pactum, ut pax etiam deinceps haberi ac coli amicitia possit. Et est in eum finem haud multo post statutum, ut Hamburgum utriusqve legati, cum plena agendi potestate venirent; qvo ibi de pace ulteriori aut induciis statui possit, ut statim dicetur.

conditiones

antistitum bona ad regnum reducta.

amicitia inter Christ. Gustavum Reges firmata.

legati pacis stabiliendæ causa ad Mariam Belgii gubernatr. missi.

Proximum sub annum, qui fuit millesimus supra quingentesimum trigesimus septimus, veniam a Rege petiit Archiepiscopus Nidrosiensis *Olaus*, non tantum defectionis suæ, sed & aliorum delictorum ac cædis præsertim in *Vincentium* Lunge turpiter perpetratæ; Hanc si impetrare a regia ejus Majestate posset, paratum se declarabat, ejus Majestatem apud Norvagos inaugurare. Sed ad illud postulatum nihil illi a Rege responsi redditum; Et est haud multo post, missa eo classis eique impositæ cohortes aliquot, quibus præerant *Trudo* Ulstand & *Christophorus* Witfeldius, sed eos ubi esse in procinctu cognovit antistes *Olaus* convasatis, quas potuit rebus in Hollandiam navigavit; ubi diem postmodo obiit. Sub finem ætatis, mensis Augusti die duodecimo, qui Regi ipsi erat natalis, Coronatus est Hafniæ Dux *Christianus* Danorum Rex, Idque a *Johanne Bugenhagio* Pomerano, superintendente Wittenbergensi, adhibitis ceremoniis ac solennibus, quæ usurpari in ejusmodi actibus solent. Vocatus in Daniam Bugenhagius fuerat, ut instauraret Hafnienſem universitatem; ac simul ut Ecclesias per universum Daniæ regnum, ad modum & morem Augustanæ confessionis reformaret. Dum in Dania per quinquennium circiter hæret, offerebat ei Rex Episcopatum Slesvienſem: sed ille, actis Regi gratiis, nolebat deserere scholam, sive Academiam Wittenbergensem. Aderat eodem tempore Regi, ut ejus coronationem honostaret, *Albertus Borussiæ* Dux, una cum conjuge Dorothea, quæ *Christiani* Regis Germana erat soror. Aderant & Regis *Gustavi* ut & Electoris Saxoniæ Hassiæque illustres Legati, præter quos Luneburgici ac Lubecenses, aliæque Vandaliæ urbes transmiserant; Hi omnes Regiæ ejus Majestati fausta ac felicia precabantur, Ipsi ac sibi gratulantes, quod, ei tot post belli nimbos ac tempestates una cum regno pax ac tranquillitas obtigisset; Id illi ut proprium ac perpetuum bonum esset, simul optantes.

A. 1537.

Antistes Olaus fugit in Hollandiam.

Christianus Rex coronatur.

Gratulationes Legatorum.

Inde ad modum Reformationis, qui erat præscriptus, ejecti e Dania Monachi omnes, Carmelitæ, Franciscani, Bernardini, cæteri-

Monachi ejecti.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qve, postqvam in Dania ordo eorum annos ultra trecentos egisset, a temporibus scilicet *Canuti* Regis, qvi Woldemari primi filius fuit; Ex his qui a Rege præscriptam formulam haud detrectabant, intra regnum subsistere, cœteri aut in Belgium aut in Germaniam aliove migrarunt.

Facetа de Monacho quodam relatio.

Occasione hujus institutionis a Rege institutæ, operæ est referre, qvod ei contigit, cum admodum adhuc juvenis in aula electoris Brandeburgici, avunculi sui ageret. Eum etenim cum esset comitatus ad imperii comitia, Franciscanus ibi monachus e suggesto qvum doceret, mores mires ac inimicos præ se ferebat, invehensque in Lutheranos subinde se erigebat, nonnunqvam occultabat.

Erat tunc in templo Dux *Christianus*, consistens sub ipso suggesto, ac mox habita concione, qvum in genua procideret monachus, preces facturus, accidit ut chorda sive funis, qva se procingere id ordo solet, per rimam suggesti forte fortuna decidens infra suggestum dependeret, illam continue nodo constringebat Dux ita ut exsurgere Monachus non posset; nisi operam aliorum implorans; Erat eodem tempore in templo quoqve *Carolus* Imperator, ac monachus ubi surrexisset, vertens se ad *Carolum*, Clementissime, inqvit, Imperator, hæc in nos miseros fraterculos, præsente tua Majestate, audent, qvod non ausuri, te absente? Dux metuebat sibi, ne id sequius acciperet Imperator, at Cæsar intellecto quid esset, respondit, *latet fortasse in eo monachorum ofor*. Quod veluti horum, quæ nunc facta sunt, fuisse præsagium haud immerito dici possit. Scripsit per idem id tempus ad Regem *Christianum* *Martinus Lutherus* de Collegiis Canonicorum ac reditibus eorum conservandis, ut essent perpetuo in promptu pecuniæ ac proventus aliqvi, qvibus vel sustentari viri docti vel alii possent, qui operam studiis daturi essent. Hinc scholis atqve Ecclesiis de variis reditibus prospectum, ac constituti sive inaugurati a Doctore *Pomerano* volente Rege, septem Evangelici superintendentes, nunc voce quæ in ss. scripturis habetur, Episcopos vocant; Hi Religionem & sacra non tantum lucrentur; sed ipsi quoque populum viva voce Evangelium ac verbum vitæ docerent; Inter hos Lundæ, quæ Archiepiscopi antea sedes fuerat, est ordinatus *Franciscus* Wordmundus, Hollandus, Amsterodami natus, qui aliquamdiu Malmogiæ *Lectoris*, sive Professoris munus sustinuerat. Selandicæ diœcesi præfectus est *Petrus Palladius*, Fioniæ Magister *Georgius* Sadalinus, Arhusiæ Magister *Matthias* Langius, Magister *Jacobus* Schoningius Wiburgi: *Johannes* Thomæ Alburgi ac deniqve *Johannes* Wandalus natus Gustroviæ Episcopatum accepit Ripensem.

Episcopi septem per regnum ordinati.

Inducia cum domo Burgundica.

Post id convenere Hamburgum delegati domus Burgundicæ ac Regis *Christiani*, actumqve ibi de pace aut induciis prorogandis. Sed ultra annorum tres inducias obtinere Regis legati haud potuere, Manumissus tum *Bredo* Ranzovius, & quos cum eo in prælio Westervoldensi a *Georgio* Schenkio captos superius meminimus.

Inducia inter Svecos & Lubecenses.

Interposuit se iisdem diebus Rex *Christianus*, ut quæ inter Lubecenses & Sueciæ Regem controversa hærerent, tolli ac componi possent. Cumque diu ventilatæ utrinque res essent, Rex inducias annorum trium inter utrosque constituit, ea tamen lege, si eas acciperet atque approbaret Rex *Gustavus*, ut eo intermedio tempore statui de singulis propius posset. Missus tum quoque in Sveciam *Axillus* Brade, acturus cum Rege *Gustavo* nomine Christiani Regis, de pecuniis ac subsidiis, quæ ipsi superiori bello liberali manu suffaceret, & quorum vice pignoris loco Regi Gustavo Wikiam & Warbergam Rex Christianus tradiderat. Concessitque sua sponte atque affinitatis causa Rex *Gustavus*, ut eam summam sine ullis usuris, post quadriennium Rex *Christianus* refunderet. Eratque simul in mandatis *Axillo* ut ageret cum Rege Gustavo de unione ineunda cum Evangelicis Germaniæ Principibus, ut in eandem reciperetur; *Gustavus* actis gratiis, ab unione, quæ ad concordiam spectaret, se haud alienum declarabat, desiderabatqve de re tota certiora deinceps intelligere; Egisse tum quoqve idem *Axillus* videtur, ac proposuisse Regi *Gustavo*, gravamina quædam Danorum super inusitatis qvibusdam teloniis, quæ solvere Dani in Svecia cogerentur, & vicissim quod solvere Sveciæ Bahusiæ telonium sveviſſent, qvod solvere modo detrectent, cœteraque ejusmodi. Ad quæ amice a Gustavo responsum promissumqve, ut de singulis propius dispiceretur, ac tollerentur, quæ invecta noviter ac præter morem fuissent. Eodem hoc tempore secessit e Svecia Archiepiscopus Upsalienſis *Johannes Magnus*, ejusque frater *Olaus Magnus*, quod reformatæ doctrinæ, quam introduci in Sveciam laudatissimus Rex *Gustavus* fecerat subscribere detrectarent.

Axillus Brade missus in Sveciam.

Germania Danorum in Svecos.

Olaus Magnus Svecia excedit.

Hinc proximo anno, qvi fuit millesimus supra quingentesimum trigesimus octavus, ipsemet Rex *Christianus*, una cum Regina *Dorothea* assumta secum cohorte quingentorum equitum, Brunsvigam profectus est; ubi se regnaque sua cum Germaniæ Principibus, qvos protestantes vocabant, vinculo propiore conjunxit; Quæ fœderatio, qvamvis præcipue religionem spectaret, tamen exceperat *Christianus*, ut, si contingeret oppugnari regnum vel a Cæsare vel aliis, ob causas alias, tum nihilominus succurrere regno tenerentur; Duraretqve fœderatio in annos novem; Hujus fœderis capitibus, prolixe conceptis, subsignarant Rex Daniæ *Christianus Johannes Fredericus*, Dux & Elector Saxoniæ, *Ernestus* Dux Brunsvicensis & Luneburgi; Philippus, Hassiæ Landgravius, *Albertus* Comes Mansfeldiæ, Consules ac senatus Brunsvicensium atqve Hamburgi aliiqve, Rex *Christianus* Brunsviga decedens Hamburgum concessit, ut magnifice exceptus a pleno urbis senatu & consulibus solenniter est inauguratus, dicto ei sacramento, in modum quemadmodum jam olim majoribus ipsius fecissent.

A. 1538.

Fœdus Regis Christiani cum Evangelicis Principibus

Rex Christianus Hamburgi inauguratur.

Apud

Bellum in Suecia

Apud Svecos circa idem hoc tempus bellum exortum, qvod Tacke, feide, sive fedum indigenæ vocabant. Ei bello occasionem dederat agrestium aliquot apud Smalandos turba & in his præcipue *Jonas Andreæ* & *Nicolaus* Tacke, qui Smalandiæ Præfectum trucidarunt. Etenim cum anno antecedente Rex *Gustavus* Judicem suum eo misisset, cum equitum ac peditum aliquot cohorte, ut cædes & homicidia compesceret, ac talium Authores comprehendi faceret, hic *Tackius* confugit per id tempus in proximos Daniæ lucos, ubi dum hæret, subinde ad Lubecenses & Comitis Hojæ Hæredes, ac socios se contulit, Regis Gustavi hostes; quibus cum consilia sua communiavit, dum tandem in nervum, id est bellum, apertus res eripuerit, ut mox dicetur.

Hoc eodem tempore Regem *Christianum* missis ad eum inaugurationis ac sacramenti sui tabulis, quod & antea per *Henricum* Rosencrantzium fecerant, iterum denuoque Dominum ac Regem suum agnoscunt. Convenerant iisdem diebus Niceam, quod oppidum est, Liguriæ, Pontifex Cæsar & Rex Galliæ, ubi cum Galliæ Rex & Proceres nonnulli pedes Papæ deoscularentur, id facere recusavit *Georgius Luckius* Regis Danorum *Christiani* legatus.

A. 1539. Elector palatinus Daniæ imminet.

Apud Hadelarios anno, qvi est insecutus, millesimo supra quingentesimum trigesimo nono, cogi militem ac reduci sub signa triginta sex, Elector palatinus *Fredericus* curarat. His ubi Albim transire, inque Holsatiam irruptionem facere tentaret, prohibitus est ab Hamburgensibus, qvi navibus aliqvot armatis Albim munitum custodiebant; Quin & idem Elector classem aliquot navium paratam tunc habebat, quam immitere Storæamni, qvi Albim influit, animum induxerat; vel si id minus posset, Ripæ urbem, quæ est ad littus Cimbricæ Chersonesi, invadere constituerat. Sed cum desideraretur modo classiariorum, modo militum justus numerus, nec in promptu pecuniæ ac commeatus essent, disperiit ea expeditio. His tamen excitatus Rex *Christianus* Redensburgum & Krempam præsidiis muniit, Ripæ qvoqve urbis cohortem peditum imposuit, missis qvoqve in Hellezelandiam & proxima Loca præsidiariis.

Missi per idem circiter tempus in Sveciam ad Regem *Gustavum* Lubecensium delegati, id præcipue agentes, ut privilegia non tantum vetera, sed & ea, quæ pridem obtinuerant, a Rege *Gustavo* reciperent, & pace simul ac navigatione pristina fruerentur; Quod negotium cum diutius traheretur, & postremo responsum Regis nomine, nullam a Rege occasionem bello aut injuriis datam, ipsi tamen Lubecenses, & si qui alii, se frui ipso suo jure ac regalibus sinerent, se vicissim erga quosvis ejusmodi fore, & pacem atqve amicitiam libenter culturam. Nec ulterius tum Regis responsum processit, præsertim cum plenam agendi & ad peculiaria veniendi, delegati illi potestatem non haberent.

Decorum

Superius illata a Danis adversus Svecos gravamina quædam memoravi cujusmodi & hoc tempore a Rege *Gustavo* oblata, Regi *Christiano* reperio, & inter cætera existimabat *Gustavus*, sibi propræstitis liberali manu auxiliis, ab Holsatiæ & Daniæ Nobilitate & proceribus parum gratiæ repensum cum ex illis nonnulli militem, qvem misisset, solicitarint, ut neglecto, quod semel dixerat, sacramento, ipsis stipendia faceret. Quodqve miles ejus, cum in fretum Oresundæ venisset, paulatim hinc inde diffiueret, & de eo Sveci cum apud *Melchiorem* Rantzovium quererentur, operam is dederit, ut plures diffiuerent; Tum & Commeatus, qui classi ipsius, dum in Dania militaret, promissus erat, præditus haud sit: aliaque ejusmodi perplura allata, & id quoque de *Marco Mejero*, quem Dani, ut suum captivum abduxere, cum Sveci suum esse assererent. Ad quæ aliaque, missis Legatis Calmariam, Rex *Christianus* responderi curavit, aut saltem se excusavit, quod belli tempore multa fierent, quæ aliter fieri oportet, & præter alia, etiam suammet classem commeatu, subinde caruisse; Interim *Gustavo* Regi plurimum se debere, ob præstita liberaliter auxilia, prolixe declarari per Legatos fecit, & vicem redditurum, ubi occasio daretur &c. Habebant præterea in mandatis legati, paratum esse Regem *Christianum* si & idem videretur Regi *Gustavo*, ablegare ad limitem utriusque regni Brensebroam delegatos suos, ut sibi singula, quæ ista gravamina spectarent, propius inspicerentur, ac deniqve benigne vel æqvo jure componerentur, ut ita pax & amicitia inter regna utraque sarta tectaque haberi perpetuo colique posset. *adversus Danos gravamina.*

Apud Islandos Saltholmiæ per eosdem dies trucidatus est præfectus regius cum aliquot ejus famulis; Et est hoc nomine insimulatus antistes *Augmundus*, qui & paulo post sponte sua, oculorum etiam vitium obtendens, episcopatu se abdicavit, sibi deinceps, ac velut privatus apud sororem vivens. *Seditio apud Islandos.*

At domi inter hæc non desiit Rex *Christianissimus* amplissima quædam bona cœnobii Knarderupensis in usum Professorum Academiæ Hafnienses adjicere & simul egenorum parochorum augere salaria, amplificando etiam studiosorum, qvi vixerant in æde S. Spiritus, numerum, tum & annuos reditus liberali ipsorum sustentationi deputando. *Academia Hafnienſis restaurata.*

Proximo, qui insecutus est, anno millesimo supra quingentesimum quadragesimo, regius præfectus *Christophorus* Witfeldius, qui borealis Norvegiæ tractum Nidrosiæ curabat, missus in Islandiam est cum milite & Navibus duabus armatis, ut recepta in fidem atque obsequium regis ea insula, Episcopum *Augmundum* Hafniam deportaret, & alium in ejus locum surrogaret, qui sanam Evangelii doctrinam populo proponeret, ac doceret & scholas simul instauraret; Estque hoc pacto Regis sacramento subdita insula, & in locum Agmundi surrogatus *Gissurus* Eversen, natione Islandus; Is ut erat vir non indoctus, & qui studiis olim Wittenbergæ operam dederat, passim apud insulanos veram Evangelii doctrinam, semotis *A. 1540.*

motis paulatim papisticis ceremoniis, propagavit, & inter primos fuit, qui *Salomonis Proverbia* & Jesum *Syrachum* idiomate Islandico reddidit; Rescripsit per idem tempus regiæ Majestati senatus populusque Islandicus, eique significabat, redditam sibi esse, quam transmitti curavit, ordinationem Ecclesiasticam. Sed eam constituere putabant, non ejus esse, sed Romani Pontificis simul querebantur de Præfecto quodam ejus, cui nomen erat *Nicolao Wervito*; is ut abdicaretur & in ejus locum alius surrogaretur, oppido orabant. Hafniæ iisdem his diebus natus Regi *Christiano* filius secundo genitus, nomine *Magnus*. Ei multa adversa prosperaque evenere, ut est fere quisque fuæ fortunæ faber; Sed ea, ut ordine occurrent, suo quæque loco referentur: Est per idem tempus constituta apud Svecos, conditore laudatissimo Rege *Gustavo*, quæ eo in regno est unica, Academia Upsaliensis.

Dux Magnus nascitur.

Upsaliensis Academia

Scripsit inter hæc Spangenberga Philippus Landgravius ad Regem *Christianum*, eumque commonuit, ut ante omnia Electori Palatino *Frederico* de dotalitio uxoris satisfaceret, multum id rebus ejus quod Cæsarem spectaret, emolumenti allaturum adjiciens, paratum se una cum electore Saxoniæ, si ipsi videretur, operam hic ipsi suam commodare. Respondit continuo Rex, se delegatos suo Gandavi habere ac exspectare, quid sibi super pace promittendum haberet. Interim quod ad Electorem Palatinum pertineret, ipsos orabat, ut sibi habere commeatum vellent. Delegati illi, quos Gandavum Rex miserat fuere *Godschenus* Rantzovius, *Petrus* Schavenius, & *Casparus* Fuxius. Fuit tum ibi & ipse Cæsar, petebant illi, ut, postquam ad finem vergerent triennales induciæ, pax aliqua firma, aut saltem longæ induciæ constituerentur. Sed ultra tam annuas inducias obtinere haud potuere. Fuitque simul decretum, ut Rex suos delegatos Coloniam Agrippinam mitteret, eodem quoque missurum suos Electorem Palatinum; Sed mox statutum, ut Ratisbonam convenirent. Veneruntque eo Regis nomine, *Andreas Bilde*, *Ericus Krabbe*, *Petrus* Schavenius & *Casparus* Fuxius, Regi a Secretis. Hi quod Palsgravium spectaret, prolixe se offerebant, & plus quam dotalitium id esset, ei offerebant; sed illi amicam hanc oblationem recusabat, quod Dani agendum de utriusque dotalitio, uxoris ipsius *Dorotheæ* & *Christinæ* Mediolanensis Ducissæ, existimabant, ille de suo tantum ac seorsim tractandum cupiebat. Conventum interim de navibus, quas in freto Oresundæ belli superioris tempore attinuisset; At cum agere cœptarent, de fœdere Gandensi, in quo annorum triginta induciæ cum Gubernatrice Belgii *Maria*, Cæsaris Sorore, pactæ fuerant, & pensio annua Regi *Christiano*, ut Duci Holsatiæ attributa, de quo superius memoratum, peterentque ut ea quoque singula Regi suo tecta sarta servari possent; responsum fuit, latere Cæsarem eum tractatum, & ad sororem ejus *Mariam*, Belgii Gubernatricem spectare, ac ultimo cum jam illuc, ac Bremæ postremo dies

Literæ Landgravii ad Regem

Induciæ cum Cæsare

Bremensis conventus

conveniendi statueretur, etiam eo legati Regii, ut Cæsari obtemperarent, tempore statuto convenere. Ubi cum legati ejus unius tantum anni inducias concederent, ut nimirum elapsis singulis annis, declararet quisque, an prorogari eas vellet nec ne, additis nimirum anno cuique septimanis sex; & id regiis legatis haud placeret, quod Rex pacto hoc in perpetua belli exspectatione versaretur, annorum triginta, secundum fœdus Gandense, aut saltem viginti aut decem annorum inducias flagitarunt. At nihil ejusmodi obtinere potuere. Regina nihilominus *Maria*, quasi penes Regem culpa hæsisset, haud multo post scribi ubivis ad Germaniæ Principes fecit, se quam benignissime cuncta obtulisse sed penes Regem stetisse, qui inducias oblatas acceptare recusasset; Nupsisse sub idem tempus *Christiani* II filiam *Christinam* Ducissam Mediolanensem, *Francisco* Lotharingiæ Duci reperio; Quæ jam ante Mediolanensium Duci *Francisco* Stortiæ fuerat, sed brevibus nuptiis, cum illustrissimus ejus maritus *Stortia* intra annum e vita migravit.

Inde actitata negotia, quæ apud Suecos adhuc indecisa hærebant, missique eo, *Axillus* Brahe, *Holgerus* Ulstand, *Canutus* Guldenstern, *Byrgerus* Trolle, *Casparus* Brochmand, Secretarius; id eo præcipue nomine, ut de pecuniæ summa, quam etiamnum Regi Gustavo *Christianus* debebat, certum aliquid, & quo tempore eam solvendam cuperet, statueretur. Estque post longas Deliberationes decretum, ut ea propria cujus sors erat, 25000 Dalerorum imperialium, usura vero 5997. Nilosiæ solveretur, circa Dominicam invocavit: Quæ dum aguntur, alia præterea Regis *Gustavi* nomine injecta gravamina & maxime ista Regem nimirum *Gustavum*, dum bello superiore perpetuo, in armis esset idque in commodum regni Daniæ, detrimentum incurrisse Dalerorum 800000 ac ea sibi ut refundantur, efflagitare, deinde ut Rex *Christianus* Gothlandiæ excederet, ob ejus quod in eam Sveciæ regno competit, utque Suecis, quæ in Dania haberent bona; continuo cederentur, ac denique ut sententia, quæ esset in Dania pronunciata super bonis ad Svecos pertinentibus, Regi *Gustavo* exhiberetur. Ad quæ inter cœtera, respondit Rex, sibi de illis 800000 Daleris haud constare, & si quæ essent a Rege *Gustavo* impendia belli seorsim facta, cogitare eum debere, commune fere bellum fuisse, nec initio sciri satis potuisse, an in Svecos vel Daniam versari se Lubecenses forent, cum non minus Suecis, quam Danis, inimica cum ipsis intercederent. Gothlandiam vero & cœtera, quod spectaret, non refugere se aliorum ea re cognitioni submittere, ut quod jus, atque æqvum esset, cuique redderetur. Super his postremo conventum, ut novus in ipso utriusque regni limite delegatorum congressus haberetur. Ac eo postqvam utriusqve regni senatus venisset a Danis injectum, facile concessurum Regem ac Herum suum, ut judices, qvi neutri parti essent additi, pronunciarent de impendiis, quæ Rex *Gustavus* extra ordinem

Legati in Speciam.

Svecorum nova gravamina

nem flagitaret, ut & de Gothlandia. Sveci eo ire videbantur, ut Daniæ junior Princeps, ſive *Dolphius* in matrimonium acciperet filiam aliquam Sveciæ Regis, & Regis viciſſim Sveciæ filio nuberet aliqva ex Ducis Boruſſiæ filiabus &c. Ac demum eo res deducta, ut ſub annum inſeqventem, qui fuit milleſimus ſupra quingenteſimum qvadrageſimus primus, uterque Regum *Guſtavus* & *Chriſtianus* convenerint ad limitem regni utriusqve circa pontem, qvi *Bremſebro* dicitur. Eoque ubi ventum eſſet, inter utrosque fœdus ictum, quod *Bremſebro Fortag* vulgo vocant, factaque utrinqve qvinqvaginta annorum fœderatio, ut iis ſcilicet durantibus unusqvisque alterius commoda curaret, inimicis ac hoſtibus alterutrius auxilio neuter eſſet, ſed eos, qua poſſet, proderet quisque atqve inſequeretur; aliaque capita ac conditiones poſitæ, quæ hoc loco referre omnia prolixius foret.

A. 1541. Rex uterque conveniunt.

Cum autem ut memoratum, Belgii Gubernatrix *Maria* Regina non niſi annuas inducias concedere Regi vellet, & eas Rex recuſaſſet, qvod eo modo in perpetuo belli motu verſandum ipſi foret, conjunxit ſe ac fœdus feriit cum Rege Galliorum *Franciſco*, miſſis ad eum Legatis ſuis viris Nobiliſſimis, *Eſchillo* Bilde, Petro Schavenio, & *Erico* Krabbe. Hi cum deputatis ejus, *Franciſco* Thumon Cardinali, *Wilhelmo Pojetto* Cancellario *Philippo* Chaboto Comite Buzenvaliæ, Admiralio Franciæ, fœderis certa capita conceperunt, qvibus utrimque ſtandum foret; ut ſcilicet alter alteri ſuppetias adferret, ſufficeretque præter claſſem, cæteraqve ad eam ſpectantia, virorum armatorum millia plurave, pro vt neceſſitas cujusque flagitaret; Et præter hæc, id quod inter alia pollicitus Rex *Chriſtianus* fuit, ſe Porthmum Oreſundæ clauſurum, aut intra eum injectione manuum retenturum, qvicunque Galliarum Regi hoſtis foret. Hoc fœdere comprehenſus ſimul haberetur Rex Svecorum *Guſtavus*, Rex Scotiæ & Duces Boruſſiæ, Duxque Gelriæ, & *Juliaci Guilielmus*; Anglorum Rex *Henricus* VIII, an eodem teneri vellet, intra menſes ſex mentem ſuam experiret; & qvo firmius idem eſſet legatum ſuum intra Daniæ regnum reſidere Rex Galliarum voluit, virum illuſtrem *Chriſtophorum* Rickelum, qui & pluribus ibi annis ſubſtitit, dum ei poſtremum ſucceſſor eſt datus *Carolus* Danzæus, qvi noſtra adhuc memoria ibi agens ſuperioribus annis, non ſine laude perfunctæ legationis, ibidem vita exceſſit. Nec multo poſt, ipſe qvoqve Svecorum Rex *Guſtavus* per Rickelium, qui ut dixi apud Daniæ Regem agebat, perqve delegatos ſuos in Galliam miſſos fœdus ſimiliter cum Rege *Franciſco* init, conditionibus, cujusmodi cum eo *Chriſtianus* egerat, propemodum paribus, ut nimirum mutua ope alter alteri adeſſet, *Guſtavus* præterea armatam ſuæ gentis legionem, & quæ maxime uſui futura credebatur, validam claſſem, quæ ſecundum Friſiorum Hollandorumqve littora duceretur, in procinctu haberet.

Fœdus Chriſtiani Regis cum R. Galliarum.

Guſtavi R. cum Gallo fœdus.

Non deſierat interim jam ante omnia agere Rex, ut aut longam pacem aut ſaltem annorum aliquot inducias, ab aula Burgundica impetraret: Et eo fine, non ut eas retineret, aliqvot navium claſſem in freto Oreſundæ detineri mandaverat; At e contrario cum *Maria* Danorum viciſſim navibus ac mercimoniis manum apud Belgas injiceret, interponere ſe, qvamvis negotio iſti impares, Hamburgenſes cœpere, qvod eos qvoqve res tangeret, locumqve, conventui petiere, qui primo Monaſterii apud Weſtphalos, inde Campis apud Tranſibalonos fuit indictus, ac eo cum utriusqve partis delegati veniſſent, efflagitarunt Dani, ut pax ſive inducia inter Cæſarem & ſe pangerentur, non tantum Belgii, ſed totius qvoqve imperii nomine, quod alias, cum Cæſari commodum eſſet, imperii nomine inferre Daniæ bellum poſſet. Tum & penſionem, quæ Regi ſuetat Gandavi promiſſa, non minus flagitabant, quam auxilii, quos eodem in fœdere Gandenſi ſtipulatum quidem, ſed haud præſtitum fuerat, compenſationem. Promittebant ſimul Regis ſui nomine, ut ex navibus, quæ erant in freto Oreſundæ detentæ, ſex dimitterentur, vice earum Rex, qvas Burgundi a Danis tenebant; Præterea in mandatis erat ipſis, ut referrent, paratum Regem cauſam univerſam, tam quæ ſe, & dotalitium conjugis ſeptem viri Palatini, quam Ducis Lotharingiæ ſpectaret, Electoribus imperii, utpote judicibus neutri parti addictis permittere; id ii totum habere non poſſet, Deo omnipotenti negotium totum cedere ſeqve haberi excuſatum apud omnes velle, ut qui cuncta egiſſet ad Cæſarem ejusqve amicitiam demerendam. Aliorum qvidem Principum amicitias, qvæſiviſſe, ſed neceſſitate adactum.

Hollandorum naves a Rege detentæ.

Conventus Compenſis inter Burgundos & Danos.

Reſpondere delegati Burgundici, non habere ſe, quæ ad ea reſpondeant, interim exſpectare velle, donec mentem ſuam aperiret Regina *Maria*. Quæ his acceptis, reſcribi continuo fecit, qvod Belgium ſpectaret, penes ſe ſtare, ejus non imperii aſpectu pacem aut inducias pangere; penſionem vero, quam flagitaret, ſe haud qvaqvam teneri eam præſtare, ob expeditionem, qvam contra Cæſarem ejusqve ditiones, & præſertim qvam in agrum Groninganum ac Damnenſes, jam nuper inſtituiſſet; Cupiebat ea hoc qvoqve, ut omnes a Rege detentæ Hollandorum naves dimitterentur, & libera perpetuo per Oreſundæ porthmum Belgis navigatio eſſet, nec aliter agi de pace poſſe. Multa inde & varia ab Hamburgenſium delegatis propoſita; ut legatos Burgundorum detinerent; ſed cum illi mandata ſe ulteriora habere negarent, conventus is diſſolutus eſt. Hinc Hamburgenſium etiam naves ac mercimonia apud Hollandos detenta, quod Hamburgum in ſolo Holſatio eſſet ſitum; ac publicum ſimul evulgatum ab ipſa programma, qvo Danorum Naves prædæ exponebantur. Captusqve inter cœteros a Burgundis *Stigotus* Bagge, & affectus ſupplicio, qvod literas ſuas, cum caperetur, projici in mare feciſſet; Zelandicum chronicon ideo affectum ſupplicio dicit, qvod commiſſionis ſuæ literas, non haberet; Fuit & *Nicolaus*

colaus Witfeldius, vir nobilis, circa Norvegiæ littora interceptus & Enchusam deductus, ubi dum ultra annum detinetur, ejus frater *Paulus* Witfeldius, in eo fuit, ut capto tempore, circa Hamburgum Consulis Amsterodamensis, Henrici Theodori filium, ceperit, ac eum in Dania captivum, eousqve detinuerit, donec *Nicolaus* ejus vice liber dimitteretur.

Nicolaus Tack iterum se Gustavo opponit.

Quo eodem tempore exercuit se denuo, qvi movere apud Svecos res cœperat, de quo modo dictum, *Nicolaus* Tack. Is apud Smalandos ad manum sibi habebat ex agrestium populo collectos ultra quindecim mille; qvi raperent, caperent, ac trucidarent passim Regios præfectos, judices atque alios ex Nobilitate. Qvin & cohortes, qvas in adversum ipsis miserat Rex *Gustavus*, pene universas solo straverant, dictitantes oppressos se ac opprimi a Regiis Præfectis ac Nobilitate, tum & avitam religionem ipsis ereptam ac denegari. Eaque occasione Sveci alii, homines Pontificii & in his Episcopus Scarensis *Magnus*, qvi extra Rostochium domicilium fixerat, ut & alii, qui Episcopum sequebantur, *Frederico* septem viro se junxere ob causam, qvam ille in Sveciam prærendebat, nomine uxoris suæ, quam duxerat, *Christiani* II filiam *Dorotheam*, spem foventes se ejus ope, & occasione hujus, quod Tackius movere cœperat, belli, ad sua aliqvando in Sveciam redituros.

A. 1542.

Insequenti statim anno, qvi fuit millesimus, supra quingentesimum quadragesimus secundus, bellum exortum, præter hoc Svecium qvod jam initium sumpserat, inter Cæsarem & Regem Galliarum *Franciscum*. Franciscus etenim ex pacto, quod cum Cæsare fecerat, sibi non redditum Mediolanum, tum & legatos suos, quos Constantia nepotim destinaverat, interceptos a Cæsareis, ac trucidatos qverebatur. Ejus belli ergo, ratione fœderis, qvod cum Rege Gallicorum inierat Rex *Christianus*, subsidio ipsi misit equites qvingentos, partim Germanos, partim Holsatos, quibus tamen & Dani haud pauci intererant. Præerat omnibus Dux Longevaliæ & *Martinus* Rossemius, qvi & plures copias in Ducatu Chioensi, nomine heri sui Gulhelmi, Gelriæ & Juliaci Ducis, jam collegerat: qvi Regi item Galliarum fœdere erat conjunctus utpote cui sororis suæ filiam Rex desponderat, quæ tamen postmodo nupsit *Antonio*, Vendomæ Duci. Hac expeditione, quæ tum Gelrica *expeditio* nominabatur, plurimum damni proximis Brabantis illatum. Antverpiam & Lovanium obsidione tentarunt, præter urbes alias, quæ aut direptæ, aut flammis exustæ; E Brabantia in Ducatum Luxenburgensem castra mota, ac ibi se junxere filio *Francisci* Regis, Duci *Aureliano*, qvi novas a Gallia copias secum adduxerat. At Regina *Maria*, Cæsaris Soror, continuo irruptionem vicissim instituit in Gellriæ ac Juliaci Ducis, qvod ibi initio copiæ essent collectæ proximas ditiones ac eas, Duce Aurasionensium Principe *Reinero*, devastando, cepit Marisdurum; Quamvis proximo id anno receperit Dux *Gulielmus*, quæ alibi memorata sunt.

Rex Christianus suo equites Galliæ Regi mittit.

Ejusdem subsidia missa in Sveciam.

Missa per idem circiter tempus a Rege *Christiano* in Sveciam subsidia, eqvites nimirum ducenti, ac pedites octingenti, sub ducibus *Erico* Bannero & *Holgero* Rosenkrantzio. Missique in eum finem, ut seditiosorum, quos ex agrestium populo, ultra 3000, quomodo antea memini, collegerat *Nicolaus* Tackius, multitudinem compescerent, junctis his cum Regis Gustavi, qvas ad manus ille habebat copiis. Etenim cum ante biennium circiter movere se primum hic *Tackius* adversus *Gustavum* cœpisset, compressurum veluti in herba fuit, a cohortibus, qvas in eum continuo tunc *Gustavus* in Smalandiam submiserat. At tunc de novo instigati, præsertim ab extorribus illis, qvos modo nominavi, qvi Episcopum Scarensem Magnum sequebantur, qvi & singuli respiciebant vel maxime septem virum *Fredericum*, qui per Norvegiæ tractus hanc Tackii turbam occulte fovebat augebatqve, pollicendo simul, subsecuturam mox justa auxilia. Sed *Tackius*, dum indies confligit, ac prædicatur cum Gustavi milite, qvi erat ei in adversum destinatus, & se, ut vim majorem evitaret, in lucum una cum suis recipit, ibi sphærula trajectus occubuit, belli hoc pacto ac vitæ finem faciens, ipsi majori audacia, qvam prudentia memorabilis. Hinc diffluxit universus ille populus, Duce suo orbatus, veniamqve a *Gustavo* petiit, ac impetravit, exceptis paucis, qvi, ut seditionis coryphæi, ad terrorem aliorum capite plexi sunt; Hoc in bello non militem tantum, sed & pecuniam Regi *Gustavo* suffeciisse *Christianum* comperior, quomodo jam ante in bello Lubecensi *Gustavus* Regi *Christiano* amice fraterneque suffecerat. Inter vero eos qvos dixi, per Norvegiæ oras in Sveciam occulte ab Electore *Frederico* missos, capti a Norvegis nonnulli, ac repertæ penes ipsos Electoris literæ, ad seditiosam hanc turbam, quæ & missæ continuo ad *Gustavum* fuere. Nec desiit tum temporis Rex Christianus mandare præfectis suis, ut classis ipsius Norvegiæ littora continuo obambularet, ac eos circumqvaqve portus tutaretur; Qvin & affici supplicio ex Blekingiæ incolis nonnullos fecit, qvi cum *Tackio* & illis seditiosis unum egerant. Monuit tum etiam Regem *Gustavum* Rex *Christianus*, ut dum Cæsar & Cæsareani non tantum imminere Daniæ videantur, sed ulterius qvoqve res suas mittant, & Sveciam nunc etiam petant, ut se qvoqve cum Evangelicis Germaniæ Principibus conjungat, & circumqvaqve sibi vicinos amicos paret, & in his Borussiæ Ducem, Dantiscanos, Lubecenses aliosqve. Et in hoc præterea opem suam pollicebatur Rex *Christianus*. Quod amice acceptum ita quoque ut tempestive monitum suum *Gustavus* verterit.

Literæ R. Christiani ad R. Gustavum.

Literæ autem, de quibus dixi, ad Svecos missæ duum generum erant, alteræ ipsius Cæsaris, qvibus significabat Svecis & præsertim Smalandis, mittere se ad ipsos Oratorem & Consiliarium suum *Nicolaum Per-*

Perenotum, ei in omnibus, velut sibi, ut fidem habeant, mandat, aut si gravioribus imperii negotiis implicitus, ipse adesse *Perenotus* non posset, monet, ut ejus delegatis ac literis plenam fidem adhibeant. Hi Cæsarei codicilli scripti erant Barcellonæ apud Hispanos VIII Octobr. 1542. Alteræ literæ erant ipsius *Nicolai* Perenoti: His ille Svecos certiores reddit, accepisse Cæsaream ejus Majestatem Sveciæ regnum jam aliquot annis, ab injusto possessore teneri ac duriter admodum atque inhumane tractari indigenas incolasque, & ideo arma ab ipsis sumpta, ut se in libertatem pristinam reponant; se igitur missum, ut Cæsaris mentem vel coram vel per literas & delegatos ipsis significet, & id jam per codicillos ac legatos facere, impeditum, quo minus ipsemet adsit, maximis imperii negotiis: inde adjiciens, haud ignorare eos existimat, illustrissimum Principem *Fredericum* Palatinum, imperii septem virum in matrimonio tenere illustrissimam *Dorotheam*, Christiani II, Daniæ olim Regis filiam, Cæsaris neptem, ac ei ea ratione competere, quæcunque illustrissimæ ejus conjugi *Christiani* II filia, jure hæredii aut alias competere ea in regna possunt, & in ea ut reponantur Majestatem ejus Cæsaream pollicitam esse &c.

Machinationes Electoris in Sveciam.

Hæ literæ datæ fuere Norimbergæ V Martii 1543. & licet anno & ætate præcedente, qvemadmodum est memoratum, occubuisset *Nicolaus* Tackius, bellumqve apud Svecos cessaret, non desiit nihilominus & postmodo hæc agere Elector Palatinus *Fredericus*. Nam misit hoc circiter tempore duos suorum delegatorum *Casparum* a Seckendorff, & Magistrum *Ambrosium* a Steinrood ad *Christophorum* Comitem Oldenburgensem & *Albertum* Ducem Megapolitanum Antistitem Bremensem, Dantiscanos, Lubecenses, & cum illis agerent eorumque consilium exqvirerent, quomodo pervenire ad boreæ regna quam commodissime possit, præsentem cum opem suam ei adeo prolixe pollicitus Cæsar sit. Habebant & iidem Electoris delegati in mandatis, ut agerent cum aliis quibusdam minoris status, ut erant *Stephanus* Hoffenstener Bremæ, *Longus* Hormannus, *Johannes* Bibliopegus, *Justus* Urne, & maxime de quo ante dixi, Episcopus Scarensis *Magnus*. Sed cum hic & præcipue Vandaliæ urbes se excusarent, seque pacem cum Rege Daniæ pepigisse, & inducias cum Sueco habere dicerent, & metus esset, ne in totum privilegiis suis, quæ a boreæ regnis haberent, privarentur, si novo se bello miscerent, parum delegati hi obtinere potuerunt; Interim tamen hoc addebant, si contingeret Cæsarem Sveciæ bellum inferre, & eo a Cæsare adigerentur, secuturos se imperium Cæsaris, alias se, quam poterant, omnibus modis habere excusatos volebant; At Bremensis Episcopus, ut & Megapolitanus haud defuturos se ei respondebant. Unde Codicilli Electoris in Sveciam missi, quibus indigenas incolasque majorem in modum collaudabat, quod sese opposuissent sævitiæ ac tyrannidi Regis *Gustavi*, quoque tutati strenue fuissent & adhuc tutentur privilegia sua ac vetera sacra, se idcirco agnoscerent, ad qvem boreæ ac regna uxoris suæ nomine spectarent, quemqve adjuturum aut vi aut jure, ut ea obtinerent, Cæsar promisisset, quemadmodam etiam intellexisse eos ex literis Nicolai Pernotti, Cardinalis *Granvellani*, haud dubitaret.

Talibus cum literis in Sveciam ablegatus est, præter alios *Johannes* Bibliopegus, sed cum eo veniisset, jam morte sublatus erat Tackius, & milite tam suo, qvam extraneo regnum Gustavus firmaverat; Erant & literæ, in quibus Tackius ab Electore nobilitas & Hæredia intra regnum promittebantur; Sed in vanum hæc omnia. Et sunt qvi ipsum quoque *Johannem* Bibliopegum cum literis illis apprehensum, & capitis postmodo damnatum memorant.

Frederici Ducis inauguratio.

Insignem annum fecit, præter quæ memoravi inauguratio *Frederici* Ducis, qui Patri *Christiano* ut primogenitus, ita eidem successor auspicatissimus obtigit.

A. 1543.

Gustavus Svecorum Rex anno, qui fuit proxime insecutus millesimo supra quingentesimum quadragesimo tertio, Sveciæ regnum, quod ab omni ævo fuerat electivum, quomodo, hodieque regnum fecit hæreditarium: Eum in modum, ut ipso defuncto succederet filiorum major natu Dux *Ericus*: & vicissim, illo sine liberis mortuo, regnum acciperet, frater ejus *Johannes* ejusque liberi: Si vero ex *Gustavi* prosapia nullus super esset, recideret regnum ad regni senatum: Esset qve in ejus potestate Regem eligere, sed ex Nobilitate ac Principibus regni indigenis, non extraneis: Sexui vero fœmineo seu filiabus *Gustavi* honesto dotalitio regnum prospiceret; Ut ita Saliam legem, quæ apud Gallos obtinet, ac filias a successione secludit, hic veluti respexisse Gustavus videatur, licet hodie unica superstite *Gustavi* II filia, res hæreat.

Gustavus II.

Circa idem hoc tempus amice compositum, quod inter Pomeraniæ Duces, controversum hucusque hæserat, super bonis quæ in insula Rugia in diœcesim seu antistitem Roschildiæ perpetuo & olim spectaverant; De his inter cætera, ita convenit; eidem & reditus, quos olim Episcopi Roschildenses, ex eadem insula ac bonis obtinuere, nunc qvoqve redderentur, reservata Pomeraniæ Ducibus, quæ illis antiquitus ac semper fuit, dignitate ac jurisdictione; Conventum etiam utrinque, ut penes Duces, esset nominandi, id est vocandi superintendentem, penes antistitem vero Roschildensem eundem approbandi jus. Quicquid nobilibus, Bernecoviis ex iis bonis in beneficium hæreditarium jam olim cessisset, idem & jam ac deinceps locum haberet.

Evulgari his diebus Rex *Christianus* curavit Apologiam, sive appellare declarationem libet, missam ad Principes passim atque Electores Germaniæ, qua demonstrabat; Quibus esset motus causis ad bellum cum Cæsare gerendum. Se toties totiesque apud Cæsarem pacem expetiisse, ac rejeciisse universum negotium ad Judices, qui neutri essent parti addicti,

Rationes R. Christiani quibus mo-

tus ad b l-lum cum Cæsare gerendum.

nihil tamen profeciſſe, ſed in belli perpetuo motu jam annos circiter octo egiſſe; atque impenſas interea feciſſe ultra ſeptem tonnarum auri; ſicque coactum poſtremo, arreſto, ut vocant, detinere in Oreſundæ freto; Hollandorum ſeu Burgundicas naves ac mercimonia, ac uti hoc pacto, quæ appellant vulgo pragmatici, repræſaliis, idque ad juſtam ſui defenſionem, qvo aliquando vel pacem vel bellum certo ſibi promittere poteſt. Unde & Claſſem eodem tempore navium quadraginta, atque armatorum decem millium in mare emiſit, cui ut Admiralius præerat *Magnus* Goe; His in mandatis erat Hollandiam præcipue aggredi, & ibi, qua poterant, aggeres perforare, conſilii illud, præter cœteros, ſuggerente, qui *Magno* erat Vice Admiralius, *Chriſtopboro* Trundzemio. Sed ea licet inſtructiſſima clasſis nihil plane operæ prætii retulit, utpote tempeſtatibus disjecta, ac quærere Norvegiæ portus coacta, tum & parum eo ſtratagemate, licet ad votum ſucceſsiſſet, effici potuiſſet. Catalogus imperiorum, qui circumfertur, *Chriſtiano* II hanc claſſem tribuit & adverſus Anglum miſſam, ſed perperam quoque memorat.

Rex Chriſtiani claſſis inſtructiſſima.

Quæ dum fiunt, continuo Anglorum Rex Henricus VIII literas ad Regem *Chriſtianum* dat, quærens, quem iſta claſſe, eoque belli apparatu peteret; an in bonum ſive auxilium Regis Galliarum, (quo cum bellum ſibi eſſet) inſtrueretur, nec ne; Reſpondit Rex *Chriſtianus* ac demonſtravit, quomodo inter ipſum & Cæſarem res haberent; toties iterumque ac denuo, modo Hamburgi, modo Bremæ & nuper Campis, ut & alibi de pace aut induciis per delegatos egiſſe; ſed nihil horum obtinere potuiſſe, ſe idcirco arreſto detinere jam nuper Hollandorum aliquot naves juſſiſſe, quo ſibi de pace aut bello conſtare poſſet; Et ideo Belgii Gubernatricem, Reginam Ungariæ *Mariam* bellum ipſi per Admiralium ſuum denunciaſſe, ac Danos eorumque naves ac mercimonia velut in prædam ſuis dediſſe, & quosdam captos ultimo ſupplicio affeciſſe. Hanc eſſe cauſam emiſſæ in Oceanum claſſis hujus: non Angliam aut Angliæ Regem, quo cum omnia ſibi amica intercedant, ac paratum eſſe, ſe medium interponere inter Galliæ Regem & ipſum, modo id ipſi videretur, nec dubitaturum ſe, quin Galliarum Rex, ſibi fœdere junctus, aurem juſtis rationibus eſſet commodaturus.

Apud Islandos mutati per eosdem hos dies præfecti, qvi, ut videretur imperium vimqve in indigenas exercuerant; Horum alter erat, cujus & antea memini, *Nicolaus* a Nleervis, alter vero *Theodorus* a Mindam, uterqve extraneus, ornati a Rege præfectura monaſterii, quod ibi erat reditibus haud infimum.

A. 1544.

Annus qvi eſt inſecutus, milleſimus ſupra qvingenteſimum, quadrageſimus quartus, duos inſignes viros fato ſuſtulit, *Magnum* Goe & Antiſtitem *Jacobum* Rannovium. Magnus Goe regius aulæ miniſter, Schanderburgi obiit æſtimatusque eſt nobilium, qui eo tempore vel in Germania vel Dania fuere, quod ad terræ hæredia prædiaque omnium ditiſſimus. Antiſtites Rannovius defunctus eſt in arce Hafnienſi in quam ex inſula Gotland captus fuerat translatus; cum jam videretur reliquorum, de qvibus ante eſt dictum antiſtitum exemplum ſecuturus; tum & agnati amicique pro eo interceſſerant: quibus dolori erat, adeo eum remotum, idque captivum a ſeſe agere. Sed cauſa diuturnæ ac durioris hujus cuſtodiæ erat, quod cum reliqui Epiſcopi jam eſſent dimiſſi dixiſſe memoratur, ipſos pudere debere, quod illi omnes ſe unum liberare nequiverint, cum ille ſolus, ſi prius dimiſſus fuiſſet, eos omnes fuiſſet liberaturus.

Magni Goe obitus.

Rannovii mors.

Præcipue idem hic annus albo ſignandus lapillo Belgii incolis fuit, illis præſertim, qvi mare Balthicum & horrea Hollandorum, Daniam, Poloniam & Boruſſiam, quarum clauſtra ſunt Danici Regis porthmus Oreſunda dictus, claſſibus ſuis freqventabant; Etenim *Chriſtianus* Rex (qui, ut ante memini, una cum Gelriæ & Juliaci Duce Gallo fœderatus habebatur), miſſis hoc tempore Spiram legatis, omnino transigendum cum Cæſare putavit, præſertim cum Gelriam a Cæſare teneri, ac Ducem pacis leges accepiſſe, tum & Gallum iniiſſe cum hoſte *Chriſtiani* nominis Societatem intellexiſſet. Regii legati fuere *Johannes* Ranzovius, *Andreas* Bilde, *Petrus* Scavenius & Caſparus Fux; Hi juncti Cæſareis conſiliariis, quos inter erant, *Nicolaus* Perenottus, Granvellanus, Cæſareæ Majeſtatis præſes, ac primæ admiſſionis conſiliarius, *Johannes* Navius, Vice Cancellarius, *Carolus* Byſſottus ac *Vigilius* Svichemius (v. Doctores ac interioris Senatus conſiliarii aut præſides;) Hos inter utriusqve tam Cæſaris, quam Regis Chriſtiani nomine, pacis tractatio inita, multis capitibus comprehenſa, qvæ Danis transactio hæreditaria ſeu perpetua dicitur. Hac inter cætera, ſtatutum, ut pax perpetua haberetur inter Danos ac Cæſarem ejusqve ditiones, renunciaretque Rex fœderibus, quæcunqve iniviſſet, cum aliis Principibus, vel aliqvo pacta eſſent, in præjudicium Cæſaris, aut Belgii ejus, quas ditiones ſuas hæreditarias vocat: Hoſtibus Cæſaris Rex, & viciſſim Cæſar Regis hoſtibus, auxilio ne adeſſet; Quæ Gandavi olim eſſent acta, rata haberentur; Amſterodamenſibus idem apud Danos Norvagosqve, quomodo jam olim id habuiſſent, negotiandi jus cum urbibus Vandalicis eſſet, dotalitium liberorum *Chriſtierni* II, Regis, ipſis cederetur, tam a parte matris, quam Patris *Chriſtierni* Regis. Ipſi Regi *Chriſtierni* ut commodior ac levior cuſtodia, tribueretur eique poteſtas fieret, ſub cuſtodibus, venandi, occupandi, aliaque ejusmodi, ad otium fallendum, levia ac delectantia ſtudia exercendi, delegati promittebant, apud Regem ſe interceſſuros nec dubitare de ſucceſſu; Acta Spiræ menſe Junio.

Transactio inter Cæsarem & Regem Christianum.

Statim exinde exauctorari Rex militem fecit, qvem eousque ob metum Burgundici belli, habere ſub ſignis coactus fuit. Eæque copiæ priusqvam in totum Daniæ oris excederent, circa Holſatiæ limitem attinebantur. Erant qui exiſtimabant, Ditmarſos peti & in eos belli molem

Milites dimiſſus.

Transactio inter Ditmarsos & Regem

molem versum iri. Sed cum eis quoque amice transigi Rex curavit, eo scilicet pacto, ut recederent a fœdere, quod cum Electore Frederico & Lotharingiæ Duce superioribus annis pepegissent, veteri fide atque obsequio erga Daniæ regnum & Holsatiæ Ducatum agerent; Facta per idem tempus inter Regem ejusque fratres *Johannem* & *Adolphum*, super Holsatiæ ducatu divisio; Quod Ducem *Fredericum* spectabat, id in aliud tempus reservatum.

Disputatio de religione Hafniæ

His diebus Hafniæ publica habita disputatio de præcipuis Religionis capitibus idque ex Regis mandato, per dies continuos octo. Inter fuit in suis initium ipse Rex. Evocati eo fuere Canonici omnes capituli Lundinensis, ut & aliorum regni capitulorum, quod ex iis plurimi adhuc occulte proficuissent; Eorum præcipui fuere, *Petrus* Severus, *Petrus* Jareus, Magister *Jonas* Thursonius, M. *Bernardus* Arvidus, Abbates Herredtzvadi & Esforomi, Mag. *Erasmus* Sartorius, monasterii Sorani cœnotobita; Sed hi postquam ultro citroque discussa essent omnia, subscripsere communi Religionis formulæ. Promoti post habitam disputationem Theologiæ Doctores, *Nicolaus* Crugius, *Olaus* Crysostomus & *Johannes* Synningius, qui & proposita religionis capita publice defenderant.

A. 1545. Dux Joannes nascitur.

Illustrem fecit, qui insecutus est, annum millesimum supra quinginteſimum quadragesimum quintum, natalis Ducis *Johannis*, qvi Regi Coldingæ est natus sub XXV Martii, qvo tempore & Regi *Philippo* natus in Hispania est, sed mense Junio, Princeps *Carolus*. Ingens hoc tempore circa Albim armatorum populus, collectus visebatur, nec constabat, cujusnam sacramento adacti arma sumpsissent.

Verum haud multo post jungit se eis, velut militiæ caput Dux Brunsvicensium Henricus, qvem ditionibus ipsius Landgravius pepulerat. At ille, adducta hac secum multitudine Wolfenbutelum, quod tenebat, Bernardus a Millem, obsidione cinxit, sed commeatu atque alio præterea belli apparatu, tum justo militum numero destitutus, re infecta recedere coactus est; Hæc militum manus, dum circa Albim hæret, Dani atque Holsati circa Bramstedam delectus agunt, existimantes esse fortasse Electoris Frederici copias, at re propius intellecta domum redierunt.

A. 1546. Seva hiems.

Memorabile est anni insequentis, qui fuit milleſimus, supra quingenteſimum quadragesimus sextus, eam hiemis sævitiam fuisse, ut ex Selandia in Fioniam & Cimbriam & quod magis memorabile, e Falstria, quæ Vismariæ & Rostochiæ est objecta, iter in Germaniam per Balthicum mare, quod ibi milliarium septem spatium habet, pervium esset, ut jure hic locum habeat illud Manilii: *Non annis anni, non mensibus omnes conveniunt.*

Conditiones quibus Christiernus II. Sunderburgo Cellumburgum transiit.

Ex promisso, quod a Regiis delegatis Cæsareæ majestati Spiræ esse factum diximus, ut nimirum Christiano captivo mitior carcer atque educatio tribueretur, habita Sunderburgi, jussu Regis, talis cum eo transactio. Renunciat Rex *Christiernus*, idque qvod dicunt, forma meliori, omni juri, qvod in Daniæ Norvegiæqve regna vel ipse, vel hæredes ejus habuere, vel habere possint, idque partim, quod filius illi superstes non sit, partim ne ulterior Christiani nominis sangvis profundatur, tum pacis & concordiæ causa, vergente jam ad senectutem ætate ipsius. Fateturque cum regna utraque Daniæ Norvegiæque desereret, in locum suum rite ac legitime ab indigenis electum, primo Ducem *Fredericum*, ac inde filium ejus Christianum III. Renunciabat similiter cedebatque Christiano Regi, ac Ducibus Johanni & Adolpho jure suo universo, quodcunque habuisset in Ducatus Slesvici, Holsatiæ Stormariæ & Ditmersiæ, ut & privilegio, quod a Carolo Cæsare impetraverat, de acceptando eos ducatus, non ab Episcopo Lubecensi, sed ab imperio & Cæsare. Cedebat quoque jus omne, quod prætendere in Sveciam posset, seque præfectura quam illi Rex Christianus, cognatus ejus, assignarat, Callenburgensi, una cum Insula, quæ ei proxime adjacet, Samsoa, contentum fore significabat; Præfectos præsentes retineret; aut si alios in locum eorum constituere animum induceret, aut constituendi in locum defunctorum essent, id non nisi cum assensu cognati sui Regis Christiani fieret, essentque tam illi, quam ex famulatio ejus cæteri cognato ejus, Regi Christiano sacramento obstricti. Se præterea haud unquam cognatis suis, Regis Christiano Holsatiæ Ducibus, ut nec Regi Svecorum Gustavo, clam, palamve fore adversarium promittebat, sed ea potius acturum, qvæ in eorum bonum ac commodum cedere possent; Pollicebatur insuper, se haud quaqvam sine cognati sui Regis Christiani, ejusqve Successorum assensu Callenburgo excessurum, aut admissurum ad se suaqve colloquia qvemqvam nisi præsente arcis præfecto: Venari, augurari, piscari per universam præfecturam, ipsi liberum esto. Post obitum ipsius arx totaqve Præfectura ad regnum redibunt; Petebat vero seorsim, ut cum Daniæ, Sveciæ ac Norvegiæ regna essent non hæreditaria, sed electiva; Ducatus autem Slesvicensis, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ essent præfectura seu feuda virilia, & ideo utramqve filiarum suarum, Palatinam & viduam Lotharingiam ad ea admitti haud posse liceret, ut idcirco dictis jam filiabus suis a regnis singulis ac ducatibus universis, ejusmodi dotalitium tribuerentur, cujusmodi sorori suæ Elizabethæ, quæ nupta est Joachimo Brandeburgico, fuit assignatum, & præter id daretur, cuique ceimelium 10000. aureorum & ultra hæc nulla earum haberet, quod flagitaret: Duodecimo ac ultimo permittebat effecturum se primo qvoqve tempore, ut dicto dotalitio filiæ suæ assensum præberent, ac istam simul tractationem sua obsignatione ratam firmamqve haberent. Obsignavere hæc ad rei majorem certitudinem Rex Christiernus Johannis filius Rex *Christianus* III, Johannes & Adolphus fratres. Insignem sive luctuosum potius hunc annum fecit obitus Martini Lutheri, qvi velut sidux exortus, &, ut ait Poeta, occulti miranda potentia fati, quem ut admirati plurimi,

Lutheri obitus.

ita & deteſtati odioqve proſecuti ſunt haud pauciores: Regi vero ejusque aulæ lætitio acceſſit ex natali filiæ Dorotheæ, quæ per idem tempus Coldingæ eſt genita.

Dorothea naſcitur.

A 1547. Proximo hinc, qui ſecutus eſt anno milleſimo ſupra quingenteſimum qvadrageſimo ſeptimo cum claſſe ſex navium in Norvegiam eſt profectus Dux Fredericus Chriſtiani Filius, ut ibi regni ejus diadema ſuſciperet Opsloæ, circa feſtum Divi Johannis; Quo eodem circiter tempore Hamburgenſes in Comitiis Neurenbergæ Cæſarem ſunt deprecati, quod partes ſecuti fuiſſent proteſtantium, ac fœderi eorum ſemet junxiſſent. Coldingæ quoque haud multo poſt Comitia habita, quæ urbes præſertim Vandalicæ ſuos delegatos miſere, petentes, ut Rex vetera eorum jura ac privilegia habere rata ſartaque vellet. Quæ & firmata ipſis hac lege ac conditionibus ſunt, ut Regi ejusqve ſucceſſoribus ſua interim conſtarent regalia, telonia ac prærogativæ, & ſubditis ejus, qvæ ipſorum eſſent ac denique ut iisdem ſubditis ac civibus ſuis in urbibus atque emporiis ipſorum ſua viciſſim jura ac prærogativæ integræ ſarræque haberentur. Erant ex proceribus, qui multa hic in adverſum proferebant, dari ſcilicet privilegia gentibus ob bene earum erga Rempublicam merita ita & amitti ac eripi viciſſim ob ſecus facta. Quam autem ſœpenumero Vandalicæ urbes inimica atque hoſtilia Daniæ regno intendarint, conſtare omnibus, ſive cum ipſo bellum intulerint, vel aliorum bella ac machinationes ſuis copiis juverint; ſed vice pars potior, quæ ſervanda jam olim ipſis promiſſa exiſtimabat, & vel ideo quoqve, quod Rex in obſidione poſtrema Lubecenſium, ipſis id ſigillo ſuo pollicitus fuiſſet. Agitatum iisdem in Comitiis, ut Holſatiæ Duces, a Rege Daniæ, ejusque ſucceſſoribus acciperent Ducatum Slesvicenſem, & Femeræ inſulam, ut regni feuda; aderantque ipſi Ducum uterqve Johannes & Adolphus, Regis fratres; Verum cum in diſputationem res traheretur, ac propius ſuper ejus Feudi natura ac ratione quæreretur, & *an etiam eſſet feudum Francum, nec ne* in aliud id tempus rejectum fuit.

Dux Fredericus inauguratur apud Norvagos

Coldingæ Comitia.

Tractatus inter Holſatiæ Duces fruſtraneus.

A. 1548. Iterum de quibus ſuperius eſt injectum; Islandorum uterqve antiſtites, hic, cui nomen erat; Jonas, vetuſtis adhuc ſacris adhærens, & alter Martinus Everſenus, novis motibus occaſionem dederunt. Et eſt relicta ſtatione ſua, Martinus in Daniam ad Regem hoc nomine profectus, ſed mox a Rege remiſſus in mandatis habuit Jonam monere, ut ſe Regi ſub annum ſequentem ſiſteret. At ille, hoc accepto, ſibi ex agreſtium populo trecentos adſcivit, quibus Epiſcopum Schaltholmenſem Martinum invaſit, ac ſecum captivum abduxit; priorem Epiſcopum humo erutum, ſepeliri ante templi fores curavit; Regium judicem depoſuit inque locum ejus filium ſuum conſtituit, habens præterea in animo, Anglos in auxilium evocare, atque ipſos ad ſui defenſionem inſulæ imponere. Quæ Rex indigniſſime ferens banno ipſum continuo multavit, omnesqve Eccleſiaſticos & politicos ipſius juris dictione abſolvit,

Islandorum motus.

Deſponſata ſub initium ejusdem hujus anni milleſimi ſupra quingenteſimum qvadrageſimi octavi, Coldingæ eſt Chriſtiani Regis filia Anna Saxoniæ Duci Auguſto, qvi defuncto fratre Mauritio ad Electoratum exinde promotus eſt. Eorum nuptiæ celebratæ apud Misnos Torgæ 12 Octobr. præſente ipſius Matre Dorothea, pluribusqve ex Nobilitate Danica, qvi Flensburgo in Miſniam usque comitati eos fuerant; Memorabile eſt, Georgium Anhaltinum, Principem ac Præpoſitum Magdeburgenſem, non ſacris modo nuptialibus interfuiſſe, ſed matrimonii inſuper vinculo Principes copulaſſe, habita ſimul inſigni concione Epithalamia, quæ in operibus maximi illius Principis exſtat. Hoc nihil viſum eſt, multis in nuptiali illa pompa magnificentius. Et Regina, ſponſæ mater, mirifice de eo filiæ ſuæ fertur gratulata.

Nuptiæ filiæ Regis Annæ cum duce Saxoniæ

Eodem præterea hoc anno Imperator, cum id antea negaſſet ob inimicitias, quæ ipſi intercedebant cum Regibus Daniæ; inveſtivit Bruxellæ, inqve feudum Ducatum, Holſatiæ immiſit Regem Chriſtianum ejusque fratres, Johannem & Adolphum, ac omnia ipſis firmari fecit privilegia, immunitates ac conſvetudines, quæ antiquitus ab imperii Cæſaribus ipſis fuiſſent conceſſæ. Olim inveſtiendi hic mos Lubecenſium Epiſcopis ab Imperatoribus erat conceſſus nunc id ſibi Cæſar Carolus aſſumpſit; eo tamen modo, ut nihil præjudicatum hic Lubecenſium Epiſcopis in poſtremum voluerit.

Ducum Holſ. infeudatio.

Hinc alia ſecuta ſunt tempora ac temporum viciſſitudines, & inter cœtera, qvod ad rem noſtram ſpectat, Imperii ſeptem vir Fredericus Palatinus, qvi cum hucusqve in flagranti apud Cæſarem Carolum gratia fuiſſet, refrigeratus haud parum ab eo eſt ob mutatum, quæ veteribus ſacris adhærebat, ac receptam, quæ puriorem Evangelii Doctrinam ſeqvebatur, religionem. Unde rarus de dotalitio conjugis ipſius Chriſtierni II captivi filiæ, de qvo ſupra memoratum, cujus & ſumma ibi expreſſa, vel ſermo vel mentio fuit, licet in aula Cæſaris tum ageret ex Holſatiæ Ducibus *Adolphus*.

A. 1549. Menſe deinde Februario anni, qui eſt inſecutus, milleſimi, ſupra quingenteſimum quadrageſimi noni, translatus eſt Sunderburgo Callunburgum Rex Chriſtianus II, in cuſtodiam mitiorem; quemadmodum in conventu Spirenſi coram Cæſaræis delegatis promiſſum fuerat, cum e cimbrica Cherſoneſo, transmiſſo ibi Balthici maris brevi ſinu, Aſſenum veniſſet eo cum pervenerat Chriſtianus Rex, qui amice eum affatus, una cum fratre Johanne Holſatiæ Duce commodiorem ei deinceps locum cæteraque prolixe pollicitus fuit; At ille viciſſim gratiis pro more actis receſſit. Qui cum trans Balthicum mare Callenburgum ex regni ſenatoribus comitati fuere, memorantur. Andreas Bilde, Nicolaus Bilde, Burgerus Trolle, & Chriſtophorus Witfeldius: Callenburgo octo aut novem ei in prandio ſive cœna ex Nobilitate præſentes ut plurimum adſtitere: exceptusqve eſt menſa principe Digno, permiſſaqve, cum liberet, venatio aliaqve ejusmodi exercitia;

Chriſtiernus Callunburgum transfertur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tia, ut ante momoratum; Accidisse aliquando, cum esset in venatione tradunt ut se studio quodam occuluerit, ac diu quæsitus tandemque inventus, id laudandi eos causa a se factum referebat; Inde a venatione retentus, tum & serio paulatim fatigatus, domi concedit.

Fredericus Dux Coadjutor Slesvicensis.

Fredericus Holsatiæ Dux coadjutor hoc tempore est designatus diœceseos Slevicensis: eaque occasione renunciavit, inque fratres suos transtulit, quicquid apud Holsatos haberet paternæ hæreditatis. De hac translatione Cæsarem per literas certiorem reddidit. Et fratres vicissim ejus, Rex Christianus ut & Johannes & Adolphus Holsatiæ Duces, annuos ei reditus novem millium marcarum Lubecensium detulere, æqua portione a singulis reddendos. Episcopi tamen Slesvicensis titulus ac dignitas reservata est Doctori Tilemanno, cui Dux Fredericus sub annum insequentem, qui fuit millesimus supra quingentesimum quinquagesimus, codicillos tradidit, quibus est professus se perpetuo adhæsurum capitulo, utpote fidum ejusdem clientem; Et qui privilegia ejus atque immunitates sartas tectas esset servaturus, nec qvicquam, quod ad idem capitulum spectaret, diminuturus. Arx, quam teneret, Svavestetum, post obitum ejus ad capitulum rediret &c.

Piscis prodigiosus.

Captus per hoc tempus in freto Oresundæ, haud procul Ellebogia, vulgo Malmogiam vocant, piscis opido prodigiosus referens habitum cucullati monachi; capite ac vulto hominem exprimens; sed vertice in morem ac modum coronæ monachalis glabra, squamis ita circum tectus visebatur, ut nihil a vestitu ac monachi desidere videretur. Rex id monstri Hafniæ humari curavit. Simulacrum vero ejus penicillo expressum ad Carolum V. Imperatorem, tum in Hispaniis agentem misisse, ac ei manu viri Nobilis exhibere fecisse, refert in Batavia sua Junius.

A. 1550.

Per eosdem hos dies, qvod inter Cæsarem & Scotos controversum hucusque hæserat, id amice compositum, ac fœdus utrimque propius initum, cui etiam Daniæ Reges innexi fuere; Erat hac tempestate frequens Danorum, qui Torpatum Nervamque navigiis suis adibant, apud Moschum negotiatio: Eaque occasione Moscoviæ magnus Dux a Rege Christiano petiit, ut ad se opifices varii generis mitteret, & inter cœteros etiam typographos aliquot. Qvod posterius bibliopegus quidem Hafniensis in se suscepit; Rex vero, ut Principi gratificaretur, automaton horologium, dedaleo opere fabrefactum, dono misit. Sed ipse ejusdem usum ac tractationem ignorans; utpote qvod in se vivens, quidam continere putaret; id Regi remisit; Alii ita interpretabantur, id ab eo remissum, quod ei cum muneri quicquam vel datur vel mittitur, id duplo remunerare solere, hujus autem cum pretium ignoraret nec haberet, quid æstimare posset, ideo remisisse.

Muscovia Dux horologio donatus id remittit.

Memorabilem hunc annum fecit versio Bibliorum in linguam Danicam, juxta translationem Germanicam Martini Lutheri. Etenim ex edicto regio postquam esset illa demandata Professoribus Academiæ Hafnienſis, continuo post suis eam impensis describi typis Rex pientissimus curavit. Ante quidem id Evangelium una cum Psalterio, Danico idiomate reddiderat, ac typis excudi Lutetiæ Parisiorum fecerat M. Christianus Petri, Canonicus Lundensis, quin & in monasteriis quibusdam etiam vetus Testamentum, Danice redditum reperiebatur, & in omnium hæc manibus non erant, nec textum primogenium seu Hebræum, satis exprimebant.

Biblia sacra danice reddita.

Superius Jonæ Armsenii, Antistitis Islandiæ, ejusque machinationum mentionem injecimus: Hoc vero tempore, qui fuit annus supra millesimum qvingentesimum quinquagesimus primus, classem eo Rex misit, cui præerant viri Nobilitate clari, Axillus Jul, itemque Christophorus Trundonis; Vehebant eæ naves, præter Classianas, milites quingentos; Eratque in mandatis utrique Præfectorum, capere Episcopum Jonam cum filiis ipsius ac eos in Daniam transferre; Martinum vero Antistitem vinculis liberare, eum in veterem sedem ac dignitatem reponendo: ac simul ut Islandos jurare Regi de novo facerent, refractarios vero vel vi vel jure ad obsequium reducerent. Seorsim vero, datis ad primores Islandiæ, & qui in fide permanserint literis, eorum studium ac fidem collaudavit, orans petensque, ut se porro fidos erga Regem suum clientes demonstrarent, ac Jonæ antistitis machinationes frangerent; sevicissim omni gratia erga ipsos id re cogniturum. Verum hæ naves prius quam in Islandiam advenissent, decreverat circa quadragesimam ejusdem hujus anni Episcopus Jonas, Martini Episcopi, quem captivum tenebat, affinem Dadelbondum, ac ei qui adhærerebant universos sibi subjicere, & se eum in modum totius insulæ Dominum constituere, eum in finem collectos, sibique junctos habebat viros armatos circiter quingentos, cum Dadelbondo ad manus vix essent trecenti. Itaque occasione capta Dadelbondus, qui Jonæ longe impar erat, eam quæ Jonam sequebatur, multitudinem affari, eosque monere cœpit, se in suo consistere, ac eo contra, fas & jus Islandicum depellere ipsum Jonæ in animo esse: talia qui agere instituant, esse patriæ hostes ac proditores. Sibi nihil propositum aliud, quam Regi ac Domino suo obsequi, cui se Episcopus Jonas opponere, cœpisset, atque id agere, ut insulam disjungat Norvegiæ Regibus, atque alio tandem Domino subjiciat: viderent quid agerent; His ac hujusmodi in medium allatis, rediit paulatim ad sua aggrestium hic populus. Idque ubi animadvertit Dadelbondus, diffluxisse plerosque, impetum in eos, qui reliqui erant, vertit, cepitque Episcopum ipsum Jonam cum duobus ejus filiis, avexitque Schalholam. Verum cum tertius insuper Episcopo filius esset, verebatur ne is, excita nova multitudine patrem fratresque liberaret. Quocirca initio cum Regis præfecto, Christiano scriba, consilio, optimum factu ipsis visum, ne in perpetuo metu versarentur, Jonam una cum utroque filio capite plecti. Quo facto, cum

A. 1551. Classis regis in Islandiam missa.

Dadelbondus Episcopum Jonam dexteritate sua capit.

cum nihil siniſtri cogitaret Chriſtianus, regius ſcriba, neque exiſtimaret ſe de communicato conſilio ſuſpectari, accidit, ut a tertio filiorum, qui ſuperſtes, remanſerat, per ſpeciem amicitiæ invitatus ad epulas, inter ipſas epulas & menſæ ſacra oppreſſus ſit & trucidatus, idque in vindictam patris ac fratris utriusque.

Quibus eum in modum fluentibus, appulere tandem regiæ naves, una cum militum, de quibus dixi, copiis & utroque præfecto Axillo Jul & Chriſtophoro Trundonis. Hi terram ingreſſi comperere antiſtitem Jonam ſupplicio jam affectum cum duobus filiis. Quo nomine gaviſi in locum Jonæ ſurrogarunt, Olaum Hialtſenium; qvi ut & cæteri univerſæ iſtius diœceſeos magni minoresque in verba Regis ejusque filii, Ducis Friderici ſolenniter jurarunt, transmiſſique ad reliquos inaugurationis hujus codicilli, quibus ſe in ſempiternum adhæſuros Coronæ regnoqve Daniæ ſacramento obſtrinxere; præſertim cum eis adeo clementer eorumque peccatis ac defectioni Rex ignoviſſet. Dati hi codicilli fuerant in foro Odderæ menſe Junio, an. 1551. At Anno, qui eſt inſecutus, miſſus eodem Paulus Witfeldius, qui Jonæ antiſtitis tertium filium Chriſtiani ſcribæ, ut ſupra memini trucidatorem poſtquam ſupplicio affici omnes, qui ei adhærebant, feciſſet ſe ad Eccleſias & ſcholas conſtituendas vertit; Atque ita, ſtudium ſuum hunc ſedulo conferente Witfeldiores compoſitæ Islandicæ.

Obitus clarorum virorum.

Inſignem dicam, ſive funeſtum potius, annum hunc reddidere Clariſſimorum aliquot apud Danos virorum obitus; & in his primo loco memorandus, Franciſcus Wormandus, qui poſt Epiſcopos Pontificios, dignitate ac ſede ſua motos, purioris doctrinæ primus antiſtes Lundæ creatus fuit, homo Hollandus, Amſterodami natus, nec pietate minus, quam eruditione excellens. Obiit item Tilemannus Huſenus, Sleſvicenſium Epiſcopus, cujusmodi mentionem feci itemque Petrus Laurentius, Lector, ut tum appellabant, apud Lundenſes; habiturque inter primos ille una cum Franciſco Wormondo, qui tempore Epiſcoporum Pontificiorum ſaniorem Evangelii doctrinam profiteri in ſcholis auſus fuerat. Nec omittendus Petrus Scavenius, qui licet natione Pomeranus, regno tamen per ut item ac neceſſariam operam ad vitæ usque finem præſtitit, præſertim apud exteros Principes, vir ut eruditione ita eloquentia ſingulari. Quem ob merita ejus arce Giordsloff hæreditaria Rex donaverat. Extat ad eum una alterave, ni fallor, Bembi Epiſtola. Quibus annumerandus, quam extraneus, Martinus Bucerus. Eum etenim poſt Martinum Lutherum Rex Chriſtianus hic noſter proximo loco coluit, ac ſingulariter dilexit; ita ut illum ad ſe regio diplomate vocaverit, ubi eodem dignitatis loco fuiſſet, quo illum Rex Angliæ Edvardus collocaverat, nempe ut in Clariſſima regni Danici Academia Hafnienſi Theologiam & ſacram Scripturam fuiſſet profeſſus. Nec ille ſi non jam antea ſuam operam Edvardo addixiſſet, tam honorificam & claram provinciam a Regia Majeſtate oblatam, recuſaſſet, ut memor aut hæredes ejus, qui in librum ipſius de Regno Chriſti, editum Baſiliæ, ſub annum 1557 præfati fuerunt.

Inſequenti anno, qui fuit miſſeſimus ſupra quingenteſimum quinquageſimus ſecundus, in locum Franciſci Wormondi, qui ut memini, primus reformatorum antiſtitum Lundæ fuit, ordinatus eſt Epiſcopus Lundenſis, Nicolaus Palladius Frater Petri Palladii, viri inſignis ac ſcriptis, quæ non una edidit, etiam apud exteros clari. Witfeldius vero, qvem dixi ſuperiori anno a Rege in Islandiam miſſum, ſublatis ſiccariis, totum ſe vertit, ad Eccleſiæ ac ſcholarum reformationem. Etenim trivialem ſcholam utrique Eccleſiæ adjunxit, & fundatione ſcripta; Regis nomine muniit. *A. 1552.*

Quæ dum ibi fiunt, pacata erant domi Daniæ Norvegiæque regna, velitante cum Germaniæ Principibus Cæſare; Etenim Mauritius Elector, adſcito ſibi Marchione Brandeburgico Alberto fœdus cum Rege Galliarum iniit, eoque adegit Cæſarem, ut ille captivos Principes Joh. Fredericum & Philippum Landgravium manu mittere coactus fuerit, ut eſt a nobis alibi memoratum; ſed illi ipſi mox Principes Mauritius & Albertus, dum ipſe ferrum vertunt, periit in conflictu Mauritius vere liberator & alter Germaniæ Arminius, ſive ætatem, qua florente ſublatus eſt, ſive popularium ac cognatorum, quod adverſus ſibi habuit, odium videamus. Erat in Dania eo tempore, qui fuit annus milleſimus ſupra quingenteſimum quinquageſimus tertius, apud Socerum ſuum, Regem Chriſtianum, Dux Saxoniæ Auguſtus, Mauritii frater, cum ad eum triſtis hic de clade fratris nuncius adfertur, eoque accepto, haud diu moratus, ſe a Dania in Germaniam relulit, occupatisque fraternis ditionibus, utpote hæres proximus, Electoris etiam titulo ac dignitate exinde auctus fuit. *Mauritius Elector. Saxon. occumbit.* *A. 1553.*

Celebrata per idem tempus Hafniæ comitia, in quibus præter cœteros præſentes fuere Ambroſius Mejerus Conſul Lubecenſium, ut & Bartholomæus Tegnappel, qui ſuo & urbium Hanſaticarum nomine querebantur ſuper regio Bergenſium præfecto, quod is privilegiis ipſorum vetuſtisque conſuetudinibus derogare nonnihil videretur. Habebantque quoque quod querebantur, de telonio apud Scanos, ut agebant, noviter inſtituto. Verum reſponſi tum ipſis nihil, præter id datum, regiam ejus Majeſtatem literas ad præfectum ſuum miſſuram, ut ſuam de his ſententiam aperiat, privilegia quod ſpectaret, ea ipſis integra manſura, conſuetudines mutari & induci novas poſſe; Quicquid horum eſſet, nec in damnum ſubditorum ſuorum cederet, a præfectis ſuis propius edoctum, ſuper iis ſuam ipſis ſententiam proxime declaraturum. Diſputatio iisdem diebus levicula inter miniſtros duos, qui apud Fionios verbi divini erant præcones, exorta eousque inter ipſos eſt agitata, ut comprehenſus uterque ſit, & condemnatus ad perpetuos carceres, quod adhærere Anabaptiſmo viderentur, ut tradit inter cœtera Witfeldius. Paſſim tum quoque de cœlo labi ac ſpargi ignis eſt *Comitia Hafnia.* *ignis cœleſtis & peſti*

est visus, certum indicium pestis, quæ per oppida hinc inde, & pagos sæviens, plures absumpsit. Et est eadem de causa schola Hafniensis utraque a festo S. Laurentii ad qvadragesimam usque dissipata. Ubi remisit nonnihil id mali rediere, ad publicas lectiones studiosi, ac est ad Theologiæ professionem promotus Nicolaus Hemmingius, cum antea dialecticam fuisset professus. Fatalis hic annus Serveto Genevæ fuit & apud Anglos optimo Principi Regi Edvardo, in cujus locum successit amita *Maria* quæ Regi exinde Hispaniarum Philippo nupta, reductis veteribus sacris mirum in modum in Evangelicos sæviit.

A. 1554. Malmogia tradita Friderico Duci.

Tradita sub annum proximum, qui fuit millesimus supra quingentesimum qvinquagesimus quartus Duci Frederico arx ac territorium universum Malmogiæ, additusqve ei velut Moderator sive aulæ Magister, Eduardus Hardenberg, vir prænobilis, ac multis dotibus ad imbuendas juniorum Principum mentes instructissimus.

Indictus circa idem tempus fuit ad limitem utriusqve Daniæ Sveciæque: ac missi eo *Magnus* Guldenstern, Burgerus Trolle, Antonius Broscke, regni Cancellarius, Thago Thot, Nicalaus Urne, Holgerus Rosenkrantzius, ut ea, quæ etiamnum reliqua essent, inter utrosqve controversa, amice aut jure componerentur; Sed a Regia Majestate confestim evocati illi dilatusqve eis dies in annum insequentem, idqve ob motus ac bellum præcipue, qvod Cæsar Galliæque Rex lacessere videbantur emissis in mare boreum piratis, qvi ad littora usque Norvegiæ Daniæqve infesta cuncta reddebant; Ideoqve Rex ut oras regnorum suorum adversus prædones atque æruscatores ejusmodi tuta præstaret, classem educit, cui Admiralium præfecit *Magnum Guldensternum*, qui Daniæ Norvegiæque oras prætoriis suis navibus obambulans vim eorum arcuit, inque herba, quod dicitur confregit ac domuit.

Pirate.

Malum fœnebre.

Invaluerant per idem hoc tempus usuræ passim per oppida provinciasque, adeo ut modum excederent. Qua propter Rex, edito edicto, excessum hic omnem compescuit, sancivitque ut fœnus esset tolerabile, nec a nummo centesimo nisi quintus exigeretur. Tacitus fœnebre hoc malum appellat aitqve sæpius iterumque Romæ prohibitum sed retentum.

A. 1555. Nuptiæ Alberti Ducis Megapolensis.

Mox, qvi fuit annus millesimus supra quingentesimum qvinqvagesimus qvintus, celebratæ nuptiæ Ducis Alberti Megapolensis cum Anna Ducis Borussiæ, Magapolensis Alberti filia, quæ Regis Christiani neptis fuit, utpote ex sorore ejus genita. Eas ad nuptias honestandas missi eo, Regis nomine, viri illustres Otto a Krumpen & Holgerus Rosenkrantz: cumqve eodem suos quoque legatos misisset Poloniæ Rex Sigismundus Augustus, accidit, ut ejus legato, velut præsultori, Chorearum prima cesserit. Qvod indignati, qui Daniæ Regis nomine aderant, Otto a Krumpen & Rosencrantzius, cœna egressi in Daniam redierunt, existimantes in dedecus hoc Regis sui factum, cum Rex Christianus non modo avunculus esset sponsæ; sed Daniæ quoqve regnum Poloniæ regno longe foret antiquius. Verum excusabat se Borussiæ Dux, eam prærogativam Poloniæ Regis legato ob id delatam, quod Borussiæ ducatum acciperet, ut beneficium regni Poloniæ.

Venerunt circa hoc tempus ex Anglia in Daniam profugi, ob sævam Mariæ Reginæ in Evangelicos tyrannidem, homines circiter ducenti, tam Angli qvam Belgæ; sed Belgæ præcipue. In his eminebat nobilis Polonus, Johannes a Lasco, & Carolus Utenhovius, Martinus Micronius aliique pauci. Hi cum excepti, ab oppidanis qvam benignissime essent, profecti exinde ad Regem sunt, qui tum Coldingæ erat, Johannes a Lasco, Micronius, & Utenhovius, qvi ibi utrumq; concionatorem aulicum, Paulum Noviomagum & Henricum Buscoducensem, viros item Belgas affati, sperabant eorum favore sedes se ibi meliores reperturos. At contrarium accidit. Nam eos Noviomagus in publica concione, cui etiam Rex ipse intererat; ut sacramentarios proscindere non est veritus, adeoque denigrare, ut secundum edictum, qvod paulo ante in Anabaptistas erat promulgatum regno excedere coacti sint; Et id quia in hiemem incidit, exaggerat haud parum Utenhovius, qui edicto scripto ea omnia acta ac disputata cum Regiis ministris ac Professoribus in unum contexuit, haud levi Danicæ gentis opprobrio. Interim quod nec diffitetur Utenhovius, cum videret Rex, receptas in regno suo ceremonias acceptare eos nolle, voluit, ut qui Hafniæ essent, navigio in proximam Germaniam transmitterent, ipsi terra inde Hamburgum aut Lubecam pergerent. Quem in finem hospitum eorum sumptus persolvi fecit, addito insuper dono centum dalerorum imperialium. Permisit præterea, ut filius uterque Johannis a Lasco, Johannes & Hieronymus una cum pædagogo ipsorum, Coldingæ aut Hafniæ subsisterent ac hibernarent. Huc haud dubio respicientes Buceri hæredes, qui in librum ejus Regi Christiano dedicatum biennio circiter antequam illa Utenhoviana sunt edita, ita inter cætera præfati sunt, jam ut de magnis illis sumptibus, nihil dicamus, qvos Regia tua illi impendit, ut sacra Biblia in Danicam Linguam verterentur, ac in singulis reponerentur Ecclesiis, quis illam pro dignitate prædicabit hospitalitatem & munificentiam, quam regia tua illi exhibuit in exules, & ob Evangelii professionem ex Germania & illius nationibus profugos? qui ad regiam tuam Majestatem, tanquam ad Christianæ religionis asylum confugerunt, quos omnes tam humaniter, tam benigne, tam liberaliter Regia tua Majestas excepit, tractavit, aluit, ut se non in exilio; sed in vera patria: non apud externum Regem; sed apud suos versari principes & magistratus existimarint.

Legati Lubecenses sponsum petunt.

Hafniæ eodem hoc anno quæ habita fuerant regni comitia, in iis præsentes fuere Lubecensium aliarumque urbium, Vandalica-

rum delegati, petentes responsum sibi reddi super gravaminibus, quæ anno antecedente 1554 proposuerant, spectantia præsertim ipsorum privilegia in urbe Bergensi apud Norvagos, & alia apud Svecos. Verum cum Rex aut regni Senatus nihil certi haberent, quod ad ea pertineret privilegia, præcipue quae dicebant, annos ante centum sibi indulta, e re visum ut delegati iidem certo die (qui & nominatus est) Lubecæ produci curarent autographa præsentibus Regis legatis, quæ ea propius inspicerent.

Horum Legatorum unus nominatur *Ericus* Krabbius, nihil tamen tum certi statutum, sed in aliud tempus id omne rejectum.

Hamburgenses prætendunt jus restringendi advectas merces.

Per idem tempus Hamburgenses volebant, ut civitates qvæcunque ad Albim inferius essent positæ, merces suas & præsertim frumentum, navigiis suis Hamburgum adveherent, ut ibi venum exponerent, priusqvam alio aut ulterius per oceanum transferrent, qvod jus restringendi appellabant, ac sibi olim a Cæsaribus indultum referebant; Quo eodem jure cum etiam Regis Christiani subditos, ut sunt præsertim Krempenses, Wilstrii & Marsi, qui per Storæ amnem in Albim procedunt teneri dictitarent opposuit se Rex, voluitq; ut ea privilegia sibi exhiberent; Tenuitqve diu res, & iterum temporibus Frederici II filii ipsius agitata, qui id haud qvaqvam ipsis concedere, animum induxit, ut suo denique loco, volente Numine, dicetur. Convenere Elsburgum per hunc qvoqve annum utriusque Regis, Daniæ & Sveciæ legati, qui anno superiore, re infecta discesserant. Erant Daniæ Regis Legati sex; Svecorum vero qvindecim, nimirum Gustavus Ottzen, Steno Erici, Petrus Brade, Abrahamus Erici, Dominus Svando, Dn. Bureus Nicolai, Equites, Georgius Erici, Nicolaus Gromme, Gabriel Christiani, Nicolaus Rebing, Petrus Andreæ, Benedictus Gylde, ac tres Secretarii, scilicet Olaus Laurentii, Clemens scriba aliique. Dn. Brade præcipue agendum putabat, de rebus quæ regnum & Regem spectabant omissis privatis, hinc literas exhibuit, quas appellant, fiduciarias; atque inde efflagitarunt Sveci, ut vocaretur ad eundem conventum, Vernerus Basberg, qvod & factum. Die insequenti, ubi de re ipsa agendum esset, volebant Dani, ut Svecorum sex agerent cum delegatis Regis Daniæ, qui numero tantum sex erant; At respondebant Sveci, se omnes a rege suo ad eam actionem designatos, nec separari velle. Qvocirca solutus est conventus. Interim gravamina eorum hæc erant, quæ scripto consignata exhibuere: Proditorem Nicolaum Tackium ejusque socios plurimum subsidii habuisse a Regis Daniæ subditis, præsertim Blegensis, qui eum armis, alioque bellico apparatu sæpe juverint; itemqve permutata apud eos, quæ in Sveciæ rapto furtoque abstulerant; Quin & scripsisse eosdem ad Svecos, ut in cœpta seditione pergerent, esse præsto & præ foribus e Germania nova auxilia: Putare se pugnare ejusmodi cum fœdere, qvod inter utrumque regnum esset, ne alter alterius hostem reciperet aut juvaret. Atque Dani responderunt, amicum istud fœdus, qvod inter utrumque Daniæ Sveciæque regnum esset, haud qvaqvam ideo ruptum esse, si qvid homo privatus præter voluntatem Domini sui ageret; & ea quæ facta a Blegensis sunt, ea facta esse præter regiæ Majestatis voluntatem inde constare, qvod eorum non nullos supplicio affici, petente Regæ Sveciæ, curarit. Hinc qvesti Sveci fuerunt super Præfecto Vernero Basberg, quod is pecuniam a Svecis exterribus acceperit, ac eos, tradito salvo conductu, quo vellent, ire permiserit. Responderunt Dani, vocatum esse Vernerum Basberg ut audiretur, petentes ut delegati sex ex Danis cum sex Svecis considerent, deque re judicarent; sed cum separari Sveci nollent, nihil tum præterea actum. Clarus hic annus est navigatione Anglorum, qui tribus cum navibus tentarunt, num transiri per boreæ polum & illud fretum in Cathacam possit. Navium harum duæ & qvicunque in iis essent, circa Finlandiæ & Lappensium extrema littora glacie & frigore constricti perierunt. Tertia S. Nicolaum Moschorum, circa id littus notum, nunc oppidum adinvenit, ac eam navigationem celebrem reddidit, qua deinceps Angli aliique usi fuere, hodieque utuntur, non sine detrimento ejus navigationis, quæ per Daniæ porthmum Oresundam institui antea fuerat solita, quod Regis nimirum eo loci telonium ac jurisdictionem spectat.

Anglorum iter versus S. Nicolaum petierunt.

Conventus Danorum & Svecorum Elsburgi.

Proximo qui secutus est, anno millesimo supra qvingentesimum quinquagesimo sexto cœlitus apparuit crinitum sidus, haud dubius cladium ac calamitatum prænuncius, quibus exinde pressa ac velut pessundata a Moscho fuit Livonia. Belgi ejus occasio levicula admodum fuit, orta ex lite ac causa, quæ erat inter ordinis Magistrum & Episcopum Rigensem domestica. Videbatque ut prudens, ac catus Princeps, Rex Christianus, cum excidio universæ ditionis agitari eam controversiam, nisi tempori componeretur. Quapropter ipse, ut pacis cupidissimus, illustrem eodem legationem destinavit, qua non modo id ageretur, ut antistes, qvi ab ordinis Magistro intra custodiam servabatur, liber dimitteretur, sed ut tota præterea, lis amice componeretur. Et erat a legatis regiis eo res deducta, ut finis optatus, procul dubio secutus fuisset si leges ac conditiones ab ipsis positas approbare voluisset Poloniæ Rex. Hinc excidium secutum, non modo universi ordinis, sed tractæ quoque in eandem stragem ac calamitatem vicinæ nationes, ut alibi & inde dicetur.

A. 1556. Belli Livonici occasio.

Illustris primo idem hic annus fuit, primo nuptiis, quæ Hafniæ fuerunt celebratæ, Ulrici Megapolitani Ducis; cui in matrimonium est tradita Elizabetha, filia sororis Christiani Regis, inde morte septem viri Frederici Palatini Principis, qui ut ante meminimus, occasione conjugis, quam duxerat Christierni II filiam Dorotheam, modo in Daniam, modo in Sveciam multa, sed

Obitus Frederici Palatini.

Obitus Friderici Palatini.

ſed in caſſum, machinatus, fuerat, ita ut obitus ejus utrique regno inter proſpera ſit habitus.

A. 1557. Li adverſus Hamburgenſes agitata.

Cœperat eodem hoc anno Imperator per Fiſcalem ſuum Cameræ Spirenſis agere adverſus Sleſvicenſem diœceſim & urbem Hamburgenſium, exiſtimans eos, ut membra S. S. Imperii, teneri ad collationes eidem imperio præſtandas. Quam inde litem Rex Chriſtianus Ducesque Holſatiæ ſuam fecere, ac miſſis Ratisbonam anno proximo, qui fuit milleſimus ſupra quingenteſimum quinquageſimus ſeptimus, illuſtribus legatis, oſtenderunt, Sleſvicenſem ducatum extra ſolum imperii poſitum ut & Hamburgenſes, qui haud unquam imperio quicquam contulere, utpote Daniæ Regibus, ac Ducibus Holſatiæ ac Stormariæ ſubditi. Petivere idcirco Regii Legati, ut Cæſarea ejus majeſtas, actionem inſtitutam omitteret, donec diſputatum ac pronunciatum foret, an immediate ut loquuntur Daniæ Regibus ac Ducibus Holſatiæ, vel potius imperio ditiones illæ ſubjicerentur. Quod ad Hamburgenſes pendet adhuc lis, & Regis Friderici II tempore, quod ad Sleſvicenſem ducatum clare diſerteque ſententia pronunciata, eum ab imperio plane exemptum haberi, ac ſoli Daniæ regno obſtringi; ut ſuo inde loco referetur.

Et contra diœceſin Sleſvicenſem.

Setentia de Ducatu Sleſvicenſi ab imperio exemto.

Venit per hoc tempus in Daniam Dux atque Elector Saxoniæ Auguſtus, ut Socerum Regem ex intervallo viſeret. Eumque mox digredientem in oppoſitam Germaniam eſt Dux Fredericus II. Chriſtiani filius, ut intereſſet cum eodem comitiis Francofurtenſibus. Ad anni finem, qui fuit V Decembr. mortalitatem complevit Joh. Machabæus Alpinus, natione Scotus, Theologiæ Doctor ac Profeſſor in Academia Hafnienſi, varia inſuper ut eruditione ita eloquentia ſingulari clarus, ejusque funus Rex ipſe reverentia veri comitatus memoratur.

Jo. Machabæi obitus.

A. 1558.

Livonenſis belli ut & cladium & calamitatum quæ eo in tractu illis gentibus obvenere occaſionem ac cauſas ſuperius perſtrinximus. Iſto autem tempore, qui fuit annus milleſimus, ſupra quingenteſimum quinquageſimus octavas, cum Johannes Moſchoviæ Dux bellum Livonis, exeunte ſuperiori anno per literas indixiſſet; hi ſerio rem agi videntes, ſtatim legatos ad eum novos, Edvardum Gruſium & Nicolaum Francum, deſtinant, qui certa pecuniæ ſumma ſe Moſchi poſtulatis ſatis facturos oſtenderent. Hi rem eo deduxerunt, ut promitteret Moſchus, ſi e veſtigio quadraginta millia Joachimicorum pro ſuperiorum annorum debitis ſolverent, & deinceps ſingulis annis mille Ungarios ex diœceſi Derbatenſi penderent; ſe pacem firmam ſervaturum eſſe. Poſt aliquot dies mittens in hoſpitium legatorum, qui promiſſos quadragies mille Joachimicos acciperent; cum hi pecuniam in promptu ſe non habere, ſed vadibus regno Duci cavere velle, nec ex Moſchovia diſcedere, priusquam allata eſſet, adfirmarent, Moſchus indignatus renunciari legatis jubet, cum videat eos ad ſe Mudendum ſolummodo adveniſſe ut quam primum in Livoniam redeant, ſe mox ſecuturum & pecuniam promiſſam ipſum ablaturum eſſe. Mox mandato ipſius copiæ, quæ jam collectæ erant, in Livoniam proficiſcuntur, & ipſos legatos fere ante vertunt; Ac Duce *Zer Sigaleio* Tartaro, in Livoniam irruentes per diœceſim Derbatenſem, Rigenſis partem & Wiriam totam usque ad Nervam, immani crudelitate, direptionibus cædibus, ac incendiis graſſatæ ſunt, & innumeros homines in horrendam & morte ipſa triſtiorem, Tartaricam ſervitutem abduxerunt ad Narvæ fines, cum rediiſſet *Sigalejus*, obvium Ducis Moſchoviæ curſorem cum literis habet, quibus ſuo nomine *Sigalejus* ſcribere Magiſtro Livoniæ jubetur, dolere ſe de Livonorum calamitatibus, quas ſua injuſtitia & mendacio, Duci Moſchoviæ promiſſa non ſervantes, ſibi attraxiſſent; Quod ſi triſtiores ærumnas avertere a Livonia cuperent, hortari ſe, ut tributum, magno Duci addictum, ſtatim mittant, & culpam deprecentur: ſperare ſua & aliorum Procerum interceſſione, magnum Ducem placatum, nec plus humani ſanguinis effuſum iri. Ordines Livoniæ magna cum difficultate, & lente tandem per civitates Livonicas confectam quadraginta millium Joachimicorum ſummam, initio Maji, cum Legatis ad Moſchum mittunt cujus exercitus interea oppidum Nervam extremum Livoniæ verſus Euro Aquilonem propugnaculum, obſederat, idque tandem, orto in urbe fortuito incendio, oppugnatum, una cum portu maris commodiſſimo, in poteſtatem Moſchi redegerat. Qui nuncius, cum ad Moſchoviæ Ducem, præſentibus Livonorum Legatis, allatus eſſet, redire eos cum pecunia ad ſuos Dominos in Livoniam juſſit. Ubi capta per Moſchos Narva tantus terror ac conſternatio Equites Livonos, arcium & regionum vicinarum præfectos invaſit, ut Weſenbergam, Folsburgum, Niehuis Warnebeck, Ringen, Lais, Overpalen, & alias arces ſponte deſertas Moſcho, ſine cæde & ſanguine, & ſine ullo oppugnationis conatu, occupandas relinquerent. In hoc curſu victoriæ Moſchi exercitus Novodomum, Epiſcopi Derbatenſis oppidum deditione capit, inde Derbatum urbem finitus ſuis, Pleſcoviam verſus, propinquam tentare inſtituit. Quam hoſte vix viſo, Epiſcopus, nobilitas & cives conſternati Moſcho, liberam manendi aut diſcedendi facultatem ſingulis relinquenti, tradiderunt. Tametſi clam ab Epiſcopi Cancellario vocatum Moſchum & ſubjectionem ipſi promiſſam ferunt. Sic Derbatum in Moſchi poteſtatem rediit, anno tricenteſimo, viceſimo octavo, poſtquam ab ordine Livonico primum occupata, & ſedes Epiſcopi facta erat. Epiſcopus Hermannus, Upſalienſis primum in monaſterio Valkena cuſtoditus; paulo poſt in Moſchoviam ductus eſt. Civibus, qui vellent, cum familiis & bonis ſuis diſcedere licuit, ex quibus Lubecam & in alias hujus littoris urbes aliqui migrarunt, plerique ſub Ruſſorum imperio manſerunt.

Derbatum ſe dedit Moſcho.

Moſchus Livonis bellum infert.

Dedito Derbato Eques ordinis Bernardus a Smerten, munitam & opulentam arcem Wittenſtein & provinciam Jerviam deſeruit, quam

Caſparus ab Oldenbokem vacuam ingreſſus, heroica animi magnitudine & felicitate adverſus Ruſſos poſtea defendit. Franciſcus ab Anſtel ex Arce Revalienſi aufugiens, Chriſtophoro Munchauſen, nomine Regis Daniæ tenendam tradidit. Quæ occaſio fuit, ut civitas Revalia, cui paucis diebus ante minaciſſimis literis bellum Moſchus denunciarat, una cum Nobilitate diœcæſis, legatos ad Daniæ Regem Chriſtianum III mitteret, qui urbem & agrum Harriæ, Wirriæ & Eſthoniæ vicinum, regiæ illius majeſtatis Dominio & tutelæ offerrent. Nam a Waldemaro II Daniæ Rege Revalia primum condita, & inſigni regni Daniæ, tribus videlicet leonibus ornata & Nobilitati Eſthoniæ, & Wiriæ privilegia præcipua data erant. Sed optimus Rex, jam ſenex & morti vicinus legatis reſpondit, ſatis ſibi ditionum & populorum a Deo ſubditum eſſe, quorum gubernatio plus ſibi curarum, moleſtiæ & laborum pariat, quam in hac imbecillitate ſuſtinere queat: nec ſe alienos ſubditos petere, nec adeo procul diſſitos defendi a ſe ut optaturi ſint commode poſſe; Aliquot igitur millibus aureorum & commeatu ac pulvere tormentario liberaliter donatos dimiſit.

Revaliatotaque diœceſis regi Chriſtiano offertur.

Carolus Cæſar moritur.

Quæ dum in terris, præter fere humanum morem & modum hoc in tractu geruntur, etiam cœlum exhorruit, novos iterum ignes ac minitantes mortalibus faces oſtentans. Moriturque inter eadem Carolus Imperator, qui raro exemplo abdicatis paulo ante regnis omnibus, ac traditis Romani Imperii habenis Ferdinando fratri, ac cæteris, quæ ad eum ſpectabant, filio *Philippo* in Hiſpaniam abierat, ibi Deo ac ſibi victurus una cum Sorore Ungariæ, Regina Maria, Belgii Gubernatrice, quæ & ibidem tunc tempore, in fata conceſſit. Eum haud multo poſt ſecutus eſt pacatiſſimus hic Princeps initio ſcilicet, anni inſeqventis, qui fuit milleſimus ſupra quingenteſimum qvinquageſimus nonus, Rex Chriſtianus ejus nominis tertius, vere pius, felix ac Chriſtianus dicendus Anno, qui obitum ejus anteceſſit, neceſſariis capitibus augeri atque emendari jus ſive leges Danicas qui Receſſus vulgo dicitur aſſentiente regni ſenatu, fecerat. Senatorum autem regni, qui tum fuere; Hæc ſunt nomina: Johannes Friis, in Heſſelager, Cancellarius; Otto Krumpen in Trundsholm, Marſchallus, Magnus Guldenſtern Eques, Burgerus Trolle, in Lillo, Olaus Munch in Tiuſel, Ericus Krabbe in Buſtrup, Antonius Bruſche in Lungeſo Regni Cancellarius, Georgius Lycke, in Offvergaard, Eilerus Ronnen in Witkild, Johannes Bernekov in Binholm, Nicolaus Lange in Kiergaaid, Holgerus Roſenkrantz in Boller, Lago Brade in Krogholm, Eves Ivarus Krabbe in Oſtergaaid & Herlevus Trolle in Hillerodsholm. Domeſticam ejus pietatem præter quæ Witfeldius habet, qui eum ſingulis diebus inclinatis genibus Deo ſupplicaſſe ait, & curaſſe, ut aliquid ex ſacris Biblicis ſibi prælegeretur, aut Pſalmi in conclavi ejus ſonarent, addit Georgius Princeps Anhaltinus in operibus ſuis fol. 229. curam coram aulicis & convivis ante & poſt cibum ſumptum aperta voce recitare ſolitum. Et ipſummet, cum ad judicia & forum procederet ſingulari id ſtudio habuiſſe, ut ſubditorum ſuorum & indigentium queremoniis in coram judicaret. Jam ſi adjiciam, quanta ſollicitudine Eccleſiam, ſcholas & Academiam Hafnienſem, quæ Eccleſiarum & ſeminarum ejusque Profeſſores ac ſtudia in univerſum juventutis promovit, longum fieret ac repeti ex antecedentibus ſuis quæque locis poterunt.

A. 1559. Obitus Regis Chriſtiani III.

Morte obiturus vocatis ad ſe liberis qui in arce Coldingenſi tum aderant ſingulis manum impoſuit, ac divinam benedictionem omniaque felicia eſt adprecatus, Cancellario ſuo utrique Johanni Friſio & Andreæ Barby Juniorem Principem Fredericum Regem electum propius commendavit, ut ipſi & regni ſenatus ei, quam polliciti fidem ac ſacramentum fuerant re ipſa præſtarent.

Pridie quoque ante exceſſum ejus, omnibus qui lecto aſtabant, memoraſſe fertur, adveniſſe ad eum qui diceret, omnium dolorum ac ægritudinum levamen allaturum novi anni qui inſtaret primum diem; quo etiam placide in domino obdormivit, qui fuit Calend. Jan. anni 1559. cum expleviſſet vitæ annos quinquaginta ſex regni ſui viginti quatuor; receptus haud dubio ad æterna gaudia, quem tot ornatum virtutibus tam ancipiti tempore, præeſſe his regnis ac regionibus atque iis veluti a Machina ſuccurrere Deus voluerit.

Eſtque ſilentio haud quaquam prætereundum occaſione oſtenti cœleſtis quod fulſiſſe hoc anno indicavi non Cæſarem modo Carolum V. ejus Sororem Ungariæ Reginam, Mariam, ſed & Regem Gallorum Henricum II & Franciſcum II, apud Anglos Reginam Mariam in fata hoc tempore conceſſiſſe, præter Chriſtianum hunc noſtrum tertium, quem etiam Svecorum Rex Guſtavus I, completa mortalitate, ut ſtatim dicetur, quam proxime eſt inſecutus, adeo ut haud vane eeciniſſe Manilius Poeta videatur: *Efferegalia fata cometas.*

FRIDERICUS II.

DANIÆ REX.

Defuncto Coldingæ CHRISTIANO III. ipſis, ut memoravimus, Calendis Januarii anni milleſimi ſupra quingenteſimum quinquageſimi noni, ejus obitum proxime excepit Caldenburgi X. Calend. Febr. mors Patruelis ejus CHRISTIERNI II. quem Pater ipſeque ultra annos viginti ſeptem ex Ordinum Regni decreto in carcere detinuerant. Sicque e vivis decedens CHRISTIANUS III. filio FRIDERICO Daniæ electo Principi Regna utraque ſua Daniæ Norvegiæque pacata undique ac tuta tradidit, exceptis ſolis Dithmarſis, quos Pater licet compeſcere potuiſſet, ipſe filio pacandos permiſit, utpote jam ſenex, & a bello conterminis inferendo alienus. Quapropter a FRIDERICO ab agnatis Holſatiæ Principibus ſive impulſo, ſive perſuaſo, arma in eos verſa ſunt. Exiguus hic eſt populus, & locis paludoſis verſum Albi-

Chriſtiernus II. Daniæ Rex moritur.



Fridericus. II.
Rex Dan. Ætat. 54. Regn. 30.
Symb.
Spes mea sola Deus

Brühl sc. Lips.



bim positus, junctos sibi Frisios habens, qvos littorales sive minores vocant. Aliquoties a Regibus Daniæ jam olim est impetitus, sed victor sæpius hic quam victus. Etenim Daniæ Rex ABEL præter cæteros occubuit, & nuper ex domo Oldenburgica CHRISTIANI I. filius JOHANNES cum Patris in eam gentem jus, quod a Cæsare obtinuerat asserere sustineret, infeliciter adversus eosdem pugnavit. JOHANNI paulo post CHRISTIERNUS II. successit, is qui ob immanitatem, ut memoravi, a suis pulsus est; in cujus locum substituto FRIDERICO Patruo bella in Cimbrica Chersoneso aliquandiu quieverunt, quod novus Rex, qui a CAROLO Cæsare CHRISTIERNI sororio metueret, nihil sibi in Regno & cum vicinis movendum existimaret. FRIDERICO I. CHRISTIANUS III. F. successit, miti ingenio Princeps, & qui semper ab armis abhorruit, nec quoad vixit ab ADOLPHO fratre, Holsatiæ Duce, cupidissimo vindicandæ majorum injuriæ, persuaderi potuit, ut in bellum Dithmarsis inferendum consentiret. At Filius ejus, quem diximus, FRIDERICUS II. designatus Daniæ Rex, qostquam a Patruo utroque JOHANNE & ADOLPHO Holsatiæ Ducibus Notorpam esset evocatus, ibi de bello communibus auspiciis viribusque ac sumptu Dithmarsis inferendo transegerunt. Statimque lustratis copiis, quæ ab ADOLPHO conscriptæ erant, peditum legionibus tribus, sub *Wolfgango Schonvesio*, *Wilhelmo Walterthum*, & *Reimaro Walde* Tribunis: accedentibus sub *Antonio* Comite Oldenburgensi cohortibus quindecim, itemque Holsatis ac Danis Equitibus, quos *Joachimus* & *Jacobus Blanckenburgii*, *Mauritius Rantzovius*, *Theothoricus* & *Ascanius ab Holle* ducebant, bellum Dithmarsis die 18. Maji per literas denunciatum.

Iis literis autem priscarum injuriarum memoria refricabatur, quarum tamen non tam ultionem his armis persequi, quam in eos, tanquam in subditos rebelles, & rebellione sua vicinis incommodantes animadvertere decrevisse Principes testabantur. Dithmarsi die tertio post acceptas literas responsum dant, quo, tanquam de belli exitu male ominarentur, supplicibus verbis vim deprecabantur, & quamvis se subditos Daniæ Regibus negarent, & antiqua cum Bremensibus Præsulibus pacta obtenderent, ad omne æquitatis jurisque arbitrium se offerebant, de cœtero Deum contestati, qui innocentes protegit, ac Principum mentes moderatur, ut eorum corda flecteret, & ab injuria inferenda averteret, aut vires & animos sibi daret, quibus illatam propulsare & se contra injusta arma tutari possent.

Dithmarsis bellum infertur.

Accepto responso Rex & Agnati 22. Maji castra ad Storam fluvium juxta Æricho-storpium pagum metantur, eoque ordine exercitus incedebat, ut post præcursores, qui ex singulis legionibus delecti erant, *M. Rantzovius* cum equitum ala primum agmen duceret, cum fossoribus & campestribus tormentis; quorum vestigiis insistebant *V. Schonvesii* & *R. Valdesii* legiones. In medio erant Rex cum prætoria ala, & Agnator umturmæ equitum egregie instructæ. Extremum agmen claudebant *V. Valterumbii* & *Joachimi Blanckenburgii* legiones, cum turma equitum *Theod. Hollii*. His accessere quindecim cohortes Ductore *Antonio* Comite Oldenburgico. Ita incedentes sub solis occasum ad Alverostorpium pagum in Dithmarsiæ finibus venerunt; primo prædæ facta, & capti ex aggrestibus aliquot, qui tormentis subjecti sunt, ut ex iis de hostium statu cognosceretur. Tum *Valterumbius* cum Legione sua, & *Blanckenburgius* cum equitum ala in hosticum ingressi, qui de captivis audita an ita se haberent, coram specularentur. Tria erant omnino in ea regione propugnacula, ab agrestibus vallo & fossa munita, ad eas angustias exstructa, quibus ex campestri regione in palustrem iter erat. Primo Meldorpam duxere, cujus oppugnatio quo commodius institueretur, eodem tempore copias Hammam & Tilebrugam mittunt, ut incertis agrestibus, qua primum parte impetus fieret, & cui primum loco esset occurrendum, vires eorum distraherentur, & consilia turbarentur. Nec astus exitu caruit. Nam agrequi Tilebrugæ metuerent, protinus ad Meldorpanos scribunt, & ut opem vicinis ferant, rogant: Qui quadringentos ex suis auxiliarios submisere, & ita quantum Tilebruganis inutiliter accessit, tantum Meldorpanis ad sustinendam obsidionem detractum est. Tribus locis circumductæ copiæ ad eam obsidendam: convecti qvoqve navales pontes & crates sexaginta, ut, quia locus paludibus impeditus esset, earum ope copiæ, quæ diversis itineribus eo profectæ erant, ubi ad locum venissent, sese invicem adjuvarent, & cum occasio posceret, præsto essent. Sub id tempus *Sebastianus Erfamenus* a Lubecensibus missus in castra ad Principes venit, si qua concordiæ ratio iniri posset: Sed cum videret, nihil spei subesse, re infecta ad suos reversus est. Primus pontem per noctem jacere cum instituisset *Schonvesius*, dum propius munitionem accedit, a tormentis vehementer infestatus est: quorum ictus, ut declinaret, in cæcas ac profundas voragines præcipitavit, ex quibus milites collotenus extantes vix emergere poterant, ut parum abfuerit, qvin vel vadis absorpti, vel ab agrestibus ad unum omnes trucidati fuerint. Sed mature subveniente laborantibus *Hollio* agrestes repulsi sunt. Ipse *Schonvesius* cum optimi ducis simul ac fortissimi militis munus impleviset, dum sariissa ante alios strenue rem gerit, aheneo tormento trajicitur, ex quo vulnere quatriduo post diceßit. Ejus legioni postea præfuit *Vrisbergius*. Tum incensæ molatrinæ, & ab *H. Rantzovio* signum datum, ut omnes simul, sicuti convenerat (nam omnes jam adueniße vero simile erat) impetum facerent: dum hæret miles, & *Schonvesiani* adhuc laborant, *Johannes Rantzovius* in pedes descendens pudore atque æmulatione suos confirmat, disploßsqve universis tormentis IV. cohortes suo exemplo incitatas trans fossas ad vallum ducit, ab agrestibus cum robore tum animorum

Meldorpa oppugnata & capta.

morum obſtinatione formidandis defenſum; quibus accedebat potentiſſimum in animis hominum telum, patriæ charitas & libertatis amor. Mulieres quoque viris immiſtæ virilia munia exequebantur; viſaque una eo die, quæ unum & alterum militem cultro confodit. Tandem numero victi agreſtes vallum deſerunt; qvo propugnatorum corona nudato protinus Rantzoviani irruunt, portisque refractis cæteri ſubſecuti ſunt. Prima irruptione nulli ſexui aut ætati parcitum, interfectique ex indigenis quadringenti, ex Regiis centum ceciderunt; & ſi quidem eodem tempore omnes ſimul impetum feciſſent, nec ceſſatum eſſet, procul dubio cuncti, qui in oppido erant, in victoris manus veniſſent. Verum cæteri locorum gnari decem ſigna explicata & viginti grandia tormenta ſecum trahentes averſa oppidi parte elapſi ſunt: quorum tamen pleriqve cum in Oldenburgicos & *M. Rantzovii* alam qvi adventabant, incidiſſent, intercepti trecentos ex ſuis amiſerunt, ac viginti quinque machinas omnis generis, pulverisque tormentarii magnam vim. Ita Meldorpa impetu capta eſt III. Non. Jun.

Conſtitutum deinde ut Brunsbutelio copiæ admoverentur, miſſique *R. Valdeſius* cum cohorte & *Blanckenburgius* cum ala eqvitum, qvi longo per Holſatiam circuitu facto, ſe ad *Nic. Rantzovium* jam Albis ripas tenentem adjungerent, & agreſtes, ne ſuppetias ferrent, impedirent. Ipſe *Jo. Rantzovius* locum a fronte aggredi ſtatuit, cum *Vrisbergio* & *Valterumbio, Maur.* item *Rantzovio*, ulterius ſecundum Albim VII. Idus Jun. profectus loco fabuloſo & ſolido, qvo copiæ citra periculum tranſvadari poſſent. Quo animadverſo agreſtes relictis munitionibus fugam arripiunt, cæſique ex iis eo die, inſequentibus Rantzovianis, circiter quadringenti: ſignum unum captum: recepta & pleraque plauſtra commeatu onuſta, quæ illi ſuperioribus diebus interceperant. Mox *Rantzovius* cum legione Oldenburgica Brunsbutelium occupat pene deſertum: Nam agreſtes ad regionis interiora aufugerant. Miſſi deinde *Blanckenburgii* legatus & *M. Rantzovius* cum delecta trecentorum equitum turma, qui fugientes aſſequerentur, ex quibus quadringinti circiter remanſerant cum fœminarum ac puerorum imbelli turba, qui via ad tuguria ſe receperant, eaque, confiſi loco paludoſo, tumultuariis extructis operibus muniverant, intraque ea vitam & libertatem defendere parabant. Verum ubi ſe omni ex parte quaſi indagine clauſos viderunt, abjectis armis ſine certamine victoris arbitrio ſe permiſere. Cum deliberaretur, quid de extrema commeritis agendum eſſet, *Breda Rantzovius* author fuit, ut iis vita condonaretur, crudele dictitans inermem turbam ac dedititios trucidare; cui ſententiæ & Rex acceſſit. Itaque promiſcua multitudo, cum liberis & conjugibus navibus impoſita ultra Albim, juramento prius accepto, deportati ſunt. Primores in Holſatiam miſſi, & per diverſas arces cuſtodiæ traditi, atque ad exitum belli ſervati ſunt.

Brunsbutelium occupatum.

Dein in conſilio placuit, ut Tilebrugam exercitus duceretur, negotiumque datum Oldenburgico, ut cum *Rantzovio* in caſtra Regia contenderet, & in itinere Hemmigiſtadium aggredi ſe velle ſimularet, quo loco recenti adhuc hominum memoria JOHANNES Daniæ Rex a Dithmarſis cæſus fuerat; quo fiebat, ut *Rantzovius* non dubitaret, agreſtes credituros de eo capiendo regios ſerio cogitare, ut cladem inibi acceptam expiarent. Ita Tilebruga nullo negotio capta, quippe quæ a paucis tenebatur. Nam fama de Hemmigiſtadio ſparſa præſidiarii fere omnes eo confluxerant. Inde progreſſus *Rantzovius* cæſis in itinere aliquot agreſtibus, cum Heidam præſidio vacuam crederet, jam de hoſpitiis diſtribuendis agebatur. Præmiſſi tamen equites ex obviis mulieribus viros in urbe eſſe intelligunt; moxque eminus quatuor ſigna agreſtium conſpiciuntur, qui eo audacius in regios invecti ſunt, quod ab exploratoribus decepti certo ſibi perſuaſerant, ducentos tantum equites Holſatos adventare; nec fraudem primo occurſu agnoſcere potuerunt, regiis poſt collem latentibus: Itaque temere congreſſi funduntur, & *Joachimus Blanckenburgius* oblique circumvectus inter oppidum & prætorianos ſe medium oppoſuerat, ita ut aditus in urbem oppidanis intercluderetur. Igitur fere omnes trucidati. Centum circiter in paludem ſe conjecere, & locorum peritia elapſi ſunt, non ſine Holſatorum damno. Nam *Johannes* & *Nic. Trucii* Dani præcipuo loco viri graviter vulnerati, *Ericus Budesbuchius* & *Andreas Friſius* interfecti ſunt, ſclopetariorum culpa, qui tum palantes agreſtes avidius inſequuntur, in regiam turmam ſclopeta diſploſerant. Vix finitum erat hoc certamen, cum nova ſe agreſtium ſigna in conſpectum dant, quos ut *Rantzovius* ad prælium eliceret, poſt colles equites collocat, diuque ſuos continuit: demum impetus ab æquitatu ſimul peditatuque factus, equite ad lævam oppidum præter vecto, ut hoſtem intercluderet. Hic agreſtes, quamvis ſe circumventos viderent, nequaquam animum deſpondent; ſed in prato aggere & foſſa vallato conglobati fortiter pugnam capeſſunt, regiosque irruentes contis & fariſſis repellunt, uni ex iis adempto ſigno. Cunctantes ſuos ubi videt ADOLPHUS advolat, hortatusque eos ut hoſtem ſtrenue invadant, ipſe ultro ante alios, ut exemplo quoque eos incitaret, procurrit, ac militem forte obvium trajicit, qui vulnere nequaquam tardatus in ADOLPHUM jam præter vectum contum ferratum intorquet, & in dorſo ſupra coxendicem graviter vulnerat. Eo caſu miles exacerbatus, quamvis diei æſtu & labore viæ feſſus, cui faciendæ nocti diem continuaverat, denuo irruit, vallumque perrumpit. Agreſtes qui ab ipſis interfecti non ſunt, aut trans aggerem præcipitaverunt, aut in equites inciderunt, ita ut pauci eo die elapſi ſint. Dum pugnatur, equites prædæ avidi in oppidum præſidio fere vacuum penetrant, verum cum damno repelluntur, deſiderato *Marco Romanavio*. Superveniente mox *M. Rantzovio*,

Tilebruga capta.

Dithmarſi cæſi.

Alteracum Dithmarſis pugna coptorumque cladem.

Adolphus Holſatia vulneratur.

zovio, equitatu quem ad Hemmigistadium iviſſe diximus, agreſtes, qui hactenus reſtiterant, deſperata ſalute pars regiis permiſti vim fecerunt, donec a Rantzoviano equitatu excepti fere omnes deleti ſunt. Trecenti cæſi; ſed in eo certamine *Theodoricus Hollius*, lethali vulnere confoſſus eſt. Rurſus qui ex clade ſuperfuerant agreſtes, in angulum ſitu firmum ſub veſperam collecti ſe ad ſuſtinendam regiorum vim comparant, quibus equitatus opponitur. *Rantzovius* vero vir impiger ne ſpatium colligendi ſe hoſtibus daret, quamvis reclamantibus plerisque, copias & tormenta Heidæ admovit. Hic rurſus atrox pugna committitur, quæ non niſi conflagrante oppido & occiſis aut igne abſumptis propugnatoribus deſiit.

Heida expugnatur. Capto oppido, quod illuſtri regionis emporio ac ſenatu, & ad hæc ædificiorum ſtructura tota Dithmarſia celeberrimum erat, poſtquam miles cereviſia & mulſo inibi reperto ſe aliquantum refecit, regredi a *Rantzovio* jubetur. Is ſiquidem verebatur, ne homines præfractæ audaciæ deſperatione adacti noctu incautos, ac ut in victoria ſecuros aggrederentur. Itaque diligenter ſtationes diſpoſitæ, ne quid inopinati ex negligentia ſuboriretur. Ex agreſtibus tria millia numerati ſunt, qui ea die occubuerunt, præter ſaucios & eos, qui per noctem reptando evaſere. Ex regiis fere trecenti, & in iis clari nominis *Georgius Aleveltius* ADOLPHI prætoriæ alæ vexillifer; plerique ex proceribus ſauciati.

Superata campeſtri Dithmarſia ſupererat paluſtris, Marslandia dicta, in quam ut aditu impeditiorem, quos Mars reliquos fecerat, adhæc imbellis ſexus, ſenes, pueri, fœminæ cum pretioſiore ſuppellectile ſe receperant, de ſumma periclitaturi. Dum de invadendæ illius ratione deliberatur, ſacerdotes duo legati ad Principes in caſtra veniunt, bacillum album uterque manu geſtantes, & epiſtolam ſupplicem bacillo affixam, nullo ſigillo obſignatam, cum inſcriptione, qua Danos Principes Dithmarſiæ Principes agnoſcebant. Mandatorum hæc ſumma erat, ut dignarentur Principes legatos ſuos audire, & per illos iis idonee cavere, quos de pace ac deditionis conditionibus acturos miſſuri ſint, ut libere ac tuto ire ac redire liceat. Poteſtas facta *Johanni Rantzovio* ſummo belli duci, ut Principum nomine Dithmarſis diplomate commeatus ultro præſtito caveret. Secundum hæc triduo poſt quinque ex quadraginta octo viris ſupplices in caſtra ad Principes XVII. Calend. Jul. veniunt, qui ſalvis ſuorum corporibus ac bonis imperata ſe facturos oſtenderunt. Diu in conſilio agitatum fuit de conditionibus: tandem vero in hunc modum perſcriptæ ſunt. Ut Dithmarſi ante omnia debitæ fidei ſponſione ac jurisjurandi religione ſe Principibus aliorum inſtar obſtringerent: vex illa prætoria olim JOHANNI Daniæ Regi ac FREDERICO Holſatiæ Duci Regis fratri ablata reſtituant. Omne merum ac miſtum imperium, territorium item, jus ac Dominium penes Principes remaneant. Principibus jus ſit tres arces & munitiones, quibus locis velint, in Dithmarſia ædificare. Cætera omnia propugnacula diruantur. Agreſtes de more gentis operas faciant, & angarias præſtent: arma omnis generis in unum locum comportata Principibus tradant. Fœderibus quibuscunque cum quibusvis contractis renuntient, nec alia porro ineant. Poſtremo ſupplices ſolenni ritu Principibus ſe ſiſtant, & culpam confeſſi veniam expoſtulent: & donec eæ impleantur conditiones, obſides dent. In has fere conditiones pax facta. Die XIX. Jun. ſupplices ſolenni ceremonia facti & contumaciæ ac rebellionis veniam deprecati, juramentum fidelitatis ac ſubjectionis tribus Holſatiæ Principibus, Regi FREDERICO, JOHANNI, & ADOLPHO præſtiterunt, & in fidem ab iis recepti ſunt. Sic intra unius menſis ſpatium Dithmarſia, quæ tot ſeculis barbaram ſuam libertatem defenderat, in ſervitutem moderatam ac clementem a Rege FREDERICO ejusque Patruis Holſatiæ Ducibus redacta eſt. Pacta deinde inter eos ac Principes inita, FERDINANDUS in ſequenti anno rata habuit, & autoritate Cæſarea firmavit.

Dithmarſi pacem petunt.

Pacit Conditiones.

Inde XX. Auguſti die, Electus Daniæ Rex FREDERICUS præſente ſeptem viro AUGUSTO Saxoniæ Duce, Sororio ſuo & patruis Holſatiæ Principibus, ADOLPHO & JOHANNE, ſolenni ac magna cum pompa Haffniæ coronatus eſt, adminiſtrante coronationis ceremonias *Nicolao Palladio* Scaniæ Antiſtite. *Friderici Regis Coronatio.*

Quo eodem ſtatim tempore ad Moſchum legationem perilluſtrem miſit, nobiliſſimos nimirum viros *Hilarium Hardenberch* Aulæ Magiſtrum, *Johannem Ulſtand* Mareſchallum, & *Jacobum Brochenbauſen*. Cum enim tempore patris ipſius CHRISTIANI III. fœdera & amicitiæ, mutuaque inter Daniam & Ruſſiam commercia culta fuiſſent, eadem etiam conſervare & renovare ipſemet ſtudio habuit. Miſſis itaque illuſtribus hiſce viris id operam dedit, non tamen in illum finem, ut hæc ullo Chriſtiano Principi in præjudicium cederent, ſed potius ut horum Principum regna per hujusmodi fœdera in tranquillo ſtatu vigerent. Duravitque iſthæc fœderatio in annum 1575. firmaque habita; ut ſuo deinde loco dicetur. *Legatio ad Moſchum.*

Proximo deinde, qui hunc excepit, anno milleſimo ſupra quingenteſimum ſexageſimo, tertio Calend. Octobr. Svecorum Rex GUSTAVUS I. poſtquam Regnis ac ditionibus ſumma prudentiæ ac moderationis laude totos triginta octo annos præfuiſſet, e vivis deceſſit; quamvis culpæ ac crudelitati ejus tribuant non nulli, quod hominem Belgam, qui illi firmandi ſtatus regni author fuerat, ob dictum liberius in carceres perpetuos conjici fecerit, ut habet *Jacobus Typotius*. Filium reliquit ex CATHARINA, MAGNI Saxoniæ Ducis filia, ERICUM, qui Patri in Regno proxime ſucceſſor obtigit; ſed Patri haud ſimilis filius. Cum eo ſtatim FREDERICUS *A. 1560.* *Ericus Guſtavo ſuccedit.*

RICUS Rex ut pax amicitiaque inter Regna utraque Daniæ & Sueciæ, cujusmodi temporibus Patris ejus CHRISTIANI III. & Sueciæ Regis GUSTAVI firmiter cultæ fuerant, deinceps quoque colerentur, induciis annorum quinquaginta pepigit. Miserat eo nomine in Daniam Rex ipse ERICUS legatos suos, qui magnifice benigneque habiti, ut in vetere quinquaginta annorum fœdere cuncta consisterent, haud difficulter obtinuerunt. Tum quoque Rex FREDERICUS rerum suarum domi curam gerens, fundationem & privilegia cuncta Regiæ Academiæ Haffniensi concessa quam amplissime confirmavit de qua confirmatione, cum extet diploma Regium Haffniæ anni hujus mense Majo datum, hic plurdicere supersedeo.

Fœdera cum Sveco renovata.

Inter hæc varie jactati Livoni. Nam post cladem nuper a Moscho acceptam, de qua meminimus, deditumque Torpatum, opem implorarunt Imperii, atque inde qui ipsis soli vicinitate proximus erat, SIGISMUNDI AUGUSTI Poloniæ Regis. Sed cum parum ille ad ipsorum defensionem momenti afferret, alio vota verterunt. Nam cum initio hujus anni Moschi Torpato egressi rursus in Livoniam impetum facerent, & Mariæburgum, dedente *Cusparo Sibergo* loci Præfecto, Adesetum & alias arces caperent, MAGNUS Holsatiæ Dux CHRISTIANI III. Daniæ Regis filius ac FRIDERICI II. frater a Livonis evocatus in Osiliam Livoniæ objectam insulam mox appulit. Is FREDERICO fratri tertia Holsatiæ parte cesserat, & Osiliensem ac Curoniensem diœceses, quas paulo ante Rex a *Johanne Munchhausено*, Episcopo, Joachimicorum aliquot millibus emerat, compensationis loco acceperat; quibus aliquanto post jus in Revaliensi provincia a Russis usurpatum, & a *Mauritio Vrangelo* Revaliæ Episcopo concessum accessit. MAGNI in Livoniam adventum optabilem fecerat, quod populares plus in eo contra Russos præsidii esse, quam in Livonici ordinis Magistro, sibi persuaserant. Itaque undique ad eum nobiles ac cæteri ordines gratulabundi agminatim confluxere. Sed cum ille pro ingenio suo res gereret, nec omnia ac nutum & placitum Livoniensium exequeretur, subita rerum conversio in provincia secuta est, alienatis continuo incolarum voluntatibus: Jamque res ad intestinos motus spectare videbatur, nisi Archiepiscopus & ejus collega *Christophorus* Megapolensis, instituto Parnoviæ colloquio, suas partes interposuissent. Sed dum conventus peraguntur, Moschi captata occasione denuo in Harriam, cujus Revalia caput est, impressionem faciunt, pervagatique loca vicina, ac passim regione direpta in Lethoniam ingrediuntur, & obvium Livonum exercitum, quem *Philippus Schalus* ordinis Princeps, ac cæteri collegii sodales ducebant, prope Ermas profligant, captosque Duces secum abducunt. Mox & Vellinum arcem, quam *Wilhelmus Furstenbergius* tutum senectuti suæ perfugium sepositerat, oppugnant, exusto subjecto oppido, tandemque, tumultuantibus intus, ob non soluta stipendia, præsidiariis, deditione capiunt. Princeps veneranda canitie senex in Moschoviam captivus deportatur. Hoc successu inflati Russi inde tripartito agmine pars arcem Vitensteinium obsident, pars circa Vendam & Volmariam prædas faciunt. Alii denique per agrum inter Revaliam & Parnoviam jacentem, qui MAGNO Duci Regis FREDERICI fratri tunc parebat, discurrant. Revalienses, ad quorum portas usque quotidie excursiones fierent, cum nulla auxiliorum spes ab imperio esset, in propriis vero viribus haud satis firmum ad tam potentem hostem propulsandum præsidium esse cernerent, angustiis undique pressi ERICUM novum Sueciæ Regem missa legatione mutuam pecuniam poscunt. Verum ERICUS, cui pecuniæ ad eam rem abunde non esset, & qui alioqui tam præclaram fines proferendi occasionem prætermittere nollet, excusata pecuniæ penuria, se hac nihilominus conditione patrocinium ad defensionem Revaliæ susceperturum demonstrat, si se civitas ipsius imperio subjiceret. Id etsi novum ac durum initio videretur, postremo Revalienses necessitate victi, re cum nobilitate vicina ac civibus communicata, protinus sacramento, quod superiore anno Livoniæ Magistro præstiterant, ejerato Sueciæ Regi obsequium in posterum pollicentur. Quod occasionem dedit status Livonici mutandi, & belli quoque præter cætera, quod inter Daniæ & Sueciæ Reges continuo post acerrime est gestum, ut inde dicetur.

Dux Magnus Friderici frater a Livonis evocatur.

Defuncto autem, de quo memoravimus, sub finem CHRISTIANI III. Galliarum Rege FRANCISCO II., missi hoc anno 1561. a Regibus & aliis Principibus legati, qui usitatis inter Principes officiis defuncti, post deploratam FRANCISCI mortem CAROLO delatam regni successionem gratularentur. In iis fuit *Georgius Luckius* FREDERICI Daniæ Regis orator, qui multoties in Galliam missus ac commoratus fuerat. Ei ad prandium vocato Navarrus ab uxore ad id inductus spem fecisse dicitur, fore, ut antequam annus exiret, purior Dei cultus toto regno celebraretur, rogasseque, ut id Regi suo confirmaret: illum vero post actas Deo gratias, laudato Navarri consilio vicissim rogasse, diligenter videret, ne *Johannis Calvini* doctrinam, quam & Helvetii sequuntur reciperet, sed Augustanam Confessionem a *Martini Lutheri* doctrina profectam introduceret: eo nomine non parvam a Daniæ ac Sveciæ Regibus ac reliquis Germaniæ Protestantibus gratiam inituram, quorum ditio non minore terrarum spatio porrigatur, quam quæ Pontificem Romanum agnoscit. Ad hæc Navarrum respondisse, *Lutherum* & *Calvinum* in XL. capitibus a Pontifice dissentire, in XXXVIII. inter se convenire, duo tantum superare, quæ inter ipsos controverturtur; ita autem censere, jungendas utriusque partis opes ac copias ad communem hostem opprimendum, quo debellato in duobus illis capitibus conciliandis, & ecclesia Dei pristinæ puritati

A. 1561.

Georgius Luckium in Galliam missus.

tati ac ſplendori reſtituenda minus negotii fore.

Circa idem fere tempus AUGUSTUS Saxo Septemvir ANNAM MAURITII fratris filiam WILHELMO Naſſovio Arauſionenſi deſpondet. Nuptiæ magna pompa Lipſiæ celebratæ, quas plerique Principes præſentia ſua cohoneſtarunt, & in iis FREDERICUS Daniæ Rex, quem *Philippus* Rheni Comes, qui & ipſe nuptiis interfuit, Flensburgum usque proſecutus, CAROLI Galliarum Regis nomine, cui militabat, conchyliati ordinis inſignibus donavit.

Fridericus Rex intereſt Nuptiis Anrauci.

Coronatio Erici Regis.

III. Calend. Vtil. ERICI Sveciæ Regis coronatio indicta fuerat, quæ poſtmodo VIII. Cal. VItil. magno paratu Stocholmiæ celebrata eſt, Balthici littoris urbium legatis eo profectis, quibus ille privilegia, quæ in Svecia negotiantes harum urbium cives a Majoribus tradita acceperant, abunde confirmavit. Revaliam vero Livoniæ urbem, quæ patrocinio ejus ſe nuper ſubjecerat, non eadem ſolummodo gratia, ſed pecunia inſuper ampla, commeatu, milite, tormentis omnique inſtrumento bellico liberalius, quam fœdere receperat, juvit. Pacem cum Moſcho, a Patre GUSTAVO initam ac multis annis ſervatam deinceps continuari, & in ea Revalienſes comprehendi petebat; Sed cum Moſchus Revaliæ tutelam ab ERICO acceptam, & novas conditiones a GUSTAVO non petitas paci adjungi ægre ferret, vix biennii inducias ab eo impetrare potuit. Interea Revaliæ ERICI nomine Præfectus *Nicolaus Chriſtierni* cœnobium Padenſe, quod MAGNUS Holſatiæ Dux ad ſuam diœceſin pertinere contendebat, & ſequenti anno Parnoviam & arcem Vitenſteniam Polono ſubjectam vi occupat. Ita Svecus Poloniæ Regem ac Danum, cujus frater MAGNUS totam Oſilienſem & Revalienſem diœceſin ſibi vindicabat, adverſus ſe concitavit, & Lubecenſes ac cœteros negotiatores pariter ſibi inimicos reddidit, prohibita Narvica navigatione, & Revaliam, qui Narvam prius ibant petere coactis. Quod diuturno adverſu ipſum ac damnoſo juxta bello occaſionem præbuit, mutandique Livoniæ ſtatus cauſa exſtitit.

Ericus ſibi Revaliam vindicat, indignante Friderico.

His præter alia, irritatus Rex FREDERICUS inducias, ut memora vimus, ex vetere fœdere in annos totos quinquaginta pactas, ab ERICO ruptas exiſtimans, bellum ei indicere inſtituit. Nam circa idem fere tempus, quod fuit anno milleſimo ſupra quingenteſimum ſexageſimo ſecundo e Ruſſia redierunt FREDERICI Regis, quos ſupra memoravimus, ad Moſchum legati, adductis ſecum legatis Magni Ducis Moſchoviæ, deinde etiam Poloniæ Regis nuncii, conjunctionem ac fœdus adverſus ERICUM Regem petentes ſecuti ſunt. Et mox *Steno Erici* & *Gabriel Chriſtiani* ab eodem ERICO in Haſſiam, ut negotium de conjugio filiæ Landtgravii, ERICO Regi in matrimonium dandæ conficerent, ablegati Haſſiniam, non petito antea ſal-

A. 1562. Moſchi & Poloniæ Regis legati.

vo conductu, tranſire cogitabant. Quos egredi urbe volentes, & a cuſtodibus in porta prohibitos, cum indignantes verbis liberioribus in quosdam inveherentur: Cancellarius Regis tum abſentis, *Johannes Friſius* juſſit in hoſpitia ſua reduci, & arreſto detineri. Id indigniſſime ERICUS tulit, & animis utrinque magis exacerbatis, ad arma jam omnia ſpectabant. Interim, gliſcente in eum modum malo, Svecus legatos ſuos, in quibus *Guſtavus Olai*, & *Turo Bielcke*, Eques auratus, principem locum obtinebant, in Daniam miſiſſe fertur, qui trium annorum inducias conficerent: quo concepta jam multorum animis ſuſpicio vehementius aucta eſt, Svecos novis rebus ſtudere. Nam Dani, nondum finitis prioribus induciis, novas facere nihil attinere dicebant: Svecis vero nihil de his in mandatis ſe habere reſpondentibus, ſcintillæ maximi incendii, quod propediem erupit, ſparſæ ſunt. Quia vero tertium non erat, & aut aperte bellum gerendum, aut induciæ de novo concedendæ, utriusque tandem conſenſu in unum annum pax conſtituta eſt, ea tamen conditione, ne quidquam hinc prioribus quinquaginta annorum induciis inter utramque gentem jam olim pactis, de quibus & ante dictum fuit, derogatum videretur.

Suecorum legati.

Inter hæc, domi haud neglexit FREDERICUS Rex pacis ſtudia, & præter alia, utiliſſimas leges, quas nauticas vocant, in uſum ac commodum omnium, qui Balthicum præſertim mare navigationibus ſuis frequentant, typis ſuperiore anno deſcriptas, evulgari hoc tempore curavit. Ut ita, ſicuti olim prima ac rudiora lineamenta tabularum hydrographicarum, qvod alibi meminimus, Gotlandiis ſive Visbuenſibus debentur, ſic leges quoque, quæ mari ac cunctis mare colentibus modum præſcribunt ac ponunt, ab eadem hac Boreæ gente profectas agnoſcat poſteritas.

Nauticæ leges.

Poſt deinde certis indiciis compertum eſt, Regem ERICUM militares paſſim copias conſcribere, prolatis etiam literis, quibus in territorio Megalopolitano diribitorii, ut vocant, locum ab ejus regionis Principe ſibi concedi poſtulabat. Veniſſe tamen poſt id Svecorum legatos in Daniam, reperio, quorum caput erat *Steno Erici*. Hi pacis quidem in triginta annos confirmandæ formulam attulerunt, ſed ejusmodi annexis conditionibus de Hallandia, Gotlandia & Livonia, quas Dani haud quaquam jure ſuo ſalvo approbare potuerunt. Reliquum deinde tempus, multis ultro citroque miſſis legatis, irrito pacificationis ſtudio conſumptum eſt; quamvis ſæpe Rex FREDERICUS declaraſſet, nullam ſe rem magis cupere, quam ut amice cuncta per ſequeſtros componerentur. Sed cum alio res ire videret, Fredericoburgi Holſatiæ nobiles ad diem certam ſibi adeſſe jubet, cumque iis conſilia de belli adminiſtratione communicat. Illi ſpatio ad deliberandum ſumpto, cum diu multumque rem inter ſe diſce-

Novi Suecorum in Daniam legati.

disceptassent, Regi quidem dicto audientes fore se pollicentur, cæterum arduum esse quod ageretur, & in quo vix ulla prudentia satis esse possit. Proinde consultum sibi videri, ut prius omnes pacis conditiones ineantur, quam bellum cum tam vicino & valido hoste

Frederici Regis de bello deliberatio.

suscipiatur. His & aliis difficultatibus expositis Regis animum ad pacem inclinare conabantur. Rex approbatis suorum sermonibus, honestas omnes pacis rationes frustra a se pridem tentatas demonstrat; verum eas proponi conditiones, quæ & cum intolerabili regni sui detrimento, & existimationis jactura essent conjunctæ: ac nisi præveniat, metum esse ne præveniatur. Quibus acceptis illi & fortunas omnes & vitam pro patria & salute Regis tuenda paratos se profundere dicunt.

Lubecenses se Regi jungunt.

Hinc ad fœdus quoque adsciti Lubecenses, qui ob impeditam ad Ruthenos suorum navigationem, non parvas simultates cum Svecis exercebant. Ad Hamburgenses missus est legatus *Henricus Rantzovius*, qui hæc fere mandata exposuit: commeatu hostem ne juvarent: navibus aliquot fabricandis operas Regi præstarent: quid auxilii sperandum ab ipsis esset, si Holsatia, in cujus territorio ipsi comprehendantur, a quocunque invaderetur, declararent. Ad hæc ita responderunt: rem esse majoris momenti, & quæ non ad paucorum, sed omnium arbitrium spectet. Quapropter deliberandi tempus postulant, quo interea ad senatum populumque his de rebus referre possint. Et est hoc pacto ad solennem Holsatiæ conventum, qui proxime erat habendus, res omnis rejecta.

Sub idem tempus ERICUS Dux Brunsvicensis non contemnendas copias sub signis habebat, quas & ille tum Regi, ut & operam suam liberaliter obtulit. Estque haud multo post ad Hassiæ Landtgravium missus *Rantzovius*, cum mandatis, ut Principis ejus animum erga Regem exquireret; clam vero, quod nonnulli suspicabantur, ut matrimonii inter ADOLPHUM Holsatiæ Principem & filiam Cattorum Principis (quam Svecum ambivisse superius injeci) postea contracti, initium faceret; atque hoc modo sed et hostem suum non armis tantum affligeret, iam omni spe auxilii e Germania, quam nova tam potentis familiæ adfinitas polliceri videbatur, spoliaret.

Sueco bellum indicitur.

Decreto igitur bello litteræ ad Svecum denunciatoriæ mittuntur, hoc fere exemplo: etsi jam ab eo tempore, quo ad regnum accessisti, paternæ amicitiæ arctæque cognationis oblitus, non modo antiqua fœdera, inter prædecessores nostros percussa, sine ulla justa causa violasti, verum etiam nuper cum in aliis rebus, tum præsertim insignibus nostris usurpandis, fratrisque nostri ditiones hostiliter depopulando justissimas offensionum causas præbuisti: animum tamen inducere nunquam potui, quin prius per alia omnia, in quibus pacis conficiendæ spes esset, quam per vim armatam jus nostrum obtinere vellem. Verum quia jamdemum intelligo, (pacem cordi tibi non esse, cujus prætextu hactenus nobis insidiatus es, multosque e nostris oppressisti, picturis insuper ac scriptis maledicis famam nostram lædere non dubitasti: nostrum non fuit diutius & regno nostro, & nobis ipsis deesse. Qua propter protestamur, ea nos apprehensuros media, quibus & regna nostra, nobis a Deo concessa, ab externa vi defendere, & aliorum nobis adversis conatibus obviam ire possimus. Ut vero perspicue toti orbi ostendamus, quam inviti ad bellum pertrahamur, ad extremum has fere pacis faciendæ conditiones proponimus. Primum arma ab utraque parte deponantur, atque a vi & cædibus abstineatur. Quicquid Livonicarum Provinciarum, vel fratri nostro, vel nobis ereptum est, sine ulla mora cum usufructu restituatur. Juri suo Svecus, quod in nonnullas Danici Regni provincias, Scaniam, Gotlandiam & Regnum ipsum Norvegiæ sibi sumit, renunciet. Oceani liberum usum navigantibus tam Danis, quam reliquis mercaturam exercentibus permittat. Lubecensibus pro injuriis & damnis illatis satisfaciat. Sumptus, quos ad vim ipsius repellendam Dani feciissent, rependat. Controversias omnes sequestris, ab utraque parte ab id deputatis, decidendas permittat. Ac tandem vetus illud fœdus, quod multipliciter hactenus violatum sit, renovetur, & sacrosanctum porro conservetur.

Responsum Regis Suecia.

His ille acceptis literis respondit: se ut Regem a Rege denunciationem & fœcialem accipere, quamvis longe diversam ab eo, qui nunquam a se læsus esset, spem concepisset; ac simul pleraque sibi objecta in Danos retorquere conatur; conditiones etiam multo alias pacis præscribit. Lubecensium vero fœcialem ad Senatum Stochholmiam, quæ Regni caput est, ablegat, ad contemptum addens, Reges Regibus cives ac Rusticos civibus ac Rusticis bellum indicere debere. Datæ hæ anno millesimo supra quingentesimum sexagesimo tertio mense Augusto.

A. 1563.

FREDERICUS Rex ante denunciationem factam negotium dederat *Gunthero* Comiti Swartzenburgico, *Georgio ab Holle*, *Hilmario a Münchhausen*, *Hilmario a Querne*, *Victori Knippingio*, *Danieli Rantzovio*, *Johanni Vischio*, *Josvæ Qualeno*, ut equitum ac peditum delectus haberent & ad diem condictum convenirent. Hujus belli calamitates crebra ac terribilia prodigia præcessisse memorantur. Nam & aer funestis ignibus, & qui speciem armati exercitus præberent, multis in locis micare conspectus est. Hastiniæ etiam summum altare in fano Divi *Nicolai* de cœlo tactum. Vagitus infantis in utero matris auditus; ac alia ejusmodi attonitos omnium animos reddiderunt.

Prima inter utrosque congressio mari facta, sed ante belli, denunciationem. Nam FREDERI-

DERICUS instructam quatuor grandiorum Navium classem, Præfecto *Jacobo Brochenhusio* ad maris custodiam initio veris Bornholmiam ablegaverat, ut ex urbibus maritimis & aliis regionibus in Sveciam navigaturos transitu prohiberet. Interea Svecus comparata novendecim navium classe, cui *Jacobum Baggium* Norvagis oriundum præfecerat, Danicos excubitores prope Bornholmiam, ipso Pentecostes die, qui in Calend. Jun. incidebat, intercipit & navem prætoriam cum *Jacobo Brochenhusio*, maris præfecto, ac duas alias, multasque machinas bellicas, & præter milites, classiarios amplius octingentos, in potestatem redigit. Sequenti die Sveci anchoris sublatis Varni ostium versus contendunt, & postridie Pentecostes quingentis passibus a portu Rostochiensium appellunt, atque in eo loco sex dierum spatio quiete se reficiunt. Magnæ ex hac victoria Svecorum viribus accessiones factæ sunt, etsi ipsi quoque gravissima damna perpessi erant. Rex FREDERICUS accepta hac suorum clade, naves omnes, quotquot in portubus stabant, unum in locum contrahit, & aliam classem instaurat, ac rebus necessariis munit.

Conflictus Navalis.

Jam vero de quo memoravimus, denunciato, sub Cal. Aug. perfœcialem bello, copias militum undique collectas transmitti navigiis in Scaniam, quæ Sveciæ est continua, Rex curavit. Habitoque Warburgi, quod Scaniæ est oppidum, ac Helsenburgo septem millia passuum distans, copiarum delectu, mox cum universo exercitu Elsburgum, quæ arx est Suecorum munitissima, contendit. Erat in ejus conmitatu, præter cœteros, MAGNUS, Regis frater, Revaliæ & Curlandiæ Episcopus &c. *Johannes* Comes Hojensis Osnaburgæ & Paderbornæ Antistes, ex Sorore GUSTAVI Sveciæ Regis natus: ADOLPHUS Comes Nassoviensis Arausionensium Principis frater: *Guntherus* Comes Svartzenburgensis, qui copiis universis Dux præfectus est; aliique generis splendore & bellica virtute clarissimi viri. Prid. Non. Aug. præmissis primipili centurionibus, *Georgio ab Holle*, *Hilmario a Querne*, & *Francisco Bulovio* totus exercitus iter ingressus est. Mediam aciem Rex ducebat cum duobus signis prætoriis & tormentorum apparatu. Postremum agmen claudebant *Daniel Rantzovius*, *Zacharias Grunenbergius*, *Johannes a Wisch*, *Josua a Qualen*: Qui omnes intra paucos dies, Warbergum, de quo diximus, pervenerunt. Triduum ibi commorati Elsburgum contendunt, arcem, ut modo memini, Suecorum munitissimam.

Castris pro motis, quamvis multis afflicti incommodis, ob locorum difficultates & cœli, quod admodum pluviosum erat, ad undecimum tamen Cal. Sept. impedimentis duorum dierum itinere post se relictis, circa Elsburgum castra posuerunt. Hic primus impetus Regis eam in arcem factus, quæ portum subjectum Nilosæ habet, inter extremos Hallandiæ & Norvagiæ fines, per quem unicum & solum, toto eo regno, in Oceanum occidentalem Svecis exitus patet. Comparatis quæ ad obsidionem usui erant oppugnationis initium faciunt: & primum summus rei militaris præfectus arcem per fœcialem sibi dedi, Daniæ Regis nomine postulat: qui hoc responsum a præside arcis *Erico Gagge* nobili Sveco tulit, nihil se Daniæ Regi tradere posse aut debere, a quo nihil custodiendum accepisset. Sveciæ Regem fidei suæ hanc arcem commendasse, cui eandem ad extremum usque spiritum fideliter conservare velit, & tartam tectamque tradere. Erat arx non tantum loci natura & opere, ut memoravi, munitissima, sed commeatu insuper abunde instructa, quin & primis satis præsidiis tenebatur. Sed hi præsidiariorum plerique e vulgo agrestium constabant, & bellorum erant imperiti, ac se ad arcem defendendam impares dicebant. Unde præsidi suspendium minabantur, si arcis deditionem facere recusaret. Cum igitur foris ab hoste premeretur, intus vero militem ad pericula subeunda paratum non haberet album bacillum manu ferens ex arce descendit, ad Daniæ Regis pedes se provolvit, &, portarum clavibus traditis, ei arcem exeunte Sept. dedidit.

Elsburgum a Danis captum.

Recepta arce omnis generis apparatus bellicus in ea est inventus: tormenta triginta duo varii generis, in quibus viginti quatuor ex iis, quæ ob magnitudinem rhedis sustentantur: annonæ copia tanta, cujusmodi ad diuturnam obsidionem satis fuisset. Cum arce duæ etiam naves magnitudinis eximiæ, quæ nondum perfectæ in littore stabant, simul in Danorum potestatem venerunt. Rex arci *Georgium Rantzovium* cum quatuor signis peditum præsidii loco posuit. Mox dimissus exercitus & in hyberna, ex Ducum consilio, qui satis hoc anno actum putabant, deductus est. Sueci, cum hostium abitum sensissent, irruptionem in castra faciunt, & in ægros, qui remanserant, crudelissime sæviisse memorantur.

Dum hæc in eum modum geruntur, ERICUS Sueciæ Rex domesticis dissidiis occupatus, in tempore adesse suis non potuisse putatur. Etenim JOHANNES Finlandiæ Dux, ERICI frater, sed ex alio thoro natus, qui CATHARINAM Poloniæ Regis sororem, in Uxorem duxerat, affectare Regnum & cum hoste Polono colludere ipsi suspectabatur. Quapropter eum e Polonia cum conjuge reversum in Finlandia capi, atque intra custodiam teneri mandavit, ministris ejus aliquot capitis supplicio affectis.

Ericus Rex, fratrem suum Johannem custodiæ tradit.

Fratre capto ac motibus his sedatis, cum jam hyems appeteret, Rex ERICUS per Westgothiam cum triginta vexillis peditum, & X. equitum turmis, cum quadraginta item machinis progreditur, & Helmestadium maritimum Hallandiæ oppidum, quod *Christianus Manduelius* & *Josias Qualenus* gnaviter defendebant magna vi oppugnat: sed cum VII. equitum alæ, & XXIV. peditum signa laborantibus obsessis, jussu FREDERICI, missa ex Ellebogi seu Malmogiæ hybernis, summo silen-

Svecorum clades.

tio superveniſſent, acre prælium Danos inter & Svecos commiſſum eſt, V. Eid. Novembr. in quo Sveci tria millia aut plura ex ſuis deſiderarunt, ac præterea XL. machinas bellicas. Magna in eo virtus Comitis Svartzenburgici fuit, qui aliquoties equo in glacie collapſo deturbatus, hoſtes ingruentes fortiſſime repulit, ac poſtremo in fugam vertit. Rex ipſe Sveciæ conflictui huic interfuit, quia biduo ante a caſtris cum paucis ſuorum digreſſus erat. Commiſſo prælio ac hoſte fugato Danorum exercitus Walmogiam verſus rediit. Eo ad *Güntherum* Comitem Svartzenburgenſem & alios militum tribunos ERICI Regis literas perlatas memoratur, in quibus id præcipue agebat, ut militum & præfectorum animos a Daniæ Rege abalienaret, & ad ſuas partes traduceret. Qui omnes cordate reſponderunt, ſe ſub iſtiusmodi Rege ſtipendia facere, cujus fidem hactenus, conſtantiam & integritatem ſatis perſpexerint, & a cujus animo hujusmodi ſuſpiciones valde abhorreant. Sed hæc vero an valſo memorata, in medium relinquo. Sveci interim, dum in hibernis agit Danorum miles, non deſierunt in proximas Scaniæ ac Blekingæ ditiones excurſiones inſtituere, captæque ab illis hinc inde arces aliquot, ut & oppida, ſed minoris momenti.

Quæ cum eum in modum terra gererentur, non minore animorum contentione, interea mari pugnatum eſt. Præcipua erat Danorum claſſis, navibus XL. & ultra conſtans, præter eas, quas Lubecenſes adduxerant, quæ tamen per paucæ erant. Toti claſſi cum imperio præfectus erat Nobilis Danus *Franciſcus Bilde* rei maritimæ experientia clarus; cujus Prætoria navis Fortunæ nomine inſignis erat. Claſſis hæc paratiſſima, & omni armorum genere illuſtriſſima e portu Haſſinienſi ſolvens recto curſu ad Oelandiam, Balthici ſinus inſulam contendit; ibique exſcenſione facta claſſiarii milites longe lateque prædam agunt, & incendiis graſſantur. Inter Oelandiam & Gotlandiam Svecorum ipſis claſſis occurrit. Hic, ut inter hoſtes, toto die acriter pugnatur, ſic tamen ut victoria ejus diei penes Danos fuerit. Sveci enim rebus ſuis diffiſi ad fugam capeſſendam vela ſemper explicata habebant; ſicque accedente præterea nocte, pugna dirempta. Periit in eo conflictu vir fortiſſimus *Franciſcus Bilde*, claſſis præfectus, qui tormenti grandioris ictu capite comminuto occubuit, cujus mors Danis eam victoriam luctuoſam reddidit.

Pugna navalis.

Injecimus ſuperius Svecum collectis copiis dum in hybernis Dani conſiſtunt, in Scaniam excurſiones facere haud deſiiſſe, unde & *Daniel Rantzovius* peditum ſigna novem, & *Fredericus a Donha*, Burggravius, militiæ clarus, trecentos equites in hoſticum ducunt, & Smallandiam omnibus bellorum incommodis affligunt. Quo eodem uniter tempore, quod ad initium anni milleſimi ſupra quingenteſimum ſexageſimi quarti Chronologi referunt, FRIDERICUS Rex Chilonium, Holſatiæ eſt oppidum, proficiſcitur, pecuniæ conficiendæ &

A. 1564.

jus dicendi cauſa. Eo a Gotlandiæ præfecto, *Johanne Bildinio* Svecorum Regis literæ ad Angliæ Reginam latine conſcriptæ, a ſuis interceptæ mittuntur, quibus de matrimonio cum dicta Regina agebat. Has ſtatim per miniſtrum ad Saxoniæ Electorem, atque inde ad Haſſiæ Landtgravium perferri curat. Commodum tunc Svecorum legati in aula Landtgravii erant, ut de matrimonio inter filiam ujus & Regem ſuum tractarent. Quibus Landgravius literarum exemplo oſtenſo, Regis inconſtantiam exprobrat, qui nuptias ita ſimulare non vereretur. Ejus rei fama cum percrebuiſſet, ADOLPHUS Holſatiæ Dux, inſtinctu maxime Daniæ Regis, Patruelis ſui, cum *Chriſtina* Landgravii filia nuptias conficit, quæ poſtea Gothorpiæ ſolenniter in multorum Principum præſentia celebratæ ſunt.

Literæ Regis Erici ad Angliæ Reginam intercepta.

Per idem hoc tempus adulto jam vere, dies Roſtochii indictus eſt, quo die de pace tractaretur, & amica compoſitione controverſiæ inter utrumque Regem deciderentur. Ad eum diem miſſi ſunt a Cæſare legati, *Bogislaus Felix Lobcouzius* inferioris Luſatiæ præfectus, *Chriſtophorus Carlovicius*, & alii. A Romanorum Rege MAXIMILIANO, Cæſaris filio, *Henricus Wallenſtenius*, *Nicolaus Varmſtorpius*: qui feria ſecunda Pentecoſtes die urbem ſunt ingreſſi. Danici legati fuerunt, *Otto Crumpe*, Eques & Regni Mareſchallus, *Henricus Rantzovius* regius in Holſatia vicarius, *Georgius Roſenkrantz* regni Conſiliarius, *Elias Iſenbergius*, *Joachimus Hinck*, Jure Conſ. & Decanus Bremenſis: qui feria ſexta Pentecoſtes Roſtochium pervenerunt. A Poloniæ Rege venerunt *Johannes Coſiska*, Caſtellanus Gedanenſis, *Martinus Cromerus* J. C. & Cuſtos Sandomirienſis, Canonicus Cracovienſis a Secretis; qui ſexto Calend. Jun. ad dictum locum adfuerunt. Lubecenſium legati erant *Hieronymus Lüneburg* Conſul, *Hermannus Fechtelius* Jure Conſ. *Bartholomæus Tinappel* Senator, & *Chriſtophorus Cunzmannus* Secretarius.

Conventus Roſtochienſis.

Ibi Dani ſcriptum Regis ſui nomine exhibent, in hanc fere ſententiam: Conſtare univerſis in Chriſtiano orbe Principibus, quomodo poſt diuturna & graviſſima bella Danos inter & Svecos ſubinde exorta, pax tandem, aut induciæ ad L. annos a CHRISTIANO III. Daniæ, & GUSTAVO I. Sveciæ Regibus, inclytæ memoriæ, anno milleſimo ſupra quingenteſimum quadrageſimo primo conſtitutæ ſint, quas ERICUS, utprimum Regni habenas ſuſcepiſſet, multis modis violaviſſet, unde non modo veteres ſimultates, quæ fœderis iſtius quinquagenarii vi cicatricem obducturæ videbantur, refricuerint, verum etiam novis diſſidiis latiſſima feneſtra ſit aperta. Nam anno 1561. Revaliam Livoniæ & Esloniam provinciam occupaſſe, civium aliis verborum lenociniis & promiſſorum magnitudine illectis, aliis metu perterritis. Nolle ſe hic diſputare, quantopere hoc facto vel ſacri imperii Romani ſtatus vel Poloniæ Regnum læſum ſit; ſed hoc potius eorum cogitationibus relinquere, quos

Scriptum Regis Daniæ in Conventu eo exhibitum per legatos.

quorum inter sit. Illud interim omittere non posse, quin commemorent, Esloniæ provinciam non modo ante secula aliquot a Danorum Regibus ex infidelium manibus multo sangvine vindicatam, & eorum pietate Christiana religione fuisse imbutam, sed & Revaliæ urbem ab iisdem conditam, coloniis auctam, & trium coronarum insignibus donatam, ut ex fide dignis historiarum Scriptoribus luce clarius demonstrari possit. Etsi vero Regis WOLDEMARI permissu *Teutonicus Ordo* (ut vocant) jus ea in provincia & jurisdictionem postea sit consecutus; Jure suo tamen nunquam Danos cedere voluisse, de quo etiam ante paucos annos in ea transactione, quæ inter Cæsarem CAROLUM V. & CHRISTIANUM III, Daniæ Regem Spiræ anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto confecta fuit, expresse sit cautum. Istam vero Livoniæ cum Danis cognationem & adfinitatem optime perspectam habuisse Svecorum Regem, primo inde probari, quod notorium hoc (ut jure coss. verbis utamur) fuerit, quod omnes scire præsumantur; deinde qvod Revalienſibus Sveciæ Rex persvaserit, Daniæ Regi factum suum displicere non posse, cum hoc a fœderibus sit concessum. Ex quo luce meridiana clarius pateat, Svecorum Regem eo, quod Revaliam & alia Livoniæ loca occupaverit, facto ipso fœdus quinquagenarium violaviſſe, & Daniæ Regem gravissime offendisse. Licuisse igitur ad jus suum conservandum concessa statim adhibere remedia; sed cum facile quidem bella suscipiantur, ægre vero & nunquam sine innumeris calamitatibus & gerantur, & deponantur, noluisse statim vi armata experiri, sed potius, quod natum inde erat controversiæ, prudentium virorum ab utraque parte delectorum arbitrio dijudicandum permittere voluisse. Verum enimvero patientiam hanc suam non modo Svecum non reddidisse æquiorem, sed etiam quotidie audaciam auxisse, adeo ut brevi post feliciter administratam Livonienſem expeditionem Legatos in Daniam miserit, qui trium annorum inducias conficerent. Cum res hæc mire Regi accidisset, neque liquido constaret, quo inducia-rum ista petitio, nemine dum inferente bellum pertineret; suspicari tandem coactum, Svecis, ob felicem successum, quo in Livonia usi erant, animo elatis belli cupiditatem (ut eo amplior esset gloriæ seges) attulisse. Hanc enim vim istiusmodi petitionis, ut non minus, qvam induciarum finis aut aperta belli denunciatio, hostilis animi significationem habeat. Verum tum etiam Regem suum nondum omni spe pacis dejectum, extrema prius omnia tentare noluisse, quam ad bellum gerendum animum adjiceret. Etsi igitur jure optimo quia fœdus antiquum locum habere nequiverat, inducias denegare potuerit; pacem tamen in annum unum feciſſe, eo maxime quod Svecorum Rex in Angliam ea æstate navigaturus diceretur, ne, si denegasset, nuptias, quas cum Angliæ Regina tractabat, impedire velle videretur. Iis induciis aperte cautum fuisse, ne utralibet pars in alterius possessionem involaret, vel alio modo quidquam emolumenti aut dignitatis præriperet. Cæterum negari non posse, & hunc, qui modo regno præsit, & *Gustavum* Parentem ejus nullis aliis insignibus usos fuisse, nisi quæ tres coronas & Leonem unum cum fluvio intersecto, & in medio familiæ suæ & generis privata arma haberent: Nuper vero Daniæ & Norvegiæ insignia usurpare cœpisse, ac etiamnum iisdem uti. Quod ut minime e dignitate cujusquam Principis sit alteri concedere, ita multum ad alienandos & ex acerbandos animos potuisse. Ab eo enim tempore Daniæ Regi spem omnem pacis præcisam, cum neque ab iis abstinere Sveciæ Regem videret, in quibus jus suum ullo titulo aut colere docere non posset. His tot & tantis injuriis non contentum, durantibus adhuc unius anni induciis, Legatos ad MAGNUM Holsatiæ Ducem Oseliæ & Curlandiæ Episcopum, Sereniſſimi Danorum Regis fratrem misisse, & ut ditiones sibi parentes Svecorum Regno subderet, per literas petiisse; in quibus provinciis juris aliquid Danos habere ex supra narratis pateat. Quia vero res hæc ex animi sententia non ceciderat; quod verbis & promissis nequiverit, vi exequi conatum. Sub specie enim transitus, qui per alia loca longe commodius institui potuerit, hostiliter dictas provincias invasisse, prædam abegisse, & omni bellorum clade afflixisse. Præterea navigantes ad Narvam sine justa causa impediisse, unde Danica vectigalia non exiguum acceperint detrimentum: a nullo denique injuriarum genere abstinuisse, omniaque pacis media hactenus excussisse. Quod vero Cæsar & Principes tanta cura & studio ad motus hos toti orbi Christiano pernicioſos sedandos utantur, maximi se id beneficii loco ducere, daturosque operam, ut intelligant nil prius pace aut antiquius sibi esse quantum regni incolumitas & Regis Dignitas pateretur.

Lubecenſium declaratio.

Lubecenses quoque peculiari libello hujus inter se & Sveciæ Regem exorti causas prolixe explicatas comprehendunt & exhibent: ac initio quidem commemorant, quantis beneficiis Sveciæ Reges defuncti, multis civitatem Lubecenſem privilegiis donaverint: Quæ is, qui nunc rerum potiatur, non modo rata non habere, sed & annulare (ut loquuntur) conetur.

Erici Regis eodem missæ literæ.

Omnia quidem magno studio legatorum agi initio cœpta sunt: cæterum, quo minus quidquam effici potuerit, obstitit Svecorum absentia. Etsi enim ERICUS Rex in eum diem consenserat, suosque eo se legatos missurum spem fecerat, tamen postquam longa ibi mora tracta esset, tandem a Sveco ad Cæsarem majestatem literæ perferuntur, quarum tale fere erat argumentum: Constituisse se quidem ad dictum diem legatos Rostochium mittere; cæterum nuper a Danis iis incommodis terra marique affectum esse, ut consilium mutare coactus sit, suisque rebus ita providere, ne sub pacificationis prætextu majora accipiat detrimenta, alioqvin votis omnibus optare, ut tot

innocentium hominum ſanguini effundendo, tamque multis vaſtandis regionibus parcatur. Et quoniam in hac re multum elaborare Cæſaream majeſtatem intelligat, vehementer ſibi gratum eſſe, adque eam rem conficiendam, quantum quidem regni ſtatus & incolumitas pateretur, nunquam ſe defuturum. Quod ad Poloniæ Regem attineret, miſiſſe jam e ſuis, qui pacis rationes ineant, in eoque ſperare Sereniſſimum Regem nequaquam difficilem fore. Cum Lubecenſibus ſe ſimul ſuſceptas depoſiturum, & injurias omnes condonaturum, ſi fœderi cum Daniæ Regi contracto renuncient, atque poſthac ab omni vi abſtineant. Cum Daniæ Rege, quo minus pacem faciat, multa obſtare. Nam & hoſtiliter multa in ſe egiſſe, & nuper ejusmodi ſuis damna dediſſe, ut eorum compenſatio neceſſario ſibi quærenda ſit. Ne tamen quicquam intermittere velle videatur, quo pax promoveri poſſit: conſultiſſimum ſibi videri, ſi intra amborum regnorum fines conveniatur, quo in tam arduis rebus Regis utriusque præſentia haberi poſſit. Ad eam rem Calmariam quæ Gothiæ urbs eſt, arce pulcherrima munita) idoneam ſibi videri. Eo ſi a Daniæ Rege legati venerint neque ſuos defuturos. Interea, re nondum perfecta, hoſtis loco habiturum, nullamque occaſionem ultionis prætermiſſurum.

His cognitis legati facile perſpiciebant, pacis mentionem a Sveco ſerio factam non eſſe, qui tam præclaram ejus conficiendæ rationem neglexerit; ſed diem potius in diem ducere, ut interea ad bellum neceſſaria conquirere poſſet. Quapropter re infecta domos quisque diſcedunt.

Svecus inducias petit.

Conventu Roſtochienſi ſoluto Svecus inducias petit, quas Daniæ Rex ut concederet, e re ſua minime eſſe arbitratus eſt. Nam hoc ipſo ſpatium hoſti, ad nova ſubſidia comparanda datum iri videbat: quæ res ut hoſtibus commodo, ita ſibi fraudi ac detrimento incomparabili eſſet futura. Quum induciæ obtineri non poſſent, denuo de pace agi cœptum: ſed fruſtra.

Recrudeſcente igitur bello Rex ERICUS Elsburgum aliquot menſes irrito conatu obſidet, & excurſionibus in Hallandiam factis circa Laholmum & Engelholmum cuncta diripit. Circa Norvegiam etiam Jemptiam Sveci invaſerunt, campiductore Gallo quodam, cui nomen *Claudius Collartus* erat. Is tranſmiſſis montium jugis Norvegiam ingreſſus Nidroſiam oppidum & arcem cum univerſa ditione ſuam fecerat: quam paucis interjectis menſibus Dani recuperarunt.

In Balthico præterea mari Danica claſſis, cui præfectus erat Vir nobiliſſimus *Hermolaus Trolle* & aliquot Lubecenſium naves ad Bornholmiam cum Svecica congreſſæ, navem prætoriam, qvam ſuperbo nomine Magelos, quod ſimilis illi nulla ſtaret, appellabant, deterſo clavo, & aliquot Lubecenſium navibus ad latera Harpagonibus injectis eam oppugnantibus, una cum *Jacobo Bagge* cœperunt. Navis ducenta tormenta vehebat, quæ tamen omnia, nave in mediis undis conflagrante in profundum maris deſederunt. Alia navis Svecica, præfecto *Andrea Beronis* inde usque a menſe Decembri intra Roſtochienſem portum prope Warnemundam commorata, aliquoties a Senatu propius ad urbem adduci juſſa erat, ut a Danis, qui eam ſibi dedi aut ejici petebant, tutior eſſet. Sed *Andreas* turpe ſibi & Regi ſuo ducens, aliquam fugæ aut metus ſignificationem vel minimam præbere, in ſtatione manſit. Quare a Danis & ripa & navibus oppugnatus, cum ſe aliquot horis fortiſſime defendiſſet, tandem perfracta tormentis nave & ſpe omni incolumitatis amiſſa, pulverem tormentarium in navi ipſe accendit, & una cum navi conflagrare, quam in hoſtis poteſtatem venire maluit.

Magelosa exuſta.

Funeſtus hic annus fuit obitu illuſtris viri, aulæ Regiæ Mareſchalli, cujus ſuperius meminimus, *Friderici* Burggravii Baronis a *Donba*, Equitum clari ductoris; quam eandem dignitatem apud Galliarum Regem, jam ante obtinuerat. Hic dum ſinum Balthici maris intra Landskroniam & Malmogiam trajicere navigium ſtudet, oborta de ſubito tempeſtate, aquis ſubmergitur. Fundata per idem hoc tempus eſt ab illuſtri viro *Hermolao Trolle*, ejusque Conjuge *Birgita Goje*, Schola illuſtris, cui Herlufholmiana nomen. Excepit ejus Viri obitum proximus annus, qui fuit ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimus quintus, Junii menſis decimus nonus.

Quo eodem tempore bellum utrinque acriter terra marique reſumptum fuit. Etenim *Rantzovius* a Rege miſſus, ut Svecos ab obſidione Elsburgenſi rejiceret, copias continuo ſuas ubi ad hoſtium caſtra perveniſſet, late explicat, ac hoſtem ad prælium provocat. Id conſpicatus Svecus caſtris non ſine trepidatione relictis, in fugam ſe conjicit, & ut inſequentibus iter præcluderet, pontes omnes poſt ſe demolitur. *Rantzovius* ut clade aliqua fugientes afficeret, cum tribus equitum vexillis circumvectus eos præoccupat, & ex inſidiis per ſylvam tranſeuntes adoritur. Itaque cruenta admodum pugna utrinque exoritur, cum Sveci multitudine abundarent, Dani vero fortiſſime dimicando, nihil de animi ardore remitterent. Extincti ſunt e Danica Nobilitate complures, multique vulnerati: nec ex adverſa parte minor erat cæſorum numerus

A. 1565.

Sveci ab Elsburgo diſcedunt.

Poſt hanc pugnam Svecus ut operæ prætium aliquod faceret, antequam Daniæ copiæ in unum contraherentur, obliquo itinere Warbergum ducit; oppido capto cives omnes interimit. Inde arcem tormentis converberat, & muris dirutis invadit & expugnat. Præſidiarii necati omnes, præter paucos nobiles viros, & loci præfectum. Interea Danorum copiæ adventare dicebantur quo intellecto Sveci arcem præſidiis & comeatibus muniunt, atque inde caſtra movent, eo conſilio, ut reliquis omnibus conjunctis copiis eodem reverterentur, & multitudine hoſtem opprimerent.

Warbergum a Sveco captum.

Rantzovius arce obſeſſa & pugnis aliquot levi-

levibus commissis, inde decedere statuit, ne locorum iniquitate circumventus, cladem inter prælatas istas & invias Saxorum crepidines pateretur. Misis speculatoribus non procul inde magnam hostium multitudinem consediſſe, fit certior. Prima igitur luce exercitum, qui viginti signis peditum & sex equitum turmis constabat, educit, & perspecta locorum natura, colles & editiora loca occupat. Primus impetus a Svecis in *Rantzovii* cohortem factus est, a qua acriter accepti, fusi ac fu-

Prælium Falkenbergense.

gati sunt. Secundum hos cum Svecis equitibus conflixerunt, *Josva a Qualen*, *Hacko Holgerus*, *Franciscus Bammerus*, nec diu morati Sueci, cum undiquaque premerentur, in fugam se effundunt. Verum cum multitudine abundarent, e fuga sese recolligentes, restauratis, quantum fieri poterat, ordinibus, contra insequentes rursus se objiciunt, a quibus denuo in fugam conjiciuntur, & magnam partem cæsi occumbunt. Cecidere in eo conflictu Svecorum circiter quatuor millia. E Danis viri genere factisque clari ultra quinquaginta desiderati sunt: pauci quidem, si hostium multitudinem spectes; sed flos ipse nobilitatis. Itaque vicus prope quem pugna commissa est Falckenbergum nomine, ex eo ad omnem posteritatem nobilitatus est.

Hæc terra: in Balthico autem mari, ad Sundensem portum tota hyeme aliquot Danorum & Lubecensium naves excubarant, ut omnem ex illa urbe, quæ præcipuum in Germania armamentarium Svecorum erat, importationem in regnum Sveciæ prohiberent. Die autem 22. Maji illucente, Regis Svecorum classis quadraginta octo navium improviso adveniens, eas dissipavit. Sic liberato a Danicis excubitoribus mari circiter sexaginta naves onerariæ, vino, pannis, & omni instrumento bellico onustæ, Sundio, Gryphisvaldio, Wolgasto, Colberga, & aliunde solventes in Sveciam trajecerunt. Svecica Classis Calend. Jun. ad urbis Lubecæ portum & Dravi ostium pervenit. Quo frustra tentato regressa Haffniam versus, supra Moeoniam & Falsterboam, in conspectu Haffniæ & Ellbogiæ, multos dies stativa habuit, & a Belgicis & aliis peregrinarum gentium per Hellespontum Scanium in hoc orientale mare ingressis, vectigal exegit; nondum enim Danicæ naves bellicæ armis & comeatu plene instructæ fuerant. Eductis autem & conjunctis Danorum & Lubecensium classibus prætoria Lubecensis, Angelus dicta,

Prælium navale.

proprio igne conflagravit. Secutum est prælium navale atrox & diuturnum, summis viribus commissum. Daniæ Regis prætoria, quæ mille & centum milites classiarios vehebat, cum biduum a sex Svecis undique cincta se acerrime defendisset, tandem classiariis omnibus cæsis vel vulneratis, una cum Amyralio *Othone Rud*, nec pluribus, quam viginti sex militibus illæsis, in Svecorum potestatem venit. Christophorus Danicus vi tormentorum perforatus, in profundum demersus est. Lubecensis prætoria quinque Svecorum navibus cincta fuit, cum quibus Lubecani totum diem fortiter præliati, navem, multis amissis ac trecentis vulneratis, conservarunt. Svecorum etiam aliquot naves, Hector, Leo, Gryps, Cygnus Finnonicus, Hercules, perierunt. S. Georgius cum milite a Danis captus est. Nihilominus maris hujus orientalis possessionem ea æstate & autumno retinuerunt.

Pomeraniæ Duces statim post primum Svecicæ classis ad littora Pomeraniæ appulsum, legatos ad Daniæ & Sveciæ Regem miserunt, ut ad pacis consilia utrumque traducerent. Verum etsi a pace honesta se non abhorrere, nec effusione sanguinis humani delectari, uterque Rex respondebat, res tamen successum non habuit.

Per idem circiter tempus MAXIMILIANUS qui defuncto parenti FERDINANDO in Imperio successerat, misso ad Svecum nuncio petiit, ut controversias cum Daniæ & Poloniæ Regibus, & Lubecensibus amice vel jure componendas sibi permitteret, & inducias vel pacem inter ea coleret; sed cum nuncius justo diutius detineretur, mandatum prohibens omnem ex Germania mercium & bellicarum munitionum in Sveciam importationem, a Daniæ Rege, Electore Saxoniæ & Lubecensibus toto anno petitum, Viennæ promulgat.

Dum Sveci circa Elsburgum, Bahusium & illa loca cum Danis dimicant, *Carolus de Mornai* exercitus Svecici Dux, prope Bahusium circa hoc tempus, qui fuit annus millesimus supra quingentesimum sexagesimus sextus, a Danis capitur, bona parte exercitus ipsius cæsa, reliqua fugata; Ipse cum vivus in hostium potestatem veniſſet, Callundburgum est missus ubi septennium in vinculis detentus, hæc sua manu in pariete scripta reliquit: *Hic septennium comedi panem doloris.* C. D. M. *A. 1566.*

Eodem hoc anno in mari Balthico, Svecicum Danis, rursum navali prælio, inter Gotlandiam & fauces Svecicas, per quas Holmiam iter est, æquo fere marte dimicarunt. Interfecto autem nobili quodam præfecto Dano, Amyralius Danicus solenni pompa sepelire eum in oppido Gotlandiæ Wisburgo instituit. Utraque igitur classis Danica & Lubecensis ad oppidum Wisburg applicuit, prænonente eos præfecto insulæ ne in portu vadoso naves figerent. Orta autem tempestate & procella ventorum horribili, classis Danica & Lubecensis fere omnis, & in ea circiter novem millia hominum, una cum utroque Amyralio, *Johanne Laurentio* Dano, & *Bartholomæo Tinnappel* Lubecensi Consule, naufragio miserabili & luctuoso perierunt.

Classis Danica Naufragio perit.

Iisdem diebus Regismonti securi percussus est una cum aliis, optimus alioqui Chronologicus scriptor, & de Republ. hac parte bene meritus, *Johannes Funccius*, quod Principi suo, Borussiæ Duci, pravorum consiliorum author fuisset, modo *Osiandri* pravarum opinionum defensor, modo recantator. Quod idem fatum *Justus Jonas* J. C. in Dania subiit, capite plexus prope arcem Haffnienſem XXVIII. Jun.

Johannes Funccius & Justus Jonas capite plexi.

A. 1567. Jun. anni insequentis, qui fuit millesimus, supra quingentesimum sexagesimus septimus. Is una cum *Grumbachio* JOHANNI FREDERICO II. Saxoniæ Duci, desponderat imperium Germaniæ, si auderet quid, & se, quod dicitur, de templo dejiceret. Fecit: sed temerarii facti & ipse & consiliarii graves dederant pœnas. Princeps captus, perpetuæ custodiæ apud Cæsarem mancipatur. *Grumbachius* in quatuor partes secatur. *Jonas* Haffniæ, ut dixi, capite truncatur. Is ante mortem hos recitavit versiculos:

Quid juvat innumeros scire atque evolvere casus?
Si fugienda facis, si facienda fugis.

Quos Clarissimus Danorum Theologus *Nicolaus Hemmingius* morienti adstans, mutata sententia, illico in ipsum regessit, dicens:

Et juvat innumeros scire atque evolvere casus!
Si fugienda fugis, si facienda facis.

Eodem hoc anno MAXIMILIANUS Cæsar, ut bellum inter Svecos ac Danos, quod quietem Germaniæ sollicitare videretur, componeret, Mense Martio Conventum Sundii indixit delegato ad id FREDERICO Palatino septemviro & Pomeraniæ Principibus. *Henricus Rantzovius* Holsatiæ Vicarius a FREDERICO Daniæ Rege venerat, qui herum suum Cæsareanorum delegatorum arbitrio se submittere paratum ostenderet; sed cum Svecus legatos se mittere non posse rescripsisset, *Rantzovius* comeatu a delegatis petito, in Daniam re infecta rediit. ERICUS mense insequenti in Norvegia ad Asloiam cum exercitu erupit, & Arcem Angershausen irrito conatu oppugnavit. Nam missis Hafinia a Dano copiis, Sveci repulsi sunt, & soluta obsidione, arx servata. Postea *Daniel Rantzovius* per fauces illas viarum angustas, quas cavas nominant, in Sveciam ingressus, & aliquot menses fere impune rapinis ac incendiis grassatus, ad Wastenum usque pervenit, oppidis plerisque a Sveco ipso, ne receptum hostibus præberent, exustis. Hinc sequentis anni principio magna cum gloria, & præda opima, salvo exercitu, in Daniam reversus est.

Danorum irruptio in Sueciam.

Svecus interea, quasi non satis esset, hostem foris habere, etiam intus sibi fecit, aut invenit. Nam mox quasi furore adactus præcipuos Consiliarios, ex levi suspicione in crimen vocatos, *Suantonam Sturam* Comitem, cum duobus filiis, *Abrahamum Gustavi* F. & *Dionysium Burgium*, Præceptorem suum, instigante *Georgio Petri* ab epistolis, quasi conspirationis contra se initæ reos, inauditos Upsaliæ a satellitibus interfici mandavit. Qua cæde perpetrata, pudore ac conscientia intus exagitatus, ut aliquo facto contrario crimen dilueret, JOHANNEM fratrem, quem cum conjuge captivum jam aliquot annos custodierat, carcere emittit, ut esset, qui tot innocentium immaniter occisorum ultor ipsum de regni culmine deturbatum viciſſim in carcerem conjiceret. Cum enim ERICUS anno sequenti, qui fuit millesimus supra quingentesimum sexagesimus octavus, concubinam suam *Catharinam*, humili loco natam, ex qua duos liberos susceperat, solenni ritu in templo sibi copulari, & velut Reginam coronari curasset, fratres ERICI, JOHANNES Finlandiæ, & CAROLUS Sudermanniæ Duces, ne pompæ huic, suo genere indignæ, inter essent, aliquot ante diebus ex urbe discesserant, & occupato Wasteno cum avunculo suo *Stenone Erici*, *Turone Bielcki* & aliis regni Proceribus, consilia de removendo a Gubernatione ERICO, communicabant, & scriptis ad cæteros nobiles & parochiarum præfectos literis, & causis consilii sui expositis, hortabantur, ut instituto suo faverent. Quo cognito statim ERICUS tumultuarias copias contra fratres misit; quæ ubi primum in conspectum venere, ad ipsos transierunt. Mox Duces cum exercitu ad urbis Stocholmiæ obsidionem accesserunt, & urbem sibi aperiri & ante omnia, *Georgium Petri* Secretarium supremum dedi sibi flagitarunt, qui & continuo deditus capitali supplicio affectus est, ac rotis impositus; paulo post urbem deditione ceperunt. JOHANNES Finlandiæ Dux cum mille & septingentis equitibus, & aliquot vexillis peditum urbem triumphans ingressus, & Rex Sveciæ renunciatus est. ERICUS in conclave quoddam arcis cum conjuge *Catharina* inclusus & custoditus est; egregio in posterum exemplo, ne Principes, dum sibi quidvis licere putant, potentia in suæ ditionis populos a Deo commissa, ad libidines & crudelitatem male utantur, sed ultorem Deum, qui impunita scelera non finit, revereantur.

A. 15.

Ericus Rex regno exutus in cujus locum frater ejus Johannes substituitur.

Antequam vero JOHANNES Finlandiæ Dux Stochholmiam occupasset, ad Daniæ Regem legatos de pace, *Georgium Guldenstern*, & *Turonem Bielcki*, Roschildiam misit, ubi pax utrinque concluſa & literis comprehensa est, ac inter cætera Danis Warbergam Sveci restituunt, & viciſſim a Danis Elsburgum recipiunt. Cum autem citius ac felicius exspectatione JOHANNES bello adversus fratrem confecto, urbe Stocholmia ac regno potitus esset, displicere sibi quædam, pacis illius capita ostendit; itaque sequenti anno, qui fuit millesimus supra quingentesimum sexagesimus nonus, bellum renovatum est.

A. 1569.

Danica enim & Lubecensis classis armata, Revalienſem portum in Livonia, ex improviso obruens, spoliavit, & circiter triginta mercatorum naves, plerasque mercibus onustas, abduxit. In Daniam Classe reversa, Rex militem in terra expositum ad Warbergensis arcis, quam Sveci tenebant, oppugnationem misit, in qua summus militiæ præfectus *Daniel Rantzovius*, globo tormenti grandioris per caput trajectus, occubuerat; & paulo ante peditum ductor *Jacobus Brochenhusius*, vir singulari animi constantia, & rei militaris peritia, eodem fato absumptus erat. Arx tamen, paulo post a Svecis dedita, in Danorum potestatem rediit. Ea obsidione durante Sveci in Bleckingiam, Scaniæ provinciam,

Daniel Rantzovius occumbit.

Warbergum a Danis recuperatur.

ciam, excurrentes oppida Wehe & Uſtede, & totum tractum Gunding-Herrit direptum cremarunt. Poſt hæc in demortui *Rantzovii* locum Dux militaris eligitur, *Chriſtophorus a Donha*, & exercitus rurſus primo quoque tempore in Sveciam decernitur.

Cum autem Sveci, bellorum diuturnitate & cladium frequentia fracti, hoſtium pertinaciam viderent, Regi ſuo JOHANNI perſuadent, ut pacem, quantum poſſet, juſtis conditionibus faceret. Is igitur quam primum miſſis legatis Daniæ Regem ſollicitat, ut interea vi abſtineretur, dum pax firma ac rata conſtituatur. Commodum eodem tempore Cæſarea Majeſtas apud utrumque Regem per legatos egerat, ut depoſitis ſimultatibus, controverſias æquorum Judicum arbitrio permitterent. De utriusque igitur partis conſenſu, dies Stetini indicitur, ad Calend. Jul. anni milleſimi ſupra quingenteſimum ſeptuageſimi; proceresque, ut frequentes adeſſe velint, rogantur. Partibus a Cæſarea Majeſtate arbiter datus eſt JOHANNES Pomeraniæ Dux; cui adjuncti ſunt *Joachimus* Comes a Schlick, & *Chriſtophorus Carolovicius*. Daniæ Rex *Petrum Bilden*, *Nicolaum Kaas*, *Henricum Rantzovium*, *Georgium Roſenkrantz* & Oratorem *Hinckium*, Decanum Bremenſem miſit. JOHANNIS Sveciæ Regis legati, *Nicolaus Guldenſtern*, Regni Cancellarius, *Benedictus Gilten*, *Georgius Gera*, *Ericus Guldenſtern*, fuerunt. Regis Poloniæ SIGISMUNDI nomine, *Martinus Cromerus*, & *Demetrius Solicovius* aderant. Civitas Lubeca, Danis confœderata, *Hieronymum Lüneburgium*, *Chriſtophorum Todum*, Conſules, cum Syndico *Hermanno a Vecheld* ablegarat. Interfuerunt & Galliæ Regis & AUGUSTI Saxoniæ Electoris Conſiliarii. Poſt varias autem ultro citroque intercedentes diſceptationes, exeunte Novembri, controverſiæ omnes, inter Danos & Svecos, & Lubecenſes Danorum ſocios, compoſitæ & ſublatæ, & pax reſtituta eſt. Cujus articuli præcipui hi fuerunt. Cæſareæ Majeſtati & Imperio Svecus, quæ in Livonia poſſedit, velut ſupremo Livoniæ Magiſtratui & Domino cedit, de quibus diœceſim Revalienſem & Oſilienſem, Padis, Sonnenburgum, & Habſel, Daniæ Regis tutulæ Imperator ſtatim ſubjiciet. Urbs vero Revalia & Wittenſteinum tantiſper in Sveci poteſtate manebunt, donec Cæſarea Majeſtas cum eo, Imperii nomine, de belli ſumptibus in defenſionem Revaliæ impenſis, tranſegerit Qua de cauſa Rex Daniæ Moſchum & fratrem ſuum ſe ab obſidione urbis Revaliæ tam diu avocaturum ſperat, dum Imperii totius nomine Cæſarea Majeſtas & Principes Electores, conſilio & ope Regiæ Majeſtatis Daniæ, Poloniæ, & Sveciæ vel pacem cum Moſchis conſtituant, vel acri bello conjunctis viribus eum, reprimant. Limites Regni Daniæ & Sveciæ antiqui, quos Patres præſentium Regum ſervarunt, utrinque manebunt. Daniæ Rex Sveco arcem Elsburgum, cum omnibus tormentis æneis in expugnatione captis reſtituit.

A. 1570.

Pax inter Danos & Svecos reſtituta.

Viciſſim Svecus octo naves bellicas cum tormentis, Dano durante bello, ereptas reddit, & pecuniæ ſummam adjungit. Retinet autem Daniæ Rex alias naves Sveco ereptas, & quæ Gryphiswaldiæ, detentæ fuerant, recuperat. Daniæ Rex omni juri & actioni in Regnum Sveciæ renunciat. Svecus viciſſim omni jure ſuo in Norvegia, Gotlandia, Hallandia, Scania, Bleckingia, & Daniæ ac Norvegiæ inſignibus in perpetuum cedit. Sveciæ Rex Daniæ Regi Jempterlandiam & Herdaliam cum jurisdictione Eccleſiaſtica reſtituit. Tres coronas, inſigne regni Sveciæ, uterque Rex uſurpabit; donec Cæſarea Majeſtas, Electoris Saxoniæ & Brandeburgi, cum JULIO Duce Brunſvicenſi, & *Georgio Johanne* Comite Palatino, in quos utrinque compromittetur, cognitis utriusque partis documentis & probationibus, uter meliori jure eas uſurpet, pronunciarent. Navigatio in Narvam Ruſſiæ portum utriusque Regis ſubditis & civitatibus ſecundum morem antiquum, libera permittetur. Captivi utriusque partis omnes ſine lytro dimittuntur. Prædia, quibus erepta ſunt in Dania, Norvegia, Svecia, & Livonia, reſtituuntur. Omnes libelli famoſi, ſub pœna capitis interdicti, in ignem conjici, jubentur. Conditiones pacis inter Svecos & Lubecenſes prolixe ab aliis recitatæ ſunt.

Hanc pacificationem lætis utrumque animis excepere Dani Svecique, utpote, qui tædio belli fracti ad lætiora tempora reſpiciebant, unde publice de ſuggeſtis in Daniæ paſſim urbibus, cum ingenti populi lætitia pax hæc eſt proclamata. Moritur inter hæc *Johannes Friſius*, Magnus Regis Cancellarius, qui inſigni munificentia Academiæ Haffnienſi ſubvenit, donatis in uſum pauperiorum ſtudioſorum duobus millibus Dalerorum imperialium.

Obitus Johannis Friſii.

MAGNUS interea Holſatiæ Dux Torpato movens, ad Moſchorum Imperatorem in urbem Mosquam profectus eſt, ubi omnibus captivis Germanis Moſchus libertatem, ipſo petente, donavit, & MAGNUM *Regem Livoniæ publice renunciari juſſit*, eumque inſtructum exercitu viginti quinque millium Ruſſorum in Livoniam remiſit. Is Revaliam obſidet, & miſſis in urbem literis ſe ad liberandam Livoniam cum exercitu adveniſſe teſtatur. Hortatur itaque Revalienſes, ut ſponte ſe ipſi, Principi Germano, conjungant, addens promiſſiones ampliſſimas ſi optemperent; & extrema mala comminans, ſi parere recuſent. Sed cum Sveci Civesque Revalenſes ſingulari fide & virtute urbem defenderent, ſequenti anno Ruſſi, incenſis caſtris, obſidionem ſolverunt.

Magnus Rex Livoniæ renunciatur.

Proximo dehinc anno, qui fuit milleſimus ſupra quingenteſimum ſeptuageſimus primus, denuo pax per regium fœcialem, in publicis platearum compitis Haffniæ clara voce eſt de-

A. 1571.

nunciata. Et Rex, ut in primis his regni ſui auſpiciis liberalitatem ſuam etiam erga Haſſnienſis Academiæ Profeſſores declararet, eorum Salaria ex bonis capituli Roſchildenſis inſigniter locupletari curavit. Funeſtum annum fecit duorum maximorum Principum obitus, JOACHIMI Marchionis & Electoris Brandenburgici, qui anni initio eſt defunctus, magna moderationis laude, dum res Imperii tractat, poſt ſe relicta, itemque DOROTHEÆ Reginæ, quæ uxor fuit CHRISTIANI III. Danorum Regis. Hæc ſub annum exeuntem menſe nimirum Octobri Sonderburgi in fata concesſit.

A. 1572. *Nova ſtella.* Annum inſequentem non ſine prodigio cœlum aperuit. Exorta eſt enim nova illa ſtella, ſtupendæ magnitudinis, in ſigno Caſſiopeæ, quæ tot eruditiſſimorum Mathematicorum ingenia fatigavit: de qua etiam exſtat maximi aſtrologi *Tychonis Brahe*, nobilis Dani, ſcriptum locupletiſſimum, qui eam non in aëre, aut inter meteora, ut voluit Schola peripateticorum, ſed in ipſo æthere conſtitiſſe, ac ſedem habuiſſe, ad oculum demonſtravit; Sed de his alibi a nobis memoratum.

Regis Friderici Nuptiæ. Eisdem diebus FREDERICUS II. Rex SOPHIAM ULRICI Ducis Megalopolenſis, ELIZABETHÆ amitæ ſuæ filiam, ſedecim annorum puellam, in matrimonium duxit, celebratis Haſſniæ nuptiis, quibus Saxoniæ princeps Elector AUGUSTUS, cum conjuge ANNA, Regis Sorore, ULRICUS Dux Megapolenſis ſocer & JOHANNES ſenior Holſatiæ Dux, Regis patruus, interfuerunt. Eſtque proxime die inſequente, ſubſecuta Reginæ coronatio, quæ inſigni cum pompa ac magnificentia Haſſniæ quoque eſt celebrata.

A. 1573. Proximo hinc anno, JOHANNES Moſchorum Dux, cum priora bella per legatos in Livonia geſſiſſet, ipſe cum duobus filiis, arcem Wittenſtein vi expugnavit, & inaudita ſævitia in captos graſſatus eſt. Poſtea Novogardiam cum parte exercitus rediit, & ſobrinam ſuam *Mariam, Andreæ* filiam, MAGNO Holſatiæ Duci in matrimonium dedit. *Sobrina Moſchi nubit Magno.*

Eodem tempore Hamburgenſes, qui multos jam annos in Albi, jus reſtringendi ſeu prohibendi exportationem frumenti ſibi vendicabant, aliquot Wilſtriorum & Crempenſium Marſorum, Regi Daniæ ſubditorum, navigia, per Storam fluvium in Albim, mare verſus frumentum vehentia, interceperunt, & Hamburgum duxerunt. Quapropter Rex Daniæ vicisſim omnes Hamburgenſium naves, in Helleſponto Danico, & alibi in regno ſuo deprehenſas, circiter triginta, areſto integrum ſexennium retinet, omniaque civium Hamburgenſium commercia in ſuis regnis impedit ac prohibet, de quo plenius deinde dicetur.

A. 1574. Inſequentem annum lætum fecit FREDERICO II. nata filia ANNA, quæ filiarum illi prima fuit, poſtmodum denupta JACOBO VI. Regi Scotorum, ac deinde magnæ Britanniæ, cujus illuſtriſſimus filius, CAROLUS I. ea regna feliciter tenet.

Ruſſi eisdem his diebus, anni jam memorati 1574. in Livonia, ad Revaliæ usque portas excurrentes, omnia vaſtant. Nec melior fuit popularium ac ruſticorum conditio ſub Livonis Equitibus, qui rapinis & licentiæ aſſveti ne ſuis quidem pepercerunt, ſed ſumma immanitate cuncta deripientes tota ea æſtate bacchati ſunt, & ad extremum Hapſelam, Lodem, & Lealem arces, quos pro ſtipendiis exactis ab JOHANNE rege Sveciæ traditas acceperant, Daniæ regi octoginta aureorum millibus vendunt: quod provinciæ detrimentoſum, emptori vero infructuoſum fuit. Nam paulo poſt Ruſſi, licet pacem cum Daniæ Rege haberent, Lodem, Lealem, Vikelam, & ipſam tractus illius metropolim Hapſelam, præſidio ac comeatu inſtructiſſimam, flagitioſa præfectorum, ſive ignavia, ſive perfidia, deditione capiunt. Propter has injurias Danis illatas fœderatio, quæ inter Danum & Moſchum aliquandiu duravetat, veluti rupta videbatur. Qua propter placuit optimo Regi FRIDERICO II. omnia prius verbis quam armis experiri. Miſſa itaque eſt inſignis legatio ad Ducem Moſchorum BASILIUM, cui præerant viri nobilitate inſignes, *Gregorius Ulſtand* de Eſtrop, *Arnoldus Ugerup* de Urup, *Paulus Werniken* & *Jacobus Ulfeld* Secretarii, quorum hic eandem legationem brevi hodæporico, quod eſt in manibus, illuſtraſſe putatur. Hæc dum durat legatio, quæ fere biennii tempus abſumpſit, reſponſum poſtremo ipſis a Moicho redditum, neſciviſſe ſe arces illas, quæ hoſti ſuo Sveco paruerint, in Dani poteſtate eſſe, & ſuos a Danico in Oſilia vicario antea irritatos fuiſſe. Sicque multis exantlatis moleſtiis & adverſitatibus incolumes ac ſalvi in patriam redierunt, exactis milliaribus maritimis 244. terreſtribus vero 566. lætique Regem ſalutarunt, auctum jam filio primogenito, qui hodie feliciter paterna regna moderatur, CHRISTIANO IV. *Legatio ad Moſchum.*

Et licet quietæ eum in modum res ibi viderentur, injecta tamen eſt ſuſpicio Daniæ & Sueciæ Regibus, ex novis ERICI Brunſuicenſis nuptiis, qui, priore conjuge paulo ante mortua, DOROTHEAM CAROLI Lotharingiæ Ducis Sororem, & CHRISTIERNÆ *Danicæ*, jus in illa regna multos jam annos vindicantis, F. Uxorem duxit. Daniæ Rex tunc in Oſilia, Livoniæ res gerebat, quam Moſchi incurſionibus infeſtabant: Sed controverſia orta inter vicarium Regis Daniæ, & MAGNUM Saxoniæ Ducem, Sveciæ Regis ſororium, de Mona inſula, quam uterque ſini vendicabat, & Saxo quidem Sonneburgenſis arcis, Danus Arnsburgenſis appendicem eſſe contendebat, capto interim a Saxone Daniæ Regis vicario, Parnovienſes omni auxilio deſtituti deditionem Moſcho ad extremum fecere. MAGNUS Saxoniæ Dux, cum in Sveciam revertiſſet, Daniæ Regis vicarius, tunc carcere emiſſus, arcem Sonneburgam, cujus *Nuptiæ Dorotheæ Lotharingicæ, Duce Brunſvicenſi.* *A.* 1575.

burgam, cujus causa tot turbas MAGNUS excitaverat, obsidet, & fortuitum ea conjiciente incendium, diffugientibus præsidiariis, ea potitus est, Sveco eadem felicitate, qua Osiliæ partem occupaverat, ejus possessione dejecto. Metus autem novarum rerum ex ERICI & DOROTHEÆ nuptiis paulo post conquievit, cum *Petrus Oxus*, præcipuæ inter Danos auctoritatis Eques, qui annos fere decem apud CHRISTIERNAM DOROTHEÆ parentem exulaverat, eamque adversus FREDERICUM Daniæ Regem incitare credebatur, belli Svecici occasione Daniæ Regi reconciliatus, paucis a nuptiis illis diebus Fridericiburgi aqua intercute extinctus est. Is multis honoribus domi auctus, ac Regiæ aulæ Magister, Daleros mille in usum Academiæ Hafnienſis, & totidem in alios egenos ante obitum, ut suam munificentiam publice demonstraret, legari curavit.

Petri Oxi obitus.

A. 1576. Proximo hinc, qui insecutus est, anno, cum quinquaginta anni exacti essent, quibus FREDERICUS I. Rex Bornholmiam insulam, in mari Balthico positam, Lubecensibus, pro belli sumptibus de quibus ante memoratum, fruendam concesserat, ea nepoti ejus, de quo agimus, FREDERICO II. bona fide est restituta.

Bornholmia Regno Daniæ restituta.

Inter hæc domi haud defit maximus Regum etiam artium optimarum curam gerere. Etenim per hoc tempus illustri & nobili Viro *Tychoni Brahe*, insulam Venam eo fine inhabitandam ac posidendam concesit, ut ibi Philosophiæ studiis, & imprimis astrorum contemplationi, ad artis instaurationem, invigilaretur. Unde continuo extrui ibidem Uraniburgum, insignem arcem, in insulæ meditullio *Tycho* fecit: ubi ille pluribus annis hujusmodi observationibus cœlitus deductis, artem illustrare cœpit, quæ scriptis ejus, æternis monumentis mandatæ, omnibus artis hujus cultoribus summo hodie usui esse deprehenduntur.

Uraniburgum exstructum.

A. 1577. Funestum annum reddidit MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris obitus, cui proxime succesit filius RUDOLPHUS. Sed ut obitu Cæsareæ Majestatis minus lætus fuit iste annus, ita oppido lætum atque optabilem insequentem habuit Rex FREDERICUS, nato sibi filio primogenito CHRISTIANO IV. sub anni initium, qui fuit duodecimo Aprilis.

Christianus IV nascitur.

Per idem hoc tempus Helsingoræ oppido, quod ad Oresundæ fretum est situm, Croneburgi arcem adjicere atque e fundamentis educere in præsidium istius freti Rex cœpit. Est hæc arx insigni, ac tanti operis firmitate ad fauces istius Propontidis collocata, ut inter inexpugnabilia habeatur. Penditur hic regium telonium, quod vulgo Oresundæ appellatur.

Croneburgi ex.

Hærebat per hos dies ad obsidionem Gedani STEPHANUS BATHORIUS Poloniæ Rex: quo tempore captato Moschus MAGNUM Holsatiæ Ducem cum exercitu ad Revaliam in Livonia obsidendam misit, sed civibus ac præsidiariis, qui a Sveco erant impositi, strenue se defendentibus, Moschi irrito conatu inde discesserunt. Postea cum pleræque urbes se ultro MAGNO dedidissent, easque ille proprio nomine in fidem adegisset, indignatus Moschus cum valido exercitu in Livoniam intrat, viamque illi MAGNO patefaciente, acceptisque deditione Marienhausio, Ludsenio, Duneburgo, aliisque locis, Ascherotum usque sine maleficio penetrat, ut initio rerum gerendarum clementiæ famam colligeret. Ascherotum magnus utriusque sexus ac conditionis hominum, inprimis matronarum ac virginum numerus confluxerat; quo potitus Moschus, omnibus, qui arma ferre possent, trucidatis, imbellem sexum Tartaris promiscue constuprandum objecit. Inde exercitus Vendam progreditur, ubi cum oppidani, ad tantæ immanitatis famam territi, portas clausissent; MAGNUS deprecator pro iis egressus est, & genitus supplex advolutus pro gratia convicium, etiam verbere in os ab ipso Principe ingesto, excepit. Qua injuria MAGNUS ab eo alienatus, postea defecit, & in diœcesim suam Curonensem concesit.

Moschus in Livonia grassatur.

Proxime qui insecutus est annus, millesimus supra quingentesimum septuagesimus octavus, ERICUM Sveciæ Regem, quem frater uterque JOHANNES & CAROLUS vivorum quasi consortio jam ante sustulerant, etiam vita & humanis privavit. Etenim postquam eum arctissima custodia intra Orbovi apud Finlandos arcem compegissent, isto tempore eodem loci spiritum efflavit. Edidere continuo Sveci, eo defuncto, Holmiæ articulos, sive capita viginti tria, quibus causam captivitatis hujus ac privationis regni prolixe declarant, sed ea alibi & suo loco legi, quam hic repetere satius duco. Sub anni finem, qui fuit trigesimus Decembr. in publicam lucem prodiit alter Regi filius Princeps ULRICUS, magnæ spei juvenis, nisi ei fata breviorem vitam concessissent.

A. 1578.

Erici Regis Mors.

Hamburgenses, de quibus ante memoratum, anno statim proximo millesimo supra quingentesimum septuagesimo nono, cum jam totum sexennium, Regis Daniæ mandatu, a portubus Daniæ, Norvegiæ, & Finlandiæ, maximo negotiantium civium damno, excluſi fuissent, Flensburgum missis legatis cum Rege transegerunt, interventu AUGUSTI Saxoniæ septem viri, & ULRICI Ducis Megapolensis, his fere conditionibus; ut naves eorum liberas dimitteret; novum vectigal sali impositum remitteret, iisque in gratiam acceptis libertatem commerciorum in suis provinciis, qualem a prima transactione anni 1562. habuerunt restitueret. Quas conditiones illi, in grati animi testimonium, quinquaginta millibus Joachimicorum, in quinquenium dependendis, redemerunt. De altera controversia, quæ ad liberam Albis navigationem pertinet, ad conventum proximo

A. 1579.

Hamburgenses cum Rege Daniæ transigunt.

anno Kielæ instituendum rejectum negotium; ad quem & cæteri Holsatiæ Principes, pro jure quisque suo, convenirent; interim utraque pars jura sua illibata citra violentiam aut maleficium in Albi retineret.

Illius igitur inter Hamburgenses & Holsatos controversiæ nomine, quæ in annum proximum, ut dictum rejecta fuerat, ut Chilonii decideretur, hoc tempore, anno millesimo quingentesimo octogesimo solenniter conventum est; sed, qvam ob causam, non additur, re infecta recessisse arbitros reperio.

A. 1580. Iisdem diebus JOHANNES senior & ADOLPHUS Holsatiæ Duces Ducatum Slesvicensem, de quo sæpenumero inter Holsatos & Daniæ Reges superioribus temporibus fuerat disceptatum, Othoniæ apud Fionios a Rege FREDERICO II. solenni ritu sub dio acceperunt, ejus esse ducatus illius investituram pro more agnoscentes, simulque fidem & subjectionem debitam, ut regni beneficiarii polliciti fuerunt.

Hæc Othonienſia apud Fionios comitia, in quibus hæc acta, alii ad annum præcedentem referunt; quamvis etiam alii annum hunc ipsum octogesimum ponant. Id constat, obiisse Haderslebii secundo Octobr. anni hujus octogesimi JOHANNEM seniorem Holsatiæ Ducem. Is enim Princeps, ut vulgo celebratur, pius, clemens, beneficus, & Ecclesiæ ac Scholarum nutritius, postridie Cal. Octobr. Haderslebii, ut dictum, ex hac vita cœlebs migravit. Et porro, ne quid prosperum, aut lætum, quod Regiæ domui hoc tempore acciderit, omisisse videamur, nata est Regi sub ejusdem hujus anni initium qui fuit 3. April, AUGUSTA Principissa. De qua & ejus nuptiis alibi & suo loco cum Deo dicetur.

Johannes Holsatiæ Dux moritur.

Defuncto autem, ut diximus sine liberis, JO-
A. 1581. HANNE seniore Holsatiæ Duce, anno statim proximo, qui fuit supra millesimum quingentesimum octuagesimus primus, ditionem ejus ADOLPHUS frater & FREDERICUS II. Daniæ Rex, fratris CHRISTIANI III. filius inter se partiti sunt: Rege Haderslebiam, ubi sedem aulæ JOHANNES habuerat, & Rendesburgum: ADOLPHO cæteras Præfecturas obtinente.

A. 1582. ELIZABETHA Angliæ Regina, quod incidit in annum insequentem millesimum supra quingentesimum octogesimum secundum, ut se foris adversus hostes magis magisque firmaret, FREDERICUM II. Daniæ Regem, sibi jam olim charissimum, idque ob vetus studium, quod Pater CHRISTIANUS III. ei perpetuo detulerat, cum & de nuptiis cum ipsa pro filio FREDERICO clandestino ageret, in Georgiani ordinis Societatem cooptavit. Quam in rem *Peregrinum Bertium* in Daniam legavit, qui eum insignibus illis investiret. Rex Daniæ torque rosato collum circumdari, & tibiam periscelide substringi lætanter admisit; cætera insignia reponenda accepit. Induere vero

Angliæ Regina Daniæ Regi periscelidem mittit.

ea, quia exotica essent, & juramentum præstare omnino recusavit, quod idem jam antea feciſſet, cum in S. Michaelis ordinem a Galliæ Rege conscriberetur.

Domi interea non omisit Rex utiles admodum ac necessarias de rebus urbanis constitutiones promulgare, ut de matrimonio aliisque ejusmodi. Obierunt autem per id tempus, quod hoc loco silentio prætereundum non est, duo insignes Poetæ; alter Danus, alter Scotus. *Erasmus* enim *Lætus*, præter exantlatos in publica professione labores, etiam poæsi excelluit. Eam præcipue ostendunt quatuor de re nautica libri, & undecim rerum Danicarum Heroicis versibus typis editi: cætera *Gesnerus* prolixe recenset. *Buchanani* nomen & opera, sive historiam, sive poæsin videamus, mundo nota sunt; de quibus hoc loco silere, quam paucis dicere, potius erit.

Erasmus Lætus, Georgius Buchananus.

Hinc proximo, qui insecutus est anno mille- *A.* 1583.
simo supra quingentesimum octogesimo tertio, tanta per Boreæ hæc regna pestis sæviit, ut in Dania, solaque in urbe Haffnienſi sublata fuerint hominum novem millia, apud Malmogios septingenti, Helsingoræ mille ducenti. Litaniæ tum passim ac publice preces per oppida ac pagos indictæ, ac magna solemnitate ac devotione habitæ. Inter quæ mortalitatem quoque compleviſſe apud Livonos reperio, Holsatiæ Ducem MAGNUM FRIDERICI Regis fratrem. Hic, ut antea memoratum est, Livoniæ Rex a JOHANNE Moscho dictus, & honestatus affinitate illius, tandemque ab eodem injuriis cumpluribus acceptis, discedens, in diœcesin suam Curonensem postquam se recepisset, placide ibi defunctus, in fata, ut memini, concessit. Eo mortuo pars Nobilitatis Polono, pars Dano diœcesin deferebat. *Johannes Beberus*, qui Danicarum partium erat, eoque nomine ad Daniæ Regem legatus fuerat, a quibusdam Polonis, sine Regis, ut jactabatur, mandato obsessus, gnaviter se defendit. Tandem duo Reges, ne res armorum violentia exacerbaretur, in FREDERICUM Borussiæ Ducem, de causa amice transigenda, consenserunt.

Magnus Holsatiæ Dux moritur.

Lubecenses superiori anno, suo & fœderatarum civitatum maritimarum nomine, apud Imperatorem questi fuerant de Rege Daniæ, quod is vectigalia in Hellespontο suo & alibi supra modum augeret. Rex, ut eorum offensionem & accusationes se non magnificare, nec Imperatorem judicem agnoscere ostenderet, vectigal novum, quod de sale pendebant mercatores, a Lubecensibus duplicatum exegit. Cum autem hac æstate ULRICUS Dux Megapolitanus, Regis Daniæ socer, Haderslebiæ eum inviseret, & de Rostochiensium contumacia ipsi questus esset, Rex Lubecenses in gratiam receptos, rursum æquo cum cæteris civitatibus onere vectigal solvere permittit. Deinde Rostochiensium naves & merces omnes, in Hellespontο & aliis regni suis portubus, aresto retinet, literisque ad Senatum datis

Lubecenses & Rostochienses cum Rege pacisc untur.

tis ostendit, sed omni commerciorum jure in suis regnis eos tantisper prohibiturum esse, donec ULRICO Principi, socero suo, in omni legitime satisfeciissent. Senatus Rostochiensis hac necessitate adactus a Principe suo literas ad Regem intercessorias petit, & omnes transactione controversias componi, per delectos ex consiliarii provincialibus, orat. Sed post tres demum menses tractatione, Gustrovii instituta, tandem exeunte Februario anni insequentis de omnibus transactum est.

Princeps Johannes nascitur.

Exhilaratam per idem tempus Regiam reddidit natus FREDERICO Regi JOHANNES Princeps, illustris, qui post obitum patris, postquam destinatus esset gener Moschoviæ Duci, & annos ultra viginti provectus, ubi Narvam cum regia classe appuliisset, ac mox in ipsam Moschorum urbem lætus advenisset, repens eum morbus invasit, atque ex humanis, in ipso ætatis flore abripuit.

A. 1584.

Per hæc tempora qui fuit annus supra millesimum quingentesimus octuagesimus quartus, postquam Rex FREDERICUS *Georgio Farensbeco* homini militari ac bellis pluriſariam exercitato, citato, Osiliam insulam ad vitæ tempus præsidendam concessisset; ac multa interea intercedissent, quæ dubiæ fidei *Farensbecum* redderent, tandem, cum aulæ regiæ Marescallus aliquandiu fuisset, Daniæ Rex misso in Osiliam legato, Arensburgum arcem sibi restitui, vel quatuor nobilibus illius provinciæ custodiendam tantisper tradi flagitabat, donec coram rege & senatu regni *Farensbecus* legitime se purgasset. Cum autem, se nondum audito, feudum sibi eripi *Farensbecus* deprecaretur, & arcem novis præsidiis, sibi juratis, muniret: majores indignationum flammas Rex concipiens, novos commissarios cum classe armata in Osiliam mittit, quibus post sex dierum tractationem, arx patefacta ac tradita est, & nobilitas totius provinciæ supplex agnoscere culpam fidei erga Regem violatæ & juramentum fidelitatis novum præstare coacta est, quod prioribus commissariis Regiis contra *Farensbecum* non adjunxisset.

Rex Farensbeco Osiliam adimit.

Quæ dum ibi aguntur, domi magna pompa ac solennitate habita ac celebrata est inauguratio CHRISTIANI IV. qui ab omnibus regni ordinibus in Regem Daniæ electus est, ac Successor post Parentem declaratus. Quæ omnia cum seorsim ac peculiari scripto comprehensa habeantur, hic indicasse sufficiat. Laudabilis quoque opera, iisdem his diebus, præstita ab Islandis Episcopis, qui sacra Biblia, Regio jussu, in suam linguam transtulerunt, ac typis egregie descripta evulgari curarunt.

Christianus IV. Rex eligitur.

A. 1585.

Curolandiæ diœcesis negotium, de quo ante memoratum, hoc tempore, qui fuit annus millesimus supra quingentesimum octuagesimus quintus, eo deductum est a GEORGIO FREDERICO Borussiæ Duce, ut persolutis a se Daniæ Regi triginta millibus Joachimicorum, ipsi fruenda a Poloniæ Rege attribueretur. Secundum hæc missus a FREDERICO legatus mense quintili, qui diœcesis subditos fidei jurejurando solveret, eamque Poloniæ Regi traderet; qua ita accepta *Radevilius* Cardinalis Ducem Borussiæ in ejus possessionem nomine Poloni, misit.

Transactio de Curolandia.

Per eosdem hos dies anni, qui fuit supra millesimum octogesimus sextus, FREDERICUS Daniæ Rex, a Rege Navarræo de auxiliis adversus Guisianos reformatam religionem in Gallia armis delere, & jus successionis regni, Navarræo per Pontificem excommunicato ereptum, sibi vendicare molientes, sollicitatus: legatos ad HENRICUM Galliæ Regem misit, & in his *Bredonem Rantzovium*, qui pacem Religioni reformatæ, superioribus annis a Rege datam, servari, & Navarræo ac sociis vim, religionis nomine nullam inferri peterent. Idem rogaturi Electores & alii Principes Evangelici *Fredericum* Comitem Wirtebergensem & collegas postea in Galliam ablegarunt: Regis Daniæ legatis Rex Galliæ respondit, se in bonam partem amicissimi Regis admonitionem accipere. Verum se vicissim Daniæ Regem rogare, ne motibus illis in Gallia excitatis nimium commoveatur, aut se immiscat, se exspectare a Deo mediocrem hujus tragœdiæ exitum, & a se, sopiendis his malis, ea adhibitum iri remedia, quæ a Christianissimo & pio Principe adhiberi debeant & possint. Reversis ex Gallia Legatis suis, Daniæ Rex cum Electore Saxoniæ CHRISTIANO fororis suæ Filio Brandenburgensi JOHANNE GEORGIO & aliis aliquot Principibus Lüneburgi conventum instituit; in quo *Jacobus Sigurius*, Regis Navarræ legatus, auxilia sua Domino, undique a Rege Galliæ & Pontificiis confœderatis, oppugnato, flagitavit. Quæ Daniæ Rex fideliter & mature præbenda: Electores vero suorum ad Regem Galliæ legatorum reditum exspectandum, ac ex responso illis dato consilium capiendum esse censuerunt. Angliæ etiam Regina per legatos, Gubernatorem suum in Belgio, bis mille equitibus & aliqvot millibus peditum, in Saxonia conscriptis, juvari petiit. Ac cum Daniæ Rege antea egisse dicebatur, ut is aliquot mensium stipendia numeraret. Qua spe multi, ex Hossatia præcipue, equites adducti, promptius nomina sua *Frederico Rantzovio* equitum tribuno, nomine Comitis Morsiani, quem Angliæ Regina Imperatorem copiis illis præfecerat, dederunt: ac statim post solutum Lüneburgi conventum copiæ in vicinia colligi cœperunt.

A. 1586.

Daniæ Regis Legatio ad Galliæ Regem.

Lüneburgensis conventus.

Ex Dania in Angliam a Rege missus qui venerat, *Henricus* Ramelius fuit, in Germanicis Cancellarius, vir ut genere, ita illustri doctrina. Is militari apparatu, sclopetariorum satellitio stipatus, propensam Regis Danorum

Legatio ad Angliæ Reginam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

norum erga ELIZABETHAM voluntatem, & orbis christiani pacem defuse declaravit. Illa benignissime audivit, crebros cum eo sermones habuit singulari cum humanitate hominem complexa, piumque Dani animum imprimis laudavit. Respondit autem per Baronem *Burghleium* Thesaurarium, *Carolum Howardum* Admiralium, *Henricum* Baronem Hundsdonium, Camerarium, & *Fr. Walsinghamum* a secretis; nihil sibi magis in votis esse, quam pacem, in qua nihil sit insidiarum, cum vicinis Principibus colere; perspectis autem Hispani in ipsam molitionibus, non posse suæ saluti non prospicere, veram Christi Religionem tueri, & privilegia fœderatorum vicinorum sarta tecta conservare. ELIZABETHA igitur quæ, extrema necessitate victa, Belgii patrocinium susceperat, cum damnosi illius belli nullum finem videret, pacis rationes iniri peroptaverat, &, cum id per se non posset, per FRIDERICUM Daniæ Regem sermones de ea injici curaverat. In eam rem *Cajus Rantzovius* a Rege FREDERICO ad PHILIPPUM Hispaniæ Regem missus, cum hæc capita proposuisset; ut Rex Religionis libertatem, & jura, libertates, ac privilegia antiqua Belgiis permitteret, Anglorum Reginam indemnem, cautione & fidejussoribus datis, præstaret; a PHILIPPO responsum tulerat, quantum ad Religionem, prorsus recusare, de cœteris velle ac permittere, ut Daniæ Regis ac Parmensis arbitrio decerneretur. Itaque legatus cum ad Parmensem venisset, in comitatu Hispanorum a Bergosomensibus præsidiariis inter Namurcum ac Bruxellas capitur, ac omni re spoliatus cum literis ac mandatis Hagam ad Ordinum delegatos mittitur. Ibi de injuria graviter conquestus, quæ sibi de pace legato facta essent, quid cum PHILIPPO & postea cum Parmensi, Regis sui jussu, fecisset, exponit. Ad hæc Ordines rei ignari se excusare, nunquam a FREDERICO fœderato Rege, & cui multis nominibus alioqui devincti essent, id officii requisivisse, neque de pacis rationibus cum Hispano ineundis cogitasse, & subesse gravissimas causas, ob quas de pace agere summe sibi detrimentosum existiment. Ita dimissus, utcunque resarcito damno *Rantzovius* erat; qui ubi domum rediit, Regi quid sibi venisset, renunciat. Is vero pro officio maleficium rependi indignatus rem impatienter tulit, atque a fortuna oblatam occasionem ulciscendæ injuriæ minime prætermisit. Ineunte vere hujus anni millesimi supra quingentesimum octuagesimi septimi, complures naves, quarum alii sexcentas, alii qui numerum augent, nongentas numerant, negotiationis causa ex Hollandia & Zelandia solverant, & cum Oresundam trajicerent, Regis jussu retentæ sunt, nec nisi exsolutis amplius triginta Dalerorum millibus postea dimissæ. Cumque Ordines ad eum legatos misissent, ut legati retentionem excusarent, iis Rex minime ad colloquium admissis significari jussit, damnum a legato suo acceptum ante omnia resarciri oportere, idque ei negari non potuisse. Deinde injuria sibi satis fieri, quippe *Rantzovio* violata literarum assertoriarum fide, epistolas ereptas ac resignatas, neque in facinoris authores ab Ordinibus animadversum fuisse. Cum hoc responso valere jussi Ordinum legati, quod admissi non essent, excusantibus Dani, quod Regi excipiendis Scotorum legatis intento audire Belgas minime vacaret. Memoratur Rex FREDERICUS acceptis Dalerorum hisce triginta millibus, eorum alteram partem Regi Navarræo, cujus nomine a *Jacobo Sigurio* non Principes tantum Germaniæ, sed Rex quoque FREDERICUS ad opem ferendam, ut ante memoratum, sollicitabatur, liberali manu donatam assignasse. Quod ego ut Seniorum qui tum vixere, relatione accepi, ita in medium relinquere, quam asserere malo.

1587. *Naves Hollandorum retinentur.*

Archidux Matthias in Dania.

Memorabile est circa idem hoc tempus Archiducem MATTHIAM, qui postea in fratris RUDOLPHI Imperatoris locum successit, ex Austria in Daniam excurrisse, ut Regem FREDERICUM Scanderburgi salutaret. Congressus ejus causam Chronologi quidem non referunt, maximi tamen momenti fuisse, inde colligere sit, quod a Rege honorificentissime exceptus, & ab eodem magna cum honoris ac studii significatione dimissus memoretur.

Sub hæc qui fuit 3. Octobr. ejusdem hujus anni, Rex FREDERICUS in prædio Neugart tentari primum morbo cœpit: qui etsi jugulum statim non petierit, lenta tamen ægritudine corporis vires ita prostravit, ut finem vitæ Rex instare præsentiens, totum se ad animi emigrationem comparavit. Tandem igitur omnibus, quæ ad morituros pertinent, pie sancteque compositis, in regia arce Andersoâ Selandiæ, magna omnium bonorum mœrore, Princeps magni animi, ac sinceri judicii, decessit, pridie Non. April. anni supra millesimum quingentesimum octogesimi octavi, ætatis quinquagesimo quinto, regni sui trigesimo anno ineunte: relictis compluribus liberis, ex SOPHIA, ULRICI Megapolitani Ducis filia susceptis, ex quibus CHRISTIANUS IV. Patri in Regnum successit undecennis, cui ob minorem ætatem sive tutores, sive primarii Consiliarii a Patre testamento attributi sunt, *Nicolaus Kaas* Cancellarius, *Georgius Rosenkrantzius*, *Petrus Munckius* maris præfectus, *Christophorus Valkendorphius*: usque summa regni cura, donec filius adolevisset, a sapientissimo Patre commendata est. Ejus funus postea Roschildiam lugubri pompa deductum, & corpus defuncti in sacello, ad latus CHRISTIANI III. Patris, & CHRISTIANI I. abavi, nonis Junii conditum est. Præsentia sua funus cohonestarunt, præter insignem Nobilitatem Danicam, & Regni Senatores, Professores, Concionatores alios.

1588. *Friderici II. obitus.*

Successor filius Christianus IV.

Ejus tutores.

Friderici II funeralia.

Præsentia Ulrici Ducis Megap.

aliosque, illustrissimus Princeps UDALRICUS Dux Megapolensis, defuncti Regis socer, & Principum Electorum, aliorumque Ducuum ac Dominorum legati amplissimi. Mox ad condolendum novo Regi de parentis morte missi a Germaniæ Principibus legati. Angliæ Regina mense Junio *Danielem Rogersium* eo misit. Paulo post sextili mense magnificam in Daniam legationem adornarunt Ordines fœderatarum Belgii Provinciarum, ad fœdus antiquum cum Danis renovandum & telonii, quod Belgis Oresundæ fretum transeuntibus nuper impositum erat, remissionem impetrandam; cui obeundæ destinati *Philippus Hogenlous*, Comes; Adjunctis *Florentio Brederodio*, & *Nicasio Sylla* Amsterodami Syndico, & *Conrado* J. C. Octobri ineunte *Stuartus JACOBI* Scotorum Regis nomine eodem officio defunctus est, & fiduciarias nuptias cum defuncti Regis ANNA filia contraxit, quæ anno sequenti celebratæ sunt.

Epitaphium a Jacobo VI. scriptum.

Epitaphium soceri sui JACOBUS VI. Scotorum Rex, cum haud multo post in Daniam, ad celebrandas cum filia ANNA pactas jam ante nuptias, advenisset, Roschildiæ in ædibus Doctoris *Nicolai Hemmingii*, ubi Hospitium illi erat designatum, ejusmodi conscripsit,

Expertus mundi vanas res esse, nihilque,
Hic quoque nunc jaceo pulvis & umbra nihil.
Sed qui de nihilo cœlum terramque creavit,
Me cum carne mea non sinet esse nihil.
Hac spe nil mortem feci: nihil omnia feci,
Nil nihili vermes posse nocere scio.

Cui ut proxime subjungeretur, dignum putavi quod sequitur.

Si magna Adonin flevit amissum Venus;
Si rosea nigrum Memnonem luxit parens,
Lacrimisque lessum filio fecit Thetis,
Et tristia ipsos fata tangunt cœlites:
An abstinere PATRIAM luctu gravi
Pudor vetabit, te ejus exstincto PATRE?
Quam sic amasti, cuique amatus unice,
FRIDERICE, quantum liberos suos Pater;
Suumque amare liberi possunt Patrem.
Te Dania atque Regio Cimbrorum ferax,
Te Scania, ultimæque Thules insula,
Mesto tremebant & Patrem & Regem metu:
Tibi DJ benigni cuncta largifica manu,
Dederant, quibus Natura mortales amat
Beare vel Fortuna: id unum neutiquam
Potuere, Regno ne relicto Patrio,
Proserpinæ nigrantem adires Regiam.
Sed fallor: alia Patria, jam tibi contigit
Mortalitatis ex soluto nexibus,
Cœlum, sed hac re Patria ab ista differens,
Quod te hæc suum suspexerit velut Patrem,
Quem prolem uti nunc illa diligit suam.

J. DOUSA, FIL.

Odium contra Librum concordiæ.

Quanta in Religionis negotio perpetua moderationis laude egerit, præter cætera, indicium sit liber concordiæ, quem ipsi Germaniæ nonnulli Theologi transmiserant, ut ei quoque subscriberet. At ille cum a Viris doctissimis & regni sui Theologis propius intellexisset, doctrinam in eo agitari a communi Christianitate minus receptam, librum (quod a fide dignis habeo) flammis ustulandum tradi maluit, quam ut dogma aliquod absonum suo calculo approbaret. Ex concilio quoque Tridentino *Comendonus* homo Italus, Lubecam profectus inde ad FREDERICUM Regem misit, qui deposceret comeatum accedendi ad eum, Pontificis mandata exponendi, & invitandi eum ad concilium. Verum ille respondit, neque cum parente suo CHRISTIANO, neque secum Pontifici quid quam unquam negotii intercessisse; nec proinde legationis ejus cognoscendæ cupidum esse. Quod ego addidisse his, fide hominis Itali, volui, qui sub nomine *Petri Svavis* Commentarium de concilio Tridentino nuperrime evulgavit, qui longe superat, quicquid ejusmodi eo in genere aut argumento scriptum hucusque habemus.

Et contra Pontificem ac Concilium Tridentinum

VI.

EXERCITATIONES HISTORICÆ

IN

JO. ADOLPHI CYPRÆI, MATTHIÆ BOETHII, NICOLAI HELUADERI, JO. POMARII, CASP. HOYERI, LAUR. ADZEN, MATTH. PAMPI, IVEN CNUTSEN, ADAMI TRAZIGERI, HENRICI BUNTINGII, JOH.

JOH. RANZOVII, PETERSENII, CARIONIS aliorumqve Annales, Autore PETRO SAXIO, ab Eydora Frisio, scriptæ A. 1657.

Dedicatio.

Clarissimo Viro Dn. LAURENTIO OVENO U. J. D. celeberrimo, Eideranæ & Heveranæ Frisiæ status Secretario & Advocato, Domino meo honorando & amico singulari.

Clarissime Domine Doctor,

Non mihi diu dispiciendum fuit, cui has meas Exercitationes historicas oblatum irem; cui enim potius, quam Tibi? qui rerum controversarum es optimus judex: Judica igitur, num bene in hisce controversiis sententiam meam interposuerim; judicium tuum admittam. Erat mihi in animo, plures historicos percurrere, eorundemque crassos errores notare, ubi non neminem non inexaminatum relinquerem; sed hac ratione deberem incurrere in odium hominum, quasi id facerem animo fugillandi. Subsistam igitur hic, & hæc pro tempore scripta sunto: Tu boni consules. Vive, & vale. Dabam Coldenbuttelii in ædibus Dranderfummianis, Anno 1660. die 12. Decemb.

T. studiosissimus

Petrus Sax.

I. In Annales Episcoporum, Slesvicensium, editos a JOHANNE ADOLPHO CYPRÆO a. C. 1634. notulæ.

Wilhadus Apostolus.

(1) Joh. Ad. Cypræus fol. 2. scribit, *sub* A. C. 788. a *Carolo M. in Saxoniam borealesque terræ partes ablegatum Wilhadum, & vitæ exemplo præluxisse gentibus & verbo:* Sed Nic. Helvaderus in silva Chronol. C. 18. f. 71. intra a. 714. & 764, tempore Regis Gormonis Wilhadum in Daniam venisse, & de fide in Christum docuisse tradit. Hoc verum, quod devictis Slavis & Danis, nimirum A. C. 781., primum Carol. Magnus pium & sanctum virum Heridagum ecclesiæ Hamburgensi præfecerit, quam ille omnibus Slavorum, Danorumque gentibus metropolim esse voluit.

Heridagus.

Willericus.

(2) *Fol. 4. Wilhardus, Willericus, sive Willaricus successit Wilhado A. C. 797. & trans-Albianas identidem peragrabat oras, ac rudes in cognitione divinæ veritatis fideique catholicæ doctrina erudiit:* Sed Jo. Petersen Chron. Holsat. fol. 4. ponit annum C. 791. Nic. Helvad. in S. C. C. B. fol. 72. a. C. 812. Cui credendum? Petersenio puto; quia Eridagus immatura morte præventus nec diu in officio fuit.

Transactio Caroli M.

(3) *Fol. 5. Transactio est facta inter Carolum Magnum & Gottfridum Regem Daniæ per utriusque consiliarios A. C. 800. vel paulo post.* Nec Helvaderus in S. C. C. B. f. 72. dicit, quod hæc transactio sit facta inter Carolum M. & Gottfridi fratrem Hemmingium a. C. 811, non vero Gottfridum, qui ferro domesticæ fraudis interiit a. C. 808. Et hæc relatio est vera.

Frotho Christianæ religionis promotor.

(4) *Fol. 36. Frothonem 6. Regem Daniæ in Anglia religione Christiana imbutum & baptizatum, dum eandem per Agapetum Rom. Pontif. introducere tentat, obiisse a. C. 896.* Sed Nic. Helvaderus c. l. f. 77. ita: *Danorum Frotho Rex cupit esse pius. Romanos mandat doctos a sede vocari.* Antequam vero legatus rediret, mortuus a. C. 889. Pant. Candid. in tab. Chron. Agapetum Rom. Pontif. scribit vixisse circa A. C. 940. Vide, quomodo hæc cohæreant. Nisi alia operatio fiat, tota strues historiarum Danicarum corruit. An Frotho post lapsum 51. annorum a die obitus redivivus factus?

Templum Heidebuy.

(5) *Fol. 38. Gormonem templum Heidebuy demolitum.* Nic. Helv. d. l. f. 77. Gormonem templum Slesvic. demolitum. Heidebuy & Slesvic. non sunt termini conventibiles, & ita postea sentit.

Unno Episcopus.

(6) *Fol. 42. Unnonem Episc. a. C. 917. electum* Joh. Peters. in Chron. vero a. C. 918. Iste: mortuum Unonem esse a. C. 935. Hic mortuum a. C. 936. Et recte hic sentit, ut ex Adamo Bremensi apparet l. 1. c. ult.

Adaldagus.

(7) *Fol. 56.* Adaldagus non a. C. 946. Episc. electus, sed statim post obitum Unnonis a. C. 936, ut recte notat Petersenl. c. f. 7.

Angli unde?

(8) *Fol. 60. c. 9. Qui Britanniam occuparunt, fuerunt ex Holsatia, Wagria & ducatu Slesvic.* & provocat ad autoritatem & testimonium Bedæ, qui lib. 1. c. 15. ita scribit: *Angli de patria illa, quæ Anglia dicitur.* Sed minus apte: Beda enim dicit, illos esse oriundos ex Anglia, quæ est inter provincias Vitarum & Saxonum. Quomodo hæc sint intelligenda, explicat M. Boëth. in cataclysmo Nordstrandico.

Poppo.

(9) *Fol. 79. Poppo natione Danus, vir sanctus & sapiens.* Sed Nic. Helv. l. c. f. 79. refert, esse illum Juthonicum australem ex Frisia Septentrionali. Vide uberius de præcipuis reb. gestis Fris. sept. lib. 6.

(10) *Fol. 115.* Joh. Ad. Cypr. & Nic. Helvad. l. c.

Ericus Rex. l. c. de Regibus Daniæ inter se discrepant, ita ut hic istum superet numero 6. Ericus enim 3. est isti Rex Daniæ 74; huic vero 81.

Sacellum inundatum. (11) *Fol. 137. Sacellum ligneum in Cleva, inundatione quadam eversum A. C. 1114. & instaurata Gardinga in honorem divi Bartholomæi.* Dissentiunt annales Eyderstadenses MSC.

(12) F. 106. *Ericus germanus frater 5. Canuti.* Nic. Halvad. l. c. f. 84. ita: Uterinus frater Ericus 5. Canuti.

Canum Canuti. (13) Fol. 215. *Canutus evivis excessit a C. 1203.* Sed Nic. Helvad. nominat A. 1202. d. 11. Nov.

Woldemari, (14) Fol. 254. *Woldemarum mortuum esse* a. C 1245. Helvaderus autem habet annum 1242. d. 27. Maj. Isti Woldemarus est Rex Daniæ 82, huic 90. Interiit a. C. 1244. Sed Baronius citat a. C. 1251. Helvaderus A. 1252. Vesperi Laurentii, & quidem rectius, cum tamen biennium regnaverit. Adeo vix duos invenies, qui unum sentiant.

Regum Daniæ. (15) *Fol. 254. S. Ericus leges regni Danici promulgavit a. C. 1244.* Helvaderus inquit a. C. 1240. & id factum a Waldemaro secundo, cum quo consentiunt omnes historici. Neque verum, quod Abel Dux Sleswicensis factus A. C. 1232; cum Waldemarus secundus vixit ad a. C. 1242. d. 27. Maj., & iisse per præfectos ducatum Sleswic. gubernavit, teste Helvad. f. 107.

Abelis. (16) *Fol. 260. Abel Rex Daniæ factus a. C. 1250.* Sed recte Helvaderus f. 88. a. C. 1251.

Exercitus Abelianus. (17) *Fol. 262. Convocatus exercitus Abelianus a. C. 1253.* Omnes Hist. & MSta Eyderst. vulg. & comm. vetusta testantur, convocationem factam a. C. 1252. Neque urbs vocatur *Medelburgum*, sed *Milderburg*, a fluvio Milda.

Eiderstadium subjectum. (18) *Fol. 266. Eyderst. se subiecisse Canuto Duci Sleswicensi. qui illos in clientelam & fidem recepit.* Non satis mirari possum, cur optimus historicus cum vulgo maluit errare, quam diligentius inquirere in historias. Et video, hic magnos viros hallucinari. Crede mihi, non vixit Canutus aliquis sive Rex Daniæ sive Dux Slesvic. post Abelem in acie occisum. Provoco ad seriem Regum Danicorum, & ipsam genealogiam, quam author cypricatus est, & omnes alios saniores historicos.

Ericus Rex Dan. (19) *Fol. 281. Ericum a. C. 1259. regnum Dan. adeptum: Sed* Helvaderus a. C. 1256. ponit rectius.

Arcis Gottorpiensis permutatio. (20) Fol. 284. *Nicolaum Episc. permutasse arcem Gottorpiensem cum Erico Duce Slesvicensi.* Nic. Helvaderus f. 109., Regis Abelis filium Waldemarum permutationem hanc instituisse a. C. 1260. cum Episc. Bundone. Hæc non conveniunt. Atque hinc videre est, quod judicandum sit de eo, quod postea subjicit fol. 286. Bundonem Episcopum creatum fuisse a. C 1270. cum ante annum 1260. fuerit inauguratus. Quodcunque alienum a veritate habet speciem falsitatis.

(21) Fol. 292. *Ecclesiam Alver primum in Rungholt sitam, deinde mari, quo alluebatur, absorptam.* Ego certissime adducor, ut credam, hoc nomine Alver significari Alversum in Eyderstadia; putant enim exteri & omnes hujus alluvionis ignari, omnes paræcias, quæ inundatæ & a mari quassatæ sunt, sitas fuisse in Rungholt, cujus nomen apud peregrinos mirifice decantatur. *Ecclesiæ Alver.*

(22) Fol. 296. Quam misere hic extra limites vagatur optimus historicus? Primo dicit, *datas esse literas privilegii A. C, 1289.* postea, Ericum obiisse a. C. 1286. si mortuus Ericus a. C. 1286. quomodo privilegia conferet a. C. 1289? nisi subsit vitium typographicum. Neque hæc, quæ annectuntur, sunt vera de Erico patre, sed de Erico filio ille enim sancivit optimas leges & statuta. Corrigenda est igitur hæc imprudentia. *Erici privilegia.*

(23) Fol. 297. *Ericus VIII. Rex Daniæ 87.* Sed Helvadero est Rex Daniæ 95. Isto volente Rex factus est a. C. 1288; Hoc teste Rex factus a. C. 1287. *Ericus VIII.*

(24) Fol. 311. *Christoph. Regem Daniæ obiisse a. C. 1333,* quod & confirmat Petersen l. c. Helvaderus vero l. c. f. 90. A. C. 1331. substituit. *Christophorus.*

(25) Fol. 338. *docet 30 paræcias a. C. 1362. interiisse.* Sed Matth. Boëth. l. c. Iven Cnutsen & annales Eyderst. citant annum 1300. d. 16. Jan. & quidem recte. *Inundationes Eydorostadenses.*

(26) Fol. 339. *In præpositura Eyderst. submersa est paræcia Jonfleet.* Ego puto, hoc nomine Jonfleet indigitari Syvertsfleet, propter cognationem vocis: fuit enim hic locus olim habitabilis & vallo maritimo circumdatus; cui rei indicio sunt putei, tabulæ, trabes sub terra effossæ, viarum fossarumque vestigia; Joh. Schultze in chron. *Paræcia Jonfleet.*

(27 Fol. eod. *In præpositura Strandensi Ilgroff, Brunock, Stintebül non interierunt isto tempore, sed partes quædam harum adhuc superfuerunt ad a. C. 1634.* Ut & in Pelworm, Harda, Hoge, Balum; in Beltring. Harda adhuc remanent Habel Grode. Alia harum paræciarum nomina recenset Matth. Boëthius l. c. cui ego adstipulor. *Præposituræ Strandensis.*

(28 Fol. 368. *Christoph. Rex Dan. factus A. C. 1439.* Postea fol. 370. *quod sit Rex Daniæ factus A. C. 1443.* Sed Helvad. habet A. C. 1443. Iste quod Christoph. sit mortuus A. C. 1440. hic a. C. 1448. cum quo facit Petersen. Quam male hæc cohærent. *Obitus Christophori R.*

(29) Fol. 375. *Christianus Rex Daniæ A. C. 1449.* Helvaderus A. C. 1448; consentit Petersen d. l. Juxta hunc mortuus est a. C. 1481. d. 2. Maji. Juxta Helvaderum A. C. 1482. d. 22. Maj. *Christiani Regis.*

(30) Fol. 404. *Christianus 2. Rex Dan. 96;* sed Danicis scriptoribus & Helvadero est 104. *Hic quotus ordine?*

De Vindiciis pro Rege Chriſtiano II

(31) Fol. 406. usque 414. Egregie commendat *Chriſtianum 2.* Regem Daniæ & omnem injuſtitiæ & tyrannidis culpam ab ipſo removet; quod tamen cum D. Chytræi, Joh. Peterſenii, Nic. Helvad. Lubec. Hamburg. & Cor. Triumph. Sveciæ chronicis pugnat, quæ unanimiter teſtantur Chriſtianum 2dum fuiſſe maximum tyrannum, juſtiſſimas dediſſe pœnas & jure excidiſſe de ſolio poteſtatis.

quo anno natus?

(32) Fol. 429. *Chriſtianum natum d. 13. Aug.* Rectius vero alii diem 12. Aug. deſignant.

Diſſenſus varii genealogici.

(33) Fol. 430. *Chriſtianum Ducis Sunderburgi natu maximum in lucem editum A. C. 1572. d. 17. Jan.* Helvaderus habet d. 25. Nov. A. C. 1570. Ille Joh. Adolph. fratrem natum A. C. 1576. d. 17. Sept. Hic d. 16. Sept. A. 1576. Ille; Anna nata d. 17. Aug. A. C. 1577; hic d. 8. Oct. A. C. 1577. Ille Sophia nata d. 13. Aug. A. C. 1579; hic d. 5. Aug. A. C. 1579. Confunduntur hic filii & filiæ, & omiſit natalem diem Alberti, qui natus A. C. 1585. d. 16. Apr. Ille, Sabina nata A. C. 1593. d. 2. Mart; Hic d. 7. Mart. A. C. 1593. Neque Eleonora & Anna Sabina ex priori conjuge, ſed ex altera Agneta Hedwiga, natæ ſunt. Dorothea Sybilla non nata A. C. 1579. d. 13. Mart. ſed 23. Mart. Bernhardus non 1. Apr. A. C. 1601. ſed 31. Mart. A. C. 1601. Agnes Magdal. non nata A. 1607. d. 9. Nov. ſed d. 7. Novembr.

Chriſtianus R. quotus ordine? ejusq; nuptiæ quando?

(34) *Fol. 431.* Chriſtianus non Rex 100. Daniæ, ſed 108, & nuptiæ ejus non celebratæ 20. Nov. ſed 27. Nov. a. C. 1596. Item Chriſtianus 5. non natus A. 1603. d. 16. Apr. ſed 10. Apr.

Chriſt. V. quando natus?

(35) *Fol. 432.* Friderico Duci Slesw. Holſ. homagium præſtitum eſt A. C. 1616. d. 6. Sept., non vero A. C. 1617.

Homagium Duci Friderico præſtitum.

(36) Fol. 435-439. extat narratio, quæ continet talia, quæ apud neminem memini me legere. Et tantum de annalibus epiſcoporum Slesw. Joh. Ad. Cypræi.

II. In MATTHIÆ BOETHII de cataclysmo Nordtſtrandico commentariorum libros tres A. C. 1623. ed. collationes

Nordſtrandia inhabitata.

(1) *Fol. 16. Quamquam certo non conſtet, quando inſula (Nordtſtrandia) habitari cæpta ſit.* Anno trecenteſimo decimo vel paulo poſt ante Chriſtum natum occupata eſt hæc inſula Nordtſtr. a Friſiis. quorum reliquiæ adhuc ſuperſunt.

Helgolandiæ etymon.

(2) Fol. 22. *Edita illa rupes Helgolandia. Ita enim quidam hanc, non terram ſanctam, ſed ab Heligone quodam Principe denominant.* Cur non a Caſto nemore vel a ſancta terra propter idola Friſica, quæ ibi culta fuerunt?

Inſula Lundeberga.

(3) Fol. 23. *Qua orientem ſpectat inſula, Lundebergæ & Hattſtadiis olim juncta fuit; verum vi & injuria ſævientis pelagi avulſa eſt.* Aſt nunquam inſula ita Lundenbergio juncta fuit, ut fluxus & refluxus maris ibi non libere mearet ac remearet; lineam primum ducentibus Nordtſtrandienſibus tempore comitis Alberti A. C. 1400.

(4) Fol. 43. *Notiſſimum eſt, circa annum C. plus minus 400. mirando & quaſi fatali quodam motu omnes fere Europæ populos ſedes ſuas mutaſſe, & aut veteribus relictis novas ſedes quæſiviſſe ac occupaſſe aut novos advenas & hoſpites accepiſſe.* Et fol. 54. *plane igitur adducor, ut credam, quum Angli & Jutæ ſive Vitæ transmigrarunt in Bretanniam, majores noſtros in hanc Cherſoneſum adveniſſe.* Sed ego aliter ſentio, ut alibi docui. *Migratio Anglorum & Jutarum.*

(5) Fol. 26. *Friſios omnes Germaniæ eſſe indigenas.* Nulla gens in hoc mundo eſt indigena, & terra nulli hominum eſt propria, ſed omnibus communis; & proinde ſumus omnes advenæ, hoſpites, & peregrini, & aliunde venimus. *Friſii a Teutonibus oriundi.*

(6) Fol. 29. *Friſios ab ipſis Germanis ſeu THEUTONIBUS* trahere originem. Sit ita adde Angliones, Cimbros.

(7) 32. *Hiſtoriæ Danicæ ad annum Chriſti 800. Friſiorum meminere Cimbricorum.* Hiſtoriæ Danicæ ad annum 308. ante Chriſtum natum meminere Friſiorum Cimbricorum. *Friſii Cimbrici.*

)8) Fol. 55. *Horſum & Hengiſtum minime Friſios, ſed homines Danicos fuiſſe.* Udolphi filii Hengiſtus, & Horſus non Saxones, non Danici, ſed Friſii homines ſunt; Udolphus enim ille cognomine Haron erat ſeptimus & ultimus Dux Friſiorum. *Horſus & Hengiſtus Friſii.*

(9) Fol. 63. *Has provincias Saxo Sialandicus Friſiam minorem nuncupat.* Ita quidem Saxo Sialandicus ſive Grammaticus; Sed Corn. Tacitus, eas comprehendit ſub Friſia majori; hoc eſt illa Friſia, quæ hodie occidentalis dicitur; & illi Friſia orientalis eſt Friſia minor. *Friſia major & minor.*

(10) Fol. 78. *De altero freto inſulam ab Hattſtadianorum agris diſterminante fama memoriaque eſt obſcurior.* Non eſt fama memoriaque hujus freti obſcura: ortum enim illud eſt a. C. 1400. *fretum adiacens haud obſcurum.*

(11) Fol. 98. *Alveum Ouwicum non ante ſecula fuiſſe compluria &c. ſed A. C. 1300. extitiſſe & exciſum eſſe.* Nunquam ab hac opinione me divelli patiar, quin alveus Ouwicus iſte Huſienſis a τὸ, *dixit Deus, congregentur aquæ &c.* extiterit, quem iſtæ defluendo ad loca humilia cum quodam impetu exciderunt. *Alveus Huſienſis.*

III. Silvæ chronologicæ circuli Balthici a NICOLAO HELVADERO, Theol. & Mathem. Regio anno 1625. conſcriptæ errores.

In Præfatione.

(1) *Initium regni Danici tempore Davidis. A Dan usque ad Chriſtianum 4.*

Reges

Reges 110. Fol. 1. Dan. I. Rex Danorum regnavit a. mundi 2910. fol. 61. Rex Danorum Dan obiit a. mundi 1950. Fol. 63. a Dan ad Christum natum 25. Reges, præterlapsi 1052. anni &c. In hac narratione sunt errores multiplices. Non sum nescius Johannem Magnem Gothum, Henr. Pantaleon, Alb. Crantz.., M. Hier. Henninges & alios non nullos, quos honoris causâ nondum nomino, stare a partibus Nic. Helvaderi, ex quorum scriptis ille hæc descripsit. Neque me fugit, non neminem inter illos exordium regni Danici extendere ad tempora Gedeonis judicis in Israel, & antequam Romulus lupam sugeret, Dan in Dania regnum tenuisse. Sed omnia hæc sunt falsissima. A Christo ad Gedeonem colliguntur anni 1291. Cui autem est veri simile, non plures quam 25. Reges fuisse? Deest hic certitudo temporum; deest idonea personarum plenitudo & Regum tempora nimis inconsulte confunduntur. Si autem illud esset verum, tunc necessario sequeretur, quod singuli Reges ultra quinquaginta annos imperaverint, cum tamen multi fuerint, qui tantum 4. 3. & . annum, nec pauci, qui una cum aliis regnaverint, non nullus fere dialis Rex, ita ut de illo possit usurpari, quod Cicero de consule Caninio, qui in suo consulatu somnum non vidit, & adeo severus & censorius, ut nemo in ejus consulatu pranderit, nemo cœnaverit, nemo dormierit. Quin potius, æram Danicam terminis æræ Frisicæ concludamus; collatione enim principum Frisicorum Reges Daniæ per sua tempora commodissime distribui possunt, & quidem ex ipsis authoribus & scriptoribus Danicis, qui Juthonem antiquissimum Saxoniæ Ducem nominant, eumque æqualem faciunt Dano primo Danorum Regi. Et hoc etiam est verum. Danum enim & Juthonem eodem tempore vixisse, ex monumentis historiarum Frisicarum patet. Anno 307. ante Christ. natum Jutho princeps Frisiæ septentrionalis & imperator maris Daniam invasit, & gessit bellum cum Dano primo Danorum Rege. Principium igitur regni Danici, circa annum 307. ante Christum natum, quo tempore Dan a patre Humblo Sveonum Gothorumque Rege Rex Daniæ constitutus, est sumendum. Eodem tempore Augustus Dani frater in Angulia sive Anglia, Bochus Cimbrorum Rex in Cimbrica chersoneso, Jutho in Frisiæ septentrionali principatum tenuerunt, & omnes principes in regnis aquilonaribus inter se æquales extiterunt. Se ita operatio fiat, tunc omnia pulchre procedunt, omnia acta recte cohærent, & sunt verisimilia. Alias hic error temporis committitur, & deprehenditur a veritate aberrare calculus plusquam integris nongentis & nonaginta annis. Ego libenter potuissem permittere, quemlibet abundare suo sensu, & concedere, ut gentem meam Frisicam cum Danica posset producere ad tempora Gedeonis: verum cum ita deductio vellet pugnare cum recta ratione & monumentis faniorum historicorum, ignoscat mihi Dania, cui fucum facere nolo, obtrudendo falsa pro veris, sequor manuductionem veteris mei doctoris & veritatem scrupulose sectari volo.

Regni Danici ortus.

Collatum tum Angliæ, Cimbriæ & Jutiæ legibus.

(2) Fol. 29. *Ducatus Slesvicensis immediate pertinet ad Regnum Daniæ. Fol. 104. Juthia australis vel Ducatus Slesw. semper etiam ante Christ. natum pertinuit ad regnum Daniæ.* Adeon' hominem peregrinum esse aut hospitem quemquam in historiis, ut ille est, Theologus & Mathematicus regius! Proh Deum atque hominum fidem! nullon' ego hujus historici pacto inscitiam alicui ante oculos ponere potero? Certum est, primissimos occupatores Cimbricæ chersonesi esse Gothos, Svevos & Chaucos. His exstinctis venerunt Cimbri, Dani & Saxones; quibus succedere Juthones: & hæc Cimbrica chersonesus est occupata a meridie versus septentrionem; non contra. Sunt vero hi populi Europæi & per terram huc advenerunt & eorum sedes proprias; de quo apud Strabonem Eph. & Clit. De singulis ordine dispiciemus. *De Gothis* vide *Alb. Crantz.* & *Joh. Magnum Goth.* De *Svevis Corn. Tac. de situ & mor. pop. Germ.* De *Chaucis Corn. Tacitum.* De *Cimbris* eam occupavit Thural-tus Rex Cimbrorum, ante Christum natum 700. annis. Bocchus *Cimbrorum* Rex ante C. N. 308. annis. *Achilles Gassarus* in chron. Bolus Rex Cimbrorum & Teutonum ante C. N. 105. qui Cn. Manlium consulem Romanum & Q. Capionem proconsulem fudit, 80000. Romanos cæcidit, & M. Aurelium legatum R. cepit. Clodic, Ches, Belchud, Thutfach, Berich Reges Cimbrorum fuerunt. Cimbri vero a. 111. ante C. N. chersonesum Cimbricam suam reliquerunt, primum propter inundationem, secundo propter continuum bellum, quo atterebantur, dum Saxones & Frisii cum Danis præsentibus adhuc Cimbris jam tum ferme 200. annis ante hanc migrationem & post, vel relictis vel reversis Cimbris, non minus iterum, quam 200. annis, primum de ducatu Sleswic., & tandem de universa chersoneso Cimbrica contenderent. De *Danis* eam sibi subjecit Dan I. Rex Daniæ ante C. N. 307. ann., cum primam Jutho princeps Frisidos septentrionalis & maris imperator in gratiam Saxonum suam expeditionem in Daniam faceret, occasioneque hujus ipse Daniæ Rex, a patre Humblo, Rege Sveonum Gothorumque constitutus. De *Saxonibus*, Saxonum conditor ac princeps ipse Saxo & filius ejus Geroldus & nepos Sygfridus & Henricus Juthonis Princ. Frisiæ sept. & maris Imper. nepos, & ejus præfectus Tosto & cæteri Saxonum duces habuerunt suas sedes in ducatu Slesw., vel in parte extrema, quæ Juthiæ proxima est. De *Juthonibus* Jutho in dotem accepit cum Cumera Bocchi Cimbrorum Regis filia illam chersonesi Cimbricæ partem, quæ nunc ducatus Slesw. appellatur, Princeps Fris. septentr. & maris imperator factus incoluit hanc

Slesvicensem ducatum ad Daniæ regnum pertinere negatur.

Cimbriæ occupatores.

priscі Cimbrorum reges

eorum migrationes.

Dani Cimbriam tenent

hinc Saxones

dein Juthone

hanc Juthlandiæ partem, in vivis tranquille eam depugnato primo bello possedit; post mortem vero Gramus Rex Daniæ Ubbonem, Juthonis Princ. Fris. sept. & mar. Imp. filium hæreditate Juthoniæ privare voluit ex pacto connubiali per mortem Humbli inter Juthonem & ipsum Humblum inito: Ubbo prætendit hæreditatem; soror enim ipsius, quam ille duxerat in uxorem, sine liberis decesserat; nullum pactum agnoscit, & propterea Ducatum Slesw. non ad coronam Daniæ; sed ad se devolutum. Hinc continua bella: donec tandem oppressi sunt Cimbri a Danis. Hanc chersonesi Cimbricæ partem sive ducatum Sleswicensem esse Saxonibus antiquissimam sedem, sine ulla hæsitatione testantur *Ptolomæus*, *Beda*, *Eutroprius*, *Paulus Diaconus*, *Stephanus Orosius*, *Gottefridus. Viterbiensis:* ex Saxonicis Scriptoribus *Albertus Stadensis*, *Adamus Bremers.*, *Henr. Bünting.*, *Joh. de Essend*, *Henr. de Hervord*, *Varnerus Westph. Specul. Saxon.* & antiquiss. *Saxon.* & *Fris. Chron.*, ex recentioribus D. *Chytræus*, *Nic. Cisnerus.* In Gothorum, Svevorum, Chaucorum, Cimbrorum, Saxonum & Frisiorum igitur potestate illa chersonesi Cimbricæ pars, quæ nunc ducatus Slesw. dicitur, fuit ad ea tempora, quoad usque Cimbri oppressi sunt a Danis. Corrigant ergo suos errores historiographi Danici, qui Nic. Helvaderum sequuntur, & videant, ne in posterum tam crassos errores committant.

Cimbri a Danis oppressi.

eo usque Cimbri a Danis separati fuerunt.

IV. In Chronicon der Sachsen und Niedersachsen, durch M. JOH. POMARIUM, weil. Pfarherrn zu S. Peter in der Stadt Magdeburg A. C. 1588. Annotationes.

(1) Fol. 14. *Das Land Dennemarck heist man Ostegard, weil es ins Osten leidt; wie es Hunegard heist; denn die Hunen allda ihre Verkehrung zu pflegen haben.* Sed 1. Regno Daniæ nunquam Ostegard, vel Hunegard nomen fuit; 2. Neque versus orientem, sed septentrionem, quemcunque locum standō in Europa elegeris, jacet. 3. Nec Hunnis ulla potuit fuisse exercendi negotiationes & navigationes copia.

Dania an Ostegard & Hunegard quondam dicta sit?

(2) Fol. 14. *Nun waren auch zweene Sächsische Fürsten zu Engern in Wester-Sachsen, der eine hies Hengst, der ander Horst.* At Hengistus & Horsus non fuerunt Principes Saxonici, sed Frisici, & missi a patre Udolpho in Angricam, ut cum Uglone Lascone Duce ditionem suam militari fortitudine tuerentur.

Hengistus & Horsus non fuerunt Principes Saxoniæ.

(3) Fol. 41. *Auch vertrieben die Hänse Städte Konig Woldemar zu Dennemarck, und gewonnen ihm Copenhagen und viel andere Städte und Schlösser abe.* Woldemarus 3. alias dictus 4. bellum gessit cum Anseaticis civitatibus; an vero exulavit, nunquam legi. Obiit A. C. 1375. & Scoræ sepultus est.

Woldemarus III. an a civitt. Hanseat. exul actus incertum.

(4) Fol. 44. *Nord-Albingia, da Hamburg leit, seu in Nordalbingia sita est Hamburgum.* At non solum in finibus Stormariæ & Saxoniæ est sita urbs Hamburga, sed oculariter etiam demonstrari potest, potissimam partem civitatis per Albim ejusque brachia a continenti terra Stormar. separatam esse. Apol. Hamb. & multa MSC.

Hamburgum an in Stormaria sita sit?

(5) Fol. 49. *Einer hiess Olas, latine Olaus, welcher nach der Zeit, da er nach seines Vaters Todt König ward, Johannes genennet ist.* Liberi Christiani primi fuerunt Fridericus Rex Daniæ A. C. 1524. Margaretha Jacobo 3. Regi Scotiæ nupta; Olaus natus A. C. 1449, qui mox exspiravit & Roschildiæ sepultus Johannes Rex Daniæ obiit A. C. 1513. Non igitur Olaus est Johannes vocatus.

Olaus Christ. M. fil. distinguendus a Johanne.

(6) Fol. 57. *Es war ein Friesischer Herzog geheissen Rabod.* Radbodus vocatur & habet suam appellationem a Germanico vocabulo Raht, consilium, & Bott nuncius.

Radbodi etymon.

V. Ad descriptionem Frisiæ Eydorensis juxta geographicam ejus provinciæ delineationem authore CASP. HOYER ex relatione Jacob Saxii Eyderstad. A. C. 1610. Remonstrationes.

(1) Fol. 1. *Eyderstadia annos plus minus centum peninsula fuit; annē siquidem Milda versus septentrionem olim a continenti distincta, hoc tempore continenti prorsus conjuncta est.* Eyderstad, Everschopp & Utholm sunt quidem tres provinciæ, ante annum 1489. tamen una insula, quæ Eydera australi & septentrionali undique circumcincta. Et rerum vetustarum se non peritos ostendunt, qui Eyderstadiam olim peninsulam fuisse, (quasi jam talis non sit) & Nordstrandiam junctam circumluisse, & extra omnem controversiam esse, Arctoum Eydoræ brachium semper illam diremisse a Nordstrandia.

Eyderstadia non fuit olim peninsula

(2) Fol. 1. *Versus (a) orientem per Eyderam a Dithmarsia dividitur, (b) versus occidentem per Heveram a Nordstrandia disterminatur. Fol. 2. (c) meridionale littus ad occasum arenosum & in tumulos exaltatum oceano alluitur.* Sed observa (a) versus meridiem per Eyderam a Dithmarsia dividitur, (b) versus septentrionem per Heveram, a Nordstrandia disterminatur, (c) Occidentale littus arenosum & in tumulos exaltatum, Oceano alluitur. Qua ad orientem Eyderstadia regionibus jam juncta est finitimis.

Eiderstadiæ situs rectius descriptus.

(3.) Fol. 3. *A septentrione, ubi continenti juncta est, versus meridiem quatuor miliaribus germanicis extenditur.* A Septentrione, ubi continenti jam juncta est, in chorio Leligæo versus meridiem ad duo miliaria germanica non potest extendi.

Ejus latitudo.

(4) Ibi-

(4) Ibidem: *Eyderſtadiam, Nordſtrandiæ inſulæ, olim & continenti unitæ, ante paucos annos conjunctam, ſicut & totum illum tractum ad Tonderam usque Nordſtrandiæ perpetuo contextu annexum fuiſſe.* Proh Jupiter fuitne Eyderſtadia ante paucos annos Nordſtrandiæ conjuncta. Ego vero: nunquam fuit conjuncta, multo minus ante paucos annos. Quale enim oſtium haberent aquæ omnes, quæ longinque ſcaturiunt & in Threnum, Mildam, Eydoram arctoam & Heveram defluunt, niſi per hæc flumina, in oceanum ejectarentur? altiſſime debebant operire omnem circumiacentem terram ut infrugifera & habitatio difficilis foret. Sed quid illud? Nordſtrandiam & quidem in ea Beltring & Wiricanam Hardam cohæſiſſe qvondam Nordergoſiæ Hardæ, qua ad ſeptentrionem & orientem, ſed Lundenb. Harda nunquam Sudergoſiæ Hardæ fuit juncta, propter alveum Huſienſis Ouvæ, utique nec Pelworm. Harda propter bosphorum Fohranum unita Fohranæ Hardæ. Hic totus ille tractus nunquam perpetuo contextu annexus. Quorſum enim evaderet decurſus aquarum collectarum in locis editioribus, & ad depreſſiora delatarum, niſi per magnum illum fluvium vulgo Föhringer Sund, & prægrandem alveum Liſtanum, vulgo das Liſter-Tieff, exoneraretur. Eydora vero oritur in profundiſſimo ſaltu Bothcampico, pertranſit Bordesholm, Quarnbeck, Rendesburg, Suderſtapel, Friedrichſtadt, Eyderſtätt, & Dithmarſchen. Intrant in Eydoram lacus, ſtagna & omnes aquæ in Holſatia, Dithmarſia, Stapelholmio & Eyderſtadia. Threnus ſurgit ex ſilvis, quibus arx Gottorpica cingitur, præterfluit Trejam, Hollingſted & Svaveſtedium, & olim decucurrit in Eydoram utramque, hoc eſt, in Eydoram auſtralem & ſeptentrionalem Milda colligitur in locis paludinoſis intra Suaveſtett & Rantrum, & quondam directe tendit in brachium Eydoræ arctoum. Hævera initium ſumit ad Trejam Dreelburg, Wittbeck, Brandenburg, Hanenburg, Suderholt, Weſing, Roſenthal, Hollbeck, Mühlenteich, & fluit in ſinum Ouwicum Huſienſem, & exinde intra Everſchopp, & Nordſtrandiam in Oceanum. Boſphorus Fohranus ebullit ex Rysbrick, Saaholm, Enge, Stedeſand, Waygard & aliis Friſiacis, & Danicis locis. In alveo Liſtano concurrunt omnes fluvii & flumina, omnes rivi & alvei & quicquid eſt aquarum, in præfecturis Tunderenſi & Apenradenſi.

Eiderſtadia nunquam Nordſtrandia juncta.

Fluviorum eam adluentium decurſus.

Eydoræ,

Threni

Mildæ

bosphori Fohrani. concurrunt in alveo Liſtano.

(5.) Fol. 4. *Unaque vacca ſingulis diebus præbet novem cantaros lactis* Non omnes & ſingulæ, ſed una atque altera in armento; ita tamen, ut in ea ſit patrum virtus, ſit mediæ ætatis, & ut illam habeas æſtate atque hyeme large & copioſe. Sic cythiſo paſtæ diſtentant ubera vaccæ.

lactis e vaccis abundantia,

(6.) Fol. 4. *Nullo genere, quæ ad victum pertinent, niſi ſale & lupulo indiget.* Adde vinum, lignum, aromata.

victus copiæ & deſideratæ,

(7.) Fol. 5. *Parochias habet octodecim, easque permagnas & populoſas.* Permagnæ & populoſæ ſunt, Coldenbüttel Witzwort, Oldenswort, urbs Tönning. cum paræc. Tetenbüll, urbs Garding cum par. G. & Tating. Cæteræ vero paræciæ ut Cotzenbüll, Cating, Welt, Vollerwick, Ulfisbüll, Oſterhever, Poppenbüll, Cathrinheerde, S. Peter, Ording &c. Weſterhever, ſunt admodum parvæ-

parochiæ potiores,

(8.) Fol. 6. *Hos Friſios Eydorenſes &c. bellicoſiſſimæ & nobiliſſimæ Francicæ gentis* a) *ſobolem eſſe, &c.* b) *Friſium enim ſive Friſonem a patre* c) *Clovio Francorum Rege regioni, quæ mari adiacebat, præfectum fuiſſe regnum ibi Francorum condidiſſe* d) *A. Mundi 3964 Anno C. vero 2.* a) Unde probabitur aliqua deductio coloniarum ex Gallia in Friſiam? Ego quoad memoria repetere poſſum ſpatium præteriti temporis, non recordor, me aliquam legiſſe. b) Hoc confirmat ſenſu fere eodem Joh. Tritheimius, forte ex Hunibaldo; ex Tritheimio certe Funccius, ex Funccio Panthaleo & Wolffgang. Lazius, niſi quod hic in aſſignatione temporis a Funccio diſcrepat, & ſtat ſententia, quod Friſii ſint ex Francis. Sed oppono illis Beatum Rhenanum, & Hadrianum Junium, qui ſentiunt, Francos a Friſiis originem ducere c) Sed Clovium, quem alii Clogionem, alii Clodionem vocant, fuiſſe regem Francorum, ubi extat? Fuit quidem Clovius dictus Comatus, ſed ille Rex Galliæ erat A. C, 432. d) Hoc tempore Franci non habuerunt Regem. Longa quidem ſerie numerantur Reges Francorum in Germania, ſed, poſtquam Franci in Gallia regnum Francicum conſtituerunt, primus Rex A. C. 420. Warmund, ſecundus ejus filius Clodius comatus, qvi Batavos & regiones vicinas ſubdidit.

An Friſii Francorum propago? neg.

(9.) Fol. 7. *Friſiorum linguam eſſe vere Francicam, antiqui codices Franci ſermonis & idiomatis evidentiſſime demonſtrant.* Et ego vidi codices Francici ſermonis & linguæ, qua olim uſi ſunt Franci, populi Germaniæ, & hanc illum hoc loco intelligere puto; ſed tantum abeſt, ut vere illa ſit Friſica, ut maxime etiam nullam cognationem cum lingua Friſica habeat.

Eorum lingua non eſt Francicæ originis.

(10) Fol. 8. *Rex Abel A. C. 1252. a Friſiis Eydorenſibus interfectus.* Non ſic, ſed exercitus Regis Abelis A. C. 1253. a Dranderſummianis, Buttellianis, Oldensworttanis, Cutzenbullenſibus, Tonninganis, Alverſummianis, Catingenſibus, Weltanis, Vollerwicanis, Tatingenſibus, Ulſtorpianis, & Weſterheveranis eſt deletus, Everſchoppicis cum cæteris Friſiis Oldenwordi in caſtris regiis gulæ indulgentibus.

Abelis exercitus deletus.

(11) Eod. f. *Ex Saxone Gramm. conſtat Eydorenſes Friſios a Canuto in belli ſocietatem A. C. 1252. aſcitos.* Hoc factum eſt A. C. 1145. & non A. C. 1252.

Eyderſtadienſes belli ſocietatem cum Canuto ineunt.

(12) Ult. f. *Ut affirmare non dubitem, ultra quingentos annos eos hic conſediſſe.* Ego vero probare non dubito, Majores noſtros ad 1967. annos hic conſediſſe 1) bello, quod geſſit Jutho præfectus Eideroſtadiæ cum Danorum Rege primo Dan, & illum fugavit, delevitque gregem, quem ſecum duxerat omnem, ut priſtinas vires nunquam recuperare & redire poſſet alias; & ille Jutho poſtea in

Quamdiu hic conſederint Friſii?

tranquillitate ſuam Jutlandiam, de qua bellum erat, poſſedit. Bellum hoc geſtum ante C. N. 307. 2) Prælio navali ad Heveram, in quo victus Vitho præfectus Eidoranæ Friſiæ a Rege Daniæ Frothone, quod bellum confectum eſt ante C. N. 209. 3) Pugna ad Sudfalliam in Hevera, ubi Rex Rolvo Daniæ Rex, qui Sudfallinos auro conſeverat agros, Roricum Boki proſtravit, ante C. N. 70. Et ſic probatione non indigeo per ſingula ſecula.

VI. In annales trium provinciarum Eyderſtadienſium, Everſchop. & Utholm. ex antiquo libro per Dn. LAUR. ADSEN Paſtor. qvondam Witzwort. A. 1580. Meditationes.

(1) De A. 1145. De Mildeburgo, Ottisholl, Paulun Buremansweg, 7. vexillis, Milderdam, S. Chriſtiano, & Canuto &c. vide infra.

(2) A. C. 1338. *a pluviis & tempeſtatibus, primum rumpi cœperunt finitima loca & ſinus profundiores facti.* Hæc tamen ita ſunt intelligenda, ut Eydora, Threnus, Milda, Hevera, Bosphorus Föhranus & Alveus Liſtanus a Deo in ipſa creatione mundi inditum curſum liberum habeant & retineant.

Woldemari bitus.

(3) A. C. 1204. a) *Rex Woldemarus a nobili* b) *Friſio* c) *furca ferrea percuſſus*, & d *inde mortuus ad* e) *Milderdam.* Hæc ita ſe non habent. Sed a) Rex Woldemarus mortuus A. C. 1244. b Friſia non habet nobiles, c Furcæ non ſunt arma militaria d) mortuus in Dania, e) non ad Milderdam.

Magni Munck cædes.

(4) A. C. 1408. *Magnus Munck occiſus a Friſio, nomine Hummer; alii Weſſel, & ſecuit ejus caput ſecuri.* Neque hæc res ita cecidit. Interfectus eſt Magnus Munck A. 1410. die 17. Aug. in prælio Soldorpiano ad Jorle ab exercitu Comitis Schaumburgici Adolphi, cum ille & Johannes Scharpenberg depopulati eſſent promontoria Phryſica & cum præda tenderent Flensburgum.

VII. MATTHIÆ PAMPI Beſchreibung von Eyderſtett.

(1) Fol. 5. *A. Mundi 1956. vor Chriſti Geburth 1992. Nach der Sündfluth 200. iſt Freigus von Tuiſcone Nohæ Sohn, ſo ihme in Armenien gebohren, in dieſe Länder als ein Leben eingewieſen. Nachdem ſie Ihm aber nicht gefallen, in Aſiam gezogen, das Land Frigiam beſtellet, welches ſchon von den Ingävonern bewohnet, darnach ander Simes geworden, und 300. Jahr nach der Sündfluth, da er bey 100. Jahr in Aſien geweſt, mit ſeinen Schiffen zu Flensburg angeländet, dieſe niedrige Länder eingenommen, und denſelben nach ſeinem Nahmen Friſiam oder Friesland gegeben, i. e. A. Mundi* a) *1956. ante C. N. 1992. poſt diluvium 200. Freigus a* b) *Tuiſcone, Noæ filio, qui ipſi in Armenia natus, in has regiones tanquam in* c) *feudum immiſſus. Cum vero iſtæ ipſi eſſent minus gratæ, tendit in Aſiam, invadit Frigiam ab Ingævonibus inhabitatam; poſtea mutat ſententiam, &* e) *300. annos poſt diluvium, cum centenos annos Aſiam incoluiſſet,* f) *navigat* g) *Flensburgum, occupat loca humilia, & de ſuo nomine Friſiam appellat, teſte* h) *Mario Belgico, & Joh. Thom. Freigio, & aliis:* a Chriſtus natus eſt Anno mundi 3992. ſi inde detrahantur 1992, remanet annus 1970. Diluvium A. M. 1656. ſi addantur 200. anni, emergit annus 1856. Ergo Freigus non anno 1956. ſed 1856. infeudatus eſt. Differt hæc numeratio a calculo Pampiano 100. ann.

errores vari chronol. & hiſtorici nu tantur.

b) Thuiſcon ſeu Aſcanes non eſt Nohæ ſed Gummeri filius, ille Japheti, hic Nohæ filius, quod cum Theologorum unanimi ſententia probatur.

c) Quis dominus feudi? Diviſio orbis terrarum facta inter poſteros Nohæ anno mundi 1757.

d) Ingævon vixit anno Mundi 2000; ille anno mundi 1857. cum primum pedem poneret in hanc terram Freigus, poſteritatem habere non potuit.

e) Hic numerus coincidit cum 1956. de occupandis his terris, ſed non de infeudatione.

f) Quot navibus? 24. puto, ut ſæpe me audire memini.

g) Ergo nos trahimus originem ab illo loco, qui fuit anno ante Chriſtum natum 1992. Gothorum & Chaucorum, poſtea Cimbrorum, Saxonum Friſiorum ſedes. Quinam vero eſt ille Marius Belgicus? quinam Joh. Thom. Freigius? quinam alii? Marii Belgici nomen non extat in annalibus ſcriptorum Friſicorum. Joh. Thom. Freigii ſcripta mihi videre vel aliquod aliis audire, hactenus non contigit? Aliorum vellem apertius hominum nomina oſtendiſſet.

(2) *A. C. 1300. Darnach das Land Eyderſtett und der Nordtſtrandt ein einiges fuſsfeſtes Landgeweſt, ſeu Regionem Eyderſtadianam & Nordſtrandicam ante hæc tempora unam terram fuiſſe continentem.* Neminem fore arbitror, tam bliteum aut bardum, ut poſt tot rationes ſupra adductas adhuc permaneat in ea ſententia, quod Eyderſtadia & Nordtſtrandia olim fuerit una terra continens, vel quod cherſoneſi Cimbricæ omnes regiones humiles & campeſtres olim fuerint una terra continens. Non Deus voluit, ut cherſoneſus Cimbrica ſit lacus, & locus, in quem aqua pluvia & maria confluant & in eo receptentur, quod neceſſario futurum erat, ſi utraque Eydora, Threnus, Milda, Hevera, Boſphorus Fohranus, Alveus Liſtanus, & omnes fluvii & rivuli, qui in hæc flumina Friſica principaliora deſcendunt, in mare decurrerent, ſed, ut homines, & pecudes aleret & Deo & hominibus grata eſſet.

Eiderſt. & Nordſtr. nunquam una continens terra.

(3) Fol. ult. *Hierüber entbrandt Gottes Zorn, lieſs am Tage Michaelis eine grauſame Waſſerfluth kommen, in welcher Rungholt vergebet, in Abgrund ſincket, viele Menſchen und Viehe ſamt ſieben Kirchſpiel verderben, und ſeyn nur der Prieſter, ſeine Magd, und drey Jungfern, ſo auff der Kirchmeſs zu Bupſchluret gewe-*

Excidium Rungholta num & di vium Frij

geweſen, davon gekommen. vel ita: a) *Deus exardeſcebat ira*, & b) *die Michael. curabat horrendam diluviem, in qua oppidum Runghold perditum* c) *terræ hiatu abſorptum*, d) *multi homines, pecora* & e) *ſeptem paroeciæ vaſtatæ ſunt, ſalvus tamen evaſit* f) *ſacerdos*, g) *ejus ancilla* & h) *tres virgines, quæ ad Miſſam, in Bupſchluct profectæ erant.*

a) Ob habitatorum enormem impietatem & exſecrandum erga ſacerdotem, ſacramque euchariſtiam perpetratum facinus.

b) Die Michaelis illud non eſt factum, ſed die Marcelli Pontif. decimo ſexto Januarii A. C. 1300.

c) Multæ narratiunculæ de interitu Runghold circumferuntur; de quibus vide Matth. Boëth. de Catacl. Nordtſtr. f. 88. Sed vera eſt illorum ſententia, qui exiſtimant, oppidum Runghold graviſſima aliqua illuvie inundatum, & conquaſſatum: & cum incolæ reſtaurandis aggeribus defenſitandisque agris & habitaculis propter continentes ærumnas, labores & ſudores eſſent impares, tandem pro derelicto habitum & oceano traditum. Et in ipſo oppido Runghold & in adiacentibus paræciis.

d) In hoc cataclyſmo, eo loci & alibi in regionibus humilibus.

e) Non ſeptem paræcias ſaltem, ſed 28. pagos excidit illud diluvium, immo omnem Friſiam ſeptentrionalem ita mutavit, ut ne remanſerint vetera veſtigia.

(f) Hoc nunquam legi. (g) Neque illud antea audivi. (h) MSct. vetuſta indicant, tantum duas fuiſſe.

VIII. EIDERSTETTENSIS CHRONICA MSC. vulgata vetuſta communis Dn. Pr. I. I. I. T. I. O. M. O. & aliorum, quæ nullo authore ſparguntur ſtrigilis.

(1) *A. C. 1145. Des 8. Dages na Marien Berggang verſamlete König Abel tho Dennemarcken groth Heer, i.e. A. C. 1145. d. 8. poſt viſit. Mariæ Regis Abelis Daniæ exercitus primum viſus.* Abel Waldemari ſecundi filius, A. C. 1232. Dux Sleſwic. factus, A. C. 1250. Rex Daniæ creatus, A. C. 1253. a Friſiis ſeptentrionalibus interfectus. Vide Hiſt. Dan. & Germ. Falſa eſt igitur iſta collectio annorum 1145.

error chronol. circa Abelis cædem.

(2) Porro, *up der Mildesborch, oder Milderburg* ſeu *Mildesburgi vel Milderburgi.* Non Mildesburg vel Millernburg aut Middelburg ſive Medelburg, ſed Mildeburg, & cum excuſatione qvadam Milderburg, qvod oppidum a Friſiis Eydorenſibus A. C. 1145. in gratiam Canuti Regis Daniæ vel quaſi conditum, & inundatione illa A. C. 1300. d. 16. Jan. everſum, ſuam denominationem, a Fluvio Milda, quondam habebat, & ſitum erat in Südermarſia ad viam orientalem Mildeſtadianam, quo fugit Rex Abel & interfectus.

Mildeburgi etymon.

(3) *Und ging dar tho Schepe mit 30. Barnern &c. Navim ingreſſus erectis 30. vexillis.* Plurimas fuiſſe naviculas oportet ad capiendum tria millia hominum, nec plura fuerunt ſigna militaria, quam tria.

(4) *Und quam mit groter Gewalt in ene Hafen genömet Ottersholl oder Ottensholl i.e. ſumma vi venit in portum nomine Ottersholl.* Sed ubi eſt ille portus Ottersholl ſive Ottersholl vel Ottishol, aut Ottenshilum; nullibi ejus veſtigium, aut nomen apparet.

portus Ottersholl ignotus.

(5) *Und ſchlog dar utb ſein Paulun* ſeu *Et expanſo papilione.* Et ponit tentorium ſuum, ut ſe defenderet ab injuria cæli. Paulun dicitur a latino Papilio; converſum in germanicam linguam.

Paulun unde dictum?

(6) *Leth ſick ock darſülveſt umber begraven* ſive, *undique foſſa & vallo communitus eſt.* Locus iſte, quo caſtra metatus eſt Rex Abel, adhuc monſtratur trans Hoyersſwortt prope Töfting, & vocatur Satin; ibi quievit Rex & foſſa circumdatus eſt, ſpatium 6. jugerum.

veſtigia caſtrorum Abelis.

(7) *Darna gröven de Norder Hardesman auch einen Graven ſ. poſtea Norder-Hardesmanni foſſam ducunt.* h. e. omnes Friſii ſeptentrionales ab Eydora ad alveum Liſtanum, qui adhuc lingua Friſica & legibus Friſ. utuntur, exceptis excipiendis.

Norderhardesmanni ſunt Friſii ſeptentr.

(8) *Von Ipenbüll edder Offenbüll in dat Weſten, be norden Oldenswort, darvor beth an Ede Rockes Groff. ſ. Ex Ipenbullo vel Offenbullo verſus occaſum ad partem ſeptentrionalem Oldenſwordi uſque ad foſſam Ede Rockes.* A Dyckhuſen per agros Elwortanos verſus occidentem in ipſos agros Catingenſes, & deinde a meridie prope vallum fere maritimum verſus ſeptentrionem ad Ede Rockes tumulum deducta eſt foſſa, quæ in hodiernum diem vocatur foſſa Regis. Alibi foſſa nulla eſt conſpicua. Relatio ergo hæc *eſt* falſa, & mea, quam ego hic dedi, eſt vera, & hanc *αὐτοψίαν* probat

foſſa regis.

(9) *So wiet, dat de König dar nicht aver quam.* ſeu *Tam amplam, ut rex copias ſuas in eos ducere non poſſet.* Hodie illa foſſa fere oblimata eſt, & tantum lata 8. pedum.

(10) *De Norder Hardesmann legen darbinnen up den Mabre.* ſeu *in ericeto paluſtri erant Norderhardesmanni.* Erat olim in campo Ripa-Oldensworttano ericetum paluſtre ſatis magnum & amplum, quod inciperet ab Offenbull. aggere, & pertingeret ad fines Witzwordanos, locus aptus ad inchoandam pugnam.

de loco pugnæ conjectura

(11) *Und verbeydedenſiner dar, in Willens, ehn darſülveſt dort thoſchlaen.* ſeu *Et exſpectabant Regem de ſumma rerum cum ipſo ibi decertare.* Hæc erat voti ſumma; dulce & decorum eſt enim pro patria mori.

(14) *In den ſöſten Dag verſammelten ſich de ſoven Schipharden*, ſeu *Sexto die convenerunt 7. Schipharda.* Schip Hardæ ſunt homines iſti maritimi, quos adeundo opus erat navigiis, & numerantur 7, ut Pelwormiates, Edomæi, Beltringici, Lundenbergenſes, Wiricani, Fohrenſes & Siltæ.

Schipharda quinam incolarum?

(13) *Tho dem Buremannswege, up ere rechte Ding-*

de Buremannsweg conjectura.

Dingſtelte; ſeu *In Buremanniana via, loco veteri & conſueto.* Quænam ſit illa via quæ hic Buremans-Weg, apud Joh. Ad. Cypr. Varenmages appellatur, juxta cum ignariſſimis ſcio; puto tamen eſſe illum locum, qui hodie Hemminghorn, olim Hami Ingehorn vocabatur: nam eo loci majorum conventus ad annum 1625. celebrabantur, cui ego & ſemel aque iterum interfui.

Immunitates a Car. conceſſæ.

(14) *Wo dat König Carl ehren Vorolders bedde Friebeit gegeven*, ſeu *De privilegiis, quæ Rex Carolus Majoribus eorum conceſſerat.* De hiſce privilegiis aliter alii ſentiunt & loquuntur. Sunt, qui dicunt, non eſſe immunes ab omnibus oneribus, gravaminibus & ſervitutibus; ſunt, qui libertatem aliquam omnino infringere & præcidere volunt, & nos mere ſubditos eſſe putant. Ego jam nihil habeo, quod dicam: remitto lectorem ad A. p. & D. E. M.

auxilia regi data.

(15) *De ſe by ehm bedden verwroven mit groter Mannheit und Heerſchilde* ſeu *Parta copiis auxiliaribus miſſis*, ſcilicet ad compeſcendos Longobardos, ad devincendos Saxones ad occupandam Romam & domandos Romanos.

homagium detrectant ob nova tributa.

(16) *Und eher ſe König Abel wolden huldigen und ſchweren, darthо Schatte und Tinſe geven, wolden ſe lever alle darum ſterven, edder König Abel ſcholde ſterven.* ſeu *Et antequam Regi Abeli homagium præſtare, vel ullo modo penſionem & tributum dare vellent, ſe potius omnes honeſte mori, decreviſſe.* Cauſa hujus expeditionis erat exactio ſive impoſitio novi tributi, præter, contra & ſupra illam veterem conſuetam, & uſitatam penſionem & tributum. Et cauſam nullam video, cur majores noſtri mortem potius oppetere, quam homagium præſtare aut penſionem vel tributum dare vellent, cum jam dudum eſſent ſubacti.

vexilla elevata initium pugnæ.

(17) *Darup bind ein jeder Schipharder ſin Banneer an den Stacken.* ſeu *Quælibet Schip-Harda erexit ſuum vexillum.* Vide hic modum pugnandi; ſingula Harda habebat ſuum ſignum militare, quod ante conflictum alligabat baculo ſive contulo.

(18) *Und tögen in derſelben Nacht nach des Königes Heer, ehr ſe eten und druncken*, ſeu *Et nocte ſequenti, antequam cibum caperent, impetum in Regis caſtra facturi.* Vah! Gens Friſica ſeptentrionalis, quam fuerit cupida in Regis Abelis caſtra irrumpendi!

(19) *Men dar was ein Verſpeher geheten Rocke c. e. ſed aderat explorator, nomine Rock.* Iſte proditor Rockus clam ſe in concilium & conventum publicum inſinuaverat.

(20) *Und als de König mit ſinem Heer ſich begönde thorögen, begimde idt thо dagen.* ſeu *Et cum Rex ſe loco movere cæpit, dieſcit.* Et conſilio Rocki Rex caſtra movit, albeſcente cælo.

Abelis R. fuga.

(21) *Schnellicken verleep de König ſin Paulun, darthо ſin gefangene Schatt, Schepe, und allent*, wat ſe dar gebracht hadden, ſeu *Illico Rex deſerit papilionem, prædam, naves & reliqua omnia, quæ advexerat.* Rex perterrefactus relinquit tentorium cum ære naviculas, & omnia, & fugit, ut ſaluti ſuæ conſulat.

(22) *Und ging mit ſinem Heer, by der Eyder enweg, up dat he eine fehlige Side hedde, und it was thо der tidt holl Ebbe, ſo dat ſine Schepe nicht konden uthkamen*, ſeu *Ec cum exercitu ad Eydorum ſe confert, ut unum latus tutum haberet, & mare relapſum erat, ita ut naves aqua deſtitutæ in limo hærerent.* Bene fecit Rex Abel, ne circumveniretur.

Olde Harbleck locus iteratæ pugnæ.

(23) *Jegen Olde Harbleck, da wedderſtand de König den Freeſen*, ſeu *Ad O. Harbleck Rex redintegravit prælium.* Qui locus adhuc remanſit & ſervat antiquum nomen.

per conjecturam pro Ipenbull ſubſtituitur Dyckhuſen

(24) *De Freeſen folgen ſe na Ipenbüll*, ſeu *Friſii inſequuntur ad Ipenbull.* Niſi pro Ipenbull ſubſtituatur Dyckhuſen, neque principium neque finem hujus rei invenire poſſum.

Ezendaw locus incognitus.

(25) *De Eydermanns und de van Utholm folgeden ſe na Ezendaw*; ſeu *Eydermanniani & Utholmici ſequuntur ad Ezendow.* Sive dicas Ezendow ſive Eſemedow, ut MSS. vetuſt. loquuntur, perinde eſt; locus & nomen mihi incognitum.

(26) *König Abel tog mit ſinem Heer baven der Ezendow, ein Stück by der Eyder int Süden*; ſeu *Rex, Abel cum ſuis ultra Ezendow, ad Eudorum verſus auſtrum contendit.* Verſus ſeptentrionem debebat ſcribere: illuc enim properat Rex, ut periculo ſe ſubducat.

Matinga Coldenbüttelienſis quænam olim complexa?

(27) *Da quam ehm dat grote Mæting von Coldenbüttel warhafftig entgegen, und ſtünden ehm entgegen, ſtandes Strides ein halven Dag*; ſeu *Ubi obviam illi venit Matinga Coldenbuttelienſis, & pugnat cum eo ſex horas.* Matinga Coldenbuttellienſis tum temporis in ſe habebat chorium Dranderſumianum & Buttellianum. In Dranderſummiano chorio, quod vallo circummunitum A. C. 1210. erat urbs populoſa & pagus celebris Weſterbull. In Buttelliano chorio, quod occupatum A. C. 1242. erant Buttel, Eydemarſch, Wallbül & alii vici. Reliqua choria in Coldenbuttel erant adhuc in poteſtate oceani.

tertia pars regii exercitus novo prælio deleta

(28) *Dit Geſchry quam thо rügge, thо den Eydermanns, und Uthholmers. Snellecken wendeden ſe ſich wedderum, eher ſe eten und druncken, und richteten ehre Banneere wedder up, und kemen den König an, up de apene Siede, und ſchlogen een deel van ſinem Heere, mit dem Banneer, mit ſo veel Volckes, als darunder hörde, ehm thor Erden* ſeu *Cum iſte rumor ad aures Eydermannianorum & Utholmicorum perveniret, confeſtim nondum ſumpto cibo & potu advolant, vexilla erigunt, cum Rege ad latus apertum dimicant, & occidunt tot, quot ſunt ſub uno vexillo.* Ita periit hic tertia pars exercitus & hanc inſignem victoriam reportarunt Eyderſtadienſes & Utholmii, antequam jentaſſent, cum cæteri Friſii in Regis tentoriis Oldenſworttanis deliteſcerent, & cibo ac potu exhauſtas corporis vires colligerent.

(29)

(29) *Do nam de Konig den Weck in dat Norden up Mildesweg, de Freesen folgenden na, und folgenden den König up Milderdam, i. Rex fugit versus septentrionem ad viam Mildanam, Frisii sequuntur ipsum in via Mildana.* Rex in viam, quæ septentrionem spectat, se recipit; Frisii, qui modo cum ipso pugnabant, sequuntur. At quomodo? Devicto exercitu in vallo extimo Buttelliano occidentali Rex Waldyck tendit, per campos profundiores in Rysbüll, per brachia Eydoræ in Dingsbull & Damm chorium vel natando vel vadum in iis quærendo transit, & tandem venit in Milstadianam viam. Difficile est quidem iter & periculosum; sed Deus fratricidii vindex ipsum ad pœnam rapere voluit.

via, qua ipsum persequuntur frisii.

(30) *Dar ward König Abell von den Freesen dodt geschlagen, und dat dede ein Wagen Timmermann, und all sin Volck,* seu *Ibi occisus a) Rex a Frisiis, & quidem a rotario, b) ibique deletus totus ejus exercitus.* Trucidatus est quidem a) Rex a rotario nomine Hummer, Nordstrandiensi, b) sed non periit ibi ipsius exercitus, qui propter defectum navicularum tam cito non potuit elabi vel alveos arctoæ Eydoræ pertransire.

Abel quidem Rex, sed non totius ejus exercitus cadit.

(31) *De Freesen togen wedder na Huß, und bleven unbedwungen, geven sich under H. Canut, deme se von 18. Tucken Hußes ein Forney geven,* seu *a) Frisii indomiti domum redeunt, & b) se subjiciunt Canuto Duci Slesw. cui pro 18. contignationibus c) unum novum Ternovium solverent.* a) Non est dubium, Frisios de victoria certos & victores præda magna & manubiis onustos, lætos ac ovantes domum rediisse. b) De Canuto Duce Slesw. vide supra apud Joh. Ad. Cypr. c) Unus Ternovius tantum valet, quantum unus nummus.

Ternovius nummus.

(32) *Dieser König Abel hedde in Vortiden disse Lande in grote Schrecken gebracht; den he lag mit sinem Heer up de Vorgeest, unde wolde over in disse Lande, und idt gantz vernichten,* seu *Rex Abel olim magnum metum & terrorem hisce regionibus incussit, nam in promontanis castra locaverat, ut impetum in eas facere & totas desolari posset.* Non olim sed anno superiori, hoc est A. 1252. exercitum duxit in Eyderstadiam; sed infelici admodum Marte pugnavit. Ille enim & exercitus ejus victus & fugatus.

(33) *Do nemen disse Lande H. Christianus Bilde in dat Heer, und togen dem König entgegen, buten dem Dycke up dat Iß, dar se dat Land bewahren müchten, und deden ein Geloffte, were idt Sacke, daß se de Ouerwinninge mochten beholden, se wolden H. Christian beschlan laten mit dem allerbesten Golde.* seu *Tunc divi Christiani statuam secum ducunt & transeuntes a) aggerem maritimum occurrunt Regi armata manu, b) in media Eydora glacie indurata, & quidem in eo loco, quo maxime sese posse defendere putabant & vota Deo faciunt, si victoria politi essent, Christiani imaginem pretiosissimo & purissimo auro obducere velle.*

a) Hinc patet, has regiones tum temporis habuisse aggeres maritimos.

aggeres hic maritimi jam olim.

b) Hinc patet, Eydoram tum fuisse tam magnum fluvium, ut quando ille frigore concreatus, illic curribus, & equis transiretur, ibique aciem struere & cum hoste dimicare quis posset.

Eydora jam tum magnus fluvius.

(34) *Do de König iegen de Freesen scholde then up dat Iß, do gaf God Gnade, dat so ein grot Regen Water fill, dat se dat Bilde up den Wagen kuhm tröge mochten bewahren, und kunden kume von dem Iße tho Lande kamen,* seu *Cum Rex exercitum suum in glaciem ducere vellet, Deus tantum a) imbrem mittit, ut statua vix a pluviis potuerit sicca servari b) in curru, neque tuto a c) glacie in terram dabatur transitus.*

a) Dum hæc lego, non possum, quin exclamem cum Jeremia C. 14. v. 22. Num sunt in vanitatibus gentium, quæ pluere faciant, & num cæli dabunt imbres? annon tu es Jehovah, Deus noster? te igitur exspectamus, tu enim fecisti omnia hæc.

b) Quid audio? Statua Divi Christiani tantæ magnitudinis fuit, ut ad eam vehendam currus opus esset?

statua D. Christiani permagna

c) Quid vero de transitu in terram? in fluxu maris patet quidem difficilis aditus in terram, sed non in refluxu.

(35) *Do tog de König tho rügge, und kam in natiden wedder, und ward von den Freesen geschlagen,* seu *Tunc Rex pedem retulit & sequentibus temporibus rediit & a Frisiis interfectus.* Non sequentibus temporibus & longo intervallo, sed statim, altero anno post hanc acceptam cladem, A. C. 1253. reversus est Rex Abel.

(36) *Und lethen St. Christianns Bilde beschlan mit dem allerbesten Golde,* seu *Et divi Christiani imaginem veste aurea preciosissima exornarunt.* De facto nullus dubito, sed ubi nunc es Christiane? prodi.

eadem obducta auro.

Ad
IX. IVEN CNUTSENS korte Verteckenisß, umb welcher Tidt Eyderstett mit denen von der Geest und in Stapelholm sindt Landfast geworden.

Animadversiones.

(1) *In præfatione: A. C. 1354. Dewile tho der tidt keine Dycken, vornemblich in düsse Gegend gewesen, sin alle Hüser, de up den schlichten Felde gestahn, weggedreven,* seu *A. C. 1354. Nulli aggeres, nulli tumuli præsertim in hisce locis fuerunt; ergo omnes casæ in plano positæ sunt disjectæ.* Castra ac spatia illa, quæ in utraque ripa chersonesi Cimbricæ Tacitus tantopere admiratur, quid aliud

aggeres maritimi olim jam prostabant.

ſunt, quam aggeres ad excludendos maris impetus facti. Saxo Gramm: de his regionibus ita loquitur, ne æſtus irrumpant, vallo omne littus præcingitur. Hieme continuo celatur æſtu, ſtagni ſpeciem præbentibus campis; Ergo:

(2) Cap. 2. *Min Gutdüncken iß, dat de Stadt Milda in der groten Floet A. C. 1354. de Mandrenckels genannt, undergegahn ſy.* ſeu, *Meo judicio interiit urbs Milda in omnium maximo cataclysmo A. C. 1354. quam Mandrenckels vocitarunt.* Reædificatum eſt templum Milſtadianum in hoc loco, in quo jam poſitum eſt, A. C. 1300., quod citra neceſſitatem factum non eſt. Ergo interiit urbs Milda in iſto magno diluvio A. C. 1300. d. 16. Jan. quia diu ſacris non potuerunt carere.

Milda urbs diluvio periit; hinc Milſtadianum templum exſtructum.

(3) Cap. 3. *Die Milda hefft ehren Uthgang gehabt in de Oume, de na Huſum geit.* ſeu *Fluvius Milda exitum ſuum habuit in alveum Ouwe Huſienſis.* Milda fluvius primis temporibus in Eydoram arctoam decucurrit, quæ ipſi præforibus erat, ita ut non neceſſum haberet, per campos Milſtadianorum & Rademeſſanorum novum curſum & novum oſtium quærere.

(4) Eod. c. *Dar tho vorn de Water ſo hoch nicht gelopen; vor der Hever ſin grote Sandduynen gelegen, bir klene Ouwen na der tidt, do de Sandduynen wegſchlögen, und de Water höger begünden tho gahn, hebbon de Lüde an dieſem Orde angefangen Sommer Dycke tho macken.* ſeu *Ubi antea mare in mediocrem tantum exſurgeret altitudinem; b) in orificio Heveræ erant magnæ dunæ, in noſtris vero locis c) parvi rivuli, d) poſtquam dunæ diſſipatæ eſſent, & e) oceanus indies indiesque creſceret, f) æſtiva exſtructa hic ſunt maritima munimenta.*

(a) Et antea quoque ſæviit mare, quod teſtantur creberrima diluvia, præcipue vero ingentes & alti tumuli ubique locorum, qui non ad oſtentationem quandam, ſed ad neceſſitatem ſunt excitati, ut tuti eſſent penates ab aqua. b) Nullæ conſpiciuntur dunæ. c) Primis temporibus d) nullæ dunæ fuerunt; ergo non poſſunt diſſipari. e) Oceanus non creſcit, ſed fit minor propter effectum ſolis & innatam ſiccitatem terræ.

dunæ quondam non exſtiterunt.

(5) Cap. 4. *De von der Wiſch, Rantrum und Milſtett hebben by dem Biſchoppe tho Swaveſtett Nicolaus Wolff und Paul Seeſtett Ambtmann tho Gottorff angeholden, dat ſe de Nord Eyder äwerdicken mochten.* ſeu *Wilſchiani, Rantrummenſes & Milſtadiani inſtant Epiſcopo Suaveſtadienſi Nicolao Wolff & præfecto Gottorpienſi Paulo Seeſtett, ut arctous Eydoræ alveus obſtruatur.*

Dubium chronol. Nicolaus Wolffius obiit A. C. 1474. teſte Joh. Ad. Cypræo in ann. Epiſc. Slesw. f. 368. Chorium Dammianum occupatum eſt ſimul & ſemel A. C. 1489. quomodo hæc cohærent?

X. Ad ADAM TRATZIGERI D. & Syndici Hamb. Chronica und Jahr-Bücher der alten weitberühmten Stadt Hamburg von der Zeit Caroli desGroſſen biſs auf das Kayſerthumb Caroli 5. mit beſonderen Fleiſs aus glaubwürdigen Geſchichtſchreibern, alten Jahr-Büchern, Brieffl ichen Uhrkunden, Receſſen und Handlungen zuſammen gezogen &c.

Obſervationes

(1) Fol. 1. *Hamburg leit im Lande Stormarn,* ſeu *Hamburgum ſita eſt in Stormaria.* Dreſſerus in millen. p. 1. ponit, quod illa urbs Hamb. ſit ſita in finibus Stormariæ & Saxoniæ, ſed apologia Hamb. provocat ad ocularem inſpectionem, & vult probare per illam, quod urbs per varia brachia Albis ſit ſeparata a terra continenti Stormariæ.

Hamburgum an ſit in Stormaria

(2) *Die Marſch-Leute, die ihren Nahmen von ihren Elter-Vater dem Marſo empfangen, und nu in die drey tauſendt dreyhundert etlich und funffzig Jahr anhero behalten, rühmen mügen, werden auch ſambt denen, die auf harteren Erdreich wohnen, Holſtein und Wagern gebeiſſen, und von Ptolem. Sachſen genomet. Cimbri & Teutones,* ſeu *Homines Marſici, qui a conditore Marſo illud nomen habent & ab annis 3354. ſervant, vocantur, ut & illi, qui in editioribus locis habitant, Holſati & Wogrii, & a Ptolemeo Saxones, communiter Cimbri, & Teutones. Vide infra. Porro: was Saxo Gramm. von der Dänen Kriegen und Handelen wieder die Sachſen erzehlet, ſeindt etliche Mährlein und Fabeln, erachte es unnürdig* ſeu *Saxonem Grammaticum toto opere de Danorum bellis contra Saxones nihil afferre præter fabulas, & plus quam alia delitramenta.* Conſtat, & non modo ſcriptorum conſenſu, verum etiam ipſa experientia probatur, niſi Saxo Grammaticus fuiſſet & nobis integram & fere abſolutam hiſtoriam de Danis & Balticæ mari circumjacentibusque populis edidiſſet, nihil Danus, Suecus, Norwegius, Finnus, Livonus, Mechlenburgicus, uterque Pomeranus, uterque Saxo, uterque Friſo, uterque Jutho, item Brito cum Scoto nihil efficere potuiſſet; Quodcunq; antiquitatis unusquisque eorum poſſidet, id quodammodo ſibi vendicat Saxo. Quare qui Saxoni fidem non habet, injuriam facit his gentibus: nam earum probationes & hiſtoriæ ex Saxone ſolum ſunt petendæ.

Vindicia pro Saxone Gramm

(3) *Ptolem. hat gelebet nach Chriſti Gerubrt 100.* Ptolemæus vixit ſub Hadriano. A.C. 118.

(4) *Der Babſt Benedictus iſt umbs Jahr Chriſti 956. zu Hamburg geſtorben, und liegt daſelbſt im Thum begraben.* Petrus Lambecius notat, anno 965. illum mortuum eſſe.

Bened. Papa annus emortualis.

XI. In M. HENR. BUNTINGII Braunſchweigiſche und Lünebl. Chronica, darinnen man was lange für und nach Chriſti Gebuhrt in dieſen Landen für herrliche Thaten geſchehen &c. A. 1586.

Additiones.

(1) F. 1. *Für Chriſti Gebuhrt haben die Sachſen in dieſen Landen mächtige Könige gehabt, die*

die mit dem Könige in Dennemarck groſſe Krieg gefuhret haben, denn Heinrich, ein mächtiger König der Sachſen, ward von Gramm, dem berühmten König von Dennemarck auf ſeiner Hochzeit ſchleunig überfallen und erſchlagen, ſeu Ante Chriſtum natum Reges Saxoniæ, magna bella geſſerunt cum Rege Daniæ, Henricus enim Rex Saxoniæ a Grammo Rege Daniæ ipſo nuptiarum die interfectus. Hiſtoria de Henrico & Grammo acta eſt ante Chriſtum natum 230. & tum temporis Saxones non habebant Regem. Primus enim eorum Rex & Artarichus, qui vixit ante Chriſtum natum 90. ann. Henricus eſt nepos Juthonis, principis Friſiæ ſept. & maris Imperatoris, & præfectus eſt Juthlandiæ ex conſilio patris Ubbonis & ſoceri ejus Geroldi Saxonis filii, habitavit in Juthia, & non fuit Rex Saxoniæ. Sic Syfridus, Hundingus & Gelderus non fuerunt Reges Saxoniæ, ſed tantum Duces, & habuerunt ſuas ſedes partim in Friſia minori, partim in Holſatia, partim in Juthia. Et fol. 8. de *Hanefut & Suertingo.* Et fol. 9. de *Siwaro* idem judicandum. Illi enim non in Weſtphalia vel in Saxonia, ſed in ipſa Juthia, vel in contermina Holſatia habitarunt; quamvis Saxo Grammaticus, cujus authoritas plurimum apud me valet, Gelderum Regem Saxoniæ ipſum nominat, in cujus gratiam & ego hunc Gelderum pro Rege Saxoniæ habebo.

Error. notatus de primis Saxonum regibus.

duces tantum fuerunt.

Gelderus Rex.

(2) Eod. f. 1. *Als Gelderi Corper erſtlich auf dem Schiffe zu Aſchen verbrant war, ſeu Poſtquam Gelderi corpus primum in navi in cineres redactum eſſet.* Hoc ego ex Saxonis Gramm verbis lib. 3. quod Gelderi corpus in navi ſit compuſtum, non poſſum colligere. Ita enim ille ait: Gelderum Saxoniæ Regem, remigum ſuorum cadaveribus ſuperjectum; & rogus ex navigiis propter defectum ligni extructus & ita crematus Gelderus; non in navi, quod ſine periculo non erat, ſed in littore maris ſinedubio.

Gelderus non in navi crematus.

(3.) Ibid. *in einem beſondern Kampffe an der Oder, ſeu In ſingulari quodam certamine ad Oderam.* Sed ad Eydoram illud certamen fuit, quia Wermundo Regi Daniæ & ipſius filio Uffoni lis erat cum Saxonibus, qui ad Eydoram & non cum Wandalis, qui ad Oderam habitant, de jurisdictione.

certamen ſingulare ad Eideram, non Oderam.

(4) Eod. *p.* 2. *Im Jahr für Chriſti Geburth 113. ſind die Cimbri aus Jütland, und die Niederſachſen Teutones genannt, darumb daſs ihr Land von der mitnächtigen See überſchwemmet war, in Italiam und Illyricum gekommen,* ſeu *Ante nativitatem Chriſti 113, (a) Cimbri ex Juthia & inferiores (b) Saxones, qui (c) Teutones vocantur, propter (d) maris ſeptentrionalis diluvium, a qua inundati (e) Italiam & Illyricum petere compulſi.*

a) Si recte calculum poſui, eſt annus 111. poſt Chriſtum natum.

b) Inferiores Saxones &c) Teutones hic, ut etiam infra, ſunt termini convertibiles.

d) Hic ego intelligo mare Balthicum, cum vero ab illo nobis nullum impendet periculum, ſubſtituam illud mare, a quo Cimbri illi infeſtati & ſedibus ſuis ſunt expulſi, & illud mare dicitur Germanicum, Cimbricum, Britanicum: rectius vero eſt oceanus, qui ambit univerſam mundi machinam.

e) non Italiam & Illyricum ſaltim, ſed Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, immo totam Europam armis infeſtis pervadunt, concutiunt & tremefaciunt; ad internecionem tandem a Romanis ad aquas Sextias deleti.

Cimbrorum migrationes expeditiones, tandemque internecio.

(5) Eadem p. 2. *Die Teutones ſeyn Niederſachſen geweſen:* Eſt petitio principii, incertum per æque incertum probatur. Tu dicendo, ego legendo, ambo feſſi ſumus; Utinam aliquis meam deductionem coloniarum admitteret, res ſtatim expedita foret neque ita incerto lare vagaremur.

Teutones fuiſſe Saxones haud ſatis explanate provonitur.

(6) Fol. 3. *Die Teutones und Marſen haben gewohnet an dem Orte, da ietzo die Dithmarſen wohnen.* Ergo Teutones & Marſi iſti a Dithmarſis ſunt ejecti & ad quærendas novas ſedes compulſi, quod tamen nunquam legi.

Teutonum & Marſorum quondam ſedes.

(7) Fol. 7. *A. C. 20. nach dem Tode Harminii, den wolten die Frieſen, den die Heſſen, den die Sachſen, den die Longobardi die obriſten ſeyn,* ſeu *Poſtmortem Harminii inter ſe Friſii a) Haſſi, b) Saxones, & c) Longobardi de principatu contendebant.* Sed A. C. decimo ſexto puto. a) De Friſiis nulla controverſia eſt. b) Nomen Haſſi circa hoc temporis nulli auditum. c) Nominis & ſedium quæſtionem non patiuntur. d) An ea tempeſtate Longobardi in Germania fuerint, dubitatur.

8) Fol. 17. *Hertzogen Wigberten ehel. Gemahl war Sindacilla, eines Hertzogen aus Frieslandt Tochter.* Sindacilla oriunda ex illuſtri ſtirpe Comitum in Friſia & Normandia, quæ ſuam originem habet ex regia familia Friſica Radbodorum in Helgolandia.

Sindacilla ex ſtirpe Friſ. Radbodorum progenata.

(9) Fol. 33. *und der König Harald von Dennemarck hinfort ſein Königreich vom Röm. Kayſer, als ein Reichs-Leben zu empfahn verpflichtet ſeyn ſolte,* ſeu *Ut in poſterum Rex Daniæ Haraldus tanquam vaſallus quoad regnum Daniæ ab Imperatore Romano inveſtiretur.* Hoc argumentum Danus quidem non concedit.

Dania feudum imperii Rom. perhibetur.

(10) Fol. 113. *p.* 2. *Hertzog Wilhelm der Elter zu Braunſchweig hat dem König von Dennemarck Erico eine Schlacht abgewonnen für Flensburg A. C. 1429.* Ope & præſidio Holſatorum, oppidum Apenradam & caſtrum Burlund expugnavit. De cetero in hiſtoriis Danicis nihil.

Wilh. D. Brunſv. capit Apenradam cet. prælio ſuperior nullibi memoratur.

XII. Warhafftige und kurtze Verzeichniſs des Krieges, in welchem König Friderich zu Dennem. der 2. und Ihro Königl. M Vettern, Johann und Adolph, alle Hertzogen zu Slesw. Holſtein, Ao. 1559, wider die Dithmarſchen geſieget, darinnen von der Dithmarſchen Urſprung und Herkommen Meldung geſchicht Ao. 1569.

Recognitiones.

(1) Fol. 1. *ſambt andern umbherliegenden Inſulen, als Alſsin, Angeln, Suantzen, Femern, Eyderſtett, Strandt, Föhr, Silt, H. Land, Buſen, wie es von Hamburg an nach der Schagen in Jüthlandt ſtrecket, iſt von dem Tacito, Plinio, Ptolemeo und Strabone Cimbrica cherſoneſus, und die Völcker darinne Cimbri genennet worden,* ſeu *Inſula Alſa, Angulia, Suantia, Fimbria, Eyderſtadia, (a) Nordtſtrandia, Föhra, Silta, Helgoland & Buſena (b) ab Hamburgo ad Schagen, a Tacito, Plinio, Ptolem. & Strab. (c) Cimbrica cherſoneſus, & populi ejus Cimbri vocati.* Juthia olim Cherſoneſus Cimbrica, in quo conſentiunt Saxo Grammat., Altham., Birckm. & communiter omnes, & Tacitus Juthiam cherſoneſum Cimbricam & gentem Cimbros ſolito nomine appellavit; quo nomine etiam apud Strabonem, Plinium, Ptolem. & Melam vocitantur:

Jutia olim cherſoneſus Cimbrica.

Peucerus, Jutas, Gutas, Guthones; Parvus Gothos nominat. Populi in Ar, Alſen & Mon, Tacito ſunt Arii, Eliſii & Monimi.

Arii, Eliſii & Monimi ap. Tacit. quinam?

(a) Angulia, Suantia & Eyderſtadia non ſunt inſulæ, ſed peninſulæ.

b) Hamburgum falſo Cimbricæ cherſoneſo adnumeratur, ſed juſto longius producti Cimbrorum fines.

Hamburgum Cimbriæ finibus excluſum.

c) Tacitus, Plinius, Ptolom. & Strabo longe aliter ſentiunt.

(2) *Von Gomer kommen die Cimbri, wiewohl in den Buchſtaben etl. maſſen ein Veränderung.* Eſt modica literarum deflexio. Gomer, & ex eo Cumer, & inde Cumber, hinc Cimber fit, & utcunque proferatur, nihil aliud ſignificat quam poſteritatem ex Gomero deſcendentem.

Cimbri a Gomero derivandi.

(3) *Haben ſich anfänglch bey dem Bosphoro Cimerico niedergelaſſen.* Hæc deſumpta ſunt ex chronico Carionis. Et Strabo ex veterum traditione ſcribit, Cimbros usque ad Mæotidem paludem excurſiones facere ſolitos.

Cimbri juxta paludem Mæotidem conſidentes.

(4) *Als die Cimbri aufbrachen, zogen auch die Umbſaſſen, nemlich die Getæ, Daci, Suevi, Teutones, und die noch ihre Nachbaren ſeyn, die Gothi, Dani, Suedi, & Teutones genannt, etliche zugleich mit ihnen aus,* i. e. *Cum (a) Cimbri relinquerent ſedes, una cum illis profecti Getæ, (b) Daci, (c) Suevi, (d) Teutones, & adhuc quidam eorum vicini Gothi (e), Dani (f), Suedi & Teutones.*

a) Gomerus duxit Cimbros in Cimbricam cherſoneſum. b) non in Cimbr. cherſon., ſed in partem aquilonarem veniunt. c) In Scythiam. d) in Germaniam. e) a Getis Gothi deſcendunt in Sveciam. f) a Dan Dani, in Daniam.

Gomerus Cimbros deduxit in Cimbriam.

(5) *Das Wörtlein Cimbri ſoll von dem Kämpffen entſproſſen ſeyn, und will ich deme Glauben geben.* Cimber eſt originis hebrææ & derivatur ex Gomer, Comer, & ex eo Cumer; inde Cumber, hinc Cimber, ut modo dictum, & utcunque proferatur, eſt nomen proprium. Cumera vocata Bocchi Cimbrorum Regis filia, Juthonis principis Friſiæ ſeptentrionalis & maris imperatoris uxor.

Cimbri etymon ex hebr. deriv.

Cumera Bocchi R. Cimb. filia.

(6) *Die Cimbri haben keine Könige noch Landes-Fürſten unter ſich gehabt; ſondern zu Krieges-Zeiten wehleten ſie einen Hertzogen.* Sed Thuroltus fuit Rex Cimbrorum, ante Chriſtum 700. annis. Bocchus, Cimbrorum Rex ante Chriſtum natum 308. an. Bolus Rex Cimbrorum, ante Chriſtum natum 105. Ann. Nonne igitur habuerunt Reges?

Cimbri habuerunt Reges multis ante C. N. ſeculis.

(7) *Jütland iſt bey nahe um Chriſti Geburt von den Däniſchen eingenommen worden.* Corn. Tacitus, qui poſt Chriſtum natum plus quam centum annis invivis fuit, Cimbros huc ſua memoria in Cimbrica cherſoneſo novit. Oppreſſi tandem ſunt Cimbri a Danis a. C. 4.

Cimbri a Danis oppreſſi.

XIII. JOH. PETERSEN CHRONICA der Lande zu Holſtein, Stormarn, Dithmarſchen und Wagern, ZEIT-BUCH, wer die Lande regieret, was ſich darinnen zugetragen. A. 1555. herausgegeben.

Notæ.

(1) Fol. 1. *Die Holſten ſeyn kurtz nach der Sündflut hin dis Land, wie Beroſus zeuget, kommen.* Holſati ut Holſati non brevi poſt diluvium in Holſatiam, ſed ante Chriſtum natum 321. vel paulo poſt tot annos, non ſecundum Beroſum, ſed ſecundum æræ Friſonicæ & Saxonicæ commune caput venerunt.

Holſatorum in Holſatiam adventus quando?

(2) Fol. 2. *Mannus der ander König der Teutſchen habe gelebet A. M. 3200. Ingevon der dritte König der Teutſchen A. M. 3283, Die Dännemärcker werden unter die Teutſchen gerechnet und Ingevones von dem Plinio genennet: alſo Iſtevon,* A. M. 3301. Hermion A. M. 3323. Marſus A. M. 3370. *hat bey der Elbe gewohnet, die Oerther beſetzet biß an die Eyder, da dieſelbige in die Weſt-See läufft, da nun Huſum liegt.* i. e. *Mannus a) 2dus Rex Teutonum, vixit A. M. 3200. Ingævon b) 3tius Rex Teutonum A. M. 3283. Dani c) Teutonibus annumerantur & vocantur a Plinio Ingævones. Ita Iſtevon d) A. M 3301. Hermion e) A. 3323. Marſus f) A. M. 3370. habitavit ad g) Albim, colonias duxit ad Eydoram, ubi ſe illa in oceanum exonerat, eo loci h), quo nunc Huſium ſitum eſt.*

Regum Teutonic. quorum, ætatum & ſeries.

Obſerva a) Mannus vixit A. M. 1970, non 3200. b) Ingevon vixit A. M. 2000. non 3283. c) non hæc eſt mens Plinii d) Iſtevon paulo poſt Ingevonem vixit non 3301. p. C. n. e) Hermion vixit A. 2025. non 3323. f) Marſus deinde poſt Hermionem. Hi omnes ſunt referente Beroſo Tuiſconis filii, qui vixit A. M. 1757. vel 1790. & ductores & Archegi gentis alicujus poſſunt eſſe. An vero cum jam A. M. 1757. inter poſteros Nohæ orbis terrarum diviſio eſſet facta, illi ſtatim in Reges evaſerint, valde dubito. g) Ergo Marſica colonia in Dithmarſia fuit ante Dithmarſiam, & eſt illa ejecta

ejecta ab hac, quod probandum h) Husium situm est ad Heveram, non Eydoram.

(3) Fol. 2. *Die Holsten haben ihren Nahmen überkommen, daß dieselbige in die Wälde und Höltzer gezogen, darinnen Häuser gebauet, und sich enthalten.* Constat, & cuivis obvium est omnes civitates, vicos, pagos & loca habitabilia, quæ hodie sunt in Holsatia, non in silvis sita esse, nec unquam ibi silvas vel nemora fuisse. Ergo ut nec saxis ita nec silvis Holsatia adeo insignis est, ut inde nomen sortita videri debeat.

Holsati non a silvis & saxis dicti.

Vallibus Hæmoniæ? dulces quid ubique receſſus
Muſarum loca, conſeſſu loco digna Deorum &c.

hodierna. Quantum nunc ad ſitum Heſſiæ attinet, Thuringia & Wetteravia, hodie, ut in ſequentibus docebitur, Haſſiæ non omnino, quemadmodum olim, ſunt adjuncta; ſed a Thuringia omnino, a Wetteravia vero ex parte diviſa habetur. Confinem tamen verſus orientem habet Thuringiam; Franciam, & Abbatiam Fuldenſem; verſus Septentrionem Ducatum Brunſuicenſem: Verſus occidentem ad Rhenum usque deducitur. Obſervandum etiam eſt, Heſſiam nunc habere Dominum, Comitem provincialem, & Imperii Principem: Cattomelibocenſes vero ſub hujus quoque Ducis gubernatione & dominio tranquille vivere; horumque terras in duos comitatus dividi, in ſuperiorem videlicet, prope Rhenum, ſupra Francofurtum Heydelbergam verſus, cujus metropolis eſt Darmſtadium, cujus quoque reſpectu Haſſia verſus meridiem finitimos ſibi veteres habet Vangiones & Nemetes: Tum in inferiorem, in quo S. Goarine civitas præcipua eſt. Et hi duo comitatus olim fuerunt comitum Cattimelibocenſium, quod vulgus barbarum contorſit in populari lingua Catzenelnbogen cum vocabulum illud ex voce Cattus & monte Meliboco ſit compoſitum, & ut Beatus Rhenanus in lib. de reb. Germ. teſtatur, Cattimelibocenſium populos, ſive die Catzenelnbogiſchen ſignificet. Jam vero, ut ſupra dictum eſt, uterque Comitatus, quemadmodum etiam Ziegenhainienſium, Diecenſium, Niddenſium, & Baronatus Eppenſteinii terra Heſſiæ Land. graviorum gubernationi ſubjacet; Heſſicoque territorio annumeratur. Ex quibus omnibus clariſſime patet, Comitatus provincia, lis Heſſiæ principatum eſſe potentiſſimum, ejusdemque Principes, ut nec pietate, nec juſtitia, nec virtute ſic nec divitiis, nec territorii amplitudine ab ullo Germanorum Duce ſuperari.

De vetuſtis aliquot Heſſiæ Principibus.

SECT. V.

Principes H. vetuſti. Si Germani ſedulos & doctos & tales in principio regni ſui habuiſſent hiſtoricos, quales Græci & Latini. glorioſius etiam eorum res geſtæ in lucem evulgarentur. Quoniam autem illud tam temporum injuria, quam ſcriptorum inopia non eſt factum; difficilius quodammodo & inertius Germanorum tractantur hiſtoriæ; quod Heſſis & Cattis quoque hac in parte accidere comperio: Cum enim quorundam Heſſiæ Principum & Gubernatorum res geſtas a ſcriptoribus aut plane præteritas, aut tantum ex parte, ſine ordine & diligentia calamo mandatas video; in propoſito hoc meo negotio non ſatis feliciter progredi; & cæptam pro debito Heſſorum Ducum hiſtoriam continuare valeo. Unde boni conſulendum, mihique ignoſcendum oro: ſi nonnunquam eaquæ non omnes probaturi ſunt, attulero.

Nonnulli, qui Heſſiæ Principum Landgraviorum ſtemmatologiam ordiri & contexere voluerunt, a Waramundo alterius Regum Francorum linæ initium ſumpſerunt. Videntur quidem illi ſuas hac in parte habuiſſe rationes. Mihi vero, qui ſimiliter hiſtoriis ſtudeo, placuit probabilibus de cauſis aliter inchoare: Cattorum enim & Heſſorum populos cum non ſolum a Francorum Rege Waramundo, verum etiam ab aliis ante Waramundi tempora gubernatos eſſe animadverto; illos antequam ad cæteros deveniam Reges & Principes, qui cum Thuringis & Heſſis multorum præliorum victorias obtinuerunt, & qui Thuringos & Heſſos tunc temporis coniunctos ad prælia eduxerunt, breviter commemorabo:

Quos nonnulli hoc ordine collocant.

Antenor I. I.

Antenor primus Rex Francorum vixit annum circiter 440. ante Chriſtum natum; Cæſus in prælio contra Gothos obiit.

Marcomirus. II.

Macromirus ſecundus Rex Francorum, filius Antenoris, bellicoſus Princeps, regnavit circiter annum ante Chriſtum natum 439. ſuo-

suoque post obitum Patris 28. annos regno præfuit. A Germanorum vero impetu cum tutus vivere non posset, ad Saxones profectus, pacem cum illis iniit, & plurimos deinde Germaniæ populos, inter quos Thuringos quoque, quibus Catti & Hessi conjuncti fuerunt, gubernavit.

III.

Antenor 2. Hunc Anno ante natum Christum 412. secutus est Antenor 3. Rex Francorum, Marcomiri filius, qui 30. annos patrio præfuit imperio, uxorem habuit Chambram, Britanniæ Regis filiam; heroinam prudentissimam, ex qua genuit Priamum.

IIII.

Priamus Priamus Antenoris filius 4. Rex Francorum vixit anno ante natum Christum 382. & 26. annos regnavit. Quinto anno hujus Regis, Franci, quos secum eduxerat Marcomirus, germanice loqui cæperunt, cum jam aliquot annos apud Saxones habitassent.

V.

Helenus 1. Helenus Priami filius Rex Francorum quintus, anno 356. ante natum Christum ad imperium evectus, 19. annos regnum administravit: Princeps severus & iracundus subditos suos immanissima vexavit tyrannide, & præter majorum suorum consuetudinem infantes Deæ Palladi sacrificavit: Crudelia tamen cum Gallis ultra Masæ flumen bella gerens, multa castella, multas urbes, & magnam apud Tungros ditionis partem assecutus est.

VI.

Diocles. Diocles Francorum Rex sextus 99. annos gubernationi præfuit, anno ante Christum natum 337. Fuit civis sui strenuus defensor; Gothorum vero & Gallorum, quos sæpius ingenti clade fudit, hostis acerrimus.

VII.

Helenus 2. Helenus 2. Diodis filius, Rex Francorum 7. regnavit annos 40. ante natum Christum anno 298. Princeps mollis & effæminatus, qui cum semper luxui & voluptati quotidianæ deditus domi delitesceret, & populos suos foris in prælio trucidari pateretur, regno privatus est.

VIII.

Basanus. Basanus, Heleni frater, & Dioclis filiius, Francorum Rex 8. imperavit annos 36. anno ante natum Christum 258. Cultor justitiæ severissimus, qui filium in adulterio deprehensum decollavit, non se sed leges patrias punire & occidere inquiens.

IX.

Clodomirus. Clodomirus Basani filius annos regnavit octodecim 222. ante Christum natum anno. Rex fuit Francorum 9. & fortiter contra Gallos pugnans, victoriam adeptus est.

X.

Nicanor. Nicanor, Rex Francorum decimus, Clodomiri filius, annos regnavit 34. & acria multa, ut majores sui, contra Galliæ & Gothorum populos bella gessit, ad imperium pervenit anno Christi 204.

XI

Marcomirus 2. Marcomirus secundus, Francorum Rex undecimus, Nicanoris filius, regnavit annos 28. Princeps justus, comis, sapiens, Astronomiæ quoque & Poëseos studiosissimus; Innumera cum Romanis, Gallis & aliis bella gessit, regnumque a proavis acceptum latissime amplificavit, principium imperii ipsius fuit anno Christi 174.

XII.

Clodius. Clodius Marcomiri filius Rex duodecimus, Francis suis undecim annos imperavit, anno ante natum Christum 146. Princeps fortis, qui vario Marte contra hostium vim usus, tandem in acerrimo contra Romanos & Gallos prælio cæsus occubuit.

XIII.

Antenor 3. Antenor tertius, Clodii filius, Francorum Rex 13. anno ante Christi cunas 135. sedecim regnavit annos. Hic abominanda majorum suorum sacrificia prohibens, ne inposterum, ut ante factum erat, infantes Diis mactandi offerrentur, vetuit.

XIIII.

Clodomirus 2. Clodomirus secundus, Antenoris tertii filius. Francorum 14. Rex, annos regnavit 20. & Gallos aliquoties auxiliantibus Germanis magna clade affecit, auspicatus est Imperium anno Christi 119.

XV.

Merodocus Merodocus, Clodomiri secundi filius, Francorum Rex 15. Princeps fortis & magnanimus, annos regnavit 28. & Saxonibus, Thuringis, quibus veteres & Catti & Hessi conjuncti fuerunt, aliisque Germaniæ populis adjuvantibus, Romanorum Gallorumque copias sæpe fudit. Profectus est in Italiam Ravennam usque. Tandem cum Mario congressus aliquot millia suorum in prælio amisit. Anno Christi 99. imperare cæpit.

XVI.

Cassander. Cassander Merodoci filius, Francorum Rex 16. unum & viginti annos regnavit, Princeps bellicosissimus Romanos & Gallos crebro vicit; Borbistam quoque Gothorum Regem Saxoniæ finibus expulit, fasces regni Anno Christi 71. accepit.

XVII.

Antheirens. Anthericus Cassandri filius Rex Francorum 17. Annos 12. imperio præfuit, Moguntiam præsidiario Romanorum milite custoditam misere fastavit & exussit; Gallíam etiam populatus est, a cujus tandem populis victus, & cum viginti millibus suorum cæsus sus, non sine ingenti Francorum strage oppressus est.

XVIII.

XVIII.

Francus. Francus Antherii filius, Francorum Rex 18. Annos 28. imperio præfuit. Perpetuum fædus cum Saxonibus, Thuringis, Cattis, & aliis confinibus populis erexit, cujus fœderis ſummam & argumentum in perpetuam rei memoriam tabulis argenteis inſculpi juſſit, & cum novis confœderatis ſuis Gothorum Regem aggreſſus eſt; in qua pugna cum milites Reges ſui nomen Francus Francus crebro acclamarent, victoria potiti ſunt, & octodecim millia Gothorum interfecerunt. Commiſſum eſt hoc prælium Anno ante natum Chriſtum 24. Poſt hæc trecentis millibus millitum ſtipatus Francus, cum ſociis in Italiam perrexit; & ducenta millia Gallorum, una cum imbelli fœminarum & parvulorum turba, immaniſime trucitavit. Ab hoc Rege potentiſſimo, patriæque defenſore invictiſſimo, FRANCO, ſubditi ejus nomen ſortiti, & primo FRANCI dicti ſunt.

XIX.

Clogius. Clogius, vel Germanice Clugius, prudens, regnavit annos novendecem, Princeps callidiſſimus, Aſtronomiæ & Magiæ deditus; veneficiis & portentis ſuis hoſtes creberrime terruit, Tyberium quoque, qui poſtea Romanorum Imperator deſignatus eſt, pro Quiritibus ſuis ſtrenue pugnantem, in fugam vertit. Sub hoc Rege CHRISTUS JESUS Dei filius in humani generis ſalutem natus eſt.

XX.

Herimerus. Herimerus, Clogii filius, Francorum Rex 20. Annos 12. regnavit, circiter annum nati Chriſti 21. a Gallis ſemel atque iterum graviter læſus, ad juſtam tandem vindictam tractus eſt, ſuosque & patriæ communes hoſtes feliciori Marte aggreſſus, maxima clade affecit; a quibus tamen ipſe demum varias belli vices expertus interfectus eſt.

XXI

Marcomirus. 3. Marcomirus tertius, Herimeri frater, Francorum Rex 21. circiter Chriſti annum 33. octodecim annos regnavit; multa cum Gallis & Romanis bella geſſit; Moguntinenſium quoque, Treverenſium & Colonienſium urbem & agros, tempore paſſionis Domini & Salvatoris noſtri JESU Chriſti, miſere depopulatus eſt.

XXII.

Clodomirus 3. Clodomirus tertius, Marcomiri 3. filius, Francorum Rex Anno Chriſti nati 51. regnavit annos 12. Aliquoties contra Romanos & Gallos pugnavit ſed Moguntia eos expellere non potuit.

XXIII.

Antenor 4. Antenor 4. Clodomiri 3. filius, Francorum Rex 23. regnavit annos ſex Anno Chriſti 63. Aſſidue cum Gallis & Romanis pugnans in Moſæ fluvio cum equitibus ſuis ſubmerſus periit.

XXIIII.

Ratherus. Ratherus, Antenoris 4. filius, 24. Rex Francorum, regnavit annos 21. circiter 69. nati Chriſti annum, Princeps animoſus & militaris diſciplinæ ſtudioſiſſimus. Fertur hic Roterodamum, patriam doctiſſimi Viri, Phœnicis liberatorum Germaniæ, Erasmi Roterodami, in Batavia condidiſſe, in qua urbe ipſe quoque ſepultus eſt.

XXV.

Richimirus. Richimirus Ratheri filius, 25. Rex Francorum, Anno Chriſti 90, regnavit annos 24. Heros fortiſſimus, militiæque peritiſſimus, cum Saxonibus & Cattis ſuis, aliisque confœderatis viginti circiter millia Gothorum trucidavit.

XXVI.

Odemarus. Odemarus Richimeri filius, Francorum Rex 25. Anno Chriſti 114. regnavit annos 14. Hic cum Romanis & Gallis ſine bellicis tumultibus pacifice vixit; unde non immerito veteres tam Quirites quam Galli obitum ejus ægerrime tulerunt.

XXVII.

Marcomirus 4. Marcomirus 4. Odemari filius, Francorum Rex 27. Anno Chriſti 128. regnavit annos 21. Pacem ſimiliter cum Romanis & Gallis coluit. Hic primus urbem Marpurgenſem, ſuperioris Haſſiæ Regiam præcipuamque in Germania noſtra Muſarum hoſpitam, condidiſſe fertur.

XXVIII.

Clodomirus 4. Clodomirus 4. Marcomiri 4. filius, Francorum Rex 28. Anno Chriſti nati 149. Francis ſuis ſeptendecim annos pacifice imperavit.

XXIX.

Farabertus Farabertus, Clodomiri 4. filius, Francorum Rex 29. Anno Chriſti 166. regnavit annos 20. Fœdus cum Saxonibus, Thuringis, Cattis, & aliis populis conterminis renovavit, horumque auxilio Romanos, Gallos, aliosque regni ſui hoſtes aliquoties ſtrenue profligavit.

XXX.

Sunno. Sunno Faraberti filius, Rex Francorum 30. Anno nati Chriſti 186. Annos 28. regnavit, & acerrima pro ſuorum defenſione contra Romanos & Gallos bella geſſit.

XXXI.

Huldrichus. Huldrichus, Sunnonis filius, Francorum Rex 31. Anno Chriſti 214. regnavit 40. annos. Princeps erat Romanis propter aſſidua bella, quæ movebat, terribilis. Sub hoc Rege in Germania paulo expolitius & cultius ædificari cæptum eſt; Veſtes præterea, aliique hominum ornatus ſplendidiores quam ante confecti ſunt: Cum enim Franci in Germania nulli vel faſtui vel ſuperbiæ, utpote genus ad bella natum dediti erant, ſimplicisſime, & ſine omni cultu & ornatu vivebant

bant unde adhuc hodie illud, quod exquisiti cultus supervacaneum fastum nullum præ se ferre cernimus, peculiariter gut altfranckisch dicere consuevimus. Illa tamen inculta Francorum ruditas & agrestis simplicitas sub hoc Rege, ut antea dictum est, paupulum desiit.

XXXII.

artherus. Barthérus Huldrichi filius, Francorum Rex 32. Anno Christi 254. regnavit 18. annos. Heros bellicosissimus regni sui decimo anno cum exquisitissimo Hessorum, Westphalorum, Saxonum, Thuringorum, & aliorum confœderatorum suorum apparatu bellico Ravennam usque profectus, Italiam horrendis cladibus crudeliter vexavit. Postea & Galliam adortus, latissime eam vastavit, & multis populationibus gravissime afflixit; tandem præda potitus amplissima, & ingentibus onustus spoliis, victor cum suis in Germaniam reversus est.

XXXIII.

lius. Clodius secundus, Rex Francorum 33. Anno Christi 272. regnavit annos 20. Princeps Justitiæ amator insignis, suorumque defensor strenuus. Sub Imperatore Probo semel a Romanorum copiis cæsus, circiter quindecim millia suorum amisit. Anno autem Imperatoris Probi quarto multos rursus Gallos & Romanos fortiter trucidavit.

XXXIV.

itherus. Waltherus Clodii filius, Francorum Rex 34. Anno nati Christi 292. regnavit annos 8. Sub hoc Rege a Romanorum Imperatoribus Diocletiano & Maximiano Christiani maxima & horrenda persecutione affiicti sunt.

XXXV.

gowertus. Degowertus Waltheri filius, Francorum Rex 35. regnavit annos plus minus 6. Princeps mansuetus; Justitiæ tamen, legumque sacrarum custos vigilantissimus, in ipso juventutis flore, quietam domi vitam agens mortuus est.

XXXVI.

gius 2. Clogius vel Clugius secundus 36. Rex Francorum a Romanis in prælio cæsus occubuit. Duos hic habebat filios, Helenum 20 annorum, & Richimerum 18. annorum juvenes. Hos cum statutum de regia dignitate non assumenda, nisi qui 24. annos attigisset, excluderet, neuter eorum rex creatus est. Et ita in Patruum illorum Clodomirum Imperium Patriæ & regia dignitas translata est. Regnavit autem annis 4.

XXXVII.

Clodomiri. 5. Clodomirus quintus, Clogii 2. frater Francorum Rex 37 imus regnavit annos viginti & quinque. Princeps sapientissimus & pacificus. Suevis contra Romanos pugnaturis octuaginta Hessorum, Thuringorum, & Saxonum millia in suppetias misit, quorum auxilio Svevi ab hostibus palmam portantes victoria potiti sunt. Hic Clodomirus anno septimo regni sui Francis Genebaldum fratrem suum Ducem prætulit; eosque ad Mænum Aromotopolin sive Würtzburgum versus proficisci jussit. Et ita Franci, Thuringorum quoque & Cattorum populi, qui Francis socio fœdere fuerunt semper annumerati, in Mæni ripa habitandi sedem sibi delegerunt. Hoc tamen pacto Clodomirus Rex fratri Genebaldo, ejusque hæredibus & posteris Franciæ Orientalis Ducatum tradidit, ut Francorum Regibus perpetuo devincti & obedientes essent. Quod cum Genebaldus se suosque fideliter præstituros promisisset, læto omnium suorum applausu primus Franciæ orientalis Dux a fratre Rege creatus est. Anno Christi 322.

XXXVIII.

Richimerus 2. Richimerus secundus Clodomiri quinti filius, Francorum Rex 38. Anno Christi 338. regnavit annos tredecim. Princeps fortis & strenuus Romanorum & Gallorum copias, Genebaldo tamen orientalis Franciæ Duce, ejusque confœderatis Saxonibus, Thuringis, Cattis, & aliis auxiliantibus, aliquoties vicit.

XXXIX.

Theodomerus. Theodomerus Rex Francorum 39. An- Christi 351. Otio & quieti deditus annos regnavit decem.

XL.

Clogius 3. Clogius tertius, Francorum Rex quadragesimus Anno Christi 361. regnavit annos octodecim, & multos cum Romanis & Gallis sub imperatore Valentiniano conflictus & prælia (varia Marte tamen usus) habuit.

XLI.

Marcomirus 5. Marcomirus quintus, Francorum Rex quadragesimus primus, & ultimus liniæ & generationis Antenoræ, Anno Christi 379. regnavit annos 15. multa gessit bella sed paucas reportavit victorias; tandemque cum multis millibus suorum Anno Imperatoris Theodosii Senioris sexto a Romanis in prælio cæsus occubuit. Et tunc Franci annuum Romanorum Imperatoribus tributum solvere coacti sunt.

XLII.

Degowertus. Degowertus, Marcomiri quinti frater, quem in prælio occisum diximus, Anno Christi 394. Francorum imperium per quiquennium, non ut Rex, sed ud Administrator gubernavit. Cum tamen Theodosius senior Imperator Romanorum annuum ab ipso tributum exigeret, strenue illud recusavit, inquiens, Francos populum liberum

nulli Imperatorum tributa debere: imo legatos Imperatoris secundo, ut pro tributo pendendo instarent, reversos trucitari jussit.

XLIII.

Genebaldus Genebaldus, Francorum gubernator secundus, absque regio titulo regnavit 21. annos Anno Christi nati 399. In hoc Genebaldo antiquum genus Antenoris primi Regis Francorum desiit anno post creatum Mundum, 4382. a condita Roma, 1173. & a Christo nato, 420. Et cum hisce duobus gubernatoribus Degowerto & Genebaldo fuerunt Reges Francorum 43. Francorum 43. Francicoque Imperio potiti sunt octingentos & sexaginta annos.

De WARAMUNDO, ex altera Regum Francorum linea genito, ejusque posteris & successoribus.

Sect. VI.

Alterius linea. Clodomirus, de quo supra dictum est, qui fuit Rex Francorum 37. & vixit anno Christi 313. Fratrem habuit Genebaldum, quem primum Franciæ Orientalis Ducem creavit, & Wurtzburgi ad Mænum habitare jussit. Ex hoc Genebaldo sequentes Francorum Reges originem sumpserunt, hac videlicet ratione, Genebaldus vixit circiter annum Christi 322. & Franciæ Orientalis Ducatum triginta annis feliciter gubernavit; mortuus reliquit filium Degowertum, qui annos 21 regnavit, & genuit Marcomirum. Marcomirus, quartus Orientalis Franciæ Dux annos regnavit 18, & genuit Waramundum, Franciæ orientalis Ducem Quintum, ex quo Reges Francorum sequentes descendunt. Reliquorum vero Franciæ Orientalis Ducum nomina fuerunt: Marcomirus secundus Dux 6. Priamus 7. Genebaldus 8. Sunno 9. Codius secundus 10. Clodomirus 11. Hugebaldus 12. Helenus 13. Gotfridus 14. Genebaldus secundus 16. Heribertus 17. Clodomirus tertius 18. Goswertus 19. Goswertus secundus 20. Hethan 21. Hic Hethan anno Christi 740. mortuus, nullos hæredes reliquit: Et ita prædicti Franciæ orientalis Duces una cum Pipini gubernatione Ducatum Francicum rexerunt 426. annos. Anno autem Christi 752. Episcopi Würtzburgenses, quibus & Franciæ Orientalis Ducatus traditus est, regnare cœperunt. Sed de his alias; Ad Waramundum nunc redeo.

XLIV.

FRANCORUM REX.

Waramundus. Waramundus, Germanicum videtur esse vocabulum ex vocibus custodia & os oris compositum, quasi Verwahr den Mundt: Et quoniam brevibus Germani delectantur dictionibus; multa egregia nomina corrumpunt, & in unam syllabam redigunt, (ut Johannem vocant Hans. Chunradum Churdt. Joachimum Lixs, & similia) nec ab hujus nominis corruptione abstinuerunt, Verwamundum nominantes Warmundum. Verum Waramundus hic omni Antenoris posteritate, penes quam Regia potestas multis annis steterat; deleta, Francorum occidentalium 44. Rex, cum antea Franciæ orientalis Dux fuisset, & Mæni accolas per quatuordecim annos feliciter gubernasset, inauguratus est, idque circa annum Christi 419. Post septennale tandem regni tempus mortuus duos post se reliquit filios, Clodium videlicet & Marcomirum; ex quibus illum non sine insigni Romanorum clade Patri in regno Galliæ successisse; hunc numeroso milite in Thuringiam & Hessiam profectum & a Regionis utriusque populis designatum esse, historici tradunt.

I.

HESSIÆ ET THURINGIÆ REX.

Reges Hessiæ & Thur.

Marcomirus. Marcomirus, Waramundi filius, primus Anno Christi 426. Thuringiæ & Hessiæ Rex factus est. Sub ejus imperio Hessiæ nomen paulatim increbrescere & invulgari cæpit: Antea enim illæ Regiones nominatæ erant; Altera, Thuringia occidentalis; Altera vero, Cattia videlicet, Thuringia orientalis. Præfuit vero Marcomirus utrique annos 18.

II.

Childericus. Childericus, qui etiam Gultrichus vel Huldrichus dicitur; primus ejus nominis, Rex vero secundus, Thuringiam & Hessiam Anno Christi 444. gubernare cæpit. Rexit autem annos 7. & Barethario mortuus imperium reliquit.

III.

Barthar. Barethárius vel Bartherus ejus nominis primus; tertius Thuringiæ & Hessiæ Rex, Anno Christi 451. regno potitus est. Sexennium tranquille

quille gubernavit, & denique imperium, unica relicta filia Radimunda, quam Lombardorum Regi elocarat, in Basinum transtulit.

IIII.

Basinus. Basinus Hessiæ & Thuringiæ Rex quartus, quem Norimbergensis historicus Hartmannus Schedel Bisinum vocat, Anno Christi 457. ad Regni moderamina, quibus usque ad annum 483. cum laude præfuit, evectus est. Uxorem habuit Bisinam, quam alii Basinam nominant suum certe conjugium non adeo caste servantem: Cum enim Merovei filius Childericus Galliæ Rex mollis & luxuriosus Princeps, venereis voluptatibus nimium indulgeret, Galliæ regno privatus, & ab Ægydio Romano, qui contra ipsum Rex electus erat, in exilium pulsus est. Galliam itaque deserens, ad Basinum hunc confugit; & aliquandiu apud eum hospitio exceptus, cum conjuge ejus Basina, Doringiorum Regi hospitalitatem male remunerans, adulterium commisit. Post aliquot denique annos prædictus ille Childericus in Galliam revocatus, omnibusque hostibus suis ejectis, in pristinum statum regium, regnumque restitutus est. Quod cum Thuringiæ Regina Basina intellexisset, marito Basino in Thuringia relicto, Anno 462. ad Childerichum Gallum profugit; a quo amicissime excepta & pro conjuge habita est; annoque sequente Clodoveum, qui maturam ætatem adeptus, primum omnium Galliæ Regum christianam fidem suscepit, peperit.

V.

Childerichus ejus nominis secundus, Basini filius, Anno 483. Patriæ gubernacula suscipiens 12. annes regnavit, Thuringiæ & Hessiæ Rex quintus, de quo in spec. hist. lib. 22. cap. 34.

VI.

Baretha-rius 2. Baretharius 2. Childerici frater, Basini filius Anno Christi 495. Thuringos & Hessos per septennium gubernavit, Rex eorum 6. Unicam hic habuit filiam, quæ Regi Galliæ Lothario nupsit, Waltgundam nomine. In cathalogum sanctorum relata est. De qua in spec. hist. lib. 22. cap. 34. & in sequentibus usque ad 40.

Prædicti hi duo Childericus & Baretharius secundus Basini, quarti Thuringiæ & Hessiæ Regis filii etsi a quibusdam Reges non computentur; sed ob eam causam, quod Hermanfridus sequens Thuringiæ & Hessiæ Rex eos ex immani conjugis suæ Krotthildis odio tanquam vitæ ipsius insidiatores (quod tamen ab eis ne cogitatum quidem erat) occidisset, omittantur: Quia tamen nonnulli duos illos inter Reges Thuringiæ referunt; ego quoque suo ipsos honore privare nolui. Liberum sit cuivis Regibus eos vel annumerare vel transire. Ego ad Hermanfridum pergam.

De HERMANFRIDO, Hessiæ & Thuringiæ Rege septimo, &c.

de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

SECT. VII.

Hermanfridus. Hermanfridus, Thuringiæ & Hessiæ Rex septimus, vel, ut alii volunt tertius. Hermannnus vox est Germanica & militaris, q. vir exercitus, Græce stratander, cui dictio Pax addita componitur. Dicitur autem Hermanfridus quod nempe Duces belli nihil aliud gerendo bellum, quam Pacem acquirere & comparare debeant. Sed de his Grammatici & vocum interpretes statuant: Ego ad historiam stylum verto. Vixit Hermanfridus Anno Christi 502. In cujus historia propter dissonantiam & contrarietatem historicorum vix aliquid certi scribere possum. Duas hic habuit conjuges, in quarum nomine & origine multum ab historicis est variatum. Prior fuit Amelberga Regis Vandalorum in Aphrica filia, ut Melanthon existimat in chronicis, quem in hac parte sequendum esse censui. Alii vero aliter de ea sentiunt. Altera fuit Theodorici Ducis aut Regis Metensis, filii Lotharii primi, Françorum Regis, filii Clodovei, qui primus christianam fidem in Gallia amplexus est, Anno Christi 501. filia. Ferunt ergo (licet magna sit scribentium varietas) duos Lotharium primum ejus nominis, filios habuisse, Hilpericum vel Hulffrichum ex legitima conjuge; Theodoricum vero ex concubina. Duxit igitur Hermanfridus Amalberga mortua alteram, quam Krotthildam (alii aliter nominant) dictam reperio, Hilperici videlicet supra dicti, & Theodorici Principis Metensis sororem. Ista cum esset irrequieta, morosa, & contentiosa fœmina, Hermanfrido marito dolose persuasit, ut contra Theodoricum fratrem ipsius ex illegitimo matrimonio consanguineum, quem tam potentem & amplissimum Principatum, cum nothus esset, possidere & gubernare dolebat, bellum moveret. Hermanfridus Uxoris potius voluntati morem gerens, quam Patriæ tranquillitati & publico subditorum suorum commodo studens, adversus Theodoricum affinem suum arma sumit, spe Metensis Principatus potiundi. Et quamvis primum prælium inter affines commissum, Hermanfrido non infeliciter cecidit, utpote qui Theodoricum numerosa fere militum multitudine obrutum prope Rumbergam vicit: Theodoricus tamen victus Saxones in subsidium vocans facile eas in suas partes, cum alioquin Thuringis non admodum favebant, traxit. Miserunt itaque in auxilium Theodorico Bernthobaldum, Dominum Ballenstedium, & Ascanium, cum novem selectissimorum militum millibus, quorum virtute & armis Theodoricus fretus, denuo in Thuringia apud fluvium Onstrutum, prope arcem & civitatem Scheidingam, cum Hermanfrido congressus, Thuringos superavit sex utrinque millia militum ceciderunt. Saxones autem victores & reliqui Theodorici milites adeo in occisa Thuringorum cadavera sævierunt, ut illis in fluvio Onstrutto projectis, pontem cum mortuis cadaveribus facerent, & ita transirent. Rex

Hermanfridus profugius Scheidingam venit, unde non procul a Scheidinga versus pagum Subachum nomine pergit, ubi cum ipsius præsentiam Theodoricus animadvertit, in monte proxime apud Pagum Subachum sito, colloquium victi victor serio flagitavit. Habuit autem Hermanfridus, cui multa concredidit, ministrum Irungum; is Dominum suum Theodorico dolosissime tradidit. Vocatus toties Hermanfridus tandem ad Theodoricum in montem venit, Irungo, cui multum fidebat, comitatus, habito colloquio Theodoricus amplexus simulans, incautem Hermanfridum ex improviso ad pedes percussit, & de monte præcipitavit. Improbissimus Iringus proditor Dominum suum cadentem insecutus, proditorio jacentem adhuc gladio in gratiam Theodorici transfixit. Ita Rex Hermanfridus dolo & illecebris muliebribus, insidiis tandem Iringi circumventus, misere occubuit. Hujus quoque cædis & belli causa primaria, scelerata Regina Hermanfridi conjunx, & nothi Thedorici soror consanguinea in arce Scheidinga una cum liberis mactata est. Hoc bellum inter Hermanfridum & Theodoricum gestum multi descripserunt; Witichindus videlicet Monachus Corbeiensis, Albertus Crantzius in Saxonia sua lib. 1, 2. 6. & 32. 33. Hermanius Beckmannus Saxo historicus, Annales Brunsuicensium: Guido in libro chronicorum suorum in vita Heinrici quarti, & quinti.

In hoc Hermanfrido prima Thuringorum & Hessorum Regum linea, quæ circiter centum & triginta annos duravit, extincta est. Anno salutiferi partus, 543.

De THEODORICO Duce Metensium Thuringiæ & Hessiæ Rege Octavo, ejusque successoribus.

Sect. VIII.

Theodoricus Metens.

Theodoricus, Metensium Princeps, Hermanfrido, sorore, eorumque liberis trucidatis, Thuringiam & Hessiam suo subjecit imperio, illarumque populos, octavus Thuringiæ & Hessiæ Rex hac ratione factus, non sine justitia administravit. Duos habuit filios, Theodoricum seniorem, & Theodoricum juniorem. Senior, de quo in speculo historiali lib. 22. cap. 37. varia commemorantur, in Lotharingiam profectus est.

IX.

Theodoricus jun.

Junior autem Theodoricus in Thuringia contra Hunos bella gessit acerrima, cui Patruus Sigbertus vel Sigwertus auxiliares copias misit, qui hostes ultra Albim Thuringia expulerunt. Mortuo autem Sigberto, Huni denuo, cum numeroso milite & apparatu bellico instructissimo sunt reversi; A quorum impetu ut Theodoricus junior tutius viveret, Hessiæ & Thuringiæ quarum ille Regionum Rex nonus factus erat nomine certam aliquam quotannis pecuniæ summam hostibus pependit; & ita Huni ex Thuringia & Hassia cesserunt. Cum autem hi duo juniores Theodorici, Lotharingius & Thuringus legitimis hæredibus carerent; Patruelis eorum Eribertus vel Ehrenwertus, cujus in sequentibus mentio fiet, Thuringiæ & Hessiæ Rex designatus est.

X.

Eribertus.

Eribertus Thuringiæ & Hessiæ Rex decimus, Sigberti, qui supra dictus est, Theodorico juniori aliquoties contra Hunos auxiliares copias misit, filius, cum duo Theodori prædicti sine prole morerentur, Thuringorum & Hessorum Rex inauguratus est. Habuit is duos filios, alterum ex legitima conjuge, qui regnavit in Burgundia; alterum ex concubina, qui Austriam, Thuringiam, Hessiam, & Rhenanas aliquot ditiones gubernavit.

XI.

Theodobertus.

Theodobertus, Thuringiæ & Hessiæ Rex undecimus, seu potius Gubernator (qui enim nunc sequuntur plerique sunt gubernatores potius quam Reges: Nam Galliæ quoque Reges, ut in sequentibus monstrabitur, post hac Thuringiam & Hessiam in sua gubernatione habuerunt) cum fratre, qui in Burgundia regnabat, patria sede pulsus, & ab hostibus in fugam redactus Tullum venit, ubi uterque hostili gladio confossus misere trucidatus est. De his plura in speculo historiali.

XII.

Lotharius 2.

Lotharius ejus nominis secundus (quanquam alii primum ponant, sed contra historiarum seriem) ex Clodovei primi in Gallia Christiani Regis familia, circiter nati Christi 588. annum vixit, & Thuringiam & Hessiam, Theodebetto Rege una cum fratre Tulli occisis, cæsorum videlicet proximus agnatus gubernare cæpit. Rex vel gubernator Thuringorum & Hessorum duodecimus. Princeps fuit bellicosus, & Saxones, ut quotannis quingentos boves Gallis tributo post multos annos liberati sunt. Regnavit autem Lotharius 44. annis.

XIII.

Degobertus.

Degobertus Lotharii filius anno Christi 632. vixit; Hic cum multa in Germania monasteria, templa ædificia, urbes & pagos, Dagobertshusium quoque prope Marpurgum, ut quidam volunt, condiderat, circa 645. Christi annum mortuus est; Thuringiæ & Hessiæ Gubernator 13. Anno regnorum suorum 14.

XIV.

Clodoveus 2.

Clodoveus Secundus, Galliæ Rex, Degoberti filius, qui & Glatwisius, quod est plane sapiens, dictus fuit, circiter Christi 646. annum regnavit, Gubernator Thuringiæ & Hessiæ decimus quartus. Hic cum Thuringos & Hessos sibi quodammodo devinctio-

res

res & tributarios fecerat, mentis impotem factum & mortuum esse historiæ perhibent. Regnavit annos 17.

XV.

barius 3. Lotharius tertius, Gallorum Rex, Clodovei secundi & matris Bechtildis piæ & sanctæ admodum matronæ filius. Anno Christi 663. Thuringiæ & Hessiæ Gubernator decimus quintus titulotenus: Cum enim otio deditus, vix semel in anno, Calendis nimirum Maji, conspici se pateretur, & voluptatibus torpesceret; Regis quidem nomen sustinebat; sed onera & curas minime: Nam aulicum quendam ministrum habebat Ebronem vel Eberwinum nomine, Regiæ domus majorem dictum; huic gravissima quæque regni negotia demandarat expedienda. Quod cum Eberwinus strenue faceret, Rex Lotharius suis contemptui esse cæpit, pristinamque illam auctoritatem, quam cæteri maiores & antecessores sui Reges Galliæ habuerant, amisit, usque adeo, ut in reliquis quoque ipsum in Imperio secutis potentia, virtus, honos & fortitudo, & cæteræ Regiæ dotes visæ sint efflorescere. Regnavit hic annos quatuor.

De THEODORICO Tertio Thuringiæ & Hessiæ Gubernatore decimo sexto, & ejus successoribus.

Sect. IX.

dori- 3. Theodoricus tertius hujus nominis, Gallorum Rex, Clodovei secundi filius, & frater Lotharii tertii, vixit anno Christi 666. Nimia autem Eberwini dicti Majoris domus fastu, superbia, & regnandi cupiditate, cum Reges gubernationem non magni facerent, regno privatus, & in Sancti Dionysii apud Parisienses monasterium, in quo detonso vertice, cuculloque indutus 12. Annos vixit præter voluntatem suam pulsus est. Inter Thuringiæ & Hessiæ Gubernatores, si placuerit decimus sextus. Postea circiter 680. Christi annum ex monasterio revocatus, & Majore domus Eberwino, reliquis quoque hostibus suis victis & profligatis, in pristinam regiam dignitatem restitutus est.

XVII.

ldericus. Childerichus vel Gultrichus, quasi nummorum vel auri dives, fratre Theodorico in monasterium tetruso, circiter 668. Christi annum Gallorum Rex designatus annos rexit 12. Frater fuit jam dicti Theodorici, & Clodovei secundi filius. Venationibus quotidie intentus, una cum conjuge gravida a Badilone quodam Franco, propterea quod brevi ante hominem columnæ alligare & flagellis cædier mandasset, in ipsa venatione occisus perhibetur. Inter Thuringiæ & Hessiæ gubernatores decimus septimus reputandus. Post hujus obitum Theodoricus frater ex monasterio iterum liberatus, a monachatu ad fasces rediit, & regnum Galliæ 14. annos gubernavit. De quo in speculo historiali lib. 17. cap. 4. obiit Anno Christi 694.

XVIII.

Clodoveus 3. Clodoveus tertius, filius Theodorici Monachi, Anno Christi 694. Galliæ Rex factus, regno circiter quatuor annos præfuit: Thuringorum & Hessorum Gubernator decimus octavus. Hic Pipinum aulæ & curiæ Regiæ magistrum sibi ascivit. De quo si quis plura scire desiderat, speculi historialis decimum octavum librum in Cap. 4to consulat.

XIX.

Childebertus. Childebertus, de quo in Chronicis Moguntinensium, Clodoveo tertio circa Annum Christi 698. in Imperio successit, & octodecim annos regnavit: Thuringiæ & Hessiæ Gubernator 19. Sub hoc Rege Pipinus Aulæ & Curiæ Magistri officium filio suo Carolo Martello tradidit.

XX.

Clodoveus. Clodoveus Dagobertus Thuringiæ & Hessiæ Gubernator 20. Anno Christi 716. Childebertum in Gallici regni administratione secutus est. Sub hoc Rege Carolus Martellus Aulæ & Curiæ Regiæ magister a noverca in carcerem conjectus fertur; unde denique liberatus hostes & invidos suos, in majore quam antea honore & autoritate politus, strenue profligavit. Rexit Clodoveus hic Galliam annis quatuor.

XXI

Lotharius. Defuncto Clodoveo frater successit Lotharius, qui anno Christi 719. ad regni dignitatem evectus annos circiter 7. gubernavit. Contra hunc Sacerdos aliquis Daniel nomine, qui se Chilpericum appellavit, in Neustria Galliæ Rex creatus est, integroque octennio genuinos Galliæ Reges variis cladibus afflixit. Tandem autem a Carolo Martello in Vinciacense prælio victus, & cum adjuncto Equitum Magistro Manfredo Lutetiam usque pulsus est. Fuit hic Lotharius Thuringorum gubernator 21.

XXII.

Theodoricus Cala. Successit huic in Regno Nepos ex fratre Clodoveo Dagoberto Theodoricus Cala; qui anno Christi 725. Rex inauguratus, Gallos suos & alios sibi populos subjectos per quindecim annos feliciter gubernavit.

sub eo Wunnefridus s. Bonifacius Apostolus. Sub hoc Rege Wunnifridus, qui & Bonifacius dicebatur, a Papa Gregorio secundo circiter 726. vel, ut alii volunt 729. Christi annum in Germaniam missus est. Hic cum veram de Christo fidem christianamque Religionem multis Germaniæ populis serio proponebat: Hessos quoque & Thuringos a falso Ethnicorum idolorum cultu ad veram unius Dei, uniusque inter eundem & lapsum genus humanum Mediatoris notitiam crebris monitionibus trahere conabatur.

Fuit hic Bonifacius ex Britannia oriundus, vir Regii ſtemmatis, & Richarti Britannorum Regis frater, ordinis Divi Benedicti Monachus, de quo apud hiſtoricos multa extant. Cæterum cum Bonifacius Monachus chriſtianam Thuringis & Heſſis religionem traderet & concionaretur; quamvis Gubernator illorum Galliæ Rex chriſtianam fidem & religionem ſedulo promovebat; de Thuringorum tamen & Heſſorum confeſſione parum erat ſollicitus.

Principem vero virum, ut ante dictum eſt, Carolum Martellum chriſtiani fidei vindicem ſtrenuum, qui major Regiæ domus Magiſter dicebatur, Regis quoque loco omnes Gallorum res adminiſtrabat, in aula ſua alebat. Hic Bonifacium ut in pio propoſito ſuo vigil pergeret; Heſſosque & Thuringos in chriſtiana fide, quemadmodum cæperat, diligenter inſtitueret, monitis quotidianis amiciſſime hortabatur.

Bonifacius officii ſui & Caroli Martelli monitorum non immemor, Thuringos & Heſſos, nullis parcens curis, nullis laboribus, in vero non tantum Dei cultu, veraque Chriſti agnitione fideliter erudiebat; verum etiam terras eorum acenſibus decimis & tributis, quæ Hunis annuatim ſolvere cogebantur, immunes reddebat.

Quapropter Thuringi & Heſſi ad chriſtianismum jam converſi, a Divo Bonifacio, ut chriſtianus illis conſtitueretur Princeps, qui eos poſtmodo gubernaret, & in ſemel agnita fide chriſtiana contra crudeles hoſtium impetus legitime & tranquille defenderet, petierunt.

Hæc cum Bonifacius Carolo Martello Principi & magno Regiæ Curiæ Magiſtro per litteras ſignificarat; Carolus vero Martellus ulterius Regi ſuo Theodorico recenſuerat; Rex honeſtæ & piæ Thuringorum & Heſſorum petitione lætus aſſenſit; illisque ſine omni quidem mora; non tamen ſine maturo Caroli Martelli & aliorum Galliæ Procerum conſilio, ex Familia ſua Ludovicum agnatum Principem, ut Dux eorum eſſet, miſit.

Poſtquam igitur Ludovicus in principio in Thuringiam veniſſet; & præter gentis, cujus Dux factus erat, conſvetudinem prolixam geſtaret barbam, LUDOVICUS BARBATUS dictus eſt. *Ludovicus Barbatus.*

Et hic tandem Thuringiæ & Heſſiæ Gubernatores Ducis nomen ſortiti ſunt; proprios quoque ſuos Thuringi & Heſſi, cum ante circiter 220. annos a Galliæ Regibus gubernati fuerant, Duces acceperunt Anno Chriſti 739. Obiit autem autor hujus Ducatus Theodoricus Cala Rex Galliæ Anno Chriſti 741. Patrique filius Childerichus in Gallici regni adminiſtratione ſucceſſit; cui cum novem annos infauſto ſane omine præfuiſſet, regno privatus, & ad monachatum coactus eſt. Creatus in ipſius locum Pipinus brevis, Caroli Martelli de Gallia optime meriti filius, qui cum annos 17. feliciſſime regnaſſet, mortuus circa annum Chriſti 768. Regni Gallici imperium in ſuam familiam & in Carolum Magnum & Carolomannum tranſtulit. Sed hæc paucis tetigiſſe ſufficiat. Ad Thuringiæ & Heſſiæ Ducum originem & geneographiam calamum vertam.

De LUDOVICO BARBATO, ejus nominis, Thuringiæ quoque & Heſſiæ Duce primo.

SECT. X.

Dux Thuringiæ & Heſſiæ.

I.

Ludovicus Barbatus primus Thuringos quidem & Heſſos gubernavit; plenariam autem gubernationem nunquam habuit: Nam & Gallorum Reges ſe ipſius gubernatione immiſcebant; templa, monaſteria & alia ædificia ſtruentes, cauſas quoque utriusque provinciæ non paucas expedientes, quibus Ludovicus ne pro accepto beneficio ingratus videretur, refragari noluit. De quo plura in Chron. Thuring.

II.

Ludovicus ſecundus, Barbati primi filius, poſt Patris obitum tempore Caroli Magni Heſſos gubernavit. Filios reliquit duos Ludovicum tertium, & Chunradum. *Ludovicus 2.*

III.

Chunradus pro ſua parte retinuit Heſſiam, Frater vero Ludovicus tertius Thuringiam. Et hi duo fratres Thuringiæ & Heſſiæ Ducem tertium faciunt. *Chunradus.*

IIII.

Luitpoldus Thuringiæ & Heſſiæ Dux quartus, ſub hujus regimine Hungari magno impetu in Thuringiam, quemadmodum prius Huni fecerant, irruerunt. Sed Luitpoldus ſe illis oppoſuit, & in pugna cæſus occubuit. Nihilominus tamen Chriſtiani Hungaros ex ſuis finibus pepulerunt, ut Lambertus & S. Hieronymus in Chronicis habent. In hoc Duce hiſtoriæ mihi non ſatisfaciunt, nec deſunt cauſæ, cur hac in parte negligentiam tunc temporis ſcriptorum incuſem. *Luitpoldus.*

V.

Burckhartus Thuringiæ & Heſſiæ Dux quintus. Hujus tempore Hungari rurſus vaſtaverunt Thuringiam, quibus Burchartus quidem, Patriæ videlicet defenſor ſtrenuus, fortiter reſtitit: Sed ſimiliter in acie cum Duce Auſtriæ trucidatus eſt. At Chriſtiani victoria potiti ſunt. Quapropter Hungari collectis iterum copiis, Saxoniam, Thuringiam, Sveviam, Lotharingiam, Alſatiam, Bavariam *Burckhartus*

riam Franconiam, ut Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis ſcribit, populati ſunt.

VI.

Chunradus Chunradus, qui Thraſibulus etiam, Francus, Germanus, ejus nominis inter Imperatores Germaniæ primus, vixit circa 911. Chriſti annum. Hunc Chunradi Franciæ orientalis, Heſſiæ, Wetteraviæ & ſimilium ditionum Comitis filium fuiſſe Criſpinianus teſtatur. Inter Thuringorum itaque & Heſſorum Duces, ſi libuerit, numerandus erit ſextus. Sed hiſtoriæ mihi hic plane non præſtant id, quod cupio, uxorem tamen Placentiam ſenioris Ludovici Germaniæ Regis filiam habuiſſe, Criſpinianus teſtatur. Cum autem nullos relinqueret hæredes, Thuringia & Heſſia ad imperium Romanum pervenerunt, cum ante a. 749. ad 918. Chriſti annum peculiares Duces habuiſſent.

De HENRICO PRIMO Imperatore Thuringiæ & Heſſiæ Duce ſeptimo, ejusque ſucceſſoribus.

SECT. XI.

Henricus I. Hendrichus primus, cognomine Auceps, Romanorum Imperator, hunc titulum habuit: Hendricus primus Dei Gratia, Romanorum Imperator Saxoniæ, Weſtphaliæ, Angariæ, Heſſiæ Dux: Inſignia quoque varicoloris Leonis Heſſici & Thuringici inter ſua referri & pingi curavit. Quare conſentaneum eſt ipſum imperatorem prædictum gubernationem in Thuringia & Heſſia habuiſſe, & propterea ſeptimum Thuringorum & Heſſorum Ducem conſtituendum eſſe. Nec obſtat, quod in fictiis illis & Martiis exercitiis torneamentorum, & præ cæteris in primo torneamento, ſub hoc Imperatore Magdeburgi anno Chriſti 938. celebrato, Joannem comitem Palatinum Thuringiæ, & Reinhartum Comitem Thuringiæ, cum aliis, ut in libro torneamentorum habetur, Germaniæ Principibus, Comitibus, Baronibus & nobilibus adveniſſe. Unde non nulli hos quoque Thuringiæ & Heſſiæ gubernatores fuiſſe, concludere volunt. Ego autem ita arbitror primum hunc Hendrichum Imperatorem duos quidem hoſce Joannem & Reinhartum, alterum comitem Palatinum, alterum ſimpliciter Thuringiæ comitem conſtituiſſe; ſibi tamen nihilominus Ducatum ipſum, & præcipuam ejus dignitatem, quam tanquam Romanorum Imperator poſt Chunradum acceperat, ſibi peculiariter reſervaſſe. Idque eo magis, cum erga filium Brunonem Archiepiſcopum Colonienſem idem feciſſe nemini non cognitum ſit: Huic enim Thuringiam & Heſſiam uſu quidem fruendam tradidit: ſed proprietatem & dominium proprietarium, ut vocant, ſibi ſervavit. Brunone quoque tandem defuncto Archiepiſcopi ſequentes ex ſingulari Romanorum Imperatorum erga eos affectione duas has aliquandiu provincias, illarum annuis reditibus pro placito utentes, retinuerunt; vicarios quoque ſuos in illis, potiſſima tamen dignitate Imperatoribus relicta, conſtituerunt. Et ita forſan duo illi prædicti, Johannes Comes Palatinus, & Reinhartus Comes Palatinus, & Reinhartus Comes Thuringiæ, vel ab Hendricho primo Imp. vel ab Archiepiſcopis Colonienſibus fuerunt conſtituti. Sed de his jam ſatis dictum puto; Candidum lectorem, ut quæ hic a vero non aliena propoſui, boni conſulat, oro. Si quis tamen hujus Imperatoris vitam ſcire deſiderat; latiſſime eam ab hiſtoricis deſcriptam inveniet. Vixit Anno Chriſti 921. Princeps inter feliciſſimos bellicoſiſſimos Romanorum Imperatores merito referendus.

VIII.

Otho primus, Romanorum Imperator filius Hendrici Aucupis Imperatoris, vixit Anno Chriſti 961. & hoc uſus eſt titulo: Otho primus Dei gratia Romanorum Imperator, Dux Saxoniæ, Weſtphaliæ, Angariæ, Thuringiæ, Heſſiæ, Dominus Brunſvicenſis & Tanckerodi. Prorſus hic Hendrici Aucupis titulo ſimilis eſt. In Inſignibus quoque ſuis varicolorem Heſſiæ & Thuringiæ Leonem habuit; unde Heſſorum & Thuringorum Dux octavus jure cenſeri poterit. Vita & res geſtæ ipſius a multis hiſtoriographis fuſe ſunt deſcriptæ Ipſe inter bellicoſos & præclaros, felices ſimul Imperatores numerandus eſt. *Otto 1.*

IX.

Otho ſecundus, Romanorum Imperator, filius Othonis primi, vixit Anno Chriſti 974. ſe quoque varicoloris Leonis inſignibus uſus, Heſſiæ & Thuringiæ Ducis titulo ornari voluit. Unde Heſſorum & Thuringorum nonus Dux dicendus. Acriter hic & ſtrenue contra Saraecnos pugnavit. Thuringiæ interea & Heſſiæ terras fratri ſuo Archiepiſcopo Moguntino, ut quondam Henricus Imperator filio Brunoni Colonienſi, proprietate ſibi reſervata, utendas fruendas tradidit. Vita ejus hinc inde in hiſtoriis copioſe deſcripta eſt. *Otto 2.*

X.

Otho tertius, Othonis ſecundi filius, Romanorum Imperator, vixit Anno Chriſti 984. Hic Electores Romani Imperii ſex ordinavit, ut Criſpianus ſcribit; Carolus Quartus ſeptimum Bohemiæ Regem addidit, inter reliqua quoque quæ fecit laudabilia, ſancte conſtituit, ne quis Romanorum Imperator, niſi Germanus natus, deſignaretur. Thuringorum & Heſſorum (varicolori enim pro inſignibus Leone utebatur) Dux fuit decimus. Sine hæredibus tandem mortuus terris deceſſit. Ejus hiſtoria apud chronicorum ſcriptores nemini non eſt manifeſta. *Otto 3.*

XI. Hen-

XI

Henricus 2. Hendrichus ſecundus, Romanorum Imperator, cognomento Claudus. Othoni tertio, qui ſine hæredibus mortuus eſt, proximus agnatus fuit. Unde probabile eſt, ipſum quoque Thuringiam & Heſſiam, quemadmodum reliqui majores & prædeceſſores ſui, poſſediſſe. Quamobrem mihi Thuringorum & Heſſorum Dux undecimus recenſebitur. Vixit Anno Chriſti 1004. Varia de ipſius & conjugis Cunegundis caſtitate fabilantur; quæ ſi quis legere deſiderat, area illi apud hiſtoricos patet amplisſima.

XII.

Chunradus 2 Chunradus ſecundus, Romanorum Imperator, dictus Saliquus, a legibus Saliquis, quas promulgavit, Thuringorum & Heſſorum Dux duodecimus & ultimus ſolus inter Imperii Principes idoneus judicatus eſt, qui Heinricho ſecundo ſuccederit & Romani Regis faſces moderaretur. Originem duxit ex Othone Magno Imperatore, & in materno genere ex Clodoveis Galliæ Regibus. Uxorem habuit Giſelam, filiam Lotharii quinti Regis Gallorum: Vidua nupſit Chunrado: Alios enim prius habuerat maritos, ex quibus ſingulis liberos peperit.

Hic Imperator, ut hiſtoriæ commemorant, Thuringiam & Heſſiam Ludovico Barbato, ejus nominis ſecundo, in beneficium militare ſeu feudum contulit: Et ita hic Ludovicus Barbatus primus in ordine Thuringorum & Heſſorum comes factus eſt. Anno nati Chriſti 1026.

Finis Commentarii primi.

De Origine, Geneagraphia, aucta familia & gubernatione Illuſtriſſimorum Principum Heſſiæ Landgraviorum. Usque ad præſentia noſtrorum ſuperſtitum tempora.

Commentarius ſecundus, &c.

De LUDOVICO BARBATO SECUNDO, primo Thuringiæ & Heſſiæ, Comite.

Sectio Prima.

Ludovici Barb. 2. res geſtæ. Magna hic hiſtoriarum confuſio animadveritur: Non nullæ enim affirmant, Thuringos & Heſſos tempore Bonifacii, qui ipſis, ut ſupra dictum eſt, Chriſtianam Religionem concionatus erat, quam ipſi quoque receperant, apud Regem Galliæ Theodoricum, Gubernatorem ſuum devote ſollicitaſſe, ut illis peculiaris aliquis Dux aut Princeps, ad cujus nutum & voluntatem gubernarentur; cujus quoque patrocinio in ſemel agnita Chriſtiana Religione, & fide, a Divo Bonifacio præpoſita; firmius perſtiterent, conſtitueret. Carolum etiam Martellum, Regiæ domus Majorem, & Chriſtianæ Religionis vindicem ſtrenuum pias illorum preces non improbaſſe; ſed illis ſine omni mora ex juſſu Regis ſui Principem regio ſangvine natum, Ludovicum nomine, quem ipſi deinde a prolixiore barba, qua conſpicuus erat, Ludovicum Barbatum nuncuparunt, ex Gallia in Heſſiam & Thuringiam miſiſſe; idque factum eſſe circiter annum Chriſti 734. Jam ſupra dictum eſt, Ludovicum quidem hunc Thuringis & Heſſis Principem deſignatum eſſe, plenariam tamen poteſtatem gubernandi nunquam habuiſſe; ſed populos fidei ſuæ mandatos ex Gallorum Regum præſcripto & voluntate adminiſtraſſe; Thuringiam quoque & Heſſiam poſt ipſius, filiorumque & hæredum obitum rurſus in Gallorum Regum poteſtatem, & tandem ad Romanorum Imperatorum gubernationem deveniſſe; conſentaneum certe eſt hunc Ludovicum, ſimiliter Barbatum dictum, alium eſſe ab illo, quem Bonifacii tempore Rex Gallorum Theodoricus Thuringis & Heſſis Ducem addicavit: Divus enim, ut ſupra oſtenſum eſt, Bonifacius, de Thuringorum, Heſſorum, & cæterorum Germaniæ populorum ſalute maxime ſollicitus, præcipuus quoque Thuringici & Heſſici Principatus auctor, circiter 716. Chriſti annum in Germania floruit: Hic vero, de quo jam diximus, Ludovicus, cui Chunradus ſecundus, Romanorum Imperator Thuringiam & Heſſiam in beneficium militare & feudum contulit. Anno Chriſti 1026. quo tempore hujus quoque beneficii vel feudi collatio facta eſſe perhibetur, vixit. Manum igitur eſt inter 716. & 1026. Chriſti annum intervallum, quod circiter trecentos & plures annos complectitur. Tam diu vero Ludovicus ille, qui Bonifacii tempore vixit, & Thuringis Heſſisque primus Dux datus eſt, ſuperſtes eſſe non potuit. Propterea quoque ego non levibus de cauſis, inducor, ut hunc Ludovicum, qui a Chunrado Heſſiam & Thuringiam in feudum accepit, alium ab illo Ludovico qui tempore Bonifacii vixit, fuiſſe credam: Ludovicus enim ille primus Barbatus Dux una cum Gallorum Regibus Thuringiam gubernavit: Hic vero poſterior Comes ſolum Thuringiæ & Heſſiæ a Chunrado ſecundo Imperatore creatus eſt.

Præterea ille prior ſub Galliæ Regum gubernatione fuit, nec ob acceptum beneficium, quod Dux creatus erat, auſus fuit Gallorum Regibus, qui in Thuringia & Heſſia, tam in cognoſcendis cauſis; quam in urbibus, caſtellis, pagis, & allis ædificiis extruendis multa molirentur, aliquid contradicere; ſed ſimpliciter ad nutum eorum, ſi modo in gratia permanere voluit, vivere ipſum oportuit. Hic vero poſterior Ludovicus comes ſolum minime id fecit. Illum trecentis & pluribus annis ante Heinrici tertii Imperatoris tempora mortuum eſſe plæreque affirmant hiſtoriæ: Hujus Torneamentorum Germanicorum liber expreſſis verbis meminit; ipſum videlicet Ludovicum Barbatum, Heſſiæ & Thuringiæ Comitem in fictitiis Martis ludis

dis equestribus, qui Anno Christi 1042. Halæ Saxonum instituti fuerunt, in propria persona fuisse, & præ cæteris Germaniæ Principibus egregium fortitudinis suæ specimen exhibuisse. Habitum vero est hoc exercitium militare Torneamenti septimi, anno & loco supradicto, sub Heinrico tertio Imperatore, Chunradi secundi, qui parentem in imperio secutus est filio. Huic autem torneamento Ludovicum illum Barbatum primum, Thuringiæ & Hessiæ Ducem diu ante defunctum, haud quaquam interesse potuisse, evidentissimum est. Sed de hisce satis: Meliora & certiora proponenti libenter cedere paratus sum. Hæc tamen breviter commemorare placuit, ut candidus lector videat, in quantos sæpe historici errores, si nomen pro nomine confuse ponant, prolabantur.

De LUDOVICI BARBATI secundi Liberis.

SECTIO II.

proge. Cur hunc Ludovicum Barbatum secundum dixerim eumque a primo Thuringorum & Hessorum Duce, ejusdem nominis alium fecerim, satis ex precedentibus auditum est. Ipsum nunc cum fide dignissimis historicis primum Hessiæ & Thuringiæ comitem constituemus, & ex illo genealogiam inchoatam usque ad superstites nostri sæculi Landgravios continuemus. Non arbitror autem proposito meo convenire, ut hunc Ludovicum tempore Bonifacii vixisse; & anno Christi 1055. ut non nullæ affirmant historiæ, mortuum esse credam, cum Bonifacius, ut Hedio computat, Anno Christi 745. vel, ut alii inquiunt, Anno 816. in Germania Christum docens vixerit: Supra hominis enim vitam est hominem ducentos, & secundum Hedionis computationem trecentos annos vivere. Sed manifestiora approbaturus ego, Ludovicum hunc, ut supra probatum est, Anno Christi 1026. sub Cunradi secundi imperio vixisse, cum omnibus veri amantibus historicis affirmavero. Habuit autem Uxorem Cæciliam Bavaram; Genuit sex filios & tres filias Othonem Marchionem Hessiæ, quem arcem Marpurgensem condidisse ajunt. Gazonem Marchionem Thuringiæ, ut habet Lampertus. Hendrichum, dictum Raspum, qui Raspenburgum ædificavit, & in itinere Hierosolymitano ad terram sanctam profecturus obiit, & mortuus in Hessiam transportatus est. Bertigerum Sachsenhusium: Hic tres habuit filios. Conradum, qui Honsteinium struxit, & primus Comes Honsteinius dictus est. Regerum deinde & Theodoricum. Sextus filius Ludovici secundi Barbati fuit Ludovicus Salius vel Saltator. Filiæ fuerunt, Hilgartis, quæ nupsit Philippo, Comiti Hennenbergio. Adelheida, quæ cælibem vitam egit. Et Julia, quæ Theodorico Lunæburgensi juncta est, ipsique Bertigerum filium peperit. Ut autem res fiat manifestior hanc genealogiæ designationem lectori ante oculos ponere visum est.

1. Chunradum primum comitem Honsteinium.	2. Regerum,	3. Theodoricum.	6. Ludovicus tertius, cognomento Salius propaginis auctor.	3. Julia, Theodorico, Duci Lunæburgensi nupta.
	5. Bertigerus Sachsenhusius qui tres genuit filios.			
	4. Guilielmus Marchio Thuringiæ.		2. Adelheyda, in in cœlibatu mortua.	
	3 Hendrichus Raspus.			
	2. Gazo Marchio Thuringiæ.		1. Hilgartis, Philippi Comitis Hennenbergii Conjunx.	
	1. Otho Marchio Hessiæ Arcis Marpurgensis conditor.		Cæcilia Bavara.	
	Ludovicus Barbatus, ejus nominis secundus, Thuringiæ & Hessiæ comes primus.			

De LUDOVICO ejus nominis tertio, cognomine SALIO vel SALTATORE, secundo Hessiæ & Thuringiæ Comite.

SECTIO III.

Ludovicus hujus nominis tertius, cognomine Salius vel Saltator, filius Ludovici Barbati secundi, primi Hessiæ & Thuringiæ Comitis, vixit anno Christi 1065. *Ludovicus 3.*

de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

& Patri, Secundus Thuringorum & Hessorum Comes factus, in gubernatione succesſit. Adelheidam, Friderichi, comitis Palatini Saxoniæ, qui eodem tempore vixit, conjugem, uxorem duxit: Cum enim eam vivente adhuc marito, Friderico Salius, ardentiſſimo proſequebatur amore, & ipſa viciſſim cupidineis erga Ludovicum ſuccenſa erat flammis, illicito flagrantes igne, de Palatino Saxoniæ Friderico, Adelheidæ marito, trucidando, male deliberare cæperunt. Cauſam ſibi ratus inventam Ludovicus, circa Friderici Saltus, Nemora & Sylvas, canes ſecum habens venaticos, ſeque venationibus indulgere, & feras inveſtigare ſimulans, aliquoties obequitavit. Flocci hæc ſemper Fridericus, multum juvenili Ludovici audaciæ condonans, fecit. Anno vero Chriſti 1065. cum Ludovicus prope modum in Friderici arcem, Weiſſenburgum irruiſſit, Fridericus, tunc forte balneo egreſſus, ab Uxore Adelheida, ne tantam Ludovici, illicitis Friderici mariti ſylvas venationibus turbantis, importunitatem diutius ferat, doloſe commonefactus eſt. Ille ilico, ut juvenilem quodammodo Friderici audaciam compeſcerat, paratis aliquot equis, cum ſuis equitibus & canibus, venatum quaſi iturus, Weiſſenburgo exivit. Cum vero ad Sylvam usque, cui nomen: Im Reyſen, perveniſſet, ibique obviam factus eſſet Ludovico, hoſtilibus præter ſpem, Ludovici armis adortus, venabuloque prius, & deinde in lapſu, gladio, ipſe plane inermis, confoſſus, miſere trucitatus eſt. Et ita Ludovicus comitis Palatini Saxoniæ Friderici, crudeliter a ſe occiſi, conjugem Adelheidam, uxorem duxit. Magnus erat undique, de immani hoc facinore, rumor, adeo, ut etiam inter plebieos, de Domina Weiſſenburgiana, cantio effingeretur; quam adhuc hodierna die, plerique ejus Regionis, alii quoque finitimi populi, canere norunt. Nuptiis deinde inter Ludovicum & Adelheidam celebratis, ipſa maritum in Thuringiam ſecuta eſt, illique quatuor filios, & tres peperit filias. Ludovicum videlicet primogenitum, ſucceſſorem Patris. Udonem, vel Othonem, Epiſcopum Zeyzenſem, ordine undecimum. Heinricum in adoleſcentia mortuum, vel ut alii volunt, in cuſtodia defunctum. Hermannum, qui partem Thuringiæ gubernavit, & Hammerſteinium, vel Hammerslebium ædificavit. Non nullæ hiſtoriæ, tres tantum filios, Heinrico prætermiſſo, enumerant. Primogenita filia fuit Chunegundis, quæ Dedoni Quarto, Comiti Wetinenſi in Saxonia nupſit. Hæc prope Sangershuſium Canonicis regularibus monaſterium Kaldenbornium condidit. Adelheida filia Huldricho Comiti Vinarienſi, Germ. Zu Weymar, Tertia, Cæcilia Comiti Hermanno in Walderſch vel Wildenſch ubi nunc Anhaltini Principes aulæ ſuæ reſidentiam habent, deſponſata fuit. Ludovicus interea Salius, domi tranquille agens, multis Thuringiam ædificiis amplificavit: Arcem quoque excelſam, Wartpurgum, apud Iſenacenſium urbem anno Chriſti 1068. de novo ſurgere fecit: Cum enim regiones illas inaudita annonæ charitas vehementiſſime angebat; Incolis ejus loci, ne fame perirent, quatum temporis multi apud Hiereſordienſe contabuerant, frumentum dedit. Hi igitur, ut incepta illa arx, & conderetur & abſolveretur, pretii loco, Principis ſui conatus fideliſſime juverunt. Arcem quoque Friburgum, Wartburgo jam ſtante, ad Onſtrutum fluvium feliciter condidit. Porro Anno a Chriſto nato 1070. Adalbertus Epiſcopus Bremenſis, occiſi Comitis Palatini Saxoniæ Friderici frater, una cum cognatis, & amicis ſuis, graviſſimam, contra Ludovicum Salium, apud Heinricum Quartum, Imperatorem, accuſationem inſtituerunt, humiliter, ut juſtum, a Ludovico, ſupplicium ſumeretur, orantes. Nec quieverunt, donec reum, in Diocæſi Magdeburgenſi captum, in caſtrum Gibichſteinium, ad Halam Saxonicam, juxta Salæ flumen ſitum, ubi ipſum, biennio diutius detinuerunt, duxiſſent. In cuſtodia Ludovicus, ut graviora ſibi imminentia effugeret, varia meditatus eſt. Placuit tandem, experiri fortunam. Laxas igitur, leves & longas veſtes, ſibi confici juſſit, quas conſarcinatas induit, & duas naviculas piſcatorias, quæ ipſum, in Salæ fluvio, una cum adjunctis nautis, & duobus equis, quibus avehi, & fuga, ſi daretur, ſibi conſulere poſſet, expectarent, clam ſubornavit. Noctu ſemel, ut dixi, ſecundante fortuna,

tuna, vestibus amplis, levibus & longis indutus, ex altissima arce Gibichensteinio in Salam prosiliit, & in naves piscatorias incolumis pervenit; duobus quoque equis ad hoc paratus avectus est, & ita biennalem custodiam salvus & incolumis evasit. Liber tandem Sangershusum, ubi summa cum lætitia & applausu suorum amicissime exceptus est, ad uxorem Adelheydam pervenit. Hinc deinde Ludovicus Salius vel saltator, quod nempe custodia Gibichensteiniana exiliisset, seq; saltu liberum reddidisset, non immerito nominatus est. Cum vero Ludovicus Salius, & Uxor Adelheida consenescerent, propter commissum homicidii malum uterque summam pœnitentiam agere cæperunt. Ludovicus Christi anno 1088. Romam profectus, a Pontifice commissi veniam & indulgentias petiit, eas quoque impetravit. Tria cœnobia ampliſſima fundavit. Primum Sangershusii, Divo Huldricho consecratum. Secundum ordinis S. Benedicti in Reinhartsbrunno. Tertium cœnobium moniale in oppido Weissenburgo; quod variato nomine Zeistplitzium nuncupavit Adelheida conjunx, superstite adhuc marito; monasterium Oldeslebium ordinis Benedicti, apud Sachsenburgum in Thuringia situm, Anno Christi 1091. condidit, & in illo sepulta jacet. Ludovicus maritus septuagenario major in arce Wartburga prope Isenacum circiter annum Christi 1128. obiit. Non nulli autem historici scribunt, ipsum in arce deambulantem, ab excelsa rupe cecidisse, & mortuum esse. Geneagraphia ipsius ex sequente arbore patebit.

4.	3.
Hermannus Conditor Hammerslebii.	Cecilia, Uxor Hermanni, Gomitis in Wildensch.
3.	2.
Hendrichus adolescens mortuus.	Adelheida, Comiti Vinariensi Udalricho nupta.
2.	
Otto, Episcopus Zeyzensis.	
1.	1.
Ludovicus, primus Thuringiæ & Hessiæ Landgravius.	Chunegunda Comiti Wettinensi elocata.
Ludovicus tertius, cognomine Salius, secundus Thuringiæ & Hesiæ Comes.	Adelheydis, Rudolphi Saxoniæ Ducis Electoris Filia.

De LUDOVICO LUDOVICI SALII Filio, qvarto hujus nominis, primo Thuringiæ & Hesiæ Landgravio.

Sect. IIII.

Ludovicus 4 Ludovicus quartus hujus nominis, Ludovici Salii filius, ab Imperatore Lothario Saxone, cujus filiam Hedwigen uxorem duxerat. Anno 1129. primus Hesiæ & Thuringiæ Landgravius creatus est: Et ita ex Comitibus, quorum duo fuerunt; Ludovicus videlicet Barbatus & Ludovicus Salius, facti sunt Landgravii Prædecessores fuerunt Reges, Duces, & Gubernatores, ut ex superioribus manifeste liquet. Sed hic Ludovicus primus Princeps Landgravius Thuringiam & Hessiam possedit & gubernavit. Landgravii autem nomen quid sit, ut ab iis, quibus vocabulum est ignotum, intelligatur, ipsius interpretationem breviter hic indicabo. Vox est Germanica, idem quod Comes provincialis, Ein Graff des Landes, h. e. Regionis, aut Provinciæ, aut ditionis Princeps, vel ejus territorii, quod hæreditario jure ad se pertinens lege & justitia gubernat & tuetur, significans. Et quamvis aliquot historici, Lotharium Saxonem Imperatorem unicam tantum, quam fratri Guelphonis Heinrico, Bavariæ Duci, thalami consortem junxit, filiam habuisse Gertruden, asserant, & nullam Hedwigis hujus mentionem faciant: Quia tamen reliqui, Hedwigen videlicet hanc Lotharii Imperatoris filiam fuisse, probabiliter affirment; Ego sane horum de hac re sententiam in dubium nunquam vocabo. Unum de Lothario Saxone Imperatore addam; quod videlicet ipse Heros fortissimus & summus doctorum virorum amator fuerit, qui jus civile, quod multis annis neglectum & quasi sopitum jacuit, in lucem revocavit Unde non immerito venustissimus Poeta Sabinus in Romanorum Imperatorum vitis elegantissime de illo his versibus cecinit.

Nec minus urbanas ad pacis idoneus artes,
Fortia quam belli promptus ad arma fuit.
Restituit veterum neglecta volumina legum:
Inque scholis jussit publica jura legi.
Quæ prius obscura sub nocte sepulta jacebant,
Plenaque squalebant pulvere, plena situ.

Et ab hujus Imperatoris tempore jus civile luci quodammodo redditum, undiquaque in Europæ, maxime tamen in Germaniæ terris florere cæpit: quemadmodum etiam adhuc Dei beneficio plurimum apud nos & viret & viget. Sed de his alias. Ad materiam redeo. Duos Ludovicus hic quartus, Hessiæ & Thuringiæ Landgravius primus habuit filios, & quatuor filias. Ludovicum primogenitum, qui condidit Domersbrunum, ibique comes factus est. Et Ludovicum alterum, qui Patri in gubernatione successit. Filiæ fuerunt, Cecilia, quæ nupsit Duci Bavariæ. Adelheyda, quæ facta est Abbatissa Isenaci. Mechthildis, quæ in juventute mortua. Et Jutta, quæ juncta fuit conjunx Duci Bohemiæ, ipsique peperit Odocarum, qui postea Rex designatus est. Moritur hic Ludovicus circiter annum Christi 1179. Brevi tamen ante in torneamento, quod eodem anno Coloniæ Agrippinæ institutum fuerat, fortitudinis suæ exemplum præbuit insigne. Ge-

neagraphia ipſius in ſequente pagina oſtenditur.

4.
Jutta Ducis Boemiæ conjunx, quæ Odorum Regem peperit.

3.
Machthildis in pueritia mortua.

2.
Ludovicus quintus, qui ferreus cognominatus, parenti ſucceſſit.

2.
Adelheyda Abbatiſſa Iſennacenſis.

1.
Ludövicus Comes Dommersbruchius.

1.
Cæcilia Bavariæ Duci elocata.

Ludovicus, hujus nominis quartus, primus Heſſiæ & Thuringiæ Landgravius.

Hedwigis Lotharii Saxonis, Imperatoris Filia.

De LUDOVICO QVINTO, Thuringiæ & Hesſiæ Landgravio, ſecundo.

Sect. V.

Ludovicus 5. Ludovicus Quintus, Quarti filius, Thuringiæ & Heſſiæ Landgravius ſecundus, Patri in Regimine ſucceſſit; Auſterus & ſeveriſſimus Princeps, qui ob nimiam ſeveritatem ferreus Landgravius appellatus eſt. Hic cum quotidianis venationibus nimis accurate, & plus quam Principem decebat, feras nocte dieque inveſtigaret; Solus aliquando a ſuis nobilibus & equitibus in Sylva Rula derelictus a via aberravit. Nocte ingruente errabundus in fabri cujusdam in eadem ſylva habitantis tugurium, venatorio & ſimplice habitu, ita ut a fabro non facile agnoſci potuit, pervenit. Princeps ſe ſolum & aulicorum ſuorum comitatu deſtitutum videns, fabrum in tugurio, ut noctis hoſpitium non deneget, humiliter rogavit. Faber, ut plerumque hoc vulgi genus, præſertim illi, qui in deſertis locis & ſylvis habitant, conſveverunt, Principem quis eſſet & unde veniret interrogavit. Cui Princeps ſe Landgravii miniſtrum venatorium & in ſylvam iſtam ut ferarum luſtra inquireret, miſſum eſſe reſpondit. Quibus auditis faber, ſibi ipſum Principem Landgravium adeſſe neſciens, multis conviciis admodum intonuit, & deteſtandam Landgravii ſeveritatem, ferreamque gubernationem acerbiſſime perſtrinxit, inſuper addens, indignum eſſe, ut aliquis vir bonus Landgravii tanquam hominis, multo minus tanquam Principis mentionem faceret. Tandem tamen poſt multa convitia Principi incognito hoſpitium promiſit, inquiens: At non propter tui Landgravii ſeveritatem; ſed potius tua humanitate motus, te hac nocte hoſpitio excipiam. Landgravius omnia tecte ſimilans tugurium ingrediebatur, & igni in media domo ardenti, equo tamen prius ſub porticum ducto & alligato, aſſidebat; nihil, quam ſecuturi diei lucem ſummo cum deſiderio exoptans. Faber ille interea opificium ſuum per integram fere noctem ſedulo exercebat; & quoties elevato brachio malleum candenti ferro in incude poſito infringebat; toties ferreo ſuo Landgravio dira quæque imprecabatur, & vel funditus extinctum optabat. Poſt nobiles recenſebat, omnesque qui in ditione Haſſica ſcelerate viverent, & cum Principe miſeros colonos moleſtarent & degluberent, dignis coloribus mire depingebat. Hæc omnia cum Landgravius forte non ſine moleſtia per totam noctem a fabro contumelioſe dicta audierat; mane ad ſuos reverſurus diſceſſit: Nihil tamen propter tot contumelias & ſcommata audita mali cogitavit fabri hoſpiti ſuo; ſed potius auditorum memor, aulam & gubernationem ſuam omnem, ſeque adeo ipſum poſtmodo in melius emendavit, Uxorem habuit Ludovicus ferreus Friderici primi Barbaroſſæ Imperatoris filiam, ex qua filios ſuſcepit tres. Fridericum, qui comes Zygenhainiæ factus oppidum Heſſiæ Trayſam condidit, Ludovicum, ejus nominis ſextum, qui Thuringiæ & Heſſiæ Landgravius tertius, Parenti quidem in dignitate ſucceſſit, ſed in moribus diſſimilimus fuit, utpote qui ob ſummam manſvetudinem & clementiam Mitis Landgravius dictus eſt. Uxorem habuit Margaretham Auſtriacam, ſine liberis anno 1191. obiit & tertius ferrei filius fuit Hermannus, de quo in ſequentibus dicemus. Ipſe autem Ludovicus ferreus circiter Chriſti 1173, annum & conjunx ipſius ſexennio poſt mortua eſt. Non fuit Princeps πολυτεκνος, & filius Mitus prolem plane habuit nullam, quare non opus arbitror Geneagraphiam ipſorum peculiari aliqua tabella oculis ſubjicere.

De HERMANNO PRIMO, Thuringiæ & Hesſiæ Landgravio qvarto.

Sect. VI.

Hermannus 1. Hermannus primus, Thuringiæ & Heſſiæ Landgravius quartus, Ludovicorum Ferrei filius & Mitis frater, Princeps virtute bellica & togata præluſtriſsimus, qui ut opibus & potentia, ſic etiam titulis & honoribus, ſe non tantum, ut majores ſui, Thuringiæ & Heſſiæ Landgravium, verum etiam Comitem Palatinum Saxoniæ nominans, ſuccrevit. Norimbergæ in torneamento duodecimo cum aliis Germaniæ Principibus anno Chriſti 1197. congregatus, egregium fortitudinis bellicæ ſpecimen edidit; ibique præcipuam præ reliquis ſui ordinis magnatibus laudem ſtrenue dimicando emeruit. Ex decimo

mo tertio quoque torneamenti exercitio, Wormatiæ Vangionum Anno 1209. habito, cui una cum conjuge Sophia Bavara interfuit, gloriam non exiguam portavit. Acerrimum pro Comite Zygenhainiæ Gotfrido contra Hendrichum Abbatem Fuldenſem bellum geſſit, in quo ita ipſum afflixit, ut non tantum multa monaſterii bona oppignorare, verum etiam monachis præpendas, ut vocant, diminuere coactus eſt. Criſpinianus Urſpringenſis, & Hedio referunt Hermannum hunc, cum ex Syria rediiſſet, Philippo ſecundo Imperatori adhæſiſſe; eidem autem illico, licet amitæ filius eſſet, adverſari; imo ſe quoque ipſi hoſtilibus armis opponere cæpiſſe; tandem tamen, partim bello coactum, partim juſta Philippi cauſa victum, ad priſtinam erga conſobrinum mentem irrefragabiliter rediiſſe. Et ideo Othonem quartum, qui contra Philippum Cæſar deſignatus erat, cum novum inter Philippum adverſarium ſuum & Hermannum Landgravium fœdus ſancitum eſſe audiviſſet, bellum Hermanno indixiſſe; Hermannum vero Othoni fortiter reſtiſſe; ſeque & ſuas Provincias ab hoſtili Cæſaris impetu vindice dextra ſtrenue defendiſſe, Sigfrido quoque ſecundo Baroni Eppenſteynio, in Archiepiſcopum Moguntinum electo, idem hic Hermannus memorabile beneficium exhibuit: Cum enim ipſum Otho Quartus Imperator, propterea quod a partibus Pontificis ſtabat, omni Electoratus honore exauctorare & Germania expellere conabatur; a Landgravio Hermanno in Heſſia hoſpitio exceptus, & contra injuſtos Othonis conatus fideliter defenſus eſt; donec tandem ipſe Sigfridus, Archiepiſcopo Treverenſi & Rege Bohemiæ Electoribus conſentientibus, alium in locum Othonis Imperatorem, Friderichum videlicet ſecundum crearet. Duas habuit Landgravius hic conjuges; PrioremSophiamSaxonicam, cum qua Miſniam accepit. Fuerat autem illa vidua, prius juncta Chunrado Duci Miſnenſi, Hendrichi filio, quæ duas Hermanno peperit filias. Poſterior conjunx fuit Sophia Bavara, ex qua quatuor filios & duas genuit filias. Et ita ex utraque conjuge octo habuit liberos. Primus filius dictus fuit Theodoricus, in adoleſcentia mortuus II. Ludovicus 7. ſanctæ Elyzabethæ maritus. III. Hendrichus, qui Romanorum Imperator creatus eſt, de quo adhuc infra tractabitur. IIII. Chunradus, qui ordinis Teutonici Magiſter factus Anno 1242. Marpurgi mortuus & ſepultus eſt. Inter filias autem major natu, quæ nupſit Comiti Anhaldino, Margareta nominata fuit. Altera Agnes, Ducis Auſtriaci thalamis dignata, Tertia Hedwiges, Alberto Alſatiæ Landgravio juncta. Quarta Jutta, quam uxorem habuit Theodoricus Dux Miſnenſis. Mortuus tandem Hermannus circiter Chriſti annum 1216. Iſennaſi ſepultus eſt. Geneagraphiam ipſius in ſequenti latere invenies.

4.	4.
Chunradus, ordinis Teutonici Magiſter deſignatus.	Jutta Theodorici Ducis Miſnenſis uxor.
3.	3.
Hendrichus, qui Romanorum Imperator creatus eſt.	Hedwiges Alberto Alſatiæ Landgravio nupta.
2.	2.
Ludovicus ſeptimus Divæ Elyſabethæ maritus.	Agnes, ex Saxonica, Archiduci Auſtriaco deſponſata.
1.	1.
Theodoricus in pueritia mortuus.	Margaretha, ex Conjuge Saxonica Comiti Anhaltin nupſit.
Hermannus ejus nominis primus, Thuringiæ & Heſſiæ Landgravius quartus.	1. Sophia Saxonica. Sophia Bavara.

De LUDOVICO ſeptimo Thuringiæ & Heſſiæ Landgravio quinto, Saxoniæ Palatino, Divæ Elizabetæ Marito.

Sect. VII.

Ludovicus ſeptimus, Hermanni primi filius Hendrici, qui Romanorum Imperator creatus eſt frater, Thuringiæ & Heſſiæ Landgravius quintus, & Saxoniæ Palatinus, Divæ Elyzabethæ maritus, Parentem in Gubernatione circa annum Chriſti 1216 ſecutus eſt. Princeps fuit optimus, pius, & devotus, cui nihil antiquius, quam publico Germaniæ commodo; civium ſuorum ſaluti; reliquorum quoque Principum vicinorum tranquillitati conſulere; quæ omnia ut ex multis aliis ipſius geſtis, ſic ex ſequentibus, quas referam, cuivis evidentiſſime patebunt: Cum enim Miſnenſis Marchio Theodoricus qui Juttam ſororem Ludovici conjugem habebat; & Eckhartus Martisburgenſium Epiſcopus vigeſimus primus, propter Urbem Martisburgenſem, quam fere collapſam Epiſcopus in Marchionis præjudicium novis & muris & propugnaculis munitam reſtauraſſet, ſimultates alerent; ne forte res ad Martem deveniret, Ludovicus controverſias inter utrumque Principem ortas prudentiſſime non tantum compoſuit; verum etiam diſſentientium animos perpetuo & indiſſolubili fœderis & amicitiæ vinculo in communem civium ſuorum utilitatem arctiſſime conjunxit. Fuit autem hic Eckhardus Epiſcopus Martisburgenſis Ludovico Landgravio a conſiliis, & Divæ Elyſabethæ a confeſſionibus; quem uterque Princeps, ille propter ſingularem in conſiliis dandis prudentiam; illa propter inſignem Pietatem & vitæ innocentiam quam plurimum & coluit & amavit. A quo etiam tandem, cum affinis Theodoricus Marchio Miſnenſis mor-

Ludovicus 7.

tuui m puberem filium Hendichum relinqueret, Ludovicus tutor Nepotis ex ſorore pupille loco beneficia aliquot militaria ſeu feuda Martisburgenſis Epiſcopatus nomine accepit. Hiſce & aliis vere regiis virtutibus, quamvis præ cæteris Germaniæ Principibus maxime pollebat Ludovicus; a re tamen militari, quantum ad Patriæ defenſionem pertinebat, non erat alienus: Vix enim ex torneamento, Anno 1235. Würtzburgi celebrato, in quo conſpicuum fortitudinis ſuæ ſpecimen ediderat reverſus, cum inſtructiſſimo exercitu, tam ut ſacrum Chriſti ſervatoris noſtri ſepulchrum, quemadmodum plerique tunc temporis Principes fortes & Heroes inclyti ſolebant, videret; tum etiam & Saracenos Chriſti nominis hoſtes infeſtiſſimos ex Palæſtina pelleret, Chriſtianæ Religionis amore victus, in terram ſanctam & Hieroſolymas profectus eſt. Sed pium ipſius & laudabile propoſitum invida Mors intervertit: Brunduſii enim mortuus, & exanguis in patriam tranſportatus eſt. Præcipuam Aulæ ſuæ, dum vixit, Regiam Friburgi ad Onſtruttum fluvium in Arce Wartburgenſi apud Iſennacum in Thuringia, & Marburgi in Heſſia habuit, conjunx vero Elyzabetha, filia fuit Andreæ, & Balami Regum Hungarorum ſoror; quæ cum mirandam ſuam & plus quam regiam erga egenos eleemoſinis & aliis miſericordiæ operibus munificentiam fideliſſime exercuiſſet, pauperum nutrix liberaliſſima, & Marburgenſis Xenodochii ampliſſimi fundatrix Chriſtianiſſima, a Gregorio nono inter Divas relata eſt. Moritur 13. Calend. Decembris, Anno Chriſti 1231. ut Michael Beutherus & Caſparus Goldwurmius in Calendariis ſuis teſtantur. Hujus Divæ vitam multi deſcripſerunt, ſed non ſine ſuperſtitionibus & fabulis adglutinatis. Qui volet legere, Petrum de Natalibus in Catalogo ſanctorum lib 10. cap. 79. & alios habebit. Johannes Ferrarius Montanus, Jurisconſultus Germaniæ clariſſimus, vitam eius carmine depinxit. Helius quoque Eobanus Heſſus in ſuis Heroidibus elegantiſſimam finxit epiſtolam, quam ad Ludovicum Maritum in terram ſanctam profecturum ſcripſit; qui eam legere expetit, libro 2. Heroidum epiſtola ultimo ſcriptam inveniet. Suſcepit ex Elyſabetha hac filium unum, Hermannum ejus nominis ſecundum, & duas filias, Sophiam quæ nupſit Branbantiæ Duci Hendricho: Et Gertrudim, quæ Monaſterii Wetzlarienſis ab Altenburgo denominati Abbatiſſa facta eſt.

Hermannus ſecundus, Ludovici ſeptimi ex Diva Elyſabetha filius, Thuringiæ & Heſſiæ Landgravius ſextus, Parenti in gubernatione ſucceſſit: ſed primo regiminis ſui anno veneno ſublatus obiit, vix 18. annorum adoleſcens, Anno Chriſti 1241. in monte Reinharti ſepultus eſt. Uxor, quam habuit, ut Seb. Munſterus refert, fuit Brabantiæ Duciſſa, Beatrix nomine, quæ poſt obitum Mariti in patriam reverſa, ſecundas cum Comite Flandriæ nuptias contraxit.

De HENRICO Primo, Thuringiæ & Heſſiæ Landgravio ſeptimo, qui deinde Romanorum Imperator deſignatus eſt.

SECT. VIII.

Hendrichus primus, Hermanni primi filius, Ludovici ſeptimi frater, vixit anno Chriſti 1245. Thuringiæ hic & Heſſiæ Landgravius fuit ſeptimus & tandem Romanorum Imperator deſignatus eſt: Cum enim Pontifex Romanus in Friderichi ſecundi plurimum ſibi adverſantis odium multis & creberrimis Electores ac Principes Germaniæ hortatus eſſet literis, ne Friderichum, anathematis jampridem fulmine percuſſum, amplius Imperatorem obſervent; neve ex ipſius ſobole Regem crearent: Herbipoli denique Moguntinus, Colonienſis & Trevirenſis Electores, Argentinenſis ſimul, Metenſis, & Spirenſis Archiepiſcopi & Epiſcopi, cum non nullis aliis ſecularibus Principibus conveniunt, Regnique Romani coronam & dignitatem Cæſaream, quam ante Friderichi Imperatoris filio Chunrado obtulerant, ne Pontificis monitionibus reſiſtere viderentur, in Thuringiæ & Heſſiæ Landgravium Heinricum tranſtulerunt. Heinricus Cæſar inauguratus ſolito imperatorum more Principibus Imperii Francofurti ad Mænum Comitia indixit. Quo cum Chunradus quoque, ut conventum hunc impediret, cum valido veniſſet exercitu; Ab Heinrico & ſociis fortiter adortus, & magna ſuorum clade fuſus & fugatus eſt. Non immerito quidem Chunradus, omni nimirum dignitate, omni honore Cæſareo, omni denique apud Principes autoritate ſpoliatum ſe videns, acceptam hanc ſtragem ægerrime ferebat: Sed nec ſubitam regnorum rerumque humanarum viciſſitudinem; nec dubiam inconſtantis Martis aleam conſiderans, mala malis cumulabat; & quod fato imputandum erat, Suevorum ſuorum perfidiæ, quæ tamen nulla omnino erat, inſcribebat. Suevi injuria, qua illos præter meritum Chunradus affecerat, cognita, etſi in principio cauſam ipſius ſtrenue pugnando acriter defendebant; alieni tamen ab ipſo redditi, ad Henricum, cujus deinde partes conſtanter ſequebantur, ſe convertebant. Argentinenſis interea Epiſcopus munitiones & caſtella, quæ Friderici Imperator & Chunradus filius poſſederant, evertit & expugnavit. Chunradus competitori Imperii imparem ſe videns, ſpe accipiendi auxilii Bavariæ Ducis filiam uxorem duxit: Sed id fruſtra Suevi enim undiquaque ipſum immaniſſime inſequebantur. Hendrichus itaque vi retinens Imperium, Ulmam Sueviæ Urbem, quæ Chunradi partes fovebat, obſidione cinxit. Propter brumæ vero atrocitatem & commeatus penuriam ab expugnatione deſtitit. Cumque jam obſidionem ſolveret, ſagitta læſus, vulnus accepit lethale; & ita eodem anno, quo Rex & Cæſar

Henricus 1.

far inauguratus fuit, interiit; Quanquam non nulli ſcribant, ipſum domi in Thuringia dyſenteria correptum obiiſſe; Alii, ut Sebaſtianus Francus & cæteri, Romanum ab ipſo Imperium per quadriennium adminiſtratum teſtentur. Habuit Uxorem Elyzabetham, Duciſſam Brunſuicenſem, quæ ſterilis fuit. Hendrichus itaque nullis relictis hæredibus Annum circiter Chriſti 1246. e vivis exceſſit. Ambo conjuges in oppido Thuringiæ Iſenaco ſepulti ſunt. Poſt hunc Hendrichum comitatus provincialis Thuringiæ ab Heſſiæ Landgraviis in Theodorici Marchionis Miſniæ filium Hendrichum, illuſtrem nominatum, cujus Divæ Elyſabethæ maritus Ludovicus ſeptimus tutor fuerat, translatus eſt; quam translationem & inſtituit, & ratam habuit Friderichus ſecundus Imperator: Idque ideo, quod non adeo pridem Hendrichus Landgravius Cæſaris honores & titulos, ſibi contra Friderichum & filium Chunradum oblatos ſuſceperat; cui tamen, quod, ut ſupra dictum eſt, Hendricus mortuus nullam prolem reliquerat, acceſſit. Facta autem illa eſt translatio Annum circiter Chriſti 1249. Et ab hoc Marchione ſuperſtites Electores & Duces Saxoniæ Landgraviorum Thuringiæ & Marchionum Miſniæ titulum & provinciam ſibi vendicant; cum prius hæ duæ provinciæ Heſſia & Thuringia circiter mille ſexcentos & plures annos conjunctæ, ab unis iisdemque Regibus, Ducibus, Gubernatoribus, Comitibus & Landgraviis gubernatæ fuiſſent. Sebaſtianus Munſterus annotavit, Thuringiæ comitatum provincialem per Friderichum ſecundum Imperatorem in Albertum Marchionem Miſnenſem generum ſuum translatum eſſe, eo quod Alberti mater Thuringiæ Landgravia fuiſſet; & ita Regiones haſce aliquo juris prætextu, cum maſcula inter Thuringiæ & Heſſiæ Landgravios progenies defeciſſet, in Albertum devolutas.

De HENDRICHO SECUNDO primo ſolius Heſſiæ Landgravio.

ic. 2. Hendrichus vocabulum eſt Germanicum. Aliqui derivationem ejus a mannum robore petunt, ut Hendrichus idem ſit, quod robore vel viribus mannum pollens. Alii a Gallinis, quaſi divitem Gallinarum dicerent, quemadmodum aliquot Reges Gothorum & Vandalorum ab anſeribus Henſerichi dicti ſunt, licet ego eos non ab anſeribus nomen ſortitos, ſed quaſi prorſus & totos divites nuncupatos arbitrer. Alii autem, quibus ego potiſſimum aſtipulor, Hendrichi nomen ex tribus Germanicis vocibus compoſitum eſſe inquiunt, Hoch videlidet und Reich, ſyllabis Germanico more quodammodo corruptis. Sed hæc umbratiles vocum & ſyllaborum ſpeculatores & otioſi verborum trutinatores diſcutiant. Nos in hiſtoriæ continuatione & Geneagraphia incæpta pergemus.

In præcedentibus indicatum eſt, Ludovicum ſeptimum Divæ Elyſabethæ maritum tres ex conjuge genuiſſe liberos: Hermannum filium, qui in ipſo juventutis flore mortuus eſt: Filias, Gertrudam, Abbatiſſam Aldenburgenſem apud Urbem Wetzlarium. Et Sophiam, quæ Duci Brabantiæ Hendricho nupſit. Hi duo conjuges Hendrichus & Eliſabethæ filia Sophia itidem tres habuerunt liberos: Filiam unam, quæ facta eſt monialis, & Iſenacenſis monaſterii Abbatiſſa prima: Filios vero duos, Ludovicum videlicet, qui poſt Parentis obitum Brabantiam gubernavit, & Hendricum, de quo jam ſcribimus, qui primus ſolius Heſſiæ Landgravius factus eſt.

Habuit igitur Thuringia & Heſſia conjunctim ab Imperatoris Lotharii Saxonis tempore, qui Ludovicum quartum generum ſuum ſolennibus inaugurationibus primum Thuringiæ & Heſſiæ Landgravium conſtituit, usque ad Hendrichum, Primum ejus nominis Landgravium, quem Imperatorem Romanorum deſignatum ſupra audivimus, intra centum & viginti annos ſeptem Landgravios. Reliqui, quorum nunc auſpice Chriſto enumerationem ordiemur, ſolius duntaxat Heſſiæ Landgravii fuerunt.

Cum Hendrichus Landgravius Imperator ſine prole, ut ante dictum eſt, deceſſiſſet; Ludovici quoque ſeptimi ex Diva Elyſabetha filius Hermannus in adoleſcentia, hæredibus relictis nullis, veneno extinctus eſſet Thuringia quidem ab Imperatore Friderico ſecundo in Miſnenſis Marchionis Theodorici filium Hendrichum Illuſtrem translata eſt. Heſſia autem Landgravio curâ it Proceres Heſſici maxime de Patria defendenda ſolliciti, & ſingulari Principum ſuorum jam licet defunctorum, deſiderio capti, cum Ducatum ſuum ſine certo aliquo gubernatore diu ſtare, & ſine Principe commode adminiſtrari non poſſe animadverterent: Ad Sophiam, Divæ Elyzabethæ filiam, Heinrici Ducis Brabantiæ conjugem, Legationem miſerunt amplisſimam; Orantes, ut ſi quos haberet filios, Principes ex illuſtri pro avito Landgraviorum Heſſiæ ſanguine deſcendentes, hos in Heſſiam adduceret; ſe eos ambobus, ut dicitur, ulnis amplexuros; illisque omnem obædientiam, omnem fidem, omne obſequium, omne denique illud, quod Chriſtianos ſubditos decet, & quod majoribus ipſorum olim fideliter præſtiterant, cum debita animi ſubjectione exhibituros. Bene cupiens Patriæ Sophia, ſine omni mora cum filio Hendrico, puello trimo, in Heſſiam, quam ſtatim ſub adventu in poſſeſſione accepit, & ad maturam nati ætatem in pace feliciter rexit, profecta eſt. Hoc itaque pacto, omnibus Comitum & Landgraviorum Heſſiæ maſculini ſexus hæredibus extinctis, omnis Heſſiæ gubernatio ad hunc Heinricum matre Landgravia natum, pervenit; qui inclytam poſteritatis ſuæ ſeriem ad hos noſtros usque Landgravios propagavit. Dictus autem fuit Brabantinus hic Hendrichus INFANS HESSIÆ Germanice

das

das Kindt zu Heſſen, quod videlicet ipſe deficientem Landgraviorum lineam redintegrare; ſuoque nutu & regimine veterum Cattorum dignitatem & potentiam, inortis atrocitate quodammodo exſtinctam luci reddere deberet. Quod etiam Deo opitulante factum eſſe nemini incognitum eſt. Adultus, cum Adelheyda Duciſſa Brunſuicenſe, ex qua tres filios ſuſcepit, matrimonium contraxit; qua defuncta Clevenſen Mechtildam, quæ ipſum duorum filiorum & ſeptem filiarum parentem fecit, uxorem duxit. Primam autem filiam Comiti Ochſenſteinio, Secundam, Comiti Sehnenſi, Tertiam Comiti Gerzenſi, Quartam Agnetem Burggravio Norinbergenſi, Quintam Sophiam Comiti Waldeccio, Sextam comiti Ziegenhaynio, Septimam Comiti Hennenbergio elocavit. Filii ipſius fuerunt, ex prima conjuge Brunſuicenſe, Ludovicus, Hendrichus, & Otho; Ex Clivenſe vero Joannes primus, & Hendrichus Gravis. Ludovicus poſtulatus eſt Epiſcopus Monaſterienſis. Hendrichus in pueritia obiit, & Otho, primus ejus nominis, & ſecundus ſolius Heſſiæ Landgravius, parenti in gubernatione ſuſceſſit. Habuit Uxorem Adelheydam Roſenbergiam ex qua quatuor tulit filios; Othonem in juventute mortuum, Othonem alterum Epiſcopum Magdeburgenſem Germaniæ Primatem. Hermannum in cælibatu Grebenſteinii mortuum, & Ludovicum, qui Margaretham Spanheymenſem uxorem duxit, duosque ex illa filios, & filiam unam ſuſcepit. Hic deinde Otho, Heinrici Brabantini, ex Brunſuicenſe matre filius, cum fratre Johanne eius nominis primo ex Clevenſe nato, Heſſiam partitus eſt, Anno Chriſti 1323. ita ut ipſe ſuperiorem ejus partem, Marpurgi ad Lanum reſidens, retinuerit; & Johanni, quem inter ſolius Heſſiæ Landgravios tertium commemoro, inferiorem partem, Caſellas nempe cum adiacentibus terris tradiderit. Quoniam autem ille impuberem prolem reliquerat; & hic nullam unquam habuerat; Heſſia diviſa poſt utriusque mortem coiit, & in Quintum Hendrici Brabantini filium, Heinricum Gravem, de quo in ſequentibus tractabitur, tota gubernatio devoluta eſt. Heinrici Brabantini, primi; & ipſius Filii Othonis ejus nominis primi, ſecundi Landgravii ſolius Heſſiæ Geneagraphiam duo ſequentia latera indicant. Joannem primum, Landgravium tertium ſine prole mortuum prætereo.

5. Hendrichus gravis, qui fratribus extinctis ſolus Heſſiam gubernavit.	7. Adelheyda Comitiſſa Hennenbergica.	6. Sophia Comitiſſa Waldeccenſis.
4. Johannes primus qui interiorem Heſſiam gubernavit.	5. Eliſabetha Comitiſſa Ziegenhainia.	
3. Hendrichus in pueritia mortuus.	4. Agnes Burggravio Norinbergenſi nupta.	
2. Otho primus, ſuperioris Heſſiæ Dominus.	3. Comitiſſa Gerzenſis.	
1. Ludovicus Epiſcopus Monaſterienſis.	2. Comitiſſa Saynenſis.	
	1. Comitiſſa Ochſenſteiniana.	
Hendrichus Brabantinus, primus ſolius Heſſiæ Landgravius.	1. Adelheida Duciſſa Brunſuicenſis.	2. Machtilda Duciſſa Clivenſis.

4. Otho, Epiſcopus Magdeburgenſis Germaniæ primus.	
3. Hermannus Grebenſteinii mortuus.	
2. Otho in pueritia mortuus.	
1. Ludovicus in cujus ſobolem Hermannum omnis Heſſia pervenit.	
Otho primus, ſolius Heſſiæ Landgravius Secundus.	Adelheyda Roſenbergia.

De HENDRICHO TERTIO, Gravi vel Forti dicto, ſolius Haſſiæ Landgravio Quarto.

SECT. X.

Henricus 3. Hendrichus tertius, cognomento gravis vel fortis, Heſſiæ Landgravius quartus, cum Otho primus & Joannes primus fratres ejus Heſſiam, ut diximus, partiti eſſent; alter ſuperiorem partem ad Lanum circa Marpurgum; alter inferiorem provinciam prope Caſellas accepiſſet; Hic conjunctam iterum provinciam ſolus & poſſedit & gubernavit. Elyzabetham, Friderichi Landgravii Thuringiæ & Marchionis Miſniæ filiam uxorem duxit. Ex qua tres filias & unum filium procreavit. I. filia Adelheydis Poloniæ Regi conjuncta fuit. II. Julia in cælibatu mortua Caſſellis ſepulta eſt. III. Elyſabetha Duci Brunſuicenſi nupſit. Filius Otho ſecundus dictus Elyſabetham Clivenſem

vensem Uxorem habuit, qui quintus Hessiæ Landgravius factus, nullam progeniem reliquit; Juvenis enim Spangenbergæ veneno hausto interiit. Ne tamen Hessia Principe omnino destituta gubernationem a Ludovici Barbati Secundi sanguine in exteros Principes transferret; Nepotem Ludovici filium Hermannum, qui Magdeburgensis Metropolitanæ Canonicus initiatus erat successorem sibi constituit. Mortuus Anno 1339.

Sebastianus Munsterus & alii aliquot de hoc Landgravio referunt, ipsum nempe cum Ludovico, qui, ut supra monstravimus, Nepos ipsius ex fratre Ottone erat, irrevocabiliter sanciviſſe, ne imposterum Hessia in duas, tres, aut plures partes divelleretur; Sed ut ex omnibus Hessici sanguinis Principibus unus, qui in matrimonio vivens Patriam regeret, & priscam Cattorum Ducum legitima prole augeret familiam, postmodo constitueretur. Laudabilis sane hæc & patriæ non inutilis principum transactio, quæ quamvis vicinis & exteris quibusdam suspecta videbatur, præcipuis tamen Cattorum proceribus; universæ quoque & vulgi & Hessici civis multitudini non displicebat. Uter tamen eorum sine alterius injuria gubernationi commode præfici posset, nemo videbat. Principes itaque ipsi, ne alter de alterius injuria juste conquereretur, de mediis cogitare cœperunt, unanimiter tandem, ut sequetur, concludentes. Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, Fridericus, princeps potentia & dignitate plurimum pollens, filiam habebat Elysabetham, Principem virginem pietate, virtute, moribus & forma insigniter præstantem; hanc ut uterque ipsorum conjugem peteret, statuebant; addentes, ut ille, quem ex duobus ipsa maritum eligeret, omnes Hessiæ terras, portiuncula aliqua alteri relicta, regendas accipere; eas sine alterius impedimento tuto possidere, & in sobolem hæreditario jure transferre deberet. Consentit uterque; uterque ad Fridericum Marchionem Misniæ, filiam ipsius uxorem optans, proficiscitur; sperat ille; metuit uterque: Hendrichus tamen tandem voti compos & virgine potitus, Marchionis Friderici gener, & totius Hessiæ Gubernator factus est. Ludovicus repulsam passus, aliquandiu Grebensteinii vixit & pacto stetit; Cœlibis vero vitæ pertæsus, Margaretham Comitissam Spanheimensem uxorem duxit; ex qua genuit Hermannum, quem, ut ante diximus, Pater sacris addici, & apud Archiepiscopum Magdeburgensem, Landgravium Hessiæ, Ottonem in Canonicum promoveri voluit. Quoniam autem omnis mascula Heinrici gravis progenies defecerat; Albertus quoque Brunsuicensis, cui tanquam Genero Hessiam resignare volebat, socerum graviter offenderat; Hermannum tertium, de quo in sequentibus dicetur, a Magdeburgensibus ad se recepit; eique ut proximo agnato suo Hessiam regendam tradidit.

de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

De HERMANNO TERTIO, Hessiæ Landgravio Sexto, &c.

SECT. XI.

Hermannus tertius, Hessiæ Landgravius sextus, Hendrichii tertii gravis dicti pronepos ex fratre fuit. Duas conjuges habuit; Priorem Elyzabetham Nassaviensem, sterilem: Posteriorem Margaretham, Burggravii Norimbergensis Friderichi filiam ex qua octo liberos quatuor filios & totidem filias genuit. Prima filia Agnes in infantia; secunda vero & tertia Anna & Elysabetha in adolescentia mortuæ sunt. Quarta Margaretha Heinrico Duci Brunsuicensi & Luneburgensi nupsit. Filii tres, Hendrichus, Friderichus, & Hermannus pueri obierunt. Quartus Ludovicus Patri in gubernatione successit. Defunctus est Hermannus tertius annum circiter Christi 1403. Geneagraphiam ipsius ex sequente latere cognosces.

4. Ludovicus Octavus mitis seu pacificus dictus, qui Patri in gubernatione successit.		4. Margaretha Hendricho Duci Brunsuicensi elocata.
3. Hermannus puer mortuus.		3. Anna, in adolescentia mortua.
2. Hendrichus puer mortuus.		2. Elysabetha infans mortua.
1. Friderichus adolescens mortuus.		1. Agnes, quæ in pueritia mortua est.
Hermannus tertius Hessiæ Landgravius Sextus.	1. Elysabetha Nassavica, quæ sterilis fuit.	2. Margaretha Burggravia Norica.

De LUDOVICO OCTAVO. Hessiæ Landgravio Septimo, qui Pacificus cognominatus erat.

Ludovicus 8.

SECT. XII.

Ludovicus octavus, cognomine Pacificus, Hermanni tertii filius, Hessiæ Landgravius septimus, Anno Christi 1402 natus, duos comitatus Zygenhainensem & Niddensem Patriæ suæ adjecit. Annam Saxonicam uxorem habuit, ex qua quatuor filios & filiam unam procreavit. Major natu inter filios fuit Friderichus in pueritia mortuus. Secundus Hermannus, qui Anno 1472. Archiepiscopus Colonienſis & Princeps Elector creatus est, & maxima cum Comite Palatino Rheni Ruperto, qui sibi Archiepiscopatus gubernationem injuste

ſte vindicare volebat, diſſidia habuit, dum tandem poſt obſidionem Nüſſianam, qua propter horum Principum diſcordiam fortisſimus & bellicoſisſimus Burgundiæ Dux Carolus gravisſime eam preſſerat, Heſſus Palatinum in Weſtphaliam properantem cepit, & in Caſtrum Blanckenſteinianum, ubi poſt biennalem cuſtodiam miſere interiit, captivum duxit. De quibus alias plura. Tertius Ludovici octavi filius fuit Ludovicus nonus. Quartus, Hendrichus ejus nominis quartus; qui, ut hiſtoriæ tradunt, una & eadem die Anno 1460. hic cum Cattimelibocenſium Comitiſſa Anna, Philippi filia; ille cum Mechtilda Wurttembergica ſolennes nuptias feliciter celebraverunt; poſt immaturum quoque Parentis obitum Heſſiam in duas provincias diviſam tranquille rexerunt. Filia, quam habuit unicam, Elyſabetha Philippo Comiti Naſſavienſi nupſit. Fuit autem Ludovicus hic octavus, ut Franciſcus Irenicus, Hartmannus Schedel, & alii teſtantur, Princeps pietatis, pacis & quietis amantisſimus; adeo quoque, ut oblatam Romani Imperii molem conſtanter recuſſaverit, literarum ignorantiam prætendens, cum alias miris ingenii dotibus & ſingulari animi prudentia Princeps tam illuſtris erat, qui omnes omnium Principum fluctus vel ſolus poterat compeſcere. Juſtitiæ quoque & legum ſacrarum tantus & tam ſtrenuus cultor extitit, ut in cauſis coram ſe ventilatis Juris ſtatuta latine immixta vernaculo ſermone ſibi exponi juſſerit; Unde nunquam injuſtam ſententiam promulgaſſe compertus eſt. Tandem ſuæ ditionis monaſterium quoddam reformaturus, una cum Abbate, qui reformationem petierat, in prandio a monachis, qui cibo venenum miſcuerant, extinctus eſt. Geneagraphiam ipſius ſequens pagina indicat.

4.
Hendrichus quartus ſuperioris Heſſiæ Dominus.

3.
Ludovicus nonus inferioris Heſſiæ Princeps.

2.
Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis Elector.

1. 1.
Friderichus puer mortuus. Elyſabetha, quæ Philippo Comiti Naſſavienſi nupſit.

Ludovicus Octavus, cognomento Pontificus Heſſiæ Landgravius. Anna Saxoniæ Duciſſa.

De LUDOVICO NONO, Heſſiæ Landgravio VIII.

Sect. XIII.

Ludovicus nonus, Heſſiæ Landgravius octavus, Ludovici octavi filius, patre defuncto, cum fratre Hendricho quarto Heſſiam partitus eſt; hoc pacto, ut ipſe videlicet Caſſellas & inferiores Heſſiæ regiones gubernaret, & Heindricho Marpurgum cum ſuperioribus ad Lanum provinciis relinqueret. Diviſionem illam propterea factam eſſe arbitror, ut eo felicius ambo fratres Principes Regiones ſuas ſatis latas gubernare, & familiam propagare poſſent. Uxorem, ut ſupra diximus, Comitis Würtenbergenſis filiam Mechtildam duxit; ex qua cum duos filios, ambos Guilielmos, & unam filiam Elyſabetham dictam, ſuſceperat. Anno 1474. in ipſo flore ævi mortuus eſt.

De HENDRICHO QUARTO, Heſſiæ Landgravio nono.

Sect. XIV.

Hendrichus Quartus, Ludovici Octavi filius, Ludovici noni frater, Heſſiæ Landgravius nonus, natus eſt Anno Chriſti 1440. Duxit uxorem Annam Cattimelibocenſium Comitis Philippi filiam, cum qua duos Cattimelibocorum opulentiſſimos comitatus, ſuperiorem ſcilicet & inferiorem accepit, quos cum ſuperiori Heſſia ad Lanum conjunctos, feliciter gubernavit. Principem hunc ajunt clementiſſimum fuiſſe. De quo Reinhartus Hadamarius, inſtitutionem ipſius breviter commemorans, inter cætera refert, nullo ipſum faſtuoſo luxu unquam diffluxiſſe, ſed nigra plærumque lanea veſte uſum: in pileo quoque argenteum ſiphunculum, duabus, quarum receptaculum erat, gallinaceis pennis exornatum geſtaſſe; idque tanto Heroi maximum ornamentum viſum eſſe. Quatuor ex hac conjuge ſuſcepit filios, & filias duas, quarum prior Mechtildis Johanni Duci Clivenſi; altera Elyſabetha Johanni Comiti Naſſavienſi uxor conjuncta eſt. Primus filius Ludovicus vix octodecim annos natus in caſtro Rauſchenbergiano mortuus eſt; quem brevi poſt fratres Friderichus & Hendrichus in ipſa adoleſcentia præmaturo fato abrepti, ſecuti ſunt. Quartus Hendrichi quarti filius Guilielmus ejus nominis primus parenti in gubernatione ſucceſſit. Obiit autem hic Hendrichus Anno 1483. cum circa novem annos fratris filiorum duorum Guilielmorum Tutor fuiſſet. Stemmatographiam ipſius in ſequenti filio oculis ſubjicere placuit.

4. Guili-

4. Guilielmus qui Parenti in gubernatione ſucceſſit.	
3. Hendrichus adoleſcens mortuus.	2. Elyſabetha, Ioanni Comiti Naſſavienſi nupta.
2. Friderichus adoleſcens mortuus.	
1. Ludovicus, Rauſchenbergæ 18. annos natus obiit.	1. Machtida, Ioannis Ducis Clivenſis Uxor.
Hendrichus Quartus.	Anna, Comes Cattimelibocenſis.

De GVILIELMO PRIMO, dicto Seniore, Heſſiæ Landgravio Decimo.

SECT. XV.

Guilielmus I. Circiter annum Chriſti 1500. tres Heſſia ſimul habuit Landgravios, omnes Guilielmos nominatos, quorum hic, cujus vitam in hac ſectione breviter percurremus, primus dictus eſt. Fuit autem filius Ludovici noni, & Philippi adhuc ſuperſtitis Landgravii Patruus, natus anno Chriſti 1466: Cum adoleviſſet in terram ſanctam Hieroſolymas verſus magna cum pompa & apparatu ſplendidiſſimo profectus eſt. Inde reverſus Heſſiam inferiorem circa Caſſellas gubernavit, & Annam Duciſſam Brunſvicenſem uxorem duxit; ex qua maſculam prolem nullam, quinque vero ſuſcepit filias; quarum prima Anna Magdenburgi, & tertia Mechtilda in juventute obiit: Secunda, Elyſabetha Johanni Duci Bipontino; Quarta, Catharina Adamo, Comiti Bichlingenſi: Quinta, altera Mechthilda Comiti Teeckelburgio nupſit. Princeps ſane Primus hic Guilielmus egregii fuit corporis, ſtaturæ proceræ, membrorum juſta proportione conſpicuus, luctandi & ſaltandi avidus, literis deditus, nec indoctus, eleemoſynarum largitor ſedulus, Muſarum patronus ſingularis, ſatis quoque in principio regiminis prudens: Amatorio autem denique poculo quodam impudicarum, ut ajunt, corruptus, & mentis impos factus, ad gubernationem minime idoneus reperiebatur. Qua propter etiam fratri Guilielmo tertio, qui & medius inter hunc primum & juniorem Guilielmum appellatus eſt, omnes terras ſuas, ſola Spangenberga ſibi reſervata, reſignavit.

De GVILIELMO SECUNDO, dicto Juniore, Heſſiæ Landgravio Undecimo.

SECT. XVI.

Guilielmus 2. Guilielmus ſecundus, dictus Junior, Heſſiæ Landgravius undecimus, natus Anno Chriſti 1471: alii dicunt 70. pridie nativitatis Mariæ. Hendrichi Quarti, qui Marpurgi habitavit, & conjugis Annæ Cattimelibocenſium Comitiſſæ filius fuit, vix tredecim annorum puer patrem amiſit. Adoleſcentiam egreſſus venationi quotidianæ incumbebat; noctu quoque & interdiu, terrarum ſuarum gubernationem Aulæ Magiſtro Johanni Dornbergio committens, omnem vitam in ferarum luſtris explorandis conſumebat. Maturo ſibi junxerat conjugio filiam Friderici Marchionis Brandenburgenſis, quam poſtea repudiavit, & duxit alteram Palatini videlicet Electoris Philippi filiam Elyſabetham, cum qua Anno Chriſti 1498. Francofurti ad Mænum inter varia equeſtrium ludorum exercitia ſolennes nuptias celebravit. Heſſi ad Lanum ob has potes nuptias elatiores facti, inferioris Heſſiæ incolas conterraneos ſuos ſpernebant: Brevi tamen poſt omnes ſub unius Principis Guilielmi tertii ut in ſequentibus docebitur, poteſtatem devenerunt; Cum enim junior Guilielmus aſſiduis ut ſupra diximus, venationibus etiam in conjugio nimium indulgeret; malum malæ vitæ nactus eſt exitum; Nam circiter milleſimum quingenteſimum Chriſti annum, apud oppidum Rauſchenbergenſe feras inſequens, equo præcipitatus lethaliter cecidit: Nec tamen ſtatim extinctus, ſed ſemianimis a ſuis ſublevatus & in urbem reportatus eſt; ubi brevi poſt, Eccleſiaſticis tamen ſacramentis munitus diem obiit. Probum quidem hunc & manſuetum Principem fuiſſe hiſtoriæ perhibent; Cum Guilielmo tamen tertio propter abbatiam Heresfeldianam, quam ipſe, præter majorum ſuorum conſuetudinem, qui eam ſemper conjunctim tenuerant, ſibi ſoli vindicare voluit multas non ſine magno Heſſiæ detrimento ſimultates aluiſſe; Id vero, & ſi quid præterea male commiſſum, nec ad præſcriptam gubernationis normam diligenter expeditum fuerit, non tam Principi venatori, quam conſiliariis, quibus nimis indulſit, imputandum arbitrantur. Mortuus Juvenculæ viduæ Electoris Palatini filiæ Darmſtadium; Guilielmo autem tertio totam Heſſiam cum duobus Cattimelibocorum comitatibus reliquit. Hujus tertii Guilielmi cunas, vitam, educationem, mores, thalamos, omnesque res feliciter & præclare tam belli quam pacis tempore geſtas, in ſequenti hoc tertio commentario breviter commemorabimus.

Finis Commentarii ſecundi.

Seqvitur nunc brevis Catalogus & Series principum, in præcedentibus duobus Commentariis enumeratorum, qui Thuringiam & Heſſiam usque ad GUILIELMUM Quartum, PHILIPPI Primi adhuc ſuperſtitis filium feliciter gubernaverunt.

Vetusti Cattorum Reges.

Pater Batonis,	1
Bato	2
Hessus	3
Gandestrius	4

Francorum Reges, qvi Thuringiam & Hesſiam gubernaverunt.

Antenor	1
Marcomirus	2
II. Antenor	3
Priamus	4
Helenus	5
Diocles	6
II. Helenus	7
Basanus	8
Clodomirus	9
Nicanor	10
II. Marcomirus	11
Clodius	12
III. Antenor	13
II. Clodomirus	14
Merodacus	15
Cassander	16
Antherius	17
Francus	18
Clogius	19
Herimerus	20
III. Marcomirus	21
III. Clodomirus	22
III. Antenor	23
Rattherus	24
Richimerus	25
Odemarus	26
IIII. Marcomirus	27
IIII. Clodomirus	28
Farabertus	29
Sunno	30
Huldrichus	31
Bartherus	32
II. Clodius	33
Walthérus	34
Degowertus	35
II. Clogius	36
V. Clodomirus	37
II. Richimerus	38
Theodemerus	39
III. Clogius	40
V. Marcomirus	41
II. Degowertus	42
Genebaldus	43

Ex altera Francorum Regum linea.

Waramundus	44

Ab hoc Reges & Gubernatores Thuringiæ & Hesſiæ descendunt.

Marcomirus	1
Childericus	2
Bartherus	3
Basinus	4
II. Childericus	5
II. Bartherus	6
Hermanfridus	7
Theodoricus	8
II. Theodoricus	9
Ehrnwertus	10
Theodebertus	11
Lotharius	12
Degowertus	13
Clodoveus	14
II. Lotharius	15
III. Theodoricus	16
III. Childerichus	17
II. Clodoveus	18
Childebertus	19
III. Clodoveus	20
III. Lotharius	21
Theodoricus Cala	22

Duces Thuringiæ & Hesſiæ.

Ludovicus Barbatus	1
II. Ludovicus	2
III. Ludovicus & Chunratus } fratres	3
Luitpoldus	4
Burchartus	5
I. Chunradus Imp.	6
I. Hendrichus Imp.	7
I. Otho Imperator	8
II. Otho Imp.	9
III. Otho Imp.	10
II. Hendrichus Imp.	11
II. Chunradus Imp.	12

Comites Thuringiæ & Hesſiæ.

II. Ludovicus Barbatus ejus nominis Secundus.	1
III. Ludovicus Salius vel Saltator dictus.	2

Landgravii Thuringiæ & Hesſiæ.

IIII. Ludovicus	1
V. Ludovicus	2
VI. Ludovicus	3
I. Hermannus	4
VII. Ludovicus	5
II. Hermannus	6
I. Hendrichus	7

Solius Hesſiæ Landgravii.

II. Hendrichus Divæ Elisabethæ & Ludovici Septimi nepos.	1
I. Otho	2
I. Johannes	3
III. Hendrichus	4
II. Otho	5
III. Hermannus	6
VIII. Ludovicus	7
IX. Ludovicus	8
IIII. Hendrichus	9
I. Guilielmus	10
II. Guilielmus	11
III. Guilielmus	12
I. Philippus	13
IIII. Guilielmus & ejus fratres.	14

De

De GUILIELMI Tertii, Heſſiæ Landgravii Duodecimi, Nativitate, Educatione, Moribus, Vita, Conjugio, & Rebus præclare geſtis.

Commentarius tertius.

Sect. I.

Guilielmus tertius, medius dictus, Heſſiæ Landgravius, qui gubernationi præfuit, duodecimus, Filius fuit Ludovici noni, & frater Guilielmi ſenioris ejus nominis primi, ditiſſimus & potentiſſimus Princeps: Unde etiam dives Landgravius vocatus eſt. Hujus memorabilem & plusquam ducalem manſuetudinem, modeſtiam, temperantiam, prudentiam, fortitudinem, & reliquas Chriſtianas vereque heroicas virtutes, cum omnes hiſtorici dignis encomiis mire prædicant; ipſi hunc peculiarem & tertium, ne poſterorum memoria exemptus videatur, commentarium conſecrare placuit. Natus eſt autem, ut ſupra dixi & Ludovico nono Heſſiæ Landgravio & Mechtilda Würtembergica anno Chriſti 1468. pridie Philippi & Jacobi. Infans parentem amiſit: Mater vero Heroina præſtantiſſima utrumque filium liberaliter educari, & humanioribus literis, artibus quoque aliis, tantis principibus non indignis ſedulo imbui curavit. Guilielmus interea tertius, puer generoſiſſimus, fratrique ingenio & natura diſſimilimus, liberalibus non tantum diſciplinis, verum etiam aliis heroicis virtutibus indies adauctus, erga omnes cujusvis ætatis & conditionis homines ita ſe gerere noverat; ut quemadmodum æquales ſuos, inter quos pares admodum paucos habebat; ſic quoque omnem Heſſiam, omnesque Heſſiæ proceres in ſummum ſui amorem facilime pertrahebat, natus annos decem ex egregia illuſtri ipſius indole innumeræ Principem maxime ornantes virtutes clarius eluceſcere; omnesque veterum Cattorum populos in bonam ſpem feliciſſimi regiminis erigere incipiebant. Annum vero undecimum ingreſſus, a matre, ſuadentibus amicis & cognatis, ad avunculum Eberhartum Barbatum, Comitem Württenbergenſem, ut in bonis ibi moribus & diſciplinis ducalibus felicius erudiri, & exterorum hominum familiaritati lætius aſſuefieri poſſet, miſſus eſt avunculus Eberhartus Würtenbergenſis Comes ατεκνος, cum ſororium nepotem omnibus iis ornamentis, in quibus vera Principum gloria conſiſtit, cumulatiſſime præditum, & propter inſignem liberalitatem, clementiam, candorem & manſuetudinem ab omni nobilitate Suevica; ab aulicis quoque cunctis, cum quibus colluctari, ſaltare, & alia equeſtrium ludorum genera familiariter pro ætate juvenili exercere non abhorrebat, unice venerari, & tanquam numen e cœlo lapſum obſervari vidit, ipſum non tanquam nepotem, ſed tanquam genuinum filium mire diligere cœpit.

Sect. II.

Circa annum Chriſti 1482, vel, ut liber torneamentorum Germanicorum habet, 1484. Eberhartus Barbatus Comes Wurtenbergenſis Stutgartiæ in Regia ſua ludos equeſtres in multorum Principum, Comitum, Baronum, Equitum & Nobilium præſentia ſolenniter inſtituit. Hiſce tertius quoque hic Wilhelmus, Juvenis quindecim forte annorum, nihil quam ardua meditans, & egregia majorum ſuorum facta prone imitando aſſequi cupiens, interfuit; ingensque futuræ virtutis bellicæ, pro ætatis ſuæ viribus ſtrenue certando, ſpecimen, in tot illuſtrium heroum conſpectu inclytus exhibuit. Anno deinde 1483. cum Sigismundus Archidux Auſtriæ ſenex Princeps octogenarius Catharinam Alberti Ducis Saxoniæ filiam, Hendricho Duci Brunſuicenſi prius deſponſatam uxorem duxurat, illuſtresque Oeniponti nuptias inſtituerat; Eberhartum quoque pontificii Legati verba Germanice redderet, in medium produxit. Quod cum Guilielmus expeditiſſime, & cum magna aſtantium admiratione prompte præſtiterat; multiplici a Sigismundo Auſtriaco honore affectus, dignis quoque muneribus ornatus, nuptiisque tandem finitis, cum Avunculo Stutgardium reverſus eſt.

Sect. III.

Superioris Heſſiæ ad Lanum Landgravio Hendricho Quarto defuncto, Guilielmus Senior Guilielmi medii frater tutoria poteſtate ſe exemptum putans, & inferioris Heſſiæ terras ſolus gubernare cupiens, omnes ſubditos fidelitatis juramentum ſibi præſtare coegit, arbitratus Guilielmo tertio fratri ſuo, ut ſe ad Eccleſiaſticam aliquam conditionem & dignitatem conferret, & Heſſiæ civilem gubernationem ultro relinqueret, perſuaderi poſſe. In hac quoque utriusque Guilielmi mater Mechtildis vidua conſtans hærebat ſententia, inconvenientiſſimum Patriæ arbitrata, ſi duo inferiori Heſſiæ Principes præficientur; tolerabilius autem fore civibus, ſi alter regiones a Parente acceptas gubernaret; alter ſacris initiatus vitæ Eccleſiaſticæ operam daret. Guilielmo itaque ſeniori, aliis quibusdam ita ſuadentibus, Annam Duciſſam Brunſuicenſem uxorem junxit: Et ut Juniori filio Guilielmo tertio Eccleſiaſtici ordinis conditionis facilius perſuaderet, ad fratrem Eberhartum Comitem Württenbergenſem, ipſius in hac re tam ſeria fidele conſilium ſummopere flagitans, profecta eſt. Eberhartus, cui alacre Nepotis ingenium perſpectiſſimum erat, ſororis, ut nec laudavit, ita nec approbavit propoſitum. Mater tamen nihilominus apud filium Guilielmum inſtans, Juvenem, ut ſacros ordines non repudiaret creberrime monuit. Guilielmus plane heroici & alacris animi, inclitæque indolis Princeps, haudquaquam in umbratili loco torpeſcere, & in otioſo Eccleſiaſticorum luxu vitam inutiliter conſumere adſuetus; ſed civilibus &

bellicis undis, variisque fortunæ procellis ferendis magis idoneus, honores Eccleſiaſticos a matre ſibi oblatos non ſolum ſine omni deliberatione ingenue recuſavit; verum etiam, ut inpoſterum a talibus tamque ſibi moleſtis & ingenio ſuo plane contrariis monitionibus abſtineret, genetricem obnixe rogavit. Mater filii auſteritate non nihil offenſa; alia tamen via in ſuam ipſum trahere ſententiam conabatur. Vivebat eodem tempore apud Stutgardienſes Theologiæ Doctor, Aulicusque concionator, Wernherus nomine, Patria Heſſus, Vir, ut illa ferebat ætas, ſatis eloquens, doctus, & vitæ inculpatæ: Hunc mater Mechtildis, ut omni, quo poſſet, ſtudio & fidelitate Juniori filio Guilielmo Eccleſiaſticæ vitæ conditiones perſuadere conaretur, anxia rogabat; ſperans, ipſum tanquam Theologum & Eccleſiaſtici ordinis hominem facilius, quam alium indoctum, filii animum, ut matris beneplacito ſatisfaceret, inducturum. Omnem in hoc negotio operam Theologus Wernherus Duciſſæ viduæ promiſit; omnes quoque familiariter cum Guilielmo colloquendi vias ſedulo quæſivit; & ut citius Juvenem cæperet, ad colloquium ipſius admiſſus, ingentibus Eccleſiaſticorum ſtatum & vitam encomiis ſummopere prædicabat; Patrui deinde Hermanni, Archiepiſcopi Colonienſis, Principis Electoris, promptiſſimum animum longe laudeque recenſebat; quod nimirum ipſe Præpoſituram Aquenſem, quotannis circiter quatuor millia aureorum & ultra prudentem; unde Princeps clericus optime in otio, quiete, & amœnitate vitæ ſine ullis moleſtiis ſatis laute ſe ſuosque alere poſſet jamdudum Nepoti ex fratre tertio huic Guilielmo reſignare conſtituiſſet: Inſuper etiam addebat, quod ipſi hujus aliquando vitæ pertæſo, ordinibus ſacris, quo cunque tempore vellet, valedicere non prohibitum eſſet. Audivit quidem hæc omnia Guilielmus; In meliori tamen & ſemel approbata perſeverans ſententia, Doctori breviter & prudentiſſime reſpondit: Valde videlicet deteſtandum eſſe Eccleſiaſticis bonis frui, at non, ut decet, Eccleſiaſticam, ſanctam, inculpatam, ſolidariam, & aſſidue ſoli gloriæ divinæ deditam vitam agere. Suam idcirco mentem, cum Eccleſiaſticis bonis male utentes in animæ quoque jacturam prolabi, ſibi non incognitum eſſet, a clericorum dignitatibus plus quam alienam. Monuit ſimul Wernherum, ut in futurum ſibi ipſi pareat; & hujusmodi ſupervacaneis importunis impulſionibus cautus ſuperſedebat; ſe in ſudore vultus ſui & in civili & politico, qui Principem decet, labore melius, quam contra conſcientiam in ſordido clericorum otio, ſegnique veterno & torpore Eccleſiaſtico Deo & Patriæ inſervire poſſe & velle. Laudabile hoc Principis Juvenis reſponſum Theologus Wernherus matri Mechtildi Principiſſæ retulit; nec amplius ejus rei apud Guilielmum mentionem facere voluit. Mater omni ſe in Suevia ſpe fruſtratam videns, ad iram commota filium a Württenbergenſibus ſecum in Heſſiam ducere, illumque Patruo Archiepiſcopo Colonienſi Hermanno, ut ipſius forte opera ſacris felicius initiari poſſet, transmittere ſtatuebat. Eberhartus Württenbergicus ſororium Nepotem ſuum, quem tanquam genuinum filium unice deligebat, ex Suevia abducendum comperiens; abitum quidem ipſius quemadmodum etiam omnis Suevica nobilitas ægerrime tulit; matris tamen voluntati reſiſtere noluit. Jamjam itaque abiturum ſolus ſolum ad ſe vocavit; juvenemque, ut ante omnia in bene cæpto pietatis & virtutis curriculo conſtanter pergeret, paterne monuit; aliquot ipſum deinde equis, ſupellectile quoque pretioſiſſima in perpetui amoris teſtimonium immortale donatum, cum venia dimiſit; & ad territorii Württenbergici fines cum omni equitatu Suevico comitatus eſt; ubi alter alteri mutuo complexu fuſisque lachrymis valedicens, Eberhartus Stutgardiam, Guilielmus vero cum genitrice in Heſſiæ regiones rediit.

Sect. IV.

Ex Sueviæ Regionibus quidem Guilielmum cum matre in Heſſiam rediiſſe, ex præcedentibus, auditum eſt; ipſum tamen domi non diu manſiſſe; ſed ad patruum Hermannum Archiepiſcopum Principem Electorem Colonienſem profectum eſſe, & in ipſius aula cum duodecim equis aliquandiu vixiſſe, hiſtoriæ teſtantur. Æque gratus erat Princeps Guilielmus Colonienſibus, ut olim Suevis: Humanus enim, comis, & liberalis erga ſuos & alios, omnes omnium bonorum animos ita ſibi devincire noverat, ut nemo niſi maxime impius ipſum jure odiſſe potuiſſet. A Colonienſibus denique in Heſſiam reverſus, fratrem Guilielmum ſeniorem, ut debita paternæ hæreditatis parte competem ipſum faceret, decenti animi ſubmiſſione fraterne rogavit. Guilielmus Senior ingenii quodammodo durioris & irrequietæ mentis Princeps, ſibi tanquam primogenito inferiorem Heſſiam ſoli deberi contendens, rem a fratre non inique rogatam diu diſtulit; Juſtis tamen denique naturæ legibus & quotidianis Germani precibus victus; aliquot inferioris Heſſiæ arces & urbeculas, inter quas Guttenbergenſe oppidum fuit præcipuum, fratri gubernandas ceſſit. Guilielmus tertius honeſtæ gloriæ cupidus inprimis vero rei militaris ſtudioſiſſimus, ut exterorum quoque populorum

lorum mores cognoscere; in peregrino solo laudabile quiddam gerere, & variis Principe dignis rebus in futurum Hessiæ emolumentum assuefieri posset Maximiliani ejus nominis primi, Cæsaris invictissimi potentissimi, justa contra Gallorum Regem bella moventis, partes secutus, pro imperatore & Germania sua adversus Gallos una cum aliis Juvenibus Principibus strenue militavit. Miles sane Guilielmus Maximiliano fuit acceptissimus; indiesque quo magis heroica ipsius fortitudo & virtus, qua præditus erat, enituit; hoc magis ipse Cæsari & reliquis belli Ducibus charior fieri cæpit; ita etiam, ut ab omnibus venerari, ab imperatore vero ipso facilime, quodcunque optavit, impetrare potuit. Cum autem denique Cæsar & Gallus post varios conflictus reconciliati arma utrinque deponerent, suasque ab omni parte copias dimitterent; Guilielmus quoque Hessus cum suis domum reversurus, Maximiliano & commilitonibus valedixit; inter valedicendum vero summam & intolerabilem fratris Guilielmi senioris, debitam sibi paternæ hæreditatis partem denegantis, iniquitatem Cæsari familiariter commemoravit. Maximilianus Imperator, justitiæ amantissimus; optime quoque propter res fortiter & præclare gestas Guilielmo seniori, ut pro consequenda legitima omnem hæreditatem paternam, cum fratre sine mora æqualiter divideret, severissime mandavit. Imperatoris mandato cum senior non auderet refragari Guilielmus, mediam inferioris Hessiæ partem tertius Guilielmus nactus, ad Maximilianum Cæsarem, cui in Hungaria bella gerenti operam militarem strenue navavit, feliciter rediit; cum cujus tandem aula post compositos tumultus Hungaricos in Germaniam retractus, & Confluentiam usque profectus est. Senior interea Guilielmus, ne testudinis instar domi delitesceret, longum & periculosum in terram sanctam Urbemque Hierosolymitanam iter instituit; unde reversus, cum propter innumera morborum genera, quibus expositus erat; propter rationis quoque facultatem in itinere amissam, patriæ regiones amplius cum fructu gubernare non posset; omnes inferioris Hessiæ terras fratri Germano Guilielmo tertio cum plenaria gubernandi potestate ultro resignavit.

De prioribus GUILIELMI TERTII nuptiis.

Sect. V.

ejus priores nuptiæ.

Inferioris Hessiæ Regiones nactus Guilielmus tertius, non a tyrannide vel crebris subditorum exactionibus ut quidam solent; sed a pietate, mansuetudine, civiumque suorum amore gubernationem feliciter auspicatus est. Unde etiam tam apud proprios & vicinos populos, quam apud remotos & exteros mundi Magnates immortale decus; magnumque & memorabile nomen sibi conciliavit. In hoc felici gubernationis suæ statu, etsi multos fideles, & patriæ optime cupientes habuit consiliarios; Comite tamen quodam Saynense, cui omnia animi arcana tuto credebat, præ reliquis omnibus usus est familiarissime. Ille Principem adultum & prospero dignum conjugio videns, Ducissæ Lotharingiæ, & Reginæ Siciliæ, Jolandæ, cujus etiam aulicus & minister erat, illustresque ipsius mores, pietatem, prudentiam, castitatem, & cæteras puellares virtutes sibi habebat perspectissimas, honorificam coram Guilielmo tertio, tecte tamen, mentionem fecit; promittens, si Landgravius cum illustrissima antiquissima Ducum Lotharingicorum familia affinitatem contrahere non abnueret, se licita Deo dante media, certamque ut Princeps tam illustrissimæ, moratissimæ, formosissimæque puellæ particeps & maritus fieret, viam inventurum. Tanto & tam illustri Ducissæ Jolandæ encomio, a Comite commemorato, captus Guilielmus, Virginem Principem, ante nunquam visam flagranti, casto tamen amore, unice ardere cœpit; comitemque ut conjugii hujus periculum faceret, amice monuit; ea tamen conditione, ut prius ad puellæ conspectum admitteretur. Saynensis rem semel incæptam gnaviter curans, ad Principem suam reversus, nacta occasione Virginis Ducissæ castum Landgravii amorem prudenter aperuit; ipsumque simul a vitæ & fortunæ felicitate; a morum suavitate, a rerum gestarum celebritate, ab animi demum & corporis robore digno perstrictum eulogio, Jolandæ in optima forma commendavit. Tantum tanti Principis conjugium Princeps puella jam plenis nubilis annis nequaquam quipem abnuit: Vultus tamen amantis coram videre non imprudenter desideravit. Hoc cum Guilielmus per Saynensis literas mature intellexisset; voti & religionis gratia peregere se abiturum simulans, iter in Lotharingiæ terras suscepit; habituque incognito & religioso ad Ducum Lotharingiorum Regiam Nancejum cum comitatu suo pervenit; Unde tandem, cum a Lotharingis, sub peregrino quoque habitu cognitus, honorifice; A Jolanda vero amicissime exceptus. votique compos, & Ducis Lotharingici gener factus esset, sine diuturna quidem mora, non tamen sine singulari animi lætitia in Hesiæ regiones, necessaria ad festum nuptiale curaturus, reversus est. Circa Christi igitur annum 1496. in festo Simonis & Judæ Jolanda sponsa cum suis Confluentiam appulit, ubi Trevirensis Archiepiscopi nomine ab urbis & castri Hermansteiniani gubernatoribus honorifice excepta; dieque sequente a Chunrato Waldensteinio, quem Landgravius sponsus cum equitatu splendidissimo ad Rheni ripas ablegaverat, in Hesiæ regiones feliciter deducta est. Sponsus interea Guilielmus, ne quid nuptiali deesset gaudio, maxime sollicitus, multos ex variis regionibus ad connubiale festum Principes invitavit.

Convenerunt autem Johannes Fuldenſis, Volpertus Hirſfeldianus & Hermannus Corbeienſis, Abbates, Friderichus deinde Marchio Brandenburgenſis, Burggravius Noricus, & Guilielmus junior, ſuperioris Heſſiæ Landgravius, dives nominatus, ſponſi patruelis; Comites quoque Waldeccenſes, Philippus & Hendrichus, Comes Eberhartus Konigſteinius, & Bernhartus comes Luppius; & alii. Horum illuſtri ſtipatus corona Guilielmus, illuſtriſſimæ & dilectiſſimæ ſponſæ ſuæ Jolandæ lætus in occurſum proceſſet, illamque & accepta ſalute ſuavlter complexam, cum celeberrima pompæ magnificentia in Caſſellenſium Urbem Regiam ſuam plaudens duxit; & ſequentibus diebus ſolennis cum læto omnium ſuorum civium applauſu nuptias inter varia ludorum equeſtrium & torneamentorum exercitia, in quibus ipſe ſponſus non minimam laudem obtinuit, jugiter celebravit.

De injuſto ERICI Ducis Brunſvicenſis impetu in inferioris Heſſiæ Regiones facto.

Sect. VI.

cum Erico D. Brunſv. bellum.

Nullum in terris adeo ſerenum eſſe gaudium, quod non atris interdum doloribus ſeptum inter turbari, & triſtibus quodammodo curis miſceri ſoleat, omnes quotquot unquam mortales vixerunt, teſtentur neceſſe eſt. Idem quoque novo huic marito Landgravio Guilielmo contigiſſe, hiſtoriæ perhibent: Cum enim poſt varias fortunæ vices vix ad patriæ gubernacula evectus, dignosque vita & virtute thalamos adeptus eſſet, Erichus Brunſvicenſis Dux hoſtili in inferioris Heſſiæ regiones impetu ſine omni cauſa irrumpere; easque præter ſpem crebris populationibus crudeliter infeſtare cœpit. Guilielmus Heſſus, Princeps magnanimus, multaque rei militaris experientia plurimum pollens etſi nihil unquam contra Brunſuicenſem hoſtile cogitaverat; inimicos tamen adverſantis Erici conatus ex crebris in Heſſiam irruptionibus penitius cognoſcens; de legitimis vim vi repellendi mediis coactus deliberavit. Collecto itaque milite, cum ſuis & altis, quas ipſi Brantenburgenſis Marchio in ſuppetias miſerat, copiis; rem aperto Marte decidere cupiens, hoſtem in Brunſuicenſium usque Regiones fortiter inſecutus eſt. Cum autem tergiverſantem fruſtra quæreret, par pari referens, vicos, pagos, & agros in Mundenſium territorio ſitos, ferro & flammis undique vaſtavit, & in Heſſiæ regiones reverſus eſt. Hyeme illa non ſine ſingulari utriusque Principis & ſubditorum detrimento finita, cum Friderichus Dux Saxoniæ, Elector, & frater ejus Johannes, Principes non ſibi ſed univerſæ Germaniæ nati, malum malo indies cumulari; bellumque hoc, ſi continuaretur, non ſolum Heſſis & Brunſvicenſibus; verum etiam finitimis populis & regionibus certiſſimum minitari interitum, prudenter prævideren, non ſine ſuorum conſilio de idoneis offenſos Principum animos reconciliandi conditionibus meditari cæperunt. Re tandem diu deliberata, utrumque Principem & Heſſum & Brunſvicenſem, ut ſibi ipſis & patriæ conſulentes, arma utrinque deponerent; & pro laudato majorum ſuorum more tranquillam invicem pacem colerent, fideliter monuerunt; ipſis quoque certam apud Hirſfeldianos diem, ubi pro eo, quo erga utrumque affecti erant animo, ſe amicæ transactionis medium ultro offerebant, indixerunt. Venit ad præſcriptum tempus Hirſfeldiam Elector & frater Saxones; Venit Erichus & Hendrichus Duces Brunſvicenſes, & cum illis Guilielmus Junior, ſuperioris Heſſiæ Landgravius, qui contra patruelem Brunſvicenſis partes ſequebatur. Venit etiam Guilielmus tertius, quadringentos armatos in ſuo comitatu equos, & Johannem Abbatem Fuldenſem ſecum ducens. Auditus eſt uterque; propoſuit uterque ſua gravamina; defendit uterque ſua conamina: Quod cum ferme per octiduum integrum duraſſet, & Guilielmus Heſſus clades a Brunſvicenſe acceptas aliquanto vehementius urgeret; neutraque pars alteri cedere vellet, Principes Saxones Hersfeldiam re infecta linquentes in Misniam reverſi ſunt. Inimicum hoc Brunſvicenſis odium, incorrupto juſtitiæ zelo, & ſtrenua in latrones, prædones, raptores, & homicidas animadverſione Guilielmus ſibi contraxerat: Si enim aliquos, cujuscunque licet dignitatis vel eminentiæ erant, qui publicam in Heſſia bonorum pacem violare non abhorrebant, deprehenderet; illos etiam ex eccleſiis & ab altaribus tractos ad ſupplicium flagitiis commiſſis emeritum ſine reſpectu rapi juſſit. Quo ſane egregio & vere Ducali facto ut apud quosdam, qui libenter in turbio flumine piscantur, invidiam; ſic apud juſtitiæ & pacis amantes Germaniæ Principes & Proceres æternum nomen & nullo intermorituram ſeculo laudem aſſecutus eſt.

De inſperato GVILIELMI Junioris, Superioris Heſſiæ Landgravii, interitu; legitima GVILIELMI Tertii ſucceſſione, & triſtiſſimo Jolandæ in puerperio mortuæ obitu.

Sect. VII.

Guilielmi jun. & Jolanthæ obitus.

Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo Comes Hennebergius Guilielmus cum Friderichi Marchionis Brandenburgenſis & Burggravii Norinbergici filia Anaſtaſia ſolennes nuptias, quibus etiam Guilielmus tertius, inferioris Heſſiæ Landgravius, interfuit,

Schlu-

Schlusingæ feliciter celebravit. Venit ad hoc nuptiale festum rumor, Juniorem videlicet Guilielmum, Superioris Hessiæ Principem in venatione prope Rauschenburgum fortuito equi lapsu præcipitatum interiisse; cui tamen tertius Guilielmus vano velut rumori in principio fidem adhibere noluit. Cum vero Casparus Benebergius nobilis, & alii ex Hessia venientes famam indies magis magisque increbrescentem constanter ratificarent, suamque rem Guilielmus agi videret, Neonymphis illustribus, aliisque ad nuptiale gaudium vocatis valedicens Marpurgum festinanter properavit; sibique, cum patruelem sine prole mortuum comperiret, omnem Hessiam superiorem, utrumque quoque comitatum Cattimelibocensem, a subditis solenne fidelitatis juramentum exigens, hæreditario jure subjecit. Nihilominus tamen Patruelis viduæ Palatinæ adsignatum antenuptiale donum, Darmstadium, Arheygliam & Dornbergam, nihil moratus, quod Philippus Comes Palatinus Rheni, Elector, Pater viduæ, ipsum aliquoties graviter offendisset, lubens reliquit. Cum vero Comes Palatinus filiam viduam diutius in Hessiæ regionibus vivere noller; Tertius ipsi Guilielmus pretium pro ante nuptiale donatione promissum largiter exsolvit Parenti ad Nicri Regiam Heydelbergam remisit. Raram tamen cum Palatino propter venationem & alia quædam leviuscula amicitiam & pacem coluit; cogitans forte se in posterum, cum jam totam Hessiam, & utrumque comitatum Cattimelibocensem solus possideret, vicinorum Principum auxilio nequaquam indigere; exterorum quoque populorum violentiam & impetum sine periculo facile sustinere; & vim, si quæ inferretur, vi & propriis viribus legitime repellere & avertere posse. Inter hoc adeo lætum fortunæ tripudium conjunx ipsius Jolanda, partui vicina, graviter cæpit decumbere, & circa dominicam lætare filiolum Guilielmum, qui statim mortuus est, peperit. Ipsa quoque Heroina sane illustrissima & vita longiori dignissima, in omnibus christianis virtutibus, & præcipue in quotidiana pauperum cura Divæ Elysabethæ nequaquam dissimilis, previ post eodem Anno, 21. die Maji lucis hujus usuram reliquit. Immaturum hunc dilectissimæ conjugis suæ obitum ægerrime Guilielmum tulisse; & tam graviter deploraſſe, ut etiam ob maximum connubialem amorem mortuam exosculatus sit, historiæ perhibent.

De posterioribus GVILIELMI Tertii nuptiis, cum ANNA Ducissa Megapolitana celebratis.

Sectio VIII.

Tres uno & eodem tempore Hessiam Principes habuisse, omnes Guilielmos dictos; eorumque Primum vel Seniorem, hujus tertii fratrem nullam ex conjuge Brunsvicense masculam prolem, sed quinque filias progenuisse; Juniorem quoque sive secundum, Superioris Hessiæ Dominum, sine prole mortuum, & omnem denique Hessiam in tertium hunc sive medium Guilielmum hæreditario jure devolutam esse; in superioribus commemoratum est. Quoniam autem hic quoque tertius sive medius Guilielmus a Jolanda conjuge in viduo relictus toro liberis careret, omnes Hessiæ Proceres & Magnates Principem, ne cœlibem diutius vitam ageret; sed ut secundum iterans matrimonium, se vitæ socia & Patriam Principe hærede bearet, cum debita animi subjectione unanimiter & devote rogaverunt. Guilielmus quanquam partim ob immensum Jolandæ, quam unice amaverat, desiderium; partim ob alias probabiles causas secundum invitus iniret conjugium; Fides tamen amicorum adhortationibus, crebris quoque Procerum Hessorum precibus motus, consilio suorum, luctu aliquatenus deposito, morem gerere, & de novis nuptiis cogitare cæpit. Multi quidem ex Cattis nobilioribus Hessiæ utilissimum arbitrabantur; si viduus Princeps relictam Patruelis viduam, Palatino Electore satam, uxorem duceret: Eorum autem Guilielmus consilium minime secutus, tam propter consanguinitatem qua Philippo Palatino Rheni, quam propter affinitatem, qua Patruelis viduæ proxime conjunctum se affirmabat, Palatinas nuptias recusavit. Ad Vandalos itaque vetustos in Ducatum Megapolitarum, quem eo tempore Magnus Dux Herulorum tranquille gubernabat, profectus est; & filiam ipsius Annam, Principem virginem vitæ castitate, morum integritate, animæ pietate, formæque præstantia insignem, nihil dotem moratus, uxorem petiit. Magnus Megapolensium Dux, sibi ipsi de tanto genero gratulatus, re quodammodo cum suis deliberata, filiam, tam illustres tædas non abnuentem, Guilielmo Hessiæ Landgravio uxorem spopondit; eamque brevi post cum læto omnium Megapolitanorum applausu, apparatu quoque magnifico in inferioris Hessiæ Metropolin urbem Cassellanam, ubi in crebra Principum Germaniæ præsentia, & celebri torneamentorum aliorumque equestrium ludorum exercitatione nuptiæ in die Lucæ Apostoli & Evangelistæ solenniter celebratæ sunt, felicissime deduxit. Pompa, tandem hac nuptiali finita, Guilielmi tertii Hessiæ Landgravii nomen ob divitias & gloriam bellicam, quo majores suos omnes superabat, in tota Europa latissime celebrari; & ipse ab omnibus Germaniæ populis dives Landgravius nuncupari cæpit.

De GVILIELMI Tertii expeditione bellica contra PHILIP-

LIPPUM Electorem Palatinum imperii nomine susceptа.

SECTIO IX.

ejus expeditio bellica contra Philippum El. Palat. & res gestæ.

Guilielmum tertium raram cum Palatino Electore pacem & amicitiam; sed crebras simultates aluisse, in sectione septima commemoravimus. Et quamvis hanc ob causam multi in multorum Germaniæ Procerum frequentia Wormatii, Spiræ, Würtzburgi, Moguntiæ & alibi inter eos conventus sunt habiti; Res tamen nunquam pro voto componi, & ad optatum finem perduci potuit; Dum tandem Maximilianus Cæsar, ejus nominis primus Philippo Electori Palatino & filio Ruperto anno 1504. bellum inferret acerrimum; idque propter sequentes causas. Georgius, cognomine dives, Dux Bavariæ, filiam habuit unicam, quam Philippi Palatini Electoris filius Rupertus uxorem duxit, & liberos ex ea suscepit. Mortuo vero Georgio Bavaro, Rupertus gener omnia soceri bona, ipsum quoque Bojariæ Ducatum, propter matrimonium cum defuncti filia contractum, naturalis & civilis juris prætextu vindicare sibi voluit. Hic se Albertus Bavariæ Dux Monacensis, propter inclytæ domus Bavariæ pacta & contractus, quibus unanimi omnium consensu fœminæ a territorii hæreditate excludebantur, opposuit; & ad justam Cæsaris Maximiliani sententiam legitime appellavit. Maximilianus causa audita, & ad justam hinc inde juris amussim diu & diligenter examinata, sententiam contra Rupertum pronunciavit. Cui cum Rupertus Palatinus, alioquin sedati animi Princeps; tunc vero, vel nodoso naturalis Juris Patrocinio innixus; vel ab aliis male ipsi cupientibus persuasus, vel nescio quo errore fascinatus, non modo non pareret; verum etiam hostilibus Bojoriæ regiones armis infestaret; una cum assectis & omnibus auxilium ipsi ferentibus a Maximiliano Cæsare publice & solenniter proscriptus, & imperii hostis declaratus est. Parens Philippus Elector, pietate victus cum sobolem in tanta rerum angustia ab omnibus omni ope destitutam vidit auxiliares Ruperto copias, quibus se contra crudeles hostium vires legitime defenderet, misit. Quo cognito Cæsar, Parentem una cum filio proscripsit; & aliquot Germaniæ Principibus, Huldricho videlicet Duci Würtenbergensi, Guilielmo tertio Hessiæ Landgravio, & Alexandro Duci Bavariæ, comiti Veldentio & Bipontino, ut ipsi proscriptorum imperii hostium regiones hostiliter invaderent, easque sine mora in omnibus locis igne & ferro popularentur severissime mandavit. Guilielmus Hessus, ut Cæsari tanquam supremo imperii capiti, cui ante aliquoties militaverat, debitam obædientiam præstaret numerosum & præstantissimum exercitum conscripsit, eumque per Francofurtensium urbem duxit: Quod etsi Francofurtenses invito permittebant animo; Cæsaris tamen mandato moniti Hessicis copiis transitum occludere non audebant. Guilielmus vero ipse Urbem non ingressus est; sed alia via in Palatinatus regiones, octuaginta millia peditum & duo millia selectissimorum equitum in suo exercitu habens, irruptionem fecit.

De Opidis & Castellis a GUILIELMO TERTIO in Palatini Electoris ditione oppugnatis & expugnatis.

SECT. X.

Mœnum transgressus, primum Guilielmus impetum in Bachgaviæ Umbstadium cum suis copiis fecit. Parebat quidem oppidum hoc eo tempore Palatinis Rheni; quo autem illud jure in potestatem eorum devenerat, non legicum prius fuisset Abbatum Fuldensium, a Pipino Aulæ Regis Galliæ Magistro Divo Bonifacio donatum. Oppidani cum fortem & numerosum videbant exercitum, ad primam ab Hessis factam impressionem ultro se dederunt. Et ita Guilielmus tertius hoc oppido, ubi adhuc hodie superstites Landgravii jus suum tenent, pridie divi Bonifacii Anno 1504. sine labore potitus est. Arcem deinde Hatzheimiam exussit: Arcem Ottonisbergam non procul ab Umbstadio similiter obtinuit, & in suam potestatem redegit. Præsidiario denique milite apud Umstadienses relicto, per Sylvam Ottonicam cum exercitu longe lateque sparso, & obvia quæque sine respectu sternente & vastante, domum venatoriam quandam, in qua Comites Palatini magnam sæpe voluptatem capiebant, aggressus est. Hanc cum omni suppellectile, militem nihil prædari passus, exussit; & cum copiis omnibus ad montanæ viæ tractum quem Germani dicunt die Bergkstrasse, ideo quod via publica ejus loci montes, vinetis & arboretis virentibus amænissimos, versus Eytelbergam prætereat, perrexit. Habuit ibi Palatinus Philippus oppidum Beynsheimium, quod gravissima obsidione cinctum oppugnavit; sed frustra: Fortassis autem illo potitus esset, si milites paulo aliter, quam factum est, rem agressi fuissent. Infecta igitur re Bensheymium obsidione solvens, Heppenheymiam Bensheymensibus proximam; Arcemque Starckenbergam in excelso monte sitam, oppugnari jussit. Verum cum ibi quoque nihil obtinendum vidit; Arces Bickenbacensem & Schonbergensem adortus expugnavit, & utraque potitus est. Cum exercitu deinde versus Rhenum profectus, Moguntiam urbem, in cujus agro Philippus Dux Brunsuicensis & Grubenhagius (Hendrichum enim Brunsvicensem ante sibi habebat militantem) cum octua-

octuoginta equis armatis; Hendrichus quoque & Albertus Duces Megalopyrgenſes, Annæ conjugis fratres ipſum acceſſerunt appulit. In hoc etiam exercitu fuit Eberhartus, Comes Küningſteinius, Philippus Comes Waldeccenſis & alii Abbas quoque Hersfeldianus auxiliarem militem miſerat; ita ut Heſſus numeroſisſimum & potentisſimum exercitum, cujus virtute & robore hoſtiles impreſiones commode evitare poſſet, ſecum haberet.

De aliis aliqvot caſtris, oppidis & pacis, a GVILIELMO Tertio in hac contra Palatinum expeditione captis & exuſtis.

Sect. XI.

Arcem novam, Burgum ſeu Caſtrum Friderichi fundatoris Guilielmus in ſuam poteſtatem redegit, & exuſit. Arcem Steynoam deditione facta gratioſe ſuſcepit. Aliquot interea Eccleſiaſticæ dignitatis viri & magnates ex Ringavia & finitimis regionibus ad Heſſum venerunt; ipſumque, ut certa aliqua pecuniæ ſumma accepta, miſeris ejus loci colonis parceret; nec eorum villas, pagos, & agros, ut alibi factum erat, militi vaſtandos præberet, humilime rogaverunt. Promiſiſſet id Guilielmus, & ignem retraxiſſet; ſed cum ſe ab interceſſoribus non revertentibus deceptum arbitrabatur, immitioribus incendiis & populationibus in horum, quam ante in aliorum terras militem ſævire juſſit. Nerſtheymia multorum nobilium ſedes magnam hic jacturam perpeſſa eſt. Alcejum quoque, cujus agri in ipſo meſſis tempore non ſine ingenti colonorum damno undique vaſtabantur, infeſtas in hoc tumulto bellico ab Heſſis clades, necdum refartas, accepit, Crucenacum deinde aggreſſus multas circum populationes a milite fieri permiſit. In exurendis pagis, villis & arcibus Emiconis Comitis Leyningenſis, qui inſontibus flammam & ignem ſatis indementer adhibere noverat, conſilio & opera urſus eſt: Unde hic verſus natus.

Heſſo cremat triſti face; flensperet accola Rheni.
Heſſen Brandſtich klagets Reinland billich.

In hac Crucenacenſium obſidione ad Guilielmum Heſſum Alexander Dux Bavariæ belli ſocius venit, Philippum Palatinum tam Cæſaris, quam privatarum quarundam cauſarum nomine graviter accuſans. Tandem cum Crucenacenſes, obſidionem ad ſeptimum usque diem ſuſtinuiſſent; & ſe ſuosque fortiter reſiſtendo ſtrenue defendiſſent, Guilielmus de capienda urbe deſperans, cum copiis diſceſſit; & Ingelheymiam Caroli Magni patriam adoriri voluit; Ab hoſte vero impeditus præteriit; & decimo octavo die Auguſti Anno 1504. ad aram Bacchi vel Bacharacum venit; Cubam quoque Palatini Electoris oppidum obſidione preſſit; ſed ab oppidanis & Palatinis militibus, moram aliquantulum trahens, repulſus eſt. Maximilianus interea Cæſar, Alexander & Albertus Bavariæ Duces, cum Huldricho Duce Wurtenbergico, Bohemos & alios, Philippo & Ruperto Palatinis militantes magna cum victoria proſtaverunt. Hæc cum ita agerentur, Rupertus extremum vitæ diem clauſit; quem brevi poſt conjunx ſecuta eſt. Tandem cum jam ſatis ſanguinis exhauſtum, juſtasque Palatinum Electorem contumaciæ pœnas luiſſe, Cæſari videretur; Principes ut arma cohiberent monuit, eosque omnes ad comitia Coloniæ Agrippinæ indicta, de pace tractaturus, convocavit. Quo audito Guilielmus exercitum dimiſit, & in Heſſiam reverſus eſt.

De GVILIELMI TERTII Liberis.

Sect. XII.

ejus progenies.

Poſt varios belli tumultus ſua tandem Janum templa clauſiſſe; optatamque Rheni ripis & Palatini Electores regionibus pacem reddidiſſe ſuperius auditum eſt. Antequam autem Guilielmus tertius ex bello Palatino in Heſſiam rediit; primus ipſi ex Conjuge Anna Megapolitana Idibus ſive 13. die Novembris Anno 1504. filius Philippus adhuc ſuperſtes natus eſt. Hoc optablie divini Numinis donum quo Principi fuit gratius; hoc celerius, ad conjugem, puerperam & filiolum properavit Heſſiæ quoque univerſæ, quæ Principi ſuo tam de parta ab hoſte victoria, quam de recenter nato filio multum gratulabatur, tanta & tam larga Dei benedictio utplurimum placuit; præſertim cum ſibi Principem infantem, qui quondam poſt fata Parentis Patriam fortiter gubernaret, natum eſſe, cum ſumma voluptate lætoque animi deſiderio comperit. De hujus Philippi primi vita, rebus geſtis & factis memorabilibus peculiarem & quartum commentarium inchoavi. Qua de re, ne in Parentis & filiorum adhuc viventium gratiam adulari & auribus eorum grata ſcribere a malevolis dicar, plura de eo in hoc loco proponere ſuperſedebo; & incœptam de Guilielmo tertio hiſtoriam ad finem perducere conabor. Habuit autem, præter hunc Philippum duas adhuc Guilielmus tertius ex Anna Megapolitana conjuge poſteriore filias, Magdalenam primogenitam, quæ vix nata obiit; & Elyſabetham, quæ Georgii Ducis Saxoniæ filio Ioanni nupſit; denuoque poſt obitum mariti in Heſſiam reverſa Anno 1557. Marpurgi in vera fide & Chriſti invocatione placide defuncta & ſepulta eſt. In cujus obitum viri aliquot docti hæc ſcripſerunt lugubria.

LUDO-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

LUDOVICUS MILICHIUS.

Flete pii Juvenes; jam guttam gutta sequatur;
Flete senes curvi; quæque puella fleat.
In Parcas facitote feras convitia quisque
Musica mutescat; luctus ubique sonet.
Flete, quod hæc vitam Princeps generosa reliquit
Quæ tua chara soror magne Philippe fuit.
Saxonici quondam conjunx delecta Ioannis
Postea sed viduum fovit honesta torum
Polluit egregiis semper virtutibus ipsa,
Semper & est veræ gressa salutis iter.

JOHANNES ALTUS.

Fratre superba meo sum fortis Elysa Philippo,
Saxonici quondam casta marita Ducis.
Hinc thalamo jacui viduo; sed digna jugali,
Hesfidos orta viris, Hesside condor humo.

Idem.

Suaviter hic placidam capit Elysabetha quietem,
Saxonico quondam consociata Duci,
Quæ fuit illustri sata de genitore Vilhelmo;
Cui tota Hessiacæ paruit ora plagæ.
Nobilis at Princeps mater fuit illius Anna,
Megalopyrgensis clara propago domus.
Cui cum supriperet Mors immatura maritum,
Qui mage dignus adhuc ut supereſſet, erat;
Amplius haud poterant percellere gaudia mentem
Sed mœror fletu pastus habebat eam.
Ut vero infaustis fuerat prope fessa querelis,
Mars ferus en gemini causa doloris adest
In patrias igitur deserta revertitur oras,
Mansit ubi in viduo cum Pietate toro.
Sed vitam pertæsa brevem, tibi Christi redemptor
Visa fuit Sponso nubere velle novo.
Longius idcirco quo tecum duceret ævum;
Et Princeps supera clarior arce foret,
Exutis putridis pars præstantissima membris
Mens volat ad superos regna beata Polos.

Annus, quo mortua est, hoc JOHANNIS KLEINSCHMITTII Cassellani Distichio indicatur.

In Christo oCCVbVIt Veræ pIetatIs a. MatrIX
RIphæo te LLVs LangVet Vt VsIageLV.

De Comitiis Anno MDV. Coloniæ Agrippinæ celebratis, quibus etiam GVILIELMUS Tertius interfuit.

SECT. XIII.

Postam jam Cæsar Maximilianus justum a Parente & filio Palatinis Principibus contumaciæ supplicium sumpserat; Rupertus quoque durante adhuc bello mortuus erat; Marchio Badensis Christophorus pro Philippo Electore, cui alias Imperator non male cupiebat, intercessit, & ut omnes, qui contra Palatinatum bella gesserant, Imperii Principes ab omni imposterum impetu & populationibus abstinerent, & in comitiis Coloniæ Agrippinæ Anno 1505. indictis compareret, mandato Cæsaris obtinuit. Venerunt eo Maximilianus & multi Principes, ex Ecclesiasticis, Hermannus Hessiæ Landgravius, Archiepiscopus Colonienſis; Jacobus Archiepiscopus Treverensis; Imperii Archicancellarii & Electores. Laurentius Bambergensis, Würtzburgensis quoque & Monasterienſis; Trajectinus item, Leodiensis & Gurcensis Episcopi; & alii. Ex sœcularibus vero confluxerunt Philippus, Comes Palatinus Rheni, Princeps Elector, cum duobus filiis Ludovico & Friderico, Joachimus Marchio Brandenburgensis, septemvir, Friderichus, Dux Saxoniæ, Archimarscallus Elector Imperii una cum fratre. Friderichus Marchio Brandenburgensis, Onoltzbachius. Hendrichus Dux Brunsvicensis; Ericus Dux Lunæburgensis. Guilielmus Dux Juliacensis, & Hendrichus Dux Megapolitanus. Guilielmus quoque tertius Hesiæ Landgravius cum quadringentis equitibus Juteo vestitu indutis tandem ad Colonienses venit. Imperator postquam jam aliquandiu cum Imperii Proceribus de pacis conditionibus serio tractaverat; contra Palatinum denique Electorem, qui jam in gratiam receptus erat, non inique statuit; quod videlicet ea, quæ quisque in bello jam composite occupasset & possideret, sibi & posteris, ne frustra Imperio Romano ejusque capiti Cæsari militasse conqueri posset, quiete & sine Palatinorum impedimento retineret. Et quanquam Philippo Palatino gravissimum videretur, tot oppidis, castellis, pagis, & aliis in bellico hoc tumultu amissis carere; Tamen ut inposterum quiete vivere; & pacificam filiis gubernationem requireret; conditiones a Cæsare & imperii Principibus approbatas non-repudiavit. Hac itaque ratione Guilielmus tertius Umbstadium cum adiacentibus; Bickenbachium quoque & alia, quæ in bello Palatino in suam potestatem redegerat, sibi reservavit;

Comitia Colon.

vavit; eaque omnia in hæredes ſuos illuſtriſſimos; inclytosque inclytæ domus Heſſicæ poſteros, Cæſaris & imperii Procerum ratihabitione, tranſtulit. Sebaſtianus tamen Munſterus in Coſmographia ſua, Heſſorum Principem bellum hoc Palatinum cum ingenti ſuo damno geſſiſſe, affirmat.

De vita domeſtica, monaſteriorum aliquot reformatione, adverſa demum GUILIELMI Tertii valetudine.

Sectio XIV.

Innumeras Martis viciſſitudines in juventute expertus Guilielmus, ad maturiorem evectus ætatem quieti & tranquillitati domeſticæ ſedulo operam dare cæpit. In hoc laudato vitæ curriculo Princeps alioquin ad labores & ardua natus ſummum ſibi bonum ſtatuit, ſi Chriſtum, quem ſub teneris annis noſcere didicerat, recte colere & venerari; Chriſtianamque religionem in ſuis regionibus pace & juſtitia ſtabilitis fideliter defendere & ſtrenue propagare poſſet. Quare cum compertum haberet, aliquot & præcipua territorii ſui monaſteria a priſcis moribus & præſcriptis antiquorum regulis plane degeneraſſe; eorumque præfectos, religione & cultu divino neglecto, diſſolutam & depravatam vitam agere; poſt habitis omnibus, in hoc potiſſimum, ut indies ſuccreſcens malum præveniret; omnemque Heſſiæ clerum, præſertim in monaſteriis viventem, in ordinem & priſtinum ſtatum redigeret. Eſuicenſe igitur cœnobium Kauffungenſe Wilhelmitarum apud Witzenhuſium, Haſungenſe & alia religioſiſſime reformavit: Manachos quoque, ut reformatione ipſius ſine ulla exceptione morem gererent, & ſecundum inſtitutam cujusque cœnobii regulam viverent, legitimis rationibus & mediis coegit. Quoniam autem & Hirſchfeldianum monaſterium, cujus monachi ſatis proterve, & nimia libertate gaudentes, potius in foro quam in choro conſpiciebantur, præ reliquis omnibus reformatione maxime opus habere videbat; ipſe autem tam pio operi propter adverſam valetudinem, qua premebatur, coram intereſſe non poterat; Monachis, quibus victum largiſſime ſuppeditabat, ſeveriſſime, ut antiquam monaſticæ vitæ diſciplinam pro laudato anteceſſorum ſuorum more fideſius, quam ante fecerant, obſervarent, injunxit. Huic tam ſtricto Principis mandato etſi monachi religioſe paruiſſe dici volebant; mores tamen ne tantillum quidem in melius corrigebant; nihilominus vero in templis & præcibus paulo diligentius quam prius videbantur. Princeps interea a Caſſellenſibus, ut forte mutato loco morbi quoque adverſitatem quodammodo in melius mutaret Feiedwaldiam profectus eſt. Cum autem nec ibi priſtinæ aliquid valetudini accedere; ſed morbum indies magis magisque augeri, animadverteret; Caſſellas rediit; in tanta adverſæ valetudinis anguſtia de nulla re magis, quam de plenaria Hirſchfeldiani monaſterii reformatione ſollicitus Abbates igitur & Monachos aliquot præ ceteris religioſiores, quos paterne, ut pios ipſius in inſtituta reformatione conatus juvarent, monuit, Caſſellas ad ſe vocavit. Monachis deinde Hirſfeldianis, ut inpoſterum diligentius juxta Divi Benedicti regulam viverent; præcibus ardentius invigilarent; & ſacris religioſius incumberent, 600. aureos largitus eſt. Ut autem feliciter inchoatam reformationem cum majori autoritate ad optatum finem perducere poſſet; ipſe cum reliquis, adverſam nil moratus valetudinem, ad Hirſfeldianos profectus eſt.

alia ejusdem.

De immaturo GUILIELMI Tertii obitu.

Sect. XV.

Hirſfeldiani tandem monaſterii monachis pro voto reformatis, Princeps infeſtiſſimo morbo quotidie languidior fieri; & pernitioſa lue ita, ut ipſum & loquela ferme deſtitueret, contabeſcere cœpit. Conjunx Anna cum de longiore mariti dilectiſſimi vita medicos quoque deſperare vidit, largis hinc inde datis eleemoſynis, in omnibus per totam Heſſiam templis & monaſteriis, ut Deus optimus maximus pro divina ſua bonitate & immenſa miſericordia morbum Principis clementer mitigare; conjugi maritum; filiolo parentem; civibusque Principem ditius conſervare; & laborantem priſtinis viribus potenter reſtituere vellet; publicas & ardentes preces, quibus ſua quoque vota junxit, ſolenniter fieri mandavit. Hæc tamen omnia, præfixa mortis hora imminente, fruſtra ceciderunt; Princepsque æger ſingulis momentis morbi atrocitate languidior factus eſt. Sacramentis igitur Eccleſiaſticis legitime munitus; Deoque animam committens, anno milleſimo quingenteſimo nono (Hedio ponit decimo, alii habent undecimo) circa undecimum diem Julii, vix quadriginta annos natus, placide in Chriſto obdormivit; & Marpurgi in æde Divæ Elyſabethæ, filiolo Philippo adhuc puero, viduaque uxore poſt ſe relicta, ſepultus eſt. Heros longe illuſtriſſimus & Princeps bellicoſiſſimus; famaque & meritis præclariſſimus, quem tamen multi multo illuſtriorem factum arbitrantur, ſi in bello Palatino militibus ſuis, ne miſellos Rheni colonos & eorum tuguria ac villas tam pernitioſe exuſſiſſent, arctius mandaſſet, Sed quis ignem in igne compeſcere poteſt? Huic Principi duo Heſſiæ Vates, Germaniæ præſtantiſſima lumina, Helius nempe Eobanus Heſſus, & Euritius Cordus, juſta ſcripſerunt funebria; quæ cum ſint doctiſſima & lectu digniſſima, huic meo operi, ut & poſteris, qualis & quantus Heſſiæ Landgravius Guilielmus tertius Princeps fuerit, melius conſtet, annectere non aggravatus ſum.

HELII EOBANI HESSI.

in eum carmina varia

Exue belli potens festivos Hessia cultus;
Tædigeno moestum pulvere sparge caput
Et jacet; & superos Princeps Guilielmus adivit
Lux Patriæ; belli gloria; fama togæ;
Nam quid ferales & februa mæsta cupressi?
Ecce Deos cogunt impia fata mori.

Ejusdem Eobani Hessi Eloga, GUILIELMI Tertii mortem plorans, cujus interlocutores sunt JUCUNDUS & SYLVIUS.

JUCUNDUS.

Nunquid adhuc, Sylvi, flavæ te cura puellæ
Detinet? An dulces liquisti fortiter ignes?
Quos tamen ante duas potuisti linquere messes,
Gallia si Rhodanum potuit Germania Rhenum
Aut qua nam langues compressus mole laborum?
Quidve doles? Tuis hic mœror lugubria signat.

SYLVIUS.

O Jucunda, nihil turpes in fortia flammæ
Pectora juris habent: Jamdudum abscessimus ictis
Deliramentis puerilibus. Et mea tandem
Ætas undecimum postquam bis venit ad annum
Displicet omnis amor mulierum, & inutilis error,
Est alius, qui corda dolor premit, atraque curis
Pectora corrodit mordacibus: Heu ubi cantus,
Festivique jacent calami? Nunc omnia mœrent
Læta prius: Nunc omnis ager, sylvæque patentes,
Tristantur; fracto montes plangore resultant.

JUCUNDUS.

Qui fletus? Quæ sunt fata hæc tam tristia Sylvi?
Dic precor interea, calidus dum cessat arator
Et pecus illustri dum ruminat omne sub umbra.

SYLVIUS.

Flete meæ Musæ; tristes lugete Camænæ;
Nobilis ante diem fato concessit Jolas
Dicite fatales crudelia Numina Parcæ,
Ausuræ violare Deos; quid tale cægit.
Perpetrare nefas? Juvenis cum funus adempti,
Lanificæ videre procul sub rupe sorores,
Fleverunt; Viresque suas odere, paratæ
Filo humili reparare manu; ni fata negarent,
Ulla relabantes animas in corpora reddi.
Somnus ut extinctum rapuit Læthæus Jölam,
Ferrea nox omnes visa est descendere in agros
Et lupus & miles prædator, ovilia lustrans,
Debachatur agens effuso sanguine prædam,
Non passim, velut ante, boves per tuta vagantur,
Pascua; clauduntur stabuli; castode tuentur
Limina; certantes lacerant magalia venti.
Cernis ut obscuro turbatus flumine Fulda
Labitur, increpitans saxa indignantia motu
Hunc juxta, quando licuit, consuevit Jölas
Pascere oves: Ille quoque cum pastoribus ipsis
Paruit omne nemus, quod vitreus Ædera passim,
Fulda, Lanus, Mœnusque videt, Rhenusque bicornis.
Illum omnis novit mundus: Nam sæpe superbos
Vicerat agresti Juvenes certamine; Ab illo
Languet Rhenani castrata potentia Nili.
Illum omnes timuere feræ; furesque dolosi:
Illius ad vocem Pæni stupuere leones;
Et sylvis fugere lupi: Non tempore nostro,
Alter erat Pastor sublimi major Jola.
Nunc jacet heu tantum decus: Et iam fortior ætas
Te tulit infelix puer. Ergone pessima fata
Invidere tibi? Jam fortibus utilis annis
Longius & multas potuisti vivere messes;
Fleverunt te sylvarumque Deæ, collesque fragosi,
Et cava fluminea sonuerunt littora planctu.
Tam dilectus eras: flevit te, quicquid ubique est
Nunc te defunctum tumulo damus; hic ubi tardos
Flexibus apricos pulcher Lanus alluit agros
Spargite odoratos; tumulo date; spargite flores,
Narcissos, violas, & purpureos Hyacinthos,
Balsama, Coriciumque Crocum, Cynaræque puellam,
Spargite; & in viridi juxta sic scribite fago
Gloria sylvarum situs est hic Pastor Jolas,
Quo non alter erat felicior omnibus arvis,

JUCUNDUS.

Jam nec amore doles, pressus nec mole laborum;
Non aliud quodcunque gemis; sed recta doloris
Causa tui; tali magnus deflendus Jölas,
Extinctus mihi; sed potius superesse videtur.

SYLVIUS.

Cum fleret niveis conjunx pulcherrima, dixit:
Urite subjectam flammis; comitabor Jolam,
Mortua ad Elysium: Jacet, heu, jacet ille pudoris,
Egregius nostri violator amatus Jolas.
Sic ait & niveæ projecit fronte coronam
Illa puellarum pulcherrima ruricolarum,
Quam Galathea parens septem compressa Trioni
Oceano peperit: formosior omnibus illa est.

JUCUNDUS.

Dignus erat, qui Nympharum frueretur Jölas
Connubio; Nunc ille brevi requiescit in urna;
Illa domo vidua perturbatos Hymenæos
Plorat; & heu niveos lacerat formosa capillos;
Digna Deum thalamis; defuncto digna marito.

SYLVIUS.

Nobis ille tamen moriens duo pignora liquit,
Spem generis; puerumque marem; teneramque puellam;
Aspice quam patrios referunt ad ovilia vultus;
Formosum ille Patrem; formosam filiam matrem.

JUCUN-

JUCUNDUS.

Vivite; & in patriam pueri coalescite sortem;
Tu nobis tu vive puer, clarissime sanguis,
Ultime nate Patris: Tu magni tuta parentis
Pascua restitues: Omisse patentibus astris;
Tecum nata salus nostris promittitur arvis:
Indolis egregiæ & virtutis certa futuræ
Signa in te; vultuque jubes sperare sereno
Optima quæque Puer: Nec enim sine Numine quodam.
Illa nitet facies Phœbæa Lampadis instar.
Claude oculos; quis tam radios ferat ignipotentes
Sed neque claude; aperi potius; da gaudia mundo;
Protinus effugient fures ab ovilibus omnes;
Raptoresque lupique truces; & frigidus anguis,
Atque colorati squalentia colla dracones.
Scorpius, & tetri serpens quæcunque veneni:
Si quis erit forsan nostra basiliscus harena
Occidet; & parvus sed dente nocivior aspis,
Omnia securos præstabunt pabula fœtus.
Spargite humum Nymphæ preciosis floribus; in qua
Fecerit ille puer niveæ vestigia plantæ.
Vos quoque pastores genealia tecta periti
Thure vaporato circumlustrate quotannis,
Ex carmen facite, & lætantes dicite carmen.
Salve semidei proles insignis Jolæ,
Nympharum genus, a magno velut æthere missum;
Et nos, & pecudes, & rus defende paternum.

SYLVIUS.

Ergo beato illa est felici pondere mater,
Quæ subjecta videns inter dumeta capellas,
Altivagas errare ab summi culmine montis;
Tam clarum viridi est enixa sub arbore fœtum.

JUCUNDUS.

Felix ille etiam puer est, qui talia suxit
Ubera, quæ magnis faciunt suspiria Divis.
Et nunc Oceano propior sol; plura canemus,
Olim, cum puerum matremque videbimus ipsam.

Alia in mortem Illustrissimi Hessiæ Landgravii, GUILIELMI Tertii, &c. Funebris Threnodia, Euricio Cordo, Simesusio, Hesso, Autore.

Plangite funestis pleni singultibus Hessi;
Et madido tristes ore movete sonos.
Ex hilari metas secludite pectore mentes,
Nullaque ridendo dicite verba ioco.
Obtectæ lateant frontes (niger adsit amictus;
Et quicquid tristis signa doloris habet.
Scilicet immiti correptus funere Princeps
Occidit, & fulgens traxit ab orbe jubar:
Non secus ac torvi subvectus ab ore draconis
Sol perit, & medium surripit umbra diem.
Non nova componit dubius certamine rumor,
Qui tulit exanguem sæpius ante metum.
Vera nimis fama est; Veræ jam credite famæ:
Hei mihi quod veram non habet illa fidem.
Cominus atratem video procedere pompam,
Qua mixtus Dominum defleo & ipse meum.
Longa sacerdotum series, candensque juventus
Trista funebri carmina voce sonat.
Per medias onerosa gemit libitina plateas;
Plumbea conditum lamina condit onus
Non cavo terribiles diffundunt tympana bombos;
Nec gravis inflexe perstrepit ære fragor.
Est procul assueti petulans Symphonia cantus
Nec resonas pulsant garrula plectra fides.
Flebilis auditur crebro querimonia luctu;
Alta repercussis planctibus aura gemit.
Amissum Patriæ Patrem Respublica plorat;
Patronum queritur pauper inobsque suum.
Troisa sic lacerum defleverat Hectora pubes:
Taliter Æaciden Græcia mæsta Ducem.
Tantus erat Thebæ luctus, moriente Polimi
Germine, quo cecidit parta stetitque salus
O nimis infelix; o lamentabilis; o tu
Fellis & absynthi plena aloesque dies,
Talia quæ pavido præfers spectacula vulgo,
Et desolatos tot facis esse viros;
Quis modo nos sævo defendet ab hoste relictos;
Si nova quis nostris bella parabit agris?
Tuta hucusque dabant tranquillam tempora pacem;
Et viguit patrii candida fama soli
Sit licet umbrosis densissima montibus ora,
Qua multas casus posset habere domos;
Non tamen ulla feros clausit spelunca latrones
Securum carpsit quisque viatoriter.
Dicite, qui vestras peregrina per oppida merces
Venditis, & fulvas concumulatis opes,
Quando quis Hessiacis vos despoliavit in oris?
Tutior in toto non erat orbe locus:
Nempe potens validos Princeps sedare tumultus,
Inque citam potuit præcipitare fugam.
In patrios nullam est passus sævire penates;
Pro populoque stetit fortis Athleta suo.
Hoc Duce aperta nihil bifrontis limina Jani
Duximus, & raucas bellica signa tubas,
Non fera nos acies; non strictus terruit ensis:
Nostra Medusæum signa fuere caput.
Scilicet audaces mage sunt in prælia Cervi,
Quos petit horrendo percitus ore leo
Illius hic animum gessit fortissimus Heros,
Et veræ quicquid nobilitatis erat.
Non nisi quem simili suffultum robore vidit
Agressus, justa strixerat arma manu.
Magna, lacessito sed pectore bella gerebat,
Quæ nova confecta fœdera strage dabant.
Quid levis in tantum linter delabitur æquor,
Quo bene rostratis classibus esset opus?
Non meus alta potest fastigia tangere cantus:
Hæc satius luctans flumina remus aget.
Det Deus ut docti, quos jam tulit Hessia vates
Mæonio celebrent fortia facta pede,
Quam valido rapidum trajecit milite Rhenum,
Torque Palatinis castra locavit agris.
Pro nihil hæc potuit dominata juvare potestas,
Quin modo crudelem corruit ante necem,
Dedecus est nullum est isto cecidisse sub hoste,
Omnia quæ stabili lege creata rapit,
Quem neque torquentis liventia pondera frandæ,
Pulsa nec accenso pulvere saxa domant;

Cui nihil indutæ possunt obstare trilices;
Quique alias tutum protegit umbo caput.
Nec si Palladia circumdatus Ægide pugnes,
Et fidam Persei falx tibi ferret opem;
Nil juvat immanem quæ fudit clava leonem,
Nec qui stymphalidas contudit arcus aves.
Bellica si possent certantes arma tueri
Sævaque robustæ vincere fata manus,
Cum tot præclaris, quorum memoranda canuntur
Gesta, per æternos viveret ille dies.
Sed quoniam certis succumbunt omnia fatis,
Non isti potuit non dare colla jugo
Et dedit, & tanto saspirta nulla labore
Traxit, ut invictum magnanimumque decet.
Qui fuit ante, animus, summam duravit in horam,
Namque pudet fortem degenerare virum.
Tartareo solita virtute resistitit hosti,
Infecit nullum livida plago locum.
Nil dubito, ætherea quin vivat spiritus arce:
Alta quidem virtus, sed super astra levat.
Inclyta majestas celsum conscendit Olympum;
Mansit in hac nobis flebile fumus humo,
Cui circum fusi meritum impartimur honorem,
Et danaus in celebri digna sepulchra loco,
Hic ubi prælabens sacram Lanus alluit ædem,
Et duo marmorea culmina mole patent;
Structaque Phidiaco qua Mausolæa labore
Condita divigeni stemmatis ossa tegunt.
Hocque superpositum signamus carmine marmor,
Quod leget inscripto posterus orbe nepos
Omnibus insignis virtutibus inclytus heros
Contegitur Princeps hac Guilielmus humo,
Quo Duce justa Jovis cælestes filia sedes
Liquit, & humano rursus in orbe fuit;
Quæ nunc Musa mihi dabit, oro, carminis orsum
Ut valeam questus commemorare graves,
Quos crebro effundis gemitu mæstissima consors,
Pallida dum cernis conjugis ora tui?
Arguta esset opus cythara, qua Thracius Orpheus
Euridicen flevit mæsta per arva suam
Quis Cato? quis Marius, tua si lamenta videret
A madidis lachrymas temperet ire genis?
Tam gravis anxietas; tantus te pungit amaror;
Tanta doloroso pectore cura sedet.
Ah tristes video vultus, exhaustaque fletu
Lumina; non solitus purpurat ora decor
Nulla caput redimit pretiosis mitra lapillis,
Nec lucent teretes Mentoris arte manus,
Tecta latet cervix, quæ fulvas ante catenas
Et varias Indi culta gerebat opes;
Non Tyriam assistens chlamidem Cosmeta ministrat,
Quæ viduam deceat, vadis amicta toga,
Rorantes admota genas sudaria tergunt
Mille plicis lachrymas illa bibere suis
Non adeo ingenti carum Regina dolore
Adnigra dilectum est busta secuta virum;
Si veteres præsens mores admitteret ævum,
Tabitaque accensus perderet ossa rogus;
Apposita malles cineres absumere calva,
Et fore paulatim conjugis urna tui.

Hastua delitias ætas; hæc gaudia carpit;
Ah nimis ante suam est ista querela diem.
Est & eo major, quo te ferventior æstus
In socium primo junxit amore thorum;
Vix modo cæpisti divam producere prolem,
Injecit diras invida Parca manus:
Sub verno qualis pictavum sydere florem
Falx secat, & viridi lilia sternit humo
Parva voluptatis vidisti tempora; longum
Quod miseram spatium te cruciavit, erat,
Quæ tres affecit te sollicitudo per annos,
Arcanum thalami scit penetrale tui
Nulla quies; nullus mulsit tua pectora ludus
Ægrotum donec morbus haberet herum,
Quæ tulit ille suis confectus stigmata membris;
Hæc etiam cordi fixa fuere tuo
Officiosa gravi comes in languedine semper
Ad charum hæsisti nocte dieque latus
Incolumem poscens & pristina robora divos,
Usque dabas amplam mitis alumna stipem.
Te miseræ laceros sumentem civis amictus,
Vidimus exuto templa subire pede,
Relligiosa nihil loca; nilpia dona juvabant;
Et quas fudisti supplice corde preces.
Non minus atra suas jam Mors exercuit iras;
Parcentes nulli sic voluere Deæ.
Celsa quod astra jubent; quod fert divina voluntas,
Tranquillo patiens pectore ferre stude.
Simus in adversa nonnunquam sorte necesse est:
Melle madent nostræ felleque pensa colus
Cuique suum instabilis miscet fortuna sinapi
Et verso tristes adjicit orbe vices,
Adde quod hæc omnia te non ex parte reliquit:
Quo mæstum capiat gaudia pectus, habes:
Sunt duo namque tibi, patrios imitantia vultus
Pignora, de diva nobile stirpe genus.
Parvus in augusta tibi ludit filius aula;
Et thalamo summi digna puella Jovis.
Qui velut in primo vernantis flore Amaranthi,
Præ se mira ingens indole stemma ferunt.
Qui solo tristes aspectu pellere curas
Et possunt animo gaudia ferre tuo.
Tanta decentia inest illis; tam viva venustas:
In viridi videt sic Hyacinthus agro
Hi modo buglossi mæstæ lenimina mentis
Dent tibi, & afflictus emoderare tuos.
Quid tibi mordacem cupio sedare dolorem
Cum nequeam lachrymas ipse tenere meas.
Non possum simili tecum non flere querela;
Prosilit invitis fervida gutta genis.
Ultra hoc imbibitoque illum amplectebar amore
Et mihi dilecti vel Patris instar erat.
Promissam queror hanc cecidisse in morte salutem
Omne spei columen succubuisse meæ.
Vix modo præsidium de se sperare jubebat;
Atque suam nobis affore dixit opem,
Invida ubi irruerent inopino fata furore
Moxque ratam in ventos dissoluere fidem.

Ergo

Ergo benigna tuum Princeps nunc respice cordum
Qui pro te quovis sponte subibit onus
Proque tuo, ut fas est, nato stabitque, cadetque;
Et fessas unquam non sinet esse fides.
Urque mihi faciles sitis placidique Patroni,
Vos precor insignes nobilitate viros
Vosque omnes, quorum studio vigilique labori
Nunc sunt Hessiaci creditaque sceptra soli
Jam viduæ lapsis Patriæ succurrite rebus,
Ferteque, quam supplex turba precatur, opem.
Nescio quos timeo præsago corde tumultus,
Fracta procelloso gurgite cymba natat.
Ex supero placidam mittat Deus æthere pacem;
Tuteturque suum Diva propago genus.

Epicediorum in GVILIELMI Tertii, Hessiæ Landgravii funere scriptorum Finis.

Geneagraphiam ipsius, qvamvis Princeps paucorum liberorum pater fuerit, in seqvente tamen latere candido lectori ante oculos ponere voluimus.

Philippus hujus nominis primus, ex Anna Megapolitana.		Elisabetha, ex Anna Megapolitana, Joannis Saxoniæ Ducis Georgii filii uxor.
Guilielmus ex Jolanda Lotharingica infans obiit.		Magdalena ex Anna Magapolitana, infans mortua
Guilielmus tertius.	1. Jolanda Regina Siciliæ, Ducissa Lotharingiæ.	2. Anna Megapolitana.

De GVILIELMI Tertii unico hærede & filio, PHILIPPO Primo sive Seniore, Hessiæ universæ Landgravio decimotertio, ejusque liberis.

Sect. XVI.

Philippus I. natus filius.

De Philippo primo sive seniore, unico Guilielmi tertii hærede & filio, Hessiæ Landgravio decimotertio, cum memorabilia ejus facta, & res in vita preclare & feliciter gestæ, peculiarem, a me quidem inchoatum, sed nondum ad umbilicum traductum, librum requirant; in hoc loco non multa scribam; Nativitatem solummodo, thalamos & liberos ipsius quam potero brevissime hic recensebo. Unicus hic, ut supra auditum est, Guilielmi tertii, Landgravii Hessiæ, prædivitis & bellicosissimi Herois, de quo in præteritis multa diximus, ex conjuge Anna Ducissa Megapolitana, filius & totius Hessiæ hæres fuit. Idibus, h. e. decimotertio die Novembris, Anno 1504. natus. Puer admodum, ut ante indicavi, parentem amisit, & in pueritia multos, qui tamen divino favente Numine sine difficultate repressi sunt, adversarios & hostes habuit. Viginti annos natus, Christianam, Georgii Ducis Saxoniæ, ex Barbara Poloniæ Regina filiam, uxorem duxit & solennes cum illa Anno Christi 1524. nuptias, solito principum more Marpurgi satis splendide celebravit, decemque ex ea liberos; quinque videlicet filios, & quinque filias procreavit. Agnes, primogenita filia Anno Christi 1527. die ultima Maji, matutino tempore hora 5. Cassellis nata; & Mauritio, Duci Saxoniæ, Electori, cui filiam unam, Guilielmo Principi Auraico elocatam, peperit, in matrimonium conjuncta est. Ipso deinde sphærulæ bombardæ ictu in prælio interfecto, vidua secundum cum Johanne Friderichо, Duce Saxoniæ apud quem absque liberis defuncta est, conjugium inivit. Secunda filia, Anna, Anno 1529. mane hora quinta Cassellis nata, Wolfgangi Palatini ad Rhenum Comitis, Ducis Bavariæ & Bipontini uxor facta est. Tertia, Barbara, Anno 1536. die 8. Aprilis intra septimam & octavam horam Cassellis nata, Principi Georgio Comiti Würtembergensi nupsit. Quarta Elisabetha A. 1539. die 13. Februarii, Cassellis nata, Ludovico Palatino Rheni, Duci Bavariæ, qui post Friderici tertii, parentis sui obitum Elector factus, conjunx sociata est. Quinta Christina matrem nomine referens, Anno Christi 1543. Cassellis nata, Adolphi Ducis Holsatiæ, Hæredis Norwegiæ &c. thalamis dignata est. Filii quinque fuerunt Guilielmus primogenitus, ejus nominis quartus Anno 1532. die 24. Junii intra octavam & nonam horam pomeridianam Cassellis natus; Princeps inter omnes Germaniæ magnates doctissimus, Mathematicis & Astronomicis disciplinis assidue deditus, & earum scientissimus. II. filius Philippus Ludovicus, A. 1534. die 29. Junii, circa tertiam horam pomeridianam natus, infans obiit. III. Ludovicus, A. 1537. die 26. Maji, circa horam primam a meridie natus, superioris Hessiæ terras Marpurgi residens feliciter gubernat. IIII. Philippus Junior sive secundus, qui A. 1541. die 22. Aprilis Marpurgi natus, inferiores Cattimelibocensium terras Reinfelsii placite tuetur. V. Georgius, qui Anno 1547. die 10. Decembris intra octavam & nonam horam vesperi apud Cassellenses natus, superiorem Cattimelibocensem Comitatum, & urbem Darmstadianam splendido & vere Regio castro, aliisque ædificiis insigniter ornatam tranquille possidet. Horum omnium natales ut a quovis facilius comprehendi queant; sequentem Stemmatographiæ designationem lectoris oculis subjicere volui.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

5.
Georgius Darmstadinus
4.
Philippus Junior, sive secundus Reinfelsianus.
3.
Ludovicus Marpurgius.
2.
Philippus Ludovicus, in pueritia mortuus.
1.
Guilielmus, Quartus, Cassellanus, Astronomus &Mathematicus insignis.
Philippus hujus nominis Primus.

5.
Christina Adolphi, Holsatiæ Ducis uxor.
4.
Elisabetha, Ludovici Palatini Electoris conjunx.
3.
Barbara, Georgii Würtembergensis Comitis uxor.
2.
Anna, Wolfgango Palatino Bipontino juncta.
1.
Agnes, Mauritio Electori primum & deinde Joanni Friderico Ducibus Saxoniæ elocata.
Christina, Saxonica Georgii filia.

De CHRISTINÆ, Saxoniæ Ducissæ, PHILIPPI Senioris, Hessiæ Landgravii conjugis dilectissimæ vita & obitu.

Sect. XVII.

Finem faciam, si de præstantissima & optima Principe Christina, Philippi Senioris Landgravii conjuge dilectissima, fœcundaque multorum Heroum & Heroidum matre, paucula superius commemoratis addidero. Fuit autem hæc, ut supra dixi, Georgii Ducis Saxoniæ ex Sigismundi Regis Poloniæ Sorore Barbara, quæ Anno Christi 1534. decimoquinto Calendas Martii pie in Christo obiit, filia; Annoque Christi 1524. die 19. Decembris, Seniori Philippo, unico totius Hessiæ Landgravio, feliciter nupsit; & decem, ut ante monstravimus, marito peperit; dilectissimoque cum moreretur, conjugi novem; quinque videlicet filias, & quatuor inclytos filios reliquit. Quantum animi luctum & mærorem optima hæc Princeps ex diuturna Philippi Principis mariti sui custodia, in qua a Carolo quinto Imperatore præter spem datamque fidem detineretur, conceperit, vitæ ejus exitus satis demonstravit. Cum enim, ut marito astu capto liberatem impetraret, inexorabilem Carolum Quintum Imperatorem per longa itinerum intervalla tristis sequeretur; ipsi quoque aliquoties supplex fieret; nihil autem vel prece vel precio efficere posset, sed negotio infecto domum redire cogeretur. Præ nimio mærore summaque animi tristitia, ex diuturniore dilectissimi mariti absentia & incarceratione concæpta, in gravissimum morbum incidit; a quo cum aliquandiu vehementissime affligeretur, nullamque consolationem admittere vellet, omnino contabuit; tandemque marito in Caroli quinti Imperatoris custodia satis diu detento, vitam hanc mortalem cum cælesti illa, immortali & sanctissima, in qua anima ipsius, beatis sine dubio spiritibus conjuncta, & post diuturnam tristitiam lætissima versatur, feliciter permutavit. Dignissima sane, quæ inter matronas præclarissimas & Heroides Principum illustrissimas, quas propter ardentissimum maritorum suorum amorem extinctas fama celebrat, ab omne posteritate meritis eulogiis recenseatur. Obiit Anno Christi 1549. die decimo sexto Aprilis: Epicedion ipsius a doctissimo viro Petro Nigidio Hallendorphio scriptum hic annectere non displicuit.

Hic Christina cubans, Hessorum juncta Philippo
Heroi conjunx, clara virago fuit;
Edidit hanc mater generoso Barbara partu,
Barbara Sarmatici stella serena soli
Quin & Saxoniæ Ducis extitit illa Georgi
Filia, præclari sanguine nata viri
Expirans animam, viventes quinque reliqit,
Quas peperit, natas; quatuor atque mares
Namque tibi in cunis prius, a LODOICE PHILIPPE
Stamina fatales dissecuere Deæ
Tandem intercedens pro capto sæpe marito
Procubuit frustra, Carole Quinte, tibi.
Tot diros igitur cordis perpessa dolores;
Tot lachrymis oculos nocte dieque rigans;
Tabe necata obiit quingentis, quisquis es, annis
Mille, quater denis, adjice deinde novem;
Et tibi constabit certa ratione viator,
Supremum quando clauserit illa diem.
In medio Aprilis mortales exuit artus;
Morbida post tumulo rite recluſa suo.
Hanc tibi sidentem, mundi tu Christe Redemptor,
Electos inter communerare velis.

A me qvoqve olim piis Illustrissimæ hujus Heroinæ manibus inscriptum Epithaphium hisce conjungere volui.

Quisquis ad hanc celebrem lector spatiabere tumbam,
Fige pedem, & supra carmina scripta lege;
Hac etenim recubat gelida tellure sepulta,
Quæ fuit Hessiaco fœmina grata Duci
Barbara Sarmatici peperit quam filia Regis,
Principis illustris fœdera passa tori,
Cui clarum dederat nomen vox Graio Georgi,
Quique prius Princeps Saxonis orbis erat,
Horum sub tali dulcissima filia saxo
Post obitum tristem corpus inane tegit,
Illa Ducis consors fuerat Christina Philippi,
Qui nunc Hessiaci protegit arva soli
Quem dum Quintus habet captiuum Carolus arte
Non Marte; & secum sub sua regna trahat,
Mæsta

Mæsta pium sequitur Princeps Christina maritum,
Multa ferens Ponto, multa periclo solo
Procidit ante tuos Cæsar ter maxime vultus;
Et lachrymabunda voce precatur opem
Scilicet ut soboli Patremque, sibique maritum
Restituas, tua quem clatra habuere diu
Vota tamen vanas cum se dare vidit in auras
Nec precibus mentem flectere posse tuam
Mæsta reversa domum; morboque obsumpta latente
Ante diem tristi funere rapta cadit,
In medio Aprilis; quigentis, mille, quaterque
Cum denis, nonus ver bene junctas erat.
Inter fœmineas nunc illustrissima turmas
Herois, veluti Lucifer, axe micat.
Non sic Alcestes: non Loadameja maritos
Dilexere suos, Arria sive suum
Panthea magnanimum Senecam Paulina necatum
Vix adamare viros hac ratione suos,
Hæc ut dilexit dulcem Christina Philippum
A quo juncta procul vivere pœna fuit,
Hæc sit in exemplo præclustri sanguine natis,
Ut discant Dominos sic coluisse suos.
Quam tu summe Deus cœlesti sede receptam,
Illustres animas inter & astra loces
Et quod conjugii tantum servauit amorem,
Da paradisiacis hanc residere choris.

Hæc de illustrissima & pientissima Heroide Christina, Saxoniæ Ducissa, Hessiæ Landgravia, Philippi Senioris conjuge dilectissima, p. m. obiter hic adducere volui. Nec pluribus, ne nimia prolixitate instituti mei metam excessisse dicar, in præsentia agam, præsertim cum præcipuas de illustrissimorum Hessiæ Landgraviorum origine, aucta familia, geneagraphia, gubernatione, vita denique & morte historias ea qua potuit fieri diligentia satis superque propositas esse non dubitem; quæ omnia quamvis a nigro malevolorum gutture vix tuta fore arbitror; bonis tamen non displicitura spero. Candidum & veritatis amantem lectorem, cui reliqua, quæ de Philippo ejusque hæredibus illustrissimis relatu digna videbuntur, brevi promitto, ut incultum hunc meum laborem placido respiciat vultu, obnixe, omni quo possum studio, oro.

Finis Commentarii tertii & ultimi.

IX.
NICOLAI MARESCALCI
THURII
VITÆ OBETRITARUM
SIVE
RERUM AB OBETRITIS GESTARUM
LIBRI QVINQVE
EX CODICE MEMBRANACEO BIBLIOTHECÆ REGIÆ STOCKHOLMIENSIS DESCRIPTÆ
A. MDCCXIX.

Ad illustrem Obetritarum Principem Henricum, Nicolai Mareschalci præfatio in vitas Obetritarum.

Præfatio.

Scripturus ego majorum tuorum vitam, Princeps illustris, operæ pretium duxi, initium a prima eorum origine facere. Ita enim familiam tuam regiam ac clarissimam nullique Germanorum nobilitati secundam in oras has ex campis Themysoniis atque adeo regione Scythica multa ante secula propagatam, quæ a tuis litterarum insciția, a classicis vero scriptoribus partim vetustate, partim temporum varietate & bellorum tumultu neglecta in lucem te hortante depromemus & Obetritas tuos reges quondam longe famatissimos sub fide post & imperio Romano attritos ac factos principes ab inferis quasi exsuscitatos, ubi in tenebris densissimis delituere ad vitam revocemus. Reviviscunt enim mortui, si facinora eorum præclara & facta memoria digna posteris legenda aut spectanda præbentur. Quod ego in tuis quanta diligentia, tanta sum adgressus fide, quæ in historia maxime desideratur. Vehementer vero rogo omnes, quicunque hæc nostra legent, ne lectorum nominibus priscis indignentur. Veterum enim res gestas scribentem vetera ac Romana nomina decent, non barbara nova.

De Origine & regno Herulorum.
Cap. I.

Origines regni Herulorum.

Origo majorum tuorum, princeps illustris, ab Alexandro Macedone cognomento magno & Amazonibus, quod annales probant & insignia picturæque in parietinis vetustatis fideliſſime monent, locum ex omnibus primum occupantibus Amazonibus, inter quas prima *Orethiya* Marpesiæ Amazonum summæ reginæ filia. Nam Alexander inter multas & ingentes victorias toto orbe partas Amazonum terminos ingressus eas superavit & Thalestrim reginam earum, quæ & Minothea, cum trecentis Amazo-

mazonibus ſponte occurrentem concubitumque ejus expetentem, & ſobolem cum ſuis ex eo ac principibus ejus quærentem, diebus triginta cum eis per otium conſumtis compreſſit & uterum complevit. Quo deinde Babylon in Aſſyria a Theſſalo archiatro ejus invitato & ab Antipatro principe, qui fuit inſidiarum autor, veneno extincto, qui Canſtandium filium, qui ſolebat cum Philippo & Jollo fratribus præguſtatoribus regiis miniſtrare pocula regi, veneno ſubornaverat, cujus tanta fuit vis, ut neque ære neque ferro neque teſta ulla contineri poſſet' ungula tantum equi ſervabatur, quo hauſto confeſtim veluti telo confixus ingemuit, mox in urbis locum editiſſimum prolatus omnes ſuos adloquutus, quibusdam etiam mandata ad parentes committens, ſumma in omnes humanitate uſus eſt. Quum vero de imperii hærede interrogaretur, rejectis ſpretisque liberis propriis, dignisſimum omnium reſponſitavit eligendum, mortem ita ſuam ulciscendam opportune ratus. Sexto ergo die præcluſa voce exemtum digito annulum Perdicæ viro inclyto tradens, gliſcentem tandem amicorum diſſentionem ſedavit, ceteros in indignationem commovit, cui mox cæde ingenti, ut prædixit, Græcia tota parentavit: etenim orta inter principes ejus diſſentione omnes de imperio avidos, plerique omnes mutuis vulneribus occiſi ſunt, reliqui ſibi fuga conſuluere novasque de more ſedes quærebant, quo tempore lectiſſima juvenum manus ſub rege inclyto huc appulit ex urbe, ut putant, Bucephali, quam condidit victo Poro Alexander & a Bucephali equi nomine, qui in pugna concidit, nuncupavit, quem equum mire dilexit: quæ colonia ibi ab Alexandro relicta adſumtis Amazonum reliquiis caput præferebat tauri ſeu in memoriam equi Bucephali, ſeu ob amorem Alexandri, qui caput taurinum inuſtum armo pro inſigni habeat; io quod teſtatur Solinus, quo adhuc tu princeps illuſtris a majoribus tradito gloria ingenti uteris, qui a Romanis & vetuſtioribus ſcriptoribus Heruli nuncupati, a finitimis de veſtium varietate primo adventu Obetritæ, quaſi variegati ac verſicolores, ſicut qui interiere Argyro aſpide, a clypeis argenteis armisque picturatis jam ab urbe quondam principe, quæ græce Megapolis, cognominati Megapolenſes. Nunc vero reliquum erit dicere de Amazonum origine.

De origine Amazonum.

Cap. II.

Origines Amazonum. Amazonum origo ab adoleſcentulis duobus regiis ex oris intimis Scythiæ, qui Plinos ac Scholopytos, quo tempore Veſores Ægypti rex anno ante urbem conditam CCCCLXXX. meridiem non tantum cælo, ſed pelago toto vaſtisque montibus ab aquilone diviſam, aut miſcere bello aut regno conjungere volens, bellum Scythiæ primus intulit. Qui audaces bello prædæ avidi per factionem optimatum domo pulſi delectam juvenum manum abducentes in Cappadociæ Ponticæ ora juxta amnem Thermodoontem conſedere, ſubjectis ſibi campis Themiſciis diuque proxima quæque populati, finitimorum conſpiratione cum ſuis trucidati ſunt per inſidias; quorum uxores exilio ac viduitate permotæ, ut omnium par ex ſimili conditione animus eſſet, armis correptis viros ſuperſtites omnes interemerunt. Hoſtes dein primo impetu finibus ſuis propellunt, converſo mox furore in finitimos, quaſi mox ulturæ maritos brevi compulere, ut pacem peterent. Ad ſucceſſionem ſobolis finitimos ſervabant, quos cum adiiſſent & uterum ab eis compleſſent, facto conceptu in ſedes illico revertebantur maribusque natis, crura & brachia debilitant, ut eſſent bello inutiles; feminas diligentia ſumma ad militiam ſervabant tennellisque mammam inurebant dexteram, ne pugnæ impedimento eſſet, ſiniſtra tantum nutrimentum præbente natibus, inde dictæ Amazones quaſi ἄνευ μαζῶν vel quia vivebant ſine viris quaſi ἀμαζόειν, a Scythis Orpatianæ teſte Herodoto, quaſi viriadæ. Natas ergo venationes ferarum, equorum uſum, arma ac ſagittas docuere, quibus artibus imperium latiſſime promovebant; Aſiæ enim Europæque partem maximam ſibi ſubjecerunt poſt cæſos viros primis Marpeſiæ & Lampedone reginis.

Ubi primum habitaverint Amazones.

Cap. III.

Earum prima habitatio. Prima earum habitatio apud Tanaim fluvium, poſt abiere ad Thermodoontem amnem, moribus viris ſimiles viribus præſtantes. Regina earum coacto exercitu virgines ſuas diſciplina militari exercuit, vicinasque mox gentes expugnavit. Ipſa ergo regina & prudentia & rei militaris opinione præſtans urbem præclaram in oſtiis Thermodoontis condidit, quam Themyſciram nuncupavit, in qua regiam ſtatuit, & diſciplinam militarem ſummo ordine obſervans propinquas omnes gentes ad Tanaim usque imperio ſuo addidit; quarum meminit Virgilius:

Quales Threiciæ, quem flumina Thermodoontis
Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis.

Qvomodo abiere a Thermodoonte in Scythiam.

Cap. IV.

Migratio in Scythiam. Poſtequam viros interemerunt, navibus a Ther-



Dux Teuto Græcus sub Anthÿrio in Græcia.




Herulus sub Anthÿrio in Vandalia.



Wandalus.



Venedus.



Thermodoonte vectæ tribus, & remigare nescientes ferebantur, ut ferebat ventus, perlatæque sunt ad Mæotidis paludis prærupta, ibique primum exiere. Scythæ neque habitu neque sermone eas agnoscentes hostes rati, primo adventu pugnant cum eis, tandemque feminas cognoscunt. Inito ergo consilio pugnæ interim abstinent, castra proxime ponunt, prolem ex eis suscipere cupientes; meridie ergo binæ semper, ac binæ exeuntes ad venerem levandum Scytharum adolescentulis ea animadvertentibus similiaque factitantibus amore capiuntur, quarum invicem Scythæ amicitiam nactæ singulas singuli legere, & linguam earum perdiscunt castra conjungentes. Verum Scythæ agere in campo vitam diutius non ferebant & cum illæ dicerent, se cum uxoribus eorum vivere non posse, Scythæ acceptis facultatibus a parentibus convenere cum eis & simul abiere. Primo ergo Tanaim transmisere perveneruntque a Tanai navigatione dierum trium versus orientem, totidemque a Meotide palude ad aquilonem, ibi agros occupantes; qua in regione feminæ adhuc Sauromatarum more utuntur, venatum eunt cum viris ac sine eis, equis omnes insidentes. Adventus earum & Dionysius in perehegesi meminit, quem referamus latine:

Meote primi tangunt Meotidis undas
Sauromataque truces gens aspera Martis in armis
Sanguis Amazonidum fortis quos protulit olim.
Sauromatis mixtæ, quæ Thermodoonte relicto
Ingentes genuere viros belloque potentes,
Immeneras habitant qui silvas gurgite vasto,
Inter quos Tanais Meotidis intima pulsat
Europen fluvio dirimens Asiamque reflexa
Europem Zephyros Asiam sub partibus ortus
Caucasiis exit, cujus fons montibus altis
Murmure cum vasto Scythiæ per plana refusus.

De Reginis Amazonum.

Cap. V.

Regine Amazonum.

Prima earum Regina victoria militari felix viribusque auctis præstans filiam genuit quam dixit natam Martis leges mox suis condidit, viros interdixit armis officia tantum servilia permisit, texturam ac reliqua muliebria post conditam Themysciram bellaque, quæ gessit maxima, in quadam pugna strenue dimicans infelix interiit, cui successit filia matrem per omnia imitata, quæ facta ejus etiam superavit. Virgines a primis annis venatu quotidie exercitabat & ad belli munia instruxit, Marti ac Dianæ sacra prima instituit, quæ appellavit Tauribolium, sacra facere prima docuit. Traducto dein exercitu ultra Tanaim omnes ejus oræ gentes ad Thrasiam usque devicit; reversa in regnum cum multis spoliis templa de eis magnifica exstruxit omnium subditorum benevolentiam justo æquoque imperio adepta conversis armis ad alteram fluminis ripam Asiæ partem ad Syriam bello subegit, cui fato post functæ successit propinguior genere. Sic imperio maximo Amazones & gloriæ potitæ Marpesia & Lampedo agmine in partes duas diviso curam belli vicisim & domus fortitæ sunt, domita Europæ parte maxima per Thraces, Sarmathas, Germanos, Vindelicos: in his ad Alpes usque grassatæ sunt, a quibus populis seniissimis Liburnis, qui sunt Rethi ac Vindelici, origo teste Oracio, quos Drusus superavit, urbem in Vindelicis, quæ Augusta post dicta moenibus cinxere, cujus cives præstantissimi Romanis jacturam intulere quondam majorem, quam ulli Germanorum. Asiæ vero aliquot urbibus captis, in qua & ipsæ Ephesum & alias quasdam condidere, præcipuam exercitus sui partem præda onustam opulentissima revocant domum. Quæ relictæ ad tuendum Asiæ imperium simul cum Marpesia regina trucidantur, cujus capessit locum Orothiya filia; quæ singularem virtutibus gloriam perpetua virginitate cumulavit; cui successit Penthasilea bello Trojano clarissima.

Qvomodo interiit regnum Amazonum.

Cap. VI.

Interitus regni Amazonum.

Postquam multis seculis vulgata per orbem universum virtus earum ac gloria Hercules Semeles ac Jovis filius jussu Euristei arma reginæ exhibere cingulum referre Hyppolite destinatus ad periculum quasi inevitabile Græciæ juventutem universam lectam ac nobilem contraxit, navibusque longis novem abiit; non satis vero examini fidens eas ex improviso aggredi ratus est & circumvenire insperatas. Navigans ergo ad pontum Euxinum perque ostia Thermodoontis ingressus castra posuit prope Themysciram regiam Amazonum: quo tempore reginæ earum sorores duæ Antiope & Orethyia sive Menalippe. Primo ergo missis legatis cingulum Hyppolitæ postulat, quo negato armis non tam aggreditur, quam illæ congrediuntur, certamine omnes acerrimo eum appetentes. Prima tunc earum in bello Aella occubuit, quæ ex velocitate nomen sortita. Cecidit mox uno vulnere saucia in congressu primo Philippis, postquam Prothoe septies ex provocatione superasse antea hostem gloriata. Dein Euribia rebus bellicis expertissima nimis fisa viribus auxilium aliarum respuens, ac mox Celeno, Phebe, Artemis, Deidamia, Asteria, Maripessa, Thermessa, Achlippe, quæ cingulum Hyppolitæ servabat; quæ cum virginitatem servare jurasset jus jurandum

servavit, vitam salvare non potuit. Menalippe quæ summam tunc imperii tenebat, præcipua fortitudine præstans periculum præsens spectans abjecit imperium. Sic Hercules clarioribus sublatis vertit ceteram multitudinem in fugam, nunquam alioquin facturus nisi incautas inermesque pacis incuria desides fuisset adgressus. Duæ inter cæsas captivasque sorores Antiope & Menalippe ab Hercule servatæ sunt. Hypolite Thesea capta cum baltheo ab Hercule largita, quam matrimonio adscivit, Hercules Menalippen sorori reddidit arma ac balteum pretium redemtionis accepit. Quo bello regnum deletum barbaræ post nationes contemto Amazonum nomine injuriarum præteritarum memores bello continuo eas attrivere. Sic tandem extinctum & nomen & genus Amazonum. Post Orithigyam ergo regno potita Penthasilea Martis filia, quæ paulo post expeditionem Herculis ad Trojam cum reliquis Amazonum venit cæde suarum jam præterita Trojanis auxilium ferens ab Achille interfecta post Hectoris obitum gestis ante multis bello & claris facinoribus, quæ ex clarissimis postrema fuit; cujus meminit Virgilius, Poetarum optimus, maximus:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthasilea furens mediis in millibus ardens
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Quæ superfuere paulatim periere partim sub Bellorophonte Glauci filio Corynthi Rege, partim sub Alexandro, ut diximus, Macedone amicitia earum magisque armis freto, regina tunc earum Thalestri, quæ & Minothea.

De Bucephalo & antiqvitate Bucrani, id est galea ex capite bovis, qvam primi Obetritarum reges retulere.

Cap. VII.

Bucephali & Bucrani descripto.

Bucephalus Alexandri equus capite bovino pedibus anterioribus humanis erat, damnatorum tantum carnibus pastus, & a Rege Cappadociæ missus Philippo patri Alexandri, quem Alexander anno ætatis suæ quinto decimo mansuefactum per urbem præter omnium opinionem equitavit. Philippus tanto spectaculo lætus Deorum responsa in hoc cognovit, regem ipsum post se futurum, confestimque currum regium & centum equos ei dono dedit aurique vim maximam. Equus regio ornatu instructus neminem præter Alexandrum recepit; vulneratus bello Thebano regem alium conscendere non passus, ob id ipsi charissimus: in quo insidens, multa facinora præclara gessit. Tandem cum in India cum Poro rege eorum fortissimo elephantum insedente certamine singulari congrederetur, equus lethaliter a Poro vulneratus est, sed non ante concidit, quam extra periculum regem ad suos retulisset mox lapsus ac mortuus. Porus eo certamine ab Alexandro multis vulneribus confossus captus est, quem ob testimonium virtutis regno restituit, & urbes duas in rei memoriam condidit, alteram Nicæam, alteram Bucephalen in laudem equi ibi interfecti. Bucranum Obetritarum reges primi huc retulerunt; cui in memoriam adhuc dignitatis regiæ corona aurea superposita est insigne celebre.

De situ Obetritarum qvi & Heruli.

Cap. VIII.

Obotritæ & Heruli.

Heruli inter Albim & Oderam amnes oceanumque Sarmaticum continentur, quo cinguntur a borea, Albi a meridie, Odera ab exortu, Bagnisso ac Travo amnibus ab occasu. Primi eorum ab Odera Lutecii populis quatuor distincti. A Suevo ad Oderam Sidini, quorum urbs Buricium Conlancorum, & Suevo ad Chalusum, Pharudini quorum metropolis Lacinium urbs inclyta, non tam emporio mercatorio, quam litterario, quam ambit oceanus a borea, & Warna alluit ab exortu, qui Warnemunde nomen dedit, unde brevissimus hinc trajectus in Cimbros millibus passuum septem latus, glaciata nonnunquam frigoribus aqua pedibus penetrabilis, & ut ait alibi Virgilius:

Lutecii pop.

Pharudini.

Puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris.

Hique citra Panym amnem incolunt. Rhetarii urbe quondam munitissima Rhetanobiles idololatria, qui Radagasum ibi colebant, cui in fano ornatissimo inter multa numina medioximo sacra faciebant, simulacro ejus in pulvinaribus ex ostio statuto toto exauro; quæ urbs novem portis munita lacu undique profundissimo inclusis ponte ligneo longissimo arctissimoque tantum iter præbebat, qua non nisi sacrificaturo aut responsa a numine poscenti itandi facultas concedebatur, quæ suo simul cum numine tota interiit, ne monumentis quidem apparentibus. Quibus proximi Malachi, postremi Venuli arce Stargacia & urbe Bryza noti, quam Tullus amnis præter labitur passibus supra ipsam quingentis paulo amplius ortus in Panym dehiscens, quocum simul oceanum intrat: quos persequuntur Lingones ac Varinnæ omnes trans Panym amnem accolentes. In mediterraneis arx Herulorum Warne amni imposita, cujus nunc area tantum spectatur; fidem excedens Wisimaria urbs inclyta sita in oceani littore trajectui commodissima a Wisimaro quondam Sarmatarum rege magno condita est & appellata; a qua modico trajectu abest palus insula interfluente oceano leporibus refertissima, & Megapolis, quam Obotritæ huc e Themyscircis campis adventantes condidere urbemque magnam appellavere: unde nunc principibus nomen, cujus vestigia tantum exstant, quæ

Rhetarii.

Malachi.

Venuli.

Lingones.

Varinnæ.

Wisimaria urbs.

Megapolis.

quæ maximam fuisse fortissimamque ostentant, mediterranea vero Marion lacu ipsa cincta, pisculentissimo, in qua hybernare reguli solent, & Lingonibus & Varinnis in meridiem. Alistus haud procul Turia. Awola oritur in Venulis Brysas primum, dein Toderas prælapsus Albim e regione Bennonis, sed supra urbem ingreditur, cum quo diu luctatus tandem recipitur, & ab eo in oceanum fertur Herulorum, & Sidonius Apollinaris socero Romæ dicto meminit:

Jam post Vithungos & Norica bella subacto
Victor Vindelico Belgam Burgundio, quæ trux
Presserat, absolvit, vinctus tibi vincitur illic
Cursu Herulus Chnrius Francusque natatu
Sauromate clypeo salicis, pede falce gelonus.

Qvod Obetritæ, qvi & Heruli, situ non sint inter Sarmathas, sicut nec Cimbri; & qui sint Sarmathæ, qui & Vandali ac Slavi, & qvæ illis hinc pulsis gentes novæ inductæ.

Cap. IX.

Obetritarum regio, itemq; Sarmatharum.

Quamvis Obetritis sive Herulis sermo quondam Sarmatarum, mores, ritus, ac mutua fœdera; non tamen inter Sarmathas recensentur, quippe a quibus Odera amne, qui Vandus a Ptolomæo, distingvuntur, a quo Sarmatæ incipiunt in Borysthene amne desinentes, septem lingvarum generibus discreti, in littore fere maris barbari accolentes, quod a moribus accolarum nomen sumsit, a neoteris balticum dictum cinguli ubique fere specie oberrans in Scythiam. Primi ergo Sarmatarum hinc ab Odera Venetes, quorum quandam urbs Veneta clarissima, in qua Græcis barbaris Germanis emporium celeberrimum a Cimbris excisa, cujus adhuc in littore Oceani exstant monumenta & in littore Venetum Rugii, in insula; a quorum latere Vandali a Vandalo rege quondam potentissimo, a quo non tantum Sarmatæ universi, verum Germani quoque Vandali nuncupati, sive a Vandalo fluvio orto ex Glessaria insula, a quo Vandala urbs, quam præterlabitur dicta, dehiscente in oceanum; aut, ut quidam a Vando, qui & Odera, aut certe a Vistula amne, cui in Scythia exortus Sarmathas interfluit, donec in Oceanum barbarum exoneratur, a Sarmathis Vandalus dictus. Nec audiendi, qui eos a Vanda Sarmatharum regina, sorore Gracci regis nuncupatos asseverant, cum extent monumenta, quæ docent, Vandalos ea virgine antiquiores. Juxta Vandalos Sauromathæ Massagetæ & Chuni, quos pepulere Bructeri quondam ipsi pulsi a littore Rheni a Druso Germanico Cæsare bello navali superati. Dein qui peculiariter Sarmathæ, vulgo Polæ a situ; quo nomine Sarmathæ lingua gentili planitiem significant a colonia Lechita quondam dicti, a quibus haud procul Peucini qui & Bastarnæ sermone, cultu domiciliis, adhuc Germanis similes, magis etiam in Sarmacharum habitum quondam fœdati procerum connubiis mixtis, proximeque ab his inclinati Cherusii, Ligii, Chatti, Sorabi, quos Salæ fluvius dirimit, a Thuriis, a Sarmatis excludens Boi, Hermunduri, &, qui inde propagati in Germaniam primam, Croacæ Illyres & contermini. Pulis ergo ob religionem præter paucos, qui exstant, Sarmathis, qui regionem hanc incoluere inductæ sunt coloniæ novæ, Chauci, Menapii, Sicambri, Batavi; inde morum diversitas.

De ritu sacro Obetritarum & Diis eorum, qvos Sarmathæ fere adorarunt.

Cap. X.

Obetritarum sacra.

Mos genti erat numina colore & adorare; non autem orare; opificem rerum omnium orabant, aliorum numen invocabant tanquam propitiatorem, quibus optimus maximus humana, ut putavere, nihil curans, rerum terrenarum commiserit imperium. Convenire jussu flaminis die sacro solebant cum liberis & uxoribus, ex ordine sequentibus pueris patrimis ac matrimis. Ara ingens posita, in qua numen placabant, ut quisque optime posset, bubus, ovibus, altilibus, quorum sanguine litabant, plerumque etiam Christianorum viris & feminis de more ante aram mactatis, quibus exenterebant ilia, ac per palos deducebant, jactantes, se ita demum futuros devotus in religionem. Sacris peractis instaurato epulo sympolia celebrarunt choreisque diem ac ludis ducebant sera vix nocte abeuntes, invicem ipsi liberales, pii, parentes amore & honore eximio prosequentes, in ædes etiam advenas libenter excipientes; quibus qui negasset hospitium hujus deflagrabant sedem. Orphanotrophia etiam & xenodochia ac bephothrophia ære communi fovebant, ut necessitati consulerent, bellorum tempore frumentum excutiebant & in terram defodiebant, reliquam suppellectilem in silvis & lacuum latibulis condentes, quo instituto finitimos omnes in terrorem coegere & Cimbrorum gentem ferociissimam magis, quam ulli finitimorum bellis urgebant, piratis eos vexantes, qui Gabellarum saltus incolunt, tam re, quam sermone adhuc Sarmathæ nihil de moribus mutavere, & per priscam superstitionem mortuos adhuc cantu & choreis prosequuntur poculaque invicem exhibent, jam tumulatis sepulchro infundentes, solemnique tripudiatione statuto tempore fruges lustrant, ex passo canis tergore buccam clangentes & reso-

nantes sacrificulumque, quem eligunt, ritus veteris peritum sequentes cursitant, ita demum fulgurum ac himbrium nocentium damna deprecari se posse putantes, quos Sida amnis prosequitur.

Qvæ urbes, qvæ numina coluere.

Cap. XI.

Urbium idola.

Rhadagaso numini summo templum in Megapoli magnificentissimum alterumque in Rheta urbe Lutetiorum celeberrima: pronomen Chersonesus Cimbrica colebat, præcipue Chaluso proximi, qui Varini dicti. Ara huic extra urbem, quæ colonia quondam in luco sacro in quercu procera, quam circumdedit seps stipata ex palis; aditus portis patebat duabus, Prononis intus simulacrum ex quercu omnibus conspicuum. Lucus ille numinis sacerque dictus, in quo hebdomatim Lunæ die populus convenire solebat ac facere sacra. Quercum sacram nemo attigit præter flaminem ac sacrificulos, nefas jurare per numen; sceleftiores etiam habiti, qui pejerando fallebant numen, idola mille numen summum circumsessitabant, quibus ex Diis quidam bifrontes, alii trifrontes ac etiam polyfrontes. Sivam Veneris nomine Polabi colebant, quæ inter flores nudato corpore lilio ab ore prd minulo blandule spirabat. Huic in urbe Polaborum metropoli amœnissima sedes in loco Bagniso cincto, quæ e Race Rugiorum quondam principe nomen adhuc tenet. Exstat in Rugiis urbs Metropolis Archivia, peramœna situ, mœnibus quondam tutissima, quam alluit Oceanus, in cujus medio fere loco Numini quondam templum fabrefactum. Quatuor frontes numini, oculi in omnes vigiles, cornu metallo varie ornatum, in dextera illi & juxta alia insignia: omnes viritim Sarmathæ quotannis illi ut omnium principi numinum tributa pendebant ad Calendas fere Septembres; ærarium ejus confertissimum. Epulum populus tunc solenne instaurare solebat, numini flamen ministrabat barbatus contra regionis morem ac comam colligatam & in tergum habens reflexam, qui & unus templum perpurgare & conferrere scobes solebat, observareque diligenter, ne contaminaretur honos ab advenis. Primo die sacra faciebat populus, altero flamen correpto cornu ex numinis manu libamen, quod anno superiori infuderat, spectabat, & imminutum inveniens proventum annonæ ac ubertatem piscium reliquarumque rerum pronunciabat; quo minuto tristem inediam prædicabat. Nundinare etiam populus tempore eo ibi solebat, redireque ditior ex piscium captura. Non pitissare ex cornu eo flamen solebat, sed ore patulo hastu uno deplere, ac cursum complere servareque in annum futurum. Vetus verumque numinis nomen temporum antiquitate deperiit. Caroli temporibus M., aut paullo post a Ludovico filio bello adacti divum Vitum colendum suscepere, quem quidam e Corvea cœnobio religioso ibi cum fide prædicarunt; verum incolæ trucidatis illis & divio Vito contemto, nomen suum in locum reposuere, donec Baldomarus Cimbrorum rex urbe obsidione cincta ac superata numinis ædem everteret, quo tempore Archemagerus regis igni truncum imponi jussit & flammis adoleri. Præter hunc Chatti coluere eum, qui lingua eorum gentili Flyns, latine rupes nuncupabatur; in cujus scapulis leo affixus ungvibus ore hiante hærebat; quo rugitu anastasim Sarmathæ significari voluere Bryse & Tergeminum, cujus adhuc ibi visitur idolon.

De antiqvo sepulturæ genere Obetritarum.

Cap. XII.

Obetritarum mos sepeliendi.

Genus sepulturæ Obetritis ad instar antiquitatis ex lapidibus in colle congestis & terra, mole ingenti super imposita. Qualem tumulum Virgilius Misene ab Ænea rege positum cecinit:

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imposuit suaque Ærio viro remumque tubamque
Monte sub æreo; qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per secula nomen.

Procerum hoc sepulturæ genus quondam, quod & peculiare Cimbris: nam ceteri, qui in aliquo fuere habiti numero, in urnis siti sunt; quæ multis ante nos seculis obrutæ sub Te, Princeps illustris, plurimæ anno superiore erutæ antiquitatis miraculum exhibent uno omnium tuorum dignissimo, sub quore-viviscant majores sui.

De amicitia, qvam habuere reges Obetritarum cum Gallis ac regibus eorum.

Cap. XIII.

Amicitia cum Gallis.

Multis ante Carolum M. seculis primum Francorum regem, quique orientis imperium primus a Byzantio transtulit in Germanos, Obetritarum jam Reges amicitiam habuere cum Gallis, quos & ipse Carolus in commentariis rerum ab se gestarum, quos moriens Ludovico filio commendavit, veteres Gallorum socios appellat, regionemque insuper eorum in iisdem tam vere quam breviter descripsit, esse sinum Oceani maris in extremis Germaniæ finibus ab occasu orientem versus, qui millia passuum prope centum extendatur, circa quem Obetritæ, Velatabi, Cimbri incolant. Idem quoque Carolus, quo tempore Velatabi excursionibus perpetuis, cædibus ac incendiis Obetritas opprimerent, & illi legatos ad se pro antiqua amicitia olim cum Gallis inita adversus Velatabos in suos Gallorumque hostes misis-

sent

sent pro jure societatis præsidia petituros, legatis eorum benigne hospitaliterque susceptis auxilio insuper impetrato gratis responsis domum remisit; nam mox secutus cum exercitu citius omnium opinione bellum confecit, barbaros ex sociorum finibus expulit, expulsos ad deditionem compulit ac jurejurando adegit, ne imposterum Gallis Gallorumque sociis injussu suo bellum inferrent. Adolescens quoque Carolus in aula regum Obetritarum militasse annalibus proditur; quo tempore Orithbertus Obetritarum rex summam rei ampliter magnificeque administrabat. Chari fuere, quoad vixit Carolus, sibi Obetritæ nec unquam bello ab ipso tentati, quamvis idololatriam insigniter tempestate ea profiterentur, quum finitimos omnes gladio ad fidem religionemque adigeret & proximam Sassonum gentem armis tribus ac triginta bellis urgeret, tributariamque faceret; Quod equidem prætermissum puto, ne violaretur ab ipso jus societatis antiquæ cum Gallis olim initæ.

De Obetritarum regibus ac principibus, qui ex regia stirpe uxores duxere.

Cap. XIV.

Antiquorum Regum omnium uxores, non memorant annales; Regum diligenter nomina adservata sunt de manu posteris in manum tradita: ex quibus qui uxores regia stirne ortas habuere, sunt

Godescalcus, Obetritarum rex, qui duxit Syriscam filiam regis Cimbrorum virginem speciosissimam.

Pribislaus, rex Obetritarum, uxorem duxit Guoislavam, filiam regis Noricorum;

Henricus, cognomento Burvinus major uxorem duxit Mechtildem filiam regis Sarmatharum virginem venustissimam;

Henricus, cognomento Burvinus junior uxorem duxit Sophiam filiam regis Suevorum, ex qua sustulit duas filias regibus connubio junctas;

Albertus filius Leonis Obetritæ uxorem duxit Euphemiam filiam Suevorum & Noricorum regis.

Henricus filius Alberti senioris uxorem duxit Ingeborgim filiam Waldomari, regis Cimbrorum.

Quæ natæ ex Obetritis nupsere Regibus.

Cap. XV.

Odica filia regis Billungi nupsit Booslao Sarmatarum regi. Filiæ duæ Henrici cognomento Burvini junioris nupsere regibus, altera regi Masiliæ; altera regi Cypri Neapolitano ac Sardiniæ. Una etiam earum Ghisela ex Obetritis, cognomento de Herulis, Cæsari nupsit Conrado; unde genitus Henricus Cæsar.

Qui ex eis ivere Solymas, equites facti aurati.

Cap. XVI.

Obotritæ regesque equites aurati.

Pribislaus rex Obetritarum inclytus filius Nicoloti regis ad fidem conversus Solymas ivit cum Leone Sassonum Duce a Pryzantiorum rege honorificentissime propter dignitatem regiam cum Leone & comitibus aliis itineris susceptus, elephantis ab eo donatis ex, equis anteriis & rascianis mille singulis singuli.

Henricus, cognomento Burvinus eques auratus.

Albertus filius Leonis eques auratus factus a Carolo Bojorum rege in Gallia; quo tempore sub rege meruit in auxilium vocato a Rege Galliarum contra Britannos. Equites insuper aurati Hinricus, Udalricus Magnus pater tuus, princeps inclyte, vir prudentissimus, & Balthasar ejus germanus.

Qui ex ipsis in Divorum numerum relati.

Cap. XVII.

Divi.

Podescalcus Obetritarum rex in oratione, quam habuit de fide lingua gentili ad suos in Leontio urbe sita in Albis littore a Sarmathis suis occisus inter divos adnumeratus est.

Nicolaus filius Vratislai, regis Pribislai germanus, cum septuaginta octo suorum, propter fidem a Sarmathis trucidatus est. Anastasia mater Henrici cognomento Leonis, sepulta in æde observatorum Wismariæ, miraculis clara.

Beatrix uxor Leonis in eodem loco sepulta, quæ diem etiam mortis multo ante præfata est.

Lutgardis soror Leonis a marito invidiæ socius strangulata, sepulta in Calecio, reverentiæ eximiæ.

Joannes filius Burvini junioris litterarum sacrarum interpres eximius habitus est, qui in Lutecia urbe Parisiorum annos viginti sub optimis præceptoribus militavit.

Quo tempore Obetritæ dempta dignitate regia Duces facti sunt Imperii Romani.

Cap. XVIII.

Regni Obotritarum fines.

Primi imperio se submisere Romano Albertus & Joannes, filii Henrici cognomento Leonis sub Carolo Cæsare Romano Bojorum regi in Casurgi Bojorum metropoli in magno procerum conventu, dignitate regia in memoriam avitæ excellentiæ ex insignibus minime detracta, quæ durat in corona regia capiti bubali bovisque superposita.

Vitæ regum Obetritarum primoque antiquorum Wismari Rhadagasti.

Cap. XIX.

Vitæ Regum Wismari, Rhadagasti.

Multi a primo Obetritarum adventu ipsis reges; nomina oblitterata partim anti-

quitate partim inſcitia litterarum gentis, quæ piraticam magis amavit & avebat bella, quam litteras; apud quos ſi aliqua etiam fuere litterarum monumenta, ea bellorum tumultu extincta ſunt, quæ geſſere cum finitimis & ſuſtinuere; hinc Cimbris, Velatabis, Rugiis, Venetibus urgentibus, illinc Marcomannis, Quadis. Ad hæc qui a priſcis ſunt ſervati, propter locorum ſitum & gentis nomina rara, a paucis intellecti ſunt; e quibus Viſimarus, qui portui, ubi nunc urbs, toto hoc Oceano aptiſſimo ac quondam ditiſſimo nomen dedit. Nunc enim Pebericus Gothorum rex temporibus Conſtantini Magni manu hoſtili adgreſſus cum ingenti multitudine ſedibus his ſuis expulit, coactum ſedes novas in Pannoniis quærere, quas Conſtantino permittente recepit, manſitante ergo diu ibi populo, mirum in modum crevit juventus, cui fortunæ ex odio inveterato invidentes Gothi eos perſequuti ſedibus quoque illis nudavere; quo bello ſolum patrium repetentes, rurſus hic conſedere, piraticæ omnes, ut ætate ea, intenti & latrociniis. Mox ejus gentis Stilico regius adoleſcens, qui Romæ per id tempus verſabatur, & ſub Theodoſio Cæſare meruit, cui erit gratiſſimus, quemque Arcadio & Honorio filiis præfecit & curiæ ſuæ magiſtrum effecit, ſollicitatus cupidine honorum & ſpe promovendi filii Eucherii ad ſedem Auguſtalem filiam ſuam Honorio deſponſavit, quæ interiit ſponſa ante nuptias celebratas, poſt quam Thermaſiam eidem dedit filiam alteram, dein mortuo Arcadio Cæſare amicos omnes in arma ſollicitavit, Sarmathas, Quados, Gepidas, Alanos, Burgundiones, Saſſones, Suevos, ſoli fertilitatem ac opes commemorando; cujus ſuaſu permoti ſub Rhadegaſo, qui fuit ex Obetritarum genere, quod & inſignia e bucrano ac multa vetuſtatis monumenta fluminum ac locorum, quæ exſtant adhuc, indicant, ſummo tunc exercitus ducentorum millium imperatore, ſpe potiundæ urbis Romæ primum in Gallias ac mox in Italiam proceſſere, non ante turbare remqublicam deſinentes, quam repulſi a Romanis Rege eorum Rhadagaſo a fuga retracto & ſtrangulato in carcere, Stiliconeque dein cum Eucharío ab Honorio ſuperato & Interfecto.

De Billungo rege & qui ipſum ætate proxima præceſſere, quorum obliterata fama.

Cap. XX.

Billungus R. proximeque eum præcedentes.

Primus regum noviſſimorum, qui a ſcriptoribus celebratus eſt Guiſslaus major, cui ſucceſſit Guiſslaus junior, cui Orithbertus, cujus tempeſtate vixit Carolus M. qui ſub ipſo adoleſcens militavit. Succeſſit Billungus, a quo omnium deinceps diligenter & nomina & geſta celebrata, tanta reperti felicitate, ut nec interierit ſtirps nec ſit tot ſeculis mutata. Billungi regnum latiſſimum, utpote cui parebant

Regnum ejus ampliſſimum.

Venetes & eo Oceani tractu accolæ ad Viſtulam Venuli, in quibus adhuc Stargatium durat Caſtrum regium in monte edito, a vetuſtate nomen ducens, Lutecii, omnes, qui ſunt præter Venulos Rhetarii, Lacinii, & qui trans Panym amnem incoluere, Varinnæ, Lingones, Heruli; intus a Megapoli Polabi Travenates inter Travum & Bagniſum amnes ubi poſt condita Colonia magna, & quæ inde ſpectatur inſula parvula, in qua Cimbri cum monte Julii, cui nunc a victoria nomen ac denique omnes, qui inter Albim ac Viſurgim incoluere, qui Chauci majores uno nomine a veteribus dicti, imperio ejus quondam paruere. Regia ejus in Megapoli urbe tunc florentiſſima, in qua ædem Virginum Veſtalium primus ipſe inſtauravit. Ex prima uxore filios tres ſuſtulit, Mycislaum, Sedericum, Macconem. Qua mortua inſpiratus divinitus de ſuſcipienda fide ſororem duxit antiſtitis Varinorum Vagonis virginem venuſtiſſimam, ex qua ſuſtulit Odicam filiam, quæ ſuaſu præſulis antiſtes facta eſt virginum Sanctimonialium in Megapoli. Mycislaus fidei contemtor novercam odiſſe cepit ſuper inductam, tum tum quod eſſet familiæ imparis, tum quod fidem profiteretur patrique ſuaſit, ut eam repudiaret, & tandem perſuaſit quamvis unice dilectam. Armis poſt converſis filii ſuaſu adverſum fideles loca ubique ſacra vaſtavit & tandem impius obiit.

De Mycislao & quomodo Sarmathæ trans Oderam converſi ad fidem.

Cap. XXI.

Mizislaus & Sarmatæ converſi.

Mycislaus patri ſucceſſit in regno idololatriæ addictus, omnibus, qui fidem fovebant, ſævus, perſuaſu quorundam Chriſtum palam confeſſus non ceſſavit cultores fidei perſequi, ſororem uterinam ex Sanctimonialium ordine avocavit invitam eamque Booslao Sarmatharum regi conjugem dedit, reliquo cœtu virginum illuſtrium equitibus ſuis auratis diſtributo, quibusdam in Rugios miſſis, quibusdam in Lutecios; quo facto ædes Virginum Veſtalium deſerta eſt, qui moriens filios duos reliquit Myſtevonem & Myzidrachum; is erat Booslaus, qui inito cum Ottone tertio Cæſare Romano fœdere Sarmathas omnes a Viſthula usque Oderam ad religionem duce divo Alberto antiſtite ferro coëgit, Bructeris tantum intactis ac Herulis qui in ſtatu ſuo antiquo manſere.

De MYSTEVONE.

Cap. XXII.

Myſtevo.

Defuncto patre Myſtevo cum fratre in regno ſucceſſit, reges pientiſſimi & contra mores paternos abjecto idolorum cultu in fidem etiam addicti; Multa ipſis, ut temporibus illis, bella cum Saſſonibus plurima. Ab his attriti & facti tributarii avaritiaque immodica depeculati & ære inſuper annuo pendendo nimis gra-

gravati fidem deseruere libertatem pristinam armis tutati. Paruere sub idem adhuc tempus Mystevoni Venetes, sollicitatus itaque a Bernardo Sassonum Duce in bellum, quod gerebat adversus Henricum Cæsarem Romanum cum equitibus eum mille prosequutus est; quo bello confecto pars eorum plurima desiderata est. Reversus dari sibi ab eo filiam postulat, quam, antequam in bellum proficisceretur, ipse fuerat precatus & desponderat pater, expeditionis præmium; spe illusus Theodorico Marcomanno in conventu multorum illustrium dissuadente, rem tulit animo haud æquo. Marcomannus enim canem dictitabat indignum, cui virgo tam inclytis natalibus sulta conjugio jungeretur. Indignabundo illo abeunte Dux periculum metuens revocare illum missis post terga legatis nititur; sed frustra laborat responso alio non impetrato, quam canis judicatus canis more mordicus omnes laniabit æmulos; nec mora: primarios suos omnes humaniter compellat & in urbem Rhetham amplissimam convocat, in quo conventu illatas sibi injurias publicitus commemorat & de ultione hortatur; recriminantur primum sui mores in eo subnatos alienos, tum quod gentis externæ concupiverit nuptias, contribulum ac gentilium contemtis, nec se unquam adjuturos, nisi per coronam solii regii jurejurando firmasset, injurias strenue se ulturum. Quo facto exercitus congregatur, paratus commeatus: primo impetu belligerante adhuc in Italia contra Cæsarem Duce Transalbinos superat, qui sunt Sassonum veteres fœderati, populi vero tribus distincti, quorum vastavit omnium ædes sacras. In urbe Varinorum Metropoli, cui ab antiquitate durat nomen Stargacia, quæ & colonia quondam, flamines occidit ordinis canonici pene omnes pecudum more mactando; Qui superfuere eos cepit & dissecto in crucis modum cranio per urbes Sarmatharum plurimas spectaculum præbuit manibus post terga revinctis, donec post summam ignominiam ac pœnas animam exhalarent. Inter quos Odoacer dignitate ceteris præpositus martyrii quoque palmam meruit, quorum omnium ad nonas Julias memoriam posteritas melior concelebrat, Tunc etiam in Polabis urbem adgressus Hammonis inclytam, quæ Treva quondam dicta, eam cepit & clerum sacrique ordinis viros innumeros, qui perculsi terrore tantæ immanitatis ibi delituerant, sævo horrore occidit; suis etiam ac insontibus truculentus ac mortifer. Quibus moribus fides Sarmatharum, quæ paulo sub tribus Ottonibus aucta, tota extincta est. Nec multo post Theodoricus Marcomannus autor contemnendi Mystevonis tyrannidem immodicam in suos exercens, a Marcomannis suis pulsus, honore omni ac hæreditate privatus in mœnio, quæ nunc Parthenopolis, consenuit mendicabulum stipis ecclesiasticæ factus, tandemque misere obiit. Ipse Mystevo in ultima vitæ ætate pœnitentia ductus & ad fidrm reversus, cum ob id a suis detestaretur, exilium sibi voluntarium indixit, & in vico Bardorum consenuit obiitque pientissimus relictis filiis Udone, Anadracho, Gneo.

De filiis Mystevonis.

Cap. XXIII.

Ex liberis Mystevonis post defunctum vita patrem Udo primogenitus suscepit imperium a vestigiis paternis exorbitans exstirpator insignis factus est religionis, qui post multa, quæ crudeliter gessit, ne suis quidem parcens a transfuga quodam, qui a Sassonum gente desciverat, occisus est, merito crudelitatis suæ pretio, vir alioquin prudens ac callidus, & qui in conventu ab imperio in urbe Bennonis supra Albim celebrato non postremas consilii partes tenuerit. Cui successit Anadrachus, & Udo ac Gneus germani. Anadrachus Nicolotum filium reliquit; Udo homo sævus cito ob crudelitatem occisus Godescalcum & filiam unam. *Filii Mystevonis.*

De filio Udonis GODESCALCO & quomodo Metropolis Varinorum in sedes tres divisa.

Cap. XXIV.

Udoni Godescalcus filius vita funeris paterni ac patruele Nicoloto successit rex inclytus & ad fidem ante conversus, quam regios fasces sumeret; religionis in ætate provectiore summus præcipuusque amator, qui in annis pueritiæ prima litterarum rudimenta accepit a ludi litterarii magistro in Marione, quæ nunc urbs Lunæ; quas statim audita morte patris simul cum fide rejecit, & ab urbe navi Albim transvectus in urbem suam Venetam concessit regnique habenas suscepit. Mox orationem ad suos in urbe Veneta habuit, de ulciscenda nece paterna exercituque lecto latrunculorum potius quam militum Transalbinos adortus est, & cuncta vastans omnia sibi clade sanguinaria subjecit tanta crudelitate, ut omnes exterriti fugerint relictis sedibus. Paulo mox a cæde cessans, &, ut putavit, ære suo a Sassonum Duce redemtus, a quo captus erat, vertit ad Canutum regem Cimbrorum cognomento Gamaelem, a quo imperator exercitus factus contra Noricos rebelles ac Suevos, hostes varie affixit; Albionum etiam regem bello tentavit. Quibus bellis feliciter gestis, parta victoria regis *Cimbrorum* filiam meruit virginem speciosissimam Dyriscam, cum qua glorioſus pompa insigni rediit, a suis etiam honorificentissime susceptus, quorum plurimos convertit ad fidem. Tunc deformitatem patriæ miseratus vastata restauravit, majorum suorum omnium clarissimus acerrimusque infidelium propulsator; qui impensis suis templa multa ædificavit multaque præclara facinora gessit: nec erubuit, quæcunque *Godescalcus.*

vel

vel in teneris annis a præceptore acceperat, vel a ſacerdotibus poſt a ſe in regionem accitis audiverat, ea omnia ſuis ſermone gentili, cujus fuere ignari ſacerdotes, prædicare; religioſis etiam Veſtalibusque virginibus cœnobia donavit & vitæ neceſſaria Canonicosque undecunque legit. A ſuis deinde in Leontio in contentione, quam de religione habuit, ſimul cum Popone presbytero aliisque multis ſacri ordinis viris occiſus, ſeptimo idus Junias numeratus inter ſanctos; qui ſi diutius vixiſſet, in animo habuit, barbaras pro fide immanesque gentes adire & belli viribus convertere. Uxor marito peremto, mulier optima, Cimbrorum regis filia, a ſuis propter fidem ſpreta, bonis inſuper omnibus privata, ipſo etiam mundo muliebri ſuo, miſere in Megapoli conſenuit; in qua maritus vivus adhuc ædes tres ſacras erexit fidei perfugium. Nec tanto malo expleti Sarmatæ divum mox Anſuerum in finibus Polaborum offendunt multisque ſuorum captis lapidibus obruerunt; quos vir ſanctus impetrato, ut e vita eos migrare cerneret, ad fidei conſtantiam acerrime hortabatur: poſtremus ipſe ſuorum occiſus genubus innixus obrutus lapidibus. Joannem antiſtitem Megapoleum virum inſignem captum ſervabant ſpectaculo, quem fuſtibus cæſum ac per urbes omnes inſignes ludibrio vexatum tandem occidere in urbe Rheta, truncatis ante manibus ac pedibus, membris reliquis lancinatis ac diſſectis minutatim & in itinere ſparſis, capite tantum integro avulſo & in conto Rhadagaſo numini ſummo in Rhete delubro immolato. Bluſſonem virum optimum, qui ſororem habuit Godeſcalci regis, redeuntem, ut vulgi ſævitiam compeſceret, licentiam eorum puniturum manibus ac pedibus populatum occiderunt. Permotus tanta inſolentia Ordelaphus inclitus Saſſonum Dux annis continuis duodecim cum eis belligeravit, Sæpeque victus ac profligatus nihil in gente immaniſſima profecit, usque adeo extincta in eis contemtaque fide, ut in Varinorum urbe metropoli per annos quatuor & octoginta præſul nullus habitus ſit. Nec ceſſavit malum, donec orto bello inteſtino Rhetarii ac Venuli de ærario Rhadegaſi cum Laciniis & iis, qui trans Panym amnem incolunt, contenderent. Victi tribus bellis Rhetarii ac Venuli multis utrimque occiſis auxilium a Cimbris ac finitimis poſtulant & infeliciter pugnantes rurſus bonam magnamque partem exercitus amiſere multis interim captis & abductis, pacem coacti ære redimere; quo onuſti principes abiere metropolin Varinorum. Paulo ſupra hæc tempora in antiſtites tres partitam memorant annales relicto in Varinis Abelino, adſcito vero in urbem Polaborum Ariſtone, qui ex Solymis advenerat in Megapolin Joanne cognomento Scoto a Godeſcalco rege Obetritarum inclito honorifice benigniterque, quum viveret, ſuſcepto.

Metropolis Varinorum.

De filiis Godeſcalci Buthe & eo, qui ex Cimbrorum regis filia natus eſt, Henrico.

Cap. XXV.

Buthe ex Cimbrici regis filia natus.

Buthe Godeſcalci regis primogenitus enecato patre regia dignitate ac patrio ſolio a ſuis metuentibus, ne necem paternam ulciſceretur, privatus eſt; quocum ſimul Henricus ex regia Cimbrorum familia natus exilio damnatur, Critone Rugiorum tyranno adſcito, homine perfido indigete Rugiorum, Gryni filio viri ditiſſimi. Buthe ergo in Bardorum vicum confugit, auxiliumque popoſcit a Saſſonum ducibus, qui pro veteri Obetritarum amicitia auxilia mittentes regno eum reſtituere ſemper inviſum ſuis, tum quod religionem coleret, tum quod amicitias iniiſſet externas, donec per inſidias ſuorum a Critone peremtus eſt in arce inſigni Plona percuſſore regnum obtinente. Henricus comperta morte fratris exercitu Cimbrorum maximo ſtipatus, necem ulturus, trajecit oceanum, & primo adgreſſu proxima quæque populari, ſpoliis opimis receſſit & prædam abegit, moxque iterum ac tertio rediens Sarmathas usque adeo oppreſſit, ut pacem ab eo petere cogerentur, & regionis cum Critone ſimul potiundæ facere facultatem. Quod tanto facilius Crito permittebat, quanto ſperabat opportunius competitorem fraude vincere, quem vincere armis non poſſet. Nec dubium, quin ſublatus per inſidias brevi fuiſſet, niſi ſibi admonitus a Critonis uxore Slavina amore ejus perdite capta fuiſſet; ea enim in necem mariti adoleſcentem ultro ſollicitavit, daturamque ſe per internuncios conſilium pollicita eſt, modo in uxorem acciperetur poſt mortem. Sic Crito in nuptiali quodam convivio ex diſpoſito oebriolatus, dum januam hibernaculi cernens exit, a Cimbro ad interficiendum cum ſubornato ſecuri obtruncatus eſt; cujus brevi fama extincta, cum regnaſſet annos quatuor & quadraginta in regia aula Megapoli. Sublato itaque Critone Henricus uxorem ſuperſtitem duxit, mutata fortuna amicos plurimos nactus Transalbinos primum in fidem recepit, cumque Magno Saſſonum Duce filio ſororis uxoris ſuæ fœdus perpetuum percuſſit, multisque ſtrenue geſtis regno cuncta ab Eudora amne ad Viſurgim usque vel addidit vel reſtituit. Inter cujus facinora, cetera ejus præclara quaſi Jani foribus clauſis agris primus jura reddidit, latrunculis provinciam purgavit, ſedes novas inaugurat. Tanta ergo ejus felicitate territi Sarmathæ, a quo legibus juſſi vivere fidei, tributaque præter ſolitum annua ſolvere, pro libertate priſtina bellum ſumunt, conſerta ipſe manu, impiger, cum auxiliaribus Transalbinis ac Magno fœderato prælio acer-

acerbo de libertate in mediis Polaborum finibus cum hoste contendit in campo, cui adhuc Smilo nomen. Quo bello ope cælesti adjutus, agmine hostium a sole occiduo excœcato plurimam partem vicit, profligatosque cum conspiratoribus in deditionem compulit. Post multa tandem facta memoria digna mortuus, in urbe, quam Coloniam suam magnam primus nuncupavit, quæ & Buthe, inter Bagnisum & Travum tumulatus in lararío suo, quod in arce ibi erat; quam primus post patrem cum Buthe fratre habitavit, in qua unicum in tota ferme Sarmatharum regione sacellum, tunc cum regnasset annos circiter viginti, relictis ex quatuor filiis Suentheopolyto & Canuto: nam Mystevo præmatura morte sublatus est. Baldomarus vero a Rugiis interfectus.

De origine urbis quæ Bute & colonia magna, a Sarmathis ac barbaris Lubeca & varia ejus fortuna.

Cap. XXVI.

Lubecæ origo. Inter Travum & Bagnisum amnes loco amœnissimo, quem diu piscatores occupavere, Sarmathæ initio urbem condidere jussu Godescalci ex regio Obetritarum genere, qui arcem ibi & lararium in loco, ubi nunc divi Dominici ædes, primus constituit. Post quem, qui urbis ejus autores produntur, Lubemarus & Crito Bryni filius, aliique omnes fuere posteriores, a quibus instauratam esse concesserim. Is initio eam Buten nuncupapavit seu a filio sive ad similitudinem ejus, quam habitabant Sauromatæ juxta Meotim lacum sive certe in honorem filii Veneris, qui Bute dicitur, cui convenit nomen a Sarmathis lingua gentili inditum; Lybeca enim amiculam significat. Nec augurio falso, quum a tempore eo Oenopolium ibi unum subterraneum severis etiam Catonibus non impenetratum tot tulerit amiculas, quot nec mons, qui fingitur Veneris. Eandem Henricus rex filius ejus coloniam magnam nominavit a divitiis ac portu insigni & opulentissimo, quo subvectantur facile naves in oceanum, passuum millibus fere duobus distantem; qui & ædem sacram a patre cœptam mœnibus ac censu ampliavit. Primo bello nobilitata est, quod cum Rugiis feliciter gessit, a quorum cadaveribus Ranorum mons est dictus, quasi Rugianorum, litteris quibusdam interaneis a vulgo amissis.

Bute vocata.

Lybeca significatus.

nomen magne coloniæ.

Quomodo ab Obetritarum regno eadem pervenit ad Atuolphum Comitem Varinorum primum.

Cap. XXVII.

Lubeca fato sub Adulpho Schouenburgico Comite Varinorum primo.

Quum fortuna adversa Obetritæ premerentur, & a finitimis omnibus bello vexarentur, Gotefredus Henrici regis Obetritarum filius quique in Varinis imperitabat, Sarmathas persecutus, qui pecora suorum abegerant ac spolia alia abducebant, cum suorum viginti primariorum occisus excessit sine liberis. Meruit tunc sub Lothario nobilibus natalibus Atuolphus cognomento Schouenbergius, quem Lotharius Cæsar precibus ejus exauditis donavit regione ea rejectis spretisque Obetritis. Is fortuna secunda elatus urbem eam occupans mœnibus cinxit formidabilioremque finitimis fecit.

Qvomodo eadem ab Atuolpho pervenit in manus Leonis, & qvomodo fortuito igne absumpta.

Cap. XXVIII.

sub Leone. Leo Sassorum Dux inclytus ac potentissimus, felicitati ejus invidens, missis legatis partem ejus dimidiam sibi concedi ab Atuolpho postulavit, minis additis, ni pareret, salinarum, quas habebat, se ruinam facturum. Quam legationem malum hoc sequutum, ut tertio decimo ab origine anno igni fortuito absumeretur. A cujus ruinis haud longe Leo, ut nunquam coalescceret, aliquam statuit in ripa Bagnisi, quam de nomine suo nuncupavit, in quo emporium instituit solum frequentandum, territus immanitate, Leonis Atuolphus fundum ei totum urbis vendidit, quam Leo restauratam emporio indicto immunitatibus multis ditavit, amolitis urbis suæ cœptæ ædificiis adhuc comportatis propter portus opportunitatem.

Qvomodo a Leone sub imperium Romanum cessit.

Cap. XXIX.

sub imperio Rom. Proscripto ab imperio Romano Leone in conventu, qui in Tectosagum urbe Arctaneo sub Frederico secundo imperatore & rege Siciliæ celebrabatur, a quo Mediolanensi obsidione defecerat. Idem Federicus obsidione eam cinxit Pannonum Bojorumque regum auxilio stipatus. Quo tempore Ertenopolin Leo sponte incendit, quæ nunquam post coaluit, civibus tum de salute desperantibus, quum auxilio omnium finitimorum destituti essent, Leonis præcipue suadentis saluti suæ potius deditione consulerent, quam urbis ruinam exspectarent imperio se submisere Romano.

Qvomodo in manus Cimbrorum venit ac rursum sub Imperium.

Cap. XXX.

sub Cimbris iterumque sub imp. R.

Non multo post, quam Federicus nogotiis esset maxime implicitus, Canutus Cimbrorum rex opportunitatem adesse ratus, eam ab imperio avulsit; cui successit Baldomarus Dux Getarum strenuus, qui muro insigniter arcem primus proditur cinxisse. Annis igitur quatuor & viginti, cives sub duro jugo misere degentes a Federico tandem pristinam libertatem adepti, arcem divo Dominico dicavere, imperio Romano ad hæc usque tempora fidi, urbe reddita munitissima & adversus ignes fortuitos, quos sæpe perpessa est, latericia ædibus fere omnibus aforis conspicuis.

De Pribislao filio Buthe & Nicoloto fratre.

Cap. XXXI.

Pribislaus & Nicolotus.

Buthe, quem occidit Crito, reliquit Pribislaum ac Nicolotum filios, quamvis a suis regno privatos. Nam Sarmathæ ecciso Godescalco libertatem pristinam vindicantes reges suos pepulere, sub quibus facti fuere tributarii, parati potius mori quam aut fidem fateri aut pendere deinceps tributa Saxonum Ducibus, a quibus semel immodice prægravati, avaritiam eorum, qua laborasse eos insigniter testantur annales, perpetuo odere, fidem deseruere.

De filiis Henrici Sventeopolyto & Canuto.

Cap. XXXII.

Suenteopolytus.

Swenteopolytus & Canutus filii Henrici de regno inter se dissentientes bellum sumunt brevique tributa a patre parta dispendio amisere, vires regni bello intestino minuere. Quo nil pejus victor Sventeopolytus Germanum pepulit multisque injuriis affecit, donec obsidione cinctum in arce Plona frustra obsidione solvi precantem ad regnum ex asse se admitti orantem non multo post occideret in oppidulo Lucuburgo. Quo occiso Sventeopolytus cum *Atuolpho* VARINORUM comite arcem Herulorum obsedit eamque accepit, ac mox urbem Laciniorum. Dein relicto exercitu ipse in *coloniam suam magnam* seu Lubecam se recepit. Quo tempore *Vicelinus* ex Faldera Lutoulophum ac Volcuardum vitæ eximiæ presbyteros ei misit fidei firmatores; verum haud diu post de nece Germani lætatus a Dasone Transalbino in urbe eadem, qua fratrem percussit, interemtus est.

Arx Plona.

Vicelinus Apostolus.

De Svinicone Sventeopolyti filio.

Cap. XXXIII.

Svinico.

Swenteopolytho a Dasone interemto Svinico filius successit brevi regno & ipse lætatus, interfectus super Albim in portu Cenogno proximo, qui Ertenopolis; in quo stirps Cimbrica defecit, quod cito eventurum vivus adhuc Henricus, quo nescio numine admonitus, præfatus est, a cujus præstantia multum degeneravere filii, cujus opportune hic referemus facta reliqua.

De bello quod gessit Henricus cum Rugiis

Cap. XXXIV.

Bellum Henrici cum Rugiis.

Rugii Critonis morte comperta exercitum parant, cui Critonis quondam socios præficiunt ac ipsum Henricum Obetritarum regem in colonia sua magna, in qua regiam tum habebat, obsidione vallant inermem ac improvisum oceano & amne Travo navibus advecti. Tum rex inclytus arcis custodiam suis concredens in diem quartum in colle, quem monstrarat, affuturum se promittens, uno tantum comitatus clanculum exiliit. Hunc ergo in tempus præstitutum cum magna Transalbinorum arcis custos adventantem lætus agnoscit, iter faciens, quo hostes ventitare solebant, excubias eorum fefellit, cohibito equorum hinnitu & auxiliarem se simulans proxime castra accessit: tum deopinato eo cum suis adgressus primos in ripa incubantes peremit, factoque impetu exercitum universum deturbavit, multos occidit & cepit, multis interim mersis, qui periculum præsens effugere volentes ad naves tranare satius duxere, quæ victoria ad calendas Augustas peragitur. Manet adhuc loco a cadaverum ibi in monte sepultorum nomen, nec segnis fugientes persecutus in Rugios, eos etiam in suis sedibus perculit, insulam vicit, Venetes finitimos in ditionem accepit, omnibus inter Albim & mare barbarum Sarmatis late imperitans ad Vistulam usque amnem.

Qvomodo Rugii interemerunt Baldomarum filium ejus & de bello secuto.

Cap. XXXV.

Belli eventus.

Subactis Rugiis Baldomarum filium regno potiundo præfecit, quem mox per insidias occidere. Pater necis ulciscendæ gratia ingenti suorum manu Rugios adgreditur auxiliariis undecunque accitis, positis castris ante Juliam Augustam urbem Venetum principem. Prima luce egressus auxiliares principes humaniter compellat, primipilos, antesignanos, aquiliferos manu excipit, gratias agit omnibus. Tum profatur territos Rugios pacem ære redimere; quam rem ut indignissimam dissuasere cuncti, dedecus regi fore filio non sanguine parentare. Dato itaque belli symbolo & facto, classico ordine structo, oceanum pedibus transitant in glacie forte densissima, inter primipilos Saxo-

Saſſonum fortiſſimos locum ipſe capeſſens, primus cum Saſſonibus in acie, quod ſuum avitumque jus ipſi contendunt in bello. Territi tanta multitudine Rugii diffiſi ſibi pacem per flaminem orant humi ſtratum ante regis pedes, qua humilitate pollicitis ad hoc ex numinis ærario millibus pondo quatuor ac quadringentis injurias redemere. Mos erat erat genti non nummo ſignato uti, ſed res dare & accipere aut laminis aureis & argenteis permutare, totæque divitiæ in ærario adſervabantur numinis aut uxorum mundo erant. Non invenientes ergo tantum, unde ſatisfacerent, regem iterum bello invitant; iterumque rex per glaciem vectus tribus noctibus totidemque diebus inſulam occupavit cum Lothario Saſſonum duce coactus maturare, ne præcluderetur via, liqueſcente cœlo.

De bello quod geſſit cum Bryſis ac Toderis.

Cap. XXXVI.

um cum nden- genſibus.

Bryſas idem ac Toderas rebelles adgreſſus, cum miſſos caduceatores ſpreviſſent, bello maximo urgebat, Toderarum arcem munitiſſimam in Albis littore in monte ſitam obſidione vallavit adoleſcens tum filius Myſtevo; quem finitimorum Linorum ac Lingonum divitiæ ſollicitarunt comparato patre inſcio exercitu adſumtis ſuorum trecentis Saſſonumque ducentis omnibus equitibus per nemora biduo opaca eos improviſos adoritur, prædamque ab eis abegit pacis deſidia inermibus filiis nimis loco, in quo hoſtis raro viſus. Verum excitati Lini ac Lingones hoſtes in difficili exitu proſequuntur & gregem abactum revocant; rege tamen ſuo amiſſo & abducto, quocum & quid ferre quisque poterat pervenere in ſtativa patris. Tanta ergo fortuna territi Toderæ ac Bryſæ ceterique finitimi pacem petunt, quam obtinuere datis obſidibus deinceps ſe parituros Obetritarum regi.

Quomodo mortuo eo rege cum ſtirpe ſua regnum Obetritarum transmigravit in Cimbros.

Cap. XXXVII.

gnum O. tritarum Cimbros anslatum.

Vita functo eo, ſtirpeque fœde extincta, Canutus Cimbrorum Rex Lotharium Imperatorem Romanum adiit, ſub quo regno quondam pulſus meruit regnum Obetritarum ab ipſo muneribus corrupto non tam gratioſus quam pecunioſus accepit ſuperſtitibus adhuc regii generis adoleſcentulis Pribislao ac Nicoloto impoſito in coronam principum multorum Obetritarum diademate. Pompa ergo ingenti rediens, montem, qui victoriæ nunc dicitur occupavit; ex quo finitimos omnes ſuperavit, refractarios compeſcuit; adgreſſus Sarmathas Pribislaum & Nicolotum vinctos abduxit in exiliumque conjecit in urbe quæ Idibum quondam, ac etiam Colonia, nunc Saleſovicus dicitur; duro jugo optimi adoleſcentes preſſi vitam univerſa vix ſuppellectili redimere regnum dedidere, poſitis obſidibus in regnum nunquam ſe redituros.

De morte Canuti Regis Obetritarum.

Cap. XXXVIII.

Obitus Regis Cimbrorum & Obotritarum Canuti

Canutus Erici Cimbrorum regis filius regno a Nicolao fratre patris adulterino privatus fuit, cui Solymas petens, regnum ac parvulum commendavit Canutum. Factus ergo Obetritarum rex a Nicolao rege Cimbrorum cum filio Magno vocatus venit in urbem Saleſovicum regio diademate inornatus & regio in ſolio ſeſſitans non adſurgentem nec de more manum exoſculantem. Cimbrorum tyrannus veritus, eum per inſidias tollere cogitat. Adjecit ad hæc dolor juſtus uxoris, cui Magnus filius lacrimis querebatur, adeſſe, a quo regno ipſe olim pelleretur. Qua re intellecta abiit Canutus, nec rediit, donec Cæſar ac principes imperii fœdere percuſſo pacem inter eos firmarent. Non poſt multo magnus convocatum in colloquium ſingulare, diſuadente multis tum Ingeborgi uxore admonita in ſomniis, cum non obtemperaret, a Cimbro primum humaniter ac etiam oſculo exceptus, mox ab eo confoſſus occubuit diſſectis & paſſim membris a Clientulis Cimbricis, in contumeliam ſparſis; quem in divorum numerum relatum ob pientitatem inclytam putant. Cæſar triſti nuncio cum Rixa uxore affectus Cimbros bello adoritur; cui occurrens Rex Cimbrorum, cum tranſitum prohibere non poſſet, ære prohibere non poſſet, ære Cæſarem corrupit imperioque ſe ob culpam ſubmiſit.

De Erico Canuti ex concubina fratre & felici ejus bello.

Cap. XXXIX.

Erici bellum & fata.

Ericus, Canuti ex pellice Germanus necem multam non ferens, poſtquam ira Cæſaris muneribus corrupti elanguit, Cimbros terra marique adgreditur a ſuis mox ulturis Canutum indigne peremtum. Rex ſalutatus primo impetu infeliciter pugnans a Magno Cimbrorum rege fugatus profligatusque eſt. A *Saloſewico* urbe deinde auxilia poſcens commemoratis ante Germani beneficiis, dum diutius immoratur, obſi-

obsidione cingitur a Cimbris, quem Atuolphus liberare contendens Transalbinorum Comes, illectus centum argenti pondo a civibus pollicitis, a Magno Cimbrorum millibus stipato, qui totidem sibi pondo pollicebatur, ut abstineret; dum sui contra mandatum sparsi fractoque ordine pervagantur, primus in Thienela nemore præcurrentibus, quum postremi ab *Egdoræ* adhuc amnis ripa pendent, vertitur in fugam auxilio suorum vix elapsus receptusque per Egdoram amnem mult s suorum occisis ac captis. In Scandianiam interim Ericus pervenit benigne hospitaliterque recep us, ultro exercitu stipatus persequente n Magnum die pentecostes sacro pugnare non dubitantem suis dissuadentibus collatis signis cum multis occidit. Tanta victoria clarus a suis jam & Cimbrorum rex salutatus est. Emonque in laudem cognominatus, quasi memorabilis, Nicolaus in Salo evicum confugiens a civibus Canuti partes foventibus misere interemtus, meritas supplicii pœnas luit juris violati.

Qvomodo a Cimbris regnum Obetritarum remigravit.

Cap. XL.

Extincta stirpe Cimbrica regnum Obetritarum redit ad Obotritas.

Sublata stirpe Cimbrica Pribislaus & Nicolotus regnum repetunt auxilioque Henrici Saxonum Ducis, cui tributarios se fecere, facile obtinuerunt. Pribislao itaque Varini cessere, & a mari omnia ad Travum usque Nicoloto Megapolis & Lacinii. Truculenti præter spem ambo fidei templa a majoribus condita vastarunt, lucos & penates coluere numina majorum adorantes; suis insuper facti sunt sævi. Pribislaus ergo lecto exercitu Varinos rebelles compescuit, victoriæ montem incendio absu nsit. Rugii tunc injuriarum præteritarum memores in colonia eum magna adgressi urbem cep ere eamque Duce Race simul cum arce destruxere. Transalbini quoque adjuti ab Henrico Comite tunc vici Bardorum eum bellis oppressere, arcem ejus Plonam cepere, & omnes ibi inventos occiderunt. Nicolotus futurum periculum metuens fœdus cum Atuolpho Varinorum comite percussit cumque eo in magna pace aliquamdiu vixit. Ea primum tempestate Atuolphus victoriæ montem bellis vastatum restauravit, pulsisque Sarmathis novos accivit colonos, Morinos, Batavos, Aremoricos, Frisios, quibus agros divisit, in quo Lotharius iis Imperator cœnobium primus instituit. Rupto mox inter Aduolphum & Nicolotum fœdere, Nicolotus navibus vectus per Travum colonos superinductos adgressus trecentos eorum cepit, naves eorum spoliatus vel abduxit vel incendit arcemque montis victoriæ duobus diebus viriliter oppugnavit.

Qvomodo Imperium Romanum conspiravit contra Nicolotum ut sub fidem eum ac Imperium jungeret.

Cap. XLI.

Consilia imperii contra Nicolotum

Eugenii Pontificis Maximi tempestate Germani & Galli maxima multitudine sub Cæsare Conrado ac Ludovico Gallorum rege expeditionem fecere ad convertendos ubique infideles. Venere ergo per Pannonas Byzantium, & Byzantiorum imperatore comparandi commeatus itinerisque facultatem orantes, cum audisset illos fidei augendæ gratia adesse, facile impetrarunt. Quorum sortem imperator Byzantius in tanta difficultate pensitans ingemuit vehementer multitudinem lectissimam miseratus, per invia post vastosque montes procedentes, imbribus, tonitru, fulgure, nimbis attriti a proposito desistere coacti sunt, rege jam valetudine correpto. Pars itaque in Hispanias vertit Vlixbonam urbem potentissimam idololatramque rogatu regis Hispaniarum convertere ad fidem: pars Nicolotum Obetritarum regem adgreditur, quorum territus adventu arcem Dobynani vallis & aggeribus firmissime munivit, ibi ratus hostium expectare adventum, Atuolphum Transalbinorum comitem pro veteri amicitia orat suppetias; sed nihil exorat. Violato ergo jure jurando Nicolotus fines ejus ante hostium adventum ingreditur primoque impetu in Travo amne trecentos suorum occidit, naves exussit; ex colonis novis, qui pulsis Sarmathis ibi consedere, Morinis, Batavis, Aremoricis, Angrimariis, Frisiis multos occidit pecoraque eorum abduxit. Qui ab imperio adversus Nicolotum ventitabant, in duas se partes divisere: alteri Dobynam, Demynem alteri obsidione cinxere, advocatis etiam Cimbris, quo Sarmathis formidabiliores essent; verum Nicolotus Cimbros adventantes improvisos in castris adortus in littore oceani multos eorum occidit, multosque cepit a Germanis & Gallis indefensorum, qui præsens periculum spectantes juvare non potuere, flumine intermedio. Turbatus ea clade exercitus init fœdus, quo Sarmathæ fidem suscipere promittunt, quam haud longius fatebantur, quam hostes ex agris abiere; mox & in Cimbros Sarmathæ impetum fecere. Territus gentis immanitate Atuolphus pacem orat ac impetrat; quo facto captos redemit, patriam restauravit.

De bel-

De bello, qvod geſſit Nicolotus cum Rhetariis ſuis.

Cap. LXII.

Bellum Nicoloti cum Rhetariis.

Bellantibus Laciniis ac Rhetariis Clementiam Nicolotus feminam inclytam adiit in urbe June; quo tempore Leo Saſſonum Dux ejus maritus in Germania prima inter Noricos egit: a qua impetrato auxilio millibusque duobus ab Athuolpho Transalbinis rebellium loca vaſtavit, urbem Rhetam cum idolo demolitus, non ante belli finem fecit, quam æris ſumma maxima injurias redemiſſent.

De bello, qvod gesſit Leo cum Nicoloto.

Cap. XLIII.

Henrici Leo bellum cum Nicoloto

Leo Cæſari Friderico in Italiam proficiſcenti opem laturus, Nicoloto interminatus eſt, ne aut Cimbros bellis interim vexaret aut finitimos alios turbaret. Verum Baldomarus Cimbrorum rex bellis ab eo interim plurimis oppreſſus redeunti Leoni injurias queritur; unde mox congregato exercitu, Albim ſuperat. Nicolatus urbibus ſuis ac mœnibus diffidens, Megapolim, Ilium, Marionim, Dobynam ſponte incendit, arci tantum Herulorum in Warne amnis ripa ſitæ pepercit, ſub idem tempus Pribislaus & Vratislaus filii Nicoloti urbem, quæ Colonia magna, per inſidias adgreſſi cepiſſent niſi Athelo arcis cuſtos pontem prævenisſet, iterque præcluſiſſet. Leo itaque Megapolin cepit Ilion Marionim ac finitima; Nicolotum cum filiis fugere coegit in arcem Herulorum tum munitiſſimam.

De morte Nicoloti & jactura periculoqve Leonis.

Cap. XLIV.

Nicoloti Leonis exitus Nicoloti.

Leo fugientes perſecutus itineris ignarus interceptus a Nicoloti præſpeculatoribus bonam magnamque exercitus partem amiſit. Multi etiam a Nicoloti filiis, dum incaute frumentant, occiſi; quos invicem perſequuti hoſtes optimates eorum ceciderunt, vix evadentibus regulis male ob fugam a patre acceptis. Eam jacturam ulturus pater & ipſe frumentantes obſervans eos adgreditur, a quibus ſtratagemate militari falſus, armis ſub veſtibus conditis ſariſſam fruſtra intorquens, a turba circumventus, ut ignotus occubuit. Caput perlatum in caſtra protinus cognitum, cujus comperta morte filii arcem Herulam incenderunt, in ſilvis ſe condiderunt.

De filiis Nicoloti regis Pribislao & Vratislao, & qvomodo Guncellinus, factus ſit primus Comes in MARIONE, qvæ vulgo Sverinum dicitur; qvomodo Bryſe ac Todere in poteſtatem Marcomannorum venere & inde Marcomanni novi dicti pulſis Sarmathis.

Cap. XLV.

Filii Nicoloti Pribislaus & Vratislaus

Amiſſa plurima regni parte & patre viro inclyto Pribislaus & Vratislaus filii hoſtes ex ſilvis tantum infeſtabant, a quibus per hiemem in arce Herula adgreſſi. Vratislaus cum nobiliſſimis Sarmatharum obſidione cingitur, quem aggeribus & tormentis, præſentibus oppugnant, ipſumque adoleſcentem ſagitta vulnerant. Ad hæc Atuolphus interim rupto fœdere hoſtibus auxilia tulit, qui a Pribislao, dum incaute pabulatur, profligatus centum ſuorum amiſit. Succenſus furore Leo arcem expugnaſſet, niſi interprete Atuolpho Vratislaus ſe & arcem dedidiſſet, Cimbros, quos in vinculis inibi conjecerat, manumiſiſſet. Captus Vratislaus in urbem Tuliſurgum, quæ Brunonis nunc vicus, dicitur. Leo & *Guncelinum* virum bello clarum Ilio ac Marioni præfecit; a quo paulo poſt Comes nuncupatus Megapoli *Henricum de Scacis* ex Morinis cum multis ſuorum accitum, cujus durat adhuc familia, ceteraque Obetritarum genera militibus diviſit Angrimariosque in Polabos induxit. Pribislaus dolore capti fratris percitus Megapolin vacuam cuſtodibus adhibitis tormentis, cum ſe dedere nollent, cepit, Morinos ibi inventos omnes occidit, numero ſeptuaginta; quos tumulavit eorum antiſtes, qui ſedem tunc ibi habuit, arce incenſa & everſa, quæ nunquam poſt coaluit. Dein Ilium adgreditur & Sarmathis, qui forte arcis cuſtodiam tenuere, injurias primum quæritur, Guncelinum adventantem cum ſuis in fugam vertit, parumque abfuit, quin cepiſſet; demum Malacham urbem obſedit, Cuſtinum ejusque arcem vicit, demiſſis tuto cuſtodibus per Albim. Indignatus ergo Leo Vratislaum Pribislai Germanum ante urbem Malacham ſuſpendio afiecit in arbore, Obetritarum regnum totum iterum vaſtavit. Pribislaus auxilio deſtitutus ad Venetum Duces profugit, quem Leo magno Marcomannorum Transalbinorumque & Cimbrorum exercitu terra marique perſecutus eſt. Occurrit interritus Pribislaus parumque abfuit, quin ipſum cepiſſet Leonem in commeatu comparando intentum. Collatis poſt ſignis Sarmathæ Athuolphum virum inclytum

Guncelinus Comes Sverinenſis

Henricus Leo occupat Megapolin & vincit Slavos

tum Transalbinorum Comitem occidunt multosque ſuorum nobiliſſimos, captis etiam caſtris a Guncelino, qui cum equitibus affuit trecentis, fruſtra defenſis. Reſtaurato bello Duce Leone vincuntur Sarmathæ, multis utrinque occiſis cadaveribus paſſim campo completo. Cecidere eo prœlio Sarmatharum millia duo quingenti. Ipſe Pribislaus ad Caſimirum & Booslaum Duces Venetum confugiens, benigniter ab eis acceptus eſt. Leo in patriam revocatus ob præſentiam legati Imperatoris Byzantiorum bellum imperfectum dimiſit. Pribislaus itaque injurias ulturus Cimbros omnesque Leonis auxiliarios cæde ac rapinis deturbavit, donec inclyti Venetum duces adventum Leonis veriti Pribislaum abſtinere admonent. Sic tandem Chriſtianis inferre damna deſtitit amiſſo regno & nobilitate præcipua ſuorum, ſuperſtitibus in Sorabos, Bojos, Venetos & proximas gentes confugientibus, quærentibus ſedes. Quam jacturam & alia clades ſecuta eſt; nam qui ſuperfuere Bryſæ ac Toderæ a rege indefenſi ab Alberto cognomento Urſo, Marcomanno avulſi regno primum ab Herulis venere in manus Marcomannorum; a quibus Marcomannæ novi in memoriam nuncupati. pulſis Sarmathis ac ſuperinductis Morinis, Menupiis, Bethaſiis, Batavis, Uſipethibus, & Teneteris, ac Angrinanis Chaucis-

Qvomodo Leo antiſtites inſtituit & duos comitatus Polaborum & Varinorum fecit, & qvibus temporibus in ducalem dignitatem ſint promoti.

Cap. XLVI.

Epiſcopos inſtituit & Comites.

Leo tanta victoria inclytus in Sarmatharum ſolo ſedes antiſtitibus primus erexit; quæ cœptæ a majoribus tuis, princeps illuſtris, bellorum tumultu interiere, antiſtites ipſos fidei ſuæ obſtrinxit; commilitonibus agris diviſis, qui propter ſoli fertilitatem hic manſere. Pribislaum anguſtis condictionibus excluſit, Herulorum arce ac Laciniis juſſum eſſe contentum, datis Polabis Bernardo nato & Anartium familiæ, Transalbinis Atvolpho, a quibus ſub Federico Cæſare facti ducatus. Quo Leo dominatu ſuperbiens æmulos multos accumulavit, Thurios, Marcomannos, Ubios, Transalbinos, Friſios, ipſumque cumprimis Federicum Cæſarem, a quo ex Italia, cum Mediolanum obſideret, renitente receſſit.

Qvomodo Pribislaus & fratris filius Nicolotus, regnum nacti, fidem ſuſcipiunt, & qvod illi ſint veri templorum autores hic erectorum.

Cap. XLVII.

Exule Henrico Leone Pribislaus & Nicolotus reſtituunt regnum recipiunt.

Exulante apud Albionum regem Leone Pribislaus in regnum redit cum Nicoloto & Vratislao Germano nepote. Pribislaus ergo Gvoislavam regis Noricorum filiam duxit uxorem; a qua fidei devotæ Chriſtianiſimum eruditus fidem cum Germano ſuſcepit, a Geroldo Varinorum antiſtite baptiſatus cum germano ac aulicis in Megapoli, mox fide ſuſcepta omnia, quæ a Leone principe rei divinæ deſignata, robore perpetuo publicitus firmavit, additis etiam a ſe multis. Quo tempore titulus ejus erat: Pribislaus DEI gratia Obetritarum, Kiſſinorum, Circipanorum ac Sclaviæ totius rex.

Titulus Pribislai.

De factis eorum egregiis.

Cap. XLVIII.

Doberanum cœnob. conditum, itemque arx Lacinia.

Candidati adhuc fidei e loco, cui etiamnum Doberano nomen, idola dempſerunt a populo coli ſolita, cœnobium- que in loco ditiſſimum erexerunt; quem locum Sarmathæ ut idololatriæ pernicioſiſſimum ſemper odere. Nicolotus ære ſuo arcem erexit inſignem in urbe Lacinio idololatris proceribus omnibus inviſam; ex qua templum inſigne factum divo Petro a poſteris dicatum eſt.

Qvomodo Obetritæ eorumqve antiſtites homagio ſunt liberati.

Cap. XLIX.

Henricus Leo proſcriptus.

Cæſar Federicus in urbe Tecroſagum Arctauno ex Italia reverſus Senatui Imperii in procerum omnium Germaniæ conventu ampliſſimo Leonis inſolentiam conquerens damnandum eum ſententia cenſuit & ob merita in exilium proſcripſit, obnoxiosque omnes fidelitate abſolvit.

De ſacramento in Doberano verſo in ſangvinem.

Cap. L.

Miraculum ſanguinis ſacri Doberanenſis.

Nupera tunc inter Sarmathas fide opilio, qui lupis fere infeſtabatur gregem lacerantibus animatus, evangelii hortamento, ſolum Chriſtum bonum eſſe paſtorem, corpus ejus ſumtum condidit in pedo eoque circumitans ſemel iterumque gregem nihil toto anno jacturæ a lupis accepit. Tradidit dein diligenter uxori cuſtodiendum, quæ concidit in grabato. Recepta forte in Magale muliere peregrina, lumina duo omni jugiter nocte ardere

dere cœpere, quod præter nemo videbat, donec præmonſtrante ea opilionis uxor dignata videre eſt, revelata ab uxore opilioni rei raritate. Uxor admonita pedum diligentius obſervat in riſcum conditura, quantoque abſcidit brevius tanto quadrat minus, ita coacta inter ſtramenta condere, divinitus tandem orta eſt inter mulieres controverſia, quum vapularet peregrina etiam ab opilionis uxore, res ad loci præfectum pervenit: quo arbitro cum multis viris religioſis, qui forte aderant, veritatem ſpectante in pedi rima ſanguis purus, rutilusque inventus eſt; quod miraculum externi quoque præſentia ſua venerantes locum reddidere inſigniorem; in quo Obetritarum ab eo tempore reges jus humandi habuere.

De profectione Pribislai in Solymas & morte ejus ac fratris.

Cap. LI.

Henrici onis & ubulai r Hieroſolymitanum.

Leo ab exilio rediens, quod triennio apud Albionum regem ſuſtinuit, cujus habuit filiam; quo tempore divus Thomas in Cantio urbe miſere occiſus, martyrii diadema meruit, Solymas ire ſtatuit. Accepto itaque ſecum Pribislao rege Obetritarum inclyto, cujus fortitudinem ac animi præſtantiam plurimum poſt geſta bella probavit eumque ſummo honore proſequebatur, venere feliciter Solymas a Sultano honorifice excepti & a Byzantiorum imperatore elephantis quinque & equis canteriis ac raſcianis mille donati ſinguli ſingulis, gloria ingenti reverſi. Pribislai interim uxor regii generis filium edidit Henricum cognomento materno Burvinum. Nec multo poſt in urbe Lunæ ſpectaculo ludum haſta equo militariter faciens, hoplomachi neglectus incuria fracta cervice diu ſpirans tandem exſpiravit, ſepultus ibi honorifice in monte Lunæ; verum non multo poſt ſui impetratis oſſibus reliquias condidere juxta uxorem in æde, cui plurima vivus dedit. Sarmathæ comperta morte ejus a fide omnes deſciverunt, Doberanum tanquam fidei propugnaculum vaſtarunt, religioſorum multos occiderunt, loco annos ſeptem reddito deſerto reſtitutis numinibus a ſe priſcis. Nicolotus inſolentiam tantam ulturus Lutetios adortus ab eis vertitur in fugam in arcem vix Lacinii ſuam receptus, a ſuis poſt cum octoginta ſeptem occiſus, ſortem inter divos conſecutus eſt. Situs juxta germanum ejusque uxorem, cujus ſepulturam honorarunt præſentia ſua Vratislaus dux Venetum, Jeremarus Rugiorum. Reſtitutoque cœnobio omnes deinceps poſteri ibi tumulati ſunt, Sarmathis in fide firmiter durantibus.

bbera- m a Slavis ſtatum.

De Henrico filio Pribislai.

Cap. LII.

Hinricus Burvinus.

Henricus cognomento Burvinus, Pribislai filius, vir inclytus, in quo primo regius titulus cecidit, urbes ubique vaſtatas ac mœnia reſtauravit immunitatibus ornans. Uxorem duxit Mechtildim filiam regis Sarmatharum virginem virtute inſignem, quæ prima condidit monaſterium in campo ſolis; quod poſtequam ibi duravit annis octo; propter loci inopportunitatem tralatum eſt in novum monaſterium. Poſt multa facinora clara, quæ geſſit, ſepultus apud majores relicto Henrico & Nicoloto filiis.

De filiis Henrici Burvini & qvomodo regnum diviſum.

Cap. LIII.

Filii ejus & diviſio regni

Succeſſit Henricus cognomento Burvinus junior & Nicolotus germani regnum dividentes: huic Megapolis ſorte obvenit, qui nec multo poſt fracta cervice exſpiravit in Gadebus apud majores ſepultus, qua tempeſtate diva Heliſabethes ex Amiſui in divorum numerum ceſſit, & divus Franciſcus fato etiam conceſſit; illi Heruli ceſſere cum finitimis, qui duxit Sophiam filiam regis Svevorum, ex qua ſuſtulit Joannem, Nicolotum, Burvinum, Pribislaum & filias duas. Primus ipſe canonicam vitam inſtituit in Guſtro, Herulorum urbe in divæ Cæciliæ honorem; cujus ibi reliquiæ miraculis claræ: in cujus quondam die tota Herulorum regio ad fidem rediit; in cujus templo tumulatus eſt, uxoris vero oſſibus in Dobberano.

Qvomodo iterum diviſum Regnum.

Cap. LIV.

iterata diviſio.

Id anni ſeniori ſorte jacta acceſſit Megapolis, Burvino Lacinium, Nicoloto Guſtro, Pribislao Aliſtus ac mons dives. Is omnium fortiſſimus ac ſuorum æmulus, Chriſtianis truculentus, virginem in clypeo picturatam geſtavit, quam ſolebat adorare. Pro fide icaque antiſtiti Marioneo bellum induxit, urbem mox ejus Peucinum, in qua habitare ſolebat, exuſſit; nec multo poſt inter inſultus improviſus ab equite quodam aurato captus in manus venit antiſtitis, nec ante dimiſſus, quam divendito Aliſto ac univerſo patrimonio fratribus, monte tantum ſtellarum retento, ſe liberavit. Liberatus uxorem duxit Myſtevonis ducis Venetum filiam; diſtractoque ſtellarum monte nepoti ex fratre Henrico in arce Bellegarda, quam

cum

cum uxore dotem accepit, extra patrium ſolum in Venetis cum ſocero conſenuit ſine liberis mortuus.

De Joanne germano ejus.

Cap. LV.

Joannis elogium & fata Joannes puer adhuc ab avo in Luteciam Pariſiorum urbem inclytam miſſus, prima ibi litterarum rudimenta accepit; tantumque profecit, ut interpres litterarum divinarum in auditorio publico de more ſit nuncupatus, annos viginti ibi militans ſub optimis præceptoribus. Fuere ſub idem tempus ibidem Symmiathete regis Maſſiliæ filius & item filius regis Cypri ac Sardiniæ, quibus ſorores duas matrimonio copulavit, nato ex hac Cardinale titulo de Neapoli, ex illa vero titulo divi Lucæ; ipſe ſororem condiſcipuli duxit Lutgardim filiam Heromanni Comitis Hennebergii ex Tectoſagum gente, in cujus ſolatium arcem cognomento novam condidit in ripa Verpi amnis in monte in agro Megapoleo ſitam, ut Tectoſagum rem repraſentaret, exſtantibus adhuc monumentis. Ex qua ſuſtulit Henricum, qui poſt Dux Megapolenſis nuncupatus, virum inſignem; Nicolaum, quem ſacris mancipatum canonicum fecit in *Parthenopoli* ac urbe *Hammonis*, præpoſitum templi urbis Marioneæ; Heromannum cognomento Poppummitio in colonia magna præpoſitum, & religioni poſt devotum cruce inter Bructeros inſignitum Albertum, qui duxit filiam Nicoloti de Herulis, cujus tempeſtate Græcia univerſa miſſis legatis, eccleſiæ ſe Romanæ ſubmiſit, qui obiit ſine liberis; Joannem, qui adoleſcens ſacris mancipatus in *Aſcalingio* ac *Marione* urbibus canonicus facti pœnitens uxorem duxit Comitis Ravenbergii, in Cadebus ſepultus; a quo tota ejus hereditas in Megapoleos tralata eſt. Nam Joannes filius ejus, quum duxiſſet uxorem Guislai principis Venetum, ſive, ut quidam habent annales, Rugiorum filiam Helenam in monte ſtellarum celebratis nuptiis, brevi poſt venationi operam daturus, in *paludis* introitu inſulæ e regione urbis Wiſmariæ, orto forte turbine, cum multis ſuorum ſubmerſus eſt, uno tantum, diu quidem urinante, poſtea tamen emergente, Joanne Juba venatore a vel tribus duobus numellis cinctis extracto; ægre duce ultimoque inter exanimes invento, ſepulto Wiſmariæ in æde Obſervatorum; a quo poſthuma Lutgardis, quæ conſilio poſt Leonis Obetritarum, qui fuit ejus patruus, nupſit tribus per tempora diverſa Comitibus, quorum primus Gerardus de Hoja, alter Atvolphus Comes Transalbinorum, tertius Guntherus de Linogibus, Joannes itaque tot filiis clarus, litteris clariſſimus, in ſolo parvo ſplendidiſſime vixit: adverſus barbaros cum Henrico filio expeditionem fecit, Rigam *Hellevionum* urbem inclytam fidei adſcivit; mortuus poſt & in Cadebus ſepultus, qui primus virgines Veſtales inſtituit Renis, filia tantum una ſuperſtite, quæ conſilio poſt Leonis nuptui tradita, qui tote ære redemta Gades retinuit in locum, quas ſolo ſuo adjunxit. Cui ſucceſſit filius Henricus vir præſtantiſſimus, ex quo natus eſt Leo Obetritarum.

De Henrico filio Joannis.

Cap. LVI.

Succeſſit Henricus filius natus in Helle- *Henricus filius.*
vionum urbe Riga, quo tempore pater barbaras gentes cum uxore præſente domabat, cujus in Megapoli regia. Bellis a patre & moribus ingenuis exercitus filiam duxit Barnimi ducis Venetum Anaſtaſiam tam ſpecioſiſſimam, quam ſummis præditam virtutibus, ex qua ſuſcepit Joannem & Henricum cognomento Leonem & Lutgardim filiam.

De profectione ejus in Solymas, in qva captus annis viginti qvinqve, rediit tandem.

Cap. LVII.

Soltanus Babylonis rex tempeſtate ejus *Qui Hieroſolymitanus dicitur.*
vaſtata Armenia Antiochiam inclytam urbem cepit, omnibusque in ea viris ac feminis cum ſobole ſua occiſis ſolo æquavit. Miſeratus ſortem indignam Ludovicus Gallorum rex æquiſſimus in Aſiam expeditionem facturus adſumtis duobus filiis regem Hiſpaniarum conſortem ſcripſit, cum maximoque procerum exercitu abiit; orta mox peſte alter filiorum mortuus eſt, quem pater fato ſecutus luctum ingentem turbæ intulit coactæ paullo poſt re imperfecta reverti. Excitatus vir inclytus Henricus hac fama, ne aſymbolus haberetur, expeditionem eam inſtituti tam egregii ſequutus eſt; quo tempore & Ervardus Albionum rex Tunicium bello urgens, in deditionem compulit; Quum itaque re imperfecta Galli reverterentur, Solymas itans, a Cilicibus in templo violatis ipſius duplomatis captus eſt, acerbitate illati paulo ante belli ſuccenſis. Dimiſſa procerum turba, ipſe uno comitatus Martino Bleyger a Solymis Damaſcum, a Damaſco Memphim quæ vulgo Alcayrum, perductus eſt, & in *Fata ipſius.* vincula conjectus annis viginti quinque ibi exculavit, a comite alitus, qui textrinam doctus opera Attalanica, patagiata & holoſerica fecit. Fuere captivitatis ejus

ejus tempore Soltani duo, qui de more regia corona adsumta vinctos omnes carcere liberantes, eum liberare nequivere, tum quod ex regio stemmate vultu insigni & moribus fultus multo haberetur, quam erat ditior tum quod cum patre adolescens Hellevionum gentem fidei adsciviſſet, incredulos undecunque damno affeciſſet. Anastasia uxor digniſſima infelici nuncio tristis omnium usa principum favore regis Gallorum præcipue eum neque litteris nec ære redimere quivit, anno captivitatis vicesimo quinto pridie natalium sacrorum Christi tertius Soltanus electus in Memphim pompa insigni pervenit, convocato urbis senatu vinctos jubens liberari facile impetravit; de Obetritarum vero regulo frustra oravit, quem tot annis servatum, spem multarum olim divitiarum non ducebant ceterorum more gratis solvendum. Acerbatus responso eo Soltanus eum omnino edixit liberandum, nec ullam rationem habendam in eo vel dignitatis vel divitiarum, quas ex eo sperabant; itaque coram virum in carcere conveniens eum invitis suis invitum etiam ipsum liberavit negantem redire ad suos, uxorem ac liberos caussantem mortuos, solum in aliorum esse manu, pauperem se potius agere velle inter gentes externas ac ignotas, quam inter suos, a quibus forte non agnitus duriter acciperetur, animatus a Soltano, omnia domi salva esse; se vero esse, qui Boardarum magister sub patre in Hellevionum gente militasset sollicitatum Asiæ divitiis, perveniſſe multis periculis in locum tam insignem; velle sibi ob accepta a patre bona gratias referre, mox solutum donatumque muneribus, omnibus ostensum, holosericis insuper vesti tum dimisit tuto in Aconem urbem; in qua apud colliristam, cum a Venetorum urbe solveret, aureum nummum duo millia deposuit, quos desperatis rebus nummularius in rem suam vertit, qui honorificenter eum excepit; post dies aliquot nauclero ab eo commendatus in medio in Venetos itinere a piratis captus ac rebus omnibus spoliatus, iterum ad Soltanum perductus est admiratus rex hominis fortunam simul & nummularii factum improbans, rursus eum muneribus donavit & insuper parte crucis Dominicæ; ac dimisit tuto in Cyprum insulam, exceptus a regina Cypri honorifice nepte ex fratre patris, quæ jam pridem in barbarorum vinculis eum deperiisse putaverat, refocillatus, lætus jam inde muneribus etiam donatus, & de auro depositorio recipiendo factus certior classe solvit in Massiliam a nepte ibi benigniter susceptus agnitus sororis reginæ Cypri litteris, in Tectosagum ejus auxilio solum venit ad amicos; ab his in Parthenopolim hospitaliter ubique habitus. Transito dein Albi flumine, ubi filium Henricum cognomento Leonem arci *Gelasine* demoliendæ intentum audivit, in qua latrunculi ab eo obsessi, qui incolas pariter ac viatores usque quaque populati, ei adventum suum per nuncios aperuit, perculsus animo Leo Anastasiam matrem dimisso exercitu in Wisimaria compellat, quæ a duobus ante fictitiis elusa, quorum alter ob crimen in flumine, qui *Stepenus* haud procul urbe *Mola* mersus mendacii pœnas dedit, alter ante *montem stellarum* in cinerem solutus, rursus fraudem metuit; præmissis tamen equitibus auratis duobus, relictis filiis quondam parvulis tutoribus, vultum virumque agnoscit, lectumque lacrimis obortis, ex pilento prosiliens, complectitur brachiis, ceteris quoque præ gaudio collachrimantibus, exceptus cum filio arcem adhibitis machinis barbarorum, ut viderat, instar brevi cepit, latrunculos inibi deprehensos omnes cruci affixit, arcem solo æquavit; post in Wisimariam veniens, a præcedentibus senatu & proceribus ac clero summo gaudio inter tecta frondea peripetasmatis passim amicta exceptus est; Crucis tunc sacræ munus templo divæ virginis laudante in choro Dominum cernuus obtulit, & in solo natali vetus post hac inter suos consenuit, exilium perpetuo damnans, nam:

Mortali generi patria quid dulcius exstat?
Quid gravius misero? si longis finibus errans
Sit procul a patria, vitam tolerare coactus
Externas inter gentes ignotaque jura.

Partem post reliquiarum divo Francisco ibi dicavit, partem loco, ubi majorum conditorium; ubi inter majores suos situs est: virginem etiam unam, quam ex Asia secum adduxerat, Vestalem fecit in *Renis*, purpurdica pro ea data.

De filiis ejus Henrico, Leone dicto ac Joanne & Lutgardi filia.

Cap. LVIII.

Henricus filius ejus sub postliminio, juvenis adhuc cum fratre Joanne regni fines tuendos a matre coactus susceptit, ambo a teneris annis ad belli munia ingenue exerciti. Joannes etiam a Gadebus patruus eorum statim compertis patris vinculis pueris eis insidias paravit invitorum tutelam susceipere contendens, quos parum abfuit, quin juxta Renas cepisset, dum matris convivio eos circumferret sororem in Polabis Ducis Sassonum uxorem visuræ, nisi alterum ipsa sub sinu, alterum item pediſſequa occultasset; urbem etiam eorum Molam *Filii ejus & filia.*

lam comitis adgreſſus noctu, locis ante finitimis omnibus vaſtatis, per inſidias capturus locum, a civibus fortiter tutantibus fœdo exitu profligatus admonente cives presbytero, qui ara relicta & ſacris primus in muro cum ceteris hoſtes deturbavit. Quos inſuper auxilio Wiſimariorum ac Laciniorum perſequentes multos eorum occidere, inſolentiamque ejus minutis viribus compeſcuere.

De uxoribus Leonis.

CAP. LIX.

Uxores Henrici Leonis Ducis Mecklenb.

UXores Leo tres duxit, primam Beatricem filiam Alberti Marcomanni, acceptа cum ea dote ſolo Venulorum, ex qua filios tres ſuſtulit & filias duas, qui præmatura omnes morte ſublati; quæ ſepulta Wiſamariæ in æde Obſervatorum cum liberis omnibus quieſcit, præter Mechtildin, quæ nupſit Ottoni Duci urbis Lunæ, clara ob virtutes miraculis. Duxit dein Annam viduam Comitis gentis Thuriorum, Lutoulphi Saſſonum Ducis filiam, quum rediiſſet ex electione Cæſaris Lutoulphi Ducis Noricorum, quas nuptias in Domicio urbe in Albis littore ſita celebravit; ex qua ſuſtulit Henricum qui in tenera ætate obiit, Albertum & Joannem; filias vero Annam & Agnetem, quæ eſt ſepulta in læva Beatricis. Grandævus jam tertiam duxit Agnetem, filiam Comitis Linogum Guiſslai principis Rugiorum uxorem quondam ſuperſtitem, cui propter nuptias donavit montem ſtellarum.

Qvomodo principes erternos, hereditatem capto patre erepturos bello ingenti ſuperavit.

CAP. LX.

Bellum abſente patre geſtum.

EXulante jam in Aſia patre Sorabi Thurii, Saſſones, Tranſalbini omnes uno exercitu facto venere erepturi e pupillorum manibus ducatum qui erat tunc inter urbem, quæ Mola Comitis dicta, ac Gades. Anaſtaſia femineo terrore exuto hoſtibus cum pueris ac proceribus regni occurſans divum Franciſcum aquilifero præferente, cui primo lapide ipſa ædem Wiſimariæ ſacravit, in quaque poſt cum liberis concilio ibi accumbente præſens eximia humilitate miniſtravit, hoſtium plurimos præter opinionem omnium cecidit, multosque in deditionem cepit præmium pientitatis ſuæ anni ſuperioris inſigniter experta equis & armis hoſtium longe ditioribus redditis filiis.

Qvomodo Henricus Leonis nomen adeptus eſt.

CAP. LXI.

Cognominis ratio.

ORta de imperio Romano inter Albertum Pannoniæ ſuperioris Ducem ac Atuolphum comitem de Anaxonibus diſſenſione a Marcomannis ſociis ſollicitatus Alberto in Bois tunc agenti auxilium tulit cum armatis quadringentis caſtra habebat tunc Albertus in oris Bojorum extimis factoque rumore omnes præter unum Henricum principes auxiliarii retroceſſere, qui ſolus dare terga hoſtibus nondum viſis viro principi convenire negavit; ſuo itaque periculo eos triduum expectans, cum nemo prodiret, ad ceteros retro rediit, qui animi omnes præſtantiam ad cælum laudibus extulere, & Leonem quaſi Herculem, quo nomine vetuſtas viros fortiſſimos decoravit, cuncti nuncupavere; a rege inſuper honorificentiſſime ſuſceptus, nummum aureorum tribus millibus ſupra juſtum ſtipendium donatus eſt. Quo ære ditatus Venulorum jus univerſum ab Alberto & Ottone Marcomannis redemit: a quibus arbiter factus, cum ante profectionem eam antiſtites eorum alter agri Bryſani, Toderarum alter ab eis diſſentirent, nec vir inclytus auxilia præſtiturum ſe, niſi compoſitis rebus, dixiſſet, in Menio fœdus inter eos percuſſit.

De nuptiis Sororis ejus Lutgardis.

CAP. LXII.

Sororis Lutgardis nu

LUtgardis ſoror Duci Sarmatharum Pribislao, ut quidam, Cheruſcorum, ut alii, Limiſſaleorum ante patris etiam Solymas exitum deſponſata, ſummis præditа virtutibus, a marito poſt celebratas nuptias perſuaſu ſocrus ob ſterilitatem in cœtum virginum Veſtalium ire juſſa eſt; factura niſi a noviſſet Germanis rem ignominioſam. Vitæ igitur ſuæ magis ac magis timens omnia facinora de more confeſſa eſt ſacerdoti, dumque in conclave a marito vocatur, oſculo excepta pugione ab ipſo confoditur, a miniſtris inſuper conſciis ſtrangulata, ſepulta Caletii urbe mariti, clara miraculis.

De ſpectaculo, quod ea tempeſtate exhibuit juxta Lacinium Ericus Rex Cimbrorum.

CAP.

Cap. LXIII.

Erici Regis Cimbrorum torneamentum Roſtochienſe.

Ericus Rex Cimbrorum potentiſſimus ſpectaculum tota Germania celeberrimum vectus trans oceanum navibus Lacinii exhibuit non tam oſtentandæ pompæ ac divitiarum gratia, quam ut libertate, qua nihil in humanis pulchrius, urbes finitimas exueret, convocatis regibus Sarmatharum, Herulis, Marcomannis, Quadis, Gotinis, Oſis, Tectoſagibus, Thuriis, Sorabis, Vindelicis, Noricis, proximisque Angrivariis, Chaucis, Uſipetibus, Teneteris, Friſiis, Tranſalbinis omnibus: caſtra juxta Lacinium extendit purpura peripetaſmatis beluatis fronde feſta. Cenſa eo ſpectaculo in meditullio athletarum, ut quidam ſcriptum litteris reliquere, parium ſex millia ac quadraginta e ulo omnes lautiſſimo excepti, ibi ex quinquertio de more diſci jactus, curſus, petauri, jaculatores, palæſtritæ, alibi Thymelici populum tenuere oſcitantem; viſuntur loca, e quibus carceribus miſſi dromones: quis jam omnes referret, tubicines, lituos, buccinatores, choraules, excharedos, pſaltrias præſtigiatorum, paraſytorum mimorumque turbam paraſitantem? hanc igitur pompam apparatu celebratam tam inſigni, prætermittere indignum equidem duxi.

De nuptiis, quas fecit Leo filiæ ſuæ & malo ſecuto.

Cap. LXIV.

Nuptiæ Mechtildis, filiæ Henrici Leonis.

Nuptias Leo facturus filiæ Mechtildi Ottoni Ducis urbis Lunæ nuptæ negantibus Wiſmariis locum, ſeu inſidias ſeu externorum tumultum verentibus, eas in monte ſtellarum in multorum principum ac procerum præſentia celebravit; mox epulo nuptiali ſoluto, cum prius Erico Cimbrorum regi, quem paulo ante contra Suevos rebelles armatis quadringentis juverat, injurias ſuorum per litteras queſtus eſſet urbem ipſorum obſidione terra marique ad Nonas Julias cinxit, arcesque mox duas erexit, alterum in exortum, qua viam præcluſit, in occaſum alteram; ſegetes dein depaſtus ac cuncta populatus, hortos tandem eorum exſtirpavit, adgreſſus etiam tormentis urbis mœnia, quantum potuit, proxime, ſed ab urbibus fœderatis, *Buricio*, *Lacinio*, *Bute* claſſe formidabili adventantibus pulſus campum, qui textorum adhuc dicitur, capeſſit. Tunc Ericus Rex Cimbrorum, ut in Lacinios ſuos gerendi etiam belli haberet occaſionem, qui plauſibiliter eum paulo ante exceperant, jubent Leoni rerum omnium facere copiam & aditus etiam facultatem. Qua re negata Leo, redemtis a Wiſmariis injuriis, interceſſione Baldomari Ducis Salo-

Occaſio obſidionis Wiſmariæ.

Et belli Erici Regis cum Roſtochienſibus.

Interceſſio

de Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

ſevicorum & Nicoloto Herulorum, molæ jure ac telonei & præfecturæ reddito civibusque omni ære alieno, quod ſigillatim debebat, acceptum ferentibus, traditis inſuper clavibus urbis præmiſſo jurejurando illum non odio, ſed tumultus periculo prohibitum, obſidionem ſolvit, arcesque ſuas reſtauravit, quas proximas urbi hoſtes deſtruxerant.

Ducis Sleſvicenſis Waldemari.

De bello, quod geſſit Cimbrorum rex cum Laciniis.

Cap. LXV.

Ericus ergo Cimbrorum Rex Laciniorum fortunam ægre ferens, eam Leoni mandavit minuendam & ſub jugum eos mittendos. Liburnis itaque per Varnam Leo navigans eam a parte maritima obſedit arcibus duabus temporariis aggeribus ac propugnaculis munitis, parumque abfuit, quin per factionem cives urbem Nicoloto ex Herulis dediſſent rupto Regis Cimbrorum fœdere; cui erant ſacramento fidei obſtricti, urbem egreſſi, cum Nicoloto cognomento puero, primo impetu aggeres a Leone poſitos demoliti ſunt, enecatis multis hoſtium, multis & ſubmerſis, confoſſis cruciabiliter aliis fariſſis. Reverſi paratis liburnis Cimbros bello navali invadunt, omnia vaſtantes. Quo terrore Ericus rex perculſus finitimorum omnium principum auxilia implorans Varnam amnem cum duobus ac viginti principibus cepit; pharum Varnemundæ, quam cives præter voluntatem omnium trimeſtri tenuere, primo impetu ſuperavit, cuſtodibus impune dimiſſis, quos mox cives ſuſpicione permoti ſæve trucidarunt, ne diſcrimine quidem habito eorum præcipue, qui fuere ex præſidiis Nicoloti. Rem male ferentibus viris quibusdam conſularibus novi conſules lecti ſunt, non ſuffragiis quidem, ut in urbe quidem bene inſtituta decet, ſed largitione. Ericus ergo Rex expugnandæ urbi auſpicio ſe infauſto veniſſe cognoſcens receptui ſuis cecinit & abiens Leoni rem commiſit; quo per cives pondo argenti millibus quatuordecim placato ceſſit obſidio fœdere percuſſo omine felici; nam urbis tuitionem poſtquam ſemel ſuſcepit, ſumma eam fide, quoad vixit, tutatus eſt principibus omnibus finitimis urbis ejus auxilio formidabilior.

Bellum Erici Regis Cimbrorum cum Laciniis ſeu Roſtochienſibus.

Qvomodo Lacinium in ditionem Obetritarum rediit.

Cap. LXVI.

Tempore, quo Ericus Cimbrorum rex Varnamundam obſedit, ex Getis quidam primarii

Conſpiratio in Ericum.

marii & nobilitatis præcipue jurejurando conſpiravere de eo clam interimendo. Conſpiratorum omnium jusjurandum litteræ ſingulæ annulo conſignatorio conſignatæ continentes Erico Duci Lalorum fratri Baldomari Ducis Saloſevici traditæ ſunt cuſtodiendæ inſidiarum autori; moritur re imperfecta Lalorum Dux, cujus uxor ſuperſtes, ab Erico Cimbrorum rege ad levandum fonte ſacro more Chriſtianorum filium forte rogatur. Qua gratia permota mulier litterarum conſpirationis recordata eas munus fore regi gratiſſimum puero, filiocio, ut appellant, dono dedit; quo Regi donum nullum gratius. Præſens ergo periculum evadere cupiens, Leonis auxilium implorat, quo commodum adveniente æmulos omnes egregie ultus eſt, ex equeſtris ordinis viris multis cruci affixis. Leoni abeunti Lacinium præmium expeditionis cum omni vicinia ac jure dedit, qui recepta urbe civium factionem primam ſedabat, viros urbis primores ſine merito ullo proſcriptos, noctu urbe reſerata ab amicis introduxit; Henricus Runghe ſummus urbis conſul, cujus non multis ante diebus frater Volemarus civium erat ſeditione peremtus, in foro publico omnium conventu proclamavit, Ducem expulſis civibus omnibus poſtridie jus dicturum. Quo audito nocte ea ferme fugere accuſatores, ex quibus qui perſtitere, rotis contuſi, duriſſimo mortis genere peremti ſunt, exilio perpetuo damnatis gratioſis, firmatis fideliter a Duce urbis immunitatibus, anno, quo obiit uxor ejus Beatrix Wismariæ tumulata, poſtquam duxit uxorem Comitis *gentis Thuriorum* ſuperſtitem.

Roſtochienſium tumultuantium pœna.

Henricus Leo immunitates Roſtochii confirmat.

Qvomodo amicitia inita cum Thuriis ruptum fœdus qvondam percuſſum cum rege Cimbrorum Erico & qvomodo pacato odio fœdus firmatum ac de bello, qvod geſit contra Leonem Baldomarus Marcomannus.

CAP. LXVII.

Fœdus Erici ruptum iterumq; firmatum.

Succeſſui tam felici Leonis Cimbrorum rex Ericus invidens, jura fœderis quondam initi rupit & bello adoriri eum conſtituit; verum facti pœnitens, quum auxilio ejus adverſus Baldomarum Marcomannum egeret, Rugios ære a Buriciis ſtipendiario ſollicitatum bello prementem fœdere firmavit cum Leone. Fortunam quoque ejus Baldomarus Marcomannus iniquo ferens animo, ſive potius quod in expeditione Buricia adverſus Rugios regis Cimbrorum partes ſequutus obſidionem eum ſolvere coegerit, Venulorum ſibi ſolum reddi depopoſcit, ſeptem armatorum millibus ſtipatus bellum ei inferens. Primo impetu oppidula quædam cepit, inter quæ *Indago principum* oppidum vero, cui ab *angulo ſylvæ* nomen, obſedit non ſine magna ſuorum clade, occiſis armatorum ferme duobus millibus; inter quos nulli primarii generoſique a ſuis deſiderati ſunt. Nec tamen deſiit, *Bryſam novam* obſedit, *Tullenſibus* bellum intulit, ante urbem ipſam Bryſam equites auratos more antiquo inauguravit; e quibus prima in militia numero triginta a Bryſis capti ſunt. Promotis paullulum caſtris ſtativa habuit ad oppidulum, quod ex ſtagno principum nomen tenet, quem de improviſo Venuli ex arce Venulorum perſequentes equitum ejus ſexaginta cepere. Jam primum Leo præſidiis optimis ſtipatus, hoſtibus ſeſe ſpectandum præbuit cum Henrico Comite Marioneo ac Gerardo Transalbinorum, Bertholdo Pryeno exercitus ductore, quos improviſos adortus; ex parte adverſa Herulorum princeps Johannes ex eis cepit Henricum Comitem; verum prælio inſtaurato dum fugientes temere perſequitur, cum trecentis ſuorum capitur perductus in Bryſam a Leone, veſpere benigne exceptus, ſed mox prima luce in arce Venulorum Stargatia adſcitus, in cella vinaria orto a cuſtodibus igni ex ſtramentis fortuito interiiſſet, niſi unus eorum dorſo foris cellæ excuſiſſet. Leo itaque dein & oppidulis quibusdam captis ad Albim usque multa vaſtavit. Dum hæc aguntur Marcomannus, Venulorum arcem per inſidias cum ſuorum nonaginta quatuor aggreditur, quibus proditis ſexaginta duos eorum deſideravit captis ab *Henrico de Molxanis* arcis præfecto, qui triginta equitibus tumultuariis eum invaſit, urbe interim, cui a Majo nomen, a Leone ac duobus oppidis proximis ei Marcomannis cum fœderatis obviam venit tota Herulorum regione vaſtata. Quo prælio Joannes Dux Gentilis Leonis Marcomannorum partem ſequens captus pro redemtione pondo argenti decem millia dare juſſus eſt, quam argenti vim cum non haberet, Malahos urbem pignori dedit, coactus Leoni deinceps ferre auxilium. Icto cum Marcomanno poſt fœdere ad Cæſaris Senatum vocato, cum eo ad ſedandam factionem inter Pannones & Bojarios ortam ſimul profectus eſt.

Baldomari Marcomanni bellum contra Henr Leonem.

Qvomodo Baldomarus ultionem ſumſit de Leone.

CAP.

Cap. LXVIII.

Quod inter bella Vandalica fere maximum.

Igitur Baldomarus congregato exercitu ex Ducibus Sarmatharum Sorabis & lecta Thuriorum nobili manu, Anartibus, Quadis, Toderis, Venetis, Saſſonibus, duce eorum Rudolpho, Gotinis, Oſſis, adgreſſurus venit Obetritas; cui Leo cum Erico rege Cimbrorum, ducibus Saſſonum & montis Lunæ Ottone, Comitibus Varinorum Gerardo & Joanne, ex Albiori Nicoloto Marionæo Henrico, inprimisque cum Joanne Herulo, quem paulo ante captum æquis conditionibus manumiſit, ut auxilium ſibi deinceps præſtaret, ac Guislao principe Rugiorum haud procul a Branſogo occurrit. Bellum hoc inter *Vandalorum* bella pene maximum ſed quo prælio multis utrinque occiſis Marcomannus fuga ſibi conſuluit, captis Comitibus novem Marcomanni auxiliariis; Ipſe Baldomarus a duobus civibus oppidi Mole Comitis excuſſus equo, galea inſuper nudatus, a ſuis ægre abſtractus eſt; reſtituente eum in equum uno ex comitibus cognomento de Campomanni, qui pro eo captus fidei ſuæ pœnas luit. Leo, quamvis ſecuri agricolatoris cæſus in galeam, fugientes tamen ſecutus eſt, diſperſumque Marcomannorum exercitum cædit multos ac cepit, ſuorum nemine præter Joannem fratrem Erici regis Cimbrorum Comitem Varinorum amiſſo; reverſus ſpolia diſtribuit in ſilva cognomento *fagorum*. Enervatus bello eo Baldomarus amicitiam Leonis ante brumam proximam impetrat; ſolum Venulorum ſemel datum iterum confirmat, arces inſuper nuper captas addit.

Victoria Henrici Leonis.

Qvomodo pacatis rebus Leo convocavit Principes.

Cap. LXIX.

loria ipſius pompa.

Tanta gloria elatus Leo epulum Principibus finitimis omnibus parat, Cimbrorum regem vocat cum primis, quem pompa menſe Junio magnificentiſſima excepit, amicum ſinceriſſimum *Baldomarum Marcomannum*, Joannem *Saſſonum Ducem*, Joannes duos *de Herulis*, Geraldum ac Joaunem *Varinorum* Comites, Nicolotum ac Henricum Comites auxiliarios, alterum *Marioneum*, *Albiorenum* alterum, antiſtites multos, proceres multos pari ſuſcepit lætitia. In ipſo medio conventu inter Ericum regem & Baldomarum Marcomannum fœdus percuſſit; paulo poſt ſublato morte Baldomaro, quæ tempora & triſtis inedia ſequuta, bellum, quod preceſſit; gravius reddidit in digenis.

Qvomodo cum Theomartiis belligeravit Leo.

Cap. LXX.

Bellum cum Theomartiis ſeu Ditmarſis.

Gerardus Varinorum Comes tempeſtate ea bellum intulit Theomartiis, qui Leonis auxilio fretus prælium cum ipſis in vigilia divæ virginis, quo natales ejus peraguntur, commiſit. Inſula eſt foſſis circumdata, in qua bellatores optimi ſangvinariique, ad tranſiliendas lacunas exercitiſſimi; ordine hinc ergo ab inſultantibus neglecto & deflagrandis omnibus vicis intentis rapinæ avidis, multos ſuorum amiſere, fuga ſibi conſulere coacti, captis ab exercitu eorum Comitibus tribus.

Qvomodo rurſus bellum ortum inter Marcomannos ac Obetritas.

Cap. LXXI.

Bellum inter Marcomannos & Obotritas receptum.

Baldomaro functo vita non ita multo poſt tempore pax olim inita deſiit. Leo itaque ex Theomartiorum bello rediens Uteranos, qui ſunt Herulorum extimi, adgreſſus eſt, primoque impetu vicit oppida eorum præcipua munitionesque multas juxta Quærum; verum illi fidem frangentes Vratislao ſe Venetum Duci dedidere. Quos rediens Leo compeſcuit: Templinum enim modico negotio vicit Paſſebalcum Penſilinumque arcem Virutiorum primus ædificavit, aut, ut quidam ſcribunt, inſtauravit, ſimul & vicum regis, viris usque fortibus loca ea & præſidio ſuorum muniens.

Qvomodo Leo adverſus Venetes bellum geſit.

Cap. LXXII.

Et Venetum Principibus illatum.

Ulturus Leo perfidiam Uteranorum, qui a ſe defecerant, bellum intulit Venetum principibus & more antiquo ſtemmatis regii equites auratos ante portas urbis faciens ſuos animavit arcemque primus exædificare cœpit, cui a quatuor rotis durat nomen. Haud procul inde *Virutio*. Eo tempore ſimul bellum intulit primati *Parthenopolitano* molasque multas ante urbem primo adventu ſuccedens equites ibi auratos fecit, vicit dimiſſa obſidione arcem, cui a canibus nomen, de omnibusque æmulis ultionem ſumſit, etiam Ottone Tuliſurgorum Duce; in patriam reverſus cum Joanne de Herulis fœdus percuſſit duraturum perpetuo, ſe quod mox a Joanne ruptum hoſtibus favente.

De bello, qvod geſit cum Guislao principe Rugiorum.

Cap. LXXIII.

gestumque cum Guislao Principe Rugio.

Orto inter ipsum & Guislaum Rugiorum Principem bello, Rugios aditurus castra posuit juxta salinas commissoque prælio Leo victor equites auratos quatuor ac viginti cepit, ordinis equestris viros viginti, ceteris terga dantibus, quos persequutus equestris ordinis quinquaginta sex cepit juxta oppidum Ribenicium.

Qvomodo potentia ejus tanta mox attrita, qvoniam suos sacri præcipue ordinis viros onere insolito presfit.

Cap. LXXIV.

Potentia Henrici Leonis diminuta ejusque causa.

Onere insolito suos omnes ordinis ecclesiastici præcipue purpuratorum svadelis illectus, prægravans, Deo ac hominibus invisus factus est: fortunæ ejus enim finitimi omnes invidentes, bellum illi indixere. Primo Christophorus rex Cimbrorum, Guislaus dein princeps Rugiorum, Vratislaus Venetum, Joannes, duo Heruli; a suis vero Heromannus familiæ Molxanorum antistes forte Marioneus; qui adgressi Leonem Henrico Comite Marioneo socio supra Styram amnim a Plate Marionim usque omnia vastant quam urbem tantum spectantes, ad Megapolin procedunt ceperuntque incustoditam & cum suburbio vastarunt. Leo ulturus primum in agrum antistitis irrupit, Peucinum & Guarinum cepit, tympanileque ibi fortius exstrunit, ut inde Gvarinum observaret, invicem antistes a Germanis suis stipatus Bucovium Doberanumque agrum invasit, proxima quaque populans, omnes passim concutiens; quo tempore Leo nihil egregium agens, per ludibrium ab hostibus puerperam agere dictus est; obsidione episcopus Quarinium cinxit, & arcem infringere cupiens gradarium suum primo, qui ascenderet, promisit; quæ protinus indefensa capta est. Permotus ergo hac infamia Leo omnibus suis convocatis vicorum quatuordecim deflagratione sole oriente in hostium solo uno ferme momento citata se expergefactum testatus est, primoque mox impetu Herulorum solum vastavit, commissoque prælio trecentos equestris ordinis viros ac imperatorem exercitus cepit ceteris fugientibus; viribusque suis Herulos ad fœdus servandum coëgit, receptis urbibus ac arcibus ante collatis. Post quæ tempora episcopus angino morbo interiit. Audita Leonis constantia Christophorus Cimbrorum rex pacem per legatos petit, urbem Lacinium quondam datam ab Erico & fratre ejus litteris confirmat, insuperque Falisteram addit ac Monam insulas hinc in Cimbros spectabiles.

De bello secundo adversus Rugios.

Cap. LXXV.

Bellum novum adversus Rugios.

Item cum Vratislao Principe Venetum ac Joanne Herulo communi sorte pacta Rugios invasit, functo vita principe Guislao oppida quædam ac solum Bardorum cepit initio. Joannes insuper Herulus per traditionem tributum Cæsaris cepit, oppidum, quod uxor Guislai Comitis Lingogum filia præmio dotis habuit, traditoribus mox interfectis.

De profectione in Cimbros.

Cap. LXXVI.

Iter in Cimbriam.

Christophoro Cimbro imploranti contra Transalbinos suppetias ab eo, cum adhuc esset Buricii, tulit cum Joanne Herulo; & quamvis ea a Vratislao conditione abiret, ut vel sequeretur, vel de Rugiis se absente nil tentaret, ille tamen Bardorum solum interim cepit cum parvo quodam oppido, quæ omnia reversus a rege strenue recuperavit quibusdam etiam igni datis solumque Bardorum & divitias urbem repetit incensis Grymma ac Lucisa. Quo tempore obiit Anna uxor ejus tumulata Wismariæ.

Qvomodo Vratislaus Venetum princeps, quæ a Leone jure belli capta erant, redemit.

Cap. LXXII.

Venedis restituuntur bello amissa.

Reinvaldus ex familia Pensorum tutor testamento datus filiis Vratislai, principis Venetum auxilio urbis *Birucii* ac dominæ, oppidum *Lociscum* per traditionem cepit: Consules vero, qui oppidum Megapolensibus paulo ante dedidere, igni absumi jussit. Nec ita multo post ictum fœdus, quo omnia intra annos quaduordecim a Leone & Joanne Herulo jure belli parta Venetibus reddita sunt, argenti pondo millibus uno ac triginta. Vratislaus quoque Princeps pro indipiscendo dominio Rugio argenti pondo tria millia Megapolensibus dedit ac Herulis ex æquo dividenda.

De tertia uxore Leonis ac morte ejus.

Cap. LXXVIII.

Henrici Leonis conjugium tertium & obitus.

Leo grandævus uxorem duxit Agneten filiam Comitis Lingonum superstitem Guis-

Guislao Rugiorum principi, cui montem ſtellarum dedit dotis compenſam. Mortuo Guislao ſine hærede Rugii jure hæreditario ad Leonem pertinebant; verum Rugiis ac Buriciis eum repudiantibus electus Vratislaus Venetum Dux, qui obiit poſtero anno. Elegere dein Gerardum Comitem Varinorum, Getarum Ducem, qui Cimbrorum fuit tutor; nec longo poſt correptus Leo febri ſupremam voluntatem condidit in monte ſtellarum adhibitis conſiliariis ſuis, quos fecit tutores filiorum excluſis Gentilibus ſuis. Juſſit ergo ex ædibus ſuis, quas habuit in Ribenitio fieri ædem divæ Claræ, filiamque ſuam Annam natu majorem Veſtæ dedicans loca piſculenta circumcirca dedicavit. Poſteris inſuper ſtatuit ſub ultione judicii extremi, ne frumento canario deinceps populi horrea exhaurirent; loco, in quo ipſe ac majores conditi, pateram puram, quæ pondo auri puri quinque tenebat, dabat. In facinore nunquam deprehenſus, purpuratorum perſvaſu ſemel tantum tota vita ære ſacro, quod a clero cepit, inventus ſacrilegus; religionem enim amans, in corona primariorum regionis vitæ ultramundanæ viaticum recepit unctionemque Scholaſticulis præcinentibus, ac ſic pie obiit, relinquens Albertum ac Joannem filios, qui primi duces ex Obetritis facti.

De Alberto cognomento Seniore filio Leonis.

Cap. LXXIX.

Filius ipſius Albertus Senior ſucceſſit

Albertus filius ſucceſſit, qui conſilio ſuo Euphemiam duxit Svevorum & Noricorum regis filiam, Magni ſororem; quæ nuptiæ in Lacinio ſunt concelebratæ. Æs alienum a genitore factum redemit; prudens & cautus, Leone patre multo etiam callidior, qui procerum latrocinia perosus, ignibus ac prædis ſe vaſtantium, mox temeritatem eorum compeſcuit, finitimorum auxilio fretus, receptatorum ædibus incenſis ac demolitis tantam laudem nactus, ut ſit excellentiſſimus omnium ſuorum habitus comprehenſa olim ille forte in itinere ave & a ſe nudata oſtenſaque proceribus, implume interrogavit, vivere ne ita poſſet? quibus negantibus, ita, inquit, nec nos, niſi redditis nobis prædiis, quæ vos occupatis.

De nuptiis ſororis Agnetis.

Cap. LXXX.

Nuptiæ Agnetis.

Agnetem ſororem connubio dedit Nicolao Herulo patruo ſuo, Benedicto duodecimo Pontifice ſummo indulgente; verum gener non longo poſt obiit: poſt cujus mortem major latrunculos timor invaſit, quos vivus forerat.

De legatione Alberti ad Cæſarem Ludovicum.

Cap. LXXXI.

Iter Alberti ad imperatorem Ludovicum.

Rebus clare geſtis obiit legationem ad Ludovicum Imperatorem legatus Magni Svevorum ac Noricorum regis. Iter per Botordium ex Thuriorum mandato faciens honorificentiſſime ab eis ſuſceptus eſt, diebusduobus retentus, fama apud eos clarior, quod regionem ſuam, ut decet principem bonum, a prædatoribus purgaret; remanente ibi Duce itineris comite ex Nigroburgo, a patruo ejus captus eſt cum familicio omni ac præſenti ſupellectile; a quo aulicis dimiſſis quibusdam ipſe in arcem editam, cui Ranis nomen, perductus in domo ſecretiore diligentiſſime adſervatus eſt. Agebat Cæſar tunc in Carnis urbe Merano, quem archigrammatevs ejus adiens principis ſui fortunam declaravit, a quo acceptis litteris herus manumiſſus; ſed omnibus, quæ habuit, exſpoliatus. Inclytus princeps nec tanto damno territus legationem perfecturus venit in urbem Sedunum, ſuſceptus ab eis honorificentiſſime; ære inſuper donatus eſt & equis: poſteaquam Cæſarem ſalutavit glorioſus rediit injurias ultus, Marcomanno Bryſano exercitus imperatore ex Cæſareo decreto, quam ruinam locus adhuc Comitis ejus teſtatur, lapide murali omni amoto.

Qvomodo Albertus eqves auratus factus eſt.

Cap. LXXXII.

Albertus eques auratus.

Reverſus per Cimbros navigavit ad Svevos usque, honorificenter ſuſceptus a Rege in Stockholmo Scandaviæ urbe; eques ibi auratus factus, quum a proceribus regni Magnus Svevorum rex corona regia donaretur. Eo itinere glorioſus in patriam reverſus æquus ſemper piusque habitus eſt omnibus formidabilis.

De facinoribus ejus, claris geſtis & qvomodo comitatus Albiorenius additus Marioneo.

Cap. LXXXIII.

Ipſius res feliciter geſtæ.

Booſſelauus, Barnymus, Vratislaus Venetum duces Rugios tunc ab eo jure avito repetentes bellum movebant, quos jure belli Leo ac Joannes Herulus ante occupaverant. Verum bellum confeſtim ab urbibus maritimis ſedatum eſt factis indu

induciis. Gemechinus vero cognomento de Cosſis Boos & Gvedigo Bugenhagii induciarum eorum tempore urbem Grymmam cepere eamque in manus ducum Venetum dedere; quam mox Obetritæ auxilio urbium maritimarum fraudem deteſtantium recepere; incenſa ea immiſſis valaricis occiſis cuſtodibus omnibus Guedigo captus ac Ribenicium perductus per murum evaſit. Quo anno Albertus ipſe Albiorim Marioni addidit, pulſis prædatoribus ædibusque eorum incenſis. Quare ex comitatibus duobus unus factus, qui durat.

De bello, qvod geſsit adverſus Magnum Ducem urbis Lunæ & auxiliarium ejus Ducem Leopolitanum.

Cap. LXXXIV.

Bellum adverſus Luneburgenſes.

Orto inter ipſum ac Magnum urbis Lunæ Ducem bello, auxiliario Duce Leopolitano ipſum Magnum prælio fudit & in fugam vertit Duce exercitus Henrico cognomento de Bulowo, multis occidione occiſis, capto Sigefredo Salernio cum centum quinquaginta viris ordinis equeſtris, quos Magnus auri pondo tribus millibus redemit. In divi dein Martini natalibus prima luce Polaborum cepit urbem, fœderati principis incendio circum omnia vaſtans; ac mox reverſus Gades interque loca media omnia vaſtavit, ne divinis quidem ædibus parcens. Auxilio idem fretus Henrici Ducis Varinorum, ſitum univerſum Ducis Leopolitani vaſtavit, prædamque pecorum opimam abduxit. Quo tempore eos, qui ex Polabis in coloniam confugere magnam, ſecutus, urbis quoque pecora abduxit proxime a portis. vicos vero canonicorum agri Polabici vaſtans ab eis in jus vocatus, cauſa cognita anathemate perculſus eſt; quibus invicem conciliatrices præbuit parochias urbis Wiſimariæ & Comitis Mole ab antiſtite Polaborum deinceps conferendas. Cimbrorum etiam aliquando regem contra Gothos juvit urbemque eorum metropolin Albigurgum vi cepit, poſt clara dein facinora in fata conceſſit.

De bello, quod geſsit adverſus Marcomannos.

Cap. LXXXV.

Et Marcomannos.

Marcomannum adgreſſus victor evaſit, quæ mala anno præcedenti crux lucida coloris ignei & cæſii longitudinis ferme ſex paſſuum tota nocte apparens oſtendit; multi enim tunc Marcomannorum nobiles capti, pro quorum redemtione Marcomannus duxit filiam ejus, in quibus nuptiis litteras quasdam reddidit a Leone traditas, in quibus Obetritæ obligati erant e Venulorum ſolo ſervire Marcomannis cum quadraginta cataphractis in bellum vocati.

De Joanne cognomento Seniore filio Leonis.

Cap. LXXXVI.

Joannes filius Henr. Leonis.

Tempeſtate ea Britanni adgreſſi Gallos Cameracum obſidentes vicere, quo bello confecto Luteciam Pariſiorum urbem celeberrimam obſidere; Galli tunc a Carolo Bojorum rege auxilia poſcunt. Quo bello Joannes filius Leonis Senior præſens ab auguſtali magnificentia eques auratus propter facinora egregia, quibus præſtabat, factus, tota Alemannia fama clarior habitus eſt. Cecidere eo bello Gallorum ſexaginta millia, eoque amplius Henricus item Rex Bojorum filius Henrici de Lucuburgo Cæſaris, cum quinquaginta duobus principibus. Quo facto Gallorum rex ægre evaſit Britannis Caletium inſuper haud procul a Morinorum finibus, toto anno terra marique obſidentibus.

Qvo tempore Reges Obetritarum Principes facti.

Cap. LXXXVII.

Albertus & Joannes Principes imperii.

Idem Albertus ac Joannes fratres Duces facti ſunt imperii Romani temporibus Caroli Regis Bojorum ac Cæſaris, in conventu fere Germanorum principum omnium in urbe Bojorum metropoli Caſurgi.

Qvomodo comitatus Marioneus, qvi a Leone Saſſonum Duce erectus, coemtus ab Alberto & datus filio ſuo Alberto, qui primus ex iis Comes.

Cap. LXXXVIII.

De Comitatu Marioneo Sverinenſi.

Albertus comitatum Marioneum a Comitibus emit Techeleburgiis; e quibus unus germanus Ottonis Comitis Marionei, qui deceſsit ſine liberis ſexus virilis. Albertus ergo dignitatem eam filio ſuo Alberto conceſsit, accepto cum eo ſimul comitatu in connubium filia Ottonis Richardi.

Qvi fuere liberi Alberti cognomento Senioris.

Cap. LXXXIX.

Liberi Alberti cognomento Senioris fuere Henricus, Albertus, Magnus, Ingeborgis, Anna.

De Al-

De Alberto filio Alberti Senioris facto rege Svevorum ac Gothorum & de Magno fratre ejus deque filio regis Alberti ex uxore altera edito, in quo Alberti stirps definit, deque bello, quod sustinuit infeliciter rex Albertus a Margaretha regina Cimbrorum.

Cap. XC.

Alberti filius Albertus factus Rex Svec.

Tempestate ea Magnus Svevorum rex filio Aquino conjugem collocavit Margaretham filiam Baldomari regis Cimbrorum violatis litteris, in quibus depictus rex flexis humi poplitibus tribus exertis digitis jurabat, Aquino *de Cimbrorum prole* filio se uxorem non daturum. Quod si jusjurandum non servaret, fidei suæ omnes quicunque essent obstricti, liberos futuros facultatemque habere, quem vellent, eligere regem. Itaque regni proceres ira incensi, elegerunt Albertum filium Alberti Senioris ex sorore Magni regis progenitum, eumque in regnum duxere; qui uxorem paulo ante duxerat Richardim filiam Ottonis Comitis Marionei, quæ

Richardis uxor Stockholmia sepulta.

mox obiit, tumulata in Stockholmo, in æde divi Dominici sepulta, relicto filio Erico rege, qui in Gothis proxime Cimbros sepultus est, & Alberto, qui Megapolensis Dux factus duxit dein uxorem filiam Ducis Brunipolitani; unde genitus Albertus, qui uxorem duxit Margaretham

Conjugium alterum.

Federici comitis Burgi, ut appellant, Seduni urbis, quæ & Norica, filiam: in quo desiit stirps Alberti regis, eo sine liberis vita functo virtute factisque egregio, Solymis ante equite aurato facto. Dux Megapoleus apud majores conditus Cimbris.

Bellum cum Dan. Regina Margaretha

Tum regina Margaretha femina dignitatis admirandæ præfuit Baldomari Cimbrorum regis filia; cui mortuo sine filiis ipsa Noricorum jam regina successit cum filio parvulo Ololao rege Noricorum. Huic regni avidus Albertus rex bellum indixit; verum mulier interrita insuper de loco cum eo, in quo committendum, per litteras convenit. Albertus contemptim reginam accipiens jurejurando affirmavit, capitio se non ante ornaturum, quam eam superasset: adversus quem mulier avibus bonis supra sexum animosa congrediens, prœlio superior facta eum cepit regnoque Svevo-

Victus ab illa & detentus Hafniæ.

rum exuit. Defuncta feliciter bello in *Codonaviæ* urbis arcem suam perducto capitium dono dedit, latitudine cubitorum propemodum quindecim, filamine addito cubitorum undeviginti, quo omnibus ludibrio habendum voluit; annis sex sive ut quidam septem in custodia detentus est: a

Liberatus

nationis vero nobilibus, non Suevicis seu Suecis sed patriæ suæ, mundo muliebri redemtus *privilegium eis reddidit, quo deinceps vitæ tempore omnes poscerae contra leges Augustales potitæ, non exstantibus liberis aliis generis masculini hæreditati succedunt.* Filiam ex uxore prioris conjugii, quam præter Ericum, qui duxit filiam Boosclavi cognomento de Julia Augusta, collocavit Joanni Duci Gorliceno filio Caroli Romani imperatoris, regis Bojorum: verum enim vero Magnus Alberti germanus uxorem duxit sororem principum Rugianorum; e qua Joannem sustulit ac Euphemiam, quæ nupsit Balthassartionis herulo. Nec ita multa post cum Alberto Duce urbis Lunæ Aquis divæ virginis Mariæ exuvias visurus valetudine correptus e vita excessit.

lytro nobilium fœminarum Mecklenburgensium, non Svecicarum.

De filio Alberti Senioris, Regis Alberti germano, Duce Megapolense.

Cap. XCI.

Eædus cum civitatibus marinis.

Albertus fœderatus urbibus marinis auxilio eorum fretus, Henricum majorem natu, qui uxorem jam duxit Ingeborgim filiam Baldomari regis Cimbrorum, bello instructo duxit in Cimbros, ac mox in Scandiaviam trajecit; primo adventu arcem ibi munitissimam Helsigeburgum obsidione cinxit, captamque Henrico tradidit, primariis urbis *Coloniæ magnæ, Wismariæ* ac *Buricii* in præsidium datis. *Res gestæ in Scandinavia.*

Rupto non ita multis interjectis diebus fœdere Travenates ac Buritii eam Margarethæ reginæ Cimbrorum uxori Aquini per insidias dedidere. Quo tempore Aquinus Ottonem Marcomannum auxilio popposcit contra Obetritas cum ducibus Saxonum Brunipolis ac urbis Lunæ. Permotus regis precibus Otto Dux Brunepo- *Et in patria.*

litanus, ut Albertum principem revocaret, Cedenicum oppidum cepit, oppidum vero cognomento Silvam Leonis in terra Venulorum situm obsidione vallavit: verum hostes non diu de spolio lætati, redeunte Alberto repulsi Marcomanni, adhæc oppido occupato, cui nomen Moleburgum. Ex Ingeborge uxore inclyta Albertum sustulit, qui duxit filiam *Nicolai comitis Transalbinorum*, sine liberis mortuum, peste absumtum, dum in Cimbros cum Margaretha regina de hæreditate contenderet, sepultum in conditorio majorum, ex insula a suis vita jam functum relatum. Hujus soror Vratislao nupsit Venetum Duci; a qua propagatus Ericus, qui Svevorum Noricorumque post rex factus est. Pater vero Henricus Vilimariæ ludo militari indulgens infigniter læsus, vitam commutavit cum morte.

De Joanne cognomento Seniore filio Magni germani Alberti Regis.

Cap. XCII.

Joannes filius Magni. Joannes Magni filius Alberti regis patruus, per eos dies quibus Albertus in vincula conjectus servitutem reginæ Cimbrorum servivit, apud Suevos sese continuit; verum postliminio Alberto egresso, eum in patriam comitatus uxorem duxit filiam Ottonis *Comitis de Hora*, Juttam nomine, e qua Magnum sustulit & generis muliebris aliquot etiam liberos, quæ brevi post in fata concessit, Marioni tumulata; bello inter ipsum ac Marcomannum orto, hostes parvo negotio in sua etiam perculit, belloque quibusdam familiæ nobilis captis brevi finem imposuit. Nam præterquam quod erat corpore procero ac pereleganti, tantum abfuit, ut non esset etiam idem animo invicto & pientissimo simul & ad rem divinam propenso, ut ædibus sacris partim a se exstructis, partim instauratis dignum se ad posteros exemplum reliquerit, cum patruo ditionem universam Obetritarum ex æquo dividens ad communem tantum usum Lacinio Wismaria ac Marioni relictis. Quum a suis ad secundum connubium adhortaretur, uxorem duxit Catharinam sororem Ducum Leopolitanorum, e qua edidit Joannem & Henricum.

Corpore animoque & pietate laudabilis.

De Joanne ac Henrico filiis Joannis cognomento Senioris.

Cap. XCIII.

Filii Joannes & Henricus. Joannes major natu uxorem duxit Annam filiam Casimiri Ducis Venetorum, qui non ita multo post peste correptus sine liberis e vita decessit superstite Henrico germano. Is princeps humanissimus uxorem duxit Dorotheam filiam Federici Marchionis, qui fuit comes Burgi Norici. Tanta suos omnes charitate usquequaque fovit, tamque fuit omnibus adversus finitimos in tutando eorum jure fidus & in excipiendis eis insigniter liberalis, ut plurimam regionis suæ partem ære alieno recepto fœneratoribus dare coactus sit; tolerare insuper præter voluntatem, ut proceres se contra jus & fas deprædationibus ac vinclis incumbentes, ut quisque alius alio potentior, inter se belligerare & viatores exspoliare; qua indulgentia sua tenuiorem aliquantulum rem acceptam reddidit. Solymis & ipse eques auratus factus, apud majores tumulatus in conditorio.

Qvi fuere Henrici filii.

Cap. XCIV.

Henrici filii. Mortuus filios reliquit Udalricum, Albertum, Joannem, Catharinam, Magnum & eum, qui Balth-Assar; ex quibus Udalricus major natu brevi in fata concessit, Joannes valetudine correptus, tum jatros in Germaniam primam sequitur, vita quoque extorris sine prole fungitur sepultus in Tectosagum urbe, Cascada a Ptolomæo nuncupata, a nostris Egra. Albertus homo eximius, omnibusque charus & perjucundus, pari fato sequutus est. Catharina insuper quam Vestæ dicavit in cœnobio Ribenitio, annum vix dum sextum nata e vita migravit.

De Magno principe illustri & fratre ejus, qui Balth-Assar.

Cap. XCV.

Magnus & Balthasar fratres. Magno genitori tuo, princeps inclyte, nomen non potuit ullum, vel tam imponi celebre, vel tam eximium, quin fuerit semper major, & prudentia, qua erat singulari præditus, omnium majorum maximus: primusque adeo, quem patrem patriæ juste nuncupaverim. Is enim fuit, qui rem publicam vario turbine fluctuantem primus præstitit salvam, & prædia majorum in manus mille ab ævo pauloque superioribus dissipata primus recepit, nimiumque vero expertus, patrem suum sibi obfuisse magis vigilantem, quam dormientem, quod per jocum aliquando præfatum esse testantur annales. Uxorem duxit in tenera ætate Sophiam filiam Ducis Venetum, virginem speciosissimam humanissimamque, nec minus in rebus obeundis prudentem, quæ gynecæum habuit totius fere Germaniæ splendidissimum; ex cujus conjugio suavissimo te Henricum, princeps inclyte, sustulit, Ericumque & Albertum, Sophiam, Annam, Dorotheam Catharinam. Mausoleum illud Solymis in quo Christus quondam reconditus, oculis suis comitante Udalrico illustri Venulorum Duce videre meruit, magnum in principe munus. Aliquando & Romæ sub Sisto Pontifice summo propter corporis animique præstantiam honorificentissime habitus & munere ab eo rosæ Hiericunticæ in medio abstinentiæ Thelesphorianæ tempore de more donatus, omnium, qui adfuere, excellentissimus est æstimatus. Inter imperii Romani proceres omnes sub Federico Cæsare primum dein sub filio ejus Maximiliano in urbe principe Vangionum maxime fuit conspicuus, & de consilio etiam præsentissimo elatus, affabilis, jucundus, dapalis, & qui sui copiam nemini negavit; urbibus maritimis omnibus charus, non tantum suis; obtrectatores & adulatores minimum audiens; liberos insuper omnes suos, ut formosissimos corpore, ita voluit esse moribus pulcherrimos. Qua fama illustratus, filiæ ejus duæ pulcherrimæ Sophia & Anna connubio principum Germaniæ primariorum honestatæ sunt, illa illustri Sassonum duce Joanne, hæc Guilielmo comite gentis Osorum nuptiis utriusque dote apparatuque magnificentissimo factis, illi in Argevia, huic in Stercontio: quarum sororem nomine Dorothæam Vestæ dicavit, fiaminicamq; fecit eam Henricus in Ribbenitio, superstite adhuc Catharina virgine miræ pulchritudinis summæq; humanitatis. Bello fere absti-

abstinuit, nec unquam, nisi lacessitus injuria, arma movit. Lacinium urbem munitissimam corona cinxit, belloque eos justissimo adgressus, inter antesignanos & primipilos cum germano fortissime pugnans ita eos affecit, ita vires eorum comminuit, ut post cladem ingentem pacem ab eo ære redimere coacti sint. Uno tantum incommodo toto vitæ ejus tempore insigniter turbatus; perfidissimum enim genus mortalium Apellæ in urbe ejus, quæ mons stellarum, eucharisticam sacram ab infelici quodam flamine parvo ære coëmtam in nuptiis infaustis Judeæ cujusdam cultris ac stilo autore Eleazaro lacinantes sanguinem rutilum elicuere, qui exstat; nec impune. Optimus enim princeps igni conscios omnes, ipsum traditorem cumprimis, multis cruciatibus confectum, examine præmisso æquissimo absumi jussit. Post multa, quæ splendide gessit, mortuus in majorum conditorio tumulatus est; quem nec multo post fato sequuta uxor pientissima dolore conjugii dulcissimi tabida, a te, princeps illustris Henrice, filio majore natu honorificentissime tumulata est Wisimariæ in æde divi Dominici. Balth. Assar Germanus superstes, ætate tenera litteris operam dabat, sacris fuit candidatus. Juvenis enim *antistes Marioneus* designabatur, ac mox etiam *Ascalingius*, communi omnium suffragio. Verum quum Henningus cognomento de ædibus competitor eum apud summum Pontificem præveniisset, auxilioque antistitis Fardanei & Gotinorum principum urbisque Ascalingiæ, vi etiam arceret bellum adversus eos urbemque Ascalingium formidabile movit, quod annis duravit tribus; quo multis utrinque occisis injurias strenue ultus est, exstantibus adhuc ruinarum monumentis. Mutata itaque sententia, quum esset corpore præstantissimo sacris deinceps valedixit uxoremque duxit Margaretham filiam Ducis Venetum sororem uxoris Germani patris tui Magni; sed ex qua nullos liberos sustulit. Princeps benignus, pientissimus, qui ordinis ecclesiastici viros, quoad vixit, summo semper amore complectebatur, nunquam ab eis auferens, semper ferens, Eques quoque auratus ex urbe sacra Solymarum pompa insigni rediit, locorum sacrorum amator maximus, qui & Romam ac divi etiam Jacobi reliquias Novii voluit præsens venerari, venationis studiosissimus fuit. Anginarum tandem vitio mortuus, conditus apud majores in conditorio Herulorum quorum nomen inclytum in ore ei semper fuit.

De Henrico Alberto Erico filiis Magni Ducis.

Cap. XCVI.

Filii Ducis magni.

Patri mortuo Henricus natu major successit adolescens venustissimus, quem ephebum litteris jam aliquantum sub pædagogo imbutum ad Federicum Marcomannum in Tectosagum gentem pater misit, sub quo aliquamdiu militavit; a Maximiliano post Cæsare lectus, omnium, qui fuere purpuratorum tunc in regia charissimus habitus; armis semper splendidissimus facinora multa egregia præstitit nemini cataphractorum cedens, charus omnibus ac perjucundus, a quo gloria summa domum rediit. Orto forte ob patriæ rempublicam bello inter ipsum ac urbem, quam veteres Coloniam magnam nuncupavere, missis sæpe ut principi convenit prudenti, caduceatoribus, cum nihil impetrasset, armis rem popposcit, principum finitimorum auxilio stipatus, inter quos præsens Joachimus Marcomannus illustrissimus ac Henricus Brunopolitanus, urbem ipsam cum principibus auxiliariis equite frequenti adequitavit, circumsistente peditum exercitu, civitate ab urbis muro ac mœnibus oculis otiosis spectante, munitiones eorum tutissimas sub ipsis præter omnium opinionem mœnibus incendit, ac modico negotio vastavit, amnique, quo subvectantur onera, vada rupit, iter urbi præclusit. Lirumrim urbem obsidione cinxit, brevique omnes compulit, ut pacem redimerent ære: multo etiam majora facturus, nisi patriæ saluti pace potius duxisset consultum, multum intercedente Archigrammateo ejus Caspero ex nobile *Bellæ Quercus* familia, quocum principi optimo ego præter ceteros præsto fui. Secundum hoc bellum virginem duxit inclytam Ursulam ex illustrissima Marcomannorum familia, sororem Joachimi principis electoris, quæ nuptiæ in Colonia super Sprevum honorificentissime celebratæ sunt; ex qua sustulit Sophiam, Magnum & Ursulam, quam enixa valetudine correpta morte præmatura annos nata tres ac viginti obiit, in conditorio principum egregie tumulata, moribus excellentissimis prædita, prudens, clemens, fautrix rei sacræ, in subditos semper pientissima, quam planctu, omnes, quicunque sumus, anxii desideramus; cui si diutius vivere licuisset, tota fuisset regio felicior; quæ bona ejus principem superstitem, erga quem obsequentissima fuit semper, eo magis angunt, qui conjugium hoc suavissimum, gynecæo amplissimo humanissimoque, inornatum nunquam fato illo tam acerbo sperabat desiturum; indignissimus certe quem fortuna, ea adhuc ætate tanto mœrore lancinaret. Ericus, qui tener, in Italia sub optimis præceptoribus militavit, Beroaldo præcipue, viro memoria nostra pererudito, præmatura eam morte præcessit eodemque conditorio humatus. Quanta fuit comitate, ingenio, prudentia & summa erga omnes liberalitate? Hoc non inferior Albertus Germanus, princeps illustris, animi corporisque dexteritate insignis virtu-

Bellum cum Lubeca.

Elogium Caspari Schœneichb.

Conjugium.

Laudes & facta egregia.

virtute præcipua præstat, quem olim sua facta egregia immortalem facient. Patriæ pater Henricus primus majorum omnium regionem moribus formavit egregiis, arma tractare docens, militiam perdiscere, pacis tempore disponere, quæ usui necessaria sunt bello ingruente; boardis ac bellicis tormentis maxime se oblectans, belli tamen minime avidus, magna animi præstantia velociter scribens, velocissime legens: a quo tantum hactenus abfuit, ut rebus sacris vim ullam inferret, ut etiam sacrorum tutor summus sit ac amator maximus summa indigenarum omnium charitate declaratus, & religionis unicum asylum; id quod ædes multæ sacræ testantur, inter quas unam divo *Francisco* inauguravit, alteram divo *Augustino*, hanc in *monte stellarum*, illam in *Gustro*. Latrunculorum vero, qui fuere plurimi, exstirpator nobilis factus, omnia præstitit tuta; grassantibus, ut abstineant, terrorem maximum incussit. Quibus factis jure ego Leonem eum nominaverim. Sub quo annos propemodum sex in armis, bello etiam eo, quod gessit, commilito ego merui; in jure utroque consultus humanissime semper ab ipso principe pientissimo acceptus, cujus fata Deus optimus maximusque bene vertat.

Ad
Illustrem Obetritarum
Principem
HENRICUM,
NICOLAI MARESCALCI Thurii
in
Vitas Obetritarum
Libri II.

Præfatio.

Præfatio ad Librum II.

Libro superiore familiam tuam regiam, quæ ab inclyta post Megapolea domo titulum est nacta, Princeps illustris, ex intimo vetustatis sinu tibi, etsi non satis eleganter ob loca quæpiam, quæ latina nuncupatione vacant, at certe quam verissime depromsimus; curavimusque pro virili, ut in lucem e tenebris majores tui sine rubore prodirent, qui erant temporum injuria multis jam sæculis situ propemodum & carie consumti. Et jam recepi tui canere labore illo absoluto institui, quum in mentem beneficiorum adversus me tuorum magnitudo venit, quæ perficit, ut reliquos gentiles tuos, qui quondam e familia tua clarissima pullulavere, in lucem quoque ab errore assereremus & in demerendis tuis erga me benefactis operam injunctam eo magis insigniter navaremus, quo magis haud dubitamus, ejus generis laborem voluptati tibi cumprimis futurum, qui es totius antiquitatis & virtutis avitæ amator maximus. Tres itaque in universum progenies majorum tuorum annales referunt e familia tua tempo-

ribus diversis subortas: e quibus prima a titulo nuncupata ditionis Herulæ ab arce vetustissima Warnæ amni impostæ nomen trahit, quæ eadem initio a moribus Sarmatica, ac vulgo Vandalica; altera Lacinia, quæ eadem & Cissina a Neotericoteris, jam Rhostochia, post quam subinde processit, ceteris non inferior; tertia Venula, quæ & Stargacia ab arce regia miræ quoque vetustatis nuncupata. Has ex ordine omnes ideo lubentius tibi referam, quod tu omnibus ejus titulis ac non inanibus quidem per manus majorum traditis, in præsentia cum Alberto Germano principe tam clementissimo, quam illustri in magna celebritate refulgeas, qui eo jam pridem repedarunt, unde sunt digressi. Nec cum his tamen manum postremam operi imponam, quin & appendicem, auctarium veluti laborum meorum, addam vitam priscorum Vandalorum, qui solo hoc Herulorum & sedibus finitimis sub inclyto Duce Rhadegaso egressi in Italiæ Galliarumque & Hispaniarum oras divitiis & voluptate allecti Arcadii Cæsaris temporibus expeditionem fecere; ut nihil jam in tota serie desit, quod te in familia tua prorsus agnoscenda remoretur. Quæ omnia libellis quatuor distincta absolvam.

Ad
Illustrem Obetritarum
Principem
HENRICUM
NICOLAI MARESCALCI Thurii
in
VITAS OBETRITARUM
de
Origine ditionis Herulæ
Liber II.

Cap. I.

Origo ditionis Herulæ sub Nicolao

Titulum ditionis Herulæ Nicolotus, Henrici Burvini cognomento Junioris quem inter Megapoleos libro superiore recensuimus, filius, sorte primus nactus est. Is enim rem Megapoleam a genitore traditam cum Burvino germano ex æquo dividens ipse Herulam ditione Burvina, hic Laciniam est sortitus, ditionis utriusque nomine temporum successu nonnihil, ut fieri solet, demutato. Nicolotus tametsi armis pollens belli studio incesseretur, rem divinam tamen nusquam negligens opibus amplissimis eam promovit; templum enim sumtuosissimum divæ *Cæciliæ* in *Gustrovia* urbe ita ornavit, ita ditavit, ut primum sub ipso viros vitæ canonicæ insignes tulerit, ditionem insuper suam Herulam moribus Christianis, accitis ex cœnobio, cui a fonte *Amelungi* cognomentum, viris religione inclytis formavit; *Doberanumque*, ubi Obetritarum omnium commune conditorium, vicis

vicis duobus optimis donavit *Sechelino* ac *Glina*: quibus posteris jus sepulchrale meruit. Adhibitis operariis universum solum urbibus ac mœnibus usque quaque instauravit, uxorem duxit ex inclyta Anartiorum familia; ex qua sustulit Henricum, Joannem & Bernardum, qui brevi, reliquis superstitibus, in fata concessit.

Qvomodo idem Princeps Marcomannorum insidias evasit.

Cap. II.

Ipsum capti-vitate & fuga. Otto sub idem tempus ac Joannes germani Marcomanni, quum servitutem eum deposcerent, ad eos cum equitibus paucis iisdemque tumultuariis inter oppida *Planum* & *Prisebalcum* processit, equitatu cætero relicto in insidiis, quibus, si necesse esset, injurias propelleret. A Marcomannis graviter objurgatus, quod in eorum collimitio urbes ad futuram belli occasionem instaurare jussisset, quum mandatis eorum audiens non fuisset, nihilo territus, constanter libertatem suam ac germani tutatus est. Quum vero acerbius respondere perseveraret, ab eis contra jus gentium monumentis haud obscuris datæ fidei exstantibus, captus est; ex equo igitur desiliens, quasi ludibrium facturus, recalvatula enim fronte erat & ridicula, ad risus per sales citandos ingenio facetissimo, quum pileo suo ex arbore proxima signum insidiariis ostentasset, in fugam illis suppetias ferentibus modico negotio Marcomannos vertit, & ex fuga dispalatis viris ordinis equestris sexaginta cepit, ex milite gregario complusculos.

De Joanne & Henrico filiis ejus.

Cap. III.

Filii Joannes & Hinricus. Joannes natu major uxorem duxit filiam comitis Linogum; ex qua sustulit Nicolaum, Joannem, Hunterum, Henricum, Bernardum, e quibus postremos divo Dominico in urbe sua rebellione, Gunterum vero vitæ canonicæ in Parthenopoli dicavit; Nicolao natu majori Rixam filiam regis Cimbrorum impuberem adhuc sponsalibus junxit, nec ita multo post obiit juxta patrem in communi conditorio tumulatus.

De Henrico germano Joannis & de filiis ejus, qvi eum peremerunt, deqve ultione, qvam de eis sumsit Nicolaus patruus.

Cap. IV.

Hinricus a filiis interemtus. Henricus germanus ex uxore prima, cujus nomen temporum antiquitate deperiit, sustulit Henricum ac Nicolaum. Duxit dein alteram ex principibus urbis Lunæ, ac tertiam ex principibus Venetum oriundam; e qua Barnymum sustulit, quem vitæ monasticæ in Colbasio mancipavit. Novercali dignitati filii primi matrimonii invidentes, sive imperium patris longævum pertæsi, dum capere eum, regni adviditate flagrantes, contendunt in insula Rugia ad Salas vicum; per imprudentiam interemerunt: pulsi ob id a Nicolao patruo, nusquam a suis sunt recepti. Nicolaus, qui a germano ad patris necem erat sollicitatus, doloris impatientia non ita multis interjectis diebus vitam cum morte commutavit. Henricus parricidii author vario studio urbes suas Gvarinum ac Pensselinum, ut se reciperent, sollicitavit; quum nihil impetrasset diluere posse facinus confidens Lacinii patruo diem dixit, arbitris Guislao Venetum ac Booslao Rugiorum principibus: quibus comitiis nihil præstans majorem multitudinis acerbitatem in se conflavit, vix ab eorum conspectu pedes elapsus Gustroinis mœnibus per medias convalles amœnissimas sese illatebravit. Hunc postridie, quam evaserat, bona pacis conditione Rugius princeps prosequutus a germano, ut eum revocaret, ablegatus, ab eo in Gustro, jure divino gentiumque violato captus, in Alistum vinctus est deportatus. Ad hunc liberandum Leo dux Megapoleus, quum equites lectissimos misisset bonam magnamque eorum partem prælio in medio itinere commisso desideravit; arces tamen invicem ab eo vi subitaria avulsit Sivain ac Leonem; quarum indigenas quum Leo durius haberet, Nicolaus Henrici patruus hæres familiæ herciscundæ judicio Leone aliquanto propior Laciniorum auxilio stipatus eas recepit, simul & in Syva equites auratos decem, qui fuere arci præsidio. Leo hac jactura accepta ultionis cupidus scholasticulum quendam urbis Gvarinæ consulis primarii filium munere captans clavium formam portæ urbis in cera expressam nactus, urbem occupavit clavibus adulterinis reseraram. Enimvero de dolo malo non ita diu lætatus est; superveniens enim Nicolaus a parte urbis, ubi navibus onera e stagno proximo subvectantur, urbem hostiliter irrumpens eos, qui in præsidiis fuere, partim morte confecit, partim cepit & in vincula jecit; mox victoria ea lætus *Rixam*, Cimbrorum regis filiam, quam a teneris annis adhuc in Dobertini cœnobio aluerat, nuptiis sibi apparatu magnificentissimo junxit; e qua Joannem sustulit & natam unam, cujus nomen temporum vetustate deperditum est, initio Erico Svevorum regi connubio destinatam, ac mox ruptis sponsalibus Gerardo Transalbinorum Comiti.

Leonis Ducis Megapolensis & Nicolai, patrui Hinrici, contentio.

De bello, qvod idem princeps

gesſit adverſus Rugios ac Marcomannum.

CAP. V.

Bellum cum Rugiis & Marcomannis.

Sub idem ferme tempus Guislaus Rugiorum princeps proceres quosdam ſuos cognomento Oſtenos e ſolo ſuo irarum plenus pepulit, qui ad Nicolaum Herulum confugientes ſuppetias ab eo ſupplices facti haud gravate impetrarunt. Prælio juxta vicum cognomento *Ramelonis* commiſſo ſuperior Herulus factus multos Rugiorum proceres cepit, Oſtenos ſolo pulſos, æqua conditione reſtituit. Adverſus Marcomannum bello quoque eis Thurium amnem omnia fœde vaſtantem arcem *Altenam*, ut injuriis eis commodius iret obviam, exædificavit, cujus exſtant veſtigia.

De morte ejusdem.

CAP. VI.

Obitus Nicolai.

Valetudine mox correptus in Galliis, ſalutem ab fratre quæſivit in monte Peſſulano; deſperata vero ſalute, ubi in patriam rediit, non ita multis poſt diebus vitam cum morte commutavit, in conditorio majorum ſepultus.

De mala morte Henrici parricidæ.

CAP. VII.

Fata parricida.

Henricus, qui omnium unus ex inclyta Herulorum domo familiam parricidio fœdavit, cum apud gentiles expiare facinus non poſſet, exilio perpetuo damnatus rebus omnibus exſpoliatus meritas pœnas impietatis dedit.

De Joanne Nicolai filio, & ſororibus ejus duabus.

CAP. VIII.

Joannes Nicolai filius & ſorores.

Joannes patre vita functo Mechtildin duxit, Ottonis Venetum principis filiam: e qua ſuſtulit Nicolaum cognomento quartum, & Joannem, qui adoleſcens mortuus; filias inſuper duas, equibus altera Comiti Marioneo nupſit, altera ſeſe Veſtæ in Dobertino devovit.

De Nicolao filio Joannis.

CAP. IX.

Nicolaus filius Joannis.

Nicolaus cognomento quartus uxorem duxit filiam Comitis Linogum e qua ſuſtulit. Gneum cognomento Janicum, Mechtildin quoque ac Agnetem, e quibus hæc nupſit Bernardo Herulo, qui ſine ſobole moriens hæreditatem in Lacinianos principes patruos transtulit, illa Laurentio Herulo urbis Guſtroinæ principi.

De Joanne germano Nicolai, & qvomodo Judæi euchariſtiæ ſacramentum ſæve lancinarunt in Herulorum Cracovia, nec multo poſt tempore in Güſtro, quomodoqve inclytus Dux Henricus, cui hæc noſtra dicavimus, eo in loco primus viros obſervationis integræ ſtatuit.

CAP. X.

De ſacrilegio euchariſtiæ in oppidulo Crakau & urbe Guſtrow.

Joannes Nicolai germanus uxorem duxit Mechtildim filiam Ottonis Ducis urbis Lunæ; ex qua ſuſtulit filios duos Nicolaum & Bernardum, filias compluſculas. Hujus tempeſtate impium hominum genus Judæi in Cracovia urbicula Herulorum euchariſtiæ ſacramentum ex æde ſacra furtim ablatum, non tantum ſæve lancinarunt; ſed & ſub dio ſine ullo honore relictum impie reliquere; ea injuria affectus optimus princeps pro magno habuit negotio, ut ſontes ad ſupplicium domeſticatim requiſitos ex comprehenſos e vinculis cauſam dicere cogeret; e quibus rem univerſam ordine didicit, & ipſam tandem euchariſtiam ſacram deprehendit, ſupplicium reos ignis ſubire juſſit. Verumenimvero vecordia hæc gentis impiiſſimæ non præſentibus pœnis, non divina ira nec cæleſtibus miraculis tantum cagiſtari viſa eſt, quin impii iidem ſabbatarii in urbe mox finitima Guſtro ſacrilegium tentare ſimile ſint auſi, quamvis perfidia mox prodita: nam muliercula generis perditi, poſteaquam fratrum fratriſque uxorem & contribulem gentem nulla poſſet perſvaſione a diro facinore revocare, quum inter medios etiam lancinantium ſtilos, infantem aſpectus jucundiſſimum exſiliviſſe, eſſet conſpicata, a fide eorum ad Chriſtianos defecit. Hæc quum a fratris dein uxore ad ſympoſium vocata ab ea ob impudicitiam deſciviſſe argueretur, inſuperque etiam ab ea vapularet, vocaliore earum recriminatione facta, a ſarciatore, qui per parietinas forte omnia audierat, flagitium eſt patefactum. Ipſa puella, quæ Apellis euchariſtiam vendidit ſacram, capta, acerbiore etiam ſupplicio, quam complices ceteri, pœnas luit; euchariſtia a muliercula, quæ paulo ante fidem Chriſti ſequuta, demonſtrata, a noſtris honorificentiſſime refoſſa, adhuc in loco religioſe colitur ſuperexſtructa ædicula, in qua tu, Princeps Henrice illuſtris, viros inclytos divi Franciſci ſinceros obſervatores primus ſtatuiſti.

De morte ejusdem Joannis Heruli.

CAP.

CAP. XI.

Obitus Joannis Heruli

Joannes Herulus facinore rite expiato non ita multis interjectis diebus, quum uxor ejus functa vita in rebellione condita esset, fato eam prosequutus in majorum suorum conditorio est sepultus, relictis Nicolao & Bernardo filiis; in cujus parentatione adsuere Barnimus Dux Venetum, Albertus Dux Megapolensis, Nicolaus ac Joannes Heruli.

De filiis ejus Nicolao ac Bernardo filiabusqve ejus.

CAP. XII.

Filii Nicolaus & Bernardus filiæque.

Vita functus Nicolaum ac Bernardum filios reliquit, filiasque duas, quarum deperdita nomina. Nicolaus uxorem duxit filiam Joannis Comitis Transalbinorum; e qua sustulit Laurentium & Joannem filiamque unicam, quæ nupsit Alberto Sassonum Duci cognomento de vico Belgero. Bernardus uxorem duxit filiam ejusdem Joannis Comitis Transalbinorum uxoris Germani sui sororculam; e qua sustulit Joannem, Mizislaum ac Mechtildim, quæ nupsit Henrico Duci Megapoleo aliamque, quam Vestæ dicavit in Altena, quæ præmatura morte sublata est: quam nec ita multo post tempore Joannes veneno extinctus est sequutus.

De Laurentio Nicolai Heruli filio.

CAP. XIII.

Laurentius Nicolai filius

Laurentius Nicolai filius a teneris annis rei Divinæ incumbens paci adeo didicit insvescere ut laudem ad posteros sit insignem adeptus. Uxorem duxit Mechtildim Gnei Janici filiam, Alisti urbis principis; e qua sustulit stirpis virilis liberos quatuor Balthasarem, Joannem, Nicolaum, Guilelmum. Nicolaus ex his in ætate adhuc tenera e vita migravit. Pater obiit grandævus sepultus in templo divæ Cæciliæ urbis Gustroinæ, matre tumulata in æde divi Francisci in urbe Alisto. Guiliemus quoqne nulla re memorabili a se gesta in fata pariter concesit.

De Balth-Assare ac Joanne Laurentii Heruli filiis.

CAP. XIV.

Balthasar & Joannes Laurentii filii.

Balth-Assar Laurentii Heruli filius uxorem duxit Euphemiam Magni Megapolei Ducis filiam, Joannis Ducis sororem, quæ post nuptias apparatu pompatico celebratas sine ulla ante sobole concepta e vita decesit, in templo divæ Cœciliæ sepulta. Gesit dein Balthasar bella cum civibus urbis Coloniæ cognomento Magnæ, quos igne ferroque pasim depopulans brevi eo perpulit, ut pacem peterent; quam tandem magno æris pondere emtam obtinuere. Duxit dein Heilabigam sororem principis Salosviceni, Transalbinorum ac Stormariorum Ducis. Enimvero peste correptus obiit & nihil liberorum reliquit tumulatus in templo divæ Cæciliæ, Joannes germanus & ipse non ita multo interjecto tempore e vita decesit; quæ res efficit, ut e Catharina, sorore Ducis Leopolitani, quam duxit uxorem, nullos sustulerit liberos, apud majores conditus.

De Joanne Herulo Bernardi germano.

CAP. XV.

Joannis conjugium & filii.

Johannes Herulis Guarinæ urbis Princeps, Bernardi Heruli germanus, multa virtute præditus, finitimis omnibus charus ac perjucundus evasit, uxorem duxit Gnei Janici Heruli sororem, que ei perperit Nicolaum, Christophorum, Vivianum, qui in pueritiæ annis mortem obiit, ac Guilielmum; præter vero hos stirpis muliebris Mizislavam, flaminicam post factam in urbe Quadorum metropoli, & Agnetem, quam Vestæ quoque dicavit in Malaca urbe.

De Nicolao Joannis filio, Christophoro ac Guilielmo.

CAP. XVI.

Nicolaus Joannis filius.

Nicolaus Herulus, Joannis Heruli filius natu maximus, adolescens pientissimus, supraque ætatem prudens, dum parsimoniæ præter majorum consvetudinem studet, rem familiarem fœneratoribus magna ex parte suorum luxu obnoxiam ære suo reluit. Uxorem duxit Sophiam Ducis Juliæ Augustæ filiam, cujus ante maritus Ericus Alberti regis filius, princeps Megapoleus, morte erat sublatus; e qua sustulit Juditham, quæ nupsit Henrico duci Megapoleo. Ipsa Sophia mox naturæ debitum persolvit; nec ita multo post Nicolaus ipse, qui in Doberano sepeliri se tabulis supremis mandavit. Christophorus quoque uxorem duxit, cujus nomen est scriptorum incuria deperditum, e qua nullam prolem suscitavit; qui præterquam quod Marcomannis bellum intulit, jaculo infeliciter ictus haud procul ab arce, quæ a Majo tenet nomen, occubuit, in Rebellione sepultus in æde divi Dominici. Guilielmus litteris ab ineunte ætate exercitus, ex gymnasio Casurgiano eruditior reversus, templo divæ Cæciliæ canonicorum omnium suffragio præpositus lectus, rebus divinis cum magna aliquamdiu gloria præfuit. Verumenimvero Contribulibus omnibus sine liberis exstinctis, quum unus omnium superstes esset, ut familiam inclytam repararet, animum adjecit, amicorum consensu persvasus ut uxorem duceret Annam filiam Alberti principis Anarciorum, quæ paulo mox mortua nullos ei liberos edidit. Duxit dein Sophiam filiam Vratislai principis Venetum Rugiæ & Bardorum Ducis, e qua nullos quoque liberos stirpis virilis sustulit,

ſtulit, alterius ſtirpis Catharinam duntaxat, qua ſuperſtite mortem obiit. Rem a majoribus relictam in Henricum & Joannem Seniorem Stargacianos duces Henricum Seniorem ac Joannem Juniorem Duces Megapoleos ex æquo transmiſit ſepultus in templo divæ Cæciliæ- Principes ipſi, ut ſolo univerſo potirentur, Catharinæ Guilielmi filiæ pondo argenti millia viginti pacti, quum ea Barnymo Venetum Duci, cui erat Catharina ea ex Sophia ſorore neptis, perſolviſſent, haud gravatim ipſum cum jure univerſo ac procerum cumprimis manu obtinuere.

De
Ditione Laciniana, quæ Ciſſina ac Roſtochiana
ad
Illuſtrem Obetritarum Principem
HENRICUM,
NICOLAI MARESCHALCI THURII
Liber III.

Cap. I.

De ditione Lacinia ſeu Roſtochienſi.

Burvinus Nicoloti ejus, qui ditionem Herulam ſortitus eſt, ex Henrico Burvino cognomento Juniore germanus Laciniam ditionem ſorte eſt nactus. Rem divinam is in tenera adhuc ætate augere concupiens Cimbricam arcem Lacinio urbi finitimam Doberano cœnobio dono dedit, cæterosque ſacri ordinis viros munificentia ſua usque liberaliter benigneque ſovit. Uxorem duxit Margaretham Cimbrici Regis filiam; e qua ſuſtulit Baldomarum Henricum & Ericum qui poſtremi patrem nobili impietate perſequentes, lumine eum privarunt; ob id non multo poſt tempore morte præmatura ſublati juxta patrem in conditorio Doberaneo ſunt tumulati.

De Baldomaro Burvini Junioris filio.

Cap. II.

Baldomarus Burvinii Junioris filius.

Defuncto patre ac germanis Baldomarus ſuperſtes ſucceſſit, qui uxorem duxit Transalbinorum Ducis filiam, ex qua ſuſtulit Nicolaum, cognomento puerum. Ipſe re nulla memorabili geſta inter ſuorum prœlia inteſtina multa ſtrage ſanguinaria, quibus, quum poſſet, nihil repugnavit, immodica in purpuratos ſuos indulgentia effeminatus, mortem, ubi obiit, apud majores eſt conditus.

De Nicolao Baldomari filio cognomento Puero.

Cap. III.

Nicolaus Baldomari filius.

Nicolaus Baldomari filius cognomento Puer purpuratis quoque ſuis nimium indulgens, rem a majoribus ampliter acceptam diſpendio brevi amiſit. Sponſalia inter ipſum ac filiam Comitis Linogum virginem ſpecioſiſſimam celebrata, temeritate potius, quam conſilio, reſcidit: nec inclyta ob id virgo connubio caruit Noricorum regi non multo poſt conjux facta. Miſſis poſt ad Albertum Marcomannum purpuratis filiam ejus Beatricem indolis inclytæ virginem haud gravate impetravit; ſed quam pari temeritate puer egregius repudiavit, quanquam id non ſine modica rei ſuæ jactura, ſuperinducta uxore principis Rugiam filia. Permoti rei indignitate Marcomanni Otto ac Hermannus germani, in ſolum Lacinianum igne ferroque paſſim populabundi tantiſper debacchare, quoad urbis Lacinii viri primores ære injuriam redimere ſunt coacti agris ſingulis ſoli totius Laciniani argenti pondo ſingulis mulctatis Nec Bugianus Princeps impune illatam injuriam evaſit, quin commiſſo prœlio gravi vulnere in calva accepto in medio ipſo prœlio captus, non eſt ante dimiſſus, quam pari agrorum mulcta iras Marcomannorum juſtas expiaret.

Qvomodo Lacinium urbs in Cimbricam ditionem ceſſit imprudentia Nicolai, cognomento Pueri, ac duorum conſulum Alberti Snakenbergii & Conradi Renſovw.

Cap. IV.

Lacinia urbs a Cimbris occupata.

Vetus prudentum dictum eſt, amore, libertate, clementia, rempublicam creſcere, odio, ſervitute, ſeveritate decreſcere; durior etiam ſervitus viam plerumque monſtrat, cervicem jugo ſubtrahendi. Et revera ita eſt, civile vulgus nec temperare ſibi novit nec in rebus proſperis nec in adverſis: aut enim in totum humiliter & abjecte vivit, aut arroganter ſumta licentia ſæve vult dominari. Ita Laciniana respublica duorum conſulum tumultuaria animadverſione ut ſemel eſt turbata, effreni multitudini occaſionem peropportune tribuit, omnia per ſummam licentiam audendi. Ipſos enim conſules in cuſtodiam publicam initio conjectos male accepere cives; & equites inſuper duos auratos Federicum ac Joannem cognomento de Mulctis, reguli ſui purpuratos, Leonis principis hoſtes infeſtiſſimos, conſulum nuper ſvaſu expulſos intra ipſam urbem reduxere conſiliorumqve ſuorum omnium participes fecere in ſuam totiusqve reipublicæ perniciem. Illorum namqve perſvaſu cives urbem ipſam Nicolao Puero excluſo, qvi liberis caruit, ne ad Leonem eo vita functo perveniret, Erico Cimbrorum regi per ſummam invidiam, ne dicam ſtultitiam, dedidere, fore arbitrati, ut libertatem ita ſuam ſub hero potentiore eodemqve rege melius tutarentur; qva tam diu rex potius eſt, donec Leo Megapoleus princeps opera eam ſua & meritis amplisſimis vix receperit.

De

DE DUCATU VENULO SIVE STARGATIO AD ILLUSTREM OBETRITARUM PRINCIPEM HENRICUM NICOLAI MARESCHALCI THURII LIBER IV.

Cap. I.

De ducatu Venulo seu Stargardensi.

Leo Dux Megapoleus princeps clarissimus, cujus affatim gesta libro I. docuimus inter liberos ceteros Joannem habuit, quem Alberto Vjus germano principatu Megapoleo adscripto Venulorum Ducem primum effecit; qui primus cum Germano ipso Alberto princeps imperii Romani in Casurgi Bojorum urbe principe factus est, homo multa modestia ac mansuetudine clarus, qui sub Carolo Romano Cæsare in Galliis pro Philippo ac Balba Gallorum regibus adversus Eduardum Britanniæ ulterioris regem, quum bello Gallos urgeret, prima stipendia ferens eques eo bello auratus factus insigni pompa defunctus rediit. Reversus uxorem duxit sororem Atuolphi comitis Transalbinorum, ex qua Annam sustulit filiam, nec plus ex ea liberorum, quæ nupsit Vratislao Duci Bardorum: defuncta uxore ea alteram duxit Comitis Linogum filiam, quæ sibi peperit Joannem Udalricum, Rudolphum ac Albertum; qui postremi vitæ canonicæ sunt mancipati, hic in Curbaco, ille in Marione.

De Joanne Joannis filio ac Udalrico germano ejus.

Cap. II.

Joannes & Udalricus fratres.

Joannes Joannis primi Ducis Stargacii filius moribus egregiis per omnia patrem non tantum æquans, sed propemodum etiam superans, uxorem duxit Guilhaidem sororem Jaguli regis Sarmatharum; e qua sustulit Joannem & duas filias: uxorem, candidatulam adhuc fidei, moribus Christianis firmavit, & pridie, quam nuptias cum ea celebraret, aqua cum germanis duobus sacra lavandam curans religioni Christianæ inauguravit. E filiabus altera flaminica facta est in cœnobio Ribenicio, altera Ottoni Duci Venetum per nuptias collocata. Interea dum hæc aguntur Judocus Herrmandurorum, Marcommannus, ejus ac germani Udalrici animadversa integritate, Marcomannos, qui sunt Herulis finitimi gubernandos submisit. Verum enim vero dum inclytus princeps ex fide omnia moderatur a Comitibus Linogum ac Quiccovia familia nullo suo merito in vincula correptus vix multo ære a suis redemtus est. Udalricus germanus adolescens adhuc sub Sigismundo Pannonum rege non sine insigni laude militans eques ab eo auratus ob militarem peritiam factus, ingenti honestatus gloria rediit, uxoremque duxit Swantobori Venetorum Ducis filiam, e qua sustulit Henricum. Bello post a finitimis petitus non solum id non detrectavit, sed prœlio commisso, cum res Venula superior esset, urbes hostium compluscula hostiliter diripuit & vastavit; qui moriens apud majores suos condi se jussit.

De Joanne Joannis filio.

Cap. III.

Filius Joannis.

Joannes filius Joannis ingenio ad omnia vegeto adolescens adhuc bello a Marcomannis tentatus, prœlio infeliciter commisso captus est ab hostibus ac diu in vinculis, in Tanagramunda detentus, multo tandem auro est redemtus. Postliminio reversus uxorem duxit Lutrudem Albarti Anarciorum principis filiam, e qua nullos liberos sustulit; crurum dolore, quem ex vinculorum iniquitate ceperat, in Colonia magna medicos consulens, in febrim lapsus, mortuus est, condicus in monte stellarum.

De Henrico Udalrici filio.

Cap. IV.

Filius Ulrici.

Henricus Udalrici filius uxorem duxit Ingeborgim filiam Booslavi Venetum principis, e qua sustulit Udalricum.

De Udalrico Henrici filio.

Cap. V.

Ulricus Henrici filius.

Udalricus Henrici filius, princeps pientissimus, uxorem duxit Catharinam Guilielmi Heruli filiam; e qua sustulit aliquot filias: e quibus una nupsit comiti de Penthenio, altera in Renis Vestæ se devovit, vir bello inclytus, qui multis prœliis cum Federico Marcomanno, Ottone urbis Lunæ duce, Barnimo Venetum ac Bardorum principe feliciter depugnavit. Solymis ille mausoleum salvatoris nostri cum Magno Duce Megapoleo patre tuo, princeps inclyte, religiose spectavit: nec eo tamen contentus; Sinaum enim montem insigni amore adiit, & ibi divæ Catharinæ reliquias venerabundus salutavit. Vixisset inclytus princeps multos haud dubie annos, ni purpurati sui incuria veneno, ut putant, extinctus fuisset; qui ut optimi principis favore solus potiretur, quum unus ei tantum inter aulicos obstaret, dum eum poculo ad id parato tollere nititur, herum, avide id, dum nihil mali inibi suspicaretur, sumeret non sine publico mœrore peremit. Quo defuncto jus ejus universum in Megapoleam, ut diximus, familiam repedavit, quum nullos liberos stirpis virilis reliquisset.

AD

ILLUSTREM OBETRITARUM PRINCIPEM IN VITAS PRISCORUM VANDALORUM NICOLAI MARESCHALCI THURII

LIBER V. ET VLTIMVS.

QUOMODO SARMATHÆ, QUI ET VANDALI, GALLIAS, ITALIAM, HISPANIAM INVASERE, REGES NOVOS LEGERE; ET DE REGNI EORUM FINE.

Cap. I.

Vandali in Galliam, Italiam & Hiſpaniam irruentes ſub Radagaſo.

Primus Stilico patricius Romanus, interemto in montibus Feſulanis Rhadagaſo Herulorum rege, quem cum ducentis militum millibus ex Herulis ac gentibus vicinis lectorum pellexit in Italiam, Vandalorum ſe regem nominavit cum Eucherio filio, ab Honorio Cæſare brevi ſuperatus.

De Corſicone Rege.

Cap. II.

Corſico.

Succeſſit Corſico homo ferociſſimus, qui accitis in ſocietatem Unnis per Gallias debacchatus, quicquid inter Alpes & jugum Pyrenæum eſt, quod oceano ac Rheno includitur, occupavit, antiſtites urbium cepit, flamines interfecit, templa ſacratiſſima vaſtavit & profanavit, parochias diſſipavit, martyrum reliquias effodit, urbes multas evertit; interque tot hæc mala nulli ætati, nulli ſexui pepercit, incendiis, ruinis ac rapinis omnia permiſcens; donec urbem Arelatum obſidione premens a majore præſide captus ac per omnes urbes, quas affectabat, catenis religatus ignominioſe tractus, ſpectandus morte, poſt cruciatus multos ac ſæviſſimos, deperiret.

De Fredebaldo Rege.

Cap. III.

Fredebaldo.

Enecato Corſicone Fredebaldus ſucceſſit quem Conſtantinus patricius aſtu captum catenis vinctum ad Honorium Imperatorem miſit; ſub quo, donec vixit, exulavit.

De Gunderico Rege & de Vandalorum diviſione ſub regibus duobus Gunderico & Singibano.

Cap. IV.

Gunderico.

Eligitur interim Gundericus, qui annis quatuordecim regnavit; cujus temporibus Vandali ſe in partes duas diviſere; quidam enim ad tutandas Pyrenæas anguſtias contra Vandalos irruentes prædæ abundantia illecti, quo magis prædari ſcelere impunito liceret, Vandalis cuſtodiam prodidere, qui Hiſpaniam multo tumultu intrantes, urbes multas occuparunt, ubi poſt graves, rerum provinciarumque poſſeſſione viritim diſtributa, ſub Gunderico remanſere. Pars alia in Aurelianis manens Singibanum ſtbi regem conſtituerunt, qui non ita multo poſt in imperii ditionem ceſſere. Gundericus ergo Hiſpaniarum domitor eccleſiis Dei inſidias varie tetendit, quarto decimo imperii ſui anno Deo hominibusque inviſus, interiit.

De Genſerico Rege.

Cap. V.

Genſerico.

Gunderico ſucceſſit Genſericus vir magnanimus ac ferus, qui mox regno ſuſcepto collegit exercitum ac millia Vandalorum octo in Hiſpanias coegit; mare ſeptem tantum paſſuum millibus latum in Africa vado transmiſit, Carthaginem urbem potentiſſimam cepit anno quingenteſimo triceſimo quinto, poſtquam Romanis cœperat eſſe ſubjecta. Annis triginta ſeptem ibi regnavit; omnem vero oram finitimam, ipſam etiam Ægyptum ac Æthiopiam rapinis multis ſibi ac latrociniis potius, quam bello, ſubjugavit; claſſem etiam maximam in Siciliam duxit, quam ſubinde & in Africam tranſportavit. Mox Arriana impietate depravatus fidem catholicam omnino ſubvertere conatus eſt: quo tempore divus Auguſtinus antiſtes Hipponenſis, cum urbs ipſa ab eo obſideretur, de ſalute patriæ anxius poſt multas lacrymas diu ſuſpirans tandem exſpiravit. Africa univerſa ſubacta Siculos ac Apulos adiit, flamma ac ferro ſibi ubique viam aperuit. Eudoxa quoque Valentiniani Genſericum in ultionem cædis nuper mariti ex Aphrica usque aceerſivit in Italiam. Qui magno exercitu in Italiam navigavit, urbem ingreſſus & quaſi deſertam inveniens quamvis natura ſanguinarius, ſacris tamen pepercit ædibus, igne abſtinuit & cædibus Leonis ſummi Pontificis monitu placatus; tredecim tantum diebus militibus ſuis prædam conceſſit, lectis ſpoliis prædam opimam abduxit, & in ea Eudoxam cum duabus filiabus, quarum altera Thraſimundo Genſerici filio nupſit. Quibus ita geſtis paulo poſt in Africam rediens vitam finivit.

De Honorico Rege.

Cap. VI.

Honorico.

Succeſſit Honoricus, gener, Zenonis principis temporibus; qui & ipſe Arrianorum perfidia depravatus eſt; qua impietate effrenatus antiſtites trecentos cepit clauſisque templis eorum in Sardiniam exulare coëgit, multosque ex eis poſt morte affecit; inter quos divus Cyprianus ac Felix. Qui imperii anno ſeptimo menſe quinto mortuus Childericum filium reliquit, qui & Illyris dicebatur.

De

De Gundamundo Rege.
Cap. VII.

Guntamundus. Successit Guntamundus Genserici fratris filius vir catholicus ac devotus, qui catholicos omnes ab exilio revocavit & annis duodecim regnavit.

De Trasimundo Rege.
Cap. VIII.

Trasimundo. Honorico Trasimundus successit, qui Childericum Honorici filium regni hæredem excluſit, Honoricum per omnia imitatus, qui & ipse quidem clausis templis triginta episcopos in Sardiniam exilio damnavit, Childericum sacramento compulit, ne catholicos in regno suo aut consuleret aut inhabitare permitteret; post fœda morte consumtus.

De Childerico rege Honorici filio.
Cap. IX.

Childerico. Childericus, qui & Illyris, Trasimundo successit, homo pius ac clemens; qui priusquam regium diadema capiti imponeret episcopos omnes catholicos a majoribus suis in exilium damnatos revocavit, diœceses reddidit, templa pro majestate in melius reformavit, bona eis multa contulit.

De Gilimere ultimo Vandalorum Rege.
Cap. X.

Gilimere. Gilimer, qui & Godiver, sumta tyrannide Childerico regi fidelissimo regnum adhuc adolescentulo surripuit, eumque extra provinciam expulit. Quo audito Justiniastus Imperator Belisarium patricium ad eum bello tentandum misit, qui Christianum se vovit futurum, si Vandalos vinceret. Trajecit ergo in Africam: quo tempore Gilimer tyrannus castra in maris littore metatus est. Belisarius cum Antonina uxore Christianissima terra marique bello eum adortus est, primoque impetu Antonina classe sua Vandalorum mulieres ac parvulos delevit. Belisarius Gilimerem cum exercitu maximo occurrentem compulit in castra, disjectoque cum suis hostiliter vallo ad internecionem exercitum cecidit, tyrannum cepit, & catena argentea vinctum Byzantium Justiniano Imperatori misit: quem testibus exsectis contra Persas ex finitimis latrocinantes creavit patricium. In quo Vandalici regni fasces desiere.

X.
NICOLAI MARESCHALCI, THURII,
AD
VIRUM INSIGNEM CASPARUM DE NOBILI BELLÆ QUERCUS FAMILIA, DUCALEM ARCHIGRAMMATEUM
COMMENTARII
IN LIBROS GESTORUM OBETRITARUM.

Historiæ pretantia. Quanta sit historiæ utilitas quantaque in legendo jucunditas, minime te, Caspare, vir celeberrime latet, qui es non tantum litterarum, sed litteratorum omnium amator insignis. Non possum ergo non laudare te, qui litteras simul cum armis humanissime tractas, præter cæterorum procerum consuetudinem, qui per otium, ne dicam lasciviam, vitam ignobilem agentes nullam de se ad posteros memoriam relinquunt; qui tantum absunt, ut litteras ament, ut etiam in universum contemnant omnes & comtentim agnominent, quicunque litteris incumbunt: quod scelus longe a te alienum docti omnes fatentur, qui es nobilitatis ingenuæ specimen singulare. Merito ergo tibi honos is maximus contigit, ut apud principem optimum locum principem obtineas, sine quo nullum ferme negotium tenet; archigrammateus talis qui toti sit principis aulæ ac genti universæ charus æque ac perjucundus, prudentiæ in scribendo singularis & facundiæ lepidissimæ. Quibus rebus in tantam evasisti opinionem, ut familiam tuam nobilem longe etiam reddideris nobiliorem; unde jure tibi omnis gentilium tuorum debeat posteritas.

Caspari a Schœneich. Cancellarii Mecklenb. elogium.

Quamobrem quum *libros rerum Obetritarum gestarum quinque* absolvissem, quos ad Henricum illustrem eorum principem *Brandano de Schoneribus*, patruo tuo hortante, cepi, viro laudis eximiæ, in cujus tu es locum subrogatus; omnium unus dignissimus occurrebas, cui enucleatissime interpretata dedicarem ea, quæ putavi in eis remotiora, quam ut facile a mediocribus intelligerentur. Usus enim sum, fateor, non sine singulari ratione veris priscisque locorum nominibus, quo res Germaniæ scriptitans, barbariem ineptulam abrogarem, repositis in locum, quæ historiam eam illustriorem facerent, nedum jucundiorem, inclytos sequutus autores, quos nemo nisi barbarus unquam contemnet. *Plinius* enim eruditorum omnium eruditissimus bonam magnamque Germaniæ partem eruditissime scripsit, antequam eum divus *Julius Cæsar* & divi Augusti jussu *Strabo* ac *Dionysius*. Nec defuit *Mela Pomponius*, *Ammianus Marcellinus*, *Cornelius Tacitus*, *Claudius Ptolomeus*, qui sub Antonino Cæsare scripsit, quibus non injucunda addidit Carolus cognomento Magnus Albuino viro græce & latine erudito usus; quos malo quam retorridam barbarorum turbam ego imitari.

Ejusque antecessoris Brandani a Schœneich.

Ratio de Autorit dictionе latina & græca.

Quod si quando a publicis negotiis vacans horis ea subcisivis legens, memor sis mei, qui te ob virtutes singulares magis ac magis in dies amo. Addidimus & tibi caput de temporum ratione, ut, si qua desiderentur in iis libris quinque, quos *argumento haud dissimili lingua scripsimus vernacula*, hic inveniantur; qua lingua ideo non dubitavi *rhythmo* scribillare, qui Publium Ovidium Nasonem Getice, quum Tomis in Ponto exularet, legimus ad regulos quosdam scripsisse, & Dantem Aligerium virum latine alioquin apprime eruditum Hetrusce. Vale. En vocum elucidarium!

Vocum praecipuarum explanatio germanica.

1. *Campi Themiscyri* sunt juxta Cappadociam teste Plinio, Orosio, Strabone. 2. Parietinæ, alde Wende. 3. *Prægustator*, ein Credentzer. 4. *Edeatra*, der Essen vortræget. 5. *Argyroaspidæ*, Lantz-Knechte myt silbern Wasen; 6. *Chrysoaspidæ*, myt gulden Wasen. 7. *Obetritæ*, die bonte Rotte. 8. *Comprimere*, beschlafen. 9. *Parentare* Begræbniss thun. 10. Nec dicendum *Magnopolis*, sed Megapalis, cum dictio græca. 11. *Complere uterum*, schwanger werden. 12. *Levare ventrem*, id est, ire ad opus naturæ. 13. *Perebegesis*, liber Dionysii de situ orbis. 14. *Rypa*, ein Ufer, non ein Bach. 15. *Vindelici*, Hoch-Schwaben. 16. *Rheti*, die Rischlenden. 17. *Sarmathæ*, das Wendischland. 18. *Thraces*, Retzen; sed præter id adhuc alias tenent gentes ipsi Thraces, qui sunt Dacæ, i. e. Walachen, & proxime Dardani i. e. Dardunen, & aliæ. 19. *Rasciamus* quoque ein Retze teste Plinio; 20. *Thracia* vero quondam Hellas dicta fuit. 21. *Bucranum*, ein Helme von einem Ochsen-Kopff teste Aldo Manutio. 22. *Heruli* de Wendischen Herren vel de Werlischen Herren. 23. *Bagnisus*, de Wagenitz. 24. *Travus*, de Trabe. 25. *Suevus*, de Swyn, est fluvius bydem Sunde. 26. *Buricium*, Strales Sunde. 27. *Colancorum*, Friedewald. 28. *Chalusus*, die Hase vor Lubeck. 29. *Lacinium*, Rostock, Ptolomeus corrupte habet libro Laci burgum. 30. *Pulvinaria*, Küssen; als uff den Altaeren, da die Hilgen uff stehen. 31. *Ostrum*, Purpurgewandt. 32. *Stargacia*, teste Ptolomæo Stargardt; nec dicendum Startgardia; loquuntur enim aliter vulgus aliter docti. 33. *Brysa*, Nigen-Brandenburg. 34. *Tullus*, die Tollentz. 35. *Varna*, die Warne. 36. *Cimbri* die Thenen. 37. *Panis*, die Pein. 38. *Malachi*, Malachein. 39. *Warinnæ*, Waren, Arx Herulorum. 40. *Werle* bey Swan: & nota, quod *Svan* ab antiquis dicitur *Siva* a Venere, quæ ibi colebatur, quam Sivam appellabant; sic nunc corrupte dicitur Swan. 41. *Wismaria*, Wismar: Sarmatæ enim frequenter utuntur V duplo pro simplo contra morem Romanum. 42. *Palus insula*, Poele. 43. *Venuli*, Stargardisch Landt; mali libri habent Winuli, sicut est mos Vandalorum. 44. *Megapolis*, Meckelenburg. 45. *Marionis* Sweryn, teste Ptolomæo: duæ tamen sunt Mariones teste eodem; citra Albim Marionis prima nunc dicitur Lunenburg; trans Albim altera est Sweryn. 46. *Alistus*, Parcheim eodem teste. 47. *Brysa*, Alten-Brandenburg an der Havel. 48. *Todera*, Havelberg. 49. *Venno*, Werben, a Deo Bennone, quem ibi coluere, vulgus dicit Were Benn, quia invocabant eum in magnis periculis. 50. *Auola*, de Habel. 51. *Albis* de Elbe. 52. *Sarmatha* & *Vandalus* & *Sclavus*, ein Wende: & quia in illa terra, ubi Poloni sunt adhuc, plurimi sunt; ergo fit, quod quidam dicunt Sarmathæ, ein Pole; & est verum; non tamen significat solos Polen, sed omnes Wenden. 53. *Venetes* in tertia declinatione & secunda, Pommeren, teste Ptolomeo & ante eum Tacito, Veneti in secunda tantum Venediger, *Rugii*, Rügen, teste Tacito, Ptolomæo & Plinio. 54. *Glessaria*, Churlandt. 55. *Glessum*, Borneistein, qui crescit ibi. 56. *Sauromathæ*, Sarmaiterland. 57. *Massagetæ*, Massauer. 58. *Chuni* Russen. 59. *Bructeri*, Pruessen teste Cæsare Julio, Plinio, Sidonio. 62. *Cherusci*, Schlesinger. 61. *Ligii*, Lignitzer. 62. *Chatti*, Lusitzer. 63. *Sorabi*, Missener. 64. *Sale*, die Sal. 65. *Thurii*, Duringen. 66. *Boi*, Böhemen. 67. *Hermanduri*, Mähren. 68. *Germania prima*, Ober-Teutsch-Landt. 69. *Croace*, ein Krabate. 70. *Illyres*, Ubirwendischland. 71. *Chauci*, Sticht-Genossen. 72. *Menapii*, Gulicher. 73. *Sicambri*, Gellern. 74. *Batavi*, Hollander, ut dicit Tacitus, Plinius, Cæsar, Strabo & alii. 75. *Adorare*, nigen. 76. *orare* anbeten; adoramus reges & principes; oramus Deum. 77. *Pueri patrimi*, die jungen Sone, die dem Vater zur Kirchen folgen; *pueri matrimi*, die Tœchter, die vor der Mutter gehen, & non dicuntur sic, nisi parentes habeant adhuc vivos. 78. *Bubus* melius, quam bobus. 79 *Litare*, id est placare vel offerre. 80. *Exenterare*, sunt Erasmus machen. 81. *Sympostum*, ene Tzeche. 82. *Sympostasta*, ein Tzechen Broder. 83. *Orphanotrophum* vor Elende. 84. *Xenodochium* vor der Alten oder Pilgern. 85. *Bephotrophium* vor Vündelinge oder Kinder. 86. *Saltus Gabellarum*, Gabel Heyde. 87. *Stato tempore*, uff nähmlich Tidt; cave, ne dicas statuto tempore. 88. *Pirata*, ein See-Ruber. Piratica, See Rouberie. 89. *Lustrare*, umme den Fluhr gahn, id est, circuire agros cum cruce, aut alio modo. 90. *Flamen*, ein heydnisch Prester. 91. *Polabi*, Ratzeburger Land. 92. *Ærarium*, ein Geld Kasten. 93. *Deplere*, usfollen. 94. *Ædes* in singulari, ein Kirch; in plurali Hüser. 95. *Tergeminus*, Triclauw, quia habet tres frontes. 96. *Anastasis*, id est resurrectio mortuorum. 97. *Commentariorum Caroli Magni pars* invenitur in Appendice Plutarchi Cheronensis in fine. 98. Quando loquimur *de Germania superiore* & dicimus *Suevus*, so heists ein *Schwabe*, & *Noricus* ein Bayere; quando de *inferiore Germania*, tunc *Noricus*, ein Norwege; Suevus, *ein Schwede*. Testes sunt Tacitus, Plinius; & Lucanus,

Fun-

Fundat ab extremo flavos aquilone *Suevos*
Albis - - - -

Ibi dicit Sweden, quia illa habitant in Aquilone, non alii; qui Schwaben. 99. *Eques*, ein Reuter. Eques auratus, ein Ritter. 100. *Canterius*, ein Russisch Pferdt. 101. *Rascianus*, ein Retze. 102. *Lutetia*, de Stadt Paris; Parisii dat Landt, teste Cæsare 103. *Casurgis*, Prage. 104. *Marcomannus*, de Herre der Mergker: ille nunc a barbaris dicitur Marchio. Marcomannæ die Mereker; in *us* est princeps populus vero in *a*. 105. *Gothi*, Gotlænder. 106. *Getæ*, Gutlænder. 107. *Quadi*, die Quaden henneken, & sunt vor Halberstadt & Magdeburch. 108. *Gepidæ*, Ungeren. 109. *Vistula*, die Wichsel; appellatur etiam *Gutalus* & *Justillus* teste Plinio & Mela. 110. *Antistes*, ein Ebtischin, quando est generis fœminini; Flaminica idem; sed antiquitus, eines Heydnischen Priesters Fruwe; & illa tunc etiam fuit in honore, sicut nunc Abbatissa, Virgines Vestales vel Sanctimoniales. 111. *Castrum*, quod a vetustate nomen ducit, *Stargatium*, quod Vandalica lingua dicitur Stargard, Teutonice Aldenburg: Ptolomeus autem usus eruditis viris Stargatios quosdam Sarmatas dixit, non Stargardos. 112. *Cimbri* Femern significat. 113. *Mons Julii* sive victoria, Segeburg. 114. *Mordicus*, uff kleine Bisgen oder Stucke. 115. *Craneus*, Hirnschedel. 116. *Transalbini sive Varini*, quamvis libri corrupti *Vagiri* habeant, HOLTZSTEDEN LANDT; appellatur etiam a Plinio *Chersonesus Cimbrica*. 117. *Stargatia Aldenburg* in Holsteter Landt. 118. *Vicus Bardorum*, Bardewic; est antiquissima urbs. Bardus heist einer der Meister-Lied singhet; & illi antiquissimis temporibus ibi fuere in habitu, sicut nunc monachi habiti in magno honore; noverunt enim dicere de rebus divinis & futuris: post conversis ad fidem, facta sunt ibi multa templa quorum titulus ostendat eam fuisse antiquiorem Treveri, quæ præcessit Romam annis mille quingentis. 119. *Mundus muliebris*, Vrouwelick Geschmock. 120. *Solymæ*, Hierusalem. 119. *Internuncii*, Kuplers. 121. *Debriolatus*, ebrius. 122. *Hybernaculum*, eine Stobe; nec dicendum Stuba. 123. *Lararium*, ein Capelle, oder Bete Hüselein. 124. *Sacellum* idem, nec dicendum Capella, quia hoc significat parvam capram. 125. *Sauromathæ*, die Amazonen. 126. *Amicula*, ein Buhle. 127. *Oenopolium* ein Wyn-Keller. 128. *Mons Ranorum*, der Ransberg vor Lubeck nunc appellatur Ierusalem, posito ibi sacello. 129. *Salne*, de Sultz Oldeslo intelligitur. 130. *Arctaunum*, Würtzburg teste Ptolomæo. 131. *Ertenopolis*, Erteneburg. 132. *Asorota*, Plaster van Stene, generis neutr. plural. num. 133. *Cenognum*, Lavenburg. 134. *Hinnire* wiherhen; est clamor equorum. 135. *excubiæ*, Schiltwachen. 136. *Castra*, Gezelt. 137. *Barbarum mare*, der Balth; idem est Sarmaticum. 138. *Julia Augusta*, Wolgast in Pomeren, in Mecklenburg. 139. *Tributum Cæsaris*, Tribbesches; quasi Tributsees. 140. *Compellare*, fründtlich grussen oder ansprechen. 141. *Primipili*, die die Spitzführen. 142. *Antesignani*, item aquiliferi, die Banner Herren oder Fehnrich; nec dicendum Barones. 143. *Symbolum*, Losung, Tessera item. 144. *Classicum*, Feldt-Geschrey. 145. *Avitum*, von sinen Elteren hergebracht. 146. *Bryse*, Brandenburg. 147. *Toderæ*, Hauelberg. 148. *Linoges*, dat Landt van Lindaw, da sick der Graff von Repin van scribet. 149. *Caduceatores* Legaten oder Sendebaten umb Friede. 150. *Stativa*, ein Läger in dem Heer secundæ declinationis gen. neutr. 151. *Obses*, ein Geissel, id est, ein lebendig menschlich Pfandt. 152. *Salosewicus* Schleswig, olim *tolonia* dicta & *Idibum*. 153. *Morini* Flandern teste Plinio, Vergilio. 154. *Aremorici*, Seelendere. *Aremorica* est Armuge, die Mittelburg in Seelant. 155. *Pannones* Ungern und Oesterreich sed Pannonia inferior Ungern, superior Oesterreich. 156. *Byzantium* est Constantinopolis. 157. *Commeatus*, Nothdurfft im Heere. 158. *Ulixbona*, Lissabon. 159. *Angrinanii*, Engerlender vel Engern, nicht Engellender. 160. *Norici*, Beyern. 161. *Respeculator*, ein Vordreber. 162. *Frumentari & pabulari*, Futter hohlen. 163. *Stratagema* ein neuwer usst Reuter Fundt. 164. *Sarissa* een Speer. 165. *Tormentis adgredi*, stormen. 166. *Dedere*, gefangen geben. 167. *Tulisurgum*, Brunswick teste Ptolomæo; similiter *vicus Brunonis*, quia vicus significat antiqua Germanorum lingua ein Wick, das ist ein Stadt & in memoriam Aldewick. 168. *Ilium* Ilowbie Burcau. 169. *Schacke* fuerunt, Unico. 170. *Morini*, Flandern. 171. *Usipetes* us dem Lande tzu Bergen teste Tacito, Cæsare. 172. *Teneteri*, Cleuisch, testibus iisdem ac Ptolomæo. 173. *Anartes* die Herren von Anhalt. 174. *Anaxones*, die von Nassov. 175. *Orteni*, die von Isenberg. 176. *Ubii*, die von Kollen. 177. *Christianismus*, der Christen Glaub. 178. *Publicitus*, offenbahr. 179. *Tectosages*, Franckenlandt. 180. *Pedum*, ein Scheffer-Staff. 181. *Grabbatulum*, ein Armbettchen. 182. *Magale*, ein Hirtenhus oder Schefferhüttlin. 183. *Riscus* ein Schranck edder Schap edder Kysten. 184. *Vapularet*, percutieretur. 185. *Rima* eine Spalte. 186. *Cantium*; Cantelberg in Engelland teste Cæsare. 187. *Cantuarium* in ern drecuit. 188. *Hoplomachus*, Rustemeister. 189. *Desciscere* abtreten, vorlassen. 190. *Amisum*, Marpurg teste Ptolomæo, & Martipolis; ab ineruditis Marpurgum. 191. *Episcopus Marioneus*, id est Sverinensis; quia Marionus est Swerin teste Ptolomæo. 192. *Peucinum*, Butzow a Vandalis dictum. 193. *Gimmathetæ*, Schul-Gesellen. 194. *Arx nova* die Nigenborg bie Ilow. 195. *Urbs Hammonis* Hamburg, & eadem *Treva* a Ptolomæo. 196. *Urinare*, untertuchen. Urinator, ein Tucher. 197. *Numella*, ein

Windeſtrick. 198. *Velter*, ein Wynt. 199. *Mulium* ein Hundesbant oder Rodenbant quo nomine etiam in mulieribus dici poſſunt. 200. *Poſthumus* der nach ſynes Vaders Tode gebohren wurt. 201. *Helvionum* gens, ut Plinius, ſive *Effluorum*, ut Tacitus. 202. *Iſtant* Babilon ſcilicet illa in Ægypto, quia alia fuit in Aſſyria; illa ergo ante Memphis dicta. teſte Plinio, nunc *Alcayrum*; & Alcayrum lingua Saracenica eſt die Nieſta lt. 203. *Aſymbolus*, der nimmer kein Scherff in Geſellſchafft will verzehren. 204. *Tunicium*, iſt nun die Stadt Carthago, teſte Plinio & Ptolomæo. 205. *Duplomata*, Geleits-Brieff. 206. *Comitem*, einen Geſellen, nicht Graffen. 207. *Art. lanica*, Heydeniſch Werck. 208. *Patagi tæveſtes*, gulden Stück. 209. *Holoſericæ*, ſeyden Kleider oder Werck. 210. *Stemma*, ein Edel Geſchlecht. 211. *Nuncium* in neutro Bottſchafft. 212. *Bourde Buchſen collybiſta* vel nummularius, do man Geldt in Bangk beilegt edder Wechſeler. 213. *Nauclerus*, ein Schiff herre vel Patron. 214. *Latrunculi*, Schnapp Hänichen. 215. *Pilentum* behangen Wagen. 216. *Covinus, Baſterna*, idem, & nota illi duo equites, tutores fuere Tetuinus de Orſis & Heinrodde Strahlendorff. 217. *Carpentum*, Faſt-Nachts Schlethe. 218. *Peripetaſmata*, Umbehänge an den Wänden. Carmina illa ſunt Oppiani viri Græci, qui ſcripſit de natura piſcium. 219. *Purpurdica* Hof Purpurde by Rene. 220. *Poſtluminium*, die Tzit de einer gefangen liegt. 221. *Domicium*, Domintz. 222. Der Brutſchatz den de Fraw bryngt, *donatio propter nuptias*; *Liptzucht*, die der Mann macht, teſtis eſt Jureconſultus. 223. *Nuptiæ Lutgardis* fuere tertio anno poſt vincula patris, & diſſonant de marito ſcriptores. Alii dicunt fuiſſe Ducem *Sarmatharum*, ein Poloniſcher Hertzogen, alii *Cheruſcorum*, Schleſinger, alii *Limiſſorum* van Svieſen. 224. *Gotenæ*, die Brunſwigere über Walt, da Gottingen ligt, itzig Hertzagn Erich zu Heſſen. 225. *Meditullium* ein Pranger in Torney oder Stechin. 226. *Jactus diſci*, Stein werffen. 227. *Pentantiſtæ*, Sprenger. 228. *Thymelici* die Hoffrecht machen, als Pfeiffer, Trumpeter &c. 229. *Paleſtritæ*, Ringer. 230. *Populus oſcitans*, Hans von Gene. 231. *Dromones*, Wete-Lauffere, Pferde Carceres, da de Pferdte abelauffen. 232. *Coraulæ*, Schalmeyer. 233. *Pſaltria*, Lyteryn. 234. *Paraſytus*, ein Stock Narre. *Mimi*, Lotterer. *Præſtigiator*, Gaukeler. 235. *Pharus*, ein Torn, da die Schiffer nachfahren, to hängen Luchten; ſic eſt in Warnemunde. 236. *Largitio*, die krumme Hand. Largitioſus, der gerne Geſchenck nimpt. 237. *Receptui canere*, abeblaſen, & pro finire. 238. *Lali*, Laland. 239. *Filiocius*, ein Pathe, qui levatur. Patrinus, ein Pathe, qui levat. 240. *Campus Manni*, Mannsfeldt. 241. *Sylva fagorum*, Bucholtz juxta Siellin & Swerin. 242. *Bruma*, der Winter, a brevibus diebus ſic dicitur. 243. *Epulum*, ein Hoff, da man wohl lebet: cave, ne dicas *epulæ*, epularum; in illo ſignificatu eſt inedia, Hunger oder theure Tzit. 244. *Tres Comites capti* fuere, de Chutzko, Wenſtorff, Geminen. 245. *Uterani*, Ukerwenden. 246. *Ovacer* der Ovaker. 247. *Oppida præcipua, quæ vicerat ibi Leo*, ſunt Paſebalk, Prenslo, Pentzlin; 248. *Vicus regis*, Konigdorff in Pomeren. 249. *Virutium*, Griffswalde teſte Ptolomeo. 250. *Concutæ*, Brandſchatten, 251. *Tympanile*, ein Glocken thorn. Tympanum, ein Glocke, cave dicas *tympana*, quia barbarum. 252. *Angina*, wann eynem der Hals ſchwillet. 253. *Diviciæ*, Diwitz: ſic habent annales corruptum ſicut Tributees. 254. *Gradarius*, ein Ceilter. 255. *Domina* heiſst Demyn; annales Slavorum dicunt, in tanta quondam fuiſſe reverentia urbem eam, ut ſit *domina mundi* nuncupata; iſta loca pisculenta ſunt, Sunſtrowe cum ſua vicinia. 256. *Batordium*, Erforde, teſte Ptolomæo. 257. *Dux itineris*, ein Geleitsmann; & fuit tunc *Guntherus Comes de Schwartzburg*: Patruus ejus fuit der Graffe von Blanckenberg, etiam natus de Schwartzpurg. Item *Blanckkenburg* & *Königesſche* tunc ſunt deſtructa & caſtra adhuc deſolata. 258. *Carni*, Kernten, Plinius. 259. *Archi Grammateur*, Cantzler. 260. *Sedunum*, Norinberg; Ptolomeus. 261. *Filarica*, Feurpill. 262. *Cæſius*, blaw Farbe. 263. *Caletium*, Calys in Flandern. 264. *Capitium*, ein Kogel, non caputium. 265. *Filamen* ein Kogel-Tympe, als die Studenten tragen. 266. *Bonis avibus*, fortunate. 267. *Codinavia*, Coppenhagen. 268. *Henricus de Bilow* cognominabatur Coluenacke. 269. *Mina* ein Pund oder Marck. 270. *Pundo*, idem pro conſvetudine patriæ. 271. *Jatrus*, ein Artzt. 272. *Cſcada* Tigra. 273. *Pater patriæ*, qui ſubditos humanitate & charitate regit non armis ac exactionibus. 274. *Mauſolæum*, ein erhaben Grab; ſed hic accipe pro das heilige Grab. 275. *Abſtinentia Theloſphoriana*, i. e. tempus quadrageſimale ſive jejunium, quia illud inſtituit Thelesphorus Pontifex. 276. *Vangiones*, Worms; teſte Cæſare. 277. *Dapalis* Koſtfry. 278. *Gynecæum*, Frauen Zimmer. 279. Argevia Torgau. 280. *Stereontium* Caſſel; teſtis Ptolomeus. 281. *Apella*, ein Jude, *Sabbatharius*, idem, *Verpus* idem. 282. *Flamen*, ein Prieſter. 283. *Ascalingium*, Hildesheim. 284 *Fardanum*, Ferden. 285. *Novium*, Compoſtel, da Sunte Jacob liegt. 286. *Catuphractus* ein Korosſier. 287. *Lyrnuiris*, Mollen.

Temporum ratio per librum primum digeſta.

Amazones cœpere Nini regis Aſſyriorum & Ve-

& Vexoris Ægypti regis temporibus non ita multis post diluvium annis.

Chronologia regum reumque Obetritarum.

Wisimarus rex vixit anno a natali Christiano CCCXL.

Bilungus rex anno nongentesimo LXXXVI.

Mizislaus rex anno nongentesimo LXXXVIII.

Mistevo rex anno MI.

Udo rex vixit anno MXXV.

Godescalcus rex vixit anno MXXVI.

Bute rex vixit anno MLXVI.

Henricus rex vixit anno MLXXXXVI.

Camicus Cimbrorum rex Obetritus natus est anno MCXXXXV.

Regnum Obetritarum rediit ad Pribislaum & Nicolotum anno MCXXXXVI.

Doberanum cœpit anno MCLXIIII. III. Cal. Majä.

Primus Abbas Berno venit anno MCLXX. III. Calend. Februar.

Pribislaus rex cum Leone Solymas ivit anno MCLXXI.

Idem mortuus est MCCXV. Calend. Octobr.

Doberani prima amolitio facta est anno MCLXXIX. IV. Idus Novembr.

Nicolotus rex Pribislai regis germanus interemtus est anno MCLXXIX. VIII. Calend. Junii.

Pribislaus obiit anno nondum comperto cum germano Nicoloto in antiquo Dobberano tumulatus.

Burvinus primus Dobberanum restituit anno MCLXXXVI. VIII. Calend. Junii.

Claustrum novum cœpit a. MCCXXV.

Burvinus primus mortuus MCCXVII. VI. Calend. Februar.

Henricus Burvini filius Sophiam uxorem duxit filiam regis Svevorum MCCXXVIII.

Joannes dux Megapoleus a Lutecia Parisiorum rediit anno MCCXXXI.

Albertus filius ejus mortuus est anno MCCLXV. Cal. Maji.

Joannes frater ejus aqua mersus anno MCCXCIX. prid. Idus Octobr.

Henricus Leonis pater, duxit Anastasiam anno MCCLX.

Henricus Burvinus postliminio ex Alcairo rediit anno MCCXCVIII. tempore Pentecost. filius ejus

Henricus Leo sub patris postliminio cœpit rem moderare anno MCCLXXX.

Ericus Cimbrorum rex Lacinii spectaculum celebravit anno MCCCXI. cœpitque sabbatho post corpus Christi.

Leo Wisimariam obsedit anno MCCCLX. vigilia divi C. Kiliani.

Ericus rex Cimbrorum obsedit Lacinium anno MCCCLX. post nativitat. Mariæ.

Leonis prima uxor Beatrix mortua est anno MCCCXIV.

Anastasia Leonis mater obiit anno M CCC XV.

Leo spectaculum celebravit Wisimariæ anno M. CCC. XXVII. ad festa Paracleti.

Parthenopolitanas molas incendit anno MCCCXIX.

Conjuratio principum in Leonem facta est anno MCCCXXII.

Lacinium ab Erico Cimbrorum eidem confirmatur anno MCCCXXV.

Leo mortuus est MCCCXXIX. VI. Cal. Februar.

Albertus filius ejus successit MCCCXXIX. Obiit legationem ad Cæsarem Ludovicum anno MCCCXLI.

Bellum gessit contra Boosclavum ac Barnymum Vratislavum MCCCXLIII.

Bellum alterum adversus Magnum ducem urbis Lunæ MCCCXLV. ad festa Archangeli Michaelis.

Henricus Alberti filius in ludo militari Wisimariæ interemtus MCCC. die divi Gregorii.

Maximus Alberti filius Henrici germanus obiit in itinere ad aquas M. CCC. LXXXV. altera die post divi Ægidii festum. Johannes filius ejus anno M. CCCC. XXII.

Johannes filius Henrici fratris Johannis anno M. CCCC. XLII. in vigilia divæ Barbaræ.

Albertus filius Henrici ejus, qui periit Wisimariæ ludo militari, obiit M. CCC. LXX.

Henricus pater Magni obiit MCCCCXCI.

Dorothea uxor ejus obiit MCCCCLXXVII. dominica Oculi.

Albertus filius Henrici obiit M. CCCC. LXXXIII.

Magnus dux obiit MCCCCCIII. vigilia præsentationis Mariæ.

BalthAssar germanus ejus obiit MCCCCC VII. vigilia Gertrudis.

Ericus filius Magni obiit M. D. in die divi Thomæ Apostoli.

Ursula ex inclyta Marcomannorum familia obiit anno MDX.

Tempo-

Temporum ratio per librum secundum digesta.

Bernardus filius Burvini, qui primus Herulus fuit, mortuus est a. MCCCXCVI. VI, Idibus Octobris.

Burvinus ejus pater mortuus est anno MCCCLXXII. ad Nonas Majas.

Johannes & Henricus ejus filii sequuti in moderatione rei patrem anno M. CCC. LXXVII.

Henricus & Nicolaus filii Henrici patrem interemerunt anno MCCCXCI. Idibus Octobr.

Nicolaus patruus parricidarum obiit MCCCXVI. in Idibus Octobr.

Judæi in Gustro sacram eucharistiam emerunt anno MCCCXXV.

Laurentius obiit senex anno MCCCXCIII. vigilia divi Matthæi.

Balth Assar filius ejus anno MCCCXXI. ad solemnia paschatis.

Johannes Laurentii filius MCCCCXIV. die divi Ægidii.

Nicolaus Joannis filius Christophori Viviani germani anno MCCCCVI.

Christophorus anno MCCCCXXV. Vigilia divi Bartholomæi.

Guilielmus ultimus ex Herulis mortuus est anno MCCCCXXXVI. vigilia nativitatis Mariæ, cujus universum solum cum procerum jure redditum est Megapolei anno MCCCCXXXVI. die divæ Cæciliæ.

Temporum ratio per librum III. digesta.

Burvinus I. Laciniorum herus obiit anno MCCLIX.

Baldomarus filius ejus obiit MCCXXXII. Idibus Novembr.

Bella adversus Nicolaum puerum gesta sunt anno MCCXC. sub quo puero dominatio Laciniana defiit.

Temporum ratio per librum IV digesta.

Johannes primus Stargaciorum dux obiit MCCC.

Johannes filius ejus MCCCCVII.

Johannes filius ejus MCCCCXI die divi Thomæ.

Udalricus ultimus Stargaciorum dux obiit anno MD.

Temporum ratio per librum V. digesta.

Rhadagastus Herulorum rex vixit ab orbe condito anno ferme sexingentesimo supra quinquies millesimum, ab urbe condita millesimo centesimo ferme, a salute nostra quadringentesimo paulo amplius.

XI.
ADOLPHI IV.
EX
COMITE MONACHI ORDINIS S. FRANCISCI
MEMORIA
E
CODICE MEMBRANACEO CUJUS INSCRIPTIO
DENCKELBOECK (*) S. MARIEN KERCKEN
TOM KYL.

Do man schreff 1244. (**) mit Leve
Broder Aleff Wandages der Holsten Greve,
Dat he Gott deste beter muchte dienen up Erden
He dachte wo he Prester mochte werden,
Tho Rom he reisete tho dem Pawes Innocentius
De bevel sine Macht dem Penitentiarius
Eme word bewiset Pawestliche Gnade
Up dat he sine Weiginge krege drade
So word he van allen sinen Sünden gefryhet

Unde

ADOLPHUS IV. Comes Schawenburg. Holsatiæ, Wagriæ Stormariæ, in prælio Bornhævedano Victor a. 1227. obiit Monachus Ordinis Franciscan. Kilonii a. 1261.



Linde dartho d
Tho Hambor
nes des O
Verd he gev
gelion
de tog to Lü
tho Bis
dar he to enen
v
burna in Sünt
fin
innen Hambor
g
the schach in Su
nen
ich mag me lese
de he mochte
fing
ine Gode en hi
bring
he Denkt den
both
ange dar em angi
ves in den hill'g
bar,
Gedencede Gode
Jak
ofterde he G
unt ewige Lev
Dele
nigk vor dem
Hilegraven dat y
umm dat he was
Kne
en em de ewige
fecht
ebefatt tho ewi
nde ewige Pyn
nen vaften
ftum wunde
ne mit Gade wo
dat wy tho der
mögen k
sprecke ein jew
Amen

* Eindem gener
nach S. Nicolai
gigt: Dit is Su
Tachtbook binn
Tiden vor Ti
de Kirk. Monum. in

Unde dartho der Epiſtelen gewyhet
Tho Hamborch van Biſchopp Johannes des Ordens de Prediger
Werd he gewyhet to dem Evangelion na ſinem Begehr.
He tog to Lübeck mit Pawes-Bullen tho Biſchopp Johannen
Dar he to enem Preſter ward gewyhet von enem
Darna in Sünt Gregorius Dage ſung he ſine Meſſe
Binnen Hamborch, dat finden wy allegewiſſe.
Dat ſchach in Sunte Marien Magdalenen Karcken
Dith mag me leſen unde marcken,
Dat he mochte Miſſen leſen und ſingen,
Unde Gode en hillich ſeelich Opffer bringen,
Den Denſt den he God mit Vlite both
So lange dat em angieng de Dodt,
He was in den hill'gen Orden apenbar,
Unde denede Gode dem HErrn 23. *Jahr*
Darna offerde he Gode ſine Seele
Unde dat ewige Levend word eme tho Dele,
Tom *Kyle* vor dem hogen Altar (***)
Is he begraven dat ys wahr,
Darumm dat he was Gades Dener und Knecht
So ys em de ewige Freüdt unverſecht,
De he beſitt tho ewigen Tyden
Unde de ewige Pyne myden
Durch enen vaſten Geloven an Chriſtum wunderlick;
Dat he mit Gade wohnt ewiglick
Up dat wy tho der ewigen Saligkeit mögen kamen
Det ſprecke ein jewelick mit Innighet
Amen.

(*) Ejusdem generis liber eſt *Denckelboeck S. Nicolai Karcken.* Qui ita incipit: Dit is Sunte Nicolai Karcken Denckelbock binnen dem Kyle; wo de Karcken vor Tiden gebuwet und ge- *de Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.*

dolphus IV. mplorum Mariæ & Nicolai ndator.

ziert ys, dar vinde wy neyne Schrifft uf; by de Oſterdæhr der Karcken bym Ingang tho rechten utwendig an de Chor Muhr, iſs noch im Sten ingehauet tho ſehen M. CC. XXXI. Un ys glofflick dat Greff Alff diſse Karck glick dem Kloſter gebuvet het. Quod idem aſſeritur in citato libro memoriæ templi S. Mariæ ſeu monaſterii ordinis Franciſcanorum. Addit Presbyter Bremenſis *Continuator* HELMOLDI & hoc: *Veriſimiliter credendum eſt quod Adolphus caſtrum in Kyl & oppidum conſtrui fecerit.* Sed fallit autor; Oppidi enim memoria Seculo XIII. vetuſtior eſt, & caſtri exſtructio Adolpho III. rectius vindicatur. Id tamen conſtat quod Adolphus IV. Kilonium multis modis ornaverit, & ut *fœderi Hanſeatico* accederet autor ſtatorque exſtiterit, quin Leges Lubecenſium Anno 1232. & 1233. in civitates *Kiliam*, *Itzeboam*, *Oldenburgum* & *Plænam*, data exemtione a *jure Saxonico & provinciali*, vel primus invexerit, vel quod annales haud obſcure produnt, a patre Adolpho III. invectas & receptas denuo firmaverit, commercii cauſa præcipue adductus, ut augmenta civitati libertatemque & florem conciliaret. Quas ipſas conceſſiones juris Lubecenſis filii *Johannes* & *Gerhardus* civitatibus laudatis confirmarunt anno 1260. & quoad Kiliam comites Gerhardus & Johannes anno 1315. & 1317. & quoad Oldenburgum Dux Nicolaus anno 1392 & Rex Chriſtianus anno 1462. denuo corroborarunt. Quod argumentum fuſius explicabit diplomatarium Chilonienſe ab anno 1257. ad 1400. Dabimus hoc loco teſtimonium *Presbyteri Bremenſis* qui in Chronico ſuo, hoc inter alia plura, de Adolpho comite refert: *Hic Comes fundavit eccleſiam Nygenkercken in terra* OLDENBURG *in honorem S.* ANTONII *ſui ordinis fratris minoris non illius magni Antonii ſancti, quamvis plures putent, illum eſſe patronum ejusque imaginem in eccleſia prædicta habeant, ſed non eſt ita, & debet imago ejus eſſe Fratris Minoris. Item hic Adolphus viſitavit una cum aliis prælatis fratres in novo monaſterio ordinavitque ut ſorores ſegregarent a ſe; dedit etiam oppidanis in* ITZEHOE *privilegium habendi* JUS LUBECENSE *ſimulque libertatem illi oppido in paſcuis & ſilvis iisque utendi ac fruendi conceſſit, anno domini 1238.* (legendum anno 1233.) *Ipſe quoque oppidanis per terram Hol-*

Jus Lubecenſe in civitates Holſatiæ introducit.

ſatiæ ſcilicet in PLOENE OLDENBORG & *in* KYLONE *libertate & immunitate conceſſa a* JURE HOLSATIORUM (intelligit *jus provinciale*, cum *ſpeculum Saxonicum*, tum jus Saxonum veterum conſuetudinarium & proceſſuale vulgo *Ding und Recht*, *Ding-Gericht* dictum, quod utrumque hodieque in pagis, præfecturis & monaſteriis Holſatiæ præcipue inſtar normæ obtinet; in civitatibus vero ſpeculum Saxonicum poſt ſtatuta Lubecenſia inſtar juris ſubſidiarii locum hodie occupat, vi conſtitutionis a Friderico II. Rege & Joanne ac Adolpho Ducibus anno 1568. promulgatæ *Conſtituit ac attribuit ei*, JUS LUBECENSE *eo, ut eorum oppida citius munirentur propter* LIBERTATEM FORI. Quæ ultima verba explicarem; propter exemtionem a foro & jure PROVINCIALI HOLSATIÆ. Exempla & rationes hujus exemtionis a placitis provincialibus adducit GRUPEN *diſceptat forens. p. 747.* Quod vero & in pluribus aliis Holſatiæ & Slesvici civitatibus eodem fere tempore jus Lubecenſe uſum obtinuerit id quidem optime probat *codicillus membranaceus juſtitiæ & juris Holſatici Tetrapolitani*, de quo in præfatione ad hunc Tomum monumentorum dicendi locus patet.

(**) Conſentit PETERSENIUS *Chron. Holſ. fol. 58. im Jahr 1244. hat Graff Adolph nun ein Barfüſſer Mönch erſtmals Meſſe gehalten in grawen Cloſter zu Hamburg am Tage Gregorii.* Sed quoad annum ipſius emortualem haud convenit. Nec conveniunt alii plures. Si calculos in his rhytmis poſitos ſubduxeris, tempus mortis incidit in annum 1267. Sed HERMANNUS LERBEKE *in Chron. Comit Schawenb.* p. 33. CRANZIUS *Saxon. L. VIII. c. 7. inf.* p. 207. PETERSENIUS c. l. illud ad annum 1261. rejiciunt. Eundem repetunt AUTOR *des Verſuchs einer zuverläſſigen Nachricht von dem Kirchen und Politiſchen Zuſtand der Stadt Hamburg P. I. p. 175.* & STAPHORST *P. II. Hiſt. Eccleſiaſt. Hamburg. p. 35.* ubi tamen fallit in numero Adolphorum, cum Adolphus monachus non fuerit tertius, ſed quartus Adolphus comes. In omnia alia ivit TROGILLUS ARNKIEL *de Cimbris Gentilibus P. 3. C. 10. §. 71. p. 396.* Adolphum monachum mortuum perhibens anno 1248. Alii iterum cum DANCKWERTHO *deſcript. Duc. Holſat. & Slesw. p. 179.* circa annum 1260. & 1261. ambigui hærent. Autor vero anonymus, quem GUDENIUM *Holſatum* nominant, in tractatu: *Staat der Hertzogthümer Schleswig Hollſtein c. 2. §. 4. p. 23.* annum 1260. definit, quem & alii ſubſtituunt cum continuatore Helmoldi PRESBYTERO BREMENSI, citato & laudato a CYPRÆO *hiſt. eccleſ. Schlesvic. p. 252.* Sed plura, quæ ad manus ſunt MSta Chronici hujus Presbyteri, rectius habent annum 1261. Quem etiam retinuit LEIBNITIUS, qui Tomo I. *acceſſionum hiſtoricarum* hoc Chronicon ab anno 1164. ad an. 1448. perductum primus edidit. Facile puto diſſenſus conciliaveris, ſi Adolphum ex Livonia reducem anno 1238. ad ordinem fratrum Minorum tranſiiſſe & cucullum Laicalem induiſſe, ſed anno. 1244. impetrata a Pontifice Innocentio IV. diſpenſatione, Presbyterium & ordines ſacros accepiſſe dixeris; Audiamus BARONIUM *annal. hiſt. ad ann. 1239.* ADOLPHUS, inquit, hoc anno 1239. *ad ordinem Minorum S. Franciſci inſtitutum admiſſus reliquit ille comitatum Holſatiæ,* CRANTZIUM c. l. *idem vero Adolphus poſt duos annos reverſus, agebatur annus 1240,* (rectius 1238. teſte Peterſenio cit. l. f. 85.) *adminiſtrationem terræ permiſit Abel genero ſuo, ipſe Ordinem ingreditur Minorum die Hippoliti in Hamburg cum duobus militaribus ac Gbikow.* Ut & LERBEKUM p. 32. *anno 1238. Adolphus, de Livonia reverſus, Deo & voto ſuo ob victoriam a Danis in prælio Bornhövedenſi anno 1227. reportatam ſatisfacere volens, finaliter* profeſſionem enim & votum vitæ monachalis jam ipſo anno 1227. ediderat) *vitam tutam & ſanctam eligendo ordinem S. Franciſci apud Hamborgh ipſo die S. Hippolyti intravit, & in eo XXIII. annis multa devotionis exempla oſtendens laudabiliter vixit duodecimo anno* PROFESSIONIS (*ſuæ* h. e. an. 1239.) *ad curiam Romam vadens & diſpenſatione plenaria potitus, ad propria reverſus eſt.* Ipſa vero diſpenſatio apoſtolica data eſt anno 1244. his verbis: Univerſis præſentes literas inſpecturis, Frater Reinardus & Frater Gerhardus domini Papæ pœnitentiarii, ſalutem in Domino: Noveritis, quod nos audita confeſſione Fratris Adolphi Ordinis Fratrum Minorum, præſentium portitoris, eidem ſuper omnibus articulis pro quibus dux erat ad ſedem apoſtolicam laborandum & de ſimimilibus ſive minoribus, ſi quos in oblivionem deduxit, de ſpeciali mandato venerabilis patris noſtri Ottonis, S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis: cui dominus Papa plenariam ſuper hoc conceſſit poteſtatem, beneficium

Opinio Lerbeckii. Cranzii Peterſenii — *Staphorſtii.* — *Arnkiel* — *Danckwerthi* — *Cypræi.* — *Adolphus a. 1239. fit frater minor.* — *Ao. 1244. Presbyter.*

cium absolutionis impendimus, & ut ad *omnes sacros ordines promoveri valeat* dispensavimus cum eodem injuncta sibi pœnitentia salutari. Datum Laterani X. Calend. Maji Pontificatus Innocentii Papæ quarti anno primo. Aperte rem definiunt annales Holsatici, quos citat CYPRÆUS *d. l. p. 245. Hac ætate anno 1239. comes Adolphus de Schowenburg se reddidit ad fratres Minores sabbatho die* Hippolyti *relinquens post se pueruIos, Joannem Gerhardum & Ludovicum quibus tutorem dedit generum suum Abel*, ducem Daniæ, *cujus frater* Ericus Rex Daniæ junior, *duxit filiam Alberti de Anehald die Dionysii. Annal. fol. 213. Adolphus comes Holsatiæ postquam in ordinem fratrum Minorum sese dedidit, Romam proficiscitur beneficium absolutionis consecutus*, ut ad sacros ordines promoveri posset, *dispensante Papa injuncta ei pœnitentia. Idem Adolphus subdiaconus, rediens a Joanne episcopo ordinis Prædicatorum Magistro* in diaconum *& a Joanne Lubecensi episcopo in Adventu Domini 13. Kalend. Januariis* in presbyterum *ordinatus in Dominicæ: Omnis terra, primam missam in* ZUINTINA, *loco valde solitario & fratrum* Minorum *eremitorio, & in Hamburgensi, ubi comes fuerat in quadragesima apud Minores fratres*, die *Gregorii celebravit.* Annal fol. *217.* Accedit narratio PRESBYTERI BREMENSIS *d. l. Victo ac superato hoste tam valido & potenti datisque ipsi a Deo duobus filiis, ipsisque adultis & terram gubernare potentibus dictus comes Adolphus Deo votum suum adimplendo ordinem fratrum Minorum in Monasterii civitatis Hamburgensis ab episcopo fundato cum duobus suis militibus dictis de Gykow humiliter & devote Deo sub regula & obedientia intravit serviturus. Factus autem* frater minor, *curiam Apostolicam ad videndum Dominum Papam secumque dispensandum solerter intravit. Ubi tunc Dominus Papa ad suscipiendum ordines sacros & Presbyteratum cum illo misericorditer dispensavit unumque ordinem sacrum a dicto Domino Papa ipsemet recepit, ac in eadem via ad Sanctum* FRANCISCUM, *fundatorem ordinis, ad videndum, ad colloquendum, ad consulendum tam sanctum ac devotum virum transtulit se ingenti desiderio sammaque devotione, a quo sancto viro benigne est receptus, in charitate firmatus, verba consolatione plena sine fuco ac fallacia secum reportando. Et anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto in civitate Hamburgensi suam primam missam decantavit.* Ex quibus omnibus constat, quod Adolphus comes anno 1238. die Hippolythi in numerum fratrum Minorum receptus & anno 1244. in ordinem Clericorum promotus fuerit primamque missam *Dominica omnis terra anno 1245.* ZVENTINÆ & deinde HAMBURGI in Quadragesima die *Gregorii* in templo Sanctæ Mariæ Magdalenæ nuncupato celebraverit. *Zventina* vero puto Wagriæ pagus est, *Bornebövet*, ab ortu rivuli seu scaturigine aquæ salientis *Bornbeck* nominatus, qui in vetustis annalibus & chartis ab alluente fluvio *Svetin* dicitur *Sventina*, *Zventinfeld*, locus templo opera Vicelini anno 1149. exstructo non solum commendatus, sed ob insignem victoriam anno 1227. ab Adolpho contra Danos ibi reportatam memorabilis ipsique præcipue sanctus, ob primum votum, quo vitæ monasticæ se illo tempore ibidem obstrinxerat. Quo igitur loco vota nuncupaverat, eodem & illa solvit, primaque presbyterii sui officia peregit & deinde sæpius sacris & conventui fratrum Minorum, qui memorabilem hunc locum tanquam eremitorium elegerant, interfuit. Recte igitur poetaster supra adseruit: Adolphum ordini Minorum per XXXIII. annos inserviisse, scilicet ab anno 1238. usque ad annum 1261.

Zventinæ & Hamburgi missas peragit.

(***) Fallit igitur TRAZIGER *in Chronico Hamburgensi* dum tradit Adolphum sepultum fuisse *Hamburgi in templo S. Mariæ Magdalenæ*, ubi ipsius imago hodieque conspicitur. Quam ipsam rei circumstantiam errori ansam dedisse conjiciunt STAPHORST *c. l. p. 37.* & ANONYMUS *in der Nachricht von der Stadt Hamburg p. 209.* Testantur enim monumenta vetera & laudati supra autores, *Continuator Helmoldi*, *Hermannus de Leerbeck*, *Cranzius*, *Petersenius* aliique recentiores quod in monasterio fratrum Minorum S. Francisci apud *Kilonienses* vita functus, & in choro templi fratrum, Divæ Mariæ dicati, tumulatus sit sub lapide quadro, cui etiam nunc superstiti, hæc olim paneyris insculpta legitur:

Error Trazigeri.

Quondam nostrorum, pater & speculum dominorum.
Lans Holsatorum Comes Adolph regula morum,

Hic ſitus eſt flos florum & honos & gemma bonorum
Cui dedimus ſertum noſtrorum more Minorum
Ne pravorum animæ noceat fraus dæmoniorum
Oremus, Deus utque receptet in alta polorum.

Quæ ipſa elogia meritis Adolphi haud majora videbuntur, ſi cogitaveris ipſum, utriusque & monaſterii & templi autorem & fundatorem & largitorem exſtitiſſe. Fruſtra itaque *Presbyter Bremenſis* originem hujus monaſterii Franciſcanorum circa annum 1200. cœpiſſe tradidit: *Ipſe*, inquit, *Adolphus Comes, Frater minor factus, monaſterium in Kyl in honorem B. Virginis Mariæ fecit dedicari circa annum MCC.* Forte hæc verba irrepſerunt manu peregrina: in paucis enim MSCtis tantum obveniunt, in plurimis non apparent. Manifeſtum ſatis eſt, Adolphum IV. rebus gerendis A. 1200. nondum præfuiſſe, & circa annum 1238. ad ordinem fratrum Minorum tranſiiſſe ſuique ordinis monaſterium Kiliæ anno 1249. demum exſtrui curaſſe adhibitis eleemoſinis ab ipſo in Holſatia humiliter emendicatis. Fallit etiam idem presbyter, *Helmoldi continuator*, dum prælium Bornhovetenſe a. 1227. geſtum, rejicit in annum *milleſimum duodecimum*. Nonnulli annum 1225. 1226. indigitant, quos ſequitur *Anonymus Chronici Holſatici*, e codice Lindebrogiano editi a B. STAPHORST *Hiſtor. eccleſ. Hamb. P. II. p. 130. ſeq.* ubi poeta prælium Bornhovedanum ita canit:

Et Presbyteri Bremenſis.

In derſelben Tid (a. 1225.)
Do nan Hertog Otto de Stadt Brunſwick,
He ſtridede mit des Kayſers Manne,
Und bebelt den Sege darranne.
Darnah toch *Hertige Otto* van dar
He quam tom Könige und ſterckete ſine Schar,
De Henrick van Saſsen und Greve Hinrick van Schwerin
De Biſchop Gerardus van Bremen und Greve Aleff togen to Lübeck in.
Se rededen unter ſick und woltens nit lahn
Se wollden mit dem Könige enen Streit ſchlahn.
Se quemen toſamende to *Bornhavede* in,
Zu S. Marien Magdalenen Dage
Dar ſchach den *Denen* ene grote Plage
Da wart Schlach umme Schlach
Viel mennich da unter den Fothen lach.
De Dithmarſchen weren achter mede in des Koninges Schar
Se hadden den Köning ſchworen, ſe achtens nicht en Har.
Se grepen männlich to eren Schwerden,
Se ſchlagen de Dänen dar to Erden,
De Dänen wolden ſick wehren vill
Da machte men ſehn en wunderlick Spil,
Dar ſchlah Fründ up Fründe
Dat me nowe horen konde,
Niemand da den andern bekennde
Se ſchlagen ſick den Dag wente in den Ende,
De Köninck ſach dat in de Sinen groten Schaden nam
He nam de Flucht und danckende Gott dat he weg quam.
De ſchah darthomale ene ene grote Plage
Dar wurden de Dänen vielmechtich altomale ſchlagen,
Hertich *Otto von Lüneborch* wart fangen dar
Dede mede was in der Dänen Schar.
Aldus wart de Koninck weder uth dem Lande drenen
Unde de ſinen vielmechtich alhier todt blewen.
He quam mit hundert Manne nowe to Lande
Des hedde he darna mehr Laſter und Schande
Se ſpraken he dorffte dat Lad to Holſten nicht mehr ſöcken
Offte ene freten de Kreien und de Röcke.
Altohandes darna bleff *Ekenor* de junge Koniginne dod
In erer Telinge und in erer groten Noth,
Und darna in tween Dagen
So ſtarff de *junge Woldemar* van Sorgen und van Plagen.

XII. STEM-

XII.
STEMMATUM REGUM
ET
PRINCIPUM
HERULORUM ET VANDALORUM
BREVIS HISTORIA

PARS I.

Continet viginti quatuor Regum ſuccinctam hiſtoricam enarrationem, e Mareſchallo, Lazio, Henninges, Reuſnero & aliis deſumtam: qui omnes in paganiſmo vitam tranſegerunt, ab Anthyrio ad Aribertum usque.

Anthyrius. ANTHYRIUS, primus Herulorum rex putatur, paternam ducens originem ab Herulis in Wagria, maternam ab Amazonibus, & militaſſe ſub Alexandro Magno, Macedonum rege; reverſus in patriam Stargardiam, quæ hodie Oldenborg dicitur, exſtruxiſſe, in navis apluſtri taurinum caput, in navis prora gryphum geſtaſſe; unde Meclenburgicæ domus inſignia exorta volunt vid. & Lazium de migrat. Gent. L. XII. p. m. 645. Conjux Symbulla regina Gothorum habetur & novum filiorum mater.

Anavas. II. ANAVAS, Anthyrii filius, primogenitus dicitur, vocantque illum regem Herulorum, Obotritorum, Megapolenſium & Wagirorum, cum tamen certum, quod longe poſt fata hujus hæc nomina exorta ſint. Obotriti vocantur in antiquis ſcriptis & Obetritæ, Abotriti, Abotrudæ, Abotrytæ. Conjux fuit Orythia vel Oreta vel Oragia filia regis Sarmatarum ſeu Poloniæ.

Alimer. III. ALIMER, Anavæ filius, paternas ditiones per ſeptuaginta quinque annos gubernaſſe perhibetur, multæque ſobolis pater putatur. Conjux ipſi fuit Ida filia Regis Rugianorum.

AnthyriusII. IV. ANTHYRIUS II. Alimeri filius, in paternis ſucceſſit dignitatibus; ſexaginta duos annos in regimine conſumſiſſe narratur. Conjugem habuit Marinam regis Jutlandiæ, aliis Daniæ filiam.

Hotherus. V. HOTHERUS filius Anthyrii II.; dicitur & Huterus: parenti ſucceſſit faſcesque regni tenuit ad 69. annos. Illo regnante ſalvator noſter Jeſus Chriſtus natus. Exiiſſe e vivis dicitur poſt redemtoris noſtri nativitatem anno 35 Conjux Juditha regis Fennorum vel Finnlandiæ filia.

Viſilaus. VI. VISILAUS Hotheri filius Herulorum, Megapolenſium & Vagirorum rex, præfuit ſuis ditionibus ad 56. annos; ceſſit fatis anno Chriſti 91. Conjux Tiburtina, item Tiburina Norwagiæ Regina.

Vitislaus. VII. VITISLAUS filius Viſilai eodem, quo Parens titulo gaviſus; ſublatus fato anno Chriſti 127. regiminis ſui 36. Conjux Marina, rectius Anarnia vel Anarina regina Gothorum.

Alaricus. VIII. ALARICUS, Vitislai primogenitus, ſucceſſit in ditionibus & titulis parenti, rebus geſtis armisque celebris, contra Sunnonem Francum, qui colonias in terram, quam Marchiam Brandenburgenſem vocamus, duxerat, vitæ finem fecit A. C. 162. regiminis 35. Conjux Bella filia regis Ubiorum, cujus progenitor circa Coloniam Agrippinam ſedem habuit.

Dietericus. IX. DIETERICUS ſeu Triticus ſummam tenuit poteſtatem inter Herulos Megapolenſes & Wagiros: contra Marcomirum in Zenonibus regnantem arma fruſtra movit; Brandonem vero urbis Brandenburgicæ fundatorem delevit A. C. 170. vitam finivit anno 201. regiminis 39. Conjux Diana reguli cujusdam Trevirenſium filia; alii e Belgio oriundam ajunt.

Thenericus. X. THENERICUS, Thiterici filius, in paternum ſucceſſit regimen, cui 36. annis præfuit; obiit A. C. 327. Conjux Bigonna Fridigernis regis Thuringiæ filia.

Albericus. XI. ALBERICUS filius Thenerici parenti ſucceſſit; Herulis, Wagris, Megapolenſibus præfuit, arma in Gothlandiam & Sueciam movit, illasque ditiones ſuas fecit, regnavit 45. annos, vitam finivit A. C. 382. Mareſcalcus vero & Henninges illum regnaſſe dicunt 55. annos, obiiſſe 292. Conjux Diomedea filia regis Sarmatarum.

Viſimarus. XII. WISIMARUS, Alberici filius, urbis

urbis Wiſmariæ a quibusdam conditor putatur, temporibus Conſtantini M. clarus proclamatur, qui illi partem Hungariæ conceſſit. Gebericus enim Gothorum Rex e finibus quibusdam eum deturbarat. Wolffgang Lazius hunc ut ſecundum ab Anthyrio numerat. Mortuus A. C. 326. regiminis ſui 42.; alii ponunt A. C. 340. regni 48. Conjux Amalaſuntha alias Himmels-Schone regis cujusdam Saxoniæ filia.

Miſislaus. XIII. MISISLAUS filius Viſilai rex Herulorum, Sarmatharum ac Gothorum; tertius harum terrarum rex, a Lazio de migrat. gent. ponitur; obiiſſe dicitur A. C. 368. regni ſui 46. alii C. 388. r. 46. Conjux Belga, non nomine, ſed natione.

Radagaſtus. XIV. RADAGASTUS ſive RADAGAISUS, Miſislai filius, manu 200000. militum Thraciam, Pannoniam &c. vaſtans, Italiam depopulatus, terror Romanorum, a Stilicone imperatoris Honorii duce in Appenino incluſus, unoque die dimidiam exercitus ſui partem & ferro & fame amiſit; in faucibus Feſulanis cum reliquis ſuis incluſus, fuga ſibi conſulere quæſivit; ſed interceptus & ſtrangulatus A. C. 405., regiminis ſui 35.; alii, ſed male anno 423. vid. Franciſc. Mediobarb. numiſmi Imperat. p. m. 527. qui & filios ejus necatos dicit. Conjux Celia.

Corſico. XV. CORSICO Radagaſti filius, infamem parentis mortem ulturus, Hunnos in ſocietatem accerſit, cum ſuis per Galliam ad Pyrenæos usque pervadit montes, crudelis in Deum hominesque ſacra provanaque devaſtat, omnisque ſexus ſeries, pueros, immo lactantes, crudeli manu deſtruit, præprimis rabidus in eccleſiaſticas perſonas. Conjux Flora principiſſa Piccardiæ.

Gundericus. XVI. GUNDERICUS ſecundo genitus Fredebaldi, Marti natus, tumidus, Hermericum Suevorum regem in Narboſarum montibus obſedit, Hiſpaniam cum exercitu petiit, occupat, vaſtat, Baleares ſpoliat insulas, Carthaginem evertit, Hiſpalin diruit, manus extendens contra baſilicam divi Vincentii in illa civitate in ingreſſu portæ juſto Dei judicio a dæmone disreptus dicitur. A. C. 429. regnavit 16. ann. Conjux Eliſa, regis Granatæ filia.

Genſericus. XVII. GENSERICUS, aliis Gericus vel Gayzaricus, elati animi vir, plenus aſtutia, inconſtantis fidei Africam petit, occupat, premit. Arrianæ ſectæ addictus, catholicæ eccleſiæ inimicus, templa; coemeteria deſtruxit, ſacerdotes exilio, ſuppliciis variis vexavit, Carthaginem proditione cœpit, diripuit. A. C. 439. regnique Vandalici in Africa fundamenta jecit, Siciliam ſibi reſiſtentem admodum afflixit, Romamque devaſtaſſet, niſi Eudoxiæ Imperatricis & Leonis pontificis precibus mitigatus fuiſſet; hanc cum duabus filiabus in Africam ſecum duxit, quæ Conſtantinopolin dein remiſſa a 462. Conjux Eudoxa Plac. Valentiniani Imperatoris ex Licinia Eudoxia filia. Vid. Franciſc. Mediobarb. numiſm. p. 541.

Viſilaus. XVIII. VISILAUS Genſerici filius, Obotritorum, Wagirorum & Megapolenſium rex, ad A. C. 486. vixiſſe & 16. annos regnaſſe fertur. Conjux Adella Saxoniæ regina.

Alaricus II. XIX. ALARICUS II. Viſilai filius, de quo parum memorabilis legitur, niſi quod patriis terris præfuerit 21. annos, fatis ceſſit anno 507. Conjux Theodora Burgundiaca.

Albericus. XX. ALBERICUS filius Alarici, de cujus geſtis pauca reperiuntur, vigeſimo enim ætatis anno paternas ditiones gubernare incepiſſe vitæque finem anno 526. feciſſe traditur. Conjux Siriſſa Sarmatica.

Joannes. XXI. JOANNES filius Alberici paternas ditiones adminiſtravit ad 40. annos, deſiit eſſe anno 566. Conjux Euphemia Norwegiæ regina.

Radagaſtus II. XXII. RADAGASTUS II Joannis filius, cum Myſis & Marcomannis bella geſſit; quamdiu præfuerit & quo tempore exſtinctus non licet probare. Conjux Ubertina filia regis Granatæ vel Beticæ.

Viſilaus. XXIII. VICISLAUS filius Radigaſti: de hujus vita & actis parum notatu dignum reperimus, neque quo anno mortuus ſit; præfuiſſe tamen ditionibus ſuis Mareſcalcus putat 29. annos. Conjux Haziga regina Daniæ vel Jutlandiæ.

Aribertus. XXIV. ARIBERTUS frater Vicislai & Radagaſti filius, dynaſta Megapolenſium & Wagirorum, contra Carolum Magnum Ducem ſuum Wiltzam miſit infeliciter anno 789., Adhæſit dein' partibus Caroli M. pugnantis contra Saxones, juravit ſub vexillo Chriſtianorum ſuſcepto baptiſmate; aſt non longe poſt viam gentilium idololatrarum repetivit. Conjux Hildegardis ſoror Svenonis Sueciæ ac Gothiæ regis, alii dicunt ſororem fuiſſe Faſtrandæ conjugis Caroli Magni.

PARS

PARS II.

Stemmatis undecim Regum Mecklenburgenſium ſummam referens ex Eginhardo, Helmoldo, Arnoldo, Adamo, Dittmaro, Cornelio a Billungo ad Pribislaum II. usque.

Bilungus. I. BILUNG rex Herulorum validus, Ariberti regis filius, ditionem ſuam a Viſtula fluvio usque ad Viſurgim & a Viadro ad Holſatiam usque extendiſſe dicitur, ſedem habuit Megapoli; Chriſtianam ſuſcepit fidem baptiſatus a Wagone epiſcopo Altenburgenſi, fidem rurſus denegans Chriſtianorum hoſtis factus. Ab hoc ſtirps Mekclenburgica probative deduci poteſt. Conjux Medea, Sarmatiæ principis cujusdam filia Chriſtianæ religioni contraria; Hinc N. Soror Wagonis epiſcopi Oldenburgenſis. Liberi Bilungi numerantur Mizislaus, Naecon, Sedericus, & Hodica Abbatiſſa Megapolenſis.

Micislaus II. MICISLAUS Bilungi filius, regulus Herulorum, dynaſta Megapolenſium & Wagirorum, inhumanus Chriſtianorum perſecutor, qui deſtruxiſſe dicitur idololatrico zelo, quod Bilungus pater ipſius pro & fideli conatu exædificarat; confectus ſenio mortuus putatur 999. Hujus temporibus & in Polonia rex Micislaus vixit; unde ratione factorum & actorum illorum hiſtoria confunditur; vid. Spener. Syllog. Genealog. p. 816. 817. op. heraldici p. 84. Conjux Sophia Boleslai Principis Hungariæ filia, mater Miſtevoi Mizedrach S. Muzzadragi & Grimmi, qui Rugianorum regulorum conditor putatur; vid. Spener. op. herald. p. m. 83. 84.

Miſtevogus III. MISTEVOIUS Micislai filius, Rex Obetritorum, dynaſta Megapolenſium & Wagiorum, bello fortis, & tremendus, a Theodorico Marchione Brandenburgico canis Henetus vocatus, quam injuriam vindicaturus illum caſtris ejecit Marchiaque exuit, Hamburgum quoque incendit & vaſtavit; demum pœnitens facti fidei Chriſtianæ, quam deſeruerat, ſe applicuit eique fideliter inhæſit, regno pulſus Bardowicum ſe contulit 1025. MUNSTERUS *in Cosmograph. L. 3. p. 1033.* tradit: Miſtevojum A. C. 938. equeſtribus ludis Magdeburgi habitis interfuiſſe cum 39. ſcutatis. Vocatur ab eodem Princeps Venedorum. Et ſi inſpexeris primam legem equitibus præſcriptam, ſequi videbitur, illum a paganiſmo fuiſſe alienum; ſi etiam Miſtevojus tum tantum 18. annor. fuerit, ſequeretur, illum utpote anno 1025. mortuum, fuiſſe 105. annorum, fide SPENERI *in hiſt. inſignium illuſtrium L. 1. c. 13. ſ. 15. p. 84.* Conjux ipſi fuit 1) Margaretha neptis Henrici Aucupis Imperatoris. 2) Mechtildis Bernhardi Ducis & Electoris Saxoniæ ſoror in expeditione Italica Miſtevoi promiſſa; ſvadente Theodorico Brandenburgico denegata; unde magna Chriſtianorum clades ſubſequuta.

Filii Miſtevoi recenſentur Anadroch, Uno & Svenus. Spener. Art. Herald. L. L. 1. c. 13. §. 15. p. 84. putat præterea habuiſſe filios Ratiborum & Bugislaum.

Udo, IV. UDO Miſtevonis filius, Obotritorum regulus, dynaſta Megapolenſium, Wagiorum, Polaborum & Marchiæ Brandenburgenſis, Chriſtiani fidei acerrimus perſecutor; a transfuga quodam Saxone, quem alias beneficiis ornaverat multis, occiſus 1032. Conjux Marina Canuti Magni Danorum Regis filia, Godeſcalci mater, item filiæ Gvildæ, quæ juncta Plusſoni Venetorum principi, qui Hamburgo & Ducatui Slesvicenſi gravis fuit 1064. & demum 1086 a Slavis trucitatus.

Godaſchalcus, V. GODESCALCUS Udonis filius, regulus Obotritarum, dynaſta Megapolenſium, Wagrinorum, Polaborum, & Marchio Brandenburgenſis in Chriſtiana fide & bonis artibus inſtructus morte parentis audita, globo latronum collecto, illam vindicaturus Nordalbingiam vaſtavit, a Bernhardo Duce Saxoniæ captus; dein caſtra Canuti avi materni regis Danorum ſecutus, redux patriam recuperavit anxiusque zelo religionem Chriſtianam in illa propagari curavit, a ſubditis & apoſtatis Vandalis Leontii ad aram interfectus. Conjuges: 1) Symbulla Myeslai II. Regis Poloniæ filia, mater, ut quidam putant, Butue. 2) Syritha Sveonis II. regis Daniæ filia, mater Henrici I.; hæc epiſcopatum Megapolenſem a marito fundatum Sverinum transtulit, brevi poſt fata mariti a Slavis omnibus rebus privata, veſtibus detracta, ludibrioſe nudata, in exilium ejecta, & miſere tandem occiſa anno 1067.

Buthue. VI. BUTHUE Godeſcalci filius, Obotritorum regulus, dynaſta Megapolenſis & Wagriorum a Critone Rugiano tyranno terra ejectus ad Bardos profugit, quorum ope Plonam occupavit, ſed paulo poſt hoſte & fame circumdatus paciſcitur deditionem, fide nequiter a tyranno ſervata miſere cum ſociis trucidatur

tur anno 1066. ut quidam putant. Conjux Hildegardis, Ducis Saxoniæ & Lüneburg. filia mater Pribislai I. & Nicoloti, item filiæ junctæ Principi cuidam Heneto in Polonia, ex qua natus Jasius, qui Brandenburgum occupavit.

Hinricus I. VII. HINRICUS I. Godescalci secundo genitus, vocatus Rex in omni Vandalorum & Nordalbingorum provincia: hujus tempore nulla in terra erat moneta, sed more vetusto res rebus commutabantur, nec erant ecclesiæ nec sacerdotes, nisi in veteri Lubeca; Ecclesiam exstruxit in Swartow, tributarios ibi fecit Stoderanos Brizanos in Marchia Havelbergam occupavit 1122. Conjux Slavina Olai regis Daniæ filia Critonis Rugiani reguli vidua, quæ amore Henrici capta senio incurvatum maritum Critonem exeuntem vaporario, securi percuti curavit, mater Sventopolci, ystevoi, Waldemari Canuti & Gottfridi.

Sventepolcus. VIII. SWENTOPOLCHUS Hinrici filius, cum fratre Canuto bellum ob regimen gessit, quod interpositione amicorum quidem compositum, paullo tamen post fratrem Canutum in Lütkenborg interfici curavit, Werlo urbem obsedit ex subegit: vindice divina justitia a Dasone Holsato doryphoro suo confossus.

Svinico. IX. SVINICO sive PORCELLO Sventopolci filius, parentis fata moy secutus, ad oppidum in Transalbinia situm Erteneburgum trucitatus. Lotharius Saxo Imperator Romanus hinc regnum Obotritorum confert Canuto Slesvicensi dynastæ, qui Pribislaum & Nicolotum fratres, Bruthe, filios, captivos detinebat, avunculorum ope liberatos. Svinico 1135. putatur ἄγαμος a plerisque Historicis.

Bribislaus I. X. PRIBISLAUS Herulorum Wagriorum Circipanorum, Polaborum, Obotritarum, Kisinorum Vandalorumque rex.

Nicolotus. XI. NICOLOTUS rex Obotritarum, Buthue filius, cum fratre Pribislao a rege Danorum Canuto captivus detentus, demum Canuto crudeliter a Magno Duce interfecto, cum fratre evinculis erupit terramque paternam cum illo divisit 1140. Henrico Leoni religionem in Slavos curanti armata manu obstitit, propria sua castra incendit, incaute contra hostis frumentarios velitatum exiens occisus 2158. VIII. Calend. Jun., Conjux Amelia regina putatur Sveciæ, mater Pribislai II., Wertislai (qui Henrico Leone Duce Saxoniæ jubente suspensus & jugulatus) & Lubimari, qui arci Werlow ab Henrico præfectus vid. Crantz. l. v. c. 1.

Pribislaus I XII. BRIBISLAUS II. ultimus rex paganismo adhærens ab Henrico Leone Duce Saxoniæ & Bavariæ, in angustias coactus, ditionibus privatus, fidem paullo post Christianam amplexus sua recuperat, excepto tractu, qui comitatum Sverinensem constituit, Rostochium condidit 1160. baptizatus & Dobranum firmat 1164. 3. Calend. Maji in Palæstinam profectus 1172. mortuus 1177. 26. Septembr. Lüneburgi; ossa ejus Dobranum adlata 1215. Conjux 1) Mechtildis Boleslai Crispi Ducis Poloniæ filia. 2) Vocilava aliis Vocisclava Burevini regis Norvagiæ filia, ex qua, quantum hujusque indagari potuit, Henricus Burvinus I. 1173. natus est.

PARS III.

Stemmatis dominorum & Ducum Mecklenburg. ab Henrico Burvino I. usque ad serenissimum dominum Ducem Joannem Albertum II., quorum historia summatim collecta est ex archivis parum attentis aliorum historicorum traditis scil. Kirchbergio, Lindenbroghio, Crantzio, Chytræi, Hermanni Corneri, qui prodiit in corpore historico medii ævi curante Jo. Georg. Eccardo.

Hinr. Burevinus I. I. HENRICUS BURVINUS I. Dobranum igne ferroque vastatum restituit anno 1186. monasterium im Campo Solis fundat 1211. translocat in locum hodie Neuenkloster 1225. Hastiludio Wormatiensi interfuit cum nepote Johanne 1209. † 1228. Conjuges 1) Mechtild Henrici Leonis filia † 1191. 2) Adelheidis Lechi Albi Polon. regis filia, cum marito & duobus filiis suis donat hospitali S. Antonii curiam Timischin an. 1222. Filii fuere Hinricus Burvini II. & Nicolotus, filia Catharina Johanni IV. Comiti Oldenburg. sociata.

Hinr. Burevinus II. II. HENRICUS BURVINUS II. confirmat cum fratre privilegia a parre Burvino & avo Pribislao Dobrano data, 1219. templum cathedrale Gustrov. fundat,

dat, ejusdem privilegia pridie ante obitum confirmat, †. 1226. Conjux ipsi fuit Sophia Caroli Regis Suecorum filia †. 1252., ex qua filios reliquit quatuor, qui defuncto parente in quatuor se dividunt ramos, Mecklenburgensem, Vandalicum seu Verlensen, Rostochiensem & Richebergensem seu Parchimensem. Et primum quidem illum tractum obtinet Joannes primogenitus: Nicolaus vero secundo-genitus, lineæ Vandalicæ seu Verlensis propagator, unde & interdum Verlensis interdum Butzoviensis dicitur; sincerus religionis defensor, largusque in ejus cultores, bello a Marchione Brandenburgensi petitus fortiter & feliciter se expedivit, præfuit regimini LI. annos, dedit fratribus cœnobii Dobranensis villam Zechelin anno 1249. † 1277. Dobberani sepultus: tertio genitus autem Henricus Burvinus III. lineæ Rostochiensis autor, vita probus, Plavium cum fratribus fundari curavit 1228. titulumque domini de Rostock accepit; Caland oppidum 1244. fundavit, Rostochio igne fere funditus desolato silvam die Rostocker-Heyde excepta pastione porcorum vendidit anno 1252; excoecatus dicitur a filiis Hinrico & Erico 1266. † 1177. Pribislaus III. quartogenitus in divisione cum Johanne fratre totam Mecklenburgensem ditionem obtinuit 1129. eodem cum Johanne sigillo usus, quod confirmatio privilegiorum Dobranensium anno 1231. testatur. Subdivisione inter fratres facta tractus Richebergensis seu Parchimensis illi in sortem cessit 1234. Sigillo postea interdum usus, in quo deigma caput bovinum, inter cujus cornua annulus gemma ornatus † 1262. 1. Augusti. Filias vero genuit Sophiam Hugoni Lusignano Cypri regi, Magdalenam Principi Massilienſi, Margaretham Gunzelino III. comiti Suerinensi elocatas.

Joannes Theologus.

III. JOHANNES dictus Theologus, doctorum & clericorum patronus, se dominum de Mecklenburg item Wismariæ in scriptis appellavit, arcem Neoburgum milliare germanicum Wismaria distantem, cujus eminentiora rudera etiam nunc exstant, exstrui curavit; finitis equestribus ludis Wormatiæ A. 1209. Parisios petiit, studio incubuit Theologico Doctorisque titulo insignitus redux factus anno 1226., post fata parentis & avi 1228. divisionem terrarum cum fratribus iniit. Monasterium Rhenæ fundat, dotat, Codicem sacrum propria descripsit manu; in Lituanos ivit, ob fortia facinora Knese Janeke dictus; † 1264. Conjux Luitgardis Popponis Comitis Hennebergensis filia, sex filiorum & unicæ filiæ mater, Henrici, Joannis, Nicolai, Alberti, Popponis, Hermanni, Luitgardis, quæ Gerhardo I. Comiti Schaumburgensi in matrimonium data & † 1285. Tres posterio-

res filii ἄγαμοι. Insigne ipsius fuit caput taurinum, cujus ex ore ab utroque latere dens aprinus eminet.

Hinricus Hieroſolymitanus.

IV. HENRICUS HIEROSOLYMITANUS universam ditionem paternam anno 1266. occupat; bello petitur a Johanne & Hermanno fratribus; ast pace cum iis stabilita anno 1270. in Livoniam profectus puellam ibi triennem a strage paganorum ex ore gladii eripuit, baptizari curavit, & adoptatam perpetuæ virginitati Rhenæ dicavit. Expeditionem in Palæstinam cum S. Ludovico Galliarum Rege & aliis principibus infeliciter parans a Saracenis capitur & tristi sub servitute ad annum 1298. detinetur, per Cyprum & Massiliam redux in patriam, cum filio Henrico Rhenensis monasterii privilegia confirmat anno 1300. † 1302. 2. Januarii. Conjux Anastasia Barnimi I. Ducis Pomeran. filia, illi desponsata 1260. †. 1315. 31. Septembris. Henrici, Joannis, Luitgardis & Annæ mater; dum marito captivo regimini præesset, bis fere a Pseudo-Henricis ludificata fuisset qui fraude detecta, dignas ausu pœnas luerunt. Joannes venatu rediens aqua periit. Luitgardis desponsata 1277. Pribislao Duci Poloniæ, ab eodem interfecta 1288. Anna desponsata Johanni Comiti Holsatiæ, & Catharina ista adoptata, quam & filam suam aliquoties in litteris vocavit Henricus.

Hinricus Leo.

V. HENRICUS nat. Rigæ 1262. calvus dictus Leonis nomen in silva Bohemica meruit, dum solus intrepidus reliquis fugientibus Alberto Austriaco resisteret; desperans de parentis reditu, homagium sibi præstari curat anno 1290. defuncto patre confraternitatem cum Nicolao Werlensi init 1302, fidelitatis juramentum secunda vice a Wismarienſibus accipit, Rostochium perpetuo jure possidendum a Christophoro Rege Danorum obtinet, terram Stargardensem, quam Waldemarus I. Marchio Brandenburgensis repetit, strenue defendit, dicique ab ejus incolis juramentum fidelitatis sibi fecit. Oppidum Law cognomen ipsius referens fundavit, item cœnobium virginum Ribnitzii. Nuptias Wismariæ cum Anna Saxonica celebraturus ludosque ibi equestres cum invitatis principibus instituturus a civibus excluditur, quæ caussa dein' civibus multorum damnorum. Reliquum, quod Marchiones Brandenburgici in terra Stargardensi habuere anno 1304. emit 5000. marcis argenti, quam contractum post fata Beatricis Marchio Brandenburgicus violavit; hinc bello, quæ justo titulo acquisiverat, repetiturus, sed infeliciter. 1311. Rostochienses & Wismarienses rebelles vindicat. † 1329. 11. Calend. Februarii. Conjux 1) Beatrix ⊙. 1292. Alberti Brandenburgici filia Stargardiam marito dotem adfert, † 1314.

Mater Alberti Joannis Stargardenſis, Beatricis Abbatiſſæ Ribnitz 1330. quæ ob ætatem 1398. dignitatem reſignavit. Mechtildis ⊙ 1310. Ottoni Luneburg, Annæ ⊙ Henrico ferreo comiti Holſat., Anaſtaſiæ & Agnetis ⊙ Nicolao Verlenſi, diſpenſante Pontifice † 1372. 2) Anna Ludovici Saxon. filia ⊙ 1315. † 1327. Hinrici 1321. in tenera ætate deficientis mater. 3) Agnes comitis Rupin. & Lindov. filia, poſt mariti fata Wislao Rugiæ principi in ſortem ceſſit.

ſimulata in Deum pietas; quomodo ſe in religione Chriſtiana geſſerit, dici poſſet prolixe, & vbi perorauero, ſingillatim & vberrime ex theologo audietis omnia: mihi ſatis erit quædam capita perſtrinxiſſe. Non verbis & ſimulatione, ſed animo & vitæ omnibus partibus teſtabatur pietatem; & omnes iubebat ad hunc modum Chriſtiane viuere: vitabat cultum numinis in quæſtum verti & opinionibus faſcinari mentes; ſphingas religionum conſtanter deteſtabatur: incredibilem etiam capiebat dolorem ex contentionibus eorum, qui ſe ſacrarum literarum doctores profiterentur: quæ res, pro dolor, hodie peruulgata eſt nimis. Nam exiſtimabat, nefas eſſe, eos, qui integritate vitæ nobis præire, & nerui ſanctæ ſocietatis inter homines eſſe deberent, tumentes arrogantia & acerbitate odiorum flagrantes mutuis ſe contumeliis conficere, quemadmodum conſueuerunt artopolides, vt eſt apud græcum Comicum. Itaque & diligenter cogitabat & omni ſtudio moliebatur, quantum in ipſo erat, vt concordiam cum veritate paſſim gentium aleret: quo animo mea ſententia laudem meruit ſingularem, qui facinus tam egregium quiuis rege dignum deſignare voluerit, in qua ſententia ſi eſſent, qui hodie in orbe Chriſtiano rerum potiuntur, atque in ea perſeuerarent; profecto & tranquillius viueremus & ſanctius: quæ duo, qui homo ſit, ipſaque puriſſima hominis mens perpetuo & vnice expetit. Profecit autem ille non quantum optauit, ſed quantum potuit. Perfecit igitur cum fratre *Ulri-*
illuſtriſſimo duce Vlrico: ſunt enim pleræ- *frat.*
que laudes his duobus fratribus communes, *præ-*
quod communem patriam rexerunt commu- *ſtari*
nibus conſiliis: neque minus in plerisque ſuperſtes & præſens Vlricus hic prædicandus erit, quam mortali vita functus & cœlo receptus Ioannes Albertus: quod facere me nullo adulationis ſtudio, quod vt mendacium auerſor maxime, ſed & veritate adductum & neceſſaria rerum explicatione, facile animaduertitis perfecerunt, inquam, hi fratres, duces noſtri; & in eo hodie res eſt, vt in vniuerſa ditione Megapolitana homines ad pie credendum & ſancte viuendum perpetuo inuitentur, & omnes acerbæ & ambitioſæ inter ſacerdotes contentiones exulent. Sed quomodo ſe & totum & perpetuo & ad extremum maxime conuerterit ad cæleſtia; de eo in extremo quoque dicendum eſt; vnum hic tacitus præterire nequeo, quod nullum diem vacuum a meditatione ſacra præter miſit; qui & ipſe volumen iuſtæ magnitudinis ſacrorum dictorum e ſacris litteris collegerit, & manu ſua deſcripſerit: e quo hauriret quotidie, vel aliquid ſolatii in malis rebus vel conſilii in perplexis, vel doctrinæ ad agendum, hac ille in re non ſolum noſtram priuatorum, ſed & plurium ſacerdotum diligentiam ſuperauit, exemplo Ioannis Theologi, qui & ipſe olim diuinum cæleſtium litterarum

rarum volumen a principio ad extremum incredibili studio descripsit & monachis Doberanensibus cum aliis donis magnificis, sed cum hoc minime comparandis, legauit. Iam ad reliqua etiam accedendum est, etsi hic hæreo, neque satis video, quid quo ordine porro eloquar. An primum eius in imperium, & suos populos, merita referam? non aberrarit credo, hoc qui faciat. Sed vnum prius monebo, quod ipsius priuatim, vt videtur, fuit: cuius fructus, vt apparet, in omnes redundauit. Dux Ioan. Albertus, vt accessit ad remp. non dedidit se voluptatibus corporis, non ignauo otio, non perpetuæ venationi, cuiusmodi regum filii adolescentes solent, sæpe reges ipsi, neglectis ciuibus: neque declinauit labores, neque abiecit inchoata, & aliquandiu sepositа sapientiæ studia: sed serio iterum tractauit litteras, quibus iam maxime sibi opus esse intelligeret; cæpitque ad eam rem industria vti Andreæ Mylii tum iuuenis & doctissimi & diserrissimi, de quo in præsentia non debeo plus verborum facere, qui & socer mihi sit, & in primis huius orationis censoribus esse possit. De studio literarum principis renouato agam. Id tum imperiti, vt fit in rebus nouis, reprehendebant; hodie enim quam plurimi diuersum sentiunt: interea namque idem sapientissimus & potentissimus dux Saxoniæ septemuir imperii Augustus idem factitauit, vt recoleret matura iam ætate litteras, quas adolescentulus reliquerat, abducentibus iis, qui minime id debebant. Sed & vetus & in primis illustre exemplum proferam. M. Antoninum philosophum, cuius & ante memini, cum jam Romanorum imperator esset, (at quantus imperator!) neque puduit neque piguit domum magistri ventitare, accedebat enim ipse ad Sextum Bœotum philosophum eximium; & ibat auditum exercitationes rhetoricas Hermogenis. Hoc igitur studium in viris principibus vituperari nullo modo potest: sed, quando illi maiores sunt, tanto profecto maiorem laudem merentur. Etsi autem omnes ingenuas disciplinas plurimi faciebat dux Ioan. Albertus: tamen, vt meminimus, duplici studio potissimum tenebatur. Primum enim, vt sapientia, sic eloquentia mirifice delectabatur, putabatque studium dicendi se maxime dignum esse, & norat, id haud quaquam posse constare, nisi quis & simul sapiat: Meminerat principes viros in eo fuisse olim exercitatos ab Isocrate principe oratorum: de qua dubites, splendidius ne dixerit, an melius senserit de rebus humanis: meminerat etiam sententiam illam doctissimi & grauissimi viri; qui cum scriberet ad potentissimum regem Alexandrum Macedonem Philippi filium ipsique auctor esset, vt toto animo incumberet ad orationem expoliendam, putauit, principes viros, quemadmodum vestimentorum elegantia & reliquo omni ornatu corporis priuatos superant; ita & ipsos omnibus eloquentia & facultate dicendi anteire oportere, quod multo pulchrius sit ac vero rege dignius, animum habere sapientia ornatum, quam corpus concinnitate illa decoratum; neque enim probari posse illos, immo culpæ graui sine dubio affines esse, qui cum re ipsa factisque primum locum inter mortales obtineant, videri merito possint quibuslibet hominibus in studio linguæ facundiæque posteriores. In hoc vero etiam studio, quo tantopere flagrabat, quodque, quamdiu vixit, plurimi fecit, optimi ingenii princeps profecit plurimum. Nam & acer ipse censor erat omnis generis scriptorum, neque in ea re fallebatur: audiuimus eum sæpe de rebus grauissimis subtiliter & polite differentem; vidimus quæ in commentarios eleganti genere sermonis retulisset. Capiebatur vero etiam disciplinis mathematicis & diuinitate ingenii sui & exemplo Caroli V. vt arbitror. Vrebatur autem in cognoscendis motibus corporum cælestium præstantissimo mathematico Tilemanno Stella, quem ab illo tempore in honore habuit & ornauit harum doctrinarum gratia. Cum a negociis publicis vacaret aut intempesta nocte, cum illa tractari non solerent; hoc & docente & monstrante vel vehiculo insidens vel in vicino lacu nauigans intuebatur & discebat sidera: vt cum in terris tantillum spatium, (est enim non solum ampliſſima regio, sed vel hic orbis ceu punctum vniuersi comparatione,) ipse regeret, ad cælestem patriam ex ipso studio ab adolescentia videretur aspirare: non minore cupiditate, quam qua arsisse fertur naturæ solertissimus Anaxagoras. Sed quo modo erga omne genus liberalium disciplinarum affectus fuerit, paulo post vberius dicam: nunc reuertor ad id, quod instueram dicere, quam fidem imperio præstiterit, cuius ipse & alumnus esset & princeps. Qui fuerit status Germaniæ bello Germanico, maximam partem vestrum scire arbitror: meminisse etiam, quæ bella subsecuta sint & quam grauia anno abhinc XXVI. Eodem pæne tempore initasunt consilia a quibusdam Germaniæ principibus de asserenda libertate Germaniæ, de captiuis principibus e vinculis liberandis. Quæ consilia inter quos quomodo acta fuerint, neque ipsos satis exploratum habuisse existimo, qui hactenus ea litteris prodiderunt; ne dum ego aut sciam, aut hic possim explicare. Qui ipse rebus gerendis inter fuerit, multa ipsum fugient: qui vero vel e vulgi vocibus vel e libellis, qui vulgo sparsi fuerint, acceperit, nihilo plus de consiliis erit certior, quam qui ignoret. Suspicio erat: nam quod multi dubitant, cur id affirmem temere? aut quod alii affirment, cur eo negem? nequaquam sciens rerum omnium: sed erat suspicio vehemens, imperat. Carolum inclementius agere cum Germania, quam deceret Cæsarem; videri in seruitute esse & non tam legibus, quam homini parere principes: accedebant alia, quæ & simul commemorare & probare neque huius loci est neque meæ cognitionis. Mauricius elector Saxoniæ, acer bellator, dux erat & consiliorum, & rerum gerendarum; quod fidem datam principi Catthorum Philippo seruare non potuerat in fraudem ab aliis inductus quare Gulielmo Landgrauio Catthorum Philippi filio,

precipua Io. Ab. merita.

ad studia se recipit.

impr. eloquentia excellit.

mathematicis deditus.

Fides erga Imperium Rom.

impr. eius fœdus cum Mauricio elect. Sax.

Alberto Marchione Brandeburgico, Ioanne Alberto & Georgio ducibus Megapolitanis ſociis, cum copiis per ſuperiorem Germaniam progreditur, ipſum Cæſarem Carolum V. pæne Oeniponte opprimit. Alii de hoc quoque facto aliter iudicant: ſunt qui extreme vituperent; ſunt qui in cælum tollant laudibus. Id ſane apparet, & ex euentu affirmari poſſe videtur, principum illius belli neminem appetiuiſſe dignitatem imperii: ſed impetrata fuerunt, quæ tranſacta Paſſauii, quæ diplomatis conſignata, quæ utrimque & tum & hactenus ſancte ſeruata, & fuerunt ſtatim admirabilia & diuina & ſalutaria vniuerſæ Germaniæ: cuius ſalus in illis ipſis & hodie conſtitit, & conſiſtet, quod & opto & ſpero, ſeculis etiam pluribus. Primum ſuis reddebantur dux Ioannes Fridericus Conſtans & Philippus Fortis princeps Catthorum. Aſſulſit Germaniæ veteris libertatis blanda quædam & optata ſpecies: quæ hodie nouis & laudatiſſimis legibus firmata domeſticum otium præter noſtrorum hominum impetus Martios diuinitus tuetur. Denique quod beneficiorum omnium eſt primum, pax conſtituta fuit religionis, & cautum, ne qui opinionibus diſſentirent, quas multitudo vt imperita maxime, ſic potiſſimum innocens non iudicio ſequitur, ſed amplectitur, vel moribus maiorum introductas, vel aliorum, qui & boni & ſapientes crederentur, ſermonibus oblatas, propterea continuo hoſtiliter dimicarent, euenerat hoc iam, & metuenda erant grauiora multa. Neque fuiſſe in tantis malis iamiam inſtantibus commodiorem medicinam, ſi non credimus; in eos populos nos conuertamus, quibus illa vti non contingit. Quid enim pluribus iam annis calamitoſius Gallia? quid miſerius Belgio? An non exhorreſcimus audientes, maduiſſe fraterno ſanguine muros? Vtriusque vero illius regni longe florentiſſimi & opulentiſſimi tellus, non duorum, ſed vel multorum millium fratrum parricidiis polluta fuit nobis viuentibus & tantum non cernentibus, & hodie plus quam crudeliter polluitur. Vtinam vero, atque iterum vtinam, cum in vniuerſo orbe id minime fieri poſſe videatur, ſaltem in Chriſtianis prouinciis ſarciatur concordia auctoritate regum & pontificum; quo quidem hodie bonis nihil optabilius, & nihil tamen hoc deploratiſſimo ſeculo ſperandum minus, committenda hæc res eſt numini, & quod DEO videatur, æquo animo nobis & accipiendum & ferendum. Quod autem minus in Germania mali eſt, vel potius, quod boni ſuper eſt, id profecto potiſſimum debetur fortiſſimis ducibus electori Mauritio & Ioanni Alberto: quorum hic ab inita ſocietate, quamquam nullo iurisiurandi ſacramento teneretur, non deceſſit ante, quam fieri videret, de quibus in conditionibus conuentum fuerat. Idem vero neque aliis temporibus defuit imperio, & in aliis rebus ad eius conſeruationem & dignitatem ſpectantibus perinde laborauit. Nam priuatim ad Cæſares Ferdinandum Viennam & Maximilianum Pragam iuiſſe ſcimus, & veniſſe ad imperii comitia crebro Francofortum ad Mœnum, Auguſtam Vindelicorum, Spiram Nemetum; deliberatum de rebus non tam ad ſe & ſuos, quorum tamen potiſſimam rationem habendam ipſi fuiſſe nemo negarit, quam ad imperium pertinentibus. Cum ſint duo capitales hoſtes Germaniæ, tyrannus Turcicus & tyrannus Moſcorum; ille cum in Pannoniam irruptiones quotannis, vel induciarum tempore faciat, & Viennam Auſtriæ aliquando obſidione cinxerit, quomodo propulſandus ſit, fere omnibus comitiis, ab omnibus principibus diſputatur & agitur ſedulo. Non minor eſt, immo terribilior, & multis modis immanior Moſcus; ipſam immanitatem non immerito dixeris, hic Phalaris, hic Buſiris eſt; qui ſupplicum nullam habet rationem, qui legatos, cum libet, violat, cuius data fides perfidia, cuius miſericordia crudelitas eſt, qui ſuos non ſolum gladio carnificis, ſed & ſua manu nefaria mactat vt pecudes, qui pœnis afficit non tam eos, qui deliquerint, quam quibus iras ei cœperit, qui vni infenſus, totas familias radicitus exſtirpat. Hanc plus quam barbaricam crudelitatem, pluribus inauditam gentibus, multi ex his regionibus ſpectarunt, quorum narrationes fortiſſimus quisque non abhorrens ab humanitate exhorreſcat. Is annis ſuperioribus term nos Romani imperii inuaſit, depopulatus eſt agros, exuſſit vicos, oppida occupauit, Dorpatum emporium inſigne tenet, & in ſtabula pecudum conuertit: ſunt enim ipſius mancipia pecudes & belluæ. Impune ipſi hoc licuit, hodie licet. In ſenatu imperii dux Ioannes Albertus & primus & pæne ſolus ſedulo hanc rem ſumma contentione egit: (cælare enim vos non debeo, idem plane ſenſiſſe magiſtrum ordinis Teutonici, fortiſſimum virum & ampliſſimæ dignitatis, quam gereret, memorem pollicitumque omnia, vt qui neque vitam pro patria profundere dubitaret.) Egit autem primum Auguſtæ, cum hoc malum proſpiceret, & adhuc facilis eſſet depulſio: deinceps Spiræ rebus iam in maximum diſcrimen deductis. Exiſtimabat enim, quod res eſt, hoſtem illum minime eſſe inſuperabilem; ſed rebus bellicis nobis multo minorem; quem tamen, ſi oſcitaremus, victorem futurum & Liuonicarum gentium dominum nullum eſſet dubium. Etſi profecit parum, præſtitit certe imperio fidem, atque quod ſapientis erat, & tulit æquo animo, quod ſuis viribus emendare non poſſet, & ad ſuos populos ſe potiſſimum conuertit. Etenim tuendis, ornandisque ſuis ciuibus nulli maiorum ceſſerunt optimi duces Ioan. Albertus & Vlricus. Superiores duces non poterant præſtare omnia, & ætas erat illa alia hominum; hi noſtri egerunt hoc omni ſtudio, vt ſuis ciuitatibus & omnibus ſuæ ditionis ordinibus beatæ vitæ quam plurimum impertirent. Nomen juſtitiæ celebratum eſt; vſurpatur ore omnium: eius certam apud ſuos ipſi ſedem poſuerunt, iniurias depulerunt inſolentiorum a modeſtioribus, potentiorum a tenuioribus; iudicia recte

conſili
Moſcu
clemen
& inſ
ga ſu

recte constituerunt, per omnes pæne vicos forum ipsi egerunt anno sæpius, quam ante fieret vel decennio. Nan ante hac sæpe numero non ex jure manu consertum, sed mage ferro, vt erat apud Ennium rem repetebant: manu, non ratione; gladiis, non legibus; violentia, non iure causas agebant suas: pisces vt sæpe minutos magnus comest, & aues enecat accipiter, vt Varro dixit. Quarto hoc, quod hodie ducis vtriusque auspiciis fit, melius? vel quam illud pessimum, quam hoc solum optimum est! Quam hilari & grato animo acceperint hoc plerique, mihi satis constat. Ipsemet enim audiui hisce auribus, qui memores superiorum temporum, his principibus gratias agerent, quorum bonitate, & prudentia prædia, agros, suppellectilem, liberos incolumes tenerent, vicinorum impotentem potentiam non metuerent. Quod cum audiui, incredibili ipse quoque voluptate affectus sui; & risi iniuriam indigne ferentem graue sibi iuris iugum. Hinc alii ordini honestissimo iurisconsultorum irascuntur, quos florere vident, & dignitate & præmiis: sed iis quam facile nihil penderent, qui humanitatem colere, quam litigare mallent. Hæc legum obseruantia introducta ab hoc diuino heroë eiusque fratre fratri præstantissimis virtutibus quam simillimo attulit tranquillitatem cumque ea sexcenta commoda, quæ & ipsa a quibusdam non animaduerti, ab aliis tamen prædicari intelligo. Fuit accuratius ab omnibus suscepta & hac de causa, & exemplo ducum rei familiaris procuratio. Quibus patrimonium in fundis est, vt viris nobilibus, quantum accesserit ex agri cultura & villaticis pastionibus curatis rectius, quam olim vel fieri potuerit, non solum senes fatentur; iuuenes non dubitant, nec tamen desunt, qui que rantur: scilicet ita est hominum ingenium; præsentia non sentiunt commoda, quod grauiusculum est cum Aetna comparant: quos ego, vt ad gratum animum patribus patriæ præstandum inuitem, iubebo, quaqua velint fines prouinciæ egredi, oculos circumferre in sui ordinis homines, videre quæ ibi gerantur; jubebo progredi longius, eadem de causa: recurrent subito, & se beatos præ aliis prædicabunt. Nam quod mihi in promptu erat, non faciam, vt aliarum gentium vulnera & miserias detegam. Vos compello, vos Megapolitani ciues jubeo considerare, quam bono loco sitis, quantum debeais huic beneficentissimo principi, qua filios non tractauit indulgentius, quam quemlibet vestrum, & eius fratri, quem hic moestum vestra obseruantia & pietate consolari debetis: dedere etiam animos vestros heroicæ exspectationis illustribus adolescentibus, Ioanni & Sigismundo Augusto, Ioanni Alberti filiis, in fide patrui tanquam patris constitutis. Sed mittemus ingratos: integritas ea Saxonicarum gentium est, vt maximam partem eorum ego gratissimos judicem, hoc profecto non patriæ, sed veritati largitus. Porro vt non solum qui alimenta præbet, sed & qui ex incendio hominem eripit, vitam dat: ita non is tantum qui necessaria suppeditat, sed & qui auertit calamitatem beneficium dare existimandus est. Itaque videmus fere maiora præmia & honores ampliores decerni iis, qui hostes fudissent, quam qui remp. constituissent præclaris legibus: quorum hi perpetuum beneficium in ciuitatem conferunt; illi efficiunt, vt ne nobis id, quod partum est, eripiatur. Cautum fuit hactenus, ne etiam metus belli esset huic prouinciæ, etsi veluti quædam pulueream nali nubes semel atque iterum excitari visa fuit, quam consilio & ratione subito discussserunt principes optimi. Etiam ante annos XIII. quædam Rostochii glisscebat seditio. O rem miseram! Inest enim in seditione omnis mali species: & cum plerumque haud leuiter a partibus peccetur, vtrinque in dies peccatur grauius, ac denique παγκακος, vt est in veteri Græcorum prouerbio, atque consceleratissimus quisque summos honores & principatum adipiscitur, quod ego coram ibi vidi fieri, quam ex minutissimis scintillis quantum incendium erat futurum: Confluebat vulgus, comitia indicebant, agebant excubias, inclusos consules & senatores tenebant; serpebat quotidie malum longius: restabat vnum, neque procul ab eo aberat, quin ciuili sanguine viæ, foci, forum, curia, aræ conspergerentur: quod sub Henrico Leone acciderat, cum re infelicius gesta multitudo in consulum & senatorum domos irruit, ipsos trucidauit, bona diripuit, nonne idem imminere, ominari quilibet poterat? sed prudentia & bonitas illustrissimorum ducum & moderatio ea fuit, vt quam leniissimum remedium pullulanti malo adferrent, repressa fuit quorandam petulantia, emendati mores, concordia & domi & foris constituta, admirabilis res est, quæ non nisi inperfectissimos cadit, quod ipsi cum in manu haberent eam ciuitatem, nihil violentum, omnia paterne egerunt, maiorum suorum clementiæ constantes æmuli. Ob quæ diuina merita laudibus duces nostros ab omnibus cumulandos, & in primis ab illa ciuitate obseruandos censeo, id quod fieri intelligimus. Senatus enim populusque Rostochiensis grato in Deum opt. max. & benignissimos duces animo anniuersarias supplicationes ad XI. K. Octobreis decrevit in perpetuum. Ipse vero opto vt hæc felicitas, vel potius vita beatior, diuturna sit: quod omnino futurum est, modo vtrinque fiat, quod & facile est & fieri videmus & sapientes fieri oportere recte iudicant: vt princeps pater ciuitatis sit, ciuitas principis filia: ille ciuitatem non premat, sed amet: hæc principi pareat, non rebellet. Sed hac de re satis dictum existimo. Iam noui & inchoati beneficii obliuisci hoc loco non debeo, quod & ipsum ab vtroque duce proficiscitur, de eo, cum neque mihi res satis explorata sit, neque exercita diu, non queo satis luculente dicere. Affirmari audio, non solum mercatoribus, sed & toti regioni; immo & viciniæ nouam hanc nauigationem: qua e mari Baltico in mare occidentale pæne nauigiis

tranquillitatis studium.

in seditione Rostoch. suppressa.

consilium de effodiendo nouo alueo ad nauigationem commodiorem

giis merces transportari possint, polliceri commoda haud vulgaria, interfunt enim a portu Vismarienfi nonnisi V. M. P. ad hunc lacum Suerinenfem: e quo per flumen Stoeram in Eldam, ex Elda in Albim, inde in Oceanum occidentalem nauigatur: alioqui per ambages longissimas, per fauces plurimas, angustiasque difficillimas ex vno pelago in alterum navigari audio. Duces nostri sapienti consilio, maximis sumptibus, cum, quos dixi, fluuii non vbique commode nauigari possent, fossas egerunt in ipsorum alueis per siluam Leuitiam. Regium hoc est munus, & fructus feret brevi, vt putatur, vberrimos. Sed quæ recensui omnia ducum beneficia regia sunt; neque possunt a principibus tenuia proficisci. Quod autem nunc referam, vnum est instar omnium; vel certe cetera in se omnia complectitur: ingenuas autem disciplinas intelligo. Si enim animus & ipsum corpus & cetera moderatur: ipsa animi informatio cetera continet omnia. Informatur animus bonis literis, quas qui introducit, maximum omnium bonorum, quæ hominibus dare possunt, introducit sapientiam, & summo nos omnium beneficiorum afficit citra controuersiam. Hæc oratio in vulgus non valet; multitudo enim non intelligit vera bona. Sed sapientes de sapientia soli rectissime judicant, vt de opere suo quiuis artifex. Sapientes igitur intelligunt, quantum boni sit in hoc, quod oppidatim & fere per vicos duces nostri magistros bonarum litterarum publicis stipendiis constituerunt, qui ab incunabulis pueros pietatis, & bonarum litterarum initia docerent, non minus hoc est beneficium, nisi forte maius esse existimandum est, quam quo M. Antoninus Philosophus, (quicum, quia optimus fuit, libenter optimos comparo,) Athenienses affecit: hic cum aliis quoque eos rebus ornaret, inprimis constituit omnium ordinum hominibus magistros omnis generis partium sapientiæ, decreta ipsis in perpetuum mercede annua. Singulariter vero dux Ioan. Alb, æmulatus Mauritium elect. Suerini ludum illustrem aperuit; cui primum præfecit Marcum Dabercusium Misena arcessitum, quem & ipse plurimi faciebat, & munifice habebat, grammaticum sui ordinis nobilem, versatum a puero in pulueribus scholasticis & patientissimum perpetuarum educationis & institutionis molestiarum. Itaque & hic & alii cum ipso atque post ipsum Præceptores lectissimi, huius noui ludi alumnos summa & arte & fide erudiebant; & proficiebant pueri, non solum ab huius prouinciæ viris nobilibus & incolis oppidorum, sed & e longinquioribus terris huc missi aliqui. Neque sane mirum, cum duci hæc res tantæ curæ esset. Ipse enim aliquando ex arce descendebat visum studia adolescentiæ, & audiebat explorationem profectuum ipsorum; atque ipsis, vt quisque profeciffet, ita collaudatis præmia distribuit. Neque quis hoc indignum arbitretur summa persona reipub. qua id esse dignissimum qui contendat, minime aberrarit; cum in educatione ceu crepidine posita sint fundamenta ciuitatis, ut sapientissimi censuerunt. Neque res nobili exemplo caret: nam Carolus Magnus idem olim fecit, vt monimenta litterarum testantur; qui cum simili probationi interesset, & nobiliorum locupletiorumque filios delidiæ deditos, obscuriorum vero atque tenuiorum acri studio progressus feciffe haud aspernandos animaduertisset; illis acriter obiurgatis malum minitatus simul fuit seueriffime, his humaniffime probatis longe ampliffima præmia promisit: neque non perpetuo neglexit virtutis & sapientiæ contemptores, & illarum cultores ad summos honores euectos omnibus quoque aliis rebus ornauit iustissimus imperator. Sed ex ludo Suerinensi adolescentes plerique bene iactis litterarum fundamentis in academiam publicam venerunt: quod plerumque secus fieri animaduertimus, vt in scholas regias mittantur adolescentes neque moribus satis informati neque iis eruditi principiis, quibus qui carent, frustra audiunt deinceps ampliffimarum doctrinarum etiam doctissimos interpretes. Hæc vero etiam quod est, quod floret potissimum vtrique duci illustrissimo debemus. Nam collapsam iniuriis temporum erexerunt consilio & munificentia sua. Locupletarunt enim eam certis sumptibus annuis, quo liberalia penderentur stipendia doctoribus, & hi ex doctissimis deligerentur. Dux Vlricus libenter auctoritatem fratris hac in re profitetur; & dux Ioannes suam cum fratre laudem libentissime communicat: neque non commune & solidum vtriusque beneficium agnoscimus, grati vero etiam animi fideli memoria conseruatum perpetuo prædicabimus. Vestris auspiciis primum vir doctissimus, Arnoldus Burenius academiæ veluti tempestate disiectas tabulas collegit, & seueritate inusitata, sed initio necessaria, disciplinæ domesticæ traditos suæ fidei adolescentes coërcuit, bonis moribus bene informauit, in eloquentiæ & ciuilis scientiæ studiis rectissime erudiit, vt qui veterum vere doctissimorum hominum vestigiis insisteret & insistendum diceret umbris relictis. Eius labores excepit doctissimus & molestiarum docendi tolerantissimus tum iuuenis Dauid Chytræus: cuius operæ & præstans eruditio hodie nullius præconio egent, nedum meo: neque ego soleo alios in os laudare; neque non id boni viri nonnunquam grauius accipiunt. Quare & de aliis, qui vestris auspiciis ab eo tempore docuerunt aut hodie docent bonas litteras, nunc nihil dicam, quod est res, non dissimulabo; nulla Academiarum Germaniæ Rostochiensem hodie inferiorem esse iis rebus, quæ potissimum necessariæ sunt. Docentur enim omnis generis disciplinæ, &, quod alio loco a me scriptum est, quam longissime Athenis Atticæ tractantur litteræ & florent summo studio docentium atque discentium mediocri frequentia. Nam omnium ordinum adolescentes ibi incumbunt ingenuis doctrinis; & hodie academiæ summum magistratum gerit heroicæ spei adolescens dux Gulielmus illustrissimi Brunsuicensium ducis Othonis filius, hoc vero etiam ad laudes

litterarum promotio.

Suerini

Academ. Rostoch. fundatio.

non

non tam ſcholæ, quam vicinorum regnorum pertinet, quod & ex vltima Thule & vicinia, illa tam longinqua vix notis vetuſtati locis aduenerunt, qui ibi liberalibus artibus ſtudeant. Etſi porro ad alia properandum eſſe exiſtimo & hoc exſpectari video; tamen quia in bonarum litterarum mentionem iterum incidi, non poſſum, quin aliis quoque argumentis oſtendam, quanti dux Ioan. Albertus ipſas fecerit. Etſi id neminem veſtrum dubitare video, cum & in litteris vixerit adoleſcens & poſt eas nunquam abiecerit & ſcholas fundauerit; tamen de bonitate omnium veſtrum penitus mihi perſuadeo, etiam vos alia, etiamſi minutiora videantur, audituros æquo animo. Gaudere enim ſcio toto animo viros bonos, & cum ipſi beneficia largiuntur, & cum conferri ab aliis intelligunt, & cum quid magnum ab aliis geri vident. Ducem autem Ioan. Albertum mirifico amore & ſapientiam & homines complexum fuiſſe affirmare non dubitarim: vt qui & illam cum pluribus communicari, & hos illius ſtudioſos compotes fieri optaret: vtrumque autem ſuis opibus adiuuaret, non ſolum namque hortabatur ſuos & voce, & exemplo, vt bonis litteris toto animo incumberent, ſed etiam prouocabat præmiis & doctos homines tenuiores liberaliter ſubleuabat & ornabat ſane haud vulgaribus beneficiis adoleſcentes plurimos ingreſſos doctrinæ ſtudia. Memores ſunt plerique optimi principis beneficentiæ; & ingratis profiteor etiam nomen meum. Nam cum de me adoleſcentulo bene exiſtimaret, & probaret ingenii mei ſpecimen puerile; collaudauit conatus meos & adiuuit munifice, & ab illo tam longo tempore me in ſuis habuit & omnibus rebus ornare nunquam deſiit. Eam ob cauſam & ipſi duci munificentiſſimo, & ciuibus huius prouinciæ deuinctum me eſſe intellexi: & meo loco, quibus potui officiis ſi qui ea requirerent, ſtudioſis litterarum nusquam deſui: neque auare ſtatui precium arti meæ, vt eſt apud latinum Comicum, immo ſic ſentio: profectum adoleſcentis ætatis eſſe mihi quæſtum maximum & vnicum. Sed de me vno verbo propterea dixi, quod apud vos cupio huius maxime virtutis haberi, qui ſum, cultor eximius, neque enim viri boni patiuntur, querelam perpetuo veram eſſe, quæ paſſim exſtat, & a Menandro ſic relata fuit: Nemo omnium accepti beneficii eſt memor. Non minus ſignum erat erga ſapientiæ ſtudia, quod & ipſe maximi fecit principes doctrinæ huius ſeculi, & ab iisdem fuit cultus maxime. Primum in Germania erat nemo vel parum tinctus litteris, quin ducem Ioannem Albertum fama egregiæ doctrinæ & ſummis erga Muſas meritis veneraretur: ſed cultus fuit maxime ab optimis & doctiſſimis quibusque qui præſtantiam virtutis & ſapientiæ intelligunt, & vident, quantum ſit decus, quam rarum, quam diuinum denique polita eruditio in viro principe. Ille vero contra, non ſolum plures meritis ſibi deuinxit ſingularibus, ſed & præſtantes ſapientia obſeruauit: in ceteris autem potiſſimum Philippum Melanchthonem ſummi ingenii hominem, varia doctrina præditum, innocentia vitæ & probitate incredibili per Germaniam & apud gentes non barbaras gratioſum, quem quis ſcaturiginem bonarum litterarum perennem apud Saxones atque in maiore parte Germaniæ merito dixerit, prodigium bonorum & animi, quæ haberet, & exteriorum, quibus minime abundaret. Ipſe recordor, quod referam. Cum adoleſcens audirem Melanchthonem, tranſiens Vitebergam dux Ioannes Albertus voluit hominem celeberrimum & videre & audire, vel deſiderio ſuo obſequens vel recordans, Pompeium Magnum ſummum & feliciſſimum imperatorem, cum e Syria decederet, Rhodi quoque voluiſſe audire & audiuiſſe diſputantem philoſophum nobiliſſimum Poſſidonium. Audiuit igitur & priuatim Melanchthonem & docentem publice. Ibi cum forte dies eſſet memoriæ mortis Alexandri, miſſa & ſubtili diſputatione & prolixa oratione, (norat enim, quid deceret in tanti hoſpitis præſentia, rectius quam Phormio peripatheticus, qui audiente Annibale de officio imperatoris & arte militari Epheſi auſus fuerat copioſe diſſerere,) quæ meminiſſet ſingularia, quæque viderentur, retulit, ſuaui genere ſermonis, vt ſolebat: viſus fuit ex ipſa attentione omnibus princeps delectari maxime, ſed potiſſimum ea partium, quæ referebat, & perbelle interpretabatur, quemadmodum Ariſtoteles ad Alexandrum ſcripſiſſet; regnum haud iniuriam eſſe, ſed beneficentiam. Neque ſane mirum, hoc aureum præceptum rationis duci Ioanni Alberto tant opere placuiſſe, quod & ante & poſt toto vitæ tempore non tam ſecutus fuiſſe, quam exemplo ſuo vel condidiſſe vel innouaſſe vel certe diuinitus illuſtraſſe non immerito videri poſſit. Obſeruauit non minus Ioachimum Camerarium, virum grauiſſimum & Germanorum longe doctiſſimum: Georgium item Fabricium, cuius modeſtia & polita doctrina extra Germaniam non minus celebratur: atque etiam virum eloquentiſſimum & ſummum dicendi magiſtrum Ioannem Sturmium; cui, quantum vel Academia Platoni vel Lyceum Ariſtoteli vel Stoa Zenoni, tantum Argentinenſe gymnaſium debet: qui ex his, quos dixi, hodie ſolus ſupereſt, niſi forte & illi poſt obitum ſuperſtites recte exiſtimantur, quorum memoriam nulla poſt hac inter homines delebit obliuio. Verum etiam in Italia doctiſſimos viros & litterarum propriis monimentis clariſſimos, ducis Ioannis Alberti doctrinam & ſapientiam admiratos fuiſſe ſcio. Nam maximi eum fecit Paulus Manutius Romæ, vindex latinarum litterarum; Bononiæ Carolus Sigonius, vir doctiſſimus & antiquitatis ſolertiſſimus indagator; Florentiæ Petrus Victorius, nobilis Etruſcus, veteribus philoſophis neque cognitione & ſcientia neque virtutum præclaris actionibus inferior: cuius & ad ipſum bona doctrina refertæ aliquot penes me ſunt epiſtolæ. Non putaui alienum eſſe ab hoc loco, vt ſimul quos ille doctrina præſtantes magni feciſſet, & a quibus cultus ipſe fuiſſet, referrem; præſertim cum quos retulerim omnes honeſto, partim quoque nobili loco nati ſint. Accedit, quod fere nusqu. laudatiſſimorum regum, atque impe-

excitatio ad ſtudia.

eruditorum amor.

imperatorum illustrium mentionem fieri video, quin & viri docti nominentur, a quibus adminicula suæ virtutis acceperint. Cum Hercule celebratur Orpheus, cum Achille & Chiron & Phœnix cum Alexandro Macedone non solum Leonides & hoc præstantior Aristoteles, sed & Lysimachus vtroque multo inferior, cum Epaminonda Lysis, cum P. Scipione Polybius & Panætius, libuit enim mihi e pluribus paucos, & quidem hos maxime illustres nominare: & quidem hæc hactenus. Est & hoc signum affectionis erga doctrinam singulare, quod exemplo summorum regum bibliothecam condidit, quorum primi ex veteribus celebrantur Ptolomæus Philadelphus & Eumenes atque Attalus fratres. Non fuerunt horum tantum bibliothecæ, illius Alexandriæ, horum Pergami: sed & hodie sunt illustres, Vaticana, Medicæa, Veneta, Vrbinas, Augustana. Etsi autem neque cum pontificibus maximis neque cum ducibus Etruriæ neque cum Venetis neque cum Vrbinate neque cum Fuggeris certare potuit multis de causis dux noster Ioan. Albertus; tamen studio incredibili, cui nisi fallor vel potissima laus deberi existimanda est, neque hac in re cuiquam illorum cessit; plurimos vero etiam superauit. Constat igitur & ex his & ex superioribus, quanti sapientiam & deditos sapientiæ fecerit; neque est opus in re clara argumentis pluribus: neque quisquam neget, quin vt studia litterarum auspiciis Francisci regis in Gallia florere tum cœperint, ita in his locis nunc hoc auctore floreant, qui illustri exemplo omnibus præluxerit, qui complexus fuerit & adiuuerit hoc studio incensos, qui hoc velle se, omnibus rebus præ se tulerit. Itaque in omnibus oppidis sunt hodie aliqui bonis litteris exculti quarum nomen superioribus seculis præter sacerdotes vix quisquam audierat: neque vlla est familia nobilis Megapolitana, cum sint quam plurimæ & opulentissimæ & laude rei militaris insignes, in qua non aliqui noua hac non vnius generis aut quæstuosæ, sed variæ & liberalis doctrinæ laude floreant: & hoc studium omnium præstantissimum ante ignotum, aut neglectum, aut etiam contemptum, vrgent iam parentes in suis liberis educandis sedulo. Ceterum ex omnibus, quæ hactenus a me dicta sunt, satis liquet, in ducem Ioan. Albertum conuenire maxime, quod dicitur, non esse proprium bonum iustitiam, sed alienum. Non enim ipsa procurat, quæ sibi, sed quæ reip. & ciuibus emolumento sint. Idem euenire iusto necesse est: idem bono, in quo nihil est iniuriæ, quam inferat; quam accipiat, forte plurimum. Ita hic dux cum bonus atque adeo ipsa bonitas fuerit, non spectauit, vt sibi bonus esset atque vtilis, (sic enim hodie bonum interpretantur;) sed omnibus se bonum atque æquum præstaret, seque erga omnes gereret, vt rege & diuino homine dignum esset. Quanto & ornamento, & adiumento fuerit imperio diximus, quæ contulerit in populos suos beneficia, vnde haud difficilis est coniectura, vt se in omnes alios tractarit. Fieri enim non potest, vt cui vniuersum curæ sit, is ab officio in inferioribus discedat. Quare nihil audietis noui cum aperiam, quanti gentiles, & propinquos, quanti vxorem & liberos, quanti amicos, quanti domesticos, quanti fere quemlibet suæ prouinciæ fecerit. Gentilibus vita functis etiam debita officia præstitit, cæremoniis funebribus peractis & patri carissimo & patruo sapientissimo & patrueli doctissimo & fratri fortissimo monimenta in hoc templo posuit. De pietate erga *matrem*, sapientissimam femi- *amor in su*
nam dubitari non potest: *Fraternum* vero amorem sancte coluit, etsi non dissimulabo, Henrico patruo extincto, consiliis aliorum fere in discrimen rem Megapolitanam fuisse deductam: sed & illi iam olim occiderunt, & contentio fratrum sine contentione sedata est, cum alter alteri fraterne largiretur, quod æquum esset. Ex eo etiam tempore ducum *concordia*
Ioan. Alberti & Vlrici mirifica in rep. fuit *fratribus.*
consensio: neque dissedissent priuatis in rebus vnquam, nisi vtrinque id artibus perfectum esset, minime bonæ notæ hominum interea res suas agentium neque considerantium, quantum malum possent ipsi parere reip. Sed vicit vtriusque ducis bonitas & fraternus amor, qui quoties congressi fuerunt, eluxit tamen: maxime vero his postremis exarsisse diebus ipsorum germanitas visa est; vt innotuit hodie omnibus & infra dicetur plenius. Fraterne & fratres duces Christophorum & Carolum amauit: & neutri eorum quiddam vnquam negare visus fuit. Pro duce autem Christophoro laborauit toto *pro Chri-*
animo, & sumptus fecit lubens plane regios, *phoro fr-*
donec perfecit, vt & ipse Archiepiscopus Ri- *dium.*
gensis designaretur, successurus, si & Deo visum fuisset, Archiepiscopo Gulielmo, Marchioni Erandeburgico. Sed erant eiusmodi tum fata Liuoniæ, quæ & nobis calamitatem adferrent, multis in eam regibus vt in vineam excubiis custodum destitutam grassantibus. Tamen a prudentibus audiui, consilium approbari optimi ducis, etiamsi exitus optatis & bene deliberatis minus respondeat: neque sapientes ex euentis æstimant consilia, & hoc minime esse faciendum sapientissimus populus Athenienses censuit. Neque enim, quæ cum ratione, licet infeliciter, essent gesta, Athenienses calumniati sunt; sed cum recto consilio & forti animo pugnatum fuisset, etiam amissa victoria ciues, qui pro patria occidissent, oratione funebri laudari voluerunt, ipsisque tumulorum inscriptionem per honorificam constituerunt, cuius in extremo hoc refertur, quod non minus verum est, quam vllum oraculum Delphicum fuerit: non aberrare & nusquam impingere, sed omnia recte & feliciter administrare, id vero esse non hominum, sed deorum immortalium. Hæc enim sententia est versus: μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐςὶ θεῶν καὶ πάντα καλοφθέν. Quid de sorore eius An- *soror ei-*
na, nupta duci Curlandiæ, dicam? de cuius *na.*
obitu nuper falsus per mare rumor aduolauerat: cum ipsa hunc verum nuncium de fratre, cui

Bibliothecæ conditor.

Literatorum amplificator.

iustitia.

cui vnice dilecta fuerit, quam ille vnice amauerit, accipiet auribus, quanto in luctu erit? in quantis lachrymis? non solum, quia femina est, sed etiam, quia & benefica in omnes & in Deum atque suos pia. Accedo ad artictissimam coniugii necessitudinem: vxori Annæ Sophiæ Borussæ ille se integrum & castum semper custodiit: quem neque vnquam antea Venus omnibus blanditiis in sua castra pellicere, aut pertrahere potuerat: quæ res minus studiose & incontinenter vitam agentibus risui vt sit; bonis & grauibus viris admirationi fuit: vel eo, quod ab amoribus perpauci ætate florentes; rariſſimi vero omnium fortunatorum hominum filii sibi temperent. Eodem nomine celebratur Cato Vticensis ille, qui cum duro corporis cultu, asperitate vitæ, animi constantia & robore suæ ætatis Romanis omnibus vnus facile antecelleret, non solum illos fortissimos ciues suos, sed & seipsum summo genere victoriæ superasse visus fuit, quod Attiliam Sorani filiam nuptam sibi primam omnium mulierum attigit. In reliqua etiam vitæ consuetudine dux noster erga coniugem perinde se gessit, vt obseruabatur. Nam illustrissima Anna Sophia Ioannem Albertum maritum & amabat & obseruabat & studiose quærebat obsequia, quibus illi placeret, vt ne ea pedissequam habuerit vmquam sibi obsequentiorem, quam ipsa marito esset, digna profecto, quæ & hoc nomine & ob constantem cultum numinis ad omnem posteritatem celebretur. Nam ipsa virgo adhuc, quæ acceperat e diuinis oraculis, firmiter retinebat, nec vel exemplis illustribus, vel subtilitate disputationum, se ad nouam quandam prima fronte admirabilem opinionem traduci passa fuit. Cum coniugem tantopere amauerit, etiam *socerum* Albertum, Marchionem Brandeburgicum, ducem Borussorum, vt patrem coluit, cui gener non minus atque filius esset carissimus. Sequitur, vt audiatis, quam paterno amore *liberos* fuerit prosecutus: quod si neminem fugit, me fugere certe minime potest. Primum, qui amant liberos, facile ipsis indulgent omnia, vnde appareat amor ille immodicus: ducem Ioan. Albertum, qui videret apud ipsum liberos, vix diligere dixerit; ea erat ipsius erga illos seueritas ea in sermonibus breuitas. Ille certioribus argumentis animum suum paternum & regiam prudentiam simul indicabat. Sed neque suscepit de iis illam curam potissimum, quam plerique qui omnibus relictis hoc vnum moliuntur, vt liberis quam lautissima patrimonia relinquant: etsi dicat quis, duci gentium hac solicitudine non opus esse, cum tamen in hoc multos quoque reges esse experiamur. Dux noster hoc vnum meditabatur, vt quam rectissime educarentur & bonis litteris erudirentur. Itaque etiam mihi iterum in Italiam proficiscenti in mandatis dedit iam olim, vt quod possem de educatione regia & inuestigarem passim gentium in aulis, & scisciterer ex hominibus quibusque doctissimis. Neque hæc ipsius solicitudo, ac pæne curiositas prudentiam minuisse existimanda est. Nam quo quis rem omnem se melius & perfectius intelligere sentiat, eo minus aliorum vel exempla vel consilia repudienda esse intelligat: sed & iis conquisitis vtatur, si non omnibus, certe habito delectu optimis. Itaque præterquam quod, quæ in monimentis veterum sunt, ad hanc rem pertinentia vel exempla illustria vel doctrinas singulares perlustraui; optimo duci morem gessi, vti debui: quod ipsi fuit longe gratissimum. Neque non ipsi visum fuit mihi filios erudiendos tradere; quod ego vt non cupidus aulæ sectator acceptaui non libens, sponte tamen ut qui in omnibus optime de me merito & perpetuo merenti omnia me debere intelligerem: feci sedulo, quæ mihi facienda fuisse intellexi: & licet partes muneris mei probe intelligerem, consului tamen præstantissimos viros, qui simile munus aliquando gesserant: quib. labori perperci ac ne valetudini quidem; ac docui ea quotidie, & summa fide, quibus si vtatur princeps priuatim & publice; & bonus vir sit & princeps optimus; & ipse beate viuat & beatam vitam suis populis conciliet. Quibus optimis & maximis doctrinis vbi adoleuerint illustres principes, vti opto, & vsuros omnino spero. Sic enim vtriusque indolem & naturæ bonitatem perspectam mihi habere videor. Scio etiam, qui mihi in eo munere successerunt amici nostri, idem quoque summa fide agere. Et dux Ioannes Albertus non neglexit, quibus corpus exercerent, & a peritissimo homine magno sumptu procul accito artem equestrem iussit discere. Nam & hoc requiri arbitrabatur, & ipse iuuenis forma regia, firmis viribus, nihil eorum neglexerat, quæ equestrem ordinem decerent atque decorarent: neque non ex omnibus pæne locis discedebat superior; inprimis anno ab hinc vno & vicesimo, cum nuptias celebraret, præsente socero & aliis ducibus & equitibus quam plurimis in illis ludis pæne seriis, vti virum fortem & heroëm decet, sese gessisse dicitur. Amauit autem semper exercitationem hanc certaminum equestrium: tanquam reliquias veteris disciplinæ Germanicæ. Nam hac re superauimus profecto & agonas Olympicos & ludos Romanos ad delectationem & splendorem magis paratos; cum certaminibus equestribus Germanicis conseruata fuerit ipsius ordinis dignitas, & virtus, quod in ea descendere non solum nulli maculoso homini, sed nemini, nisi omnibus vitæ partibus probatissimo liceret. Quare non solum valde & ardenter, sed & vere atque recte filios amasse existimandus est, quod ex iis, quæ dixi perspicuum est; & his postremis diebus, quibus grauiter cœpisset decumbere, maxime apparuit, vt paulo post dicetur. Nunc, ut amicitiam cum aliis coluerit, exponam. Hoc ante omnia cauebat, ne

liberorum cura.

quos auctori erudiendos tradidit.

in armis exercitatio.

amicitia cum aliis principibus.

ne quem omnium Germaniæ principum sibi sua culpa infensum haberet, qui vellet ab omnibus hominibus merito suo amari : quamquam omnium mortalium beneuolentiam neque optimo neque prudentissimo vmquam consequi integrum est. Per improbitatem enim, quæ & quosque sine caussa lacessit, & per inuidiam, quæ maxime petit optimos, id minime licet. Itaque & cupide & magnifice excipiebat, cum hac transirent, principes viros & ipsorum legatos: & cum per Germaniam hinc inde re postulante iter faceret, libere hospitio principum vtebatur, & veniebat omnibus exspectatissimus. Cum autem se maxime diligi putaret ab Ioanne Marchione Brandeburgico, Ioachimi II. electoris fratre, auunculo suo ; ipsi intima animi sui credere, ipsius consiliis vti, ipsius opem implorare, ipsum toto animo non iam ut amicum, sed ut patrem colere non dubitauit, incredibile est enim, quantum ex ipsius decessu dolorem accepisse nobis tum visus fuerit : cui grauissimo ipsius vulneri neque subito neque facile quisquam mederi potuerit. Neque vulgares amicitias coluit cum externis regibus, vti certe dignum est principe, vel de exemplo maiorum, quorum Bureuinus Pribislai F. nisi cum rege Gallorum coluisset amicitiam, non misisset Lutetiam nepotem Ioannem, de quo & aliis initio diximus. Dux Ioannes Albertus obseruauit regem Galliæ Henricum, quicum Germani Principes eo bello, de quo ante diximus, fœdus fecerant : & obseruauit potentissimum Poloniæ regem Sigismundum Augustum : a quo vicissim tantopere fuisse amatum intelligo, vt ipsi æquissima semper petenti nihil omnium negauerit, etsi proceres regni vehementissime semper aduersati fuerint ducis nostri postulatis. Constat namque quæ sit regni Sarmatarum conditio. In Italia amicissimum habuit, Cosmum Medicem, ducem Florentiæ & Senarum, principem potentissimum & sapientissimum, qui tantem imperium primus accepit, (nam Alexandi ducis Florentiæ primi multo inferior fuit dignitas,) & quod fuit multo amplius, cum illud fortunæ magis esset, quam consilii, tueri & filio vivus tradere & voluit & potuit, quique postea magnus dux Etruriæ fuit appellatus, qui profecto & esset & esse videretur. Amicitiam quoque coluit cum Hercule duce Ferrariæ laudatissimo & fortissimo principe quin & humanitatis & constantiæ suæ esse putauit, vt eandem cum horum filiis paternarum virtutum æmulis non minus coleret: eamque iam annis pluribus coluit cum Alfonso duce Ferrariæ, Herculis filio ; colere etiam cœpit cum Francisco magno duce Etruriæ Cosmi filio, quod Cosmus post Herculem multis annis obiit. Fuerunt duci nostro & sunt ipsius posteris honorificæ hæ amicitiæ, quæ vtrinque semper fuerunt sancte conseruatæ & muneribus nonnunquam & litteris crebro vltro citroque missis veluti nutritæ. Interesse autem, & familiarum hoc genus amicitiæ coli, quod ego cum iure hospitii veterum, quod ipsi sacrosanctum habebant, & ea caussa Iouem hospitalem iurabant, comparo, nullum apud intelligentes dubium esse potest. Sane hoc ad laudes Ioannis Alberti pertinet, non, quanti ipse præstantissimos reges & duces, quanquam non minima laus est, recte de hominibus existimare; sed multo magis, quanti hi ipsum fecerint: constat autem fecisse maximi & numerasse in principibus sapientissimis : nec immerito ; qui neque aleæ neque coniuuiis neque venationi neque somno neque auaritiæ neque vllis improbis voluptatibus a pueritia se dedidisset sed semper vigiliis, laboribus, studiis tam litterarum, quam artis bellicæ, curæ non tam domesticorum commodorum, quam publicæ vtilitatis, quod felicitatem suorum sibi esse publicum & inexhaustum ærarium arbitraretur : qui denique hoc vnum egisset, non vt videretur, sed esset vere bonus, cuius virtutem, qui egerent, sibi vtilem; ceteri omnium ordinum sibi iucundam; omnes per se illustrem experirentur & cernerent. Cum autem multa foris pulchra appareant, domi se aliter habeant ; hoc magna vocis contentione mihi dicendum videtur : domi ipsum non solum erga coniugem, & liberos, sed erga omnes domesticos suos, vt regia ipsius virtute dignum fuit, se gessisse. In honore habuit quibus vteretur in deliberationibus, in rebus arduis gerendis, in legationibus : adsciscebat autem homines præstantes in suam familiam ; quos omnes ornabat etiam præmiis, prout quisque mereri videretur ; mercedem vero promissam & his & aliis, quorum operis vteretur, solvebat perliberaliter. Plerique igitur ipsi debent sane plurimum ; nemo omnium habet, quod merito queratur. Ille habebat, cur de aliis quereretur, in alios animaduerteret ; sed maluit optimus princeps nimia clementia peccare, (sed hoc, virtus rectius, quam peccatum appellabitur,) quam in quemquam videri asperior, ac regia æquitas & animus iustissimis de causis excelsus largiri videretur. Quod si quis non laudabit, & his similia liberius reprehendet: is sciat, me non laudationem eo modo voluisse pangere, quo sæpe numero oratores solent ; sed ea narrare, quæ vera compererim, quorumque testimonium non aliunde, quam a vobis petam: consideret præterea, neminem esse mortalium, qui sine omni exceptione laudetur; & qui sint næui in viris illustribus, eos maxime apparere: denique hoc cuiuis in mentem veniat, quod optimus quisque numquam obliuiscitur, vt ita de quouis alio censuram agat, vti de sese iudicari velit. Sed etiamsi acres habebit vitæ suæ & rerum gestarum censores; tamen, si cum sui similibus comparetur, omni honore & prædicatione dignus iudicabitur, cuius priuatim quoque fuerit incredibilis æquitas & mansuetudo, & ea humanitas, qua ipse non solum

amicorum ministra cultus.

solum reges aut duces vel plerosque superaret vel omnes æquaret, sed a nemine omnium inferiorum ordinum, quamuis moderatissimo, vincereтur. Quare cum & priuatim & publice eius fuerit tanta bonitas & ea in omnibus rebus præstantia, quam oratione assequi haud facile etiam disertissimus quisque posset; erat profecto & ipse dignissimus, qui diuitissime viueret, & nobis nihil optabilius. Sed multis modis a pluribus iam annis tentata fuit optimi principis valetudo, vt medici iam pridem certam salutem polliceri non potuerint, immo præ se tulerint non obscure, quid esset metuendum, præsertim cum dux ipse laboribus fere nullis parceret, quibus iam olim assuetus erat: atque insuper accederent curæ inexplicabiles, de quibus hoc loco a me dici pluribus non debet. Ceterum princeps optimus, & diuturnitate, & crebritate morborum, atque curarum & grauitate & perpetuitate superatus, superiori mense subito grauissime cepit decumbere: quam postremam & breuissimam vitæ suæ vel particulam vel appendicem sic quoque peregit, vt consentaneum transactæ vitæ erat. Nullo rerum humanarum desiderio visus fuit affici: eadem nunc maxime visa fuerunt ipsa vilia, quæ semper excelso animo contempserat, itaque mature ad hunc exitum patienter se parauit: neque quidquam eorum neglexit, quæ tali tempore transigenda erant sapienti & pio principi. De republica, de coniuge optima, de liberis, in quibus vel sui partem vel se hic quodam modo relinqueret, potissima cura fuit: rem per litteras duci Vlrico fratri, vt se haberet, significauit: is, quod erat pii fratris, Gustrouio aduolauit celerrime: præsenti præsens commendauit patriam, coniugem, filios. Hic vero vtrinque fraternus amor tempore ipso necessario exarsit maxime: vt ille ad neminem mortalium, nisi ad fratrem confugerit, hic fratri ad extremum nihil negare voluerit: sed hoc munus tam humanum & pium in se susceperit, tuendi viduam & pupillos; vt & horum pater & pater patriæ merito suo maximo a nobis appelletur. Ita in ipsis malis & mortis præsentia dux Ioannes Albertus diuino quodam fato exhilaratus fuit: quod suum gaudium incredibile paucis verbis largissimo fletu testatum fecit fratri: simul etiam fraternum amorem & gratum in fratrem tanta fide & bonitate animum ostendit. Ita demum ab omnibus cogitationibus rerum humanarum se totum conuertit ad seruatorem generis mortalium vnicum, Iesum Christum; atque fiduciam in ipsum suam & ore & omnibus rebus testatam fecit. Sed quanta animi tranquillitate, libera ab omni perturbatione mortem tulerit, seseque a summo imperatore de statione & præsidio vitæ deduci passus sit, testabuntur hi, quorum lacrimæ & preces extremum eius spiritum ac beatissimam potius animam ex his corporis compedibus in æternam patriam remigrantem cum maximo luctu sunt prosequutæ. Eam profectionem ex his miseriis, in quibus æque omnes hic hæremus, nescii, vt ille ait, fati sortisque futuræ, sanctæ memoriæ principi gratulari possumus: nostram vicem dolemus merito, qui optimum principem, adeoque communem patrem amisimus. Sed & pium & necesse est, vt diuinæ voluntati neque stultæ neque superbe reluctemur: & mœrorem, in quo sumus, releuemus eo bono, quod supereст. Nam illustrissimus dux Vlricus, fratre nulla re inferior, cui curæ est hodie summa rerum pro regia sua virtute & prudentia videbit, vt huius prouinciæ ciues non minus, quam ante otio fruantur, vitæ commodis abundent, officium in omnibus vitæ partibus colant, non simulato cultu cælestis numinis maiestatem venerentur. Hoc nobis recte de præstantia constantissimi principis approbante Deo polliceri possumus.

vita abitus.

XV.

CLAVDII CHRISTOPH. LYSCHANDRI ORIGINVM ET ANTIQVITATVM MEGAPOLENSIVM LIBER,

CONTINENS ANTIQVORVM

HERVLORVM

EORVMQVE POSTERORVM CELEBREM

OBOTRITICAM ET MEGAPOLITANAM

STIRPEM, AB HÆDENHVGIO ET POSTEA VLTERIVS A CANVTO MAGNO, DANORVM, ANGLORVM, NORVAGORVM, VANDALORVM, REGE, VSQVE AD SERENISSIMAM PRINCIPEM REGINAM SOPHIAM,

POTENTISSIMI DANORVM, NORVAGORVM, VANDALORVM GOTHORVMQVE REGIS ET DOMINI, DOMINI CHRISTIANI QVARTI, CHARISSIMAM MATREM.

Heruli, una ex vetuſtiſſimis in Europa gentium originibus.

HERULI ſunt, (vetuſtate & potentia illuſtris populus) quorum poſteri, Domini & Principes Obotritæ atque Megapolitani, ſemper in hoc ſeptentrionali orbe inter familias patricias, antiquitate & nobilitate generis excellentas, fuerunt numerati; Maiores illorum, ſoboles, progenies, & conſanguinei, in maxima virentes celebritate, calculis longe lateque ſubductis, ad ipſa Alexandri Magni & præpotentis Herulici Domini Anthyrii tempora, ultra trecentos annos, antequam natus eſſet ſeruator mundi, iure meritoque referri poſſunt.

Herulica ſtirps numerari poteſt ad trecentos usque annos ante Chriſtum natum.

Anthyrius a Wagriis & Danis oriundus.

Modo dictus ANTHYRIVS, quod ad paternum attinet genus, ab Herulis, ſedem in *Vagria* incolentibus, & quod ad maternam reſpicit progeniem, *ab antiquis Danorum Amazonibus*, quæ ex Danico populo ſuum deducunt principium, oriundus, dicitur ſe contuliſſe ad potentiſſimum Monarcham Alexandrum Magnum, eiusque bellis magna cum laude, gloria & fortitudine interfuiſſe; Poſt mortem vero Alexandri, ex Macedonia navi profectus per mare mediterraneum (in circuitu Hiſpaniæ, Galliæ, & Belgii in ipſam Daniam per fretum Sundicum, tandem in mari Balthico & orientali in patriam, terramque revertitur Germanicam; quo in itinere vela navis ipſius ſignum ferebant Bucephali, & grandis cujusdam capitis bonis, prora autem ſignum volantis Gryphi. Unde factum, ut illius poſteri, videlicet Domini Megapolitani & Pomerani, una cum ſobole ſua, in ſuis poſtea Inſignibus, tum nigri, de quo nuper diximus, capitis bouis, tum Gryphi quoque inaurati ſigna ſemper geſſerint. Ocium jam & tranquillitatem nactus, *Stargardiam* extruxit & *Mechlenburgum*, ſeu Megapolin, unde denum tota etiam regio in hunc usque diem nominata eſt *Megapolis*. Fideliſſima ipſius conjunx Princeps erat SYMBOLA Regis Gullandiæ ſeu Gyllandiæ filia. Magnam & numeroſam reliquerunt ſobolem, atque poſteros, quorum omnium in exiguo hoc generationis libro fieri nequit recenſio. Nihilominus tamen hic tantummodo litteris ſignificabimus illorum progeniem, affinitatem & conſanguineos, (quod ad maternum ſpectat genus, ex Regia Domo Daniæ, hisque regnis ſeptentrionalibus deductum) poſteaque etiam a Rege, Canuto Magno, potentiſſimo illo Domino, incepturi, continuationem ſeriemque Familiæ ad præſentia usque tempora perſequemur. Superius dicti Anthyrii pronepos, Anthyrius III. qui ante Chriſtum natum triginta & quatuor vixit annos, *Marinam*, Regis Daniæ, vel Jütlandiæ, filiam in matrimonium duxit. Illius filius (cui nomen vetuſtiſſimum Danis & Gothis proprium, HOTTERS, erat impoſitum) *Judithan*, Regis Finlandiæ filiam, ſibi uxorem adjunxit. Ejus filius Vicislaus, qui a nato Chriſto breue tantum ætatis degit tempus, in matrimonio habuit *Tiburniam*, Regis Norvagiæ filiam. Hujus Vicislai filius, itidem Vicislaus dictus, *Arnaniam*, vel *Arrenen*, Regis Gyllandiæ filiam duxit uxorem. Similiter Fredebaldus, anno Chriſti 420mo ſuperſtes, matrimonio quoque Regis Gyllandiæ gnatam ſecum coniunxit. Vicislao Radagaſti II. filio etiam circa annum Chriſti 770mum nuptui collocata fuit Regis Daniæ filia; Et ſic deinceps, usque dum ſoboles illa valde numeroſa & ampliſſima reddita, inque decimum & nonum usque cognationis gradum diffuſa, ad *Udonem* pertingebat, Obotritarum Regem, atque Megapoleos, Vagriæ, Polabiæ & Marchiatus Brandenburgici dominatorem. Hic ipſe, cum cunctis maioribus ſuis, pontentiſſimis illis Herulorum, Obotritarum, & Vandalorum Regibus, antea paganæ religioni deditus, in matrimonium duxit Marinam, gnatam Canuti Magni, cujus mentionem ſupra libr. IV. fecimus, Regis Daniæ, potentia, fortitudine, rerumque omnium copia & affluentia eximie inſtructi. Ex iſtis iam ulterius Obotriticus ſanguis regius, & qui veram amplectebantur religionem, Herulici, Obotritici atque Megapolitani Domini, una cum ſua progenie, ſingulari Dei prouidentia & beneficio conſervati huc usque ſunt & propagati. UDO demum dolo & aſtutia hominis cuiusdam Saxonis, exulem agentis, & viliſſimæ conditionis, eſt interemptus, anno Chriſti

Bella & caſtra Alexandri Magni ſequitur.

Longis itineribus maris, in Germaniam redit.

Megapolitanorum & Pomeranorum Inſignia.

Symbola, Regis Gyllandiæ gnata.

Conjux.

Vicislaus.

xorem.

TIBV

AM R

Norvag

liam.

VDO,

Herulor

Obotrit

& Van

rum, a

væ relig

caſtra

matrim

um dat

gis Can

Magni

Marin

Christi 1032. Procrearunt vero I. Filiam. Et II. Filium GODESCHALCVM dictum.

I. Filia, cuius nomen nusquam occurrit, nuptum datur BLVSONI Venetorum Duci, viro belligerandi peritissimo, qui Hamburgum, & principatum Slesuicensem misere diripuit & vastauit, anno 1064. Nullam vero reliquit sobolem.

Godeschalcus Obotritarum Rex XXXI. in ætate puerili ad Doctrinam Evangelii & ad artes ingenuas informatur.

II. *Godeschalcus* Patri in imperio successit, primus & tricesimus Obotritarum Rex, Dominus Megapoleos, Vagriæ, Polabiæ &c. Luneburgi educatus & a puero institutus fuit artibus liberalibus, iisque quæ ad veram pertinebant pietatem. Patre autem vita defuncto, tum religionem tum litteras deseruit, totus bello & militiæ deditus. Mortem Parentis ulcisci conatus in Nordalbingiam, Holsatiam & Stormariam vi invasit, hasque regiones ferro & incendiis duriter delevit & immisericorditer. A Bernhardo Electore Saxoniæ in captivitatem demum est abductus, brevi tamen postea e carcere emissus. Avunculo suo Canuto, Regi Daniæ, in bello, quod susceperat, longo tempore adjutor fuit, vt sub imperium suum Norvagiam, Angliam, & Schotlandiam redigeret; De qua re videatur Saxo Grammaticus libr. X. Tandem post varias, quas sustinuerat, molestias, Daniam reliquit, propriasque repetiit regiones, Deum ejusque Sanctissimi Evangelii doctrinam justo prosecutus cultu, ipsosque Vandalos, mari vicinos, adigens, ut, depulsis erroribus paganis, veram amplecterentur religionem. Hoc modo in maxima vivens celebritate non tantum quæ civitati Dei conducere arbitratus est, ope gladii effecit, sed ad studia etiam intermissa ipse rediens, populum suum omni doctrina, quæ ad negotium salutis pertinebat, erudiuit. A seditiosis denique Vandalis Lauenburgi in templo ad altare est occisus anno Christi 1066. d. 6. Junii. Casto & legitimo matrimonii jure duas habuit uxores.

Godeschalcus capitur, liberatur, hostium a Rege Canuto susceptorum est socius.

Affinitas Danica renovatur per Obotritas.

I. Posterior ipsius Regina erat *Syrethe*, Suenonis Estridsenii, Regis Daniæ filia, quæ Henricum Regem Obotritarum, peperit, matrimonio secum conjungentem *Slauenam*, Olai *Hungres* Danorum Regis filiam. Ex quibus geniti sunt hi ipsorum liberi. e. g. I. Mestivoius. II. Valdamarus. III. Canutus & IV. Zuentepolcus, huiusque filius *Zueniche*, in quo iste demum generationis ramus plane est emortuus.

Affinitas Polonica.

II. Prior ipsius Regina dicebatur *Symbula*, Mieslai II. Regis Poloniæ, filia. Natus autem illis erat filius, nominatim *Butbue*.

Butbue XXXII. Rex Obotritarum Megapolitanorum, Vagriensium &c. expellitur, sit captivus & a Cristiano

I. *Butbue*, (vel *Ubbe*) post mortem Patris imperio quidem potitus a Critone vero Rugiæ Principe in exilium est ejectus. Et, quamvis copiis suis auxiliaribus Elector Saxoniæ *MAGNVS* effecerit, vt in expeditione in Vagriam, munitionem, quæ *Plonæ* erat, expugnaret, nihilominus tamen a superius dicto *Critone* dedititius factus, etiamque interfectus anno 1067. Uxor ejus fuit *Hildegardis*, Saxoniæ & Luneburgi Princeps fæmina. Duos reliquerunt filios. I. Pribislaum. II. Niclotum.

tone occiditur.

I. *Pribislaus*, Herulorum & Obotritarum, post Canutum, Principem Danum, Rex creatus, vna cum Fratre suo a modo dicto Principe Dano Canuto in bello captus & Slesuici detentus, principio magnam in illos, qui nomen & doctrinam Christi profitebantur, adhibuit sæviam, &, in Holsatiam irruptione facta, Segebergam diripuit, ibique recens exstructum cœnobium incendio vastavit: Cultum paganum ejusque restituit sacrificia, & expulso Udone II. Marchione Brandenburgico, ipse titulum Marchionis sustinuit. Saxonum tandem ope & auxilio inde quidem ejectus superior tamen evasit, iterum, quod amisit, occupans & per totum vitæ tempus in possessione retinens. Civitatem hic ædificavit *Primislaviam* anno 1138. a *Barnimo*, Principe Stetinensi, multum & mirifice amplificatam. Denique vero opera & institutione *Vicilini*, Episcopi Altenburgici, sanctiori religioni, quæ Christum & Euangelium eius tradit, fuit deditus, quin etiam, præsente *Alberto Urso*, Marchione Salisquelensi, aliisque summæ dignitatis Dominis adstantibus, sacro tinctus lavacro. Testamento conscripto supra dictum *Albertum* hæredem Brandenburgi constituit, anno 1142 diem supremum obiens, inque templo Mariæ, quod est *Harlungi*, humo mandatus. *Petrissam seu Pedernillen* Haraldi II. Regis Norvagiæ filiam in matrimonio habuit. Uterque sine liberis ex vita migravit.

Pribislaus cum Canuto, Principe Dano, rio dimicat, Principio vir paganus & dominus valde crudelis.

Pribislaus, rejecta religione paganica, veram agnoscit, & Christum pie ac reverenter colit.

II. NICLOTVS, cum fratre suo, a Canuto, Principe Dano, Obotritarum tum temporis Rege, in captivitatem fuit redactus. Isto autem occiso a Rege Daniæ, *MAGNO*, rediit Niclotus, ope & auxilio Cæsaris, ad possidendum, quo privatus erat, regnum patrium, Rex Obotritarum constitutus, Dominusque Megapoleos &c. Cum Alberto Urso, Marchione Brandenburgico, pariterque cum Henrico Leone, Duce Saxoniæ, aliisque regnorum diversorum Principibus bellum gessit. Adolphum II. Comitem Holsatiæ, qui fœderis societatem, quam ei obtulerat, recusabat, hostili aggressus animo, in Vagria omnia ad exitium & vastitatem vocavit, combustaque Lubecensium classe, Holsatis tamen pepercit. Accedente auxiliari exercitu Regis Daniæ oppugnabatur *Dubini*, pace autem facta, ut Slaui veram & Christo dignam amplecterentur religionem, *Chisnos*, *Circipanos*, & adjacen- Pomeranorum fines sub potestatem redegit. Cum Henrico Leone, qui magnam provinciarum ejus partem occupaverat, postea contendens obsidebatur *Vurlini* ad locum, qui dicitur *Vernou*, in dimicatione, in quam venit, ibidem occisus (anno 1158.) Conjugem duxerat Æmiliam, Suerckii Suecorum Regis filiam. Quibus nati erant duo filii. I. Vertislaus. II. Pribislaus.

Niclotus, & frater jussu Canuti Principis Dani, captivi habentur.

Nicloti fortitudo.

Regina Æmilia, Suerckii Regis Suecorum filia.

I. *Vertislaus vel Vratislaus* Dux Obotritarum & Megapolitanorum, in obsidione Demminensi dedititius & captivus factus Henrici

Leonis, inde Brunſvigam deducebatur, in carcerem coniectus. Quum vero fratrem ſuum ut ſuppetias veniret, clam rogaverit, re prodita, Princeps illum in ciuitate *Malchou* anno 1164. miſere interficiendum curavit. Filium reliquit *Niclotum III.*

Niclotus Dux Obotritarum.

I. *Niclotus* Obotritarum Dux, patria quidem expulſus, poſtea tamen ope & auxilio *Germari*, Ducis Rhugiæ, valde bene inſtructus continuos in Avunculi ſui filium *Bureuinum* impetus fecit. Pomeraniæ etiam incurſiones minatus a Bugislavo capitur, in eiusque poteſtate detinetur diutiſſime. Liberato tandem dabatur Roſtochium, tanquam prædium aliquod beneficii loco. Denique in bello morte occubuit anno 1184. Cujus coniux fuit princeps fœmina ANNA, Marchionis & Ducis ALBERTI II. Brandenburgici filia. Nulla autem illis proles ſuperſtes.

Niclotо, carcere liberato, conceditur Roſtochium, ut beneficium prædii.

Pribislaus Rex poſtremus, ad gubernacula Principatus Megapolitani ſedens.

II. *Pribislaus vel Primislaus II.* Herulorum, qui ad maris Balthici littora ſedes incoluerunt, ultimus Rex, & Dominus Megapoleos, poſt Patrem imperium tenens, mox cum fratre ſuo omnem huc contulit operam, ut erepta & ab Henrico Leone in terra Obotritarum occupata recuperaret. Quoniam vero illi viribus & copiis erat impar, ſe cum ſuo exercitu in ſylvas recepit, unde perpetuum in regionem faciebat incurſum. In ipſa urbe Megapolitana ingenti occiſione omnes fere incolas occidit, arce & urbe funditus deletis, ſigillatimque *Flammingenſes*, quos, ut in hac habitarent terra, miſerat Henricus Leo, internecioni dedit, nemine uno relicto. Anno 1162. *Malchoviam & Caſſinum* iterum occupans, *Seuerinum* in ſummas redegit anguſtias. Præterlapſo autem anni ſpatio ipſe adfuit Henricus Leo, apparatu militari inſtructus, qui pugnas & ſtrages edidit magnas cunctis illius proſtratis copiis, illiusque munitionibus & caſtellis prorſus omnino expugnatis, ut hinc omni propemodum nobilitate ſua, regnoque Obotritico, & regio demum titulo atque nomine privatus in exilium iret. Ad *Henricum* vero *Leonem* poſterosque, Saxoniæ Duces, translatum poſtea eſt tum regnum Obotriticum, tum ipſum illud regium nomen. Nihilominus tamen retinuit *Pribislaus*, eiusque progenies & ſoboles, *Kyſinorum* & *Circipanorum* provincias, (cum aliis & pluribus regionis locis) maximamque & optimam terræ Megapolitanæ partem. Luſum fortunæ expertus pacem iniit cum Henrico Leone, religionemque, quæ Chriſtum profitetur, amplexus, emendavit demum mores ſuos & probitati pacique ſtuduit, imperioque ſuo bene & laudabiliter inſtituto regiones ſibi ſubiectas in meliorem reduxit ſtatum, *Ilovium* & *Roſtochium* amplificans, quin etiam, primus ille, qui magnificum iſtud cœnobium, quod *Doberanum* dicitur, fundavit. In Paleſtinam tandem & ſepulchrum ſanctum eſt profectus; Breui autem rediens comitiis Luneburgi habitis, cum aliis, qui in vicinia erant, Dominis, interfuit, ubi in equeſtri prælio equo ſuo decidens mortem ſibi acceleravit anno 1179. Locus ſepulturæ ipſius, *Doberanum*. Bis vixit in matrimonio, eiusque prior coniux fuit *Mechtildis* Bogislai Criſpi, Ducis Poloniæ, gnata: Poſterior vero *Voisclava* Regis Norvagiæ, Byrgii, filia. Procrearunt filium *I. Henricum.*

Horrenda cædes in ciuitate Megapolenſi.

Pribislaum, acie ipſius, disjecta, in exilium ejicit Henricus Leo.

Pribislaum, doctrinæ Evangelii tandem deditum & fama & felicitas commendavit.

I. *Henricus*, cui nomen avunculi ſui, *Henrici Bureuini*, datum erat, Obotritarum & Megapolitanorum Dux & Dominus, de munitionibus quibusdam cum patrui ſui filio, ſuperius dicto *Nicloto*, certabat; Cum GERMARO autem, Rugiæ Duce, bellum gerens capitur: Judicio tamen & ſententia VALDEMARI II. reſtituitur in libertatem, ea conditione, ut *Ilovium* & *Roſtochium* ſibi in ſua retineret poteſtate. Ad *Veſenburgum* ædificavit cœnobium SONÆCAMP dictum, quod poſtea anno 1233. alio translatum nomen ſibi vindicavit cœnobii novi. Secum matrimonio conjunxit *Mechtildem* vel METTE, Ducis Saxoniæ præpotentis, *Henrici Leonis*, filiam, ex qua duo ipſi nati ſunt filii, I. NICLOTUS. II. *Henricus Bureuinus.*

Henricus Bureuini Obotritarum & Megalitanorum dominatur

I. *Niclotus IV.* Dominus valde juvenis, domus cujusdam ruina, quæ in urbe Gadebuſch contigit, miſere opprimitur.

Niclotus civitate debuſch liciter o cumbit.

II. *Henricus Bureuinus Junior*, poſt filium patrui ſui Niclotum III. totius imperii clavum tenuit, & ſeipſum Obotritarum atque Megapolitanorum Ducem, Roſtochiique Dominum nominavit. *Guſtrouii*, collegium conſtituit Canonicorum anno 1226. ibique, altero poſt anno vitam cum morte commutans, eſt ſepultus. Ille, cum *Sophia*, conjuge ſua, Caroli I. Sueciæ Regis filia, multos memoria & commemoratione dignos reliquit liberos, ſigillatim vero duas filias: (I. *Sophiam*, quæ Regi Cypri nuptum data fuit. Et II. *Magdalenam*, quam uxorem duxit Princeps Maſſilienſis,) deinde etiam quatuor filios: I. *Bureuinum.* II. *Pribislaum.* III. *Niclotum.* IV. *Joannem Theologum*, de cujus ultimi numeroſa ſobole in ſequentibus pag. 307. nobis fuſius dicendum erit.

Collegit Canonic rum Gu vii con tur.

I. *Bureuinus* Dux Vandalorum, & Roſtochii Dominus templum ibidem Sancti Joannis anno 1256. extruendum curavit, uxorem ſibi adjungens Margaretam, Valdemari II. Regis Daniæ filiam. Illis geniti erant tres filii, videlicet.

Bureui Vanda Dux.

I. *Henricus*, } in tenera ætate mortui.
II. *Ericus*, }

III. *Valdemarus*, Roſtochii Dominus &c. anno 1287. ex vita migrans, cujus uxor fuit Holſatica Princeps. Unus ipſi ſuperſtes filius.

Nomin Regum norum tur Me litani.

I. *Niclotus.*

Niclotus V. Dux Vandalorum, Roſtochii educatus, proptereaque puer & adoleſcentulus Roſtochienſis dictus. Deſponſata quidem ei fuerat AGNES, Marchionis Brandenburgici ALBERTI filia, at, repudiata illa, BUGISLAI, Pomeranorum Ducis, filiam in matrimonium duxit. Unde factum, ut inter ipſum & Dominos Brandenburgicos ingens motum accenſumque fuerit bellum, in quo in ſummas redactus anguſtias Roſtochium perdidit,

Bellum Domin Brande burgicis

didit, quod tamen postea *Erico* Regi Daniæ concessit. *Henrico* denique *Leoni* tradebatur (certis conditionibus) & regio & civitas illa, ut hic cum imperio & potestate versari potuerit. Vita defunctus sine liberis, inque templo S. Joannis, quod Rostochii est, humo mandatus.

Pribislaus Dux Vandalorum & Herulorum.

II. *Pribislaus* Vandalorum & Herulorum Dux in locis circa *Hauelbergam* sitis, Dominus *Stiernebergæ*, *Richebergæ*, *Parchimi* & *Stargardiæ*, cum Rudolpho Episcopo Suerinensi dimicans, omne, quicquid fundamenti loco jecerat, ipsamque ædificii molem, quæ ad arcem *Bucephaleæ* construendam erat aptata, dirui jussit; ipsum quoque Episcopum captivum tenuit, ut ingenti nummorum summa suam redimeret libertatem. Ceterum accidit postea, ut a quodam præfecto Episcopi ipse caperetur *Pribislaus*, qui, oppigneratis civitatibus, Parchimensi, Plauensi, & Gothbergensi, sibi tantum *Stiernebergam* retinuit, quæ etiam imperio & ditioni *Henrici*, Ducis Megapolitani, demum fuit subjecta. Filium reliquit *Pribislaum*.

Ædificium Bucephalense impeditur.

Pribislaus Vandalorum Dux.

I. *Pribislaus* Dux Vandalorum, uxorem duxit *Mestewinam*, *Mestewoi* Poloniæ Ducis filiam, cum qua, dotis loco, arce potitus est *Bolgardica*. Hæredum expers obiit.

Niclotus, Vandalorum & Herulorum Dux.

III. *Niclotus* Vandalorum & Herulorum Dux regnans, pietate, sapientia atque eloquentia excelluit, Collegiumque Güstrovense, a Parente ipsius constitutum, in meliorem reduxit statum, pariterque perfecit. ROBELVM quoque fundavit, Güstrovii demum anno 1277. mortuus & sepultus. Conjux ejus erat Anhaltina Princeps. Quibus multi nascebantur liberi, singulatim: I. Filia *Hedeuiga*, duoque filii. II. *Henricus*, & III. *Joannes Pacificus*.

Affinitas Brandenburgica & Megapolitana.

I. *Heduiga* Electori Brandenburgico, *Joanni*, solenni nuptu fuit locata. Qua de re in libro generationis Brandenburgicæ plura dicenda sunt.

Henricus senior Dux Herulorum & Vandalorum.

II. *Henricus Senior*, Herulorum & Vandalorum Dux in matrimonio bis erat collocatus. Ex uxore prima Principe Rugiensi tres vidit filios. I. *Henricum Iuniorem*. II. *Niclotum*. III. *Burevinum*; Altera ipsius uxore, Principe fœmina, e medio excedente, nouas iterum nuptias animo intendit; quod ægre ferentes filii illius, illum, anno 1231. interfecerunt. Ceterum scelus istud severe & vehementer vindicavit Deus, ut hinc loco, patria, patriaque hæreditate cedentes, misere in exilio, etiamque sine liberis, perirent.

Joannis pacis amans, Dux Vandalorum & Herulorum.

III. *Joannes Pacificus*, Vandalorum ac Herulorum Dux matrimonio secum conjunxit Comitis *Rupinensis* filiam, cum qua in primis filium *Niclotum*, ex ephebis demum excedentem, genuit.

Niclotus, investigator & ultor parricidii, ab iis commissi, qui proprium patrem, suum vero patruum, occiderant.

I. *Niclotus*, Herulorum & Vandalorum Dux, mortem patrui ultus, filios parricidas in exlium ejecit, terra & munitionibus ipsorum occupatis. Uxor ejus RICHSA Erici Gleppini Regis Daniæ filia. Reliquerunt filiam *Margaretam*, & filium *Joannem*.

I. *Margareta*, nuptii collocabatur Otthoni, Comiti Suerinensi, qui cum Albrechto Duce Megapolensi bellum gessit.

II. *Joannes*, Senior dictus, Mechtildem *Barnimi* II. Pomeranorum Ducis, filiam in matrimonio habuit. Procrearunt duos filios. I. Niclotum. II. Joannem.

Niclotus circa Havelbergam imperium tenet.

I. *Niclotus*, Herulorum Dux, locorumque circa *Havelbergam* sitorum Dominus, uxorem duxit Principem Rugiensem, ex qua ipsi nati sunt.

I. Filius *Gnese Janicke* Dux Vandalorum &c. & duæ filiæ.

II. *Mechtildis*, Laurentio, Vandalorum Duci, nuptum data.

III. *Agnes*, quam Bernhardus Dux Vandalorum in matrimonium duxit. Et his nulla soboles superstes.

Joannes Dux Vandalorum atque Herulorum.

II. *Joannes* Junior nominatus, Vandalorum & Herulorum Dux, conjugem habuit *Mechtildem*, Principem Lüneburgensem. Genuerunt filiam I. Catharinam duosque filios, II. Niclotum & III. Bernhardum.

Affinitas Megapolitana, cum Ducibus de Jegerstorff; Et cum Dominis Holsatiæ.

I. *Catharina* uxor Ducis *Jegersdorffii* in Silesia, liberorum expers.

II. *Niclotus* Dux Vandalorum matrimonio secum junxit filiam *Joannis*, Comitis Holsatiæ. Filius illis erat, ex pueris excedens I. *Laurentius*.

I. *Laurentius*, Henetorum & Herulorum Dux, ex vita migravit anno 1393. Mechtildem (vel *Mette*) cognatam suam uxorem duxit, Nicloti Vandalorum Ducis filiam; Quibus duo nati erant filii I. *Joannes* II. Balthasarus.

Joannes Dux Herulorum.

I. *Joannes* Herulorum Dux in matrimonio habuit Principem Lüneburgensem, sed sine liberis diem obiit supremum.

Affinitas Holsatica.

II. *Balthasarus*, Henetorum & Vandalorum Dux, Lubecensibus bellum intulit, & combusto ad *Suerinum* WISLEO, Lubecenses, comite *Barnimo*, Duce Volgastiensi Pomerano, direptione, ingentique affecit damno. Duas in matrimonium duxit uxores: *I. Euphemiam, Ducis*, MAGNI, *Ducis Megapoleos*, filiam & *II. Hedevigam*, Gerhardi I. Ducis Holsatiæ gnatam; Nihilominus tamen caruit liberis, adeo ut, in illo, ipsa interiret *Nicloti* progenies.

Bernhardus, Junior, Herulorum Dux.

III. *Bernhardus*, superius dicti *Joannis Iunioris* filius, Dux Herulorum, conjugem habuit filiam Comitis Holsatiæ. Ex qua genuit I. *Mechtildem*, & deinceps duos filios: II. Mizilaum, & III. Joannem.

I. *Mechtildis*, uxor Henrici, Ducis Megapolensis, sine liberis.

II. *Mizilaus*, nondum ex pueris excedens, e vita excessit.

III. *Joannes*, Herulorum & Vandalorum Dux, post Parentem suum regnavit, uxoremque duxit Principem Vandalicam. Ex qua ei tres nati sunt filii. I. *Niclotus*. II. *Christophorus*. III. *Gulielmus*.

Niclotus Dux Vandalorum.

I. *Niclotus* Vandalorum Dux in matrimonio habuit Ducis Pomeranorum filiam. Liberis tamen carens obiit anno 1406.

II. *Chri-*

II. *Chriſtophorus* Dux itidem Vandalorum, a Danis, tempore Reginæ Margaretæ, interfectus: Cui conjux fuit filia Comitis Lindenſis. Procrearunt filium I. *Joannem*, & II. filiam *Juditham*. Ambo in flore ætatis diem obierunt ſupremum.

Gulielmus, Güſtrovienſis primum Præpoſitus: deinceps fratribus ſuis vita defunctis, regnavit.

III. *Gulielmus*, principio ſacerdos & præpoſitus Güſtrovienſis, poſt obitum fratrum ad regni acceſit gubernacula, inque matrimonium, concedente id Pontifice Romano, ANNAM Alberti, Ducis Anhaltini filiam duxit. Unica ipſis erat gnata I. *Catharina*. Vitam cum morte commutauit, anno 1430. ejusque morte *ſtirps Principalis* Vandalorum interiit.

Vandalicum genus extinguitur.

I. *Catharina* Uldarico poſtremo Stargardiæ Domino, nuptum dabatur, cum qua (tanquam unica & ſola Parentis ſui filia atque hærede) Vandalicum regnum in Duces Megapolitanos Stargardiæque Dominos fuit translatum; Et hoc ipſo ſobolem trium *Henrici Burevini* filiorum, quorum ſupra mentionem fecimus, deletam eſſe, nobis eſt exploratum, ut hac de cauſſa, retro eundo, ad quartum illius nos conferamus filium, *Joannem Theologum*, hujusque numeroſam prolem & poſteros memorandos.

Joannes Theologus Dux Obotritarum & Megapolitanorum, Doctor, & Dominus eruditus.

IV. *Joannes Theologus*, ſuperius dicti Burevini Junioris, Obotritarum & Megapolitanorum Ducis, filius, ab ineunte ætate, Parentum cura, prout Principem decet, pietate ingenuisque inſtitutus artibus, quin etiam, adhuc puerulus in academiam Pariſienſem ſtudiorum cauſſa miſſus, hic ultra viginti annos animum litteris & doctrina excoluit, ingenioque excellens inſignia cepit incrementa. In ſumma apud eruditos fuit exiſtimatione, creatus renuntiatusque demum Theologiæ Doctor; (quod iſto ævo rarum quiddam & inſolitum erat.) Redeuntem denique domum tum fratres tum populus & infima multitudo remiſſo quidem excipiebant vultu, opinati infra dignitatem eſſe Principis gradum titulumque Doctoris ſuſtinere; At ille hanc vulgi & imperitorum inſcitiam deſpiciens laudabiliter & auguſte judicavit, longe excellentius eſſe propria excellere virtute, quam de mera conditione ſanguinis & de generoſis quibusdam natalibus inſolenter gloriari, animique dona multo nobiliora eſſe & præſtantiora ipſa corporis externa pompa atque eminentia. Propterea etiam animum ad ſtudia & litteras per omne ætatis tempus adjunxit inprimis autem ipſe, commemorabili pietate præditus, omni cura & cogitatione in id incubuit, ut ſaniorem verbi Dei doctrinam impenſe propagaret, hacque diviniore ſcientia ſubditi ſui copioſe erudirentur & firmiſſime. Ludolphum Epiſcopum Razeburgenſem, ab ALBERTO, Duce Saxoniæ, expulſum, in ſuas recepit prouincias, ejusque conſilio, RHENÆ, cœnobium conſtituit virginum & puellarum, in quo ab honeſtis & prudentiſſimis mulieribus ad rem œconomicam, aliaque, ſexui fœmineo propria, negotia domeſtica informarentur. Paci ſtuduit diligentiſſime, in eam pariter incumbens curam, ut regio, regionisque publica itinera ab omni rapina, direptione, aliisque injuriis tuta eſſent & ſecura. Expeditione facta in Liflandiam, ut multi fidem in Chriſtum profiterentur, effecit; Vita defunctus anno 1260. inque urbe, Gadebusk, humo mandatus. Uxor ipſius fuit *Luitgardina* Popponis, Comitis Hennebergenſis filia; Ex qua genuit filiam. I. N. Et ſex filios: II. Nicolaum. III. Hermannum. IV. Popponem. V. Joannem. VI. Albertum. VII. Henricum.

Principe maxime dignum, diuinum verbum ſubditis commendare, ut animus ipſorum religione & pietate imbuatur. Cœnobium virginum & puellarum Rhenæ extruendum curat.

in Liflan propaga vera rel

I. Filia, (*cujus nomen nusquam indicatur*) nuptui collocabatur Gerhardo, Comiti Holſatiæ, Scavenburgi & Stormariæ, filio Comitis Adolphi IV. qui cum Rege Daniæ Valdemaro I. ad *Bornhovede* bellum geſſit. Ex modo dicta filia & Comite Gerhardo progenies illa maxime eſt dilatata; Et ex his Henricus I. ejusque filius Gerhardus III. & hujus iterum filius, *Henricus Ferreus*, ac ordino deinceps continuo ad hodiernos usque Duces Holſatiæ, clavum imperii tenentes, de quibus in indicatione originis Oldenburgicæ generationis, fuſius loquimur, ſuum duxerunt genus.

Princip olim in ciis erat ter illo merari, ſacris bant n tiis.

II. *Nicolaus* ordini ſacerdotali adſcriptus conſtituitur Canonicus Sverinenſis, Magdeburgenſis & Hamburgenſis.

III. *Hermannus*, repudiata dignitate & honore hujus mundi, ſacerdotium iniit, Præpoſitus Suerinenſis, atque Lubecenſis Canonicus.

IV. *Poppo*, Eques Pruſſicus, nullam reliquit ſobolem.

Joanne Vanda Dux a Domin vitati buſck.

V. *Joannes*, Dux Vandalorum, & Dominus in Gadebuſck, ex vita migravit an. 1229. Cui ſolenni nuptu locata fuerat Comes fœmina Ravensbergenſis. Quibus unicus ſuperſtes filius:

I. *Joannes*, Henetorum Dux, ſine liberis vita defunctus.

VI. *Albertus*, Dux Henetorum, in ætate tenera diem ſupremum obiens, anno 1265. prole & progenie caruit.

Henric Hieroſ tanus torum gapolit rum P Henric captivu Ægypto nis 26, tutem e peſſus. Cura & fororum um con iter, tan que in p am red

VII. *Henricus*, *Hieroſolymitanus dictus*, Dux Henetorum & Megapolitanorum, una cum Cæſare Ludouico, multisque aliis Germaniæ Dominis, bellico inſtructus apparatu, Hieroſolymam proficiſcitur, exercitu, quem in expeditionem eduxerat, terram ſanctam ex poteſtate Saracenorum eripere conatus. A *Sultano* autem captus, ibidem in carcere, ſervitute, & miſeria viginti ſex annos ætatis ſuæ conſumpſit. Comperiens demum Sultanus, quanto is oriundus ſanguine, illum litteris ſecuritatis & magnifico inſtructum viatico honorifice dimiſit. Poſtea in manus incidit piratarum, evadens tamen ſe in inſulam Cyprum, ad Parentis ſui ſororem, *Sophiam*, contulit, inde vero *Maſſiliam*, ad ſororem Magdalenam acceſſit, & denique peregre rediit in patriam ſalvus atque incolumis. Non ita multo poſt Vismariæ vitam cum morte commutavit anno 1302. ad Roſtochium in cœnobio Doborano ſepultus. Ipſius Princeps fœmina fuit *Anaſtaſia*, Ducis Barnini filia, Ducis nempe Stetinenſis. Duas procrearunt filias. I. Annam. II. Luitgardem, pariterque duos filios. III. Joannem. IV. Henricum Leonem.

I. *Anna*

I. *Anna* Joanni, Comiti Holſatiæ, nuptum dabatur, Filia illis nata erat;

I. *Agnes*, quæ Erico, in inferiori Saxonia Duci, nuptui fuit collocata.

II. *Luidgardis*, uxor erat Primislai, Ducis Polonici; quippe quæ, Domini ſui juſſu, tandem à propriis ſtrangulata ancillis in domo *Principali Gnesnenſi* periit anno 1282.

Joannes Dux Vandalorum, & Dominator Megapolitanorum.

III. *Joannes* Vandalorum Dux, Dominusque Megapoleos, uxorem duxit Principem Rugienſem, mortemque obiit ſine hærede.

Rex Daniæ Chriſtophoro dono dat Megapolin, inſar præſidii beneficiarii, vulgo infar feudi.

IV. *Henricus* ob fortitudinem & res bene geſtas nominatus *Henricus Leo*, Vandalorum Dux & Dominus Megapoleos conſtitutus, expeditionem in Bohemiam miſit, ſuoque exercitu, qui bellicum Cæſaris aduentum perceperit, fugam adornante, ipſe ingenti magnitudine animi nihil extimeſcens hoſtem exſpectavit, etiamque, fortuna comite, hinc feliciter & cum honore diſceſſit. Megapoli, tanquam prædio beneficiario, donatus eſt a Chriſtophoro Rege Daniæ. Stargardiam ab impetu Electoris Valdemari, Marchionis Brandenburgici, potenter defendit, varia inſuper cum vicinis ſuis bella gerens. Civitatem, quæ dicitur *Lav*, extruxit, ſuoque ſic appellavit nomine, & denique, in urbe *Ribnenſi*, virginum conſtituit cœnobium, vita defunctus anno 1319. In matrimonio autem tres habuit uxores:

Stargardia, dotis loco, datur.

I. *Beatricem*, Albritzii ſeu Alberti, Marchionis Brandenburgici, & Domini de Landsberg filiam, cum qua, dotis loco, Stargardia & adjacente potitus eſt terra. Procrearunt

I. Filiam *Mechtildem*, Ottoni, Luneburgenſi Duci ſolenni nuptu locatam.

Cives Vismarienſes Principi fœminæ portam occludunt.

II. *Deinde*, *Annam*, Rudolphi I. Electoris Saxoniæ ſororem. Quam cum Vismarienſes cives intra portam ſuam, ne exiret, continebant, urbem oppugnavit, oppugnatamque demum expugnavit. Ex illa autem I. filiam genuit Annam, duosque filios II. Joannem III. Albertum.

III. *Tertia ipſius uxor Princeps, fuit* AGNES, Comes fœmina *Lindenſis* & *Reppinenſis* in Marchionatu, *Vislai* Ducis Rugienſis vidua. Nullos vero ex illa reliquit liberos. Ceterum prædicta ipſius filia Anna, duoque filii, Joannes & Albertus, ex ſecunda uxore nati in magnam & numeroſam ſunt diffuſi progeniem, prout ſequitur.

Affinitas Megapolenſis cum Holſatia.

I. *Anna* Henrico Ferreo, Comiti Holſatiæ nupſit, ex quibus magna & præpotens orta eſt ſoboles: videlicet: Comes Gerhardus V. cum ſuis fratribus atque liberis: Henricus Dux Slesvicenſis: Dux Adolphus VIII. Comes Holſatiæ & Dux Slesvicenſis: horumque ſoror Heduiga, Chriſtiani I. Regis Daniæ mater, præter alios plures.

Joannes Megapoleos & Stargardiæ Dux,

II. *Joannes*, Dux Megapoleos & Stargardiæ, una cum fratre, a Cæſare Carolo IV. fuit deſignatus Dux regni romani anno 1348. Eduardo III. Angliæ Regi opem & auxilium tulit contra Gallos, poſteaque Dux imperii, romani renunciatus diem obiit ſupremum anno 1370: in civitate Strelitz humo mandatus. Duas duxerat uxores; I. ſororem Adolphi Comitis Holſatiæ. II. filiam Comitis Rupinenſis: Ex quibus quatuor genuit filios. I. Joannem. II. Rudolphum. III. Ulricum. IV. Albertum, & filiam V. Annam.

Joannes Stargardiæ Dux, captivus, in poteſtate hoſtium Tagermyndæ detinetur.

I. *Joannes*, Dux Stargardiæ, in captiuitatem & ſervitutem abductus, *Tagermyndæ* novem detinebatur annis, cujus conjux erat Vegetilla, Jagellonis, Regis Poloniæ filia. Filius illis natus. I. Joannes.

I. *Joannes* Dux Stargardiæ, *à Jodoco Barbato* Marchione Morauiæ, (cui gubernacula imperii romani tradebantur) erat conſtitutus, ut Marchionatum adminiſtraret Brandenburgicum. Illum Comites Rupinenſes tenuerunt captivum, qui ſine ſobole ex vita diſceſſit.

Rudolphus Epiſcopus Suerinenſis, etiamque Scharenſis in Liſlandia.

II. *Rudolphus* ſacerdos creatus & *Epiſcopus Suerinenſis, pariterque Scharenſis in Liſlandia*, pecem cum reliquis ſacerdotibus ægre ſervavit, quocirca illum arce ſua, *Buzou*, omnique ſimul epiſcopali privarunt auctoritate. Fratres vero ipſius, æque ac Ericus Dux inferioris Saxoniæ, & Adolphus Comes Holſatiæ, hanc injuriam ulciſci, inque priſtinam eum reſtituere dignitatem non deſierunt. Mortem obiit anno 1413. liberorum expers.

Ulricus Dux Megapoleos & Stargardiæ.

III. *Ulricus*, Megapoleos & Stargardiæ Dux, uxorem duxit Comitem fœminam ex Pomerania, ex qua natus ipſi fuit filius I. Henricus.

I. Henricus Stargardiæ Dux in matrimonio bis erat collocatus.

I. Prior enim illius uxor nominabatur Ingeburga, Dux fœmina Stetinenſis, poſterior autem II. *Margreta* Friderici Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis filia, quæ filium ei peperit, I. Ulricum.

Ulricus Stargardiæ ultimus Dux

I. *Ulricus*, poſtremus Dux Stargardiæ, comite Duce Megapolenſi, *Magno*, peregre abiit, in urbem Hieroſolymam, ſanctumque ſepulchrum iter convertens. Redeuntem vero mox iter convertens. Redeuntem vero mox interfecerunt, clam & inſidioſiſſime, anno 1471. Conjugem habuit Catharinam, Gulielmi, ultimi Vandalorum Ducis filiam. Nullos autem reliquerunt filios, ſed duas tantummodo filias, I. Ingeburgum. II. Elizabetham.

Ulricus inſidioſe occiſus.

I. *Ingeburga*, Eberuino, *Comiti de Bentheimien*, nuptum data fuit, ſterilis vero manſit & infœcunda.

II. *Elizabetha*, Abbatiſſa, ut vocant, de *Doberthin.*

Albertus Epiſcopus Derpenſis in Liflandia.

IV. *Albertus* imperio & officiis renunciavit civilibus, Epiſcopus Derpenſis in Liflandia conſtitutus.

V. *Anna* Vartislao V. Pomeraniæ Duci, nupſit, ſed ſine ſobole.

Albertus Henrici Leonis, Comitis Megapolenſis filius a Cæſare

III. ALBERTVS, HENRICI LEONIS cujus ſupra mentionem fecimus, Vandalorum & Megapolitanorum Comitis filius, poſt Parentem ſuum, tanquam Dux, acceſſit ad gubernacula Megapoleos & Vandaliæ, a Cæſare inſuper Carolo IV. conſtitutus, & inter romani regni Duces numeratus anno 1348.

Carolo IV. constituitur Dux regni Romani.

Ille, adhuc Dominus valde juvenis, ad Regem, *Magnum*, Regem, inquam, tum temporis Sueciæ & Norvagiæ, se contulit; Inde vero legationem cum aliis accipiens ad Cæsarem Ludovicum, in itinere in latrones incidit, ipsum depeculatos & spoliantes, quin immo in captivitatem abducentes. Ope tamen & opera Cæsaris liberatus, comitem sibi adjunxit *Ottonem*, Ducem Luneburgensem; omnesque prædones, latrones, & depeculatores, quoad potuit, persecutus, eosdem cædere & fugare non destitit, illorumque munitionibus occupatis & diruis, publica viarum itinera prorsus omnino secura reddidit. *Ericum*, Saxoniæ inferioris Ducem, prædonum & direptorum fautorem, copiis suis adortus in summas redegit angustias. *Ludovico*, Electori Brandenburgi, cum quo de Comitatu, *Stargardia*, dimicaverat, pace facta, filiam solenni locavit nuptu, ut hinc postea inter utrumque optima vicinitas magnusque intercesserit usus. Cum *Bugislao* & *Wartislauo*, Ducibus Pomeraniæ, pariterque cum *Magno Torquato* bellum gessit, deque cunctis istis insignem demum reportavit victoriam. Vita defunctus anno 1380. *Euphemiam* Sueciæ & Norvagiæ Regis, MAGNI, sororem in matrimonium duxerat anno 1336. duas relinquens filias I. Annam. II. Ingeburgam & tres filios. III. Albertum. IV. Henricum. V. Magnum.

Albertus capitur & liberatur.

Bellum cum Erico, Duce Saxoniæ, & cum Ludovico Electore Brandenburgi.

Affinitas Megapolitana cum Holsatia.

I. *Anna*, Duci Adolpho VII. Holsatiæ & Vagriæ Comiti, nupsit. Ex quibus ingens & numerosa procreata est soboles: veluti *Adolphus VIII.* & *Domini Holsati* in hunc usque diem.

II. *Ingeburga* nuptum dabatur juniori Duci *Ludovico*, Electori Brandenburgico, filio Electoris *Ludovici*, qui *Margarethan* Christophori I. Regis Daniæ filiam uxorem duxerat. Unica illis nata est filia.

Affinitas Megapolitana cum familia Noribergensium Comitum Gubernatorum, (communiter Burggraffen.)

I. *Ingelburg*, quæ nuptui fuit collocata Friderico III. civitatis & propugnaculi Noribergensis Comiti gubernatori (vulgo Burggraffen.) Ex his genitæ sunt quatuor filiæ. I. Margareta II. Veronica. III. Catharina. IV. Agneta.

Affinitas Megapolensis cum Pomerania.

I. *Margarethan* matrimonio secum conjunxit Hermannus, Comes provincialis Hassiacus. Magnam & copiosam reliquerunt progeniem, nimirum: Filium suum *Ludoficum Pacificum*, & sic deinceps Comites provinciales Hassiacos ad hodierna usque tempora.

II. *Veronica* conjugem habuit *Barninum* VI. in Pomerania Stetinensem & Volgastiensem Ducem. Multi ex his in Pomerania orti sunt Domini, laude & gloria virtutis excellentes, utpote filius ipsorum Vartislaus IX. ejusque soboles: Duces isti Pomerani in hodiernum usque diem.

III. *Catharina* &

IV. *Agneta* in cœnobium se receperunt sanctæ Claræ in *Voitlandia*, ubi Abbatissæ, ut vocant, una alteri quam proxime succedens, constitutæ prole caruerunt & progenie.

Albertus Dux Megapolensis, post Regem Magnum Sueciæ constitutus, Rex Sueciæ constituitur.

III. *Albertus*, Dux Megapoleos, filius sororis MAGNI SMEG, Sueciæ Regis, dejecto de dignitate regia MAGNO, hujus consanguinitatis conditione Rex Sueciæ creatus & constitutus, ob crudelia facinora atque leges tyrannicas reprehensionem incurrit Suecorum. Margaretæ, Reginæ Daniæ, sine caussa bellum intulit, in quo, cum filio suo *Erico*, anno 1388. captus, & septem annis in custodia detentus, Sueciæ regno renuntiare, & se suumque filium ingenti redimere pretio necesse habuit, cujus pretii auxilia honestæ virgines & fœminæ ex suis cimeliis, rebusque sibi pretiosissimis subministrabant; Et hæc ipsa jam caussa est, quamobrem Megapolenses fœminæ singulari in prædia beneficiaria succedendi jure ac privilegio sunt donatæ. Domum postea rediit, suamque ætatem reliquam in terra consumpsit Megapolitana. Ex vita autem migravit anno 1394. Vittenburgi in Comitatu Suerinensi sepultus. Duas in matrimonium duxerat uxores:

I. UNA. fuit *Richsa* vel *Rigissa*, Ottonis Comitis Suerinensis filia, ex qua filium genuit I. *Ericum*, filiamque II. Ricardim.

I. *Ericus*, Dux Megapolensis, una cum Parente in captivitatem abducitur in Gyllandia; Uxorem sibi adjungens *Bugislai* Pomeranorum Ducis filiam, sine hærede nato, mortem obiit.

Ericus Dux Megapolitanus juvenis ejusque Pater capiuntur.

II. *Ricardis*, Joanni, Marchioni Moraviæ & Domino Gorlitzensi nupsit. Nulla autem illis soboles.

II. ALTERA *uxor Helena* fuit *Magni Torquati*, Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis filia. Unicum reliquerunt filium.

I. *Albertum* Ducem Megapolitanum, cujus uxor erat, *Margareta*, arcis Noribergensis Comes gubernatrix, (communiter Burggraffin) sed sine prole & progenie.

IV. *Henricus*, Dux Megapolensis, magnam imperii & disciplinæ adhibuit severitatem, in primis pœna afficiens pacis publicæ turbatores, prædones, direptores & quoscunque latrones, publica infestantes itinera, quos omnes, quantum potuit, captos & comprehensos de arbore suspendi jussit plane inexorabilis. Matrimonio secum junxit Ingeburgam Regis Valdemari IV. filiam, & Margaretæ Reginæ Daniæ sororem. Procrearunt gnatum I. Albertum, & gnatam II. Mariam.

Henricus Dux Megapolitanus prædator & latro prompte punit supplicio.

I. *Albertus III.* Dux Megapolensis uxorem duxit Nicolai Ducis Holsatiæ filiam, sine liberis diem obiit supremum.

II. *Maria*, Vratislao VII. Pomeraniæ Duci, nuptu solenni locata, peperit

Affinitas Pomerani.

I. *Ericum*, Daniæ, Norvagiæ, Sueciæ, Gothorum Vandalorumque Regem, (prout in libro generationis ipsius fusius indicatur:)

II. *Agnetam*, quæ *Ottoni* Comiti Aschaniæ nupsit. Ex his numerosa illa soboles Pomeranorum Anhaltina, tum Aschanica suam traxit originem.

Affinitas cum Principibus Anhaltinis.

III. *Sophiam*, Joanni, Comiti Palatino Rheinensi, nuptui collocatam, ex qua genitus est

Affinitas cum Comitibus Palatinis ad Rhenum.

I. *Rex Christophorus*, Bauarus, veluti ex indice genealogiæ Bauaricæ uberius patebit.

V. *Magnus*

V. *Magnus* Alberti I. Ducis Megapolenſis, filius vitam cum morte commutavit Aquisgrani, anno 1384. Ex Agneta, Ducis Rugienſis gnata, genuit duas filias I. Euphemiam. II. Hedvigam, & filium III. Joannem.

Affinitas Megapolenſis cum Vandalis & Pomeranis.

I. *Euphemiam* uxorem duxit Balthaſar Vandalorum Dux, ſed ſine hærede nato.

II. *Hedvigis* (vel Hedviga) OTTONI II. Pomeraniæ, & Stetinenſi Duci nuptum data fuit.

III. *Joannes* Dux Megapolitanus, una cum filio patrui ſui, *Alberto*, (*Alberti* Regis Sveciæ filio: academiam fundavit Roſtochienſem anno 1419. Svecorum conſilium, quod in deferendo ei Svecio regno ceperant, mors ipſius, anno mox ſequente Suerini 1423. obveniens, interrupit. Ille, & uxor ejus Catharina, Bernhardi Saxoniæ inferioris Ducis ſoror, tres reliquerunt filios. I. Joannem. II. Magnum. III. Henricum.

I. *Joannes* Dux Megapolenſis, uxorem ſibi adjunxit Catharinam, Caſimiri Ducis Stetinenſis filiam. Liberis vero caruerunt.

II. *Magnus* in ætate tenera mortem obiit.

Henrico Croſſo pars Vandaliæ hereditate contigit.

III, *Henricus Craſſus*, Dux Megapolenſis, e vita exceſſit anno 1447. Huic poſt Guilielmum, poſtremum Henetorum Ducem, hæreditate obvenit pars Vandaliæ æque ac Guſtrovium. Dorotheam, Marchionis & Electoris Brandenburgici filiam in matrimonium duxit, vita defunctus anno 1491. Procrearunt duas filias I. Annam. II. Elizabetham, quatuorque filios, III. Albertum. IV. Joannem. V. Balthaſarum. VI. Magnum.

I. *Anna* primis ætatis ſuæ annis diem obiit ſupremum anno 1464.

II. *Elizabeth* ſe in cœnobium contulit, conſtituta Abbatiſſa, ut vocant, Ribnenſis.

Albert. Dux Megapoleos.

III. *Albertus*, Dux Megapolitanus, uxorem duxit Catharinam, Vichmandi Comitis *Ruppinenſis* filiam. Nulla illis nata eſt ſoboles.

Joannes Dux Megapoleos valde juvenis, moritur ſponſus.

IV. *Joannes*, Dux Megapolenſis, SOPHIÆ, Pomeraniæ Duci, deſponſatus, ante diem nuptiis dictum anno 1475. ex vita migravit. Poſt mortem ejus, illa fratri ipſius, Duci *Magno*, ut poſtea compertum habebis, nuptui fuit collocata.

Balthaſar Epiſcopus Severinenſis, & deſignatus Hildesheimienſis.

V. *Balthaſar* Dux Megapolitanus, in pueritia in ſacris fuit negotiis, Epiſcopus tandem Sverinenſis conſtitutus. Cura etiam Epiſcopatus Hildesheimienſis ei delegata, percipiens, quomodo ob inquietum illum *Henningum* omnia ibidem in ſumma verſabantur confuſione atque perturbatione, reverſus eſt in terram patriam. Et quum brevi poſt tempore duo ex ſuis fratribus e medio exceſſerint, Epiſcopatui renuntians, cum fratre, ad imperii acceſſit gubernacula. In matrimonio habuit Margaretam Erici Ducis Pomeraniæ filiam. Exſtinctus anno 1507. ſine ſobole & hærede nato.

Magnus Dux Megapoleos, cum ſo fratre, ad ſepulchrum ſanctum iter

VI. *Magnus*, Dux Megapoleos & Vandalorum, ingentem animi magnitudinem præ ſe ferens, cum *Ulrico*, Stargardiæ Duce, iter in ſanctum inſtituit ſepulchrum; Poſt illius vero obitum hæreditate conſecutus eſt ditionem Stargardicam, quam imperio Dominorum Megapolenſium anno 1471. adjecit. Templum S. Jacobi, quod Roſtochii eſt, conſtrui juſſit; Et duo illa virginum & fœminarum cœnobia, in locis, quæ dicuntur *Rheen* & *Sarentin*, ædificata, in meliorem reduxit ſtatum, legibusque ibidem conſtitutis cavere conatus, ne ex Lubecenſium liberis ullus in prædicta reciperetur cœnobia, peculiare hoc interdictum in illis ipſis inſcribendum curavit. Denique cum jam triginta annos bene & laudabiliter geſſerit imperium, de vita migrauit anno 1503. die 22 Novembris. Uxor ipſius Sophia Erici II. Pomeraniæ Ducis filia, altero ſtatim poſt hujus Domini ſui obitum anno, ſuum quoque obiit diem. Natus eſt illis unicus filius *Henricus*.

convertit peregre abiens. Stargardiæ adjungitur Megapoli.

I. *Henricus*, dictus *Pacificus*, Megapoleos & Vandalorum Dux, Dominusque Stargardiæ laude pietatis, prudentiæ, pacis & clementiæ excellens, veram purioremque religionem, quam amplexus fuerat, omnibus amplificavit modis, ingenuarum pariter artium amator. Quum vero annis propemodum quinquaginta glorioſe, ab omnibus collaudatus, regnaverit, vitam cum morte commutavit *Sverini*, anno 1552. die 6 Februarii, natus annos LXXII. duos menſes, & undecim dies. Tres ſibi adjunxerat uxores: videlicet I. *Urſulam*, Joannis Electoris Brandenburgici filiam. II. *Helenam*, Philippi Electoris & Comitis Palatini Rhenenſis gnatam. III. *Urſulam*, *Magni*, inferioris Saxoniæ Ducis, filiam. Ex duabus autem, nimirum, prima & ſecunda geniti ſunt ipſi varii & multi liberi, memoria & commemoratione digni, prout ex ſequentibus apparet.

Henricus Pacificus Dux Megapolenſis, Dux Stargardiæ, in pueritia ſua electus Epiſcopus Suerinenſis, ætate puerili defignatus Epiſcopus Severinenſis.

I. *Urſula* enim prima ipſius uxor peperit duas filias. I. Sophiam. II. Urſulam; Et III. filium, *Magnum*. Anno 1511 mortem obiit.

Affinitas Megapolitana cum Dominis Brunſvicenſibus.

I. *Sophia*, anno 1507. nata, *Erneſto*, Duci Brunſuicenſi & Luneburgenſi nuptum data eſt, ex qua duodecim genuit liberos. De quibus eorumque præpotente ſobole in libro generationis Dominorum Brunſuicenſium ulterius verba faciemus.

II. *Vrſula*, in cœnobium Ribnenſe recepta & longo ibidem tempore conſtituta, ut vocant, Abbatiſſa, de vita migravit anno 1586 die 11. Martii, ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo ſexto.

Magnus pueritia ſua electus Epiſcopus Suerinenſis, Dux Megapolitanus, in ætate puerili defignatus Epiſcopus Severinenſis.

III. *Magnus*, Dux Megapolitanus, in ſingulari pietate & doctrina præditus, *Bützo-polenſis, in vii*, ante mortem Parentis, anno 1550. & quidem ineunte anno, die XXX. Januarii, e medio exceſſit, in Doberano, quod ad Roſtochium eſt, cœnobio ſepultus. *Elizabetham* Frideric I. Regis Daniæ, filiam in matrimonium duxit, liberis vero caruit. Illa autem poſtea *Ulrico*, Duci Megapolenſi, conſobrino ejus nupſit. De quo in ſequentibus plura dicam.

Uxor ipſius Helena pius & doctus.

II. *Secunda* (ex tribus iſtis ſupra dictis) *Uxor ipſius*, *Helena*, Comitis Palatini ad Rhenum filia, ſex ei peperit filias: I. Margaretam. II. Catharinam. III. Sophiam. IV. Annam. V. Catharinam. VI. Dorotheam; Et tres filios. VII. Philippum. VIII. Ericum. IX. Albertum.

Ducei Münsterbergenses

I. *Margareta*, anno 1515. nata, Henrico Duci Munsterbergensi nuptui fuit collocata.

II. *Catharina*, anno 1518. lucis usuræ compos & particeps, Friderico Duci Lignitziensi & Bregensi nupsit.

III. *Sophiam uxorem duxit Joannes* Elector Saxoniæ anno 1500. Vitam autem cum morte commutauit anno 1503. die 11. Septembris.

IV. *ANNA* primum *Gulielmo Medio*, Hassiæ Comiti provinciali, & deinceps *Ottoni* Comiti Solmitziensi nuptum data, anno 1525. diem obiit supremum.

V. *Catharinam*, matrimonio secum conjunxit Henricus Pius, Elector Saxoniæ. Torgavii e medio excessit, *anno 1561 die VI. Iunii.*

VI. *Dorothea*, se in cœnobium contulit, constituta, ut dicunt, Abbatissa Ribnensis.

Philippus Dux Megapolensis opinione citius moritur.

VII. *Philippus*, Dux Megapolensis, anno 1514. d. 12. Septembris in lucem editus, toto vitæ tempore vixit cælebs, suum denique diem obiens anno 1557. ætatis suæ 43.

VIII. *Ericus*, Dux Megapolensis, litteris impense deditus, varias frequentavit academias, in quibus ob eruditionem & modestiam suam magna ipsi fuit existimatio, ita ut in academia etiam Vittebergensi ejusdem Rector & tutela constitueretur. Longe lateque postea peregrinatus sua Bononiæ continuavit studia. In ipso ætatis flore vita defunctus anno 1508.

Albertus Dux Megapolensis & Christophorus, Comes Oldenburgensis, in Daniam impetum faciunt.

IX. *Albertus*, Dux Megapoleos, Comes Suerinensis, Stargardiæ & Rostochii Dominus, & antiquorum Henetorum Dux, vir fortis, rerumque bellicarum peritissimus, perturbato rerum statui, in quo constitutus erat Christianus II. Rex Daniæ, sese ingessit, ejusque liberationem prætexens, bellum, vna cum *Christopboro*, Comite Oldenburgensi apparavit, atque expeditione in Daniam educta, *Hafniam*, accedente civium & rusticorum favore, nullo occupavit negotio anno 1535. quin etiam, cum Lubecensibus contra Regem Christianum III. fœdus iniit. Ceterum, prostrato ipsius exercitu, Hafnia demum oppugnabatur, ut longa confectus fame & miseria deditionem urbis faceret, regnoque cederet. Aliquo postea temporis spatio vitam degens de vita migravit anno 1547. ætatis suæ 61. cujus ossa servat *Doberanum*. In matrimonio habuit Annam, Joachimi Electoris Brandenburgici filiam, quæ post obitum ejus diu fuit superstes, & mortua demum in civitate *Lupze* anno 1567. d. XX. Julii. Procrearunt filiam I. *Annam* & sex filios: II. Joannem Albertum. III. Georgium. IV. Christophorum. V. Carolum. VI. Ludovicum. VII. Ulricum.

Dux Albertus cum Lubecensibus fœdus fancit contra Regem Christia. III.

Churlandiæ & Semigalliæ Duces.

I. *Anna* Gothardo, Churlandiæ & Semigalliæ Duci, commendabili pietate, & virtute prædito, nuptum data vitam cum morte commutavit anno 1587. d. 17. May. Natæ sunt ipsis duæ filiæ. I. Anna & II. Elisabetha, præter dous filios. III. Gulielmum & Fridericum.

Lithaviæ Duces.

I. *Anna* Alberto Razevilo, Litthaviæ Duci, solenni nuptu locata.

II. *Elizabetha*, domi apud Parentes suos educata.

III. *Gulielmus*, Princeps juvenis, Dominus Churlandiæ,

IV. *Fridericus*, post obitum Patris in Churlandia clavum imperii tenuit. *Friderici Dux Churlandiæ.*

II. *Joannes Albertus*, Dux Megapoleos & veterum Henetorum, Comes Suerinensis, Rostochiique & Stargardiæ Dominus, natus Suerini anno 1525. d. 22. Decembris: Princeps impense doctus, probus, munificus & valde laudabilis. Civitatis Dei omniumque Eruditorum singularis Fautor, & præsidium; Quippe qui cum fratre suo, Duce ULRICO, glorioſæ memoriæ, Academiam Rostochiensem maximis beneficiis, multisque auxit modis, quin etiam, prædiorum ei adjecit donavitque fructus, nimirum ex DOBERANIS, MARIANÆIS, & SONERIAMPENSIBUS prædiis redeuntes, anno 1558. Diem obiit supremum anno 1576. die 12. Februarii, ætatis autem suæ 48. ANNAM SOPHIAM Alberti, Ducis Prussiæ (primi ex progenie illa Marchionis Brandenburgici) filiam uxorem duxit. Quorum nuptiæ celebratæ sunt *Vinariæ* d. 25. Februarii 1555. Illa autem post Domini sui obitum, 15. annos superstes, de vita tandem migravit anno 1591. d. 13. Februarii. Tres reliquerunt filios: I. Albertum. II. Ioannem & III. Sigismundum. *Joannes Albertus Dux Megapolensis, Comes Suerinensis, Rostochii & Stargardiæ Dominus, bertus pot. & celebri. Dux Megapolitanus*

I. *Albertus* Dux Megapolensis, natus *Severini* anno 1556. d. 16. Decembris, in pueritia e vita excessit *Regiomonte* in Prussia, anno 1561. d. 3. Martii. *Albertus Dux Megapolensis provisoritur.*

II. *Joannes*, Dux Megapoleos, pariterque Dux Vandalorum, Comes *Suerinensis*, atque Stargardiæ & Rostochii Dominus, lucis usuræ compos anno 1558. d. 5. Martii: Et *Sophia*, Adolphi Ducis Holsatiæ filia: connubia conjunxerunt anno 1588. mense Februario. Ex quibus hi duo geniti sunt filii: *affinitas gapolitana cum Holsatia.*

I. *Adolphus Fridericus*, Dux Megapolensis, in lucem editus anno 1589.

II. *Joannes Albertus*, Dux Megapoleos, natus anno 1591.

III. *Sigismundus Augustus*, Dux Megapolitanus, Dux Vandalorum, Comes *Stetinensis*, & Rostochii atque Stargardiæ Dominus, lucis usuræ particeps anno 1560. mense Martio.

III. *Georgius*, supra dicti Ducis Alberti filius, Dux Megapoleos, anno 1529. d. 18. Febr. in lucem editus, adhuc adolescens belli fortunam periclitari cupiens, Duci *Mauritio*, Electori Saxoniæ, in obsidione Magdeburgensi adfuit. Hic in impetu quodam improviso a civibus captus anno 1550. d. 20. Decembris, post obsidionem vero liberatus, expeditioni postea Francofurtanæ ad Mœnum interfuit, ubi telo immisso vulneratus & confectus diem obiit supremum, die 12. Julii, anno ætatis suæ 23. *Georgius Dux Megapolensis, Mauritii Ducis Saxoniæ socius belli.*

IV. *Christophorus* Dux Megapolitanus, anno 1537. d. 6. Januarii natus, litteris & sacris negotiis deditus, constituebatur Coadjutor Episcopatus R H I, simulque Administrator Ratzeburgensis. Ille, & Gulielmus, Marchio Brandenburgicus (tunc temporis Episcopus *Rhiensis*) a Friderico, Ordinis Germanici Equite, captivi detenti *Smidtham* deducebantur, pauco- *Christophorus Dux Megapolitanus, Coadjutor Rhiensis & Administrator Ratzeburgensis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rum tamen menſium interjecto ſpatio, poſtea liberati. Anno 1561. (in perturbatione, ſeditione atque diſcordia, in quam inducta erat Liſſlandia) in Germaniam profectus *Chriſtophorus*, Cæſarem regnumque romanum, ut contra *Ruſſos*, Liſſlandiam miſere vaſtantes & diripientes, opem atque ſuppetias ferrent, magno rogavit ſtudio, nihil tamen effecit. Tandem in Daniam iter convertens per Sveciam rediit in Liſſlandiam, ubi, cognita Epiſcopi *Rbienſis* morte, ædes ejus, munitiones, & alia huc pertinentia ſacerdotalia bona, & prædia, nomine Diœceſeos, poſſidenda eſſe curavit, anno 1563. In anguſtias poſtea a Sigismundo Auguſto redactus cum poteſtati ipſius ſe ſubjicere noluerit, arcem illius munitiſſimam oppugnavit & prorſus labefactavit, ut, deditione demum facta, Epiſcopatui renuntiaret, inque Poloniam captivus abduceretur. Aliquot autem poſt annis dimiſſus in terram revertitur Megapolitanam. Hic de matrimonio denique cogitans uxorem duxit Dorotheam, Friderici Primi Regis Daniæ, filiam, quæ brevi poſtea anno 1575. die 11. Novembris de vita migravit.

Chriſtophorus armis obſidetur a Polonis, Epiſcopatui renuntiat, & in deditionem redigitur.

Affinitas Megapolitana cum Dania.

Cælibem deinde vitam ſex integros agens annos novo iterum connubio Elizabetham junxit, Guſtavi Sveciæ Regis filiam.

V. *Carolus* Dux Megapoleos, ſacris tandem initiatus, conſtituitur Epiſcopatus Merovienſis *commendator*.

Ludovicus Dux Megapoleos, Haſnia naſcitur in obſidione.

VI. *Ludovicus*, Dux Megapolenſis, in obſidione Hafnienſi, anno 1536. Hafniæ in vitam introiit.

VII. *Ulricus*, Dux Megapoleos, Dux Vandalorum, Comes & Adminiſtrator Sverinenſis, Stargardiæ & Roſtochii Dominus, lucis uſuræ compos & particeps anno 1528. die 22. Aprilis, hora ſecunda pomeridiana; probitate, pietate, & virtute, quæ Principem decet, omnique laudis genere excellens: omnium Eruditorum, & civitatis Dei, atque ſcholarum ſingularis fautor, Patronus & tutela, in matrimonium duxit *Elizabetham* Friderici primi, Regis Daniæ filiam, cum qua pie & amantiſſime vixit annos XLIII. Illa ipſa, in itinere ex Dania e medio exceſſit, *Gedtzöræ* in Falſtria, anno 1586. die XIV. Octobris. *Annam* poſtea *Philippi*, Pomeraniæ Ducis, filiam ſibi uxorem adjunxit. In priori autem matrimonio divinitus unica donatus eſt filia. I. *Sophia*.

Affinitas Megapolen. ſis cum Dania.

I. SOPHIA *Friderico II.* potentiſſimo, & maxima laude digno, Regi Daniæ, Norvagiæ, Vandalorum & Gothorum &c. nuptum dabatur; Hic vero, in dolorem ejus, nempe Reginæ ſuæ, vix conſolabilem, morte extremum confecit diem, anno 1588. die IV. Aprilis. Poſt obitum hujus Domini ſui illa poſſeſſionem *Falſtriæ* & *Lollandiæ*, inſtar beneficiarii prædii, tenuit, Princeps fœmina commemorabili pietate, virtute & prudentia prædita, quam Divinum Numen ſumma ſua potentia & benignitate, diu atque ad ſummam ſenectutem, ſuperſtitem, ſalvam incolumemque conſervet. Regi & Domino ſuo peperit quatuor filias: I. Elizabetham. II. Annam. III. Auguſtam. IV. Hedvigam, pariterque tres filios: V. Chriſtianum. VI. Ulricum. VII. Joannem; Ex quibus hodierna Regia Domus Danica, florentiſſima illa, ſuum ducit genus. De quibus omnibus & ſingulis, horumque matrimoniis, liberis & poſteris, in tertia & poſtrema hujus libri parte fuſius uberiusque verba facturi ſumus. Et his ipſis jam huic libro nono, ſimulque origini PRINCIPALIS familiæ & generationis Megapolitanæ, finem imponimus, mox poſtea nobis ſermo erit de Domo Regia & potentiſſimis Scotlandiæ, Angliæ, & Britanniæ Dominatoribus, horumque origine, ſobole, progenie, & conſanguinitate cum Regia familia Danica, ad præſentem usque ætatem.

Sophia Regina Daniæ.

XVI.

MEGAPOLIS DIVISA ET REUNITA

SEV

DE DITIONIS MEGAPOLENSIS INTER HENRICI BVREWINI II. FILIOS IN TETRARCHIAM DIVISIONE ET EJVSDEM RVRSVS SVB HENRICO CRASSO ET MAGNO EJVS FILIO IN VNVM CORPVS COALITIONE COMMENTATIO,

MEMORIÆ REVERENDISSIMI ILLVSTRISSIMIQVE PRINCIPIS Dn. UDALRICI, ADMINISTRATORIS DIOECESIS SVERINENSIS, DVCIS MEGAPOLENSIS, PRINCIPIS VANDALORVM, COMITIS SVERINI, ROSTOCHII ET STARGARDIÆ DOMINI DICATA ET LOCO PARENTATIONIS SCRIPTA à

BERNARDO HEDERICO. A. cIↃ IↃcv.

NOBILISSIMIS, CONSVLTISS. MAGNIFICISQVE VIRIS AC DOMINIS,

JOACHIMO à BASSEWITZ,
THEODORICO à BEVERNEST.
CVNONI WOLFRASIO à BASSEWITZ.
HENNINGO à STAFFELT:

Provinciæ aulæq; Megapolitanæ Conſiliariis; Patronis colendis S.

NObiliſſimi Magnificique Viri: continuis laboribus reſpirationem adhibendam eſſe, Plutarchus monet: in ſevérioribus negotiis ad hilaritatem animum ſevocandum, Cicero; hic, quod vita humana in remiſſionem & ſtudium diviſa ſit; ille, quod non contentione, ſed relaxatione animi vigeat in quibusvis officiis induſtria: Et, ut Statius Poëta canit: Major poſt ocia virtus. Hanc ob cauſam, & alteram, ut ex

judicio vestro de toto facto meo statuerem, COMMENTATIONEM præsentem inspiciendam, &, si inter graves curas, occupationes, que plurimas otium est, legendam judicandamque vobis inscribere volui, magna spe atque fiducia, rem me non ingratam vobis facturum quorum in me amorem, ac benevolentiam singularem sæpius, de meis in docenda annos prope quinquaginta pueritia laboribus honestam opinionem semper cognovi. Quod si tertiam addam, vobis ipsis testibus, non reprehendar, quæ est, cum inurbanum videatur, civitatis alicujus civem esse, & omnis illius disciplinæ, consuetudinisque aut etiam eorum, qui vel ad ecclesiasticarum, vel politicarum rerum gubernacula sedent, nominum ignarum esse, non minus inhonestum putari, iis præsertim, qui honore aliquo & imperio affecti sunt, hospites esse in patria, in eaque sic vivere, ut peregrinari potius in aliena, quam in sua magistratum gerere videantur. Quæ singula dum cogito (cogito autam non raro) magnopere, Viri nobilissimi amplissimique, confirmor, vos in hac historiolæ parte colligenda non voluntatem modo ac studium meum probaturos absque molestia; sed, quæ vestra est cum prudentia, tum humanitas, in ea cognoscenda, æquum atque benignum animum largituros mihi sine fastidio. Quod ut facere dignemini, reverenter rogo atque oro. Sverini, e ludo Cathedrali, 11. Calend. Aprilis. Anni 1605.

Amplitudinis V.

Observantiss.

Bernardus Hedericus M.

QVi mortuorum cum corporibus memoriam sepeliunt, non dissimiles existimantur iis, apud quos μετὰ τὴν δόσιν ἧσσα χαρὰν ἔσχεν χάρις, *utrique reprehensioni odioque obnoxii: laude contra, & amore digni, qui neque studio, neque labori parcunt, ut in eos, qui publicis privatisque servierunt commodis, quoquo modo cum pietatem suam declarent, tum observantiam; quorum in numero non postremi judicandi, qui, omnium seculorum exemplo, eorum virorum, qui aut de universa Rep. aut singulis ejus partibus præclare meriti, virtutes commemorare; &, quam ex illis nominis ac gloriæ celebritatem ipsi sibi pepererunt, ad posteros transmittere studuerunt: neque hoc sic ipsorum, quibus parentatur, causa, etsi magna; ut vel nostra, ad grati animi testificationem, vel aliorum, ad earundem virtutum imitationem: Optimi enim cujusque pie honesteque & laudabiliter demortui, etiam* ἄρραφον μνήμην διαιτᾶσθαι *dixit Pericles: & vitam mortuorum in memoria vivorum positam, Cicero: & his authoritate & fide major, vates regius; In memoria æterna erit justus: nostri muneris atque officii est, iis, qui pro aris & focis excubuerunt, qui insomnes sæpe noctes pro subditorum salute duxerunt, patriæ ornamenta auxerunt, iis inquam pro vita brevi, ut ibidem loquitur Cicero, diuturnam reddere memoriam. Hinc, quæ parentalia nominamus, etiam justa appellata scribunt Grammatici; quod juste, quod recte, quod jure fierent: & parentandi mos, ut, quæ sacris prodita litteris, quod notissima, taceam, Græcis Romanisque communis fuit, licet his posterior, illis prior; quod, quem dixi, Periclis testatur concio funebris; & Plateenses decimo sexto quoque Memacterionis mensis die Viris, qui pro Græciæ libertate in acie defuncti essent, suo adhuc tempore quotannis parentasse, Plutarchus author est. Apud Ro. Bruto in acie cadente, primo ortum: & Publicolam etiam mulieres, privato judicio permotas, annum integrum summo cum honore & desiderio luxisse: matronas Coriolani mortem menses decem, idem scribit. Neque viros solum; sed & natu grandiores matronas post obitum patrio more laudari solitas; & ex his C. Cæsarem primum defunctæ uxori commendationem instituisse. Quid, quod ex regibus ducibusque barbaris quosdam hostes quoque suos in acie fortiter pugnantes cæsosque sepultura ornarunt magnifice, ut Antonium taceam, qui hostis Reip. belloque persequendus declaratus, libertum quendam, quod purpuram de preciosissimis cadaveri Bruti, hostis sui infestissimi a se injectam, non una sepeliisset, & pecuniæ ad sepulturam datæ magnam partem subtraxisset, supplicio affectum, idem narrat. Quæ singula si honeste, si juste, si cum laude & admiratione facta esse & sentimus, & dicimus: quanto id rectius & laudabilius in Heroas fieri statuendum, qui a seculis paulo superioribus, ad hæc usque tempora, præter eas virtutes, quas cum Græcis & Romanis communes habuerunt, fine quoque, propter veram Dei veri cognitionem, & religionem sinceriorem, ejusque propagandæ studium illustriore, longo illos post se intervallo reliquerunt: & gratiam laudemque apud Deum & homines eam sibi conciliarunt, quæ & vivos felices, illustresque, & mortuos immortales beatissimosque reddidit. Itaque etiam mihi, in simili argumento sudanti, veniam facile daturos spero, cum omnes illos viros clarissimos, quibus annis superioribus vel ex mandato magistratus officium hoc impositum fuit; vel ipsi sibi ex privato gravique judicio sumpserunt; tum cæteros, qui a legendis hisce nostris non abhorrebunt. Me certe, quasi in bivio subsistentem optimi cujusque urget in ingrediendo humanitatis, in progrediendo benevolentiæ, in perficiendo æquitatis fiducia. Causam dicendi scribendique tum habuerunt, quos dixi, publicam; privatam nunc ego, publicam nomino luctum ex fatali Reverend. Illustrissimique Principis ac Domini, Domini VDALRICI, Administratoris diœceseos Suerinensis, Ducis Megapolensis &c. patris patriæ, Domini nostri, dum viveret, clementissimi, ex his terris migratione, non suis solum hoc est, universis ac singulis familiæ Megapolensis personis illustribus, nec soli Ducatui huic tristissimum; sed & pluribus totius imperii Rom. ex summis infimisque ordinibus, viris: ipsi etiam sine controversia Imp. Rudolpho II. augustissimo*

lib. 1. Thucydidis.

In Arist.

In Public & Coriola

In vita Coriolani.

In Anton

ſtiſſimo tum acerbiſſimum. Hoc communi mærore ſingulos, ad quos tanti Principis orbitas pertinet, affici debuiſſe, nemo noſtrum eſt, qui neget. Quæ autem ad univerſorum, ſive in ſecunda fortuna ſalutem, ſive in adverſa calamitatem ſpectant, ea ſua cuique judicantur, & exiſtunt vere, ut recte dictum eſt:

Intrant in thalamos publica damna tuos.

Privatam nomino, quæ eſt ſuæ cujusque vocationis, & cum pietatis, tum juſtitiæ in optime de ſe meritos debitum officium. Cum enim præteritorum temporum, & ultimæ adoleſcentiæ meæ recordationem ab annis prope quinquaginta in mentem mihi revoco, haſce Ducatus Megapolenſis terras, illi, quæ naſcenti mihi lucem dedit, quæ, quem duco, ſpiritum impartita eſt, merito præferendas judico; ſiquidem me juvenem hoſpitio benigno exceptum honeſto ornarunt munere; & ætate corroboratum auxerunt honoribus: & conſeneſcentibus etiam, deficientibusque jam viribus, certam tamen, dum in vita commoror, priſtinæ cum dignitatis, tum ſalutis conſervandæ ſtudio præſidioque ſuo ſpem faciunt: hæcque ſingula authoribus, & rectoribus illuſtriſſimis Joanne Alberto, & Vdalrico principibus: quorum hic, fratre mortuo, & ludo, quem is vivus magnis ſumptibus apertum annos viginti tres ſumma cum laude conſervarat, diſtracto, Cel. ſuæ de me ex clementia ſingulari judicio, dignum cenſuit, qui in ſchola cathedrali informandæ pueritiæ præficerer: & deinceps de me, meisque laboribus opinionem ſemper honeſtam habuit: nec ulla unquam in re, quæ, me ſupplicante, in aulæ deliberationem venit, Cel. ſuæ patrocinio, repulſam ferre paſſus eſt. Etſi autem me in tam arduo, tamque amplo argumento neque natura, neque uſu ad dicendum ſcribendumve ſatis inſtructum eſſe ingenue fateor: facileque in iis, quæ ad illuſtriſſimi principis innumeras, veras ac divinas laudes illuſtrandas ſpectant, cedo, palmamque fero omnibus; tamen, quod a reprehenſione tutum me confidam, ſi veſtigia illorum, licet greſſibus ingenii imparibus, at voluntatis non inferioribus ſecutus, quid aut in ſimili, aut non plane diſſimili Celſitudini ipſius parentandi genere valeam, periclitor; & ad inchoatam a me ante annos paucos inque ludi noſtri cathedra recitatam, poſt ex unius ἐργοδιώκτᾳ obitu interruptam Ducum Megapolenſium hiſtoriam re jam lectu, ut ſpero, non ingratam iis, qui neque a rerum veterum monumentis cognoſcendis alieni ſunt; neque ab inferiorum ſcholarum, quales noſtræ ſunt humiles projectæque ſive ſtudiis, ſive conatibus abhorrent.

Diam * *autem* de ditionis Megapolenſis inter Henrici Burevini II. filios quatuor in tetrarchiam diviſione: & ejusdem rurſus ſub Henrico cognomento Craſſo, & Magno ejus filio, principum Megapolenſium modernorum, Caroli & fratrum præmortuorum avo, junio-

rum Adolphi Friderici, & Johannis Alberti abavo in unum quaſi corpus rurſum coagmentatione. *Pauca deinde, quæ ad conſervandam virtutem ac beneficiorum illuſtriſſimi noſtri principis, cujus anima nunc eſt in ſanctis, grata mente memoriam, & ad excitandam in nobis pietatis, modeſtiæ, & aſſiduarum precum ardens ſtudium facere mihi videbuntur. Vtrumque autem pro ingenii mei tenuitate breuiter, & pingui Minerva.*

De Nicloto Obetritarum rege penultimo, a Bilungo, de quo initium Genealogiæ principum Megapolitanorum quidam ſummit, decimo tertio, ejusque filiis Pribislao & Uvartislao, item de Burevino I. & Nicoloto II. fratribus patruelibus, de Burevino denique II. ejusque fratre Nicoloto III, dictum a nobis antea eſt: nunc quemadmodum Burevini II. filii a patre poſſeſſum regnum in tetrarchiam, ſeu quatuor dominia diviſerint, dicturus, operæ precium eſſe exiſtimavi brevibus repetere, quæ de ejusdem tribus partitionibus multis annis ante Crancius, & Marſcalcus prodiderunt. In quarum prima Crancium ſequor, quod Marſcalcus Canuto V. principi Sleuicenſi, & primum ex Danica ſtirpe titulum regis Obetritarum uſurpanti, iniquior videtur in narrationibus: a Crancio vir integritate, & virtute inſignis, juſtitiæ & veritatis cultor, vir optimus, dux fortiſſimus, & rex juſtiſſimus appellatur, & pleræque res ab eo ingenue ac fortiter geſtæ verba authoris comprobant. lib. 3. Vand. cap. 32. Ibid. 36.

Henricus Godſcalci, Herulorum & Vandalorum regis XXXI. & Leontii ad Albim martyrio coronati filius, princeps religioſus, & in bellis gerendis felix, filiorum (quos ſuperſtites ſibi reliquit tres, Canutum, Sandopolchum, & Godfridum) inertiam, dum adhuc viveret, intelligens: & ſtirpem ſuam non longe poſt interituram, quaſi præſagitione quadam proſpiciens, Canutum Ducem Sleſuicenſem rogat, orat, obſecrat, ut poſt mortem ſuam, ditionem omnem ſibi commendatam habeat; & filiorum in ſe recipiat tutelam: nec ab inſtituto ſuo, quamvis repugnante Canuto, dimoveri ſe patiatur. Vtque perſuadeat, poſtulationis ſuæ confirmationem ab Imperatore Ro: qui tum Lotharius erat, facile impetraturum promittit. Canutus tot obteſtationibus amici & victi motus, tandem aſſentitur, & Imperatoris conſenſum, Henrico Curatore, urget: &, (quod Marſcalco fortaſſe fraudis ſuſpicionem movit, & reprehendendi Canuti cauſam præbuit) Imperatorem inſigni, & ſolenni dono ipſe munerat; equo nimirum generoſo, & præter cetera ornamenta auro fulgentia, ſoleis quoque aureis calceato. Atque ita, interveniente authoritate Imperatoria, & Henrico paulo poſt in fata concedente, adminiſtrationem Vandaliæ Canutus ſuſcipit: accepta inſuper a Lothario corona regia, & Obetritarum regis titulo, quem poſteri quoque Daniæ reges inde uſurparunt. Cranz. lib. 3. cap. 28 30.

Hæc

* Fontes ſunt: *Crancii* Vandalia: *Marſcalci Thurii* annales Herulorum & Vandalorum: Ejusdem Vitæ Obetritarum: D. *Chytr.* Saxonia: *And. Mylii* Duces Meg. *Annales* eccl. Suerin. *Sam. Fabricii* ex archivis obſervationes. *P. Lindeberg.* Chron. Roſt. *Ducum Meg.* Geneal. quæ eſt in Baſilica Guſtrov. typis excuſa Roſt. 1582.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hæc dum geruntur, Henrici filii, & Suinicus ejusdem ex Sandopolcho nepos mutuis cadunt cædibus. Quare Pribislaus & Nicolotus, Butbæ filii, Henrici fratrueles, familia patrui extincta, ad principatum aspirant, moto adversus Canutum bello: in quo prælio victi captique
Cap. 33. *Sclesuicum a Canuto victore ducuntur. Sed & illo a Magno fratuele perfidiose & scelerate trucidato, *) Pribislaus & Nicolotus a suis revocati, patrium regnum ita inter se dividunt, ut Pribislaus, regium titulum usurpans Uvagriis & Polabis, quæ Lubecensium & Raceburgensium regio erat, imperaret, Nicolotus Obetritis, qui Megapolenses, & Cissini.*

Verum, Pribislao quoquomodo sublato, & Aldenburgi sepulto, regnum rursum coaluit: & ad Nicolotum, ejusque filios Pribislaum, & Uvartislaum devolutum est: quos contra, acceptos a majoribus Idolorum cultus pertinacissime defendentes, Henricus Leo, Saxoniæ & Bavariæ Dux inter Germaniæ principes potentissimus, ac rerum gestarum gloria celeberrimus, armis sumptis, annos aliquot continuos bella gessit: sub quorum initio Nicolotus pater in acie cecidit: Uvartislaus filius paulo post captus, dimissusque, & contra datam fidem sæpius deficiens, suspendio necatus est: Pribislaus frater tota provincia exutus exulansque, sed in gratiam ab eodem Leone receptus, inque integrum restitutus, & ad fidem Christianam conversus, tandem Lunæburgi in equestri certamine ephippio excussus cervicem fregit, ibidemque in monte, cui a calce nomen, sepultus: cujus ossa post anno a morte illius tricesimo quinto Lunæburgo Dobberanum translata, & juxta Witzlavam conjugem, Norvegiæ regis filiam, religiose condita.

Pribislao hoc modo rebus humanis exempto successit Henricus Burevinus filius; regnique ex divisione secunda socium habuit Nicolotum, Vvartislao, Pribislai fratre genitum: Huic Megapolis cum terra Obetritarum, illi Rostochium cum Cissinorum tractu parebat, sed magnis in seipsos dissensionibus versi, bellum mo-
Cranz. lib. 6. cap. 24. *vent civile, Nicoloti partes Bernardo Duce Saxoniæ, & Iarimaro Rugiæ principe, sub Canuti sexti Daniæ regis nomine tuentibus; Burevini, Bugislao Pomeraniæ Duce: & excursionibus, rapinis, incendiisque ditionem misere populantur ac vastant. Ejus hic fuit exitus; ut Burevinus a Iarimaro captus ad Canutum Daniæ regem mitteretur: Nicolotus in Bugislai potestatem perveniret. Canutus delectus arbiter litem inter fratres patrueles sic dirimit, ut, permutatis ditionibus, Nicolotus Rostochium cum Cissinorum districtu pro se suisque possideat;*
Terra Obetritarum. *Burevinus Ilow, Magnopoli: & datis viginti quatuor obsidibus (in quibus Burevini filius) uterque* suam terram de manu regis recognoscat, *ut author loquitur; hoc est regem Daniæ dominum feudi agnoscat; & hanc alteram causam Crantius allegat, cur Danus titulum regis*
lib. 6. cap. 24. *Vandalorum usurpaverit. Sed & hæc regni partitio non diuturna fuit: Vandalis odio Christianismi Dobberanum, a Pribislao vix fundatum, fero atque igne invadentibus, quod religionem novam, sede illius præcipua eversa, facile corruituram sperarent: Vim istam & injuriam non passus Nicolotus, Rostochii Dominus, collecta militum manu, grassatoribus occurrit. Verum ad internecionem prope profligatus, ægre ipse evasit, suo exceptus Rostochio. Nec longe post, suscepta jussu regis Daniæ, cum Burevino fratuele expeditione in* IIX. Kal. 1179. Mart. *terram comitis Adolphi de Dasle (ea est in diœcesi Hildesiensi) primus omnium, cum octoginta septem primi ordinis Viris in prælio mactatur, Vir prudens & bonus, & fortuna melior dignus; quem tota luxit vicina Vandalia. Relatus in patriam Dobberani sepelitur, exequias cohonestantibus Vvartislao Pomeraniæ, & Iarimaro Rugiæ principibus: regni portione, quod prolem masculam post se non relinquebat, ad Burevinum relata: qui sine armis, prudentia singulari grassatores illos, & hostes Nicoloti ita sibi devinciebat; ut & Christianam fidem semel amplexi colerent constanter: & in monasterio instaurando operam navarent liberaliter.*

Annal. lib. 2. cap. Cranz. li. cap. 38. Marschalc vitis Her cap. 51.

Cœnobium quoque Virginum Soliscampi *non procul a Wostenbrugga fundat 1215. quod post annos octo in locum oportuniorem translatum, & nomine, quo adhuc appellatur, mutato, novum claustrum dictum est. Rostochium, urbem patriam muro insigni vallando, & Varni flumen circumducendo amplius elegantiusque effecisse; privilegiis etiam ornasse plurimis; inque his juris Lubecensis usu, & vectigalium omnium immunitate, sunt qui annotarunt: sed videat lector, quomodo cum numeris illa conveniant. Vrbis enim ampliatæ, & concessorum privilegiorum annum constituunt 1218. cum Burevinus juxta genealogiam Gustroviensem mortuus scribatur 1217. In Archivis solummodo Dominum Megapolensem se scripsit, maxima parte mutilato, vel plane etiam sublato paterno titulo, quem fuisse, Pribislaus Herulorum, Vvagriorum, Circipenorum, Polaborum, Obetritarum, Cissinorum, Vandalorumque Rex, præter scriptores monumenta Doberanensia testantur. Ejus exemplum secuti posteri, neque regis, neque principis titulum sibi arrogarunt; sed Dominorum solummodo appellationem, usque ad annum 1348. quo Albertus & Iohannes fratres in principes imperii inaugurati, usurparunt. Recte igitur Marscalcus, qui in Burevino Pribislai filio, titulum regium primo cecidisse scribit; vastatas ubique urbes ac mœnia, ab eodem instauratas, ornatasque immunitatibus. Mortuus & Dobberani sepultus, filios regni hæredes reliquit, Henricum Burevinum II. & Nicolotum, qui, patre adhuc vivo, ditionem tertium inter se divisisse scribuntur; ita ut Nicolotus Megapolim, cum cohærentibus, gubernaret; Rostochium cum adjunctis Burevinus: quorum illo ruina arcis in Gadebusch oppresso, ditionem totam frater obtinuit.*

Sonnenkat. Newkloste lib. 2. ca An. Her. lib. 1. cap in vitis

His narrationibus, ut lucis aliquid accedat, partem genealogiæ Danicæ, & Megapolitanæ libuit huic loco subjungere. DA-

*) *Marschalcus lib. 2. Annal. refert ad annum 1146.*

DANICÆ.

SVENO II. ⊕ 1074.

S. Canutus. | Ericus IV.

Canutus V. Dux Sclesvici: beneficio Lotharii rex Obetritarum: ocisus a Magno Nicolai regis filio, 1136.

Ericus V. occisor patrui Nicolai: Magni Nicolai filii 1139. successor regni in Dania: præ se aperte ferens titulum regis Vandalorum. Cranc. Vand. lib. 3. cap. 36.

Nicolaus Rex Daniæ, necatus à fratris filio Erico V. 1135.

Magnus, trucidans Canutum V. & vicissim ab Erico V. fratris cædem ulturo, prælio superatus, & in acie interfectus.

Woldemarus. ⊕ 1185.

Canutus VI. arbiter delectus inter H. Burevinum, & Nicolotum fratrueles Megapolitanos: & captus ex insidiis ab Henrico Comite Suerinensi, Gunceliní I. filio. 1223.

MEGAPOLITANÆ.

Godscalcus, Herulorum & Vandalorum Rex XXXI. Leontii ad Albim martyrio coronatus.

Cranz. Vand. lib. 3. c. 19. & aliquot sequentibus, ex Helmoldo.

HENRICVS ex Syritha regis Daniæ filia: religiosus, & in bellis contra Rugianos, & Marchiones magnanimus ac felix: Canuto V. commendans filios. ⊕ 1122. vel circiter. ca. 28.

BVTHE ex Symbulla regis Poloniæ filia: conditor civitatis, quam à suo nomine Buthen appellavit, & nunc Lubeca est. Suis ob religionem invisus: obque id interfectus à Critone Rugianorum rege, vicissim conjugis suæ consilio in convivio trucidato: quæ Henricum, Buthe fratrem amabat.

Woldemarus a Rugianis, quibus a patre prælio superatis præfectus fuerat, occis. Cranz. ibid. c. 23.

Mistevus in prælio cum Marchionibus cæsus.

Sandopolchus successor patris, fratricida: paulo post rursus interfectus a quodam, eo oppido oriundo, in quo fratrem occiderat. lib. 3. cap. 32.

Canutus Godfridus. interfectus a Sandopolcho fratre.

Zavinike portellus Cranz. ibid.

SVINICO patri succedens. In quo, Ertelnburgi, quæ arx fuit trans Albina, interfecto, familia Henrici desiit: & Canutus V. Sclesuici princeps Obetritarum regnum ad se transtulit.

PRIBISLAVS ex Ida Rugiana, cum Nicoloto fratre regno exutus a Canuto V. Duce Sclesuicensi: sed eo interfecto, cum fratre revocatus, paternam ditionem dividit cum eodem. Ambo idolorum cultores.

NICOLOTVS ab Henrico Leone Saxoniæ Duce in acie interfectus.

PRIBISLAVS toto regno expulsus ab HenricoLeone: sed postea in gratiam receptus, & restitutus ab eodem. Regum Obetritarum ultimus.

Wartislaus suspendio necatus.

Horum filii nota.

HENRICVS BVREVINVS I. patris successor. Fundator cœnob. *Sonnenkamp.*

NICOLOTVS Rostochii Dominus: interfectus in prælio Daslensi.

Henricus Burevinus II. fundator collegii Gustrovienssis 1226. ⊕ 1228.

Nicolotus ruina arcis in Gadebusch oppressus.

Hanc de divisionibus terræ Obetritarum, quæ eam, quæ præsentis institutiest, antecesserunt, narrationem præmittere volui, cum quod a Crancio allegatas causas, quæ occasionem usurpandi titulum regis Vandalorum Danis videntur præbuisse, illustrant, & limites imperii Obetritarum aliquo modo ostendunt; tum quod de rebus gravissimis lectorem utiliter monent. Nam & degeneres Henrici patris optimi filii, tritum sermone proverbium confirmant, ἡρώων ἀνδρῶν τέκνα ὠήματα, &, quod exemplorum multitudine motus Demosthenes dixit, τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἰμαρμένην εἰη, φαύλως ἀποβαίνειν ἠές, Canutus, quamvis scelerate interfectus, & propter integritatis ac justitiæ studium, cum vicinis Saxoniæ Ducibus, tum Lothario Imp. ita charus, ut bello etiam parricidam persequerentur; tamen quod potentiæ majoris cupiditate, & regni alieni amore veros hæredes administratione paternorum bonorum excludere videbatur, monet μέγα ἐφόδιον εἰς πολιτείαν εἶναι τὴν αὐτάρκειαν. Magnus fratricida, cum Nicolao patre vicissim ab Erico trucidato, exempla sunt regulæ de justitia divina,

na, seu pœna Talionis, de qua recte dicitur, & vere: ἔαγε πάθοι, ἃ ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο:

Nunc ad institutum nostrum venio. Henrici Burevini II. Pribislai nepotis filii, patri superstites quatuor fuerunt, IOANNES natu † maximus. Is a patre admodum adolescens in Academiam Parisiensem missus, in eaque annos circiter 20. sumptibus † regis Galliæ commoratus, insignia doctorum Theologiæ accepisse, ideoque Theologus nominatus esse scribitur. In regni successione cum Henrico filio (qui post Hierosolymitanus dictus) ad propagandam Dei gloriam, & doctrinam de Christo, cultibus idolatricis abolitis, amplectendam, bellum cum Livonis gessit: unde reversus scholam, seu Collegium Rhenæ, in quo puellæ a matronis caste pieque in timore Dei educarentur; & ad honestos, eique sexui convenientes labores assuefierent, condidit; placideque tandem defunctus anno obiit 1260. tumulatus in Gadebusch.*)

†Marschalcus An. Her lib. 2. cap. ultimo. † Mylius.

Gen. Gustrov. lib. 7. c. 42.

BVREVINVS III. quem Cranzius & Marscalcus ad eundem cum fratre annum vitæ superstitem scribunt; avi patrisque vestigiis gnaviter institisse, templa Rostochii condidisse, duo oppida Varnæ brachio, & Magistratibus antea disiuncta in unum Reip. corpus anno 1262. natali urbis centesimo, & Iubilæo fere secundo coagmentasse, aliisque perquam multis beneficiis ac privilegiis urbem auctam donasse annales Rostochienses testantur: luminibus impie privatus ab Henrico, & Erico filiis.

Annal. lib. 4. cap. 1.

Lind. lib. 2. cap. 4.

NICOLOTVS, post conditum a se Robelum, Malchinum munitum, ditatum Dobberanum, & absolutum sumptuosissime templum Gustroviense, ibidem extinctus 1277.

Marschalcus. Ibidem. Gen. Gustrov.

PRIBISLAVS, fratrum teste Marscalco, fortissimus, majorum suorum æmulus insignis, fidei refractarius.

Cranz. lib. 7. cap. 35. de Vitis Her. lib. 1. cap. 54. An. l. 2. c. altimo.

Ab his tota Megapolitana, & a patre possessa ditione in totidem partes, sed non æquas, sorte divisa, IOANNI ea pars cessit, quæ ut dignitatis gradu præcipua fuit, sic in gubernatione plurimum oneris habuit: titulumque ei tribuit, ut Dominus Megapolensis appellaretur: DEO propter admirabile pietatis studium haud dubie charissimus, unde providentia ipsius hoc vicissim sanctitatis præmium habuit, ut, ceteris fratrum familiis tandem deficientibus, sola ipsius posteritas ad nostra usque tempora, nunquam interrupta successionis serie floruerit. ἐυσεβίων (γὰρ) παίδεσσι τὰ λώϊα δυσσεβέων δὲν ἄ.

Cranz. l. 7. c. 42.

NICOLOTO **) Vandalia obtigit, cujus pars, & sedes aulæ arx Vverla fuit: a qua cum ipse, tum ejus posteri titulum usurparunt, quo se Vverlæ magis, quam Vandaliæ Dominos dici voluerunt; vel a loci dignitate, vel quod Vandaliæ nomen olim honoratissimum, tum in contemptum venire cæpit. Herula autem, Vverlovium, sive Vverl, arx & oppidum: in quo Godscalcum regem Obetritarum XXXI. regio diademate inauguratum Marscalcus refert, duorum miliarium intervallo ab urbe Rostochio, ad Varnum fluvium, juxta pagum Vvick, & oppidum Swan situm, & munitione, ac loci commoditate olim firmissimum fuit, sed propter Nicoloti Obetritarum regis ultimi ad illud cædem, a filiis incendio vastatum, a quo tempore licet aliquando ex parte quasi revixerit, nunquam tamen ad pristinum vigorem pervenit, enascente in ripa Nevelæ prole Cygnea.

Cranz. l. 8. c. 4.

Lind. l. 2. cap. 8.

BVREVINO Rostochium, cum vicino Cissinorum tractu:

PRIBISLAO Parchimum, Stenebergum, Richebergum: ex quo hic, anno 1255. se dominum de Parchim, 1256. de Richeberg scripsit: ille Rostochii, Cissinorumve Dominum. Cissinum vel Kissinum terræ Laciniæ, quæ hodie Rostochiensis dicitur, superiori seculo metropolis fuit, nunc πόλις ἄπολις: ab Henrico Leone maxima ex parte cum arce desolata, ex cujus ruderibus vicinum Rostochium efloruit. Vicum parochialem circiter mille passus ab urbe distantem, Kirchoviorum, & Beselinorum ex patriis Rostochiensibus nunc dominium, toti illi terræ nomen dedisse, ex archivis Fabricius annotavit. Ex iisdem, Ioannis & Burevini fratrum insigne commune fuisse solum Grypbem, pedibus erectum prioribus, cum inscriptione, sigillum fratrum, Dominorum Megapolensium; Domini de Werla tauri, bubulive caput coronatum; Pribislaum virginem in pelta seu clypeo aureo pictam gestasse, & pro numine venerari, & adorare consuevisse, auctor est Marscalcus. Eam D. Mariæ virginis imaginem fuisse, Cranzius L. 7. c. 42.

Fabricius archivis.

Bubulinu Bucranu. Lindeberg.

An. l. 2. de Vit. l. cap. 54.

PRIBISLAVS, quod captus a Radolpho, Episcopo Suerinensi VI. pecuniam, qua se redimeret, aliam non habebat, primus hæreditatem suam Nicoloto fratri vendidit. Ejus rei hæc fuit occasio. Episcopo an. 1252. arcem Butzoviensem muniente, Pribislaus, hostilia in ipsum etiam antea molitus, ædificationem prohibiturus, quæ interdiu ab Episcopo structa erant, noctu nonnunquam curat dirui, quam jacturam, quod Episcopus æquiore ferebat, animo, & nihilo minus opus suum urgebat, euntem aliquando per provinciam Pribislaus capit, & equo impositum, ex pedite equitem, ex clero secularem, ex præsule purpuratum facit; nec prius captum custoditumque dimittit, quam se, soluto λύτρῳ redimeret. Episcopus, tempori tum serviens; dolorem ignominiamque dissimulat. Interjecto quatuor annorum spacio, Pribislaus pacificationi nimium fidens, per Butzoviensem præfecturam cum exiguo, & pene inermi comitatu iter facit, quod cum præfecto arcis viro strenuo nunciatur, incautum, ipse armis instructior, aggreditur; & par pari referens, captivum ducit Butzovium: & λύτρον Episcopi nomine postulat. Accidit ergo illi, quod dicitur: ἓᾶς αὐξαῖς τέχναις τις ἁλώσεται αἴσπερ ὀπῆρξεν. Intercedentibus pro eo Ioanne Theologo, & Nicoloto de Vverle fratribus, & Guncelino, comite Suerinensi; nec aliter, quam ut se redimeret, cum Episcopo transigentibus, Domino de Werla, alio præsidio destitutus, cedit Parchimo, & solum retinet Sternbergum, quod

*) Milius ex Marschalci An. lib. 5. c. 1. **) Fabricius annotavit, se in Archivis nusquam legisse Nicolotus, sed Nicolaos dictos.

quod ipsum non longe post Henrico Hierosolymitano, Ioannis Theologi filio vendit: & ad filium ὁμώνυμον, qui, ducta Ducis Pomeraniæ filia, Bolgardum oppidum in dotem acceperat, profectus, ibidem consenescit: &, quod alia patri & filio possessio non erat, pauperes ambo, nulla a filio prole mascula relicta, extinguuntur: atque ita agglutinata Pribislai portione partim Vandaliæ, partim Megapoli, quarta divisionis pars defecit. Cranz. l. 7. cap. 42.

BVREVINI etiam posteritas aliquanto post cum Nicolao cognomento puero ex Voldemaro filio nepote anno 1314. intercidit. AGNETA enim Alberti Brandeburgensis filia, Ottonis pii nepte, Beatricis, Henrici Leonis Megapolitani uxoris sorore, Nicolao desponsata, & ab eo postea temere repudiata, Otto & Hermannus, Agnetæ patrueles, contumeliam familiæ illatam ulturi, Rostochiensibus bellum inferunt: quod, bonis eorum ferro atque igne vastatis, tandem ita componitur, ut ad militem dimittendum pecuniam conferant, & deinceps Marchionibus fiant tributarii, quorum posterius, quod indignum, & minime sibi ferendum putabant; & Henricum Leonem, ad quem, quod Nicolaus heredem non habebat, jure hereditario Rostochium perventurum intelligebant, odissent, defensorem quærunt fortiorem, & potentiorem; ideoque cum Nicolao Domino suo Erico XI. Daniæ regi se subjiciunt: &, mortuo Erico, Christophoro II. fratri Erici: is regno quibuscunque de causis a proceribus, & Gerardo Holsatiæ comite, cujus eo seculo summa in gentibus Arctois virtutis opinio erat, exclusus, Rostochium 1326. secessit; ibique aliquandiu se continuit: &, ut Henricum Leonem adjutorem adversus hostes suos haberet, Rostochium illi cum omni, quod in cives habebat, jure, Nicolao sine mascula sobole ante (*) septennium defuncto, & Rostochii, in choro ad D. Ioannem sepulto, reddidit, anno vel eodem, vel paulo ante 1325. Sic altera quoque divisionis parte deficiente, Dominorum Megapolensium dominium non parva accessione crevit.

in Archivis reperiri negat Fabricius. alii Woldemari.

Fabricius.

BVREVINVS II.

JOANNES Theologus Dominus Megapolensis ⊕ 1260.
|
Henricus Hierosolimatanus.
|
Henricus cognomento Leo. ⊕ 1329.

NICOLOTVS Dominus de Werle ⊕ 1277.
|
Joannes *der Friedfertige*, &c.

BVREVINVS III. Rostochii Dominus, oculis privatus a filiis.
|
Woldemarus, fratribus parricidis superstes: effeminatus & luxoriosus. ⊕ 1282.

PRIBISLAVS: Dominus de Parchim & Sterneberg.
|
Pribislaus, ἄπαις. in quo stirpe deficiente quarta pars ditionis ad ejus patruos Joan. Theolog. & Nicolotum pervenit.

Joannes. | Nicolaus cognomento puer: subjectus Erico Daniæ Regi, & stirpis ultimus. ⊕ 1319. | Burevinus. Contr. Gen. Gustr.

Sed & annos circiter triginta ante Stargardia dominis Megapolensibus accessit, ducta ab Henrico Leone Beatrice, Voldemari Marchionis Brandeburgici filia, (**) *cum qua partem Stargardiæ in dotem accepit: reliquum ab eodem coëmit pecunia, quam in bello Boëmico, Alberto Austriaco, contra Adolphum Nassoviensem Imp. militans meruerat. Ideoque aucto titulo, Megapolensem, & Stargardiæ, ac Rostochiorum se scripsit Dominum.* (***)

Hac gemina Rostochiorum, & Stargardiæ terrarum accessione dominorum Megapolensium dominio amplificato, Henrici Leonis filii, Albertus & Ioannes, post defunctum patrem, vel virtute, vel æmulatione ad dignitatis augustioris studium sic inflammati, ut anno 1348. CAROLI IV. imp. auspiciis, principibus Imperii aggregati, titulo, Ducali insigniventur, dominium suum ita diviserunt, ut Albertus ducatui Megapolensi præesset; Ioannes Stargardiæ: titulum autem ducum Megapolensium, & Rostochii, ac Stargardiæ dominorum communem haberent. Vide infra diploma.

Albertus, princeps magnanimus, & prudens, justitiæque cultor impiger, & patriam a latrociniis purgans: ac prædia a majoribus quoquo modo oppignorata redimens, ideoque finitimis omnibus charus, periucundus, non contentus hac sua fortuna, de comitatu quoque Suerinensi ad suos transferendo, miro æstuans desiderio, consilia agitat varia, & comitatum feudum Dominorum Megapolensium esse disputans, (****) *Vitebergum cum arce vi expugnatum occupat. Comes tum Suerini Otto erat, cognomento Rosa,* Marsch. An. l. 7. cap. 1. Cranz. l. 8. c. 33. 35.

is

(*) *moritur igitur circa annum* 1319. *sed repugnat inscriptio lapidis in dicto templo, quæ est:* Anno 1314. die Catharinæ, obiit Nicolaus, nobilis Dominus Rostocensis orate pro eo. *Legendum igitur duodecennium, aut undecennium.* (**) *Anno* 1292. *dispensatione Nicolai Pontificis.* Fabric. (***) Marescal. *de Vit. Obet. de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II. cap.* 61. *Annis* 1305. 1308. 1318. 1321. *Solo Taurino capite pro insigni usum,* Fabricius *annotavit. Pictura Dobberanensis addit caput bubulinum.* (****) *Pars illud fuit comitatus Suer. per partes, cum nulli essent cohæredes ita divisi, ut alii de Suerino, alii de Witteburgo Comites censentur.* Cranz. *lib.* 8. *cap.* 11.

is fratrem habebat Ioannem, comitem Teckelnburgensem (patris nomen quod fuerit, annotatum non invenio; ut nec, quibus de causis Comites Teckelnburgenses etiam Suerinenses se scripserint) & filiam unicam Richardem, ex Margaretha, Nicoloti, Domini de Werla, Nicoloti I. pronepotis filia, eam Albertus filio sibi ὁμωνύμῳ, post Sueciæ regi, curat nubere, (*) 1352. acceptis in dotem 4500. marcis argenti puri Colonienſis ponderis, ex quo connubio, quod nata esset proles mascula Ericus: & Otto absque alio hærede mortuus 1356. Albertus comitatum Suerinensem ad nepotem suum, neglecto Ottonis fratre, jure posteritatis hæreditario spectare arbitrabatur.

Marschalcus de vit. Obotr. c. 90. Cranz. l. 8. c. 33. 35.

Quod autem adversantem sibi Ioannem Teckelnburgensem habebat, armis res aggreditur; & Suerinum obsidet, aditu exituque cives, erecto præsidio, probibiturus, quod tamen illi, propter lacum contiguum, qui importandi, exportandique, quæ vellent, oportunitatem præbeat, parvi æstimarunt, quin etiam ludificare hostes ausi, nunc muliebri vestitu, nunc piscatorum habitu eos fallebant, sæpe etiam non secus ac ad piscium capturam egressi, pro luciis cyprinisque captos vinctosque secum trahebant, ex hostibus homines, jucundo suis spectaculo.

Itaque spe sua frustratus Albertus, mitius init consilium, cumque Teckelnburgensi, ut juri suo cedat, transigit, ingenti promissa pecunia, datis insuper fidejussoribus, qui, si fidem in solvendo fallat, domi Comitis obsidum captivorumve loco sese vocati sistant. Commisit autem in Ducem Comes, nescio quid aliquid certe & grave, & plane ejusmodi, ut causam illi justæ querelæ præberet, & de non solvendo ære integro prætextum, etiam legibus comprobatum. Ex quo factum est, ut ab illo tempore Comites Teckelnburgenses jus suum, quod in comitatum Suerinensem habere se arbitrabantur, ad annum usque 1557. (quo, desinente eorum stirpe mascu-

Chyt. Saxon.

la, comitatus Teckelnburgensis, ANNA Conradi, postrema illius familiæ filia Euerwino, Comiti Bentheimæ 1548. nupta, & 1582. mortua, ad Comites Bentheimenses translatus est) apud principes Megapolenses persecuti feruntur. Albertus autem dominum Comitatus sibi suisque utilissimum occupavit: & aulæ sedi Suerini collocata, titulum deinceps, cum aliis, tum Dobberanensi ad epitaphium ejus inscriptione teste, hunc usurpavit: Albertus Dei gratia Dux Megapolensis, Comes Suerinensis: nec non Stargardiæ, & Rostock terrarum Dominus: (**) & insignia Ducatus vel suapte voluntate vel concessione sub inauguratione imperatoria sic mutata atque aucta, annotatum pictumque reperio, ut toto clypeo tripartito distincto, primus locus Bucephali captiti, proximus comitatus Suerinensis insigni, subtus Gryphi tertius tribueretur.

Dixi de duabus divisionis partibus, in Pribislao, & Burevini nepote Nicolao puero deficientibus. NICOLOTI de Werla Domini posteritas felicior fuit, & in gubernationis successione diuturnior, tandem tamen, ea quoque pars ad Ioannis Theologi lineam devoluta est, Wilhelmo, septimo a stirpe, anno 1431. sine hærede defuncto. Is a puero litteris deditus fuit: ideoque in Canonicorum collegium, Gustrovii in honorem D. Cæciliæ, a Burevino II. primo Herulorum, seu de Werla domino 1226. fundatum, ascitus, & paulo post ex Academia Pragensi reversus, ac præpositurae dignitate auctus, ita illi profuit, ut & commendaretur ab aliis, & ipse a gubernatione illius, quo ad lucis usura frueretur, non abhorreret. Sed quod sublatis e vita Christophoro & Nicolao fratribus, familiæ Herulorum postremus esset, illustrissimorum virorum, ad propagandam stirpem, hortatu, præpositura se licet invitus, abdicavit: factusque maritus quidem est, sed præter CATHARINAM filiam, sobolem aliam ex conjugio iterato non suscepit. Eum, contra majorum suorum morem, se principem Vandalorum, & Dominum de Werle primum scripsisse annotavit Fabricius.

Deficiente ergo in ipso 1436. familia, dominium Vandalorum & Herulorum partim ad Henricum cognomento Crassum, & Ioannem fratrem, Duces Megapolenses, Henrici Leonis abnepotes, partim ad Henricum & Ioannem seniorem Stargardiæ Duces transiit: a quibus, ut solo universo soli potirentur, CATHARINA Wilhelmi filia, cum 20000. aureorum Rhenensium dote ad Barninum avunculum, Stetini principem remissa, post decennium, hoc est 1446. die 5. Martii VLRICO Stargardiæ principi nupsit. *Fabricius Geneal. item. Marschalc. Anz. c. 2.*

Atque ita Megapolitanus Ducatus in τετραρχίαν divisus intra annos 200. ad unius Joannis Theologi posteritatem translatus est universus.

Nec

(*) *Vivo adhuc Ottone patre, contra Lindebergium.*
(**) *Contra eos qui titulo addunt,* Principes Vandalorum: *quo nec Albertus filius, Rex Sueciæ, nec posteri usque ad annum 1431. quo Wilhelmus, Vandalorum dominus postremus obiit, usi sunt. Sic enim ille: Albertus Dei gratia Suecorum Gottorumque Rex, Dux Megap. Comes Suerin Starg. & Rost. dominus, annis. 1385. 1397. Ex Archiv.*

Nec longe post Joannis quoque Henrici Leonis filii, Alberti fratris, primi Stargardiæ post divisionem principis posteritas, cum floruisset annos 123. defecit, anno ab obitu Wilhelmi 25. quo intervallo, brevissimo profecto, ditiones duæ amplissimæ sunt conjunctæ; & ut prioris, Herulorum cum Stargardiensibus divisæ pars; sic posterior Stargardiensis tota ad unum Henricum Crassum (siquidem secundum Genelogiam Gustrovienſem, Marscalcum & alios, in sextum annum VLRICO Stargardiensi 1471. defuncto superstes in 1477. fuit) omnia tum solum gubernantem pervenit. Inde ad MAGNVM filium, ejusque adhæc usque nostra tempora, singulari Dei providentia ac beneficio solius posteros; contra eos, qui ad Magnum, filium ejus referunt: nisi forte intelligendum id sit de liberatione totius patriæ ab oppignoratione, qua magna ducatus pars, a majoribus, vel ipso etiam patre Magni propter æs alienum distracta, & pignori data fuit. Sic enim Marsch. lib. 7. An. c. 6. Vdalrico Stargardiæ domino ultimo defuncto, jus universum in Ducatu Megapol. repedavit. Henrico (nempe Crasso) principe recipiente, genere proximo. Et ibidem c. 7. HENRICVS ditionis suæ partem plurimam ære alieno fœneratoribus obligavit. ibidem c. 8. Magnus prædia majorum in mille fœneratorum manus dispertita primus recepit.

NICOLOTVS STIRPS dominorum de Werla ⊕ 1277. *Geneal. Gustrov.*

Johannes I. cognomento pacificus.

Nicolaus ⊕ 1316.

Johannes II.

Johannes III.

Bernardus.

Johannes IV. extinctus veneno.

Christophorus.	Nicolaus.	WILHELMVS ultimus Herulorum ⊕ 1436.	Sophia conjunx altera: Wartislai princ. Pom. filia: Barnimi soror.

Margaretha, nupta Vlrico: ultimo Stargardiæ principi.

HENRICVS LEO.

ALBERTVS.

JOHANNES primus Stargardiæ Dux ⊕ 1370.

Vlricus. †

Hinricus.

VLRICVS II. postremus Stargardiæ princeps ⊕ 1471. — MARGARETHA nupta Vlrico: Wilhelmi Herulorum Domini ultimi filia.

Magdalena nupta Wartislao Pomeraniæ principi. deinde Burcardo Comiti Barbi.	Engelburgis nupta Everbino Comiti de Benthen.	Elisaburgis abbatissa Dobertini.

† Eum rei militaris peritissimum, & Astronomiæ studiosissimum fuisse, Crancius scribit lib. 12. c. 15. quod divitiarum studium angusti animi esse putabat, adeo vitæ negociorumque civilium ignarum, ut numos cupreos, quibus magister ejus rationum in calculando utebatur, pro numis aureis non aspiceret solum, sed utendos etiam ad res sibi necessarias colligeret, magno cum magistri risu.

Quin ipsum etiam VLRICI, Stargardiæ principis ultimi cum Margaretha connubium non omnino omine caruisse mihi videtur, quod, ut VLRICVS socerum familiæ suæ postremum; sic ille Wilhelmum generum stirpis ultimum habuit: uterque in conjugio vivens masculi hæredis experte. Vtque Wilhelmus sacrorum fuit studiosissimus: nec nisi fato quodam suo prope coactus eadem deseruit; sic singulari pietatis devotione religiosissimus, tum in conjugio tranquillo, & uno hoc infeliciore, quod prole mascula careret, annos 24. viveret; tamen necessitate non dissimili cum MAGNO Henrici filio, juvene magnanimo, ipse veteranus ex crebris cum Friderico Marchione, Ottone Lunæburgi, & Barnimo Stetini Ducibus, bellis fortissimus, anno 1470. ex voto Hierosolymam, atque inde solus ad Sinai montem, D. Catharinam veneraturus, profectus est: & ut Margaretha conjunx ex parentis orbitate pupilla extitit calamitosa; Sic ex amissione mariti vidua facta est ærumnosa: & ex utriusque morte, hæreditate exclusa, illius paterna, hujus maritali. Calamitatem auxit mortis etiam genus tanto Heroe indignissimum, nam cum, solutis in terra sancta votis, quæ nuncupaverat, omnibus, in patriam abeo, quo abierat, altero anno vix revertisset; & ex ministris purpuratis haberet, quem in primis diligebat, alius erat, forte altero non inferior genere, sed gratia impar. Ideoque vel honori, vel virtuti illius invidens, sublatum exstinctumque cupiebat, quod autem tollendi illius rationem honestam non inveniebat, de dando toxico consilium init nefa-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rium: idque præparatum homini hauriendum proponit, sed negligentius. Princeps enim Opt. & rerum insidiarumque ignarus casu illud inventum arripit incautius, bibit avidius; atque inde lethali tabe consumptus in vivis esse desinit. Ita Heros ex rebus gestis clarissimus, quem neque vis Martis debilitare, neque præliorum numerus frangere, aut amorum varietas sternere potuerunt, veneno, & quidem a non volente, & corporis custode, sine dubio fidissimo, dato, non scelere aliquo suo, sed in suos amore benevolentiaque sublatus, suis luctum ingentem, subditis desiderium triste reliquit.

Est & morientis vox prope suprema, ut commiseratione, sic memoria non indigna. Spiritum enim, a quo acceperat, jam jam redditurus, sublatis in cœlum ad Deum, cujus honori toto vitæ tempore servierat, oculis: quantum, inquit, O Deus, pugnatum desudatumque in curriculo est, ob asses quatuor, & linteum unum! O Gott wie hat man gekempft, vnd gerandt vmb vier Breter und ein Laken? loculum sive spondam Orciniam intelligens, & linteum, cui involvuntur exuviæ, nec multo post placide animam exhalans ad beatissimam majorum suorum concessit apud superos consuetudinem, exuviis illius in Wantzka Stargardiæ virginum cœnobio solenniter conditis: & gladio, galea, ceterisque cum insignibus, armis de tholo ibidem, ut adhuc conspiciuntur, suspensis, quæ 1582. illustrissimæ Heroinæ Elisabethæ consilio, principis Vdalrici mariti principis illustrissimi sumptibus, non tam magnitudine, quam grata in defunctum agnatum, sibique ὁμώνομον, memoria æstimandis, renovata, instauratque sunt, cum inscriptione & epitaphio Andreæ Mylii, viri clarissimi, & principum Megapolensium Consiliiarii: quæ lectori, si quis fuerit, gratificaturus, in primis autem auctorum facti tam egregii pietatem illustraturus subjungo.

D. O. M.
MAGNANIMO HEROI
VLRICO, HENRICI FILIO,
EX STARGARDIÆ DVCIBVS VLTIMO, PRINCIPI BELLICA LAVDE, ET HEROICA VIRTVTE CLARISSIMO,

ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS
VLRICVS D. G. DVX MEGAPOLENSIS, PRINCEPS VANDALORVM &c. GRATISSIMAM IN MAJORES PIETATEM TESTATVS SVAM MEMORIÆ POSVIT.

HOc tua nobilitas, toties spectataque virtus
Promeruit, cippus ne rudis ossa tegat.
Dux VLRICE tibi data stirps est, linea summa est
Te tulit extremum Stargaris alta DVCEM.
Te genus, & proavus decorant, de stemmata gentis
Tollunt, tu factis nobile nomen habes.
Vicini sensere virum sensere cohortes,
Victricesque tuas extimuere manus.
Nonne hac ad tumulum vagina conditus olim,
Principis VLRICI fatifer ensis erat?
Hoc fido accinctus gladio sæpe hostica castra
Sæpe duces fudit, Marchia terra, tuos.
Hic Solymæ MAGNO comitatus principe templa
Vidit, tum Sinai saxa stupenda jugi.
At postquam varios habuit sub Marte labores,
Vrget grandævum serior atque dies,
Error inest rebus: sic non sibi mixta veneno,
Ignarus sceleris, pocula forte bibit.
Et cum supremum sentiret adesse laborem,
Hos cœlum intuitus protulit ore sonos:
O quantum belli, quantus cum sanguine sudor
Quatuor obque asses, vile toralque Deus?
Verum ille ut merito posthac in honore jaceret.
Principis VLRICI hoc nobile fecit opus.
Vivit perpetuo, mortisque est nescia virtus,
Si bene promeritos præmia digna manent.

Sic post defunctum VLRICVM & HENRICVM patrem MAGNVS regni hæres & successor Ducatibus Vandaliæ, & Stargardiæ, ditioni Megapolitanæ adjunctis, & præfecturis ab ære alieno, quo a patre valde oneratæ erant liberatis, ad insignia Ducatus Megapolensis, ab ALBERTO abavo primum aucta exertum, annuloque, & fascia decorum conspicuumque brachium adjecit, comitatus Suerinensis signo in clypei medio reposito, qua forma in hodiernum usque diem successores, utuntur.

DIXI, quod potui, de ducatu Megapolitano, quomodo in plures dominorum administrationes divisus; & succisivis temporibus in unum iterum quasi corpus, quod salvum adhuc Dei benignitate floret & incolume, coaluerit.

Nunc ad alteram institutæ narrationis partem venio: in qua contexenda, multa occurrunt, quæ animum meum neque leviter, neque uniusmodi perturbant, quid enim dicam, non dictum prius in tanto ἐπικηδίων θρήνων numero? quid in laudum varietate ac magnitudine celeberrimarum copia? taceo ingenii mei, quod dixi initio, tenuitatem: prætereo ex genere orationis meæ arido, & jejuno, cum verborum inopiam, tum, ut cum Isocrate loquar πρὸς τὰς τῶν ὑπερεβηκώτων ἀρετὰς ἀχ περμόττοντας λόγους: fateor metum, ne obscurasse potius, quam illustrasse tanti Herois laudes, me ipso judice, videbor. Contra tamen, siquidem dicendum est, ex causis ante expositis, animum addunt, & fiduciam augent, quod ipsa virtus precium sibi, sibimet pulcherrima merces: nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis: quod sunt, esse ipse, vitæ superstes princeps noster illustrissimus, οἱ τρόπον τινὰ μισθὸν τὸν αἰνέτας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν. Et de veri favoris gloriam petente, animo laudari magis, quam voce volet, inquit in Thyeste Seneca.

Quare satis mihi sit, non quæ debeam, sed quæ possim, dicere, siquidem in rebus magnis & voluisse satis.

i.e funebr. que cantum.

i.e. in p. ad eor. alios fu runt ne verba. Claudi

b. e. q datore mium quoda oderun rip. in

De

De Amphiarao summo augure, & quem Adrastus Argivorum rex apud Pindarum oculum sui exercitus nominat, Æschylus in tragœdia, summis cum laudibus volens extollere, ὃ δοκεῖν, i. e. non vult videri, sed esse optimus *inquit, ἄριστος, ἀλλὰ εἶναι θέλει, qui versus cum in scena pronunciaretur, Athenienses omnes in unum Aristitem, tum præsentem oculos conjeciisse scribuntur; ut, qui ex tanta hominum frequentia solus dignus esset, cui laus ista merito tribueretur. Scenam illam, hanc stationem esse fingamus: in eaque illustrissimum nostrum principem, alterum nominatorum animis nostris concipiamus, & acclamantem illi quemcunque id ipsum elogium: Vdalricus Dux Megapolensis, non videri, aut haberi, sed esse optimus voluit. Ecquid ille parum illust. principem laudasse existimabitur? parum, quis inquiet, quia bonum esse pervagatum, vulgare, commune, humile quiddam sit, & infimæ quoque sortis hominum. Audio at magnus bonos Pholcioni Athenienſi habitus, quod ob frugalitatem* i. e. principem bonum a patre bono non differre. *χρηστὸς dictus & ἄχοντα ἀγαθὸν πατρὸς ἀγαθῷ ὃ πλαφέρειν, dixit Xenophon. Vir bonus innumerabilibus officiis, & laudibus continetur, Cicero. Mitto hæc, quia prophana, at bonum dixit Dominum, & Deum Israel vates regius: nullum bonum, nisi unum Deum, Christus ipse. Non igitur exiguam laudem quis existimabit, de principe nostro illust. dicere eum aut esse, aut fuisse bonum; sed fontem potius ceterarum laudum omnium; imo omnes alias, quæ in hominem laudatissimum possunt cadere, hac una voce contineri statuamus, quæ sunt, sapientia, justitia, clementia, animi magnitudo, moderatio, pacis disciplinæque studium: erga omnes omnium ordinum homines φιλοστοργία, in artibus liberalibus instaurandis excitandisque cura & industria digna principe, in maximis veræ pietatis, & religionis sinceræ amor ac studium; quo pura Evangelii doctrina ab omnibus corruptelis (quæ hujus seculi proh dolor & multæ sunt, & ceu pestilentissima lues in dies longius serpunt, ac pene universum terrarum orbem occupatum, præsentissimi veneni instar, inficiunt) defecata in templis scholisque docetur, & ad omnem posteritatem sarta tecta ut conservetur filius Dei orandus, eas universas & singulas in illust. p. n. quia bonum appellavi, esse necesse est; & fuisse, non modo in toto vitæ suæ curriculo; sed postremo etiam prope articulo, ita probavit nobis omnibus, ut, qui secus de illo aut sentiat, aut judicet, improbus sit, & nefarius.*

Singularum autem virtutum dignitatem & amplitudinem Rhetorum more illustrare, neque instituti mei, neque ingenii esse, quid attinet toties dicere: etsi esset, quid, cum præclare præstitum sit a pluribus, aliud, nisi actum agerem? & aut ταῦτα περὶ ταὐτῶν, aut τὰ κοινὰ καινῶς? ut Hippias apud Socratem disputat: quorum hoc ambitiosi puto, illud ineptientis. Principem sive bonum, sive optimum dixi: Si ex innumeris majoribus sui nulli laudatissimorum virtute secundum, vel in sola Episcopæ administratione, cui annos totos 53. nullo ex antecessoribus, tanto diuturnitatis exemplo, præfuit, fuisse stricte docuero, mihi, forte etiam lecturi expectatione satis facere.

Cœnobium Dobberanum a Pribislao fundatum meminimus antea: aliud Virginum Solis Campum a Burevino Pribislai filio, nec dissimilia illis Rhenæ a Ioanne Theologo, ab Henrico Leone Megapolensi Ribnicii. Collegium Gustroviense Ioannis Theologi sive avus Burevinus, sive pater Burevinus (numeri enim annorum apud scriptores discrepant) condidit; eique aureorum quadraginta millia de patrimonio suo attribuisse scribitur, ad D. Iacobum, non sine gravibus seditiosorum civium tumultibus, & quorundam ex doctoribus cæde, sui quoque corporis, suorumque periculo Magnus, nostri prin. ill. avus fundavit. Præclara profecto omnium, quos nominavi, & grata posteritatis recordatione memoranda facta: & haud dubie instituta initio ut essent pietatis, ac literarum, & gravioris disciplinæ gymnasia, sed quia paulatim sacrificorum cœperunt esse conventicula, crevit ibidem cum idolatria superstitio, & ambitio, quibus litteræ, rectioribus studiis deletis, conciderunt: & antiquata doctrina Evangelii, nervus Dei cultus sanctorum cessit idolomaniis: & disciplinæ severitas in inanem veteris consuetudinis umbram exolevit: & aucti cumulatique ex aliorum stipe collatitia reditus, non ad illustrandam Dei gloriam usurpati, sed ad hominum ignavorum voluptates, luxum & libidines stabiliendas profusi sunt. Quanto nostri principis illustriora sunt, & perennibus digniora laudibus, qui acceptæ a majoribus sinceræ religionis fovendæ conservadæque constantia, aliisque decoribus, longe anteferendus superioribus, quod, ecclesiis scholisque suis bene honesteque constitutis, cum Episcopatus reditus, tum provinciæ totius proventus sic proprios existimabat, ut Christo archiepiscopo suos non detraheret: sic iis fruebatur, ut ille non egeret: sic augebat, ut, ceu ex pleno fonte largissimi rivuli in prata hortulosque sacros cultissimos derivati, colonos eorum, Archiepiscopi nempe, suæque Celsitudinis vicarios, neque fame tabescere, neque siti emori pateretur.

Vrbes oppidaque bellis intestinis vastatas, a plerisque eorum, quos principis nostri majores nominavi, instauratas, Rostochium inprimis ornasse ædificiis, donasse immunitatibus ac privilegiis, diximus. Sit ita: singularis magistratui in subditos amoris ac benevolentiæ sint indicia; animi excelsi, divitias, aliaque humana despicientis notæ; magnificentiæ, & munificentiæ in Remp. capessentibus gloriosæ testimonia: sed ut neque ex domo dignitas tota quærenda, neque dominus domo, sed domus domino cohonestanda est; sic privilegia, non uni civitati danda esse, sapientes existimant, quæ aut ceterarum imminuant commoda, augeant difficultates; aut ad immoderatam libertatem, infinitamque licentiam quasi viam sternunt, aut fenestram patefaciunt, quæ ad ipsorum sæpe conferentium dominorum, posterorumve redundant calamitatem atque perniciem. Rectius noster, sapientiusque, qui, quod cum Ioanne Alberto fratre, jus & æquitatem civitatum

tatum vincula esse non ignorabat; conjuncto, deinde etiam privato consilio constitutis, & recensitis judiciis ecclesiasticis & politicis, justitiæ æquitatisque administrationem communem & æquabilem toti esse patriæ voluit; & quod, qui secus faciunt, non totum Reip. corpus curare; sed partem aliquam tueri, reliquos deserere, civiumque commoda non defendere, sed divellere intelligebat, cunctis consuli, omnes æquitate eadem contineri: Quam autem in ædificiis vel extruendis novis, vel reconcinnandis ruinosis curam, prudentiam, solertiamque adhibuerit, in confesso est; illum, ut in certis rebus, ad usum cultumque vitæ, ad honestatem & decorum pertinentibus; sic in his ad auream illam mediocritatem ita se composuisse, ut nec sumptibus modum excederet aula invidenda; nec in reprehensionem avaritiæ incurreret tecti obsoleti sordibus, quin potius, si quis, quæ ipse reliquit ædificiorum monumenta, cum majorum fabricis elegantia, splendore, artificio, magnificentia conferat, nostri Basilicas & palatia, illorum tuguria & gurgustia dixerit.

In Asiam militatum abiit cum Henrico Leone, Duce Saxoniæ Pribislaus: in Livoniam Ioannes Theologus: in Syriam filius Henricus, Hierosolymitanus inde dictus: Leo Megapolitanus in Boemiam: Magnus, principis nostri avus, cum fratre Balthasare, & Vlrico, ultimo Stargardiæ Domino; vel ad arcendos a finibus Christiani orbis hostes barbaros; vel ad propagandam Dei, cultibus idolatricis abolitis, gloriam; vel devotionis superstitiosæ gratia; locis, fateor, a patria remotissimis, itineribus longinquis, sæpe etiam vel dubia Martis conditione periculosis, vel latrunculorum excursionibus non satis tutis: Verum omnes illi Catholicæ sedis, ad augendam stabiliendamque regni pontificii potentiam, reverentia; aut meriti alicujus proprii ad salu-
Curtius lib. 4. tem, sive ex singularis Dei cultus opinione, sive ex superstitione, quæ multitudinem efficacius, quam ulla res alia cogit, fiducia: ideoque successibus dissimilibus, infelicibus plurimum; ad utilitatem patriæ, & subditorum salutem parum, quorum cura & studium in nostro principe togato, domique mandatos acceptosque Deo cultus præstante, tanto laude digniora putanda, quanto verbum Dei humanis præstat traditionibus; & senator prudens forti bellato-
Ovid. 13. Met. re; aut ratem qui temperat, anteit remigis officium: siquidem hi corpore prosunt, illi animo: nec si viribus, aut velocitatibus, aut celeritate membrorum magnæres geruntur, ut consilio, & authoritate, & sententia; quibus sæpe aut suscepta bella sunt, aut confecta: parva enim foris arma sunt, nisi consilium est domi: & σοφὸν αὐξύλογμα τὰς πολλὰς χέρας νικᾷ.
Consilium sapienter initum multas manus vincit. Eurip. apud Stol. Cic. pro Cecinna. Ideoque jure decertare, armis non contendere, hominis judicatur considerati.

Nec tamen, ubi necesse fuit, in armis aut sumendis principi nostro animus defuit, aut in tractandis scientia, quod ad partem gubernationis patriæ accessurus declaravit, quando, militem ex Henrici Ducis Brunsuicensis copiis conscripto, & castris ad Boyzenburgum positis, Joannem Albertum fratrem de ditione secum communicanda, & familia herciscunda frustra sollicitatum coëgit, ut relictum a patre & patruo ducatum ex æquo divideret, quo impetrato, toto deinceps gubernationis tempore non ipse modo pacem constanter coluit; sed ad eandem tuendam aliis quoque hortator semper fuit: haud dubie Henrici patrui exemplo, cujus, ut in aliis, etiam æconomiam spectantibus, ita in pacis concordiæque summo studio æmulus, & imitator sedulus fuit, ac felix. Nam & ille, 27. annorum juvenis alacris, & ardore mentis ad gloriam flagrans a Magni patris morte, & gubernationis, cum Balthasare patruo, tertio bellum levissima, ut fit plerumque, occasione excitatum cum Lubecensibus biennium integrum gerit; sed tandem, post data factaque utrimque damna neque pauca, neque exigua, & inducias pactas totum consopitum est. In quo tyrocinio non modo pacem rerum quas homini novisse datum, optimam, & unam innumeris triumphis potiorem didicit; sed hunc quoque fructum sibi subditisque suis maximum & saluberrimum cepit, ut in quinquagesimum fere gubernationis, ætatis septuagesimum secundum annum patriæ, magno cum pacis ac tranquillitatis studio, & ad eandem a vicinis, aliisque tuendam assiduo hortatus sic præesset, ut εἰρηνοποιὸς pacifici cognomen inde cum grata posteritatis memoria laudeque deportaverit: rogatusque aliquando, quæ ditionis suæ ad hostes arcendos castella, & propugnacula haberet munitiora: septem, respondisse feratur, turres; Lubecam, tot turribus insignem, hoc est, amicitiam, quam cum senatu, civibusque illius arctissimam coleret, intelligens. In Rostochiensium autem tumultibus, Vlricus noster Joanni Alberto fratri socius, Marte & arte comprimendis, qualem se præbuerit, quia in recenti adhuc multorum sunt memoria, non libet dicere, unum præter: hanc ejus in re militari cum animi magnitudinem, tum prudentiam ita imperatori Rom. ceterisque imperii principibus probatam, ut communi omnium ordinum consilio, & consensu animi, in Circi Saxonici Ducem, etiam grandævus deligeretur, quam ipse datam acceptamque militiæ provinciam ad redditum usque naturæ spiritum ita administravit, ut eam sine ulla existimationis, & authoritatis diminutione vigilanter tueretur, & salutariter.

Ad Albertum venio, ejusque fratrem Joannem Henrici Leonis filios. Hi titulo ducali insigniti, magna quidem cum terrarum, tum dignitatis accessione hæreditatem paternam auxerunt; & ante ipsos Henricus pater, ad dominium Megapolense adjecta Stargardia: at non majore illi in acquirendo amplificandoque quam hic noster in conservando, ornandoque studio quorum illud fortunæ, hoc virtutis putatur: & ut manus nostræ expeditius quid rapiunt, quam re- Curt. 4.
tinent; sic facilius est quædam vincere, quam tueri: illud viribus paratur, hoc ratione: Multa etiam in regno amplificando insolenter, quædam vafre, pleraque tyrannice fiunt. Sic Albertus, Praga a Carolo IV. imp. reversus; seque dignitate auctus superiorem gerens, a Comitibus Suerini feudi Dominus contra jus fasque recognosci voluisse: cumque persuadendo parum efficeret, armis

armis rem aggressus, comitatus parte violenter primum illos exuisse; deinde ad se suosque totum fraudulenter, transtulisse scribitur. Cismarinum quoque Rugiæ ducatum (cujus cum ecclesiastica jurisdictione directum quoque feudi illius dominium Episcopi Suerinenses ex majorum donationibus habere se contendebant: quodque viribus impares Pomeraniæ principibus essent, Megapolitanis Ducibus, Henrico Leoni, & Alberto post filio, ejusque agnatis Ioanni, ac Hennigo Herulis, contuleram) Henricus Leo primus invasit; &, Barda, Grimma, ac Lossitio occupatis, vicinarumque, civitatum prædiis, civibusque spoliatis, progressus est ulterius; rapinisque & pecuniæ exactionibus, quibus agricolas incendia redimere cogebat, passim grassatus fuit crudelius. Albertus filius, instabili ampliandi regni libidine bellum patris obitu interruptum redintegravit: sed a Barnimo, Duce Stetinensi, adolescente magnanimo profligatus, & Grimma Bardaque magnis laboribus rursus ejectus est: quo finis bello, fere tricennali, de continentis Rugiæ imperio, inter vicinos Pomeraniæ, & Megapolenses principes gesto impositus est.

Quanto sapientius noster princeps, qui justi rectique tenax, & hæreditario regno contentus, neque insidiose, aut fallaciter, neque ambitiose, aut avare hæreditarium imperium augere voluit; quod per fraudem & dolum regna everti, non parari didicerat: sua, aliena appetendo, amitti sciebat; & parta simul sperata decora unius horæ momento fortunam tollere non ignorabat.

Henricus etiam Leo, nil nisi arma, quorum tamen non pauca juste capiebat, spirans, & fortunæ suæ nimium fidens, suorum maxime purpuratorum suasu, forte etiam ærarii, tot bellis exhausti inopia motus, nullo majorum suorum exemplo omnibus suis subditis conferendorum tributorum onus imposuit, ecclesiasticis in maximis, quo facto non suos modo, sed & finitimos, eos maxime, qui gloriæ ejus invidebant sic offendit, ut bellum inde intestinum omnium gravissimum ortum sit, confœderatis cum Hermanno Episcopo Suerinensi Christophoro Daniæ rege, Ioanne de Werle domino, Wartislao Stetini, Witzlao Rugiæ principibus contra Leonem, qui licet victor prælio, & secundum fortunæ suæ cursum urgens, ad petendam pacem omnes illos coëgit: tamen ferro atque igne utrimque sævitum est crudelissime: nec oppidani minus, quam agrorum coloni ingenti clade affecti. Itaque exemplo sibi suisque exitioso, documento fuit posteris, reges atque principes, pecuniis acerbius, præsertim sub prætextu boni publici conquirendis, plus invidiæ sibi, quam virium addere: Et atrum sordidumque aurum omne putandum esse, quod ex lacrimis congereretur: quod ab Apollonio Tyaneo Vespasianum Imp. monitum esse apud Philostratum legitur.

Nihil simile de nostro auditum, aut cognitum, ut qui patriæ amantissimus esset, & pacis atque tranquillitatis publicæ studiosissimus: ad impediendа, quam imponenda; ad liberanda, quam exigenda; ad moderanda quam exasperanda tributa semper pronior, non enim temporum solum difficultates subinde crescentes cogitabat; sed & subditorum ex illis inopiæ condolebat: & exactionibus acerbioribus plus invidiæ, quam virium magistratibus addi sciebat, & si quando necessitati parendum erat, cum Tiberio Imperatore tondendum rectius, quam deglubendum pecus; cum Alexandro, bortulanum, qui ab radice olera exscinderet, odio dignum judicabat: & sic incidendas pennas, ut renasci possent. In ecclesiasticos autem omnes, Episcopæ subjectos in primis, ita humaniter affectus erat, ut, ceteris totius ducatus in agris urbibusque onera extraordinaria, inque his, quas accisas nominamus, (de illis enim, quæ in bellum Vngaricum conferuntur, non loquor) ferentibus, illi Episcopi sui beneficio liberi essent & immunes.

Quin & hanc suæ continentiæ in Episcopam, & administratores successores beneficentiæ laudem memoria dignam posteris reliquit, quod cum, ut paulo ante meminimus, propter ecclesiasticam jurisdictionem, & dominium directum Episcopus Suerinensis ex quatuor Pomeraniæ villis seu pagis decimas quotannis ad hæc nostra usque tempora perciperet: offensionum autem multarum & gravium ansam inter utriusque ditionis principes illæ præberent, tollendas illust. princeps noster sapienter judicavit, ideoque anno post millesimum quingentesimum nonagesimo primo, communicato cum Capitulo consilio, feudum illud Pomeraniæ Ducib. pro 27000. florenis vendidit quidem; sed in usurpanda non contemnenda pecuniæ summa, tanta fuit integritate, ne religione dicam, tanta abstinentia, ut siquidem ad mensam (quemadmodum Annales loquuntur) episcopalem pertinebat, jure aliquo suo, ad usus suos transferre potuisset, quod a plerisque antecessoribus suis in minore pecunia cum gravi redituum jactura factitatum, historiarum series testatur; magno tamen ille animo contemneret, & ad ampliandos Episcopæ proventus partim in vicinorum prædiorum emptionem conferret; partim in eosdem, aut similes usus servandos recondi curaret. O præclaram magis rem, quam difficilem, abstinentem esse: O regiam vitam, non modo homini, sed ne cupiditati servire: omnes etiam avari argentique libidines contemnere. O avaritiam, qua nullum, præsertim in principibus, & Remp. gubernantibus vitium tetrius: nihil sceleratum & nefarium magis, quam quæstui habere Remp. *Cic. ad Q. fra. pro Sylla 2. off.*

Mitto Ioannem, Alberti ex Henrico, ut alii ex Magno filio nepotem: qui ex fundatione Academiæ patriæ dignam facto suo laudem adeptus, & ad omnem posteritatem gratam ejus, cum recordatione jucundissima memoriam transmisit, nec minorem princeps noster cum Ioanne Alberto fratre; qui eandem, temporum injuria labantem, consilio maturo denuo erexerunt: & annuis sumptibus munifice locupletatam, cum docentium numero, tum disciplinarum omnis generis bonitate ita evexerunt, ut nulli Germaniæ fama cedat, & gloria.

Prætereo Henricum, fundatoris Academiæ filium, ex corpore obesiore Crassum cognominatum,

tum, principis noſtri proavum, multæ hilaritatis virum: inque ſuos omnes caritate, in finitimos liberalitate tanta, ut in utroque modum atque æquum excederet: cum his genialiter vivendo, cum illis ad quamcunque fere licentiam obſecundando. Ex quo juſtitiam paucos colere, & pro libidine plerosque multa impune facere contigit; ipſum æs alienum contrahere, & bonam ditionis partem oppignorare fœneratoribus. Ideoque Magnum filium, rebus jam adminiſtrandis præfectum publicis, per jocum aliquando dixiſſe Marſcalcus ſcribit, nimium vere ſe expertum, patrem ſibi vigilantem magis, quam dormientem obfuiſſe. Quid tale noſter? qui, ut in ſuperioribus, ſic & in his mediocritatem ἀσφαλεστέραν tutiorem τὸ δὲ πάνυ λαμπρὸν ἐσκ ἀκίνδυνον nimium ſplendorem periculo non carere cenſens; ſubditos ita caros habebat, ut & imperium in eos haberet authoritate, & adimperata non difficiles benevolentia. Et quia ταμεῖον τῆς ἀρετῆς σωφροσύντω penu virtutis temperantiam, & laudem non ex profuſione, ſed frugalitate quærere decorum judicabat, menſas ſybariticas, & dapes ſaliares oderat: domum autem illuſtrium hominum hoſpitibus illuſtribus patere, rectum ſtatuens, ἀξένος raro, ſæpe etiam πολύξενος erat; inque illos, cum honeſtas poſtulabat, etiam magnificus & ſplendidus ex quo non officioſæ ſolum liberalitatis commentationem apud ſummos viros habebat, ſed & providæ prudentiæ de ſe opinionem concitabat: qua benignitatem a largitione, beneficentiam a prodigalitate noſſet ſejungere: & cum pro dignitate, tum pro facultate cuique tribuere. Idque dum intelligentes agit & ſobrie; non ut illi, uſurariorum augere commoda, ſua minuere, neceſſe fuit; non ſe, non amicos ære alieno obſtringere: ſed, quod & ipſi ad ſplendorem regium tuendum ſatis eſſet, habuit; & hæredibus, quibus cum voluptate fruerentur, cumulate repoſita reliquit.

Apollodorus comicus.

Author incertus:

In MAGNO, Craſſi filio, principis noſtri avo, præter alias virtutes Heroë magnifico dignas, & eximiam erga doctrinarum ſtudia reverentiam, quibus omnibus noſter non inferior, commendatur, quod Vandaliæ & Stargardiæ agnatis, absque hærede ſublatis omnibus, ipſe familiam Megapolitanam, ad pauciſſimos redactam pæne ab interitu revocaverit; & tribus filiis, Henrico, Erico, Alberto, & filiabus quatuor, Sophia, Anna, Dorothea, † Catharina, ex Sophia Erici II. Pomeraniæ Ducis F. Bugislai X. ſorore procreatis, feliciter propagaverit: &, junctis cum Saxoniæ Ducibus Ioanne, poſt Friderici fratris obitum, Electore, Erneſti, & Henrico, Alberti F. F. Guilelmo Haſſiæ Landgravio affinitatibus (ex quibus Ioannes Fridericus Elector, a Carolo V. captus, & in cuſtodia confeſſor Chriſti conſtantiſſimus; Mauricius & Auguſtus fratres Electores, Philippus, Smalcaldici fœderis Dux nati) ampliſſimam & celeberrimam reddidit, in quorum priore principem noſtrum avo inferiorem fuiſſe libenter fatemur, σὺλοι γὰρ οἰκων παῖδες ἄρσενες, & ſummæ illi beatitudinis pars magna, in illuſtribus præſertim familiis ὀδυνηρὸν contra αὐτυχέντα τῷ βίῳ ἔχειν ἔρημον διαδόχε τὴν οἰκιαν. Verum quod illi neque arbitrii, neque voti noſtri ſunt; ſed unius Dei reconditæ providentiæ, & non ſollicite inquirendi conſilii; humanaque ad ſummam, & omnibus numeris abſolutam felicitatem, aut nunquam, aut rariſſime perveniant; rerum omnium diſpenſator optimus & ſapientiſſimus, Deus, hunc principis noſtri defectum in unica SOPHIA filia ita correxit, ut in poſteriore avum non æquaſſe, ſed ſuperaſſe, neque dubium ſit, neque obſcurum. Siquidem potentiſſimo Friderico II. Daniæ regi nupta, ex fœcundiſſimo conjugio totidem filiorum ac filiarum mater 1574 eſt, & numerum ſobolis, marito vitæ ſuperſtite, forte auxiſſet, affinitatibus certe pluribus generorum potentia, regnorum amplitudine, ac dignitatum ſplendore auguſtioribus ipſa ſuperior, Magnum proavum longiſſime ab Vlrico patre; principe noſtro, poſt ſe reliquit, (α) Anna filia Iacobo VI. Scotiæ & Britanniæ regi, (β) Eliſabetha Henrico Iulio Brunſuicenſi, (γ) Auguſta Ioanni Holſatiæ Ducibus (δ) Hedwige Chriſtiano Electori Saxoniæ junctis, neque hoc ſolum, etſi magnum eſt; ſed & divina illa, quam Propheta regius celebrat, & ſolis Dei timentibus fruendam promittit, benedictione noſter ſuperior, videre prolis longa ſtipe propaginem. Etſi enim Sophia & Anna, ab ipſo Magno patre connubio junctæ ſunt, hæc, ut diximus, Guilelmo Landgravio, 1500; illa Ioanni Saxoni, vel eodem, vel præcedenti, 1499. tamen, quod tertio quartove a nuptiis anno reb. humanis Magnus exemptus eſt, ſolum Ioannem Frider. cum, qui eodem, ultimo Iunii, undecimo poſt partum die, matre extincta, natus, nepotem vidit, aut vix etiam vidit: Philippo Landgravio ex Anna matre 1504. idibus Novemb. in lucem primum edito: & Catharina ab Henrico fratre, patre pridem defuncto, Henrico Saxoni 1512. in matrimonium tradita. Noſtrum contra in Deum pietas eo ætatis provexit, & felicitatis, ut non παῖδας παίδων modo; ſed & παίδων παῖδας nepotes ac neptes avus, proavusque lætus & florens cerneret.

(α) 1589. Auguſti. (β) 1590. pril. (γ) 1596. Aug. (δ) 1602. Septem.

1503. 22. vemb.

1512.

† Innupta, cœnobii Ribnicenſis abbatiſſa.

Quid de ætate dicam longæva? cum Magnus ſuſceptam regni paterni adminiſtrationem anno viceſimo ſeptimo depoſuerit; hic noſter, nullo anteceſſorum exemplo totos 53. Epiſcopæ præfuit, ducatus gubernatione ſolus ex majoribus Henrici patrui annos æquavit, novem ſcilicet & quadraginta. Nam & ille; Magno patre mortuo, ad Reip. gubernacula acceſſit 1503. & eadem patruelibus Ioanni Alberto, & Vlrico tenenda conceſſit 1552. ſed & hunc ipſum ævitate vicit Noſter annis 4. ſiquidem patruus ætatis 72. Noſter 76. debitum naturæ ſpiritum eidem reddidit. Et quoniam de longævitate ſermo eſt, nec hoc prætereundum cenſui, a ſcriptoribus de Vitis Cæſarum, aliorumque clariſſimorum virorum etiam annos ætatis diligenter obſervatos annotatosque eſſe, & in laudibus eorum, non poſtremam vitæ diuturnioris prorogationem. Exemplum de innumeris ſit Auguſtus Cæſar, quem θεσπὸν Munatii Planci ſententia, ſenatus populi Rom. maximo omnium conſenſu patrem

1477. 1503.

In Aug. c. 7. 8. 100.

patrem patriæ appellatum, Tranquillus annos vitæ 76. integros explevisse scribit, minus quinque & triginta diebus: qua felicitate nostrum quoque principem cum tanto imperatore quasi certasse, & quatuor saltem dierum intervallo ab eo superatum, memoria, opinione mea, dignum censeo. Natus enim anno 27. supra millesimum & quingentesimum, 22. April. esse in his terris desiit, 1603. 14. Martii. Quid? in ipsis etiam Magni & Vlrici nominibus fata lusisse, & inter se de eminentia quasi concertasse mihi videntur. Magnum re & nomine vere magnum diximus: quid Vlricum seu Hultreich? qui summorum infirmorumque favore, gratia, amore, obsequioque fuit florentissimus vivus; & ex similitudine mutuæ στοργῆς triste sui desiderium toti patriæ reliquit mortuus.

Sed ne, quem ipse mihi initio orationis constitui, modum transgrediar; finem dicendi facio: & si quis sensus rerum humanarum est beatis apud superos manibus, hoc tuo princeps illustriss. VLRICE, Domine clementissime, inter ipsos, quibus aggregatus jam vivis Heroas tui superiorumque seculorum clarissimos, tam excellenti bono gaude: & qua majores tuos superasti, ex virtutibus pluribus & summis æternum fruere cum fama, tum gloria. Nos, qui Celsitudinis Tuæ prope divina clementia, beneficiisque innumeris hactenus salvi fuimus animis tranquillioribus; & nunc, tanto orbati ornamento atque præsidio extrema per omnia spiritum ducimus sensibus perturbationibus, quam diu de statione vitæ imperatoris injussu decedere non licuerit Celsitudinis T. non modo semper bonos, nomen laudesque manebunt: Sed nec nostro ejus labetur pectore vultus; & quoties aut de inclytis ejus virtutibus, aut maximis in Ecclesias, Remp. & universam patriam meritis cogitabimus; toties illi quæ summa, vel sola bona dicimus, vitam immortalem, & cum interminata sapientiæ, justitiæ ac lætitiæ luce beatissimam, cetera quæ cœlica sincera gaudia, siquidem in eorum hæreditatem ac possessionem a supremo statim spiritu pervenit non sic precabimur ut cum illa, tum jucundissimam, post tot annorum in durissima provincia administranda vigilias, curas, sollicitudines, molestias superatas, ἀυθημίαν, gratis animis, & voce plena gratulabimur.

Et quia μάλιστά πως ὑπὲρ πλαίσμασιν ἐθέλει μεγάλοις περιφαιρεῖσθαι ἡγεμόνα ὁ δαίμων, propter delicta magna præripi vult principem Deus, ut est apud Pausaniam; & omnium seculorum tristissima exempla luce meridiana clarius testantur, meliora quidem sperabimus, sed & Deum opt. max. pacis ac tranquillitatis publicæ authorem, & omnis boni fontem ardentibus votis, ac suspiriis assiduis orabimus; ut propter seipsum ad nominis sui memoriam, & gloriam in his terris propagandam, illustriss. principem ac Dominum, D. Carolum, gravissimum susceptæ gubernationis onus gerentem gratia sua foveat, ac spiritu suo sancto regat eique ad tantam rerum molem alacriter, & salutariter sustinendam animum viresque suppeditet: illustriss. Holsatiæ principem VLRI-

CVM in diœceseos Suerinensis administratione successorem eodem spiritu in vera sui agnitione, & verbi sinceri confessione constantem conservet: ejusque consilia & actiones omnes ad sapientissimi piissimique antecessoris, avi desideratissimi exemplum ita regat, ut non studiorum modo imitatorem, sed ex dignitate quoque ceterisque ornamentis decoris ac gloriæ æmulum cognoscamus: principes impuberes, ducatus Megapol. florem & imperii firmamentum salvos incolumesque tueatur; utque in virtutis, doctrinarum, laudisque studiis pariter cum ætate crescant, clementer largiatur: universum denique domus Megapolitanæ corpus, & singula ejus membra, patrocinio præsidioque suo adversus omnes, quæ publicis privatisque commodis ac fortunis imminere metuuntur, procellas ac tempestates nosque omnes ita tueatur, & protegat, ut in suo quisque officio ac munere grata Deo, Reip. utilia, sibi suisque jucunda, quam minimo faciat fastidio, ac molestia.

de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

ALBERTVM I. HENRICI LEONIS MEGAPOLITANI F. CVM JOANNE FRATRE DVCIS TITVLVM FAMILIÆ SEV DOMVI SUÆ SVB CAROLO IV. RO. IMPERATORE, BOJORVM REGE, A. 1348. 8. JVL. INTVLISSE, SVPRA MEMINIMVS. FORMVLA INAVGVRATIONIS A MAGNO ILLO CHYTRÆO MIHI OLIM COMMVNICATA, HÆC FVIT.

Diploma Caroli IV. de a. 1348.

CAROLVS Dei gratia Rom. Imperator semper augustus, & Boëmiæ Rex. Ad perpetuam rei memoriam Augustalis potentiæ monarcha, cujus ex omnipotentis Dei mirifica bonitate, quamvis insufficientibus meritis, regimini præsidemus, ad hoc nostrum animum sollicitudine quotidiana fatigat, ut circa ea, quæ sacrosancti Rom. Imperii decus, dignitatem, & gloriam felicibus incrementis amplificant, indefessis laboribus, & assiduitate continua meditemur, quod quidem tum credimus efficaciter impleri, cum illustrium principum, a quibus pacis ubertas progreditur, fluit gratia, justitia roboratur, & statum, & numerum feliciter adaugemus. Sane nobilium Alberti & Joannis fratrum de Magnopoli fidelium nostrorum merita probitatis, & præclare devotionis insignia, quibus ipsi, & felicis memoriæ progenitores eorum nos, & sacrum Rom. imperium sunt dignis honoribus venerati, claræ nostræ mentis intuitu limpidius intuentes; nec non propter specialem dilectionis adfectum, ac intimæ supplicationis instantiam illustris RVDOLPHI Ducis Saxoniæ, sacri Rom. imperii Archimarschalci, avunculi & principis nostri charissimi, de ipsius, & aliorum tam principum electorum, quam ceterorum principum, ac etiam nobilium Vasallorum Imperii consilio, verbo, voluntate, & expresso consensu prædictos ALBERTVM, & JOANNEM fratres de Magnopoli, nostros & Imperii fideles, &

hæredes ipsorum illustravimus, & illustramus: hodie in Dei nomine in veros principes, & Duces Megapolenses ereximus, & decoravimus, decoramus & erigimus perpetuo de plenitudine regiæ potestatis: volentes expresse, quod supradicti ALBERTVS & JOANNES, ac hæredes ipsorum, Duces Megapolenses ex nunc, ut antea, omni dignitate, nobilitate, jure, potentia, libertate, honore, & consuetudine, quibus alii sacri Rom. imperii principes, & nominatim Duces, jure & gratia freti sunt, gaudere debeant, & potiri.

Et quia illustris RVDOLPHVS Dux Saxoniæ supradictus avunculus, & princeps noster dilectus suo, hæredum, & successorum suorum nomine atque vice, animo deliberato & de bona voluntate, nobis, & ad manus nostras omnia jura sibi, & prædictis hæredibus & successoribus suis in terris prædictorum illustrium ALBERTI & JOANNIS Ducum Megapol. titulo feudi, aut alia quavis ratione competentia voluntarie resignavit, & supra dictos illustres ALBERTVM & JOANNEM, Duces Megapolenses nostros, & Rom. Imperii principes, heredes ac successores ipsorum libertavit, liberosque dimisit de omni respectu, quem titulo feudi, vel alia conditione ad ipsum, hæredes, & successores suos habere debebant, vel quomodolibet habere tenebantur, ipsosque ad sacrum Rom. imperium remisit, ac ostendit de bona ac libera voluntate, ipsique prædicti illustres ALBERTVS & JOANNES Duces Megapolenses nobis sinceris affectibus humiliter supplicarunt, quod ipsis de bonitate regia eadem feuda, & alia feuda, quæ ab imperio jure tenuerunt, & tenent conferre, & ipsorum dominum in principatum & ducatum sublimare & erigere gratiosius dignaremur.

Quamobrem supradictis illustribus ALBERTO & JOANNI, Ducibus Megapol. hæredibus & successoribus eorum qui hoc a sacro Rom. imperio in feudum accipere tenebuntur, dominium Megapolense, terras, & feuda prædicta, & nominatim castrum Magnopolense, subscriptas quoque civitates, & castra, Wismar, *Kotbebus*, Grevesmol, Buckow cum Buga, & quicquid in Eickhof habere noscuntur, Sternberg, *Eldenburg* cum Tura, Wesenberg, cum *Lötzza*, Barth & Damgard cum omnibus suis pertinentiis, Gnugen, & quicquid ibidem in feudum ab imperio tenent, cum omnibus terris, districtibus, metis seu gradibus, silvis, rubetis, montib. vallib. planis, pratis, aquis, pascuis, piscinis, molendinis, theloneis, Judæis, monetis, judiciis, venationum inhibitionibus quæ vulgo Wiltpenne nominantur, & pœnis inde sequentibus de consuetudine, vel de jure, feudis, feudalibus vasallis, vasallagiis, baronibus, militibus, clientibus, judicibus, schultetis, civibus, rusticis, nobilibus & plebeis, pauperibus & divitibus, cum omnibus dominiis, & liberatibus, juribus, honoribus, dignitatibus & consuetudinibus, suis in verum principatum & ducatum ereximus, & decoravimus; erigimus & decoramus; ac etiam insignimus de plenitudine regiæ potestatis ipsis hæredibusque & successoribus ipsorum Ducibus Megapolens. principatum hujusmodi cum omnibus honoribus nobilitatibus, gratiis, juribus & immunitatibus quemadmodum Ducatus vel principatus ab illustribus sacrosancti Rom. imperii principibus possidentur, vel teneri & possideri hactenus consueverunt, de bonitate regia damus, conferimus, & donamus: decernentes, quod supradicti illustres ALBERTVS & JOANNES, hæredes & successores ipsorum duces Megapolenses nominari & appellari debeant; & veluti ceteri sacri Rom. imperii duces & principes teneri & honorari, & ubique ab omnibus reputari, omnique jure & honore ac dignitate, quibus alii duces & principes sacrosancti Rom. imperii sunt in dandis seu recipiendis juribus in conferendis seu suscipiendis feudis, & in omnibus quæ ad sacri imperii Duces & in principes jure spectare noscuntur, uti, frui debeant libere, & gaudere.

Verum quia supradicti illustres ALBERTVS & JOANNES Duces Magnopol. nostri & sacri imperii Rom. principes nobis velut Rom. regi, & vero Domino suo fidelitatis, obedientiæ & subjectionis debitæ juramenta corporaliter præstiterunt, quodque in principatu ac ducatu suo pacem & justiciam omnibus & singulis procurare velint, & debeant efficaciter, & fideliter juxta posse, decrevimus, quod toto tempore successuro supradicti principes & duces, hæredes & successores ipsorum principatum & ducatum, & cetera feuda ipsorum a nobis, nec non sereniss. Imperatoribus, seu regibus nostris, & ab ipso Rom. imperio, quoties oportunum fuerit, adhibitis solennitatibus, consuetis & debitis suscipere teneantur: nobisque ac eisdem successoribus nostris in casibus præmissis, velut alii sacri imperii Duces & principes præstare & facere corporaliter fidelitatis, omagii, obedientiæ, ac subjectionis debitæ juramenta.

Præterea si a celebris memoriæ Rom. imperatoribus seu regibus prædecessoribus nostris quidquam irrationabilis, injusti, vel inconsueti super ante dictos principes nostros principatum, dominia, seu terras ipsorum indultum, donatum seu conscriptum foret, personis quibuscunque hoc tanquam juri contrarium, de regiæ potestatis plenitudine abrogamus, destruimus, & penitus abolemus, volentes quod ex hujusmodi indulto nullius valoris seu firmitatis, Supradictis illustribus ALBERTO & JOANNI, Ducibus Megapol. hæredibus & successoribus eorum in perpetuum in principatu, Ducatu, terris, vasallis, hominibus, juribus, honoribus, dignitatibus, ipsorum nullum debeat præjudicium generari.

In cujus rei testimonium præsentes fieri, & nostræ majestatis sigillo jussimus communiri: venerabilibus & illustribus Gerlaco sanctæ Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopo sacri imperii per Germaniam Archicancellario, Rudolpho Duce Saxoniæ, avunculo nostro prædicto, Ernesto Archiepiscopo Pragensi, Vlrico Curiensi Episcopo: nec non Barnim, Stetinensi Sclavo-

Gadebusch. Luptz ab Elda flumine. Löz in Pomerania.

Sclavorum & Pomeranorum; Friderico de Deck: Vladislao Teſchinenſi Ducibus & principibus noſtris: nec non Spectabilibus Rudolpho de Ochſenſtein: Craftone de Hohenloth: Vlrico de Helffenſtein comitibus: ac nobilibus Wilhelmo de Landſtein: Simone de Lichtenberg: Waltero de Gereliſeike: Jodoco de Roſenborg: Henrico & Vlrico fratribus de nova domo: Burchardo de Eelbach: Burchardo monacho de Baſilea Baronibus: & quam pluribus aliis tam ſacri imperii, quam patrimonialis regni noſtri Boëmiæ principibus & vaſallis teſtibus ad præmiſſa, Actum & datum in caſtro noſtro Pragenſi, Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octavo, indictione prima VIII. Idus Julii regnorum noſtrorum Anno ſecundo.

Et ego Nicolaus Olomricenſis, aulæ regiæ Cancellarius, vice & nomine Reverendi in Chriſto patris, Domini Gerlacis, Moguntinenſis, ſacri imperii per Germaniam Archicancellarii recognovi.

MANTISSÆ LOCO ADJICIO EPISTOLAM ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS, JOANNES ALBERTI MECHELB. AD ILLYRICVM, DE OSIANDRICA HÆRESI, PIE, DEI BENEFICIO SOPITA.

1. Corinth. 10.

Fidelis eſt Deus, qui non ſinit ſuos tentari, ſupra id, quod ferre poſſunt, imo facit una cum tentatione eventum, ut poſſint ſuſferre.

Multas Satanæ cribrationes, & horas poteſtatis tenebrarum, ejusque ignita tela, hoc brevi tempore, a viri Dei Luth. morte perpeſſi ſumus. Sed & divinæ inopinatæque liberationes conſequutæ ſunt. Quas proh dolor ne agnoſcimus quidem, nedum ut Deo ſerio gratias agamus.

JOANNES ALBERTVS DEI GRATIA DVX MEGAPOLENSIS. &c. S.

ETſi reverende, & clariſſime vir, nobis non erat dubium, quin has noſtras literas multorum Epiſtolæ, fama denique ipſa eſſet ſuperatura, tuque ex aliis, quid Dei benignitate in Pruſſia actum ſit, auditurus eſſes, tamen a nobis quoque hujus rei nuncium tibi iudicavimus perferri oportere. Nam & abſens nobiſcum lætabere, & ut ea res, atque conſenſio, quam ſcimus Eccleſiis Prutenicis gratiſſimam, & ſalutarem accidiſſe, perpetua ſit, Deum Opt. Max. ardentius nobiſcum rogabis, & qua tibi in poſterum ſcribendi ratione utendum ſit, & modeſtia, ſapienter vereque judicabis. Principio igitur cum de Eccleſiarum Pruſſiæ vaſtitate, & religionis incommodo, multi nobis, & triſtiſſima nunciarent, nec eſſet incognitum, quantum Eccleſiis, & Reip. Prutenicæ mali, ex tam pernicioſa, atque diuturna docentium diſſenſione impenderet, certe cum Eccleſiæ totius paſſim afflictæ, tum vero ejus potiſſimum, quæ nos quoque paulo propius attingebat, vicem non potuimus non dolere. Ideoque per literas huic incommodo mederi, & quoquo modo afferre medicinam conati ſumus. Poſteaquam vero totam hanc cauſam exulceratam calumniis, jamque apud bonos omneis in ſummam invidiam adductam, paucorum contumacia, & ſtudio contendendi, regi & adminiſtrari vidiſſemus, nec eſſet amplius in literis ſpes ulla reliqua, etſi rebus domeſticis impediti, ſtudio tamen concordiæ, & veritatis vindicandæ adducti, in Pruſſiam ad cognoſcendam eam controverſiam, penitusque tollendam, bona ſpe, Deoque comite profecti ſumus.

Nihil autem illic nobis antiquius fuit, neque prius, quam ut conceſſu illuſtriſſi. Principis, ac Domini, D. Alberti, Ducis Pruſſiæ, Domini & ſoceri noſtri chariſſimi, quem quidem toto eo tempore religionis, & concordiæ cupidiſſimum animadvertimus, privatim & publice Functium adhiberemus. Etſi autem is, excuſationibus partim, partim temporis anguſtiis, ceu profugiis uti, & a nobis de errore, & perturbato Eccleſiarum ſtatu, graviſſime accuſatus, dubie reſpondendo, interdum etiam pollicendo, & deprecando elabi didicerat, tamen ut is mandato Principis, ad diem certum, una cum cæteris, quos habebat ſibi in hac cauſa adverſarios, Ritenburgi, quo eodem nos quoque ex itinere eramus venturi, ſiſteretur, perfecimus. Quo cum nos, & Theologi reliqui, veniſſemus, Functius neglecto mandato Principis, oblitusque promiſſi, excuſatione valetudinis uſus, domi ſuæ remanſit: & hoc modo, tum etiam judicia veritatis ſubterfugere ſe poſſe judicavit. Miſit autem ſcripta quædam, neque veritati, neque ante promiſſis ſuis conſentanea. Ex quo hominis ingenium, aut levitas potius liquidiſſime potuit intelligi, ut iis, qui ante nos eam cauſam tractarunt, facile ignoſcamus, ſi cum homine vario, & inconſtante, certi nihil agere potuerunt. Interea tamen, hortatu noſtro, & ipſa re permotus Princeps, quicum, abſente etiam Functio, agere vehementer, & graviter non deſtitimus, Functium metuentem male, & tempeſtatem impendentem prospicientem adduci juſſerat. Hujus igitur præſentis poteſtatem nacti tandem, præſentibus Principe, & Theologis, errorem manifeſte propoſuimus, ipſique Functio, cujus blaſphemias, & doctrinam deteſtandam, conſignatam, & certis capitibus diſtinctam, in hoc conſeſſu legi mandavimus, & quanto in periculo animæ eſſet, quantum Eccleſiis nocuiſſet, quid de ipſo Eccleſiæ judicarint, & in poſterum, niſi manifeſte reſipuiſſet, & ex animo errorem depoſuiſſet, judicaturæ eſſent, in memoriam redegimus. Is autem, cum & contentione graviore, quam unquam antea rem agi, & plus aliquanto autoritatis afferri ſenſiſſet, hac illacque verſare ſe, modo rem concilio dijudicandam permittere, modo poteſtatem ſcriptis ſeſe defendendi poſtulare, ad extremum

tremum Mandatum Principis urgere, ejusque ne iniustam vim pateretur, opem implorare. Ac fuit in eo ipso mandato, & LENIBVS nonnullorum Theologorum de hac controversia, & AMBIGVIS sententiis, difficultas rei transigendæ non MINIMA, nobisque non parum molesta. Non enim tam ab istis erroris defendendi ratio, quam penitus tacite sepeliendi occasio quæsita est, & hanc se hoc mandato adeptos esse lætabantur. Cum autem a nobis magnitudo erroris, incommoda Ecclesiæ, periculum religionis, aliorum abalienationes, iudicia Ecclesiarum, & capita erroris, quæ consignata ex Functii libris habebamus, urgerentur, istique se elabi nunc quidem posse diffiderent, est ab ipsis, de communi eorum sententia, ut Functius coram nobis, de erroribus suis manifeste fateretur, decretum Quo facto, iste prodiit, & multis verbis aperte de suis erroribus confessus, per Deum nos omneis de venia impetranda obiecravit. Hic nos cum homine astuto, & vario caute satis egimus. Nam & errores ei palam ostendimus, & cum singularibus verbis, num pœniteret, num doctrinam Confessionis Augustanæ, & Locorum Communium Philippi probaret, & in posterum probaturus esset, num idem publice in Ecclesia sua domi confessurus esset, rogavimus. Quæ omnia cum fateretur esse vera, seque ex animo dolere, in posterum etiam sanitatem doctrinæ Christianæ, quæ est in Confessione Augustana amplexurum esse, & de suis erroribus, ut publicis, & ad multos pertinentibus, publico scripto testaturum, polliceretur, idemque nobis in manum bis promitteret, cum a cæteris suis collegis, quicquid in religionem, & ipsos deliquisset, jussimus deprecari. Itaque Theologi cæteri, hoc perfecto, cum Functio in gratiam plane redierunt, nosque ipsum, ut in sententia hac bona, & mente perseveraret, graviter admonuimus. Hujus exemplum secutus Vogelus, valde moderatum se, planeque Christianum præbuit. Ipse etiam Princeps, se in omneis, qui doctrinas Confessioni Augustanæ repugnantes docerent, gravissime animadversurum esse promisit. Vt autem in hac animorum inconstantia, & varietate, etsi eos in fide mansuros, & promissorum veritatem confidimus esse observaturos, nobis tamen, si qua res ipsos immutasset, nostræque existimationi cautum esset, aperte cunctis audientibus, nos hanc actionem, si constantiam in confesso errore, & puritatem in sana doctrina retinerent, diximus esse probaturos, aliter nullo modo, idque aperte testati sumus. Habes totius nostræ actionis summam, & veram historiam. Quod si igitur perspicis, & quanta Ecclesiarum fuerit calamitas, & hujus mali extirpandi difficultas, te quidem certe Deo, qui nobis Spiritu suo sancto authoritatem magendo, & gratiam atque fœlicitatem in perficiendo benignissime impertivit, gratias acturum esse immortales non dubitamus. Te autem hortamur, ut communibus precibus hanc causam, & Dei beneficium, Deo commendes, rogesque ut illud constans sit, atque perpetuum: quod ipsum nos quoque in Ecclesiis nostris facere non desistimus, Deumque suæ Ecclesiæ rationem habiturum, suumque unius beneficium in Prussia, & puritatem religionis, a se uno restitutam, confidimus esse conservaturum. Scripta Epistola, certorum hominum literis Functium, uti promissum erat, Cal. Mart. pro concione de suis erroribus confessum, & Dei beneficio statum Ecclesiarum Prussiæ pacatum esse cognovimus. Quo nomine Deo singulares ex animo gratias, & agere omnes, & habere debemus. Vale Dat. Suerini Cal. April. Anno 1556.

H. A. H. Z. M.

Manu propria subscripsit.

APPENDIX ILLYR.

Mandatum de non dando falso testimonio, præcipit etiam veri testimonii dationem. Quod si usquam veritati debemus, tum vel maxime in rebus maximis, cuiusmodi sunt res religionis, & in primis ibi, ubi ante falso testimonio veritatem obscuravimus. Quare revocatio publica falsæ doctrinæ, est hoc Dei mandato præcepta. Item severum Christi mandatum habemus de confessione cœlestis veritatis. Iam si unusquisque Christianus tenetur manifeste confiteri, quid de sui temporis controversa doctrina, ut nunc de hæresibus Papæ aut Osiandri sentiat, multo magis tenetur pro palam confiteri, quid verum aut falsum sit in hæresi a semetipso sparsa. Est igitur revocatio manifeste divini mandati, amnistiaque tali loco penitus damnata.

SEQVITVR NVNC ETIAM SERIES DVCVM MEGAPOLENSIVM: A PRIBISLAO, VLTIMO VANDALORVM REGE. TAB. I.

	Nomina.	Annus successionis	An. obitus.	An. gubernat.
1.	Pribislaus post interfectum Nicolotum patrem.	1160. vel circiter.	1179. *	10.
2.	HenricusBurevinus I. Pribislai filius.	1180.	1217.	37.
3.	Henricus Burevinus, II. Burevini I. F.	1217.	1228.	11.
4.	Joannes cognomento Theologus. Burevini II. filius.	1228.	1260.	32.
	α	β	γ	δ

* Cran Vand. l 24. & contra Schalc. Gustrov

Hen-

	α	β	γ	δ	
5.	Henricus Hierosolymitanus Theol. F.	1260.	1302.	32.	*Inclusis annis exilii.*
6.	Henricus, *cognom. Leo. Hirosolym. F.	1280. patre adhuc captivo.	1329. 21. Jan.	49.	* *Minorennis sub tutoribus cum fratre 20. annos.*
7.	Albertus I. Leonis F. Dux Megap. primus.	1329.	1379. 19. Feb.	50.	
8.	Albertus II. Alberti I. F. Sueciæ Rex.	1379.	1394.	15.	
9.	Joan. Alberti. F. ex Magno F. nepos, fundator Acad. Rost.	1394.	1423.	29.	
10.	Henricus cognomine Crassus Joan. F.	1423. a patris obitu quem juvenem adhuc obiisse Chytræus scribit & sub tutoribus Henricum F. vixisse annos aliquot consentaneum est.	1477.	54.	
11.	Magnus Hen. F. cum	1477.	1503.	26.	
12.	Balthasare fratre qui obiit 1507. Non. Mart.		22. Novem.		
13.	Henricus Magni F. pacificus cum	1503.	1552.	49.	
14.	Alberto fratre ⊕ 1547. 7. Id. Jan.		6. Feb.		
15.	Joan. Albertus, ALBERTI. F.	1547.	1576. 12. Feb.	29.	
16.	Vlricus Alberti F. cum fratre.	1554.	1603. 14 Mar.	49.	
17.	Carolus Superiorum frater.	1603. 14. April.			

SERIES EPISCOPORVM SVERINENSIVM.
TAB. II.

	Nomina.	An. Electionis.	Annus obitus.	Ann. gub.	
1.	Berno monachus	1160.	1193.	33.	
2.	Brunwardus Vand. nobilis.	1193.	1237.	44.	
3.	Fridericus Guncelini Comitis Suerinensis filius.	1237.	1239.	2.	
4.	Theodericus.	1240.	1248.	8.	
5.	Wilhelmus.	1248.	1249.	2.	
6.	Rudolphus I.	1250.	1262.	12.	
7.	Hermannus I. de Scladen.	1263.	1291.	28.	
8.	Gotfridus de Bulow.	1291.	1314.	23.	
9.	Hermannus II. Molzam.	1314.	1322.	8.	
10.	Joannes I. Gans.	1322.	1331.	9.	
11.	Ludolphus Bulow.	1331.	1339.	8.	
12.	Henricus I. Bulow.	1339.	1347.	8.	
13.	Andreas externus.	1348.	1356.	8.	
14.	Albertus dominus in Sternberg. Boëmus.	1356. †	1364.	8.	† *cedit episcopat.*
15.	Rudolphus II.	1364.	1365.	1.	
16.	Fridericus II. Bulow.	1365.	1375.	10.	
17.	Marquardus Berman.	1375.	1378.	3.	
18.	Melchior Dux Brunsvicensis.	1378.	1381.	3.	
	Vacat annis septem: Joanne Junge Decano vice episcopo: a ministro interfecto.				
19.	Rudolphus III. Dux Stargardensis.	1388.	1415.	27.	
20	Henricus II.	1415.	1418.	3.	
21.	Henricus III. Wangelin.	1418.	1429.	11.	

α ε γ δ

22. Her-

	α	ϛ	γ	δ
22.	Hermannus III. Koppen.	1429.	1444.	15.
23.	Nicolaus Boddecker.	1447. cedit Episcopatu.	1457.	13.
24	Gotfridus II. Lange. I. V. D.	1457.	1458.	1.
25.	Wernerus Wolmers.	1458.	1473.	15.
26.	Balthasar Dux Megapol.	1474. cedit Episcopatu.	1479.	5.
27.	Nicolaus Pentz. nobil. Megapol.	1479.	1482.	3.
28.	Conradus Loste. I. V. D.	1483.	1503. 25 Decemb.	20.
29.	Joannes Thüen. nobil. Megap.	1504.	1506.	2.

Vacat sesquiannum, vice episcopo Vlrico Malchow seniore, & I. V. D.

30.	Petrus Walkow. Sundensis.	1508.	1516.	8.
31.	Magnus Dux Megapol. infans postulatus.	1516.	1550. 28. Jan.	34.
32.	Vlricus Dux Megapolensis.	1550. 26. Mart,	1603. 14. Mart.	52.
33.	Vlricus Dux Holsatiæ.	1603. 13. Maj.		

TABVLA III. MENSES HIBERNOS PLERISQVE FAMILIÆ MEGAPOLENSIS FATALES FVISSE.

1.	Henricus cognomento Leo moritur	21. Jan.	1329.
2.	Albertus Leonis F. in Principem Imp. creatus	19. Feb.	1379.
3.	Magnus, Henrici Crassi F. Henrici & Alberti p.	22. Nov.	1503.
4.	Sophia Magni conjunx	2. Maji.	1504.
5.	Balthasar Magni frater	7. Mart.	1507.
6.	Ericus Magni & Sophiæ filius	24. Dec.	1508.
7.	Anna Mag. & Sophia filia, nupta Landgravio,	6. Maji.	1525.
8.	Henricus Magni F. pacificus cognom.	6. Feb.	1552.
9.	Magnus Episcopus Suer. Henrici F.	28. Feb.	1550.
10.	Philippus Henr. F. Magni frater	3. Jan.	1557.
11.	Vrsula Henrici filia abbatissa Ribniz.	22. April.	1586.
12.	Albertus Magni F. Henrici frater.	7. Jan.	1547.
13.	Anna Alberti uxor.	19. Junii.	1567.
14.	Joannes Albertus, Alberti F.	12. Feb.	1576.
15.	Anna Sophia. Joan. Alberti conjunx.	6. Feb.	1591.
16.	Albertus Joannis Alberti & Sophiæ primogenitus.	2. Mart.	1561.
17.	Joannes eorundem F.	22. Mart.	1592.
18.	Sigismundus Augustus Joan. frater.	5. Sept.	1600.
19.	Georgius Alberti F.	20. Julii.	1552.
20	Christophorus Alberti F.	4. Martii.	1592.
21.	Dorothea Christophori conjunx prior.	11. Nov.	1575.
22	Elisabetha Christoph. conjunx altera.	19. Nov.	1597.
23.	Anna, Alberti filia Gothardi conjunx.	4. Julii.	1602.
24	Gothardus Annæ maritus Dux Curland.	17. Maj.	1587.
25.	Vlricus Alberti F.	14. Mart.	1603.
26.	Elisabetha Vlrici conjunx prior.	15. Octob.	1567.

BERNARDVS HEDERICVS
A. MDCV. d. 14. mensis Martii.

XVII.

XVII.

JVS FEVDALE POMERANICVM VETVS ET NOVVM AVTORE

CONRAD FRIEDLIEB A FRIDENSBERG,

REGIS SVECIÆ CONSILIARIO JVSTITIÆ IN POMERANIA.

PRÆFATIO AD CANDIDVM LECTOREM.

DE Pomerania ob ſoli fertilitatem, ſitusque maritimi indolem, hinc rerum omnium copiam crebraque cum exteris mercimonia ſuperiori ætate clara, hac noſtra heu dolor! heu lacrymæ! ob remiſſiorem fertilitatem, quippe vetuſtas non opera ſolum manu facta, ſed & ipſam naturam paulatim exedendo perimit, (*a*) urbium ſtrages, maris & negotiationum exilia, hinc rerum pene omnium inopiam, funeſta fere & cadaveroſa ſcripſere varii varia. Alii ejus Hiſtoriam Univerſalem, inque illa Principum ſeriem, res proſpere geſtas, atque ex his reportatam ſæpius gloriam, Nobilitatis ſplendorem & virtutem decora, urbium initia, progreſſus, eminentiam, ægritudines, mortes, naſcuntur enim, creſcunt, decreſcunt, ægrotant, moriuntur res publicæ (*b*) ut poſt multos alios (*c*) literarum gloria inclytus Valentinus ab Eichſtedt nobilis Pomeranus Ducum citerioris Pomeraniæ Cancellarius celeberrimus, & vir multi jugæ eruditionis, Johannes Micrælius, imprimis omnium optime poſteritati tradiderunt.

Alii illius Hiſtoriam Eccleſiaſticam, inque hac gentis converſionem, & accuratam ſedulitate OTTONIS Epiſcopi feliciſſimam per diverſa luſtra fidei Chriſtianæ propagationem, ut vir vitæ ſanctimonia atque eruditione hac in proſapia celebris DANIEL CRAMERVS & VALERIVS JASCHIVS, Theologiæ Licentiatus eximius in publicum emiſerunt. Alii particulatim ejus Origines, ut magnus Polyhiſtor Conrad Samuel Schurtzfleiſch, ANTIQVITATES vero & VETVSTA DIPLOMATA, ut eruditione inſignis Martinus Rango, denique compendioſe ANTIQVAM ejus REMPVBLICAM, ut vir Nobiliſſimus Egidius *von der* Mylen, orbi literato exhibuerunt. Alii in proponendo & commentando ejus jura, tam feudalia, quam municipalia ex parte deſudarunt. Quoad illa tam experientia jurium ac privilegiorum Nobilium Pomeraniæ, quam Legum Romanarum notitia eminentiſſimus Beatus Chemnitius, Cancellarius quondam Ducum ulterioris Pomeraniæ meritiſſimus. Quoad hæc pariter ac illa jurium patriæ cognitione validus, ſed incredibili mentis acumine, conſummata prudentia & eruditione vaſtus Mevius, Sacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ ſummi in Germania Tribunalis Wismarienſis Vice-Præſes, dum viveret, digniſſimus. Ille in conſilio in cauſa *der Schmelingen* contra Budden lato; Hic in deductione *von der Pommerſchen Lehn-Güther Eigenſchafft, und wie weit dieſelbe mit der Lehn-Leuthe Schuld können beſchwehret werden:* Tum paſſim in CONSILIIS & DECISIONIBVS, denique qua jura Civitatum juri Lubecenſi aſſuetarum (*d*) in COMMENTARIO ad JVS LVBECENSE. Miratus, *Candide Lector*, imo ſæpius cum ſtupore veneratus virorum horum omnium labores partim, partim inuſitatam ingenii vim, indefeſſa ſtudia, acerrimamque bono publico inſerviendi propenſionem, imprimis quavis laude mea ſuperiorum JCTORVM JVRA & PRIVILEGIA NOBILIVM POMERANIÆ ex umbris ſuis eruendi & ad liquidum ſenſum reſtituendi ingens ſtudium. Obſtupui ad laudabile non modo hoc inſtitutum, ſed meapſe ſuſceptum laborioſiſſimum opus in explicandis JVRIS POMERANICI controverſis articulis, de SIMVLTANEA ſcilicet INVESTITVRA, SVCCESSIONE, DOTE, DEBITIS e FEVDO SOLVENDIS, PRÆSTANDISQVE SERVITIIS. Interim dolui & ſæpe ægro animo tuli, defeciſſe poſt hunc Herculeum laborem aliorum ſtudia, manusque in conſcribendo integro aliquo ſyntagmate JVRIS FEVDALIS Pomeranici. Colligendum id venit, *Candide Lector*, e privilegiis Nobilium, Receſſu Wollinenſi, cæterisque provincialibus, concluſis Stetinenſium, ordinationibus, reſcriptis, decretis ſententiis ac reſolutionibus Principum. Colligendum ex inſtrumento pacis Osnabrüggenſis, & Sacræ Reg. MAJ. SVECIÆ, ex quo huic totique CORONÆ SVECIÆ, e ſingulari fatorum ordine, ob ejus, & in hac Glorioſiſſimi Regis GVSTAVI ADOLPHI, ſeu Bellatoris, Victoris, Triumphatoris in Germaniam, ejusque exteros Principes merita jure feudi Pomeraniæ in ſatisfactionem belli (*e*) ceſſis, RESOLVTIONIBVS, SENTENTIIS, RESCRIPTIS atque DECRETIS. Colligendum qua loca ulterioris Pommeraniæ, e SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBVRGICI, ſequenti tempore poſt pacem Weſtphalicam de novo datis privilegiis, aut priorum declaratione, publica-

(*a*) Curt. lib. 5. c. 1. (*b*) Schönborn. 7. pol. c. 24. (*c*) hos recenſent Micræl. in præfat. lib. *vom alten Pommerlande*, & Schurtzfleiſch. in origine Pomeraniæ. (*d*) Sigbrand. p. 1. jur. publ. Lub. Sect. 10. Mev. conſ. 2. (*e*) Inſtr. Pac. Osnab. art. 10.

publicatis conſtitutionibus atque ſententiis. Facile hariolari licet, *Candide Lector*, propterea manum de tabula omnes hactenus tuliſſe, quod non tantum multi operis, verum etiam periculi iſtum laborem cernerent, quando ut privati, at injuſſi, caſibus in privilegiis atque receſſibus non ſatis expreſſis, plene explicandis, aut ſupplendis, manus admoverent. Verum enim vero, quam avide axſpectaverit DVX POMERANIÆ FRANCISCVS, ſtatuum provincialium utilitatem enixe ſuo tempore quærens, ut certi aliquid in uno alterove articulo JURIS NOBILIVM POMERANIÆ, imprimis ea tempeſtate *in Auſteuer-Sachen*, determinaretur, liquet ex EDICTI, CONCLVSIS STETINENSIVM præfixi verbis, hanc in faciem conceptis; *Wie dann ſolches gemeines Werck berichteter maaſſen Seiner Fürſtlichen Gnaden ſich hœchlich angelegen ſeyn laſſen wollen, der gœntzlichen Hoffnung, weil dieſes Werck eintzig und allein den gehorſamen Landſtänden zum beſſern Aufnehmen und damit ſie in Auſteuer-Sachen ſich ſelbſten rathen, undt helffen können, und nicht nœthig haben gelahrte Leuthe, alß* Advocaten *und* Procuratoren *iedesmahl zu beſuchen, koſtbahre* Proceſſe *zu treiben und ſich dadurch ihres Vermœgens ſelbſten zu erſchöpffen, treubertziglich gemeinet iſt; Sie werden auch Seiner Fürſtlichen Gnaden hierunter gepflogene Mühewaltung, und Landes-Væterliche Sorg fæltigkeit bebertzigen, und hiebey nicht bedencken, was einen jeden* privato *zu ſeinen vorkommenden Sachen fürtræglich und nützlich ſey.*

Quam utile etiam duxerit SACRA REGIA MAJESTAS SVECIÆ cum Juſtiniano Imperatore (f) ſubditorum commoda, ut ſua propria ſedulo veſtigans, quæ Imperatoribus laus eſt, (g) e conſuetudinibus provincialibus certum aliquod univerſale JURIS FEVDALIS POMERANICI corpus colligi, videre eſt in Receſſu altiſſime memorata SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS Deputatorum Magnificentiſſimorum, ad diſponendum Regimini Pomeranici fata & formam anno M. DC. LXIII. his e verbis:

„*Gleichergeſtalt die* Concluſa Stetinenſia „*ferner ausgearbeitet, und dieſem Orth Lan-*„*des* accommodi*ret, dann die* Conſuetudines „provinciales *zuſammen getragen werden, ſo* „*iſt dieſes zwar nützlich, aber zugleich, daß* „*es bey dieſem Einrichtungs-Werck, als wel-*„*ches bereits mit vielen Materien überflüſſig* „*gehœuffet, ſich nicht thun laſſen wollen, be-*„*funden, darumb bis zur andern Zeit ausge-*„*ſetzet, immittelſt veranlaſſet, daß die Köni-*„*gliche Regierung zuſamt den Landtſtænden,* „*ſich mit ein und andern gewiſſen Perſohnen* „*vereinbahren ſollen, welche daſſelbe zuerſt zu-*„*ſammen tragen und entwerffen, Ihnen alsdann zum Bedencken ausliefern, denn durch* „*gewiſſe der Rechten verſtændige, auch des* „*Landes Gebrauch erfahrne Perſohnen revidi-*„*ret, darüber conferiret, in ein project ge-*„*bracht, und durch die Regierung und Stænde* „*weiter überleget, hernach Ihro Königl. Majeſt.* „*zu dero fernern gnædigen Bedencken und* ap-„probation offeri*ret werden, ſo könte ſolchem* „*nach es damit zu einer beyſahmen beſtändigen* „*Richtigkeit des Landes Rechte, und zu einer* „Norma judiciorum *gelangen.*

Quorum intuitu non tam periculi, quam moleſtiæ ſaltem iſtum laborem eſſe facile apparet, præſertim, quando in præfato Receſſu permiſſum, e privilegiis & conſuetudinibus provincialibus certum aliquod juris feudalis corpus formare, atque hoc Sacræ Regiæ Majeſtatis ſummo judicio & approbationi devote tandem ſubmittere. Sicuti Sereniſſimus Elector Brandenburgicus Fridericus III. rerum geſtarum gloria inclytus, atque ſuorum quoque ſubditorum ſalutis & privilegiorum aſſertor accerrimus concluſa Stetinenſia ad prudentum examen vocari prius noſt anno MDCXCIV. publico typo exſcribi ſalutare cenſuit. Aggreſſus propterea hac permiſſione fretus jam antea intrepide ſimul ac feliciter iſtum laborem ex parte magni judicii magnæque eruditionis vir, cujus divini ingenii opera orbi literato dudum innotuere, Dominus Samuel Stryk in exercitatione quadam Academica de feudis Pomeranicis anno 1697. reſpondente Matthia Mœllero, qui multa ex annotatis ſui Parentis contulit, Francofurti habita. In qua de feudorum Pomeranicorum origine, natura, ære alieno ex his ſolvendo, neceſſaria eorundem alienatione, revocatione, ſubfeudis, paſtura & jurisdictione accurate conferendo jura feudalia communia, cum particulari Pomeranico, in Privilegiis & Receſſibus Provincialibus, tum Reſolutionibus atque Decretis Principum latente, omnium certe cum prolubio & applauſu diſſerit. Magnifaciendus isle labor, *Candide Lector*, utpote occaſionem materiamque partim ſuppeditans elaborando pleniori SYNTAGMATI FEUDALI POMERANICO, quod orbi literato ſiſtere, viri hujus alias conſummatiſſimi intentio non fuit. Ego ſuperiora omnia animo revolvens, atque QUINTI MUTII factam SERVIO SULPITIO objurgationem (h) ſimul veritus: *Turpe eſt Patritio ac nobili viro, jus, in quo verſetur ignorare*, id eſt, Juriscon-ſultum ſe laudare, vel legitimarum cauſarum patrocinia ſuſcipere, & tamen, quod hodie proch dolor! in noxiam foro conſuetudinem abiit, legum & juris patrii ignarum eſſe; (i) Veritus deſidiæ imputationem in ea, quam adhuc e SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS SUECIÆ, Regis ac domini

(f) l. 1. §. 14. C. d. caduc. toll. (g) Sextus Aurelius Victor d. Cæſar. Hiſt. Aug. Epit. de Theodoſio, in verb. Fuit autem Theodoſius Reip. propagator atque defenſor eximius; & Allius Spartianus de Adriano Imp. in uerbis; ita ſe rempublicam geſturum, dixit, ut ſciret, populi rem eſſe, non propriam. (h) in l. 2. §. Servius autem Sulpitius ff. de origine. (i) Cicero in oratore.

domini mei longe clementiſſimi voluntate, ut emeritus una ſuſtineo, juris feudalis profeſſione, ac ſi, ut ut corpore æger, decuſſatis plane brachiis, imo magis vacuus, quam ipſa *Vacuna* ſtationi huic præeſſem, cogitavi tanto magis de elaborando pleno SYNTAGMATE JURIS FEUDALIS POMERANICI in certa capita, quæ ſequens ſeries docet, diſtribuendo. Non diffiteor, ſiquidem ingenium meum ſemper littus amavit, nec in altum ambitionis ſe unquam abripi permiſit, me ab initio quoque multis antehac exantlatis laboribus, alias feſſum, hinc fere imparem, formidaſſe hanc ex tot RECESSIBUS, tot RESCRIPTIS, RESOLUTIONIBUS, DECRETIS, SENTENTIIS, aliisque JURIS POMERANICI ARTICULIS, tale SYNTAGMA compilandi, ſeu in unum aliquod Corpus redigendi, moleſtiam ſimul ac quam plurima in privilegiis, aliisque conſtitutionibus Pomeraniæ aut latitantia adhuc, aut his plane non comprehenſa, aliunde commodum ſupplendi difficultatem, imprimis vero MOMI, cui nihil rectum, nihil quod ſuopte ingenio nectit, ſibila, ſannas & charientismos. Formidaſſe inſuper, ne ingratiis forte Auguſtiſſimi Regis mei, vel Sereniſſimi Electoris Brandenburgici, tum Celſiſſimi anterioris Pomeraniæ Gubernatoris, & Illuſtriſſimi Regiminis vel Provinciæ Conſiliariorum expectatione citius, quam rogatus hunc laborem in me ſuſciperem, utpote quos, ſicuti olim Dux FRANCISCUS, ita hodie SACRA REGIA MAJESTAS SUECIÆ, atque SERENISSIMUS ELECTOR eidem primum deſtinauit. Verum obfirmatus adverſum prius JCti Pomponii, aſt quanti viri! modeſto non magis, quam aureo effato. (k) *Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in octavum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi, memor ſum ejus ſententiæ, qui dixiſſe fertur; Et ſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere;* in proprium meum vel aliorum uſum labori huic me ſubtrahere, aut rodentis Momi ſarcasmos horrere, ſpartæ meæ indecorum duxi.

Qua poſterius hac in Potentiſſimum REGEM CAROLUM XI. Dominum meum longe clementiſſimum, ob pietatem, juſtitiam, clementiam, fortitudinem, hinc factorum ingentium miracula & ſervatam hactenus e ſcito Martiani Cæſaris monito (l) in pace Rempublicam debitum immortalitati nomen, pariter ac ſereniſſimum Electorem ex eisdem virtutibus orbi proſpere notum, ſubmiſſiſſima iterum erectus ſum fiducia, quod devotiſſimi ſui clientis conamen pro humillimo potius obſequio & ingenii cupidine inſerviendi, IPSORUM vere IMPERATORIÆ vere PATERNÆ, privilegia & conſtitutiones Pomeraniæ transferendi in unum corpus, ita, ut poſt hac certæ leges, ſive generales, ſive ſpeciales ex illo colligi, ab iisque ſanciri queant, clementiſſime ſint interpretaturi. Nec minus certam ſpem concepi, eminentiſſimos utriusque illuſtriſſimi Regiminis Conſiliarios atque Provinciæ Ordines magnificos, laudatiſſimos, hunc auſum meum non eo accepturos, ac ſi IPSIS aut ſalutaribus eorum conſiliis quicquam præripere, vel falcem in alienam meſſem mittere, vel eorum longe accuratoribus meditationibus meas comparare, quin potius accurata ILLORUM, mortalem modum egreſſa meditamenta religioſe poſthac obſervare cogitaverim. Sum propterea ſpei plenus, *Candide Lector*, laudaturos potius hunc conatum, quam improbaturos, tanto magis, quanto notius, quod in magnis etiam voluiſſe ſat eſt, tanto magis, quanto ſollicitius tam memet ipſum ex abditis hactenus in privilegiis nobilium & receſſibus provincialibus informare, quam alios etiam INDIGENAS, EXTEROSQVE in decidendo, conſulendo, advocando ſublevare partim, partim Pomeraniæ NOBILES Martis non Apollinis caſtra ſecutos, qui arma magis, quam jura intelligunt, (m) in pleniorem eorum cognitionem deducere quæſiverim. Accidit enim ſæpius, *Candide Lector*, exteras Facultates, ut ut alias celebres, jurium provincialium notitia deſtitui, qua cauſa motus quondam Princeps Pomeraniæ, una cum Statibus Provincialibus *n)* transmiſſionem actorum in caſibus feudalibus, ubi de litera, tenore, interpretatione & obſervantia Privilegii *in Ausſteuer-Sachen* quæritur, prorſum prohibuit, his emphaticis verbis;

„*Wenn auch bieneben und zum vierzehenden* „*eben nach wæhrenden Landtage etliche* querelen *einkommen, daß ein oder ander ſich unter-* „*ſtehen ſollte, in den Ausſteuer-Sachen, welche* „*aus adelichen* Privilegien, *und Wollinſchen* „*Abſcheide* decidiret *werden müſſen,* transmiſſionem actorum *zu bitten, und aber da-* „*durch leichtlich verurſachet werden kan, wenn* „*etwa aus Nachläſſigkeit die Sache an eines,* „*oder andern Seite in den* Actis *nicht genug ſam* „*ausgeführet, daß ein frömbder Richter, deme* „*die* Privilegia *und deren Obſervance unbekant,* „*dieſelbe in einen andern Verſtand ziehen, und* „*zu einer* præjudicir*lichen Urtheil verleitet* „*werden möchte. So iſt demnach mit einmüthi-* „*ger Beliebung geſchloſſen, daß hinführo in den-* „*jenigen Fællen,* ubi de litera, tenore, interpretatione & obſervantia privilegii *in Aus-* „*ſteuer-Sachen* diſputatur, *keine* transmiſſio „actorum *verſtattet werden ſolle.*

Imo accidit quandoque ADVOCATOS, ſeu cauſarum Patronos hiſce de Privilegiis, maxime nativo eorum ſenſu, parum eſſe informatos, imo vix vidiſſe omnes receſſus provinciales, atque ex his hauſiſſe, quod partibus

(l) Auth. d. Regno & Princ. adv. Machiav. lib 3. theor. 1. p. 292. (m) l. ult. in f. C. de jure deliberand. lib. 3. C. de Teſtam. mil. (n) in Receſſ. prov. d. anno 1633.

bus quandoque in causa maxime profuturum. Denique accidit, maximam partem PROVINCIALIVM nullam plane, aut non ex actam horum privilegiorum notitiam multo minus vero eorum intellectum habere: Quo paterne respiciens Illustrissimus Princeps Franciscus notanter in Edicto, Conclusis Stetinensium præfixo his utitur verbis;

„*Wie dann solches berührter maassen Seiner*
„*Fürstlichen Gnaden sich hœchlich angelegen*
„*seyn lassen wollen, der gæntzlichen Hoffnung,*
„*weil dies Werck eintzig undt allein den gebor-*
„*sannen Landstænden zum bessern Aufnehmen,*
„*und damit sie in Austeuer-Sachen sich selbsten*
„*rathen und helffen kœnnen, und nicht nœthig*
„*haben gelehrte Leute, als* Advocaten *und* Pro-
„curatoren *zu besuchen, gemeinet. &c.*

Quare cum hæc ignorantia, sæpe solus etiam neglectus Privilegiorum & Constitutionum Pomeraniæ, tum ab iis discessus, tam in advocando quam respondendo causæ amissionem partibus causatur, ut cum suo damno experti *Hæredes de Osten* in puncto fidejussionis, ob neglectum non allegati in actis *recessus provincialis* de anno 1581. confirmati in decreto visitationis de anno 1616. alias fidejussores ab obligationis nexu liberantis, quando principalis est solvendo, in solutionem hoc non attento condemnati, teste Domino Stryk. (o) sedula omnino opus est, Constitutionum Provincialium observantia, maxime vero prius earundem notitia. Patet ex his satis superque, *Candide Lector*, causa impulsiva suscepti operis, nempe, quod sola mihi aliisque, quibus arriserit labor, inserviendi, imprimis vero SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS Sueciæ unum aliquod JVRIS FEVDALIS SYNTAGMA hac in provincia demum constituendi vere paternum propositum devote adminiculandi causa, quantum valent vires, ut ejusdem justitiæ Consiliarius humillimus in Pomerania juxta CONSVLTATIVAM PRVDENTIAM (p) scripserim, de cetero LEGISLATORIA seu REGNATIVA (q) SACRÆ REGIÆ MAJESTATI, & qua ulteriorem Pomeraniam, SERENISSIMO ELECTORI, ast mihi obsequii gloria relicta. Summum enim rerum judicium PRINCIPIBUS datum (r) Causam scripti hujus SYNTAGMATIS non Latio, sed Teutonico sermone haud prolixe memoro, quia e superioribus evidenter constat, quod prodesse voluerim NOBILIBUS hac in provincia latino sermone quandoque minus tinctis, quo se ipsos instruere valerent, nec statim ad causarum patronos, ut paterne consuluit laudatissimus Princeps FRANCISCUS, properare cogerentur. Cui accedit magis præcipua, quod PRIVILEGIA omnia, omnes RECESSUS PROVINCIALES, PRINCIPUM RESCRIPTA, DECRETA, SENTENTIÆ ac RESOLUTIONES pariter ac CONCLUSA STETINENSIUM, ORDINATIONES ac RECESSUS VISITATIONUM, tandem ORDINATIO DE AGGRESTIBUS horum JURE & in eos potestate, imo SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS SUECIÆ novissima PRIVILEGIA, ex effusa gratia Regia NOBILITATI citerioris Pomeraniæ data, tum CONSTITUTIONES, RECESSUS & RESOLUTIONES non minus, quam SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI Privilegia, Constitutiones, Declarationes atque Sententiæ suis in locis germanico idiomate extant, quorum emphasin latino sermone mutare, variare, obscurare, aut plane supprimere, sicuti contra omnem intentionem facile evenire posset, nec consultum, nec permissum. Melius igitur, dum ex ipso fonte bibuntur aquæ, & ne occasio cavillandi PRIVILEGIA, RECESSUS, RESOLUTIONES &c. inscie citra omnem culpam, inhonestis causidicis, togatis istis vulturibus, juxta Apulejum (s) ministraretur, qui linguam venalem habent, ceu ad panem lucrandum, nummosque corradendos factam (t) & queis volupe, Legum non modo, sed PRIVILEGIORUM & CONSTITUTIONUM quoque sensus pro arbitrio in suam sententiam detorquere, totum SYNTAGMA JURIS FEUDALIS POMERANICI, quousque mihi id assequi datum, vernacula nostra conscribere optimum factu judicavi.

Desino his, *Candide Lector*, ne te longiori præfamine morer, ad ultimum saltem precatus, ne Te offendat, quod integra fere nonnunquam inseruerim SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS SUECIÆ, & SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI, PRINCIPUMVE POMERANIÆ Privilegia, Rescripta, Recessus, Decreta, Sententias, Resolutiones &c. nec non e B. Chemnitio aut Mevio integras quandoque pagellas, nec remissive egerim, quippe iis, qui istis omnibus, ut partim in manuscriptis visuntur, non instructi, plene consultum volui, quod haud dubie excusationem merebitur. Post hæc non rigidum nimis, aut severum Catonem agas, objiciendo, ex aliis quam plurima esse compilata, quippe nihil aliud ab omnibus SCRIPTORIBUS, qui, ut non THEOLOGI, *JCti*, MEDICI, aut PHILOSOPHI nascuntur, sed aliorum doctorum VIRORUM jam ante traditis indigent, ita ex his, quæ deinceps orbi offerunt, excerpunt, atque meliori saltem methodo disponunt, nihil enim dictum est, quod non dictum sit prius. (u) Cum MOMO mihi nullum commercium est, is desinat tandem juxta Germanorum in causidicos dicterium (w) per semet

(o) Stryk. in dip. d. feud. Com. c. 2. §. 21. (p) Arg. l. 2. §. ff. d. orig. jur. Arist. 1. Rhetoric. 1. (q) Aristot. 1. Eth. 1. Hahn. ad Wesenb. l. 1. tit. d. Just. & Jur. m. 14. p. m. 30. 31. (r) Tacit. l. 6. Ann. c. 8. (s) Crucius l. 1. Epist. p. m. 52. (t) Carpz. in præf. Coment. ad L. Reg. e Zieriz. d. Princ. prærog. p. 4. (u) Caspar. Cabellinus in præfatione Milleloquiis Juris præfixa. (w) Vid. Flor. lib. 4. hist. cap. ult.

ſemet ſibilare. Tu de mendis gravioribus in calce admonitus interim vale, & nos perpetim ama.

SERIES CAPITVM.

Caput I. De origine feudorum Pomeraniæ, horum aſſumpta & hucusque ſervata qualitate, tum juxta hanc deſcriptione.
Caput II. De diviſione horum feudorum.
Caput III. De perſonis feuda dantibus & accipientibus.
Caput. IV. De modis acquirendi feuda.
Caput V. De rebus & bonis in feudum darehabilibus, & reſervatis Principum.
Caput VI. De jure domini.
Caput VII. De jure vaſalli.
Caput VIII. De oneribus feudalibus, tam a domino, quam vaſallo ſucceſſore præſtandis.
Caput IX. De alienatione feudorum.
Caput X. De retractu, revocatione & reluitione feudorum.
Caput XI. De felonia & amiſſione feudorum.
Caput XII. De ſubfeudis Pomeranicis.
Caput. XIII. De jure agendi, paſcendi proprii ovilis, jurisdictione ſimplici generali & ſpeciali, tum collocatione agreſtium in prædium ruſticum, horumque dimiſſione.
Caput. XIV. De jure & judicio feudali.

INDICVLVS PRIVILEGIORVM, RECESSVVM IMPERII ET PROVINCIALIVM, CONSTITVTIONVM, RESCRIPTORVM, RESOLVTIONVM, DECRETORVM, SENTENTIARVM, TEXTVVM JVRIS FEVDALIS, LEGVM ET AVTORVM.

Welche zu dem Begrieff dieſes Lehn-Rechts gebraucht.

A.

Auth. dos data C. d. donat. ante Nupt.
Auth. ſed quæ nihil C. d. Pactis.
Auth. Hoc niſi debitor C. d. Solut.
Wollinſcher Abſcheid d. anno 1569.
Matth. de Afflictis Deciſiones.
Alvarottus de feudis.
Alexandri Conſilia.

B.

Baldus in c. 1. n. 3. ſi vaſallus feudo priv. & in prælud. feud.
Bachovius ad Treutlerum.
Barboſæ lib. axiomatum.
Barnimi Ducis Reſolutio de anno 1599. an. 1600. & 1601. *auf der Lands-Stænde Stettiniſchen Orths* Gravamina.
Berlichii concluſiones.
Boerii deciſiones.
Bugislai X. Ducis Privilegium de anno 1474.
Jac. de Belloviſu de feudis.
Borcholt de feudis.
Beſoldus in Theſauro Practico.
Bruni conſilia.
Buxdorff ad Aur. Bullam.

C.

Caroli XI. Regis Sueciæ Privilegium, Statibus Pomeraniæ datum anno 1669.
Caſpar Caballinus in præfat. Milleloquiis Jur. præfixa.
Carpzovii definitiones forenſes, item reſponſa & deciſiones, tum in præfat. ad Leg. Regiam; item: de oneribus feudalibus.
Cicero in oratore.
Chemnitii conſilia.
Clem. Paſtoralis &c. de judic.
Clarus in libro ſententiarum §. feudum.
Colerus de alimentis & ejusdem deciſiones.
Conſtitutio Pom. d. anno 1633.
Hinter-Pommerſche Conſtitution *von Lehn- und Ausſteuer-Sachen* de anno 1694.
Conſtitutio Wollinenſis de anno 1561.
Conventio *zu Stettin vom* 13. Sept. an. 1652.
Pommerſche Conſtitution *von Kirchen Schulden.* anno 1662.
Concluſa Stetinenſia.
Cothmanni conſilia.
Crancius de Wandalia.
Cravettæ conſilia.
Pauli Chriſtinæi deciſiones curiæ Belgiæ.
Cujacius de feudis, it. liber. quæſt. Papinianarum.
Curtius junior, de feudis & ejusdem conſilia.
Curtius de rebus geſtis Alexandri Magni.
Crucii epiſtolæ.

D.

Declaratio Principis Barnimi de anno 1601. *vom* 12. Octob.
Declaratio *des Kœniglichen Hoff-Gerichts* in cauſa *des Stiffts-Voigts Jacob von Heydebrecken*, contra *die* Camecken *vom* 12. Mart. anno 1645.
Delineatio Pomeraniæ.
Fürſtlich decretum in cauſa *der Borcken vom* 12. Sept. anno 1605.
Decretum Pomeraniæ viſitatorium, de anno 1616.

E.

Erbtheilungs-Receſs de anno 1569. d. 25. Jul.
Erb-Vertrag de anno 1616.
Erici Ducis Privilegium de anno 1463.
Erneſti Ludovici Conceſſion Melchior Norman *ertheilet den* 8. Sept. 1582.

F.

Johann Friderici Ducis Reſcriptum de anno 1521. ejusdem confirmatio privilegiorum *der Stadt Greiffswaldt.*
Antonius Faber in Codicem.
Fachinæi libri controverſiarum.
Feudorum ſequentes textus *1. feud. 4. §. 1. 1. feud. 5. ibique Gloſſa. 1. feud. 13. 1. feud. 14. §. 3. 1. feud. 15. 1. feud. 22. §. Sancimus. 2. feud. 1. 2. feud. 2. 2. feud. 3. §. 2. 2. feud. 9. §. Porro. 2. feud. 11. 2. feud. 14. quidem Vaſallus. 2. feud. 16. §. 1. 2. feud. 18. 2. feud. 21. Capit. Miles. 2. feud. 22. §. ſancimus. 2. feud. 24. 2. feud. 26. §. beneficium. 2. feud. 27. 2. feud. 32. 2. feud. 33. 2. feud. 34. §. Profecto. 2 feud. 37. 2 feud. 40. c. quidem Vaſallus. 2. feud. 45. c. contingit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

git. 2. feud. 55. c. Imperialem. 2. feud. 57. 2. feud. 58.
Anton Faber in Cod.
Friedeborn *von den Stettinischen Geschichten.*
Florus in Epit. Histor. Roman.

G.

Gailii observationes.
Jacob. d. S. Georgio de Homagiis.
Goddei Consilia.
Grassi communes opiniones.
Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis. Guidonis Papæ decisiones.

H.

Hahn in Not. ad Wesembecium.
Hartmann Hartmanni observationes practicæ.
Haupt-Commissions Recess de anno 1663.
Heigii quæstiones.
Hering de Fidejussoribus.
Hotomannus in Comment. ad tit. 5. 1. feud.
Hunnius ad Treutlerum.

I.

Jason in l. si quis major C. de Transactionibus.
Instrumentum Pacis Osnabruggensis.
Jornandes de Reg ac Temp. succes.

K.

Jacob Kleist Nom. Pom. decad. quæstionum.
Pommersche Kirchen-Ordnung.
Kohl de Subfeudis.
Koppenii Decisiones.

L.

Landtags Abscheidt zu Anklam an. 1631. d. 3. Dec. 1633. den 7. Dec. 1560.
Zu Stettin anno 1562. den 12. April. 1550. den 29. Dec. 1563. den 3. Dec. 1565. 1569. 1588. den 2. v. 12. Julii. 1557. 1599. 1600. den 26. April v. 4. Aug. 1601. 1603. 1604. den 10. Oct. 1616. den 18. Mart. 1618. 1619. 1623. d. 30. Maj. 1626. den 23. Aug. 1628. den 13. Sept. v. 22 Dec. 1629. den 20. Octob. 1630. den 2. Sept. v. 18. Dec. 1632. den 20. Jul. 1634. 1646.
Zu Wolgast. anno 1646. 1568. den. 22. Jan. 1566. den 10. Jan. 1569. 1576. 1589. 1595. d. 12 April. 1606. 1614. d. 20. Maj. 1616. d. 20 Jun 1622. den 8. April u. 7. Sept. 1626. den 30. Jun. 1627. den 12. Dec. 1629. 1631. den 3. Decemb 1633. 1634. den 10. Jul.
Zu Wollin anno 1521. den 9. Mart. 1546. 1569. 1575. 1581. 1587. 1616. den 18. Mart.
Zu Treptow anno 1535. 1566. 1580. den 17. Dec. 1585. den 19. Octob. 1588. den 17 Dec. 1595. den 12. April. 1608. den 8. Mart.
Zu Friedrichwalde anno 1588.
Zu Rügenwalde. Anno 1521. 1571. d. 4. Febr. 1578. d. 4. Jan.
Zu Stargard. Anno 1613. 1654. d. 12. Julii.
Zu Pasewalck. Anno 1578.
Lex 12. ff. de suis & legitimis 16. C. de solution. 5. ff. de Usufr. 1. ff. Mandati. 10. Cod. d. offic. Rect. prov. 14. ff. d. condict. indeb. 2. C. d. R. C. 17. ff. & 1. C. d. SS. Eccles. 19. §. 1. ff. d. reb. auth. jud. poss. 6. ff. d. jur. fisci 2. ff. d. aliment. legat. 2. ff. d. leg. Jul. d. vi publ. 53. ff. de Contrab. empt. 2. §. pen. ff. d. Trib. act. 50. ff. d. act. empt. 28. ff. comm. divid. 1. ff. qui & a quib. manumiss. 1. C. Comm. d. Manumiss. 1. ff. d. Const. pecun.
Lex 1. ff. d. Pactis 3. ff. d. Iust. & jur. 13. ff. ad Leg. Aquil. 9. C. de Pact. ind. Empt. & Vend. comp. l. 9. §. 5. C. de pign. act. penult. & ult. C. de locat. præd. Civil. 5. & 39. §. Constituimus ff. d. de Rei Vind. fin. C. de jur. Emphyt. 8. §. si quis a Principe ff. ne quid in loco publ. 3. & 4. C. Commun. divid. 4. & 2. ff. ad l. Rhod. d. jactu. 22. C. d. administr. Tutor. 12. ff. & l. 1. C. d. d. LL. 8. ff. de Collat. bonor. 6. C. de restitut. Milit. 19. §. 9. ff. d. capt. & part. rev. fin. C. d. jur. delib. 2. C. quomodo & quando quarta pars. 20. ff. d. acquir. hæred. fin. princ. ff. d. bon. eorum qui ante sentent. 14. de sentent. & interl. l. 1. & tot. tit. C. res inter al. acta alios non noc. 1. §. 14. C. de Caduc. toll. 2. §. Servius autem Sulpitius ff. d. orig. jur. 20. ff. de fideicomm. libert. fin. C. de jur. delib. 13. C. de Testam. milit. 13. ff. de Legib. 10. ff. d. A. I. res eod. 84. ff. d. Verb. sign.
Johannes Limnæus ad Capitul. Ferd. III. Cæsar. art. 28.
Lindemannus d. feud.

M.

Mantzii Patrocinium debitor.
Mœstertius d. justit. LL. Rom.
Mascardus d. probationibus, item præsumptionibus.
Menochius de arbitr. jud. quæst. item ejus Consilia & tract. de possession.
Mevii prodromus Jurisprud. Gentium &c. item ejus Consilia, decisiones, *und von der Pommerschen Lehne Eigenschafft*, item *von Abfolge der Bauers-Leute*, ejusque levamen inopia debitorum.
Micrælius *vom alten Sachsen Pommerlandt.*
Montanus de feudis.
Molinæus in Consuetudines Parisienses.
Monticulus de inventario hæredum.
Motz d. feudis.
Mülleri Practicæ rerum forensium Resolutiones.

N.

Novella 1. cap. 1. it. Nov. 4. & 7. 118. 119.
Nevizani Consilia.

O.

Ottonis II. Ducis privilegium de anno 1464.
Fischerey-Ordnung d. anno 1569.
Die Pommersche Landes-Ordnung.
Pommersche Hoff-Gerichts-Ordnung.
Oldendorpii Consilia.
Oldradi Consilia.

P.

Philippi II. Ducis Pomerani Decretum in causa *der Devitzen de an. 1609. den 20. Nov.*
Philippi Ducis Resolutio ad Ducem Philippum Julium d. anno 1609.
Philippi Ducis *der Stadt Greiffenberg ertheilte* Confirmation *ihrer Privilegien* de an. 1540.
Philippi Ducis decisum *wegen Ribbekart in* causa *der Borken.*
Philippi I. *Abgesandten* instruction *an Hertzog* Barnim d. anno 1560. *den 28. Jan.*
Philippi Julii, *Bescheidt vom 13. Jan. 1602. den Hetteln ertheilet.*
Privilegium Statuum Pomeraniæ de anno 1560.

Fürstli-

Fürſtliche Propoſition de anno 1620.
Protocollum d. anno 1626.
Ihro Königliche Majeſt. zu Schweden Privilegium de anno 1669. de ſucceſſione filiarum in feudis avitis in defectu filiorum.
Pariſienſis Conſilia.
Mod. Piſtoris Conſilia.
Hartm. Piſtoris quæſtiones.
Præpoſitio ad text. 1. f. 5.
Pruckmanni Conſilia.
Pruckner d. Doman. Regn. Germ.

Q.

Anton. Quettæ conſilia.

R.

Receſſus imperii *zu Regensp.* de anno 1654.
Receſſus imperii *zu Worms* de anno 1571.
Receſſus Auguſt. de anno. 1548.
Roſtocker Receſſ. de anno 1504.
Fürſtliche Reſolution *zu Friedrichswalde* de anno 1580. *den 24. Iulii.*
Reſolutio Ducis Barnimi, *wegen der wüſtgelegenen Hufen* de anno 1601.
Fürſtliche Reverſalen de anno 1644.
Reſcriptum Colbacenſe de anno 1581.
Reſponſio Facultatis juridicæ Helmſtadienſis de anno 1672.
Rauchbari quæſtiones.
Rhetzius de feudis.
Richteri Conſilia, item tr. de Concurſu Creditorum.
Rheinking de Regimine ſeculari & Eccleſiaſtico.
Rittershuſius de feudis, item ad Novellas.
Roſenthal de feudis.
Ruini conſilia.
Schenck Baro de feudis.
Schonbornerus.
Schulteſius ad Modeſtinum Piſtor.

S.

Schrader de feudis.
Schreiben Hertzogs Bogislai, *an Hertzog* Philippum Julium, *den 27. Febr. 1605.*
Schultz de feudis.
Schurfii conſilia.
Scheplitz in Conſuetudines Brandenburgicas.
Schneidwin de feudis.
Schurtz*fleiſch* de originibus Pommeranicis.
Sibrandi jus publicum Lubecenſe.
Sixtini conſilia.
Sonsbeck de feudis.
Ælius Spartianus.
Speidel in ſpeculo.
Mathæus Stephan de jurisdictione, item de feudis.
Stuve de feudis.
Stryk de feudis Pomeranicis.
Surdi deciſiones.
Laurentius Sylvanus de feudi recognitione.

T.

Taciti annales.
Ant. Theſauri deciſiones.
Tiraquellus in repetitione legis, ſi unquam C. de revocand. donationibus item, de jure Primogenituræ.

V.

Hertzog Bogislai, *Verordnung wegen der Einquartirung vom 27. Februarii und 13. Sept. anno 1628.*
Prentzlauiſcher Vertrag de anno 1623.
Vergleich de anno 1421.
Pommeriſcher Viſitations-*Beſcheid* de anno 1581. *ſ.* Titul. 65. *ſ. Wir wollen auch & ſſ. dem* General-*Landtags-Abſcheidt.*
Urtel Electoris Brandenburgici Friderici Wilhelmi de anno 1656. 1662. 1663.
Urthel Ducis Franciſci, in puncto *der Hütung und Trifft vom 16. May* anni 1601. item *vom 3. Iulii* anni 1618.
Urthel Ducis Johannis Friderici in eodem puncto *vom 5. Nov. 1605.*
Urthel vom 4. Nov. 1599. in eodem puncto.
Urthel ducis Philippi in puncto *einer neu angelegten Schæfferey vom 13. Septemb.* an. 1620.
Urthel vom 25. Iunii anni 1671. in eadem materia.
Urthel Bogislai Ducis *vom 25. Iunii* anni 1627. in puncto *der Dorffſtraaß*, item anni 1622. d. 2. Septemb.
Rolandi a Valle conſilia.
Vaſquii quæſtiones illuſtres.
Sexti Aurelii Victoris de Cæſaribus Hiſtoriæ it. Auguſt. Epitome.
Vultejus de feudis.

W.

Wehneri obſervationes practicæ.
Weſembecii conſilia.

Z.

Zaſius de feudis.
Zæſius de feudis.
Ziritz de principum Prærogativa.

Kurtzer Begriff des Pommerſchen Lehn-Rechts.

Das I. Capittel.

Von Urſprung der Lehnen, deren angenommener auch bis itzige Stunde behaltener eigentlicher Qualite, *und Beſchreibung nach dieſer.*

§. 1. Anfænglich iſt zu wiſſen, daſs in Pommern, ehe die lœbliche Pommerſche Fürſten ſich unter das Rœmiſche Reich begeben, man von den feudis, oder Lehnen hieſelbſt nicht gewuſt, ſondern was die von Adel gehabt, oder von den Landesfürſten ihnen geſchenckt, oder auch ſie als militair Perſohnen mit gewafneter Handt, von den Wenden, undt andern Unglæubigen gewonnen oder erobert, dieſelbe für freye Ritter-Güther, und als ihr allodium und Erbe beſeſſen, desfalls die Hertzoge von Pommern nicht als Vaſalli oder Lehn-Leute für ihren Lehn-Herrn, ſondern nur als Landes Fürſten Obern und Schutz-Herren erkant und gehalten: als aber ihre hochlobſahme Hertzogen zu Pommern nach Exempel anderer Chur- und Fürſten des heiligen Rœmiſchen Reichs Anno Chriſti 1181. ſich zum Reiche begeben undt von dem damahligen Kayſer Friederico

Origo feudorum eorumque indoles in Pomerania.

rico Barbaroſſa, ihre Landt und Herrſchafften zu Lehne aufgenommen, und daneben den Titul der Reichs-Fürſten erlanget, haben die von der Ritterſchafft ihren Fürſten und denen benachbarten gefolget, darauf ihre Allodia und Erbgüter, nach Arth der feudal und Lehn-Güther von den Landes-Fürſten, jedoch etliche Geſchlechter mit gewiſſen Beding zu recognoſciren, oder darüber literas inveſtituræ, oder Lehns Brieffe zu nehmen angefangen: wie davon *Philippus Dux Pomeraniæ in der Devitzen Beſcheide vom 20. Nov. 1609.* folgender geſtalt redet, ibi; in Lehns-Sachen iſt das Sæchſiſche Recht vielweniger gefolget, ſondern ehe dann ſich die Hertzogen zu Pommern unter das Rœmiſche Reich begeben, ſeyn keine Lehne in Pommern, vielmehr alle Güter allodial geweſen, nach berührter Zeit aber die gemeine Kayſer-Recht in Uebung gebracht. *add. Cramer. in Vandalia lib. 6. cap. 14. Micrælius vom Pommerlande lib. 2. p. m. 261. & ſeqq. & lib. 6. pag. m. 451.*

Feuda olim fuerunt allodia.

§. 2. Als nun Uhralters in Pommern keine Lehne ſondern EIGENTHÜMLICHE GÜTER die Beſitzer gehabt, die auf gewiſſe Maaſs und aus freyen Willen in feudum recognoſciret, mit Anbehalt der ERBLICHEN EIGENSCHAFFT; auch Vorbehalt zu alieniren, und Schulden darauf zu machen, ſo offt ſolches die wahre Noth und eine redliche Urſache erfordert, wie dies der hochſeelige lobwürdige Fürſt Philippus II. in ſeinen declaratoriſchen Reſcript, in cauſa Devitzen contra Devitzen die 20. Novembris anno 1609. bekennet in verbis; Hievon ſeyndt noch veſtigia vorhanden in forma verborum, ſo die Hertzogen in Pommern bey den Inveſtituren ſtets gebrauchen, dieſer geſtalt; Ich verleyhe euch euer Erb- und Lehn, und in allen Pommerſchen Lehn-Briefen werden ſtets die Worte conjungiret: Erb und Lehn, anzudeuten, daſs die Lehn-Leute ihre Lehn-Güther nicht ſchlechterdings als ein beneficium e gratia inveſtientis domini erlanget, ſondern es zugleich ihre erbliche Güther ſeyn, alſo mixtam naturam, wann es nicht neue Lehn ſeyn, haben. So muſs bey den Pommerſchen Lehnen dies alles wohl in Acht genommen, und dieſe mit nichten bloſs nach dem gemeinen Feudal-Rechten reguliret werden. *Confer. Landtags-Abſcheid de anno 1606. §. als auch in den Punct: & beatus Chemnitius Cancellarius Principum ulterioris Pomeraniæ olim meritiſſimus; in conſilio, conſiliis Brunnemanni & Mevii jam inſerto, num. 293. & ſeqq.*

Non æſtimanda ſunt ex jure Longobardico.

Sed jure Landſaſſiaco germ.

§. 3. Dieſemnach findet ſich der unwiedertreibliche Schluſs, daſs ſoweit den Pommerſchen Lehnen die Eigenſchafft, oder conditio feudalis beygelegt zu ſeyn befunden wird, dieſe vor Lehn zu achten, übrigens aber nach Erb- und Eigenthums-Rechte zu ſchætzen, zumahln dieſelbe excepta conditione feudali, quæ conſiſtit in debita petitione inveſtituræ, ejusque certo tempore RENOVATIONE, præſtatione fidei & ſervitiorum, tum competente agnatis ſolum jure ſucceſſionis, at filiabus & ſororibus certo tantum aliquo in illis aſſignato denique adſtricta horum alienatione ad ſuperioris & agnatorum conſenſum, Erb- und Lehn ſeyn, darin die poſſeſſores ein weit mehres, als den uſumfructum haben. *Mevius in ſeinen Bedencken von der Pommerſchen Lehn-Eigenſchafft und Natur §. wobey juſta ratione &c. & §. dieſemnach iſt zum Siebenzehenden &c.*

Pomeranæ feuda ſunt impropria anomala mixta.

§. 4. Seynd alſo die Pommerſche Lehne feuda impropria, anomala & mixta, imo maximam partem hæreditaria, in quibus ex antiquo jure feudali Pomeraniæ ſoli mares modo ſuccedendi hæreditario civili ſecundum gradus prærogativam ſuccedunt, & tam feuda, quam hæreditatem complecti, adeoque etiam factum defuncti præſtare tenentur: *Philippus Dux Pomeraniæ in dem Beſcheide den Devitzen den 20. Novemb. anno 1609. ertheilet:* his verbis; die gemeine Lehnrechte aber, welche agnatos ob ſolam agnationem, ſine ulla reciproca inveſtitura zur Succeſſion admittiren, die auch in Pommern jederzeit gebræuchlich geweſen, undt noch ſeyn, ſind in den Pommeriſchen Privilegien, den Lehn-Leuten zu guthe, ſo weit extendiret, und declariret, daſs ſie auch durchs Mittel der geſamten Handt zur Succeſſion kommen, ob ſie gleich die Agnation ſpecificatis gradibus nicht probiren kœnnen, nur dieſe indicia, daſs ſie eines Nahmens, Helmes und Schildes ſeyn, für ſich haben. Und dieſe Begnadung iſt nicht nur erſtlich anno 1560. gegeben, ſondern in Hertzog Erichs Privilegien de anno 1459. auch Hertzog Otten de anno 1464. ſowohl auch Hertzog Bogislaſien de anno 1474. befindet man dergleichen. Fehlet alſo ſehr weit, daſs für anno 1534. in welchen Jahren erſtlich die Devitzen die geſambte Handt erlanget haben ſollen, laut von Devitzen Sœhnen Anwalds Vorgeben nach Sæchſiſch Lehn-Recht in dieſen Landen gehalten ſey, berührter Geſtalt iſt auch in allen Sachen wann die Proximitæth erweiſslich geweſen, geurtheilet undt wird nicht ein einiges Exempel in contrarium beſtændiglich kœnnen angezogen werden; dann ſtets iſt diſpoſitio Novellæ, de hæreditate ab inteſtatio venient. §. ſi vero neque fratres &c. gehalten, unerwogen, ob dem Geſchlecht jus mutuæ ſucceſſionis von Lehn-Herren gegœnnet, und verliehen geweſen; daher hat Wolff von Steinwehr zu Selchow unter der Fürſtl. Wollgaſtiſchen Regierung geſeſſen, ſeines ex fratre pronepotis Lehn-Güther allein bekommen, ſeinen ex alio fratre nepotem excludiret. Undt als neulig Hans Kleiſt zu Barrentien geſeſſen verſtorben, ſeyn deſſelben nechſte Vettern Jochim und Reimer die Kleiſten, zur Succeſſion allein gekommen, alle andere geſamte Hand Vettern ausgeſchloſſen, und wie die Sukowen ohnlængſt ohne Leibes undt Lehns-Erben Todes verfallen, hat der næchſte Vetter Jacob die verlaſſene Lehn-Güther allein bekommen, obſchon mehr Suckowen, ſo die geſamte Hand daran haben

Maximam partem hæreditaria.

Testimonium Mevii. *haben, verhanden seyn.* Cui suffragatur Mevius in vorgedachten Bedencken in verbis; *vors zehende ist der qualitati feudorum, indem dieselbe nicht blosser Dinge Lehn, sondern auch Erben seyn, dieses gemäss, und nachfolglichen, dass in denen nach den gemeinen Rechten, wie in den andern Erbgüthern, so Lehnfæhig seyn, succediren, wie dann solches auch von den löblichen hochgelahrten Fürsten Herrn Philippo II. in offt gedachten Bescheide erklæret und bezeuget, dass in successionibus feudorum die dispositio novellæ de heredib. ab intest. venientibus 118. observiret worden. Confer eundem Mev. part. 5. dec. 41. in fin. In Pomerania eadem non obtinet, ubi feuda mixta sunt.* Iungatur *Rhetzius* *Rhetzii* *de feud. lib. 1. tit. 1. vers. ut ad omnes æqualiter pertineat: n. 4. circa fin.*

Quare mixta dicantur. §. 5. Mixta werden die Pommersche Lehen genant, nicht dass sie seynd pactionata mixta quasi primitus fuerint ex pacto & providentia, assumpserintque aliquid hæreditariæ qualitatis, sondern hæreditaria mixta, eo, quod fuerunt possessorum hæreditates, nec aliter æstimanda sunt e jure communi, quæ quoad ab hæreditaria qualitate declinant, in Ansehen dessen, wie vor erwehnet, der hochlœbliche Fürst Philippus II. in seinen Rescript nachdencklich setzet: *In allen Pommerschen Lehn-Brieffen werden stets die Worthe conjungiret, Erb- und Lehn anzudeuten, dass die Lehn-Leuthe ihre Lehne nicht schlechter Dinge als ein beneficium ex gratia investientis Domini erlanget, sondern es zugleich ihre erbliche Güther seyn, also mixtam naturam (wann es nicht neue Lehn) haben:* Und wirdt das Worth Erbe satis significanter ut qualitas antiquior & prævalens dem Worthe Lehn præmittiret, obser vante Cancellario *Chemnitio in dict. consilio n. 239. & seqq.* Exinde tamen non sunt pure & mere hæreditaria, vel a natura & qualitate aliorum feudoram prorsus degenerant. *Cothm. cons. 21. n. 16. v. 3. Chemnit. d. l. n. 233.*

Quare Erb- und Lehn?

Das II. Capittel.

Vom Unterscheidt dieser Lehne.

electio in Præpositum & Decanum. Item nullus eligetur in Præpositum vel Decanum, nisi habeat vocem in capittulo. Item ebdomadarii officium est, quod in festo quando duo sunt cantores, aut unus cantor cappatus cum serico. Idem ebdomarius post primum versum Magnificat de armario procedet, ubi scholaris procedens cum presentabit ei ante summum altare incensum cum quo circuet illud ut est moris post hoc descendens ad chorum primum ad cantorem stantem versus latus in quo major in dignitate vel senior in stallo chori steterit, & deinde per superiorem partem introiens turificet canonicos & vicarios unius chori, & simili modo faciet in alio choro a cantore supprimitur inchoando quo facto redeat ad sedilia cantorem stans inter eos & collecta completa dicetur per dominum nostrum ad primam vel ad primas si due conjunctim legentur. Si vero suffragia sunt dicenda ad vesperas quod non erit nisi ex duplicibus festo sequenti vel dominica subsequente legat collectas tempore congruentes. Iste modus servabitur etiam in aspergendo. Item si dominica dies fuerit stacio cum de profundis cum ymnus ad matutinum dicitur.

de turificatione.

Item tempore nocturno ebdomadarius non leget lectionem super benedictionem dandum nisi defectus fuerit personarum, tunc senior chori canonicus vel vicarius sacerdos dabit sibi legenti benedictionem. Item qui inceperit vigilias idem vel similis ei in dignitate easdem complebit. Item qui inchoaverit primam ut pueri distinctius legant apud ipsos remanebit confusiones quaslibet corrigendo. Alii similiter facient qui alias horas servare tenentur.

de inchoatione vigiliarum

Vicarii officium Item vicarii officium est quod interessentes divinis officiis nocturnis & diurnis missas suas secundum vicariarum suarum institutiones ordinatas celebrabunt. Illi vero domini vicarii qui primas missas de mane servare tenentur ad frequentandum matutinum officium non sunt adstricti. Item quicquid offertur vicariis apportantibus Religionum vel in luminariis vel pro missis votivis dicendis sibi licite reservabunt.

Item duo vicarii qui solent celebrare missas eis deputatas sub ambone habebunt cum lectoribus quicquid eis in religione offertur, quicquid vero in pane, carnibus, cervisia, cera vel aliis offertur ipsi vicarii soli retinebunt sive ipsos sive canonicos aut alios ad idem altare missas eis deputatas contigerit celebrare.

Item quilibet vicarius quando facit obedientiam jurabit quod erit fidelis ecclesie & quod ipsius utilitatem pro posse suo procurabit. *Vicarii juramentum*

Item Rectoris parre officium est, de mane matutinam & primam missam tonaliter decantando servare predicare confessiones audire infirmos cum eucharistia & cum unctione visitare, cui tempore ministrationis eucharistie duo denarii & unctionis sacre duodecim denarii consueverunt dari. *Rectoris parre officium*

Et ad frequentandum chorum non erit astrictus nisi presente funere in eclleśia & in commemoratione animarum alias pro tunc portione debita carebit. Item quicquid offertur sibi ad suam missam sub religione semper obtinebit ecclesie, si aliud fuerit quam pecunia sibi oblatum una cum votivis suum erit. Si vero propter funus plures missas habere tenetur recipiet ad hoc vicarios de ecclesia quibus curialitatem de oblationibus exhibebit. Idem pueros baptisabit mulieres introniśabit mortuos tumulabit. Item chori lectores ad ista tenentur, quorum duo tantum Diaconi & duo subdiaconi erunt. *Lectores chori*

Duo vero ministri tantum de die singulis noctibus intererunt matutinum. Item scholaribus existentibus ad primam erunt presentes quando legitur preciosa etiam prime & secunde missis vesperis & vigiliis interesse debent. Si chori tollere volunt portionem pro servitio quivis eorum habebit annuatim x. Marck Suerinenses solvendas eis per duos canonicos juniores, sic quod dictis quatuor lectoribus per octo juniores canonicos in stallo annis singulis satisfiat & salarium erogetur, & eidem lectores vel ebdomadarii quando matutinas neglexerint ad missam non servient nisi prius decani licentia obtenta. *Lectoris Salarium*

In matutinis subdiaconus in uno choro & Diaconus in alio post cantores incipient antiphonas ad nocturnum diebus ferialibus & subdiaconus primum versum & Diaconus primam lectionem leget. *Subdiaconus & diaconus*

In matutinis nomine lectorum Diaconus quartam lectionem leget, & subdiaconus quartum versum cantabit. In summis vero & duplicibus festis subdiaconus & diaconus quartum versum cantabunt. Item quicquid offertur ad missas ad quas lectores ministrant idem cum ebdomadario retinebunt quod in tres partes dividetur, ita tamen ebdomadarius meliorem partem obtineat hoc modo, si quatuor denarii fuerint oblati, ebdomadarius duos & subdiaconus unum & diaconus unum tollet. Si quinque denarii fuerint oblati, diaconus sicut ebdomadarius & subdiaconus unum habebit. Item predicti lectores dominis canonicis & vicariis simul comedentibus in habitu ut illi sunt ministrabunt. *Lectores ministrabunt Canonicis*

Item camerarius statuitur a capittulo qui jurabit ad sacramenta Capittuli & ad illud duos congregabit, quibus congregatis custudiet ne aliquis subintret nisi vocatus, pro his habebit vestes canonicorum & vicariorum quando recipiuntur. Item habebit denarium quando memoria datur in vigiliis. Item custos vel scholaris parre a Decano & Capittulo constituitur, qui de mane ad matutinum & ad missam que dicitur Vromisse servet per omnia & præce- *Camerarius statuitur a capitulo*

præcedet ſacerdotem infirmos viſitantem cum lucerna & campana ante evchariſtiam ubi datur ſibi denarius & tamen recipiet a muliere introducta in ſacra unctione ſex denarios dabuntur eidem. Item in omni nocte quando debent incendi luminaria in ſummo altari in ambone ſuper ſedilia & in platis poſita & lumina paſcalia incendet & extinguet, & cereum paſcalem ad fontem portabit.

Item procurabit pulſari ſcilicet feſta & tempora ſtatuta ſuis ſumptibus & expenſis. Item faciet caldarium portari cum aqua benedicta per circuitum cimiterii cum ſit clericus parre & non chori pro his habebit redditus ſibi ad hoc deputatos & præcipue a feſto nativitatis Chriſti a qualibet ſcutella per totam parrochiam recipiet unum denarium Suerinenſem. Item procurabit omni dominica die ſal ad aquam benedictam & ipſam aquam nec non aquam ad baptiſmum & ligna ad ignem benedicendum in vigilia paſce.

Item portabit ſeu procurari faciet crucem in feſto paſce & aquam per circuitum ſcholaris claudens armarium procurabit ignem in eo & aquam ad lavandum & poſtabit incenſum.

Decanus & Canonici divinis interſint

Item Decanus & Canonici ac vicari pro ſua poſſibilitate intererunt divinis officiis & in eccleſiam reſidentiam facient prout de jure & conſuetudine ſunt aſtricti hoc ſane expreſſo quod Decanus Canonico vel Vicario petenti abſentiam elargiri debet ad quindenam tamen quater in anno. Si vero ad longius tempus licentia petitur, illam ſine conſenſu capittuli dare non debet excluſo tempore meſſis. In abſentia vero decani ſenior de capittulo hujusmodi licentiam abeundi dare poteſt. Minores autem canonici ad reſidentiam minime tenentur, ſed citati ad capittulum venient & ad menſem ſemel in anno cum conſenſu capittuli. Item legent epiſtolas & evangelia in ſummis & duplicibus feſtis perſonaliter in ambone niſi vices ſuas per alium ſuppleri facient pro ſallario ad hoc conſtituto. Item quivis Canonicus ſive major ſive minor habebit procuratorem in loco Suerinenſi. Item ſenior canonicus de decem præbendis in choro exiſtens diſtribuet portionem in vigiliis quando legitur ad laudes deus deus meus & in miſſa infra tectum ſicut ſervus. Item decanus nullum conductitium pro vicario nec Rectorem parre vel lectorem chori aut camerarium ſine conſenſu capittuli ſeu capittulum aut absque conſenſu decani vel vices ſuas habentes recipiet quoquomodo.

Fœna emanentium.

Item quicunque ad primum pſalmum veſperarum, aut ante epiſtolam miſſe animarum ad chorum non venerit portione carebit. Infirmis vel negociis eccleſie occupatis ad hoc miſſus portionem habebit ſicut preſens. Item cantabuntur per totum circulum anni vigilie in primis veſperis, exceptis diebus cum de nocte fuerint novem lectiones vel Te Deum cantatur, aut cum funus ad eccleſiam fuerit deputatum. Item omnes canonici & vicarii parre rectores vel chori lectores decano faciant obedientiam, & ille ſuper ipſos habeat jurisdictionem ſicut Prepoſitus ſuper ſuos. Item decanus quemlibet canonicum vel vicarium delinquentem in pena pecuniaria ſex *denariorum Suerinenſium*, & quemlibet lectorem quatuor denariis vel pſalterii lectura & impoſitione & jejunii poteſt puniri. Si vero canonico pro exceſſu major pena infigenda fuerit, hoc faciet decanus de conſenſu & informatione capittuli ſingulari metis ſibi tamen de jure competentibus contentis, vicarios vero & alios clericos par ſe puniri poterit delinquentes. Item decanus omnes exceſſus chori per clericos ſue obſervantiæ commiſſos puniet nec non ut conſuetudines eccleſie ſerventur chori negligentias per ſe ut per alios canonicos & vicarios ſuppleat & emendet. Item decanus tenetur ad omnia chori & ſummi altaris onera ut ſenior canonicus ſeptimana cantoria duntaxat excluſa. *Delinquentium.*

Item Pentateucum & libros veteris & novi teſtamenti perlegere vel perlegi procurare tenetur annuatim & nonam vel tertiam lectionem in matutinis legi. *Officia circa ſacra.*

Item Decanus procurabit ut in ſummis feſtis & duplicibus duo ſint cantores qui ſimiliores vicarii fuerint verſum gradualis non cantabunt, quodque duo legentes evangelium & epiſtolam in ambone Canonici vel vicarii ſummi exiſtant, & ſi Canonici abſentes exiſtant quos ordo tangit & ut legentibus ſatisfaciant eosdem compellat.

Item Diaconus non ſimul legat epiſtolam & evangelium nec miniſtrantes exuet vel deponet veſtimentis eis indutis niſi miſſa completa, dummodo ipſos non moleſtat infirmitas repentine.

Item nunquam cantabitur reſponſorium in veſperis in organis ſed tantum in profeſto beate Catharine & in dedicatione tunc etiam reſponſorium ſurge virgo &c. in organis decantabitur & ipſum altare viſitabitur & idem veſpere complentur propter ſervitium per Johannem de Everinghe inſtauratum & tunc eccleſie in reditu ad chorum alma redemtoris cum collecta de Domina noſtra eſt cantanda.

Item per ſeptuageſimam & adventum domini in organis non cantabitur excepto die conceptionis beate Marie tunc eſt duplex feſtum proſa nunquam cantabitur ſed tamen ad nonam reſponſorium in nocte beate Catherine. Item in nocte Chriſti Canonicus ſenior aut vicarius ſummus vel propter defectum perſonarum negligencias cavendas alius ſenior vicarius evangelium liber generationis Jeſu Chriſti in ambone ſolempniter decantabit. *in feſtis.*

Item in matutinis paſce & nativitatis Chriſti præpoſitus & Decanus vel Epiſcopus ſi preſens fuerit & facere voluerit aut ſeniores vel alii Canonici tertium verſum cantabunt. Item in cena domini præpoſitus ſacerdos vel Decanus aut ſenior Canonicus & præcipue ebdomadarius Canonicorum & Vicariorum

pedes lavabit, & maxime Epiſcopus ſi preſens eſt ad hoc tenetur. Et in nocte paraſceves idem Epiſcopus vel præpoſitus aut decanus vel ſenior Canonicus ſive ſummus Vicarius leget orationem Jeremie.

vigiliis Item in vigiliis paſce & pentecoſtes Canonici ſeniores vel propter idem defectum ſeniores vicarii legant prophetias. Item Canonici & ſummi vicarii Epiſtolam & Evangelium in ambone legent, & in choro veſperas & matutinas primam & ſummam miſſam & vigilias procurent decantare. Item nullus intererit divinis officiis alba tunica veſtitus preterquam in nocte vel ſubjugo ſcholaris exiſtens vel glaucam puram rubeam ſive pertitam aut viridem nunquam deſerat tunicam ſive longam vel caligis pertitis & calceis feneſtratis utatur vel noviter abraſis ac cum madidis crinibus ſive nudipes interſit divinis. In die autem paraſceves & latanys nudis pedibus poteſt ire. Item quando omelia vel Evangelium legitur in choro quilibet ſtando teneat caput nudum quando idem evangelium legitur ad locum ubi legitur quisque ſe vertat. Item intra præfationem & magnificat & omni hora, vel tempore choro jacente vel ſedente nullus chorum intrabit vel exibit aut tranſitum faciet per eundem. Item Canonicus vel vicarius debito tempore chorum intrans in latere reverenter inclinet, lector vero & Magiſter ac Scholaris ad ſtatuam ut moris eſt inclinabunt, miniſtrantes vero in choro & religionem ferentes hujusmodi inclinationibus non ſunt aſtricti. Item quilibet Canonicus & Vicarius diligenter advertat ut chorum intrando vel exeundo dominis præpoſito & decano & ſenioribus ipſe junior honorem exhibeat, quodque inferiori parte ſedilium ante dominos præpoſitum vel decanum & ſeniores dominos pertranſeat. Sed in prima parte ſedilium verſus altare poſita intrat & exeat ſtans in loco ſibi depoſito in divinis. Item legenti extra ſedilia vel cantanti in reditu ipſius duo aſſedentes eidem aſſurgant. Item eſt inclinandum quando infra ſcripta in choro cantantur ſcilicet Epiſtola Petri Jeſus Chriſtus adorandus te ſuſcipe deprecationem noſtram in uſibus deprecatoriis tam in miſſa quam aliarum horarum, & homo factus & ſimul adoratur, & quando tertium fertur incenſum, & infra Te Deum laudamus cum tot ſanctus dicitur & ad uſum te quoque quæſumus & infra actionem.

elevatione hoſtiæ Item quotiens gratias agimus dicitur totus chorus flectet genua, & poſt *elevationem hoſtie* usque dum per omnia ſecula ſecundario dicitur. Sed diebus cum preces ſervantur poſt ſanctus ſtatim chorus ſe procumbat usque pater noſter completo & ſimiliter cum preces ferialibus diebus ad horas dicuntur & letania non ſurgat niſi pſalmo finito.

proceſſionibus. Item cum plenarius cum incenſum per chorum transfertur vel cum Epiſcopus præpoſitus vel Decanus per chorum tranſit aut ſedilia, omnes capita detecta habebunt reverentiam exhibendo. Item proceſſione ſcholarium veniente chorus ſurget, & infra Magnificat & Benedictus ſtandum erit. Item cantor vel cantores cappis cericis indutis non exibunt ſedilia ſua niſi verſu per ipſos incepto finito. Item quando pax debet recipi junior de cantoribus obviando ſubdiacono in medio chori recipiet ab ipſo pacem per oſculum. Si vero tantummodo unus cantor fuerit pace recepta ibi ad ſeniorem vel majorem in dignitate in quocunque choro ſtantem ſibi pacem daturus. Item cantores erunt extremi in proceſſione ante ſubdiaconum in reditu vero poſt proceſſionem ſtabunt in medio proceſſionis ut eſt moris. Si autem unus fuerit cantor quia tunc in ambone non legitur hic incipiet nonum reſponſorium & cum verſu chorus aſcendet. Et quando in organis ipſum reſponſorium decantatur. Item non erit proceſſio extra eccleſiam dominicis diebus a dominica adaperiat ad dominicam palmarum excluſive, quid infra id tempus legetur pſalmus de profundis cum collecta pro defunctis niſi incidat duplex feſtum tunc etiam fiet ſtacio cum nono reſponſorio vel poſt de profundis cum nono reſponſorio proceſſit aſcendat. Item a dominica vidi dominum usque ad vigiliam paſce & in diebus rogationum & penitentialium excepta die palmarum duplicibus feſtis & octavis duplicium feſtorum clerici in nigris cappis chorum frequentabunt. Item in reditu ad chorum ebdomadarius dicet verſiculum ſuo tempore ut docet ordinarius eccleſie in ſedili inter cantores. Item a dominica domine in tua Maria usque ad dominicam adaperiat ſanctifica in circuitu & in reditu antiphona de domina noſtra cantabitur nec iſte tempore erit ſtacio in eccleſia niſi ſummum vel duplex feſtum occurrat. Item a dominica adaperiat usque ad diem palmarum ſecundum reſponſorium per circuitum eſt cantandum.

Item proceſſione ſolempni primo duo Scholares albis induti Abba cantaturi portabunt prima duo vexilla ad alia vexilla portanda magiſter ſcholares ordinabit ante alia duo vexilla ymnus cantabitur a duobus ſcholaribus in proceſſione. Item cum Te Deum cantatur aut de nocte fuerint novem lectiones vel miſſa de Domina noſtra cantatur. Duo pueri miniſtrabunt in albis cum candelis accenſis infra miſſam ante ſtatuam vel retro ſubdiaconum cum ferialibus diebus unus ſcholaris miniſtrabit cum candela ardenti ad miſſam. Subdiaconus autem & Diaconus ab offertorio usque ad finem miſſe ſtando miniſtrabunt. Item in quatuor temporibus prophecie legentur in albis ante ſtatuam alias in ambone juxta ſubdiaconum & benedictus a tribus pueris cantabitur in ambone choro rundente. Sed Sabbato caritas Dei dicetur. Abba benedictus in ambone. Item puer verſicularius verſiculum interroget ab ebdomadario & primum verſum cantans ad matutinum dicet verſiculos voce ſubmiſſa.

De aliis o ciis & ritib

Item

Item quociens Credo dicitur in festis duorum cantorum vel unius serica cappa induti circumfertur plenarius precedente incenso. Item quando Gloria in excelsis dicitur finitur missa per ite missa est vigiliis pasce pentecostes exceptis. Item quicunque chorum intraverit infra divina non murmuret, nec ullas confabulationes cum aliquo habeat, nec choras alias dicet scilicet cum choro cantabit & leget alias si qua loqui voluerit chorum exibit. Item in summa missa ebdomadarius non prugas exibit armarium, nisi cum dicitur gloria Christi ad introitum, nec ministri aliud cantent ad missam preterquam eorum officium requirit, si vero sequentiam juvare voluerint cantare ad chorum descendant. Item subdiaconus manebit retro summum altare quousque collecta fuerit inchoata, & si due collecte sunt ipse manebit retro altare usque ad ultimam, & epistola lecta vadat ad armarium calicem cum panno & aliis deputatis allaturus. Item statutum est & in ecclesia nostra Suerinensi & diutius observatum quod omnes patroni nostri qui tenentur apud nos celebrare missas in choro similiter Subdiaconi diaconi in duplicibus festis legere soliti tam Canonici quam vicarii per se facient & observent officia ebdomadarum suarum vel de aliis personis idoneis & aptis provideant loco sui. Item quod quilibet ebdomadarius supradictus si personaliter adesse non posset ordinabit quod habet in ecclesia nostra octava die ante suam ebdomadam sacerdos unum talentum, quilibet quoque lector pro quolibet evangelio vel epistola per eum legendo quatuor solidos Suerinensium denariorum. Et ad hoc habeat quilibet absens suum procuratorem qui cum dicta pecunia provideat de personis idoneis ad premissa quas si hunc non potuerit cum non stat per eos confusio inde secuta manebit impunis dummodo pecuniam & procuratorem ut premittitur ibi habeant, & infra mensem tunc proximum propriis juramentis vel procuratorum suorum ad hoc mandatum speciale habentium coram Decano vel Seniori Capituli nostri, si Decanus ibi non habuerit ulla eos - - - - - nisi captivatio detinetur accidens si subitanea infirmitas irruens probanda ut premittitur excusabit, similiter licet pecuniam & procuratores sicut premittitur idem habeant. Si impedimentum modo premisso non probaverit penas incidant infra scriptas. Si Sacerdos pro confusione vel negligencie totius hebdomade duorum talentorum vel secundum ratam confusionis si minus quam totam neglexeritis & diaconus pro quolibet Evangelio subdiaconus pro qualibet Epistola neglectis unius marce prædictorum denariorum Suerinensium. Quas penarum summas Decano infra primum mensem a confusione tempore computandum exsolvet ad negocia ecclesie reservandas deductis cum experte sacerdotis uno talentis pro tota ebdomada vel secundum ratam confusionem habente, ex parte vero cujuslibet evangelii & epistole obmissis quatuor solidos, si prout Decanus confusione hujusmodi redemerit precavendo. Si autem neglectores prædicti primam & simplicem summam pene predictam infra primum mensem predictum non solverint ex tunc teneantur ad duplum infra mensem tunc proximum exsolvendum & in usus prædictos convertendum. Quod si infra mensem secundum non solverint extunc sententiam suspensionis ab ingressu ecclesie quem non de consensu & consilio nostri capituli in eos ferimus in his scriptam & usque ad satisfactionem congruam subjacebunt.

Item nullus discantabit in choro sed nota simplex concorditer dicitur cantari preterquam in duobus festis scilicet Johannis Baptiste & patroni tunc etiam fiet discantus super Kyrieleison & vox tonitrui & alia sicut est consuetum.

Item iste modus est servandus de Canonicis decentibus, quod qui decesserit in die Michaelis post nonam cum dicitur Deo gratias complete habebit annum deservitum & annum gratie sed per unum annum scil. primum tantum non habebit bursam etsi habuerit expensas & familiam eidem familie remanenti simul in curia defuncti dabuntur panes per primum mensem. Item carebit mortuus memoriis licet per 2. annos tollere debeat fructus & corpus prebende. Item quam Canonici tam Vicario pro annis quibus percipiuntur fructus beneficiorum suorum deserviri faciant in beneficiis & omnia onera supportabunt. Si ut succedentes in beneficiis voluerint servare constitutionem suscepti regiminis tanta de anno gratie, tunc uterque pro rata fructuum quos percipiunt deservient & onera supportabunt. Structura pro anno suo non deservient ; item si fuerit canonico assignata major Prebenda talis non habebit integram memoriam neque bursam nec panes nisi acta percipiat majorem prebendam : Item Canonicus qui habuerit majus stipendium & percipiens fuerit nec residens continue in ecclesia fuerit, post obitum suum nec memorias neque bursam neque panes habebit.

XIX.

CHRONICON EPISCOPATVS RATZEBVRGENSIS, A PRINCIPIIS CHRISTIANÆ RELIGIONIS, PERCENSENS EJVS FVNDATIONEM ATQVE EPISCOPORVM IBI VITAS.

Series Episcoporum XXXIII.

1. Aristo.
2. Evermodus.
3. Isfridus.
4. Philippus.
5. Henricus.
6. Lambertus.
7. Gottschalcus.
8. Petrus.
9. Ludolphus.
10. Fridericus.
11. Ulricus.
12. Conradus.
13. Hermannus.
14. Marquardus.
15. Volradus.
16. Otto.
17. Wibertus.
18. Henricus II.
19. Gerhardus.
20. Detlevus.
21. Johannes.
22. Perdamus.
23. Johannes II.
24. Johannes III.
25. Rudolphus.
26. Johannes IV.
27. Johannes V.
28. Henricus III.
29. Georgius.
30. Christophorus I.
31. Christophorus II.
32. Carolus.
33. Augustus.

CArolus Magnus, primus Germanorum Imperator fidei Christianæ in Saxonia fundamenta dedit; ille anno Christi 780. regni XI. Wittekindo Saxonum Rege acie victo, omnium in tota Saxonia templorum primum ad Osnabrugam struxit, ibique constituit episcopum Wihonem Frisium, collegiumque Canonicorum his privilegiis instruxit, ut græcam ac latinam ibi Scholam adornare liceret, contra vero obstrinxit Episcopos ac canonicos, si ab Imperatore Græco vel ab aliis principibus legati mitterentur, ut pro Cæsare verba facerent & legatis responderent. *Cranz. Saxoniæ l. I. c. 11.* Deinde Otto I. Magnus fundamenta primi in Vandalia templi jecit Altenburgi, illique custodiam fidei ab episcopatu Slevicensi usque ad fluvium Peinam & urbem Demminum, per omnem Obotritorum s. Megapolitanam regionem commisit (*l. 3. c. 26. & 29.* & in *Vand. l. 4. c. 8.* & in *Saxon. l. 3. c. 26.*) Tandem Adalbertus Archiepiscopus Bremensis comitis Bavariæ Conradi filius (*lib. 5. c. 9. & lib. 4. c. 31.*) circa Imperatoris Henrici 4. tempora, qui Bavariæ Ducatum qui Welphonis fuit, Ottoni Bavaro dederat (*Saxon. lib. 5. c. 3. & 4.*) quo Hamburgum in patriarchatum commutaret, & sibi subordinatos Archiepiscopos haberet, episcopatum Altenburgensem in tres episcopatus divisit, nempe in Lubecensem, Megapolensem, jam Slesvicensem, & Raceburgensem, ibique ad Raceburgum anno Christi 1062. basilicam exædificavit atque primi ibi episcopi munus Aristoni mandavit (*lib. 4. c. 40. & Vandal. lib. 3. c. 3.*) Haud longum post temporis spatium Vandali jam tertium a Christiana fide desciscentes & domino suo Duce Gottschalco, cujus ardor in fide tantus erat, ut subditis suis verbum divinum ipse traderet (*Vandal. lib. 3. c. 1.*) ante aram occiso urbes Hamburgum & Slesvicum, episcopatus Altenburgensem, Mecklenburgensem & Raceburgensem funditus vastarunt & Ansverum ibi ejusque socios lapidibus obruerunt; Aristonem vero tunc una interfectum esse nullibi invenio: hæc irruptio & vastatio facta est anno Henrici 4. Imperatoris octavo, Archiepiscopi Adalberti 22. anno Christi 1066. ab illo tempore templum Raceburgense per annos 84. vacavit (*lib. 4. c. 44. & Vandal. lib. 3. c. 4.*) His 84. annis elapsis Henricus Leo, Dux Bavariæ Saxoniæque anno Christi 1154. (qui obiit anno Christi 1195.) basilicam Raceburgensem renovavit, trecenta jugera nostratium permittente id Henrico Polaborum & Raceburgensium comite addidit, ac Præpositum Magdeburgensem Evermodum hoc loco II. Evermodus 2. episcopum constituit, qui ordinem Prämonstratensium ibi in monasterium induxit, (*l. 6. c. 28. & Vandal. lib. 4. c. 15.*) Obiit vero hic anno 1177. Anno Christi 1158. Lubeca, cum deflagrata antea esset, rursus ædificari cœpta est, & auspiciis Ducis Henrici Leonis maxime crevit, (*Vandal. lib. 4. c. 30.*) qui A. C. 1163. sub Episcopo Geroldo, Episcopatum Altenburgensem Lubecam transtulit, atque templum ibi cathedrale ædificavit, (*Vandal. lib. 5. c. 7.*) itemque post exilium reditumque ex Brittannia episcopatum ab urbe Mecklenburgo Suerinum transtulit, ac Pernonem primum episcopum ibi constituit (*Vandal. lib. 6. c. 36.*)

Isfridus Juchoviæ Præpositus Evermodo III. Isfridus. A. C. 1177. mortuo surrogatus est, quem Crantzius scribit caeco cuidam visum reddidisse; diem is obiit supremum A. C. 1204. regnavit anno 26. juxta Evermodum Raceburgi apud chorum (*lib. 6. c. 40.*) (haud vero secundum aram) sepultus est. Huic Bernhardus Ursus Dux Saxoniæ omnes decumas subtraxit, quia illi Duci sacramento fidem obstringere noluit (*Vandal. lib. 5. c. 42.*)

Isfrido successit Philippus episcopus in or- IV. Philippus dine 4. (*lib. 7. c. 22.*) non sine controversia canonicorum; alii enim Philippum deligebant, qui Isfridi Episcopi diaconus fuerat, alii vero nominabant Henricum Præpositum ecclesiæ cathedralis. Cum vero collegium Canonicorum de bina ista electione inter se dissideret, Albertus Comes Orlamünda Regis Waldemari in Holsatia vicarius arbiter a partibus creatus, Phillippum proposito cedere coacto designavit Episcopum, qui extremum vitæ spiritum reddidit A. C. 1215. Præfuit episcopatui per XI. annos (*Vandal. lib. 7. c. 1. &*

I. Aristo.

V. Henricus. & *Saxon. lib. 7. c. 21.*) Henricus Episcoporum quintus (*lib. 7. c. 34.*) vitam cum morte commutavit A. C. 1228. episcopatumque administravit annos 13.

VI. Lambert. Lambertus, Hamburgensis & Bremensis canonicus, non electus, sed a Papa episcopatum adeptus est, ordine sextus. Tantum sibi jam tunc Papa sumebat, postquam Imperatoribus jus institutionis episcoporum e manibus extorserat: tempore enim Henrici V. Imp. templa Cathedralia & collegia canonicorum liberam electionem impetrarunt, cujus rei facultatem Papa sæpius postea diminuit omniaque sibi vindicavit. Lambertus hic primo episcopatus anno de vita migravit, nempe A. C. 1228. de quo hi versiculi extant:

Ut lupus intravit non vocitatus,
Paulo regnavit, morte punitus erat.
(*Metrop. lib. 7. c. 45.*)

VII. Gottschalcus. Gottschalcus ibi Præpositus loco Lamberti electus, occubuit A. C. 1230. cum per annos duos episcopatu functus esset. Hujus tempore familia comitum Raceburgensium nepotis Bernhardi morte extincta est.

VIII. Petrus. Petrus Episcopus VIII. hic aeque ac antecedens minus diu episcopatum gubernavit, sed brevi illum hic morte subsecutus (*lib. 7. c. 49.*) vixit tempore Friderici II. Imperatoris, spiritumque reddidit A. C. 1236. regnavit annos 6.

IX. Ludolph. Ludolphus Episcopus IX. vir præstantissimus. Huic cum Saxoniæ Duce Alberto Bernhardi Ursi filio (qui eum denique urbe Raceburgo depulit, ut *Reusnerus in opere geneal. fol. 436.* testis est, sed ab eo hujus rei causa sacris interdictus,) multæ gravesque lites fuerunt cum libertatem episcopatus strenue tueretur, hicque episcopalem sedem Verhawiam ipsi cedere renuit. Sub hoc Episcopo in monasterio Raceburgensi tam severa disciplina ac adeo pia sanctaque vita valuit, ut illud hinc ab omnibus Canon ordinis nominatum sit. (*lib. 8. c. 8.*) Mors eum consecuta est A. C. 1250. præfuit annos 14.

X. Fridericus. Fridericus Episcopus X. quanquam de illo haud multa literis mandata invenimus, attamen facile auguramur, illum fuisse præclarissimum; namque in ejusmodi viri, qualis Ludolphus antecessor ejus fuerat, locum obscurum hominem ni fallor, surrogare haud potuerunt. (*lib. 8. c. 8.*) A Richardo Romanorum Rege feudum accepit monasterium *Zarrentbien*, quod comes Suerinensis fundaverat A. C. 1256. Episcopatum tenuit per annos 6. Hujus tempore fuerunt, qui palam Papæ obnitentes maxime in illius doctrinam atque vitam animadverterent. (*ibid.*)

XI. Ulricus. Ulricus Blücher Episcopus XI. vir ornatissimus virtute, pauperumque quasi pater, quibus largiter de eo, quod ipsi suppetebat, dedit. Hic quoque domum Schoneberg de integro (*lib. 8. c. 29.*) ædificavit: fato perfunctus est A. C. 1283. regiminis sui 27.

Conradus Episcopus XII. jam senior episcopatum impetravit; multos tamen per annos maxima cum laude illi præfuit. De hoc sane dicere licet, quod Ambrosius animam agens de Simpliciano, cum discipuli ejus solliciti quærebant, quemnam ejus loco deligerent, ac quidam illorum Simpliciano suffragabantur existimantes ista hand intellexisse Ambrosium, dixit: senex sed bonus. Conradus episcopus aliquando interrogatus: quid jam putas domine pater? Te pene nolentem episcopum elegimus, quid nunc tibi videtur? Forte multi reperientur, qui libentissime id munus in se reciperent, si modo te illo abdicare idque deponere velles? Ille vero obmutescens nil respondit, quasi hoc silentio significaret, gravius esse munus deponere, quam accipere; itaque præsulis dignitatem retinuit usque ad obitum. (*lib. 8. c. 44.*) Hic inter alia eodem anno, quo obiit, in collegio canonicorum hæc verba adscripsit: Rogamus, ut diem obitus nostri annuum peragatis & Deum nobis ad gratiam & misericordiam inclinetis. Mortuus A. C. 1291. Episcopatu functus per annos 8. & per Albertum II. Ducem Saxoniæ ab Rudolpho feudum obtinuit. Ille quoque concessit, ut Collegium canonicorum collectas per provinciam precario factas in suum usum converteret, & de suo jure in illorum aquas ac silvas vel usu concessit. XII. Conrad.

Hinc Hermannus Blücher successit, Episcopus XIII. Frater ejus fuit Ulricus, antea episcopus, qui cum extremum trahere spiritum, a sodalibus interrogatus, quid existimaret, an hunc ejus fratrem ipsius loco episcopum sibi sumerent, maxime dehortatus est, timens, ne res sacra lege quadam succedendi dominis propria fiat. Unde primo Conradum, post ejus vero obitum hunc Hermannum Blücherum episcopum salutarunt. (*lib. 8. c. 54.*) Vitam cum morte hic commutavit A. C. 1309. episcoparus sui anno 18. XIII. Hermannus.

Marquardus Jehauensis ex præfectura Wittenborg ortus delectus est Episcopus XIV. huic cum Collegio canonicorum maximum certamen ac odium interceßit. Inter collegium quoque & præpositum haud convenit, ad quos conciliandos arbitri adhibiti sunt. Hoc tempore templum ita obæratum est, ut conventuales suos ita dictos diutius alere non potuerit, sed duo Lockewitzæ, duo Grevesmuhlæ, duo Schlagsdorffiæ, tres ex ærario templi S. Petri Raceburgi itemque sacelli S. Georgii in monte ac sacelli Mustiensis victum quærere coacti fuerint: capituli interim vectigalia ad æs dissolvendum collata sunt. (*l. 9. c. 8.*) XIV. Marquardus.

Henricus vero Leo Dux Megapolitanus huic episcopo vicos Valckenhagen, Schlauen & Rosemitz, una cum institutione ministrorum templi St. Nicolai & ambarum scholarum urbis Wismariæ concessit, ut tandem anathematis, quod ob irruptionem in episcopales terras sibi contraxerat, vinculo solueretur. A. C. 1323. Ad istius vero epistolæ finem in-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ter alios teſtis loco ſubſcripſit Alardus ab Eſtorff canonicus Lubecenſis. Naturæ ſatis fecit. A. C. 1335. regnavit annos 26.

XV. Volrad. Volradus a Dorne Holſatus, Epiſcopus XV. Hic Verchaviæ, ubi tunc ſedem ſuam epiſcopalem ſtatuerat, domum totam e lapidibus factam ædificavit. (*l. 9. c. 25.*)

Manholdus Eſtorff, niger dictus, ſexaginta jugera in nova Gamma in loco, qui dicitur Finckenrinch ſita pro 60. marcis nummorum vendidit A. C. 1338. diem obiit A. C. 1355. gubernavit annos 20.

XVI. Otto. Otto Brunovienſis Epiſcopus XVI. (*lib. 9. c. 34.*) ſuprema eum dies conſecuta eſt A. C. 1363. epiſcopatui præfuit per annos 8.

XVII. Wilbertus. Wilbertus Blücherus juvenis, cum nondum profeſſionem, quam vocant, præſtitiſſet nec capitularibus adſcriptus eſſet, a Collegio canonicorum electus eſt Epiſcopus XVII. Quia vero Archiepiſcopus Bremenſis huic propter ætatem pupillarem munus ſtabilire nequibat, ipſi confirmatio a Papa Romæ acquirenda fuit. Cum autem Papa hunc propter defectum ætatis legibus ſolvere recuſaret, ex maxima ægritudinis vi una nocte canitiem plane contraxit. Hinc Papa exiſtimans, factam a Deo eſſe hanc rem prodigioſe, illi munus quam lubentiſſime confirmavit. (*l. 9. c. 47.*) Vitam poſuit A. C. 1367. poſſeſſionem epiſcopatus tenuit annos quatuor, quam adeo ærumnoſe Romæ quæſiverat.

XVIII. Henricus. Henricus Wittendorffenſis Epiſcopus XIX. factus hanc dignitatem maxima cum gloria & emolumento tenuit. Hic domum Stove, quam ac Dominis Gronovenſibus cum aliis prædiis commutatione facta obtinuerat, de integro ædificavit; magnam quoque ſitam in arce Schonebergenſi ſtruxit turrim; Imperatorem vero Carolum IV. A. C. 1375. cum veniret Lubecam in ædibus ſuis Epiſcopalibus hoſpitio excepit, & quoad ejus fieri potuit, laute ipſum apud ſe habuit immunem: unde hic epiſcopatus privilegia confirmavit ac amplificavit inſigniter. (*lib. 10. cap. 9.*) Animam efflavit A. C. 1388. epiſcopatus ſui 21.

XIX. Gerhardus. Gerhardus Epiſcopus XIX. admodum frugalis omne æs alienum ab ejus anteceſſoribus contractum diſſolvit vicosque oppigneratos redemit & epiſcopatui reſtituit. Ita quidem fit ſacra ſcriptura perhibente: quod alter ædificat, alter diruit, utrisque vero nil niſi labor paratus eſt. (*l. 10. c. 30.*) Obiit A. C. 1393. epiſcopatus ſui 7.

XX. Detlevus. Detlevus de Parckentien Epiſcopus XX. effuſione victuque nimis lauto epiſcopatum ære alieno iterum oppreſſum reddidit (*lib. 10.*) hic ab Alberto, Rege Sueciæ, Duce Megapolitano, poſt ejus captivitatem ius patronatus templi St. Georgii Wismariæ adeptus mortuusque A. C. 1419. epiſcopatum adminiſtravit per annos 24.

XXI. Johann. Johannes Trempe Epiſcopus XXI. hic, quæ ab anteceſſoribus ejus erant alienata, redemit & ad epiſcopatum reduxit. Spiritum reddidit A. C. 1431. cum gubernaſſet annos 12.

XXII. Perdamus. Pardamus de Kneſebeck Epiſcopus XXII. hic maxima cum ærumna ac laborioſe bona ab ejus anteceſſoribus quondam alienata frugalitate ſumtuumque moderatione pignore ſolvit & ad epiſcopatum redegit; mors eum conſecuta eſt A. C. 1440. regnavit annos 9. feudum acceptarat ab Imperatore Alberto.

XXIII. Johannes II. Johannes Proel Wismarienſis Epiſcopus XXIII. Hic aliquando Duces Saxoniæ convivas advocavit; quamobrem illorum poſteri jus hoſpitii ſibi vindicare anniſi ſunt: hæc vero Epiſcopi hoſpitalitas Collegio canonicorum magni ſtetit deinde, maximumque æris pondus abſumſit, occupuit A. C. 1454. Epiſcopi dignitate conſpicuus per 14. annos.

XXIV. Johannes III. Johannes Preen Epiſcopus XXIV. Et hic optime rei familiari intentus præter alia bona pignore preſſa & Roggelinum una cum lacu & ceteris rebus ad id pertinentibus cum omni jurisdictione ære alieno liberatum ad epiſcopi ditionem adjecit ope Ducum Megapolitanorum implorata.

XXV. Rudolphus II. Rudolphus II. Mollenſis Epiſcopus XXV. pius, ſapiens, mitis, juſtus, in emolumentum præpoſitorum poſt hæc futurorum equos, boves, ſues, oves & ſementem pretio circiter 400. Marcarum legavit, & unumquemque Præpoſitum ea ad ſucceſſorem transferre juſſit fundationis lege, (*lib. 11. c. 80.*) ſed ita larga profuſio evadit ex oculis modernorum.

XXVI. Johannes IV. Johannes Stallkopper Medicus ac frater, ut appellant, conventualis electus eſt Epiſcopus XXVI. Hic amore fœminæ cujusdam captus eam deinde ducere renuit: quamobrem ut iſta liberaretur ad monachos ſeſe adjunxit, (en nequitiam Pontificum, qui ſub obtentu religionis quodvis facere auſi ſuis omnia licere voluerunt) tandemque epiſcopali dignitate potitus obiit A. C. 1477. Johannes Saxoniæ dux domum Stove huic eripuit, quam tamen mox reddere coactus eſt.

XXVII. Johannes V. Johannes de Parckentien Epiſcopus XXVII. electus eſt A. C. 1477. epiſcopatus curam geſſit annos 33. mortuus A. C. 1510. (*Chytræus in continuatione Crantzii f. 431.*) Hujus tempore conventuales veſtitum huc usque ſibi conſuetum ex diſpenſatione Papæ commutarunt & Præmonſtratenſium ordine relicto facti ex canonicis non canonici, hoc eſt: ex regularibus irregulares (& ita totus terrarum orbis verſatur ſine regula, ſine lege, ſine juſtitia) *l. 2.* Hæc *Crantzius*. Hic vero Epiſcopus, cum Saxoniæ Duces jam ejus anteceſſorum ævo hoſpitii jus in eum ſibi arrogarent eamque ob cauſam Epiſcopo ac Collegio canonicorum maxima inferrent damna atque moleſtias crearent neque is ſe ab his ſatis tutum judicaret eorumque conatus reprimere haud poſſet, clientelam Ducis Megapolitani effiagitavit atque una cum his, illorum favorem duntaxat ſibi

ut

ut conciliaret, propriis sumtibus Marburgum, Torgoviam & tandem Romam itineris comes ipsis factus petivit. Tandem vero cum Henricum Ducem Megapolitanum, cui bellum erat cum Lubecensibus Schœnenbergæ ad prandium vocaret, hic arcem occupavit ac hospitem una cum domesticis domo expulit eamque contra Lubecenses muniuit. Quod ob factum episcopatus maxime ab Lubecensibus adflictus & spoliatus tributumque sub comminatione incendii ab eius incolis exactum est, atque vicis domibusque incendio deletis plus quam 20000. Marcarum jactura illata est. Tandem post biennium Episcopo restitutionem arcis Schœnenbergæ postulante hic una cum Collegio canonicorum Duci Megapolitano fidem obstringere debuit, ut ipsi, quotiescunque efflagitaret, arx pateret. Hac molestia hospitii, quod Duces Saxoniæ in arce Schœnenberga sibi vindicabant, Episcopatus egregiis Johannis Mussenii Præpositi consiliis rursus liberatus est. Quibus juxta & aliis incommodis per Duces Saxoniæ Episcopatus sæpius afflicto tandem canonicorum cohors, ut habitum commutaret, addacta est, quod factum A. 1504. Cum enim viri insignes ac sapientia conspicui a monastica vita abhorrerent, hinc que deficerent doctrina præstantes, quorum usus urgente necessitate erat eximius, permittente id Imperatore ex concessione Pontificis pristino ordini vale dixerunt & in canonicorum sedem commutarunt. Quo facto sede vacante electus est vir sapiens, eruditus, ac gratia apud Imperatores, Reges ac principe plurimum valens.

XXVIII. Henricus. Henricus Bergmeier, ordine XXIX. creatus A. C. 1510. sed morbo correptus, quem apoplexiam vocant, die 2. mensis Octobr. A. C. 1524. Lubecæ morti succubuit; Schœnenbergæ, cum ob litem Ratzeburgi haud liceret, terræ mandatur, ubi juxta abtare hic episcopus unus reconditus jacet. Graues vero ipsi lites cum Duce Saxoniæ Magno cui a secretis atque scriba ipsius supremus s. cancellarius antea fuerat, de immunitatibus ac jure episcopatus interceserunt. Cum enim Dux spontanea terræ tributa (*Landbeden*) ac ius hospitii (quamobrem eius pater Johannes Dux Saxoniæ, qui obiit A. C. 1507. quam sæpissime maximam molestiam episcopatui intulerat ipsique molam ad lacum Raceburgensem juxta pontem sitam vi eripuerat, quæ adhuc (nempe A. C. 1622. detinetur, a subditis collegii canonicorum & episcopi exigebat; Episcopus vero hanc ipsi facultatem concedere nec vellet nec posset, & ejus rei causa inhibitiones ac citationes varias contra eum a papa obtineret atque etiam Brunsvicensium ac Luneburgens. Duci Henrico, Ottonis filio, cui ab Imp. hæc cura demandata erat A. C. 1515. (quia Henrici Ducis Megapolitani, cujus clientela ac præsidio anteceſſor ejus usus exiguum in se favorem ac auxilium experiebatus, sacramentum ob jura episcopatus primaria, quod a temporibus Episcopi Perdami plus quam 60. annos neglectum erat, præstitit. Hinc tanto magis Dux in episcopum ira incensus collegii canonicorum socios bonis exuit, ac permisit, ut Johannes Daldorff ipsius cliens Episcopo, quia agricolarum suorum quendam ob non numeratam debiti æris summam sacrorum usu interdixerat, impetum faceret in episcopatum, ac prædam cogeret ex agris Carlov, Klagstorff & Kuhlrade præfecturæ Stovensis atque maximum hic inferret damnum. Quamobrem episcopus Ducem totamque ejus regionem exsecratus est; deinde vero cum Dux pacifice cum illis agere cuperet, dirarumque vinculis usque ad festum Paschale laxaretur, & episcopus & socii eam ob causam Raceburgi mense Martio A. C. 1517. in curia præsulum convenirent transactioni initium daturi, Dux Magnus istos omnes vi conclusos ibi detinet, usque dum literis ac sigilis fidem obstringerent atque voverent, se 1) neminem præter Ducem Saxoniæ ejusque hæredes Dominos ac Patronos suscepturos. 2) Omnibus privilegiis, quæ accepta ab Imperatore ac Papa possiderent, se nuncium missuros. 3) Terræ tributa ac jura hospitii ab Episcopatus subditis exigenda ipsi concessuros. 4) Ab his rebus nullam absolutionem ab Imperatore ac Papa requisituros, pœna condicta 40000. nummorum aureorum. Quia vero Dux has literas vi expresserat, Præpositus, Decanus ac collegium inde Lubecam, quo jam ante biennium epistolas suas, sigilla ac tabularium transferri curaverant, abierunt, omnesque unanimi consensu constituerunt, nunquam Raceburgum redire, nisi literas a se vi extortas recepissent: quod tantem intercedente Papæ Legato Johanne Grimoldo episcopo Lubecense, operas jungentibus Archiepiscopo Bremensi & consiliariis Legatisque Ducum Brunsuicensium ac Luneburgensium, itemque Megapolitanorum, A. C. 1519. die 26. Novembr. ad Lentzkavum effectum est, ibique Dux epistolas reddere coactus est, quæ quidem omnibus præsentibus in ignem conjectæ ac combustæ sunt. Hinc & episcopatui ac Collegio canonicorum bona, quæ illis subtraxerat, Dux restituit. Quæ vero ad vectigalia exigenda ac jus hospitii pertinent, dilata sunt: episcopus deinde ac Collegium canonicorum hac lite ad tribunal Imp. quod Camera dicitur, delata post spatium 17. annorum A. C. 1536. Dux causa cecidit; quo facto tandem collegii socii A. C. 1519. die 12. Decembr. sedem suam Raceburgum repetentes receperunt curias, immo vero & detrimenta bonorum illis die 26. Decembr. anni sequentis 1520. a Duce compensata sunt. Cum vero collegium canonicorum, quosdam præbenda, ut vocant, instructos, quod ab illis defeciſſent ac Ducem sibi Patronum deligentes ipsi adhærerent, ex ipsorum præscripto pœna afficere vellent, Dux specie his succurrendi pristinam litem renovavit, ac satisfactionem compensationemque ob actionem ipsi in Imperii curia intensam pariter &

ignominiam ac injuriam ſibi illatam, quamque dimidii principatus ſui jactura ipſo affirmante tolerare nollet, efflagitauit atque collegio canonicorum ad unum omnia bona eripuit ac publicavit; Itaque epiſcopus ac Collegium canonicorum tria mandata, quæ nominant requiſitoria, ex conſtitutione Friderici II. Imp. primum Wormatiæ A. C. 1521. die 18. April. ſecundum Montibus Hannoniæ urbe 1521. die 27. Sept. ac tertium Eslingæ, 1526. 28. Junii contra ducem obtinuerunt: hinc tandem A. C. 1532. reſtituti quidem ſunt fundi, neque tamen commoda ex illis percepta compenſavit quisquam, cujus ſententia nondum a judicibus hoc 1622. A. pronunciata, ut ſub ſequenti episcopo Georgio von Blumenthal videre licet.

XXIX. Georgius. Georgius von Blumenthal J. U. D. & nobilis Prignizenſis epiſcopus XXIX. electus eſt A. C. 1524. ac mortuus A. C. 1550. Tempore hujus epiſcopi Dux Magnus omnes fundos vicosque A. C. 1532. ſub comminatione proſcriptionis canonicorum coetui reſtituere juſſus. Uſum vero iſtorum ac templum cathedrale Raceburgenſe, finitimaque prædia cum agris, polentæ molam juxta pontem longum, (quam pater ejus Dux Johannes collegii ſubduxerat quondam,) Ferchovium, Kogelam, Sterleyam, item Poteravium haud reddidit. Unde lis de novo ſpolio, quæ adhuc in judicio verſatur, enata, & ſententia de reſtitutione in camera Imp. A. C. 1530. die 20. Junii dicta, proſcriptio vero Ducis d. 10. Febr. ejusdem anni facta, hinc bona reſtituta hominesque Schlagstorffiæ ante templi aream per cancellarium Johannem Gekuſten, Ottone de Münſtern, ac Fridericum Torneium ad Canonicos remiſſi ſunt. A. C. 1532. die 22. Jul. executoribus, Electori Brandenburgenſi, Archiepiſcopo Bremenſi, Erneſto Duce Brunſuicenſi ac Luneburgenſi, Henrico ac Alberto Ducibus Megapolitanis, item Lubecæ, Wismariæ, Hamburgo, Luneburgo, Bremæ ac Monaſterio civitatibus ab Imperatore ſub mulcta 80. marcarum auri probi (Lœtiges, ut epiſcopo ac collegio Raceburgenſi bonorum proſcripti Ducis Magni dent poſſeſſionem illisque eam ſervent, donec illis ſatisfaceret atque illatum illis damnum penitus compenſatum foret. Nihilominus poſt factam hanc reſtitutionem, cum capitulares in vicos ſuos proficiſcerentur vectigal uſurasque a conductoribus collecturi, ipſe dux Magnus cum armatis equitibus in illos incurrit ac vulneratos quosdam cepit & aliquamdiu cuſtodia concluſos tenuit quos deinde pro arbitrio miſſos fecit.

XXX. Chriſtophorus. Chriſtophorus de Schulenburg epiſcopus 30. electus eſt A. C. 1550. Hic denique epiſcopi munere ob moleſtias ſibi ac Collegio canonicorum a Ducibus Saxoniæ illatas, quas haud amplius ferre nequibat, ſe abdicavit, Ducique Megapolitano Chriſtophoro tradidit A. 1554. Uxorem hinc Annam ab Eſtorff, filiam Ottonis Eſtroff, Veerſenſis duxit ac præpoſitus in Diſtorff factus ibidem obiit. Hujus epiſcopi aevo A. 1552 Dux Franciſcus Volradus ſeniorem Comitem Mansfeldenſem cum exercitu in epiſcopatum adduxit, qui primum media nocte templum cathedrale invaſit idque ſpoliavit, omnia ſimulacra argentea, res pretioſiſſimas, ciboria, ac præſertim duodecim apoſtolos ex argento fabrefactos, ſignum Aſchverii pectore tenus argento efformatum duos aureos calices ac octo argenteos, textilia aurea, ſerica, ornatus ſacros, 7. campanas omniaque candelabra abſtulit, ac ita templum nudavit, ut nil quicquam inviolatum remaneret, muris etiam atque feneſtris plane quaſſatis, deinde e domibus canonicorum omnem ſuppellectilem ſubmovit, hosque omnibus bonis evertit. At in eo haud acquievit, quin potius ab iisdem Volradus comes Mansfeld. poſtquam ipſum cum exercitu per duos menſes aluerant, ad redimenda ab incendio ædificia 4000. thaler. imper. extorſit. Præterea dictus hic comes, quanquam tunc Collegium canonicorum legitime ac juſto modo electum ac confirmatum epiſcopum haberet, quosdam canonicos cuſtudiæ mandavit, illosque per 6. menſes peſſime habuit ac miſerrime ſecum circumduxit, per varias horribilesque minas eos coegit pollicери, ſe dicti Ducis Franciſci filium Magnum Ducem (quem quidem deinde frater ipſi germanus Dux Franciſcus junior A. 1588. comprehenſum ac in arce Raceburgenſi per annos 18. captivum detinuit, ibique in ſacello arcis, cum denique A. 1603. die 30. Maji mortuus eſſet tenuiter terræ mandari juſſit) epiſcopum ſibi poſtulaturos ac electuros, utque cæteri canonici, Præpoſitus nempe, Decanus &c reliqui, quos non captivos habuerat, hanc injuſtam ac vi extortam poſtulationem aſſenſione ſua comprobarent, effecturos eſſe. Nec ulla habita ratione, quod epiſcopus ac collegium cauſam de jure hoſpitii deque terræ tributis colligendis A. C. 1536. obtinuerant, Dux Franciſcus ac pater ejus Dux Magnus, qui A. 1543. obiit, non ſolum vicum Poterow una cum omnibus ejus emolumentis Epiſcopatui detraxit, ac in pagos Panthen, Wolfsfelde, Manhagen, Zieten ac Oldenburg jus hoſpitii exercuit, ſed etiam Dux Franciſcus A. 1555. eodem jure per omnem epiſcopatus regionem uti violenta ratione auſus eſt, qui quidem anno ætatis 83. Buxtehudæ obiit. Chriſtophorus vero Schulenburg. epiſcopus auxilio primipili Georgii ab Helle domum Stove An. 1554. paulo ante quam epiſcopale munus deponeret, rurſus occupavit; cum Dux Franciſcus ante biennium auxilio Volradi Mansfeldenſium comitis eam ipſi eripuerat.

XXXI. Chriſtophorus I. Chriſtophorus Dux Megapolitanus Auguſtæ Vindelicorum A. 1537. natus, poſtquam Chriſtophorus Schulenburgenſis epiſcopi munus ultro depoſuerat, in ejus locum ſuffectus 1554. ac anno 1555. Archiepiſcopo Rigenſi, qui ex Marchionum Brandenburgenſium ſtirpe prognatus coadjutor epiſcopatus Rigenſis

ſalutatus eſt, inuitis ac inſciis, quos vocant, ordinibus ac contra pactionem Wolmarienſem 1546. factam, vi cujus nemo extraneorum Principum ſine communi omnium conſenſu ad ullam dignitatem provehendus erat Quamobrem A. 1556. a Dn. Henrico de Gaden ordinis præfecto ac ejus legato de Fürſtenberg hic Chriſtophorus ac Archiepiſcopus capti; ſed poſt unius anni ſpatium 1557. a Rege Poloniæ Sigismundo liberati ſunt. Hoc vero caſu ac internis diſſidiis Rex Poloniæ primum in Livoniam acciti ſunt: quo factum, ut illa deinde omni libertate privaretur. Cum vero ordinis præfectus idemque Archiepiſcopus Henricus, ut ſuos contra Muſcovitas ſatis munitos præſtaret, Regis Poloniæ fidei ſe tradere coactus eſt; Dux contra Chriſtophorus alium ſibi dominum præter Imperatorem probare & obſequii ſacramento ſe obſtringere nollet, ejus cauſa Germaniam repetiit, ſed nullum ab Imperio Romano auxilium obtinuit. Hinc. A. C. 1562. Gotthardus Kettler præfectus ordinis noviſſimus Regi provinciam tradidit, qui fuit finis Germanici Ordinis, cum 357. annos ſtetiſſet; is autem hinc Dux Curlandiæ factus eſt. Quia vero Dux Megapolitanus Chriſtophorus nullam opem ab Imperatore atque imperii proceribus impetrarat ad Regem Sueciæ confugit, ac ita hunc ſibi conciliavit, ut auxilio dicti Regis Archiepiſcopatum Rigenſem recuperaret ac poſſideret, ea conditione, ut ſororem Regis juniorem Eliſabetham uxorem duceret, quod demum poſt 18. annos factum eſt.

Hic A. C. 1563. paulo ante obitum Archiepiſcopi ſtipatus quibusdam militibus rediit in Livoniam ac Gubernationem Archiepiſcopatus ſibi ſumſit; cum autem Regi Poloniæ ſacramento ſe addicere nollet, ab gubernatore regio Curlandiæ Duce ex arce Dahlen captivus in Poloniam deductus & in Naxa arce per 6. annos detentus eſt; tandem vero frequenti interceſſione, ejus fratrum ac Alberti Pruſſiæ Ducis ex cuſtodia dimiſſus. Qua quidem ratione & Archiepiſcopatus Rigenſis ſublatus intercidit, atque 1566. in Ducatum commutatus eſt. A. C. 1574. Dux Saxoniæ Magnus cum fratre Franciſco de Imperio diſſidens in urbem Raceburgum irruit, hanc una cum templo cathedrali ac ædibus, quæ ad illud ſpectant, plane ſpoliavit atque nudavit, damnum aliquod millium marcarum collegii ſociis inferens, idque eam ob cauſam, quod epiſcopus Dux Chriſtophorus fratri ejus Franciſco quosdam equos in auxilium miſerat, qui a tranſitu Albis fluvii ipſum cohiberent. Arcem vero cum occupare haud valeret ac Imperii auxilia in itinere eſſent, fuga in Sueciam ſe proripuit, nec vero ibi diu commoratus eſt. A. 1581. poſt 7. annorum ſpatium, ex quo epiſcopus Dux Chriſtophorus filiam Regis Daniæ Friderici Dorotheam in matrimonium duxerat, at vero ea biennio poſt e vita exceſſerat, tandem nuptiis cum Johannis Regis Sueciæ ſorore Eliſabetha Holmiæ celebratis in Germaniam ac epiſcopatum Raceburgenſem redux factus eſt. A. C. 1592. die 4. Martii quiete ac beate in Chriſto obiit Schœnenbergæ anno ætatis 56. cum optime ac eximia cum laude epiſcopatui per annos 38. præfuiſſet. *Chytræus* quidem in *oratione funebri* de illo refert; quod ejus natura fuerit ingenua, verax & candida, omnis fuci, ſimulationis, doli & fraudis expers, amorem & indignationem in fronte promtam gerens. Singularis erga ſubditos moderatio, clementia, lenitas & vere paterna bonitas & comitas, qua non faſtidioſe a ſe repellebat quemquam negotia ſua propoſiturum, ſed humaniter audiebat omnes, quibus cunctis benigne reſponſum eſt præſtitum, quod debuit ac potuit promte. Injuria conſulto facta nemini, venia data multis etiam indignis.

Carolus Dux Megapolitanus natus eſt ſub veſperam diei Michaelis A. C. 1540. A. autem C. 1575. coadjutor ac ſucceſſor a Collegio canonicorum creatus. A. C. 1592. die 9. May poſt fratris ac anteceſſoris obitum epiſcopatum adiit. A. 1593. commendator, uti vocant, Miroviæ, ac 1603. Dux Megapolitanus cum imperio factus, at Guſtroviæ 1610. die 22. Julii, cum annum ageret 70. pie mortuus ibique die 30. Auguſti humo conditus eſt. Pius, mitis, religioſus, clemens, maximeque amans verbi divini ejusque miniſtrorum, quorum fides conſpicua erat. Epiſcopatui per 19. principatui ſibi hæreditario per 8. annos præfuit inſigni cum gloria, Collegio canonicorum privilegia ac pacem conſervavit ac in puriori religione Chriſtiana juxta invariatæ confeſſionis Auguſtanæ præſcriptum usque ad mortem perſeueravit. *Carolus XXXII.*

Auguſtus Dux Brunsvicenſis ac Luneburgenſis a Collegio canonicorum die Mercurii poſt Quaſimodogeniti A. C. 1596. unanimiter coadjutor atque hinc adminiſtrator epiſcopatus Raceburgenſis deſignatus eſt, qui etiam poſt mortem Ducis Caroli ejus anteceſſoris poſſeſſionem domorum epiſcopalium per legatum ſuum Ottonem Schacken ac D. Statium de Hatten adiit. Aſt nihilo ſecius Johannes Albertus Dux Megapolitanus eo, quod quædam in epiſcopatum jure ſibi licere contenderet, aliorum ſuaſionibus adductus armata manu Schœnbergenſem domum invaſit ac d. 31. Julii cepit, atque ut Otto Schacken, qui epiſcopi curabat negotia, ac reliqui canonicorum legati una cum caſtelli præſidio emigrarent, permiſit, quæ lis tandem in comitiis Gardelebienſ. aliqua ex parte conciliata eſt A. C. 1611. die 11. Martii; quo facto domus Schœnenberga atque Stove Imperatoris nomine legatis Archiepiſcopo Bremenſi ac Adminiſtratori Suerinenſi a Duce Megapolitano Franciſco Alberto traditæ ſunt. Sed quoniam conſtitutum erat præterea, ut utrique ducum legati Lubecæ convenirent ac inter litigantes tranſigere amice aut compromiſſo utrinque facto deciſionem litis tentarent, res vero ad periculoſam moram & retardationem *Auguſtus XXXIII.*

abire videbatur; dictus hic episcopus, Dux Brunsvicens. ac Luneburg. Augustus die 29. Aprilis Mechoviæ Collegium canonicorum, quibus præerat, salutavit &, postquam ibidem per unius diei spatium acquievisset, sequenti die 1. Maji Schœnebergam pervenit ac possessionem episcopatus sui arripuit sibique sumsit. Tandem lis, quæ Dei gratia est, opera constitutorum hic arbitrorum plane composita est die 29. Maji 1611. & præsulis dignitas consensu reverendi canonicorum Collegii Principum Cellensi ac Gustrovienſi utrorumque posteris per vices quamdiu stirpis eorum aliquis superstes foret, aut altera extincta alteris solis, quorum progenies superaret, hæreditario jure concessa atque decreta est: quod si vero eorum sobolis nemo amplius supereſſet electionem Collegio canonicorum rursus liberam faciendam esse statuerunt, ut quemcunque hi velint, sibi eligant. His motibus agitatis Franciscus Saxoniæ Dux, ne hoc quoque loco sibi deesset vel canonicorum cœtum hinc haud lacessitum abire pateretur ad illos die 23. Sept. 1610. aliquem suorum ablegavit, qui inter alia maxime quereretur. 1) Quod ipsum sereniſſ. principem in noviſſima episcopi electione (neglecto, quod sibi abuno alteroque, præsertim vero a Collegii præposito Henrico Dalldorffio factum erat, promisso) præteriissent. 2) Quod, cum filius ejus Philippus sepeliretur, multum repugnassent, sibique injuriam feciſſent, dum ostio templi obserato ab ipso argentum pro campanarum usu expreſſiſſent; nec vero ipsum nescire, quorum impulsu id factum sit, hinc nec habere istos, quod iniquo ferant animo, si in illos injuria quadam illata rursus animadvertatur. 3) Quod Ducibus Saxoniæ 6. præbendas in quem vellent conferendi libera potestas sit confirmante id bulla Papæ neque vero de hoc jure ipsum conceſſurum esse affirmavit. 4.) Ducibus Saxoniæ per totum episcopatum licere prosequi proficiscentes, fidem publicam præstare accusatis vel peregrinantibus (Geleit) idemque castellorum & pontium operas atque eorum tutelam ipsis deberi, ut & jus hospitii in prædiis ad collegium pertinentibus, cujus sibi jam usus foret, hincque se postulare, ut ejus socii subditos suos ad id adigant; quod vero dum Carolus Dux in vivis fuisset, id non efflagitasset, inde factum, quod iste frater sibi amantissimus fuisset, jam vero se id haud negligendum putare. 5) Ob furem, quem e vinculis diffugientem super lacum traduxissent (quod quidem collegio per factam A. C. 1394. ab Erico jun. Saxoniæ Duce perscriptionem omnino licebat,) sibi satisfieri aut lintres abolendos se postulare. Die autem 6. Octobr. ejusdem anni, cum Collegium canonicorum ad 14. illius querelæ momenta respondere minus cito posset, adeoque dilationem 6. hebdomadum sibi concedi peteret, per ministrum sibi a secretis Ottonem Copen huic cœtui indixit, se in graviorem contemtus ac contumeliæ reputare locum, quod præstituto tempore ipsi respondere renuissent seque id data occasione rite vindicaturum, interim se velle, ut canonicorum grex lintres, scaphas ac naviculas, quia ista benigne facta concessione abusi fuissent, & reos illis trajeciſſent, quarum usum adhuc in hunc sextum & sequentem septimum hujus mensis concederet, locis suis clausas contineant: si vero huic monitioni aures præbere nolint, omnes istas lacus e ripa aboleri se curaturum. Hinc & d. 9. Octobris simul tres naviculas avexit, quæ quidem sequenti anno restitutæ sunt, ac tandem collegio liber lintrium, navicularum & scapharum usus relictus est, qui hujus ludi exitus fuit.

Quod vero ad 6. istas præbendas Ducis, quarum mentio facta est, attinet, hæc ejus rei ratio est, quod istæ ex præscripto bullæ Julii II. Pont. T. P. 13. portionum istarum, quæ Canonicales appellantur & quondam Raceburgi fuerunt, plane sint exsortes, sed 6. illorum munerum sacrorum seu, vt dicunt, parochiarum, videlicet Lauenburgensis Stabel, Bœckens, Siebeneichens. Berkentin, & Seedorff reditibus illarum socii alendi sint, ac semper ultimum in capitulo, choro & publicis processionibus occupare debeant locum. Atque adeo, quam irritum atque iniquum hoc postulatum sit, facile apparet.

A. 1615. cum proxime futura esset Decanatus, ut vocatur, in filium Regis Daniæ alterum Fridericum Holsatiæ Ducem collatio, inter sereniſſimum episcopum & Decanum Hartwig de Bulow graves exortæ sunt lites, quorum ille maxime in hunc ira fuit incensus; lis tamen conciliata est tandem, ut vero ejusmodi dissensionibus in posterum eo rectius occurreretur, inter Episcopum conservatores socios episcopatus Raceburgensis ac Collegium canonicorum quam plurimas legitimas optimeque præmeditatas causas convenit, ut pactione, quæ d. 29. Maji Anno 1611. Schœnenbergæ facta erat, quod ad electionem successoris pertinet, aliquantum mutata Dux Megapolitanus Henricus Albertus illico, nempe d. 21. Octobris 1615. coadjutor deligeretur ac publice salutaretur. Quod quidem in posterum semper ita faciendum, ut præter delectum præsulem simul coadjutor ex duabus his principum familiis per vices postulandus, constituendus & publice pronuntiandus foret. Quo facto statim Johannem Albertum Ducem Megapolitanum coadjutorem expetitum adoptatumque palam proclamarunt.

XX.

DIPLOMATARIVM RACEBVRGENSE I. EX MEMBRANIS AVTHENTICIS COLLECTVM AB A. 1154. VSQVE AD A. 1388. CVRANTE PRÆCIPVE HINRICO A WITTORP EPISCOPO RACEBVRGENSI ET FRIDERICO PRIORE.

Introitus Diplomatarii.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Omnibus quibus præſentia exhibita fuerint H. divina miſeratione Raceburgenſis eccleſiæ epiſcopus Præpoſitus & Prior F. totumque ejusdem eccleſiæ Capitulum in vero ſalutari ſalutem! Ut lingua venenoſa impudenter detrahentium Prælatis eccleſiam ſuam ſalubriter & utiliter regentibus conquieſcat, univerſa eccleſiæ privilegia, dignum duximus regiſtranda & cetera bona ſive per *emtionem* ſeu per *donationem* ac *permutationem* conquiſita, quibusve in locis ſita ſint, ſcriptis decrevimus (†) commendare, & ut citius & facilius quis inveniat quod deſideret, ſic exordium capiamus ut ſequitur.

(†) Laudem meretur hoc inſtitutum, quamvis haud omnibus numeris abſolutum. Apparet enim quod paſſim quædam documenta & privilegia vel manibus vel memoria collectoris exciderint. Addidimus præcipua paucula nec tamen omnia, utpote *Diplomatariis Mecklenburgicis* reſervata.

I.

Diploma Henrici Ducis Bavariæ & Saxon. de Originibus Epiſcopatus Raceburgenſis ejusque dote ex bonis imperii ſeu dominii ipſius conſtituta cum oblatione & reſignatione eorum in commune beneficium ſeu feudum imperii jure tamen territoriali & clientelæ ſibi ad tempus vitæ reſervato. A.

1154.

HEnricus Dei gratia Bavariæ & Saxoniæ Dux *A. 1154.* omnibus in perpetuum ſalutem in eo, qui ſalus eſt omnium. Auditam eſſe volumus & optamus in oculis omnium gentium gloriam Domini in voce exultationis & confeſſionibus omnium pro eo, quod ad dilatandam chriſtianæ devotionis unitatem & imperii Romani terminos dilatandos ſtrenue nobis & fideliter operam dante Hartwico S. Hamburgens. eccleſiæ Archiepiſcopo TRES *epiſcopatus* in TRANSALBINA SLAVIA *Ratzeburgenſem, Lubicenſem* (*) *Zwerinenſem renovavimus* & ſingulos

De Aldenb. epiſcopatus in Lubecenſem transformatione a 1160.

(*) Fallunt igitur forte, qui Aldenburgenſis Epiſcopatus translationem ab Henrico Leone factam demum aſſerunt a. 1160. quos ſequitur *autor der Nachricht von Hamb. p. 251. STAPHORST. Hiſt. Eccleſ. Hamb. P. 1. p. 572.* Alii annum 1161. definiunt fide *HERMANNI CORNERI* apud *ECCARDUM Corpor. Hiſt. medii ævi T. II. p. 717.* ubi ad annum 1161. ita: *Videns autem Geroldus epiſcopus Aldenburgenſis, urbem Lubicenſem valde ditari & Aldenburg depauperari; rogavit Henricum Ducem Saxoniæ, ut ſedes cathedralis, quæ hucusque fuerat in Aldenburg, transferretur Lubeke, eo quod civitas hæc eſſet populoſior & locus munitior, & omni prorſus aptitudine commodior. Quod cum placuiſſet Duci, conſtituerunt diem, quo Prælati venirent Lubeke ordinaturi de ſtatu eccleſiæ & epiſcopatus. Et deſignavit Dux locum, in quo ædificari deberet Oratorium in titulum Matricis eccleſiæ, & areas clauſtrales deſignans conſtituit illic prabendas XII. Clericorum canonice viventium; Tertia decima vero præbenda præpoſiti eſſe deberet. Et dedit Geroldus epiſcopus in ſtipendia fratrum decimas quasdam & tantum de ſuis reditibus, quos ſolvit Slavia, quantum pro præbendis ſufficere poſſet perficiendis. Et reſignavit comes Adolphus villas opportunas prope Lubeke, quas ſtatim Dux obtulit in uſus fratrum. De telonio vero aſſignavit cuilibet fratrum duas marcas Lubicenſis monetæ. Inſuper & alia pluria privilegia contulit, quæ in Lubicenſi eccleſia continentur.* Eundem annum laudat *AUTOR Rudimentorum Novitiorum*, de quibus vide *SEELEN ſelect. literar. p 574.* Sed ad annum 1162. translationem retulit *Anonymus* apud *MADERVM Antiquit. Brunſvic p. 130.* Plures vero cum *ALBERTO STADENSI, chronographo SAXONE, chronico STEDERBURGENSI à MEIBOMIO & Leibnitio edito chronico MONTIS SERENI pag. 33.* item *rhythmico* apud *LEIBNITIUM T. 3 R. B. c. 31 p. 52. AUTORE Hiſtoriæ Archiepiſcopo Bremenſ.* apud *LINDENBROGIUM Script. Rer. ſeptentr. in vita Hartwici p. 93. ANONYMO Annalium circa an. 1288. conſcriptorum* apud eundem p. 255. *HENRICO Aquilonipolenſi poeta de primodiis Lubicanæ urbis L. 1. c. 6.* apud *MEIBOMIUM T. 1. p. 607. CONRADO EVERMOTO Presbytero Raceburgenſi in Chronico epiſcopor. Aldenburgenſ. in Wagria in vita Geroldi apud PAULINI in Synt. rerum & antiquit. Germ. p. 168. LERBEKIO Chronic. Comit. Schawenb. ap. Meibom. T. II. p. 500. PRESBYTER BREMENSIS in Chronico Holſat. ap. Leibnitium in Acceſſ. Hiſt. p. 29. JO. PETERSENIO Chron. Holſat. P. 2. p. 43. CRANTZIO L. 4. Vandal. c. 37. 38. Metrop. L. 6. c. 38. PETRO BERTIO L. 3. Commentar. ver. German. c. 6. p. 178.* aliisque ad annum 1163. progrediuntur. Quorum veſtigia legunt *ECKHARD de HENR. Leonis autorit. p. 56. PFEFFINGERUS ad Vitriar. T. II. p. 166. & Hiſt. Brunsv. Luneb. P. 1. p. 46. HARENBERG Hiſtor. Gandersh. p. 327. MELLE in der Nachricht von Lübeck p. 92. & in Hiſtoria antiqua Lubecenſi cap. 2. §. 15. 19.* Nec deſunt, qui cum *MATTHÆO DRESSERO Chron. Saxon. L. 2. p. 86. & DANCKWERTH Chorograph. Holſat. p. 212.* ad annum 1168. & cum *AUTORE Chronicæ Slavicæ* apud *LINDENBROGIUM c. 29. p. 200.* ad annum 1174. dilabuntur. Rectius *FRANCISCUS IRENICUS Exegeſ. Germ. L. 2. c. 41.* translationem ad annum 1155. retulit. Sed omnium curatiſſime annum 1154. laudavit *REIMARUS KOCK in Chron. Lubicenſ. MSCt. L. 1. f. m. 25. Als man ſchref na Chriſti Gebohrt 1154, ob wol dat de olden Chronicken hebben dat Jahr 1163. angetecket, is dat Biſchopdohm to Lübeck transferert uth dem Lande to Holſten, dar it plag tho ſeyn, als to Oldenborg, welcke ermals eine Herrlicke See und Kopſtadt geweſen, wenthe als de Biſcop Gerold ſach, dat Lübeck tægelich tho nahm in Gebuwe un in Gelücke mit de Handlung, belangende be von dem Fürſten Hertog Hinrich dem Löwen, dat Sine Gnade wolten dat Stifft von OLDENBORG, welcke dock nu ene ledige Stadt wære, nehmen un idt tho LUBECK TRANSFEREREN; diſen Vorſchlag nahm de Fürſt an, dewile be enen ſonderlicken Gefallen und groten Hopen to der Nien Stadt Lübeck hadde, und quam in egener Perſon to Lübeck und tekende den Platz uth, wo man de Kerke und Cloſter buwen ſholte.* Quod ipſum aſſertum, niſi *introductionem* & *translationem* epiſcopatus, res plane diverſas fuiſſe credideris, facile corroboratur & diplomate adducto, & templi cathedralis

Item Pfeffinger & Mellenii.

Aliorumque a. 1168. 1174.

Fide Corneri a. 1161. 1162.

Pluriumque a. 1163.

Rectius. a. 1154.

gulos eorum trecentis manſis *de bonis imperii* (**) *ſub uno jure dotavimus.* Quapropter ſicut dicit Apoſtolus, laborantem agricolam primum de fructibus ſuis oportet percipere de

dralis Lubecenſis inſcriptione aureis litteris expreſſa: *Anno Domini M C. LIIII. Hinricus Leo Bavariæ & Saxoniæ Dux tunc temporis huius civitatis Dominus & huius eccleſiæ Lubecenſis FUNDATOR, Geraldum primum epiſcopum Lubecenſem hic INTRODUXIT.* COCKIUS *d. l.* BANGERTUS *ad Helm. L. I. c* 78. Idem dicendum eſt de tempore epiſcopatus Mecklenburgici Sverinum translati, quod HEDERICUS *in Chronic. epiſcopor.* Sverinenſium *MSCt in vita Bernonis* ad a. 1170. retulit, ſeductus litteris Friderici I. imperatoris *de TERMINIS epiſcopiæ Sverinenſis* rogatu Bernonis epiſcopi Sverinenſis a. 1170. ſcriptis, ut & charta *DOTATIONIS eccleſiæ Sverinenſis*, quam Dux Henricus Leo eodem anno (rectius anno 1171. VI Id Sept.) promulgavit. Ad eandem chartam provocat in hoc argumento cum *Hederico GERDES.* P. 5. *Collect. docum. Mecklenb. p.* 381 & 405. Forte eadem impoſuit ZECHIO *in Europ. Herold. T. 1. p.* 497. *SPENERO Opere Herald. P. Sp. L. 1. c. 61. §.* 11. *IMHOFIO Notit. procer. Imp. L. 4. c. 5. §. 8. p.* 164. *SCHURTZFLEIS HIO de rebus Mecklenb. §. 18.* qui omnes translationem in annum 1170. rejiciunt, eamque confundunt cum dotatione eccleſiæ & erectione templi cathedralis Sverinenſis. Alii fide *CHYTRÆI Saxon L. 31. p* 953. translationem anno 1168. contigiſſe opinantur. Inter quos ſunt PFEFFINGERI, ſenior & junior, *ad Vitriar. Tip.* 1166. *T. II. p.* 171. *Hiſt. Luneb. T. 1. p.* 51. Quid? quod CRANTZ. *Vand L. VI. c.* 36. annum, *quo Henricus Leo ex Anglia rediit*, adeoque a. 1185. definiverit. Sed tam fide diplomatum, in quibus *Epiſcopus Sverinenſis* teſtis citatur a. 1155. 1157. 1158. quam autoritate hiſtoricorum de rebus geſtis Adriani pontificis & Henrici Leonis, præcipue vero fide *Annalium eccleſiæ Sverinenſis MSCt* quorum authenticum exemplar Dux Wallenſteinius ex Archivo Sverinenſi ſibi vindicavit multiplici in hac quæſtione diſſenſui obviam ivit *B. PARENS in Hiſtoria Epiſcoporum Sverinenſium MSC. in vita EMMERHARDI* ſeu *Everhardi* (aliis *Suchardi*) *& BERNONIS*, ubi Epiſcopatus Mecklenburgici finem & Sverinenſis originem recte ad annum 1154. retulit. Valde igitur aberrat *AUTOR Chronici Slavici apud LINDENBROGIUM p* 205. ubi Bernonem epiſcopum ultimum Mecklenburgenſem, titulum hunc anno 1197. demum mutaſſe & dictum ſe voluiſſe epiſcopum Sverinenſem, fabulatur. Ut cætera enim taceamus, nec Bernonis, ceu epiſcopi Sverinenſis, teſtimonia in diplomatibus urgeamus, conſtat ex *CHEMNITII Hiſtoria Mecklenb. MSCt.* Bernonem iam fatis ceſſiſſe a. 1193. die 27. Januar. vel ſi fidem *ARNOLDI LUBECENSIS L. 4. c.* 29. & *KIRCHBERGII Chron. Rhytm. Mecklenb. in membranis ſcripto cap.* 119. ſequi malueris, an 1195. VI. Calend Februar. Quod ultimum opinabilibus eſt, cum Brunwardus poſt obitum Bernonis mox epiſcopus iterum electus fuerit, quod anno 1195. factum eſſe patet ex chartis huius epiſcopi, inter quas eſt diploma *confirmationis villæ Medewege prope Sverinum à Brunwardo datum anno* 1218. *V. Nonas Maji ANNO XXIV. ſui epiſcopatus.* Parum ab errore Chronici Slavici abeſt *CONRADUS BOTHO* in *Chronico picturato Brunſvicenſi* apud *LEIBNITIUM T III. p* 354 ubi ita: *In deſen Jahre a.* 1195. *wart dat Biſchopdom tho Meckleuborg ſchanfert von den Biſchop geheten Berg, unde wart gelecht to Sweryn, dar was ene Canonye, de Hemich de Löwe geſtichtet hadde und wart hyr by diſſer Tyd en Biſchopdom, dat geſchah umme der böſen Wenden willen, de do to Mecklenborg wanden, alſo was Biſchop Berg de* LESTE *to Mecklenb. ende de* ERSTE *to Sweryn.* Sed inter omnes, qui inter nimium & parum in hoc argumento exſpatiantur, præcipui ſunt *BUNTINGIUS Chron. Brunſvic. p* 66 & *M. THEODORUS ENGELHUSIUS in nov. Chron. apud LEIBNITIUM R. B. Tom. II p.* 1077. ubi Imperatori Ottoni I. origines epiſcopatus *SVERINENSIS* tribuuntur his rhytmis:

Translatio epiſcopatus Mecklenburgici Suerinum. Nec a. 1170.

Nec a. 1168. 1185.

Sed a. 1154. *facta.*

Error Chronici Slavici a. 1197.

Conradi Bothonis a. 1195.

Buntingii & Engelhuſii a. 949.

Otto, poſt Otto, regnavit tertius Otto:
Sed primus Magnus dictus, qui vixit ut agnus,
Quas bene perduxit pius, eccleſias cito ſtruxit,
Magdeburgenſem fundavit & SVERINENSEM.
Mira DEI geſſit, Magdeborch & requieſcit.

De hac vero Sverinenſis epiſcopiæ fundatione Ottoniana, nil quicquam commemorant *HELMOLDUS, ALBERTUS STADENSIS, ADAMUS Bremenſis* aliique. Sed dixeris forte, errorem ſcribentis ſubeſſe, & pro *Sverinenſi* epiſcopatu legendum vel intelligendum eſſe *Mecklenburgenſem*, ex quo Sverinenſis originem duxit. In hunc ſenſum ſcripſiſſe videtur ARNOLDUS LUBECENSIS *L. IV. c.* 24. *Qui nunc Bernonis tempore eſt Sverinenſis, olim ævo* OTHONUM *dicebatur Magnopolitanus.* Ut & POMARIUS *Saxon. Chron. pag.* 47. uti ita: *To Mecklinborg ſtond en Afgod; da dat Biſchopdom ock verſtört wart, ſo buwete Kayſer Otte enen Dohm to Mecklenb in de Ehre Sunte Peter unde ſatte dar den erſten Biſchop.* Accedere videtur MARESCHALCUS *Annalium L. 2. c.* 31. *Tom. I. Monum. p.* 22. aſſerens, quod Imperator Otto I. præſulatum *Antiquæ Coloniæ*, h. e. Aldenburgenſem a. 944. erexerit ſub eodem Cæſare a. 943. *ab Obotritarum & Herulorum regibus*, (forte Billugo) epiſcopatus Megapolenſis inſtitui cœperit. Sed quicquid de epiſcopatu Megapolitano ab Ottone I. vel ſub eodem a. 948. condito commemoratur, facile erroneum videbitur, ſi cogitaveris, quod teſte *PONTANO Hiſt. Dan L. 5. ad a.* 944. & HELMOLDO *Chron. L. 1. c.* 9. & 12. *num.* 9. Imperator Otto, devicto Rege Daniæ Heraldo, demum anno 948. exercitum ad ſubjugandos Slavorum rebelles Megapolitanos convertit, iisque ad Chriſtianiſmum & tributum redactis, primum epiſcopatum Oldenburgenſem in Wagria a. 949. vel notante BANGERTO *a.* 952. inſtituerit, præfeceritque huic novellæ eccleſiæ *Marconem*, qui populos Wagirorum & Obotritorum ſacro baptismatis fonte lavaverit. Addit *Helmoldus c. l. num.* 11. quoe *ex hoc tempore* creverit populus fidelium & impleta fuerit omnis Wagirorum Obetritorumque provincia *eccleſiis, ſacerdotibus, monachis & Deo dicatis virginibus, & eccleſia Mikelinburgenſis conſtructa fuerit in honorem principis Apoſtolorum, Petri, continens MONASTERIUM Virginum.* Si igitur dicendum quod res eſt, Imperator Otto I. Marconi epiſcopo primo Oldenburgenſi jurisdictionem epiſcopalem in univerſas Obotritarum provincias usque ad Penum fluvium conceſſit, eiusque auxilio & cura regionem Megapolitanam verbi divini prædicatoribus ditavit & *Mikilenburgi* non quidem epiſcopatum, ſed eccleſiam & monaſterium exſtrui curavit. Nec poſt obitum Marconis rerum ordo mutatus deprehenditur ſub Obotritarum regibus Miſtivojo, Udone & Godeſchalco uſque ad a. 1062. Epiſcopatus enim Mekilenburgenſis origo tribuenda demum eſt ævo Imperatoris Henrici IV. ſub cujus imperio Comes *Adelbertus*, nepos Henrici III. archiepiſcopus Bremenſis & Hamburgenſis, ſpem inſtituendi in ſua diœceſi patriarchatus XII epiſcopatuum magnifice tumideque concepit, ideoque unum epiſcopatum Aldeburgenſem duobus, *Raceburgenſi & Mecklenburgenſi*, adauxit, eoque curam deſixit, ut occupato principis Obetritarum Godeſcalc animo, epiſcopatus Megapolitanus ſub eiusdem auſpiciis circa annum 1062. fundamentum primordiumque cœperit & primum epiſcopum ſalutaverit *Joannem* origine *Scotum.* Docent ita uno ore & coætanei & domeſtici ſcriptores fere omnes, ADAMUS BREM. *L.* 2 *c.* 3. *L.* 3. *c.* 23. ALBERTUS *Stadenſis ad a.* 1161. *edit. Wittenberg. p* 128. HELMOLD. *L. 1. c.* 22. CHRONICA *Slavica apud* LINDENBROG. *c. 9. p.* 139. EVERMODUS *Chron. epiſc. Aldenb. apud* PAULINI *d. l. in vita Eizonis p* 163. CRUMMENDYKIUS *epiſcopus Lubicenſis in Chron. epiſcop. Lubicenſ. d. l.* CRANTZIUS *Metrop l* 4 *c* 40. *L.* 6. *c.* 25. STIEBERUS *Hiſt. eccleſ. Megapol. P.* 4 § 2.

Arnoldi Lubecenſis. Pomarii.

Mareſchalci.

Confutatio erroum ex rationibus hiſtoricis.

Præcipue domeſticis Mecklenburgicis.

HEDE-

de consensu & interventu principum, quorum petitio tanto pro nobis fuit instantior; quanto labor noster utpote eorum, qui nobiscum laboraverunt, eis extitit notior, apud *glorioſum Imperatorem* FREDERICVM pro laboribus noſtris & expenſis *hoc obtinuimus, ut prædictos tres epiſcopatus ad omne tempus vitæ noſtræ in beneficio ſucceſſive præſtarenmus & poſtea ad* COMMVNE JVS *imperialium beneficiorum, hoc eſt ad* MANVS IMPERII *iidem epiſcopatus præſtandi redirent* (***); ac ſuper hoc & ſcriptum noſtrum & ſignum in prædictas eccleſias pro teſtimonio deponendum coram principibus promiſimus quod & fecimus; pro quo *etiam proprietatem noſtram*, quæ nos de Duce *Welpone* & in *Svevia & in Bavaria* ex *ſucceſſione* HEREDITARIA contingebat, imperio libere poſſidendam RESIGNAVIMVS, ut, ſi quid *imperio* (****) *deperire videretur* (*) *honoris* tantum *per factum noſtrum* (**) *recuperaret utilitatis*. Ne igitur aliquis ſive de noſtræ *poſteritatis* SVCCESSIONE ſive quisquam aliunde, quaſi *de* JVRE & RATIONE DVCATVS, *imperialis* GRATIÆ *factum* citra nos (***) *etiam ſibi merito debeatur* (****) *contendat*, ut initia naſcentium eccleſiarum novis cauſis exiſtentibus præmuniremus & poſtea futuras excluderemus quæſtiones, ſicut promiſimus, ſcriptum noſtrum cum ſigillis in easdem eccleſias depoſuimus, ut *per hoc* (*), *impertale factum firmius nobis* (**) *in ſuo vigore ratum permaneat*, & poſt tempora noſtra nullus

HEDERICUS *hiſt. epiſc. Sverin. in vita Joan. Scoti*, CHEMNITIUS, LATOMUS, SCHEDIUS aliique plures. Quod igitur attinet ENGELHUSII rhythmos, facile conjicerem, loco epiſcopatus *Sverinenſ.* legendum eſſe *Citizenſem*. Conſtat enim Ottonem M. fundatorem fuiſſe ſeptem epiſcopatuum Havelbergenſis a. 946. Aldenburgenſis a. 948. Brandenburgenſis a. 960, Magdeburgenſis a. 968, Merſeburgenſis, Miſnenſis, Cizenſis vel Naumburgenſis a. 969. WITTICHINDUS, DITMARUS *Merſeburgenſis ad a.* 968. HELMOLDUS *Chron. Slav. L.* 1. *C. XI.* ibique BANGERTUS, SAGITTARIUS *hiſt. epiſcop. Sec. XI.* P. LANGIUS *Chron Citizenſ. p.* 578. JO JAC. MASCOVIUS *diſſ. de primatibus & reliquis epiſcopis eccleſiæ German. §.* 76. 82.

Bona Principum Imperii mediata & territorialia ejus Friderici I. dicuntur imperialia.

(**) Bona Imperii neque ſunt bona Imperatori & imperio ſubtracta neque bona imperii immediata, ſed allodia imperii vel rectius bona mediata hoc eſt territorialia in ipſo Henrici Leonis dominio exiſtentia. Hoc enim nomine ſenſuque apud ſcriptores ſeculi XII. & XIII. præcipue ævi Friderici I. & II. non ſolum jura principum territorialia, vulgo regalia; ſed etiam ipſa eorum bona, territoria, proprietates, Ducatus, Principatus, dici *bona imperii*, *beneficia*, *regalia Cæſarea*, *feuda Imperialia*, *bona ad manus imperii præſtanda*, *gratiæ Imperiales*, oppido conſtat ex annalibus, rationibus ſtatu & indole imperii Friderici I. Imperatoris cui e re eſſe videbatur, feudorum Italiæ & juris Longobardici effectus in provincias principum *Imperii Germanici*, quin etiam in *regnum* DANIÆ invehere, invita licet indole & natura principatuum imperii Teutonici & Danici. Conſtat hoc fuſius ex RADEVICO *de geſtis Friderici I. Imp. apud* URSTISIUM *T. I. p.* 475. OTTONE FRISINGENSI *apud eundem d. l. p.* 401. *Chronico* LAURISHAMENSI *apud* FREHERUM & STRUVIUM *ſcript rer. Germ. T. I. p.* 83. GÜNTHERO *Poeta Ligurino L. X. de geſtis Friderici I. apud* REUBERUM *ſcript. rer German. p.* 272. SCHATENIO *annal. Pad. T. I. p.* 737. PONTANO, GUNDLINGIO ceteris. Quibus addendi ſunt ÆGIDIUS GELENIUS *L.* 1. *Colon. Sync. VII. p* 28. 73. LUDEWIGIUS *comment. ad aur bull. T. II. p.* 971 -- 991. Diſſentit nihilominus *Dn. de* LUDEWIG in explicatione allati diplomatis, quod *Tomo VI. reliquiarum p.* 231. inſeruit: *Docet*, inquit in præfatione p. 12. § 6. *Diploma Henrici epiſcopatus Raceburgenſis conditoris, epiſcopatum addictum duci, non Imperatori; præterea ducem pro terris imperio ita ſubtractis alia plura dediſſe hereditate Welponis ad ſe devoluta in Sueviæ & Bavariæ provinciis.* Et porro p. 231. ſeqq. in margine: *Henricus fatetur, ſe epiſcopatus dotaſſe, aſſignando cuique 300. manſos, idque ex bonis Imperi, conſentiente ad hoc imperatore, jure clientelæ ſibi & imperio reſervato; terræ etiam liberæ ſitæ in Bavaria & Svec ex morte Welponis ad Henric. devolutæ reſignantur imperio.* Conferatur diploma Friderici I. quod mox ſequitur a. 1154. num. IV.

(***) Fatetur igitur Henricus, Imperatorem Friderici cum autorem exſtitiſſe, quod tres epiſcopatus ab ipſo Henrico in principatu ſuo & territorio vi armorum occupato fundatos recepeiit in feudum obligaveritque ſucceſſores ſuos, ut hos epiſcopatus ad normam communis ſeu juris feudalis Longobardici æſtimari & ad manus Imperii redire paterentur. Quibus formulis: *ad manum Imperatoris reddere*, *ad manum imperii bona præſtare*, *refutare*, ſæpius utuntur Scriptores *de geſtis Friderici I. vid. RADEVICVM d. l. L.* 2, *c.* 7. Addit porro Henricus, ſe non ſolum tres epiſcopatus ſeu proprietates ſuas *Transalbinæ Slaviæ, jure quippe armorum acquiſitas*; ſed etiam bona & territoria *in Svevia & Bavaria hereditario jure obtenta* Imperatori & imperio in poſſeſſionem & clientelam reſignaſſe vel obtuliſſe. Subjungit rationem, quæ ut reliqua plura rationem ſtatus & axiomata Friderici I. arguunt. *Oblatio bonorum ad communе jus feudorum.*

(****) Rectius *provinciæ IMPERII mediatæ*, ſed ex rationibus Friderici, *imperio, imperiali territorio ſeu dominio feudali directo*, & quidem *Longobardico jure* æſtimato.

(*) Ob tres epiſcopatus inſtitutos & dotatos nuper *Epiſcopatus ex bonis* TERRITORIALIBUS uſui *civili* principatus & provinciarum nunc ſubtractis & *ſacro uſui* dicatis. Patet hoc ex ſequenti *diplomate de originum Racebur- genſium memoria*, ubi expreſſe dicitur quod Henricus Leo Epiſcopatum dotaverit ex ALLODIIS & NOVALIBUS trium *provinciarum Raceburg, Wittenberg & Gadebuz*. Conferatur Charta Conſulum Luneburgenſium ad an. 1291. Allodia vero harum provinciarum non *bona Imperii, nec immediata nec feudalia*, ſed territorialia, propria, hereditaria dicenda & explicanda eſſe, quotusquisque eſt, qui dubitaverit? Videatur *STRUVIUS Commentat. de allod. imper. c.* 1. §. 3. *THOMASIUS in ſelect. feudal.* P. I. §. 5. *Dn Comes de KIRCHBERG diſſ. de ſuperiorit territor. in allod. imper. p.* 32. *Henrici Leonis dotes nisi.*

(**) Per factam reſignationem regionum *Slaviæ, Svevicæ & Bavariæ* in manus Imperatoris ſeu in feudum & beneficium Imperatoris.

(***) In tranſumtis nonnullis legitur *circa nos etiam ſibi*; in aliis; *ſine nobis & ſibi* Apud *Dn.* LUDEWIGIUM *d. l.* & PFEFFINGERUM *hiſt Brunſv. Luneb. P.* 2. *p.* 673. formula ita muratur: *Quaſi de jure & ratione ducatus imperialis gratiæ factum eſſe*, nobis *& ſibi merito* deberi *contendat*. Quam lectionem ſequitur *Dn. JARGAW P. I. deſcript. Meckl. Klüver. p.* 348.

(****) Nempe eodem, quo Dux Henricus fruebatur, jure & ratione Ducatus, inque hunc *proprio jure competentis ſucceſſionis.*

(*) Per hanc depoſitionem.

(**) Alii legunt: *ut per hoc imperiale factum, firmius NOSTRUM in ſuo vigore ratum permaneat* Nec male.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nullus indebite prædictas ecclesias inquietare & molestare præsumat. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCL quarto.

II.

MEMORIA de originibus episcopatus Raceburgensis ab HENRICO LEONE ex allodiis & novalibus trium provinciarum, salvo jure decimarum a 1154. fundati & dotati, addita COMPVTATIONE seu REGISTRO (†) decimarum, villarum, bonorum, mansorum & beneficiorum episcopatus Raceburgensis ab a. 1154. usque ad ann. 1240.

A. 1154. & seq. usque ad a. 1240.

ANno Domini MCLIV. Domino *Adriano* Papa Romanam ecclesiam regente & Domino *Friderico* glorioso Romanorum Imperatore & semper Augusto feliciter regnante fundata est *Raceburgensis ecclesia* a piæ memoriæ Duce *Henrico* filio Hinrici Ducis, qui primus Saxoniæ ducatum obtinuit consentiente & sibi fideliter cooperante domino *Hartwico M gno Bremensium* Archiepiscopo. Idem vero prænominatus Henricus Dux cuidam nobili Henrico de *Badwede* COMITIVAM Raceburgensem in BENEFICIO dedit, per quam primo nomen comitis idem Henricus sortitus fuit; & cum consilio prænominati Henrici Bremensis simul & prænominati Ducis ita ordinatum fuit, ut in tribus provinciis RATZEBVRG, WITTENBERG & GODEBVZ idem Henricus comes decimam dimidiam teneret *in beneficio ab episcopo* & dimidia vacaret episcopo tam de allodiis comitis, quam *de novalibus* (*) per omnia & uterque tam episcopus quam comes de parte sua *inbeneficiarent*, quem vellent & prout vellent, hoc interposito, quod in qualibet villa duodecim mansos aut ultra duodecim habente, episcopus duos, comes duos, ad jus quod SETTENKE (**) vocatur præstare tenerentur; si vero minus duodecim, uterque eorum unum præstabit. Hoc quasi pro jure datum fuit & ab omnibus acceptatum.

Raceburgensis Comitiva.

Sequuntur beneficia episcopalia ab episcoporum parte præstita.

Numerus in marginibus numerum mansorum (***) cuiuslibet villæ designat.

Sanctus spiritus adsit nobis gratia!

I. In parochia Slauekestorp. (*)

Beneficia Episcopalia.

In villa Slauekestorp sacerdos ad dotem habet duos mansos. Octo mansos, quos liberos habuit, ibi episcopus dimisit Reimboldo pro redditibus, quos idem Reimboldus habuit in villa Rene, non in beneficio sed pro tempore, quamdiu placebit episcopo III. Johannes. *Slauekestorp habet XXVII. mansos.*

Mechowe nullum beneficium est, decimam dimidiam habet ecclesia. *Mechowe XIIX.*

Slaubrize

(†) Collecto, ut videtur, ab Episcopo *Ludolpho* bonorum ecclesiæ contra attentata Ducis Saxoniæ Alberti exacto & strenuo defensore, dicto inde *fulgens Dux, reparator Cleri* CRANZTIUS *Metrop.* L. *VIII.* c. 8.

Novalia.

(*) Seu novis prædiis, agris noviter excultis, de quorum jure & decimis, *jure canonico* Episcopis diocœsariis & Ecclesiis competentibus, legendi sunt REGINO *Di sciipl Eccles. l.* 1 § 44. *INTERPRETES Juris Canonici ad Alexandri III. C.* 13. *X. de Decimis*, BOEHMERUS *jure eccles. Prot. T. III.* L. 3 *Tit.* 30. §. 60. *sq. & jure Paroch. Sect. VII. c.* 1. §. 10. Idem *jure Capitularium* aperte constitutum est, adeo ut Carolus M. in capitulari de villis regiis ipsa etiam novalia in terris regiis seu fiscalinis exculta Ecclesiis addixerit. BALUZIUS *Capitul. T. I p.* 332. In Legibus *veterum Germanorum & Capitularibus* laudatis novalia haud incongrue vocantur *conlaboratus, conlaborationes.* Vide Leges *RIPUARIORUM* Tit. 37. §. 2. Formulas MARCULPHI *Form.* 30. Capitular. L. 2. c. XXI. apud BALUZIUM *T. I.* & GEORGISCH *Corp. Jur. germ.* 1333. Plurium annalium & documentorum fide veniunt sub nomine *ruptuæ novæ, rupticii, terræ ruptices* h. e. agri ad culturam redacti, gemanice *Rode Land.* Unde *ruptuarius* seu *rodarius* idem est ac *agricola.* Observante vero DUFRESNE *gloss. T. V. p.* 1544. hoc nomen transiit ad *prædones* ex eo tempore, quo *rusticorum* cohors in turbam prædonum coaluit ac regiones infestare cœpit. Dubium non est, ad quosvis deinde *turbatores pacis* hanc appellationem descendisse. Docent hoc optime testimonia ALTESERRÆ *l.* 3. *de Comit. prov. c.* 10. CIRONIUS *l.* 5. *Parat. Decret. T.* 15. & *JAC. de VITRIACO Hist. occid. c.* 7. qui omnes, *ruptarios, turbatores pacis ruptores ac vagos homines* amico nexu conjungunt. Præcipue diplomatum & annalium fide testatum faciunt *BUSCHIUS de reformat. monast. apud LEIBNITIUM T. III p.* 892. & *MARTENE T.* 7. *Collect, p.* 800. 1262. quod à *Teutonicis*, speciatim *Westphalis* & *Saxonibus*, prædones vocati fuerint *Ruteri.* Cui forte ipsa vox *Reuter* significatum debet. Evicit enim *DUFRESNE c. l.* quod rustici rebelles, Principum militiæ sese addixerint, & *ipsa stipendiaria militia* venerit sub nomine *ruthæ* vel *rutariorum cohortis.* Ruta vero vel Rodarii à theotisco *rodden*, rumpere, dicuntur. Vide, quæ de *ruptuagio* diximus in Præfatione.

Eorumque decimæ

Et varia nomina.

(**) Jus Decimationis intelligit *de* LUDEWIG *Reliqu. T. VI. p.* 31. Sed vide infra chartam de terminis episcopatus ad annum 1167. ubi sumitur pro *duobus mansis vel pro libertate seu exemtione duorum mansorum a decimis.*

Oblatio allodiorum ecclesiasticorum in feudum novi ter inventa ejusque causa

(***) Sub episcopo Evermodo *anno* 1154. jam mansos trecentos ex permissione Henrici comitis Polaborum episcopatui Raceburgensi accessisse constat. Addimus verba CRANTZII *Vand. L. IV. c.* 15. quæ asterisco digna sunt, cum ex illis pateat, quod oblatio bonorum ecclesiasticorum in feudum hoc ævo invaluerit, præcipue ex causa defensionis vel impetrandi auxilii. *Hoc*, inquit, *tempore in ecclesia Raceburgensi ordinatus est episcopus Evermodus præpositus de Magdeburgo translatus deditque ei Comes Polaborum Henricus habitandam insulam apud ecclesiam, assignavitque trecentos mansos ecclesiæ in perpetuum servituros; insuper decimas integre permisit ecclesiæ; pro dimidia vero ACCEPIT ab episcopo BENEFICIUM, factus ei FEUDATARIUS, ut haberet ecclesia suum defensorem, quod* rerum novitas videbatur deposcere. *Aderat huic tam solemni donationi Adolphus Comes Holsatiæ, quem intuitus Ludolfus in Cusalina præpositus dixit: Cernis, optime Comes, nobilis viri largam in ecclesiam benedictionem; præcessit exemplo nobilis nobilem commonstrans, quid tu quoque debeas ecclesiæ Aldenburgensi; in quam rem te (ut confidimus) propensum inclinat nativa pietas, ut Domino (cujus est terra & plenitudo ejus) vel parum aliquid de magno refundas hortatu litterarum, quæ te ornat insignis eruditio. Nec cunctatus Adolphus trecentos quoque mansos permisit duci, ut per manum ejus assignentur in dotem ecclesiæ Aldenburgensi. Facta sunt hæc vivente adhuc* VICELINO; *licet in extremis agente* anno MCLIV.

(*) Laudandi hic sunt labores B. GEORGII WESTPHALII & OTT. FRIDER. SCHÜTZII, qui *in operibus historicis MSCt. de parochiis & ecclesiis Meckleb.*

Scriptores annalium ecclesiasticorum Mecklenburgicorum.

Salubrize. *Slaubrize*, Meinolfus & Bernardus Trimpe habent decimam duorum manſorum; quod ſuper eſt de parte epiſcopi habet eccleſia. XV.

XII. mans. *Multſan* nullum beneficium eſt, dimidia decima vacat epiſcopo.

Villa Eliſabeth tota Sclavica eſt, nullum beneficium eſt.

XII. *Utechowe* nullum beneficium eſt, dimidia decima vacat epiſcopo.

VI. *Campowe* Bernardus dimidiam decimam habet ab epiſcopo, nihil vacat.

XXII. *Ripece* Wezel II. Sigeſtus VIII. vacant epiſcopo.

XII. *Ratiſtorp*, *Johannes de Multſan* habet decimam duorum manſorum; Bernardus de Wigenthorp IV. nihil vacat epiſcopo.

II. In parochia Karlowe.

In parochia Karlowe. *In villa Karlowe* Godeſcalcus IV. manſos in beneficio habet ab epiſcopo, eccleſia itidem unum; quinque vacant epiſcopo. XX.

XII. *In Slavio Karlowe* Godeſcalcus dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

Demere II. Godeſcalcus, eccleſia Karlowe I. Bolecke I. præter quos dimidia vacat epiſcopo. XXII.

Scethinkeſtorp Godeſcalcus I. præter quam dimidia decima vacat epiſcopo. V.

Klockeſtorp Bernardus dimidiam decimam habet ab epiſcopo; nihil vacat epiſcopo. XII.

Pogatſe Theodoricus & ſuus frater habent I. præter quem dimidia decima vacat epiſcopo. X.

Samekowe Godefridus & Theodolfus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. X.

Stove Luthardus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. X.

Roſenitze idem Luthardus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. X.

Neſcowe nullum beneficium eſt. IX.

Woytenthorp Wernerus I. præter quem dimidia decima vacat epiſcopo. X.

III. In parochia Muſtin.

In parochia Muſtin. *In villa Muſtin* Nicholaus & Heinricus frater ſuus dimidiam decimam habent. XXX.

Lanckowe

Mecklenburgicis uberrimam horum aliorumque locorum deſcriptionem & notitiam, cum ex annalibus ſacris tum civilibus & provincialibus omnis ævi erutam ſuppeditarunt Paucula huc etiam facientia vide apud Dn. JARGAW *Deſcript. Mecklenburg. Kluver. P. 2.* SCHROEDER. *in Primitiis Wiſmarienſ.* & præcipue apud Anonymum, qui eſt *Dn. de* LAFFERT *in der Nachricht von den Pfarr-Kirchen und Capellen im Fürſtenthum Lauenburg edit. Razeburgi a. 1722.* Quod opuſculum explicationi *villarum*, quæ hoc loco enumerantur, haud parum inſervit. Ceterum puto ex hac parochiarum villarumque deſignatione earumque adſcriptis poſſeſſorum nominibus oppido apparet, quod hi ſibi nomina ſæpiſſime adſciverint ab ipſis præcipuis pagis ſeu villis, ſive emtionis ſive donationis ſive allodii ſive feudi & beneficii jure adquiſitis. Quo more etiam vixerunt alibi villarum poſſeſſores ac vaſalli, appellati quippe frequentiſſime à ſitu villarum & ipſis pagis, e quorum denominationibus demum facta ſunt nomina gentilitia. Falſa igitur eſt conſecutio, quæ à nominibus pagorum *Slavici ſignificatus* ducitur ad origines & natales veterum nobilium hodieque ſuperſtitum familiarum in Megapoli. Quarum tantum non omnes *Vandalicæ, Teutonicæ* & *Saxonicæ* ſunt originis, quamvis earum majores ſeculo XII. ejectis & fere depulſis, vel certe, ſi qui pauci aliquandiu ſubſtiterint, ad legem formulamque imperii domeſtici redactis SLAVIS, villas SLAVICÆ originis & denominationis occupaverint acquiſiverintque & ab iis appellati ſint. Docent hoc infinita exempla, cum antiqua & extincta tum hodieque vigentia *militum olim & miniſterialium, vaſallorum, fidelium & nobilium Mecklenburgenſium* nomina, quibus diplomatatia Mecklenburgica ſunt refertiſſima. Refer huc nomina de Pritzbur, Stoitzlaff, Jane, Bulow, Godebuz, Grabow, Pluskow, Levezow, Multſan, Lukow, Camrow, Carlow, Turno, Scharſo, Strelau, Sarow, Zülaw, Zehna, Tarnevitz, Pennov, Plau, Coinow, Karau & plura alia nunc gentilitia, quæ primam originem nacta ſunt à villis, locis & poſſeſſionibus a Venedis olim denominatis & poſſeſſis; quas vero ſervitute ſuppreſſis ſenſim, quin extinctis fere iisdem, nunc vel ipſi antiqui indigenæ *Teutones* & *Vandali* avito jure ac poſtlimino ſibi rite vindicarunt denuo & legitimo juris modo obtinuerunt, vel *Saxones*, *Gveſtphali*, *Franci* aliique ingenui *Germani* quos Henricus Leo in terras Mecklenburgicas invexerat, juſto acquiſitionis & diſtributionis titulo occuparunt. Inde vero *nobiles* SLAVICÆ *originis* fruſtra comminiſcuntur, & certe ex villis & poſſeſſionibus Slavicæ appellationis origines ſeu natales poſſeſſorum tabulæque adeo nobilium genealogicæ & prima ſtemmata gentilitia Mecklenburgica non niſi temere finguntur & præpoſtere efformantur. Docent & hoc nomina in ipſis diplomatibus Raceburgenſibus, quæ hoc loco ſequuntur, copioſe occurrentia, verbi cauſa Detlevi de *Perkentin*, Hintici de *Crumeſſe*, Hartwici de *Ritzerowe*, Joh. de *Luzaw*, Otto de *Luc*, Herm. de *Tralowe*, Lud de *Scako*, Werneri *de Zverin*, Hinr. de *Gronow*, qui teſtes rerum geſtarum citantur & MILITES, MINISTRI, CONSILIARII, & FIDELES, VASALLI *Comitum, Epiſcoporum* & *Ducum* laudantur; ut plures alios taceamus, à villis *allodiis* & *feudis cum* SLAVICÆ *tum* VANDALICÆ *ſeu* GERMANICÆ *denominationis* appellatos; quorum nomina etiam nunc inter nobiles Mecklenburgicos vigentia perennant.

Villarum domini & poſſeſſores appellantur a nominibus villarum.

Etiam Slavicarum in Megapoli ſec. XII. ſeqq. apertarum.

Et a Germanis, Vandalis, Saxonibus &c acquiſitarum.

Diſſentientes. Diſſentiunt anonymus *des Schreibens betreffend des Obetritiſchen Königs Nicolai I. Urſprung* & KOEHLER *diſſert. de origine & incrementis jurium & privilegiorum nobilitatis Mechlenburgicæ* aliique quos quidem induſtria ſua ſenſuque ſuo Slavico abundare lubenter patior. De *libertate* ſaltim illa *Slavica*, quam neſcio in quem finem & quo jure ſtudioque *Kölerus* urget & exagitat, magnifice adeo ſentiendum non eſt, utpote innumeris exemplis annaliumque patriorum fide & documentis manifeſto reprobata. Nec indiget *gloria* NOBILITATIS MECHLENBURGICÆ pigmento quodam Sarmatico vel libertate illa à Sarmatis, Slavis ſeu Venedis devictis Smurdisque & ſervis denique populis conducta. Conſtat nobilitati ipſi *avitæ* ſuæ, *ingenuæ* & *gentilitiæ* prærogativa *militaris* olim & *miniſterialis*, publica & *equeſtris* dignitas proœdria, decus *nobile* omne, *vaſallaticus* & provincialis honos; conſtat ipſi LIBERTAS GERMANICA, multis modis *Slavica* nobilior; conſtant origines ipſius & laudes, jura, immunitates & prærogativæ juſtiſſimo titulo partæ, & tot rerum geſtarum annalibus, factis, monumentis, chartis, privilegiis juriumque & hiſtoriarum rationibus ſuffultæ, ut facile carere poſſit ſubleſtis argutiis Slavizantibus hujusque generis de Baronibus Regni & commentitiis aliis adjumentis. De quibus genuina fide ex hiſtoria & diplomatibus nata, non ex aſſentatione, affectu & opinione aliorum vel aliunde fruſtra conquiſita, ſi data occaſio fuerit, propediem diſpiciemus.

Eorumque libertatis Slavicæ præſidium.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XII. *Lanckowe* CVSTODIA Raceburgenſis habet dimidiam decimam ab epiſcopo.

XIV. *Dechowe* Godeſcalcus Dechow II. præter quos dimidia decima vacat præpoſito.

XIV. *Turowe* Siffridus a Turow II. præter quos dimidia decima vacat præpoſito.

In Slavico Turowe Otto Albus habet dimidiam decimam.

XII. *Duzowe* Chriſtoforus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo.

Kitliſt tota dimidia decima vacat epiſcopo, nullum beneficium eſt.

Goldenſe Volquinus dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

VIII. *Ekhorſt* Otto Albus II. Luthardus II.

Rukelin Godeſchalcus dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

VI. *Gardenſe* Heinrichus & Nicholaus dimidiam decimam habent ab epiſcopo.

In parochia Sethorp.

IV. In parochia Sethorp.

Sethorp eccleſia I. præter quem dimidia decima vacat epiſcopo.

manſi XXII. *Tſachere* dimidia decima vacat præpoſito, nullum beneficium eſt.

XIII. *In Sclavico Tſachere* dimidia decima eſt Walteri *de Panitz (Pentzen.)*

Briſim dimidia decima eſt præpoſiti; nullum eſt beneficium.

IX. *Nientborp* dimidia decima eſt præpoſiti, nullum beneficium eſt.

In Sclavico Sethorp, Reinfridus dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

X. *Dargowe* Otto Albus III. Godeſcalcus de Karlo.

Parochia Stralige.

V. In parochia Stralige.

Stralige Wedekindus III. filii Brunonis III. eccleſia II. Præpoſitus XII.

XL. *Holenbecke* Conradus dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

XII. *Kerſeme* dimidia decima eſt præpoſiti, nullum beneficium eſt.

IX. *Ad nigrum ſtagnum* dimidia decima eſt præpoſiti, nullum beneficium eſt.

Ad utrumque Salam dimidiam decimam habet Nicholaus & Henricus

VI. *Cowale* Otto Albus dimidiam decimam habet.

XII. *Clotesvelde* totum eſt Præpoſiti.

Parochia Godow.

VI. In parochia Godowe.

Godowe eccleſia I. Theodoricus Lupus III. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo.

XII. manſi. *Bandowe* Theodoricus Puttelerus II. præter quos dimidia decima vacat Præpoſito.

XXXVI. *Leſten* Bruno II. & Bernardus II.

Mazleviz dimidiam decimam habet Johannes.

XXXVI. *Sakkeran* VI. Wilhelmus Præpoſitus habet XII.

Lutowe Heinricus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo.

Ad Slavicum Sakkeran nullum beneficium eſt; dimidia decima vacat epiſcopo.

Dargenowe Heinricus I. Fridericus I. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. XVII.

Beſendale Bernardus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. XII.

Tſarnekowe II. Marquardus, præpoſitus habet XI. XXVIII.

Grambeke Herdingus, præter quos dimidia decima vacat Præpoſito.

Druſen Heinricus de Belenthorp dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

Parochia Bredevelde.

VII. In parochia Bredevelde.

Bredevelde eccleſia I. Emeke I. & dimidium; præter quos dimidia vacat epiſcopo. Bredevelde XXXI. manſi

Wolterſtorpe Willehelmus & Gerardus II. præter quos dimidia decima vacat præpoſito. XII.

Nienthorp Hildebrandus II. præter quos dimidia decima vacat præpoſito. IX.

Ad antiquum Mulne Conradus II. præter quos dimidia decima vacat præpoſito. IX.

Belowe nullum beneficium eſt, dimidia decima vacat præpoſito. XII.

Borchardeſtorp Borchardus & Boleko IV. dimidia vacat epiſcopo. XIV.

Logen Herdingus dimidiam decimam habet ab epiſcopo. VI.

Parochia Nuſce.

VIII. In parochia Nuſce.

Nuſce II. eccleſia Nicholaus, præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. Nuſce.

Walgoteszelde tota villa eſt præpoſiti cum cenſu & decima.

Pokenſe nullum beneficium eſt, dimidia decima vacat epiſcopo. XIV.

Hagen Fridericus Hagen II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo.

Stenborg nullum beneficium eſt, dimidia decima vacat epiſcopo. XII.

Kucen Edelerus dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

Duvenſe nullum beneficium eſt, dimidia decima vacat epiſcopo.

Ritſerowe, MANOWE, *Bercroth*, *Cobercb* beneficium corvi ſunt.

Klinkroth.

Strikesvelde II. Eylo præter quos dimidia decima vacat epiſcopo.

Ad Slavicum Strikesvelde nullum beneficium eſt, dimidia decima vacat epiſcopo.

Luchowe II. Emeke, præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. VIII.

Zanzegnewe idem Emeke II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. XII.

Sciphorſt Slavi ſunt; nullum beneficium eſt.

Linowe, Marquardus dimid. decimam habet ab epiſcopo.

Helle nullum beneficium eſt; dimidia decima vacat epiſcopo.

Parochia Parketin.

IX. In parochia Parketin.

Parketin eccleſia I. præter quem dimidia decima vacat epiſcopo. Parcketin.

Guldenitze.

Ciresrode Nothelmus dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

Hakenbeke idem Nothelmus partem decima epiſcopi tenet dimidiam. Dimidia vacat epiſcopo, hoc eſt quarta pars.

Climpowe

XII. *Climpowe* Roderus II. præter quos dimidia dec. vacat præpoſito.

Ad Sclavicum Sarowe, Ekkehardus dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

Ad Sclavicum Parketin Slavi ſunt; nullum beneficium eſt.

Parochia Crumeſſe. XVIII. *X. In parochia Crumeſſe.*

Crumeſſe nullum beneficium eſt, dimidia decima vacat epiſcopo.

Scenkenberge dimidiam decimam habet præpoſitus.

Cronesworde dimidiam decimam habet præpoſitus.

Stochelſtorp dimidiam decimam habet Hinricus pincerna.

Nienmarck dimidiam decimam habet idem H. pincerna.

Wulweſtorp dimidiam decimam habet Reinfridus.

Begenthorp dimidiam decimam habet idem Reinfridus.

Gronowe Volcmarus II. preter quos dimidia decima dos eſt eiusdem eccleſiæ ab epiſcopo.

Sarowe idem Volcmarus dimidiam decimam tenet ab epiſcopo.

Blankenſee Reinfridus dimidiam decimam tenet ab epiſcopo.

Valkenbus dim. dec. habent fratres in Raceborg. *ad lumina.*

Scatin Reinfridus dim. dec. habet ab epiſcopo.

Pogatſe Meinolfus I. præter quem dimidia decima vacat epiſcopo.

Ad Slauicum Pogatſe Slavi ſunt nullum beneficium eſt.

Dusnik Otto Albus dimidiam decimam habet ab epiſcopo.

Ad unam domum dim. dec. habet præpoſitus.

Hermanneſtorp. Hermannus Coz dim. dec. habet ab epiſcopo.

XII. *Culpin.* Edelerus dim. dec. habet.

Belenthorp nullum beneficium eſt, Præpoſitus dim. dec. habet.

Ad minus Belenthorp nullum beneficium eſt, præpoſ. dim. habet dec.

VIII. *Ad majus Mankre* Sigfridus & Hermannus.

IV. *Ad minus Mankre* præpoſitus habet dimid. decimam.

Giſelbrechteſtorp dimidiam decimam habet præpoſitus.

Albrechtesvelde Fridericus Scultus dim. dec. habet.

XII. *Lankowe* dim. dec. vacat epiſcopo.

Ad omnia allodia in monte dim. dec. habet præpoſitus.

Parochia Bocken. XVIII. XXX. XXIV. *XI. In parochia Boken.*

Boken Heinricus.

Brætue Rudolfus V. præter quos dim. dec. vacat epiſcopo.

Vitſin Heinricus VI. præter quos dim. dec. vacat epiſcopo.

Parochia Mulne. XII. *XII. In parochia Mulne.*

Mulne dimidia decima vacat epiſcopo. Conradus dimidiam habet ab epiſcopo.

Guletſe Albertus II. præter quos dim. dec. habet Præpoſitus. X.

Pinnowe dimid. decimam habet Præpoſitus, nullum beneficium eſt. XII.

Pezeke. XII.

Parochia Smilow. *XIII. In parochia Smilowe.*

Smilowe nullum beneficium eſt dim. dec. vacat epiſcopo.

Dormin nullum beneficium eſt dimidia dec. vacat epiſcopo.

De Borchwelt Raceborg dimidia decima vacat epiſcopo.

Terra Wittenborg in Parochia Tſarnetin. ISTA SVNT BENEFICIA, QVÆ PRÆSTITVTA SVNT AB EPISCOPO IN TERRA WITTENBORG. *XIV. In parochia Tſarnetin.*

Tſarnetin in eccleſia I. præter quem dimid. decima vacat epiſcopo. XXXV.

Vilun Eccleſia I. Otbertus II. præter quos dimidiam decimam habet Præpoſitus. XIV.

Luttekowe Hermannus Coz II. præter quos dimid. vacat epiſcopo. XIV.

Cutſin Bernardus II. præter quos dimid. dec. habet Præpoſit.

Pumpurine, Elizemer dim. dec. habet ab epiſcopo.

Scalize nullum beneficium eſt; dimidiam decimam habet Præpoſitus. XVIII.

Bantin Reinfridus dim. dec. habet ab epiſcopo.

Parochia Nienkerken. *XV. In parochia Nienkerken.*

Ad novam eccleſiam, Eccleſia I. Cunradus IV. epiſcopo vacant VII. & dimid. XXV.

STENVELDE Wipertus dimidiam decimam habet ab epiſcopo. IX.

Melenteke Wigmannus I. præter quem totam decimam habet Præpoſitus. XVI.

Loſſan I. Siffridus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. XXVIII.

Techin Heinricus IV. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. XVI.

Turckow dim. dec. habet Reinfridus. IX.

Boſowe totum habet Præpoſitus cum cenſu & decima.

Ad sclavicum Nienthorp dim. dec. habet Hermannus.

Campe dim. dec. vacat epiſcopo & de allodio VIII. menſuræ ſiliginis.

Parochia Doberſche. *XVI. In parochia Doberſche.*

Doberſche eccleſia II. præter quos dimid. decim. habet corvus. XII.

Teſſin Hermannus dimid. dec. habet ab epiſcopo. X.

Stulniz Hildebode dim. dec. habet ab epiſcopo Hermannus I. & dimidiam. XXIII.

Dronevitz idem Hildebode dim. dec. habet. XVII.

Bodin nullum beneficium eſt, dim. dec. vacat epiſcopo. XIV.

Badowe Henricus II. præter quos dim. dec. vacat epiſcopo. X.

Wozlize Radolfus II. epiſcopo V. vacant. XIV.

Rocut epiſcopus II. præpoſitus VII. XVIII.

Bentin Sueder I. Theodoricus I. præter quos decim. totam habet præpoſitus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Parochia Parem. XVIII. X. XIV. XII. X. XXV.

XVII. In parochia Barem.

Barem Eccleſia I. Ludolfus II. præter quos dim. dec. vacat epiſcopo.
Dhmmere dimid. dec. habet Corvus.
Scarſin dimid. dec. vacat epiſcopo.
Molenbeke dim. dec. vacat epiſcopo.
Radelube dim. dec. vacat epiſcopo.
Chemelin dimidia decima vacat epiſcopo.
Pogreſſe Walterus II. præter quos dimid. habet Præpoſitus.

Parochia Wittenborg. XII. XXI. XII. XII. VIII. XII. XII. XVIII.

XVIII. In parochia Wittenborg.

In agris civitatis Wittenborg nulla decima vacat epiſcopo.
Karwete Hildebode II. præter quos dim. dec. vacat epiſcopo.
Warſekowe Hermannus & ſui fratres dimidiam dec. habent ab epiſcopo.
Ziklemarke dimidia decima vacat epiſcopo, nullum beneficium eſt.
Leſen eccleſia Wittenborg I. præter quem dimidia decima vacat epiſcopo.
Putzelin Burchardus III.
Bobetin Hildebode dimid. decimam habet ab epiſcopo.
Woltſowe Heinricus II. præter quos dimidiam habet Præpoſitus.
Putlekowe Johannes II. Reinfridus IV.
Lutzowe Emeze III. Epiſcopus I.
Cerbeke Fridericus dapifer. dimid. decim. *Lukkevitz.*

Parochia Hagenowe. XII. X. XXIV. XIV. XVI. X. XII. XVIII. VIII.

XIX. In parochia Hagenowe.

Hagenowe nihil vacat epiſcopo.
Bakenthorp Reinfridus dimid. decimam habet.
Preceke Hermannus dim. decimam habet.
Vis Slavi ſunt, nullum beneficium eſt.
Potechowe dimid. decimam habet Præpoſitus.
Todin Hinricus Hucſit II. præter quos dimidiam habet Præpoſitus.
Mercrade Fredericus II. tertia pars vacat Præpoſito.
Dametze eccleſia Hagen I. Alvericus II. epiſcopo vacant II.
Granzin Fridericus II. Reinfridus IV.
Tſabele, Wilhelmus II. Albertus reliquam partem epiſcopi.
Scarbowe Waltherus dimid. decimam habet ab epiſcopo.

Parochia Priſciere. XXX. XX. XIV. VIII. VIII.

XX. In parochia Priſciere.

Priſcire Eccleſia I. epiſcopo vacant XIV.
Goreslawe Slavi ſunt; nullum beneficium eſt.
Wargelize Johannes Auca II. tertia pars vacat epiſcopo.
Goldenitz Nicholaus IV.
Grabenitz Hermannus II. epiſcopo vacant II.
Scarbenowe Slaui ſunt, nullum beneficium eſt.
Cetſin Slaui ſunt nullum beneficium eſt.
Zwechowe dimidia decima vacat epiſcopo.

Parochia Vilan. XXXII.

XXI. In parochia Vilan.

Vilan eccleſia I. Fridericus II. Theodoricus II. Præpoſitus habet IX.

Clodram Fridericus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. XIV.
Tramme. XVI.
Jeſowe Burchardus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo. XII.
Ganſethorp. X.
Melchohche dimidiam decimam habet Fridericus de Medenge. XIV.
Duſſin Johannes Auca II. epiſcopo vacant IV. X.
Bralizſtorp eccleſia Vilan I. Luze I. Præpoſitus habet IV. XII.
Domeratſe Olricus II. tertia pars vacat Prepoſito. XX.
Bolbrucke nullum beneficium eſt, dim. dec. habet præpoſitus. XII.
Panitz Walterus I. tertia pars vacat Prepoſito. XIV.
Marſowe Wernerus II. VI. vacant epiſcopo. XX.
Sekkevin Swicherus III. epiſcopo vacant VI. XVIII.

Parochia Curchowe. XXVI. XII. XII. XII. VI. X. XXIV.

XXII. In parochia Curchowe.

Curchowe Eccleſia I. Heinricus I. & dimidiam, Walterus I. & dimidiam epiſcopo vacant VII.
Kattemarke Gerardus I. Henricus II. epiſcopo vacant III.
Zwalbrowe Alvericus II. epiſcopo vacant IV.
Zure Daniel II. præter quos dimid. decim. habet præpoſitus.
Cuſſin Heinricus Hucſit dim. decim. habet ab epiſcopo.
Predole Otto II. præpoſitus habet VI.

Parochia Cammin. XXVIII. VIII. XX. VI. X. XXIV.

XXIII. In parochia Cammin.

Cammin eccleſia I. epiſcopus III. præpoſitus VI.
Doytin.
Golenbowe.
Holthuſen.
Witecowe Heinricus Grip. dimid. dec. habet ab epiſcopo.
Cowale.
Dadowe per omnia cum cenſu & decima & *cum omni judicio colli & manus* eſt epiſcopo.
In terra Godebuz dominus terræ dimidiam decimam tenet ab epiſcopo in beneficio & qui ſubſcripti ſunt taliter & taliter ſunt beneficiati.

In terra Godebuz paro chia Rene. XXIV. X. X. X. VI. XII. X. VIII.

XXI. In parochia Rene.

Bulowe Godefridus II. Eilbertus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo.
Warnekowe.
Lovetſe Godefridus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo.
Glatſow epiſcopus tres & dimidiam.
Parport dominus terræ totum habet.
Neſowe nullum beneficium eſt, dimidia decima vacat epiſcopo.
Ad Sclavicum Neſowe Burchardus dimidiam decimam habet.
Rene totum eſt epiſcopi cum cenſu & decima præter manſum & dimidium, quos Volquinus habet.

Turbore

VIII. *Turbore* dimidiam decimam habet Johannes de Cammin & Gisla I.

XVI. *Vitenſe* Thetlevus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo.

XII. *Woltſekenthorp* Wedekindus I. Burchardus IV.

XIV. *Brutſekowe* Martinus II. præter quos dimidia vacat epiſcopo.

XXXV. *Ad Slavicum Brutſekowe.*

XII. *Cochelestorp* Godeſcalcus II. præter quos dimidia decima vacat epiſcopo.

Banſin Theodolfus I. reliquam partem epiſcopi Reinfridus.

XVI. *Hunnenthorp* nullum beneficium eſt, dimidia vacat epiſcopo.

XXXII. *Kaſthorp.*

XX. *Ieſerits.*

XXVI. *Herbordesbagen.*

Proſce Turbore nova villa.

IX. *Wedewenthorpe* Theodoricus I. aliam partem epiſcopi habet eccleſia in villa.

X. *Ad aliud Wedewenthorpe* Eylardus II. Johannes de Camin III.

Valkenbagen.

XXV. In parochia Vitelube.

Parochia Vitelube. XII. *Vitelube* Godofredus I. & Johannes I. eccleſia I. VII. vacant epiſcopo.

XXIV. *Gutrowe* Berengerus II. X. vacant epiſcopo.

X. *Rambel* nullum beneficium eſt; dimidia vacat epiſcopo.

XXIV. *Hindenberge.*

Sclavicum Hindenberge.

XII. *Streſtorp* Albertus I. Botolfus I. IV. vacant epiſcopo.

XXVI. *Vruwenmarke*, eccleſia Vitelub. I. Hartmodus IV. VIII. vacant epiſcopo.

XVIII. *Dargun* Heinricus II. Chriſtoforus I. Hermannus I. V. vacant epiſcopo.

Roſenowe Thetlevus dim. decimam habet ab epiſcopo.

Ea Raceburgenſis epiſcopatus in terra Zverin in parte aliqua extenditur in his villis, quæ ſubſcriptæ ſunt; duas partes decimæ habet comes in beneficio.

XXVI. In parochia Exen.

Parochia Exen in terra Zverin. *Exen* comes habet duas partes decimæ ab epiſcopo.

XVIII. *Sconevelde* comes habet duas partes decimæ, præpoſitus tertiam.

XII. *Godin* idem comes duas partes, præpoſitus tertiam.

Ad molendinum idem comes duas partes decimæ.

Sevelde.

Woſtemarke.

In Rutnik in terra Zverin Geroldus.

In terra Godebuz dominus terræ dimidiam habet in beneficio ab epiſcopo Raceborg, ſed qui ſubſcripti ſunt, taliter ac taliter ſunt inbeneficiati.

XXVII. In parochia Pocrente.

Pocrente. *Pocrente, Caſelowe, Luzowe, Baleiſe Antiquum Pocrente.* In iſtis villis habet Tetlevus dimidiam decimam ab epiſcopo.

Rantſowe Marquardus II. præter quos dimidia vacat epiſcopo. V.

In agris civitatis Godebuz nulla decima vacat epiſcopo.

Zwemin.

Radegaſt.

Wokenſtede, Tehtlerus dimidiam dec. habet ab epiſcopo. X.

Gantzowe Ludolfus II. præter quos dimidiam habet Præpoſitus. XXVI.

Malin. XVIII.

Metſen, Gisla II. præter quos dimidia vacat epiſcopo.

Holtthorp idem Gisla II. præter quos dim. vac. epiſcopo. XVI.

Germerſtorp. XVIII.

Bocholt Enkelardus dimid. dec. habet ab epiſcopo.

Guſtecowe Enkelardus dim. dec. habet ab epiſcopo.

Parſowe. VIII.

Streſtorp. VIII.

XXVIII. In parochia Rokkenthorp. Rokkenthorp.

Rokkenthorp Segebode IV. XXVI.

Brezen Gisla II. IV. habet epiſcopus. XII.

Renſen Godefridus IV. dimid. decim. habet ab epiſcopo. VIII.

Ad Slavicum Renſen.

XXIX. In parochia Zadewaltz. Parochia Zadewalz.

Zadewalz Heinricus I. Gregorius I. XXXII.

Slavicum Sadewalz epiſcopo vacant II. Hildebode habet VI. XVII.

Crampitz Luderus II. III. vacant epiſcopo. X.

Iſta ſunt beneficia præſtita ab epiſcopo in terra Dartſowe. In terra Daſſow.

XXX. In parochia Dartſowe. Parochia Dartſowe.

Dartſowe I. Hermannus advocatus.

In allodio militum Chriſtophori dimid. decimam habet epiſcopus. VIII. V.

Sethorp Decanus Lubicenſis habet beneficium. VI.

Buneſterp filius Alfwin & filius Lutberti decimam totam habent. XIV.

Princenthorp Berta I. VIII.

Villa Tanckmari. Tankmarus I. VI.

Villa Willebelmi Uffo II. XII.

Benekendorp Wedekindus dimidiam. X.

Villa Johannis Johannes I. IX.

Villa Volquardi Volquardus I. Hinricus & Adolfus III. X.

Wotewitz nullum beneficium eſt. *Slavica* villa eſt.

Erkenſe TEVTONICVM nullum beneficium eſt. XX.

Erkenſe SCLAVICVM, Slavi ſunt; nullum beneficium eſt.

In Indagine Tankmari nullam beneficium eſt. X.

Tanckenbagen Jordanis I. XX.

In Indagine Advocati nullum beneficium eſt. XX.

Radelvesbagen nullum beneficium eſt. XVI.

In Indagine Waldemari nullum beneficium eſt. X.

Parochia Mummendorp

XXXI. In parochia Mummendorp.

Mummendorp Richernus.

XII. *Trane* Richfridus I. & unum quartale detiner injuſte.

X. *Rodenberge* Ratmarus & Hego I.

VI. *Poppenthorp* Poppe.

VIII. *Ponateſtorp* Hermannus I.

VI. *Johannisveld* nullum beneficium eſt.

VIII. *Rueſin.*

XVIII. *Villa Reinwardi* Osbernus I. Alfardus I. præter quos dimidia vacat epiſcopo.

XII. In eisdem agris eſt Slavica villa; nullum beneficium eſt.

XII. *Villa Tuskowe* Woldemarus & Albero I.

XIV. *Burtſowe* filii Leſardi I.

Iſta ſunt beneficia præſtita ab epiſcopo in terra Brezen.

In terra Brezen parochia Honkerken.

XXXII. In parochia Honkerken.

XIV. *Ad altam eccleſiam* eccleſia II. Ricbertus duorum manſorum cenſum & unius manſi decimam habet ab epiſcopo.

IX. *Walmanſtorp* Thithmarus II. & Marquardus dimidiam III. vacant epiſcopo.

X. *In nova Villa* Wartus I. dimidia vacat epiſcopo.

VI. *Ad parvum Walmanſtorp* Herderus I. epiſcopo vacant II.

VI. *Everakerſtorp* Wedekindus II. Volckmarus I. nihil vacat epiſcopo.

XI. *In villa Hoyken* Hoyke I. præter quem dimidia vacat epiſcopo.

VIII. *Gramekowe* eccleſia I. & dimidiam Henricus I. & dim. nihil vacat epiſcopo.

Bekerewitz, Reimanſtorp, Wicenthorp iſtarum trium villarum decimas & IV. manſorum decimas Fredeberni dimiſit epiſcopus Heinricus pro hereditate & cenſu ex decima dimidia Mandrowe & terminis quos villa poſſidet.

XIII. *Mandrowe* Johannes & ſuus frater II. reliqua tota villa vacat epiſcopo.

Jaſtrevitz Gregorius & Wolbertus III. & dimidia; præter quos dimidia vacat epiſcopo.

Marmotſe Slavica villa eſt, dum Teutonici intraverint, Wartus II. habebit, præter quos dimidia vacabit epiſcopo.

In nova villa.

Parochia Proceke.

XXXIII. In parochia Proceke.

In Proceke eccleſia totum habet libere.

IV. *In villa Lamberti.*

XIV. *Wizock* nullum beneficium eſt; dimid. vacat epiſcopo.

VI. *Mirowe* nullum beneficium eſt; dimid. vacat epiſcopo.

V. *In villa Gerardi* Gerardus I. IV. vacant epiſcopo.

X. *In villa Merzlavi* nullum beneficium eſt, dimidia vacat epiſcopo.

V. *Gugelowe* Elyas II. præter quos dimidia vacat epiſcopo.

XXV. *Krukowe* Bole I. præter quem dimid. vacat epiſcopo.

VIII. *Dambuſen* Rodebroder dimid. Petrus I. & dimidiam, præter quos dimidia vacat epiſcopo.

XXXI. *Woytenthorp* Johannes Flamingus I. præter quem dimidia vacat epiſcopo.

In villa Chriſtofori nullum beneficium eſt dimidia vacat epiſcopo.

In villa Walteri Slavi ſunt nullum beneficium eſt.

XXXIV. In parochia Greſſowe.

Parochia Greſſowe.

Greſſowe eccleſia II. Thitbode II. reliqua tota vacat epiſcopo. XV.

Sibus Alvericus II. præter quos dimid. vacat epiſcopo. VIII.

Ad aliud Sibus Godefridus I. præter quem dimidia vacat epiſcopo. VIII.

Barvekowe Slavi ſunt, nullum beneficium eſt.

Coſelowe Alvericus I. reliqua habet eccleſia Greſſowe. VI.

Treſſowe Ekolfus I. epiſcopus I. IV.

Quale Gerardus I. præter quem dimidia vacat epiſcopo. XVI.

Krankowe Eilardus I. præter quam dimid. vacat epiſcopo. VI.

Slavicum Krankowe Slavi ſunt nullum beneficium eſt.

Cimerſtorp Johannes II. Werendtis V. præter quos dimidia vacat epiſcopo. VIII.

Marquardusthorp Fredebernus I. præter quem dimidia vacat epiſcopo. VIII.

Plocekowe Leverus I. præter quem dimidia vacat epiſcopo. VIII.

In villa Thedolfi, Thedolfus I. reliquam habet eccleſia Greſſowe X.

Jamene Godeſcalcus I. reliquam habet eccleſia Greſſowe. VI.

In indagine Rutnik quæ eſt in terra Bretzen, tres partes decimæ ſunt epiſcopi, quartam partem tenet Alvericus & Johannes Flamingus ab epiſcopo.

In indagine Fredeberni.

Parochia Begenthorp.

XXXV. In parochia Begenthorp.

Begenthorp eccleſia II. Bege I. & dimidiam, præter quos dimidia vacat epiſcopo. XVI.

In villa Lutheri Luther I. præter quem dimidia vacat epiſcopo. X.

In villa Martini Martinus I. præter quem dimidia vacat epiſcopo.

Metenthorp Alter Luther I. præter quem dimidia vacat epiſcopo.

In villa Mauritii Slavi ſunt, nullum beneficium eſt.

In villa Clutſe Sclavi ſunt, nullum beneficium eſt.

In villa Zſcarbutze Sclavi ſunt, nullum beneficium eſt.

Rambowe Broder I. partem epiſcopi habet eccleſia Begenthorp. IX.

Ad unum Stitene. XVIII.

In alio Stitene Joſeph I. præter quem dimidia vacat epiſcopo. XII.

Ad tertium Stitene Helmericus I. epiſcopus I. IV.

Ad quartum Stitene nullum beneficium eſt, dimidia vacat epiſcopo. IV.

In villa Zavitztorp Hermannus de Rodenbeke totum. VI.

Cogcheleſtorp

X. *Cogcheleſtorp* Hermannus I. reliquam habet eccleſia in Begenthorp.

In villa Hermanni Sclavi ſunt, nullum beneficium eſt.

Parochia Gnewesmulne.

XXXVI. *In parochia Gnewesmulne.*

Gnewesmulne eccleſia II. in agris *Rademersvelt*; Conradus I. Theodoricus I. in agris antiquis Gnewesmulne.

XIIII. *Natſenthorp* Leverus I. præter quem dimid. vacat epiſcopo.

XII. *Minnowe* Everardus I. præter quem dimid. vacat epiſcopo.

VI. *Degetowe* Præpoſitus dominarum dimidiam decimam tenet de gratia, non in beneficio.

In villa Conradi Sclavi ſunt, nullum beneficium eſt.

Vulnuſtorp Sclavi ſunt; nullum beneficium eſt.

XIII. *Porzerowe.*

X. *Criſtane.*

XVIII. *Woteniſt* Albertus I. præter quam dimidia vacat epiſcopo.

VI. *Quaſtin* Herwardus I. præter quam dimidia vacat epiſcopo.

X. *Vilebeke* Berta I. aliam partem epiſcopi habet eccleſia Gnewesmulne, Heraldus I.

In villa Gorzwin Sclavi ſunt; nullum beneficium eſt.

VI. *Santekowe* Heinricus I. præter quam dimid. vacat epiſcopo.

V. *In Ratnisveld* dimidia decima vacat epiſcopo.

Luteken Warnowe Sclavi ſunt, nullum beneficium eſt.

XI. *Toradeſtorp* Herwardus I. præter quam dimidia epiſcopo.

VI. *Woldenhagen.*

Iſta ſunt beneficia quæ præſtita ſunt ab epiſcopo in loco Clutſe.

In loco Clutſe Parochia Clutſe.

XXXVII. *In parochia Clutſe.*

In villa Clutſe & in ſuperiori villa *Tarnewitz* & in villa *Retwiſch* & in villa *Grundiſeshagen* & in villa *Tomashagen*, ubi eſt eccleſia tertia; pars decimarum vacat epiſcopo deque parte decimus manſus præſtitus eſt dominis villarum. De parte epiſcopi eccleſia in Clutſe habet IV. manſos & eccleſia Thomashagen in ſua villa IV. & de parte Domini terræ totidem.

In ſuperiori villa Tarnewitz Burchardus VI. Lippoldus VI.

In Wittenborger Hagen tertia pars decimarum vacat epiſcopo, de qua Nicholaus habet dimidium manſum.

In villa Wartus ad Sclavicum Tarnewitz Wartus II. præter quos dimidia vacat epiſcopo.

Erpushagen tertia pars vacat epiſcopo; de qua Meinwardus habet I. & Hardradus III.

In indagine Præpoſiti tertia pars vacat epiſcopo.

Parochia Thomashag. XXII.

XXXVIII. *In parochia Thomashagen.*

Thomashagen.

Pruriſſowe Wartus II. præter quos dimidia vacat epiſcopo.

Porin, (Poſerin) Theodoricus I. præter quem dimidia vacat epiſcopo. XII.

Rovelshagen nullum beneficium eſt, tertia pars vacat epiſcopo. XII.

Cuzowe Heinricus II. præter quos dimidia vacat epiſcopo. XVI.

Guttowe Ludolfus II. præter quos dimidia vacat epiſcopo.

Ponateſtorp Hermannus I. & dimid. præter quos dimidia vacat epiſcopo. VIII.

Wulſin tertia pars vacat epiſcopo. VIII.

Stellershagen tertia pars vacat epiſcopo. XVIII.

Parochia Calchorſt.

XL. *In parochia Calchorſt.*

Calchorſt, *Sconenberge*, *Divelsbrok* & in omnibus Domini Henrici Holſati tertia pars vacat epiſcopo de qua habet idem Henricus II.

Iſta ſunt beneficia quæ Comites de Dannenberge tenent ab epiſcopo Raceburg.

In terra Jabele.

XLI. *In terra Jabele.*

In terra, quæ vocatur *Jabele*, quæ eſt inter Zudam & Walerowe, cum illa inculta fuerit a Teutonicis, Comites de Dannenberge medietatem decimæ habebant ab epiſcopo Raceburgenſi; medietas vacabit epiſcopo.

Medio vero tempore Sclauis ibidem exiſtentibus ſolus epiſcopus per totam terram ipſam Sclavico iure gaudebit ſecundum privilegium Raceburgenſis eccleſiæ. Dabunt enim Sclaui de unco tres modios ſiliginis, qui dicitur *Kuritz*, toppum lini unum, pullum unum & ſolidum unum. Ex his habebit ſacerdos parochialis tertium modium & duos nummos.

In terra Waninke.

XLII. *In terra Waninke.*

In terra vero *Waninke*, quæ eſt inter Walerowe & Albiam & Eldenam, idem comites totam decimam habebunt ab epiſcopo præter villam Malke cum ſuis terminis, quæ una eſt de curiis epiſcopalibus & ad dotem pertinet Raceburgenſis eccleſiæ, & præter molendinum eiusdem villæ terminis *ab epiſcopo Heinrico* conſtructum & præter *villam Brezegore*, quam *Godeſcalcus Raceburgenſis epiſcopus* ab eisdem Comitibus pro XXX. marcis puri argenti emit cum terminis ad eandem villam iure pertinentibus, in agris & ſilvis, in pratis, & paſcuis, in aquis & piſcationibus & ipſius villæ decimis. Huius rei teſtes ſunt ipſi *Comites Heinricus & Bernardus*, a quibus emta eſt villa, qui pro coheredibus ſuis manu ad manum epiſcopo Godeſcalco promiſerunt, quod ea ab omni impetitione fideliter expedirent epiſcopo. Teſtes etiam ſunt: *Eilbertus Præpoſitus in Dannenberge*, Bernardus ſacerdos & Henricus Diaconus Canonici Raceburgenſes. *Corvus & Cunradus milites de Raceburg*, *Segebodo miles de Wittenburg*, Heinricus ſacerdos de Dumeliz, Willebrandus ſacerdos *de Malke*, *Heinricus Knut* miles & *Hermannus Cancer* & alii quamplures.

In villa Melgoz Theodoricus de Hidesakere totam decimam habet ab epiſcopo.

In terra Dirtzinke.

XLIII. In terra Dirtzinke.

In terra Dirtzinke Sclaui sunt; ubi episcopus Raceburgensis suo Sclavico jure gaudebit, sicut supra scriptum est, nisi tantum in bonis Domini Rabodonis, quæ per omnia beneficium suum sunt, & præter bona Gerungi, qui tamen bona sua de manu Godescalci episcopi nunquam recepit.

In terra Sadelbandiæ dominus terræ nihil habet in beneficio ab episcopo, sed qui subscripti sunt taliter & taliter sunt inbeneficiati.

In terra Sadelbandia ad Cornu.

XLIV. Ad Cornu.

Ad Cornu Wernerus & Otto totam decimam habent ab episcopo.

XXIV.
XVIII. *Honwarde* Siffridus III. habet præter quos tota vacat episcopo.

XII. *Gultsowe* Heinricus Schakko totam decimam habet ab episcopo.

XIV. *Tomene* Gevehardus totam decimam habet ab episcopo.

XV. *Wigershop* Fridericus de Ludwardeshusen duas partes decimæ habet.

Toschope Ufleko dimid. habet; dimidia vacat episcopo.

Wenthorp idem *Ufleko* dimidiam habet, ut dicit; dimidia vacat episcopo.

Crucowe, ut dicit Olricus.

Crutsem VII. Hasledale VIII. Sculenthorp V. Bertoldestorp V. harum villarum decimas habet Reinfridus ab episcopo.

Isti sunt redditus episcopales in Sadelbandia, ubi de quadam pessima consuetudine IV. tantum modii siliginis pro decima dantur episcopo de quolibet manso.

Parochia Souveneken.

XLV. In parochia Souveneken.

In parochia ad SEPTEM QVERCVS in ipsa villa VII. *Tramme* VIII. *Horgenbeke* VIII. *Guztrade* XIV. *Wotarze* XI. *Rosborch* IX. *Nussowe* XII. *Massen* XIV. *Pampowe* IV. *Sabenize* VIII. In *Sclavicis villis Lelekowe* V. *Wankelowe* V. *Elmhorst* IV. *Cemerstorp* IV. *Grabowe* V. *Grove* V. *In Sclavico Pampowe* IV. *Putrowe* tota cum censu & decima vacat episcopo. Hanc liberam cum omni jure Dux Heinricus Leo fundator contulit Raceburgensi episcopo, quia, cum primum intraret terram cum exercitu, *prima nocte quievit ibi*, & hoc primum sacrificium fecit domino & beatæ Mariæ.

XLVI. In parochia Lutowe.

Parochia Lutowe.

In villa Lutowe decimam tenuit ab episcopo Reinoldus comes, qui ratione beneficii agros villæ decimales fecit, quo dein cum *comite Adolpho occiso* decima vacavit episcopo & adhuc vacat.

Wutsetse XX. *Daltborp* VII. *Wizoc* V. *Basdowe* VIII. *Lantsaze* VII. *Bochorst* V. *in villa Godescalci* VIII. *Volcmaresvelt* VI. *Albrehtesbope* V. *Snakenbeke* XII. *Abenthorp* XII. *Coledowe* XVI. *Borist* VIII. *Cankelowe* XII. *Telekowe* VIII.

XLVII. In parochia Hagede.

In Parochia Hagede.

In villa Hagede ipsius villæ decima est sacerdotis; *Wigerschop* XV. *Honwarde* XVIII. *Hasledale* VIII. *Besenborst* VIII. *Vorenthorp* XV. *in Cornu* XXIV. *in Wort* XVIII.

XLVIII. In parochia Kuthenworden.

Parochia Kuthenworden.

In villa Kutenworden VI. decima sacerdotis est C.-- *Honvelde* VII. *Kerseberg* X. *Manse* IV. *Rodenbeko* X.

Comes de Zwerin taliter inbeneficiatus est ab episcopo.

XLIX. In terra Boyceneburg.

In terra Boyceneburg.

In terra Boyceneburch Guncelinus comes de Zwerin duas partes decimarum tenet in beneficio ab episcopo Raceburgensi, tertia pars vacat episcopo.

Isti sunt redditus episcopales.

In villa Grancin XII. episcopo decima *Niclesse* XII. *Putsowe* XII. *In curia Bunserstorp* VI. *Darsenowe* IV. *Tsarnekenstorp* XII. *Bluggere* IV. *Luteker* IV. *in Zeghebande* VI.

Benin villa tota libere vacat episcopo in agris & silvis, pascuis & partis, quam Dux Henricus ab omni servitio liberam resignavit. *Paucula quæ reliqua sunt nomina, vetustas obliteravit.*

III.

Friderici REGIS ROMANORVM Diploma (*) quo HENRICO LEONI jus investituræ trium episcopatuum tribuit circa an. 1154. (**)

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

FRidericus divina favente clementia *Romanorum* REX: Quia ad Regiæ dignitatis apicem 1154.

Diplomatis exempla.

(*) Quod primus edidit *MADERUS in antiqu. Brunsvicens. p.* 121 *seqq.* & ex illo LUNIGIUS *spicil. eccles. ant. II. append. p.* 150. *TOB. EKHARD de Henrici Leonis autoritate circa sacra p* 50. *D.* PHIL. FRID. HANE *specim. antiqu. eccles. Mecklenb p.* 31. M. SCHROEDER *P. I. primit. Wismar. p.* 37. Avtographum aureo sigillo munitum Güstrovii olim servatum fuit in tabulario principali.

datum illud non videtur ann. 1156. 1159

(**) Destitutum est hoc Diploma die & consule, unde multiplex in illo divinando inter interpretes dissensio. Placet non nullis annum 1156. designare, quibus assentitur RHETMEYERUS *Chron. Lun. & Brunsv. T. I. p.* 317. Sunt, qui fide *Chron. Montis Sereni apud* LEIBNITIUM *T. II. script. rer. Brunsw. p.* 31. annum 1159. definiunt. Plures ad annum 1160. progrediuntur, inter quos sunt *Chronic. Stedterberg*, apud *MEIBOMIUM T. I. p.* 454. HELMOLDUS *lib.* 1. *Chron. Slav. c.* 87. *nec anno* 1160 histor. Archiep. Bremens. apud LINDENBROGIUM 1161. 1162. S.R.S. *in vita Hartwici p.* 92. *Chronicon Bigaugiense & Brandenb.* d. a. apud MADERUM *p.* 222. 261. HENR. BOTHO *de constructione cœnobii Gandesiani apud* MEIBOM. *T. II p.* 505 *Chronic. picturat. apud* LEIBNITIUM *d. l. T. III. p.* 345. CHRONOGRAPHUS *Saxo apud Leibnitium in access. Hist. Chronicon* SLAVICUM *Lindenbrog. c.* 28. Quorum vestigia legit MADERUS. c. 1 § 12. CRANZIUS *lib.* 4. *Vand. c.* 36. *Metrop. lib.* 6 *c.* 88. PFEFFINGER *Vitriar* illustrat. T. II. p. 164. Sed BERNHARDUS LATOMUS *in Histor. Mecklenb. MSC.* pugnat pro anno 1161. BANGERTUS vero *ad Helmoldum c. l.* annum 1162. indigitat, iterumque alii ab ALBERTO STADENSI *ad ann.* 1163. p. 193. & *Chronico rhythmico* apud LEIBNITIUM

apicem Dei gratia conſcendimus, idcirco dignum eſt ipſius, a quo omnis eſt poteſtas, notiam honorem cultum ampliare dilatare, ut ſicut ab ejus gratia ſunt omnia, ita ejus gloriæ ſerviant univerſa. Noverit ergo tam futurorum quam præſentium induſtria, qualiter nos *dilecto noſtro Henrico Duci Saxoniæ* injunximus, ut in provincia *ultra Albim*, quam a noſtra *munificentia tenet* (***) *epiſcopatus & eccleſias* ad dilatandum Chriſtiani nominis imperium *inſtituat, plantet & ædificet;* liberamque ei conceſſimus poteſtatem, ut eccleſiis illis *de bonis regni* (*) conferat, prout *voluntas ſua* perſvaſerit & *terrarum ſpatioſitas permiſerit.* Cui negotio *ut ſtudioſius & devotius inſiſtat, ipſi* & omnibus ſibi *in hac provincia* SUCCESSURIS concedimus inveſtituram trium epiſcopatuum, *Aldenburc, Michelnburc, Raceburc*, ut quicunque in locum epiſcoporum ibidem ſubrogandi ſunt, *a manu ipſius* quod *regii juris* (**) eſt, *tanquam a noſtra recipiant*; id etiam adjungimus, quod ſi *in*

TIUM *T. III S. B.* in devia deducti, ad ann. 1163. digitum intendunt. Quibus omnibus non ſolum vitæ rationes & fata teſtium citatorum *Wichmanni, Brunonis, Vickboldi*, aliorumque contradicunt, ſed etiam hiſtoria ipſius obſtat Largitoris *Friderici*, qui anno regni ſui IVti a. 1155 XIV Kalend Jul. quo imperii, quod nonniſi apud Romanos deferri poſſe putabatur, coronam Romæ à Pontifice Hadriano IV. accepit, titulum *Romanorum Regis* depoſuit. Calculo igitur rite ſubducto, diploma hoc à Friderico *Rege Romanorum* datum videbitur Spiræ a. 1153 vel certe Goslariæ a. 1154 Electus enim ille fuit Imperator Francofurti a. 1152. III. Non. Martii & eodem anno Dominica Lætare in regni Francorum ſede, quæ Aquisgrani eſt, in thronum regalem collocatus, ac coronatus ab Arnoldo archiepiſcopo Colonienſi. Eodem anno ad decidendam, quæ inter *Henricum Auſtriæ* & *Henricum Leonem* de Bavariæ ducatu agebatur, controverſiam animum applicuit. Citatus ideo Henricus Leo menſe Octobri Herbipoli & ſequenti anno 1153 Menſe Decembri Spiræ comparuit, ſed Henrico Auſtriaco in præfixis terminis non veniente, Friderici amorem animumque ita expugnavit, ut hic non ſolum in Curia Goslarienſi a. 1154 Henrico Leoni ducatum Bojoariæ addixerit, ſed ipſum etiam elegerit amicum & comitem itineris, ad capeſſendum coronam Imperialem ineundi Italici, quod ipſo anno 1154. comite Henrico ingreſſus eſt. Probant hæc ſingula prolixius ſcriptores coævi & hiſtorici ſcientiſſimi RADEVICUS *lib. I. cap.* 16. *lib. c.* 21 & 22. *OTTO FRISINGENSIS lib. VII.* c. 11. *Albertus STADENS. ad a.* 1155. *Monachus WEINGARTENSIS ad an.* 1154. *Chronicon Bigangienſe ad a.* 1152. *GUNTHERUS in Ligurino lib. I. c.* 435. 740. *OTTO MORENA de rebus Laudenſibus ad a.* 1155. *apud* LEIBNITIUM *Tom. I. S. R. B. p.* 812. HELMOLDUS *Chron. Slav. lib. I. c.* 78. aliique, quorum fidem ſequuti ſunt *STRUVIUS corp. hiſtor. germ. period.* 7 *p.* 380 382. KOCHIUS *epitome hiſtoriæ Imperii Germ. p.* 173 ſqq. & præcipue *DN. de BUNAU in vita Friderici I. p.* 422 qui recte objicit, quod diploma, quo Henrico Leoni jus inveſtituræ trium epiſcopatuum tribuitur, annum 1154 egredi haud videatur, datum quippe à Fiderico, *Rege adhuc Romanorum.*

(***) Non intuitu originis acquiſitionis & tituli poſſeſſionis, ſed communis protectionis & Imperatoriæ confirmationis. Teſtes enim ſunt HELMOLDUS *lib. I. 87.* KRANTZIUS *Vand lib. 4. c. 36.* & ſupra citati plures hiſtorici, quod Henricus Leo provincias & terras Slavorum *clypeo ſuo & jure belli ſibi ſubjecerit acquiveritque ſuo imperio.* Unde in fragmento *Genealog. Ducum Brunſvic. & Luneb.* apud LEIBNITIUM *T. II. p.* 19 appellatur *dominus* TERRÆ SLAVORUM *bello & poteſtate ſua*, adde & partim jure anteceſſorum, *factus.* Pertinet igitur munificentia Cæſaris ad genus acceſſoriorum rerumque *curialium.*

(*) *Bona regni* Germanicus chartæ interpres explicuit *Reichs-Güther.* Quem ſequitur SCHROEDER *primit. Wiſmar. P. I. p.* 38. ſed intelliguntur oppido *bona territorii*, bona ex redditibus provinciæ ab Henrico Leone pleno jure acquiſitæ. Addit inde Imperator: *prout* VOLUNTAS *Henrici Leonis perſuaſerit &* TERRARUM SPATIOSITAS *permiſerit.*

Sed anno 1154.

Rationes conjecturæ.

Henricus Leo Slaviæ imperat jure belli & victoriæ.

Bona regni ſunt bona territorii.

Ipſius igitur ceu domini territorialis arbitrio & prudentiæ relictum fuit, eccleſias ab ipſo, ſuperioritatis jure fundatas dotandi ex reditibus ſuis provincialibus ſeu bonis territorii in dominium ipſius redacti. De quo argumento HELMOLDUS *lib I. c.* 87 *Subſcripſit Henricus Leo in dotem Magnopolitanæ eccleſiæ trecentos manſos, ſicut antea fecerat Raceburgenſi & Aldenburgenſi eccleſiæ & facta poſtulatione obtinuit apud Cæſarem autoritatem epiſcopatus ſuſcitare, dare & confirmare in omni* TERRA SLAVORUM *quam vel ipſe vel* PROGENITORES *ſui ſubjugaverint in clypeo ſuo & jure belli. Et dedit epiſcopis* Geroldo Aldenburgenſi, Evermodo Raceburgenſi & Bernoni Magnopolitano privilegia *de poſſeſſionibus & de juſtitiis, & præcepit Slavis, qui* REMANSERANT *in terra Wagirorum, Polaborum, Obotritarum, Kycinorum, ut ſolverent reditus epiſcopales, qui ſolvuntur apud* POLONOS & POMERANOS, *hoc eſt de aratro tres modios ſiliginis, & duodecim nummos monetæ publicæ. Modius autem Slavorum vocatur lingua eorum Curitze: porro Slavicum aratrum perficitur duobus bobus & totidem equis* (aut uno equo teste eodem L. I. c. 12. n. 13.) *Et* AUCTÆ *ſunt decimationes in terra* SLAVORUM, *eo quod conſluevent de terris ſuis homines* TEUTONICI *ad colendam terram ſpatioſam ſertilem frumento, commodam paſcuorum ubertate abundantem piſce & carne & omnibus bonis* Ex quo loco ſimul conſtat, quid ſentiendum ſit de opinatione eorum, qui forte cum AUCTORE *diſſertationis de origine jurium nobilitatis Mecklenburg.* nuper *Gottingæ editæ* Slavos perhibent omnimoda fere libertate conſpicuos, Regibus Obotritarum olim haud tributarios, prædiis à cenſu omni immunibus inſtructos, quin ab Henrico Leone devictos quidem, ſed libertati ſuæ reſtitutos. A quibus fictionibus fidi ſcriptores, annales, diplomata & veriora omnia plane recedunt.

Conceſſa ab Heinrico Leone in dotem eccleſiarum.

additis reditibus ſolvendis a Slavis nunc & antea tributariis.

ac decimationis jure obnoxiis.

(**) Non *Cæſarei* juris, ſed *regalis* ſeu *territorialis*, quod cum Imperatori & Regibus, tum Ducibus jure dominii & jure ſuperioritatis competit in ſuis quibusvis territoriis. Inde regalia jura tum circa ſacra tum civilia recte dicuntur territorialia, majeſtatica, effectus ſuperioritatis territorialis. Nec ipſe Imperator hoc loco ſibi privativo jure jus regium epiſcopos conſtituendi aſſerit; ſed appoſite addit, *ut epiſcopi à manu Henrici Leonis, quod regii juris eſt,* TANQVAM *à noſtra manu* ſeu poteſtate *recipiant* Receperunt enim inveſtituram originario & proprio jure ab ipſo Duce & Slaviæ Domino *Henrico Leone*, poteſtate civili, territoriali & eccleſiaſtica, principali & epiſcopali jure haud deſtituto. Et ſi dicendum quod res eſt, Dux Henricus ſibi hoc juris inveſtituræ epiſcopalis imperatorio diplomate proſpexit non ideo, quod res qualitate ſua & indole ita exegerit, ſed quod eo rerum ſtatu expedientiæ & utilitatis eſſe ipſi viſum fuerit, jus ſuum originarium & territoriale autoritate Cæſarea communire & cumulare. De cujus argumenti cauſis infra diſpicere licebit. Quod enim Dux Henricus jam ante hujus diplomatis conceſſionem proprio ſuo jure uſus fuerit, ipſe docuit exemplo epiſcopi Megapolenſis *Emmerhardi*, quem anno 1152. inveſtivit, præcipue vero inſtitutione epiſcopi Aldenburgenſis *Vicelini*, qui a. 1149. ab Henrico Leone, inveſtituram accepit, teſte AUTORE *compendii vitæ S. Vicelini l. I. p.* 5. HEL-

Jus inveſtiendi epiſcopo eſt iuris regii h. e. territorialis.

in provinciis circumquaque, in quibus necdum Christiana religio tenetur, *episcopatus sua sirenuitate*

MOLDO *lib.* 1. *c.*70 Rem satis momentosam AUCTOR *historiæ archiep.* BREMENSIUM *apud* LINDENBROGIUM *script. septentrional. p.* 91. *in vita Hartwici* breviter ita refert: *Circa idem tempus* (a. 1194. 1152.) *Dux Saxoniæ Henricus Vicelino Aldenburgensi episcopo graviter institit, ut ferulam pastoralem ab eo reciperet, quod Bremenses omnino dissuaserunt; fecit tamen, ne episcopatus periclitaretur.* Eadem fusius commemorant ALBERTUS STADENSIS *ad a.* 1152. *p.* 188. *Chronic. Slavic. apud* LINDENBROGIUM *c.* 22. CRANZIUS *lib.* 6. *Metrop c.* 28. *Vand. lib.* 4. *c.* 12. OCKELIUS *de palatio regio §.* 7. STIEBERUS *hist. eccles. Mecklenb. p* 271. LERBECIUS *Chron. Comit. Schawenb. ap. Meibom. T. I. p.* 503. SAGITTARIUS & MELLENIUS *hist. ant. Lubec. c.* 2. *ad a.* 1149. Sed in recensendis argumenti hujus circumstantiis, Ducis rationibus, Vicelini & Bremensium dubiis & oppositionibus nemo fœcundior est HELMOLDO, cujus verba merentur recitari: *Abiit*, inquit L. 1. *c.* 69. 70. *episcopus VICELINUS ad Ducem Henricum Leonem* (quo inconsulto episcopus ab Archiepiscopo Hamburgensi, Hartwico constitutus erat) *rogaturus* propterea *veniam: Et ait Dux ad eum: Dignum quidem fuit, o episcope, ut vos nec salutarem nec reciperem, eo quod nomen istud me inconsulto susceperitis. Ego enim hujus rei moderator esse debueram, maxime in terra, quam PATRES mei favente Deo in clypeo & gladio obtinuerunt & mihi possidendam HEREDITAVERUNT. Sed quia Sanctitas vestra dudum mihi comperta est, progenitores quoque nostri vos ab initio fidelem probaverunt, decrevi jam noxæ hujus oblivisci, promotionique vestræ pleno favore concurrere, scilicet ea conditione, si investituram episcopalem de manu mea recipere volueritis. Hoc enim pacto res vestræ processum habere poterunt. Et visum est episcopo verbum illud durum, eo quod esset præter consvetudinem. Episcop. enim in vestire SOLIUS IMPERATORIÆ MAJESTATIS est. Quidam ergo fidelium Ducis, Henricus de WITHA, vir potens & militaris & amicus episcopi, dixit ad eum: Facite, quod vobis utile est & appropinquate Domino nostro & facite voluntatem ejus, ut ædificentur ecclesiæ in Slavia & dirigatur cultus domus DEI in manibus vestris; alioquin frustrabitur labor vester, eo quod nec CÆSAR nec ARCHIEPISCOPUS possit juvare causam vestram DOMINO meo OBNITENTE. Deus enim dedit ei universam terram hanc. Quid autem grande requirit à vobis Dominus meus, quod vobis aut illicitum sit aut verecundum? Quin potius res facilis est & conducens fructum magnum, ut Dominus meus accipiat virgulam & det in manum vestram pro signo investituræ, sitisque de cetero familiaris Ducis, habentes honorem inter gentes, ad quas ingrediemini convertendas. Rogavit ergo episcopus præberi sibi inducias, ut deliberaret super verbo hoc. Tum abiit Bremam consulturus Archiepiscopum & CLERUM super verbo hoc, quod imposuerat ei Dux. Qui omnes una eademque sententia refragari cœperunt dicentes: Scimus quidem, o venerabilis Pontifex, sanctitati vestræ optime cognitum esse, quid vobis super verbo hoc expediat. Sed quia venistis particapari consilio nostro, breviter respondemus quod sentimus. Primum ergo in hoc negotio pensari debet, qualiter investituræ Pontificum IMPERATORIÆ tantum dignitati permissæ sunt, quæ sola excellens & post Deum in filiis hominum præcminens, hunc honorem non sine fœnore multiplici conquisivit. Neque Imperatores dignissimi levitate usi sunt, ut EPISCOPORUM domini vacaventur, sed compensaverunt noxam hanc AMPLISSIMIS regni DIVITIIS, quibus ecclesia copiosius aucta, decentius honestata, jam non vile reputet se ad modicum cessisse subjectioni; nec erubescat uni in clinavi, per quem possit in multos dominari. Vos igitur HONOREM hunc pessundabitis, & infringetis jura magnis autoritatibus edita? Dabitisne huic Duci manus vestras, ut hoc exemplo incipiant esse* PRINCIPUM SERVI, *qui fuerant* PRINCIPUM DOMINI. *Non decet ætatem vestram honestatis decore maturam, ut per vos incipiant fieri abusiones in domo Domini. Longe fiat à vobis verbum istud. Quod si furor principis erga vos effrenatius egerit, nonne satius est ferre jacturam BONORUM quam HONORIS? Auferant, si velint, decimas, occludant vobis introitum, si placet, parochiæ vestræ, tolerabilis erit illa molestia. Habetis certe FALDERENSEM domum, in qua tuta interim statione consistere possitis & præstolari cum silentio salutare Dei. His & hujusmodi verbis averterunt eum, ne voluntatem Ducis adimpleret. Parturivit sane PERSVASIO HÆC novellæ plantationi multiplex impedimentum. Quoties enim Pontifex noster Ducem abiit interpellaturus pro negotiis ecclesiæ ille se paratum ostendit esse ad omnia, quæ popposcisset utilitas, si primum illi DEBITUS honor exhibitus fuisset, alioquin frustra contra impetum fluminis iri. Pontifex autem HUMILIS facile inclinatus fuisset, ut propter LUCRUM ECCLESIÆ Duci secularis honoris cupido morem gessisset, si Archiepiscopus & ceteri BREMENSIUM non obstitissent. Nam & ipsi VANIGLORII atque DIVITIIS ADULTÆ ecclesiæ SATURI, honori, suo hoc in facto derogari putabant, nec magnopere fructum, sed numerum SUFFRAGANEARUM sedium curabant. Quod vel in hoc maxime patuit, quia in possessionibus FALDERENSIS ecclesiæ Archiepiscopus multas episcopo nostro fecit injurias, demens & convellens aliqua, nec tutum permanere sinens in statione, quam ipse ei deputaverat. Videres ergo virum (Vicelinum) antea magni nominis, possessorem libertatis & compotem suimet, post acceptum episcopale nomen quasi innodatum vinculis quibusdam & supplicem omnium. In diebus igitur, quibus congregabat Henricus Leo exercitum, ut abiret in Bavariam & requireret Ducatum, quem vitricus suus Henricus frater Conradi regis occubuit, paverat, venit ad eum dominus episcopus Vicelinus Luneburgi rogans, ut semper solebat, pro episcopatus sui promotione. Cui Dux, faciam, inquit, quod hortamini, si ad nos respectum habere volueritis. Ad quem episcopus paratus sum, ait, propter eum, qui se humiliavit propter nos, me ipsum in PROPRIETATEM dare alicui de clientibus vestris, nedum VOBIS, cui dominus ampliorem inter principes contulit magnificentiam tam GENERIS quam POTENTIÆ. Et his dictis fecit, quod necessitas imperabat & suscepit episcopatum per virgam de manu Ducis. Animæquior autem factus Dux ait: Quia videmus vos obedientes esse voluntati nostræ, oportet & nos sanctitati vestræ condignam gerere reverentiam & petitioni de cetero proniores adesse. Sed quia nunc in procinctu sumus itineris & ordinatio vestræ causæ prolixius tempus requirit, damus interim vobis villam BUTZOE, quam petistis cum sua pertinentia DULZANIZA, ut adificetis vobis domum in medio terræ nostræ & præstolari possitis reditum nostrum. Tunc enim propitio DEO disponendis rebus vestris propensius instabimus. Rogavitque Comitem ADOLPHUM, ut huic donationi præberet assensum. Cui respondit Comes. Ex quo dominus meus flexus est ad pietatem, decet nos voluntati eius occurrere & pro posse nostro ei suffragari; possessionem ergo quam Dominus Dux permisit episcopo, & ego permitto. Insuper cedo de medietate decimarum, ut cedant in usus episcopi, non ex DEBITO, sed ex gratia vestri, eo quod res EPISCOPALES necdum ordinatæ sint. Commisit ergo Dux custodiam terræ Slavorum atque NORDALBINGORUM Comiti nostro, compositisque rebus in Saxonia profectus est cum militia, ut reciperet DUCATUM Bavariæ.* Ex hac in summam collecta argumenti hujus historia manifestum fit, quod Vicelini & Cleri Bremensis primaria & tumida satis oppositio posita fuerit in abusu principii *Occamistarum & Gibellinorum* (de quibus vide *F. OSIUM in notis ad Alb. MUSSATI historiam p.* 141.

Henrici L. rationes pro investitura Vicelini.

Cleri Bremensis objectiones & dissuasiones.

Præcipuum argumentum: Vos autem non Sic!

Helmoldi in genuum judicium Bremenses oppositum.

Vicelinus Bretum, mensium conjilia filia deserit, inveſtituram ab Henrico L. rogitans.

De factione Cæsarea & Papali.

p. 141. *ADELZREITERUM Annal. Boic. P. 1. L. 21*) ævi hujus ſtrenuorum *Cæſareæ poteſtatis* vindicum, qui contra *Guelphos*, hoc eſt *factionem papalem*, Cæſaris autoritatem fortiter ubique tueri, juraque epiſcopalia & alia plura *ſolius Imperatoris majeſtati*, ceu poſt DEUM præeminenti dignitati, aſſerere nitebantur Urgent eandem rationem in hac cauſa *PULKAWA apud Balbinum epit. rer. Bohem. L. 3. c. 10. AUTOR Chronicæ Slavicæ apud LINDENBROGIUM p. 197.* item *OTTO FRISINGENSIS de geſtis Friderici I. L. 2. c. 26. P. de MARCA L. VIII. de Concord. Sacerd. & Imp. c. 2. p. 1206.* & plures, qui pro jure imperatorio inveſtiendi epiſcopos vindicias meditati ſunt. Conſtat enim, quod Imperatores Imperii Germanici jura inveſtiendi epiſcopos per annulum & baculum contra excommunicationis & criminis ſacrilegii fulmina Pontificum fortiter tuiti ſint, nec Cæſareo hoc jure, ut pote proprio & cum imperio & territoriorum jure connexo, unquam ſe abdicaverint, etſi Henricus V. a 1122. in comitiis Wormatienſibus, urgente quidem tunc reipublicæ & religionis ſtatu, hæc ſui imperii beneficia eccleſiaſtica, ſervata ſaltim ſibi collatione regalium per ſceptrum, ceſſerit Pontifici Calixto II. inito propterea *pro animæ ſuæ remedio & amore Dei ac Calixti*, concordato, cujus dignitatem & validitatem ſcriptores Pontificii *BARONIUS Annal. T. II. ad annum* 1122. *p.* 150. *ſqq. Cherubinus T. 1. Magni Bullarii Romani* p. 58. aliique ex *autographo Vaticano*, (à tabulis apud *GOLDASTUM T. 1. Conſt. Imp.* p. 258. valde diſſono) recenſent & unitis viribus ſartum ſalvumque tutari annituntur. Sed ex adverſo, comite ipſa rei hiſtoria & veritate, jura hæc Imperatoribus rite competentia documentis, rationibus & teſtibus coævis vindicant inque lucem conſtituunt *THEODORICUS de NIEM deſcriptione de inveſtitura epiſcopatuum Regum Teutonicorum ſyntagm. apud SCHARDIUM ſyntagm. tractatuum de jurisdictione Imperiali p. 228. Lupoldus de Babenberg de zelo chriſtianæ religionis veterum principum German. apud eundem l. c. c. 8 p. 221. Waltbramus NAUMBURGENSIS de inveſtitura epiſcoporum per Imperatores facienda ibid. p. 73. MARSILIUS PATAVINUS de translatione imperii ibid. c. 8 MEIBOMIUS de jure inveſtituræ epiſcop. Tom III. ſcriptor rer. Germ.* p. 171. *SCHILTERUS de libertate Eccleſiar. German. Lib IV. cap 5. Inſtit. jur publ. T. 2. tit. 13. ad jus feud. Alemann. c 42. §. 20. ZIEGLERUS de epiſcopis Lib. 2 c. 2 CONRINGIUS de Imperio R. G. c. 6. de conſtitutione epiſcop. Germaniæ §. 60. HECHTIUS German. ſacr. & literat. P. 2. L. 9 c. 2 p. 431 ſeqq. LEIBNITIUS T. 1. cod. jur. gent. diplom. p. 2. ſeqq. DITHMARUS in vita GREGORII VII. B. BUDDEUS de conciliis Lateranenſ rei chriſtianæ noxiis p. 11. PFEFFINGERUS in Corp juris publici L. 1. Tit. XV. p 1391 in hiſt. Imp. Lotharii II Conradi III. Friderici I. Ottonis IV. & Friderici II.* Idem vero dicendum eſt de juribus *Principum imperii Germanici* quibus hoc juris inveſtituræ eccleſiaſticæ exercitium vi originariæ jurisdictionis & territorialis ſuperioritatis æque competit, quod, utut Pontificum inſidiis aliquando impugnatum, haud tamen ſublatum plane & exterminatum ſed omni occaſione ſervatum ab iis & vindicatum, quin poſtliminii jure ab ipſis Pontificibus reſtitutum fuit, docente SCHILTERO *d. l.* BOEHMERO *in jure eccleſiaſt. LUDEWIGIO diſſert. de præcipuo Princip. Evangelic. & JO. GVIL. JANO de dominio Pontificio in reges & principes poſt reformationem diminuto.* Et Cæſari itaque & principi, cuique ſuum facile tribuitur, ſi conſulueris & *imperii* & *principatuum Germaniæ* hiſtoriam, formam, indolem & nexum ſingularem. Aberrat ideo CRANZIUS *Metrop. L. V. c. 28. Vand. L. 6. c. 36.* ubi de Friderici I. conceſſione duci Henrico Leoni data ita ſentit: *Miſſa ad Imperatorem legatione ab illo impetravit, jus conſtituendarum Pontificum per terras quas gladio ſibi ſubjeciſſet & DEDIT promtus Imperator quod NON HABUIT.* Omnino enim in Imperio & provinciis, quibus ipſe dominus territorialis imperabat, habuit tenuitque nec unquam deſeruit jura inveſtituræ epiſcopalis, quorum Papa quidem uſurpator, ſed Imperator dominus & poſſeſſor legitimus exſtitit. Quare, quod ipſi jure debebatur, non obſtante Pontificum conatu & fulmine, ipſe cum in Italia tum in Germania exercuit vel vindicare ſtuduit, quod comprobant exempla conſtitutī ab ipſo anno 1152. archiepiſcopi Magdeburgenſis *Wichmanni*, remotique anno 1163. archiepiſcopi ſedis Moguntinæ *Henrici* & ſubrogati Cancellarii *Arnoldi*, ut & conſtituti Archiepiſcopi Ravennatenſis *Guidonis*, ut plura taceam recenſita ab OTTONE FRISINGENSE & RADEVICO *de geſtis Friderici I.* Quibus tamen addendum eſt exemplum conſtituti a Friderico Imperatore epiſcopi Lubicenſis *Conradi II.* & quum hic epiſcopatu a. 1184. ſe abdicaſſet, *Theodorici*, quem utrumque, ipſo, quo Henricus Leo exul erat tempore, *inveſtivit, docente ARNOLDO Lubecenſi L. 3. c. 6. KOCKIO Chron Lubec. ad hunc annum & ANONYMO MSCti. Chror. cit. ab ECKHARD. Tr. de Henr. Leonis autoritate circa ſacra p.* 42. ubi rectiſſime infert, quod antea epiſcopi Lubecenſes ab Henrico Leone conſtituti fuerint. Porro vero a via & veritate deflectunt alii, qui *Henrico Leoni* quæſtionem movent ideo, quod a Vicelino a. 1149. obſequium exegerit ſibique arrogaverit jus inveſtituræ, quod poſt aliquot vel plures annos demum diplomate Cæſareo obtinuerit. SCHROEDER *Wiſm. primit. p. 1. p.* 40. Non enim ad jura ſua epiſcopalia unquam provocavit, *vi alicujus Cæſarei diplomatis*, nec demum Cæſarea largitione hæc jura conſecutus, ſed iisdem gaviſus eſt jure proprio & effectu ſuperioritatis territorialis, titulo quippe originario vel a majoribus ad illum devolutæ vel belli & victoriæ jure ab ipſo obtentæ. Quod igitur Imperatoribus ratione nexus vel imperialis vel territorialis in imperio ipſisque eorum, tanquam Ducum territorialium, provinciis circa inveſtituræ jura integrum fuit, id etiam Imperii Ducibus in dominiis ſuis ac territoriis licuit jure haud minori. Scripſit vere in hunc ſenſum HELMOLDUS *L. I. c.* 87. *n.* 12. *Quamobrem* (ſubjugata nimirum clypei & belli jure ab Henrico Leone vel ejus progenitoribus Slavia:) *vocavit dominum Geroldum Aldenburgenſem, Dominum Evermodum Racisburgenſem, Dominum Bernonem Magnopolitanum, ut reciperent ab eo dignitates ſuas & applicarentur ei per hominii (homagii) exhibitionem, SICUT mos eſt fieri IMPERATORI.* Sed quod de Henrici Leonis *jure originario* circa beneficia eccleſiaſtica eoque a Friderico I. ſaltim confirmato ſupra diximus, id recte perſpexit illuſtris LEIBNITIUS *introduct. in collect. ſcript. rerum Brunſvic. T. I. n. LIV.* ubi aperte ita: *Cum Henricus Leo jam adultus, rerum per Saxoniam potiretur, Vicelinum increpitum prius, quod ſe inſcio epiſcopalem ordinationem ab Hartwico Bremenſi archiepiſcopo recepiſſet, coegit a ſe ſuſcipere inveſtituram per virgam, quod ſolius Imperatoriæ majeſtatis proprium habebatur. Henricus vero Dux, ut JUS SUUM autoritate Cæſarea CONFIRMARET, a conſobrino ſuo Friderico I. literis aurea bulla ſignatis poteſtatem conſtituendorum ordinandorumque in Slavia epiſcopatuum obtinuit vel FIRMAVIT.* Nec arduæ defuerunt cauſæ, quæ ad impetrandam a Friderico I. juris inveſtituræ epiſcopalis confirmationem Henricum Leonem Saxoniæ & Bavariæ Ducem excitarunt. Refero inter illas diſſidium ipſius cum Marchione Henrico Auſtriaco de Ducatus Bavariæ poſſeſſione judicio Friderici definiendum; tum & inſtitutum vindicandi recuperandique reliquas omnes, quæ in patris ipſius ſuprematu olim fuerant, provincias avitas & poſſeſſiones; hinc ſtudium placendi ſeu conciliandi ſibi gratiam Friderici, in cujus præterea odio præcipue erat Boica factio Guelphorum, anteceſſori ipſius Conrado III. jam adeo infenſa, ut morti vicinus Fridericum fratris ſui filium, Sveviæ Ducem præcipue in eum finem Imperio commendaverit, quo factioni Gvelphicæ interitum pararet vel hanc & Gibellinam h. e. Svevicam & Cæſaream in mutuum conſortium cogeret.

Vindiciæ pro jure Imperatorum.

Et pro jure Principum & Ducum territorialium.

Error Cranzii intuitu juris imperatoris Friderici I.

Aliorumque intuitu juris Henrici Leonis.

Cauſæ rogati ab Imperatore diplomatis. Prima.

Secunda.

Tertia & Quarta.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

zuitate (***) *fundare potuerit*, in his *eadem poteſtate* fungatur. Et ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas ſtabilis & inconvulſa per ſucceſſura temporum momenta permaneat, hanc cartam inde conſcriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. Acta autem ſunt hæc annuentibus regni Principibus his *Archiepiſcopo Magdeburgenſi* (*) WICHMANNO, epiſcopo *Hildenesheimenſi* BRUNONE, epiſcopo *Tardenſe*. HERIMANNO, epiſcopo *Brandenburgenſe*. VUICHERO, Electo *Cicenſe*. BERTOLDO, Abbate *Corbienſe*. VICKBOLDO, *Marchione* Conrado, *Marchione* Adalberto, *Palatino* Friderico, *provinciali Comite* Ludovico.

Teſtes Epiſcopi, Abbates, Marchiones, Palatinus Provincialis.

IV.

Privilegium confirmationis Adriani Pontificis IV. in Epiſcopatum Raceburgenſem. (†)

1157. ADrianus *Epiſcopus* ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Evermodo Epiſcopo & dilectis filiis canonicis Raceburgenſis eccleſiæ tam præſentibus quam futuris canonice ſubſtituendis in perpetuum! Religioſis deſideriis facile debemus præſtare conſenſum; ut & pia devotio celerem ſortiatur effectum & jure indubitanter aſſumat, cum ei fuerit a ſede Apoſtolica concurſum prævio caritate. Ea propter dilecti in Chriſto filii petitioni noſtræ inclinati precibus cariſſimi filii noſtri Henrici Bavariæ & Saxoniæ Ducis, in fundo cujus prædicta eccleſia fundata eſſe dicitur, libenter annuimus & præfatam eccleſiam Raceburgenſem ſub B. Petri & noſtram protectionem ſuſcipimus & præſentis ſcripti patrocinio communimus: ſtatuentes, ut quascunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem eccleſia in præſentiarum juſte & canonice poſſidet aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel principum oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio poterit adipiſci firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ex dono nobilis viri *Henrici Ducis Bavariæ & Saxoniæ* trecentos manſos cultos & incultos cum omnibus appendiciis ſuis, molendina, SADELBANDIAM atque POLABIAM *totam & integram* cum eccleſiis & earum decimis atque ſubjectis ſibi plebibus. Adhæc adjicientes ſtatuimus, ut *ordo canonicus*, qui ſecundum Deum & B. Auguſtini regulam atque Præmonſtratenſium frr. habitum ibidem dignoſcitur inſtitutus, perpetuis in eadem eccleſia temporibus inviolabiliter obſervetur. Obeunte vero Te, nunc ejusdem loci antiſtite vel Tuorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſurreptionis aſſutia ſeu violentia præponatur. Sed quem fratres Raceburgenſis eccleſiæ conſilio religioſarum perſonarum ſecundum Deum & ſanctorum patrum conſtitutiones prævideriut eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam eccleſiam temere perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; ſed omnia integra obſerventur noſtris & aliorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura ſalva ſedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum

(***) Cum in territoriis vel clypei vel majorum jure jam acquiſitis, tum in provinciis circumjacentibus & vicinis aliis armorum jure demum occupandis.

(*) Vide *Dn.* de LUDEWIG *de primatu German. Archiep. Magd.* c. 2. *in opuſculis miſcellis T.* II. *p.* 782. HECHT *diſſert. de Wicmanno §. 3. ſeqq.*

(†) Confer hujus privilegii exemplum, quod LUNIGIUS inſeruit *Parti II ſpicil. eccleſ. p.* 150.

Quinta. cogeret. OTTO FRIS. *L.* 2 *c.* 2. CONRADUS URSPERG. *p.* 282. GUNTHERUS *in Ligur l.* 337. Sciverat inprimis Henricus Leo, primarium Friderici I. ſtatus & Imperii axioma poſitum eſſe in renovanda reſtaurandaque Francica & Carolingica poteſtate & vindicanda ſibi & in imperio exſtincta Carolingica ſtirpe paulum limitato Germanico ſucceſſoribus, dignitate & formula imperii Carolingici Cæſarumque Carolidarum, qui ſuprematu haud adducto inſtructi, Germaniæ Ducibus non coimperium ſtatumque & territoriorum jura, ſed officia ſaltim miniſteria & obſequia relinquere ſveverant. Et inde eſt, quod majeſtati Caroli M. (quem Fridericus I. ſtatiſtica dicta ratione motus ſanctis adſcribi curavit docente CANISIO *in lect. ant. T. VI. p.* 439.) ſacra inveſtituræ eccleſiaſticæ beneficia privativo jure adhæſerint ipſique & in imperio Carolingico ſucceſſoribus inſtar imperialis proprii juris adſerta fuerint. Quod non ſolum lex regia Imperii Francorum fruſtra quidem a BARONIO *annal. eccleſ. T. IX.* ad a. 774 p. 355. impugnata, apud GOLDASTUM *T.* 1. *conſt. Imp. p.* 16 aliaque decreta apud GRATIANUM *diſtinct. LXII. c.* 22. *diſt. LXIII c.* 16. teſtantur, ſed præcipue argumenta hiſtorica & legalia ac copioſa exempla evincunt allata a *PETRO de ALLIACO apud* D. *von der HARDT. Va hiſtor. concil. Conſtantienſ. P. I p.* 26. *ADELMO apud FREHERUM T. II. rer. Franc. p.* 423. *ALBERICO ad a.* 795. *Adamo Bremenſi hiſtor. L. I c.* 9 *MONACHO S. GALLI apud Goldaſt rer. Allem. T. I. c.* 4. *imprimis ab AUTORE fundationis quarundam Saxoniæ eccleſiarum apud Meibomium T. I. rer. germ. p.* 556. *WOLTERO in Chron. Bremenſ.* apud eundem *T.* 2. *p.* 19. *SCHATENIO annal. Paderborn. L.* 3. *p.* 193 *ac in annalibus Francor. Fuldenſib. & Pithœanis ad a.* 847. 856 870. 891. *ſeqq.* Denique etiam ipſæ, quas Henricus Leo cum Vicelino reciprocarat, contentiones aliaque incommoda a clero renitente in ſaluberrimo fundationis eccleſiarum negotio, quavis opera ipſi hoc tempore obmota, in rationes adcitanda ſunt, quod Henricus Leo e re duxerit, non tam regionis, quam religionis facilius promovendæ cauſſa, Imperatorio diplomate juri ſuo ſubvenire, illudque, quamvis ſua natura antiquum & validum, Cæſareo tamen & novo præſidio communire adeoque & cleri & omnis factionis cum Imperatoriæ tum Papalis inſultui obicem obdere. *Sexta.* Qua ipſa circumſpectione Henricus Leo avita & territorialia jura ſua, utpote diplomate Cæſareo non conſtituta demum, ſed ſaltim corroborata, non ſolum ſarta reddidit; ſed primum etiam illud cleri & epiſcoporum falſum, quod inveſtitura eccleſiaſtica *ſolius ſit majeſtatis Imperatoriæ*, fregit quin contudit confutavitque ipſa charta Cæſareæ conceſſionis vel confirmationis jurium Ducalium. *Septima.*

turum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.



Ego Adrianus Catholicæ ecclesiæ Episcopus.

Ego Gregorius Sabinensis Episcopus.

Ego Hubaldus presbyter Cardinalis titularis sanctæ Praxedis.

Ego Julius presbyter Card. tunc temporis sancti Marcelli.

Ego Hubandus presbyter, tunc temporis sanctæ Crucis.

Ego Bernhardus presbyter Card. sancti Clementis.

Ego Octavianus presbyter Card. sanctæ Ceciliæ.

Ego Astaldus presbyter Card. S. Priscæ.

Ego Berardus presbyter Card. S. Stephani in Cœlio monte.

Ego Johannes presbyter Card. sanct. Johannis & pbr. t t.

Ego Pamachii Henr. pbr. Card. sanctorum. Nerei & Achillei.

Ego Johannes presbyter Card. sanct. Silvestri & Mauritii.

Ego Hildebrandus presbyter Card. Basilicæ duod. Apostolor.

Ego Oddo diaconus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum.

Ego Guido diaconus Cardinalis sanctæ in porticu Mariæ.

Ego Hyacynthus diaconus Card. sanct. Mariæ in Cosmodin.

Ego Johannes diaconus Card. sanctorum Sergii & Bactri.

Ego Otto diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano.

Ego Bonadies diac. Card. S. Angeli.

Ego Ardicio diac. Card. S. Theodorii.

Ego Boso diac. Card. Sanctor. Cosmæ & Damiani.

Ego Albertus diac. Card. S. Adriani.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Rolandi S. Romanæ ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii duodecimo Calendarum Februarii indictione VI. incarnationis divinæ anno MCLVII. (*) pontificatus vero domini Adriani Pontificis maximi anno quarto.

(*) Annum 1197. substituunt & citant B. *Chemnitius* & *Schultzius*, addita ratione, quod Adrianus Papa a. 1193. electus fuerit ind. II. & confirmato hoc privilegio Indict. VI. a. 1197. mox interierit infelici fato, utpote muscæ in os involatu. Sed sequimur authenticæ chartæ fidem. Nec quadrant dubia ad Adrianum IV. electum a. 1154. Præterea Evermodus diu ante a. 1197. vivere desierat, mortuus quippe a. 1178.

V.

De fundatione ecclesiæ Ratzeburgensis, numero mansorum & aliis libertatibus, ecclesiæ in dotem collatis ab instauratore episcopatus Duce Henrico Leone a. 1158. a. 1158.

HEnricus divina propitiante clementia tam Saxoniæ, quam Bavariæ Dux Evermodo dilecto sibi & reverendo Episcopo in Christo Raceburgensium Episcopo in perpetuum. Non ad vulgi favorem; sed ad adjutoris honorem & rei gestæ adversus omnis boni inimicum & eius membra perpetuam consolationem, operæ pretium duximus, ea, quæ a nobis Christo adjuvante peracta sunt, ad omnium fidelium tam præsentium, quam futurorum, perferri cognitionem. *Gentes enim paganas* nostro *ducatui in Saxonia* contiguas WINEDOS dictas *a priscis temporibus Magni Caroli*, Deo semper & sanctæ ecclesiæ *rebelles & infestas*, postquam tandem magno labore fidei Christianæ cervices durissimas submiserunt, sæpius ad vomitum idololatriæ relapsas, HEREDITARIO IVRE *hucusque a progenitoribus nostris* IN TRIBVTVM *reductas* accepimus; ita tamen, ut perfidorum *servilia colla* etiam nostris temporibus ferro conterere crebrius etiam destiterimus, *ac tributum ob ipsorum nequitiam multo super* PRIORA (*) *adauximus*, quas jam hoc modo suppressas diu quiete cum magno nostrarum opum augmento possedimus; interim cum accepissemus a vineæ Dei cultoribus, quod in ipsa male stant otiose nec æternum denarium merentur; quia sua quærunt non quæ Jesu Christi; Et quod cum *unus servus*, id est *ordo doctorum*, verbi prædicationi diu vacaverit, venire recusantes ad cœnam Dei, *alter servus*, id est *ordo Principum*, locum habet, agrestem populum ferri vibratione compellendi, quæstum pecuniæ postposuimus lucro animæ & quas antea pro Cæsaris, nunc oppugnavimus pro gratia salvatoris: Et sicut in evangelio spumans & dejiciens ac multum discerpens exiit ab eo, ita cum

cum magnis expensis militum quoque & populi motibus plurimis tandem nunc divina dextera faciente virtutem tam feroces Christianitati reddidimus, ut & nos & nobis cooperantes æternum mereamur denarium ad illud, *quod* ANTE *diem extremum in* OMNES *gentes prædicari oportet evangelium.* In hoc itaque negotio, Domino Deo nobis prosperante, in agendo devoti persistemus, ideoque novellam in *Raceburg* ecclesiam, cujus negotium agitur, quam Domino *Evermodo* dudum in *Parthenopoli sanctæ Mariæ præposito*, nunc autem hic *in pontificem consecrato*, viro per omnia Deo & hominibus accepto & patri multorum filiorum in Christo, commisimue; qualiter jam de gratia & voluntate & permissione domini *Friderici imperatoris* fundatam tueri, confirmare & sublimare decernimus, superest dicendum. Quam enim prudenter & strenue hui sedi præsidet, & cum suis fratribus religiosis secundum regulam beati Augustini canonicis die noctuque ferventer Christo militat in Raceburgo sedem episcopatus ei suisque successoribus ex auctoritate imperatoria in perpetuum designamus, & terminos ejus circumquaque, sicut in *antiquis annalibus* vel *privilegiis Hamburgensis ecclesiæ* reperiuntur olim fuisse designati protendimus, & ab omni querimonia Verdensis, collatis ei dignis recompensationibus videlicet *Borgertwerder & Reinerswerder*, terminos Raceburgenses libeos reddidimus. Execrantes etiam *stulta quorundam imprudentum obloquia* statuimus venerando Patri & suis successoribus in eodem ordine firmissimam auctoritatem disponendi ac regendi sui episcopatus in archidiaconatibus vel archipresbyteriatibus ordinando & cæteris omnibus, quæ sancti patres constituerunt, nulli licere, nisi solis Pontificibus, ipsis etiam Canonicis Raceburgensibus cum suo proprio nihil imminuere de justitia & honore omnium cathedralium ecclesiarum, scilicet tenere & regere ecclesias, præesse populis, ut mos est, non solum *per Saxoniam*, sed & per *totam ecclesiam.* Annales enim revoluti non solum nunc, sed quondam *ecclesias a religiosis semper esse fundatas*, quamcunque nunc opulentissimas, tam episcoporum quam metropolitanorum ostendunt. Non enim religio derogat honori & justitiæ clericorum; sed irreligio: & firmiori auctoritate prædicat, a cujus verbo re probata vita non discordat. In sustentationem autem & antistitis & Canonicorum, *ad honorem sanctæ Mariæ* semper virginis *sanctique Johannis Apostoli & evangelistæ* in Raceburg ad præsens in dotem ecclesiæ *trecentos mansos cultos & incultos, cum totis decimis* & omnibus utilitatibus & appendiciis suis & aquis omnibus specialiter episcopo designatis de beneficio nostro ex imperiali concessione conferimus consentientibus & simul id agentibus viris honoratis & fidelibus nostris *Henrico, & Bernhardo* filio ejus, comitibus de Raceburg, quod beneficium suum a nobis liberum ab omni exactione nobis pro devotione restituerunt; *omnis enim decima per totum episcopatum* ad episcopum pertinet nec nos vel aliquis, quantumcunque potens, inde valet aliquem *inbeneficiare*, nisi quantum habet ab episcopo, ipsius etiam *sedis cathedralis* item curiæ fratrum & insuper omnium curiarum episcopalium, ubi mansionem faciet Episcopus, ADVOCATIAM & tuitionem Episcopo liberam esse designamus. *Curiæ* vero *episcopales* (*) sunt hæ, in Raceburg *Verchowe*, in *Brezen Lubimare*, *villæ Maliante Gressowe*; in *Wanigge Malke*, in *Boyceneberg Benin* in SADELBANDIA, *Putrowe*, in *Gamma* tres mansos, in *Dartschowe Bischopestorff.* Hæc omnia cum omni jure & libertate & aquam *Stenowe* supra & infra liberam Episcopo donavimus. Terram itaque *Butin* cum omni sua integritate *a rivulo Ducis* usque ad *cumulum lapideum*, prope villam *Bunistorp* & sic per medium stagnum *Lipse* & ab hinc directe usque ad quendam lapidem magnum & ab eo in communem silvam ad locum, qui vulgo *Mambagen* dicitur, prope & *Karlow* & in silva versus villam *Zlauti*, *palus Ripze dicta* & rivulus *Lynzika*, sicut gyrat & regyrat usque *Wocnitziam* influat. Quicquid his locis circumscriptis circumjacet, pro ducentis & quinquaginta mansis, sive accrescat sive decrescat, Episcopo assignavimus. Alios quinquaginta mansos cum villis quatuor *Rudemoyzse*, *Ziethene*, *Werchowe*, *Kosatza* & omnibus earum attinentiis, de voluntate *Henrici & Bernhardi Comitum* sub eadem juris libertate supplevimus: ut autem *quieti illorum & paci* in futurum provideamus, constituimus firmiter, ut nulli liceat in prædictis mansis aliquas *exactiones vel petitiones facere*; sed LIBERI *sint ab omni* gravamine & a WOGIWOTINZA, (**) qui CENSVS DVCIS dicitur; de CAPITALIBVS *vero causis*, ubicunque coloni tam villarum istarum quam prædictorum trecentorum mansorum infra terminos totius episcopatus composuerint, duæ partes *Episcopo & ecclesiæ*, tertia *Advocato* proveniat; aliæ vero causæ omnes, *præter judicium tantum colli & manus*, quocunque casu emerserint, ad EPISCOPVM *& ecclesiam*, vel eorum DISPENSATOREM referantur. Et ADVOCATIAM *Butin*, quam liberam esse & sine comitum expeditione censuimus, prædictis nobilibus & eorum legitimis hæredibus & (ab) Episcopo præstandam sub iure præscripto indulsimus; expeditione tamen Ducis cum *triginta* tantum CLYPEIS *semel in anno ad sex septimanas*: & hoc infra Albim seqventur *Borchwerck* (***) circulum scilicet *Raceborg*, cum aliis comprovincialibus operentur; a quo tamen iure cuilibet episcoporum libere decem *Vorwerkos* emancipavimus. CENSVS autem SCLAVORVM per omnes terminos horum trium episcopatuum erit de *unco*, *tres mensuræ siliginis*, qui dicitur KVRIZ (****) solidus unus, *toppus lini unus*, *pullus unus.* Ex his habebit sacerdos parochialis duos nummos & tertium modium. Postquam autem SCLAVIS EJECTIS

terra

terra DECIMALIS *facta fuerit*, decima tota vacabit *episcopo*, qui *cum* DOMINO FVNDI de dotibus aget ecclesiarum parochialium; scilicet ut quatuor mansis dotentur cum CENSV & DECIMA, & sic per totum ordinabitur episcopatum. Damus etiam Raceburgensi episcopo & suis successoribus & libere præstandas remittimus omnes ecclesias cum jure præscripto in terra Butin ecclesiam in *Nusce*, ecclesiam *sancti Georgii* in *Raceburg* & *ecclesias adhuc in silva fundandas*, & *insuper omnes tam fundatas quam fundandas per totam* SADELBANDIAM & in GAMMA & *in silva nondum culta*, ecclesias & ejusdem SADELBANDIÆ & GAMMÆ decimas, quas de gratia & permissione episcopi SINE FEVDO tenemus, liberas esse Episcopo, cum sibi placuerit, recognoscimus. Cæteras ecclesias *dominis fundi* permittimus; dimidiam etiam villam *Pantim*, quam dedit prædictus honoratus Vir *Comes Henricus* Episcopo, & duas villas *Buxuwe* & *Walegoza*, quas *pro anima patris sui* dedit filius ejus *Bernhardus comes* fratribus, & quæcunque ipsi in futurum de terra illa vel alii de terris aliis pro devotione obtulerint ex auctoritate Imperatoris, ecclesiæ stabilimus. Item *Bardenthorp* de nostro proprio *cum silvis & piscuis & omnibus utilitatibus & cum* JVDICIO COLLI & MANVS *in dotem ecclesiæ* conferimus & confirmamus. *Teloneum* etiam tam fratribus quam episcopo de omnibus, quæ ad victualia ipsorum spectant in *Bardumyck* & in omnibus finibus horum trium episcopatuum in perpetuum libere remittimus. Terminos & Raceburgensis episcopatus usque ad locum, ubi *Bilna* Albim influat, designamus, annuente nobis & operam dante domino *Hartwigo* sanctæ Hamburgensis ecclesiæ archiepiscopo cum consilio & favore tam Hamburgensis quam Bremensis capituli. Ordinavimus quoque, ut quælibet prædictarum ecclesiarum episcopo decedente nullus advocatus vel alia persona bona episcopi præsumat invadere, vel in suos usus mancipare, ne sacrilegium incurrat; sed *secundum* CANONES prima pars *pro anima episcopi* pauperibus distribuatur, secunda *in usus ecclesiæ*, tertia *successuri episcopi subsidio* reservetur. Ut autem hæc nostræ constitutionis pagina tam rationabiliter ordinata firma & inconvulsa in perpetuum maneat, sigilli nostri impressione signamus, & testium subscriptorum adstipulatione roboramus; statuentes ut bona episcopi, fratrum & ecclesiæ loci nulla secularis vel ecclesiastica persona præsumat invadere, perturbare vel imminuere. Si autem invasor quilibet bis tertiove commonitus resipiscere contemserit; secundum justitiam seculi ex imperiali auctoritate persona & bona ejus publicentur; secundum Deum vero per sententiam summi Pontificis domini Adriani anathemate feriatur, & cum iniquis & perditis depereat. Amen.

Hujus rei testes sunt *Evermodus* episcopus *Raceburgensis*, *Geroldus* Lubecensis episcopus, *Barno* Zwerinensis episcopus, *Hermannus* Verdensis episcopus, qui factum nostrum banno suo roboraverunt; *Marquardus de Luneburg*, *Bruningus de Hillesheim*, *Bruno de Herfevelde*, Abbates; *Theobaldus de Raceburg*, *Theodoricus de Segeberge*, *Otbertus de Hammenburg*, Præpositi; *Balduinus*, *Robertus*, *Daniel*, Raceburgenses Canonici; *David*, *Balduinus* capellani Ducis, Magister *Hartwicus* curiæ notarius; *Rudolphus* Hammenburgensis Decanus. Laici testes sunt isti: *Henricus de* BADEWIDE Comes de Raceburg & *Bernhardus* filius suus, *Adolphus Comes de* SCHOWENBVRG, *Volradus Comes de* DANNENBERGE, *Walterus de* BERGE, GVNCELINVS *de* HAGEN, (*****) *Hermannus Comes de* LVCHOWE, *Eilbertus de Welepe*, *Lippoldus de Hertesberg*, *Jordanus* dapifer & *Josarius* frater ejus de *Blanckenberg* & alii quamplures & clerici & laici. Datum in Lüneburg, anno verbi incarnati millesimo centesimo quinquagesimo octavo, regnante & in omnibus his consentiente Friderico glorioso Romanorum Imperatore & semper Augusto. Datum per manus Hartwici notarii curiæ Ducis.

(*) *Tributa* vel *tempora*.

(**) Confer Privilegium *Friderici II.* Petro VIII. Episcopo Raceburgensi datum a. 1236. num. 39. h. l. Et de villa Lubimare vide ad a. 1222.

(***) *Vide infra ad annum 1169. sq.*

(****) *Vorwercke* legitur in chartæ hujus exemplis a *Dn. de LUDEWIG Reliqu. † 6. p. 234. & PFEFFINGERO Hist. Luneb. P. 2. p. 673.* mendose editis.

(*****) Vel *Korez* a Bohemico *Korec* & Sorabico *Korz* h. e. modio: docente MENINSKI & FRENZELIO.

(******) Post *Comes de Sverin.* Vide ad a. 1162. 1167. 1169. 1171. 1174. Infra ad a. 1194. nomen occurrit *Friderici* militis *in Hachenow* & ad a. 1230. & 1238. in charta civitatis Lubecensis & Episcopi Rudolphi testes citantur *Theodericus de Hagen*, *Bernhardus de Hagen*, *Zozelinus de Hachede*. E computatione vero villarum episcopatus Raceb. supra n. 3. ad a. 1154. allata patet, *Fridericum HAGEN* villam ejusdem teutonicæ denominationis *Hagen* parochiæ Nusce possedisse. Quin *a villis & castris hujus nominis* nobiles *de Hagen* appellatos fuisse, constat ex diplomate Henrici Leonis de a. 1181. quo cænobii in Nordheim bonis nonnulla addidit in Sudheim & Elverdeshusen, cujus donationis testis citatur *Ludolphus de castro, quod dicitur HAGEN, docente HARENBERG Histor. Ecclesiæ Gandersheim. diplomat. p. 707.* Qui etiam p. 854. ex antiquo codice infeudationum de a. 1360. hoc addit: *Hans de Hagen tenet villam vulgo Hof in Erich cum uno manso.* Præcipuo vero cit. loco diss. 10. *de possessoribus feudorum Gandersemensium p. 1563.* de locis villis & nobilibus de *Hachen* & *Hagen* ita differit: HACHEN villa dudum deserta, cis Bockenum, ubi nunc succrevit sylva, quam vocant *Hachemerwolt* & quæ est potestatis Ducum Brunsvicensium, siquidem literæ feudales ab Abbatissis recipi solitæ complectuntur pagum veterem *Hachen & Oydeshusen*. Olim tenebant locum MINISTERIALES, quos Ludolfus Dux cum Rudieramarcu ecclesiæ Gandersheimensi *donaverat*. Henricus a. 1251. Ericus Dux Brunsvicensis a. 1422. locum *per nexum feudalem* in ditionem suam suscepit. HAGEN *locus* in Aichsfeldia situs, suspicor, locum denomina-

De Nobilibus de Hagen.

minationis consimilis olim exstitisse *prope BRUNSVICUM*; Sunt Gandersheimii, qui vocantur *zum Hagen*, eo quod progenitor ipsorum ad indaginem seu dumetum expositus & nomine carens fuit deprehensus. Indago, Hage, notat locum dumis seu retibus præseptum. Dumeti, quo agri circumsepti sunt, dicebatur olim *Schmachthage*. *GUNCELINUS de Hagen* occurrit jam in diplomate Henrici Leonis ad a. 1154. *Ludolphus de* castro Hagen *a.* 1181. *Engelbertus & Thidericus de Hagen a.* 1299. *Bernardus de Hagen* & filius ejus *Hojerus a.* 1267. *Ludigerus ab Indagine* tenuit a. 1235. præfecturas Hildesheimenses quæ tum vocabantur advocatiæ. *Hans de Hagen* a. 1398. bona feudalia ab Erich possedit. Hactenus Harenbergius. Adde chartam Alberti Ducis Brunsvicensis, qua conventui S. Egidii dimittit & appropriat *advocatias trium mansorum sitorum in Hachen* apud *REHTMEIER Supplem. ad T. I. Hist. Eccles. civitatis Brunsv. p.* 15. Ut & chartas de a. 1181. 1438. apud B. STAPHORST *T. I. Hist. Eccl. Hamb. p.* 239. 492. 556. *sq.* quæ *Berningi*, *Marquardi & Thiderici de Hagen* memoriam refricant. De Etymo vero *Hagen*, latine *Indaginis*, vide *BOTHO Chron. pictur. ap. Leibnitium T. III. Script. Brunsvic. p.* 349. *ad a.* 1172. *& REHTMEYER d. l. P. I. p.* 122. ubi illud & describitur *vull Brokes, Busche, Wische, Garden, Bomhove unde entelen Borgesetten*, & illustratur vocibus *Hagenmarcket, Stadhagen*, *Wickbildshagen* prope Brunsvicum. Addit Rehtmeyerus, partem tertiam urbis Brunsvici dici *Hagen*, eamque a Nobilibus olim possessam & ab Henrico Leone templo S. Catharinæ ornatam fuisse. Etymologicas vocis rationes plures vide apud DUFRESNE, SPELMANNUM, VERELIUM, DICMANNUM, BENSONIUM, SCHILTERUM, WACHTERUM *ad voces Hag, Hagen, Haja, Hedge, Hege, Gravenhagen*, Haga Comitum seu mallus Comitum Hollandiæ.

VI.

Literæ Hartwici Archiepiscopi Hamburgensis ut suffraganeæ Ecclesiæ Lubecensis, Raceburgensis & Sverinensis tanquam filiæ ad Metropolin & matrem Hamburgensem pertineant, jura & consvetudines unitæ ecclesiæ Bremensis & Hamburgensis observent, synodo provinciali cis Albim, & cum Bremensi ecclesia trans Albim intersint.

1160. IN nominæ sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego *Hartwicus* Dei gratia sanctæ Hamburgensis ecclesiæ Archiepiscopus. Pastoralis officii nostri sollicitudo nos admonet pia antecessorum nostrorum studia considerare & ne ipsorum religiosa facta ulla possint refragatione perturbari vigila cura providere. Notum ergo esse cupimus tam præsentibus quam futuris, quod cum venerabilis pater & antecessor noster, *Adelbertus*, totius parochiæ suæ diligentissimam curam gereret, præelegit Metropolin suam *Hamburg* per *sævitiam Barbarorum* propter Evangelium Jesu Christi sæpius vastatam & jam quasi jure postliminii reversam reformare & in statum pristinum revocare, FŒCVNDISSIMAM *illam* MATREM GENTIVM considerans, omnique devotionis consolationem quanto majori plaga & propioribus insidiis & tam longiturna paganorum infestatione cribraretur, quæ, qualis & cujus sit meriti, quibusve eam dignitatibus præferre debeamus, *Pontificum & principum Romanorum* apud nos deposita nos instruunt privilegia, quæ idem venerabilis diligentius intuens, licet eadem ecclesia in sui vastatione nominis conservasset dignitatem, ut plene tamen in ea pristinum remansisse honorem ne propter temporis lapsum & frequentem paganorum insultum de libertatis suæ titulo possit suboriri dubium Canonicos in ipsa restituit *in omni libertate & jure metropolitico* ipsi a S. Romanæ ecclesiæ Pontificibus & piissimis principibus concesso usque ad vitæ suæ excessum cum debita conservans reverentia. Nos ergo qui eandem ecclesiam, licet indigni, gubernandam suscepimus, factum ejus per omnia commendantes & confirmantes, ut ex laboris nostri sollicitudine aliquid addicere videamur, quia jam suffraganeis scilicet *Lubicensi Raceburgensi & Zwerinensi* ipsam decoravimus, auctoritate sedis Apostolicæ, cujus legatione fungimur, statuentes, quatenus prædictæ ecclesiæ novellæ ad Hamburgensem ecclesiam tanquam *ad metropolin suam* in omnibus respectam habeant, & *ut matrem* debito honore venerentur, nec non ejusdem sedis Archiepiscopo secundum canonum sanctiones debitam obedientiam & reverentiam præstent. Jura etiam & consvetudines tam *Bremensis* quam *Hamburgensis* ecclesiæ, quæ *post unionem ipsarum* fideliter ab Antecessoribus nostris suo tempore servatæ sunt, & quæ maxime *propter viarum & aquarum pericula & locorum distantiam* ad commodum utriusque provinciæ provide instituta sunt, in perpetuum servanda decernimus, ita ut *Hamburgensis ecclesia* semel in anno *cum suffraganeis* PRÆLATIS, CLERICIS, NOBILIBVS, LIBERIS, tantum *Cis-Albinis* provinciales *Synodus*; in *Bremensi* vero sicut consuetum est, suo tempore tantum cum *cum trans-Albinis* generalis synodus celebretur. Ut autem prædicta omni ævo rata & inconvulsa permaneant præsentem cartam scribi & sigilli nostri impressione signari fecimus. Ne quis autem hanc nostræ confirmationis paginam infringere præsumat sub anathemate & districti judicii interminatione prohibemus. Actum Hamburg anno Dominicæ incarnationis MCLX. indictione octava.

VII.

Victor IV. Papa de jure ecclesiæ Bremensis & Hamb. in tres episcopatus Slavorum Altenburg, Mecklenburg & Ratzeburgensi, item Herseveldе & Radestadt ABBATIAS a. 1160.

1160. VIctor Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Hartwico Bremensi Archiepiscopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Quoties illud a nobis petitur, quod religioni & justitiæ convenire monstratur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis celerem præbere consensum. Ea-

propter,

propter, chariſſime in Chriſto frater, tuis rationibus diligenter auditis & eccleſiæ tuæ privilegiis ſolerter inſpectis, honorem ſeu dignitatem, quam tui prædeceſſores ſuper *tribus epiſcopatibus Slavorum*, videlicet ALTENBVRC, MICHELENBVRC & RACEBVRC habuiſſe noſcuntur, perſonæ & eccleſiæ tuæ duximus confirmanda. Igitur ſecundum formam beatorum patrum & anteceſſorum noſtrorum, Gregorii, Sergii, Nicolai, Benedicti Adriani, Victoris, Stephani & Innocentii, tibi tuisque ſucceſſoribus canonice intrantibus & ſanctæ Hammaburgenſi ſeu Bremenſi eccleſiæ prædictos epiſcopatus & omnia, quæ a prædictis patribus per memorata privilegia conceſſa ſunt, præſenti pagina confirmamus. *Abbaciam* quoque de *Herſevelde* tibi tuisque ſucceſſoribus concedimus & donamus cenſu pro eadem eccleſiæ III. Byzantiis ſedi Apoſtolicæ per te & per tuos ſucceſſores per annos ſingulos perſolvendo. Præterea *abbaciam de Radeſtat*, quam eccleſiæ tuæ tempore felicis memoriæ Adriani prædeceſſoris noſtri novimus eſſe ſubſtratam tibi & eccleſiæ tuæ, reſtituimus & præſenti privilegio confirmamus. Statuentes, ut nulla eccleſiaſtica ſecularisve perſona hoc noſtrum privilegium infringere vel violare præſumat, ſed hæc & omnia, quæcunque largitione regum, conceſſione pontificum ſeu aliis juſtis modis Bremenſis eccleſia conſecuta eſt & quæ in poſterum favente domino poterit adipiſci, habeat, teneat & poſſideat perpetuo profutura. Si quis autem huic noſtræ conſtitutioni temere contraire temptaverit, niſi præſumtionem ſuam ſecundo, tertiove commonitus congrua ſatisfactione correxerit, reum ſe exiſtere divino judicio de perpetrata iniquitate cognoſcat & a ſacratiſſimo ſanguine & corpore domini noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem Bremenſis eccleſiæ jura ſervantibus ſit pax domini noſtri Jeſu Chriſti quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant & in futurum æternæ pacis præmia ſortiantur, Amen. Datum Papiæ per manum Godefridi ſanctæ Romanæ eccleſiæ notarii, anno dominicæ incarnationis M C L X. indictione VII.

VIII.

De primitiva inſtitutione perſonarum in Eccleſia Raceburgenſi. (*) *Vel rectius: de donatione XXVII. marcarum e theloneo Lubicenſis civitatis in uſum Præpoſiti & duodecim fratrum regularium Raceburgenſium.*

nec. EGo *Henricus* Dei Gratia Dux Bavariæ atque Saxoniæ notum facio tam præſentibus quam futuris Chriſti fidelibus, quod *fratribus* de Raceburg *regulariter* viventibus *duodecim* numero & *tertio decimo* Præpoſito, pro meis meorumque peccatis de THELONEO *Lubecenſis meæ civitatis* XXVII. marcas in perpetuum contuli, ſub ea diſtinctione videlicet, ut viginti quatuor in fratrum & tres in Præpoſiti redigantur uſum, annuente & plenarie poteſtatem donante gloriſſimo Imperatore Friderico, cuius gratia *beneficiali jure* prædictum telonium poſſedi; id vero ſtabilitum eſt anno ab incarnatione Domini MCLXII. indictione nona, celebrata jam ſuper excellentiſſima invicti prædicti Imperatoris Friderici victoria de Mediolano civitate famoſiſſima; in ſecundo anno, poſtquam *perfidam gentem, Slavos* videlicet, propitia divina miſericordia, BELLICA *virtute* MEÆ *ſubjecit* DITIONI; & ut hoc ratum & inconvulſum omni futuro tempore permaneat, ſigilli mei impreſſione & ſubſcriptorum teſtium adſtipulatione confirmo. Domini *Hartwici* Hamburgenſis *Archiepiſcopi*, *Domini Geroldi* de *Altenburg* Epiſcopi; Domini *Bernonis* Magnopolenſis Epiſcopi Domini *Evermodi* eidem eccleſiæ præſidentis Epiſcopi & NOBILIVM *Henrici* ibidem *advocati* & filii ſui *Bernhardi*, *Sifridi* Comitis *de Blanckenberg*, Comitis *Adolphi de Scovenberg*, Comitis *Volradi de Dannenberg*, Comitis *Ottonis de Aſſeburg*, Comitis *Wernheri de Veltheim*, GVNTZELINI *de* HAGEN, *Hermanni de Luchowe*, *Hugoldi de Hermannesberg*, *Gerlagi* & filii ſui *de Wege*, Adolphi *de Niiwenkirchen*, Thiderici de *Richlingen*, Skacci de *Bardewic*, Arnoldi de *Cantelſen*; MINISTERIALIVM *Henrici de Wida*, Reinaldi de *Ertheneberg*, Luitpoldi de *Hirzberg*, Ludolphi de *Peine* foſarii de *Blanckenberg* & *Jordani* fratris ſui, Gerhardi de *Lachheim* & filiorum ejus, Udelrici & Druthlevii, Henrici de *Lüneberg*, Henrici de *Dalenberg*, Thiderici de *Hidesaker*, Ottonis de *Medinge*, Bruningi de *Sumersberg*, W. Marcuardi de *Bederikesha*, Berungi de *Brema*, Brunonis de *Marboldeſtborp* Wallberti de *Eillerdingebuſen*, Iſeri de *Vlethorp*, Bertholdi de *Orterſtide*, Conradi advocati de *Verdene*, Hildemari de *Othenthorpe*, Verendagi de *Bevenhuſen*. Præterea *religioſorum virorum* Brunonis Abbatis de *Hirſefelde*, Marcuardi *Abbatis de Luneburg*, Bruningi Abbatis de *Ublesheim* & *ſpecialiter* duorum NOBILIVM *domini Luithardi* de MENERSEN & domini *Ludolphi de* WALDENGEROTHE.

Nobiles Teſtes.

Miniſteriales, & qui his ſubjuguntur, Nobiles nonnulli.

Eos vero, qui prædicta ad divini cultus laudem & incrementum tam devote & rationabiliter diſtributa aliquo conamine infringere præſumſerint, ab omnipotenti Deo & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli nec non & prædictorum epiſcoporum auctoritate, de Chriſto capite tanquam patrida membra gladio *anathematis* abſciſſos & in æternum apud inferos in profundum abyſſi demerſuros, niſi reſipiſcant, nemo fidelium ambigat.

(*) Rubrum, quod margini avtographæ membranæ adſcriptum eſt.

IX.

Designatio terminorum inter Hamburgensem Archiepiscopatum & episcopatum Raceburg.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis!

1162. EGo *Hartwicus* Hammenburgensis ecclesiæ Archiepiscopus. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuri temporis successoribus, quod nos ex præcepto domini Adriani Pontificis & Friderici Imperatoris cooperante nobis Domino *Henrico, Saxonum Duce*, qui terminos Raceburgensis episcopatus ex omni parte *distinxit & determinavit*, de multorum prudentum virorum consilio & tam Bremensis quam Hammenburgensis capituli consensu, *Bilnam & Albim* terminos & episcopatus Raceburgensis ecclesiæ esse statuimus & designamus. Ne igitur in nostris successoribus ordinationis nostræ ulla possit oriri dubitatio, quasdam villas a *Billnemuthe* in palude infra sitas denominamus scilicet *Boycene*, *Wilredesfleth*, *Urensfleth*, *Hasfleth*, *Stove*, *Auremute*, *Ragit*, *Walzin*, *Getorp*, *Cuclix*, & inhabitantibus eas, Evermodo Raceburgensi Episcopo & eius successoribus auctoritate domini Pontificis & nostra obedire in omnibus, quæ ad spiritualia spectant, sub anathematis vinculo præcipimus. Ut autem hæc designatio terminorum inter Hamburgensem Archiepiscopatum & Raceburgensem episcopatum rata & inconvulsa omni futuro tempore permaneat, paginam hanc sigilli nostri appensione communimus. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis MCLXII. indictione nona celebrata jam super excellentissima invictissimi prædicti Imperatoris *Friderici* victoria de *Mediolano* civitate famosissima. Testium nomina *Clericorum* sunt hæc: Hermannus *Verdensis* Episcopus, Geroldus *Aldenburgensis* Episcopus, Berno *Magnopolitanus* Episcopus, Bruno Abbas *de Herseveld*, Marquardus Abbas *de Luneborg* Bruningus *Abbas de Ullesheim*, (Hillesheim), Theodericus *Præpositus de Sicheberg*, Ottbertus *Hammenburgensis* ecclesiæ Præpositus, Rodolphus eiusdem ecclesiæ Decanus & custos, *Volboldus*, *Hildebrandus*, *Tittwardus*, *Gozwinus*, *Hamburgensis ecclesiæ Canonici* Gerhardus *Præpositus de Alesburch*, Balduinus *de Bruneswic* Cappellanus Ducis. Testium nomina Laicorum sunt hæc: Comes Adolphus *de Scowenburg*, Comes Wolradus de *Dannenberg*, comes Henricus *de Raceburg* & filius suus Comes Bernhardus, Eilbertus *de Wilpe*, GVNCELINVS *de* HACHEN, *Hermannus de Luchowe*, Heinricus *de Westen*, Marquardus *de Bederikesha*, Gerungus de *Brema*, Bruningus de *Sommersberch*, Jordanus *dapifer Ducis*, Josarius frater ejus, Marcradus filius ejus de *Holsatia*.

X.

Hartwicus Archiepiscopus Hamburgensis Parochianos de Bergdorp & cives in PALUDE habitantes sub anathemate hortatur, ut Evermodo Episcopo Raceburgensi subjectionem præstent.

HArtwicus Dei gratia Hammenburgensis Archiepiscopus sacerdoti de *Bergerdorp* & omnibus parochianis ejus civibus quoque de *Boicene* de *Wilredesflet*, *Wensflet*. *Hosflet*, de *Stowe*, de *Auremuthe*, de *Ragit*, de *Walingestorp* de *Culitz* & universis *in palude illa* habitantibus infra *Albim & Bilnam*, ea sapere quæ Dei sunt. Postquam ex præcepto domini Papæ & Imperatoris & mea petitione *Dux vester Henricus*, Evermodo *Raceburgensi episcopo* terminos episcopatus sui assignavit, vestræ villæ parochiæ ipsius devenerunt. Qua propter præcipio vobis ex auctoritate domini *Papæ & Imperatoris & nostra & Ducis* ut Evermodo Episcopo vestro omnem spiritualis obedientiæ *subjectionem* adhibeatis, ad *synodum* ipsius quandocunque eam vobis indixerit, veniatis, alioquin & anathematis periculum & Ducis offensam indubitanter incurretis. 1163.

XI.

Henrici Leonis charta de terminis episcopatus & aliis libertatibus.

HENRICUS Dei gratia *Bavariæ & Saxoniæ Dux*, omnibus in perpetuum! Cum a Domino vocati simus ad culmen honoris, in quo sumus, quia per ejus gratiam, quantum ad humanæ sortis excellentiam plus aliis possumus, honorem Dei promovendum, plus aliis intendere tenemur & debemus; *Deo enim fideliter servire*, *regnare est*, & ibi fides inveniet meritum, ubi per operis ostensionem humana ratio præbet experimentum; cooperante siquidem nobis & negotium fideliter nobiscum promovente domino *Hartwico Hammenburgensi archiepiscopo*, terminos episcopatus Raceburgensis ex omni parte distinximus præsente & nobis etiam consentiente domino *Hermanno Verdensi Episcopo* diligenter præcavere volentes, ne novella plantatio in suis terminis aliquam inposterum patiatur injustæ contradictionis molestiam, cum de suis thesauris secure proferre potuerit nostræ donationis & monstrationis paginam. Ad *orientem* termini sunt *aqua*, quæ WISEMARA dicitur, & sic supra versus meridiem usque ad aquam *Stivinam*, & abhinc supra usque in aquam *Lusnixiam* & supra & infra, ubi terra *Briezanorum & Zverinensium* in se disterminatur: tota siquidem terra Zuerinensium *de foro fuit Raceburgensis Episcopi*, sed quia propter paganorum barbariem *sedem episcopalem*, quæ ab antiquo fuerat in *Magnopoli*, de voluntate & permissione domini Friderici Imperatoris 1167.

ris in *Zwerin tranſtulimus* pro terra Zverinenſium, conſentientibus Epiſcopis *Evermodo & Bernone* terram BRIEZANORVM *Raceburgenſi Epiſcopo* in terminos recompenſavimus. Ad *meridiem* vero diſtinximus, ubi aqua *Tersniza*, *Zudam* influit, & regyrat in orientem usque ad paludem, ubi eadem *Tersniza* ſortitur originem, & ſic directe usque in *Eldenam*, ubi terræ *Zverin & Wanzeburg* inter ſe terminos faciunt, & ſic per curſum *Eldene* in *Albim*, usque quo *Bilna* Albim influat. Ad *occidentem* terminos fecimus inter Raceburgenſem & Lubecenſem eccleſias paludem, quæ *Glindesborg* dicitur & ſic infra ad aquilonem usque in aquam *Strizniziam* & ultra *Wozniziam* in aquam, quæ *Fluvius Ducis* dicitur, usque quo mare influit, & ſic per littus maris usque ad aquam *Wiſemaram*; ſupra vero in aquas *Grinave*, *Bernize*, *Lovenze & Trutaven*, & ſic in Bilnam & per decurſum Bilnæ, usque Albim influit. Quicquid infra hos terminos comprehendimus epiſcopatui Raceburgenſi aſſignamus, & in omni jure ſpirituali & in dandis & ſolvendis decimis Epiſcopo teneri & deberi diſtricte præcipimus; de quibus Raceburgenſis Eccleſiæ fratribus ad eorum præbendam hæc excipimus *Raceburgenſis*, *Wittenburgenſis*, *Gadebuzenſis* provinciarum quartam partem decimarum & terram *Boytin* dimidiam cum cenſu & decima & cum omni jure in parte dimidia, hoc eccleſiæ ad libertatem addito, ut in omnibus ejusdem provinciæ villis tam fundatis, quam noviter fundandis *duo tantum manſi*, qui SETTINCKE vocantur, liberi ſemper erunt & absque gravamine; reliquæ omnes provinciæ intra, hos terminos comprehenſæ in dandis & ſolvendis decimis ſoli epiſcopo libere vacabunt & ſuis ſucceſſoribus. Damus etiam in libertatem eccleſiæ, ut quicunque de ſuis ſive in agris, ſive in aliis poſſeſſionibus, aliqua conferre voluerit eccleſiæ ex auctoritate & permiſſione Domini Friderici Imperatoris & noſtra, liberam ei conferendi damus poteſtatem. Hujus rei teſtes ſunt *Evermodus*, *Raceburgenſis* Epiſcopus, *Conradus Lubecenſis* Epiſcopus, *Berno*, *Zverinenſis* Epiſcopus, *Gerardus Præpoſitus de Alespurg*, Odo *Lubecenſium*, Decanus Marquardus Abbas de *Lüneburg*, *Bernardus Comes de Raceburg*, GVNZELINVS *Comes de Zverin*, Conradus Comes de *Regenſtein*, Adolphus *Comes de Scowenburg*, Volradus Comes de *Dannenberg*, Meinricus Comes de *Buzeborg*, Luderus de *Harſtorp*, Eilbertus de *Welpe*, Walterus *de Berge* & alii plures tam laici quam clerici. Datum in Lüneburg anno verbi incarnati MCLXVII.

XII.

De libertate trium ad Albim epiſcopatuum ab exactionibus, angariis & aliis gravaminibus cet. (*)

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

HEnricus Dei gratia Bavariæ & Saxoniæ Dux. 1169.
Quia divina clementia ſorte dignitatis fecit nos plerisque mortalibus præcellere, convenit auctorem dignitatis & poteſtatis agnoſcere & ei digna gratiarum actione, prout ipſe dederit, reſpondere; quod tunc digne facimus, ſi eccleſias Dei & loca religionis defenſare, amplificare & magnificare ad cultum Dei ſtudeamus. Quapropter notum ſit tam præſentibus quam futuri temporis ſucceſſoribus, quod nos pro remedio animæ noſtræ & felicis memoriæ Lotharii Imperatoris avi noſtri & reliquorum parentum noſtrorum, autoritate & conceſſione invictiſſimi Romanorum Imperatoris *Friderici* TRES *epiſcopatus* in TRANS-ALBINA SCLAVIA ad propagandum Chriſtianæ religionis cultum Deo adjutore inſtituimus & *trecentis manſis* ſingulos dotavimus. Ut autem quieti illorum & paci in poſterum provideamus, ordinavimus atque conſtituimus, ut nulli liceat in prædictis manſis exactiones facere vel paratas accipere, *angarias* requirere, ſed immunes ſint ab omni exactione & gravamine & *cenſu Ducis*, qui *Wogiwoinza* (**) dicitur. De capitalibus autem cauſis duæ partes compoſitionum epiſcopo, tertia vero advocato proveniat. Aliæ vero cauſæ tantum ad epiſcopum vel ad ejus diſpenſatorem referantur. Ceterum volumus, ut prædicti *coloni* juxta CONSVETVDINEM TERRÆ *placita noſtra*, quæ MARCTHINC vocantur obſervent, &*expeditiones ſequantur* & *Borgwerc operentur*, a quo tamen jure *cuilibet epiſcoporum decem* (***) *Vorwercos emancipavimus*. CENSVS *autem* SCLAVORVM de *Unco* tres menſuræ, quod dicitur *Kuritz* & ſolidus unus. Ordinavimus quoque, ut quolibet prædictarum eccleſiarum Epiſcopo decedente nullus advocatus vel aliqua alia perſona bona epiſcopi præſumat invadere vel in uſus proprios mancipare, ne ſacrilegii crimen incurrat: Sed ſecundum ſanctionem canonum prima pars pro remedio animæ Epiſcopi in uſus pauperum diſtribuatur, ſecunda in uſus eccleſiæ; tertia, ſucceſſuri Epiſcopi ſubſidio reſervetur: Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant, paginam hanc ſcribi fecimus & ſigilli noſtri impreſſione roborata ſignavimus: Epiſcoporum quoque Raceburgenſis, Conradi Lubecenſis, Bernonis Zverinenſis banno firmari ſtatuimus. Acta autem ſunt hæc anno dominicæ incarnationis MCLXIX. indictione autem ſecunda: Teſtium vero, qui hæc viderunt & audierunt, nomina ſunt hæc: Evermodus *Raceburgenſis* Epiſcopus, Conradus *Lubicenſis* Epiſcopus, Berno *Zverinenſis* Epiſcopus, Marquardus *Abbas de Lüneburg*, Baldewinus Præpoſitus de *Raceburg*, Theodoricus Præpoſitus de *Sigheberg*, Gerhardus Præpoſitus de *Alesburg*, Baldewinus de *Brunſwic* Cappellanus Ducis, Magiſter David *ſacerdos* Curiæ Ducis, Magiſter Hartwicus Curiæ Ducis *notarius*; Walterus, Robertus, Stephanus, Daniel, Heinricus, Bertholdus *Canonici*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nici Raceburgenſis eccleſiæ, Odo Lubecenſis eccleſiæ *Decanus*, Folcherus, Sigbernus, eiusdem eccleſiæ *Canonici*; GVNZELINVS *comes*, *Bernhardus Comes de Raceburg*, Conradus Comes de *Reineſteine*, Comes Otto *de Hartheke*, Cunradus Vice-dominus *de Hildensheim*, Comes Heinricus de *Butzeburg*, Henricus *de Weſten*, Ludegerus *de Harteſtorp*, Comes Adolphus *de Scowenburg*, Eilbertus *de Wilpe*, Waltherus *de Berghe*, Meinricus de *Almanneſtorp*, Scacco de *Erteneburg*, Jordanus DAPIFER, *Joſarius* frater ejus de *Blanckenburg*, Henricus MARSCALCVS, Heinricus PINCERNA, Luppoldus *pincerna*, Erchenbertus *dapifer*, Wernerus CAMERARIVS, Otto *advocatus de Erteneburg*, Fridericus frater ejus, Henricus advocatus *de Lüneburg*, Gerhardus, *Scultetus*, Bertholdus de *Rothesboſſ*, Walbertus MILES, Rothardus & Gwehardus de *Haldeslove*, Georgius de *Hiddesbakere*, Hildebrandus, Marcradus *Hoverbode* & Marcradus filius eius *de Holſatia*. Data in Herteneburg. VII. Idus Novembr. Dominus Hartwicus Canonicus eccleſiæ Bremenſis & notarius Ducis curiæ aſſignavit.

(*) Conferatur hoc diploma cum illo, quod exhibuerunt REHTMEYER *Chron. Brunſvic. Luneb. Tom. I. p.* 334. LÜNIG *Spicil. Eccleſ. P. II. p.* 293. *ceteri.*

(**) Apud REHTMEIERUM l. c. male legitur *Gwogoni traba*. Quam lectionem retinuit LUNIGIUS d. l.

(***) Apud alios legitur: *extra Vorwerckos*. Extra Vorwercos vero idem eſt ac exceptis Vorwercis. Quæ explicatio nec ſenſui nec ordini verborum convenit.

XIII.

Henrici Leonis Diploma, quo, donationem villarum in uſus epiſcopales confirmat, exceptis JVRIBVS DVCATVS, nimirum expeditionum publicarum & judicii provincialis, BORGWERCK & MARCKTING.

In nomine ſanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis!

1170. HEnricus Dei gratia Dux Bavariæ & Saxoniæ omnibus baptizatis in Chriſto & noſtri ævi contemporaneis a generatione in generationem poſt futuris innotuiſſe cupimus, quod in laudem Dei in ſalutem animæ noſtræ quasdam villas ſanctæ Raceburgenſis eccleſiæ in uſus epiſcopales deſtinatas in quietam poſſeſſionem contulimus uti collatis eisdem bonis absque fatigatione & ſine contradictionis impedimento tam modernus, quam ſucceſſurus poſt ipſum epiſcopus utatur. Ab his tamen, quæ JVRE DVCATVS *nos contingunt*, iſta nominatim excludimus videlicet *expeditiones* & *forenſe placitum*, quod *Marckthing* vulgo dicitur & caſtrorum munitiones quas vulgariter *Burgwerck* vocamus. Nomina vero villarum præſens demonſtrat pagina. *In terra Brixen villas Lubimare, Maliante, Greſſowe.* In Wanige *Malcke*, in territorio Boiceneburg *Benine*, in SEDELBANDIA *Puterowe*. Hanc itaque traditionem banno Apoſtolico & epiſcoporum banno & ſigilli noſtri autoritate, ut immutabiliter de ævo in ævum permaneat, corroborari conſtituimus & hæc ſunt nomina teſtimonialium perſonarum, quibus præſentibus hæc facta ſunt. *Ewermodus* Raceburgenſis epiſcopus, *Berno* Zwerinenſis epiſcopus, præpoſitus Anshelmus, præpoſitus Hinricus, & Laici Comes *de Ravensberg*, Fridericus Palatinus *de Kalebeim*, Bartholdus *Marchio de Voburg Comes* GVNCELINVS, Bernhardus *Comes de Raceburg*, Henricus comes *de Luchow*, Adolfus de *Nienckerken* & frater ejus, Reimbertus de *Ricklinge* Hermannus *Hude*, *Jordanus* Dapifer, *Joſarius* frater ejus, Lambertus *de Luneborg*, Gerhardus *de Schoderſtede*, Svigerus *de Stadio*, CAZIMARVS *de Dimin*, PRIBISLAVS *de Miklimburg*, PRINCIPES *Slavorum*. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo LXX. Indictione IV. XIII. Kalend. Octobr.

XIV.

Privilegium Henrici Leonis de quibusdam villis.

In nomine ſanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis.

1171. HEnricus Dei gratia Dux Bavariæ & Saxoniæ omnibus baptisatis in Chriſto & noſtri ævi temporaneis & a generatione in generationem poſtfuturis innotuiſſe cupimus, quod in laudem Dei pro ſalute animæ noſtræ quasdam villas ſanctæ Racenburgenſi eccleſiæ in uſus epiſcopales deſtinatas in quietam poſſeſſionem contulimus, uti collatis eisdem bonis absque fatigatione & ſine contradictionis impedimento tam modernus quam omnis ſucceſſurus poſt ipſum epiſcopum utatur; ab his tantum, quæ JVRE DVCATVS *nos contingunt*, iſta nominatim excludimus, videlicet *expeditiones & forenſe placitum*, quod MARKTINC vulgo dicitur, & *caſtrorum ſtructuras*, quas vulgariter *Borgwerck* vocamus. Nomina vero villarum præſens demonſtrat pagina: *in terra* BRIZEN villam *Luibemare Maliante*, *Griſowe*, in *Wanige*, *Mealke*; in territorio BOICENEBVRG *Benine*, in SADELBANDIA *Puterowe*. Hanc itaque traditionem banno apoſtolico & epiſcoporum banno & ſigilli noſtri autoritate ut immutabiliter de ævo in ævum permaneat corroborari conſtituimus: Et hæc ſunt nomina teſtimonialium perſonarum, quibus præſentibus hæc facta ſunt *Evermodus Raceburgenſis* Epiſcopus, *Berno Zverinenſis* Epiſcopus, Præpoſitus *Anſelmus*, Præpoſitus *Henricus*; & laici Henricus Comes

Comes de *Ravensberg*, Fridericus Palatinus de *Kalchheim*, Bertholdus Marchio de *Woburg*, *Comes* GVNZELINVS, Bernhardus *Comes de Raceburg*, Hermannus *Comes de Luchowe*, Adolphus *de Nienkerken*, & frater ejus, Rembertus *de Ryklinge*, Hermanuus *Hude*, *Jordanus* dapifer Lotarius frater ejus, Lambertus de *Lüneburg*, Gerardus de *Schroderſtette*, Sigerus de *Studio*, Cazemarius de DYMIN *Pribislaus de* MIKELENBVRG PRINCIPES SLAVORVM. Acta ſunt hæc anno dominicæ incarnationis MCLXXI. indictione quarta XIII. Kalend. Octobr.

XV.

De villarum Rodemusle, Chitene, Clotesvelde & de villæ Bardendorp libertatibus, aliisque donationibus Eccleſiæ Raceburgenſi factis, cum exemptione a WOGIWOTINZA ſeu cenſu Ducis, item MARCETHINC & BORGWERCK.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

1174. HEnricus Dei gratia Bavariæ & Saxoniæ Dux. Quia divina clementia ſorte dignitatis & gratiæ fecit nos plerisque mortalibus præcellere: convenit auctoritatem dignitatis & poteſtatis agnoſcere & ei in omni gratiarum actione, prout ipſe dederit reſpondere, quod tunc digne facimus, ſi eccleſias Dei in ſua religione defendere, amplificare & magnificare ad honorem Dei ſtudeamus: Quapropter notum facimus tam futuris, quam præſentibus, quod nos pro remedio animæ noſtræ & Domini *Lotharii Imperatoris avi noſtri & parentum noſtrorum*, auctoritate & permiſſione glorioſiſſimi Romanorum imperatoris Friderici tres epiſcopatus in Slavia ad dilatandam Chriſtianæ religionis devotionem per Dei gratiam inſtituimus, RACEBVRGENSEM, LVBECENSEM & SVERINENSEM, & ſingulos trecentis manſis dotavimus: Raceburgenſi eccleſiæ terram *Butin* cum omni ſua integritate, a fluvio, qui Ducis fluvius dicitur, usque ad cumulum lapidum prope villam *Bruneſtorp*, & ſic per medium ſtagnum *Lipſe*, & ab hinc directe, usque ad quendam lapidem magnum, & ab eo, usque in communem ſilvam producentis & quinquaginta manſis aſſignantes; alios quinquaginta manſos cum villa *Rodemoizle*, *Citbene*, *Clotesvelde*, *Verchowe*, ex permiſſione & voluntate Bernhardi Comitis ſub eadem juris libertate ſupplevimus. Ut autem quieti illorum & paci in futurum provideamus, conſtituimus firmiter inhibentes, ut nulli liceat in prædictis manſis aliquas exactiones vel petitiones facere, ſed liberi ſint ab omni gravamine & a WOGIWOTINZA, qui *cenſus Ducis*, dicitur. Dedimus etiam Raceburgenſis eccleſiæ fratribus villam *Bardendorp* trans Albim cum ſuis attinentiis, ſylvis, pratis, paſcuis, & omnem jurisdictionem noſtram in ea, ſcilicet tam *manus quam colli judicium*, eidem eccleſiæ libere remiſimus. Quasdam inſuper villas Raceburgenſis eccleſiæ in uſus Epiſcopi deſtinatas in quietam poſſeſſionem contulimus, ut eisdem bonis absque omni contradictionis impedimento tam modernus quam omnis ſucceſſor poſt ipſum Epiſcopum utatur; ſcilicet in terra *Raceburgenſi* Verchowe, in *Brezen* villam Lubimari, Maliante, Greſſowe in Waninge Malke, in *Boiceburg* Benin, in *Sadelbandia* Putrowe, in *Gamma* tres manſos, in *Darzowe* Biſcopeſtorp. Hæc omnia cum omni jure & libertate donavimus. De capitalibus vero cauſſis ubicunque coloni, tam villarum iſtarum quam prædictorum manſorum infra terminos totius epiſcopatus compoſuerint, duæ partes epiſcopo & eccleſiæ, tertia advocato proveniat: aliæ vero cauſſæ omnes præter judicium tantum colli & manus quocunque caſu emerſerint, ad epiſcopum & eccleſiam vel eorum diſpenſatorem referantur. Ceterum etiam nunc remittimus, quod tam in privilegiis ante datis nullatenus admittere volumus, ut prædicti coloni eccleſiæ ad *placita noſtra*, quæ MARKETINC (*) vocantur, venire non arceantur, EXPEDITIONEM tamen Ducis cum *triginta* CLYPEIS, ſemel in anno ad ſex ſeptimanas & hoc infra Albim ſequantur & BORCKWERCK, (**) circulum ſcilicet Raceburg, cum aliis *conprovincialibus* operentur, a quo tamen jure cuilibet epiſcoporum libere decem *Vorwerckos* emancipavimus. *Cenſus* autem SLAVORUM per omnes terminos horum trium epiſcopatuum erit de unco tres menſuræ ſiliginis, qui dicitur *Kuriz*, ſolidus unus, toppus lini unus, pullus unus. Ex his habebit ſacerdos parochialis duos nummos & tertium modium. Damus etiam epiſcopo Raceburgenſi & ſuis ſucceſſoribus & libere præſtandas remittimus omnes tam fundatas quam fundandas *per totam* SADELBANDIAM eccleſias & ejusdem provinciæ decimas, quas de gratia & permiſſione & hoc *ſine feudo* tenemus Epiſcopi, liberas eſſe epiſcopo, cum ſibi placuerit, regnoſcimus, cui etiam terminos epiſcopatus ſui usque ad locum, ubi *Bilna* Albim influat, deſignavimus: annuente nobis & operam dante domino *Hartwico* ſanctæ Hamburgenſis eccleſiæ Archiepiſcopo cum conſilio & favore tam Hamburgenſis quam Bremenſis capituli. Ordinavimus quoque, ut quolibet prædictarum eccleſiarum epiſcopo decedente nullus advocatus vel alia perſona, bona epiſcopi præſumat invadere, vel in ſuos uſus mancipare, ne ſacrilegium incurrat, ſed ſecundum canones prima pars pro anima epiſcopi pauperibus diſtribuatur, ſecunda in uſus eccleſiæ, tertia ſucceſſuri epiſcopi ſubſidio reſervetur. Hanc itaque traditionem noſtram banno apoſtolico & epiſcoporum Evermodi *Raceburgenſis*, Conradi *Lubicenſis*, Bernonis *Zverinenſis* corroborari ſtatuimus. Eos vero, qui prædicta ad honorem Dei & beatæ virginis Mariæ tam rationabiliter

nabiliter ordinata aliquo conamine infringere præsumserint, ab omnipotente Deo & beatorum Petri & Pauli & prædictorum episcoporum auctoritate gladio anathematis a Christi fidelibus abscissos & in æternum damnandos nemo fidelium ambigat. Hujus rei testes sunt Episcopi supra nominati, *Evermodus* Raceburgensis *Conradus* Lubecensis, *Berno* Zverinensis *Ansbelmus* Præpositus, Fridericus *Palatinus de Salabeim*, *Bertholdus* Marchio *de Voburg*, Cazimirus de DIMIN, PRIMISLAVUS de MECKELENBURG, Bernhardus Comes *de Raceburg*, GUNCELINUS *Comes de* ZVERIN, *Adolphus* Comes de SCHOWENBURG, Hermannus Comes de LUCHOWE, Volradus Comes de DANNENBERG, Adolphus Comes de NIENKERKEN & frater ejus Reinbertus, Hermannus *Hode*, Joannes *dapifer*, Josarius frater ejus, & alii quam plures tam laici quam clerici. Datum in Erteneburg, anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo septuagesimo quarto. regnante Friderico glorioso Romanorum Imperatore.

(*) *Judicium & Jus* PROVINCIALE. *Idem ac Landtinc.*

(**) *Vide infra ad annum* 1302. *chartam de emtione villæ Mitzist ibique descriptiones vocum* LANDTINCK, LANDWEHRE, BORCHWERE, BRUCHWERE.

XVI.

Isfridi contractus cum Hinrico Comite de Dannenberg de certis quibusdam villis, item de jure in Slavos & Teutonicos competente.

1183. ISfridus Dei gratia Raceburgensis ecclesiæ episcopus omnibus in Christo bene vivere. Cum dominus Comes de Dannenberg Henricus ecclesiæ nostræ semper specialis & familiaris amicus, sæpe coram nobis proponeret, quod nihil ab ecclesia Raceburgensi beneficii teneret, cum tamen in omnibus negotiis nostris & coram domino Hinrico Saxonum Duce & ubicunque potuisset se nobis sæpe benevolum exhibuerit, sicut & fecerat piæ memoriæ dominus Volradus Comes pater suus; petivit tandem a nobis, ut quicquid in terra *Jabele* ac *Waninge* incoli ac inhabitari possit, decimam de toto sibi præstare dignaremur. Qui cum super eo multis nos ac importunis sollicitaret precibus, tandem ei comiti occurrimus in *Hagenowe*, ut secum de præsenti negotio tractaremus, ac si fieri posset, secum competenter in aliquo conveniremus. Convenimus siquidem in eo, quod eidem comiti totam decimam præter villam *Malche* & suos terminos in terra illa, quæ est inter *Walenove* & *Albiam* & *Eldenam* in beneficio libere possidendam præstaremus, sub tali forma, quod, *quamdiu* SCLAVI *illam terram incolerent*, Raceburgensis episcopus INTEGRALITER *super omnes Sclavos suo* SCLAVICO JURE *gauderet* sicut *in privilegiis domini Henrici Saxonum Ducis per totum episcopatum super* SCLAVOS *expressum invenitur*. Cum autem in eandem terram THEUTONICI *coloni intrarent & decimam darent*, jam dictus Comes beneficio suo gauderet & decimam perciperet. De terra vero, quæ est inter *Zudam* & *Walenowe* taliter ordinatum fuit, quod sæpe dictus Henricus comes infra decem annos eam *decimalem* faceret; quod si faceret, decimam dimidiam ejusdem terræ in beneficio teneret dimidiam vero nobis & ecclesiæ nostræ reservavimus, quod idem dominus Henricus Comes libenter ACCEPTAVIT & fideliter *adimplere promisit*. Hujus rei testes sunt & interfuerunt Gevehardus *sacerdos de Iherico* & Philippus diaconus canonicus Raceburgensis, Wilhelmus sacerdos in *Hagenow*, *Fridericus miles in Hagenow*, Wernerus *de Marsowe*, Dargemoyz *de Coldram*, Otto Albus *de Raceburg*, Waldingus *miles*. Helingerus *miles de Dannenberg*, Eckehardus *de Riderlo* & alii quamplures.

XVII.

De confirmatione terminorum ecclesiæ in Bergedorpe.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

EGo Isfridus Raceburgensis ecclesiæ episco- 1183.
pus gratia Dei cooperante: Notum sit omnibus in Christo fidelibus tam præsentibus quam futuris temporis successoribus, quod nos pro augmento perfectæ securitatis & propter adjacentes de alterius episcopatu ecclesias terminos ecclesiæ nostræ in *Bergerdorp* ex antiquo adsignatos banno nostro confirmamus: Comprehendimus autem sub hac confirmatione *Waldigkedorp*, *Alerberke Delvervorde* & omnes infra *Brunislake* & *Lurino* habitantes, quatenus ecclesiæ in Bergedorp & eiusdem loci sacerdoti debitam subjectionem exhibeant: Quod si non fecerint, sciant se vinculo anathematis ligatos. Confirmata autem sunt hæc anno incarnationis domini MCLXXXIII. Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XVIII.

Clementis tertii Confirmatio IV. episcopatuum Lubecensis, Sverinensis, Ratesburgensis & Ixscolanensis. Anno 1188.

CLemens episcopus servus servorum Dei 1188.
venerabili fratri Hartwico Bremensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis a Deo Apostolatus officio, fratres & episcopos nostros, tam vicinos, quam longe positos sinceræ charitatis effectu debemus deligere; & ecclesiis in quibus

quibus auctore Domino militare noſcuntur ſuam *dignitatem* & JVSTITIAM *integram* conſervare. Eapropter venerabilis in Chriſto frater, tuis juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu eccleſiam ipſam cui auctore Domino præſides, cum omnibus pertinentiis ſuis, *Lubecenſem* quoque *Zwerinenſem*, *Racesburgenſem* & *Ixſcolanenſem* (*) Epiſcopatus, cum univerſis bonis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus ſicut juſte & ſine controverſia poſſides, tibi & eccleſiæ tuæ & auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc noſtræ paginam confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Data Romæ apud Sanctam Mariam VII. Kalend. Octobr. Pontificatus noſtri anno primo.

De Epiſcopatu Ixſcolanenſi variæ conjecturæ.

(*) Quid ſit *Ixſcolanenſis*, quærit STAPHORST *T. I. Hiſt. Eccleſ. Hamb.* p. 595. Et certe in explicando hoc vacabulo, indubie corrupto, Oedipus habet, quo artificium exerceat. Nonnullæ chartæ lectionem habent *Lesmonenſem*. Sed male, cum Lismona non fuerit epiſcopatus, niſi quod ab Alberto I. Archiep. Hamb. ad XII ſedes epiſcopales Patriarchatus prætenſi relata fuerit: HENR. WOLTERVS *in Chron. Brem. apud* MEIBOMIVM *T. II. Rer. Germ. p.* 43. CRANTZIVS *Metrop. L.* 4. *c.* 41. JO. OTTO *in Catalogo Archiep. Brem.* apud MENCKENIVM *T.* 3. *Scriptor. Rer. Germ. p.* 786. Sunt, qui LEBVSIENSEM epiſcopatum intelligunt cum *B JO CHRIST. BESELINIO* in MCS. *de rebus provincial. Mecklenb.* Seducti forte a *CHYTRÆO Metropol. L.* 31. ubi Lebuſum Archiecclefiæ Bremenſi adnumerat, confurato propterea a *P. WAJA in hiſtor. Epiſcop. Caminens. apud LVDEWIGIVM Script. rer. Germanic. T. II p.* 503. Placet aliis conjectura de SLESVIENSI epiſcopatu, cujus quidem antiſtites æque ac Lubecenſes, Sverinenſes & Raceburgenſes Epiſcopi, ſuffraganei ſeu Comprovinciales fuerunt ſedis *Bremenſis* teſte *OTTONE c. l p.* 774. & *BRVSCHIO de epiſcopat. German c.* 1. Sed dubia & certiora alia vide in notis ad *Diplomatarium Mecklenburgicum*. Si teſtem audiverimus *Monachum PEGAVIENSEM*, loco Ixſcolanenſis epiſcopatus nominari forte debuit *RVDENBVRGENSIS*. Ita enim ille *p.* 261. *Henricus Dux Leo inſtituit in Slavorum regione epiſcopatus LVYBEG, SWRIN, RAZESBERCH & RVDENBERGH* Sed hic ultimus æque obſcurus eſt annaliumque ſcriptoribus æque incognitus. *HECHTIVS de Henrici Gvelphi inſign. gentilit.* §. 11. Uno enim ore omnes Patriæ Hiſtorici, tres epiſcopatus 1) Megapolenſem poſt Sverinenſem 2) *Raceburgenſem* & (3) *Altenburgenſem* poſt Lubecenſem, laudant, utrumque vero ſuppoſititiæ vel ſubleſtæ fidei epiſcopatum *Ixſcolanenſem* & *Rudenbergenſem* ignorant penitus. Videantur *HELMOLDVS* eiusque continuatores *ARNOLDVS LVBECENSIS*, & *PRESBYTER BREMENSIS in Chronico veteri Holſatiæ* apud *LEIBNITIVM* in *acceſſionibus hiſtor. T. I. p.* 26. *CHRONICON Montis Sereni ad a.* 1160. *CHRONICA Slavica apud LINDENBROGIVM c.* 28. *Hiſtor. Archiepiſc. Bremenſ. ibid. ad a.* 1160. *FRAGMENTVM Genealog. apud LEIBNITIVM T. II p.* 29. *CONRADVS BOTHO Chron. pictur. apud eundem T.* 3. *p.* 347. *CHRONOGRAPHVS Saxo ad annum* 1160. *p.* 306. *ALBERTVS Stadenſis ad ann.* 1160. *p.* 191. *CHRONICON Stederburgenſe ad e. a. apud MEIBOMIVM T. I. R. G. p.* 454. *CRANTZIVS L.* 6. *Metrop. c.* 28. *Vandaliæ c.* 36. *Saxoniæ L.* 6. *c.* 23 Quibus omnibus accedit fides diplomatum *Mecklenburgenſium*, quæ trium quidem laudatorum epiſcopatuum mentionem injiciunt, ſed de Ixſcholanenſi ne γρύ quidem commemorant. Vide hoc loco *chartas* num. 3. 6. 7. 11. 12. 15.

XIX.

De libertate villæ Walegotesvelde.

ISfridus Dei gratia Epiſcopus Raceburgenſis omnibus tam futuris quam præſentibus ſalutem in eo, qui eſt ſalus omnium. Notum ſit omnibus quod domina *Adelheidis Comitiſſa de Raceburg* pro remedio animæ ſororis ſuæ *Fredegundis* libere dedit eccleſiæ Raceburgenſi, quicquid juris in villa *Wallechotesvelde* habuit, ſcilicet EXPEDITIONES, PETITIONES, BORCHWERCH, BRVCWERCH & omnes, quæ fieri ſolent *angarias* ſive *exactiones*. Hujus rei teſtes ſunt Ricoldus Fridericus *de Staden*, Ludolphus *de Scorlemer*, Volcmarus Fridericus de *Gadebuz*, Fridericus *de Hachenow*, Nicolaus *de Salem*, Bernhardus de *Hakenſtede* & alii quamplures tam *ſervi*, quam *milites*. Ne quis igitur hanc libertatem infringere præſumat banno noſtro donationem hanc communimus, & auctoritate Dei & Apoſtolorum Petri & Pauli diſtricte prohibemus. 1190.

XX.

De diviſione manſorum, decimarum & redituum inter epiſcopum & eccleſiam.

ISfridus Dei gratia Raceburgenſis Epiſcopus. Quia gradum Paſtoris cum officio dignitatis ſuſcepimus, ſolerti proviſione curandum nobis eſt, quatenus eis, quorum curam gerimus, ordinate & fideliter providere ſatagamus. Circa quod quanto ſollicitius agitur, tanto fiducialius divinæ mercedis retributio ſperatur & obtinebitur. Noverit itaque tam præſentium quam futurorum fidelis devotio, quod cum fratres Raceburgenſis eccleſiæ Canonici ſæpius nos inſtanter ſollicitarent, ut *bona epiſcopalia* ad uſus eorum pertinere debentia eis exprimere & privilegio noſtro confirmare dignaremur, nos de virorum prudentum conſilio petitioni ipſorum admiſimus & in arbitros & in eorum arbitrium tam Nos quam conventus conſentire fideliter compromiſimus, qui jurati inter epiſcopum & eccleſiam *manſorum*, *decimarum* & *aliorum reddituum* diviſionem fecerunt, ut in his, quæ propriis ſunt exprimenda vocabulis, ſub privilegio noſtro gaudeat in perpetuum & fruatur 1194.

ecclesia nullam cum Episcopo de reliquis bonis supercrescentibus quæstionem deinceps habitura. In *provincia Raceburg* in parochia S. Georgii ista fratribus assignamus *Rodemuzle* totam villam cum censu & decima; *Citbene* totum cum suis attinentiis, ad omnia prædia in monte decimam dimidiam, *Giselbrechtstorp* decimam dimidiam, *Belendorp* decimam dimidiam; Ad *minus Mancre* decimam dimidiam; Ad *minus Belendorp* decimam dimid. Ad *unam domum* decimam dimid. *Crumesse* decimam dimidiam: Ad *novam villam* decimam dimidiam; *Chimpove* decimam dimidiam. *Puckentorpe* decimam dimidiam; *Cronervorde* decimam dimidiam; In parochia *Selavekestorp Mechow* decimam dimidiam, *Slaubrice* decimam dimidiam; in parochia *Mustin*, *Dechowe* tertiam partem, *Turove* tertiam partem; in parochia *Tscetorpe*, *Nigentorp*, decimam dimidiam; *Brisan* decimam dimidiam; *Schachere* decimam dimidiam; in parochia *Stralige* in ipsa villa tertiam partem, *Berseme* decimam dimidiam, *Clotesvelde* totum cum suis attinentiis; in parochia *Godowe*, *Zageran* tertiam partem, *Lesten* tertiam partem *Bandove* tertiam partem, *Grambeke* tertiam partem, *Scarnecow* decimam dimidiam, *Guthin* decimam dimidiam; in parochia *Bredenfelde*, *Wolterstorp* tertiam partem, *Nigentorp* tertiam partem, *Below* decimam dimidiam, ad *antiquum Mulne* tertiam partem, *Pinnowe* decimam dimidiam; in parochia *Nutse*, *Walegotesvelde* totum cum suis attinentiis; in parochia *Wittenburg*; in parochia *Zarrenthin*, *Cussin* decimam dimidiam, *Vilun* decim. dimid. *Scalisce* decim. dimid. in parochia *Nigenkerken*, *Milenthete* decimam totam, præter tuos mansos, *Bosow* totum cum suis attinentiis; in parochia *Doberse*n, *Rochuw* decimam dimidiam, *Benthin* decimam dimidiam, in parochia *Hachenowe*, *Merthrade* tertiam partem, *Todin* tertiam partem, *Putechowe* decimam dimidiam; in parochia *Villan* in ipsa villa tertiam partem, *Bausin* tertiam partem, *Domeraze* tertiam partem, *Bralstorp* decimam dimidiam, *Panitz* decimam dimidiam, *Bollbrugge* decimam dimidiam, in parochia *Kurchowe*, *Zure* tertiam partem; in parochia *Camin* in ipsa villa tertiam partem; in parochia *Paren*, *Progresse* tertiam partem; in provincia *Godebuz*, *Ganzowe* decimam dimidiam, *Rotgendorp* tertiam partem, *Malin* tertiam partem, *Zwerin* tertiam partem, *Radegast* tertiam partem; in PROVINCIA *Zverin* in parochia *Exem*, *Godin* tertiam partem, *Sconenfelde* tertiam partem, *Wendelerstorp* tertiam partem; in provincia vero *Buthin*, quæ *dos est ecclesiæ*, cujus medietas ex donatione domini Henrici Ducis Bavariæ & Saxoniæ tam in proprietate quam in censu & decima & omni jure fratres contingit, sequestrandas eorum villas a nostris exprimemus vocabulis, *Lanzekove* cum omnibus suis attinentiis usque ad amnem prope urbem, quæ dicitur *urbs dominorum*, *Polengowe* cum suis attinentiis, *Warsowe*, *Luderstorp* cum suis attinentiis, *Lewen*, *Thescowe* cum suis attinentiis, *Lotwise*, *Rubenestorp* cum suis attinentiis, *Malsowe*, *Petersberge* cum suis attinentiis *Nigendorp*, *Bistenowe* cum suis attinentiis. Ordinatum fuit insuper, & in eo consensum, quod tam in provincia *Buthin* in villis expressis quam in aliis prædictarum provinciarum villis, quæ fratribus sive in tota parte, sive immediate sive in tertia parte decimarum assignatæ sunt, quicquid in terminis earum superexcreverit, pro sua parte in decima fratribus accrescat. Quia igitur ista de communi consensu rationabiliter ordinata sunt, ne quis imposterum de bonis præscriptis aliquam inferat molestiam sub anathemate districte prohibemus, & ut rata permaneant, privilegio nostro & sigilli impressione factum nostrum corroboramus. Hujus rei testes sunt Bernhardus junior Comes *Raceburgensis*, Harthbertus *Hildesemensis* ecclesiæ major præpositus, Hinricus *Raceburgensis* præpositus & Hinricus *prior* ibidem, Arnoldus custos, Fredelevus, Gerardus, Wiegerus, Fredericus *Sacerdotes*; Werendagus, Philippus, Hardevicus, Henricus, Conradus *diaconi*, omnes Raceburgensis ecclesiæ *canonici*. Nomina vero eorum sunt hæc, qui jurati talem ordinationem fecerunt *de Raceburg*, Bernhardus de MVLSAN, Otto ALBVS, Wilhelmus de ZEGERAN; *de Wittenborg* Woldemarus, Wernerus de *Marsowe*, Fredericus *de Hachenowe*, Fridericus de *Gadebuz* Heinricus *de Buzove* Fridericus advocatus, Gilbertus *de Dargun*; & alii complures tam laici quam clerici, qui præsentes viderunt & audiverunt. Acta sunt hæc in Raceburg anno dominicæ incarnationis MCXCIV. pontificatus nostri anno quarto decimo.

XXI.

Privilegium confirmationis & protectionis Gregorii Pontificis.

GRegorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Præposito & capitulo Raceburgensi salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a Nobis petitur, quod justum est ac honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in domino filii, nostris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas Vestras & ecclesiam, in qua divino vacatis obsequio cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante domino poterit adipisci, sub *beati Petri & nostra protectione* suscipimus. Specialiter autem terras, reditus, possessiones, & alia bona vestra, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis Vobis & per Vos eidem ecclesiæ nostræ, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripturæ patrocinio communimus. 1198.

Nulli

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum omnis ſe noverit incurſurum. Datum Viterbii. IV. Calendar. Maji pontificatus noſtri anno decimo.

XXII.

Literæ Isfridi quibus decimas terræ Walerowe ſibi ſervat, quamdiu hanc terram inhabitant SLAVI, *Slavico, hoc eſt ſervitutis jure regendi. Extinctis vero illis vel* TEVTONICIS *colonis advenientibus, decimas promittit Comiti de Danneberg.*

1201. ISfridus Dei gratia Raceburgenſis eccleſiæ epiſcopus omnibus in Chriſto bene vivere. Cum Dominus *Comes de Danneberg Heinricus*, eccleſiæ noſtræ ſemper ſpecialis & familiaris amicus, ſæpe coram nobis proponeret quod *nihil ab eccleſia Raceburgenſi beneficii* teneret, cum tamen in omnibus negotiis noſtris & coram Domino *Heinrico Saxonum Duce* & ubicunque potuiſſet, ſe nobis ſæpe benevolum exhibuerit, ſicut & fecerat dominus *Volradus* comes, pater ſuus, petivit tandem a nobis, ut quicquid in terra *Jabele & Waninge* incoli & inhabitari poſſet, decimam de toto ſibi præſtare dignaremur. Qui cum ſemper eo multis nos & importunis ſollicitaret precibus, tandem ei Comiti occurrimus in *Hagenow*, ut ſecum de præſenti negotio tractaremus & ſi fieri poſſet ſecum competenter in aliquo conveniremus. Convenimus ſiquidem in eo, quod eidem Comiti *totam decimam præter villam Malche* & ſuos terminos in terra illa, quæ eſt inter *Walerowe* & ALBIAM & ELDENAM in *beneficio* libere poſſidendam præſtaremus ſub tali forma, quod, *quam diu Slavi illam terram incolerent*, Raceburgenſis epiſcopus integraliter *ſuper omnes* SLAVOS, ſuo SLAVICO JVRE *gauderet*, ſicut in privilegiis domini Henrici Saxonum Ducis *per* TOTVM *epiſcopatum ſuper Slavos* expreſſum invenitur. Cum autem in eandem terram TEVTONICI *coloni* intrarent & *decimam darent*, jam dictus comes *beneficio ſuo* gauderet & decimam perciperet. De terra vero, quæ inter ZVDAM & WALEROW, taliter ordinatum fuit, quod ſæpe dictus Heinricus comes *infra decem annos* eam decimalem faceret, decimam dimidiam ejusdem terræ *in beneficio* teneret, dimidiam vero nobis & eccleſiæ noſtræ reſervavimus. Quod idem dominus Heinricus comes libenter *acceptavit* & fideliter *adimplere promiſit*. Hujus rei teſtes ſunt & interfuerunt *Ghevehardus* ſacerdos de *Iberico*, & Philippus diaconus Canonicus Raceburgenſis, Wilhelmus ſacerdos in *Hagenowe*, Fridericus MILES in *Hagenowe*, Wernerus *de Marſow*, *Dargemoyzle & Cladram.* Otto albus *de Raceburg*, Waldingus MILES, Helingerus MILES de *Dannenberge*, Eckehardus *de Ridarlo* & alii quamplures.

XXIII.

Collatio juris patronatus in Slavekeſtorff.

GRegorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis, Præpoſito & capitulo eccleſiæ Raceburgenſis *Præmonſtratenſium ordinis* ſalutem & apoſtolicam benedictionem! Cum a nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in domino filii noſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu jus patronatus *eccleſiæ in Sklavekeſtorff*, quod nobilis Vir Albertus Dux Saxoniæ patronus ipſius Venerabilis fratris noſtri Raceburgenſis epiſcopi diocesani loci, accedente pia, ut aſſeritis, vobis liberalitate conceſſit, ſicut illud juſte ac pacifice obtinetis, vobis & eccleſiæ veſtræ per vos auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum omnis ſe noverit incurſurum. Datum Laterani (*) III. Calend. Decembr. pontificatus noſtri anno tertio decimo. 1201.

(*) Privilegium confirmationis & protectionis ab *Honorio*, idibus Novembr. anno pontificatus undecimo, item ab *Innocentio* 8. iduum Martii, Pontificatus anno undecimo in Laterano datum, addere ſuperfluum eſt; utrumque enim fere ad verbum cum privilegio Pontificis Gregorii coincidit.

XXIV.

De protectione & confirmatione Regis Danorum Waldemari.

WAldemarus Dei gratia *Danorum*, SLAVORVMQVE Rex, *Dux* JVTIÆ *dominus* NORDALBINGIÆ, omnibus juſtis hæc ſcripta cernentibus in perpetuum. Circumſtantias conditionis humanæ & varietates rerum nunquam in eodem ſtatu permanentium in momento diligentius intuentes nihil in humanis actibus ita firmum vel ſtabile in præſenti ſeculo conſideramus, quod diuturnitate temporis, quæ mater eſt oblivionis, non poſſit ignorantiæ nebulis ſepeliri & ab humana, quæ valde labilis exiſtit, memoria exſtirpari: Volumus itaque ea, quæ digna memoriæ a Nobis geruntur in tempore, ne cum 1205.

tempore labili a memoria hominum elabantur, litterarum irrefragabili ſuffragio perennare, ut in poſterum filii, qui naſcentur & exſurgent, enarrent ea filiis ſuis & occaſus neſcia novo ſemper ſole humanis mentibus ſcripturæ teſtimonio duceſcant. Cum igitur ex injuncto nobis divina permiſſione officio teneamur omnibus in juſtis cauſis ad Nos confugientibus ſubvenire, præcipue tamen & quadam ſpeciali prærogativa eos, qui divino ſunt ſervitio mancipati, tenemur in juſtitia confovere & ab injuriis omnium eis malignari volentium protectionis munimine defenſare. Sciant itaque tam poſteri quam præſentes, Nos Raceburgenſi eccleſiæ & illius loci canonicis conceſſiſſe, ut omni libertate & immunitate ſuper poſſeſſionibus ſuis, quæ privilegio & auctoritate domini *Pontificis Adriani quarti* & privilegio *Henrici Ducis Saxoniæ & Bavariæ* ſunt confirmatæ, inpoſterum gaudeant & feliciter fruantur. Ut igitur hæc noſtra firma & ſtabilis & inconvulſa in poſterum perſeveret, eam ſigilli noſtri dignam duximus teſtimonio confirmare. Datum in Lanlandia apud Oſterburch anno domini MCCV. indictione octava.

XXV.

De decima in villa Bentin in animadverſario Philippi Epiſcopi.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

1205. EGo Philippus Dei gratia Raceburgenſis Epiſcopus. Quia ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, & eis in dandis eleemoſynis ſubvenire, ut a peccatis ſolvantur; Nos piæ recordationis affectu pro anima domini noſtri & prædeceſſoris Epiſcopi Isfridi eccleſiæ noſtræ & fratribus quatuor manſos cum omni jure, cenſu ſcilicet decima & *Chunowe* in villa *Bentin* in territorio *Wittenborch* in die anniverſaria jam dicti epiſcopi dedimus ad ſervitium, ut inde veſpere & mane reficiantur. Dabunt iidem coloni pro omni exactione Comitis, *expeditione* ſcilicet, *petitione* & *Burgwerck* quatuor menſuras tritici medio tempore intra diem ſancti Martini & omnium ſanctorum, quod Comes GVNCELINVS, cum terram Wittenburg haberet, pro anima domini ſui epiſcopi in ſuis exequiis remiſit, & poſtea Comes Albertus ſuperveniens jam poſſeſſor ejusdem terræ *adpetitionem noſtram* coram multis honeſtis viris apud *Eteneburg* ratum haberi conceſſit. Ut autem hæc rata ſint & inconvulſa banni noſtri denunciatione & ſigilli noſtri impreſſione corroboravimus. Hujus rei teſtes ſunt Hinricus *præpoſitus*, Henricus *prior*, Arnoldus cuſtos & totus *conventus* in Raceborch, GVNCELINVS *Comes*, & frater ſuus, Comes *Henricus de Zverin Burwinus*.

XXVI.

De confirmatione poſſeſſionum eccleſiæ in Bergerdorp.

PHilippus Dei Gratia Raceburgenſis eccleſiæ vocatus epiſcopus. Univerſis Deum timentibus ſalus in eo, qui ſalus eſt omnium. Propter ſecuritatem & quietem vel etiam malignorum incurſus neceſſitatis expetit ratio, quatenus eccleſiæ noſtræ in *Bergertorpe*, in *juſtitiis ſuis provideamus* in futuri temporis ſtatu. Confirmamus igitur eidem eccleſiæ auctoritate, qua fungimur, ſecundum confirmationem domini mei piæ memoriæ Isfridi Epiſcopi omnes attinentias ſuas, ſive in terminis parochiæ, ſive in agris, ſive in manſis, ſive in decimis, ut ipſi ſtabiles & ratæ permaneant. Si quis vero jam dictam eccleſiam ſcilicet in Bergerdorp, in jure ſuo attentaverit, anathema ſit. 1205.

XXVII.

De decima ſex manſorum in villa Lancowe & de decima in villa Panthen.

EGo Philippus Dei gratia Raceburgenſis eccleſiæ Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus tam futuris quam præſentibus ſalutem in Dei ſalutari noſtro. Cum ex officii noſtri ratione quibusve indigentibus manum largitionis ſemper pro poſſe noſtro moneamur exhibere; *Matri* tamen *noſtræ* ſcilicet *Raceburgenſi eccleſiæ*, cujus ubera a primis rudimentis ſuximus & affectu devotionis & obſequio recordationis ſpecialius tenemur intendere; unde communicato conſilio noſtro cum his, quibus credendum eſſe cenſuimus, cum bona deliberatione ad majorem dilectionis oſtenſionem circa fratres noſtros canonicos ſcilicet prætaxatæ eccleſiæ nobis quoque in hac parte conſulentes cuſtodiæ Raceburgenſi ſex manſorum decimam in villa, quæ *Lancowe* dicitur, aſſignavimus, ſub ea forma, ut quolibet biſſextili anno reditus trium annorum intercedentium prædictæ decimæ in unam ſummam redigantur, & in his, quæ magis neceſſaria viſa fuerint, res cuſtodiæ corrigantur. Contulimus inſuper decimam unius manſi cuſtodiæ in villa, quæ *Panthen* dicitur, ut inde quolibet anno comparet *oleum chriſmatis*, quod antea epiſcopus adminiſtrare tenebatur. Dedimus etiam beatæ Virgini & ſancto Johanni in eadem eccleſia *cappam de ſammetto* ſex marcis argenti comparatam & *pixidem argenteam* pondere marcarum quinque reliquiis in ea incluſis, plus quam valore inſignem. Aſſignavimus præterea fratribus ad ſervitium in die patroni, ſancti Johannis ſcilicet ante portam latinam veſpere dimidiam decimam villæ, quæ *Swartenſee* dicitur, & ut abundantius id fieri poſſit, quicquid decimarum habuimus in villa *Mikiſt* in territorio *Raceburg* ſita plenarie addidi- 1209.

addidimus; villam insuper nostram *Mikist* in terra *Boytin* cum omnibus attinentiis, censu, decima, pascuis, pratis & silvis ad agendam obitus nostri anniversariam memoriam fratribus nostris dedimus; & interim, dum adhuc supersumus, servitium tandem in diem obitus nostri convertendum: in die sancti Augustini tribus vespere mane, & secundo vespere solenniter interim exhiberi statuimus. Hanc igitur donationem, ut rata sit & inconvulsa permaneat, corroborare curavimus, ut ăn præsentiarum cernitur, appensione sigillorum, tam nostri quam venerabilium coepiscoporum, domini videlicet *Isonis* Verdensis domini *Bertoldi* Lubicensis ipsius quoque ecclesiæ nostræ statuentes, ut anathema sit, qui hæc indebite temerare præsumserit. Nomina testimonialium personarum hæc sunt: GVNCELINVS *Comes de Zverin*, *Hermannus de Stortenebold*, *Conradus de Harstorp*.

XXVIII.

Innocentius III. Philippum episcopum Raceburgensem cum ecclesia in protectionem suscipit.

1209. INnocentius servus servorum Dei venerabili fratri Raceburgensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id quod sollicitudinem officii nostri exigit, ad debitum perducatur effectum. Quapropter venerabilis in Christo frater *tuis postulationibus* gratum impertientes assensum, *personam Tuam & ecclesiam Raceburgensem* Tuæ curæ commissam, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemtare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. III. Idus Martii Pontificatus nostri anno XI.

XXIX.

De juribus & libertate in Bergertorp ab Alberto Comite Raceburg. datis, excepto Burgwerk seu munitione fortalitii & Landwere, defensione terræ.

1217. HEnricus Dei gratia Raceburgensis Episcopus omnibus, ad quos præsens pagina pervenerit, salutem in Christo Jesu salutare nostro. Humanum genus hoc sibi remedium adinvenit, ut facta sua commendet in scriptis, ne per successus temporis, qui memoriæ novercantur, ulla possit oriri dubitatio; sed scripturæ testimonio facti veritas elucescat: Constare igitur volumus omnibus in Christo renatis & Deum timentibus, quod *Albertus* illustris *Comes Raceburgensis ecclesiæ*, in Bergerdorp sex mansos in villa *Burnessem* & duos in *Wenerdorp* & colonos in eis habitantes ab omni exactione & servitio & jure, quod in ipsis habebat, absolvit & liberos esse perpetuo donavit, eo tamen in eis *jure retento*, quod *ad munitionem castri Lowenburg* tantum plantas ducere, & non alia servitia facere, & ad *defensionem terræ*, quod vulgo *Landwere* dicitur, prædictorum mansorum coloni subsidia præbere tenebuntur. Præterea idem jam dictus comes, cujus memoria sit cum sanctis in gloria, ipsi ecclesiæ nostræ in Bergerdorp rivum *Bilne* ad ædificandum in eo molendinum ad salarium sacerdotum Deo inibi servientium sua contulit liberalitate. Ut autem hæc tam conveniens & laudabilis donatio jam dictæ ecclesiæ firma sit & stabilis, ac ne quis possit huic libertati contradicere, præsens scriptum sigilli nostri appensione munivimus eamque donationem banno nostro ligamus, & auctoritate, qua fungimur, ipsi ecclesiæ confirmamus. Confirmamus etiam præterea & stabilimus ecclesiæ nostræ in Bergerdorp jam sæpius nominatæ, omnes pertinentias suas, quas pertinere fecit prima fundatorum suorum institutio, vel legitima emtio, vel devota fidelium oblatio, secundum confirmationem piæ memoriæ domini *Isfridi* & *Philippi* episcoporum Raceburgensis ecclesiæ, sive sit in decimis, vel in mansis, vel in pratis, vel in pascuis porcorum vel situ molendinarii commoditatis, ut ecclesiæ prælibatæ in perpetuum firmæ sint & stabiles. Si quis vero malignorum & dominum non timentium huic donationi & firmationi contraire attentaverit, anathema sit & communione sanctorum privetur æterna. Confirmata autem sunt hæc *Molne* in *majori synodo nostra*, præsentibus tam laicis quam clericis, Wicmanno *Raceburgensi præposito*, Henrico *Priore*, Godescalco *Camerario*, Godescalco *sacerdote*, Cunone *sacerdote Raceburgensis ecclesiæ Canonicis*; laicis Ottone *Albo*, *Nothelino de Goldenez*, *Nicolao de Below*, Werdago *de Molne* & aliis multis anno incarnationis dominicæ MCCXVII. IX. Calend. Junii.

XXX.

De sententia synodi Raceburgensis contra Parochianos ecclesiæ in Bergdorp lata, ut sacerdoti decimam majorem de manipulis & minorem de jumentis adeoque unum pullum de area præstent.

HInricus Dei gratia Raceburgensis Episcopus. Cum *synodo in ecclesia Bergerdorp* præsideremus, Arnoldus ejusdem ecclesiæ sacerdos pro *decima pullorum*, scilicet quod 1217.

pullos non darent de *areis*, cum tamen *de juſtitia* dare deberent, contra inhabitantes jam dictam parochiam querimoniam depoſuit & altercatione facta pro ſententia de eadem cauſſa dictanda *Raceburgi ad* MAJOREM *ſynodum*, quatenus juſtitia declaretur, partes, citatæ ſunt; in majori etenim ſynodo noſtra ſententia dictavit & a clericis & a militibus & univerſis, qui aderant, approbata eſt, quod, qui darent *decimam majorem in agro de manipulis*, & minutam *de jumentis* dare tenerentur ex *juſtitia* & PVLLOS de AREIS, quod vulgato ROHON (*) dicitur. Mandamus igitur diſtricte præcipientes omnibus parochianis de Bergerdorpe, ut decimam pullorum, ſcilicet *unum de area*, ejusdem loci ſacerdoti ſine contradictione perſolvant: ſi quis vero *juſtitiæ* contradixerit, & dare pullum noluerit, ipſum autoritate, qua fungimur, excommunicamus & ſupplicio damnamus æterno. Ut autem rata & inviolata permaneant & ne quis contraire præſumat, præſentem paginam ſigilli noſtri appenſione munivimus. Teſtes ſunt *Wicmannus* Raceburgenſis præpoſitus, *Wickerus* ſacerdos, *Godeſcalcus* camerarius, *Ludovicus* diaconus, *Canonici* eccleſiæ Raceburgenſis, *Hinricus* pincerna, *Wilhelmus de Zacharan*, *Nicolaus de Salem*, Volmarus *miles*, Rocherus *miles* & alii quamplures. Facta ſunt hæc anno incarnationis dominicæ MCCXVII.

(*) *h. e. pullus incoctus, robes Hubn.* **Male vulgo *rauch Hubn*, pullus fumoſus. Et quod parum convenientius eſt *rauches Hubn*, pullus in plumis ſeu non deplumatus.**

XXXI.

De donatione telonii ab octo laſtis ac villæ quæ Svartenſee dicitur ſive Oldenborch & de libertate villæ Lockwiſch.

1219. ALbertus Dei gratia Comes in Raceburg omnibus, ad quos hoc ſcriptum pervenerit, ſalutem in domino ſalvatore noſtro. Notum eſſe volumus tam futuris quam præſentibus, quod nos pro honore & reverentia beatæ Mariæ virginis pro remedio animæ noſtræ eccleſiæ Raceburgenſis *teloniam de octo laſtis* libere perpetuo indulſimus: contulimus inſuper eidem eccleſiæ villam, quæ *Swartenſee* dicitur, cum *omni jure abſque* BRVCKENWERCH, & duos manſos in villa *Bozove* cum omni libertate & *in terra Boitin Lockwiſch* cum omni libertate. Dedimus etiam cum omni jure bona, quæ Volquardus a nobis *jure* FEVDALI tenet in villa *Goldenſee* & quinque manſos in villa *Chemelin*. Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant paginam hanc ſcribi confecimus & ſigilli noſtri impreſſione raboravimus. Acta ſunt hæc in SMILOWE anno dominicæ incarnationis MCCXIX. indictione autem ſeptima. Teſtium, qui hæc viderunt & audiverunt, nomina ſunt hæc: Henricus *Raceburgenſis* Epiſcopus, Godeſcalcus *præpoſitus* ibidem, Bartholdus *notarius curiæ*, Reinfridus, Hinricus *pincerna*, Volcmarus, Waltherus, Nicolaus, Remboldus, Otto ſenior & Otto junior & alii quamplures tam *laici* quam *clerici*. Quicunque hæc infregerit, coram domino Jeſu anathema ſit.

XXXII.

Henrici Burewini I. ejusque FILIORVM Henrici & Nicolai conventio cum epiſcopo Raceb. Henrico de bonis eccleſiæ feudali jure conceſſis, item de decimis, de eccleſiis fundatis & fundandis ac de villis a SERVITIO DOMINORVM ac præſtatione BEDARVM ſpecialiter exemtis.

EGo *Henricus ſenior Borwinus* Magnopolenſis & filii mei *Henricus* & *Nicolaus* notum facimus omnibus tam præſentibus quam futuri temporis ſucceſſoribus, quod in hac forma cum Domino *Henrico Raceburgenſi epiſcopo & ſuo Capitulo de bonis noſtris* in ſuo epiſcopatu tam decimis & manſis, nobis *feudali jure* detentis, amicabiliter convenimus. In terra *Brezen* tribus villis exceptis, ſcilicet *Greſſowe*, *Miriſtorp*, quæ nunc *Honkerken* vocatur, & *Lubimare*, que pro villa *Mandrowe* commutata eſt ut infra ſubjungitur, quas dominus *Henricus Dux Saxoniæ* conſentiente patre meo *Pribizlao* cum omni libertate Raceburgenſi eccleſiæ *ad dotem* epiſcopo ſuperaddidit, medietatem decimæ per totam terram *Brezen* jam dictus Henricus epiſcopus nobis *feudali jure* conceſſit tam de cultis quam de incultis, medietatem vero ſibi retinuit, hoc interpoſito, quæcunque villa tum temporis culta *XII. manſos* haberet vel plures, decimam duorum manſorum præſtare teneretur epiſcopus. Quæ autem villa culta, *minus XII.* haberet tantum unum manſum teneretur epiſcopus. Eccleſias etiam tam fundandas quam fundatas *per totam terram Brezen* epiſcopus dotabit & libere poſſidebit, & idem jus erit in eccleſiis adhuc fundandis. Quarum eccleſiarum nomina ſunt hæc: *Prozeken*, *Beyendorpe*, *Greſſow*, *Honkerken*, *Gneuesmolen*, *Thiderikesbagen*, *Cluze*, *Elmenhorſt*, *Calchorſt*, relicta nobis libera conceſſione *eccleſiarum tam fundatarum* quam *fundandarum in oppido Wismarienſi*. Dedimus etiam domino epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus in qualibet villa de ſupra nominatis *tribus*, quæ ſunt *dos eccleſiæ*, quatuor manſos *liberos* & *abſque* OMNI SERVITIO *Dominorum*, præſentibus & petentibus filiis meis cum domino epiſcopo, cui tantum duas recognovimus in conſecrationem cimiterii *Miriſtorp*, ea vero quæ antea poſita ſunt ordinata, 1222.

dinata, sunt in *Mustyn*. Consensimus etiam ego & filii mei in eo, quod villam quæ vocatur *Mandrowe*, sicut eam filius meus Nicolaus ubique disterminavit, in liberam possessionem episcopo dedimus, hoc excepto, quod homines tantum villæ illius *Borchwerck & Brucwerck* operentur per circulum videlicet *urbis Magnopolensis*. Reliquæ duæ villæ *Miristorp & Gressowe* tali per omnia jure gaudebunt, quod *Borchwerck & Brucwerck* operabuntur & expeditiones sequentur & omnes tres villæ PETITIONES *non dabunt*. De capitalibus autem causis *duæ* partes compositionum *episcopo* proveniant, tertia *Advocato*, pro quo *filius meus* Nicolaus *in beneficio mecum recepit* villam *Lubymare*, unam de tribus quæ pro dote habentur in privilegio Raceburgensis ecclesiæ. Recepimus insuper in beneficio pro villa *Mandrowe*, quicquid decimarum habuit episcopus in villis *Bekeruytz*, *Wathmunde*, *Witzendorp*, *Reymanstorp*. Convenimus etiam in eo, quod dominus episcopus, sua villa excepta, quæ dicitur *villa episcopi*, ab omnibus bonis, quæ sub se tenuerunt tam Laici quam Clerici civitatis Lubicensis, quarum villarum nomina sunt hæc: *Benckendorp*, *Sedborp*, *Johannesthorp*, *Bunstorp* & ALLODIVM prope *Dartzowe*, totius *terræ Dartzowe* medietatem decimæ filiæ meæ & filio suo in feodo concessit, medietatem sibi & ecclesiæ suæ retinuit, hoc interposito, quod in qualibet villa dominus *episcopus* de parte sua *decimam unius mansi* præstabit; concessit insuper episcopus *Nicolao*, *filio meo*, & *filio filiæ meæ Johanni sylvæ*, quæ vocatur *Clutze*, postquam culta fuerit, *duas partes decimarum*, tertiam partem sibi & ecclesiæ suæ retinuit & de tertia parte sua semper decimum mansum *magistro civium* præstabit. Ecclesias vero in *silva Clüze* fundandas DOMINI TERRÆ *de suo beneficio* & EPISCOPVS *dotabunt*, sed episcopus & *jus patronatus* habebit. In silva autem *Tarnevitz* ecclesias fundandas episcopus dotabit, & cui voluerit, præstabit. De decima *Gressowe* terminatum fuit prope villam *Greffowe*, sub *arbore* de silva *Clutze* in ecclesia *Prozeken*. Hujus rei testes sunt Aluericus, Godescalcus, Wichmannus, Præpositi, *Sueberus* sacerdos, Loduicus, Bernhardus Diaconi, Conradus *de Rene* sacerdos, frater Ivo, Reinfridus, Otto Albus, uterque Reinboldus, Volcmarus, *Eilardus de Godebutze* MILITES, Conradus *Advocatus*, Hermannus *Dapifer* & alii quamplures. Datum Raceborg anno gratiæ M CC. XXII. VIII. Idus Julii. Indictione XII.

XXXIII.

Arrestum bonorum & citatio cujusdam Schuttenii coram Episcopo Raceb.

1223. HEnricus Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Raceburgensis universis & singulis dominis divinorum rectoribus, vicerectoribus, capellanis juratis & non juratis ceterisque presbyteris, notariis & tabellionibus publicis quibuscunque in & per civitatem & diœcesin nostras Raceburg ubilibet constitutis, ceterisque præsentibus requisitis salutem in domino! Vobis in virtute sanctæ obedientiæ & nihilominus sub excommunicationis pœna districte præcipientes mandamus, quatenus accedatis, quo ob id merito fuerit accedere, ac arrestetis & sub firmissimo arresti vinculo detineri demandetis omnia & singula bona præmiumque deservitum apud *Dominum Conradum Fresen* plebanum in *Bærzow* existens & existentia ad quendam Hans Schutten, famulum dicti Conradi plebani spectantia & pertinentia, quod & quæ nos etiam ad instantiam *validi viri*, *Joachim Bernstorp*, *armigeri* nostræ diœceseos arrestamus Dei nomine per præsentes inhibentes omnibus & singulis utriusque sexus hominibus, ne se de præmissis quovis modo intromittere præsumant sine consensu & licentia nostra speciali sub excommunicationis & decem florenorum Rhenanor. pœnis.

Citamus nihilominus dictum *Hans Schutten*, omnesque alios & singulos sua in præmissis communiter vel divisim interesse habentes seu habere putantes, quatenus die Veneris post Matthæi Apostoli proxime futuri, *si juridica fuerit*, coram nobis *Schoneberg*, *Stoven*, vel alibi, ubi nos ex tunc in diœcesi nostra Raceburg. *cum curia nostra episcopali residere contigerit*, legitime compareant, causas rationabiles, quare hujusmodi nostrum arrestum non debeat suum sortiri effectum, in contrarium allegaturi, certificantes cum hoc, quod si comparere recusaverint, nos nihilominus in negotio hujusmodi rite procedemus, justitia mediante, ipsorum contumacia sive absentia in aliquo non obstante. Dat. SCHONEBERG die undecima mensis Septembris anno MCCXXIII. nostro sub impresso signato.

(L. S.) Ad mandatum Domini episcopi proprium Joachim. van de Heide notarius.

XXXIV.

Charta Wizislai Rugiæ Principis de donatione plenaria & libertate villæ Putize, item captura de allec seu halecibus sine telonio in usum Præpositi Raceburgensis. (*)

WIcislaus Dei gratia *Rujanorum princeps* omnibus in perpetuum. Quia Deus, Deus inquam justus ultionum dominus, qui non secundum visionem oculorum neque secundum auditum aurium, sed omnia judicat in veritate & justitia, non nostris meritis, sed dono suæ bonitatis & gratiæ nostram miserans injuriam in paternæ possessionis hæreditatem suam nos restituit per gratiam. Devotas 1225.

votas, proinde & ſupplices ei gratias referimus, quod tunc digne facimus, ſi eccleſias Dei ampliare, defendere promovere ad honorem Dei ſtudeamus: quapropter notum facimus omnibus tam fururis quam præſentibus, quod Nos pro animabus patris noſtri & matris noſtræ ſimul & uxoris noſtræ & puerorum noſtrorum Raceburgenſi eccleſiæ *villam Putize* cum ſuis attinentiis, agris, ſylvis, pascuis, pratis, & in aquis liberam piſcaturam, cum omni jure ſcilicet *absque* PETITIONE, *expeditione, Burgwerc & omni angaria libere* donavimus, judicium etiam *colli & manus* & omnem jurisdictionem noſtram in ea Præpoſito Raceburgenſi & ſuis ſucceſſoribus libere remittimus ſub tali forma: quicquid *in villa vel in agris villæ* contigerit, ſi reus *ad mortem* judicandus eſt, noſter eum *advocatus* judicabit; ſi vero componere voluerit totaliter, *præpoſito* componet, in poteſtate tamen noſtra erit & voluntate, utrum reus componat vel damnetur. Villæ quoque terminos ſic diſtinximus, ſupra *ad nemus* terminus erit amnis, qui diſterminat villam Putize, *in nemore* vero terminus erit ſupradicti amnis *parva curvatura*, ubi manu noſtra in arbore quadam ſignum crucis ſecuimus: ab hac arbore terminus erit *fagus quædam*, etiam manu noſtra ſignata & ſic directe, quod vulgo dicitur *Rarecht*, ad magnum ſtagnum *Ribenitz* in amnem quendam *paludoſum*. Supra hos terminos ſupra & infra præſcriptos *ſex jugera*, quod vulgo dicitur *Morgen*, æque ſe in commune nemus in longum extendenti ſupra & infra ad agros, villæ ampliandos ſupplevimus. Volumus etiam & permittimus, quod Præpoſitus Raceburgenſis ac *ſuæ eccleſiæ liberi homines* cum aliis conprovincialibus noſtris in communi ſilva paſcuis porcorum libere gaudeant; quicunque autem & undecunque ſe Præpoſito cum ſuis porcis adjunxerint, de quæſtu nobis ſpecialiter reſpondere tenebuntur. Dedimus etiam eidem eccleſiæ, quantum ad ſua victualia, per omnem terram noſtram liberam capturam *de allec ſine telonio*; & absque moleſtia & impedimento: ac quicunque ſe Præpoſito in hac captura cuiuscunque conditionis homo adjunxerit, de labore ſuo bene gaudeat, & de jure noſtro nobis cum aliis hoſpitibus reſpondeat. Hujus rei teſtes ſunt *domina terræ*, domina videlicet *Margaretha*, *Hermannus* præpoſitus, *Thomas* cappellanus curiæ, & frater eorum, *Wernerus miles*, Henricus miles *de Exem*, NOBILES *duo* SLAVICI *Boranthe* & *Pridibore* frater ejus, *Petrus Burggravius de Barth* & alii quam plures. Datum in Tribuſes anno gratiæ M CC XXV.

(*) Confirmavit hanc donationem *Rudolphus* de BVLOW Epiſcopus Sverinenſis a. 1250. *Rudolphus Dei gratia Epiſcopus VI. prepoſitus ſive Decanus, totumque Capitulum Zverinenſe illuſtri Principi Rujanorum G. orationes in domino cum ſinceræ charitatis affectu. Notum vobis eſſe volumus, quod nos privilegium patris noſtri, Raceburgenſi Eccelſiæ collatum ſuper villa Putitz non cancellatum, non vitiatum, non raſum, non pro aliqua parte ſui invalidum aut infirmum de verbo ad verbum & legimus & perſpeximus in hæc verba: Wizislaus &c.* Quam Rudolphi chartam etiam vide apud *PFEFFINGERVM Hiſtor. Brunsv. Luneb. P. II. p. 225.*

XXXV.

Teſtimonium Rudolphi Epiſcopi & totius capituli Swerinenſis de villa Putize.

RUdolphus Dei gratia Epiſcopus IV. Præpoſitus F. decanus totumque capitulum Sverinenſe illuſtri Principi Rujanorum grat. actiones in domino cum ſinceræ charitatis affectu. Notum vobis eſſe volumus, quod Nos privilegium patris noſtri Raceburgenſi eccleſiæ collatum ſuper villa Putiz non cancellatum, non vitiatum, non raſum, non pro aliqua ſui parte invalidum aut infirmum de verbo ad verbum & legimus & perſpeximus in hæc verba: Wizislaus Dei gratia Rujanorum Princeps cet. 1225.

XXXVI.

Litteræ conventus in Cernentin ad capitulum Raceburg pro impetranda fraternitate & communione precum.

HOnorabilibus viris & diſcretis Præpoſito, Priori totique Raceburgenſis eccleſiæ capitulo *Abbatiſſa* humilisque conventus ancillarum Chriſti *in Cernentin* ſalutem vitæ, quæ nunc eſt pariter & futuræ. Cum ſitis ſpiritualium amatores, veſtris auribus credimus complacere, ſi tantum ſpiritualia poſtulamus. Nihil igitur terreni, nihil, quæ hujus mundi ſunt, vel quæ ad corporum ſuſtentationem pertinent, a Vobis petentes omni, qua possumus, humilitate *fraternitatem Veſtram* requirimus nobis dari, quam cum plenitudine orationum noſtrarum & omnium benefactorum noſtrorum Vobis transmittimus per præſentes; facturi deinceps pro Veſtris mortuis, quod tenemur, cum dies obitus ipſorum Nobis fuerit nunciatus. Super data Nobis Veſtra fraternitate petimus Noſtras Veſtris litteris communiri. *inc.* *anni.*

XXXVII.

De diſtinctione terminorum intra eccleſiam Raceburgenſem & civitatem Lubecenſem.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

ADVOCATVS, CONSILIVM & BVRGENSES in Lubec. omnibus in perpetuum! Quic- 1230.

Quicquid mundus ordinat in præsenti, ne retractetur a posteris scripturarum debet testimonio roborari: Noverint itaque præsentes & discat succesſio futurorum, quod super cauſſa, quæ vertebatur inter dominum Episcopum *Raceburgensem*, Præpositum & conventum ejusdem eccleſiæ & nos super *terminis distinguendis* talis interceſſit ordinatio, videlicet quod termini prædicti Episcopi Præpositi & conventus Raceburgenſis nec non & *marchia civitatis Lubecenſis* & termini hoc modo distinguantur & limitentur; a fluvio videlicet *Breiding* inchoando, in loco, qui dicitur *Heringwic*, ſurſum aſcendendo, donec ad colliculos quondam factos vel foſſos ad eosdem terminos distinguendos, ac a colliculis eisdem aſcendendo, donec ad ſtagnum, quod *Langenſee* vocatur, & in medio ejusdem ſtagni, donec ad paludem, quæ *Langenbrock* dicitur, & per medium paludis ejusdem, donec ad *rivum Ducis* videlicet *Hertzogenbecke* & in medio ejusdem rivi Ducis usque ad *Wokemtiam*: prædicti termini, ceſſante inpoſterum omnis litis occaſione, rationabiliter finem faciant, & eorundem finium terminos limitent & distinguant. Quod ſi partibus utriusque Episcopo videlicet præpoſito & conventui Raceburgenſi, nec non & burgenſibus Lubecenſibus placuerit *cum communi conſenſu* molendinum in eodem rivulo Ducis ædificare, communibus & æqualibus expenſis ædificabunt, reditus & proventus ejusdem molendini æqualiter recepturi. Ut autem hæc ordinatio noſtra rata maneat & ſtabilis perſeveret, mutuis eam ſcriptis roboravimus & ſigillis. Acta ſunt hæc anno dominicæ incarnationis MCCXXX. præſentibus his, quorum nomina: dominus *Godeſcalcus* EPISCOPVS, dominus *Petrus* PRÆPOSITVS *Raceburgenſis*, *Henricus* PRIOR, *Wiggerus* SENIOR, *Theodoricus* CVSTOS, Bernhardus, Wiggerus *junior*, Johannes, Eggehardus *peregrinus*, Wilhelmus PRESBYTERI; Conradus, Henricus, Nicolaus, Rudolphus DIACONI, MILITES *Eggehardus de Culpin*, *Bernhardus de Multzian*, *Henricus Iriſo*, Otto *de Kowale*, Hermannus *de Magder*, *Burchardus Lupus*, Magiſter *de Werben* CONSVLES Lubecenſes Henricus *de Bardewic*, Henricus *Wullenpent*. Helias *Buz*, Olricus *Giz*, Albertus *Stunchoze*, Wilhelmus *Albus*, Bertramus *Stalebuc*, Bernardus *de Ulleſen*, Theodericus *de Hagen*, Borvinus Daniel, Gerhardus *de Heringe*, Johannes *Stallbuc*, Hermannus de *Cremmon*, Meinwardus, Heinricus Græcus, Volcmarus *de Bardewic*, Rodolphus *Wroot*, Helmvicus Henricus de *Bocholt*, Henricus *Stangewole*, Johannes *Flammingus*, Thilhardus *Theodericus*, Johannes *de Saltwele*, Henricus *Vobt*, & plures alii. Datum Raceburg VI. Idus Septembr. indictione Quarta.

de Weſtph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.

XXXVIII.

Gregorii Pontificis Adhortatio, ut epiſcopis Raceburgenſi, Mindenſi & Lubecenſi contra hæreticos in terra Stadingorum (*) auxilium feratur de a. 1233.

GRegorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, Paderburnenſi, Hildeſemenſi, Verdenſi, Monaſterienſi & Osnabrugenſi Epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Clamante ad nos dudum Bremenſi eccleſia contra præfidam hæreticorum, qui *Stedingi* vocati fideles populos regionis illius ferali more lacerant & extinguunt, nos venerabilibus fratribus noſtris, *Raceburgenſi*, *Mindenſi* & *Lubecenſi* epiſcopis, quibus prædicationis officium eſt in diœceſibus veſtris ab apoſtolica ſede commiſſum, mandavimus, quod per easdem diœceſes peccatorum veniam fidelibus pollicendo, ipſos contra præfatos hæreticos concitarent, ut per eorum auxilium illi auctore Deo ad gratiam converſiones accelerent vel in confuſionis foveam deducantur. Ut ergo dicti Epiſcopi plenius & efficacius valeant, quod mandavimus, adimplere, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cum agatur fidei negotium, quod cunctis debet eſſe fidelibus & prælatis præcipue ſpeciale, in eodem negotio dictis Epiſcopis efficaciter adſiſtatis impendentes eis utile conſilium & auxilium oportunum. Datum Anagniæ XIV. Kal. Febr. pontificatus noſtri anno VI. 1233.

(*) Chartas ejusdem Gregorii Pontificis de reconciliatione Eccleſiarum in terra Stedingorum, item de abſolutione excommunicationis Stedingorum de anno 1234. & 1236. vide apud STAPHORST *Hiſt. Eccleſ. Hamb. T. II. p. 20. ſeqq.*

XXXIX.

De dimidia decima in villa Weytendorpe.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis! Amen.

GOdeſcalcus Dei gratia Raceburgenſis eccleſiæ Epiſcopus omnibus in perpetuum. Ex injuncto quidem nobis officio paſtorali, quod nobis commiſit & credidit bonus Paſtor a nobis exigitur omnium Noſtrarum Eccleſiarum ſollicitudo quotidiana: decet tamen inter occupationes, quibus circa eccleſiaſticas promotiones & mundana negotia laboramus & de laboris proventu lætitiam concipimus in Domino, ut in principio lætitiæ noſtræ ſemper *Raceburgenſis eccleſiæ memoriam* proponamus & *fratres* ibi domino ſervientes propenſius diligamus tanquam *filios principales*, ut dum ad alias digredimur actiones, ad eam tamen 1235.

greſſibus debitæ gratitudinis revertamur affectum animi & effectum oporis aliquatenus oſtendendo, ut ſic probatio dilectionis *exhibitione operis* comprobetur. Unde quia iſta temporalia & momentanea non ita debent animum ſuffocare, niſi de ſalute animæ diligentius cogitetur, & in præſenti oportet memorias præparare, quæ in benedictione vigeant in tempore ſempiterno, maxime etiam ea caritate, quæ corda patrum convertit, inducente dilectæ *matris noſtræ Raceburgenſis eccleſiæ filius* pro remedio animæ noſtræ dimidiam decimam in villa *Woytendorp* in provincia *Godebutz* ſita, in agris modo cultis & in terminis ipſius villæ incolendis, cum libera voluntate totaliter & perpetuo aſſignamus, ita, ut quamdiu domino concedente advixerimus, feſtum beatæ *Mariæ Magdalenæ* ſpeciali devotione in ipſa noſtra majori eccleſia agatur cum proceſſione & aliis ſolemnitatibus, quibus ipſam decet venerari, & tunc de proventibus *ejusdem decimæ* cum omni caritate fratribus fideliter miniſtretur. Et *poſt deceſſum noſtrum* eadem conſolatio de dicta decima in diem anniverſarium noſtri obitus commutetur. Ut autem hæc collatio noſtra permaneat immutata & a nullo ſucceſſorum noſtrorum huic facto poſſit contrairi, hanc paginam ſigilli noſtri munimine volumus roborare. Omnes, qui huic donationi præſumſerint refragari, auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apoſtolorum *Petri & Pauli* & domini *Papæ Gregorii Noni*, nec non *ſanctæ Bremenſis eccleſiæ archiepiſcopi* Domini *Gerhardi ſecundi* & noſtræ excommunicationis vinculo, usque ad condignam ſatisfactionem firmiter alligantes. Datum in *Schonenberg*, anno domini M CC XXXV. quarto nono Decembris, pontificatus noſtri anno ſexto. Hujus rei teſtes ſunt *Herricus Præpoſitus de Eldena*, Magiſter *Walterus de Dannenberge* & *Henricus diaconus*, Canonici Raceburgenſes, Johannes *de Lutowe* & Henricus de *Schœnenberge* plebani, Henricus *Friſo*, Conradus de Lauenburg *Walrawen*, Godeſcalcus *de Dechowe*, Wernerus *de Slaubreke* & alii complures tam clerici quam laici.

XL.

Ludolphi epiſcopi donatio.

1236. IN nomine ſanctæ & individuæ trinitatis. *Ludolphus* Dei gratia Raceburgenſis eccleſiæ epiſcopus octavus univerſis Chriſti fidelibus hanc paginam viſuris & audituris ſalutem in via & vitam in patria. Pater Miſericordiarum & Dominus totius conſolationis, cujus miſericordiæ non eſt numerus, humane fragilitati miſerando conſulens diverſa conſulit remedia peccatorum, infirmioribus contemplativam, fortioribus vero viram inſinuans actualem, ſane nos, licet immeriti, in vinea domini ſabaoth, ſummi patris familias vicem gerentes, volumus terram, SORTE *nobis diviſam*, in funiculo diſtributionis in fructus redigere adoptatos. Ea propter mentes fidelium *de Babilonia* idem de amore ſeculi in ſupernam Jeruſalem, ſcilicet in amorem Dei excitare volentes, comperimus ſecundum Auguſtinum, quod nihil adeo terreat tumultuoſam multitudinem demonum, quam *conjors unitas in clauſtro viventium* ſecundum regulam a patribus inſtitutam. Sicut enim ſtultus viator in itinere amena prata reſpiciens obliviſcitur quo tendebat; ita qui ſeculi impliciti ſunt affectibus, a ſuo deviant redemtore. Nos igitur in eminentiori ſpecula conſtituti, qui plus ceteris accepimus ab auctore omnium, metuentes gravius judicari, in vinea domini procuratores exiſtentes, ramos ejusdem vineæ, ſcilicet eccleſie Racisburgenſis in quantum noſtra permiſerit inſufficientia, volumus dilatare, & numerum Domino ſervientium ampliare, ut indies fuerint inclinata, & ſero fructum de negotio nobis credito lucro reportato adoptato denario gaudeamus. Ut autem facta præſentium ad notitiam transeant futurorum, ſub præſentis teſtimonio cedulæ cum ſigillorum munimine omnium notitiæ declaramus, quod noſtra eccleſia, ſcilicet *Raceburgenſis*, *ſterilitatis opprobrii jam oblita*, mater civitatum idem eccleſiarum fidelium Syon conſtituta novam enixa prolem Chriſto perhenni ſponſo filiam alteram feliciter parturivit, intendens & feſtinans ad thalamum ſummi regis cum duabus turmis procedere circum amicta varietate, contra catervas dæmonum terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Hinc eſt ergo, quod nos divina favente clementia de conſenſu & conſilio venerandi patris noſtri domini *Gerhardi ſecundi*, *Bremenſis archiepiſcopi* & ejusdem capituli, Domino quoque *Wiggero præpoſito*, & *Theodoro Priore*, & toto capitulo Raceburgenſi, Domino Henrico Bernhardo, Johanne *cuſtode*, Regnero Ekehardo, Johanne, Bertoldo, Nicolao, Alverico, *ſacerdotibus*; *Domino* quoque Johanne, Henrico, Ludovico, Hermanno, Wigardo, Friderico, *Diaconibus*; Heinrico, Ludolpho, *Subdiaconibus* conſentientibus, & vobis omnibus congaudentibus, nec non & NOBILIBVS DOMINIS *de* SLAVIA, *Domino* JOHANNE, NICOLAO, HENRICO, PRIBIZLAO, FRATRIBVS, ſollicitudinem & operam devote impendentibus, cœnobium ſanctimonialium *ordinis* beati *Benedicti in villa*, *quæ* RHENE *dicitur*, ad honorem Dei & ſue piiſſime matris Mariæ, & beate Eliſabethe, & omnium ſanctorum *fundavimus*, & bonis quibusdam temporalibus *dotavimus*, conſenſu præfati noſtri capituli mediante. In eadem villa, quæ *Rene* dicitur, ſeptimum dimidium *manſum & Cotarios*, *in Banthin* duos manſos, *Glatſowe* dimidiam decimam, *Raducheleſtorp* dimidiam decimam, *Lipſee* quantum ad terram *Godebutz* pertinet, dimidiam decimam, *Amekenhagen*,

hagen dimidiam decimam, *Gribine* dimidiam decimam, *Herbordeshagen* dimidiam decimam, *Bernhardeſtorp* dimidiam decimam, *Johanshagen* dimidiam decimam, *Piviſtorp* dimidiam decimam, excepto JVRE, *quod* BISETINGE *dicitur*, perpetuo aſſignamus. Hæc habita & adhuc per ordinationem divinam habenda, eidem Cenobio præſentis ſcripti teſtimonio confirmamus, Electio autem præpoſiti ejusdem cœnobii erit penes ipſum capitulum, juxta conſuetudinem aliarum omnium eccleſiarum ordinaria libertate. Qua propter habebit *bannum ejusdem villæ, & totius parochiæ* in parochia *Wedewentorp*, bannum etiam *in Wismaria*, omnium eccleſiarum, ibidem accreſcentium & TOTIVS PROVINCIÆ BREZENSIS, *quarum nomina* duximus exprimenda, *Prozeka*, *Honkerken*, *Begenthorp*, *Greſſowe*, *Grevismülne*, *Cluſe*, *Thomasbagen*, *Elmenhorſt*, *Calchorſt*, *Rhüting* & ſi quæ plures *in terra Brezen* accreverint eccleſiæ eidem præpoſito in ratione banni violabiliter aſſignamus. Præpoſito vero *Raceburgenſi* in recompenſationem banni *Rene* & *Wedewenthorp*, bannum duarum eccleſiarum in *Dartzowe* & *Mummendorp* conferimus libertive. Ut autem hæc omnia rata & inconvulſa permaneant, præſentem paginam tam noſtro quam eccleſiæ noſtræ ſigillo duximus roborandam. Nos etiam auctoritate Dei omnipotentis & ſanctæ ſedis Romanæ ſummi *pontificis Gregorii*, nec non Domini *Gerhardi ſecundi* Bremenſis eccleſiæ Archiepiſcopi, & noſtra omnes, qui ipſum locum & loci perſonas aut res earundem, ſive in bonis ſuis mobilibus vel immobilibus, damnis vel injuriis ſive perturbationibus rapiendo, diſtrahendo, calumniam inferendo præſumſerint moleſtare, vinculo anathematis involvimus. Si qui vero præfatum locum aut res loci ejusdem vel perſonas foverint, aut defenſaverint, ſuorum peccatorum indulgentiam & æternæ beatidudinis præmia conſequantur. Hujus rei teſtes ſunt *Thetlevus de Godebuz*, *Godefridus de Bulowe*, & *Johannes frater ſuus*, Gerhardus *dapifer*, *Theodoricus de Bibowe*, *Eckehardus Gallus*, (Hane) Volquinus *de Lanckwedele*, Borchardus *Lupus*, Warthus Alvericus *de Bernekow*, *Leverus de Plüzekow*, Elias *Ruze*, Ravene *de Racisburg*, Otto *de Cowale*, Ekehardus *de Vulpis* (Voſſe) *Thetlevus de Parkenthin*, Henricus *de Crumeſſe*, *Hinricus Ribe*, Druglevus & Engelhardus *fratres de Güſtekow*, Dominus Radolfus Capellanus *de Godebuz*, Jonathas *de Vitelubbe*, Florentius *de Wedewenthorp*, Conradus *de Rene*, Rendagus *de Pokerente*, Ericus *de Sadewaltz*, Magiſter *Conow de Clathze*, Godofridus *de Thomasbagen*, Johannes *de Elmenhorſt*, Johannes *de Wismaria*, Theodericus *de Begenthorp*, Conradus *de Graſſowe*, Theodericus *de Hochenkerken*, Theodericus *de Grevesmülne*, Hinricus *de Dartſowe*, Ludolphus *de Mummendorp*; omnes *iſti ſacerdotes* & alii quam plures tam clerici quam laici. Datum in *Raceburg* in eccleſia beatæ Mariæ ſemper virginis, ſeptimo calendas Januarii anno gratiæ MCCXXXVI. pontificatus noſtri anno ſecundo.

XLI.

Friderici II. Imperat. Confirmatio Privilegiorum & Inveſtitura temporalium bonorum Epiſcopo Raceb. Petro facta.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis!

FRidericus *ſecundus* divina favente clementia Romanorum imperator ſemper Auguſtus Jeruſalem & Siciliæ Rex. Ad promovendum & conſervandum ſalubriter eccleſiarum ſtatum, illius intuitu, cujus nomini ſunt dicatæ, de cujus clementia feliciter imperamus, nec non ut in bonis earum favore noſtro ſervetur integritas, tanto favorabilius inducimur & tenemur, quanto in conſpectu ſummi Regis gratiores efficimur, de cujus bonorum plenitudine recepimus univerſa. Hinc eſt itaque, quod præſentis ſcripti ſerie notum fieri voluimus univerſis, quod cum *Petrus*, *Raceburgenſis Epiſcopus*, dilectus fidelis noſter in conſpectu noſtro ſe præſentaverit, *regalem inveſtituram temporalium bonorum eccleſiæ ſuæ*, ſicut *moris eſt*, pro *parte* NOSTRA & IMPERII de largitione celſitudinis noſtræ ſuſcipiens noſtro culmini ſupplicavit, quatenus perſonam ſuam ſucceſſores ſuos, capitulum, poſſeſſiones, decimas & omnia bona & jura eccleſiæ tam in aquis quam in terris, quæ inpræſentiarum juſto titulo poſſidet, vel in antea poterit rationabiliter adipiſci, ſub *noſtram & imperii* SPECIALEM *protectionem* recipere, & de noſtra dignaremur gratia CONFIRMARE. Nos itaque ſuis juſtis ſupplicationibus clementius annuentes divinæ retributionis intuitu & pro noſtræ ſalutis augmento, *eundem epiſcopum*, *ſucceſſores ſuos*, *capitulum*, *poſſeſſiones*, *decimas*, *omnia bona & jura eccleſiæ*, ſicut ea omnia tam in aquis quam in terris in præſenti juſte noſcitur poſſidere, vel in antea juſto titulo poterit adipiſci ſub *noſtra & imperii* protectione recipimus *ſpeciali*, & eadem de innata ſibi noſtræ majeſtatis clementia confirmamus, quorum quædam propriis vocabulis duximus exprimenda: Terram *Butin* cum ſuis terminis & cum *advocatia ejusdem terræ*, *curias* EPISCOPALES *in terra Raceburg*, *Verchow* cum ſuis terminis, dimidiam villam *Panthen* & inſulam *Campe* cum aquis ſibi pertinentibus, in terra *Wittenburg* Dodowe, in terra *Dartſowe* Biſcopeſtorff, in terra *Brezen* tres villas *Greſſowe*, *Mandrowe & Hohenkerken* cum earum terminis; in terra *Wanninge* villas *Manke & Brezegore* 1236.

cum earum terminis; in terra *Boycenburg* Benin, in SADELBANDIA Putrowe, in *Gamma* tres manſos. Ad uſus quoque capituli in terra Raceburg *Rodemoizle*, *Citene* majus & minus cum ſuis terminis, *Cloteswelde*, *Walegotesvelde* & *Svartenſee*, in terra *Wittenburg* Buzove; in terra *Zverin* Exen cum ſuis pertinentiis. Statuimus igitur & præſentis ſcripti autoritate mandamus, quatenus nullus, princeps *eccleſiaſticus* vel *ſecularis*, DUX, MARCHIO, COMES, ADVOCATUS, MINISTERIALIS, SCHULTZETUS, vel *alius aliquis* OFFICIALIS, nullave perſona *ſublimis* vel *humilis* eccleſiaſtica vel mundana contra præſentis protectionis & confirmationis paginam venire præſumat, & qui præſumſerit in vindictam temeritatis ſuæ pœnam quingentarum marcarum argenti, ſe noverit incurſurum, quarum media pars cameræ noſtræ, & reliqua paſſis injuriam, perſolvatur. Ad hujus itaque protectionis & confirmationis noſtræ memoriam & robur perpetuo valiturum, præſens privilegium fieri & *bulla aurea*, typario *noſtræ majeſtatis* impreſſa juſſimus inſigniri. Hujus enim rei teſtes ſunt venerabiles Sigfridus Archiepiſcopus *Moguntinus*, Conradus *Argentinenſis*, Conradus *Spirenſis* Epiſcopi, Conradus *de Sancto Gallo*, Ulricus *de Murbach* Abbates; Hermannus Marchio *de Baden*, Conradus *Burcgravius de Nürenberg*, Comes *Albertus de Habspurg*, Conradus *de Hohenloch*, Comes *Romaniolæ*, Conradus *de Winterſtædt* pincerna, Henricus *de Pappenheim* imperialis aulæ marſcalcus, & alii quamplures. Signum domini noſtri Friderici Secundi Dei gratia invictiſſimi Romanorum imperatoris ſemper Auguſti Jeruſalem & Siciliæ Regis. Acta ſunt hæc anno dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo triceſimo ſexto menſe Martii, nonæ indictionis imperante domino noſtro Friderico Dei gratia ſemper Auguſto, Jeruſalemi & Siciliæ Rege, Romani imperii ejus anno ſeptimo decimo, Jeruſalemi undecimo, regni vero ejus Siciliæ anno triceſimo ſeptimo. Amen! Datum apud *Hagenowe*, anno, menſe indictione præſcriptis.



XLII.

Præpoſitus Raceburgenſis debet habere bannum eccleſiarum ſcilicet in Darſow & Mummendorff.

1237. LUdolphus Dei Gratia Raceburgenſis eccleſiæ epiſcopus omnibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit ſalutem in Domino. Ut rerum geſtarum memoria per ſucceſſiva temporum labitur ſpatia, humana ſolertia ſibi conſuevit adhibere remedia ſcripturarum. Noſſe igitur volumus tam præſentes quam futuros, quod nos Præpoſito Raceburgenſi *bannum duarum eccleſiarum* ſcilicet *Darſowe* & *Mummendorff* contulimus, in recompenſationem banni in *Rene & Wedewentorp*, quem cœnobio Sanctimonialium in Rhene aſſignavimus perpetuo relinquentes. Ne igitur ullus impoſterum exinde ſcrupulus oriatur præſentem paginam contulimus ſigilli Noſtri munimine roboratam. Datum *Raceburg* in die Johannis evangeliſtæ anno gratiæ MCCXXXVII. pontificatus noſtri anno ſecundo.

XLIII.

Ludolphus Epiſcopus Raceburg. teſtatur, Ottiliam & Berten ALLODIA ſeu patrimonia ſua Eccleſiæ in Bergedorp contuliſſe eaque recepiſſe ab Epiſcopo in FEUDUM, nominatim in molendino duos choros, domum cum AREA & POMERIO aliaque bona poſſeſſa.

1238. LUdolphus Dei gratia Raceburgenſis eccleſiæ Epiſcopus omnibus in Chriſto renatis ſalutem in domino Jeſu! Notum eſſe volumus tam clericis quam laicis, quod nos accepto conſilio *Ottiliæ & Berten* ejus materteræ, quæ *patrimonium ſuum*, quod *de proprio ſuo* emerant & juſta poſſeſſione poſſederant, eccleſiæ in *Bergerdorp* & Deo inibi ſervientibus contulerint ac ſe ipſas divino mancipaverint obſequio, ad vitæ ipſarum ſuſtentationem *in* FEUDO *porreximus* in molendino, quod *Bergerdorp* in *Bilna flumine* conſtructum eſt, *duos choros*, ſcilicet *Wieſcepen*, unum ſiliginis & alterum braccii, & in ipſa villa Bergerdorp *domum cum* AREA, in qua POMERIUM conſiſtit, & *dimidium manſum*, quem emit jam dicta Ottilia a Joanne filio cujusdam feminæ nomine *Rique*, & dimidium manſum in *nova Gamma*, quem emit a *Herweck de Aleberghe* & fratre ſuo. Poſtquam vero feminæ prænominatæ curſum hujus vitæ compleverint, ſupra dicta bona pro ipſarum memoriis eccleſiæ in Bergerdorp & domino ibidem miniſtrantibus ad ſuſtentationis ſupplementum manebunt in perpetuum. Si quis vero huic ordinationi noſtræ contraire voluerit vel attentaverit & prædictas feminas ſcilicet Ottiliam & Bertam, quæ ſe Domini noſtri Jeſu Chriſti ſubdiderunt ſervitio, in *juſto* FEUDO ſuo moleſtaverit vel abſtulerit, anathema ſit & divinæ ſubjaceat ultioni. Teſtes ſunt *Arnoldus* Præpoſitus, *Bernhardus de Hagen*, Bernhardus *Wicherus* diaconus, Heinricus diaconus, Raceburgi Canonici, Alardus cuſtos *Hammenburgenſis eccleſiæ*, Ericus *ſacerdos*,

dos, Henricus *de Lutowe*, Zozelinus *de Hachede*, Otto *Albus*, *Baveno miles.*

XLIV.

De decima quatuor manſorum in Kneſe ob reverentiam in Martyrem Thomam Cantuarienſem donata.

1238. LUdolphus Dei gratia Raceburgenſis eccleſiæ Epiſcopus univerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit ſalutem in domino. Cum labilis ſit hominum memoria & oblivioni dedita & noſtræ naturæ inevitabili exigente debito corporis umbratim decedente, decedat, & memoriæ competit & rationi conſonum eſt, ut Nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepimus a domino, & tanquam in ſpeciali privilegio dignitatis conſtituti donis temporalibus fruebamur, pro noſtri etiam nominis viva memoria plus aliis intendamus & animæ remedia procuremus. Notum igitur eſſe volumus tam præſentibus quam futuris, quod nos ob reverentiam glorioſi martyris & epiſcopi beati *Thomæ Cantuarienſis* in memoriam noſtri *decimam quatuor manſorum in Kneſe*, quæ nobis vacabat, dilectis fratribus noſtris canonicis Raceburgenſibus aſſignavimus perpetuo ſub hac forma: in feſto prædicti martyris beati Thomæ in noſtra eccleſia *novem lectiones & totidem reſponſoria* ſolemniter cantabuntur & ſequentia ad miſſam: *ſalve ſalus languidorum &c.* Et quia labor dulceſcit, dum conſolationis temperies eſt in promptu, prædictos quatuor *manſos decimales* eodem die fratribus ad ſervitium adſignamus. Poſt obitum vero noſtrum in die anniverſario, pro memoria noſtri eosdem manſos fratribus ad ſervitium perpetualiter ſtabilimus. Ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant, præſentem paginam eisdem fratribus contulimus ad munimen ſigilli noſtri nomine roboratam. Anno domini MCCXXXVIII. indictione XII. in vigilia beatorum Viti & Modeſti.

XLV.

De eccleſia in Sclavekeſtorp.

1238. LUdolphus Dei gratia Raceburgenſis Epiſcopus. Omnibus hanc paginam viſuris & audituris ſalutem in via & vita in patriam! Cum ſecundum voluntatem & ætatem temporum hominum memoria ſit debilis & infirma, eaque, quæ geſta ſunt, humana ſolertia ſcripto conſueverit commendare, nos ut facta præſentium ad notitiam tranſeant futurorum, factum noſtrum præſenti ſcripto duximus commendare: Hinc eſt, quod Nos dilectis fratribus canonicis noſtris in Raceburg conſilio & auxilio cum omni benevolentia ſemper adeſſe & prodeſſe juxta debitum volentes, eorumque profectui intendere devote cupientes eccleſiam in *Sclavekeſtorp*, cujus donatio *temporalis* ad dominum *Albertum Ducem Saxoniæ* pertinebat; quam vidilicet donationem & jurisdictionem idem princeps cum omni jure, quod & quantum ad ipſum pertinebat, *Gerungo* ſacerdoti, qui perſona & plebanus legitimus extiterat, cum prompta voluntate ipſam eccleſiam reſignante eccleſiæ Raceburgenſi ad augmentum præbendæ fratrum aſſignavit; ſecundum noſtram jurisdictionem & donationis rationem, quantum ad donum ſpectat *ſpirituale altarium* cum jure ad altare pertinens, & decimas, quæ ad *dotem eccleſiæ* ſpectare videbuntur, cum omnibus, quæ ad noſtram donationem pertineant & a nobis requiruntur, in augmentum præbendæ fratrum noſtrorum aſſignavimus perpetuo obtinendam. Eapropter nos eidem eccleſiæ in futurum cavere volentes, præſentem paginam contulimus ſigilli noſtri munimine roboratam. Datum *Datowe* anno gratiæ MCCXXXVIII. in die Marci Evangeliſtæ, pontificatus noſtri anno ſecundo. Hujus rei teſtes ſunt *Fridericus* Abbas, *Theodoricus* Prior, *Thietericus* Diaconus, *Henricus* Scholaſticus, *Walrawen Otto de Covale*; & alii quamplures.

XLVI.

Alberti Ducis Senioris Saxoniæ de diſtinctione terminorum quorundam Rodemuzle & eccleſiæ Slavkeſtorp & aliis libertatibus conſtitutio.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis!

ALbertus Dei gratia *Dux Saxoniæ* omnibus hanc paginam viſuris & audituris in perpetuum. Divinæ legis juſtitia, quæ poteſtates conſtituit ſeculares, hoc illis quaſi legitimum commendavit, ut ſemper mundanis curis & cauſſis promotiones eccleſiaſticas anteponant, quia exinde ſalus acquiritur animarum & peccatorum remedia cumulantur. Cum igitur *Raceburgenſis* eccleſia a nobis poſtulaverit, ut quasdam poſſeſſiones confirmare vellemus juſtis petitionibus libenter voluimus animum inclinare, omne impedimentum tollentes, quod poſtmodum poſſet contra juſtitiam ſuboriri, decernimus firmiter ſtatuentes, ut villa *Rodemoyzle* eos terminos in longum & latum liberrime poſſideat, quales limites ab antiquis & priſcis temporibus dignoſcitur habuiſſe. Qui termini ſic diſtinguuntur; videlicet in *magno ſtagno* indirectum, quod dicitur *Rarecht*, ad locum, qui dicitur *Holewege*; ab eo ad locum, qui vocatur *Halsbrok*; abinde ad locum, qui vocatur *ad collum*, & exinde *ad montem*, qui diſtinguit terminos inter *Mechow* & *Roſemoyzle*. Concedimus etiam perpetua donatione donantes in *ſilva* noſtra *campove* lectionem lignorum, 1238.

quotiescunque eis commodum & utile fuerit, & piscaturam in stagno *Lentsetowe*. Voluimus nihilominus, ut civitates *Schitene* & *Clotesvelde* simili gaudeant jure, & villa *Schwartensee*, sicut ecclesia ipsa bona hactenus cognoscitur possedisse. Donavimus etiam in supplementum præbendæ fratrum ecclesiam *Slavkbestorp* cum suis attinentiis Geringo sacerdoti, qui persona & legitimus possessor extiterat ipsam resignante & libenter consentiente. Remittimus quoque Præposito & fratribus ecclesiæ, ut in suis bonis judicandi in *minoribus caussis* plenam habeant potestatem. CAPITALIVM vero *caussarum* scilicet *colli & manus*, si reus composuerit *duæ partes* compositionum, cedant *Præposito*, *tertia* nostro proveniat *advocato*. Et in his prænominatis & in aliis eorum bonis & possessionibus hoc volumus, ut in omnibus suis juribus ita demum capitulum gratuletur, sicut in antiquis privilegiis ecclesiæ declaratur. Ut autem hæc nostra confirmatio firma permaneat & in notitiam deveniat, tam præsentium quam futurorum præsens scriptum sigillo nostro dignum duximus roborandum. Hujus rei testes sunt *Wiggerus* Præpositus; *Theodoricus* Prior; *Bernhardus*, Joannes, Eckehardus Sacerdotes ejusdem ecclesiæ; Bernhardus, *filius noster*, Bertramus *pincerna*, Henricus *pincerna*, *Olricus* de *Thune*, Gerhardus *de Lüneburg*, *Ravene*, *Otto* de *Cowale*, Ekehardus *de Culpin*, Theodoricus *de Mathele*, Hermannus *de Mordale*, Conradus Wackerbart, Florentinus *Plebanus de Mulne*; Gerungus *Sacerdos*, Theodoricus *physicus noster*, Everhardus *notarius*, & alii quamplures tam clerici quam laici Raceburg. Datum *in majori ecclesia in choro beatæ virginis Mariæ*. anno gratiæ MCCXXXVIII. decimo octavo calendarum Maji.

XLVII.

De generali libertate, villæ Walegotesfelde & confirmatione ejusdem.

1238. ALbertus Dei gratia *Dux Saxoniæ* omnibus hanc paginam visuris in perpetuum! Si ille altissimus Dominus dominantium, qui potestatem habet in regno hominum &, cui voluerit, dabit illud sua propria dignatione, nobis concessit super filios hominum principari; debemus nostro auctori super suis beneficiis existere, non ingrati, devotionem nostram extendere ad omnia, quæ illi placent, maxime, ut ecclesias & in ecclesiis Deo servientes diligere & fovere bona eorum, ampliare ac defendere, bona voluntate studeamus, ut eo liberius Deo vacare valeant servi Dei, quo melius freti fuerint suo jure & debita libertate. Raceburgensem igitur ecclesiam specialius amplectentes donationem *nobilis Viri*, Domini *Bernhardi* quondam *Comitis senioris in Raceburg* & filiorum suorum, qui villam, quæ dicitur *Walegotesfelde*, olim contulerunt cum omni libertate, scilicet ut immunis sit ab *expeditionibus*, PETITIONIBVS, *Borchwerch*, *Brugwerch* & CETERIS *angariis*, quæ *in* TERRA *fieri* SOLENT. Talem donationem pristinam eidem ecclesiæ confirmamus, & si postmodum ipsa villa in aliquo vel aliquibus passa est molestiam & jacturam in suis pertinentiis; nunc statuentes firmiter præcipimus, ut de cetero coloni dictæ villæ in agris, pratis, aquis, & navalibus quæ nunc possident, pascuis etiam pecorum & porcorum in silvis adjacentibus, cum villis vicinis & parochia necessitati suæ & utilitati consulant, prout sibi viderint fructuosum. In his omnibus prænominatis volumus, ut ecclesia summa gaudeat libertate. Quia vero generatio præterit, & generatio advenit & mortales vergunt cum tempore ad occasum & principum donationes & beneficia circa ecclesias per oblivionem, possint citius aboleri, nisi privilegiis & scriptis ipsarum ecclesiarum indemnitatibus caveant, ut justitiam & gratiam, quam ecclesiæ Raceburgensi impendimus in hac libertate, in villa sæpe memorata, universe sciant tam in præsenti quam in tempore post futuro, factum nostrum, ut omnis quæstio tollatur præsenti scripto & sigilli nostri appensione ad perpetuam firmitatem duximus roborandum. Hujus rei testes sunt: *Bertramus* pincerna, Henricus pincerna, *Gevehardus Olricus*, *Otto Cowale*, Conradus Wackerbarth. Hermannus de *Mortdale* & alii quamplures. Datum anno gratiæ MCCXXXVIII. 3. Non. Martii.

XLVIII.

Guncelinus Comes de Zverin VASALLVM se fatetur Episcopi Raceburgensis & villas suas Bosow, Benin & Dodowe Ecclesiæ dimittit liberas ab omni jurisdictione, BEDA & omnibus exactionibus aliis.

1245. GUNCELINUS Dei gratia COMES de ZVERIN omnibus in perpetuum! Licet universis ecclesiis in statu suo conservando deesse non debemus, illis tamen specialius & abundantius quodammodo liberalitatis debemus gratiam exhibere, quæ *nos* & *progenitores nostros* FEVDORVM *titulis decorarunt*; BENEFICII *accepti* enim meminisse decet & beneficium beneficio compensare, ne si locus fiat, trahatur ex hinc ingratitudinis argumentum. Sciant igitur tam posteri quam præsentes, quod nos domino meo *Raceburgensi episcopo* & suæ ecclesiæ, cujus VASALLVS *existimus*, cum Nos affectu sinceriſſimo semper quasi paternis fovit patrociniis & suis humeris bajulavit, & si quemquam offendere visi sumus paterna pietas hoc indulsit, tantæ gratiæ hactenus impensæ ingrati esse nolentes pro nostris quoque parentumque nostrorum

rum peccatis villas *Boſowe*, *Benin* & *Dadowe* in *noſtro diſtrictu* ſitas, ab *omni jurisdictione noſtra*, quam habebamus in eis vel habere videbamur, liberas dimittimus & quietas, præcavere volentes in futurum, quod in præterito inter nos & dominum meum epiſcopum & dictam eccleſiam ſæpius videbatur occaſio diſcordiam generandi. Nam cum *officiales noſtri* ratione jurisdictionis cujusdam nobis in prædictis villis debite vel ſolite injunctum officium exercerent, ad ulteriora manus extendentes inſolita & indebita exegerunt: unde contra nos orta ſuſpicione de eorum maleficiis dominus meus & eccleſia ſe nobis ſæpius oppoſuit antedicta. Quapropter omnem litis vel jurgii materiam ſedare volentes, prædictas villas quietas omnino clamamus ab omni præſtando nobis *obſequio*, *expeditionibus*, *Bruchwere* & *Borcwerck* ſeu quocunque alio & *omni* PETITIONE SEV *qualibet* EXACTIONE & *judicio* LANDTHINCK *vel* ETTINC; *judicium* etiam COLLI & MANVS & quicquid jurisdictionis in ſæpe dictis villis hactenus habuimus reſervatum, penitus reſignamus. Nulli ergo hominum hanc noſtræ conceſſionis paginam dicto domino meo ſuisque ſucceſſoribus & dictæ eccleſiæ perpetualiter conceſſam, liceat infringere, aut ei auſu temerario contraire, quod ſi quis ſic temerarius exſtiterit per CENSVRAM ECCLESIASTICAM compeſcatur. Teſtes hujus facti ſunt Ludolphus *Raceburgenſis Epiſcopus*, Fridericus Præpoſitus ibidem, Henricus de *Heldena*, Ekehardus *de Rene* Præpoſiti, Thiedericus *Schabmannus*, Henricus *Ribo*, Fredericus *de Everinge*, Fridericus *Haſencop*, Conradus *Wackerbarth*, Joannes *de Bülow*, Henricus *de Cremun*, Engelbertus *de Exen*, Wernerus *junior de Lewenborg*, Rembertus *de Stove*, Rembertus *de Karlow milites* & alii quamplures clerici & laici. Actum *Muſtin* anno incarnationis domini MCCXLV. indictione tertia, domini Papæ Innocentii quarti anno ſecundo.

XLIX.

Guncelinus Comes Zverinenſis cum conſenſu proximorum S. Mariæ & Joanni b. e. Eccleſiæ Raceburgenſi bona in villa Exen offert exemta ab omni exactione & a WETHE excepto judicio manus & capitis.

1245. IN nomine ſanctæ ac individuæ Trinitatis Amen! Notum ſit præſentibus & futuris, quod ego GVNTZELINVS Comes Swerinenſis *conſentiente fratre meo* HENRICO *Comite & omnibus*, *quorum* CONSENSVS *erat requirendus*, obtuli *beatæ Mariæ* virgini & *ſancto Joanni Evangeliſtæ* in Raceburg bona, quæ tenuit *homo meus Henricus* in villa, quæ *Exen* dicitur, obtuli ea cum omni jure in plena libertate *exemta ab omni exactione*, excepto tantum *judicio manus & capitis*, cujus judicii tertia pars *eccleſiæ* cedet, duæ vero DOMINO *terræ*. Ceterum vero ut eccleſia prædicta bona in ampliori libertate poſſideat, ab *evocationis jugo*, (*) que WETHE vocatur, libera dimitto: nam Raceburgenſes comparaverunt ea quadraginta tribus marcis argenti ab eodem jam dicto homine meo Henrico. Quod ut ratum ſit nec ab ullo ſucceſſorum meorum ſeu etiam quocunque homine infringi poſſit, cautum eſt hoc præſenti ſcripto cum appenſione ſigilli domini Raceburgenſis Epiſcopi, mei quoque, ſimulque, ſicut in præſentiarum cernitur fratris mei. Hæc autem acta ſunt teſtibus ſubnotatis tam clericis quam laicis *Wiggero* canonico de *Raceburg Sifrido* plebano de *Boitzenborg*, *Magiſtro Ulrico*, Magiſtro Henrico *de Werthene*, Friderico *de Everincke*, Friderico *de Ursberche*, Nicolao *de Below*.

(*) In tranſumtis legitur *evocationis jure*. Item *revocationis jure*. Rectius *evocationis*. Ad cujus jura in aliis chartis referuntur tria communis obligationis ſervitia, *Landwere*, *Borchwerk* & *Bruckwerk*, defenſio *terræ*, operæ, *caſtrorum urbiumque & pontium*. Vide infra ad a. 1302. 1303. Hoc vero loco indicari videtur *judicium ſexaginta ſolidorum*, ſeu judicium *emendæ*. De quo vide Chartam Henrici Domini Megapolenſis de venditione Servitiorum in villa *Proveſthagen* ad *a.* 1303.

L.

Albertus Dux Saxoniæ teſtatur, Ludolphum de Slavekeſtorp villam Goldenſee jure FEVDI DATI poſſediſſe & hanc donationis titulo iterum ad Albertum & demum ad Capitulum Raceburgenſe tranſiiſſe.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis!

ALbertus Dei Gratia *Dux Saxoniæ*, *Angariæ & Weſtphaliæ* omnibus in perpetuum: Cum a Principe Regum terræ acceperimus principatum & eminentis gloriam dignitatis, convenit ipſius larga beneficia in gratiarum actione nos ita recolere, ut fideliter ſtudeamus eccleſiarum de noſtri ſubſidii liberalitate ſperantium profectibus imminere. Noverit itaque tam univerſitas præſentium, quam fidelis ſucceſſio futurorum, quod cum Raceburgenſe capitulum *villam Goldenſee* a LVDOLPHO *de Schlarvekeſtorp* & fratribus ſuis, ſua pecunia comparaſſet, quoniam eam non poſſet JVSTO TITVLO *poſſidere*, niſi LIBERALITATIS *noſtræ* MVNERE *accedente*, eo, quod dictus *Ludolphus*, *miles*, ipſam 1246.

JVRE

JVRE FEVDALI *teneret a nobis*, & *ejus* (villæ) *ad nos donatio legitime repertineret*, nos tandem dilecti nobis Wiggeri tunc Præpoſiti & dicti Raceburgenſis capituli precibus inclinati potiſſimum pro peccaminum remiſſione noſtrorum, villam prædictam amantiſſimæ matris Dei eccleſiæ in Raceburg nobis ſemper dilectæ ac merito diligendæ ac ejus collegio univerſo, cum omnibus ſuis attinentiis, agris, paſcuis, pratis, ſilvis, aquis, & aquarum decurſibus atque ſingulis pertinentibus ad eandem cum omni jure penitus, *ſicut idem miles & ſui fratres tenuerunt, legitima donatione donavimus* ſine omni contradictione in perpetuum poſſidendam. Hic autem noſtræ donationis proceſſus ſtili caruit declararione atque impreſſione ſigilli usque ad tempora familiaris nobis ac dilecti quamplurimum Præpoſiti Friderici. Hujus rei teſtes ſunt *Ohricus* dictus *Burggravius de Wettin*, Henricus *de Gattersleve*, Otto *de Cowall*, Conradus *Wackerbarth*, Reinardus *de Gline*, Burchardus *de Ramerſtorp*, Joannes *de Trebar*, Otto & Wibertus *de Edenthorp* & alii quamplures. Acta ſunt hæc & ad finem usque completa anno ab incarnatione domini MCCXLVI. IV. Calend. Junii. Igitur ut hanc rationabilem & perfectam donationem noſtram nulla impoſterum valeat abolere vetuſtas, nec aliqua poſſit calumnia depravare ad inſtantiam Friderici Præpoſiti memorati litteram hanc teſtimonialem inde conſcribi fecimus & ſigilli noſtri munimine inſigniri.

LI.

Permutatio quatuor manſorum decimæ in villa Moltzan pro totidem manſis in villa Camin, quam Bernhardus miles jure feudi DATI & INALIENABILIS poſſederat, nunc vero in feudum improprium & alienabile convertere & venditione in alios transferre ſategerat.

1246. LVdolphus miſeratione divina *Raceburgenſis Epiſcopus* omnibus præſentem paginam inſpecturis ſalutem, in eo, qui ſalus eſt omnium. Quia grave nimis eſt teſtante ſcriptura & divina dignum animadverſione habetur, quod *laici* quidam, quod *ſacerdotum* eſt in eccleſiaſticis rebus uſurpant & detinent injurioſe, pia conceſſit mater eccleſia cum dicti laici per impendens periculum animarum *reſtituere renuant*, *uſurpata* recuperari liceat etiam *redimendo*. Hinc eſt, quod notum volumus eſſe, quod cum dominus Bernhardus *miles* dictus, decimam quatuor manſorum jacentium ad dictam villam *Camin*, quam *in* FEVDVM tenebat, ILLICITE *alienare* TITVLO VENDITIONIS omnibus modis *intendebat*, nos attendentes, eſſe a domino inſtitutum, ut ad eos ſpectet omnis decima, qui typum Levitici generis gerere compro-bantur, admiſimus, ut dominus Bertoldus Raceburgenſis eccleſiæ canonicus operis ipſius eccleſiæ curam gerens de denariis operis compararet, ne periculoſe ulterius in laicum transferretur, perpetualiter concedendo ad ſtructuram monaſterii de *dictæ decimæ proventibus* reſtaurandam. Sed quia propter præfatæ villæ nimiam diſtantiam difficile eſt perexiſtenti operi eccleſiæ decimam colligere tam remote, in totidem manſorum decimam in villa *Multſan* dimiſimus, pro eisdem nobis piorum manſorum decimam retinendo. Teſtes hujus rei factæ ſunt Præpoſitus, Prior, totumque Raceburgenſis eccleſiæ *capitulum*, Johannes *ſacerdos de Nuſce*, *Theodoricus Scackemannus*, Hermannus de *Blüchere*, *milites*, & alii quamplures tam laici quam clerici. Datum in *Campen* anno domini MCCXLVI. pontificatus noſtri anno decimo.

LII.

De eo, quod præpoſitus Raceburgenſis debeat habere bannum in SADELBANDIA & in Gamma.

L*Udolphus* Dei gratia *Raceburgenſis eccleſiæ epiſcopus* omnibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit Salutem in domino. Ne rerum geſtarum memoria per ſucceſſiva temporum labantur ſpatia, humana ſolertia ſibi conſuevit adhibere remedia ſcripturarum. Sciant igitur ſinguli & noverint univerſi, quod nos dilecto in Chriſto filio domino *Friderico* Præpoſito Raceburgenſi & ſuo ſucceſſori *curam banni in* SADELBANDIA & *in Gamma*, quam dominus ARNOLDVS *de Bergertorp* frater ordinis noſtri pro tempore tenuit, de permiſſione ſui Præpoſiti Raceburgenſis videlicet aſſignavimus gubernandum. Ne igitur per alicujus circumſcriptionis ambiguum ei nocere valeat in futurum, præſentem paginam eidem contulimus ſigillo noſtro roboratam. Datum Raceburg. XVI. Kal. Junii, anno gratiæ MCCXLVII. pontificatus noſtri anno undecimo. 1247.

LIII.

De donatione bonorum villæ Campow, quam jure feudi BENEFICIATI Bertif cum filiis tenuit, nunc vero Domino & Largitori reſignavit, qui hanc villam iterum eodem FEUDI titulo confert Eccleſiæ Raceb. reſervatis ſibi ſervitiis ſecundum Jus Provinciale.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis!

A*Lbertus* Dei gratia *Dux Saxoniæ & Weſtphaliæ* omnibus hanc paginam inſpecturis in 1252.

in ſalutis auctore ſalutem. Quæcunque ad commodum & profectum eccleſiarum de noſtra liberalitate ſperantium domino favente diſponimus, expedit, ut ea contra varios futurorum incurſus validi, firmitatis noſtræ cuſtodia muniamus. Notum igitur eſſe volumus tam præſentis quam futuri temporis Chriſti fidelibus univerſis, quod, cum *omnia bona* in villa *Campowe*, quæ *Bertif a* NOBIS tenuit *jure* FEVDALI, nobis idem *Bertif & filii ſui reſignaſſent*, nos liberaliter *eadem bona* ob honorem Dei & ſanctæ matris ſuæ, eccleſiæ b. Mariæ in Raceburg *eo jure*, quo *ſupradictus Bertif a nobis tenuit*, cum omnibus attinentiis ſuis perpetuo *libere dimiſimus poſſidenda*; præter *ea jura* quæ prius habuimus in eadem villa videlicet *ſervitia de ſex manſis ſecundum* COMMVNIA TERRÆ JVRA, quæ nobis *libere duximus reſervanda*. Hujus rei teſtes ſunt dominus *Wiggerus* Raceburgenſis Præpoſitus *Volkwing* ejusdem eccleſiæ Canonicus, Olricus Burggravius *de Wetin*, Burchardus *de Zwegen*, Reinerus advocatus *de Raceburg*, Zabel *de Lüneburg*, Sifridus *Advocatus de Lowenborch* Wilhelmus *Cappellanus* & alii quamplures. Acta ſunt hæc anno domini MCCLII. prid. Id. Septembr. Ut igitur hæc noſtra *donatio* rata ſemper maneat & ab omni inquietudine inviolabilis perſeveret, litteras has teſtimoniales inde conſcribi fecimus & ſigilli noſtri munimine inſigniri.

LIV.

De reditibus ad lumen in medio monaſterii deputatis, & aliis ad infirmariam fratrum præſtandis ex VI. manſis a Johanne de CAMIN, Vaſallo, FEUDI conceſſi ſeu beneficii jure poſſeſſis.

1256. FRidericus Dei gratia *Raceburgenſis Epiſcopus* univerſis & fidelibus, ad quos hoc ſcriptum pervenerit in domino ſalutem! Quæ geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, ſcriptis & teſtium ſignis memoriæ ſolent æternaliter commendari. Noverint igitur univerſi præſentis temporis & futuri, quod nos *Henrici*, notarii noſtri, plebani in *Proceken* devotionem, quam circa eccleſiam noſtram habet, attendentes, ut ſui memoriam & matris ſuæ in eo de proprio faciat, de conſenſu capituli noſtri eidem *decimam trium manſorum* in *Grambow* & trium in *Torbore* pro ſexaginta marcis denariorum ad tempora vitæ ſuæ porreximus, ita tamen, quod mater ipſius, ſi dictum Henricum prius mori contigerit, duorum manſorum in Torbore, quamdiu vixerit, *in beneficio habebit*, & poſt mortem utriusque videlicet Henrici matris ſuæ, unum manſum in Torbore ſolvet eccleſiæ *ad lumen in medio Monaſterii* in honorem & venerationem ſanctæ crucis ut exinde memoria noſtra habeatur; alii vero quinque manſi ad infirmariam fratrum cedent, ut memoria ejusdem Henrici & matris ſuæ pro his in eccleſia perpetuum habeatur. Prædicti ſiquidem manſi ſex poſt mortem *Johannis* dicti *de Camin*, FIDELIS *noſtri*, qui *eos a nobis* in FEVDO tenuit, ad nos LIBERE REDIERVNT: unam gratiam intuitu tali eisdem Henrico & matri ſuæ duximus liberaliter concedendam. Ut autem ordinatio hæc noſtra rata permaneat & inconvulſa præſentem litteram eidem Henrico contulimus ſigilli noſtri & capituli munimine roboratam. Teſtes hujus rei ſunt & præſentes erant *Wikerus* Præpoſitus, *Wolquinus* prior, Henricus & Joannes *de Lüneburg* eccleſiæ noſtræ *canonici*, Florinus *canonicus*, Clahoſten *Magiſter*, Nicolaus *ſcholaſticus Zvermenſis* & alii quamplures. Datum *Schœnenbergæ* anno domini MCCLVI. pontificatus noſtri anno ſexto, idus Julii.

LV.

De commutatione quarundam villarum & decimarum a fidelibus quibusdam Epiſcopi hactenus in FEUDO poſſeſſarum &c.

1257. FRidericus Dei gratia *Raceburgenſis Epiſcopus* univerſis, ad quos ſcriptum præſens, & fidelibus ſalutem in domino. Notum eſſe volumus, quod cum dilecti nobis in domino Præpoſitus & capitulum noſtrum quandam commutationem in bonis ſuis cum prædeceſſore noſtro felicis recordationis *Ludolpho Epiſcopo* feciſſent commodam utrobique, ut atteſtatione ſcripti noſtri cum ratificatione conſenſus hæc munirentur, eis

præſentem paginam contulimus ſigilli noſtri munimine roboratam. In terra *Boytin* villas *Raſtorpe* & *Crebetheſthorp*, in qua etiam, quod *quidam* FIDELES *noſtri*, *Nameko* & *filii ſui* a nobis *in feudo habuerunt*, ipſis dimiſimus libere, has duas villas pro villa *Malſowe* prope *Dartſowe* in communicationem receperunt: in terra *Wittenburg* pro decima in *Nienkerken* decimam in *Camin*; pro quatuor manſis in *Dethin* alios quatuor manſos in *Zſure*. Adjecimus & eisdem ex mera liberalitate, quicquid decimarum *Bernolfus & filii ſui*, in villa *Campove* a nobis in FEVDO tenuerunt. Datum in Werchowe anno domini MCCLVII idus Julii per manum Volquini Prioris eccleſiæ Raceburgenſ. Hujus rei teſtes ſunt Wiggerus Præpoſitus, Wolquinus Prior, *Bernhardus de Leeſten* ſacerdos, cappellanus noſter *Johannes Nutſee*, Jahann *de Colonia*, Heinr. *notarius* noſter, *plebanus* in *Porceken*; Jordan *miles*, *frater noſter* & alii quamplures clerici & laici.

LVI.

Vlricus Epiſcopus Raceb. a Helena Duciſſa Saxon. ejusque filiis terram Boytin ſibi & Eccleſiæ acquirit pro 1300. marcis Lubecens. ita tamen ut ad dies vitæ ſuæ in his bonis habeat majores cauſas & MEDIAM PETITIONEM ſeu Bedam integraliter.

1261. VLricus Dei gratia *Raceburgenſis Epiſcopus* univerſis Chriſti fidelibus ſalutem & gratiam Jeſu Chriſti. Recognoſcimus & præſentibus proteſtamur, quod nos per *abſolutionem terræ* BOYTIN obligavimus nos dominæ *Helenæ Duciſſæ Saxoniæ* & filiis ejus *Johanni & Alberto*, pro *nobis* & *pro eccleſia in mille & trecentis marcis monetæ Lubicenſis*, propter quod, quicquid juris Præpoſitus & capitulum habuerunt *in majoribus cauſſis*, nobis temporibus vitæ noſtræ *cum* MEDIA *petitione in bonis ipſorum integraliter dimiſerunt*. Nos vero *poſt mortem noſtram* pro remedio animæ noſtræ eidem eccleſiæ remittimus, cui grati ſemper eſſe volumus, quicquid poſſunt ſibi juris ſecundum ſua privilegia vendicare. Ut autem hæc noſtra ordinatio firma permaneat, nec ab aliquo ſucceſſorum noſtrorum valeat immutari, præſens ſcriptum cum ſigilli noſtri appenſione duximus roborandum. Acta ſunt hæc *Raceburgi* anno gratiæ MCCLXI. XV. Kalend. Auguſti pontificatus noſtri anno quarto.

LVII.

De decima duorum manſorum in Breſen.

VLricus Dei Gratia Raceburgenſis Epiſcopus omnibus in perpetuum. Ab humana citius labuntur memoria, quæ nec ſcriptis nec teſtibus æternantur. Noverint igitur univerſi præſentis temporis & futuri, quod nos ob reverentiam *beatæ Margarethæ* virginis, eccleſiæ Raceburgenſi duorum manſorum decimam *in villa* BRESEN, quæ ad nos ſpectabat, contulimus perpetuo libere poſſidendam, ut ipſius memoria tanto ſolemnius & devotius ſingulis annis in *novem lectionibus* peragatur. Et ut hæc noſtra collatio rata permaneat, nec ab aliquo ſucceſſorum noſtrorum valeat immutari præſens ſcriptum in ipſius facti evidentiam ſigillo noſtro fecimus communiri. Datum Raceburgi anno gratiæ MCCLXII. Nonas Maji pontificatus noſtri anno tertio. 1262.

LVIII.

Hartwici Archiepiſcopi Bremenſis ad Epiſcopos Raceburgenſem, Sverinenſem & Lubecenſem Literæ excitatoriæ, ut Epiſcopi harum provinciarum uniti ſint cum ſuo metropolitano ad tenendum & exequendum in vicem ſententias latas, etiam prævia metropolitani confirmatione illas quæ in NOBILES (*) & ILLVSTRES lata ſunt.

OMnibus Chriſti fidelibus præſentia audituris *Hartwicus* Dei gratia ſanctæ *Bremenſis eccleſiæ Archiepiſcopus Vlrico* Raceburgenſi, *Hermanno* Sverinenſi, *Borchardo* Lubecenſi Epiſcopis ſalutem in domino Jeſu Chriſto! Non absque cordis dolore & plurima perturbatione didicimus, quod eccleſiaſtica diſciplina & libertas eccleſiarum ita plerumque in partibus provinciæ noſtræ diſſolvitur & penitus enervatur, quod clerus malefactoribus ſuis paſſim ſuſtinet & injurias & rapinas, ita quod nequaquam valeat reſpirare a gravaminibus, quæ 1268.

ipſi

ipſi indebite inferuntur, & preſſuris; nec vix aliquis invenitur, qui pro vivenda juſtitia murum defenſionis ſe opponat. Vnde Præpoſiti eccleſiarum magnis uniri debent & conſurgere contra tales, quo plus his diebus furor humanæ pravitatis contra clerum & eccleſias fortius inardeſcit. Hinc juſto rei merito ſvadente his noſtris litteris ſigillorum noſtrorum munimine roboratis recognoſcimus fideliter & fatemur, quod convenientibus nobis & de neceſſitatibus eccleſiarum noſtrarum tractantibus inter nos deliberatione provida ſic convenit & ſic uniti ſumus, quod quilibet in invicem debeamus tenere noſtras ſententias & exequi, dum *ab earum latore* fuerimus *requiſiti*, niſi in *nobiles*, *ſpectabiles* & *illuſtres ferantur*, quas, poſtquam a *metropolitano* fuerint *confirmatæ*, ipſo mandante fideliter exequemur. Nos Archiepiſcopus & dicti Epiſcopi ſententias interdicti Archidiaconorum & excommunicationis absque cauſſæ cognitione non relaxabimus. Similiter in aliis, quæ ſtatuimus, procedemus, prout in alia littera noſtra ſtatuta plenius continente continetur. Datum Stadæ VIII. Kalend. Novembr.

(*) Vide infra *ad a.* 1292. Edictum Gyſelberti Bremenſis Archiepiſcopi.

LIX.

Conſtitutiones Synodales Cardinalis Gvidonis, præcipue de perſonarum eccleſiaſticarum vita juſte, ſancte & decore inſtituenda, de vitando concubinatu & matrimonio in gradu prohibito, de reſtitutione bonorum eccleſiaſticorum, de ultione privata, de vitio Simoniæ, de libera teſtandi facultate ſine ſolennitatibus Juris STATVTARII, ſpeciatim Lubecenſis, de homicidio, civili & eccleſiaſtica, non vero capitali pœna expiando, de ſanctitate templorum & Monialium vita ſociali &c.

1266. FRater *Svido* miſeratione divina eccleſiæ ſancti Laurentii in Laterano *presbyter Cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus* ad perpetuam rei memoriam. Humanæ naturæ ſauciata conditio, quam hoſtis antiqui invidia gratuitis ſpoliare & in naturalibus vulnerare fraudulentibus conatibus elaborat, ligamenta quærit ſalutarium ſtatutorum: infuſionem quoque olei per quod pungitiva correctio vel increpatio figuratur, ſicut in evangelio in homine, qui deſcendit ab Jeruſalem in Jericho ac incidit inter latrones, pro ſchemate declaratur: Hinc eſt, quod cum dominus noſter ſummus Pontifex vicarius Jeſu Chriſti nos ad *Bremenſem provinciam* cum plenæ *legationis officio* duxerit deſtinandos, ea libenti diligenti animo cogitamus, ordinamus atque ſtatuimus, quæ libertati eccleſiaſticæ conveniunt, animarum ſaluti proficiunt, finem imponunt vitiis, remiſſionem peccatis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam: Verum cum expedit, ut ſacramenta eccleſiæ, in quibus tanquam in vaſis medicinalibus populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere conſvevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur; cum ea plerunque contingat effici vitia propter vilem ac abominabilem miniſtrorum converſationem: univerſis perſonis eccleſiaſticis provinciæ memoratæ diſtricte præcipimus, ut in *victu*, *veſtitu*, *geſtu* ac *aliis operibus* ac circumſtantiis ſtatus ſui ſic honeſte ſe habeant & decenter, ne propter ipſos nomen eccleſiaſticum inter laicos blasphemetur; eisdem imprimis diſtrictius inhibentes, ne de nomine crucifixi inimicos ſe faciant crucis extra, ſicut illi, quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, non divina; in conviviis ſuis modeſtiam & mediocritatem ſervent ſuperfluitatem indebitam reſecantes, ebrietatem omnem vitiorum fomitem & nutricem devitent; Prælati vero a *gravaminibus abſtineant ſubditorum*, & maxime, cum eccleſias viſitant, moderentur expenſas, coerceant evectionum numerum, ut in generali concilio exiſtit definitum, ſibi & gregi ſuo taliter intendentes zelatores, juſtitiæ & modeſtiæ amatores, generaliter omnium ſectatores bonorum operum oſtendantur. Præſentis igitur concilii approbatione præcipimus, continenter & caſte vivere ſtudeant, ut puro corde & mundo corpore Deo poſſint in officio eccleſiaſtico miniſtrare: Si qui autem de cætero comprehenſi fuerint detinere *publice Concubinas*, niſi per admonitionem ſeſe ab eis & earum conſortio ſeparaverint, ita ut in domibus ipſarum aut propriis aut aliis quibuscunque cohabitent, nec ad illas accedant, ex tunc omni

beneficio ecclesiastico censemus esse privandos, & per eos, ad quos dictorum beneficiorum spectat collatio, personis idoneis conferantur, illis exceptis, quæ nostræ collationi duxerimus reservanda: illi vero, qui *subdiaconatibus aut aliis superioribus ordinibus* insigniti *fornicariam aliquam* sub uxoris legitimæ specie quoquomodo sibi præsumserint de facto matrimonialiter copulare, omni officio & beneficio ecclesiastico perpetuo sint privati & sicut ob culpam plexi ejus posteritas legitur condemnata, sic pœnam talibus infligendam in progeniem, quæ *de coitu sic damnato nascetur* duximus protrahendam, statuentes, ut filii, qui tali copula fuerint procreati nec non & matrimonia, quæ *tam incestuosum & sacrilegium connubium* duxerint eligendum, ab *omnibus bonis eorum mobilibus & immobilibus* habeantur alieni, & quicquid eis fuerit, ab ipsis relictum in morte vel in vita donatum inter Episcopum & communitatem loci ejusdem æqualiter dividatur, *præfatos vero filios nota semper infamiæ* comitetur: & quia sicut intelleximus aliqui Prælati, tales in scandalum totius ecclesiæ in suis iniquitatibus & immunditiis obtenta pecunia confovent & defendunt, qui eos deberent a suis iniquitatibus & immunditiis ex injuncto sibi officio revocare, excommunicamus in scriptis & publice anathemisamus omnes illos tam clericos quam laicos, tam Prælatos quam subditos, tam majores quam minores; & medicos, qui ejusmodi cohabitatores sive clam sive palam in suis iniquitatibus præsumserint defendere, nec non & illos, qui præstabunt consilium & auxilium, opem vel operam, quo minus observetur istud nostrum salutare statutum, quod legi præcipimus singulis annis in synodis episcopalibus & provincialibus, ne aliquis prætextu ignorantiæ se valeat excusare: illi vero sive laici sive clerici fuerint, qui de cætero filias, sorores aut cognatas personis in sacris ordinibus constitutis sine ratione matrimonii, quod multi errore cœcati fieri posse credunt, ut dicitur, se *ratione concubinatus* duxerint concedendas sive mediatores exstiterint aut fautores, introitum ecclesiæ sibi noverint interdictum. Si vero aliqui clerici spiritu tanti furoris arrepti fuerint, ut in Prælatos suos vel alios, quos ad exequendum salubre statutum contigerit deputari, præsumant insurgere aut se in sua turpitudine viribus temporalibus defendere; si autem nonnulli illorum jam feciſse dicuntur, ipso facto officio & beneficio ecclesiastico sint privati, nec restitui valeant, nisi cum eis per sedem apostolicam fuerit dispensatum. Et cum in plerisque locis quorundam iniquitas in tantum invaluerit, quod in rebus ecclesiæ furtum reputatur sagacitas, rapina probitas & violentia fortitudo; synodali judicio definimus, ut, qui bona ecclesiarum scienter detinent occupata, nisi infra instantem quadragesimam eadem restituerint, ac de damnis & injuriis satisfecerint competenter, ex tunc introitum ecclesiæ sibi noverint interdictum, nec ab episcopis aut aliis ecclesiarum Prælatis ad communionem dominici corporis admittantur: qui vero obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curaverint, nullus clericus secularis vel regularis sepulturæ ipsorum interesse præsumat, adjicientes, ut singulis annis in synodo illi, qui clericos capiunt, verberant vel occidunt aut alio modo manus in ipsos injiciunt violentas, excommunicati denuncientur; & nominatim illi, de quibus constiterit manifeste. Quicunque vero personam ecclesiasticam enormiter vulneraverit, mutilaverit vel occiderit aut captivaverit, non nisi per sedem apostolicam absolvatur, ac ipso facto beneficium, si quod tenebat, illud perdat, & res suæ in utilitatem ecclesiæ commutentur, adjicientes, quod in illa diœcesi, in qua aliquem canonicum cathedralem ecclesiæ ut in dignitate ecclesiastica constitutum *capi, mutilari vel* OCCIDI contigerit *vel captum detineri*, usque ad *liberationem ipsius & exhibitionem* DEBITÆ SATISFACTIONIS cessetur generaliter a divinis; similiter & in ipsa parochia, in qua res clericis violenter ablatas capi vel detineri contigerit, *usque ad restitutionem & satisfactionem congruam* a divinis cessetur. Item cum *matrimonium sacramentum* non sit incontinenti præcipitium seu potius remedium contra illud, non absque dolore cordis audivimus, quosdam in hac provincia sic a suæ carnis voluptate & terrena cupiditate deceptos, quod in *gradu probi-*

prohibito de facto temere contrahentes, quod non tam *matrimonium* quam *contubernium* dicitur, se inceſtuoſæ luxuriæ vilitatem immergere ac ſacramentum matrimonii, quantum in ipſis eſt, polluere non verentur. Nos itaque tantum exceſſum conniventibus oculis pertranſire nolentes, ſub pœna excommunicationis diſtrictius prohibemus, ne *absque diſpenſatione ſedis apoſtolicæ* tale de cætero matrimonium ſeu contubernium contrahatur, alioquin ſacerdotes, qui tales conjunxerint a ſacerdotali officio noverint ſe eſſe ſuſpenſos: illi vero, qui ſic ſcienter permiſerint ſe conjungi, ipſo facto ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendantur; ſub eademque pœna illis, qui jam absque diſpenſatione ſedis Apoſtoliæ *tale matrimonium contraxerint*, diſtricte præcipimus, ut a cohabitatione in vicem abſtinentes Diœceſano ſuo ſeu alteri Prælato, ad quem de jure vel conſuetudine pertinere dignoſcitur, talium cauſſarum cognitionem rei veritatem inſinuare non tardent, qua vocatis, qui vocandi fuerint, ac cauſſa diligenter examinata, quod canonicum fuerit, ſtatuat, faciens per *cenſuram eccleſiaſticam* inviolabiliter obſervari. Epiſcopi vero ſeu alii Prælati *de cauſſis matrimonialibus cognoſcentes* omnino caveant, ne cupiditate devicti non ſolum dirimenda haud dirimant, verum etiam ſeparanda integrare prætextu pecuniæ vel alterius commodi non præſumant. Si quis autem contra hoc venire præſumſerit interdictum; eo ipſo ſe noverit officio beneficioque privatum. Laici vero, qui de pœnis conferendis perſonis convictis in cauſſa matrimoniali ſeu accuſationibus ſe intromiſerint, cum ad ipſos non pertineant, ſed ad judicem eccleſiaſticum, compeſcantur: cum ex hoc multi ab accuſatione matrimonii retrahantur. Item cum detentores plurium perſonatuum vel dignitatum ſeu beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura, ſint ſacrorum canonum transgreſſores, ac fructus talium beneficiorum percipiendo furtum commitere dignoſcantur; præſenti decreto ſtatuimus, ut omnes, qui hujusmodi dignitatum, perſonatuum vel beneficiorum cum cura, bona aut libertatem retinent, & ſuper hoc diſpenſatum ſecum fuiſſe coram nobis infra proximam Quadrageſimam non doceant manifeſte; aut ſi cum eis non fuerit diſpenſatum, eligant ſibi *unum de prædictis beneficiis retinendum*, & alia infra terminum memoratum libere *in manus eorum reſignent*, ad quos illorum collatio dignoſcitur pertinere: alioquin ex tunc ab omnibus eccleſiaſticis beneficiis, dignitatibus ſeu perſonatibus ſe noverint eſſe privatos: præcipimus autem illis, ad quos ipſorum beneficiorum dignitatum vel perſonatuum collatio pertinet, ut aliis perſonis idoneis eadem conferant & aſſignent: quod ſi intra terminum determinatum a jure hoc adimplere non curaverint, ad proximum ſuperiorem collatio devolvatur. Item cum judiciorum vigor jurisque publici tutela ſit in medio conſtituta, ne quis ſibi ſumere audeat ultionem, præſenti decreto ſtatuimus, ut, ſi quis aliquid, contra quemcunque clericum vel laicum de jure competere crediderit, nequaquam *in ipſum ſponte inſurgere* aut res *ejus propria temeritate occupare* præſumat; ſed ipſum vocari faciat *coram judice competente*: adjicientes, quod ille tanquam *contumax* puniatur, qui, ne ad ipſum citatio perveniat, inferendo minas vel injurias præſumſerint impedire. Item cum ad aures noſtras quorundam laicorum graves exceſſus pervenerint, qui *eccleſias parochiales* de facto detinent contra canonicas ſanctiones, niſi infra proximam nativitatem domini libere & abſolute dimiſerint ipſos, excommunicamus in ſcriptis; diſtricte præcipientes, ut illi, ad quos *prædictarum eccleſiarum ordinatio* pertinet, ex tunc perſonas idoneas inſtituant in eisdem. Item cum eccleſia, in quam fideles ad audiendum divina conveniunt, *domus ſit orationis & non negotiationis* nec *ſpelunca latronum*, nec *locus armorum ſeu materialium*, *gladiorum*, ut quicunque ad eccleſias ad audiendum divina convenerint, infra ipſas vel coemiteria earum hujusmodi arma non inferant; *ſed extra dimittant*, cum tales *Judæis ſimiles videantur*, *qui ad capiendum Chriſtum cum gladiis & fuſtibus convenerunt*: transgreſſores hujus ſtatuti per excommunicationis ſententiam compeſcantur. Item, cum ſicut perpendimus BREMENSEM viſitando *provinciam*, homines *ejusdem provinciæ ad committendum*

HOMICIDIVM *proni ſint &* PROCLIVES; volentes refrenare nequitiam, ut inter improbos tuta ſit innocentia ac malignorum cœrceatur audacia, præſenti decreto ſtatuimus, ut quicunque laicus in publico hominem occiderit, *privatam pœnitentiam agat ſimiliter & catenis ligetur*, & ſecundum arbitrium diœceſani ſui alioquin eccleſiaſtica *careat ſepultura*, niſi forte jam incepta pœnitentia morte ſit præventus; nihilominus præcipientes ſub pœna excommunicationis judicibus ſecularibus, ſub quorum jurisdictione *homicidium a laicis* contigerit perpetrari, ut homicidas requirant & eos puniant ſecundum *legitimas ſanctiones*, ut ſi quis eorum negligens apparuerit per diœceſanum Epiſcopum auctoritate hujus concilii per cenſuram eccleſiaſticam compellaturi. Item, ſicut intelleximus fama crebreſcente, quod *beneficia eccleſiaſtica* a nonnullis Prælatis hujus provinciæ per *vitium Simoniæ* conferantur; nos igitur hujusmodi morbo peſtifero congruum remedium adhibere volentes diſtricte præcipimus, ne id de cætero fiat; & omnis morſum conſcientiæ habens ſuper beneficio per Simoniam dato vel accepto, illud infra inſtans paſcha reſignet; qui Simoniace recepit & qui obtulit, poenitentiam agat, & ſi quid pro eo recepit, reſtituat; alioquin utrumque, dantem ſcilicet & recipientem, ex tunc excommunicationis vinculo innodamus. Item ſtatuimus, ut unusquisque *liberam teſtamenti factionem* habeat & liberam taſtandi facultatem non obſtantibus quibuscunque ſtatutis per quoscunque editis, videlicet quod non valeat teſtamentum, niſi fiat *præſentibus* CONSVLIBVS *vel* LAICIS *aliquibus de* IPSO MVNICIPIO *vel loco teſtuntis:* cujusmodi *ſtatuta decrevimus nullius fore momenti*, quæ aboleri præcipimus & abradi. Conſervatoribus etiam hujusmodi ſtatutorum & aptatoribus eorundem, niſi reſipuerint, introitum eccleſiæ denegamus ſub eadem interminatione injungentes eisdem, ut etiam ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem edita ab ipſis præmoniti diœceſianis Epiſcopis ſtudeant revocare. Item cum raptus & corruptio Dinæ filiæ Jacob oſtendant, periculoſum eſſe *diſcurſum vel egreſſum mulieribus religioſis*, præſenti decreto ſtatuimus, ut moniales, quæ pro evidenti neceſſitate exire debuerint, & *maturæ ſint ac honeſtæ* & cum tali ſocietate ſe teneant, ut non tantum propriæ ſalutis periculum; ſed etiam ſiniſtra ſuſpicio inde non poſſit exoriri, adjicientes, ut illis monialibus, quæ Præpoſitos habere conſueverint, religioſi ſeu regulares præficiantur, ſi perſonæ idoneæ de talibus poterunt inveniri; ſi vero propter defectum regularium perſonas eis oportuerit præfici ſeculares, tales inſtituantur, quæ morum maturitate præfulgeant & probata diutius caſtitate. Acta fuere hæc in *concilio Bremenſi* menſe Novembr. anno domini MCCLXVI.

LX.

De quatuor manſis & dimidia villæ Drogevorwerk a Caſtellano Raceburgenſi, qui hæc bona ceu feuda ex beneficio acquiſita poſſederat, Domino ſuo reſignatis & ab hoc Eccleſiæ in uſum conceſſis eodem jure feudali.

JOhannes & *Albertus* Dei gratia *Duces Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ Borgraviique Magdeburgenſes.* Omnibus præſens ſcriptum viſuris ſalutem in domino ſempiternam. Noverint univerſi, quibus id noſſe fuerit opportunum, quod cum *Reddagus Caſtellanus noſter in Raceburg* quatuor manſos & dimidium in villa quæ *Drogevorwerck* vulgariter appellatur, quos *a nobis tenebat in* FEVDO, *de laude & aſſenſu filiorum ſuorum nobis liberaliter reſignaſſe*, eosdem *cum proprietate ipſorum*, eccleſiæ in Raceburg & Canonicis ibidem *ad uſus cameræ ipſorum*, EO JVRE & *illis limitibus agrariis*, quibus *Reddagus* prædictus *eos tenuerat*, contulimus ſpontanea voluntate ab ipſis jure perpetuo poſſidendos. Addentes, ut illud judicium, quod in aliis bonis ſuis habent, & immunitatem & libertatem obtineant in eisdem. In hujus rei memoriam & perpetuam firmitatem, præſens, de ſuper conſcribi fecimus inſtrumentum & ipſum eccleſiæ & canonicis tradidimus memoratis ſigillis noſtris fideliter communitum. Hujus rei teſtes ſunt Theodoricus Camerarius Raceburgenſis eccleſiæ canonicus, dominus Fridericus *Barvot*, dominus *Ludolp Scharpenberg*, dominus Ludolphus *Scorlemorte*, Eccehar- 1272.

Eccehardus *Roweder* & quamplures alii fide digni. Datum *Lowenborg* anno domini MCCLXXII. decimo calendarum mensis Octobris.

LXI.

De villa MALENTEKE, (*) cum proprietate & omni jure a MILITE, Vasallo & fideli Wiperto hactenus ceu FEVDVM, a Comitibus Sverinensibus ipsi ob benemerita DATVM possessa, nunc vero Guncelino & Helmoldo Comitibus resignata, qui eam Ecclesiæ Raceburgensi conferunt in allodium, proprio jure possidendam, liberamque ab omni exactione, BEDA, SERVITIO, Angaria, excepto Servitio CASTRI & TERRÆ DEFENSIONIS.

1273. GUnzelinus & *Helmoldus* filius ejus, Dei gratia *Comites Sverinenses* omnibus præsens scriptum visuris salutem in salutis autore! Quamvis universæ sacræ religionis plena affectione diligimus augmentum, religiosorum tamen virorum Præpositi & conventus cathedralis ecclesiæ Raceburgensis merita & sedulæ devotionis obsequia promerentur, ut speciali prærogativa favoris & gratiæ ordinem ipsorum prosequamur & locum tantum desideremus eosdem votivis semper in domino successibus auxiliari. Cupientes itaque hoc ostendere per effectum; Notum facimus universis, quod nos villam *Malenteke in terra nostra Wittenborg* situatam, postquam eam *Wibertus* MILES, VASALLVS & FEVDALIS *noster*, qui ipsam *a nobis tenebat in* FEVDO *resignavit*, Præposito & conventui prædictis eorumque successoribus *de laude & assensu hæredum nostrorum*, pro animarum nostrarum salute contulimus PROPRIETATIS JURE *perpetuo possidendam* sub eisdem terminis, quibus eam disterminatam miles habuit prælibatus cumque omnibus suis pertinentiis & utilitatibus, videlicet agris, terris cultis & incultis, aquis aquarumque decursibus, silvis, pratis, pascuis, liberam & immunem ab *omni* EXACTIONE, PETITIONE, PROCVRATIONE, SERVITIO & *omni* ANGARIA, *excepto servitio*, quod BORGWERC dicitur vulgo, quod facient cum certis hominibus terræ nostræ; item ad defensionem terræ nostræ, quæ LANTWERE nuncupatur, se suaque defendendo *cum omnibus per terram nostram degentibus* se opponent necessitatis tempore imminente: donantes etiam eisdem, ut judicium majus & minus videlicet *colli & manus in eadem villa & suis terminis* obtineant & judicandi *in majoribus causis* & *in minoribus* in ea & ipsis per se vel *per ipsorum justitiarium* liberam & plenam habeant facultatem. Adhæc conferimus & donamus eisdem, ut quotiescunque in aquis, quæ villis *Melenteke & Bosowe* adjacent & terras vel agros tangunt earum, pisces, a quibuscunque piscatoribus capiuntur & eosdem piscatores cum captura *ad terras vel agros præmissarum villarum adlittare* contingit, partem nostram, quam ex capturis talibus nobis consvevimus vendicare, ad eorum usus pertineant, nullo unquam *Advocato nostro* vel *nuntio* præsumere, partem aliquam exinde requirere, vel quomodolibet extorquere. In cujus rei memoriam & perpetuam firmitatem præsens desuper conscribi fecimus instrumentum & ipsum memoratis Præposito & conventui tradimus sigillis nostris, quibus utimur, fideliter communitum. Hujus donationis nostræ testes sunt *filius & frater noster Gunzelinus*, Canonicus *ecclesiæ Sverinensis*, MILITES vero *Ulricus de Bluchere* ADVOCATVS *in Godebuz*, Ekehardus luscus *de Travenemunde*, Ludolfus filius ipsius, Johannes *Coz Advocatus de Plawe*, Wernerus *de Negenborne*, Wernerus *de Delge*, Antonius *de Turbow*; clerici autem sunt Magister Rudolphus Plebanus *de Oldenburg*, dominus Rudolphus *Galerus*, Hagerus *Capellanus* & Werenbertus *notarius* curiæ nostræ. Cives etiam *Lubecenses* Johannes monachus & Sifridus *de Ponte* & alii quamplures. Datum & actum *Travemundæ* anno domini MCCLXXIII. septimo idus Augusti.

(*) Hodie *Malenexen, Mahleneixen.*

LXII.

De emtione dimidii chori salis in antiqua salina Lüneburgensi.

ADvocatus & *consules* LÜNEBVRGENSIS *civitatis* omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in omnium salvatore. Quæ geruntur in tempore, ne simul labantur cum processu temporis, poni solent in lingua testium & scriptis memoriæ commendari; hinc est, quod ad notitiam tam præsentis ætatis quam futuræ posteritatis pervenire desideramus, quod *conventus Raceburgensis ecclesiæ* emit dimidium chori salis ad quodlibet flumen *in antiqua sulta* contra *Henricum* dictum *Puerum*, qui dimidius Korus jacet in domo, quæ vulgariter nominatur *Glüsinge*, in sartagine, quæ vocatur *Guncpanne*, & jacet ad dextram manum, cum itur ad domum prætaxatam. Quare ne ordinatio ista coram nobis legitime facta ab alicujus audacia sive calumnia 1273.

valeat

valeat revocari, duximus roborandam. Hujus facti teſtes ſunt dominus Gevehardus Advocatus *dictus de Bortvelde*, Godekoſok *Subadvocatus*; *conſules* vero Hermannus *Albus*, Johannes *Todonis*, Woboldus Nicolaus *Paron*, Thidericus *Roſſack*, Cluver *de Wittinge*, Elerus *Longus*, Volbertus *de Meleke*, Gercke *Garlop*, Titmarus *Gerberti*, Thidericus *Richberni*, Werdewardus *Aurifaber*, & alii quamplures fide digni. Datum Lüneburg. anno dominicæ incarnationis MCCLXXIII.

LXIII.

Helmoldo Comiti & hæredibus ipſius VTILE dominium conceditur tertiæ partis decimæ in Wendereſtorp & quidem SINE FEVDO, reſervata Eccleſiæ proprietate.

1276. NOs *Henricus* Præpoſitus, *Th.* Prior, totumque Raceburgenſis eccleſiæ capitulum liberalitati *domini Helmoldi Comitis* ſupra ſcripti relativa quadam volentes vicisſitudine reſpondere, tertiam partem decimæ, quam in *Wendereſtorp* obtinemus, *de communi conſenſu omnium noſtrorum*, ſibi & ſuis hæredibus SINE FEVDO *tenendam* concedimus, PROPRIETATE tamen ejus *penes eccleſiam* remanente. In cujus rei teſtimonium hanc eandem ſuæ donationis & noſtræ recompenſæ paginam, ſigillo capituli noſtri conſignamus. Actum a nobis anno domini MCCLXXVI.

LXIV.

Sigfridus de Ponte confert duo talenta ſalis annuatim capitulo Raceburg. die Michaelis præſtanda, teſtantibus Advocato & Conſulibus civitatis Luneburgenſis.

1277. *Advocatus & conſules in civitate* LÜNEBVRG omnibus has litteras viſuris ſalutem in domino. Notum facimus tam præſentibus quam futuris, quod *Sifridus de Ponte, civis & Burgenſis Lubicenſis*, contulit liberaliter *eccleſiæ in Raceburg* annuatim videlicet *in feſto beati Michaelis* duo talenta, quæ jacent in domo, quæ vocatur *inferior Chiringe* in duabus ſartaginibus ad dextram manum, cum eadem domus intratur: igitur ne iſta donatio in poſterum ab aliquo valeat revocari, præſentes literas appenſione ſigilli noſtræ civitatis duximus roborandam. Hujus rei teſtes ſunt dominus Williking *de Guſtede*, ADVOCATVS, *conſules de civitate* Woldus Bertholdus *Longus*, Albertus *Holle*, Johann *Om*, Johann *de Ulſen*, Ludingerus, Johannes *Bertholdi*, Tidemannus *Zabelli*, Werdewardus *Aurifaber*, Matthias *Zabelli*, Titmarus *Erenberti*, Alart *de Salſtene* & alii quamplures viri probi & fide digni. Datum *Lüneburg* anno domini MCCLXXVII.

LXV.

Ulrici donatio quarundam decimarum in villis Turow, Slavica, Eckhorſt, Petzeke, Bockholt, Clokeſtorp, Clodern, Covale, Dargov, Degow, Slabruge, Breſen, præcipue in uſum eccleſiæ pro novis cappis, luminibus, refectione fratrum & anniverſaria commemoratione Fundatoris Henrici Leonis.

1277. ULricus Dei gratia *Raceburgenſis Epiſcopus* univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum. Licet hominibus, quibus poſſumus, affectu charitatis aut opere teneamur & eccleſias noſtræ diœceſis erigere & erectis, qualiter ſubſiſtere valeant, paterna ſollicitudine, in quantum ſufficimus, providere, præcipue tam circa illam Zelus noſtræ dilectionis ardentior eſſe debet, cui diſponente domino præſidemus. Eapropter noverint univerſi, quibus id noſſe fuerit opportunum, quod nos pro reverentia glorioſæ virginis Mariæ & affectu ſpeciali, quo noſtram eccleſiam amplectimur & fovemus, *proprietatem quarundam decimarum cum fructibus earundem* eidem noſtræ eccleſiæ conferimus, in perpetuum donamus, quas etiam nominatim duximus exprimendas, & in quibus ſitæ ſunt villis, aut quibus uſibus debent applicari præſentibus aperimus. Medietatem decimæ *totius villæ Turowe* SCLAVICALIS & decimam duorum manſorum in *Eckhorſt* cum quarta parte decimæ totius *Petzeke* & decima duorum manſorum & dimidii in *Bockholt*, ad *induendum ſingulis annis conventum novis cappis*, irrevocabiliter aſſignamus. Ad laudem vero *domus Dei* & honorem & laudem divini nominis ampliorem decimam trium manſorum & dimidii in *Clokeſtorp* pro *luminaribus viginti octo* in ſummis feſtivitatibus, id eſt Paſcha, Pentecoſte, aſcenſione, nativitate Chriſti, Epiphania, ac in quatuor feſtivitatibus dominæ noſtræ, Johannis Evangeliſtæ & omnium ſanctorum ad primas veſperas completorium, matutinas miſſam in choro jugiter accedendis, nec non *duabus candelis triplicatis*, quæ a miniſtris ante altare infra canonem usque poſt miſſam teneantur ad cuſtodiam, volumus pertinere.

Ad

Ad *consolationem etiam canonicorum* decimam quatuor mansorum in *Cloderm* pro *anniversaria commemoratione felicis recordationis illustrissimi quondam principis Ducis* HENRICI FUNDATORIS NOSTRI duximus assignandam. Verum dimidiam decimam totius villæ *Covalæ* & tertiam partem decimæ in *Dargowe* cum decima trium mansorum in *Degowe* ac decima dimidia *campi in Raceburg apud sanctum Georgium*, ad *refectionem fratrum in esu carnium* in aliqua feria septimanæ secundum dispositionem & dispensationem Præpositi vel prioris, quoad vixerimus, deputamus. Postquam vero nos vocante domino diem clauserimus extremum, eædem decimæ universaliter tam præfatæ exceptis illis duntaxat, quas *vestiario* duximus assignandas, pro nostri memoria annuatim devotius ac solemnius ad consolationem conventus irrefragabiliter pertinebunt: *una tantum marca* de summa totali ad prioris nostri, *militis* dicti *de Bluchere*, & matris nostræ *Mechtildis* anniversarium specialiter reservata. Præterea decimas quatuor mansorum in *Slabruige*, quorum duo spectabunt ad *vestiarium* & duo residui ad *servitium canonicorum* cum proprietate liberaliter elargimur. Ceterum duorum mansorum decimam *in Bresen*, quorum alterum quidem ad diem *beatæ virginis Margarethæ* in novem lectionibus festivius excolendum; alterum vero ad anniversarium *Bernhardi quondam Canonici Lubecensis* deputavimus, duximus conferendam. Nulli igitur hominum contra hanc nostræ donationis paginam venire liceat ausu temerario seu profano. Si quis autem contraire præsumserit, indignationem Dei omnepotentis & gloriosæ genitricis ejus, & Apostolorum Petri & Pauli ac bannum nostrum se noverit incursurum. Hujus rei testes sunt Hinricus *Præpositus*, Conradus *prior*, Oliverius Thiedericus *de Fago*, Hermann *de* BLÜCHERE Canonici Raceburgenses; Henricus *noster notarius*, Magister Luderus *plebanus in* WITTENBURG frater Woldewerus & frater Johannes *ordinis Prædicatorum*, Volcmarus *de* GRONOWE Wipertus *de* MELENTEKE MILITES; & alii quam plurimi fide digni. Datum *Verchowe* per manum *Hildebrandi* nostræ ecclesiæ canonici & confratris anno gratiæ MCC LXXVII. indictione quinta, pontificatus autem nostri anno XX, in die sancti Gorgonis Martyris glorioſi.

LXVI.

Conventus in Granzow beneficium erogatæ ipsi ab Episcopo & Capitulo Raceburgensi fraternitatis repensat officiis & vigiliis pro fratribus Ecclesiæ Raceburgensis.

1280. Venerabilibus viris ac dominis Præposito, Priori, totique capitulo in Raceburg *Johannes* Dei gratia Præpositus, Johannes Prior totusque *conventus in Granzowe* orationes in Christo humiles & devotas discretionem vestram in omnibus semper commendandam honore debito deferimus referre, tamen Reventiæ vestræ semper omni amicitia & maxime *beneficio fraternitatis*, quod nobis favorabiliter erogastis, inclinamus & fraternitatem ecclesiæ nostræ, prout desideratis, orationum nostrarum suffragia vobis offerimus exultantes: Postulantes quatenus eadem a nobis humiliter acceptetis. Præterea cum obitus *fratrum ecclesiæ vestræ* nobis fuerint nunciati, eorum memoriam velut nostrorum in missis, vigiliis commendationibus, eleemosynis & omnibus, quibuscunque talibus oportet benefieri, annuente domino debitum exsolvemus, & hoc per præsentes litteras cum appensione sigilli nostræ ecclesiæ confirmamus. Datum *Granzowe* anno domini MCCLXXX. XV. Calend. April. sequenti die Gertrudis virginis.

LXVII.

Joannes Dux Saxoniæ communem usum duellorum, vulgo Kamp, in omni terra Raceburgensi tollit & contra venientes juramento & satisfactione coercet, propterea que a vasallis ac subditis instar remunerationis accipit XII. Solidos Hamburgenses a quolibet manso per totam terram Raceburgensem, recognoscens simul se a LIBERIS BONIS & HOMINIBUS Vasallorum suorum nullas bedas violentas exigere velle, EXCEPTIS tamen iis, qui ad dandam petitionem seu bedam ipso jure OBLIGANTUR.

1280. Nos *Johannes* Dei gratia *Saxoniæ, Angariæ, Westphaliæ Dux Burggraviusque Magdeburgensis* constare volumus universis, præsentibus & futuris, quod dimisimus integraliter de conflictu sive duello, quod vulgariter dicitur *Camp*, quod duellum *per terminos Raceburgensis territorii in* COMMUNI *usu sive exercitio* habebatur, & dedimus *tale jus universis* INCOLIS & TERRIGENIS *ejusdem terræ*, quod quicunque pro *vulnere* fuerit incusatus, cum hominibus mansionem habentibus in memoratis terminis, qui sint bonæ famæ & jure suo indejecti, talisme tertius & pro *homicidio* septimus *juramento tactis reliquiis* se expurget. Si vero aliquis manifestum excessum & notorium commiserit, pro tali excessu publico vel *nostris officialibus* qui pro tempore in nostra *Advocatia* ex parte nostra fuerint constituti, satisfaciet in *gratia* vel in *jure*. Hujus igitur beneficii & gratiæ nostri *vasalli* ac *universi terrigenæ* non immemores & ingrati, nobis *per totam terram Raceburgensem prædictam* dederunt de quodlibet manso in *recompensam & restaurum duodecim solidos denariorum Hammenburgensium*, quæ pecunia pro nostris & charissimi domini *patris nostri Alberti* debitis est Lubecæ persoluta. *Recognoscimus* etiam, quod nos nec hæredes nostri nobis succedentes

nullam in *bonis* LIBERIS *noſtrorum vaſallorum* debemus facere *petitionem* SIVE *exactionem aliquam de cætero violentam*, ſed prorſus prædicta, & LIBERI *homines prædictorum noſtrorum vaſallorum* absque aliqua *exactionis ſive petitionis* ſpecie deinceps remanebunt, *excluſis illis*, qui nobis *ad* DANDAM *ſunt* ADSTRICTI PETITIONEM *& ligati*. Ne igitur ſupra dicta a nobis & noſtris ſucceſſoribus & hæredibus noſtris tempore procedente infringantur, præſentes litteras cum ſubſcriptione teſtium noſtri ſigilli munimine roboratam conſcribi juſſimus in evidens teſtimonium & munimen: & teſtes hujus ſunt, Volcmarus *de Gronowe*, David *de Carlowe*, Walrawenus *de Rizerowe*, Johannes *de Crummeſſe*, *Caſtellani noſtri de Raceburg* Hechardus *Schacke*, Hinricus *de Wittorp*, Scacco *de Lüneburg*, Johannes *de Berge*, *Hermannus Ribo*, Reinardus *de Scorlewere*, Ludolphus *Scacke* & Bertramus *noſtri Caſtellani de Lowenborg* & alii quam plures ſtatrum noſtrorum. *Frater noſter* chariſſimus *dominus Albertus*, cum ad propria redierit, *ſuis literis confirmabit*. Acta ſunt hæc anno domini MCCLXXX in craſtino omnium ſanctorum in caſtro noſtro *Lowenburg*.

LXVIII.

Ut vetera veſtimenta Camerario non reſignentur, ſed convertantur in tunicas laneas ad carnes; Camerarius vero libertatem ab annua penſione & certos manſos in
SICCO ALLODIO
accipiat.

1280. Henricus divina miſeratione *Præpoſitus Raceburgenſis*. Omnibus, ad quos ea noſſe pertinet, quæ ſequuntur, ſalutem in Domino. Ordinis conſuetudinem in uſu *laneæ veſtis ad carnem* cupientes a fratribus noſtris ſtudioſius obſervari, prævidimus ordinandum, ut de *Frin* non ſuſtineant, ſed mutationem in ipſa veſte habeant congruentem nec uſu veſtis unius aſſiduo ſordes contrahant & portantibus ſit horrori. Igitur de voluntate & petitione devota totius conventus, ſtatuimus, ut fratres noſtri feſtimenta vetera, quæ hactenus *camerario* reſignare conſueverant, *non reſignent*; ſed habeant ea commutandi *in laneas veſtes ad carnem* cum Dei & noſtra benedictione plenariam poteſtatem. Nos vero neceſſitatibus noſtræ adminiſtrationis exigentibus ad ſolutionem debitorum eccleſiæ noſtræ octuaginta marcas denariorum *Lubecenſium* a capitulo recepimus, camerarium ab annua penſione ſeptem marcarum domino Nicolao, domino Uſine, ratione officii cameræ debita penitus abſolventes. Adjecta eidem Camerario decima dimidia quatuor manſorum & dimidii manſi *in* SICCO ALLODIO quæ ad præpoſituræ officium hactenus pertinebant. Proviſo ut conventu ſecundum conſuetudinem novis cappis veſtito regulariter & decenter annis ſingulis, ut eſt moris, cappis veteribus in publico, ut antea, quisquam non utatur, imo uſibus expreſſis verbis, ut antea applicentur. Si quis igitur Camerarius ſive quivis alius de conventu hanc noſtram proviſionem ac ſtatutum immutare temeraverit, ſit ex tunc ex hac noſtra ſententia ſua in capitulo & in aliis omnibus tractatibus voce privatus, donec noſtram ſuper eo & totius capituli gratiam aſſequi mereatur. In cujus ſententiæ ratificationem totum capitulum ſuo ſigillo juſſit præſentem paginam conſignari. Ne vero aliquis Præpoſitorum in ſimili poteſtate nobis ſuccedentium, ſtatutum noſtrum valeat aliquatenus retractare, confirmationem venerabilis patris domini noſtri *Ulrici Epiſcopi* ſuper eo obtinuimus in ſpeciali chartula huic noſtro privilegio inſerta breviter annotatam. Dat. Raceburg. anno gratiæ MCCLXXX. Nonas Novembris per manum Hildebrandi Canonici hujus loci.

LXIX.

De reditibus, de quibus ſerviendum eſt Domino in anniverſario domini Marquardi de
PERKENTIN & uxoris ejus &
domini Johannis de CULPIN & filii ejus.

Omnibus Chriſti fidelibus præſentem pa- 1281.
ginam inſpecturis ſeu etiam audituris *Hinricus* divina miſeratione *Præpoſitus*, *Conradus Prior*, *totumque capitulum eccleſiæ Raceburgenſis* orationes in virginis filio Jeſu Chriſto crucifixo! Certiora ſunt iſta & minori poſſunt calumnia perturbari, quæ vigorem trahunt a teſtimonio litterarum: Quapropter noverint univerſi, quibus id noſſe fuerit opportunum, quod cum Johannes *de Culpin* Henrico quondam filio ſuo defuncto cum quadraginta marcis denariorum Lubecenſium itemque *Thetlevus de Perkentin* patruo ſuo *Marquardo* quondam *militi*, etiam in domino dormienti, a legato quodam triginta marcarum Lubicenſium in teſtamento ſibi & aliis quibusdam, qui ad hoc ſuum impertire conſenſum commiſſo diſponerent, anniverſarias ordinare memorias & perennes in noſtra eccleſia nosque ad ſolutionem debitorum noſtrorum gratuiter arctaremur, provida deliberatione jam dictam ſummam ſeptuaginta marcarum numeratæ pecuniæ ſub venditionis aut emtionis ſpecie recepimus a militibus memoratis, reditibus ſeptem marcarum in dimidia decima villa *Nienthorpe* ſecus *ſtagni* SCALSEE littora ſituatæ, ac in decima integra duorum manſorum & decem jugerum in *Degowe* ad prætaxatas ſuperius expreſſorum fidelium annuas memorias perpetuo reſignatis taliter ſecundum arbitrium militum ſupra nominatorum

rum de jam dictis ſeptem marcarum proventibus, providentes ut in anniverſario *Marquardi* quondam militis de *Parkentin* & uxoris ejus *Mechtildis*, quæ eodem die in vigiliis ac miſſa more ſolito peragitur, tres marcæ denariorum ad conſolationem conventus integraliter habeantur. De quatuor autem marcis in ipſa decima reſiduis ſecundum diſpoſitionem præfati Johannis de Culpin taliter eſt proviſſum, ut duæ marcæ denariorum ad peragendam commemorationem anniverſariam Henrici filii ejusdem Johannis ad ſervitium reſerventur; octo vero ſolidi ad officium ſacriſtæ proveniant annuatim & viginti quatuor ſoliti diſtribuantur in eleemoſinam pauperibus ante portam. Ut autem hæc noſtra ordinatio inconvulſa permaneat & inviolabilis perſeveret, præſens ſcriptum inde confectum ſigilli noſtri appenſione fecimus fideliter communiri. Datum Raceburgi anno gratiæ MCCLXXXI. in media quadrageſima per manum *Hildebrandi* noſtræ eccleſiæ *concanonici & confratris*.

LXX.

Ulrici Epiſcopi Razeburgenſis literæ de libertate teſtandi, donandi, legandi & de anno gratiæ pro clericis eccleſiarum terræ Brezen & Archidiaconatus Renenſis. de a. 1282.

1282. *Ulricus* Dei gratia Razeburgenſis eccleſiæ Epiſcopus. Omnibus præſens ſcriptum viſuris ſalutem in Domino. Licet votivum nobis ſit, ſacerdotes & clericos noſtræ diœceſis univerſos ſecuræ libertatis ſic obtinere gaudium, ut nullum in perſonis aut rebus ipſis immineat detrimentum; volentes tamen, ſacerdotes & clericos eccleſiarum *per terram* BREZEN & Archidiaconatum RENEN quarum nos patroni exiſtimus, ſive perſonæ ſint ſive vicarii earundem, quibusdam libertatibus aliis anteferre, ut ſicut ſe exhibent quadam præ cæteris placida familiaritate devotos, ſic ſe gaudeant aliis in gratiis jam prelatos; eis concedimus & eorum ſucceſſoribus, quod *de rebus ſuis*, quamvis etiam *per eccleſiam acquiſitis*, in ægritudine poſiti libere poſſint diſponere, quicquid velint, ac *ſecure dare & legare* eas pro ſuæ arbitrio voluntatis. *Annum* inſuper *Graciæ* eis concedimus, ut proventus ejusdem anni in ſolutionem debitorum ſuorum ſeu in alios pios uſus convertere valeant, prout eis videbitur expedire. Ut autem eorum voluntas poſt mortem ipſorum plene ſuum conſequatur effectum, illis, quibus executionem ejus commiſerint, quoad exſequendum eam noſtram conferimus autoritatem; qua in hac parte ſuffulti prosideant, ut ſecundum voluntatem defuncti univerſa procedant. Renunciantes de conſenſu noſtri capituli pro nobis & noſtris ſucceſſoribus Epiſcopis omni juri, quod nobis & noſtris ſucceſſoribus in bonis prædictorum poſt eorum obitum in toto poſſit competere, vel in parte de conſuetudine vel de jure. Hujus etiam gratiæ & conceſſionis noſtræ plebanum in *Darſow* cum ſuis ſucceſſoribus quoad omnia jam expreſſa participem eſſe volumus & conſortem, ipſumque ſpecialiter huic privilegio duximus inſerendum, eo quod *Archidiaconatui* ſubjaceat præpoſiti Raceburgenſis. Sane hoc donum gratiæ noſtræ volentes iidem ſacerdotes ex clerici, relativa quadam ac valde nobis grata viciſſitudine compenſare, ſtatuerunt *diem obitus noſtri anniverſarium fieri*, ita quod in omnibus eorum eccleſiis eo die miſſæ & vigiliæ defunctorum ab ipſis eorumque ſucceſſoribus in perpetuum honorifice decantentur. Promittentes hoc idem in primo die obitus noſtri & per totam ſequentem hebdomadam ſe facturos & triceſimum noſtrum ſub eisdem beneficiis peracturos. Et quoniam id genus beneficii eis in cæleſtes theſauros congeritur & conſervatur ac æternæ nobis vitæ ſolatium obtinere ſperatur, ideo caritatem eorum affectuoſe rogamus, quatenus intuitu miſericordiæ, quam ab omnium conditore & ipſi obtinere cupiunt, diligenter ac devote fidem promiſſionibus obſervantes hoc ſuo tempore exequi non omittunt: Verum quia ſæpe injuriatur memoriæ oblivio, & longinquitate temporis ſæpe fit, quod nota & clara præſentibus dubia reddantur & obſcura futuris & ſic interdum reciſa repullulant, reſuſcitantur ſopita, ſepulta reſurgunt; ideo adverſus oblivionis diſpendium præſens ſuper iſtis diſcribi juſſimus inſtrumentum ac eis tradi ſigilli noſtri munimine roboratum. Nos *Henricus Præpoſitus*, Prior totumque Raceburg. eccleſiæ capitulum facto venerabilis patris Domini *Ulrici epiſcopi* in ſupra dictis libertatibus præmiſſis clericis ſuis datis & *renunciationi de jure ſuo & ſucceſſorum ſuorum in bonis eorum per ipſum factæ* conſentientes fidele teſtimonium perhibemus, quod dicti clerici promiſerunt diem obitus ſui primum & omnes ſeptem, ſuum etiam triceſimum cum miſſis & vigiliis defunctorum ſe velle peragere & anniverſarium ſub eisdem beneficiis per ſe & ſuos ſucceſſores in perpetuum obſervare. Datum & actum anno domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſecundo, pontificatus autem noſtri anno XXV. Honorabili viro Hermanno Præpoſito Renens. Plebano in Bonkerken & fideliter & efficaciter promovente.

LXXI.

De juribus & libertatibus in terra Boitin ſecundum declarationem Ulrici Epiſcopi, quæ huc redit, quod Capitulum Raceb. habeat MINUS judicium, Bloot & Blau, ita tamen ut ADVOCATUS Epiſcopi in illis judicet; MAJUS vero judicium maneat apud Epiſcopum, item quod BEDÆ & EXACTIONES dividantur inter Epiſcopum & Capitulum, exceptis tamen BEDIS PRIMIS h. e. iis, quæ novus epiſcopus per terram inſtituit.

Ulricus Dei gratia Raceburgenſis Epiſcopus dilectis ſibi in Chriſto Henrico Præpoſito, Conrado priori totique ejusdem ſuæ eccleſiæ 1282.

cleſiæ capitulo, paternam in domino charitatem! Quoniam officii noſtri debitum commodis invigilat ſubditorum, digne agimus, ſi quieti veſtræ proſpicientes & paci a futuris vobis controverſiis caveamus. Unde credimus expedire, ut jura veſtra, quæ vobis in *bonis veſtris Boytin* competunt, declaremus & ſpecificemus definiendo & in certis articulis declarando, nein futurum ea, vobis aut noſtris ſucceſſoribus imminuantur: Igitur recognoſcimus & definimus, quod vos in bonis veſtris terræ prædictæ MINUS *judicium*, quod extendit ſe *ad livorem & ſanguinem*, quod BLOOT & BLAWE dicimus, & de his inferioribus, cum omnibus, quæ ad minus judicium pertinent, habeatis. Judicabit in his ADVOCATUS *noſter* in bonis veſtris in præſentia veſtri *Præpoſti* vel *ſui* MISSI in quorum erit arbitrio, quid *ejudicato, vel ſecundum juſtitiam vadiato* velint dimittere vel recipere, quod non ad nos vel advocatum noſtrum de his aliquid, ſed ad Præpoſitum & eccleſiam pertinebit, liberam lignorum in bonis veſtris habebitis ſectionem; in aquis tam ſtantibus quam fluentibus infra terminos bonorum veſtrorum id juris habebitis, quod vobis in veſtris privilegiis eſt conceſſum. *Majus* autem *judicium colli & manus ſuper homines veſtros* apud EPISCOPUM manebit. In PETITIONE & EXACTIONE cum fuerit INSTITUTA *in compoſitione*, cum *reus judicatus* vel judicandus fuerit, ſi *componere permittatur*, de hominibus veſtris duntaxat *mediam partem* ad *Epiſcopum*, mediam partem *ad uſus veſtros* volumus devenire; quam mediam partem *Epiſcopus vel ejus Advocatus* non percipiet, niſi primo veſtram mediam fueritis adſecuti. Ordinando etiam definimus, ut PETITIO quam *confirmatus Epiſcopus vel conſecratus per* TOTAM TERRAM BOYTIN *facturus eſt*, ad ipſum illa vice tantum *ex* INTEGRO pertineat in SUBSIDIUM *expenſarum* quas *ad Regem vel Imperatorem faciet pro Regalibus requirendis*. LIBERTAS autem PETENDI, EXIGENDI *tam homines noſtros* quam *veſtros*, dummodo fiat de utrisque, *apud* EPISCOPUM *remanebit*. Nos Henricus Præpoſitus, Conradus prior totumque Raceburgenſis eccleſiæ capitulum iſti ordinationi, definitioni, declarationi, unanimiter conſentientes eam vel eas ſigilli noſtri appoſitione, ut ſtabiliter permaneant, perennamus. Datum & actum Raceburg anno domini MCCLXXXII. pontificatus noſtri anno XXV. in die Petri & Pauli Apoſtolorum.

LXXII.

De collatione eccleſiæ in Bergdorp, & de indulgentiis XL. dierum collatis, quando cantatur: Quoniam Tu ſolus ſanctus.

1282. *Ulricus* Dei gratia Raceburgenſis eccleſiæ Epiſcopus dilectis in Chriſto fratribus ſuis, Præpoſito, Priori, totique eccleſiæ ejusdem conventui paternam in Domino charitatem. Cum ſpiritualium virorum auxilium nobis ſit plurimum opportunum, maxime veſtrum, qui nobis fraterna charitate ac domeſtica familiaritate conjuncti contemplamini jugiter pura mente dominum. Ideo ad vos humili devotione confugimus deprecantes, quatenus ſupplicationum noſtrarum inſtantia Deum nobis ad miſericordiam inclinetis & coram eo pro noſtrorum venia commiſſorum veſtris orationibus inſiſtatis, ut indulgentiam, quam noſtris non meremur meritis, veſtrarum valeamus precum adſequi interventu. Ut autem ad hæc reddamini promtiores eccleſiam in *Bergedorff* cum *jure patronatus ejusdem* & cum omnibus temporalibus ac ſpiritualibus ejus pleno jure vobis veſtrisque ſucceſſoribus proprietatis titulo conferimus perpetuo poſſidendam, concedentes, ut cum ipſam a Præpoſito *Nicolao Magnopolenſe*, qui eam *de manu noſtra in* BENEFICIO tenet, modo vacare contigerit, valeatis ejus poſſeſſionem per vos vel per alium aut alios ingredi, ac ſine alia corporali indictione eam apprehendere & tenere. Curam etiam fidelium animarum in ipſa regere, vel alteri regendam committere ſub temporali vel perpetua vicaria. Dantes etiam vobis poteſtatem plenariam, ut proventus ipſius eccleſiæ in uſus veſtros poſſitis convertere; reſervata tamen in ſuſtentationem vicarii legitima proportione: ut igitur hujus liberalitatis donum relativa quadam viciſſitudine nobis compenſetis, requirimus deprecantes, quatenus præter diem anniverſarii noſtri, quem peragendum ſub deputata vobis ad hoc conſolatione condemnavimus, noſtram memoriam poſt obitum ſemper in quadrageſima ſingulis ſecundis feriis, in vigiliis, miſſis, & commendationibus cum devotione conſveta & debita conventualiter perpetuo peragatis, volententes, ut qualibet die indicta quadrageſimam noſtræ memoriæ deputatam, unam marcam denariorum de proventibus memoratæ eccleſiæ ad præbendam vobis a Præpoſito miniſtrandam ad conſolationem & ſervitium habeatis, & quod proventus reſidui ejusdem eccleſiæ per jejunium & adventum *in panem triticeum & bonam ceresiam* integraliter convertantur. Ad hoc cum verba hæc: Quoniam Tu ſolus ſanctus, Tu ſolus dominus, Tu ſolus altiſſimus Jeſu Chriſte! quæ in feſtivitatibus traditione ſacroſancta hic hymnizat eccleſia, devotionis incrementum, tribuant & augeant ſpem ſalutis; Univerſitatem Veſtram obſecramus in eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, quatenus in ſummis duntaxat ſolemnitatibus cum ſummum, *gloria in excelſis*, cum organis decantatur, ipſa verba alternatim cum organis duabus vicibus repetatis inſonantibus organis: *quoniam Tu ſolus ſanctus*: Vos eundem articulum reſonetis: item proſequentibus organis hunc verſiculum, *Tu ſolus Dominus*, vos cantando ipſum repetatis modulantibus organis, *Tu ſolus altiſſimus Jeſu Chriſte*; idem & vos reſpondendo cantetis; *cum ſancto ſpiritu*, & cætera, quæ ſequun-

sequuntur, sicut moris est, tantum per organa compleantur. Nos vero vobis hunc modum in singulis solennitatibus studiose prosequentibus & Christi fidelibus universis devote ipsum audientibus de misericordia omnipotentis Dei confisi *quadraginta dies de injuncta pœnitentia* relaxamus. Postremo ut nostræ liberalitatis donum perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, præsens instrumentum super hoc conscriptum vobis tradimus sigillo nostro fideliter communitum. Actum in Raceburg an. Domini MCCLXXXII. in *die Margarethæ* virginis datum SCONENBURGÆ a. incarnationis prædicto in die beati Alexii Confessoris pontificatus nostri a. XXV.

LXXIII.

De dimidia villa Zadenitse & donatione ecclesiæ in Grevesmohlen.

1284. Omnibus præsens scriptum visuris *Conradus* Dei gratia *Raceburgensis* ecclesiæ Episcopus facultatem in Domino Jesu Christo! Quoniam Raceburgensis ecclesia teneris nos in annis recepit in filium ac fundamentum religionis in nobis ponens, nunc in maturiori ætate suum erexit in patrem, fatemur nos sibi plurimum debitores. Quare sinceris mentibus affectamus, ipsam semper cœlesti benedictione muniri, spirituali consolatione foveri, bonis temporalibus adaugeri, ædificiorum venustate fulciri, ut sicut pontificialis cathedræ gaudet honore, ita competenti schemate adornata refulgeat in decore. Ut igitur noster adfectus pateat per effectum, ad ipsius fabricam dimidiam, quam per omnes terminos totius *villæ Zadewitse* obtinemus, perpetua donatione conferimus, nullo ingenio a quovis hominum revocanda. Præterea quod fratrum nostrorum Canonicorum videlicet ejusdem ecclesiæ procurationem quotidianam familiari quadam & domestica experientia tenere cognovimus & exilem ob ipsorum defectum & nos deficiamus, qui quondam glutine charitatis individuum quoddam cum ipsis sumus, volentes pro parte ipsorum ad præsens supplere defectum; ecclesiam in *Grevesmolen* cum omni jure *temporalium* & *spiritualium* ipsis conferimus, concedentes, ut cumprimum ipsam vacare contigerit, proventus ipsius & reditus ad procurationem ipsorum possint convertere, prout eorum ex tunc vel ex nunc placuerit voluntati; licentiantes eisdem, ut ejus possessionem cum vacaverit per se aut eorum procuratorem ingredi valeant ac ipsam apprehendere & tenere sine alia corporali indictione, contradictione cujuslibet non obstante. Ut autem liberalitatis nostræ dona inviolabiliter conserventur, præsens super his conscribi fecimus instrumentum & eis tradi sigilli nostri munimine confirmatum. Datum & actum *Raceburg* anno Domini MCCLXXXIV. pontificatus nostri anno primo.

LXXIV.

De reditibus in Uteche ad lumen in monasterio & in infirmos fratres collatis, s. permutatio sex mansorum in Grambow & Turbore pro dimidia decima in Utecht.

1284. Conradus Dei gratia Raceburgensis ecclesiæ Episcopus omnibus in perpetuum. Ab humana citius labuntur memoria, quæ nec scriptis nec testibus æternantur: Quapropter noverint universi, ad quos id nosse pertinet, quod nos justis postulationibus fratrum & Canonicorum ecclesiæ nostræ, quorum utilitatibus, commodis ac profectibus potissimum invigilare volumus, ut debemus, grato concurrentes adfectu reali concessione conferimus ac in via permutationis eisdem donamus in perpetuum, ut pro *decimis sex mansorum trium* in *Grambow* ac *trium in Turbore*, quos tenebant ex donatione venerabilis patris domini Friderici quondam Episcopi prædecessoris nostri, quæ propter locorum distantiam ipsis non erant plurimum fructuosæ, recicipiant, usu capiant ac pacifice ut antea possideant; dimidiam *decimam* cum proprietate, tam *minutam* quam *majorem* totius villæ in *Uteche* propter loci illius vicinitatem ipsis amplius valituram, supradictis sex mansorum decimis, nobis in restaurum perpetuo resignatis: proviso ut quicunque partes decimarum in Uteche jam dictarum ad procurationem seu refectionem fratrum pertineant infirmorum sexta vero pars administrationem *sacristæ* proveniat, pro *illuminando monasterio* ob venerationem ac reverentiam sanctæ crucis, sicut in privilegiis prænomitati domini Friderici Episcopi notabiliter est expressum. In cujus rei testimonium præsens scriptum inde confectum sigilli nostri appensione fecimus fideliter communiri. Testes hujus facti sunt Henricus Præpositus, Thiedericus prior, Hermannus *de Blicher*, Hildebrandus thesaurarius, Fridericus *de Lancowe*, Segebandus & alii ecclesiæ nostræ Canonici. Datum & actum *Raceburg* anno domini MCCLXXXIV. in vigilia B. Jacobi Apostoli pontificatus nostri anno primo.

LXXV.

De amotione rusticorum villæ Rodemuzle seu dimissione villanorum qui agros ecclesiæ coluerunt, æstimato tamen & refuso pretio eorum ædium hortorumque.

1285. Omnibus præsens scriptum visuris: *advocatus, consules civitatis in Raceburg* servitium & salutem! Quod scimus, hoc loquimur, & quod loquimur, protestamur; videlicet quod cum villani villæ in *Rodemuzle* agros ipsius villæ multo tempore, in quibus HÆREDITATEM non habebant, de *permissione & gratia* Raceburgensis ecclesiæ coluissent & ecclesia dictos agros suis sumtibus & laboribus colere noluisset, dictis villanis *per annum integrum* & *quatuordecim hebdomadas* prænunciari fecit, ut per spatium prædicti temporis, *donec Michaelis*, quod sequeretur, sic terras illas colerent, sic quod seminarent, quod ex tunc ab eis cederent, & nihil sibi juris in eis postmodum vendicarent;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

qui hæc ſe facturos & opere completuros nihilque quæſtionis aut querelæ adverſus eccleſiam ſe habere vel pro hujus cauſſæ ſe moturos fideliter ſunt proteſtati, dummodo *ædificia eorum & hortorum ſuorum labores* ſecundum æſtimationem bonorum, eccleſia eis reſunderet in pecunia numerata. Electi ſunt itaque æſtimatores pro parte eccleſiæ Bertoldus *advocatus*, Fridericus *Magerus (Mayer) eccleſiæ in Rodemuzle*, Timmo *de Utechte;* ex parte villanorum Conradus *de Bocholt*, Jacobus dictus *Nudabaſta*, Bernhardus *de Dogethe*, qui ſex poteſtate ab utraque parte recepta prædictorum ædificia, hortorum labores provida conſideratione & deliberatione præhabita ita æſtimaverunt: *Meynardi* pro duabus marcis Alberti *piſcatoris* pro viginti quatuor ſolidis, Hermanni pro quinque marcis; Conradi *villici* pro ſedecim marcis; Friderici pro tribus marcis & quatuor ſolidis, Nicolai pro tribus marcis, ROLANDI VARII pro duodecim ſolidis; *filiorum Hildegundis* pro ſeptem marcis; *Ricketeviduæ* pro duobus talentis. Ricardi pro duabus marcis, *Johannis filii Conradi* pro duabus marcis & quatuor ſolidis; Johannis *fratris Rolandi* pro viginti ſolidis; ſororis *Olivæ* pro quatuor marcis; *Ludberti* pro quinque marcis; *Stedingi* pro quinque marcis. Poſthæc coram nobis jam dictus Oliva cum ſorore ſua proteſtati ſunt, quod quatuor eorum marcas receperunt, nihil ſibi quæſtionis vel querimoniæ ultro contra eccleſiam reſervantes. Poſthæc Nicolaus, Bertholdus, Joannes, Hinricus, Eckehardus filii Conradi villici coram nobis profeſſi ſunt, quod ſedecim marcas receperunt ab eccleſia, pro quibus Nicolaus *de Salim* promiſit; item Hermannus dictus *Blancke* dixit ſe quinque marcas recepiſſe, pro quo idem Nicolaus *promiſit*; item Rodolfus duodecim ſolidos recepit, promiſit pro eo Bertoldus *Camerarius*. Fridericus recepit quatuor ſolidos & tres marcas. Nicolaus dictus *Nybur* recepit quatuor marcas, pro quibus Gerhardus *de Giſelberteſtorp*, HOMO *domini Th. de* PARKENTIN promiſit. Joannes Conradus filius villici recepit duas marcas & quatuor ſolidos. *Hildegundis* vidua & ejus filii videlicet Johannes Wernerus cum Sophia & Hildegundi ſororibus eorundem receperunt ſeptem marcas. Johannes dictus BONDEROLANT (Bunte Roland) viginti ſolidos. *Rieſit* vidua pro ſe & *Johanne* filio ejus dicto *Comite* & ſua ſorore recepit quatuor marcas. Albertus *Piſcator* dictus *Puberne* viginti quatuor ſolidos; *Lutberti* quinque marcas; *Steding* quinque marcas; *Metteke* uxor *Meineket* duas marcas. Acta ſunt hæc anno domini MCCLXXXV. diverſis anni temporibus, quibus quilibet prædictorum, dum ſuam pecuniam receperat, hoc coram nobis dilucide recognovit.

LXXVI.

Conradi converſio dimidiæ decimæ in villa Bocholt, cujus partem ſaltim ante habuerant.

Conradus Dei gratia Raceburgenſis eccleſiæ Epiſcopus fratribus ſuis in Chriſto dilectis, Præpoſito, Priori totique capitulo ejusdem eccleſiæ in Domino Jeſu Chriſto ſalutem! Cum unam partem *demimarum epiſcopalium* in villa *Bockolt* parochiæ *Sancti Georgii in Raceburg* ex donatione & confirmatione anteceſſorum noſtrorum Epiſcoporum legitime teneatis, & aliam partem, quam Conradus quidam & Henricus frater ſuus injuſte poſſident, nobis dicatis ad uſum cameræ veſtræ ad domino Ulrico Epiſcopo noſtro anteceſſoce conceſſam, eandem conceſſionem gratam & ratam habentes, volumus, ut accerſione unius partis & alteram dimidiam decimam totius villæ prædictæ, quæ nos & ſucceſſores noſtros poſſet contingere, in perpetuum habeatis uſibus cameræ veſtræ, ad quos data dignoſcitur, profuturam. Ut igitur ſciat præſens ætas, omnium quoque addiſcat ſecutura poſteritas, illud de ſuper conſcribi fecimus inſtrumentum & ſigilli noſtri impreſſione munitum juſtiſſimus vobis tradi. Datum & actum anno gratiæ MCCLXXXV. J. XVIII. Calend. Julii. 1285.

LXXVII.

De dimidia decima totius villæ Bocholt.

Johannes Dei gratia Dux Saxoniæ omnibus præſens ſcriptum viſuris ſalutem in Domino! Noverint univerſi, quod nos inquiſitione præhabita diligenti invenimus, quod venerabilis Dominus Epiſcopus Raceburgenſis dimidiam decimam *totius villæ Procholt* de jure debet habere & quam eandem dimidiam ad uſus cameræ fratrum ſeu conventus in Raceburg audivimus aſſignatam, volumus, ut quilibet ſive miles ſeu quicunque alius, qui per alios aut per ſe agros in villa prædicta colit, camerario conventus jam dictæ expedite perſolvat dimidiam decimam ante dictam, nec ab ipſius præſtatione per nos ſe quisquam excuſet, quaſi *a nobis eam* IN FEUDO *teneat*, quia nulli unquam hominum ſæpe dictam dimidiam decimam, dominum Epiſcopum contingentem, in feudo nos dicimus conceſſiſſe. Datum Raceburg anno domini MCCLXXXV. ſexto Nonas Julii. 1285. 1286.

LXXVIII.

Helmoldus Comes Suerinenſis duos manſos villæ Exen, quos Antonio MILITI ſuo in FEUDUM dederat, nunc, facta RESIGNATIONE liberos confert in eccleſiæ Raceb. proprietatem ſervato ſibi in villa judicio majori. Accedit eccleſiæ Raceb. remuneratio, qua Helmoldo Comiti conceditur pars decimæ villæ Slavicæ Reſtorp ſine FEUDO.

Helmoldus Dei gratia Comes Zuerinenſis omnibus præſens ſcriptum viſuris ſalutem in Domino! devotionis gratiam, quam ad Razeburgenſis eccleſiam noſtri progenitores ſpecialiter habuerunt, quaſi in nos ab ipſis derivatam & nos ſimiliter habere & renovare in operis exhibitione volentes, ut jam non preterita, ſed per nos continuata dicatur; duos manſos in villa *Exen*, quos *Antonius* MILES a nobis in eadem villa *jure* tenue- 1286.

rat

rat *feudali*, dictæ Raceburgenſi eccleſiæ cum ſuis pertinentiis, *recepta* primo *reſignatione* ipſorum a præfato milite, liberos & exemtos ab *omni ſervitio*, *procuratione*, *expeditione*, *hoſpitio* in perpetuam *proprietatem* conferimus cum plenitudine *juris omnis*, nihil nobis noſtrisque in eis reſervantes, niſi tantum *colli & manus judicium*, cujus judicii *tertia* pars eccleſiæ, nobis vero, ſi *compoſitio intervenerit*, *duæ* cedunt. Ipſi eccleſiæ eadem libertate donantes, ut, cum piſces in aquis, villæ Exen adjacentibus, capiuntur, & captura ad fines agrorum, quos eccleſia in prædicta villa ex noſtra & Gunzelini quondam Zverinenſis Comitis claræ memoriæ avi noſtri conceſſione obtinet, adlitaverint, de illa captura debitam partem habeat, nullo officiali vel advocato noſtro nullove altero ipſi in hoc jure obſtaculum faciente. Ut autem hæc noſtræ donationes perpetuis temporibus perſeverent, memoriale iſtud deſuper conſcribi fecimus & ſigilli noſtri munimine roborari. Actum *Zverin* Anno Domini MCCLXXXVI.

Nos *Henricus* Præpoſitus, *Thieder.* prior totumque Razeburgenſis eccleſiæ capitulum liberalitate Domini Helmoldi Comitis ſupra ſcripti relativa quadam volentes viciſſitudine reſpondere, *tertiam* partem decimæ *aquarum in villa Wendereſtorp* obtinemus, de communi conſenſu omnium noſtrorum *ſibi* & ſuis *hæredibus* SINE FEODO tenendam concedimus, proprietate in ejus penes eccleſiaſticam remanente. In cujus rei teſtimonium hanc eandem *ſuæ donationis* & noſtræ *recompenſæ* paginam ſigillo noſtri capituli conſignamus. Actum a nobis anno Domini MCCLXXXVI.

LXXIX.

De donatione dimidiæ decimæ in Lancowe & futura proprietate villæ Bardenſee in FEUDUM conceſſæ Hartwico MILITI

1286. *Conradus* Dei gratia Raceburgenſis Epiſcopus, Præpoſito, Priori & conventui ejusdem eccleſiæ fratribus ſuis in Chriſto tam debitum quam devotum in Domino charitatis affectum. Cum ex officii noſtri debito eccleſiis omnibus ſollicitudini noſtræ commiſſis paterna proviſione intendere debeamus; ſpecialius tamen earundem utilitati nos decet & commodis providere, a qua & nominis dignitatem honoris prærogativam & ordinis cognoſcimur accepiſſe. Proinde utilitati veſtræ conſulere in his maxime cupientes, in quibus *epiſcopalis menſæ* non minuuntur reditus vel læduntur, dimidiam decimam, quam in villa *Lanckowe*, quæ eſt pe *parochia ſancti Georgii prope civitatem Raceburg*, quam Abbas & monaſterium *ordinis S. Benedicti in Herſevelde*, *Bremenſis diœceſeos*, ſine conſenſu anteceſſorum noſtrorum Epiſcoporum & noſtro tenuerunt & *adhuc detinent* contra ſtatuta concilii generalis, in perpetuam vobis proprietatem conferimus veſtris, cum ſuper ea ſecundum juſtitiam proceſſeritis, uſibus profuturam; item *proprietatem* villæ noſtræ *Bardenſee*, quæ eſt de parochia *Muſtin* ſimiliter vobis perpetua donatione donamus concedentes, ut cum FEUDUM *ejusdem villæ* ab Hartwico milite & Walraveno ejus fratre vacare, contigerit per *reſignationem* SPONTANEAM *vel alio juſto modo*, poſſitis fructus ejus in uſus veſtros convertere & poſſeſſionem ejusdem villæ per vos apprehendere & tenere ſine aliqua inductione alia corporali. In cujus rei memoriam & perpetuam firmitatem præſens inſtrumentum deſuper conſcribi fecimus & ſigilli noſtri munimine roboratum juſſimus vobis tradi. Datum & actum in Raceburg. anno Domini MCCLXXXVI. in præſentia.

LXXX.

De venditione penſionis juris piſcaturæ in aquis villæ Boſowe ALLODII. Marquardi de Schetere, ſub clauſula evictionis & obſtagii.

Ego *Marquardus* famulus dictus de *Schetere* 1287.
fateor in hoc præſenti ſcripto fideliter & proteſtor, quod ego nomine meo & *fratrum meorum*, nomine etiam filiorum ſororis meæ & omnium eorum, *qui* CONSORTES *ſunt* BONORUM, noſtrorum, in villa *Scalitze* vendidi Præpoſito & conventui eccleſiæ *Raceburgenſis* jus piſcaturæ, quod in aquis *Boſowe* adjacentibus nobis competere dicebamus, jus etiam percipiendi piſces, quoties ad agros vel littus agrorum Scalitze capturam piſcium contigerit applicari; renunciavi etiam pro me & omnibus ſupradictis *perſioni trium ſolidorum*, quam de ALLODIO *Boſowe* percupere conſvevimus annuatim; vendidi inquam & renunciavi Præpoſito & conventui ſupradictis hæc omnia pro *viginti marcis* denariorum Lubecenſium, quas me ab ipſis integre fateor recepiſſe. Promiſi etiam manus *Wiperti*, *Ulrici*, *Henrici de* BLUCHERE MILITUM & ad præſentes meas eisdem promiſerunt Wipertus & Fridericus *de Bluchere* militum, & ad præſentes Amelungus dictus *Hutſicht*, Hinricus *de Weltzowe* & dominus Johannes *de Luczowe*, Fridericus de *Melenteke*, Hermannus *de Bluchere*, Engelbertus *de Laſſan* famuli: Lefardus civis *civitatis Wittenborg* fide interpoſita corporali pro me & fratribus meis filiis ſororis meæ, quod contra hanc venditionem nunquam per nos vel per alios veniamus, & quod prædictos Præpoſitum & conventum contra omnes, qui bona in *Scalitze* habent vel habituri ſint inpoſterum, *varendabimus cum effectu* alioquin per fidem Wittenborg *intrabimus*, inde *non exituri*, donec ipſis res venditæ ſint *defenſæ*. (*) Ego *Wipertus*, ego *Ulricus*, ego *Hinricus* dicti *de Bluchere milites*, ſub ſigillis noſtris huic ſcripto appendentibus confitemur, quod ſupradicti omnes & eorum ſinguli ſub forma prænotata in manus noſtras promiſerunt, quam promiſſionem ab ipſis ad nomen Præpoſiti & conventus prædictorum nos dicimus rece-

recepisse. Acta sunt hæc in TERMINIS *villarum Scalitze & Bosow* prope *molendinum villæ Bosowe* anno domini MCCLXXXVII. quarto die post festum omnium sanctorum.

(*) *Promisit hic Venditor evictionem rei venditæ sub vinculo* OBSTAGII.

LXXXI.

Emeke Hako promittit se daturum quolibet anno in die Martini sex marcas denariorum Lubecensium pro dimidia decima in villa Bocholt.

1287. Ego *Hinricus* dictus *Hako miles in Raceburg* promitto vobis, domine Præposite & capitulo Raceburgensi pro me & meis hæredibus nunc existantibus & futuris, quod quolibet anno *in die beati Martini* dabo vel hæredes mei dabunt *Camerario ecclesiæ vestræ* sex marcas denariorum Lubicensium monetæ pro dimidia decima villæ *Bocholt*, quam mihi pro tali pensione & meis hæredibus in perpetuum taliter locavistis; si vero in die prædicto illas sex marcas ego vel mei hæredes non solverimus, ipsam in die nativitatis Domini procul dubio persolvemus: quod si in die nativitatis Domini non solverimus, usque ad diem purificationis subsequentem habebimus inducias ad solvendum: si autem tunc non solverimus, Camerarius nomine Raceburgensis ecclesiæ prædictam decimam in agris villæ prædictæ per suum nuncium colligi faciet omni anno, & nos detentam restituemus ei nihilominus pensionem. Isti promissioni ego Thetlevus de Perkentin, ego *Hinricus de* CRUMMESSE, ego Hartwicus de *Ritzerowe* MILITES interfuimus & cum sigillo Domini Hemokonis nostra etiam sigilla præsenti suo instrumento duximus apponenda.

LXXXII.

De libertatibus in terra Boytin, præcipue de petitionibus seu Bedis ab hominibus seu subditis exigendis, item de majori & minori judicio.

1288. *Conradus* Dei gratia Raceburgensis ecclesiæ Episcopus Præposito & capitulo ejusdem ecclesiæ fratribus suis in Christo dilectis salutem in Domino! Desiderantes vestræ utilitatis augmentum vobis vestrisque successoribus in perpetuum conferimus & donamus ut *petitiones in porcis* ab *hominibus vestris* in terra *Boytin*, *integre* percipere valeatis, item quando *exactionem* VEL *petitionem in hominibus* fecerimus vel nostri successores Episcopi fecerint, similiter ipsam ab hominibus tollatis & vestris usibus applicetis non servata nobis portione aliqua in præmissis: item *majore judicio* in bonis vestris apud nos nostrosque successores Episcopos ex integro permanente, *minus judicium* in ipsis vobis recognoscimus; & ideo vobis perpetua ordinatione & concessione donamus, ut *Bloot* & *Blawe* & quicquid ad minus judicium pertinet, in bonis vestris absque *nostri advocati* præsentia, & eo irrequisito per vos vel vestros *officiales* judicare possitis & emendam *illius forefacti*; si tamen in bonis vestris commissum fuerit, ex integro valeatis tollere & habere. Verum si homines nostri in bonis vestris deliquerint, vestri quidem officiales judicabunt sine *advocati nostri* præsentia, sed *emendam* nobiscum æqualiter dividetis. Si autem homines nostri in bonis nostris deliquerint, sive ad *majus judicium* sive ad *minus* delictum pertineat, noster advocatus judicabit: & quando reus emendare permittitur, emenda inter nos & vos æqualiter dividetur, non percepturi nos partem nostram, nisi vos vestram sitis integraliter consecuti. Aquas & ligna bonorum vestrorum ita ad vos recognoscimus & volumus pertinere, quod nos & successores nostri nihil nobis juris vendicabimus in eisdem. Ut autem hæc nostra donatio & ordinatio perpetuum robur obtineat præsens desuper scribi fecimus instrumentum, sigillo nostro fideliter communitum jussimus vobis tradi. Datum & actum SCHONENBARGÆ anno Domini MCCLXXXVIII.

LXXXIII.

Ducis Alberti confirmatio juris capituli, quod Præpositus & conventus solemni præstito juramento villam Rodemitzle, item lignа & locum Seebroc sibi vendicarint.

Albertus Dei gratia Saxoniæ Westphaliæ & Angariæ Dux. Omnibus præsens scriptum visuris salutem in Domino. Quia Præpositus & conventus in Raceburg coram nobis in *choro suo* juraverunt *solemniter in altari*, quod *majus judicium in villa Rodemuzle & ejus terminis* ad eorum ecclesiam pertineat, & quod locus, qui dicitur *Seebrock* tam pleno jure similiter ad ecclesiam pertineat, quod nec *cives nostri in Raceburg* vel quicquid alii ligna & gramina secare debeant in eodem. Ideo nos, quia tale ab ipsis recepimus sacramentum, ipsis & ecclesiæ eorum talia jura in locis prædictis dimittimus, prohibentes, ne quis ecclesiam in ipsis de cætero audeat perturbare. Acta sunt ista coram nobis anno Domini MCC. LXXXIX. *Sabbatho primo* ante Lætare in præsentia NOBILIS VIRI *Domini Johannis Magnapolensis* dicti *de* GODEBUZ, qui sigillum suum his apposuit in memoriam rei gestæ, & in præsentia Johannis Præpositi *de Brote*, capellani & *notarii nostri Ribonis* dapiferi nostri, Emekonis *Hake*, *Detblevi de Perkentin*, Friderici *de Bergen*, Godescalci *de Hagenowe*, Walraweni *de Ritzerowe*, Thimonis *de Boockwolde*, Alberti Lupi, Gerardi de *Reddelhestorpe*, Nicolai *Compesole*, Henrici *de Crummesse*, Hartwici *de Ritzerowe* VASALLORUM *nostrorum*, Testium ad hoc adsumtorum. 1289.

LXXXIV.

Conventus Zismariensis Testimonium fraternitatis resumtæ & mutuo initæ cum Raceburgensibus.

Honorabilibus viris & discretis, domino Præposito, Priori, totique conventui *in Raceburg* HEINRICUS DEI GRATIA *Abbas totus-* 1291.

totusque conventus ordinis Benedicti, in Zifmer paratum obſequium ad omnia genera mandatorum. Ex relatione ſeniorum non multi temporis oſtenditur intervallum, quod eccleſiæ noſtræ tanquam *conſobrinæ* reputatæ ſunt in illo tempore, quo *in Lubeke* apud *ſanctum Johannem* habitantes magna gaudebamus libertate, ita, ut perſonæ de noſtra aggregatione ad nos tranſeuntes, quando & quoties ipſis collibuit, non ſicut hoſpites & advenæ ſed tanquam domeſtici *fratres & filii* cum omni charitate & mutua dilectione a noſtris patribus ſunt recepti & congruis honoribus, & multiplicibus commodis procurati, & vice verſa fratres noſtri ad vos venientes ſimilia vel majora commoda in noſtra congregatione cum multa jucunditate multoties perceperunt. Nos igitur ſuper extincta talis ac tantæ conſolationis gratia dolentes & integrum reſtaurare *prioris dilectionis viciſſitudinem* cupientes, his ſcriptis de conſenſu & beneplacito totius noſtræ congregationis firmiter pollicemur, quod ſicut antiquitus ita & nunc & in futurum vobis omnia commodorum genera, cum ad nos declinare decreveritis, exhibere benevoli erimus & parati. Præterea in cauſſis incumbentibus ad danda conſilia ſana & utilia pro noſtris juribus, ſi requiſiti erimus, promtiores & e converſo. Item de cætero fratrum veſtrorum memoria, qui de medio ſublati viam univerſæ carnis ingreſſi, ſicut noſtrorum fratrum in omnibus ſalubriter peragemus & nomina illorum in noſtro calendario ſignanter apponemus, dummodo ipſa nomina per certas perſonas nobis fuerint intimata, & e converſo. In cujus *reſumtæ fraternitatis teſtimonium* præſentes litteras ſigillis noſtris pro majori evidentia fecimus roborari. Datum in *Cytzemer* in craſtino nativitatis beatæ memoriæ virginis Anno Domini MCCXC. feliciter, Amen. Amen!

LXXXV.

De decima in Sclavicali Sirekesfelde in anniverſario Epiſcopi Conradi.

1291. *Conradus* Dei gratia Raceburgenſis eccleſiæ Epiſcopus Henrico Præpoſito, Thiederico Priori totique ejusdem eccleſiæ capitulo fratribus ſuis in Chriſto dilectis ſalutem & ſinceram in Domino charitatem! Adfectu ſincero ſic locum veſtrum diligimus & perſonas, ut licet omnium ſpiritualium virorum orationes implorare merito debeamus; Veſtras tamen fiducialius ac ſpecialius tanquam confratrum noſtrorum nobis deſideramus impendi, a quibus ordinis diſciplinam, nominis dignitatem, prærogativam honoris nos cognoſcimus recepiſſe. Confiſi igitur de fraternitatis veſtræ dulcedine, vos rogamus, quatenus inter alios epiſcopos eccleſiæ veſtræ, quorum memoriam agitis, nos recommendatum habentes & *diem obitus noſtri annuum* peragatis & Deum nobis ad gratiam & miſericordiam inclinetis, ut indulgentiam, quam noſtris non meremur meritis, interventu veſtrorum precaminum aſſequamur. Ut autem hæc in longitudinem dierum operemini & diutius agere valeatis decimam noſtram, quam habemus in SCLAVICALI *villa Syrekesfelde* ad conſolationem vel ſervitium in die, qua memoriam noſtram peragatis, vobis conferimus per præſentes perpetuis veſtris uſibus profuturam. Datum & actum anno Domini MCCXCI. in præſentia.

LXXXVI.

Ducis Ottonis Brunſuic. & Luneburg. charta de permutatione bonorum villæ Barendorp pro tribus choris ſalis in Lüneburg.

Otto Dei gratia *Dux Brunſuicenſis & Lu-* 1291.
neburgenſis omnibus præſens ſcriptum viſuris ſalutem in Domino! Noverint univerſi, quibus id noſſe fuerit opportunum, quod cum Raceburgenſis eccleſia villam *Barendorp* cum ſilvis & pertinentiis ſuis ex dono Domini HENRICI quondam *Saxoniæ Bavariæ ac Brunſuicenſis Ducis*, illuſtris *tritavi* noſtri in proprietatem perpetuam multis temporibus poſſediſſet, & quia proculdiſtabat ab eis, fructum modicum ex ea conſequi valuiſſet, placuit tam ei, quam nobis dicta bona ad nos recipere & utiliora ſibi & fructuoſiora conferre. Hinc eſt, quod nos per reſignationem dictorum bonorum a Præpoſito & capitulo ejusdem eccleſiæ nobis factam ea ad nos recepimus, & *tres choros ſalis*, quos in ſalina Lüneburg in domo *Hoginghe* dicta poſſidemus, eis reſtituimus, contulimus in proprietatem perpetuam permutationis titulo poſſidendos & quolibet flumine percipiendos cum ea libertate, quam in dicta domo in præfatis choris percipiendis habuimus; videlicet quod nemini ſalis penſio ex domo nominata quomodolibet exſolvatur, niſi prius dictæ tres menſuræ Præpoſito aut capitulo vel eorum nuntio memoratis integraliter exhibitæ fuerint & ſolutæ; promittimus in nomine Alberti Ducis Saxoniæ illuſtris & pro nobis & hæredibus noſtris nunc hic ſtantibus & futuris, quod contra dictum permutationis contractum nunquam per nos vel per alios veniemus, & quod ipſos temporibus eis aptis ipſos varendabimus, auctorizabimus contra omnem hominem ex præmiſſis. Nos *Albertus Dux Saxoniæ* iſti contractui interfuimus, promiſſionem recepimus, ut fides placitis teneatur, & hoc ſub ſigillo noſtro, quod his præſentibus præponimus, confitemur. Datum & actum Anno MCCXCI. in die Walburgis Virginis Item:

Nos Dei gratia *Conradus, Verdenſis eccleſiæ Epiſcopus*, Domini *Ottonis* Lüneburgenſis Ducis *patruus*, & nos *Henricus Brunſuicenſis Dux*, filius patrui ejus, CONSENSUS NOSTROS *ad hoc adhibuimus & contractui conſenſimus*, quod per noſtra ſigilla his appoſita profitemur. Datum *Lüneburg* anno Domini

mini MCCXCI. in die Walburgis Virginis. Hujus rei teſtes ſunt Henricus *de Wreſtede*, Thiedericus *de Alten*, Echardus *de Boycenburg*, Boldewinus *de Bodendyke*, Aſchen *de Salderen*, Johannes *de Eſterden*, Wernerus *de Medinge*, Thiedericus *de Monte*, Gevehardus *de Monte*, Heino *de Dannenberg*, Manegoldus *Struve* & alii quam plurimi clerici tam laici fide digni.

LXXXVII.

Recognitio conſulum Lüneburgenſium, quod Capitulum Raceburg. commutarit bona villæ Barendorpe pro tribus choris ſalis in Lüneburg.

1291. Nos *Johannes Prekel, Advocatus in Lüneburg*, Albertus *Hollo*, Joannes de *Melbeke*, Johannes *Om*, Herderus, *Alartus de Schilſten*, Andreas, Joannes *Hoggeri*, Gerhardus *Garlop*, Heino *Riemenſchnider*, Joannes *Dicke*, Ludolphus *Hoppenſack*, Joannes *Beve*, Thidericus *Burmeſter*, Ludolphus *Steenbeck* ejusdem *conſules civitatis* ad notitiam tam futurorum quam præſentium volumus pervenire, quod quemadmodum illuſtris Princeps Dominus HEINRICUS *Dux Brunſuicenſis* & FUNDATOR *eccleſiæ Raceburgenſis* felicis memoriæ DOTAVIT *eccleſiam memoratam cum* BONIS *Barendorpe*, eo modo commune capitulum Raceburgenſe in dotem ſuæ eccleſiæ commutavit eadem bona cum illuſtri principe Domino noſtro *Ottone Duce* in tres choros ſalis quolibet flumine tollendos in *ſalina Lüneburg* in bonis jam præfati noſtri Ottonis Ducis videlicet in domo *Hoginge* ea libertate, qua idem Dominus noſter Otto Dux prænotatos tres choros poſſedit hactenus a patre ſuo, in hunc diem, prout in ſpeciali privilegio ſæpe dicti Domini noſtri Ottonis Ducis plenius continetur, libere ac perpetuo poſſidendos. Ne autem hæc commutatio coram nobis rationabiliter ordinata alicujus poſterorum noſtrorum *temeritate* ſive *violentia* aliquatenus valeat inveſtari præſentem paginam ſæpe dictæ eccleſiæ in Raceburg ſigillo noſtræ civitatis ad cautelam dedimus communitam. Datum Lüneburg anno Domini MCCXCI. in die Agathæ virginis & matris.

LXXXVIII.

Gyſelberti Archiepiſcopi mandatum & excitatorium ad Epiſcopos Suerinenſem, Raceburg. & Lubecenſem ut ipſi & capitula ſibi invicem ſubveniant & ſententias latas exequantur ſub pœna ſuſpenſionis a divinis & excommunicationis.

1292. *Gyſelbertus* Dei gratia ſanctæ Bremenſis eccleſiæ Archiepiſcopus venerabilibus in Chriſto fratribus ZVERINENSIS, RACEBURGENSIS & LUBECENSIS eccleſiarum Epiſcopis, ſeu eorum vices gerentibus, Præpolitis, decanis ac capitulis eccleſiarum earundem, omnibusque dictarum Diœceſium Prælatis in domino ſalutem! Quanto civitatis Domini muris eminentius ſuperponimus, tanto magis ſuperintendere cuſtodia nos convenit, ut pace ſibi diſpoſita gaudeat & ſalute. Equidem indignum receſſiſſe cenſemus a memoria, quod perſuadente ſapientis proverbio proclamantis, frater, qui adjuvatur a fratre quaſi civitas firma, quondam a *venerabili Domino Guidone Cardinali apoſtolicæ ſedis legato*. Deinde in noſtris *Bremenſi* videlicet & *Stadenſi* conciliis proviſum eſt ſalubriter & ſtatutum ut noſtræ provinciæ Prælati in exequendis ſententiis contra ſævitiam eccleſias perturbantium lætis ſibi mutuum præſtare debeant auxilium, cum a dictarum ſententiarum latoribus requiſiti fuerint, ſicut in proviſione ſtatutisque præmiſſis expreſſius continetur. Verum continuus clamor nos docuit, ac latere famoſi facti multiplicitas non permiſit, quod cum Paſtores eccleſiarum dicta ſtatuta ſervare neglexerint, uti nam ipſis lupis rapacibus placere non delegerint, omnibus judiciis magna pernicies eſt inducta. Nos igitur imminentibus excitati periculis nosque vigilantiores cupientes efficere innovando monemus, vobisque omnibus & ſingulis præcipimus & mandamus, quatenus ſecundum prædictorum ſtatutorum ſeriem *ſententias noſtras* alterutrum exequendo, cum ab *earundem latore ſeu latoribus futuris requiſiti* vobis mutuum auxilium impendatis. Alioquin vos fratres Epiſcopos aliosque Prælatos & capitula, ſi præſens noſtrum mandatum adimplere contemſeritis; & a tempore requiſitionis infra *octo dies* dictas ſententias executi non fueritis, *pœnæ ſuſpenſionis ab ingreſſu eccleſiæ & a divinis* volumus ſubjacere. Si & prælati, Epiſcopis minores, & capitula ſi infra alios octo dies in veſtra *negligentia*, imo magis *contumacia* permanſeritis, pœnam *excommunicationis* ipſo ſcripto vos incurrere cognoſcatis, quas pœnas ſuſpenſionis videlicet & excommunicationis ex nunc ſicut & tunc in hujus ſcriptis ſententialiter ferimus in rebelles. Ad hæc ſervanda mobiles vos efficiat charitatis calefactio, accedentes, quod ſi quiſpiam contra quemlibet veſtrum prævaluerit eidem duorum reſiſtetur adjutorio, & quod funiculi triplicis difficilis ſit ruptura. Datum anno Domini MCCXCII. in *Sabbatho* ante feſtum S. Michaelis archangeli.

LXXXIX.

Edictum, contra eos, qui Epiſcopos captivos (*) ducunt, aut homines religioſos violant; item de pugna vel DUELLO in cæmiteriis de advocatorum Eccleſiæ limitibus, raptoribus bonorum, ſcholaribus vagis ſeu Goliardis &c.

In Nomine Domini. Amen.

Gyſelbertus Dei gratia ſanctæ *Bremenſis eccleſiæ Archiepiſcopus* ad perpetuam rei memo- 1292.

memoriam. Execrabilis horribilium ſcelerum & multa præſumtione per impunitatis licentiam *contra clerum* noſtris temporibus ſic exercuit, ut quidam perditionis filii, qui obſtinatis animis ad exercenda quævis nefaria velociter ſunt edocti, nunc ad illam crudelitatis ſævitiam non verentur manus extendere, quod *epiſcopos capere audeant, includere, & carcerali cuſtodiæ mancipare*; propter hæc clericalis dignitas contemnitur, dum eccleſiarum Prælati *filii Zion* inclyti velut vaſa terrea conteruntur: Certe ne in his magis inſoleſcat crudelis cervicoſitas impiorum, ne ſuperbia Deum odientium libere ſemper aſcendat; nos una cum *Raceburgenſis Suerinenſis* ac *Lubecenſis* eccleſiarum Epiſcopis ſuffraganeis noſtris, nec non totius provinciæ Prælatis tam regularibus quam ſecularibus & plurimis clericis, tam religioſis quam aliis in noſtra eccleſia Bremenſi in provinciali concilio congregati deliberatione diligenti habita conſenſu & adprobatione prædictorum omnium accedente ſtatuimus, ut ſi nos vel aliquem ſucceſſorum noſtrorum aut etiam aliquem coëpiſcoporum noſtræ provinciæ in ſua vel aliena ditione capi contigerit, in illa ditione, in qua captus detinetur, & in ſua, ceſſetur generaliter *a divinis*; ſimiliter a divinis ceſſari præcipimus in territorio, in quo capitur, vel per quod captus deducitur, ſi captioni vel deductioni hujusmodi *dominus dicti territorii conſenſum præſtiterit vel juvamen*: quod ſi intra menſem in captivitate idem Epiſcopus detentus fuerit, totam provinciam ſupponimus per ſententiam, quam nunc ferimus, eccleſiaſtico interdicto; item cum hujusmodi ſceleris patratores ipſo facto ſint *excommunicatione* ligati, a canone ſententiæ promulgatæ volumus & præcipimus ipſos ab omnibus eccleſiarum rectoribus noſtræ provinciæ excommunicatos, expreſſis eorum nominibus nunciari ſingulis diebus dominicis & feſtivis & a Chriſti fidelibus usque ad ſatisfactionem condignam arctius evitari; illos etiam, qui ipſis communicare præſumſerint, præter quod in caſibus a jure conceſſis, ſi *canonice* moniti a communione talium ſe non abſtraxerint ſive laici fuerint ſive clerici religionis vel ordinis cujuscunque præcipimus a locorum ordinariis auctoritate noſtra ac dicti concilii ex communicationis vinculo innodari; inſuper dicti ſacrilegii perſonam ſtandi in judicio, non habeant, teſtimonium ipſorum nihil fidei adferat, & tanquam *rei criminis læſæ majeſtatis* inter vivos ab omnibus prorſus legitimis actibus ſint excluſi, & poſt mortem niſi a ſede ſibi apoſtolica de abſolutionis beneficio provideriſt, *beſtialem* cum beſtiis recipiant *ſepulturam*. FEUDA ſi qua *ab eccleſia tenuerint* ipſo facto amittant *nec infeudentur de novo*, qui talibus beneficiis ex eorum malefacto ſe reddiderunt indignos. Filiis etiam patratorum hujus ſceleris, tam *capientium* ſcilicet quam *captos detinentium*, in clericatu poſitis ad eccleſiaſticos ordines, beneficia eccleſiaſtica & honores, niſi pœnitentes ipſorum ſceleri ſibi ſatisfactione proſpexerint, prohibitus ſit aſcenſus. Ad hæc ſtatuimus & ſententionamus in his ſcriptis, ut ſi qui clerici vel monachi aut regulares cujuscunque ordinis, religionis, ſtatus, conditionis aut gradus exiſtant, qui prædictos ſacrilegos ad eccleſiaſticam ſcienter receperint ſepulturam, ſint ſuis officiis beneficiis locisque privati; & a clericali ordine penitus alieni; item de epiſcopis alienis per noſtram provinciam tranſeuntibus ſic volumus obſervari, quod in territorio noſtræ ditionis vel provinciæ, in quo eos capi contigerit, ſi *dominus ejusdem territorii* captioni eorum aſſenſum & opem præſtiterit, ac per totam ditionem, in qua capti detinentur, donec ad eorum liberationem divina officia intermittantur, & capientes ac ipſos captos detinentes per totam noſtram provinciam usque ad ſatisfactionem condignam *excommunicati publice nuntientur*: ſtatuimus inſuper & inviolabili conſtitutione firmamus, ut, ſi qui *domos vel curias Epiſcoporum* vel aliorum Prælatorum vel canonicorum per vim confregerint aut aliis *dotes eccleſiarum* dederint in ruinam, quive ad hoc conſilium & auxilium, opem & operam præſtiterint efficacem, ut ſacrilegi invaſores a dioeceſano loci, cum ad ejus notitiam pervenerit, excommunicentur, per totam diœceſin & usque ad condignam ſatisfactionem excommunicati publice nuncientur. Si vero usque ad vitæ exitum in ſua pertinacia perſtiterint, eccleſiaſtica careant ſepultura; quos ſi parochialium eccleſiarum clerici ex certa ſcientia ad ſepulturam receperint, pro ipſo ſuis beneficiis ex hac noſtra ſententia, quam in his ſcriptis ex nunc firmamus, ſint privati, & ea libere conferat, ad quem pertinet collatio eorundem: ſi vero religioſi monachi vel canonici eos ſepelire præſumſerint, in eo loco, in quo ſepulti fuerint, eccleſiaſtici ponimus interdictum, donec *corpus effoderint* & ſuper noſtri transgreſſione ſtatuti diœceſano loci & eccleſiæ, in cujus injuriam hoc fecerunt, emendam exhibeant competentem, addentes, ut ſi *dominus terræ, civitas, oppidum*, vel *quæcunque communitas* in domibus, curis vel eccleſiarum dotibus reperti fuerint culpabiles, ut permittitur terrarum dominus, eisdem pœnis circa ſingulares perſonas annotatis ſuperius ſubjacebunt; nec non & ipſius terra, civitas, communitas vel oppidum, niſi monitione præmiſſa ſatis fecerint, a diœceſano loci ſupponatur, eccleſiaſtico interdicto quod uſque ad contignam ſatisfactionem per totam diœceſin præcipimus inviolabiliter obſervari: item ſi canonicum *cathedralis* aut alterius *collegiatæ eccleſiæ* aut perſonam eccleſiaſticam alias ſeu in dignitate perſonam conſtitutam capi contigerit & captum detineri; ſtatuimus & usque ad liberationem ipſius & exhibitionem debitæ ſatisfactionis in diœceſi, in qua captus detinetur, ceſſetur generaliter a divinis ſacris, lectis quoque *expreſſis eorum nominibus* per totam

provinciam, ſingulis diebus dominicis excommunicati publice nuntientur. Item, ſi quisquam de prælatorum vel canonicorum familia captus fuerit, nulla adverſus eum coram ipſius Domino prælato ſcilicet vel canonico inſtituta querela taliter definimus, quod ejus captivatores vel detentores canonica admonitione præmiſſa ab ordinario loci excommunicationi lociſubdentur, donec captum priſtinæ libertati reſtituant & ei ac domino ſatisfactionem exhibeant competentem. Item ſtatuimus, ut ſingulis noſtris ſuffraganeorum noſtrorum ac Archidiaconorum noſtræ diœceſis & provinciæ ſynodis ab his, qui eis præſident, clerici profani excommunicentur, anathemizentur, & una cum laicis contra libertates eccleſiaſticas ſtatuta edentibus aut eis utentibus, qui ipſo facto canonis ſententia ſunt ligati, excommunicati publice nuntientur. Prædicti etiam profani clerici, ſi comprehendi poterint, carcerali cuſtodiæ mancipentur & *pane doloris & aqua angustiæ per eorum vitæ tempora* ſuſtententur. Item prohibemus, ne *pugna vel duellum in cœmeteriis* committantur, quæ ſi facta fuerint non a ſecularibus judicibus, ſed ſpiritualibus ſatisfactio ordinetur, quod ſub pœna excommunicationis diſtrictius obſervari præcipimus. Item ſtatuimus, ut eccleſiarum, monaſteriorum vel aliorum piorum locorum *advocati* nihil *in perſonis* aut *bonis* earundem eccleſiarum, monaſteriorum aut piorum locorum ſibi plus debito uſurpantes & contenti his, quæ ipſis jura permittunt, hoc eſt pœnis delinquentium moderatis ex juſto judicio provenientibus ab injuriis ac injurioſis gravaminibus omnino deſiſtant & perſonas eccleſiaſticas, procuratores aut nuncios eccleſiarum ſive eccleſiaſticarum perſonarum *in petendis ac percipiendis decimis, cenſibus, vel aliis reditibus eorum* & in pignoribus pro eisdem decimis cenſibus ſive reditibus, ut in quibusdam locis aſſolet, capiendis non impediant, & requiſiti eos impediri a ſuis ſubditis modo aliquo non permittant. Quod ſi a dictis *advocatis* vel eorum *nuntiis* ſecus fuerit attentatum, canonica circa ipſos, ubi commode fieri poſſet & veriſimile, ad eorum poſſe notitiam pervenire, commotione præmiſſa ex abundanti tribus diebus dominicis de umbone majoris eccleſiæ illius diœceſeos, in qua dicti advocati delinquunt, publica fiat monitio; ut ab injuria deſiſtant & a commiſſo infra tantum de umbone ſibi ſtatuendam ſatisfactionem exhibeant congruentem: alioquin ab ordinario loci excommunicentur ac per totam diœceſin excommunicati publice nuntientur. Ceterum ſi *dominus terræ* fuerit *advocatus* & per ſe vel per ſuos deliquerit in præmiſſis, tota illius terra, vel ſi ſingularis ſit perſona, parochia, in qua moratur, per menſem & annum de umbone, ſtatuto ab eodem loci ordinario ſupponatur eccleſiaſtico interdicto. Præterea raptores, invaſores & detentores rerum mobilium ſeu immobilium ad *menſam epiſcopalem*, eccleſiaſtica monaſteria, capitula, alia pia loca ſeu perſonas eccleſiaſticas pertinentium, ſi legitima monitione intra terminum a loci ordinario ſibi ſtatutum reſtitutionem & ſatisfactionem plenariam cum effectu non duxerint faciendam; hoc obſervari volumus & teneri, quod ſupra de advocatis dominis terrarum & perſonis ſingularibus eſt ſtatutum. Ceterum ut fortiori caritatis vinculo uniti alter alterius onera portantes, contra præmiſſorum ſtatutorum transgreſſores ac alios delinquentes inſtantius procedamus, & ut ipſi majori rubore perfuſi citius reſipiſcant, ſynodali conſtitutione ſancimus, ut nos, ſucceſſores noſtri & quilibet ſupra dictorum coëpiſcoporum noſtrorum ſuffraganeorum invicem debeamus tenere & obſervare noſtras ſententias & per noſtras diœceſes exequi, dum ab eorum latere fuerimus requiſiti. Verum ſi in perſonas *ſpectabiles, illuſtres vel alios* NOBILES *terrarum dominos* ſententias proferre contigerit, poſtquam a *ſede metropolitica*, cui nunc favente Domino præſidemus, fuerint approbatæ ipſa ſede mandante per totam noſtram provinciam ab omnibus fideliter exequantur. Archidiaconorum etiam per noſtram diœceſin & provinciam conſtitutorum ſententias nec nos nec ſucceſſores noſtri nec aliis coëpiſcoporum ſuffrageanorum noſtrorum absque cauſſæ cognitione relaxabimus ullo modo. Item omnibus & ſingulis Prælatis ac clericis noſtræ diœceſis & provinciæ prohibemus nec in domibus ſuis vel commeſtionibus *ſcholares vagos*, qui *Goliardi* vel *biſtriones* alio nomine appellantur, per quos, non modicum vileſcit dignitas clericalis ullatenus recipiant, illos maxime, qui in ſacris ordinibus conſtituti & clericali habitu apoſtaſiantes & ordine laicalem habitum aſſumſerunt, quod cum præmiſſis ſtatutis omnibus & ſingulis ſub excommunicationis pœna præcipimus firmiter obſervari. Poſtremo ne cura hæc aliis excuſationis vel ignorantiæ poſſit velamen prætendere, ſtatuimus, volumus, & mandamus, ut hæc ſalutaria mandata ſemel quolibet anno in *epiſcopali ſynodo vel capitulo* publice recitentur. Verum quia plus firmitatis afferre videtur, quod ſpecialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, ſupra ſcriptis omnibus etiam includimus, & incluſum eſſe volumus diœceſis. In quorum omnium ac ſingulorum præmiſſorum teſtimonium & approbationem, totius concilii accedente conſenſu, ſigillum noſtrum una cum ſigillis ſuffrageanorum noſtrorum præſentibus duximus apponendum. Datum & actum anno Domini M CC XCII.

Feria

Feria ſecunda poſt dominicum, qua cantatur Lætare, pontificatus noſtri a. decimo nono.

(*) Vide *Latomum* & *Hedericum* in vita Rudolfi Epiſcopi Suerinenſis capti.

LXXXX.

De reconciliatione inter eccleſiam Raceburgenſem & civitatem Lubecenſem inita occaſione Werræ ſeu belli inter Ducem Saxoniæ & nobiles Dominos Slaviæ ac cives Lubecæ geſti.

1292. In nomine ſanctæ & individuæ trinitatis! Univerſis Chriſti fidelibus præſentia viſuris ſeu audituris *Burchardus* LUBICENSIS & *Hermannus* RACEBURGENSIS Dei gratia eccleſiarum *Epiſcopi*, ſalutem in Domino ſempiternam! Nuper inter *illuſtrem Principem* Ducem Saxoniæ & ſuos ex parte una, *nobiles viros* Dominos SLAVIÆ & cives Lubicenſes ex parte altera orto bellorum diſturbio, occaſione hujusmodi *Werre* inter viros religioſos canonicos *eccleſiæ Raceburgenſis* ex parte una & *cives Lubicenſes* ex parte altera diſſenſionis quæſtio ſuper diverſis articulis eſt ſuborta: Convenientibus igitur in noſtra præſentia Præpoſito Raceburgenſis eccleſiæ cum aliquibus canonicis pro ſe & ſuo capitulo ex parte una, Domino Henrico *Stenekone* & *Alvino de Lapide* & aliquibus conſulibus & civibus civitatis Lubecenſis ex altera parte, compromiſerunt, in nos, *Burchardum* Lubicenſem & *Hermannum* Raceburgenſem Dei gratia eccleſiarum *epiſcopos*, *ſuper* injectiones mannuum violentas, ut dicebatur in perſonas eccleſiaſticas, violationibus, locorum ſacrorum ſpoliationibus, ſuſpicionibus, conſpirationibus, & fortalitiorum traditionibus, inimicorum conſilio & auxilio, inclamationibus probroſis hinc inde & aliis injuriis factorum vel verborum promittentes ſe & ſuos gratum & ratum habere, quicquid per nos arbitratum, ordinatum, ſtatutum & pronunciatum fuerit, & inviolabiliter ſervaturos; Nos igitur deliberatione debita ſingula propoſita ponderantes, Deum habentes præ oculis pro animarum ſalute & pace communi; diſcretorum virorum & religioſorum conſilio, ſic duximus ordinandum, ut ſuſpicio de canonicis Raceburgenſis eccleſiæ, quod homines civitatis Lubecenſis ea intentione *in montem palmarum* ire verbis protraxerint, ut *hoſtes civium Lubecenſium* interim præparati acrius in ipſos irruerent; nulla penitus habeatur; cum & ratio, leges divinæ & humanæ talia, ut viris religioſis, ſacerdotibus & clericis non ſinant, ut conſentiant hujusmodi rei, aliquatenus opinari; & cum dicti canonici ſe ultro obtulerint expurgare ipſos, hac arbitrii noſtri ſententia arbitramur, decrevimus & pronunciamus ab hujuſmodi, ut dicebatur, *traditionis ſuſpicione* penitus innocentes; de injectione violenta manuum in viros religioſos & violatione locorum ſacrorum, ut dicebatur; cum perſonæ & hujus ſacrilegii rei certitudinaliter non ſciantur, & conſules coram nobis ſe excuſare obtulerint, quod hæc non mandaverint nec rata habuerint, ſed potius ſub pœna debita prohibuerint; ipſos & communes civitatis innocentes haberi decrevimus, ſtatuentes, ut ſi qui ſacrilegi ad conſcientiam revertentes in foro pœnitentiæ *ab excommunicatione ſua* ſe abſolvi petierint, a nullo quam a nobis vel cui nos in ſpeciali commiſimus, abſolvantur cum hoc nobis concedatur, *auctoritate ſanctæ crucis & ordinaria poteſtate:* hæc autem abſolutio non fiat, niſi res canonicorum, ſi quæ ad eum pervenerunt, *penitus reſtituat, ſi eſt ſolvendo*, & nihilominus pro transgreſſione ſacrilego pœnitentia debita imponatur; quæ etiam res ad Canonicos vel ipſorum familiam pertinentes apud quoſcunque inventæ fuerint, reſtitui integre & fideliter per conſules procurentur. De promiſſione vero *mille marcarum*, cum exactio hujuſmodi promiſſionis nimis fuerit temeraria, tanquam omni juri contraria decrevimus ad ſolutionem mille marcarum Raceburgenſis eccleſiæ Canonicos non teneri: damna alia & injurias verborum vel factorum occaſione hujuſmodi diſcordiæ exortas & actiones competentes ex eis utrinque relaxamus & arbitramur & ſtatuimus & pronunciamus ac decrevimus penitus relaxandas. Omnia autem & ſingula ſupra dicta ſententionamus, ſtatuimus & arbitramur congrue obſervari, volumus & mandamus ſub pœna mille marcarum argenti examinati, quas mille marcas ſecundum noſtræ voluntatis arbitrium diſpenſandas nobis decrevimus applicari, in quam pœnam ipſo facto incidere illos decrevimus, qui verbo vel facto per ſe vel per alias vel alios contra prædicta omnia vel eorum aliquid præſumſerint facere vel contravenire, ipſaque non ſervaverint, vel impediverint obſervari; Cujus noſtri arbitrii plenam notitiam præſens ſcriptum ſigillorum noſtrorum teſtimonio una cum ſigillis Domini Hinrici *Raceburgenſis eccleſiæ Præpoſiti* & *ſui capituli* nec non ſigillo *civium Lubecenſium* fecimus communiri. Actum Lubecæ *in* CONSISTORIO CONSULUM præſentibus dominis, jam dicto Henrico Præpoſito, Hildebrando dictæ Raceburgenſis eccleſiæ theſaurario & aliis quibusdam de Canonicis ex parte una, nec non PROCONSULIBUS Hinrico *Stenbecke* & Alvino *de Lapide* cum reliquis CONSULIBUS *civitatis* LUBECENSIS ex parte altera, & teſtibus ad hoc ſpecialiter vocatis & rogatis Domino Ludolfo theſaurario, Magiſtro *Helentberto* cantore & fratre ſuo Magiſtro Segebando canonicis eccleſiæ Lubecenſis nec non *fratribus majoribus* Priore & Sub-priore & fratribus *minoribus*, Guardiano & fratre Gerhardo *de Brunſvic*, MILITIBUS quoque *Ulrico de* BLÜCHERE & Hartwico *de Ritzerowe* nec non quam pluribus aliis clericis & laicis fide dignis. Datum anno dominicæ incarnationis MCCXCII. in craſtino B. Georgii Martini.

LXXXXI.

Godeſcalcus Pren ſenior legat centum marcas SCLAVICALES eccleſiæ Raceburgenſi, recognoſcente Henrico, Domino Megapolitano.

1293. Nos *Henricus* Dei gratia Dominus Magnopolenſis recognoſcimus tenore præſentium publice proteſtantes, quod conſtitutus coram nobis FIDELIS *noſter* MILES & VASALLUS dominus *Godeſcalcus* PREEN *ſenior* de conſenſu noſtro ac hæredum ſuorum dedit ſeu legavit eccleſiæ Raceburgenſi pro remedio animæ ſuæ & uxoris ſuæ nec non hæredum ſuorum *centum marcas Slavicalis monetæ*, ponendo & aſſignando eidem eccleſiæ pro his duos manſos in *Calſowe* ſitos, ſive proventus eorundem tamdiu percipiendos, quousque ab ipſo vel hæredibus ſuis pro centum marcis præhabitis *redimantur*. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum ſigillo noſtro ac hæredum ſuorum juſſimus muniendum. Datum anno Domini MCC. XCIII. in craſtino beatæ Scholaſticæ virginis.

LXXXXIII.

Teſtimonium Johannis militis dicti de Stralye, quod bona in Goldenſee ſint eccleſiæ Raceburgenſis.

1293. Viris honorabilibus & in Chriſto devotis Domino *Henrico*, Præpoſito, Priori totique capitulo *eccleſiæ beatæ virginis Mariæ in Raceburg Johannes* MILES *dictus de* STRALYE *in Kil* obſequii promtitudinem cum affectu. Proteſtor præſentibus de re mihi cognita a principio usque ad nunc, videlicet quod *Wilhelmus Picht* a bonis in *Goldenſee* ſit modo firmo & rationabili ſeparatus, cui domini & canonici eccleſiæ in Raceborg tantam pecuniam impenderunt, quod ipſe & ſui ſucceſſores bona prædicta nunquam amplius poſſent modo aliquo infeſtare: in cujus rei teſtimonium volo, ſi neceſſe fuerit, hoc *juramentis plurimis* confirmare, &, cum ſigillo proprio caream, uſus ſum ſigillo domini *Quardiani*, qui omnia prædicta, ſecundum quod a me audivit cum ſuis fratribus proteſtatur &c.

LXXXXIII.

Dominus Gerhardus de Dorn & uxor ejus legant eccleſiæ Raceburgenſi duos manſos in villa Pothekowe.

1293. Univerſis Chriſti fidelibus, ad quos pervenerit præſens ſcriptum, Gerhardus dictus *de Dorn* & domina Abele dicta *de Chemelin* uxor ejus omnibus in perpetuum. Quoniam propter continuam temporis fluxibilitatem nullius rei certitudo ſub cœli ambitu continetur, expedit, ut res geſtæ, ne ſimul evaneſcant cum tempore, inſtrumentis publicis & dictis authenticis obſirmentur: hinc eſt, quod legaverimus eccleſiæ Raceburgenſi duos manſos in villa Pothekowe &c. ita ut ſingulis annis in eccleſia obitus noſtri memoria peragatur. Porro ante obitum noſtrum volumus, ut quorundam etiam amicorum noſtrorum piæ recordationis, qui communicato Raceburgenſis Præpoſiti ad hoc conſilio per nos nominatis dominis ibidem ſpecificabuntur, annuatim memoria pro dictis manſis conformiter peragatur; in cujus rei memoriam prælibatæ eccleſiæ præſens ſcriptum contulimus ſigilli noſtri munimine roboratum. Datum *Chemelin* anno MCCXCIII. in die beatæ Agnetæ virginis.

LXXXXIV.

Teſtimonium Nicolai Comitis Suerinenſis, quod Senioris Saxon. Ducis Alberti & NOBILIUM domicellorum Joannis & Alberti, DUCUM juniorum Saxon. nomine ſeptem eorum MILITES, CONSILIARII & VASALLI de Ribo, Haken, Perkentin, Schake, Muſtin, Wulf & Balke (familiæ recentiori ſignificatu hodieque *nobiles* & omnes fere in Megapoli & vicinia etiam nunc ſuperſtites) *omnia Ducum jura & bona in territorio Raceb. vendiderint Capitulo Raceburgenſi libera & abſoluta a CONSVETUDINE & JURE DUCALI* exigendi *BEDAS majores & minores, item a LANDTINCK ſeu a foro & judicio provinciali, exceptis ſed reſtrictis tamen tribus publici juris & commodi ſervitiis utpote TERRÆ, CASTRI & PONTIUM; addita a dictis VII. militibus fide de procuranda a Ducibus expeditione authentica contractus hujus venditionis poſt menſis ſpatium, ſub vinculo ſervandi caſu contingente contrario, OBSTAGII in civitate Wittenborg, etiam eo caſu ſi Ducum vel militum unus ante contractus implementum e vita deceſſerit.*

Omnibus præſentia viſuris ſeu etiam audituris *Nicolaus* Dei gratia *Comes Zuerinenſis* 1294.
ſalutem in Domino! Quod audivimus, hoc loquimur, & quod vidimus hoc teſtamur, quia quæ vidimus & audivimus non poſſumus non loqui: Eapropter noverint hi, quibus id noſſe convenit, quod nobis præſentibus, videntibus, audientibus & conſentientibus, *honeſti & diſcreti milites & domini* videlicet *Hermannus* dictus RIBO ſenior & *Eineke* dictus HAKO & Thetlevus *de* PERKENTIN & Hinricus *Scaeowe* & Gotſcalcus *de* MUSTIN & Albertus *Lupus* & Johannes *Balch*, illuſtris Principis Alberti Saxoniæ Ducis ac NOBILIUM *domicellorum* ſcilicet JOHANNIS & ALBERTI *ejuſdem Saxoniæ* DUCUM, dicti *Ducis Alberti* fratruelium, CONSILIARII ac VASALLI FIDELES vendiderunt nomine Principum jam dictorum honorabilibus viris Præpoſito, Priori & capitulo Raceburgenſi in jus & perpetuam proprietatem omnia ea, ſi qua ipſis competere videbantur, de jure vel de facto in omnibus bonis, quæ nunc habent *in diſtrictu ac territorio Raceburgenſi*, quæ propriis vocabulis duximus exprimenda, villam *Campowe* cum omnibus ſuis attinentiis, villam *Cythene majorem* & Cythene *Slavicalem* cum ſuis attinentiis, villam *Goldenſee* cum ſuis attinentiis, villam Clotesfelde cum ſuis attinentiis villam *Oldenborg* cum ſuis attinentiis, villam *Walegoldisfelde* cum ſuis attinentiis, duos manſos in villa *Panthen*, in *Hermannſtorp* duos man-

manſos, in *ſicco* ALLODIO IX. manſos cum dimidio; item manſos adparochialem eccleſiam *Sclawekeſtorp* pertinentes in duo molendina prope ſtagnum Raceborg ſituata; item liberam piſcationem in tribus ſtagnis, ſcilicet in *ſtagno Lancowe*, in ſtagno *Goldenſee*, in ſtagno *Oldenborg* cum omni eo jure, quo ipſam habebant NOBILES ANTEDICTI,(*) pro *ſeptingentis marcis* denariorum Lubecenſium, tali conditione adjecta, ut de præfata pecunia centum marcæ remittantur ad peragendam anniverſariam memoriam illuſtris Principis *Johannis* quondam Ducis Saxoniæ patris Domicellorum ſupra nominatorum. In villis autem ſuperius expreſſis eccleſia Raceburgenſis plena gaudeat libertate; judicio videlicet *colli & manus* tam in villis, quam in omnibus terminis earundem cultis pariter & incultis, in agris, pratis, campis, paſcuis, nemoribus, aquis, aquarum decurſibus, viis & inviis, viarum exitibus & egreſſibus, & generaliter de omnibus illis, quæ infra limites ſupra dictarum villarum, ſecundum quod ea diſtinxit fidelis antiquitas, continentur. Item bona ſæpe dicta LIBERA erunt & *penitus* ABSOLUTA *ab omni gravamine*, ſcilicet PETITIONE *majore & minori*, ab *exactionibus*, quas in bonis eccleſiæ *vendicare* CONSVEVERANT *Duces*, in *porcis*, in *pecunia*, in *annona* ita quod ex tunc *nihil* JURIS *Ducibus competat in eisdem.* Proviſo etiam, ut cum homines eccleſiæ ad TERRÆ *defenſionem*, ad CASTRI *munitionem*, ad PONTIS *refectionem* fuerint evocandi, hoc denunciabitur *Præpoſito Raceburgenſi* vel *ſuo nuntio*, ut hi, qui de hominibus eccleſiæ ad villas tenentur, per Præpoſitum aut ejus nuntium evocentur, & ſi neceſſe fuerit, & hoc exegerit, ipſorum hominum malevolentia, impignorentur a Præpoſito & *ad præhabita compellantur*: item homines eccleſiæ, qui *ad prædicta ſervitia* ſunt adſtricti, *ad foſſata vel ad aggeres comportandos* EXTRA *territorium Raceburgenſe* minime compellantur, nec *ad commune terræ placitum*, quod vulgo LANDTINCK dicitur, homines eccleſiæ Raceburgenſis tenebuntur, *ut antea*, frequentare: item MILITES *ſuperius poſiti nominatim*, *fide præſtita corporali* in manus noſtras ſinguli promiſerunt; quod contractum emtionis & venditionis coram nobis habitum & rationabiliter celebratum *perficiant*, *compleant* ac ad debitum finem perducant: ita ut cum primum *ſenioris Ducis Saxoniæ* & *ſuorum fratruelium* haberi poterit copia vel facultas, privilegia exinde concepta & conſcripta expediant & procurent ſigillis authenticis dictorum Principum perennari ac fideliter communiri; quod ſi caſu contingente infra menſem immediate ſequentem illum diem, quo circa Albeam haberi potuit copia Principum prædictorum, moram fecerint & procurare neglexerint privilegia jam præfata, civitatem *Wittenborg* intrabunt *ſeptem milites prænotati*, inde NON EXITURI, donec *ſatisfecerint* PLENARIE *Præpoſito & capitulo de promiſſis*; item fide data in manus noſtras iidem milites promiſerunt, quod ſi quisquam Principum ſupra nominatorum, quorum nomine memoratus contractus exſtitit celebratus, prius, quod abſit, de medio tolleretur, quam Raceburgenſis eccleſia recepiſſet per ſufficientia privilegia munimenta, dicti milites tenebuntur *in civitatem Wittenborg ſe recipere*, nullatenus *exituri*, donec Præpoſito & capitulo antedictis præcaveant, & provideant de privilegiis, *ſigillis authenticis* roboratis, quibus hujuſmodi contractus confectus & conſcriptus *plenarie contineatur*, & taliter, ut Præpoſito & capitulo ſufficiat, firmiſſime roboretur; ſi vero medio tempore contingeret aliquem decedere, quod Deus avertat! *de numero ſeptem militum* jam ſæpe dictorum reliqui ſex, poſtquam ipſis hod mandatum ac denunciatum fuerit, a Præpoſito & capitulo infra quindenam *alium ſtatuent in locum defuncti*, qui ipſis *conditione & genere* ſit æqualis; alioquin civitatem Wittenborg intrabunt, non exituri, niſi de gratia & favore Præpoſiti & capituli Raceburgenſis eccleſiæ ſpeciali certi fuerint: & ne dubitationis ſcrupulus aut cavillationis materia unde res poſſit venire in dubium, de prædictis omnibus oriatur nos præſens ſcriptum inde confectum ſigilli noſtri appenſione fecimus fideliter communiri. Anno Domini MCCXCIV. infra octavam Epiphaniæ Domini ſalvatoris.

(*) *DUCES Saxoniæ.*

LXXXV.

Expeditio præcedentis contractus, quo Albertus, Joannes, & Albertus Duces Saxoniæ bona & jura ducatus Saxoniæ conjunctim poſſidentes vendunt eccleſiæ Raceburgenſi proprietates manſorum, ſtagnorumque, majus judicium in villa Hermannſtorp (*) & reliqua omnia in terra Raceburgenſi.

Albertus Dei gratia & *Johannes Albertus* Duces Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ omnibus præſentia viſuris vivere cum ſalute. Sicut *res & bona ducatus Saxoniæ communiter* poſſidemus & pro INDIVISO tenemus, ita COMMUNI *deliberatione* decrevimus quædam ex eis vendere, ut ex eorum & earum prætio utilitatem noſtram nobis perquam neceſſariam faciamus. Quapropter notum facimus univerſis, quod nos recepto condigno & juſto pretio a Præpoſito & conventu eccleſiæ Raceburgenſis eis & eccleſiæ ipſorum per eos vendidimus proprietatem quorundam manſorum & quædam ſtagna cum proprietate ipſorum, jura quædam & libertates tam in manſis quam in ſtagnis ceterisque bonis eccleſiæ ipſorum in territorio noſtro Raceburgenſi conſtitutis, quæ ſuis nominibus duximus exprimenda: Vendimus ſiquidem eis proprietatem duorum manſorum in villa *Hermannſtorp*, in SICCO ALLODIO novem manſorum & dimidii proprietatem, item proprietatem manſorum, quæ eccleſiæ in *Slavekeſtorp* ſolvunt, proprietatem etiam duorum molen- 1295.

molendinorum prope *ſtagnum Raceburg* poſitorum, item trium ſtagnorum proprietatem, ſtagni videlicet *Lanchowe*, ſtagni *Goldenſee*, ſtagni in *Oldenborg* & piſcationem liberam in eiſdem cum omni jure, quod hactenus habuimus in eis: *majus etiam judicium* tam in jam dictis bonis, quam in villis quas eccleſia noſtra in terra Raceburgenſi poſſidet & earum terminis, ſcilicet in villa *Campowe*, in villa *Cytane* ac *Cytane Sclavicali*, in villa *Goldenſee*, in villa *Clotesvelde*, in villa Oldenborch, in villa *Wallegotesvelde* eccleſiæ vendidimus, volentes & donantes ac *venditionis titulo* in eccleſiam hoc jus transferentes, ut in prædictis villis ac earum limitibus, agris cultis & incultis, in pratis, campis, paſcuis, nemoribus, aquis, aquarum decurſibus, viis, & inviis viarum exitibus & regreſſibus, quæ intra dictarum villarum limites continentur *in collum & manum* judicare valeant, per ſe vel per *ſuos officiales*, quod ad hoc decreverint ſtatuendos: item prædicta bona omnia libera facimus & reddimus *penitus abſoluta*, ab OMNI *gravamine*, A PETITIONE *majore & minori*, ab *exactionibus*, quæ in eis, USQUE *ad hæc tempora facere conſueuimus*, in porcis, pecunia & annona ita, quod ex nunc nobis *nihil juris* competat in eiſdem. Homines etiam eccleſiæ, qui prædicta bona & memoratas villas inhabitant *ad commune terræ placitum*, quod *Lantynck* dicitur, venire non compellantur inviti. Si vero ad *terræ defenſionem*, ad *caſtri* RACEBURG munitionem, ad *pontis refectionem* cum *cæteris terræ hominibus* fuerint evocandi, Præpoſito Raceburgenſi denunciabitur vel ſuo officiali, ut hi, qui de hominibus eccleſiæ ad hæc tenentur, per ipſum vel ſuum nuntium evocentur, &, ſi neceſſe fuerit & exegerit eorum malivolentia, a præpoſito impignorentur & ad præhabita cempellantur. Item homines eccleſiæ, qui ad foſſata facienda & aggeres comportandos adſtricti ſunt, extra territorium Raceburg hoc facere minime compellantur. Ut autem iſte venditionis contractus in perpetuum ſtabilis perſeveret, nos *Albertus Senior*, illi præſentes auctoritatem TUTORIO *nomine* adhibemus, & ſimul cum CONDUCIBUS *& patruelibus noſtris* renunciamus *omni juri* CANONICO *vel* CIVILI, quo in judicio vel extra revocari poſſit vel quomodolibet impugnari, promittentes bona fide, quod per nos vel alios contra eum nunquam ullo tempore veniemus. Actum a nobis *Molne* anno Domini MCCXCV. in præſentia teſtum ad hoc rogatorum Domni *Ribonis ſenioris* & Domini *Hemyconis* HAKE & *Thetlevi de* PARKENTIN, Godeſcalci *de* MUSTIN & *Henrici* SCHAKO MILITUM. Quia vero nos Joannes & Albertus uno adhuc ſigillo contenti ſumus, in ſigillatione præſentis inſtrumenti tantum pro nobis unito ſumus uſi *patrui noſtri* ſigillo & auctoritate una cum noſtro præſentem paginam roborante.

(*) Recognovit confirmavitque has patrui ſui Alberti & fratrum ſuorum Johannis & Alberti literas venditionis *Dux Saxon. ERICUS diplomate dato Raceburgi a. 1323.*

LXXXXVI.

De quatuor manſis in villa Bentin emtis cum omni jure.

Univerſis præſentia viſuris & adituris *Helmoldus* Dei gratia ſalutem in Domino. Recognoſcere veritatem ut rationabiles actus noſtri ſine calumnia perſeverent apud poſteros, placuit eos nobis commendare teſtibus & ſcriptura: præſentibus igitur recognoſcimus & publice proteſtamur, quod nos de maturo conſilio *fidelium noſtrorum* ac patrui noſtri *Guncelini Comitis Suerinenſis nec non omnium hæredum noſtrorum* vendidimus juſto venditionis titulo cum omni jure proprietatis honorabilibus viris Præpoſito & canonicis eccleſiæ matris in Raceburg pro *trecentis & quinquaginta marcis denariorum Lubecenſium* nobis pagatis & adſignatis quatuor manſorum ſitos in villa *Bentin* cum omnibus ſibi adhærentibus, & tam *majus judicium* ſcilicet *colli & manus*, quam *minus judicium* ſuper dictos quatuor manſos & ſuper *quatuordecim*, quos ab antiquo poſſederant Præpoſitus & Canonici dicti in eadem villa RESIGNANTE nobis FIDELI *noſtro Johanne de Luzow* MILITE libere, quicquid in quatuor manſis & judiciis juris habuit memoratis, ita quod dicta villa *Bentin* ſcilicet totaliter cum omnibus ſuis terminis ſive diſterminationibus & agris, paſcuis, pratis, nemoribus, rubetis, aquis, & aquarum decurſibus cum majori judicio colli ſcilicet & manus & minori judicio & omni juriſdictione ac omnibus ad juriſdictionem conſequentibus libera cum omni jure & integritate, cum omni proprietate & libertate, qua poſſident dicti Præpoſitus & canonici villas *Boſowe* & *Melenteke* privilegiatas a noſtris progenitoribus, eiſdem Præpoſito & Canonicis ſupradictis & eorum ſucceſſoribus in eadem eccleſia libere pertineant poſſidenda perpetuo, ac ſi omnia membra contenta in privilegio villarum Boſow & Melentekein hac pagina poneremus. Teſtes hujus rei ſunt *Johannes de Luzowe*, Borde *Veſow*, Hermannus *de Bluchere*, Dithardus *de Balge*, Fridericus *de Melenteke* MILITES & alii quamplures fide digni. In cujus rei teſtimonium præſentes ſigillo noſtro fecimus inſigniri. Datum anno Domini MCCXCIX. 1299.

LXXXXVII.

De venditione juriſdictionis in villa Provesteshagen.

In Dei Nomine Amen!

Henricus Dei gratia *Dominus Magnopolenſis ſenior*, & *Henricus* eadem Dei gratia *filius ipſius*, dictus *dominus Magnopolenſis junior*, omnibus præſentia cernentibus ſalutem in Domino ſempiternam! Acta vel placita, quæ mundus ordinat, ſæpius in confuſionem diriguntur, niſi perennitas ſcripturarum 1300.

rarum ipsis obvient & succurrant. Hinc est, quod notum esse volumus tam præsentibus quam futuris quod nos consensu unanimi hæredum & consiliariorum nostrorum vendidimus jurisdictionem villæ dictæ *Provestesbagen* in parochia *Glüze* sita *secundum* JURA & STATUTA ZVERINENSIS *terræ*, quæ currit ad sexaginta solidos & non ultra, prout similiter nunc vendidimus VASALLIS *terrarum nostrarum* videlicet *Glüze* dictæ & Parzowe jurisdictionem in suis reditibus sicque Dominis Raceburgensibus Præposito, Priori totique capitulo ecclesiæ prænominatæ vendidimus justo venditionis titulo *de proprio in proprium* perpetuis temporibus possidendum *cum* JURIBUS & *proprietatibus* & *piis* CONSVETUDINIBUS quæ NOBIS vel NOSTRIS VASALLIS a *suis* SUBDITIS *exhiberi sunt consueta*, prædictis Præposito, Priori totique capitulo Raceb. prænominato cum omni commodo de cætero exhibeantur, prout nobis & nostris vasallis. In cujus rei vero certiorem evidentiam nostra sigilla præsentibus sunt appensa & in antedictis dedimus Præposito, Priori totique Raceburgensi capitulo perpetuis temporibus ad cautelam. Testes autem hujus rei sunt CONSILIARII & MILITES *nostri* dilecti, videlicet *Johannes de Cernin*, Marquardus *de Lo*, Heino *de Stralendorp*, Egardus *de Quitzove*, Otto *de Lü*, Hermannus *de Modentin*, Johannes *Stormo*, Johannes *Rosendal* & Nicolaus *Guthowe*, *vasalli nostri* carissimi & alii quamplures fide digni & honesti, vocati ad hoc specialiter & rogati. Datum *Warnemünde* anno Domini MCCC. indictione quarta decima, mense Aprili per manus *Henrici* de *Camin* notarii nostri dilecti.

LXXXVIII.

Albertus Rex Sveciæ Dux Megapolitan. & Johannes Dux Megapolit. testantur, quod ipsis & ipsorum parentibus ac antecessoribus Comitibus Suerinens. a capitulo Raceburgensi FRATERNITAS *collata & in hujus* SIGNUM *ipsis in castro Wittenborg XVI. ulnæ panni & unum par sotularium quotannis oblata fuerint; ex adverso a Comitibus & Ducibus Megapolitanis coloni & bona Ecclesiæ, præcipue in districtu Wittenborgensi sita in* PORTECTIONEM *recepta, nunc vero istæ annuæ oblationes Capitulo Raceburgensi pro C. marcis ob officialium insultus remissa sint, salva nihilominus Ecclesiæ protectione & inter Duces ac capitulum fraternitate.*

1300. In Nomine sanctæ & individuæ trinitatis Amen! Ad perpetuam rei memoriam Nos ALBERTUS *Dei gratia Suecorum Gothorumque Rex Dux Megapolensis, Comes Suerinensis, Stargardiæ & Rostock terrarum Dominus*, & nos *Johannes* eadem gratia *Dux Magnapolensis*, Comes Suerinensis *Stargardiæ & Rostock terrarum Dominus* tenore præsentium recognoscimus lucidius & testamur, quod olim venerabiles & religiosi viri dominus Præpositus, Prior, canonici & capitulum *ecclesiæ Raceburgensis* ob affectum specialissimum, quem *antecessores nostri* COMITES *Suerinenses* ad fraternitatem dictorum dominorum salubriter habuerunt, præfati domini præmissis nostris antecessoribus Comitibus *suam fraternitatem* condonarunt, *ipsisque & eorum successoribus successive descendentibus* atque *nobis in* SIGNUM *fraternitatis collatæ* singulis annis infra octavas *beati Martini Episcopi & confessoris* infra oppidum nostrum *Wittenborg octo ulnas* ALBI & *octo ulnas* BLAVEI *panni* prout ipsi deferre consueverunt, & ad præsens deferunt, cum *uno pari sotularium bonæ notæ* tribuerunt; propter quod *parentes progenitores ac antecessores nostri* sæpedicti Dominos Præpositum Priorem, canonicos & capitulum prælibatos cum omnibus eorum *bonis & colonis* & præsertim *quæ & quos intra nostra Wittenborg & ejus advocatia possederunt* in *defensionem* & TUITIONEM *suam benignam receperunt vice versa*: & quia non solum *officiales & advocati dicti castri nostri Wittenborg & ejus advocatiæ*, verum & qui cunque ipsum castrum & ejus advocatiam a nobis in pignus obtinebat, hujusmodi pannum ut & sotularia, ut præfertur, *propter fraternitatem pie donata*, in solutionem & *consuetudinem* PERPETUAM *ducentes*, ab ipsis Dominis Præposito, Priore, canonicis & capitulo cum quampluribus importunitatibus, violentiis ac incommodis *graviter extorserunt*: etiam colonorum dictorum Dominorum bona, nec non pecora *in pignora deducentes*: Nos vero perpendentes, quod cum a Domino vocati simus ad culmen honorum, in quo sumus, quod per ejus gratiam, quantum ad humanæ sortis excellentiam plus aliis possumus, *ad commodum & quietem Deo famulantium* plus aliis intendere teneamur & debemus, *matura deliberatione ac tractatu diligenti fidelium nostrorum consiliariorum præhabito*, ea, qua decuit solemnitate, ob reverentiam Dei & ob amorem beatissimæ semper virginis Mariæ genitricis ejusdem Domini nostri & præcipue ob specialem reverentiam amorem ac favorem, quæ reverendus pater ac Dominus *Detlevus Episcopus Raceburgensis* nobis & nostris multoties exhibitis & exhibet, justo TRANSLATIONIS & DONATIONIS titulo ab hujusmodi *panno sedecim ulnarum & sotularibus* & omni jure, commodo & utilitate, quæ & nobis & nostris hæredibus ac eorum successoribus exinde in perpetuum provenire poterunt, cessimus libera & spontanea voluntate; resignantes & tradentes ea præmissis Dominis Præposito, Priori, canonicis & capitulo sæpe dicto & eorum successoribus in perpetuum transvertendas eis in possessionem eorum, si quid in dicto panno & solutaribus *patres, progenitores & antecessores nostri, habuerant vel nos habuimus de jure* vel *de facto* nobis vel nostris hæredibus seu successoribus in panno vel sotularibus antedictis nihil penitus reservantes, sed transferentes ipsum pannum cum sotularibus penes eosdem dominos Præpositum, Priorem,

canonicos & capitulum ecclesiæ Raceb. memoratæ, qui *ad liberandam vexationem* & in commodum eorum & ecclesiæ, ad jus quod nobis in panno & sotularibus præfatis competierat, redimendum dederunt nobis *centum marcas denariorum Lubicensium*, quas & ipsis plenarie & integre nos recognoscimus recepisse & in utilitatem nostram per omnia convertisse. Præfati etiam Domini Præpositus, Prior, canonici & capitulum ecclesiæ Raceb. nos & nostros antecessores ac successores *ad eorum fraternitatem* liberaliter receperunt: Quopropter nos eosdem Dn. Præpositum, Priorem, canonicos & capitulum nec non colonos & alios ipsis familiaritate subjectos, & omnia eorum bona tam *mobilia* quam *immobilia* in nostrum & nostrorum hæredum, ac successorum nostrorum *defensionem & tuitionem recipimus* per præsentes, sic quod ipsos & ipsorum ut præmittitur, subjectos defendere volumus & tenebimur *sicut nos*. In quorum omnium evidens testimonium & evidentiam conscribi & nostrorum sigillorum authenticorum munimine jussimus firmiter roborari. Datum & actum in CASTRO *nostro* ZVERIN a. Dni. MCCC. Præsentibus *nostris* FIDELIBUS *dilectis* Ottone *Veregeede*, Ottone *Beyenveldt*, Joh. *Beere militibus* & Barolero *Gaquyny* nostro *cancellario* & quampluribus aliis fide dignis.

LXXXXIX.

Statutum Capituli Raceburgensis de administratione carnium in variis locis & de conditionibus adjectis.

In Nomine sanctæ & individuæ trinitatis! Amen!

1301. Henricus miseratione divina *Præpositus*, Fridericus *Prior*, totumque *Raceburgensis ecclesiæ capitulum* ad perpetuam rei memoriam bonorum omnium largitori. Humani generis conditio, etiamsi omnia membra ejus in lingvas verterentur, dignas non sufficieret pro misericordi ejus pietate referre gratiarum actiones; cujus pietatis nos non immemores, ne ingrati simus, dignas sufficimus, sicut decet, saltem impares meritis ejus pro modulo nostro gratias referamus eidem, qui *dictæ ecclesiæ inopiam* admirabili sua providentia nostris temporibus dignatus est sublevare ordinans quotidianam nobis *præbendam solito meliorem*. Est igitur hæc summa pecuniæ *ad administrationem* carnium suis in locis expressius deputata. In *Grevesmolen* XL. marcas denariorum Lubecensium, in *Polinge* LX. marcas denariorum Lubecensium, in *Sclavicali Tessecowe* XII. marcas, in *Radewenstorp* X. marcas, in ecclesia *Sclevikestorp* XIV. marcas, in decima *Crummesse* IX. marcas, in decima *Clempowe* V. marcas. Statuimus ergo & ordinavimus *consensu* venerabilis patris ac domini Hermanni Episcopi memoratæ ecclesiæ accedente, ut periculum anni tribus diebus in septimana scilicet Dominica tertia & quinta feria fratribus ecclesiæ sæpedictæ in domo debita & communi manducantibus carnes ministrentur, juxta quantitatem majorem ea, quæ in minutioribus & servitiis consuevit hactenus ministrari de mane duo fercula, unum *assatum* & unum *bullitum*; de vespere vero unum tantum scilicet bullitum; item *sultzam* (carnem salitam) & *intestina unius porci* dispensator carnium pro conventinis reservet, de reliquo porco prout sibi viderit expedire, poterit ordinare: itemplacuit nobis, & si aliquod servitium vel consolatio in dominica tertia vel quinta feria occurrerit, in secundam quartam vel sextam feriam aut sabbathum transponatur & serviatur non obstante hujusmodi transpositione, prout nobis melius videbitur expedire: item de *caulibus & pisis* Dn. Præpositus providebit; dispensator autem carnium ea uberius inpinguabit. Item servari volumus & teneri, ut carnes ad quatuor sculteltellas mensæ dni. Præpositi & suæ familiæ ministrentur: item ad honorem Dei omnipotentis & piæ suæ genitricis semper virginis & omnium sanctorum nec non laudem hominum in Deum retorquendam, qui veram semper diligit *religionem*, ordinantes unanimi consensu statuimus nos voluntarie obligantes, ut *absentes* vel absens de matutinis illis diebus, quibus fuerint absentes, careant uno ferculo carnium, de summa vero missa similiter una & de vesperis similiter; absentes autem de omnibus horis præmissis, nihil sperantes eo die de præbenda carnium, tribus omnibus prædictis ferculis sint privati; auctoritate Dni. Præpositi contra eosdem, qui frequenter absentes fuerint ad pœnam adjectam contemserint nihilominus, in suo robore perdurante. Præterea firmiter volumus observari, ut statim sonante secundo signo ad refectorium omnes præsentes ad comedendum sint parati, & quicunq; venerit ad mensam post ultimum ferculum appositum, ab omnibus sit immunis. Adhæc statuimus, ut de via venientibus ante pulsationem primæ campanæ ad vesperas, si jejuni fuerint, præbenda sua integraliter ministretur: de vespere vero venientes, quacunque hora venerint, percipiant integre præbendam suam cœnæ; duntaxat de *hora prandii* nihil exigere præsumentes. Si vero administrator carnium gratia favoris amicitiæ seu consanguinitatis aut alterius commodi ductus absentibus de horis prædictis, quemadmodum prælibatum est, unum vel plura fercula ministraverit, de prohibitis hunc ipsum pœna duximus puniendum, videlicet, ut toties legendo perficiat *psalmorum quinquagenam*, quoties hoc contra nostrum statutum temere præsumserit attentare. Item statuentes rationi consonum judicamus, ut, si aliqua vigilia jejunium indicans, in tertia seu quinta feria evenerit, ministrator carnium loco carnium, *pisces* administret, ferculis commutatis. Insuper *de conversis & Marquardo*, cui nec nomen *conversi* nec *confratris* congrue possumus adaptare, sic decrevimus observandum, ut si ipse Marquardus *non obstante seculari habitu*, quo utitur, & alii conversi absentes de summa missa, vigiliis, & aliis horis præfatis fuerint, puniantur pœna, qua & conventini superius prænotata & omnes simul in una domo, una & eadem mensa, sumant tempore debito concorditer alimenta; quibus sobrie sumtis surgant decen-

decenter ad gratiarum actiones: prohibemus & districte servari volentes, ne sæpe dicti videlicet Marquardus & conversi *privatos servos habere* vel audeant confovere; quod si fecerint, volumus eos expertes ab uno ferculo carnium remanere. Hanc quippe observationem conversis adsignatam decrevimus a subdiaconibus in scholis existentibus observari magistris eorum eos nihilominus corrigere valentibus & cum eis dispensare, quum necessitas id postulat & requirit. Porro servos omnium, nostrum & reliquos, quicunque fuerint præterquam servos domini Præpositi & servum Prioris, quamdiu dominus Præpositus permiserit, & officialium huic legi volumus subjacere, ut intra comestionem extra extra portas curiæ clausas propter tumultum compescendum sint a nobis penitus sequestrati. Sane si quis nostrum unum vel plures servos infra comestionem detinuerit, vel occultaverit per se vel per alium & non dimiserit, secundum quod jam dictum est, hoc de ipso servari præcipimus & teneri, ut si post trinam admonitionem ab hujusmodi non resipuerit, uno ferculo carnium spolietur, quoties in hoc contumaciter nostro statuto præsumserit contraire: *servi vero communes* scilicet *refectorii & infimariæ*, ad omnia semper fratrum servitia sint parati: qui, si perversi & negligentes fuerint in suo servitio inventi, omnimoda prædendæ suæ careant portione. Ceterum de *eleemosynis & reliquis mensæ nostræ* taliter definimus, ut pure propter Deum pauperibus vel scholaribus erogentur. Item maturiori consilio ducti statuimus, ut si dispensator carnium in suo negligens officio fuerit, vel minus bene servierit, sufferat pœnam dispensatori pannis & cerevisiæ in alio privilegio seu littera propter suam negligentiam assignatam: volumus etiam, ut *servus dispensatoris carnium* participet præbenda carnium de carnibus nostris, cum *os bovi trituranti non sit obturandum*, sancto eloquio attestante: item volumus, ut in omnibus dispensatio integra in sua firmitudine perseveret, nullius statuti aut rigore sanctionis obstante: item notandum, quod in omnibus præmissis *caussa justa, legitima & rationabilis* transgressores præsentis statuti poterit excusare. Item servari præcipimus, ut si hoc statutum seu ordinatio displicuerit, vel in ea quidquam addi, subtrahi, vel corrigi, aut mutari placuerit, illi qui hanc condiderunt, ordinent ac disponant. Ut autem hæc inviolabiliter observentur præsentem paginam desuper conscribi fecimus & tam sigillo domini nostri Episcopi *Hermanni*, quam *Præpositi* nec non *capituli* jussimus consignari. Actum a nobis anno Domini MCCCI in die sanctarum undecim millium virginum.

C.

De permutatione bonorum in nova & antiqua Gamma pro villis Slankestorpe & Sclabrügge, bonis & feudis VASALLORUM de Palude, adjecta libertate ab omni beda & a jure provinciali.

In Dei Nomine Amen!

Johannes & Albertus Dei gratia *Westphaliæ & Angariæ Duces* universis sanctæ matris ecclesiæ fidelibus in perpetuum. Actiones hominum oblivionis scrupulus plerumque perturbat, nisi scripturarum aut testium memoriæ commendentur: Quare præsentium testimonio litterarum notum esse volumus universis præsentibus & futuris, nos COMMUNICATO *consilio & consensu* CONSILIARIORUM & FIDELIUM *nostrorum* liberaliter & voluntarie permisisse; quod reverendi nostri Præpositus, Prior & capitulum ecclesiæ Raceburgensis in bonis, quæ possident, plena proprietate & ecclesiastica libertate scilicet in *nova & antiqua Gamma* & *Curslake* & *Achterslake* & in O. commutationem & permutationem facerent cum *Sifrido* dicto *de* PALUDE & suis fratribus *nostris* VASALLIS in undecim mansis & dimidio, quos possident in TERRITORIO *villæ Slankestorpe* & in duobus mansis sitis in *Sclabrügge* dando & *resignando inter se mutuo bona pro bonis*, ita videlicet, quod dictus Sifridus & sui fratres bona prænotata *in paludibus* (*) *antedictis* constituta, *tenere debeant a nobis in FEUDO* & præfati Præpositus, Prior & capitulum mansos prælibatos *cum cottariis* in præfatis villis constitutos in omni proprietate & ecclesiastica libertate perpetuo possidere debeant in his terminis, ut nunc jacent, cum judicio *majore & minore* colli & manus, cum agris cultis & incultis, pascuis, pratis, paludibus, lignis, nemoribus & exitibus & regressibus, emolumentis & proventibus & generaliter in omni commoditate, utilitate & jure; sicut nobis & hæredibus & successoribus nostris & dictis fratribus & eorum successoribus successivis resignantes, eadem bona dicta ecclesiæ & ipsius Ecclesiæ personis præsentibus & futuris, & renuntiantes omni jure, quod nobis in hujusmodi mansis possemus ullo tempore vendicare, præter *Borchwere & Brucwere & Landwere*, quod nobis reservamus. Ubicunque præterea Sifridus & sui fratres in dictis bonis *judicium minus* habuerunt & in plateis, pascuis, campis, & ibidem in aliis locis, illic etiam ipsa ecclesia & ejus personæ habebunt, & ad hoc judicium majus & minus colli & manus in eis libere & proprie possidebunt. Pro quibus omnibus ut ista fieri sineremus Præpositus, Prior & capitulum prænotati dederunt centum & quindecim marcas denariorum Lubecensium, quos nos recognoscimus integraliter sustuliss. Item ipsos mansos *liberos* facimus & reddimus penitus absolutos *ab omni petitione majore & minore*, ab exactionibus, quas facere consvevimus, in porcis, pecunia, & annona, & ab omni gravamine ita, quod ex nunc nihil *Nobis* JURIS competat in eisdem: Homines etiam mansos eosdem successive colentes, ad COMMUNE *terræ placitum* venire non compel

1302.

(*) *de Westph. Monum. ined. rer. germ. Tom. II.*

lantur *invicti*. Si vero ad terræ defensionem, quod *Landwere* dicitur, & ad castri munitionem quod *Borchwerch* dicitur, & ad pontis reparationem, quod *Bruchwerch* dicitur, cum *cæteris* TERRÆ *hominibus fuerint evocandi*, Præposito Raceburgensi vel ejus officiali denunciabitur, ut hi, qui de hominibus ecclesiæ ad hæc tenentur, per ipsos vel eorum nuntios evocentur &, si necesse fuerit & eorum exegerit malevolentia, a Præposito impignorentur & per eum vel suum officialem ad talia compellantur. Item homines hujusmodi residentes, qui ad fossata facienda & agger es comportandos, adstricti sunt, *extra territorium Raceburg* hoc facere non cogantur. Ut autem ista permutationis alteratio & omnia præmissa in perpetuum stabilia perseverent: renunciamus omni juri CANONICO & CIVILI, quo in judicio & extra revocari possent vel aliqualiter impugnari, promittentes *bona fide*, quod per nos vel per alios contra ea nullo tempore veniemus. *Datum & actum* a nobis Raceburg. MCCCII. feria 2da in Dominica, qua cantatur Cantate Deo! In præsentia testium Domini *Thetlevi de* PERKENTIN & Dn. *Henrici de Perkentin*, Ludolphi *Schacken*, Hermanni *de Tralowe*, Ottonis *de Wackerbarth*, Alberti Lupi *de Swartenbeke*, & Detlevi *Lupi* & Reinfridi *Scorlemorle*, Henrici & Johannis *de Crummesse* fratrum militum & Edeleri advocati & aliorum plurimorum fide dignorum, qui ad hoc fuerunt vocati specialiter & rogati, ac ut præscripta omnia in perpetuum sine contradictione qualibet observentur, sigilla nostra in majorem facti evidentiam præsentibus sunt appensa.

(*) A quibus Sifridus dicitur *de Palude*.

CI.

Emtio & resignatio villæ Mitzist cum omni jure, judicio, petitione, Landtinck, exceptis servitiis communibus.

1302. In Dei Nomine Amen!

Johannes & *Albertus* Dei gratia Saxoniæ & Angariæ, Westphaliæ Duces. Universis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit in perpetuum. Ut ea, quæ fiunt in tempore, non evanescant nec pereant tempore defluente, solent scripturarum & testium memoriæ commendari. Quare notum esse volumus uinversis præsentibus & futuris, reverendos viros, Præpositum, Priorem & capitulum ecclesiæ Raceburgensis ad perpetuos usus structurarum ipsius ecclesiæ, *de nostro* & FIDELIUM NOSTRORUM *beneplacito* & CONSENSU rationabiliter & rite emisse & comparasse ab hæredibus *Godofridi de Cremum* civibus Lubecensibus villam dictam *Mitzist* generaliter ab omni jure, sicut eis ipsa villa cum omnibus ejus attinentiis pertinebat; pro qua villa eisdem 375. marcas denariorum Lubicensium & Hamburgensium persolverunt. Emerunt etiam a nobis dicti Præpositus Prior & capitulum de eisdem bonis pro 200. marcis denariorum, quas recognoscimus nos integraliter percepisse, proprietatem & omnimodam libertatem & quicq uid juris nobis & hæredibus aut successoribus nostris competit, aut per aliquam devolutionem aut occasionem quamcunque competere posset, præter *Borchwerch* & *Bruchwerch* & *Landwere*, quod nobis reservamus & resignantes eadem bona propria ecclesiæ & officio dictarum structurarum & generaliter eccl. libertati, cum agris cultis & incultis, cum nemoribus, rubetis & lignis, paludibus, pratis, aquis, aquarum decursibus, viis & inviis exitibus & regressibus in eisdem terminis & disterminationibus cum eadem villa cum ejus *territoriis & attinentiis*, ut nunc jacet; ut ipsa territoria pro suis & ipsorum colonorum usibus distribuere, mensurare, alterare & sic inter se permutare possint ibidem, sicut per vices temporum, ipsorum placuerit voluntati; in quibus auctoritate propria perfruentur nec ad ea potestatis alicujus aut superiorum vel inferiorum quorumlibet consensus ullo tempore requiretur, judicium *majus & minus* colli & manus in ipsis bonis libere & proprie possidebunt per se vel per officiales suos, quos ad hoc decreverint alternatis vicibus statuendos. Item ipsa bona libera facimus & reddimus penitus absoluta & ab omni *petitione majore & minore*, ab exactionibus, *quas facere consuevimus*, in porcis, pecunia & annona & ab omni gravamine, ita, ut quod ex nunc nobis nihil juris competit in eisdem. Homines etiam successive villam eandem & ejus terminos inhabitantes ad *commune terræ placitum*, quod LANTTINCK dicitur, venire non compellantur inviti. Si vero ad *terræ defensionem*, quod *Landwehr* dicitur, & ad *castri munitionem*, quod *Borgwehre* dicitur, & ad *pontis reparationem* quod *Bruchwere* dicitur, cum ceteris terræ hominibus fuerint evocandi, Præpoito Raceburgensi vel ejus officiali vel structuario ipsius ecclesiæ denunciabitur; ut hic, qui de hominibus ecclesiæ ad hoc tenentur, per ipsos vel per ipsorum nuncios evocentur, & si necesse fuerit & eorum exegerit malivolentia, a Præposito vel dicto structuario inpignorentur, & ad præhabita compellantur. Item homines in his bonis residentes, qui ad fossata facienda & aggeres comportandos adstricti sunt, extra territorium terræ Raceburg hoc facere non cogantur. Ut autem iste contractus venditionis in perpetuum stabilis perseveret, renunciamus pro nobis & hæredibus & successoribus nostris omni juri canonico & civili, quo in judicio vel extra revocari posset, vel quomodolibet impugnari. Promittimus bona fide, quod per nos vel per alios contra ea nunquam ullo tempore veniemus. Datum & actum a nobis Raceburg. anno Domini MCCCII. feria secunda in Dominica, qua cantatur. Cantate Deo! In præsentia testium Domini *Thetlevi de Perkentin* & *Henrici Perkentin*, Ludolfi *Schacken*, Hermanni de *Tralowe*, Ottonis *Wackerbarth*, Alberti *Lupi* de Swartenbeke, & Detlevi Lupi & Reinfridi *Scortemorle*, Henrici & Johannis de *Crumesse* fratrum militum & Edeleri

leri advocati & aliorum plurimorum fide dignorum qui ad hoc fuerunt vocati ſpecialiter & rogati, & ut præſcripta omnia in perpetuum ſine conditione qualibet obſerventur, ſigilla noſtra in majorem facti evidentiam præſentibus ſunt appenſa.

CII.

De venditione ſervitiorum Bruckwere, & Borchwerc, Wette ſeu emenda, reſervata expeditione terræ vulgo Landwere in villa Proveſtesbagen.

In Nomine Domini. Amen.

1303. Univerſis Chriſti fidelibus præſens ſcriptum viſuris vel audituris. *Henricus* Dei gratia *Dominus Magnopolenſis* agnoſcere veritatem. Quia vita hominum brevis eſt & inſtabilis; neceſſe eſt geſta humana, quæ durationis perpetuitatem deſiderant, ſcriptis attentius commendare, ut ſi ſupra his apud poſteros quæſtio vel diſſenſionis forſan materia orta fuerit & ſi teſtes, qui facto interfuerant, minime ſuperſint; veritas tamen nihilominus ſcripturæ teſtimonio valeat comprobari: Tenore itaque præſentium recognoſcimus & ad notitiam futurorum cupimus pervenire, quod nos maturo tractatu ac diligenti deliberatione præhabitis dedimus & vendidimus pro centum & viginti quatuor marcis *Slaviculis monetæ* minus octo ſolidis, quas fatemur nos integraliter percepiſſe, honorabilibus viris Præpoſito & capitulo Raceburgenſi nomine ipſius eccleſiæ recipientibus & ementibus juſto emtionis titulo in villa ipſorum, quæ *Proveſtesbagen* dicitur, ſervitia nobis & noſtris progenitoribus in ipſa villa a ſui fundatione reſervata, ſcilicet ædificationes *pontium & urbium*, quæ vulgo *Bruckwere & Borchwerck* dicuntur, nec non & JUDICIUM *ſexaginta ſolidorum*, vel ut planius dicamus *juriſdictionem*, *quæ ſecundum regionis conſuetudinem exigit emendam ſexaginta ſolidorum*, cum ſervitiis ſupra dictis quæ nobis in eadem villa competebant quoquomodo, quæ omnia Præpoſito & capitulo antecedentis nomine eccleſiæ ſuæ, ut prædictum eſt, per *modum traditionis* ſignavimus, pro nobis & hæredibus noſtris ac ſucceſſoribus; præſentibus teſtibus infra ſcriptis; ac ipſos *in poſſeſſionem vel quaſi* induci fecimus, *jure proprietatis* perpetuis temporibus libere retinendæ, eo tantum excepto, quod coloni dictæ villæ, qui pro tempore fuerint, cum GENERALIS *neceſſitas terræ* requirit, EXPEDITIONEM *faciant* & eam ſequentur, ſicut *cæteri ruſtici noſtræ terræ*. Quemadmodum ſub appenſione ſigilli noſtri præſentibus proteſtantur tetes, ſunt *milites noſtri* Johannes *de Cernyn*, Marquardus *de Lo*, Heino de *Stralendorp*, Nicolaus *de Guthowe*, Otto & Heidenricus *de Lu*, Hermannus *de Modentin* & alii fide digni. Datum Wiſmariæ anno Domini MCCCIII. in vigilia ſancti Georgii Papæ.

CIII.

De bonis, quæ coluit Grubo in antiqua Gamma teſtimonium Hartwici de Retſerow & Detlevi de Parkentin, militum.

Ego *Hartwicus miles* dictus *de Retſerowe*, *Caſtrenſis* in Raceborg omnibus præſentia viſuris ſalutem in Domino! Tenore præſentium proteſtor & recognoſco nomine filiorum meorum, me ſuper bona illa, quæ *Grubo* poſſidet & colit in *antiqua Gamma*, nullum *dominium aut proprietatem* ſeu *imperium* habere aut penitus habuiſſe, Hoc ego *Detlevus* MILES *de Parkentin* ſigilli mei munimine recognoſco. Datum & actum ſub ſigillo meo Raceburg. Anno Domini MCCCIII. feria ſexta ante feſtum Johannis Baptiſtæ. 1303.

CIV.

Teſtimonium Werneri militis de ZVERIN de compoſitione inter Canonicos Raceburgenſes & Johannis de Walegotesvelde.

Nos *Wernerus* & H. ambo *milites de Zwerin* recognoſcimus præſentibus litteris publice proteſtantes, quod domini canonici in Raceborg & *Johannes de Walgotisvelde* amicabilem compoſitionem inter ſe habuerunt &, ne aliquis pro dicta guerra vindictam habeat, præſentes litteras ſuper hoc dedimus confectas ſigilli noſtri munimine roboratas anno 1303. 1303.

CV.

Joannes de Bulow, miles, monaſterio Renen ſex manſos in villa Potherowe donat cum omnium ſuorum hæredum conſenſu pro anima patris & fratris, eumque in finem hæc bona reſignat in manus Epiſcopi Raceburg.

Univerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, *Marquardus* Dei gratia Razeburgenſis eccleſiæ Epiſcopus ſalutem in Domino ſempiternam; decognoſcimus in his ſcriptis, quod conſtitutus in noſtra præſentia dilectus filius *Joannes* de *Bulowe miles commorans* in *Wedewendorpe*, cupiens cultum divini nominis augmentare & nihilominus Deo dedicatis virginibus in monaſterio *Renen* grata ſubſidia caritatis impendere, ſex manſos in villa *Potheron e* cum *judicio vaſallorum* & omni *jure ſeu utilitate* in pratis, paſcuis, paludibus, aquis, lignis & generaliter cum omnibus reditibus, proventibus ſeu attinentiis eorum, ſicut ipſe Johannes hactenus poſſediſſe noſcitur, dicto monaſterio Renen per modum eleemoſynæ *donavit & obtulit* de conſenſu *hæredum ſuorum omnium*, videlicet Joannis, Nycholai & Godekini, pro remedio animæ ſuæ & honore militis *Johannis de Bulowe* patris ſui, nec non fratris ſui *Reimari de Bulowe* bonæ memoriæ; donatos quoque manſos & oblatos *in ſignum traditæ poſſeſſionis* in manibus noſtris ſponte & libere ad uſus ejusdem monaſterii *reſignavit*. Donationis tamen ſuæ dictus Johannes expreſſit hunc modum, videlicet quod dominus Henricus per ſe vel per alium presbyterum, quem ad hoc deputare maluerit, ſin- 1313.

gulis diebus in ecclesia Renen ad altare in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli sanctique Johannis Apostoli & Evangelistæ consecratum missarum solemnia celebrabit. Memorato vero domino Hinrico mortuo fructus, reditus & proventus dictorum mansorum cum judicio ad ipsum monasterium devolventur; hoc adjecto, quod præpositus, qui pro tempore fuerit uni presbytero capellano suo congruam sustentationem ministrabit, qui singulis diebus juxta beneplacitum Præpositi ad altare prædictum deserviet in divinis. Et ne tam præsens donationis propositum debito unquam fraudetur effectu, si per negligentiam aut fraudem steterit, quo minus infra mensem continuum ad altare prædictum, & similiter *ad altare beatæ Elisabeth* per avum dicti Johannis dominum *Godefriedum de Bülowe, militem,* in eodem monasterio instauratum præter necessitatem in missali deserviatur officio, & tunc ipsos & præpositum & prioriſſam ab ingressu ecclesiæ in iis scriptis decernimus & volumus esse suspensos, donec hujusmodi fraus seu negligentia modo debito fuerit refrenata. Nos igitur perspicientes & considerantes dictam donationem pro instauratione dictæ vicariæ Canonice & provide esse factam ipsam approbantes invocato Dei nomine confirmamus in perpetuam omnium prædictorum evidentiam, sigillum nostrum una cum sigillis sæpe nominati Johannis de Bulowe donatoris, dictorumque Præpositi & conventus in Rene præsentibus inde confectis dignum duximus appendendum.

Testes sunt venerabilis in Christo pater & dominus *Godfridus, Zuerinensis ecclesiæ Episcopus,* & honorabiles viri Magister peregrinus Canonicus Hamburgensis, Magister Henricus, Goldoge Canonicus Lubecensis, Magister Johannes *de Campe,* Gerhardus Capellanus dicti domini Episcopi Zuerinensis; *milites quoque Johannes* de *Brutsckowe,* Fridericus *Moltzan,* Hinricus de *Gustekowe,* Hinricus *Boots,* & famuli Wicko de *Bulowe Lubbezyn* & *Stolnitz,* & alii quam plurimi fide digni. Datum & actum Rene anno MCCCXIII. feria quinta post dominicam Invocavit.

CVI.

Marquardi Episc. Raceb. documentum (*) de consecrata ab ipso æde sacra in villa Sander. a. 1314. addita fide de indulgentiis XL. dierum.

1315. Universis præsentes litteras inspecturis nos *Marquardus* Dei gratia *Raceburgensis ecclesiæ Episcopus* notum facimus & pronunciamus, publice protestamur, quod sub anno Domini MCCCXIV. in vigilia b. Joannis Baptistæ consecravimus hoc altare sub honore & invocatione beatæ Mariæ virginis & beati *Jacobi* Apostoli & ipsam ecclesiam in *Zancegneve* in honorem ejusdem Mariæ virginis adhibitis debitis solennitatibus in talibus necessariis & consvetis unde omnibus & singulis vere pœnitentibus & confessis, vel qui vere pœnitebunt & confitebuntur, in *præsenti dedicationis die,* vel quolibet *anniversario* secuturo ad ipsam ecclesiam devote accesserint, *XL. dierum indulgentiam* de injuncta ipsis prima misericorditer in Domino relaxamus. Datum & actum anno, die & loco prædictis.

(*) Quod ab Episcopo Marquardo in membrana scriptum, sub lapide nigro quadrangulari circa medium alta is sito a. 1314. positum, & anno 1636. occasione renovati & editioris redditi altaris repertum, sed sub eodem lapide denuo reconditum est.

CVII.

Episcopus Suerinensis Godfridus cœnobio Renensi donat quinque marcas annuorum reditium in villa Vitense.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras 1315.
inspecturis. Nos *Marquardus* Dei gratia *Razeburgensis* ecclesiæ Episcopus cupimus esse notum, quod reverendus in Christo pater dominus Godfridus Episcopus *ecclesiæ Zuerinensis* nobis consentientibus, auctorisantibus & approbantibus in *villa Vitense* ad cœnobium sanctimonialium in *Rene* pertinente nostræ diœceseos pro quinquaginta marcis denariorum Slavicalis monetæ, quas dictæ moniales & discretus vir dominus Hinricus earum provisor seu præpositus receperunt in pecunia numerata, quinque marcarum reditus annuos comparavit. Cupiens itaque dictus dominus Godfridus Zuerinensis Episcopus suæ saluti salubriter providere & necessitatem earundem sanctimonialium die noctuque jugiter famulantium aliqualiter sublevare, pro refectione, *pitancia* seu *speciali procuratione* prædictis sanctimonialibus in Rene annis singulis eo tempore, quo ipsius domini Godfridi, memoriam solemniter peregerint, exhibendis præfatos quinque marcarum reditus ipsis donavit, & liberaliter assignavit, statuens & ordinans, ut in eodem cœnobio sua memoria annis singulis solemniter & jugiter in missis pro defunctis & vigiliis perpetuis temporibus peragatur. Nos igitur hujusmodi contractum favore dicti cœnobii initum prospicientes, ipsum actoritate ordinaria ratificamus, approbamus, & invocato Dei nomine confirmamus. In quorum omnium testimonium & evidentiam singulorum, sigillum nostrum una cum sigillis memoratorum Præpositi & conventus præsentibus est appensum. Datum SCONEBERGÆ anno domini MCCCXV. dominica proxima ante festum beati Dionysii & sociorum Episcoporum.

CVIII.

Permutatio reditum duarum marcarum pro piscatura majori villæ Gardensee institutaque ibidem vicaria.

In nomine Domini, Amen! Universis præ- 1322.
sens scriptum cernentibus. *Echardus* Dei gratia Episcopus, Johannes Prior & totum capitulum ecclesiæ Raceburgensis salutem in Domino! Cum notitiam rei gestæ universis, tam præsentibus, quam futuris cupimus facere notam, quod tractatu & deliberatione diligen-

gentiſſima in noſtro capitulo habitis ex unanimi noſtrorum conſenſu ac venerabilis patris domini domini noſtri Marquardi Epiſcopi Raceburgenſis permutationem fecimus cum *diſcreto famulo* Hermanno dicto *Peltz*, dimittentes & dimiſſuri ſibi in perpetuum pro piſcatura majori *villæ Gardenſee* reditus perpetuos duarum marcarum a perpetuo vicario ſuæ vicariæ infra ſcriptæ pacifice in perpetuum poſſidendos, quos reditus idem vicarius ſingulis annis in feſto nativitatis Chriſti in molendino noſtræ eccleſiæ jacente apud ſtagnum Raceburgenſe dicto molendino *Wolpis* percipiet & habebit, donec noſtra eccleſia adimat molendinum noſtrum dictum *Horrennemölen* ſitum apud idem ſtagnum Raceburg juxta *antiquum longum pontem*, quo molendino redemto idem vicarius in eo ſingulis annis dictos reditus in feſto nativitatis Chriſti in perpetuum expedite habebit & tollet. Præterea, ut decet religioſos, volentes cultum divinum augere, admiſimus & conceſſimus de conſenſu dicti domini noſtri Epiſcopi prædicto Hermanno Petz, quod in noſtra eccleſia Raceburgenſi inſtauravit & fundavit unam *perpetuam vicariam* pro remedio animæ ſuæ & parentum ſuorum in dicta eccleſia in perpetuum duraturam perofficiandam ante altare dominæ noſtræ introitu noſtræ eccleſiæ antecedente; quam vicariam idem Hermannus donavit cum villa Gardenſee reditibus, proventibus & proprietatibus ac omnibus aliis attinentiis dictæ villæ, de quibus continetur in litteris ſuis ſuper hoc confectis ſigillatis ſigillo illuſtris Principis & domini *Erici Ducis Saxoniæ*, præter piſcaturam majorem & majus judicium, de quibus eſt præmiſſum, & ipſam vicariam, & donavit cum dimidio molendino, dicto molendino Alberti, ſito apud longum pontem Raceburgenſem, & cum ſingulis proventibus, reditibus, proprietatibus & attinentiis dicti dimidii molendini, de quibus habetur ſimiliter in ipſis ſuper hoc confectis & ſigillatis ſigillo ejusdem principis, & nihilominus dotavit ipſam vicariam reditibus duarum marcarum dimiſſis in perpetuum per nos ad ipſam, de quibus reditibus plenius eſt præmiſſum. Dictam vero vicariam Præpoſitis noſtræ eccleſiæ, qui pro tempore fuerint, perpetuo conferet, uti clerico ſeculari bene morato, competenter literato & idoneo, infra ſpatium unius menſis, poſtquam conſtiterit ſibi obitus perpetui vicarii prædictæ vicariæ; ſi vero præpoſitus prædictus ipſam vicariam ex negligentia notabili vel malitia infra dictum tempus non contulerit, ex tunc ad ipſam vicariam prædictus illuſtris princeps vel qui *ex ejus progenie* eſt verus *dominus terræ Raceburg* pro illa vice clericum ſecularem bene moratum & idoneum infra tempus ſibi a jure ſtatutum præſentabit ſecundum ſuæ conſcientiæ judicium & examen: ſæpe dictus vero vicarius omni die per ſe, vel per alium miſſam leget infra pulſum primæ & chorum cum noſtris concanonicis & confratribus ad ſummam miſſam, veſperas ac ad matutinas æſtatis tempore, niſi abſens fuerit rationabiliter & excuſabiliter vel de licentia Prioris noſtræ eccleſiæ, qui pro tempore fuerit, frequentabit cum ſua religione decenter: ſi non ipſe vicarius contra prædicta exceſſum habuit, pro illo dictus Prior ſibi cum caritate pœnitentiam condignam injunget. Teſtes vero hujus rei ſunt Johannes prior, prædictus Segebandus, Wernerus, Johannes *de Bluchere*, Johannes *Wolpes*, Ludovicus *de Eſtorpe* ſenior, David Hinricus *Bilrebeke*, Johannes *Barnekowe*, Johannes *Bremen*, Hildeleng, Paulus Wolradus, Johannes *de Zalem*, Petrus Ludolphus junior *de Eſtorpe* ſacerdotes, Hinricus *Unrowe*, Otto de *Gronowe*, Hartwicus Joh. *Wolthagen* Bernhardus Diaconi Detlevus & Elerus ſubdiaconi Canonici noſtri conſentientes plenius ſupra dictis & ad proteſtationem omnium & ſingulorum præmiſſorum ſigilla noſtra ſcilicet Echardi Præpoſiti & capituli una cum ſigillo venerabilis patris & domini noſtri Epiſcopi prædicti, præſentibus ſunt appenſa. Datum Raceburg in noſtro capitulo, anno domini MCCC XXII. in die beati Martini Epiſcopi & confeſſoris. Et nos Marquardus Dei gratia eccleſiæ Raceburgenſis Epiſcopus omnibus & ſingulis præmiſſis plene conſentientes in ſignum conſenſus habitionis & confirmationis eorundem ſigillum noſtrum præſentibus etiam duximus apponendum. Datum anno & die prædictis.

CIX.

Henricus Mecklenb. Dominus cum Marquardo Epiſcopo Raceb. compoſitionem init, donans villas Valkenhagen & Roſenitz, exemtas a terra Magnopolenſi, item jus Patronatus Eccleſiæ & Scholarum Wiſmariæ, aliaque.

1323. Univerſis Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenit *Henricus*, Dei gratia *Magnopolenſ. & Stargard. dominus* de invio ad viam redire. Cum nuper ſub anno domini MCCCXXI., de quo dolemus, auſu temerario venerabilem patrem dominum noſtrum *Marquardum* Dei gratia *epiſcopum Raceburgenſem* fructibus & redditibus ſuis epiſcopalibus, diaconosque ſuos beneficiatos beneficialibus intra dominum noſtrum *violenter privaſſemus* ſeu privari feciſſemus & *uſibus noſtris applicuiſſemus*, & ob hoc *excommunicationis in perſonam & interdicti in terram noſtram* ſententiæ merito latæ fuiſſent, tandem amicabilis compoſitio intervenit, talis videlicet, quod nos pro *ſatisfactione & emenda communi* libere donavimus & donamus eidem domino epiſcopo & ejus ſucceſſoribus duas villas *Valckenbaghen* videlicet & *Roſenicz* hactenus in terra noſtra *Godebuz* ſituatas, cum *proprietate, dominio, homagio, ſervitio, jurisdictione, præcaria, eccleſiaſtica libertate* & omni *jure*, ſicut ipſas dignoſcimur habuiſſe & habere in perpetuum libere & integraliter cum omnibus ſuis pertinentiis poſſidendas, ita quod prædictæ villæ de cætero non *de terra ſeu dominio Magnopolenſi*, ſed *de terra ſeu dominio Boytin* ſub eccleſiaſtica poteſtate in perpetuum dici conſeantur & eſſe. Præterea tenore præſentium concedimus, quod epiſcopus Raceburgen-

genſis qui pro tempore fuerit, non obſtante quacunque prohibitione vel neceſſitate *de annona non educenda generali vel ſpeciali*, per nos vel hæredes noſtros facienda, fructus, redditus & proventus ſuos CENSUALES & DECIMALES de cætero in perpetuum quocunque tempore anni *de dominio & extra dominium* poterunt educere ſeu educi facere libere & integraliter ſine pœna, & ſimiliter pro decimis ſuis ſeu fructibus decimalibus retentis ſeu retinendis pignora petere ſeu peti facere in domino noſtro per ſuos familiares, vel quoscunque alios officiatos, quos ad hoc duxerint deputandos, quæ pignora ſi negata fuerint, nos & noſtri hæredes ac *Advocati ſeu officiales*, qui requiſiti fuerimus, ipſa pignora tam a MILITIBUS *ſeu* MILITARIBUS, quam a RUSTICIS *decimas ſolvere debentibus* ubicunque inventa fuerint, gratis & ſine contradictione extorquebimus ſeu extorqueri faciemus, & præſentabimus ſeu præſentari faciemus, officiatis ſeu familiaribus prælibatis tenenda libere, more & jure pignorum, quousque pro hujusmodi decimis retentis fuerit, ſatisfactum. Porro conſiderantes pro *municipio noſtro Wiſmariæ* dominis noſtris epiſcopis Raceburgenſibus, qui pro tempore fuerint perpetuam manſionem ſeu domicilium tam propter ipſorum quam etiam cleri & populi commodum & ſalutem habere convenit, in remiſſionem peccatorum noſtrorum liberaliter, pure & ſimpliciter donavimus & donamus prædicto domino epiſcopo Raceburgenſi & ſuis ſucceſſoribus *jus patronatus eccleſiæ ſancti Nicolai cum dote ſeu habitatione*, quam dominus Rotherus, nunc rector ipſius eccleſiæ, inhabitat, nec non *jus patronatus ambarum ſcholarum* in eodem *municipio Wſmaria*, cum omnibus fructibus, redditibus, proventibus, jurisdictionibus, juribus & pertinentiis eorundem perpetuis temporibus libere poſſidendum: cupientes, ut prædicta eccleſia & ſcholæ cum ſuis fructibus, redditibus, proventibus, jurisdictionibus, juribus & obventionibus menſæ epiſcopali prædictæ pro relevatione ipſius inopiæ ac cleri & populi ſalute connectantur, uniantur & incorporentur perpetuis temporibus, ita quod cenſeantur a modo in perpetuum unum corpus. Dummodo Epiſcopus Raceburgenſis, qui pro tempore fuerit, eidem eccleſiæ per Presbyterum temporalem vel perpetuum ſeu vicarium religioſum vel ſecularem & iisdem ſcholis per idoneos doctores religioſos vel ſeculares faciat provideri, eisdemque presbytero ſeu vicario & doctoribus ad onera incumbentia ſupportanda de prædictarum eccleſiæ & ſcholarum proventibus congruam ſuſtentationem præſtari. Non obſtante quod quondam domina *Anaſtaſia* mater noſtra dilecta, & patrui noſtri domini *Nicolaus* & *Johannes* clerici, in ſacris ordinibus conſtituti, cum fuiſſemus minores annis, dicuntur patronatum dictarum ſcholarum vivente patre noſtro cariſſimo domino HENRICO, *tunc ab hoſtibus* ſcilicet *Sacracenis capto*, absque ipſius mandato *Conſulibus Wiſmarienſibus de facto dimiſiſſe*; quam tamen dimiſſionem ſeu commiſſionem nos non recolentes eſſe factam, poſtquam ad annos diſcretionis pervenimus, & eam ſic factam eſſe percepimus, ratam non habuimus, nec pater noſter prædictus poſtliminio reverſus ratam habuit, immo contrarium fecimus de ipſis ſcholis per mortem quondam Godſcalci ibidem ſcholaſtici vacantibus domino Nicolao *de Stralensdorpe* nunc Lubecenſis & Suerinenſis eccleſiarum Canonico prædictis conſulibus cum effectu non contradicentibus, ſicut de jure potuimus, providendo. Ut autem omnia & ſingula prædicta irrevocabilia & inviolata perpetuo perſeverent, volentes emendare præterita & adverſus futura cavere pro nobis & noſtris hæredibus ſeu ſucceſſoribus renunciamus omni *actioni, exceptioni ac juris* CANONICI & CIVILIS *auxilio ordinario & extraordinario* nobis & ipſis competenti & competituro ſeu competituræ, per quam ſeu per quod poſſit hujuſmodi tam pia donatio ſeu ſatisfactio revocari vel aliqualiter impediri. In cujus rei evidentiam perpetuam mandavimus, & mandamus præſens ſcriptum inde confectum ſigilli noſtri munimine inde roborari. Teſtes præſentes fuerunt diſcreti viri dominus Eckhardus præpoſitus Johannes de *Barneckowe*, Otto de *Gronowe* & Wolradus *de Dorne* canonici Raceburgenſes, Henricus de Dartſowe Cantor Lubecenſis & Magiſter Henricus *Goldoghe* ejusdem eccleſiæ Canonicus, Johannes *Roſendal*, Wipertus *Lutſowe*, Joannes & Godefridus *de Bülowe* & Bertoldus *de Ritzerowe* MILITES. Hennekinus & Buſſekinus *Luſſowe* fratres *armigeri* & alii fide digni ad præmiſſa vocati. Datum & actum Gnewesmolen. Anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo tertio, in die beatæ Gertrudis virginis. Nos quoque: *Hinricus de Dartſowe* prædictus vicarius & Officialis reverendi patris & Domini domini *Johannes* Dei gratia ſanctæ *Bremenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopi* ipſo in remotis agente, quia inquiſitione & examinatione diligenti facta invenimus omnia & ſingula præmiſſa, prout narrantur, eſſe vera, convenientia & utilia, præfatas eccleſiam & ſcholas ad inſtantiam præfatorum Dominorum Epiſcopi & Magnopolenſium, auctoritate prædicti domini archiepiſcopi confiſi ex cauſſis prælibatis menſæ prædictæ in modum prælibatum perpetuo incorporamus, connectimus & unimus. In quorum omnium & ſingulorum evidentiam nos etiam epiſcopus & vicarius prædicti ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Teſtes hujus rei ſunt diſcreti viri Eckhardus Præpoſitus, Johannes, Otto, & Volradus Canonici prædicti, Johannes Kvech & Alardus *de Eſtorpe* Canonici Lubecenſes, & alii fide digni quamplures ad præmiſſa *vocati & requiſiti*. Datum *Lubeke*. Anno Domini prædicto in die beati Urbani Martyris. (L.S.) (L.S.) (L.S.)

CX.

De jurisdictione eccleſiaſtica Præpoſiti Rbenenſis in civitate Wiſmaria ut & de jure & immunitatibus ædis ad Spiritum S. literæ

literæ Marquardi Episcopi Razeburgensis de anno 1331.

1331. Wy *Marqward van der Gnade Godes Byschop to Raceborgh* bekennen unde don wytlick alden ghenen, de desse Breve horen unde seen, dat wy over en ghekomen syn mit den Radmannen van der Wysmer, dat de Provest von Rene schal hebben unde öven vryncken unde ane hinder *al geistlick Recht* in der Stadt *to der Wysmer*, dat he heft gehat van older Tydt unde hebben mach van older Wonheit van Breven, de dat Kloster tho Rhene hefft unde de Radmanne van der Wysmer. Hirboven draghe wy over ein, dat des heyligen Ghestes Hus binnen der Wismer schal bliven by allene Recht unde Vryheit, de man mach bewysen mit Breven unde mit Handvestinghen, de holde wy stede unde willen unde scholen se beteren an allen Dinghen unde nicht ergherrn. Vor de teghende des Heylighen Gheystes schole wy nemen droschen Korn, alse me geven hefft van older Tyde, nicht en schole wy laten stycken Godes Hus, wedme in der Staat to der Wismer scolen buwen de Kerspelbur, alse en gemene Recht is. Darbaven schal men nicht buwen *ane der Rademanne Willen unde Vulbord.* Unde to ener Betüghinge al desser Dinge, de dar voren beschervn sint, so is use Jngheseghel ghehanghet an dessen Breeff. De is ghegheven na Gades Bort dusent drehundert unde ein unt drütticht jar des Dinxtedhages vor sünte Michaelis Daghe.

CXI.

Confirmatio a Marquardo Episcopo Razeburg. data ratione juris patronatus scholarum cum cessione & renuntiatione sui juris.

1331 Wy *Marquard* von de Gnade Gades Bisshop tho Ratzeborg bekennen un dohn wietlick alle den jenen, de desse Breff horen edder seen, dat wy mit den Rathmannen van de Wismar mit Rade unde mit Vulbohrt Heren *Eggardes* des Praveste un all des Capittels unses Gades Huses umme dat Recht aller Scholen in de Wismar dragen over en also dane Wyse dat de vorsprackene Rahtmannen scholen hebben ewicklicken all de Scholen fry un unbewaren dat se mogen all de Scholen lenen un befehlen wemme se willen up also dane Recht dat se in ehren Bresen hebben. Dartho geuen wy en all Recht de wy unde use Gades Huses hebben ende hebben mochten in all den Scholen van jeniger Sacken un Bresen. Dartho hebbe wy de vorbenömmede Rastmanne gewisst und erlovet *in der Wehre aller Scholen* unde vorsacken all des Rechtes, unde mit dat Us unde usen Gades-Huse mochte euen kamen van all den Bresen, de wy hebben uf dat Recht de vorspracken Scholen, de willkörn wy in disse Schrifft, dat se ewicklicken scholen bliuen machtlos un tho ener betügnige all der Stücken, de hie vorschreven sind, dat de ewicklicken vast un untobracken blieven, so is mit unsen Insegele Uses Capittels Insegel tho Ratzeburg gehenghet tho diesen Bref, de is gegheuen tho Ratzeborg na Gades Bort dusent drehundert unde ehn unde drüttig Jahr in dem hillgen Avende unser Fruwen der Lateran.

CXII.

Detl. Negendanck cedit capitulo Raceb. quosdam reditus in pingui angulo Klutze, Rhedewisch &c.

In Nomine Domini Amen. *Marquardus* Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus ecclesiæ Racebugensis universis & singulis præsentia inspecturis, lecturis seu audituris, ad quos præsens littera pervenerit salutem in eo, qui est omnium vera salus. Noveritis, quod coram nobis constitutus honorabilis Dominus Luderus *Branden*, presbyter & perpetuus Vicarius in ecclesia parochiali *Klützе* nostræ diœcesis habens & tenens in manibus suis duas patentes litteras, quarum una sigillis domini Luderi vicarii & *strenui* MILITIS DETTLEVI condicti NEGENDANCKE & contestium, videlicet *validorum* ARMIGERORUM *Marquarti Tarnevitze* & *Conradi de Plessen* quater sigillata, continens præfati Detlevi venditionem domino Ludero factam de & super reditibus annualibus tredecim denariorum Lubicensium in manus *pinguis anguli*, qui in vulgari dicitur *fette hören*, situatus inter villam inferiorem Klütze, & curiam prædicti strenui *Detlevi* militis, quam habet *in* RHEDEWISCH *comparatis* pro decem marcis Lubicensibus. Et *alia* littera item producta sigillis præfati *Dettlevi* principalis & contestium *Marquardi Tarnevize*, *Bernhardi* & *Reimari fratrum de* PLESSE munita, de super reditibus annuis duarum marcarum Lubicensium *in villa Klützе* emptis pro triginta marcis ejusdem monetæ Lubicensis: exceptis tamen decimis & quicquid a patre *Ludolffo* & *progenitoribus reliquis* habet in sic nominata LIBERTATE, quam *Dettlevus Neghendancke* sibi & suis colonis *in inferiore villa Klützе* degentibus reservavit, nunquam alienandam; prout hæc omnia & singula in hujusmodi literis productis plenius & lucidius habentur & continentur: quas vero litteras in præsentia nostra coram notario nostro & testibus de verbo ad verbum ex petitione dicti Domini Luderi, legi fecimus & mandavimus. Quibus, ut præmittitur, lectis, sæpe fatus Dominus Luderus debita humilitatis instantia *propter utilitatem sui & beneficii sui antedicti* ac suorum in perpetuum ac eorundem successorum, nobis supplicavit, istos contractus quoscunque in dictis literis habitos & celebratos, & qualiter omnia & singula contenta ac descripta in ejusdem altera, coram autoritate nostra ordinaria gratificare, ratificare & in nomine Domini confirmare dignaremur. Nos vero attendentes, hujusmodi supplicationem fore justam & rationi consentaneam, nolentes, ut BENEFICIA ECCLESIASTICA nostro tempore diminuentur, sed ut magis augmententur, hujusmodi contractus ac omnia & singula contenta confecta ac conscripta in ipsis duabus literis, ut præmittitur, coram nobis productis & lectis ac omnia contenta & conscripta in unaquaque litera ipsarum literarum, in nomi- 1334.

ne Domini noſtri Jeſu Chriſti approbamus, gratificamus, ratificamus & confirmamus in his ſcriptis. In cujus rei teſtimonium præſentem noſtram literam ſecreti noſtri adpenſione fecimus & mandavimus communiri ſub anno dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo trigeſimo quarto, indictione decima IV., die lunæ, tertia menſis Maii in curia noſtra *Sconeberghe* Raceburg. diœceſ. hora nona præſentibus ibidem honorabili domino Eghardo *Neytemann* & diſcreto Nicolao *Banſe* clerico capellano familiarum noſtrarum, teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter rogatis, in fidem omnium & ſingulorum præmiſſorum

Matthæus Holthuſen ad præmiſſa requiſitus.

CXIII.

Ericus Dux Saxon. villam Smilow a civibus Lubecenſibus redemtam menſæ epiſcopali Raceb. adjicit liberam ab exactionibus & hudepenning ſeu telonio, ſalvo jure reemendi. Accedente expreſſo conſenſu uxoris & filii eorumque renuntiationibus.

1336. In Nomine Domini amen: *Ericus* Dei gratia *Dux Saxoniæ Angariæ & Weſtphaliæ* univerſis Chriſti fidelibus ſalutem in Domino ſempiternam! Ut notitiam rei geſtæ noverint univerſi, quod nos de CONSENSU & *beneplacito dilectæ* UXORIS *noſtræ* dominæ Eliſabethæ & HÆREDUM *noſtrorum* ac *de ſano* CONSILIO VASALLORUM *noſtrorum* vendidimus rite & rationabiliter venerabili in Chriſto patri domino Marquardo Epiſcopo Raceburgenſi pro ſe & ſuis ſucceſſoribus ac menſa ſua Epiſcopali ementi & recipienti *villam Smilowe* cum CENSIBUS, DECIMIS, DOMINIO, SERUITIO, *proprietate, libertate*, ſilva, lignis, rubetis, molendino, agris cultis & incultis, pratis, paſcuis, aquis, viis & inviis, *juribus*, *jurisdictionibus*, *judicio majori* ſcilicet colli & manus & *judicio minori* cum ſpatiis terræ dictæ *Wolgaratmoor* cum terminis & diſterminationibus, utilitatibus, commodis, & generaliter cum omnibus pertinentiis in dicta villa nobis & hæredibus noſtris, de jure vel de conſuetudine competentibus vel competituris & prout dictam villam hactenus dignoſcimur habuiſſe & poſſediſſe pro mille & centum marcis denariorum Lubecenſium nobis integraliter perſolutis & in receptionem caſtri Raceburg converſis, & nos diu ante hunc contractum & hanc venditionem obligaveramus quibusdam civibus Lubicenſibus tres partes dictæ villæ Smilowe pro quadringentis marcis denariorum Lubecenſium, & dedimus plenam poteſtatem domino Epiſcopo Raceburgenſi, qui pro tempore eſſet, quod poſſet redimere & recuperare pro ſe & ſua menſa epiſcopali tres partes villæ Smilowe prædictas cum ſuis pertinentiis ſine alicujus impedimento pro quadringentis marcis denariorum Lubecenſium, quandocunque ſibi videretur expedire vel ſibi placeret; item dedimus liberam licentiam & plenam poteſtatem domino Epiſcopo Raceburgenſi, qui pro tempore eſſet, quod poſſet libere & licite vendere, quandocunque vellet, omnia ligna ſilvæ Smilowe & alia ligna ſtantia & creſcentia infra terminos diſtinctionis prædictæ villæ: Poſthæc vero venerabilis in Chriſto pater dominus *Wolradus Epiſcopus Raceburgenſis* ſucceſſor Domini Marquardi bonæ memoriæ quondam Epiſcopi Raceburgenſis prædicti de bona voluntate noſtra & conſenſu noſtro ac dilectæ uxoris noſtræ prædictæ, nec non hæredum noſtrorum ligna ſilvæ Smilowe procuravit & fecit vendi pro quadringentis marcis denariorum Lubicenſium, pro quibus quadringentis marcis *tres partes ipſius villæ Smilowe* obligatas quibusdam *civibus Lubecenſibus redemit ac recuperavit* pro ſe & ſucceſſoribus ſuis ac menſa ſua epiſcopali; Cupimus igitur eſſe notum tam præſentibus quam futuris, nec non recognoſcimus publice in his ſcriptis, quod *tota villa Smilowe* cum decimis, cenſibus, dominio, ſervitio, pratis, paſcuis, aquis, viis & inviis, juribus, jurisdictionibus, judicio majori videlicet colli & manus & judicio minori cum ſpatiis terræ dictæ *Moor*, proprietate, libertate commodis, lignis ſtantibus & creſcentibus ibidem, rubetis, molendino, agris cultis & incultis cum terminis & diſtinctionibus, utilitatibus, commodis, & generaliter cum cæteris pertinentiis in dicta villa nobis & hæredibus noſtris de jure vel de conſuetudine competentibus vel competituris, & prout dictam villam dignoſcimur habuiſſe & poſſediſſe, ad dominum Epiſcopum Raceburgenſem & *menſam ſuam Epiſcopalem* pertinet & ſpectat libere & pacifice poſſidenda. Item ligna, quæ dominus Epiſcopus Raceburgenſis infra terminos ipſius villæ Smilowe ſecari fecit & ceſpites dictos *Torff*, quos ibidem fodi fecerit apud ſtagnum, & in ſtagno non ſtabunt ſolvere *Hudepenninge* vel *telonium*, ſed libere *ſine telonio ſive Hudepenninge* & *ſine omni exactione* libere deducentur & vehantur Lubeke vel alibi, ubi dominus Epiſcopus Raceburgenſis maluerit ea & eos habere, & nos in ipſa villa Smilowe ſæpedicta & hominibus ibidem habitantibus nec paritionem nec ſervitia nec aliquid juris nobis & hæredibus noſtris reſervamus; idem tamen *Volradus Epiſcopus Raceburgenſis* nobis & hæredibus noſtris dedit plenam & *liberam poteſtatem reemendi* ſæpe fatam villam Smylowe, quandocunque voluerimus in feſto Paſchæ infra tres annos a Paſcha proximo computandos pro mille & centum marcis denariorum Lubecenſium expedite & integre exponendis, qua reemtione non facta, ut præmittitur, ipſa villa Smilowe cum omnibus & ſingulis prædictis pertinentiis ſuis ad dominum Epiſcopum Raceburgenſem & ſuam menſam epiſcopalem pertinebit ac ſpectabit in perpetuum libere & pacifice poſſidenda. *Renunciamus* igitur pro nobis & hæredibus noſtris *omni actioni, exceptioni* & iuris

juris CANONICI & CIVILIS *beneficio & auxilio* & generaliter quibuscunque aliis, per quem vel quod aut per quæ hujusmodi contractus sive venditio posset futuris temporibus constringi vel aliqualiter impugnari & nos pro omnibus & singulis præmissis in perpetuum durandis & firmiter observandis in his scriptis promittimus bona fide, & in testimonium omnium præmissorum sigillum nostrum de mandato nostro præsentibus est appensum: Et nos *Elisabetha*, Ducissa Saxoniæ, Angariæ & Westphaliæ UXOR *domini nostri dilecti domini Erici prædicti*, quamvis ipsa villa Smilowe cum suis pertinentiis ad nos *ex donatione propter nuptias* facta spectavit, tamen eam cum suis pertinentiis libere renunciavimus & *sponte, & nunc iterato & secunda vice renunciamus sponte & libere eidem villæ & omnibus ac singulis pertinentiis suis*, nec unquam in aliquo contraveniemus, quod promisimus bona fide, consentientes, omnibus & singulis præmissis & in testimonium renunciationis per nos factæ, ut præmittitur. & omnium ac singulorum præmissorum sigillum nostrum de mandato nostro similiter præsentibus est appensum. Et ego ERICUS FILIUS *Domini Erici* Ducis Saxoniæ, Angariæ & Westphaliæ prædicti omnibus & singulis prædictis consensi, nec eis in parte vel in toto contraveniemus nec contravenientibus consentiemus, promittimus bona fide & in testimonium illius & omnium præmissorum sigillum meum duxi præsentibus apponendum. Testes hujus sunt discreti viri *Bertholdus* de *Rixerow*, Detlevus *de Duvensee*, Walrawienus *de Duvensee*, Hinricus *de Gronowe*, Wolomarus *de Gronowe* milites, Hartwicus *de Rixerowe* Echardus *de Crummesse* famuli & alii quamplures fide digni. Datum anno Domini MCCCXXXVI. feria sexta proxime ante diem Johannis Baptistæ in castro nostro Lowenborg.

(*) Aliud Erici Saxon. Ducis diploma de hac villa & de villis Sulestorpe & Talendorp vide in diplomatario Mecklenburgico.

CXIV.

Eberhardi Propositi & Capituli Ratzeburgensis commutatio super Burchwere & Borchwere ac nonnullis reditibus aliis cum Erico Duce Saxo. Lauenb. inita anno 1336.

1336. Nos Dei gratia *Everhardus* præpositus *Johannes Fort*, totumque capitulum ecclesiæ *Ratzeburgensis* presentibus publice cognoscimus & lucide protestamur, quod postquam villas & bona, scilicet *Tzillestorp* (Sulestorpe) *Talendorpe* & majorem *Witze* ab illustri Principe domino *Erico Duce Saxoniæ* emimus & rationabiliter comparavimus, secundum quod privilegia super hoc edita & confecta lucidius edocent & declarant, reditus & servitia deputata *ad pontem Ratzeburg*, qui BURCHWERE dicitur, & ad *castrum*, quod BORCHWERCH vulgo nominatur, de consensu & voluntate dicti Domini Erici Ducis Saxoniæ in alios reditus decrevimus commutare, videlicet quod magistro pontis qui pro tempore ponti præfuit, intra civitatem Ratzeburg in platea, quæ ducit ad pontem, de DOMO & AREA, quam inhabitat Volff VII. sol. item de *domo & area Tzeanis Myenkerken*, qui & *Teze* dicitur II. sol. item de domo & area *Marken Koleres* II. sol. it. de domo & area *Hencken Vust* II. sol. annis singulis in festo beati Michaelis recipiet expedite; ad tantam enim pecuniam villæ prædictæ facta computatione hactenus tenebatur. Cum vero evidens incumbit necessitas tunc in illa parte pontis, quæ deputata est ad *parochiam Slawesdorpe*, magister structuræ nostræ pilam mittet cum suis necessariis & imponet, in quo si negligens fuerit, prænominatus Dominus Dux & sui successores duos mansos ecclesiæ nostræ in *Hermensdorff* impignerari faciet pro eodem. Prætérea cum *communis terra Razeburg* ad *opus castri* sive ad *Borhwerch* fuit convocata, tunc magister structuræ ecclesiæ nostræ ad ipsum opus castrense faciet, quantumcunque per sex mansos de terra Razeburg fuit faciendum. Nihilominus vero & si in hoc defes aut contrarius fuerit, totum nostræ ecclesiæ capitulum pro VI. mansis satisfaciet requisitum. In premissorum omnium evidens testimonium & perpetuam observantiam sigillum capituli nostri presentibus est appensum. Datum Ratzeburg an. Domini millesimo CCCXXXVI. in die apostolorum Philippi & Jacobi beatorum.

CXV.

Albertus Dominus Megap. consensu hæredum & consilio consiliariorum villam Rodenberg & curias alias vendit militibus dictis de Bulow, cum omni DOMINIO & proprietate.

Omnibus præsens scriptum cernentibus *Al-* 1341.
bertus Dei gratia *Magnopolensis Stargardiæ & Rostock dominus* salutem in Domino. Recognoscimus publice per præsentes, quod *nos & hæredes nostri animo deliberato, & consiliariorum nostrorum consilio* vendidimus & dimisimus dilectis nobis *Reimaro militi Hinrico* & *Vickoni* famulis fratribus dictis *de Bülowe* & ipsorum veris hæredibus pro quadringentis quinquaginta marcis denariorum Lubicensium nobis persolutis omnem proprietatem, supremum judicium, omnem precariam ac omne dominium super villas supra scriptas videlicet *Rodenberghe*, & curiam sibi adjacentem *Gryben*, *Blusmen*, *Mencendorff* & *Lypesse* annuentes ipsis sponte, quod dicta bona, prout in suis terminis jacent & distinctionibus, cum omni ipsorum *proprietate* ac *universo dominio*, quæcunque hæredes nostros in ipsis habere noscimus, vendere, dare seu obligare valeant *dominis quibuscunque* extra nostrum dominium, aut *vasallis eorum* ad quoscunque usus seculares & spirituales æternaliter retinenda. In cujus testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Rostock anno Domini MCCCXLI. feria tertia post dominicam Cantate præsentibus *fidelibus* nostris Gotscalco *Storm*, Eghardo *Hardenacken*, Johanne *Ummern*, Henningo *de Godensweghene* & Ravone

de *Barnekowe*, *militibus*, cæterisve fide dignis sub privilegio duplicato.

CXVI.

Erici donatio loci dicti Ravensdyck ejusque limitum & piscaturæ.

In nomine Domini Amen!

1353. *Ericus* Dei gratia Dux Saxoniæ Angariæ & Westphaliæ junior, tam præsentis quam futuri temporis Christi fidelibus universis cum notitia rei gestæ salutem in omnium salvatore! cum a nobis petitum. quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo etiam exigit rationis, ut id per nos effectui debito mancipetur. Eapropter venerabilis in Christo patris ac domini *Volradi Raceburgensis ecclesiæ Episcopi, compatris nostri* dilecti justis supplicationibus grato concurrentes consensu, donationem eidem & suis successoribus in perpetuum factam per strenuos viros *vasallos nostros* videlicet *Walravum* dictum *Duvensee* nec non *militem* ac ipsius filium *Walramen de Duvensee* nec non *Hartwicum*, *Bertholdum*, *Thiedericum & Conradum* fratres, filios quondam Bertholdi *de Ritzerowe* & Hartwicum filium quondam Thiederici de Ritzerowe *armigeros* de loco qui *Ravensdyk* dicitur, cum suis limitibus, lignis & arbustis prout dicti limites ad ipsos pertinentes cum limitibus, lignis villæ *Verchowe* sitæ in parochia ecclesiæ *sancti Georgii in monte* juxta *Raceburg* circumvenire noscuntur, sic quod præfatus dominus Wolradus Episcopus suique in perpetuum successores ibidem in stagnationem lacum sive piscinam facere possint tam in longum lacum altum quam in magnum seu profundum pro lubitu voluntatis nihil juris sibi & hæredibus suis ac successoribus eorundem in præfato loco *Ravensdyk* & ipsius limitibus, nec non piscatura ejusdem loci penitus retinendo. matura & consulta deliberatione præhabita gratam & ratam habentes ipsam laudamus, approbamus, & tenore literarum præsentium confirmamus: & ne præfatus dominus Volradus Episcopus suique in perpetuum successores in dicto loco Ravensdyck ejusque limitibus nec non piscatura ibidem in posterum, patiantur injustæ contradictionis molestiam, per nostræ donationis paginam valeant dominare prafatum locum Ravensdyck cum suis limitibus ac piscinam ibidem factam seu faciendam cum omni jure penitus & utilitate, sicut præfati vasalli nostri tenuerunt ipsis donatione legitima condimus & concedimus cum *plenaria libertate ecclesiastica* ab eisdem sine obstaculo libere, pacifice & quiete perpetuis futuris temporibus Deo propitio possidendos, nihil juris nobis & *nostris hæredibus* ac *etiam successoribus* seu cuiquam alteri in dicto loco Ravensdyck seu piscatura ibidem directe vel indirecte penitus reservando. In cujus ratihabitionis, approbationis & confirmationis, nec non donationis nostræ evidenter luculentam habendi litteram testimonialem, inde conscribi & sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum & actum Schœnenbergæ sub a. Domini MCCCLIII. feria quinta proximam post diem undecim millium virginum præsentibus honestis & strenuis viris Dominis Hinrico *de Crumesse*, *milite*, Hartwico & *Lotemann* patruis, dictis *Sabel*, Henrico *Srbacken*, Wickone *Marstaller* minore, Johanne *Wolff* famulis, *Vasallis* nostris & aliis pluribus fide dignis testibus ad præmissa vocatis.

CXVII.

Wyck & Ludolph de Karlow consensu hæredum vendunt Episcopo Raceb. villam Walkenhagen cum parte terræ seu marsis Lorland, item area deserta, domibus, Katen, pactis, pullis, reditibus & pertinentiis. Accedentibus fidejussoribus & adjectis exceptionum juris civilis renuntiationibus.

Universis & singulis præsentes litteras visuris seu audituris nos *Wyck* de *Karlowe* & *Ludolphus filius meus*, famuli: cupimus esse notum, quod matura deliberatione præhabita & *consensu hæredum & amicorum nostrorum nec non aliorum omnium, quorum interest* vel poterit interesse, vendidimus, dimisimus & assignavimus rite, rationabiliter ac cum bona & libera voluntate venerabili in Christo patri ac Domino, Domino Wulrado Raceburgensis ecclesiæ Episcopo pro se suisque in perpetuum successoribus in sede episcopali ementi & recipienti pro pretio videlicet centum & decem marcarum denariorum Lubecensium nobis in numerata pecunia integraliter persoluto quatuor mansos villæ *Valckenhagen* sitæ infra *Boytin*, quorum duos pro nunc colit & tenet Gerhardus filius *Johannis Brun*, alios vero duos colit *Joannes Dives* filius *Hermanni Westphali*; item quandam *partem terræ* ibidem vulgariter dictam *Lorland*, quod colit *Ludolphus Boncke* & quandam AREAM *desertam* cum singulis ejus attinentiis, *aretis*, *domibus*, *Katen*, *pactis*, *cersibus*, *pullis*, *reditibus* & adjacentibus pascuis, pratis, lignis, rubetis, virgultis, aquis, aquarumque decursibus, viis & inviis cum *minori judicio*, quod nos habuimus, provinciis, commoditatibus & utilitatibus, & generaliter cum omni jure & libertate, quibuscunque nominibus censeantur, nec non cum *possessionis vacuæ* TRADITIONE, prout *ad nos* seu *per genitores nostros jure* FEUDALI *seu alio* pertinuisse liberius dignoscitur: renunciantes ex nunc sponte & libere & ad manus præfati domini Episcopi Raceburgensis suorumq; successorum in perpetuum ORE & MANU *resignantes* quicquid in mansis *Dorland* & *area deserta* prædictis & pertinentiis suis, & aliis bonis quibuscunque ejusdem villæ, quocunque nomine censeantur, nobis seu nostris hæredibus competiit seu competere possit, quomodolibet in futurum, remittentes etiam & donantes *colonis & possessoribus prædictis* & nobis aut alteri habentem caussam, a nobis *ratione census seu alterius debiti* in aliquo fuerint obligati. Insuper quia dominus Bertholdus *Wosse* presbyter Spirensis diœceseos, qui prædicta bona hactenus tenuit & de ipsis per mo-

1356.

dum

dum pietatis & eleemosynæ, prout a genitore nostro domino *Ludolpho de Karlow*, *milite*, quondam fuerat ordinatum, percepit reditus, proventus, venditioni prædictæ consensit, renunciando simpliciter & libere, quicquid in dictis bonis & eorum pertinentiis, commoditatis, emolumenti & utilitatis habebat. Nos pium progenitoris nostri frustrari nolentes affectum, requisiti etiam & exhortati super hoc per reverendum in Christo patrem dominum Volradum Episcopum supradictum promittimus bona fide undecim marcarum reditus certos de bonis nostris dilatione postposita dare & assignare pro remedio animæ nostræ ad vicariam perpetuam instaurandam, nec non præfatum dominum Bertholdum inducere in possessionem eorundem, ut in ipsis in recompensam bonorum dimissorum ut præmittitur per tempora vitæ suæ habeat sustentari; adhæc quia Ludolphus filius Reimari filii quondam Domini Ludolphi de Karlowe, militis. ad discretionis a nobis modum dignoscitur provenisse, data fide promittimus *cum fidejussoribus infra scriptis*, nos acturos & efficaciter facturos, quod dictus Ludolphus supra dictam venditionem ac omnia & singula supra scripta ratificabiliter approbabit ac litteris suis suo sigillo munitis & fidejessoribus idoneis, cum *ad ætatem legitimam pervenerit*, confirmabit; item, cum aliquem seu aliquos ex infrascriptis nostris conpromissoribus seu fidejussoribus decedere sive mori contigerit, ex tunc infra mensem a die mortis alium vel alios æque idoneos præstabimus fidejussorem seu fidejussores & dabimus in locum in omnem causam defunctorum: promittimus insuper, bona fide adstringentes nos firmiter in his scriptis, supra dictam venditionem ac omnia & singula suprascripta perpetuo firma, rata & grata habere, tenere, observare & adimplere nec contra facere, vel revenire per nos, seu per alios aliqua ratione vel caussa sive ingenio de jure vel de facto: renunciantes *non soluti & minus justi pretii & doli mali exceptionibus*, ac omni alii auxilio *juris* sive *facti*, per quod præmissa seu præmissorum aliquod posset infringi seu quomodolibet impugnari. Et si, quod absit, præfatum dominum Wolradum Episcopum aut ejus successores in prædictis bonis emtis vel ipsorum parte aliqua aut in juribus seu pertinentiis eorundem quomodolibet turbari seu molestari aut impediri contigerit, ipsis *Warandiam*, præstabimus & de evictione cavebimus, & cavemus & nos Nicolaus de *Bülowe*, Wicko *Luxowe*, Wacker *Wackerbarth*, Hinricus & *Detlevus* fratres DICTI *Tzecher*, Wernerus & Joannes fratres *dicti Rockswalen*, Detlevus *Wackerbarth* filius Detlevi Wackerbarth famuli, & discretis viris Dominis Godscalco *Storm*, Eckhardo, Henrico & Hartwico DICTIS *de Crummesse* militibus, Hermanno *Storm*, Wiperto *Blücher*, Johann & Reimaro fratribus filiis Hermanni Stormi prædicti, Hartwico & Thiderico fratribus *de Ritzerow* nec non Johann *de Crummesse* famulis, nomine præfati Domini Wolradi Episcopi & successorum suorum promissum recipientibus & per ipsos dicto episcopo ejusque successoribus una cum præfatis Wickone & Ludolpho venditoribus promittimus *bona fide*, *conjuncta manu* & *in solidum*, & nos ac quemlibet nostrum *principales debitores* facimus & constituimus in his scriptis, quod prædicta venditio & omnia & singula insuper scripta rata & firma manebunt & debitum sortiantur effectum & quod præfati Wicko & Ludolphus ejus filius, & Ludolphus filius Reymari prædicti seu eorum hæredes præfato Domino Episcopo seu ejus successoribus per se & per alios publice vel occulte ex quacunque occasione vel caussa in prætactis bonis venditis & pertinentiis ipsorum nullo unquam tempore impedimentum, cunctationem ac molestiam sive damnum faciunt seu fieri procurabunt: quod si factum fuerit, nos & quilibet nostrum ac hæredes nostri dicta bona totaliter distrahere ac pro omni damno ac impedimento satisfactionem plenariam tenebimur exhibere. In cujus rei testimonium sigilla nostra una cum sigillis Vickonis & Ludolphi *de Karlowe*, venditorum prædictorum, præsentibus litteris duximus apponenda. Datum & actum *in villa* SCLAVICA *Rodemitzle* sita in parochia *Demern*, Raceburgensis diœcesæos, anno Domini MCCCLVI. in octava die beati Laurentii martyris glorioso præsentibus viris honorandis dominis *Ortone* de *Gronowe*, Friderico *Moltzan* Canonicis dictæ ecclesiæ Raceburgensis, Wolrado *de Dorne* Præposito Butzovienſe in ecclesia *Zverinensi*, Petro in *Schonenberge* Raceburgensis diœcesæos, Hermanno de *Hamme* in *Lüttenborg*, ac Jacobo *Robekini* in *Nienkercken* ecclesiarum Rectoribus Lubecensis diœcesæos nec non aliorum honestorum virorum, multitudine copiosa testium præmissorum.

CXVIII.

Armigeri dicti de Bernstorf fundant vicariam in Bortsow eamque dotant cum Wentfeld, accedente Ducis Alberti consensu, qui tamen suprema judicia, servitia & bedas aliaque DOMINORUM onera sibi reservat.

In Nomine Domini, Amen. *Wipertus* Dei & apostolice sedis gratia episcopus eccesiæ Razeburgens. Universis & singulis Christi fidelibus, ad quorum notitiam literæ præsentes pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Nostra sollicitudinis cura cum plurimo affectu merito deposcit, cum ingenti desiderio jugiter affectat ex susscepti officii debito animo pervigili indesinenter innititur, ut matris ecclesiæ filiorum pia desideria in laudem & honorem omnipotentis devote concepta, potissime, in quibus divinorum officiorum multiplicatio vertitur, clerici pauperes sustententur, & ad similia faciendum ceteri induci visibiliter præsumantur, facillime, in quantum in nobis fuerit, compleamus. 1360.

mus. Hinc est, quod nos præsentibus innotescimus, & felicitati succedentium literarum nostrarum serie intimamus, quod *famosi* viri *Wernerus* & *Godscalcus* DICTI *Bernstorp*, *armigeri*, fratres, pio zelo ac devotione accensi, unam *perpetuam vicariam* de bonis suis instituendam & fundandam disposuerunt, & eam instituerunt & *fundaverunt* in ecclesia parochiali in *Börtsow*, nostre Razeburgens. dicec. in honorem Dei beatæque Mariæ virginis & sancti Bartholomæi Apostoli ac beatæ Mariæ Magdalenæ & Stæ Cathrinæ virginis perpetue duraturam; & eandem vicariam *dotaverunt* cum duobus mansis & quinque partibus agri, dictis *Wentfeld*, in terminis campestribus *villæ Rulevesbaghen* hinc inde jacentibus, cum omni jure fructu, utilitate ac libertate, prout prædicti fratres dictos mansos & agros habuerunt & possederunt, ac *jus* PATRONATUS *hujusmodi vicariæ* sibi *reservarunt* & nobis supplicari fecerunt & pro parte eorum fuit supplicatum, ut prædictam vicariam per ipsos, ut præmittitur, instauratam, fundatam & dotatam, auctoritate dicecesana auctoritare approbare & confirmare dignaremur. Producci nihilominus fecerunt literas illustris principis *domini Alberti* Ducis Magnopolensis *domini temporalis*, hujusmodi institutioni & fundationi consentientis, ejus vero *sigillo* MAJORE *sigillatas*, quarum tenor erat, & est talis: Nos *Albertus* Dei gratia *Dux Magnopolensis* universis Christi fidelibus præsentem intuentibus paginam salutem & rei agnoscere veritatem. Actiones & operationes, quæ moventur circa particulares homines delet sæpe, quæ mater erroris est, oblivio, nisi literarum & testium fulciantur stabili fundamento. Noscat igitur felix & reverenda natio præsentium & futurorum successio, quod ex speciali favore, quo movemur erga *dilectos nostros & fideles*, *Wernerum & Godscalcum* fratres dictos *Bernstorp*, armigeros, de nostrorum *fidelium* COLLATERALIUM consensu dedimus, quo ad altare struendum & dotandum in honorem Dei beatæque Mariæ virginis sancti Bartholomæi Apostoli ac beate Marie Magdalene & Katherinæ, virginis glorioſæ perpetuis temporibus duraturum, & præsentibus damnus omnem proprietatem, libertatem super duobus mansis & quinque partibus agri, dictis *Wentveld*, in terminis campestribus ville *Rulvesbagen* hinc inde jacentibus, cum omni jure fructu, utilitate ac libertate, prout prædicti fratres & eorum hæredes dictos mansos & agros prælibatos habuerunt & possederunt, NORIS *tamen & nostris* HEREDIBUS *judiciis* SUPREMIS PRECARIIS *servitiis*, *& aliis* DOMINORUM *oneribus super dictis* MANSIS & AGRIS *precipue* RESERVANTES. In quorum omnium testimonium præmissorum sigillum nostrum authenticum præsentibus duximus appendendum. Datum *Wysmar* anno Domini MCCC. quinquagesimo sexto in die trinitatis, præsentibus *dilectis nobis Johanne de* PLESSE, *Henrico* STRALENDORPE militibus, *Vickone* LUTZOW, *Hermanno* KEREDORP *armigeris* ac aliis pluribus fide dignis.

Nos itaque piam affectionem & salubre propositum dictorum fundatorum seu instaurantium adimplere benivole cupientes, dictam vicariam sic instauratam fundatam & dotatam, ut præmittitur, de consensu Domini *Henrici Tescowe* rectoris parochialis ecclesiæ prefate in *Bortzowe*, auctoritate ordinaria Dei nomine devotissime invocato confirmamus, approbamus & ratificamus ac perpetue bona eidem ascripta & assignata *protectioni ecclesiasticæ* supponimus, & ipsius tuitioni defensioni submisimus, & in his scriptis universis diligenter consideratis plenarie & discussis submittimus districtius, ne ad alios usus prophanos & extraneos unquam convertantur, inhibendo sic, quod ad nutum & voluntatem rectoris ipsius ecclesiæ, qui pro tempore fuerit, in præjudiciis ejus vitandis vicarius omnimode dictæ vicariæ se habebit. In quorum omnium & singulorum evidens testimonium præmissorum sigillum nostrum de mandato nostro una cum sigillo dicti Dni Henrici rectoris præsentibus est appensum. Datum & actum in curia nostra *Schoneberghe* nostræ Razeburgensis dicec. anno Domini MCCC. sexagesimo in vigilia beati Bartholomæi Apostoli, qui fuit vicesima tertia dies mensis Augusti, præsentibus discretis viris Hinricus *Teskowe* rectore ecclesiæ in Bortzov predicto Bertoldo *Colpin* clerico Zverinens. dicecesis, *Vickone* & *Ulrico* DICTIS *de Blucher* & aliis pluribus fide dignis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

CXIX.

Jus patronatus ecclesiæ sancti Nicolai Wismariæ ab Henrico Duce Mecklenburgico collatum Episcopo Raceburgensi, confirmatumque ab Archiep. Bremensi & Pontifice Urbano V.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, 1363.
venerabili fratri *Episcopo Raceburgensi* salutem & apostolicam benedictionem! Magnæ devotionis affectus, quem ad nos & Romani generis ecclesiam habemus, promeretur, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Tua petitio continebat, quod olim Dux quondam *Himricus Megapolensis* pie considerans, quod fructus reditus & proventus ad mensam Tuam episcopalem Raceburgensem pertinentes propter gverras, quæ in illis partibus ingruerant, adeo erant immuniti ac tenues & exiles, quod Episcopus Raceburgensis, qui esset pro tempore juxta Episcopalis dignitatis decentiam, de illis nequiverat commode sustentari & hospitalitatem servare ac alia onera sibi incumbentia supportare; jus patronatus parochialis ecclesiæ sancti Nicolai in *Wismaria* Raceburgensis dicœceseos ad ipsum Ducem nunc pertinens ea conditione Tibi donavit

navit, ut eadem parochialis ecclesia prædictæ episcopali mensæ Tuæ perpetuo uniretur annecteretur & incorporaretur, quodque postmodum venerabilis frater noster *Albertus*, *Archiepiscopus Bremensis*, *loci Metropolitanus* eandem ecclesiam parochialem cumque omnibus juribus & pertinentiis suis prædictæ Tuæ mensæ auctoritate metropolitica habito super hoc diligenti tractatu cum dilectis filiis Decano & capitulo ecclesiæ Bremensis de ipsorum Decani & capituli consilio & consensu perpetuo univit, adnexit, & incorporavit, prout in quodam instrumento publico inde confecto eorundem Archiepiscopi & capituli sigillis munito, cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut non obstante, quod præfatus episcopus hujusmodi unionem, annexionem & incorporationem metropolitica auctoritate prædicta de jure nequiverit facere, unioni, annexioni, & incorporationi prædictis robur adiicere speciali gratia dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati unionem, annexionem & incorporationem prædictas & quæcunque inde sequuntur rata habentes & grata illa auctoritate apostolica ex certa scientia tenore præsentium confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus præmissa & felici recordatione Urbani Pontificis prædecessoris nostri hujusmodi uniones fieri prohibente ac aliis constitutionibus Apostolicis contrariis non obstantibus quibuscunque: tenor autem dicti instrumenti talis est: *Albertus* Dei & Apostolicæ sedis gratia Stæ *Bremensis ecclesiæ Archiep.* Mauritius Decanus, canonici & capitulum ejusdem ecclesiæ Bremensis universis præsentes litteras visuris, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Sane ad perpetuam rei memoriam & ad certam & indubitatam notitiam tam præsentium quam futurorum nec non omnium & singulorum, quorum inter est seu interesse poterit, in subscripto deducimus per præsentes, quod congregatis nobis Archiepiscopo, Decano, canonicis & capitulo prædictis in loco capitulari prædictæ nostræ ecclesiæ Bremensis, & pro capitulo habendo & faciendo hora solita tertiarum venerabilis in Christo pater & dominus dominus *Bertramus Episcopus Lubicensis* nobis pro parte reverendi in Christo patris & domini domini *Wiperti Episcopi Raceburgensis* dolenter exposuit, quod hic per & propter notorias querras, deprædationes, rapinas, incendia illorum partim bona prædicti domini Episcopi Raceburgensis & ad mensam suam episcopalem spectantia essent graviſſime destructa & desolata, & quod etiam tam propter hujusmodi devastationes & desolationes, quam pestilentias & carentiam, *colonorum* sive cultorum agri & mansi ac bona Episcopi & mensæ suæ prædictorum essent penitus in solitudinem & desertum redacti in tantum, ut prædictus Episcopus magnum defectum in mensa sua & aliis pateretur supplicatusque nobis exstitit per præfatum dominum Episcopum Lubecensem, pro parte prædicti domini Episcopi Raceburgensis, quatenus nos notoriæ inopiæ, pauperati, tribulationi & defectui benigniter & humaniter compati dignaremur, quodque nos *Albertus* Archiepiscopus Bremensis prædictus de expresso consensu dominorum Decani, Canonicorum & capituli nostri Bremensis prædictorum ad relevandam notoriam inopiam, paupertatem, tribulationem & defectum sæpedicti domini Episcopi Raceburgensis ac mensæ suæ episcopalis, parochialem ecclesiam sancti Nicolai in Wismaria Raceburgensis diœcesis, cujus ecclesiæ jus patronatus ad ipsum Episcopum Raceburgensem & qui fuerit & est pro tempore solum dignoscitur pertinuisse & pertinere, mensæ prædicti Domini Episcopi Raceburgensis & propter prædictas causas unire, annectere & incorporare dignaremur. Nos tamen licet præmissæ causæ essent notoriæ, & vere matura deliberatione & tractatu diligenti cum prædictis Dominis Decano, Canonicis & capitulo nostro Bremensi nec non causæ cognitione in pro & super præmissis præbabitis notatisque ex superabundanti rectoribus prædictarum ecclesiarum de eorundem expresso consensu prædictam parochialem ecclesiam sancti Nicolai in Wismaria mensæ prædicti Domini Episcopi Raceburgensis cum omnibus juribus & pertinentiis suis decrevimus & decernimus uniendam, annectendam & incorporandam eamque cum omnibus juribus & pertinentiis suis auctoritate Archiepiscopali & metropolitica univimus, adneximus & incorporavimus, ac perpetuo unimus, adnectimus & incorporamus mensæ præfati domini Episcopi Raceburgensis ac suorum successorum meliori modo, jure, causa & forma, quibus hujusmodi unio annexio & incorporatio fieri poterit & debebit. Decrevimus quoque & decernimus ac dedimus & damus plenam & liberam potestatem præfato domino Episcopo Raceburgensi suisque successoribus, quod cedente seu decedente, resignante seu renunciante Rectore prædictæ parochialis ecclesiæ sancti Nicolai in Wismaria aut eadem ecclesia quocunque alio modo vacante, quod ex tunc deinceps & in perpetuum præfatus Dominus Episcopus Raceburgensis & sui successores possint virtute præsentis unionis, annexionis & incorporationis prædictam ecclesiam sancti Nicolai in Wismaria personæ seu vicario idoneo, videlicet uni de Canonicis dictæ Raceburgensis ecclesiæ ordinis Præmonstratensium secundum privilegium eidem ordini Præmonstratensium super hoc a sede Apostolica indultum committere & locare, qui eandem ecclesiam nomine Episcopi & mensæ suæ episcopalis regat & gubernet, & fructus, reditus, proventus, oblationes ac quascunque alias obventiones ejusdem ecclesiæ diligenter

ter & fideliter percipiat, colligat, cuſtodiat & conſervet, ac præfato Epiſcopo Raceburgenſi, &, qui fuerit pro tempore, ac menſæ ipſius eoſdem tradat & repræſentet ac legalem ſufficientem computum reddat de perceptis, congrua tamen petitione prædicto commiſſario ſeu vicario de fructibus, reditibus, proventibus, oblationibus & obventionibus & emolumentis ejus de eccleſia pro ſuſtentatione ejuſdem commiſſarii vel vicarii & pro diminis officiis celebrandis & eccleſiaſticis ſacramentis parochianis ejuſdem eccleſiæ inſtaurandis nec non pro aliis oneribus dictæ eccleſiæ ſupportandis reſervata. In quorum omnium evidens teſtimonium præſentes literas per *Thidericum* dictum *Kok*, NOTARIUM *noſtrum publicum* infra ſcriptum conſcribi & in publicam formam redigi ipſiusque ſolito & conſveto ſigno ſignari mandavimus ac ſigilli noſtri una cum ſigilli capituli noſtri Bremenſis appenſione fecimus communiri. Datum actum & decretum *Bremen* anno MCCC. LXIII. indictione prima menſe Januario die decima tertia, præſentibus reverendo in Chriſto patre & domino domino Bertramo Epiſcopo Lubicenſi prædicto ac venerabilibus viris dominis *Aſſewino* de *Zaldere* Præpoſito in monte ſancti Mauritii extra muros Hildesheimenſes, & *Magiſtro Bertholdo* de *Brunſwic* Archidiacono *Eyderſtede* in eccleſia SLESVICENSI, CANCELLARIO *noſtro*, ac Thiederico dicto *Kok* clerico ac NOTARIO *publico*, infra ſcriptis teſtibus etiam præmiſſis. Et Nos *Mauritius* Decanus, canonici & capitulares prædicti Bremenſis eccleſiæ: Quia primiſſis omnibus & ſingulis tractatui, deliberationi & conſilio interfuimus, & unioni adnexioni & incorporationi prædictæ eccleſiæ ſancti Nicolai in *Wiſmar* factis per præfatum dominum noſtrum Albertum Archiepiſcopum Bremenſem præfati domini Raceburgenſis menſæ & ſuorum ſucceſſorum perpetuo & propter præmiſſas notorias juſtas & veras cauſſas expreſſe & ex certa ſcientia conſenſimus, & expreſſe præſentibus conſentimus: ideoque ad perpetuam rei memoriam ac plenam fidem, notitiam, & firmitatem omnium præmiſſorum ſigillum capituli noſtri, una cum ſigillo venerabilis patris ac domini noſtri Alberti Archiepiſcopi Bremenſis præſentibus literis eſt appenſum loco anno, indictione menſe, die & præſentibus, quibus ſupra. Et ego *Thidericus* dictus *Kok*, clericus Halverſtadienſis diœceſeos, *publicus imperiali auctoritate notarius*, prædictorum propoſitioni, petitioni, cauſſarum allegationi, unionis decretioni ac unioni prædictæ eccleſiæ ſancti Nicolai in Wiſmar factæ per prædictum reverendiſſimum patrem & dominum dominum Albertum Archiepiſcopum Bremenſem de expreſſo conſenſu venerabilium virorum dominorum Mauritii Decani, canonicorum & capituli ad menſam reverendi patris ac dni. dni. *Wiperti epiſcopi Raceburg.* & ſuorum ſucceſſorum in perpetuum; etiam ob præſentes prænominati domini veneran-

di patris Bartrami Epiſcopi Lubecenſis, qui prædictas juſtas & notorias cauſſas nec non præſtationi conſenſusque dominorum Decani, canonicorum & capituli prædictorum ac omnibus & ſingulis præmiſſis una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic facta vidi & audivi, manuque mea propria ſcripſi, conſcripſi, & in hanc publicam formam redegi; ſic quoque meo ſolito & conſveto ſignavi rogatus & requiſitus in teſtimonium omnium præmiſſorum; loco, anno, indictione, menſe, die, hora, & præſentibus, quibus ſupra; pontificatus ſummi in Chriſto patris & domini domini noſtri Papæ Urbani Quinti; anno primo.

CXX.

Albertus Archi-Epiſcopus Bremenſis Eccleſiam Grewesmolenſem ejusque redditus, Eccleſiæ Raceburgenſi & menſæ Epiſcopali tribuit & adnectit.

Albertus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia 1363.
ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ *Archi Epiſcopus* Mauritius Decanus Canonici & Capitulares ejusdem Eccleſiæ Bremenſis, univerſis præſentes litteras viſuris ſeu audituris ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Sane ad perpetuam rei memoriam & ad certam & indubitatam notitiam tam præſentium quam futurorum nec non omnium & ſingulorum, quorum intereſt ſeu intereſſe poterit in ſubſcriptis deducimus per præſentes, quod congregatis nobis Archi-Epiſcopo Decano, Canonicis & Capitulo prædictis, in loco Capitulari prædictæ noſtræ Bremenſis Eccleſiæ pro Capitulo habendo & faciendo hora ſolita tertiarum, venerabilis in Chriſto Pater & dominus, dominus Bertramus Epiſcopus Lubecenſis, nobis pro parte venerabilium virorum dominorum Henrici Præpoſiti, Johannis Prioris Canonicorum & Capituli Eccleſiæ Raceburgenſis dolenter expoſuit, quod heu per & propter NOTORIAS *Gverras*, deprædationes, incendia, rapinas & ſpolia illarum partium bona Præpoſiti Prioris Canonicorum & Capituli prædictorum & ad menſam eorundem Dominorum ſpectantium eſſent graviſſime deſtructa & deſolata, & quod etiam tam propter hujusmodi devaſtationes & deſolationes bonorum, quam propter peſtilentias & carentiam colonorum ſive cultorum agri & manſi ac bona dominorum Præpoſiti, Prioris, Canonicorum & Capituli prædictorum ac menſæ eorundem eſſent penitus in ſolitudinem & deſertum redacti. Interim quod præfati domini Præpoſitus, Prior, Canonici & Capitulum magnum defectum in menſa ſua & aliis neceſſariis paterentur; ſupplicatumque nobis exſtitit cum ſumma diligentia & inſtantia per præfatum dominum *Bertramum Epiſcopum Lubicenſem* pro parte dominorum Præpoſiti, Prioris, Canonicorum & Capituli prædictorum quatenus: nos notoriæ paupertati inopiæ & tribulationi, defectuique ſæpe dictorum dominorum benigni-

nigniter & humaniter compati dignaremur, quatenusque Nos Albertus Archi-Episcopus Bremensis prædictus de consensu expresso dominorum Decani Canonicorum & Capituli nostri Bremensis prædictorum ad relevandam notoriam inopiam, paupertatem, tribulationem & defectum prædictorum Dominorum ac mensæ eorundem Parochialem Ecclesiam sancti Nicolai in Grewesmolen Raceburgensis diœceseos cujus ecclesiæ collatio ad ipsos Præpositum, Priorem, Canonicos, & Capitulum Razeburgense solum & in solidum quando & quoties vacavit & vacat, dignoscitur pertinuisse & pertinere *mensæ dominorum Præpositi, prioris, Canonicorum & Capituli* cum omnibus juribus & pertinentiis suis decrevimus & decernimus uniendam, annectendam & incorporandam, eandemque Ecclesiam cum omnibus juribus & pertinentiis suis auctoritate Ecclesiastica, Archi-Episcopali & Metropolitana univimus, anneximus & incorporavimus, ac propter præmissas notorias justas & veras causas perpetuo unimus, annectimus & incorporamus mensæ prædictorum dominorum Præpositi, Prioris, Canonicorum & Capituli Raceburgensis ac suorum successorum meliori modo, jure, causa & forma, quibus hujusmodi unio annexio & incorporatio fieri poterunt & debebunt. Decrevimus quoque & decernimus ac dedimus & damus plenam & liberam potestatem, præfatis Dominis, Præposito, Priori, Canonicis & Capitulo Razeburgensi & eorum successoribus quod cedente seu decedente renunciante seu resignante Rectore prædictæ Parochialis Ecclesiæ sancti Nicolai in Grewesmolen, aut eadem Ecclesia quocunque aliomodo vacante, quod ex tunc in perpetuum præfati Domini Præpositus, Prior, Canonici & Capitulum Raceburgense eorumque successores possint virtute præsentis unionis annexionis & incorporationis prædictæ Ecclesiæ, eandem Ecclesiam sancti Nicolai in *Grewesmolen* personæ seu vicario idoneo, uni videlicet de Canonicis dictæ Raceburgensis Ecclesiæ *ordinis Præmonstratensis*, secundum privilegium eidem ordini Præmonstratensium ac personis ejusdem super hoc a sede Apostolica specialiter indultum committere & locare, qui eandem Ecclesiam nomine prædictorum Dnn. Præpositi, Prioris, Canonicorum & Capituli Raceburgensis ac mensæ eorundem regat & gubernet in spiritualibus ac temporalibus ac fructum, reditus & oblationes, proventus, ac quascunque alias obventiones ejusdem Ecclesiæ diligenter & fideliter percipiat, colligat, custodiat & conservet, ac præfatis dominis Præposito, Priori Canonicis & Capitulo Raceburgensi eorumque successoribus ac mensæ eorundem ipsos tradat, præsentet & assignet ac legalem & sufficientem computum reddat de perceptis, eisdem Dominis. Congrua tamen portione prædicto Commissario seu Locatario sive Vicario de universis fructibus, reditibus, proventibus, oblationibus & obventionibus ac emolumentis ejusdem Ecclesiæ pro sustentatione Commissarii seu Vicarii & pro divinis Officiis celebrandis & Sacramentis Ecclesiasticis Parochialis ejusdem Ecclesiæ ministrandis nec non pro aliis oneribus dictæ Ecclesiæ supportandis reservata. In quorum omnium evidens Testimonium præsentes litteras per Thiedericum dictum Kock Notarium nostrum publicum infra scriptum conscribi & in hanc publicam formam redigi ipsiusque solito & consveto signo signari mandavimus & sigilli nostri uno cum sigillo Capituli nostri Bremensis appensione fecimus communiri. Datum actum & decretum Bremæ. Anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo tertio indictione prima mensis Januarii die decimo tertio, præsentibus Reverendo in Christo parte & domino, domino Bertramo Episcopo Lubecensi prædicto, ac venerabilibus viris dominis *Assewino* de *Zalderen* Præposito in monte Sti Mautitii extra muros Hyldesemenses & Magistro Bertholdo de *Brunswyck* Archidiacono in Eyderstede in Ecclesia *Slesvicensi* Cancellario nostro, ac Thiederico dicto Kock, Clerico & Notario nostro infra scripto testibus in præmissis. Et nos Mauritius Decanus Canonici & Capitulum prædictæ Bremensis Ecclesiæ, quia præmissis omnibus & singulis, tractatui deliberationi & consilio, interfuimus & unioni annexioni, & incorporationi prædictæ Ecclesiæ sancti Nicolai in Grewesmohlen per præfatum dominum nostrum dominum Albertum Archi-Episcopum Bremensem mensæ prædictorum Dominorum Præpositi, Prioris, Canonicorum & Capituli Raceburgensis factis perpetuo & propter præmissas notorias justas & veras causas expresse & ex certa scientia consensimus & expresse consentimus: ideoque ad perpetuam rei memoriam ac plenam fidem notitiam & firmitatem, omnium præmissorum sigillum Capituli nostri Bremensis, una cum sigillo prædicti venerabilis Patris & domini nostri domini Alberti Archi-Episcopi Bremens. præsentibus litteris est appensum. Datum & actum loco, anno, indictione, mense, die ac hora & præsentibus quibus supra.

Et ego Thiedericus dictus Kock Clericus Halberstadensis Diac. Publicus Imperiali auctoritate Notarius, prædictorum propositioni, petitioni, causarum allegationi & earundem admissioni unionis decretioni ac unioni prædictæ Ecclesiæ sancti Nicolai in Grewesmolen Raceburgensis diœcæs. factæ per prædictum Reverendissimum Patrem & dominum, dominum Albertum Archi-Episcopum Bremensem, de expresso consensu venerabilium virorum dominorum Mauritii Decani Canonicorum & Capituli Ecclesiæ Bremensis ad mensam prædictorum dominorum Præpositi, Prioris, Canonicorum & Capituli Raceburgensis & suorum successorum in perpetuum & tam ob preces prædicti venerandi Patris domini Bertrami Episcopi Lubecensis, quam prædictas, notorias, justas & veras causas nec non præstitioni consensus Domini

Decani, Canonicorum & Capituli Bremenſis prædictorum ac omnibus aliis & ſingulis præmiſſis, una cum prænotatis teſtibus præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi manuque mea propria fideliter conſcripſi & in hanc publicam formam redegi meoque ſolito & conſveto ſigno ſignavi rogatus & requiſitus in teſtimonium omnium præmiſſorum loco, anno, indictione menſe, die hora & præſentibus quibus ſupra. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Papæ Urbani quinti anno primo.

CXXI.

Rodenberghe villa venditione redit una cum Menzendorp cet. ad capitulum Razeburgenſe.

1366. Coram univerſis præſentia viſuris & audientibus ego *Danquardus* de *Bulow*, *miles*, tenore præſentium recognoſco lucidius & proteſtor, quod matura deliberatione ac tractatu diligenti præhabito cum meis patruis & amicis, de & cum ipſorum conſilio & conſenſu rite & rationabiliter juſto emtionis & venditionis titulo vendidi & dimiſi, ac cum ea, qua decuit, ſolemnitate coram illuſtri Principe domino meo chariſſimo Dno. Alberto *Duce Megapolenſi*, Comite Zverinenſi nec non Stargardiæ & Roſtock terrarum domino reſignavi & præſentibus dimitto & reſigno, reverendo in Chriſto domino Hinrico Epiſcopo Raceburgenſi pro ſe ſuisque ſucceſſoribus eccleſiæ Raceburgenſis epiſcopis legitime comparanti *curiam meam Rodenberghe* cum omnibus & ſingulis rebus mobilibus ac ſe etiam moventibus, & ad quondam felicis memoriæ dnum. Fridericum *Epiſcopum Zverinenſem* ſpectantibus, item totam villam *Menzendorp*, villam *Bluſme* villam *Gryben* cum *molendino*, & quicquid habui in villa *Lipzee*, item quicquid juris tam ratione HOMAGIORUM, quam SERVITIORUM ſeu alio quovismodo in curiis *Ruzenbeke* mihi competebat vel competere poterat cum omnibus & ſingulis ſuis attinentiis & pertinentiis, cum piſcinis & aliis quibuslibet ſtagnis & aquis, cum *piſcatura majore & minore*, cum manſis, cæterisque agris cultis & incultis, prout in ſuis jacent diſtinctionibus, terminis ac metis, ac ad me meosque progenitores, ſpecialiter vero ac noviſſime ad quondam felicis memoriæ dominum Fridericum Zverinenſem epiſcopum meum patruum pervenerunt, *jure* HÆREDITARIO ad me pervenerunt & pro quatuor millibus & trecentis marcis pecuniæ integraliter perſolutis. Fidejuſſores ſunt *Himricus* de *Bulowe* miles, *Henneking* de *Bulowe in Wedwendorp*, *Hartwicus de Bulowe*, *Himricus de Bulowe in Critzow* & *Hinricus* de *Bulowe in Prutzen* ARMIGERI. *Heidenrich* de Bulowe MILES ut teſtis adducitur. Anno MCCCLXVI.

CXXII.

Ratzebeck curia ab Henrico de Bulow cum conſenſu filiorum & amicorum venditur capitulo Razeburgenſi, addita Warandia ſecundum JUS prout IN TERRA EXISTIT.

In nomine Domini Amen. In perpetuam rei memoriam Ego *Henricus* de *Bulowe* miles *in Plawe*, *Nygenſtadt*, *Luchowe* & *Domenytze*, advocatus, tenore præſentium recognoſco lucidius & proteſtor, quod matura deliberatione præhabita de beneplacito & *conſenſu dilectorum meorum filiorum* nec non *reliquorum meorum amicorum* juſto emtionis & venditionis titulo recte & rationabiliter vendidi & dimiſi ac etiam præſentibus vendo & dimitto efficaciter reverendo in Chriſto patri domino Henrico Epiſcopo Raceburgenſi domino meo prædicto pro ſe & ſuis ſucceſſoribus legitime comparanti curiam meam *Ratzebeck* in terra ſua Boytin ſituatam cum omni jure & judicio mihi competentibus in eadem, nec non cum omnibus & ſingulis reditibus fructibus, utilitatibus, commoditatibus & attinentiis, prout in ſuis jacet terminis atque limitibus ipſamque hactenus pacifice tenui & poſſedi, nihil juris vel utilitatis mihi & meis heredibus penitus reſervando in eadem, pro centum & quinquaginta marcis denariorum Lubicenſium mihi per eundem dictum dominum meum Epiſcopum juſte rogatum meum ſpecialem apud Detlevum *Scarpenberg* armigerum formaliter disbrigatis, & a quarum perſolutione ſeu uleriori numeratione ipſum ſuosque ſucceſſores meo & hæredum meorum nomine quietos dimiſi totaliter & ſolutos, ac dimitto firmiter per præſentes promittens nihilominns in his ſcriptis bona fide & inſolubiliter eidem domino meo Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus *plenam Warandiam* prædictæ curiæ ac omnium ſuarum attinentiarum pro omnibus hominibus *juri ſtare* volentibus *jusque dare & recipere* cupientibus, prout IN TERRA JUS *exiſtit*. In quorum omnium evidens teſtimonium meum ſigillum ex certa mea ſcientia præſentibus eſt appenſum. Datum Schœnenbergæ anno Domini M. CCC. LXXIII. feria quinta poſt feſtum conceptionis beatæ Mariæ virginis præſentibus honeſtis viris domino Bernhardo de Brocke rectore parochialis eccleſiæ in Mummendorp, Detlevo *Negendanck*, Detlevo Scapenberg, Vickone de Bülowe in Bredentyn, Ludekeno de Negendanck, Vickone Blücher, Marquardo Röbelen, Ludolpho Pyl armigerorum & pluribus aliis fide dignis teſtibus ad præmiſſa. 1373. 1373.

CXXIII.

De curia Rodenberghe, Mentzendorp, Bluſme, Gryben, Lypzee & juribus curiarum Rutzenbeke & Poppenhuſen venditis.

Reverendo in Chriſto patri ac Domino *Henrico Epiſcopo Raceburgenſi* nec non ſtrenuo viro domino *Danquardo* de *Bülowe*, militi, patruo ſuo perdilecto omnibusque aliis & ſingulis, ad quorum notitiam præſentes litteræ pervenerint *Himricus* de *Bülowe*, *miles*, obſequioſam ad quævis beneplacita voluntatem. Ad veſtram & ſingulorum veſtrorum tenore præſentium deduco notitiam, quod nuper, cum infra ſcriptum emtio- 1373.

emtionis & venditionis contractum inter vos Dominum Episcopum prædictum vestro & vestrorum successorum nomine ementem ex una parte, ac vos Dominum *Danquardum* præfatum *vestro & vestrorum* HÆREDUM & SUCCESSORUM nomine vendentem ex altera parte de & super *curia Rodenberghe* nec non *Mentzendorp*, *Blume*, *Gryben*, *Lypzee* & nonnullis *juribus curiarum Kutzenbecke* & cæteris rebus ac bonis in dicta curia Rodenberghe existentibus & ad eam pertinentibus & ipsarum occasione rite & rationabiliter celebratum contractavi & perfeci, omnes & singulæ res mobiles, ac etiam se moventes, cujuscunque *generis & speciei* fuerint, in eadem curia existentes, quæ ad quondam felicis memoriæ Dominum *Fridericum* Episcopum *Sverinensem* vestrum patruum domino Danquardo, dum videbat, pertinuerant & dignoscebantur pertinere, ac per ipsius mortem ad venerandum virum dominum Henricum *de Bulowe Præpositum* ecclesiæ *Zwerinensis* fratrem vestrum & vos *jure* HÆREDITARIO legitime devolutæ fuerunt, item quicquid juris in curia *Poppenbusen* habebatur universaliter & in totum, fuerunt & sunt in hujusmodi emtionis & venditionis contractu comprehensæ & expressæ, etiam per me annotatæ; in cujus rei testimonium meum sigillum ex certa mea scientia præsentibus est appensum. Datum in *Nygenstadt*, anno Domini MCCCLXXIII. feria quarta post Festum beatorum Mauritii & socioram ejus præsentibus honestis viris domino Bernhardo *de Brobe* rectore ecclesiæ parochialis in *Mummendorp*, Wickone *de Bulowe* in Bredentyn, Radekino *Kercktorp*, Bodone de DEWYTZE Ottone de *Majarke*, *armigeris* & aliis pluribus fide dignis.

CXXIV.

Hartwicus Bertholdus & Otto de Rytzerow recognoscunt donationem villæ Ravensdyck a patres & patruis factam.

In Nomine Domini Amen!

1373. In perpetuam rei memoriam universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis seu audituris. *Hartwicus de Rytzerowe*, *armiger*, filius quondam Thiederici de Rixerow armigeri, nec non *Bertholdus & Otto de Rixerow* fratres, *armigeri*, filii quondam Hartwici infra scripti *nati Bertholdi* de *Rixerow*, *militis*, rei gestæ agnoscere veritatem & salutem in Domino sempiternam! Justorum virorum discretio postulat sagaciter & requirit, ut pia facta hominum propter memoriæ brevitatem literis conscribantur: hinc est quod præsentes nosse volumus & posteros non latere, quod, quamvis dudum ego Hartwicus prædictus & quondam felicis memoriæ *Walrawen* de *Duwensee*, *miles* in *Walrawen* ejus filius *armiger*, nec non Hartwicus nostrorum Bertholdi & Ottonis prædictorum pater ac Bertholdus, Thiedericus & Corandus ejusdem quondam nostri patris fratres, nostri patrui, juxta tenorem litterarum seu privilegii ejusdem memoriæ quondam dni Erici Ducis Saxoniæ & Angariæ, Westphaliæ, imo & quondam piæ recordationis dno Volrado Episcopo Raceburg & suis successoribus pontificibus Raceburgensibus quendam locum, qui *Ravensdyck* dicitur, cum suis limitibus, lignis & arbustis, prout dicti limites ad me Hartewicum prædictum & ad dictos quondam nostrum Bertholdi & Ottonis patrem ac nostros patruos cum pertinentiis, cum limitibus villæ *Verechowe* sitæ in parochia ecclesiæ sancti Georgii in monte juxta Raceburg convenisse dignoscebantur, & modernis temporibus adhuc convenire dignoscuntur, in perpetuum donavissem & donavissent; sic quod prædictus quondam dominus *Volradus Episcopus* suique in perpetuum successores ibidem in stagnationem, lacum seu piscinam facere potuerint eam in longum, latum, altum & profundum pro lubitu suæ voluntatis, nihil juris in Hartewico prædicto meisque hæredibus ac etiam dicti quondam Walrawen miles Walrawen suus filius nec non Hartwicus nostrorum Bertholdi & Ottonis pater, Bertholdus Thiedericus & Conradus nostri patrui ejusque hæredibus seu successoribus in præmisso loco Ravensdyck & suis limitibus nec non piscatura ejusdem loci penitus remaneat; & nihilominus præfatus quondam Dominus Ericus Dux junior *matura & consulta deliberatione præhabita*, habendi donationem habens gratam & ratam ipsamque laudando & approbando confirmassem; ac etiam ne præfatus quondam Dominus Volradus Episcopus suique in perpetuum successores in prædicto loco Ravensdyck ejusque limitibus nec non piscatura ibidem in posterum pateretur injustæ contradictionis molestiam eundem locum Ravensdyck cum his limitibus ac piscina ibidem factam seu fiendam cum omni jure penitus & utilitate, sicuti ego Hartwicus prædictus & præfati quondam nostri Bertholdi & Ottonis pater & patrui tenui & tenuerunt, ipsis quadam legitima donatione condonassem & cum plena libertate ecclesiastica ab iisdem sine omni contradictionis obstaculo libere, pacifice & quiete perpetuis futuris temporibus possidendos, nihil juris sibi & suis hæredibus ac etiam successoribus seu cuiquam alteri in prædicto loco Ravensdyck seu piscatura ibidem directe vel indirecte penitus reservando concessisset, prout hæc omnia & singula in & ex tenore hujusmodi literarum seu privilegii domini Ducis prædicti liquet evidentius. Quia tamen reverendus in Christo pater & dominus noster gratiosus dominus *Henricus Episcopus Raceburgensis*, ex quo mei Hartwici supradicti & prædictorum quondam nostrorum Bertholdi & Ottonis patris & patruorum *litteras originales* seu *speciales* de & super præmissa donatione confectas & conscriptas *inter cæteras litteras & privilegia sua seu ecclesiæ suæ sigillatas non invenerit*, vel saltem quocunque nostros hæredes & successo-

ceſſores poſſet futuris temporibus in dubium quodammodo revocare ſeu hæſitare pro noſtris recognitionis præmiſſæ, donationis ac ipſius gratificationis & ratihabitionis noſtrorum Bertholdi & Ottonis prædictorum litteris duxit amicabiliter requirendos & etiam ſpecialiter exorandos; Nos vero favores & promotiones multiplices nobis noſtrisque parentibus, progenitoribus & patruis prædictis per dictum dominum noſtrum epiſcopum ſuosque prædeceſſores pontifices Raceburgenſes ab olim & his diebus exhibitos conſtanter & impenſos & quod pia donatio & voluntas quorumcunque fidelium non eſt imminuenda, ſed potius adaugenda, propenſius attendentes, prædictam donationem mei Hartewici ac noſtrorum Bertholdi & Ottonis patris & patruorum prædictorum de loco Ravensdyck & ſuis limitibus modo, quo præmittitur, fuiſſe & eſſe factas tenore præſentium publice recognoſcimus ipſamque nos Bertholdus & Otto ſæpe dicti rata habentes gratificamus & approbamus; & nihilominus ad omne dubium de cordibus quorumcunque noſtrorum *hæredum ſucceſſorum* ſeu aliorum etiam removendum & tollendum præſentes noſtras litteras ex certa noſtra ſententia conſcriptas & noſtrorum ſigillorum appenſione communitas prædicto domino noſtro, domino Henrico Epiſcopo Raceburgenſi & ſucceſſoribus in perpetuum etiam libera & ſpontanea voluntate de & ſuper omnibus ſingulis præmiſſis & in ipſorum evidens teſtimonium conceſſimus irrevocabiliter & donavimus, ac etiam concedimus & donamus in præſenti. Actum & datum in *Campen* prope villam *Radowenſtorpe* in terra *Boytyn* anno Domini MCCCLXXIII, ipſo die beati Ægidii Abbatis & confeſſoris; præſentibus honorabilibus & validis viris Dnn. Nicolao *de Güſtrow* Decano eccleſiæ Guſtrinienſis Camminenſis diœceſeos, *Ludero de Bluchere* canonico Raceburgenſi, *Vickone de Plachere*, *Hartewico* dicto *Meſecko* & *Ludolpho* dicto *Pyl*, *armigeris* Raceburgenſis diœceſeos teſtibus ad præmiſſa.

CXXV.

Himricus de Bulaw, eccleſiæ Suerinenſis præpoſitus venditionem curiæ Rodenberghe & villarum additarum recognoſcit.

1376. Nos *Himricus* de *Bülow* Dei gratia Præpoſitus *eccleſiæ Suerinenſis* & *Canonicus Lubecenſis* tenore præſentium recognoſcimus lucidius & teſtamur, quod matura deliberatione ac tractatu diligenti præhabitis cum noſtris *patruis & amicis* infra ſcriptum emtionis & venditionis contractum inter fratrem noſtrum cariſſimum Danquardum de Bülow militem vendentem ex una parte & reverendum in Chriſto patrem dominum Henricum Epiſcopum Raceburgenſem ſuo & ſuorum ſucceſſorum nomine ementem de & ſuper curia *Rodenberghe*, nec non villas *Menzendorp*, *Blusme*, *Gryben*, *Lypzee* ac juribus in curiis & villis exiſtentibus ac ad eas ſpectantibus, prout ad nos & fratrem noſtrum prædictum per obitum quondam fecis memoriæ domini Friderici Epiſcopi Sverinenſis noſtri patrui jure hæreditario legitime devenerunt, ex altera parte rite & rationabiliter celebratum bona voluntate & ex certa ſcientia approbavimus & præſentibus approbamus: easque cum omnibus & ſingulis ſuis pertinentiis & attinentiis cum domino Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus mera liberalitate dimiſimus & penitus dimittimus in his ſcriptis, promittentes etiam bona fide prædicto domino Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus, quod eosdem in præmiſſis curiis, villis, rebus, & bonis ipſorumque attinentiis ſeu ipſarum actione nullo unquam tempore per nos, noſtros aut quascunque alias perſonas in judicio vel extra velimus impetere vel alio quolibet impedire. In cujus rei teſtimonium noſtrum ſigillum ex certa noſtra ſcientia præſentibus eſt appenſum: actum & datum Lubeck in *curia majori canonicali* anno Domini MCCCLXXVI. ipſo die beati Hyppoliti martyris præſentibus honorandis viris domino Joanne *Mul* Canonico eccleſiæ Lubicenſis, ac Hinrico Hamburgenſi, Conrado *Rorebrand*, Hinrich *Soldwedel*, Ludero *Breſke* vicariis in dicta eccleſia Lubicenſi ac quam pluribus aliis teſtibus fide dignis. 1376.

CXXVI.

Fratres de Klingenberg villam Blusme capitulo Raceburgenſi vendunt cum omnibus utilitatibus, præſtita Warandia.

Noverint univerſi præſentes literas inſpecturi ſeu audituri, quod nos *Bertramus* & *Gotzlinus*, fratres DICTI de *Klingenberghe*, filii quondam felicis memoriæ *Wedekini* de *Klingenberghe*, conſulis Lubicenſis matura deliberatione ac tractatu diligenti præhabitis noſtris *cum amicis* de & cum ipſorum cum conſilio & beneplacito juſto emtionis & venditionis titulo rite & rationabiliter vendidimus reverendo in Chriſto patri ac domino *Henrico*, *Epiſcopo Raceburgenſi* pro ſe & ſuis ſucceſſoribus Epiſcopis Raceburgenſibus a nobis legitime comparanti ac etiam in manibus ſuis dimiſimus & dimittimus per præſentes bonorum noſtrorum reditus *decem talentorum & unius modii hordei*, & *decem & octo talentorum avenæ* cum omni jure, judicio, proprietate, libertate & fructu & ceteris utilitatibus, & conditionibus, prout eos & ea in novem manſis noſtris villæ *Bluſme* & ipſorum attinentiis hucusque nos & noſtri progenitores habuimus, & *jure* HÆREDITARIO *ad nos devenerunt* legitime pro ducentis marcis denariorum Lubecenſium nobis in promtis & immutatis pecuniis integraliter perſolutis ac in uſum noſtrum neceſſarium penitus converſis. Inſuper promiſimus & promittimus bona fide & in ſolidum per præſentes dicto domino Epiſc. & ſuis ſucceſſoribus *plenam Warandiam* dictorum bonor. redituum & manſorum, nec non omnium & ſingulorum ſuperius expreſſorum præ omnibus hominibus *juri ſtare & juſticiam dare & recipere* volentibus, prout *in terra jus exſtitit;* in cujus rei teſtimonium noſtra ſigilla ex certa noſtra ſci- 1376.

ſcientia præſentibus ſcriptis ſunt appenſa. Actum & datum *Schönenbergæ* in aula Domini Epiſcopi Raceburgenſis anno domini MCCC LXXVI. in profeſto beati Petri ad vincula. Præſentibus honorabilibus & diſcretis viris dominis Nicolao *Decano* eccleſiæ *Guſtrovienſis*, Matthia *de Bluchere*, *rectore* eccleſiæ *Guſtrovienſis parochialis* in Thomeshagen, Romaldo *de Vyſchietzen*, Gyzelberto *de Nygenſtadt*, Joanne *Cryſpin*, Alberto *Stuven*, Marquardo *Robelen* Ludolpho *Pyl* laicis, & aliis pluribus fide dignis clericis & laicis teſtibus ad præmiſſa.

CXXVII.

Danquardi de Bulaw contractus venditionis Rodenberghe & jurium in Rytzebecke cum omnibus cenſibus, precariis ſeu bedis ceterisque reditibus & penſionibus, addita Warendia ſeu evictione.

1376. Coram univerſis præſentia viſuris & audientibus ego *Danquardus* de *Bülow*, *miles*, tenore præſentium recognoſco lucidius & proteſtor, quod matura deliberatione ac tractatu diligenti præhabitis cum meis *patruis & amicis* de & cum ipſorum conſilio & conſenſu rite & rationabiliter juſto emtionis & venditionis titulo vendidi ac dimiſi ac cum ea, qua decuit, ſolennitate coram illuſtri Principe Domino meo chariſſimo domino *Alberto*, *Duce Magnopolenſi*, Comite Zwerinenſi nec non Stargardiæ & Roſtock terrarum domino *reſignavi* & præſentibus dimitto & reſigno reverendo in Chriſto Domino Hinrico Epiſcopo Raceburgenſi pro ſe ſuisque ſucceſſoribus eccleſiæ Raceburgenſis Epiſcopis legitime comparanti curiam meam Rodenberghe cum omnibus & ſingulis rebus mobilibus ac ſe etiam moventibus & ad quondam felicis memoriæ Dominum Fridericum Epiſcopum Suerinenſem ſpectantibus, item totam villam Mentzendorp, villam Bluſme, villam Gryben, cum molendino, & quicquid habui in villa Lypze, item quicquid juris tam ratione homagiorum, quam ſervitiorum ſeu alio quovis modo in curiis Rutzenbecke mihi competebat & competere poterit, cum omnibus & ſingulis ſuis attinentiis & pertinentiis, cum piſcinis & aliis quibuslibet ſtagnis & aquis, cum piſcatura majore & minore, cum manſis cæterisque agris cultis & incultis, pratis, paſcuis, paludibus, ceſpitibus, lignis, ſilvis & rubetis, exitibus & ingreſſibus, cum *decimis* MAJORIBUS & MINUTIS, *cenſibus, precariis cæterisque reditibus & penſionibus ac ſervitiis* ac univerſaliter cum omni jure ſupremo ac infimo videlicet colli & manus cum omnibus proprietatibus libertatibus & utilitatibus, formaliter vero cum omni dominio directo & utili, prout in ſuis jacent terminis diſtinctionibus & metis, ac ad me meosque progenitores, ſpecialiter vero & noviſſime ad quondam felicis memoriæ dominum Fridericum Epiſcopum Zwerinenſem meum patruum pervenerunt *jure hæreditario* ad me devenerunt, ſpecialiter mihi etiam & meis hæredibus ac ſucceſſoribus in præmiſſis curiis, rebus, villis, & bonis, juribus ac omnibus ipſarum attinentiis & terminis nil penitus reſervando; ſed per Dominum Hinricum Epiſcopum ſuosque ſucceſſores perpetuis futuris temporibus libere & pacifice poſſidendas pro quatuor millibus & trecentis marcis pecuniis integraliter perſolutis ac in meos uſus neceſſarios expoſitis & converſis. Inſuper ego Danquardus prædictus, una patruis meis & amicis infra ſcriptis bona fide & in ſolidum promiſi & præſentibus promitto domino Henrico Epiſcopo Raceburgenſi ſupradicto ſuisque ſucceſſoribus & ad manum ſuam honeſtis viris Detlevo *de Gronowe*, Bertholdo *de Ryzerowe*, Joanne *Schacken*, & Ottone *Schacken*, *armigeris*, abſentibus tanquam præſentibus, & ipſorum cuilibet dimiſimus *plenam Warandiam* curiarum Rodenberghe & villarum prædictarum nec non jurium dictarum curiarum in Rytzebecke & omnium ac ſingularium ſuarum attinentiarum ac terminorum & limitum ſupradictorum, prout *in terra jus exiſtit*, & quod velim ac debeam curiam Rodenberge & villas & curias prædictas cum omnibus & ſingulis ſuis attinentiis, cum terminis & limitibus ſupra dictis una cum meis hujusmodi *fidejuſſoribus* dicto domino Hinrico Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus præ omnibus juri ſtare volentibus ab omnibus impeditionibus quorumcunque hominum diſpenſare. Omnes vero & ſingulas litteras & privilegia jam per dominum meum Albertum Ducem ſupra dictum ſuosque progenitores meis progenitoribus & prædeceſſoribus nuper præmiſſis curiis, villis, & bonis ipſorumque attinentiis limitibus & terminis collatis & conceſſis, cujuscunque tenoris exſtiterint, prædicto domino Epiſcopo ordinare infra hinc & inſtans feſtum nativitatis Mariæ virginis, & tradere debeam dilatione qualibet procul remota. Pro quibus omnibus & ſingulis præmiſſis prædicto domino Epiſcopo ſuisque ſucceſſoribus Epiſcopis eccleſiæ Raceburgenſis firmiter & inviolabiliter obſervandis mei Danquardi prædicti ſigillum una cum ſigillis meorum hujusmodi fidejuſſorum præſentibus eſt appenſum. Et nos *Himricus* de *Bülowe* & Detlevus *de Gule*, MILITES, Henningus *de Stralendorp* ADVOCATUS in *Crivitze*, Henning *de Bülow* in *Rogezin*, Henning *de Bülow in Wedewendorpe*, Hartewicus *de Bülowe*, Hinricus de Bülow *in Kritzowe* & Hinricus de Bülow *in Prützen*, *armigeri*, prædicti Domini Danquardi *compromiſſores & fidejuſſores* mature & plene deliberati ſpontanea voluntate & ex certa ſcientia omnia & ſingula præmiſſa & ut præmittuntur reverendo in Chriſto patri Hinrico prædicto ſuisque ſucceſſoribus eccleſiæ Raceburgenſis ac ad manum ſuam Detlevo de Gronowe, Bertholdo de Ritzerowe, Johanni Schacken & Ottoni Schacken prædictis una cum prædicto Danquardo nos firmiter & inviolabiliter ſervaturos bona fide & in ſolidum promiſimus & promittimus per

præsentes & in omne præmissorum testimonium & evidentiam pleniorem omnium nostrorum sigilla pariter cum sigillo sæpe dicti Domini Danquardi præsentibus sunt appensa. Actum & datum *in castro Zwerin* anno Domini MCCCLXXVI. in festo Mariæ Magdalenæ præsentibus venerandis & strenuis viris domino *Marquardo* Episcopo Swerinensi, Alberto *de Conow*, *Præposito* monasterii monialium in Eldena *ac Cancellario*, Nicolao Decano ecclesiæ Gustroviensis, Erico Præposito monasterii monialium in Eldena, Erico Præposito monasterii monialium in *Rene*, Martino *Stoyzen* Præposito in *Cernetyn*, Heidenrico de *Bülowe*, Hinrico *Parowe*, *militibus*, ac Johanne *Bogbenene* ADVOCATO *in Swerin* ac aliis præsentibus fide dignis testibus ad præmissa.

CXXVIII.

Ducis Alberti consensus in venditionem Rodenberg, Menzendorff, Blüssen, Griben, cum molendino Lipsee & Ritzenbeeck, quas villas simul a Ducatu Magnopolensi eximit & cum omni jure superioritatis terræ Boytin & mensæ episcopali applicat.

1376. In Nomine S. & individuæ Trinitatis amen! *Albertus* Dei gratia *Dux Magnopolensis*, Comes Swerinensis, Stargardiæ & Rostock terrarum Dominus. Universis Christi fidelibus præsentia visuris seu audituris perpetuam salutem, & rerum gestarum agnoscere veritatem! Ne, quæ fiunt in tempore, simul cum lapsu temporis evanescant, solent scripturarum adminiculo & testium memoriæ commendari: hinc est, quod notum esse cupimus universis tam præsentibus quam futuris, quod in nostra & testium infra scriptorum præsentia personaliter constitutus *strenuus miles*, *Danquardus* de *Bülowe*, noster dilectus, ex matura deliberatione ac tractatu diligenti præhabitis *cum suis patruis & amicis* de & cum ipsorum consilio & consensu *justo emtionis & venditionis titulo* rite & rationabiliter *vendidit & dimisit* ac cum *ea*, *qua decuit*, SOLEMNITATE (*) *coram nobis* RESIGNAVIT reverendo in Christo patri domino Hinrico Episcopo Raceburgensi pro se & suis successoribus ecclesiæ Raceburgensis Episcopis legitime comparanti curiam suam *Rodenberghe*, cum omnibus & singulis rebus suis mobilibus ac etiam se moventibus & ad quondam felicis memoriæ dominum *Fridericum* Episcopum *Zuerinensem* patruum suum spectantibus, item totam villam *Mentzendorff*, villam *Blisme*, villam *Griben* cum molendino, item quicquid habuit in villa *Lipzee*, item quicquid juris tam ratione *homagiorum* quam *servitiorum* seu alio quovis modo in curiis *Rutzenbecke* ipsi competebat seu competere poterat cum omnibus & singulis suis attinentiis & pertinentiis, cum piscinis & aliis quibuslibet stagnis & aquis & earum fluctibus cum piscatura majore & minore, cum mansis & ceteris agris cultis & incultis, pratis, pascuis, paludibus, cespitibus, lignis, silvis & rubetis, exitibus & ingressibus, cum *decimis majoribus & minutis*, *censibus*, *precariis* ceterisque *reditibus & pensionibus & servitiis*, ac universaliter cum omni *jure supremo & infimo*, videlicet colli & manus, cum omnibus proprietatibus, libertatibus & utilitatibus; formaliter vero cum omni *dominio* DIRECTO & UTILI, prout in suis jacent terminis, distinctionibus & metis, ac ad ipsum & suos progenitores specialiter vero & novissime ad dictum quondam dominum Fridericum Episcopum Swerinensem ipsius patruum pertinuerunt, & jure hæreditario ad ipsum devenerunt sibi ac suis hæredibus ac successoribus in præmissis curiis, rebus, villis ac bonis, juribus ac omnibus ipsarum attinentiis & terminis nihil penitus reservando, sed per Dominum Hinricum Episcopum Raceburgensem prædictum suosve successores perpetuis futuris temporibus libere & pacifice possidendas, pro quatuor millibus & trecentis marcis denariorum Lubicensium alborum ipsi, ut fatebatur, in promtis & immutatis pecuniis integraliter persolutis & in suos usus necessarios expositis penitusque conversis. Promisit insuper prædictus Danquardus una cum patruis suis & amicis juxta tenores suarum litterarum super hoc confectarum bona fide & *in solidum* Domino Hinrico Episcopo Raceburgensi dicto suisq; successoribus ac ad manum suam ipsius & ecclesiæ suæ *fidelibus & amicis* in eisdem litteris nominatis & expressis *plenam* WARANDIAM curiæ Rodenberginæ ac villarum prædictarum nec non jurium dictarum curiarum in *Rutzenbecke* & omnium & singularum suarum attinentiarum ac terminorum & limitum supra dictarum, prout *in terra jus exigit*; & quod velit & debeat antedictam curiam Rodenberghe res, villas, bona & curias prædictas in Rutzebecke cum omnibus & singulis suis attinentiis, cum terminis & limitibus suis supradictis una cum suis hujusmodi fidejussoribus, præ omnibus jure stare valentibus & ab omnibus impetitionibus quorumcunque hominum dispensare; Omnes etiam ac singulas litteras ac privilegia tam per nos, quam per nostros progenitores sibi & suis progenitoribus ac prædecessoribus super præmissis curiis, villis & bonis, ipsarumque attinentiis, libertatibus, limitibus ac distinctionibus collatis & concessis, cujuscunque tenoris extiterint, prædicto Domino Episcopo ordinare infra hinc & instans festum Mariæ virginis gloriosæ & tradere dedeat dilatione qualibet procul mota. Et nos Albertus Dei gratia Dux Comes & Dominus prædictus matura deliberatione ac *tractatu diligenti præhabitis* cum *nostris fidelibus & consiliariis* ob reverentiam Dei omnipotentis suæque genitricis semper virginis Mariæ, nec non propter affectionem assiduam, quam ad ecclesiam Raceburgensem præmissam habere dignoscitur, ac in nostræ & quondam felicis memoriæ *Euphemiæ*, *nostræ* CONTHORALIS, *meorumque progenitorum & hæredum animarum remedium & salutem* de & cum hujusmodi nostrorum fidelium & consiliariorum assensu & consilio prædictum

emtio-

emtionis & venditionis contractum *dimissionem* & *resignationem* præmissas, nec non omnia & singula supradicta, prout superius exprimuntur in singulis suis articulis autorizavimus, ratificavimus & approbamus per præsentes: & nihilominus dedimus & donavimus ac præsentium litterarum nostrarum serie, bona voluntate damus & donamus prædicto domino Episcopo & suis successoribus Episcopis Raceburgensibus, in ipsosque transtulimus & transferimus in his scriptis omnem superioritatem & totale dominium dictarum curiarum in Rodenberghe, in Rutzenbecke ac villarum Mentzendorff, Blusme, Griben & Lypze etiam cum precariis ceterorum mansorum, quæ habuimus hucusque in eadem villa Lypze & ad nos pertinere consueverunt ac omnium & singularum attinentiarum ac limitum & distinctionum ipsarum, & quicquid juris nobis competierat in eis, nihil etiam omni JURIS SUPERIORITATIS, *proprietatis*, *præeminentiæ*, DOMINII ac POTESTATIS nobis ac nostris hæredibus ac successoribus in præcitatis curiis & villis ac ipsarum attinentiis, limitibus & terminis reservantes; sed ipsas & ipsarum totale dominium cum omnibus & singulis suis attinentiis, limitibus & terminis *a* NOSTRO DUCATU *Magnopolensi* ac *a terris nostris Gnevesmoblen*, *Godebuze*, universaliter eripientes & dimittentes segregavimus & præsentibus segregamus, ac ad terram *Boytin* & *mensam episcopalem* annectendo applicuimus & præsentibus applicamus; ita quod de cætero non de nostro ducatu Magnopolensi ac terris nostris Gnevesmohlen & Godebuzæ prædictis; sed de terra Boytin Episcopi Raceburgensis pro tempore debeat nuncupari & *in eadem terra efficaciter* immanere. In quorum omnium testimonium & evidentiam pleniorem præsentes nostras litteras ex certa nostra scientia sub duplici scriptura ejusdem tenorum conscribi & nostri autentici sigilli munimine jussimus firmiter roborari. Actum & datum in CASTRO *nostro* ZWERIN anno Domini MCCCLXXVI. in festo beatæ Mariæ Magdalenæ præsentibus venerandis & strenuis viris dominis *Marquardo*, *Episcopo Suerinensi*, Alberto *de Conowe* Præposito, Monasterii monialium *in Eldena*, nostro *Cancellario*, Nicolao *Decano eccl. siæ Gustrowiensis*, *Erico* Præposito monasterii monialium *in Rene*, Martino *Schoyzen* Præposito monialium *in Cerentin*, Heidenrico *de* BYBOW, Hinrico PAROW *militibus* ac Johanne *Bogbenonen advocato* nostro *in Zwerin* & aliis pluribus fide dignis testibus ad præmissa.

(*) Quæ in aliis chartis dicitur SELANDIA *juxta terræ consuetudinem*. Vide diplomatarium Bordisholmense.

CXXIX.

Constitutio Henrici Præpositi Raceburgensis de pane puro triticeo ad magnitudinem panis Zverinensis ut & de cerevisia bona ejusque mensura in tonnis Travenensibus (Lubecensibus) *& Stovekino* (vulgo Stävken, Stübchen,) *item de reditibus e teloneo Lubecensi, salina Luneburgensi & duabus villis terræ Boytin. &c.*

Universis Christi fidelibus præsentia visuris *Henricus* Dei gratia *Præpositus ecclesiæ Raceburgensis* ad perpetuam rei memoriam. 1376. Favor & affectio charitatis, quem ad fratres nostros habemus, nos admonet, & nos inducit, ut eorum commoditatibus intendamus & ipsorum procurationem in quotidiana refectione faciamus plus solito meliorem. Volentes igitur, ut panis fiat *de puro tritico* prebendalis ad magnitudinem & puritatem *prebendalis panis in Zverin*, ita ut duodecim panes de uno pistentur modio, de quibus unus ad diem cuilibet de conventu detur; & illo contentus nihil de pane familiæ ex debito sibi valeat vendicare; ut panis etiam alius similiter de puro tritico fiat minor isto, ita ut viginti quatuor de uno modio fiant pro subdiaconibus & conversis, de quibus cuilibet detur unus, nisi Præpositus de pane familiæ jusserit superaddi. Prior singulis diebus dominicis de pane majore duos recipiet, aliis diebus septimanæ sicut cæteri tantum unum. Adhæc volumus, ut cerevisia tam conveniens tamque bona braxetur, ut de quatuor talentis *avenæ* & duobus talentis *hordei* & de duobus talentis *tritici* non plus fiat de cerevisia, quam *decem & octo Tunnæ Travenenses* possent capere bene plenæ, de qua cerevisia Canonico de conventu dabuntur tres mensuræ ad diem, tantæ magnitudinis, quod quælibet mensura dimidium *Stovekinum* capiat, & cuilibet conversorum tria magna bacharia, de mane unum, de vespere duo quolibet die dabuntur; sed subdiaconibus tam mane quam vespere tantum duo, etiam de eadem: Priori autem singulis diebus dominicis mensuræ quatuor ministrentur: ad hunc panem & cerevisiam ministrandum & ministrandam quosdam reditus, qui ad consolationem fratrum deputati fuerant; quosdam etiam, qui ad ministrationem Præposituræ pertinebant de consensu totius capituli plenissimo eis nobiscum id agentibus duximus assignandos tres choros salis, id est *integram sartaginem* cum choro dimidio *in salina Luneburgensi*, sive accrescat sive decrescat ex salis pretio cariori; viginti marcas denariorum Lubecensium annuatim *in teloneo Lubecensi*, duas villas *in terra Boytin* in parochia *Sohonenberg*, id est *Locuricht* & *Rubenstorpe* cum omnibus suis attinentiis & proventibus, censu & decima tam minuta quam majori cum judicio minori, quod *Bloot & Blarre* vulgariter dicitur, *servitiis consuetis* & generaliter omnibus fructibus seu utilitatibus, quæ ex causis quibuslibet poterunt obvenire. *Majori judicio* duntaxat scilicet colli & manus, *nemorum seu lignorum dominio* & *porcorum incisione*, cum fuerit opportuna nobis & successoribus nostris Præpositis *specialiter reservatis*. Proviso etiam, ut provisores villarum supra nominatarum

rum ſingulis annis de ipſarum reditibus, Priori & tribus ſenioribus eundem in ordine ſequentibus decem marcas denariorum Lubecenſium in craſtino exaltationis ſanctæ crucis expedite exhibeant & exſolvant. Per quos conventui in ſervitio dedicationis anniverſariæ ſatisfiet tantum veſpere & ſancto die. De *decem vero marcis*, quas dabit dominus Epiſcopus ad idem feſtum, *pueris providebimus & converſis*; prædicti quoque proviſores in anniverſario felicis recordationis Johannis quondam Ducis Saxoniæ de eisdem etiam proventibus conventui *pytanciam* facient de ſex marcis: item ſex marcas de anniverſario Philippi Epiſcopi, quas ſervitiorum miniſter procuratoribus panis & cereviſiæ erogabit, reſiduum ad vinum retinebit in anniverſario ejusdem Epiſcopi miniſtrandum decem & octo talenta in cenſu *Pokenſee*, quæ dominus Hartwicus frater noſter in ſuo dedit ſervitio, quod tertia feria pentecoſtes cenſuevit fieri, nihilominus perdurante; item reditus *villæ Goldenſee*, tam in cenſu, quam in decima, exceptis unius manſi cenſu & decima *ad refectionem pontis* antiquitus deputatis, excepta etiam *villicatione* & omnibus ad eam pertinentibus, quam ſemper ſibi retinuit Præpoſitus, antequam ipſius villæ reditus ad conſolationem fuiſſent aſſignati. Item eccleſiam ſancti Petri *in* INSULA *Raceburg*, item dimidiam decimam per totum campum apud ſanct. Georgium *extra civitatem*: item *undecim Laſt avenæ* valentes *ad braſſum*, de quibus *tres laſtas* procuratoribus ſupra ſcriptis in curia Raceburg præſentabimus ante feſtum omnium ſanctorum, tres ante feſtum nativitatis Domini, quinque ante diem Matthiæ Apoſtoli volumus perſolviſſe. Duas laſt hordei & ſex talenta tritici de grano bono particulatim ipſis in curia Raceburgenſi exhibebimus in terminis jam præſcriptis; unam *laſtam bummuli d. ſiccati* dabimus & de lignis & de ſale ad ſufficientiam providebimus; cum fuerit opportunum, ſervis in priſtino ſolitas expenſas dabimus; procuratores vero eis in pretio reſpondebunt, furfures & ſiliquas & *tenuem potum* pro SERVIS & PORCIS decrevimus detinere. Verum cum res, in quibus certis perſonis conſtat proviſum, commode diſpenſari nequeant inter plures; ideo de approbatione totius noſtri capituli duximus ſtatuendum, ut numerus perſonarum in conventu viginti quatuor non excedat, ita quod Præpoſitus ſit vigeſimus quintus, quo excepto erunt ſedecim ſacerdotes, quatuor diaconi & quatuor ſubdiaconi in conventu pariter, ut in ſcholis: cum patientia ſuſferentes, quod ſi in his aut aliquibus ex iſtis defectus fuerit culpa noſtra, quod conventus chorum deſerat, donec defectum reſtauremus & integre ſuppleamus: ſimiliter contra procuratores fiat, niſi absque culpa ſe eſſe oſtenderint legitimis documentis. Iſtos autem ſi immutare volumus, in vigilia ſancti Jacobi ipſos invitabimus & hoc eis competenti tempore prædicemus, ut de ſuo officio nobis poſſint reddere rationem & infra quindenam jam dicti Apoſtoli feſtum immediate ſubſequentem, duos alios ſubrogabimus de conventu, ut eo maturius & commodius de expenſis anni inſtantis valeant providere.

Nos *Fridericus*, Prior, promittimus *ſingulique & univerſi*, quod ordinationem domini noſtri Præpoſiti tam laudabilem, tam ſalubrem ſemper inviolabiliter ſervabimus. Et quicunque ex nobis impoſterum ſibi fuerit ſubſtitutus ipſam fideliter obſervabit. Quis quis etiam ex nobis de fructu, quo ſupra dictum eſt, non ſuppleto chorum adierit, voce ſua in capitulo per annum integrum ſit privatus. Ad diſpenſandam cereviſiam, cum de veſpera ad cœnandum deponit ſe conventus, *intret* cellarium diſpenſator, & exinde non exeat, niſi cum *ſecunda campana* ad completorium impulſatur; item exituris ad negotia ſeu de itinere reverſuris præbenda panis & cereviſiæ totius diei integraliter miniſtretur.

CXXX.

Arnoldi de CARLOW venditio (*) villæ Büllenmoble & Retwiſch addita WARANDIÆ formula.

Noverint univerſi præſentes viſuri vel audituri, quod ego *Arnoldus* de KARLOW, armiger, *Raceburgenſis diœceſeos* mature deliberatus cum conſcitu, conſenſu ac bona voluntate perdilecti fratris mei Ludolphi de Carlowe ac omnium aliorum, *quorum conſenſus ad hæc fuerat requirendus*, rite & rationabiliter vendidi & dimiſi ac dimitto per litteras præſentes venerabili in Chriſto patri ac domino domino Hinrico Epiſcopo Raceburgenſi ſuisque ſucceſſoribus eccleſiæ Raceburgenſis Epiſcopis campum ſeu agrum meum in campillis villæ *Carlowe*, videlicet prope molendinum dictum *Büllenmoble* & inter inſtagnationes *Retwiſch* ex parte una & inter diſtinctiones agrorum villæ Sthove parte ex altera ſituatam, cum omnibus ſuis attinentiis, juribus, libertatibus, utilitatibus & commoditatibus, cum decimis majoribus & minutis, cum agris cultis & incultis, cum omni judicio colli & manus ac cum omni proprietate, prout in ſuis terminis dignoſcitur comprehenſis ac ad me meosque anteceſſores ſeu progenitores liberius pertinebat, perpetuo poſſidendum, mihi meisque hæredibus ſeu ſucceſſoribus in eodem campo nihil omnino reſervando, pro viginti marcis denariorum Lubicenſium mihi realiter perſolutis & in uſus meos neceſſarios expoſitis, penitus & converſis. Promitto inſuper bona fide dicto domino meo Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus plenam *Warandiam*, prout in terra *juris exiſtit*, voloque & debeo eisdem præfatum campum ab omnibus ſuper ipſum loqui & *juri ſtare* volentibus, cujuscunque ſtatus, ſexus aut conditionis fuerint, ſub meis laboribus, periculis, & expenſis perficere & *plenarie disbrigare*. Præterea renuncio 1377. 1377

cio in his scriptis pro me & meis hæredibus nunc exstantibus & futuris omnibus juribus & proprietatibus, quæ mihi meisque hæredibus seu successoribus in præmisso campo quocunque modo competebant vel quovis modo competere possent in futurum. In testimonium omnium præmissorum sigillum meum una cum sigillo patrui mei Ludolphi supra & infra scriptis præsentibus duxi appendenda. Et Ludolfus de Karlowe prædictus omnia & singula præmissa, prout narratum domino meo Episcopo & suis successoribus grata & rata & absque dolo servanda promitto per præsentes; & in evidentiam hujusmodi pleniorem sigillum meum pariter cum sigillo patrui mei Arnoldi supradicti ex certa mea scientia præsentibus est appensum. Datum & actum *Schonenbergæ* anno Domini MCCCLXXVII. in vigilia Simonis & Judæ Apostolorum beatorum, præsentibus discretis viris & dominis Ludolpho rectore ecclesiæ parochialis *in Karlowe*, Thiderico *Schilstein*, perpetuo Vicario in ecclesia Raceburg capellano & Marquardo *Robele, advocato* domini episcopi prænominati & quamplurimis aliis testibus fide dignis ad præmissa.

(*) Hanc emtionis & venditionis contractum *approbavit & confirmavit Ericus Dux Saxoniæ omni meliori modo* Schonenbergæ *in aula episcopali æstivali anno Domini 1378. die Matthæi Apostoli* præsentibus *Wickone Marschalck*, Wasmodo *Schacken* MILITIBUS, Hillebrando *plebano* ecclesiæ parochialis in *Lowenborg*, Detlevo *de Gronowe advocato* in Raceburg, Bertholdo *de Ritzerow*, Volquino *de Scarpenberg* ARMIGERIS & CONSILIARIIS & aliis quamplurimis.

CXXXI.

Quitancia de cessione villarum Gryben, Mentzendorpe, Lyptze cum omnibus reditibus, pensionibus tam PECUNIARIIS (e. c. bedis) *quam ANNONALIBUS* ad quas pertinent pulli fumosi, frumenta.)

1377. In nomine Domini. Amen! Ad perpetuam rei memoriam nos *Hennekinus & Henricus* fratres dicti *de Stralendorp* commorantes in curia *Godebuz, armigeri*, filii felicis quondam memoriæ *Wickonis de Stralendorp militis*, tenore præsentium recognoscimus lucidius & testamur, quod cum nostris amicis *matura deliberatione* præhabita bona & spontanea voluntate dimisimus & præsentium tenore dimittimus, reverendo in Christo patri domino *Hinrico Episcopo Raceburgensi* suisque successoribus ecclesiæ Raceburgensis in perpetuum omnes & *singulos reditus, pactus & pensiones*, tam PECUNIARIOS, quam ANNONALES, & omne jus nobis competens in eisdem prout hujusmodi reditus, pactus, & pensiones, dictus quondam noster genitor in villis *Gryben; Mentzendorpe, Lyptze* nunc ad ipsum dominum Episcopum & Ecclesiam suam Raceburgensem spectantibus, *salvo redemtionis titulo* sibi & suis hæredibus obligatos tenuit & possedit, & ad nos post ipsius mortem jure hæreditario legitime devenerunt pro trecentis marcis denariorum Lubecensium eidem patri nostro in dotalitium seu dotem quondam ejusdem memoriæ Gertrudis nostræ genitricis & ipsius occasione deputatis & promissis: & præsertim, quod dictus dominus Hinricus Episcopus Raceburgensis 300. marcas *Lubicensium denariorum alborum nunc currentium* in promtis & immutatis pecuniis pro redemtione dictorum *redituum, pactuum & pensionum* nobis integraliter & effective tradidit & persolvit, & a quarum ulteriori mentione seu solutione ipsum & suos successores ac ecclesiam Raceburgensem nostro & hæredum nostrorum nomine quietos, liberos & solutos dimisimus & dimittimus firmiter per præsentes. In cujus rei testimonium nostra sigilla ex certa nostra scientia præsentibus sunt appensa. Actum & datum Schonenbergæ anno MCCCLXXVII. feria quinta post octavas Epiphaniæ Domini, præsentibus honorabilibus & strenuis viris domino Nicolao Decano ecclesiæ *Gustrowiensis*, Scheckone de CRUMMESSE canonico Raceburgensi, Thiderico *Schilstein* in eadem ecclesia perpetuo vicario, Detlevo *de* GRONOWE, Marquardo BROCKTORP, Marquardo *Robelen*, Ludolpho PYL, *armigerorum* & pluribus aliis fide dignis testibus ad præmissa.

CXXXII.

Ericus Dux Saxoniæ testatur quod Episcopus Raceburgens. Hinricus villas Verchow, Tangmer & Potherow, SALVO & DUCI reservato DOMINIO DIRECTO ac superioritate resignaverit Detlevo de Gronow, ipsique huic VASALLO suo villas dictas in FEUDUM dederit, hic Detlevus vero pro villis in feudum acceptis curiam suam Stove cum pertinentiis cesserit episcopo Raceb. Quem permutationis contractum Ericus non solum confirmat sed cessione sui juris DOMINII DIRECTI & superioritatis territorialis in dictis villis auget ita ut Episcopus habeat OMNIMODAM in iis SUPERIORITATEM omnemque cum illa cohærentem PRECARIAM, exactionem, jussionem, mandatum, servitutem; item ipsas villas possideat EXEMTAS a Ducatu Saxoniæ & terra Raceburg, ut pote nunc adscriptam terræ & dominio Episcopi Raceburgensis. Cum renuntiationibus exceptionum juris Can. & Civilis.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen! Ad perpetuam rei memoriam *Ericus* 1377. Dei gratia *Dux Saxoniæ*, Angariæ & Westphaliæ universis Christi fidelibus præsentia visuris seu audituris perpetuam in Domino salutem & rerum gestarum agnoscere veritatem! Ne ea, quæ fiunt in tempore, simul cum lapsu temporis evanescant, solent scripturarum & testium memoriæ commendari. Quare notum esse volumus universis tam præsentibus quam futuris, quod in nostra & testium infra scriptorum præsentia personaliter constitutus fidelis noster *vasallus* Detlevus *de Gronow, armiger*, nobis dilectus mature deliberatus cum consilio consciti & consensu *hæredum & proximorum suorum* & specialiter cum consensu & voluntate *validi famuli* Henrici de Gronow *fratris sui* ac Volcmari *filii* sui rite & rationabiliter justo permutationis titulo dimisit, ac cum ea, qua decuit, solemnitate resignavit reverendo in Christo

ſto patri ac domino Henrico Epiſcopo Raceburgenſi & ſuis ſucceſſoribus Epiſcopis Raceb. in perpetuum pro villis *Verchowe*, *Tangmebr* & *Potherow* & ipſarum villarum Werchowe & Potherowe molendinis & ſingulis ac univerſis ſuis attinentiis, juribus & pertinentiis, prout in ſuis terminis & diſtinctionibus comprehenſæ dignoſcuntur & ad dominum Epiſcopum prædictum & ſuam menſam epiſcopalem pertinere conſueverunt, & quas eidem Detlevo cum dictis ſuis attinentiis, juribus & pertinentiis SALVO *duntaxat* DIRECTO DOMINIO, *ſuperioritate ac proprietate* hujusmodi villarum & ſuarum attinentiarum, quas ut inferius deſcribunt nobis dimiſit, ſpontanee reſignavit, nosque etiam *ipſi Detlevo* cum ſupremo judicio & infimo IN FEUDUM *contulimus* nec non pro octingentis marcis denariorum Lubic. eidem Detlevo, ut fatebatur, integraliter perſolutis & in ipſius neceſſarios uſus converſis, curiam ſuam *Stbove* cum *fortalitio*, *villam Sthove cum molendino*, nec non villas *Crones Campe* & *Netzcowe* cum molendino *Moordmoble* in parochia *Carlowe* ſituatas cum omnibus ſingulis ejusdem curiæ ac ipſarum villarum manſis & pertinentiis cum omnibus libertatibus, utilitatibus & commoditatibus, cum *cenſibus*, *decimis* & *precariis majoribus & minutis*, cum inſciſſione porcorum cum agris cultis & incultis, pratis paſcuis, lignis, ſylvis, nemoribus, rubetis, paludibus, ceſpitibus, viis & inviis exitibus & regreſſibus, cum ſtagnis & aquis curiæ & villis prædictis circumjacentibus & ipſarum aquarum fluctibus, cum inſtagnatione *Reyt viſch* & cæteris inſtagnationibus, piſcaturis majoribus & minoribus & ſingulis ſuis fructibus & utilitatibus, cum pleno jure majori & minori colli & manus & inferiorum judiciorum, prout hujusmodi curiæ & villæ in ſuis terris & diſtinctionibus comprehenſæ dignoſcuntur, & ad prædictum Detlevum anteceſſorem hactenus liberius pertinere conſueverunt, per eundem dominum Hinricum Epiſcopum, & ſuos ſucceſſores epiſcopos Raceburg. perpetuis temporibus poſſidendos pacifice. Promiſit inſuper dictus Detlevus una cum fratre & filio ſuo prædictis, nec non cum *Helmoldo de* PLESSE *armigero & advocato in terra Dertzinghe* ſuis conpromiſſoribus bona fide & in ſolidum dicto domino Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus *plenam Warandiam* curiæ & villarum prædictarum & omnium ſuarum diſtinctionum & pertinentiarum, prout *in terra jus exiſtit*, vultque & debebit eidem domino epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus curiam & villas prædictas cum omnibus attinentiis ſuis, ab omnibus hominibus ſuper ipſis vel ipſarum alioquin loqui volentibus, cujuscunque ſexus vel conditionis fuerint, & juri ſtare volentibus, ſub ſuis laboribus, expenſis & periculis plenarie & perfecte disbrigare. Renuntiant inſuper pro ſe & ſuis hæredibus nunc exſtantibus & futuris omnibus juribus, proprietatibus, libertatibus, utilitatibus & commoditatibus, quæ ipſis in præmiſſis quocunque modo competebant, vel in futurum competere poſſent, nec non omnibus exceptionibus, defenſionibus & ſingulis adjuvantibus ſermonibus, quibus præmiſſa vel ipſorum aliquid impugnari poſſet quolibet vel infringi. Nos quoq; *Ericus* Dei gratia *Dux Saxoniæ* ſupradictus prædictum permutationis contractum tenore præſentium noſtrarum litterarum autoriſamus, ratificamus & approbamus præhabita etiam ſuper hæc matura deliberatione & *communicato ad hoc conſilio noſtrorum* FIDELIUM VASALLORUM & CONSILIARIORUM, de quorum etiam conſilio pariter & aſſenſu videntes in illo ducatu noſtro & dominio exigua bona, & utilis ſit recompenſatio, nullum detrimentum, ſed magis commodum & perfectum, vendidimus rite & rationabiliter ac dimiſimus bona ac ſpontanea voluntate & dimittimus litteras per præſentes ſupradicto reverendo in Chriſto patri domino Hinrico Raceb. epiſcopo pro ſe ſuisque ſucceſſoribus epiſcopis Raceburgenſ. ementi & recipienti pro DIRECTO *dominio*, *ſuperioritate & proprietate* dictarum villarum *Verchowe*, *Tammer* & *Putherow* & ſuarum attinentiarum nobis, ut præmittitur, per dominum Epiſcopum prædictum duntaxat dimiſſum, nec non pro ſexcentis marcis *denariorum Lubecenſium* nobis per ipſum *in haud mutata pecunia* integraliter perſolutis ac in noſtros neceſſarios ac utiles uſus converſis omnem proprietatem ac directum dominium, judicium ſupremum & infimum, jurisdictionem, libertatem, OMNIMODAM SUPERIORITATEM, OMNEMQUE PRECARIAM & EXACTIONEM, quocunque cenſeantur, & univerſaliter, *quicquid* JURIS in curia, fort alitio, villis, molendinis ipſorum, attinentiis univerſis ac in hominibus, ac cæteros homines & colonos ipſarum villarum pro nunc & perpetuis futuris temporibus ibidem commorantes, nec non in omnibus & ſingulis articulis & conditionibus per nos ſuperius approbatis, *nobis* ac *hæredibus noſtris* competentiis per ſucceſſionem vel devolutas ſeu alio quovis modo competere poſſit in futuro; nihil etiam *ſuperioritatis*, *præeminentiæ*, *dominii*, JUSSIONIS *ſeu* MANDATI, *proprietatis ſervitii* & *juris* nobis & noſtris ſucceſſoribus ſeu hæredibus in curia, fortalitio, villis, molendinis & hominibus prædictis ac ipſorum attinentiis univerſis penitus reſervantes; ſed eas & ipſarum quælibet a *noſtro ducatu Saxoniæ* & a noſtra *terra Raceburg* ſegregantes & dimittentes in dominum Hinricum Epiſcopum ſupra dictum ſuosque ſucceſſores epiſcopus Raceburgenſes integraliter transferimus & menſæ ſuæ epiſcopali applicamus, ita etiam ut de cætero non *de noſtro ducatu Saxoniæ* & *de terra noſtra Raceburg*, ſed *de terra Boytin & de dominio epiſcopi Raceburgenſis* pro tempore, curiæ, fortalitii, villæ & homines & molendina ſupra dicta cum ipſarum attinentiis univerſis *ſub eccleſiaſtica libertate* cenſeri & eſſe debeant ac foveri. Donamus inſuper *de mera liberalitate* pro nobis & noſtris hæredibus ſeu ſucceſſoribus pro remedio animæ noſtræ ac progenitorum noſtrorum animarum ſalute *ea* DONATIONE, quæ *inter* VIVOS *dicitur*, de CONSILIO & CONSENSU NOSTRORUM VASALLORUM, FIDELIUM & CONSILIARIORUM ſæpe dicto domino Hinrico Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus, quicquid præmiſſa pro prie-

1377

prietas ac DIRECTUM *dominium* nec non omnia alia & singula superius enarrata plus valeant aut in futurum plus valebunt: Renunciantes in & cum præmissa & quodlibet præmissorum expresse & ex certa scientia in his scriptis pro nobis & nostris hæredibus seu successoribus omni juris auxilio CANONICI & CIVILIS, nec non *beneficio restitutionis in integrum* omnibusque exceptionibus & defensionibus aliis, quibus, quocunque modo in parte vel in toto intricari seu quolibet modo infirmari potuerit vel infringi, promittentes bona fide per præsentes nos nullo unquam tempore & occasione velle promissis contravenire seu contradicere, vel contradicentibus præstare consilium, auxilium vel favorem. Ut autem omnia & singula perpetuam obtineant roboris firmitatem, & a nullo omnino hominum valeant quomodolibet violari seu infringi præsentes nostras litteras ex certa nostra scientia conscriptas, nostri MINORIS *sigilli* munimine jussimus firmiter roborari. Actum & datum *Bredefelde* anno Domini MCCCLXXVII. feria quarta post dominicam Quasimodogeniti, præsentibus venerabilibus & strenuis viris dominis Gerhardo Præposito ecclesiæ *Raceburgensis*, Nicolao Decano ecclesiæ *Gustrowiensis*, Hildebrando *de Lowenborg* & Ludolpho *in Carlow* ecclesiarum parochialium rectoribus, Wasmodo *Schacken*, Wickone *Marschalc*, *militibus*, Bertholdo & Ottone fratribus *de Rizeron*, Volquino de *Scarpenberg*, Gerhardo *de* GODOW *armigeris* & aliis quampluribus fide dignis testibus ad præmissa.

CXXXIII.

Literæ Detlevi de Gronow de villis Verchow, Tangmer, Potherow, ipsi ab Erico Duce in FEUDUM datis & commutatis cum curia sua Stove, fortalitio molendino & villis in parochia Karlow harumque juribus, pertinentiis, censibus, precariis. Accedente consensu proximorum, speciatim fratris & filii, addita etiam fidejussione & Warandia.

1377. In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam ego *Detlevus* de GRONOWE *armiger*, tenore præsentium recognosco lucidius & protestor, quod *matura deliberatione præhabita*, cum *consilio*, *conscitu* & *consensu* HÆREDUM & PROXIMORUM *nostrorum* & SPECIALITER *cum consensu & voluntate* FRATRIS *mei carissimi Henrici de Gronowe* & FILII *mei* perdilecti Volcmari de Gronowe rite ac rationabiliter & legitime justo permutationis titulo dimisi ac cum ea, qua decuit, solennitate *resignavi*, coram inclyto Principe & domino meo dilectissimo domino *Erico Duce Saxoniæ* Angariæ & Westphaliæ; assigno litteras per præsentes reverendo in Christo patri ac domino meo perdilecto domino *Hinrico Episcopo Raceburgensi* ejusque successoribus Episcopis Raceburgensibus in perpetuum pro villis *Verchow*, *Tangmer* & *Potherow* & ipsarum *Verchow* & *Potherow molendinis* ac universis ac singulis attinentiis, juribus & pertinentiis, prout in suis terris & districtibus comprehensæ cognoscuntur, & ad dominum Episcopum prædictum & suam mensam episcopalem pertinere consueverunt, per eundem Dominum meum Episcopum coram eodem Principe *Domino meo* ERICO *Duce* prædicto mihi resignatis & per ipsum dominum meum Ducem mihi cum præmissis attinentiis pertinentiis ac juribus ac etiam cum *supremo & infimo judicio*, vocato colli & manus, *in* FEUDUM COLLATIS & pro octingentis marcis Lubecensium denariorum mihi in natura pecunia integraliter persolutis, & in meos necessarios usus conversis, *curiam meam* STHOVE, cum *fortalitio & molendino*, villas meas *Sthove*, *Cronescampe*, & *Netzkow* in parochia *Karlow* situatas cum omnibus & singulis ejusdem curiæ ac ipsarum villarum mansis & pertinentiis, cum omnibus libertatibus, utilitatibus, & commoditatibus, cum *censibus*, *decimis* & *precariis majoribus & minutis*, cum *inscissione porcorum*, cum agris cultis & incultis, pratis, pascuis, lignis, silvis, nemoribus, ruberis, paludibus, cespitibus, viis & inviis exitibus & regressibus, cum stagnis & aquis curiæ & villis prædictis adjacentibus, & ipsarum aquarum fluctibus, cum instagnatione Reytwisch & cæteris instagnationibus, piscaturis majoribus & minoribus & singulis suis fructibus & utilitatibus, cum *pleno jure majore & minore*, videlicet colli & manus & inferiorum judiciorum, prout hactenus curiæ & villæ in suis terris & districtibus comprehensæ dignoscuntur, ac ad me & meos Antecessores hactenus liberius pertinere consueverunt, mihi etiam meisque *hæredibus* & *successoribus* seu *aliis quibuscunque hominibus*, in curia, fortalitio villisque prædictis & ipsarum attinentiis, penitus nihil reservando, salvis duntaxat reditibus unius marcæ denariorum Lubecensium, quos rectori ecclesiæ parochialis *in Karlow* pro tempore pro perpetuæ mei meæque uxoris ac parentum meorum felicis recordationis memoriæ in ipsa ecclesia peragenda in curia *Hennekini Sculten* in *Cronens Camp* assignavi, & per eundem SCULTETUM & suos successores annis singulis in & ex eadem curia ipsi rectori pro tempore persolvendis per eundem dominum meum, dominum Hinricum Episcopum & suos successores episcopos Raceburgenses perpetuis temporibus possidendas: promisi insuper & per præsentes litteras promitto bona fide & in solidum una cum fratre & filio meo prædictis, nec non cum Heckmoldo *de Plesse* armigero advocato in terra *Dertzing* infra scripto meis conpromissoribus dicto domino meo Episcopo & suis successoribus plenam WARANDIAM *curiæ & villarum prædictarum* & omni suorum distinctioni & pertinentiarum, prout intra jus existit, voloque & debeo eidem domino meo episcopo & suis successoribus curiam & villas præmissas cum omnibus pertinentiis suis, ab omnibus hominibus *super ipsis vel ipsarum aliqualiter loqui volentibus*, cujuscunque sexus vel conditionis fuerint & juri stare volentibus, sub meis laboribus, expensis & periculis plenarie

& per fratrem dispensatas: propterea renuncio pro me & meis hæredibus nunc existentibus, & futuris omnibus juribus, libertatibus, proprietatibus & utilitatibus & commodis, quæ mihi & hinc inde hæredibus meis in præmissis quocunque modo competebant vel in futurum competere possent, nec non omnibus actionibus, exceptionibus, defensionibus & singulis immunitatibus, quibus præmissa vel ipsorum aliquid impugnari possent, in judicio vel extra seu alias quolibet modo infringi. Pro quibus omnibus & singulis inviolabiliter observandis nos *Himricus de* GRONOWE, Volcmarus *de Gronowe* & *Helmoldus* de PLESSE prædicti, penitus cum Detlevo prædicto reverendo in Christo patri & domino meo, domino Hinrico Episcopo Raceburgensi & suis successoribus Episcopis Raceburgensibus bona fide & *in solidum* promisimus, & promittimus per præsentes firmiter & in evidentius testimonium omnium præmissorum nostra sigilla ex certa nostra scientia præsentibus duximus appendenda. Datum R. *Bredenvelde* anno Domini MCCCLXXVII. feria quarta post dominicam Quasimodogeniti, præsentibus venerabilibus & strenuis viris dominis Bernardo, Præposito ecclesiæ *Raceburgensis*, Nicolao decano ecclesiæ *Gustrowiensis*, Hildebrando in *Lowenborg* & Ludolpho in *Kadowe* ecclesiarum parochialium rectoribus, Wasmodo *Scacker*, Wickone *Marschalck*, MILITIBUS, Bertoldo & Ottone fratribus *de* RIXEROW, Volquino *Scharpenbergen*, Gerhardo de *Bodobve*, *armigeris*, & aliis quam pluribus fide dignis testibus ad præmissa.

CXXXIV.

Literæ de Gronow super permutatione Pantzen pro Dudische (Teutsch) *Rotzenitzke, quam villam a DUCE Megapol. Alberto in FEUDUM accepit.*

1377. In nomine Domini Amen. Ego *Detlevus, armiger*, tenore præsentium recognosco lucidius & protestor, quod matura deliberatione præhabita cum consilio, conscitu & consensu hæredum & proximorum meorum & specialiter *cum consensu & voluntate fratris* mei carissimi *Henrici* de *Gronow* infra scriptum permutationis contractum cum reverendo in Christo patre & domino meo perdilecto domino Episcopo Raceburgensi initum & celebratum in hunc modum; videlicet quod villam meam scilicet *Dudische Rotzenitzke* in terra *Godebusch* situatam cum omnibus & singulis suis mansis & attinentiis, juribus, libertatibus, utilitatibus, & commoditatibus, *decimis majoribus & minutis, censibus, pactis*, PRECARIIS, *inscissione porcorum*, cum agris cultis & incultis, pratis pascuis lignis, silvis, nemoribus rubetis, paludibus, cespitibus, cum viis & inviis, exitibus & regressibus, cum aquis & aquarum fluctibus & instagnationibus, piscinis, piscaturis *majoribus & minoribus*, ac universaliter cum omni jure supremo & infimo, videlicet colli & manus & inferiorum judiciorum, prout in suis terris comprehensa dignoscitur ac ad me & meos successores liberius pertinebant, justo permutationis titulo prædicto domino meo domino Hinrico Episcopo & suis successoribus episcopis Raceburgensibus pro villa sua *Barchen* seu ad mensam suam episcopalem spectantem sitam *in terra Molne*. ac infra hinc & instantes octavas festi sancti Martini episcopi & confessoris hyemaliter ab Eghardo *Luchow, advocato, in Molne*, plenariter per eundem dominum meum Episcopum liberandam & disbrigandam cum universis suis mansis & attinentiis, juribus, libertatibus utilitatibus & commoditatibus, cum *decimis majoribus & minutis*, & generaliter cum omni jure supremo & infimo, scilicet colli & manus, ad cæteris suis pertinentiis & attinentiis in simili enumeratis & expressis, sicuti intra limites & terminos suos continentur ac ad ipsum & prædictam mensam suam episcopalem pertinere consueverant; & nihilominus pro quadringentis marcis denariorum Lubicensium mihi per dominum meum Episcopum supradictum in recompensam majorum valorum hujus dictæ villæ meæ *Rotzenitze* ex solutis & factis facto de eisdem, & in meos usus etiam integraliter conversis, per me vel per hæredes meos libere dimittere debeam & dimittam: verum cum hujusmodi villa Rotzenitze ab *illustri principe & domino meo* domino *Alberto, Duce Magnopolensi* in FEUDUM *teneo*, ego eandem *per me* & HÆREDES meos *ad fideles manus* domini mei Episcopi supradicti & successorum suorum episcoporum Raceburg ac ipsorum nomine, SALVIS *tamen* PENSIONIBUS, REDITIBUS, SERVITIIS *cæterisque* JUSTITIIS & DEBITIS *universis*, eidem domino meo Episcopo & suis successoribus interim *ab inquilinis ejusdem villæ exsolvendis & præstandis* in perpetuum ad omnem utilitatem ipsorum *possidebo & tenebo*, quousque idem dominus meus episcopus aut aliquis suorum successorum *proprietatem* & DIRECTUM *dominium ac* TRANSLATIONIS *dominii* coram me & meis hæredibus, ad hoc, quam poterimus, efficaciter cooperantibus, a DOMINO *meo* ALBERTO DUCE prædicto aut suis hæredibus consequi poterit optime & habere, & ex tunc etiam, si ipse aut aliquis suorum successorum præmissam villam pro aliis bonis fortasse permutaverit, ego vel mei hæredes eandem villam cum suis mansis & cæteris attinentiis, ut præmittitur, etiam nobis penitus nihil reservando in eisdem, eidem domino meo Episcopo aut suo successori, qui tunc temporis extiterit, seu alteri, cum quo eam permutaverit, libere & formaliter dimittemus ac cum *debita solemnitate*, CORAM *domino meo* DUCE *antedicto ac suis hæredibus* RESIGNABIMUS, *conditione qualibet penitus sublata*. Quæ omnia & singula præmissa ego Detlevus prædictus una cum meis fidejussoribus infrascriptis, ut *Himrico* fratre meo, *Volcmaro* filio meo prædictis, nec non cum *Helmoldo de Plesse, armigero, advocato in terra* 1377

Der-

Dertzingh, prædicto domino meo Episcopo & suis successoribus Episcopis Raceburgensibus inviolabiliter observanda bona fide & in solidum promisi & promitto firmiter per præsentes, & in ipsorum evidens testimonium meum sigillum, una cum sigillis dictorum meorum fidejussorum præsentibus est appensum. Et nos Hinricus Volcmarus & Helmoldus prædicti præmissa omnia & singula reverendo in Christo patri, domino Hinrico Episcopo suisque successoribus Episcopis Raceburgensibus, prout cum Detlevo supradicto inviolabiliter & inconcusse observanda, fidetenus & in solidum compromittentes. In ipsorum evidentius testimonium nostris sigillis, una cum sigillo sæpe dicti Detlevi præsentia innodamus & fecimus ex certa nostra scientia firmiter communiri. Datum *Lentzecowe* anno Domini M. CCC. LXXVII. feria quarta post domin. Jubilate, præsentibus honoratis viris & discretis domino Nicolao Decano ecclesiæ *Gustrovienſis*, Marquardo *Robelen*, Ludolpho *Pyl*, Hinrico *de Dollen*, *armigeris* & aliis quampluribus fide dignis testibus ad præmissa.

CXXXV.

Dux Magnopolensis Albertus resignationem villæ Rotzenitze a Detlevo de Gronow, Vasallo, feudali jure possessæ ratam & gratam habet eamque cum DOMIMIO directo & utili omnique superioritate mensæ Episcopali adnectit ideoque eximit a ducatu suo & terra Gadebusch.

1377. *Albertus* Dei gratia *Dux Magnopolensis*, Comes Sverinensis, Stargardensis & Rostock terrarum dominus universis Christi fidelibus præsentia visuris seu audituris perpetuam in domino salutem & rei gestæ agnoscere veritatem! Ad perpetuam rei memoriam; ne ea, quæ fiunt in tempore simul cum lapsu ejus evanescant, solent scripturarum & testium adminiculo roborari; hinc est, quod præsentes nosse volumus & posteros non latere, quod in *nostra & testium* infra scriptorum *præsentia* personaliter constitutus FIDELIS *noster* VASALLUS *Detlevus de* GRONOW, *armiger*, *nobis dilectus*, mature deliberatus de & cum consilio, conscitu & consensu, *hæredum & proximorum suorum*, specialiter vero cum consensu & voluntate *fratris sui*, *Hinrici de Gronowe*, armigeri, ac *Volcmari*, *filii sui*, justo, ut asseruit permutationis titulo rite & rationabiliter dimisit, ac cum ea, qua decuit solemnitate resignavit reverendo in Christo patri & domino *Hinrico* Episcopo Raceburgensi & suis successoribus Episcopis Raceburgensibus in perpetuum, pro *villa Panchen*, in terra *Molne* situata, ac universis & singulis suis attinentiis, juribus & pertinentiis, prout in suis terris & districtibus situatur, & ad dictum dominum Hinricum Episcopum & suam mensam episcopalem pertinebat, nec non pro quadringentis marcis denariorum Lubicensium eidem Detlevo, ut fatebatur, per eundem dominum Hinricum Episcopum integraliter solutis & in ipsius usum necessarium conversis, villam suam *Rotzenitze*, in *nostro territorio Godebutze* situatam cum omnibus & singulis mansis suis & pertinentiis, libertatibus, utilitatibus, & commoditatibus, *censibus*, *decimis*, *precariis majoribus & minoribus*, cum incisione porcorum, cum agris cultis & incultis, præterea pascuis, paludibus, cespitibus, lignis, nemoribus viis & inviis exitibus & regressibus, cum aquis & ipsarum aquarum fluctibus & instagnationibus, piscinis & *piscaturis majoribus & minutis*, & universaliter cum omni *jure supremo & infimo*, videlicet colli & manus & aliorum judiciorum, prout in suis terris & limitibus comprehensa dignoscitur & ad prædictum Detlevum & ad suos antecessores hactenus consueverat pertinere, per eundem dominum Hinricum Episcopum & suos successores episcopos Raceburgenses perpetuis temporibus pacifice possidendam. Promisit insuper dictus Detlevus una cum fratre & filio suo prædictis, nec non cum Helmoldo de Plessen armigero, advocato in terra *Dertzinghe*, suis compromissoribus bona fide & in solidum prædicto domino Henrico Episcopo & suis successoribus plenam *Warandiam* dictæ villæ Rotzenitze ac omnium suarum attinentiarum & limitum, prout *in terra jus existit*, & nihilominus imo præmisso cum eisdem suis conpromissoribus promisit, quod eandem villam cum suis attinentiis & limitibus prædicto domino Episcopo & suis successoribus, ab omnibus hominibus, super *ipsis loqui volentibus*, cujuscunque sexus aut conditionis fuerint; ac *justitiare volentibus*, sub suis laboribus expensis & periculis *plenariter disbrigabit*. Et *Nos Albertus* Dei gratia *Dux & Comes & Dominus* supradictus matura deliberatione ac tractatu diligenti *cum filiis* nostris charissimis *Hinrico* & *Magno*, ac cum *nostris* FIDELIBUS & CONSILIARIIS *præhabitis*, hujus villæ Rotzenitze nec non omnium & singularum suarum pertinentiarum ac limitum universaliter dimissionem & resignationem præmissas gratas & ratas habentes, ob reverentiam Dei omnipotentis suæque genitricis virginis Mariæ, nec non in nostræ ac quondam felicis memoriæ *Euphemiæ*, *nostræ conthoralis* nostrorumque progenitorum & hæredum, animarum remedium & salutem ea omnia, & singula præmissa auctorisamus & approbamus, & præsentium tenore auctorisamus & approbamus: Et nihilominus de & cum consilio, peneplacito & assensu prædictorum nostrorum *filiorum fidelium & consiliariorum* supradicto domino Hinrico Episcopo pro se & suis successoribus a nobis ad suam mensam episcopalem legitime comparanti spontanea voluntate rite & rationabiliter vendidimus, & tenore præsentium vendimus omnimoda libertate & proprietate, totumque *dominium* DIRECTUM & UTILE *ac omnem* SUPERIORITATEM ejusdem *villæ Rozanitzæ* suarumque pertinentiarum ac limitum, prædictarum, & communiter quic-

quid juris & poteſtatis habuimus & habemus in eiſdem, pro quadringentis marcis denariorum *Lubecenſium alborum* nobis per eundem dominum Hinricum Epiſcopum in paratis & numeratis pecuniis liberaliter & integraliter perſolutis & in uſum noſtrum neceſſarium expoſitis & converſis; nobis etiam noſtris quoque hæredibus & ſucceſſoribus *in* VILLA ROZENITZE omnibusque & ſingulis ſuis *pertinentiis* ac *limitibus* ante dictis, nec non in HOMINIBUS *ipſius villæ* penitus & omnino nihil reſervantes, vel ipſam villam cum ſuis pertinentiis & terris ac cum omni libertate, proprietate plenoque dominio directo & utili omnique jure *ſupremo & infimo*, utilitate & commoditate, PRECARIIS & SERVITIIS a *noſtro ducatu Magnopolenſi ac terra noſtra Godebuze*, totaliter eripientes ad dimittentes, ſegregavimus & præſentibus ſegregamus, ac ad terram ſuam *Boytyn* & ad *menſ m ſuam epiſcopalem* adnectentes applicuimus & præſentibus applicamus; ita tamen, quod de cœtero non de ducatu noſtro Magnopolenſi & terra Godebuze prædictas; ſed de terra Boytyn Epiſpoci Raceburgenſis pro tempore, ſæpe dicta villa cum ſuis attinentiis & terris debeat nominari & exiſtere, ac in eadem jugiter permanere. Ut igitur omnia & ſingula præmiſſa plenam obtineant roboris firmitatem, nec a quocunque hominum valeant impugnari vel infringi, præſentes noſtras litteras de & ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis ex certa noſtra ſcientia conſcriptas noſtri autentici ſigilli munimine juſſimus firmiter roborari. Actum & datum in *caſtro noſtro Zwerinenſi* anno nativitatis Domini MCCCLXXVII. feria quarta in feſto pentecoſtes, præſentibus honeſtis viris dominis *Nicolao* Decano eccleſiæ *Guſtrovienſis*, Martino *Schotren* Præpoſito monialium monaſterii in *Cerntin*; Alberto *Suedert*, noſtro notario, Bertholdo *de Ritzerow*, Wickone *de Blücher*, armigeris, Henneckino *Bugeneven*, noſtro *advocato* in *Zwerin*, & aliis pluribus teſtibus fide dignis ad præmiſſa.

CXXXVI.

Detlevi de Gronow literæ permutationis & venditionis ſuper Panthen.

1377. In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam ego *Detlevus* de *Gronow*, armiger, tenore præſentium recognoſco lucidius & proteſtor, quod reverendus in Chriſto pater & dominus meus gratioſus, dominus *Hinricus Epiſcopus Raceburgenſis* villam *Panthen* ſitam in territorio *Molne* pro quatuor & pro quadringentis marcis *denariorum Lubecenſium alborum* mihi per eundem dominum meum dominum Hinricum Epiſcopum in promtis & numeratis pecuniis ſupra dictis & integraliter perſolutis, ac in uſum meum neceſſarium expoſitis penitus & converſis, ſibi ſuo & ſuorum ſucceſſorum Epiſcoporum Raceburgenſium nomine ſuſcipienti ex cauſſa legitimæ permutationis coram *illuſtri Principe* domino *Alberto Duce Magnopol.* RESIGNAVI & *dimiſi olim villam meam, Dudiſch Rozenitz*, tunc in terra Godebutz ſituatam, & per eundem dominum Albertum Ducem ex tunc ab *eadem terra Godebuz exemtam & dimiſſam* ac terræ Boytyn ad ipſum dominum Epiſcopum & menſam ſuam epiſcopalem ſpectantem liberaliter applicatam ab honeſto viro *Egardo Luchowen* advocatum in Molne infra tempus debitum & ſtatutum mihi plenariter & perfecte juxta tenorem ſuarum litterarum mihi datarum liberavit & disbrigavit: quod ſiquidem villa *Panthen* & ipſius poſſeſſionem per me libere & pacifice aſſecutus poſthæc matura deliberatione præhabita de & cum conſilio, conſcitu & conſenſu meorum *hæredum* & *proximorum*, ſpecialiter vero de & cum conſenſu beneplacito & voluntate *fratris* mei chariſimi Hinrici de Gronow & *filii* mei perdilecti Volcmari de Gronowe eandem villam Panthen cum omnibus & ſingulis ſuis attinentiis, juribus, pertinentiis, utilitatibus, commoditatibus & libertatibus, & univerſaliter cum omni jure ſupremo & infimo, videlicet colli & manus ac cum pleno dominio directo ac utili, prout in ſuis jacet terris, diſtinctionibus atque metis, ac ad me ex præmiſſa cauſſa permutationis pervenit, mihi & meis hæredibus in eadem villa & ſuis limitibus ſeu terris penitus nihil reſervando prædicto domino meo, domino Hinrico Epiſcopo Raceburgenſi pro ſe & ſuis ſucceſſoribus epiſcopis Raceburgenſibus ac ad menſam ſuam epiſcopalem legitime comparanti, juſto emtionis & venditionis titulo rite & rationabiliter vendidi ac dimiſi ac dimitto per præſentes pro ſexingentis marcis denariorum Lubecenſium alborum mihi per ipſum in paratis & numeratis pecuniis realiter perſolutis ac in meum uſum converſis. In quorum omnium evidens teſtimonium præſentes meas litteras ex certa mea ſcientia conſcriptas mei, nec non Volcmari filii mei prædictorum appenſione ſigillorum juſſi firmiter communiri. Et nos Hinricus & Volcmarus prædicti, recognoſcentes & approbantes hujusmodi emtionis & venditionis contractum & omnia alia & ſingula præmiſſa de & cum noſtro conſenſu, beneplacito & voluntate proceſſiſſe, in hujusmodi noſtræ recognitionis & approbationis nec non conſenſus beneplaciti & voluntate noſtrorum ſigilla noſtra penitus cum ſigillo Detlevi fratris mei Hinrici ac patris mei Volcmari prædictorum *ex certa noſtra ſcientia* præſentibus ſunt appenſa. Actum & datum Schonenbergæ anno M. CCCLXXVII. in vigilia beati Andreæ præſentibus honeſtis viris & diſcretis dominis Nicolao Decano eccleſiæ *Guſtrovienſis*, Schencone *de Crummeſſe* Canonico Raceburgenſi, Thiederico *Schilſtein* perpetuo in eccleſia Raceburgenſi vicario, *Marquardo Robeln* advocato in Schonenberghe, *Hinrico de Dollen*, Ludolpho *Pyl* & quam pluribus aliis clericis & laicis fide dignis teſtibus ad præmiſſa.

CXXXVII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CXXXVII.

Kaufbrief des Hofes Rodemberge.

1379. In dem Namen Godes! Amen. Wy *Hinrick* van der Gnade Gottes und des Stuhls zu Rom Biſchop tho Raceburg betügen openbaar in düſſen Breffe, dat wy mit vorſichtigen Rade unſer Fründe und mit Behagligkeit und Vollbart unſers Capittuls tho Ratzeburg und do dat beſte unſer Biſchops Taffeln, hebben unſern Hoff tho dem *Rodenberge* mit aller ſeiner Tholage, als he hefft gelegen binnen ſeiner Scheiden mit Acker, buwet und unbebuwet, Wiſchen und Weyden, Bröken, Holten, Watern und andern Thobehoringe, gelecht *tho Buv-Recht*, und hebben ingedehlet in achte Hoven, der wy hebben verkoſſt und laten twee an Tideke *Lanten*, twee *Henneke* ſinem Broder, twee *Gottſchalck Rantzowen*, und dee letzten twee *Lüdecken Schwinbüdele* und ihren Erven, eenen jeglichen ſine *twee Hoven* für *fünfftig Marck Lübeckiſcher Pfenninge*, dee ſee uns edder unſern Nakommelingen ſcholen betalen, binnen den achten Tagen na Sanct Martinus Tage, de im thokamenden iſt, fofftein Marck; vort overn Jahr fofftein Marck; tho dem mynſten, und was eere jeglicke hie baven ſchuldig blivt, dat ſchol he darna bethalen binnen veer Jahren gantzlick und unbeworren, und was he nicht alle Jahrlikes bethalet, dat ſhal he jeglickes Jahr geven vor tein Marck eene Marck, dat hebben ſe uns met eeren *Medelovern* in guden Troven und mit *eener ſamenden Hand* und unſern Denern tho unſer und unſer Nakommelinge Hand gelovet tho holdende, als wi ſee in beeden Siden hebben beſchreven laten. Deſe Hoven ſollet ſe und eere Ervnehmen ewicklick beſetten, und ſchollet uns und unſern Nakommelingen alle Jahre binnen achte Tage na Sunt Michels Tage one deſe twee Jahre, de negeſt tho kommende ſind, geven jewecke Hoffe ſoſs Marck und veer Schillinge Lübeckiſcher Pfenninge, und *von eenem jewelcken Huſe* een *Roock Hohn*; thar boven ſhælet ſee överſt tho ander *eener Pflicht* ſitten edder *tho Denſte*, idt entwehre, dat ſee uns edder unſer Nakommelingen ener edder dreye Korn forden von *Gnevesmollen* tho dem *Schonenberge*; ock ſhället ſee de Watere brucken tho fiſchende off ſee fangen können, beſundern warej darin genöhgen, de wy uns und unſe Nakommelinge daran beholden. Tho mehrerer Betügnüs diſſen Dinge hebben wy en gegeven und beſchreven laten, beſegelt mit unſern Ingeſiegele twee Breffe, de all eenes Enden. Dit ys geehndiget und geſchehen tho dem *Schonenberg* na Godes Gebuhrt Duſent *Jahre* dree hundert Jahre in dem negen und ſöventzigſten Jahre, des Sunntages vor Sünte Pawels Dage des Apoſtols, alſe he bekehret ward; Daräverſt ſint geweſen tho Tügenüſſe de eerlicke und beſchedene Lüde Herr *Nicolaus de Decken* (Decanus) der Kercken tho Güſtrowe, Herr Diedrich *Schilſtern*, unſe *Pape* und *Cappellan*, Marquard *Rohele* unſe *Vaget*, Ludeke *Pyl*, Claus *Rubeſtorp* unſe *Dener*, Hinrik *Lötze*, Henneke *Pul*, Henneke *Wigger*, Reineke van *Bolkowe* unſe *Lüde* tho dem *Schonenberge* und andere viele beeydete Lüde de Tügnus werdig ſind.

CXXXVIII.

Danquardi de Bulaw teſtimonium quod unicum tantum privilegium villam Rodenberghe concernens ac a Duce Alberto datum invenerit, addita mortificatione & caſſatione reliquorum ſi quæ inveniantur.

Coram univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis ſeu audituris ego *Danquardus de Bülowe*, *miles* recognoſco dilucidius & proteſtor, quod cum duntaxat *unicam litteram* ſeu PRIVILEGIUM illuſtris principis domini *Alberti Ducis Magnopolenſis* & Comitis Zwerinenſis domini mei chariſſimi de & ſuper *curia Rodenberghe* nec non villarum & bonorum illi adjacentium poſt mortem quondam felicis memoriæ domini *Friderici* Epiſcopi Zwerinenſis, *patrui mei* dilecti inveni, quam reverendo in Chriſto patri domino Henrico Epiſcopo Raceburgenſi per patruum meum perdilectum *Hennekinum* de *Bülowe* in *Wedewendorp* deſtinavi, plures litteras ſeu privilegia prædicti domini Alberti Ducis & Comitis aut etiam ſuorum quorumcunque progenitorum curiam, villas & bona præmiſſa continentes non habui nec recuperare potui, tenore præſentium caſſo, irritas facio & annihilo omnes & ſingulas litteras & privilegia, cujuscunque tenoris exiſtant, ſi quæ apud quemcunque hæredum de meis conſanguineis vel extraneis quocunque tempore reperiri contigerit, dictas curiam villas & bona ut præmittitur, concernentes & eaſdem nullius volo exiſtere firmitatis. In cujus rei evidens teſtimonium meum ſigillum ex certa mea ſcientia præſentibus eſt appenſum. Datum in *curia mea* Zibbule anno Domini MCCCLXXXVI. feria quarta menſis Octobris aſſumtionis beatæ Mariæ virginis. 1386.

CXXXIX.

Literæ armigerorum de Carlow ſuper Mordmühle & Netzkowe.

In nomine Domini, Amen! Ad perpetuam rei memoriam nos *Arnoldus* de *Carlove*, *Ludeking* de Karlow & *Wiko* de Carlow, *armigeri Raceburgenſis diœceſeos* tenore præſentium recognoſcimus lucidius & teſtamur, quod matura deliberatione præhabita noſtris cum amicis ob reverentiam & amorem beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ, genitricis Dei & domini noſtri Jeſu Chriſti ac beati Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, nec non propter ſingularem amicitiam, quam cum reverendo in Chriſto patre ac domino noſtro, domino Hinrico *Epiſcopo Raceburgenſi* habuimus & habemus ac in noſtrarum & noſtrorum progenitorum & hæredum animarum remedium & ſalutem bona & ſpontanea voluntate 1387.

tate dedimus & dimiſimus irrevocabiliter noſtro & hæredum noſtrorum ſeu ſucceſſorum nomine ac etiam in his ſcriptis damus & dimittimus prædicto domino Epiſcopo ſuisque ſucceſſoribus epiſcopis Raceburgenſibus in perpetuum omnimodam reemtionem ſeu redemtionem molendini dicti *Mortmole* in parochia eccleſiæ parochialis *in Karlowe* ſituati, nec non omnem actionem omneque jus in & ad dictum molendinum ac ipſius poſſeſſionem nobis competens, inſuper primo præmiſſo dimiſimus & dimittimus per præſentes ab omni *impetitione villæ Netzkowe* omnem actionem omneque jus ei, quod occaſione cujuscunque reemtionis ſeu redemtionis nobis aut noſtris ſucceſſoribus competiverit, villam ad eandem in dictum dominum Epiſcopum & ſuos ſucceſſores liberaliter transferentes in ipſum & eosdem ſuos ſucceſſores, ſi quando molendinum & villæ præmiſſæ ad ipſos emtionis, donationis ſeu alio quocunque titulo pervenirent, per nos & noſtros hæredes ſeu ſucceſſores volumus aliquatenus imbrigari. In quorum evidens teſtimonium noſtra ſigilla præſentibus ex certa noſtra ſcientia ſunt appenſa. Datum *Karlowe* anno Domini MCCCLXXXVII. in dominica, qua cantatur Quaſimodogeniti, præſentibus honeſtis & diſcretis viris, domino Nicolao Decano eccleſiæ *Guſtrovienſis*, Ludekyno *Hoyke* rectore eccleſiæ parochialis in *Karlowe*, Marquardo *Robelen* advocato in *Skonenberge*, Ludolpho *Pyl*, Hinrico *de Dollen*, laicis & aliis pluribus fide dignis teſtibus ad præmiſſa.

CXL.

Proconſules & conſules civitatis Raceburgenſis teſtantur civem Lubecenſem Jo. Clitze bona ſua Epiſcopo reſignaſſe Decimamque dimidiam in campis civitatis Raceburgenſis in Feudum recepiſſe.

1388. Ego *Wedego* & *Copekinus Teetze* proconſules, Detlevus *Vos*, Joann *Schele*, Geroldus *Knokenhawer*, Lemmekinus *Schomaker*, Buſow & Hennekinus *Fruchtenicht*, conſules civitatis Raceburg, tenore præſentium recognoſcimus lucidius & teſtamur, quod reverendus in Chriſto pater & dominus *Hinricus Epiſcopus Raceburgenſis* ex una parte & *Joannes Clitze* olim *civis Lubicenſis* in nonnullorum noſtrorum *ſociorum* ſcilicet Detlevi & Joannis prædictorum pro nunc *conſulum nobiſcum præſidentium* & Matthiæ Bernhardi *conſulis antiqui* præſentia ex altera parte perſonaliter conſtituti, idem *Johannes Clitze* bona ſua & ſpontanea voluntate ac mature cum ſuis amicis, ut aſſeruit, deliberatus, dicto domino Hinrico Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum pure & ſimpliciter *dimiſit & reſignavit* in manibus ejuſdem domini Epiſcopi ſuo & ſuorum ſucceſſorum nomine recipiens dimidiam decimam, quam ipſe Johannes & ſui prædeceſſores in *campis noſtræ civitatis* prædictæ habuerunt, & ab Epiſcopo Raceburgenſi pro tempore *in feudum tenere conſueverunt*; prædictus vero dominus Hinricus Epiſcopus præfato Joanni Clitzen bona voluntate triginta quinque marcas denariorum Lubecenſium alborum vice verſa erogando; in cujus rei teſtimonium noſtræ civitatis prædictæ ſigillum ex certa noſtra ſcientia præſentibus eſt appenſum. Actum & datum *Raceborg* in domo fratris *Hinrici Schelp converſi* anno Domini M. CCC. LXXXVIII. ipſo die beati Urbani Epiſcopi martyris, præſentibus honeſtis & diſcretis viris dominis Gerhardo *Holtorp* Præpoſito, Ludero *de Blucher* priore eccleſiæ Raceburg., Nicolao Decano eccleſiæ *Guſtrovienſis*, Johanne *Kind*, Hinrico *de Munden* in eadem eccleſia Raceburgenſi perpetuis vicariis, prædicto Hinrico *Schelp* converſo, & aliis quampluribus clericis & laicis teſtibus.

CXLI.

Duo manſi cum dimidio in Valckenhagen ceſſi epiſcopo Raceburgenſi.

1388. Noverint univerſi præſentes litteras inſpecturi, quod ego *Otto Beygenblydt*, *armiger*, mutura deliberatione prähabita; ſpecialiter vero de & cum beneplacito ſtrenui viri domini *Droſtonis de Stove*, *militis*, nec non *Ermgardis*, meæ perdilectæ *contboralis* bona voluntate vendidi & dimiſi, ac nihilominus tenore præſentium, meo ac uxoris ejusdem meæ nomine, vendo & dimitto reverendo in Chriſto patri domino Hinrico *Epiſcopo Raceburgenſi* pro ſe & ſuis ſucceſſoribus a me legitime comparanti *duos manſos & dimidium*, cum *unarota in campis & in villa Valckenhagen* ſui territorii *Boytyn* ſituatos cum omnibus utilitatibus, fructibus, redditibus, commoditatibus & *ſervitiis* & univerſaliter cum omni jure & attinentiis ipſorum, prout in ſuis terris & limitibus ſituati dignoſcuntur, ac ad quondam felicis memoriæ *Ottonem de Stove*, armigerum, pertinebant & cum prædicta Ermgarde uxore mea ad me legitime pervenerunt pro triginta marcis denariorum Lubicenſium, mihi per eundem dominum Hinricum Epiſcopum in promtis & numeratis pecuniis *denariorum alborum nunc currentium* realiter perſolutis, ac in meum & ejusdem uxoris meæ uſum neceſſarium ex poſitis, integraliter converſis hujusmodi etiam manſorum ac omnium ſuarum pertinentiarum meo & ejusdem meæ uxoris nomine plenam *Warandiam* ſupradicto domino Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus bonam fidem his ſcriptis promitto, pro omnibus *juri ſtare* ac *jus dare & recipere* volentibus, prout in terra qualiter *jus exiſtit*; renuncians etiam expreſſe & ex certa ſcientia tam meo, quam domini *Droiſtois* militis, & uxoris meæ *Ermgardis*, prædictorum nec non omnium hæredum noſtrorum nomine, omni auxilio & *beneficio juris canonici & civilis*, per quod hujusmodi emtionis & venditionis contractus in judicio vel extra poſſet impugnari quolibet vel infringi. In quorum omnium teſtimonium meum ſigillum pariter cum ſigillo ſupradicti domini *Droſtonis de Stove*, militis, ex certa

certa noſtra ſcientia præſentibus eſt appenſum. Et ego *Droſto* de *Stove*, miles, ſæpe dictus, recognoſcens omnia & ſingula præmiſſa fuiſſe & eſſe vera in hujus meæ cognitionis & certitudinem pleniorem præmiſſorum feci præſentes litteras mei ſigilli appenſione firmiter communiri. Actum & datum *Schonenbergæ* anno 1388. feria ſexta ante aſſumtionis Mariæ virginis, præſentibus honeſtis viris Domino Decano eccleſiæ *Guſtrovienſis*, Hennekino de *Bulow* in *Roggethin*, Wikone *Storkerken*, Ludolpho *Pyl*, *armigeris*, ac aliis pluribus fide dignis teſtibus ad præmiſſa.

XXI

DIPLOMATARIUM RACEBURGENSE II. E GEORGII DE BLUMENTHAL J. U. D. ET EPISCOPI RACEBURGENSIS COLLECTIONE AB A. 1389. USQUE AD A. 1524. DEPROMPTUM. RELIQUIS, QUÆ IN DIPLOMATARIIS MECKLENBURGICIS OCCURRUNT, OMISSIS.

I.

Hemeke de Bulow vendit Epiſcopo Raceburgenſi dimidiam molendini prope Karlow cum utilitate & allodio.

1389. In den Namen Godes Amen! Tho ener ewigen Dächtnüſſe diſſes Dinges Ick *Henneke* von *Bülow* tho *Rockkelin*, een Knape, bekenne und betüge oppenbar in deſſem Breve, dat ick med guten Willen und mit Rade miener Erven hebbe verkofft und laten, unde verköpe unde verlate in deſſer Gegenwartigkeit deme erlicken Vader in Gode Herrn *Henricken* deme Biſchope tho Ratzeborg tho enem rechten ewigen kofften Kope mine Helffte der *Bullenmolen*, de by *Karlowe* ligt, Lehne und Erve, *mude* und *eegen*, und mit aller Tholage, alſe ſe ligt binnen eeren Scheden an Watern, an Weyde, an Fiſcherie mit Inſloth und mit Uthfloth, mit der Stouwinge, und menlecken mit allem Rechte, beyde mit dem höheſten Rechte und mit dem ſideſten unde mit andern Rechten und aller Fryheit, alſe de Helffte der Molen my hefft tho gehöret unde ick ſe koffte von Lüdeken von Carlow, deme Gott gnädig ſy, unde beſetten hebbe, my unde mynen Erven dar nichts an tho beholdende, de ick unde myne Erven, Eme edder ſinen Nakommelingen verlaten ſchölen von der Herſchopp, wann ſe dat werven und hebben willen ſonder Verthögeringe, vor *hundert Marck Lübeckiſcher Penninge*, dee he hefft betalet tho Molne mit reden witten Penningen, der ick ſe ſchuldig was, und hefft mick daraf gantzlicken entworren, alle deſe vorbeſchrevene Stücke lave ick *Henneke van Bülow* vorbenomet mit myne *Medde Lovern* unde *Hartwig* von *Bülow*, *Knapen*, minen Veddern, in deſene Breve deme ſülven Vadere in Gott unde ſynen Nakamelingen unde tho eerer truven Hand ſtede unde vaſte tho holdende ſonder jennigerley Argeliſt; und tho mehrerer Bekanntnuſſe unde Thigenus myn Ingeſegele vor deſſen Breff gehangen; unde wy Hennecke unde Hartwig von Bülow vorbenahmet bekennen unde reden unde loven alle deſe vorbenamede Stücke, alſe! ſe vorne beſchreven ſind, mit *ener ſamender Hand* an guden Truven ſünder jeneg herliche Argeliſt, ſtede und veſte tho holdende deme vorbeſchrevene ehrlicken Vadere in Gode Biſchop Henricke von Raceborg unde ſinen Nakommelingen, unde tho eener truwen Hand Detlev van *Gronow*, Bertholde *van Ritzerowe*, und Johanne *Schacken*, Knapen. Unde tho grotre Bekanndnuſſe unde Tüge hebben wy unſe Ingeſegele mit Witſchop vor deſſen Breff gehengen laten, de gegeven is tho den *Schonenberge* naa Godes Boort MCCCLXXXIX. Jahr des Sonntages nach der Paſchæ Wochen, dar aver Nicolaus Decanus der Karcken tho Güſtrow, Marquad *Röbere*, Lüdecke *Pyl* Benneke *Springel*, myn Deener; unde andere vele beeydete Lüde de Tügens wërdig ſind.

II.

Fratres de Berge vendunt & reſignant Eccleſiæ Raceburgenſi villam veterem Gamma cum omni jure.

Wy *Zegeband* unde *Diedrick van dem Berge*, Knapen, Broder un Sohne *Langen Gwerdes* van dem Berge, bekennen und betügen openbare in deſſen Breve und thon witlick alle den ghenen, de em ſeen effte leſen, dat wy mit Vollbort unde med guten Rade unſe Erven unde unſere Vedderen alſe *Himrick* unde *Otten*, Diedrick Söhne van deme Berge unde *Gwerde* van deme Berge unde alle unſe negſten Fründe, verkofft unde *upgelaten* hebben und verköpet unde uplatet rektlicken und redlicken tho enem recten Ervkope unde Egendome deme Erbaren Vadere in Gode unde Herrn, Herrn *Geerde* Biſchopen der Kercken tho *Ratzeborg* tho des Stichtes Behoff der Kercken Ratzeborg vor twee hundert Marck Penninge, un frief Marck Penninge de uns derſülve Vadere in Gode und Herr rede bethalet hefft unde wy empfangen unde ubgebohret hebben, in goden reeden tolleden Penningen, alſe ſe tho Hamborg genge und geve ſind, unſern Hoff in der olden Gammma, dar wandages *Claus Swerdes* obgewohnet hadde, unde nu upgewohnet Heinecke ſyn Sone mit der halven Hoven Landes, de dartho belegen is, unde unſe Tegenden äver veerde halffe Hoven darſülffit belegen, welcher Hoven ene halbe Hove nu tho der Tydt buwet *olde Hennecke Peters*, unde eene halve Hove beſittet *Claus Starcke*, unde eene halve Hove der Kerckſchworne der Kerſpel Kercken der *olden Gamma*, tho der 1389. ver-

verſchrevenen Kercken Behuff, beſittet, unde *Macke Dameel* drittig Morgene unde *Olde Hennecke* Timmermann fünff und twentig Morgene, alſe de Hov unde de halve Hove unde de thegede vorſchreven belegen ſind mit allenen Rechte unde Richte beyde mit dem höheſten unde mit dem ſideſten, mit *Bröcke*, mit SCHATTE, mit *Rente*, mit *Tinſe*, mit aller Nutz und Gerechtigkeit, Freyheit unde Thobehöring; fruchtlicken, fredeſamlicken unde fredelicken tho beſittende, alſe unſe Elderen vor uns unde wy na en den Hoff unde halven Hoven unde den tegenden beſetten hebben bis an deſe gegenwordige Tyd; unde wy unde unſe Erven ſchollen unde willen deme Biſchoppe unde deme Stichte van Ratzeborg des Hoves, der halven Hoven unde des tegenden een *recht wahrend* (warendator) weeſen, wanne und wo dick des vorgeſchreven de Biſchop van Ratzeburg een *recht Leehn Herr* ys; Dit love wy *Zegeband* unde *Didrick* mit *Hinricke* unde *Otten* unde *Gwerde*, unſe Veddern, vorſchreven Biſchoppen Gehrden unde ſinen Nakommelingen Biſchoppen tho Ratzeborg tho des Stichtes Behoff tho Ratzeborg mit *eener ſamenden Hand*, ſtette unde vaſte tho holdende in goden Truwen ſunder jennigerley Argeliſt edder Hülperede; unde wy *Hinrick*, *Otto* unde *Geverde* vorſchreven, loven mit *Zegebande* unde *Diedrick* unde vor See unde vor eeren Erven, deme Erbaren Vadere in Gode und Herrn Biſchop Geerde vorgeſchreven unde ſinen Nakommelingen Biſchoppen tho Ratzeborg tho des Stichts Behoff Ratzeborg mit eener ſamenden Hand alle deſe verſchrevene Stücke ſtede und vaſt tho holdende in alle der Wyſe, als ſe vor ſteht geſchreven. Tho mehrerer Betügnüſſe aller deſſer verſchrevener Stücke, ſo hebben wy *Zegeband* unde *Diedrich*, *Hinrich* unde *Otto* unde *Gwerde* unſe Ingeſegele wittlicken unde mit guden Berade henget an deſen Breff, de gegeven und geſchreven iſt na Godes Borth 1389. Jahre an dem Tage St. Michels des heiligen Ertz-Engels.

III.

Gotſchalcks und Make von Zule GENANT von der STEINHORST Kaufbrief und Ceſſion des Gutes STENBORG an dem Stift Ratzeburg nach vorgängiger Verlaſſung an den LEHNS-HERRN Hertzog Ehrich.

1393. Ich *Godſchalck* von *Züle*, een *Recht Erfbohren Vormünder Maken* von Zülen *Detlevs Sone* mynes *Broders*, und ick MAKE (Marquard) *von* Züle, Detleves Sohne *von Tzüle*, Hehten *von der Steenhorſt*, deme Gott gnädig ſey, bekenne mit Godſchalck mineme Vedderen unde Vormündere und tüge openbar und tüge mit deſſem Breve, dat wy mit wohlbedachten Mode mit Rade unde gantzer Vullbort all unſerer rechten Erven hebben verkaufft unde verkopen tho enem rechten ewigen Kope an deſſem Brefe unſe Guth tho *der Steenborg*, alſe dat ligt unde *oldelings* ock gelegen hefft binnen ſiner Schede mit alle ſiner Thobehoringe an Watern und Waſſerflothen, an Fiſchereyen und Ackere buwet und unbebuwet, an Wiſchen, an Weyde, an Holtz, an Felde, an Weege, mit aller Nutz-Frucht mit alleme Rechte, Richte hogeſten und ſydeſten, an Hand und an Hals, und mit aller Fryheit, alſe wy und unſere Elteren und unſe Vorfahren, dat Goth ſee frygheſt hat hebben und beſeten, uns und unſe Erven efftte Nakommelingen dar dheger nichts tho beholtende deme Ehrwürdigen Vaderen unde Herrn Herrn *Gherde* Biſchoppe tho Ratzeborg und ſinen Nakommelingen vor *Veerhundert Marck und funffzig Marck* Lubeckſcher Penninge, de uns tho nögeböret unde ſind bethalet; ock ſchollen wy und wollen, dat diſſülve Gohd, alſe hie verſchrieben ſteht, verlaten von deme ERBAREN *Fürſten* Herrn *Erecke* den *Aelteren Hertzogen tho Sachſen*, tho Engern und tho Weſtphalen, de des Godes unſe *rechte* LEHN-HERR *ys*, tho Syner Hand Biſchopp *Gherdes* vorbenömet unde Syner Nakommelinge des Stiffres tho Raceborg; vort mehr verlaten wy ock in deſeme Breſe, von unſer, unſer Erven unde Nakommelinge weegens, aller *Anſpracke*, *Upſaginge* unde Rechtens, eſſt wes uns möchte tho godekamen, in der thokamende Tyd, et ware von Geiſtlicker edder Weltlicker Rechte, WARSCHOP, *Jahr unde Dach tho holdende*, alſe *idt im Lande een Recht iſt*. Alle deſe Stück vorbenohmet tho ſamende, und ein jedwedes beſondern, loven wy Godſchalk und Make Detlevens Sohne *van der* STEENHORST, Vetteren, *beten von Tzüle*, ſaakwaldi hen vor uns unde vor alle unſere rechten Erven mit unſerem Meddeloveren, alſe Dethlev *Scharpenberg*, Volrad *von Godowe*, Heyncken *van der Nyenkarcken*, Valrade *van Camyn*, Vedderen hetten *von Tzülen*, Jürigens *Marſchalck* unde *Vicke Marſchalck* Jürgens Söhne, Knapen, alle mit ener *ſamenden Hand* und an goden Truwen deme Ehrwürdigen Vadere unde Herrn Biſchop Gherde unde ſynen Nakamelingen Biſchopen tho Ratzeborg ſtede und vaſt tho holdende wohl ſunder Liſt edder Argheit. Unde wy *Detlev Scharpenbarg*, Volrad *von Camyn*, Jürigens *Marſchalck* unde *Vicke* vorbenömet bekennen dieſes Lovedes und will mit holden, alſe hier vor ſteht beſchreven. Tho mehrerer Bethügunge aller dieſer Stücke, ſo hebben wy alle deſem Bref de ſchriven ys mit unſe Wiſchop und Vullboort beſiegelt mit unſern Ingeſigelinge. Dit ys geſchehen tho Raceborg *upe Kerck-Hove* an dem Jahre Gödes MCCCXCIII. am ſtillen Freytage; Daroverſt ſind geweſen tho Tügen de duchtigen Lüde Detleff *von Gronow*, Hartwig unde Bertold Brodere, HETEN *von* RITZEROWE, Erick von *Weſenberck*, Diedrick *Blanckſove*, Ludeke *Pyl*, Knapen, unde vele andere Lüde, die Tügens würdig ſind.

IV.

D. Erici ſen. Sax. confirmatio & ceſſio jurium in villam feudalem Steenborg quam Gotſchalck von

von Tzule, legitimus Tutor Marquardi, fratris filii, vendidit ecclesiæ, cui Dux etiam cessit dominium directum, ipsi in villam hactenus competens.

ten hebben Oldelinges wente an deſſen jegenwardigen dach, vor *achte hundert Marck Lübſcher Penninge*, de ſe uns tho ener vollenkamenen Noge, wohl bethalet hebben, de wy fort an uſer Kerken und alſe an de *Löſinge* des *Slotes* und *Vogedye toStove* gekehret und uthgheven hebben; welcken *Teghenden* ſe mögen brucken to ſtickende edder to verkopende to allen Tyden, ſo en dat beqveme is: Und iſt ſe jümment an den Thegen wolde *beweren*, dem wille wy mit uſem Geeſtlicken Rechte *Byſtandt darthо dhon*, ſo vakende en des Bedorff is, us ok an deſſen Thegenden nicht to beholdende man allenen den *iWedderkop*, den ſe us van Gnade wegen gündt hebben, alſo, dann wy edder uſer Nakommelinge den wederkopen willen unden edder eren Nakommelingen dormede to ſeggen binnen den achte dagenden *Hochtyd Pyngſten*, ſo ſcolle wy den vorbenömenden Herrn dem Proveſte dem Prior und dem Capitul to der negheſten nafolgenden *Hochtyd der Bord Chriſti* binnen den achte Dagen, bethalen achte hundert Marck Lübſch an alſodaner guden Münte alſe denne tho Lübecke genghe und geve is anememe Summen und up eene Tyd ſunder länger Vertogh. Unde wenn de Bethalinge denne alldus ſcheen is, ſo ſchall de vorbenömde Thegende uſer Biſchops Taffeln weder quitt und loos weſen, alſe vore unde Thegetſchünen ſo gut wedder antworden, alſe ſe de nu Gut hebben entfangen. All deſſe vorſcreven Stücke und Ding und en jewelick belich loven wy Biſcopp Johann Eerbenömt mit all uſem Nakommelingen den Ehrgenomden Praweſte Priore und Capitel und all eren Nakommelingen an guden Truwen und Loven ſtede und faſt to holdende ſunder jennigerleye Hülpe Rede edder Wedderſpracke man degher ſünder aller Liſt. Tho Tügnüſſe deſſer vorſcreven Stücke ſo hebbe wy uſe Ingheſeggel mit Witſchopp an deſſen Breff hängen laten de gheven und ſcreven na der Bohrd Chriſti vertein hundert Jahr an deme twe und vertichſten Jahre, an Sunte Simon und Judas Avende der hilligen Apoſtele.

XVIII.

Johannis Epiſcopi Ratzeburg. Confirmatio inſtaurationis & fundationis perpetuæ Vicariæ in eccleſia S. Nicolai oppidi Wiſmarienſis inſtitutæ a Matthео BUCKOW, ea lege, ut poſt obitum ipſius collatio, proviſio & diſpoſitio hujus beneficii ſpectet ad fratres KALENDARUM minorum de a. 1447. 1449.

1449. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Nos *Johannes* Dei gratia *Epiſcopus eccleſiæ Raceburg.* univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentibus & futuris, ad quorum notitiam præſentia pervenerint, ſalutem in eo, qui omnium eſt ſalvator & creator. Vere dignum exiſtit & juſtum eſt arbitrandum, ut benignis favoribus pia & juſta aliorum deſideria proſequantur, qui de bonis terrenis ad laudem & gloriam divini cultus augmentandam cœleſtia cupiunt promereri. Ad veſtram & cujuslibet veſtrum notitiam deducimus ac deduci volumus per præſentes, quod in noſtra & teſtium infra ſcriptorum præſentia perſonaliter conſtitutus providus vir *Conradus Stenhagen* oppidanus *oppidi Wiſmer* noſtræ Raceburg. dicœceſ. vice ac nomine honorabilium *Dominorum fratrum* KALENDARUM MINORUM Wiſmarienſ. vice ac nomine ſui ipſius & honeſtæ dominæ Catharinæ Schmachthagens viduæ quoddam produxit publicum inſtrumentum voluntatem quondam Domini *Matthæi* BUCKOWEN bonæ memoriæ de & ſuper inſtaurationem cujusdam *perpetuæ vicariæ* in ſe continens, quam voluntatem prædicti domini Matthei exſequi & ad meliorem deducere effectum cupiens petiit & humiliter ſupplicavit, ut omnia & ſingula contenta ac deſcripta in eodem inſtrumento noſtra autoritate ordinaria approbare, confirmare & autoriſare dignaremur. Cujus vero inſtrumenti tenor fuit, ſequitur & eſt talis: In nomine Domini, Amen. Anno nativitatis ejusdem quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, indictione decima, die vero ſecunda menſis Septembris, hora veſperorum vel quaſi in domo habitationis honorabilis viri domini *Matthei Buckowen, presbyteri*, Raceb. dicœceſ. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Nicolai divina providentia Papæ quinti anno ejus primo, in mei notarii publici ac teſtium infraſcriptorum ad hoc vocatorum ac rogatorum ſpecialiter præſentia perſonaliter conſtitutus prædictus dominus Mattheus Buckow, *perpetuus vicarius in eccleſia S. Nicolai oppidi Wiſmar* dictæ Raceb. dicœceſ. ex Dei gratia compos mente & ratione ex certa ſua ſcientia & matura deliberatione præhabita ſolemniter ordinavit, inſtauravit & fundavit quandam *perpetuam vicariam* ſive quoddam *beneficium eccleſiaſticum* in dicta eccleſia S. Nicolai prædicti oppidi Wiſmarienſis ad altare præmemorati domini Matthei *in parte auſtrali* ſitum vel ſituatum. Ad quam quidem vicariam dictus dominus Mattheus decem octo marcas Lubecenſ. Monetæ bonæ redditus annuos pactus & proventus exiſtentes in *villa Nantrow, Suerinenſ. diœceſis* a villanis & colonis dictæ villæ provenientes dedit & aſſignavit & inter vivos perpetue donavit, ſuper quibus vero redditibus pactis & certæ literæ per validum famulum *Michælem Barnekowen* morantem in curia *Almerſtorp*, ut ſæpæ dictus dominus Mattheus Buckow aſſeruit, deſuper ſunt confectæ & per eundem Michaelem Barnekowen ſigillo ſuo ſigillatæ. Inſuper præfatus dominus Mattheus Buckow poſt obitum & mortem ſuam *Jus Patronatus* ſeu præſentandi totiens, quotiens prædictum beneficium ſeu dictam vicariam contigerit vacare, honorabilibus & circumſpectis viris *Dominis Fratribus* KALENDARUM *minorum*

rum intra muros fæpefati oppidi Wifmar exiſtentibus perpetuis temporibus obtinendum dedit, legavit & aſſignavit, ita nimirum, quod iidem fratres Kalendarum uni probo & honeſto presbytero & clerico idoneo, pro quo diſcretus vir Conradus *Steinhagen* & honeſta domina *Catharina Schmachthagens* vidua petierint, unanimiter & concorditer conferant & præſentent, qui Domino Deo ſerviet orando pro fundatore; ſic tamen, quod dicti Conradus & Catharina duntaxat, quamdiu vixerint, ſuis temporibus petitionem ad eandem vicariam plenarie obtinebunt. Quibus vero duobus defunctis, de tunc fæpe dicti *fratres* KALENDARUM *collationem*, *proviſionem*, *præſentationem* & quamcunque etiam *diſpoſitionem* prædictæ vicariæ perpetuis temporibus obtinere debent ſic, quod conferant concorditer & præſentent uni de dictis fratribus Kalendarum indigenti, ita videlicet, ut ſemper perſonaliter reſideat; ſi autem non reſidet, ſuo officianti octo marcas Lubec. dare debet & perſolvere annuatim, contradictione quacunque ſemota. Rurſum prætactus dominus Mattheus adjunxit & publice ordinavit, quod vicarius ſeu poſſeſſor hujusmodi vicariæ pro tempore exiſtens unam marcam annuis temporibus præfatis *dominis & fratribus Kalendarum* ad memoriam dicti domini Matthei ſingulis annis per eosdem fratres peragendam integraliter & immediate exſolvere debet. Denique dictus dominus Mattheus Buckow conſtituit ordinavit & habere voluit, quod hujusmodi vicarius de redditibus & pactis prædictis dare debet & exſolvere præfatæ Catharinæ Schmachthagens ſingulis annis interim, quoad illa vixerit, quinque marcas Lubec., ſed poſt mortem dictæ Catharinæ prædictæ quinque marcæ redire debent jure ad augmentum hujusmodi vicariæ. Et ſi forte *redditus ſeu pactus* dictæ vicariæ in parte vel in toto redimi contigerit, ex tunc vicarius cum conſenſu & voluntate prædictorum fratrum Kalendarum eundem ſummam capitalem in ſimiles vel ſaltem in alios perpetuos certos quandocius convertere ſtudeat & teneatur, ubi ipſis fratribus melius & convenientius videbitur expedire. Præterea & ſæpe dictus dominus Matthæus Buckow aſſeruit & habere voluit, ut dictæ literæ illo modo, ut præmittitur, confectæ debent, poſt mortem ſuam, per hæredes ſuos apud præfatos fratres Kalendarum poni & in eorum ciſta reſervari. Super quibus omnibus & ſingulis præmiſſis ſæpe dictus dominus Mattheus me notarium publicum infra ſcriptum ſtipulatione mediante requiſivit, ut ſibi ſuper præmiſſa unum vel plura conficerem inſtrumentum vel inſtrumenta tot, quot ſibi forent neceſſaria & opportuna. Acta ſunt hæc anno indictione pontificatu die menſe loco & aliis, quibus ſupra præſentibus ibidem honorabilibus viris domino *Nicolao Heinen* in dicta S. Nicolai eccleſia *perpetuo vicario* & Gerhardo *Blawenhovet* presbyteris Raceb. & Suerinenſis diœceſ. teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego *Bartholdus Biſchow* clericus Raceb. diœceſ. publicus imperiali autoritate notarius, quia hujuscemodi *ordinationi*, *inſtaurationi* & *fundationi* omnibus aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic, ut præmittitur, fierent, vidi & audivi, ideo præſens inſtrumentum manu mea propria ſcriptum exinde confeci & in hanc publicam formam redegi, quam ſigno & nomine meo ſolitis & conſuetis ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & evidens teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Nos igitur *Johannes*, Epiſcopus præfatus præfatorum dominorum *Matthei*, *fratrum Kalendarum*, *Conradi & Catharinæ* pia deſideria, voluntatem, oblationes, aſſignationes & ſupplicationes in domino, requirens hujusmodi reddituum cum ſuis attinentiis, oblationes & donationes ac omnia ac ſingula in dicto inſtrumento contenta ac deſcripta gratas & ratas grata & rata habentes, eisque ſub eccleſiaſtica libertate & protectione per nos receptis ad laudem & gloriam divini cultus in ipſa eccleſia S. Nicolai dicti oppidi Wismer ad altare prædicti Matthei unum perpetuum beneficium perpetuam vicariam autoritate noſtra ordinaria per præſentes creamus, de novo fundamus, erigimus & inſtauramus, autoriſamus, approbamus, & confirmamus in Dei nomine in his ſcriptis omnia & ſingula contenta & in ipſo inſtrumento expreſſata cum etiam aſſignatione *juris patronatus*, roborando, ordinando & ſtatuendo, quod vicarius, qui pro tempore fuerit, in ipſo beneficio perſonaliter reſideat, vel alium loco ſui ſecundum tenorem præſcripti inſtrumenti officiantem habeat, qui vicarius vel ejus officians in ſummis feſtivitatibus, in primis & ſecundis veſperis nec non in ſingulis profeſſionibus debeat intereſſe. Nullum etiam impedimentum volumus in hac parte fieri per vicarium vel ejus officiantem domino Rectori prædictæ eccleſiæ. Ceterum vero prædictam vicariam, ſicut præmittitur, per nos confirmatam & approbatam ad præſentationem venerabilis domini *Gerhardi Schroeders*, Decani, *dictæ fraternitatis* nobis ſignificatam ex petitione ante dicti Conradi Stenhagen, laici & Catharinæ Schmachthagens, viduæ, ſtudioſo Conrado Steinhagen clerico noſtræ diœceſ. contulimus & conferimus ſibique de eadem providimus & providemus inſtituentes & *inveſtientes eundem per* BIRETI *noſtri impoſitionem* principaliter ad eandem. Quare vobis dominis ſupra ſcriptis committimus & voluntate ſanctæ obedientiæ mandamus, ut publicatum Conradum vel ſaltem ejus procuratorem in & ad dictæ vicariæ realem, corporalem, effectualem & pacificam poſſeſſionem vel quaſi inducatis admittatis & recipiatis, mandantes & facientes ſibi & non aliter quod ejus nomine de ipſius vicaria univerſis & ſingulis ad pios ſpectare

dignoſcitur uſus integraliter reſpondere. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum; ſub anno a nativitate domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono feria ſecunda poſt Quaſimodogeniti, præſentibus ibidem honorabilibus dominis Eggardo *Kirleſen* noſtro capellano, Tiderico *Mutzel* presbyteris & *Stephano Pobbezin* noſtro ſeculari clerico Raceb. *Ottonienſis* & *Suerinenſis* diœceſ. ad præmiſſa vocatis.

XIX.

Johannis Epiſcopi Ratzeburgenſis conceſſio vicariatus in villa Böcken pro Gerhardo a Zeitzen.

circa 1450. Johannes Dei & apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Razeburgenſis, univerſis & ſingulis dominis dominorum rectoribus, vice-rectoribus, capellanis ceterisque presbyteris, clericis & notariis publicis in diœceſi noſtra conſtitutis, præſentibus requiſitis, ſalutem in domino ſempiternam perpetuam. Sine cura *vicariam* in eccleſia parochiali villæ *Böcken* noſtræ Razeburgenſes diœceſis fundatam & inſtauratam, nunc vero per *liberam reſignationem* honorabilis viri domini Hermanni *Kopman* presbyteri, ultimi & immediati poſſeſſores ejusdem vacantem, de qua quidem reſignatione nobis legitima extitit facta fides ad præſentationem *illuſtris & altigeniti* principis & domini, domini *Johannis, Dei gratia Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ Ducis*, ſacrique Romani imperii *Archimarſchalli*, coram nobis in notarii publici & teſtium infra ſcriptorum præſentia vivo vocis oraculo factam, venerabili & egregio viro, domino & magiſtro Gerhardo *von Zeitzen* DECRETORUM DOCTORI monaſteriique ſacrimonialium in *Walsrade* Verdenſis diœceſis præpoſito, id humiliter propter Deum genibus flexis petenti contulimus & conferimus ſibique de eadem providimus & providemus, inſtituentes & inveſtientes eundem dominum & magiſtrum Gerhardum per bireti capiti ipſius impoſitionem cum omnibus juribus, fructibus, redditibus, proventibus, obventibus & emolumentis præſentialiter ad eandem, receptisque ab eodem domino & magiſtro Gerhardo *fidelitate* & *obedientia*, ut moris eſt, nobis præſtitis *juramentis*. Quare vobis dominis ſupradictis & reſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna, canonica monitione præmiſſa diſtricte præcipientes mandamus, quatenus prælibatum dominum & magiſtrum Gerhardum per nos, ut præmittitur, inſtitutum, aut ſuum in hac parte legitimum procuratorem in & ad dictæ vicariæ realem, actualem, effectualem & pacificam vel quaſi poſſeſſionem inducatis, recipiatis & admittatis, inductumque, receptum & admiſſum, quantum in vobis fuerit, defendatis mandantes & facientes ſibi & nulli alteri, quam ſuo nomine de omnibus & ſingulis ejusdem vicariæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus & emolumentis, ab univerſis & ſingulis, ad quos de jure ſpectare dinoſcitur, debitis & conſvetis temporibus integre reſponderi. In cujus rei teſtimonium ſecretum noſtrum præſentibus eſt appenſum. *Datum & actum Luneborch* in domo habitationis providi viri, *Conradi Bardewick*, oppidani ibidem; præſentibus ibidem venerabili diſcretoque viris, domino Alberto *Grosmann* Præpoſito in *Reinebecke*, & Henrico clerico noſtræ diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis atque rogatis.

XX.

Johannis Epiſcopi Raceburgenſis confirmatio data a. 1452. de incorporatione & patronatus jure eccleſiæ & capellæ Bergdorpii ab Erico & Bernhardo Ducibus Saxoniæ a. 1397. & 1418. & a Detlevo Epiſcopo Raceb. a. 1397. donato & corroborato.

Johannes Dei gratia epiſcopus eccleſiæ Race- 1452.
burgenſis univerſis & ſingulis præſentia viſuris, audituris ſive lecturis ad quorum notitiam pervenerint, ſeu pervenire poterint quoque in futurum, cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis ac præeminentiæ fuerint ſalutem in domino ſempiternam. Ad veſtram & cujuslibet veſtri noticiam deducimus ac deduci volumus per præſentes, quod in noſtra noſtrique notarii & teſtium infra ſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia conſtitutus perſonaliter venerabilis & religioſus dominus & magiſter *Johannes Stalckoper*, in MEDICINIS DOCTOR *eximius* ac dictæ eccleſiæ noſtræ Raceburgenſis prior vice & nomine venerabilium & religioſorum dominorum præpoſiti, prioris totiusque capituli ipſius eccleſiæ noſtræ, qui quidem ibidem ſic perſonaliter conſtitutus, quosdam patentes litteras videlicet tres; *primas* ſigillo quodam, ut apparuit, majori illuſtris principis & domini domini *Erici Senioris Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ Ducis; ſecundas* ſigillis duobus videlicet illuſtrium principum & dominorum *Erici & Bernhardi* ducum Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ; *ultimas* vero & tertias ſigillo reuerendi in Chriſto patris & domini domini *Detlevi Epiſcopi* prædeceſſoris noſtri majori & rotundo ſigillatas & roboratas, non vitiatas, abraſas, aut in aliqua parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes tenoris infra ſcripti, in & ad manus noſtras obtulit & præſentauit, ſupplicans nobis humiliter, quatenus easdem litteras examinare, legere & auſcultare ac easdem in publicum transſumti inſtrumenti ſcriptum transſumi mandaremus, in caſum & eventum, ſi hujusmodi litteræ originales perderentur ſive per rapinam aut aliud impedimentum ſuperveniens annihilarentur, quod tunc ad hujusmodi transſumtum recurſus haberi poſſet: Nos attendentes hujusmodi ſupplicationem fore juſtam & conſonam rationi, ipſas litteras ad nos & manus noſtras recepimus ac easdem dili-

diligenter examinari fecimus, ac legi fecimus nec non ipſas in publicam transſumti formam redigi mandamus decretum & auctoritatem noſtram inter ponentes. Tenor vero primæ litteræ de verbo ad verbum fuit ſequitur & eſt talis:

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Ad perpetuam rei memoriam nos *Ericus* Senior Dei gratia Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ dux tenore præſentium recognoſcimus & lucidius proteſtamur, quod nos matura deliberatione ac tractatu diligenti *fidelium noſtrorum conſiliariorum præhabita*, ea, qua decuit, ſolennitate, ob reverentiam Dei & amorem beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ! genitricis ejusdem domini noſtri juſto *donationis & translationis titulo*, prævio tamen & præhabito conſenſu venerabilis patris, domini *Detlevi Raceburgenſis* epiſcopi, pure & ſimpliciter donamus, & *dedimus, dimiſimus & reſignavimus*, donamus, damus dimittimus & reſignamus *jus Patronatus* ſiue præſentandi eccleſiæ parochialis ſancti Petri in noſtro oppido *Bergerdorpe* cum *capella Sanctæ Crucis* immediate prope dictum oppidum Bergerdorpe præmiſſæ Eccleſiæ parochiali adjacenti Raceburgenſis diœceſeos ipſi Advocato domini præpoſiti eccleſiæ Raceburgenſis qui pro tempore fuerit, præfatumque jus præſentandi, ut præfatum & prænominatum *advocatum* hujusmodi, qui pro tempore fuerit, meliori modo, via & forma, quibus potuimus, prout ad nos & noſtros anteceſſores prædictæ eccleſiæ parochialis cum capella ſæpe dicta hactenus liberius pertinere conſuevit, perpetuo transferimus per præſentes, nobis ac etiam hæredibus noſtris ſeu ſucceſſoribus in prædicto jure patronatus nihil penitus reſervantes, ſed ipſum penes eundem advocatum, qui cunque pro tempore exiſtens perpetuis futurum temporibus, ut præmittitur, volumus remanere ita ut quotiens perpetue de cætero dictam eccleſiam ſancti Petri vacare contigerit, memoratus advocatus, qui pro tempore exſtiterit, *unum canonicum eccleſiæ Raceburgenſis aptum & idoneum* ad ipſam parochialem eccleſiam Sti Petri & capellam *Stæ Crucis extra oppidum* ſitam inſtituendam, pro quo Canonico Præpoſitus pro tempore exiſtens & capitulum preces ſuas ad ipſum Advocatum debito in tempore direxerint, debeat præſentare. In quorum omnium teſtimonium & evidentiam pleniorem præſentes literas ex certa noſtra ſcientia conſcribi & noſtri ſigilli autentici munimine juſſimus firmiter roborari. Datum & actum in caſtro noſtro Bergerdorpe anno Domini milleſimo tricenteſimo nonageſimo ſeptimo, ſabbatho proximo poſt feſtum Lucæ Evangeliſtæ glorioſi. Præſentibus noſtris fidelibus dilectis Hermanno *de Gandertzem* rectore parochialis eccleſiæ oppidi *Molne*, presbytero Henningo *de phenige*, Hinrico *de Crumetzce* & Ottone *de Ritzerowe*, *armigeris* &, quampluribus aliis fide dignis. Ductiones vero circumferentiales ſigilli fuerunt hæc: *Sigillum Erici Ducis Saxoniæ, Angriæ & Weſtphaliæ.* Tenor vero ſecundæ litteræ fuit & eſt talis:

Wy *Eryk* und *Berend* van Gades Gnaden Brodere Hertogen tho Saſſen, Weſtphalen und Engeren bekennen und betügen openbar an deſſeme jegenwardigen Breve vor all den jennen, de ene ſehen, horen edder leſen, dat vor uns ſind geweſen de Ehrwerdigen Geſtlicken Heren Proweſt, Prior unde dat gantze Capitul der Kerken *Ratzeborgh* und hebben uns mit unſes Veddern *Hertoch Erickes* von Saſſen anders genomed *Hertoch* von BERGERDORPE ſeeliger Dachtniſſe beſegelden Breven weten daen und wargemaket, dat de Erven unſe Veddere vor ſick, zine Erven unde vor alle ſine Nakomelinge hefft geghunt und gegeven tho ener ewigen Gave ewig tho blivende deme *Vogede* der ehrbenomeden Heren Proveſtes, Prioris und Capipituls, de tho der Tyd Ere Voged ys, und allen zige Nakommelingen *Vogeden* des *Proveſtes*, Prioris und Capituls erben, *de* LEEN-WARE *der Kerſpel Kercken binnen Bergerdorpe* mit der Capellen *des hilligen Crützes* darſülves *buten Bergerdorpe*: Alſo zin beſegelte Breff druppe gegeven und ſcreven klarlicken Innhold und dat wohl uthwiſet. Welcken Breif unſes Vedderen Gifft und ewige Gave wy Hertogen *Erick und Berend Erven*, mit unſeren Erven und mit unſern Nakomelingen beleven, vullborden und beſtädigen unde willen den *ſtede und vaſt* holden van Worden tho Worden tho ewigen Tyden und dar nimmer jegen weſen edder jegen dhon noch midt Worden eff mit Rade edder mid Dade, und wy vorſaken ock an deſſeme jegenwardigen Breve, allen *Vryheiden*, Privilegien und Breven, Rechtigheiten, Endrahten, de unſe *Vader*, *Hertog Erick* von Saſſen ſeeliger Dächtniſſe wanne mochte macket hebben mit den erbe Heren Proweſte und Prior und Capittule unne deſſe erven, dar Leen ware der Kercken und Capellen des hilligen Cruces tho Bergerthorde de jegen unſes vorbenömeden *Vedderen* Breff Gifft und Gave von deme erben, Vogede ſine Nakommelingen und deme Proveſte Priori und Capitul tho *Vorvanghe* edder tho *Schaden* mochte weſen; und *vorſaken* (*) alſo allen Behülpungen alles Rechtes Geſtlickes und Werlickes, de uns unſen Erven und unſen Nakomeligen mochten komen tho Hülpe, und deme erbenömten Vogde ſine Nakomelingen edder deme Proveſte, Priori un Capittel un eren Nakommelingen to Vorvange edder tho Schaden, dat deſſe erben Breſſe, Gifft und ewige Gave unſes erben un Vedderen mochte mede gekrencket und gebrocken werden. Hieran und aver ſind Getüge geweſen unſe TRUWE MANNE und RAED, Here *Hermann* van *Gandertzen*, Hinrick *Schacke*, Hancke *van Tzule*, Bertold *Daldorp*, und vele andere *Unſer Manne*; und tho Tüge und mehrer Bekantnüſſe der Wahrheid hebben wy Hertoch Erich unſe GROTE *Ingeſegel*, und wy Hertoch

toch *Berend* unſe LÜTKE *Ingeſegel* erbenomed vor uns und unſe Erven und vor unſe Nakomelinge mit Willen, Vullbord und Wittſchop henghen laten vor deſſen openen Brev, de geven und ſchreven is tho Ratzeborch na der Boord Chriſti Veerteyn hundert darna in deme achteinden Jahre, an deme Dage ſunte Agneten der hilligen Jungfrauen. Literæ circumferentiales ſigilli domini *Erici* ſunt hæc: *Sigillum Erici Dei gratia Ducis Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ;* in *minori* vero ſigillo domini *Bernhardi* apparuerunt *quinque trabes in clypeo triangulari cum quodam medio crinali.* Tenor vero tertiæ & ultimæ literæ fuit & eſt talis:

Detlevus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Eccleſiæ *Raceburgenſis*, dilectis nobis in Chriſto Præpoſito, Priori Canonicis & Capitulo noſtro ac omnibus aliis & ſingulis præſentia viſuris ſeu audituris ſalutem & ſinceram in domino caritatem! Sane noveritis, quod alias quondam illuſtris princeps & dominus dominus *Ericus* Dux Saxoniæ *Senior*, *reſidens in Bergerdorpe*, JUS PATRONATUS eccleſiæ parochialis Sancti Petri in Bergerdorpe noſtræ diœceſ. & Capellæ ſanctæ Crucis ad eandem eccleſiam appertinentis ex certis cauſis, ipſum ad hoc moventibus dedit, ADVOCATO *præpoſiti Eccleſiæ noſtræ Raceburgenſis*, qui pro tempore advocatus fuit, ſuper bona ad Capitulum eccleſiæ noſtræ pertinentia, prout hoc litteris ſuis deſuper datis & conſcriptis ac ſigillis ſuis ſigillatum plenius demonſtratur contineri. Nos eandem donationem tenore præſentium ratam & gratam habere ipſamque confirmare volentes, ipſi donationi noſtras authenticas adjecimus, ut meliori modo, quo de jure fieri poſſit, valere illa debeat expreſſe aſſentimus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus de noſtra certa ſcientia eſt appenſum. Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo; ipſo die beati Thomæ Apoſtoli glorioſi: Litteræ circumferentiales in ipſo ſigillo fuerunt hæ: *Sigillum Detlevi Dei gratia Epiſcopi Raceburgenſis.* Poſtremo vero præfatus M. Johannes & prior nobis cum debita humilitatis inſtantia ſupplicavit atque præmiſſis litteris authenticis *ipſam parochialem eccleſiam in Bergerdorpe & capellam* ſæpe tactam videlicet ſanctæ Crucis *prope Bergerdorpe* pro confirmatione & ſuſtentatione menſæ capitularium ac in aliqualem Eccleſiæ ipſius relevationem de novo *incorporare, annectere & unire* auctoritate noſtra ordinaria dignaremur: Nos igitur demiſſis ſupplicationibus inclinati hujusmodi eccleſiam Parochialem in Bergerdorpe & ipſius capellam videlicet S. Crucis cum omnibus eorum juribus, redditibus, proventibus, obventionibus, oblationibus, proventibus emolumentis, ac ſingulis aliis devenientibus auctoritate noſtra ordinaria eidem menſæ Capitulari pro aliquali ſuſtentatione jusdem incorporamus & annectimus, in nomine Domini, per præſentes redditus, quosque & proventus prædictæ eccleſiæ & capellæ decernimus apud eandem menſam capitularem perpetuo permanſuros. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras litteras exinde conſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli majoris juſſimus & fecimus appenſione communiri. Sub anno dominicæ incarnationis milleſimo quadringeſimo quinquageſimo ſecundo, ſecunda die menſis Junii præſentibus ibidem diſcretis viris Dno. *Joanne Gephendorpe* noſtro capellano, & *Bernhardo Hakemann* presbytero & clerico prædictæ noſtræ diœceſeos, teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter & rogatis.

Et ego Matthæus *Noytemann*, Clericus *Zwerinenſis Diœceſeos* publ. ſacra imperiali auctoritate notarius, quia hujusmodi litterar. productioni, receptioni, examinationi, decreti interpoſitioni, petitioni, incorporationi, omnibusque aliis & ſingulis, dum ſic ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui eaque ſic fieri vidi & audivi; Ideoque præſens publicum inſtrumentum manu mea propria conſcriptum exinde confeci, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, quam ſigno & nomine meis ſolitis & conſueris una cum jam dicti reverendi in Chriſto patris & domini domini Joannis epiſcopi præmemorati ſigilli appenſione corroborandum ac de ipſius man dato, conſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

(*) *Entſagen*, renuntiare.

XXI.

JOHAHNIS Epiſcopi Raceburgenſis inſtrumentum a. 1493. confectum, quo ab ipſis Sleswici & Holſatiæ Ducibus JOANNE & FRIDERICO, fratribus per procuratorem Wilhelmum Schröder rogatus & requiſitus, publice teſtatur fidem diplomatis authentici, dati a SIGISMUNDO imperatore a. 1434. de comitatu Holſatiæ ab epiſcopo Lubecenſi JO. SCHELIO, nomine & loco Cæſaris, Comitibus in feudum conferendo. Addita ab Epiſcopo Raceburgenſi, ad dictorum Ducum requiſitionem, citatione in valvis Eccleſiæ Raceb. & parochialis Schonenburgenſis, ut omnes intereſſe habentes, ſub contumaciæ pœna compareant ad audiendum & videndum literas Sigismundi earumque tranſumtionem (*).

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Univerſis & ſingulis præſens publi- 1493.
cum Tranſumti inſtrumentum inſpecturis, lecturis pariter & audituris JOHANNES *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopus Raceburgenſis* notum facimus quod in noſtra & notariorum teſtiumque infraſcriptorum præſentia, perſonaliter conſtitutus venerabilis vir dominus & magiſter WILHELMUS SCHRODER *eccleſiæ collegiatæ Haderslevienſis*, SLESVICENSIS *diœceſis*, *canonicus*, *procurator* & eo nomine procuratorio illuſtriſſimorum

morum altigenitorumque principum & dominorum, dominorum JOHANNIS *regnorum Daciæ & Norwegiæ regis Slesviciæque electi ac* FRIDERICI *ejus germani, Ducum terrarum & ducatuum Holsatiæ Slesvicensis Stormariæ Dithmarsiæ &c.* prout de suæ procurationis mandato coram nobis legitime exstitit facta fides, habens & tenens in manibus suis quasdam litteras Imperiales, certum privilegium dictum ducatum *Holsatiæ* concernens, in se continentes divæ memoriæ SIGISMUNDI *Romanorum Imperatoris* ac Hungariæ Bohemiæ Dalmatiæ ac Croatiæ &c. Regis ejus veram Bullam Auream in cordula sericea rubei coloris, more Imperiali impendente, ut prima facie apparebat, bullatas, in cujus bullæ uno latere apparuit imago Imperialis in sede Majestatis suæ sedens cum insula seu diamete suo tenens sceptrum suum in dextra; in sinistra vero pomum rotundum cum cruce, habensque circa collum suum stolam circa pectus ex transverso implicatam, in circumferentia ejusdem lateris erat scriptum Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Crotiæ &c. Rex, ab altero vero latere ejusdem bullæ apparuit imago seu forma urbis Romæ cum tribus turribus, desuper in pinnaculis habentibus tres cruces, inferius in spatio portæ scriptum fuit Aurea Roma, in circumferentia vero legebatur hic versus: Roma caput mundi regit orbis frena rotundi, sanas integras & illæsas non vitiatas non cancellatas nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspitione carentes, quarum tenor hic inferius est; referens simul ac exponens, quod eædem litteræ ad data loca & partes longe motas in quibus illis opus foret, certas ob causas, tum propter viarum discrimina varios casus & eventus bullæque aureæ hujusmodi incautam fere custodiam aliaque legitima impedimenta & pericula destinari, duci & transmitti non possent, cum aliæ similes litteræ hujusmodi originales non haberentur; nobis cum ea, qua decuit reverentia exhibuit & præsentavit supplicans igitur nobis humiliter idem Procurator, *nomine dictorum suorum Principalium* quatenus hujusmodi litteras de verbo ad verbum per Notarios nostros infra scripta *transsumi* & exemplaria actu publicam & authenticam formam redigi mandare, ita quod transumpto & exemplo hujusmodi veluti eisdem litteris Originalibus fides adhibeatur indubia & quod autoritatem nostram ordinariam pariter & decretum interponere dignaremur, nihilominus tamen idem *Magister Wilhelmus* procurator, quo super, nomine procuratorio petiit *citari in valvis ecclesiarum Cathedralis nostræ Raceburgensis & Parochialis oppidi nostri* SCHONENBERGE *nostræ Diœcesis* ubi continua & solita est residentia nostra *omnes & singulos sua communiter vel divisim interesse putantes actus*, die hora & loco infrascriptis coram nobis in jus comparent, *ad videndum & audiendum litteras hujusmodi Imperiales, ut præmittitur, & faciendum exemplar vel dicendum causas rationales, quare hujusmodi transumtio & exemplatio fieri non deberent.* Nos itaque supplicationibus hujusmodi rationabilibus favorabiliter annuentes receptis ad manus nostras prædictis, litteris imperialibus & eisdem diligenter inspectis ac de verbo ad verbum per virum Notariorum infrascriptorum in nostra præsentia lectis literisque absque omni vitio & suspicione sanis integris & illæsis repertis & inventis citationem propetitam in locis & valvis supradictis infrascriptorum solennia fieri & debite exequi decrevimus. Quibus advenientibus prælibato Magistro Wilhelmo Schroder procuratore quo supra nomine coram nobis in judicio comparente & prædictam citationem cum ejus legitimis & debitis executionibus realiter & in scriptis reproducente *dictisque citatis non* COMPARENTIBUS, *neque* CONTRADICENTIBUS, *pro contumacibus id exigente justitia, per nos reputatis.* Ad ulteriorem ejusdem procuratoris, instantiam easdem litteras ex causis prænarratis per discretos viros Magistros *Hartwicum de Harte* & *Joannem Lebraden* publicos Apostolica & Imperiali autoritatibus & curiæ nostræ Raceburgensis & coram nobis in hujusmodi negotio notarios & scribas infrascriptos transumi & exemplari ac in publicam transumti formam redigi fecimus & mandavimus volentes & autoritate nostra ordinaria decernentes quod præsenti nostro transumpto publico de cetero & antea ubicunque locorum in judicio & extra stetur, illique detur & exhibeatur tanta & talis fides quanta & qualis dictis originalibus litteris inferius insertis & cum præsenti transumto auscultatis & collationatis data fuit & adhibita, datur & adhibetur daretur & adhiberetur: in medium exhiberentur & ostenderentur. Tenor vero hujusmooi litterarum de verbo ad verbum sequitur & est talis: SIGISMUNDUS *Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungariæ & Bohemiæ Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, honorabilibus nostris & Imperii Sacri fidelibus dilectis,* CONSULATUI *civitatis Nostræ* LUBECENSIS, *gratiam Nostram Cæsaream & omne bonum. Sinceræ devotionis affectus, quem venerabilis* JOANNES SCHELE, *episcopus Lubecensis* PRINCEPS & CONSILIARIUS NOSTER *devotus, dilectus, & nos & imperium ipsum prout experientia quotidiana didicimus gessit hactenus & gerit, promeretur: ut* VOTIS *suis favorabiliter annuamus, præsertim illis quæ status ipsius episcopi & ecclesiæ suæ Lubicensis commoda respicere & damna retractare & impedire dignoscuntur. Cum itaque generosi*

Imperatoris Sigismundi mandatum & diploma de Holsatiæ Comitis investitura feudali ab Episcopo Lubecensi, nomine & mandato CÆSARIS, *peragenda; adscito etiam in auxilium brachio seculari Lubecensium.*

ueroſi COMITES HOLSATIÆ *ſive unus ſive plures exiſtant ratione* COMITATUS HOLSATIÆ *Vaſalli ſint eccleſiæ & Epiſcopi Lubecenſis* PRO TEMPORE *exiſtentis, prout fide dignorum* RELATIONE *& alias plene dedicimus, & adipſum epiſcopum* infeudationes DOMINI & Comitatus Holſatiæ, *ex* CONCESSIONE IMPERIALIS CELSITUDINIS *pertineant, minime decet, quod comites ipſa aliqua de bonis feudalibus per eos ratione dominii & comitatus hujusmodi* ulterius aliis in feudum *dari & aſſignari conſuete poſſint* SIVE *debeant* NOBIS, *ſive* EPISCOPO *antedicto inconſultis* ALIENARE *quoquo modo. Nos igitur, dampnoſis* ALIENATIONIBUS *hujusmodi obviare volentes, ex certa noſtra* SCIENTIA *& motu* PROPRIO, *auctoritate Imperiali, tenore præſentium prohibemus: Ne quis comes Holſatiæ pro tempore exiſtens* SINE CONSENSU ET ASSENSU NOSTRO VEL EPISCOPI LUBECENSIS *pro tempore exiſtentis, quicquam de bonis feudalibus hujusmodi quomodocunque aut qualitercunque publice vel occulte directe vel indirecte, per ſe vel per alium, quovis modo* ALIENARE *præſumat ſub pœna juris ordinaria & etiam ſub mulcta ducentarum marcarum auri puri, quas ab eo qui contrafecerit totiens, quotiens contrafactum fuerit, irremiſſibiliter volumus exigi & pro medietate Imperialis ærarii ſive fiſci pro reliqua vero parte epiſcopi Lubecenſis pro tempore exiſtentis uſibus applicari. Quo circa diſcretioni veſtræ ſub indignatione Imperiali graviſſima & eadem pœna mandamus, quatenus in præmiſſis & circa ea ac etiam ut ipſi comites pro tempore ipſum epiſcopum Lubecenſem infeudationibus* HUJUSMODI *in antea faciendis debite recognoſcant, eidem Epiſcopo Lubicenſi, pro tempore dum ad id requiſiti fueritis, etiam cum auxilio brachii ſecularis efficaciter aſſiſtere, & pecunias occaſione prædicte pœne debitas ſeu debendas, auctoritate Imperiali emonere & partem ipſarum ad Imperialem fiſcum pertinentem, ad fiſcum ipſum fideliter deſtinare, alteram vero partem eidem epiſcopo Lubecenſi pro tempore realiter aſſignare curetis, præſentium ſub noſtræ Imperialis Majeſtatis Aurea Bulla teſtimonio litterarum. Datæ Baſileæ A. D. milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto. die duodecima menſis Aprilis. Regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. quadrageſimo octavo Romanorum vigeſimo quarto, Bohemiæ quarto decimo. Imperii vero primo* In inferiori vero margine præinſertarum litterarum talis reperiebatur ſubſcriptio: *Ad Mandatum domini Imperatoris* CASPAR SLYCK, MILES CANCELLARIUS. Quibus omnibus & ſingulis tanquam rite & legitime factis decretum & autoritatem noſtram ordinariam duximus interponendam & interpoſuimus, prout interponimus. Præſentium per tenorem, in quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum ac ad majorem rei evidentiam præſentes noſtras litteras ſive præſens noſtrum publicum inſtrumentum hujusmodi tranſumptum in ſe continentes ſive continens exinde fieri & Notarios publicos Noſtros & hujusmodi negotii coram nobis ſcribas ſupra & infraſcriptos ſubſcribi & publicari mandavimus ſigillique noſtri juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum in aula *æſtivali* caſtri noſtri epiſcopalis *Schonenberge* noſtræ Raceburgenſis dioceſis. In qua jura reddi ſolent nobis inibi hora veſperorum & audientiæ cauſſarum conſveta ad jura reddendi & cauſſas audiendum pro tribunali ſedentibus ſub anno a nativitate domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio indictione undecima die vero Veneris viceſima quarta menſis Maji. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Domini Alexandri divina providentia Papæ Sexti, anno primo. Præſentibus ibidem honorabilibus diſcretisque Viris domino *Laurentio Bardawigk presbytero, Joanne Koden & Joanne Moigelken clericis Raceburgenſis Zwerinenſis & Lubecenſis Diœceſium* teſtibus ad præmiſſa vocatis atque rogatis. Et ego *Hartwicus von dem Hartze* Clericus Raceburgenſis diœceſis publicus apoſtolica & imperiali autoritatibus Notarius prænominatique Reverendi in Chriſto patris & domini domini Johannis epiſcopi Raceburgenſis ac in hujusmodi negotio coram eo ſcriba. Quia præinſertarum literarum exhibitioni, præſentationi receptioni atque citationi cum ejus executione & productioni ac ſuprascripti tranſumti petitioni autoritatis & decreti interpoſitioni omnibusque aliis & ſingulis ſic ut præmittitur per eundem dominum epiſcopum habitis & factis una cum connotario meo ſupra & infraſcripto ac prænominatis teſtibus præſens fui eaque omnia & ſingula vidi & audivi & de mandato & auctoritate præfati domini epiſcopi & ad requiſitionem antedicti *Magiſtri Wilhelmi* procuratoris examinationi exemplari de verbo ad verbum transſcripſi ſicut in iisdem litteris ordinalibus reperi, nil dimittens, vel quicquam ſuperaddens quod facti ſubſtantiam immutet aut in aliquo variet, intellectum ac præſens tranſumptum cum tenore earum litterarum originalium diligenter *auſcultatum & collationatum* in omnibus & per omnia *concordans inveni.* Ideoque præſens publicum inſtrumentum hujusmodi tranſumtum in re continens per connotarium meum ſupra & infraſcriptum fideliter ingroſſatum & etiam ſubſcriptum & ſignatum inde confeci ſubſcripſi & in hanc publicam formam redegiquam ſignonomine&cognomine meis

meis ſolitis & conſuetis una cum ſæpedicti domini epiſcopi ſigillis appenſione conſignari in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus. Et ego *Joannes Lebrade*, Clericus Lubecenſis civitatis publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, prælibatique in Chriſto reverendi patris & domini domini *Joannis*, *epiſcopi Raceburgenſis* ac in hujusmodi negotio coram eo ſcriba. Quia præinſertarum litterarum exhibitioni & productioni ac ſupraſcripti tranſumti petitioni autoritatis & decreti interpoſitioni omnibusque aliis & ſingulis præmiſſis dum per eundem dominum epiſcopum & coram eo agerentur & fierentur una cum connotario ſupraſcripto ac prænominatis teſtibus præſens fui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi & audivi ac de mandato & auctoritate præfati domini epiſcopi & ad inquiſitionem antedicti domini Magiſtri Wilhelmi Procuratoris examinavi, exemplavi & de verbo ad verbum tranſcripſi ſicut in iisdem litteris originalibus reperi, nil dimittens, vel ſuperaddens quicquam, quod facti ſubſtantiam immutet, aut in aliquo varie intellectum ac præſens tranſumptum cum tenore earundem litterarum originalium diligenter auſcultatum & collationatum in omnibus & per omnia concordare inveni. Ideoque hoc præſens publicum inſtrumentum hujusmodi tranſumtum in ſe continens, manu mea propria conſcriptum fideliter, per connotarium meum ſupradictum ſubſcriptum & ſignatum exinde confeci, ſubſcripſi publicavi & in hanc publicam formam redegi ſignoque nomine & cognomine meis ſolitis & conſuetis una cum ſæpedicti domini epiſcopi Raceburgenſis ſigilli appenſione conſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Prima inveſtitura ab Ep. Lubecenſi a. 1438. celebrata.

(*) Aliud antiquius tranſumtum diplomatis Sigismundi continetur *in primo inſtrumento notariali* de actu infeudationis comitatus Holſatiæ ab epiſcopo Lubecenſi *Johanne Sehelio a. 1438. d. 26. Sept.* prima vice celebrato. Quod publicum documentum Epiſcopus Lubecenſis mox *Regi Romanorum Alberto* obtulit, qui precibus Epiſcopi annuens ſolemnem illam inveſtituram, nomine & vice Cæſaris peractam, oblatumque inſtrumentum *eodem anno d. 2. Nov.* regio diplomate confirmavit. Utrumque dignum exiſtimamus quod hoc loco adponatur. Tenor inſtrumenti, quo actus inveſtituræ a. 1438. deſcribitur ſimulque literæ Sigismundi Imperatoris produeuntur, ipſe eſt qui ſequitur:

Inſtrumentum notariale de infeudatione comitatus Holſatiæ ab epiſcopo Lub peracta a. 1438.

„*In Nomine Domini! Amen. Anno* nativita„tis ejusdem milleſimo quadringenteſimo tri„ceſimo octavo indictione prima, die vige„ſima ſexta menſis Septembris, hora tertia „veri vel quaſi Pontificatus ſanctiſſimi in „Chriſto patris & domini noſtri *Eugenii* divi„na providentia Papæ quarti anno ejus octa„vo magnificus princeps & dominus domi„nus *Adulphus Dux Sleswicenſis & Holſatiæ „Stormariæ ac in Schowenborgh comes* coram „reverendo parte & domino *domino Joanne „Schelen* epiſcopo Lubec. & in mei notarii „publici & teſtium infraſcriptorum præſen„tia perſonaliter conſtitutus *depoſito Capucio* „eundem dominum Epiſcopum eſſe *dominum „feudi comitatus Holſatiæ recognoſcens* debita „cum reverentia eidem domino Epiſcopo hu„militer ſupplicavit, quatenus ipſum cum „comitatu *Holſatiæ* ac dominio *Stormariæ* ei„dem Comitatui annexo & ab ipſo comitatu „immediate dependente infeudare ac comi„tatum & dominium hujusmodi ſibi conferre „& in feudum dare & concedere dignaretur. „Præfatus vero dominus Epiſcopus hujus„modi ſupplicationibus inclinatus *recepto pi„leo* de capite ſtrenui militis *Schakonis Ran„zowen* per traditionem dicti pilei aureo cri„nali aut ſerto adornati in & ad manus e„jusdem domini comitis *more patriæ* factam „hujusmodi comitatum Holſatiæ & domini„um Stormariæ cum omnibus juribus & per„tinentiis ſuis eidem domino Adulpho *jure „feudi* contulit & *in feudum dedit* & ipſum „cum eodem comitatu Holſatiæ & dominio „annexo hujusmodi palam & publice ac ſole„mniter infeudavit. Et mox idem dominus „Dux & Comes tanquam vaſallus ipſius do„mini epiſcopi conſvetum *fidelitatis homa„gium* eidem domino epiſcopo, velut domi„no dicti feudi ſolito more præſtitit atque fe„cit & debitam fidelitatem homagialem ei„dem domino epiſcopo ore & manu in vin„culo juramenti ſervare promiſit. Deinde „reverenter *deprecatus eſt* pro Imperialibus „literis bulla aurea imperiali ſigillatis *jus in„feudationis* antedictæ pro epiſcopo Lubecen„ſi in ſe continentibus, quas ipſe dominus „epiſcopus in ſuis tenuit manibus, ut hu„jusmodi literæ in loco tuto, ubi privilegia „dicti principis cuſtodiuntur, ponerentur adu„ſum & utilitatem tam *epiſcopi Lubecenſis* quam „*Comitis Holſatiæ* pro tempore exiſtentium, „dominus autem epiſcopus antedictis hujus„modi præſentibus annuens, literas easdem „præciſe, ut precabatur manualiter tradi„dit *præfato domino Comiti*, his tamen con„ditionibus, ſcilicet ſi idem dominus episco„pus ſimiles literas ſigillo majeſtatis Impe„rialis ſigillatas præfato principi præſentave„rit, vel ſi a domino glorioſiſſimo rege Ro„manorum moderno litteras ipſius aureæ „bullæ confirmatorias impetraverit & eidem „domino Comiti aſſignaverit, ex tunc idem „dominus Comes ad hoc requiſitus dictam „auream bullam reddere & reſtituere tenea„tur, ut apud *eccleſiam Lubicenſem* inter alia „ipſius epiſcopi Lubicenſis privilegia repo„natur; prædictus vero dominus Dux & „comes hujusmodi admittens conditiones, „eandem auream bullam, ut præfatum, ſi„bi traditam ad ſe recepit, ac ea, quæ in „eisdem literis Imperialibus continentur, „pollicitus eſt efficaciter obſervare. Te-

„nor autem earundem literarum hic est: *Si-*
„*gismundus* &c. (vide supra) Super quibus
„præfatus dominus episcopus me notarium
„publicum infra scriptum requisivit quate-
„nus sibi super præmissis unum vel plura pu-
„blicum seu publica conficerem instrumen-
„tum seu instrumenta. Acta sunt hæc an-
„no indictione, die, hora, & Pontificatu,
„quibus supra in oppido *Plone* dictæ diœces.
„Lubec. ante & circa hospitium ejusdem do-
„mini Ducis prope ecclesiam parochialem si-
„tuatum, præsentibus ibidem venerabili vi-
„ro domino Bertoldo *Vriburg* cantore ec-
„clesiæ Lubicensis, *Licentiati* in decretis, ac
„domino *Scbakone* prædicto, ac famosis *armi-*
„*geris militaribus* Johanne *Bogkwisch* & Hen-
„rico *Bockwoldo* Laicis Bremens. & Lubicens.
„diœces. testibus asi præmissa vocatis specia-
„liter & rogatis. Ac ego Johannes *Kogghen-*
„*sligher* clericus Bremensis diœc. publicus im-
„periali autoritate notarius quia hujusmodi
„supplicationibus ac *collationi feudi* ac *in-*
„*feudationi ac homagio & promissioni* ac lit-
„terarum cum bulla aurea sigillatarum *tra-*
„*ditioni* ac earundem *receptioni & pollicita-*
„*tioni* omnibusque aliis & singulis dum sic ut
„præmittitur fierent & agerentur una cum
„prænominatis testibus præsens interfui, ea-
„que sic fieri vidi & audivi ideoque hoc præ-
„sens publicum instrumentum exinde con-
„feci subscripsi & publicavi signoque &
„nomine meis solitis & consuetis signavi.
„Rogatus & requisitus in fidem & evidens te-
„stimonium omnium & singulorum præ-
„missorum.

Sequuntur nunc literæ Alberti II. Regis Romanorum ad causam eandem spectantes:

Alberti Regis Romanor. charta de a. 1438. qua infeudationem Comiti Adolpho ab Episcopo Lubec. collatam confirmat.

„*Albertus* Dei gratia *Romanorum Rex* semper
„Augustus, ac Hungariæ Bohemiæ Dalma-
„tiæ Croatiæ &c. Rex & Dux Austriæ. Ad
„perpetuam rei memoriam exigit speciales
„devotionis & sinceritatis affectus quem vene-
„bilis *Johannes Schele* episcopus Lubec. *prin-*
„*ceps & consiliarius noster* devotus dilectus ad
„nos & sacrum Imperium Romanum *in ob*
„*sequiis multos per plures annos* ut experien-
„tia clara didicimus fideliter gessisse ac soler
„ter & cotidie gerere comprobatur ut *peti*
„*tiones ejus* illas præsertim per quas commo-
„do & honori suo & suorum succession rum
„episcoporum Lubic. salubriter consulatur &
„exauditionis gratiam favorabiliter admitta-
„mus. Sane nuper pro parte episcopi præ-
„libati nobis fuit humiliter supplicatum *ut*
„*infeudationem de comitatu Holsatiæ ac do-*
„*minio Stormariæ ab eodem Comitatu depen-*
„*dente* illustri & dilecto nostro Adolpho Du-
„ci Slesvicensi & Comiti Holsatiæ per eun-
„dem episcopum pridem factam ac homa-
„gii præstationem & promissionem per eun-
„dem & Comitem cum nonnullis litteris
„imperialibus ad id requisitum præfato epi-
„scopo factas prout instrumento publico
„desuper confecto plenius continetur ac in-
„strumentum & contenta in eodem & quæ-
„cunque exinde secuta approbare, *ratificare*
„*& confirmare* de benignitate nostræ Regiæ Ro-
„manæ autoritatis dignaremur. Nos igitur
„de hujusmodi supplicationibus inclinati *in-*
„*feudationem ac homagii præstationem* & pro-
„missiones hujusmodi *ac instrumentum, ipsam*
„*dictarum literarum imperialium formam in*
„*se continens* cujus tenorem hic pro inserto
„habemus & haberi volumus ex certa nostra
„scientia & autoritate prædicta tenore præ-
„sentium approbamus, ratificamus & perpe-
„tuo confirmamus. Supplentes eadem au-
„toritate omnes & singulos defectus si qui for-
„san intervenerint in iisdem præsentium sub
„nostræ Majestatis sigilli appensione litera-
„rum testimonio. Datum *Gorlitziæ* secunda
„die Novembris. *Anno* Domini M. CCCC.
„XXXVIII. Regnorum nostrorum anno
„primo.

Ad mandatum Domini Regis
Hermannus Hecht.

XXII.

Detlev und Hartig Wackerbart, Gebrüdere, verkauffen und gewehren an Clement Bulow das Dorf Lessen, die wüste Feldmarck, Dorffschede und Holtz zu Dargau, die Helfte zu Seggeran, die Forst zu Vellun u. a. m.

Wir *Detleff und Hartig Wackerbart*, 1503.
Brüder, wohnhafftig zu *Kugell im Stiffte Ratzeburg*, bekennen und bezeugen offenbar, vor allen die dieses Brieff, sehen, lehsen, oder hören lehsen, dass wir mit wohlbedachtem Muhte, mit unserm freyen Willen, *mit Fulborde und Willen unser Erben*, und alle dejennen, die darzu rechte mit fulborden sollen; und besonderen, nach Willen und Fulbord *unser gnädigen Herren von Sachsen*, haben wir verkaufft, verlassen und aufgelassen, und gegenwertigen, in Krafft dieser Schrifft, verkauffen, verlassen und auffiassen, recht und redlichen, zu einem rechten ewigen Erb-Kauff, dem düchtigen und Erenvesten *Clementen* von *Bülow*, und seinen rechten Erben, Erbnehmen und dem Haber dieses Briefes, mit seinen und seiner Erben freyen Willen, die sein geistlich oder weltlich, die uns nun und noch in zukommenden ewigen Zeiten kommen mœgen, unser *Dorff Lesten*, die *wüste Dorffschede*, Feltmarcke *Seggeran*, mit dem halben See, und den halben Berg zu *Seggeran*, mit der halben Horst zu *Vellun*, die Dorffstede zu *Brodes-Ende*, und das Gerichte, was uns zukombt im Dorffe zu *Besenthal*, und was wir vor Gerechtigkeiten daran haben, mit aller dieser vorgenanten Güthern Zubehörungen und Gerechtigkeiten, alse dasselbige Guth zusamende und ein jetzliches bey sich, und allen seinen Enden, begriffen und belegen ist, an Felder, an Ackern, Wasseren, Weiden, Wischen, Seen, Teichen, Mohren, Brocken, Brüchen, Püschen Holtzungen, hart und weich, fruchtbar und unfruchtbar, als das der Wind bewegen mag, nichts daraus zu bescheiden, wir alles zu dem

dem Votherbenanten Guthe zugehöret, mit allen Rechten und Richten, höchst und siedest, an Hant und an Hals, und mit dem *Rockhun*, vor *funffzehen hundert und acht und siebentzig gude genge Lübische Marck*, die wir von ihme zu guter Gnüge, in einer Summen, zu Dancke empfangen und gehört haben *in Gudau*, und die forts in unser und unser Erben nottürfftigen Nutzen und Frommen gekehret und ausgegeben haben. Und wir vorgenannte Detlef und Hartich Wackerbarde, Brüder, vor uns und unsere Erben, geben macht, und setzen den düchtigen und ehrenvesten Clement von Bülow, seine rechte Erben, und den Haber Briefes mit ihren gutem Wielen, in Krafft und Macht dieses Briefes, und auch in der That, von Stund an, in die *kundliche Besitzunge* in die *aufnehmende, habende, brauchende Ware*, so dass die genannte Clemens von Bülow, und seine Erben, oder Haber dieses Brieffes sich sodann vorgeschriebener, Dörffer und Güter mit allen Zubehörungen, dar nichtes auszubenehmen, mag nützlichen brauchen, und erblicher Weise ewigen besitzen, so sich deren unsere Eltern zuvor, und wir darnach, gebrauchet haben, und unsere Eltern uns dar aller Freyeht geerbet haben, wir und unsere Erben, auch niemand von unserntwegen, sollen und wollen auf sodane vorgeschriebene Dorffer und Güter, mit allen ihren Zugehorungen, nun und zu ewigen Zeiten nimmer aufsagen, oder aufsagen lassen sondern wir und unsere Erben wollen und sollen Clemens von Bülow, und seinen rechten Erben und Erbnehmen, und auch *dem Haber dieses Briefes* mit ihrem guten Willen dieses verschriebene Guth mit aller Zugehörunge einrecht *Warend* sein, vor aller *Anspracke* eines jeglichen, er sey geistlich oder weltlich, und allen denen die *vor Recht kommen wollen*, und der Rechten geniessen und entgelten wollen, wie offt es Noth und Behuef werde. Jedoch haben wir oben geschriebene Wackerbarten vor uns und unsere Erben uns behalten, auch hat uns Clemens von Bülow, seine Erben und Haber dieses Briefs vergönnet, einen *Wiederkauff sodaner Güther*, wie oben geschrieben, nach dato dieses Briefs, *über hundert Jahr*; und sodann vorgeschriebene hundert Jahre umme sein, und *Wir vorbenamete Wackerbarten*, unsere Erben und Nachkömlinge, so dann unsere Güther wieder zu uns kauffen wollen, so sollen wir den von Bülow, ihren Erben und dem Haber dieses Briefs, mit ihrem guten Willen, den Kauff verkündigen *ein halb Jahr zuvor*, und wann die Kündigung also geschehen ist, so sollen wir den obgeschriebenen von Bülow und ihren Erben, so dan *fünffzehen hundert und acht und siebenzig gute Lübsche Marck*, so zu Lübeck und Hamburg genge und geve sindt, in einer Summen entrichten, vergnügen und bezahlen, an einer bequämen Stætte, wie ihnen und ihren Erben das am bequemsten ist, und so dann die Bezahlung gantz und all geschehen ist in vorgeschriebener Weise, dann, nicht eher, sollen wir obbeschriebene Wackerbarten, und unsere Erben, uns zu denen Gütern unterwinden, sondern die von Bülow und ihre Erben sollen erst gantzlich vergnügt und bezahlet seyn. Und dieses zu furder Sicher- und Wissenheit dieses Kaufes, *Degeding*, *Verhandlunge*, und entkofftige Vereinigung seind an und ober gewesen, die diese vorgeschriebene Kauff-Artickel und Puncten dieses Briefes Wort verhandelt und degedinget, namentlich: Panner *Blieber* zu *Gamelin*, Hartig *Scharffenberg* zu *Schdorff*, Laurentz *Schacke*, die dieses vorgeschriebenen Kauffes und Sache Handeler gewest sein. Gegeben und geschrieben nach Christi unsers Herren Geburt, tausend fünffhundert und drey Jahr in den heiligen Weyhnachten.

XXIII.

Käysers Caroli V. Lehn Brief über das Stifft Ratzeburg de a. 1521.

Wir Carl von Gottes Gnaden, erwehlter Römischer Käyser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs &c. bekennen öffentlich mit diesem Brief, und thun kund allermanniglich, dass Uns der ehrwürdige *Heinrich* Bischoff zu *Ratzeburg*, unser *Fürst und lieber Andächtiger*, durch sein ehrbahr Bottschafft demühtiglich hat anruffen und bitten lassen, dass wir Ihme sein und seines Stiffts Ratzenburg *Regalien Leben* und *Weltlichkeiten* mit allen und jeglichen *Mannschafften, Herrschafften, geistlichen* und *weltlichen Lehenschafften*, Ertzten, Bergwercken, Landen, Leuten, Bürgern, Schlossern, Städten, Märckten, Dorffern, Wildbahnen, Wydereyen, Ehren, Rechten, Würden, Zierden, hohen und niedrigen Gerichten, Aembtern, Gut hern, Renten, Zinnsen, Gülten, Müntzen und Zugehorungen, so von Uns und dem Heil. Reich *zu Lehen rühren*, und ihnen und dem ermeldten Stifft Ratzeburg zugehören, zu Lehen zu verleihen, auch all und jeglich sein, seiner Kirchen und Capituls-Recht, Freyheit und Gewohnheit, *alt Herkommen*, *eigen Hand-Vesten*, *Privilegien* und Brief zu verneuren, zu confirmiren und zu bestetten gnädiglich geruheten; also haben Wir angesehen des genannten unsers Fürsten von Ratzenburg demüthig und ziemliche Bitte, auch die getreuen angenehmen und willigen Dienste, so sein Vorfahren und Er unsern Vorfahren und dem Heil. Reich offt willigen gethan haben, und Er sich hinführo gegen uns und dem Reich zu thun willig erbeut, und darumb mit wohlbedachten Muht, guten Raht und rechten Wissen demselben Bischoffe zu Ratzenburg all und jeglich sein und des bemeldten Stiffts Regalia, Lehen und Weldlichkeit mit allen und jeglichen Mannschafften, geistlichen und weltlichen Lehenschafften, Ertzten, Bergwercken, Landen, Leuten, Bürgern, Schlossern, Stædten, Mærckten, Dorffern, Wildbahnen, Weydneyen, Ehren, Rechten, Würden, Zierden, hohen und niedern Gerichten, Gerichtszwängen Aembtern, Gütern, Renten, Zinsen, Gülten, Nutzen und Zugehörungen, wie dann die von seinen Vor- 1521.

fahren Biſchöfen zu Ratzenburg auf ihn kommen ſeyn, und ihm und demſelben Stifft rechtlichen zugehören, zu Lehen gnädiglich verlieher, ihm auch darzu all und jeglich ſein, ſeiner Kirchen und Capituls Recht, Freyheit, Gewohnheit, alt Herkommen, Lehen, eigen Hand-Veſten, Privilegia und Briefe, wie die gemeiniglich und ſonderlich lauten, gleicherweiſe, als ob die von Wort zu Wort hierinnen begriffen wären, verneuert confirmiret u. beſtettet, verleihen, verneuern, confirmiren und beſtetten ſolches alles von Römiſcher Kayſerl. Macht, Vollkommenheit wiſſentlich und in Krafft dies Briefes, was Wir als Römiſcher Kayſer von Billigkeit und Rechtswegen Ihme daran zu verleihen haben, und meinen, ſetzen und wollen, daſs der genannte Unſer Fürſt von Ratzenburg die berührten ſein und ſeines Stiffts Regalia, Lehen, Weltlichkeit mit allen ihren obbemeldten Zugehorungen, auch ſeiner Briefen, Privilegien und Innhaltungen, in *Lehensweiſe* inhaben, halten, gebrauchen und genieſſen ſoll und mag; in allermaſs, als ſeine Vorfahren, Biſchöffe zu Ratzenburg, als vormahls von weyland dem Allerdurchlauchtigſten Kayſer *Maximilian* Unſern lieben Herr Anherrn loblicher Gedächtniſs, und dem Reich ingehabt, beſeſſen, genutzt, genoſſen und gebraucht haben, von allermänniglich unverhindert, doch uns und dem Reich an unſer Obrigkeit und ſonſt männiglich an ſeinen Rechten unvergreiffentlich und unſchädlich.

Der gemelt Unſer Fürſt von Ratzenburg, ſoll auch den Hochgebohrnen *Albrechten Hertzogen zu Mecklenburg*, Unſern lieben Oheim und Fürſten, in einem Jahr nechſt nach dato des Briefs, folgend *an Unſer Statt, und in Unſern Nahmen*, von der gemeldten Regalia *und Leben wegen*, gewohnlich *Gelübd und Eyd thun*, als einem Fürſten des Reichs gebühret. Und darauf ſo gebiethen Wir allen u. jeglichen des vorgemeldten Unſers Fürſten zu Ratzenburg und ſeines Stiffts Mannen und Unterthanen, in welchem Adel, Ehren, Würden, Standes oder Weſens die ſeynd, daſs ſie den obgenannt unſern Fürſten von Ratzenburg als ihren rechten Herrn in allen weltlichen Obrigkeiten, Gerichten und Sachen ſeyn, und deſſelben Stiffts Ratzenburg, Regalien und Weltlichkeit antreffend fürbaſs getreu, gehorſam und gewärtig ſeyn, auch allen Unſern und des Reichs Unterthanen und Getreuen, in was Würden, Standes oder Weſens die ſeynd, von Römiſcher Kayſerlicher Macht ernſtlichen und wollen, daſs ſie den benennten unſern Fürſten von Ratzenburg bey dieſer Unſer Kayſerlichen Verleihung, Confirmation und Beſtättigung geruhiglich und gäntzlich bleiben, und in der obberührten Maſſen gebrauchen und genieſſen laſſen, und daran nicht hindern noch irren, noch dis jemands andern zu thun geſtatten in kein weiſs, ſondern ihn von Unſer und des Reichs wegen, dabey handhaben, ſchützen und ſchirmen, als lieb ihr jedem ſey Unſer und des Reichs ſchwere Ungnad und Straff, und dazu ein Pœn nemlich funfzig Marck löthigen Goldes zu vermeiden, die ein jeder, ſo offt er freventlich hiewieder thäte, Uns halb in Unſer und des Reichs Cammer, und den andern halben Theil dem obgenanndten Fürſten von Ratzenburg unabläſſig zu bezahlen verfallen ſeyn ſolle; Mit Uhrkund dieſs Briefs beſiegelt mit Unſerm Kayſerlichen anhangenden Inſiegel. Geben zu Worms am 17. Tag Auguſti Anno M.DXXI. Jahr.

XXIV.

Indulgentiæ Henrici epiſc. Raceb. pro cujusdam particulæ crucis Chriſti cultu Viſmariæ.

Henricus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Raceburg. univerſis & ſingulis utriusque ſexus Chriſti fidelibus preſentes literas viſuris, lecturis ſeu legi audituris ſalutem in Domino ſempiternam. Admirabile ſignum ſanctiſſime crucis, quod erit in celo, cum Dominus ad judicandum venerit, per quam & ipſe diabolum devicit & mundum precioſiſſimo ſanguine ſuo in eadem redemit, decet Chriſti fideles pro devocione reminiſcentie intimis precordiis & devotis mentibus venerari. Sane pro parte devotorum nobis in Chriſto dilectorum *Martini Craen* proconſulis & *Joachimi Vos* conſulis nec non certorum aliorum incolarum opidi Wiſmar. noſtre dicœc. expoſitum, quatenus ipſi zelo devotionis ducti quandam particulam *de ligno ſanctiſſime crucis*, in qua *Dominus noſter Jeſus Chriſtus* nos miſerrimos peccatores pretioſiſſimo ſanguine ſuo redemit, in *quadam cruce argentea* includi feciſſent ipſamque crucem argenteam in *capella ſancti ſpiritus* oppidi Wiſmar. ſingulis ſextis feriis ad ſummum altare pro ſpeciali veneratione ejusdem deferri & cum cantu de ſancta cruce per certos presbyteros ad delationem hujusmodi faciendo perpetuo honorari procurare vellent; fuit nobis propterea humiliter ſupplicatum, quatenus ipſis deſuper autoritatem noſtram ordinariam pariter & decretum ac Chriſti fidelibus *ad ſtationem hujusmodi* confluentibus *indulgentias noſtras epiſcopales* gratioſe ac paterna pietate impertiri ac concedere dignaremur. Nos vero noſtris temporibus divinum cultum, quantum in nobis eſt, adaugere cupientes predictam ſtationem autoritate noſtra ordinaria ratificamus & approbamus decernentes, ut eadem ſingulis ſextis feriis hora tertia poſt meridiem fieri & devotus populus per pulſum campane parve ad eandem vocari poterit omnibus & ſingulis utriusque ſexus Chriſti fidelibus vere penitentibus, confeſſis & contritis, qui ad *ſtationem prefatam ſextis feriis*, ut prefertur, confluxerint ibidemque usque ad finem ſtationis hujusmodi perſeveraverint, aſperſionem aque benedicte poſt ſtationem a presbitero dando receperint, pro qualibet vice *quinquaginta dies indulgentiarum* de injunctis ſibi penitentiis miſericorditer in domino relaxamus, idque perpetuis temporibus duraturam. Datum Schonenberge die undecima menſis Februarii anno Domini milleſimo quingenteſimo quarto. 1524.

XXII.

XXII.

ORIGINES NEOMONASTERIENSES ET BORDESHOLMENSES, EX CHARTIS, DIPLOMATIBUS ET CODICIBUS MSTIS TUM ET ALB. STADENSIS, HELMOLDI, CRUMMEDYCKII, LERBECKII, CRANZII, JO. PETERSENII, CYPRÆI, LINDENBROGII ANNALIBUS ET CHRONICIS, NEC NON E VICOSTADII, ULR. PETERSENII ET HENR. MUHLII SCRINIIS COLLECTÆ.

§. 1.

Neomonaſter. atque Bordesholm. cœnobiorum hiſtoria conjungenda eſt,

Cum, quantum fieri poterit, nobiscum conſtituerimus, propoſituræ quondam Bordisholmenſis ordini S. Auguſtini dicatæ tradere hiſtoriam, non potuimus non facere, quin primas ejus origines a cœnobio Neomonaſterienſi repeteremus, quod matris inſtar Bordisholmenſi vitam quaſi atque animam dedit & ex gremio ſuo prognatum hoc produxit ac generavit. Unde tam arctiſſimum inter utrumque vinculum intercedit, ut tam ratione ortus quam inclyti progreſſus haud facile unum ab altero ſeparari atque ſejungi poſſit.

§. 2.

illud ſiquidem hoc genuit.

Neomonaſterium quippe cœnobium in his terris omnium antiquiſſimum genitricis in modum prima huic præpoſituræ præbuit fundamenta, collegium Auguſtinianorum referens nomen hic ſtabilivit, xenodochium conſtituit, fundis atque reditibus undique conquiſitis ſatis largiter illam dotavit, atque ſecum non minus quam poſt ipſius ævum per duo ſecula hic loci conſervavit ac protexit.

§. 3.

Translatio cœnobii decreta.

Quin &, cum tam propter regionis inamœnitatem, quam tranſitiones, manſiones, hoſpitia aliasque vexationes & incommoda plurima cœnobium Neomonaſterienſe Bordisholmum translatum eſſet, obtinuit tamen antiquum atque primum illud Neomonaſterii nomen, ut vetuſtiſſima documenta primæque denuo hic collocati monaſterii litteræ plane teſtantur. Ita enim ſcriptum reperimus: cœnobium Neomonaſterium, alias dictum Bardesholmum; itemque Bardesholmum, olim appellatum Neomonaſterium. Accedit & illud, quod Archiepiſcopi Hamburgenſes ac Bremenſes haud alio pacto translationem cœnobii Neomonaſterienſis Bordesholmi conſtituendi concedere atque confirmare voluerint, quam ut idem priſcumque ipſi poſt loci mutationem maneret nomen. Idque non ſolum Gieſelbertus Archiepiſc. dato anno 1290. de translatione cœnobii conceſſione rite cavit; ſed & Borchardus Archiepiſcopus Hamburgenſis poſt factam illius transpoſitionem in confirmatione ejus rei cauſa anno 1328. data hæc habet: *translationem ipſum confirmamus & locum, in quo transpoſitum pridem eſt clauſtrum, Novum Monaſterium volumus & præcipimus appellari.*

§. 4.

Qua facta Neomonaſterienſe cœnobium attritum.

Succeſſu vero temporis filia Bordesholmum matri conciliavit exitium, & cum Bordisholmum propter amœnitatem loci inter aquas ſilvasque appoſite interjecti ac commoditatem agrorum, paſcuorum, piſcationum, venationum in ſolitudine jucunditatem aliaque in rebus ſacris atque domeſticis emolumenta in dies inſigniter creſcens ampliaretur atque illuſtraretur magis, in præpoſituram evectum, Neomonaſterium vero omnino depreſſum ac extenuatum eſt. Pietatem vero atque venerationem antiquitati debitam exhibituri memoriam ipſius ab oblivione hominum vindicabimus, atque præterita ejus præſentiaque fata poſteritati conſecrabimus.

§. 5.

Novi monaſterii ſitus, atque commoda.

Neomonaſterium autem ſitum eſt in meditullio fere Holſatiæ ducatus, atque confiniis Wagriæ Stormariæque, cinctum ericeto amplo aſperoque inter paludes crebras. Diſtat Hamburgo 8. Itzehoa 5. Lubeca 7. Segeberga 3. Kilonio 4. Rendsburgo 5. Sleſvico 8. milliaribus. *Jo. Ranw. in Coſmograph. p. 501.* civitatis nomen ac longitudinem 27. gr. 70. min., latitud. 55. gr. 16. min. ipſi tribuit. Fluvius hunc vicum alluens Swala, qui haud procul a finibus parochiæ Bornhoefft ex loco, quem vocant Swalenbrock, originem trahit & ab oriente Halenbeeca & Doſenbeca amnibus receptis flexu haud inamœno juxta planitiem Brachfeld Neomonaſterium verſus decurrit, molendinas nonnullas agit, & prope Wittorpium in Storam influit. Loco, qui ambos conjungit, & octo ſtadia Neomonaſterio ex regione africi abeſt, exiguus quidam ſaltus reperitur, cui etiam nunc ab arce nomen eſt; ſiquidem ibi latronum quondam ſpeluncam fuiſſe credunt, cujus adhuc mœnium & foſſarum quædam conſpiciuntur veſtigia. Haud deſtituitur hic fluvius egregiorum piſcium copia: utpote lucios, percas, & aliud quoddam genus Haſſeln dictum, a communi quodam, cui nomen fecerunt a rufis oculis, hac in re diſtinctum, quod eosdem albos præ ſe ferat; item fundulos, rapos, quos adulterinum genus carpionum putant, truttas ſalmonum referentes ſimilitudinem, anguillas, murænas, cancros aliosque alit. Etiam cum ex refluxu maris Stora maxime excreſcit, in vicinia Arpſtorff, qui pagus ad milliare a Neomonaſterio remotus eſt, ejus rei ſigna conſpicua ſunt. Navigabilis hinc jam in parte ducali fit Swala; nec absque re putaverim, ipſum hunc fluvium navibus quondam Neomonaſterium usque devehendis inſerviiſſe, cum HELMOLDUS l. 1. c. 48. not. 8. & c. 55. not. 1. it. *chronica Slavica* c. 29. hunc locum *portum* appellent *Falderenſem*, niſi forte hoc vocabulo

to tutum aliquod receptaculum improprie significari malis. Hac inundatione certis anni tempestatibus fit, ut passeres sive rhombi (Bütte) sese dulci committant aquæ & copiose admodum capti per semestre spatium dein piscinis asserventur. *Latinus* ille *Poeta ster*, qui *Vicelini vitam* sibi conscribendam sumsit ab *Ep. Lindebrogio* historiæ Archiepiscoporum Bremensium junctam, ex hoc amne effingit hirundinem avem; dum refert, Vicelinum Neomonasterii terra conditum, hæc subnectens; *defuncti vero cineres adlambit hirundo:* ast paulo post l. c. memorat, *a modico fluvio, qui vulgo vocatur hirundo*, sive ex ejus fonte & nido maximam ecclesiarum cœnobiorumque frequentiam, qua Travæ ora consita est, usque ad Balticum mare ac ulterius protensam excluisse quasi atque hinc progenitam evolasse (a). Hujus vero poetæ arundiferæ potius, quam hirundiferæ Swalæ descriptionem eruditis versibus generos. domini Henr. Ranzovii pensabimus:

Saltibus ex gelidis Bordesholmensibus ortum
principiumque suum Swala palustris habet,
atque monasterii, quod de novitate vocatur,
oppidulum cursu præterit inde suo.
Tandem non uni molitori commoda præbens
per Storam in Albiacis exoneratur aquis.

Petr. Lindenb. hypotyp. arc. Ranz. p. 233. Dum vero *Presbyter Brem. contin. chron. Slav. c. 13. p. 22.* edit. *Leibnit.* hunc fluvium, nisi mendum subsit, *Sale fluv. quod per villam Nigenmunster transit*, nuncupat, verum ejus nomen Swala nimirum tanto dilucidius hic significari, atque adeo restitutum facile patet.

§. 6.

Appellatio ejus varia.

Sed ut ad nostrum redeamus institutum, Neomonasterium, *quod de novitate vocatur oppidulum monasterii*, ut modo dicti versus indicant, nomen primigenium mutavit, simul ac Vicelinus hic monasterium instituit. Quondam enim vocabatur Wippendorf & Faldera; duplexque hoc nomen inde retulit, quod etiam nunc vicus ille in duas partes, scil. vicum majorem & minorem distribuatur. Wippendorff, Wippenthorf sive Worpendorf, ut varie apud auctores invenitur, cum puto, locum, ubi jam templum exstat, & jam vicus appellatur minor. Faldern autem sive Valdera vicum majorem designat, ubi Vicelinus novum illud monasterium exstruxit, ibique cum consortibus habitavit. Unde ab hac sede locus potius Valdera, quam Wippendorff, etiam post Vicelini fata, cum novum monasterium jam constitutum erat, nuncupatus est *Falderensis pagus, domus Falderensis, monasterium Falderense, quod novum dicunt; fratres de Faldera, collegium Falderense &c.* Quod nomen utrumque jam ista Neomonasterii appellatione continetur, ut habet *chron. Slav.* c. 20. edit. *Lindebrog. Ecclesia Falderensis, quæ alias dicebatur Wippendorf, quam fundavit Vicelinus vocata est monasterium Nigemünster:* & ibid. *c. 26. Faldera, quæ nunc dicitur Nigemünster.* Utrum vero voces Wippendorf atque Faldera ex Saxonum & Venedorum lingua repetendæ sint, *Presbyter Brem.* edit. *Leibnit.* cap. 19. p. 44. & *Bangertus* in not. ad *Helmold. l. 1. c. 47. p. 115.* b. & *C sp. Danckwerth* P. III. c. 4. p. 142. volunt id quidem suo relinquere loco satius duco, nec primitiva, quæ sunt radices vocum, etymologorum more hoc quidem loco examinare satago. In ducatu atque homonymia Slesvicensi & quidem in Nienharda infra Esgens templum in Flensburgensi præfectura situm ejusdem nominis pagum Wippendorf reperire licet & in Horsbullharda præfecturæ Tunderensis aquis submersum Wippenbull litterarum documenta indicant, item Valdera in Frisia cis Emdam. de qua *Ubbo Emmius rer. Frisic.* in indice sub voce *Valdera* evolvendus. Jam vero hæc loca, licet ultra Germaniam Venedorumque terras sita sint, id nominis cum binis istis commune habent.

§. 7.

Situs incommoda.

Externus loci situs atque positus is fuit adventante Vicelino, ut eum historici parum jucundum nobis sistant. Quamvis enim alias sacro ordini adscriptis utriusque sexus, accrescente ipsis auctoritate & papali vigente dominatione, facta erat potestas, loca amœnissima campos jucundissimos vallibus atque silvis frequentes, fundum optimum atque opima jugera, medullam totius regionis dulcissimam, prædia situ acceptissima suavissimaque, tractus piscationibus atque venationibus insignes sibi venturæque, quam sperabant, posteritati deligendi; siquidem omnia ac singula cœnobia tam in his, quam aliis regionibus reperiuntur, silvis, campis, pratis, planitiebus ac lacubus, prospectu egregio ac præcipue arvis lectissimis abundantia atque largi ex hoc fonte pecuniæ, pecorum, frumenti, piscium, ferarum aliarumque rerum proventus emanare soleant: hic tamen locus plane aliam præ se ferebat faciem, ita ut ea ætate adhuc barbara præter templum Nuinosum & regionem horridam hic loci Vicelino nihil spei ostendebatur, nisi forte summi numinis honorem promovendum ac paganorum conversionem præmii ac divitiarum loco habuerit. HELMOLDUS sancti Vicelini discipulus, postea Presbyter Bosoviensis ad lacum Plœnensem, ejus injucunditatem fere horridam ita delineat: *Cumque* (Vicelinus) *pervenisset*

(a) An huic subsidio esse possit, quod Comitum Lippensium ob comitatum Swalenburgensem ipsis addictum insignia hirundinem stellæ innixam exhibeant, de quo vid. *Hammelmannus lib. 1. de fam emort.* p. 72. hincque haud vituperandus scriptor noster, qui hac comparatione usus fluvium Swalam hirundinem dixerit, alii dispiciant. Ceterum & Swala mulieris quoddam nomen & isti, quæ primum virginibus sacris Hervordiæ Westphalici tractus præfuit, quondam proprium Ludovici Pii & Lotharii Impp. ævo cc. a. 819. vid. *Kettner. hist. eccles. Quedlinburg.* supplem. p. 99.

nisset ad locum destinatum, perspexit habitudinem loci, campumque vasta & sterili myrica perhorridum, præterea accolarum genus agreste atque incultum, nihil de religione nisi nomen tantum Christianitatis habentes, cet. cap. 47. p. 115. n. 6. & cap. 73. hæc regio vocatur *angulus horroris & vastæ solitudinis* p. 168. Quin & idem circa annum 1170, dum Venedorum tractum describit, *omnis* inquit, *Slavorum regio incipiens ab Egdora (qui est limes regni Dacorum,) & extenditur inter mare Balticum & Albiam per longissimos tractus usque ad Zwerin olim insidiis horrida & pæne deserta*: unde facilis est conjectura, quod termini Wagriam & Holsatiam Daniæ committentes parum amœnitatis sibi adjuncti habuerint. Facies extorris atque longissime patentis ericeti, mixtis paludibus in dorso Cimbriæ per mediam Stormariam, Holsatiam, Slesvicum & Daniam continua serie per aliquot dierum iter excurrentis, pristinam incultissimæ quondam regionis imaginem adhuc satis adumbrat. Ita & locus in ditione Steinburgensi Helle dictus nomine suo, quod ab inferno repetitum est, rapinis ac cædibus infestum atque exsecrabilem ipsum fuisse, liquido prodit: inprimis cum hi incolæ ab *Helmoldo* & *Arnoldo* isto ævo nominentur *viri absque misericordia & humani sanguinis avidissimi fusores, onagri indomiti, qui soliti erant furari, quæ rapere non poterant*. Quin & *Esbernus Snarre Lundensis* in Scania *Archiepiscopus* Absolonis frater anno 1187. cives suos ad expeditionem in terram sanctam cohortans, inter alia, quæ ad persuadendum faciebant, memorat priscas majorum, Longobardorum scilicet, migrationes & periculose facta itinera, in quibus etiam locum, qui ab inferno nomen habet, & adjacentem vastam solitudinem eos penetravisse refert, eam tamen peregrinationem discriminis pleniſſimam rite atque feliciter perfeciſſe. Hinc pergit: *Per Normanniam, quam vastavimus, revertamur ad Angliam & Norwagiam remigrantes ad orientem, mentionem faciamus de Finnis, Sembis, nihil de Slavia relinquentes a termino, qui dicitur Hel, usque ad vastam solitudinem, quæ conjungit Slaviam, Holsatiam atque Daciam; & sic pæne totum orbis circulum feroci audacia pervagantes suæ subdidere ditioni.* Vid. *Comment. histor.* de *profectione Danor.* in *terram sanctam* edit. *Kirchmann.* cap. V. p. 132. Quid dicam de silva spatiosa, densa, impeditissima & a ferreo fere robore Isernlohe dicta, cujus tractus tum ex silva Saxonica prope Lauenburgum per Oldesloam, Neomonasterium, versus Borsholmiam, Kiliam, & porro per saltum ibi proximum, quem vocant tenebrosum, silvam Danicam, Schnellmarckam, Eckernfordam; ac tandem juxta Sliam fluvium usque ad Cropperbusch pertingens, hunc locum inprimis horribilem, periculosum & tremendum reddebant, cum & plerique incolarum gentium sacris addicti erant. Nam quamvis Holsatia, Jutia & Dania assidua S. Anscharii & fidelium ejus sectatorum Archiepiscoporum Hamburgensium sive Bremensium cura in Christiana religione jam rectius instituræ; cum veteribus tamen Holsatis ad Swentinam vicinisque eorum circa Lubecam accolis Venedis Wagricis & Slavis res minus prospere succedebat: tantum enim aberat, ut ad Christianam religionem & humanam perducerentur mansuetudinem, ut potius veterem cultum profanum consuetasque ipsis rapinas atque cædes pertinaces tuerentur. Hinc etiam factum, ut jam ante Vicelini ætatem hic locus Wippendorf & Faldera, quippe Suentina tantum prope Bornhovedam a effera hac gente sejunctus, sæpe invaderetur atque misere vastaretur. Unde & procul dubio factum, ut ibi incolentes modo Holsatis modo Wagris a scriptoribus istius ævi accenseantur atque appellentur *rebelles Holsatorum, gens bruta, gens libera & cervicosa, gens agrestis & indomita detrectans ferre jugum pacis, gens Holsatica cervicosa & agrestis, avari, insatiabiles, proniores tributis augmentandis, quam animabus domino conquirendis: Slavi prope Holsatiam demorantes barbari, gens frontosa atque thorosa: terra inhospita, idololatræ & piratæ.* Ita & HELMOLDUS noster *indomiti Holzatorum animi* l. 1. c. 91. *Holzati cervicosi* c. 92. p. 210. *natio prava ex perversa* l. 1. c. 41. in fin. & 43. item: *fuit præterea Slavorum genti crudelitas ingenita, saturari nescia, impatiens otii, vexans regionum adjacentia terra marique l. 1. c. 52.* nr. 4. *Athelbero* archiepiscopus Hamburg. in *concessione sua* a. 1136. de Neomonasterio data Vicelino imminens ab illis discrimen & perversam indolem Wagrorum his verbis profitetur: *quoniam præ feritate gentis barbaricæ illius in prædicta terra* (Slavia) *stabilem mansionem habere non poterant, ad repensationem & sustentationem eis concessimus ecclesiam quandam in fine Holsatiæ, quam apud veteres Wipenthorp, apud modernos vero Novum monasterium vocatur: Henricus Leo* in *diplomate fundationis*, quod dedit episcopo I. Swerinensi Bernoni hanc *terram* vocat *Slavorum transalbinam in loco horroris & vastæ solitudinis*, circa a. 1170. & *papa Alexander* in *confirmatione* anno 1177. data, Venedos hos vocat *barbaras nationes* eosque comparat cum *draconibus & struthionibus, qui ignorabant dominum & ante captivi laqueis diaboli tenebantur.* Vid. ERP. LINDEBROG. *diplomata* n. 59. & 69.

Vicina gens Venedorum immanis.

Incolæ barbari.

§. 8.

Vicelini institutum.

In hunc locum horridum Vicelinus concessit, ut memoratus antea poeta apud *Lindenbrogium* porro habet l. m.

doctorem mirum Deus advexit Vicelinum
istas in partes, Satanas ubi triverat artes,
instituens furtis homines utique rapinis
& scelerum morbis, quibus impius interit orbis.

Regionem hanc inamœnam Vicelino scopus, quem religiose intendens sibi præfixerat, adeo amœnam reddidit, ut hic domicilium collocare ac collegium religiosorum instituere animo sibi proponeret, haud curans jucunditatem & delectationem opimæ, fertilis & amœnæ regionis, sed uti *Helmoldus* paulo post c. l. vocavit *orationibus*, inquit, *& jejuniis, austeritati*

ciborum temperantiæ omniquæ conversationis perfectioni cet. Habuit quidem hic locus jam ante Vicelini adventum ædiculam quandam ligneam; quam vero, cum permultos annos derelicta jacuisset, pius Vicelinus reficiendam sibi sumserat. Unde & hanc propter ipsius antiquissimam ætatem primam omnium in stricte hic dicta Holsatia ædem sacram reputant. Sæpius jam dictus iste rhythmorum magister apud Lindenbrog. ejus memoriam ita propagavit:

Wipenthorp venit (Vicelinus) ibi sedem ponere cœpit,
clerum collegit, fratres sub jura redegit,
Religio crevit, quam disciplina subegit,
ecclesiaque locum nomen mutavit, & ipsam,
quam modicam reperit, in majorem reparavit;
nomen adoptavit de jure novumque vocavit
idque monasterium bene convenientibus aptum
Christo devovit fieri, cui vivere novit.

Quanquam vero hic auctor de ejus ætate & ruina annosa nihil memorat, *Presbyter* tamen *Bremens.* Helmoldi *continuator* adpellatus c. 13. p. 22. edit. *Leibnit.* perspicuam hanc de ea relationem nobis suppeditat: *Hic sanctus Vicelinus partes Holsatiæ adiit & villam Vippendorf, alias Faldere, in qua capella lignea constructa fuit & per longa tempora deserta, in possessionem recepit, ac ibidem monasterium construi fecit, a quo Nigenmünster per amplius vocitatum fuit. Ista capella igitur prima fuit in tota Holsatia* &c. Puto equidem, quod prima hæc ædicula Wagris proxima, in qua hic loci degentibus jam prima cognitionis divinæ elementa inculcata essent, Vicelino occasionem & ansam dederit hunc locum sibi deligendi, quoniam eo tempore nemo eorum, qui puriorem alios docebant religionem, propter diras Wagrorum persecutiones ultra Suentinam extra Holsatiam) progredi auderet: ut itidem *Presbyter Bremens.* l. c. *nam illis diebus tota terra Wagrorum scilicet Plöne, Oldenburgh, Lütkenburgh & prope a flumine Egdora & a flumine Sale (Swale), quod per villam Nigenmünster transit usque ad mare, in Lübeke, in Kyl & usque ad finem mundi versus aquilonem fides Christi in partibus illis nullibi habebatur. Et si aliquando habita fuerat, tamen quasi per octoginta annos omnes a fide Christi declinabant.* p. 2. Patet hinc quodammodo, quod Holsatiæ incolæ multo citius Christianam admiserint religionem, quam Wagri. Cum autem Pribislaus & Nicolotus sævissimi Christianorum essent hostes (ita GEORG. FABRIC. lib. 2. *rer. Saxon.* p. 189. ad ann. 1133.); Vicelino laude dignissimo Neomonasterii meliora expectanda tempora, usque dum occasione enata quædam in Wagria templa, inprimis ea, quæ fuerant Aldenburgi & Lubecæ, restituere posset. Indefessa vero ejus opera & contentione tandem factum est, ut ex ædicula dilapsa Wippendorfensi novum templum & cœnobium Falderense jam Novummonasterium, collegium Neomonasterienſe Nygenmünster emergeret, quorum illud adhuc totum supereſt; hujus vero tantum pars, quæ aptata est domui præfecturæ (*).

§. 9.

Appellationem hanc Novimonasterii (Neumünster) referri ad aliud quoddam atque indigitare antiquius satis manifestum est. Cum vero in his terris & ducatibus nullum aliud præter Munsterdorpium ad Storam Itzehoæ & Bredebergæ intermedium, quod semper præposituræ nomen tulit, liquidem cum ossa Materniani in vicino loco condita Hilligenstede, episcopi Anscharii ævo peregrinationibus religiosis illuc faciendis ansam darent, Archiepisc. Hamburg. s. Bremens. Adelberto patriarchatum apparanti ob templum Munsterdorpiense atque pagum, qui dicitur episcopus, prope Wilstriam situm subnata est occasio ibidem quoque instituendi episcopatum: unde mihi fit conjectura, Munsterdorp. ab eodem jam ante Novum monasterium conditum, fuisse institutum atque hinc hujus nominis originem esse derivandam. Quodsi enim eandem ad restaurationem ædiculæ Wippendorpiensis collapsæ trahere velis, poriori jure nova ædicula (Neu-Capell audiviſſet; in primis cum hæc ce procul a monasterio distaret, cœnobium vero ipsum sive monasterium ædificio gauderet peculiari, atq; alio loco intra Falderæ limites de integro exstructum esset. Sed ut hæc suo relinquam loco, Novimonasterii ædificatio feliciter perfecta, usq; dum monachorum ad Bordesholmi regionem sponte susceptо abitu, antiquata est atque collapsa: de quo deinde dicemus amplius. Quemadmodum vero juxta tritum, omne principium grave est, non unam novum hoc ædificium Vicelino creavit molestiam atq; progressibus moram id inprimis injecit, quod pluribus locis simul propagandæ religioni Christianæ atque doctrina rudiores imbuendo strenue operam daret, sociis suis alimenta parandi atq; præter hanc ædem sacram alias alibi struendi cura premeretur.

Appellationis ratio.

& cœnobii initia.

§. 10.

Vicelini quondam imaginem scite delineatam exhibuit vitrum quoddam in sacrarii Bordesholm. parte boreali conspiciendum; proprio vero nisu quidam fenestrarius, cum reficiendis ibi fenestris vacaret, id clam sustulit, atque erutas ejus particulas plumbo conjunctas cimelii instar secum servavit. Quod sane factum cum a sacrilegii culpa haud multum abesset, suspicio sublati in eum incidit atq; temeritatis insignem notam ferens turbas concitavit non exiguas: rei tamen haud convictus, etiam cum provecta satis ætate nonagenarius ille decederet, furtum studiose celavit; ejus vero uxor a. 690. animam agens, rem sacrorum ministro, qui ipsi erat a confessionibus, indicavit atque vitra tradidit, ut suo restitueret loco: hic vero pari ductus curiositate æque eam detinuit effigiem, nec unquam illa rediit, unde detracta fuit. Quem

Vitæ Vicelini descriptio, ejus quondam effigies Bordesholm.

(*) Nostra ætate non minus pio inservit instituto; atque dicatus is locus est ergastulo, ad sceleratorum improbitatem coercendam.

locus natalis, Quem defectum ut farciamus, vivis quasi coloribus ejus imaginem exprimere studebimus. Natus is est Quernhamelæ, quæ quondam vicus fuit episcopatus Mindensis in circulo Westphalico notissimi ita dictus ab Hamela fluviolo, qui ex oris Brunsuicensibus in Visurgim decurrit, villaque publica HELMOLDO L. 1. cap. 42. p. 108. audit; nostro autem ævo urbs inclyta Hamela simpliciter dicitur. Hic loci in lucem editus Vicelinus

parentes, noster circa annum 1086. *parentibus* quidem, ut ait *Helmoldus* L. 1. cap. 42. *morum magis honestate, quam carnis & sanguinis nobilitate ornatis:* atque sacro initiationis Chri-

nomen, stianorum fonte tinctus nomen tulit Wessel, quod latine Viscelinus audit, ac forte apud Gallos juxta dialectum ipsis consuetam elisa littera S Vicelinus dictus id nominis postea

institutio, retinuit. Primam ætatem apud parentes exegit, qui eum optime instituendum curarunt, atque in disciplinam tradiderunt Canonicis Hamelensibus; quorum collegium fundavit quondam ultimus Angrivariorum comes Bernhardus; vid. HAMELMANN de *fam. emort.* l. 1. p. 31. primaque ibi cepit latinæ linguæ fundamenta. Sed communi fato ereptis ipsi parentibus cum adultam ætatem liberius vivens non satis recte collocaret & moram in litterarum studiis provehendi sibi ipse poneret, tandem resipiscens atque pudore & egestate ductus apud exteros sibi rectius consulere statuit.

§. 11.

Sustentatio, Primum victum sibi paravit apud feminam præcipuæ stirpis comitem Eberstеinensem Conradi matrem, cujus liberos erudiendos in se susceperat. In ejus domicilio Everstеinia dicto, quod haud longe Hamela abest, loco, quo jam arx atque præfecti Guelpherbytani sedes Forsta exstat, aliquamdiu commoratus est, atque in filiorum numero liberaliter habitus ob singularem ipsius modestiam ac virtutem. Sed invidiam concionatoris ibidem aulici, hominis magis profanis poetarum studiis, quam prophetarum atque sacrorum lectioni dediti, subiens hunc aucupantem, qua ratione eum gratia comitis privaret atque ex aula eliminaret, effugere haud potuit; Ad convivium itaque a comite ibi convocatis pluribus peregrinis, hic Vicelinum cum discipulis suis præsentem varie exagitavit, atque ex eo quæsivit, quidnam hucusque in scholis tractasset didicisset-que: cui debita cum honoris significatione respondit sufficienter; atque inter alia innuit, se Statii poetæ Achilleid. libros pervestigasse. Ille vero inquirens porro præcipua hujus momenta, locum quendam satis vexatum atque inprimis ambiguum Vicelino explanandum proposuit. Hic noster perturbatus hæsit, atque animi motum rubore suffuso prodidit. Quo facto ille Vicelinum acerbius verbis perstrinxit, atque ipsi invi-

qua cujusdam invidia privatur.

dioſius ex scholis vix egressum atque ignorantiam exprobravit prolixe. Hinc mox discedens Vicelinus nec vale quidem dicto scholam egregiam circumspexit, atque ruditatem sibi objectam vincere indefessa statuens diligentia in Westphaliam trans Visurgim contendit. Paderburnæ vero animorum officinam sibi legit: quæ olim Poduli fons dicta jam Caroli M. ævo episcopalis sedes constituta atque collegio quodam aucta fuit, ubi ea ætate sacer cultus atque scholastica disciplina præcipue vigebant; nec enim prioribus ab invecta Christiana religione sæculis præter Romanam, Bononiensem & Parisiensem plures exstabant academiæ peculiares, quæ tunc vocabantur studia generalia, sed templis episcopalibus atque canonicorum collegiis magistri, scholastri, lectores atque præceptores adjungebantur, qui per classes dispositi edocerent Theologiam, Philosophiam, Medicinam, Grammaticam atque reliquas fere artes omnes, quemadmodum factum legimus Corbejæ (**) quæ prima fuit Saxoniæ academia atque postea Bremæ (***), quæ hinc altera quasi Roma nuncupabatur, unde Dania, Svecia, Norwagia, Gothia atque amplissimus borealis tractus suos acceperunt religionis atque artium doctores; postquam vero monachi reditibus augerentur, in pejus ruit disciplina, atque ipsi canonici irregulares facti litterarum studia plane non curantes luxui atque libidini indulserunt. Inter præcipuas illius ævi scholas florebat collegium Paderbornense, quod clariss. Magister Hartmannus fidelis ibi præceptor egregie instruxerat atque formarat, ut strenue ibi præcipua colerentur litterarum studia. Huic Vicelinus se tradens ingenue egestatem atque quondam admissam negligentiam, jamque discendi ardorem confessus est ac optima quævis spospondit, qui ejus misericordia atque amore ductus, habitaculum, victum, institutionem, ac quævis necessaria ipsi suppeditavit munifice. Noster vero pietate in Deum, obedientia præceptori debita & in studiis assiduitate haud ulli concessit; nec quædam luxuria, libido vel desidia eum ab ingresso studiorum curriculo unquam avocavit. Qua ratione levioribus emensis Theologiæ operam navavit, parique id genus studiorum sustinuit diligentia coluitque impense adeo, ut a magistro sæpius commonitus fuerit ad dandam corpori requiem mentisque viribus nimium contentis aliquam relaxationem.

Paderbornensem hinc frequentat scholam;

tunc inprimis celebrem;

ejus solertia

§. 12.

Sed nihilo secius instituto inhærens atque negligenter collocatæ adolescentiæ jacturam pensare data jam sibi occasione serio studens auxilium divinum ardentissimis efflagitavit precibus; atque eo usque provexit, ut ad sacra ecclesiæ Paderbornensis obeunda vocaretur: simulque præceptori suo collega atque adjutor datus, discipulis egregium virtutis præbuit exemplum fideliterque eos formavit. Visi-

munus scholasticum,

(**) De hoc argumento pluribus egit JO. LAUNOIUS tract. *de scholis celebr. a Carolo Magno instauratis* edit. *Fabric.* p. 71.

(***) c. l. p. 119.

ejus visiones narrantur; Visiones ipsi divinas tenera ætate factas quidam tradunt, conf. *Chron. Holsat.* cap. 13. p. 21. (edit. *Leibn.*) Patronum atque pro more istius seculi tutelarem sibi legit genium D. Nicolaum. Factum narrant historici, quod, cum Vicelinus sancti hujus, quem putabat, anniversarium diem nomen ejus referentem consuetis solemnitatibus celebraret, convocatis in sacello S. Brigittæ amicis, post absolutas matutinas preces ac vespertinas audita sit vox quædam angelorum cum responsorio hoc adjuncto: *Beatus Nicolaus jam triumpho potitus*, cet. *Accessit ergo*, inquit HELMOLDUS hæc referens L. 1. c. 42. in fin., *Vicelino gaudium de miraculo & de gaudio cumulata devotio.* Cognatum sibi habuit Ludolphum quendam sacrorum apud Venloenses civitatem Geldriæ ad Mosam ministrum, qui vitæ sanctitate eximiam acquisiverat famam reliquisque exstabat exemplum quod imitarentur, idemque doctrina præstans & peccata confitentibus inprimis acceptus totique viciniæ gratissimus atque in præcipuo honore habitus; quem Vicelinus noster sæpius adiit atque ejus confirmatione peccatorum oppressus mole usus est, cujus virtutes sibi æmulandas proposuit. Vitæ vero hujus viri exitum descripsit HELMOLDUS cap. 43. p. 109. Hic cum e vita excessisset, Vicelinus Paderbornæ adhuc aliquamdiu egit, fortasse scholastri, ut appellant, & cantoris munere fungens, usque dum Bremam, ut scholæ ibi præesset, evocaretur. *Chron Holsat.* apud *Leibnit.* cap. 13. eum vocat *scholasticum in ecclesia Bremensi*; HELMOLDUS vero refert, quod *magister scholis curandis præditus sive præfectus sit, fuitque* pergit idem, *in regendis scholis vir valde idoneus, curator chori, eruditor juvenum, forma honestatis denique discipulos, quos antea mos præcipitatus agebat, reddidit artibus ingenuis & in cultu Dei & frequentia chori religiosos.* Unde & ejus temporis Archiepiscopo Bremensi Friderico Humberti successori & Adelbertum antecedenti ac reliquis præcipuis sacri ordinis viris probatissimus fuit, nonnisi iis molestus atque invisus, qui religionem atque disciplinam abjecerant omnem, atque hinc illius forte incurrebant animadversionem atque indignationem. Cui quidem cum omnibus modis detrectarent, nil quicquam tamen criminis conjicere in eum potuerunt, quam eum nimis severam in juniores exercere disciplinam, atque hinc eos ex scholis aufugere; sed moratiores atque institutionis patientiores egregium inde retulerunt fructum, doctrinaque exculti præstantissimos honorum gradus sunt consecuti. In eorum numero fuit Thetmarus seu Ditmarus quidam, inprimis *Helmoldo* laudatus, qui & ejus conceptionem miraculis stipatam tradit: nimirum matri ejus eam fuisse præsignificatam visione nocturna, quæ auream crucem in ipsius gremium demissam ostenderet. Hic Vicelini dein alumnus atque domesticus factus adeo ex ipsius disciplina profecit, ut post aliquot annorum spatium Parisiensem academiam ipsi comes commearit. Ex officio hoc rectoris scholastico Vicelinus sæpius magister audit, quod quidem nomen ea ætate ecclesiæ doctoribus atque scholarum canonicarum præceptoribus fuit commune, quamvis nunquam in academiis eo titulo solemniter a professoribus condecorati fuerint: postea vero vocati sunt patres. Rei documento esse potest Adamus Bremensis Canonicus, qui Vicelini ævum antecessit sæculo XI, qui sæpius vocatur magister: ac ipsæ etiam sacrarum virginum antistites feminæ tunc audiverunt magistræ, (vid. JAC. WENCKERI *de Usburgeris additam* ad II. *disquisit.* p. 26. 98. 99.), quæ nostra ætate dominæ vocantur.

ipsi cognatus Ludolphus Venloens. hujusque laudes.

Vicelinus Bremensi scholæ præfectus,

magistri titulo insignitus unde?

§. 13.

Vicelinus jam plurium annorum spatio rite ordinata Bremensium schola bene rem sibi successere gaudebat, eamque aliis tradens secum constituit ad Gallos excurrere ibi altiora culturus studia: ægre quidem annuente Adalberto ecclesiæ cathedralis præposito; singulari tamen sibi facta revelatione commonitus adsensit atque facile eum dimisit. Eo vero delati Vicelinus atque Thetmarus Rudolphi atque Anselmi se tradiderunt institutioni, qui tum inprimis sacrarum litterarum habebantur peritissimi; & ob morum integritatem discendique cupidinem illis pergrati atque accepti semper fuerunt. Vicelinus hic præcipue operam dabat, ut resectis inutilibus quæstionibus atque tricis ea addisceret, quæ sensum veritatum revelatarum illustrant atque vitæ hominum emendandæ inserviunt. Quem scopum sibi præfixum cum adsecutus esset, severiori adsuescere vitæ generi secum statuit, atque ut eo magis summi Numinis honorem promoveret, carnis esu abstinuit, veste linea crassiore usus & se unice reipublicæ sanctiori dicavit. Nec ordini cuidam se hucusque addixerat, metuens, ne forte dignitatum quodam fuco obcœcatus in devia abriperetur. Triennio vero Parisiis exacto atque ætate jam confirmatiori patriam repetendi consilium iniit, atque ordini cuidam sese adjungendi. Fiebat vero eodem tempore, ut Thethmarus fidus ipsi socius morbo tentaretur gravissimo; qui Deo lacrimans supplex factus, ut Vicelini gratia, qui ob singulares ingenii dotes virtutemq; eximiam deo hominibusque acceptissimus esset, servaretur, ad sanitatem rediit & cum præceptore suo in Germaniam contendit. Sed ex hac itineris societate contracta inter eos consuetudo gravissima mox interrupta fuit, cum Thetmaro reduci illico præbenda, ut vocatur, Canonici Bremæ deferretur, atque ea initiatus ab illo abstraheretur. Vicelinus quidem idem muneris sibi oblatum modeste detrectavit, animo ipsi præsagiente, ad majora se servatum iri atque jam destinatum esse. Hinc Magdeburgum concedens ad Archiepiscopum Northbertum tam am hujus gratiam meruit, ut ab ipso sacerdotium ferret loco scholastici illius oneris. Sed ne tempus atque operam vane collocaret, ecclesiam circumspexit, cui præsertim opera a se impensa prodesse posset, & ubi vineam domini fidi instar operarii

Ejus iter Gallicum comite Ditmaro;

qui doctores sibi legerunt Anselmum & Rudolphum.

Studia ibi tractata,

& vitæ genus

post triennium redi-tus.

severus improborum censor,

Ditmarus ejus discipulus præstans.

Ditmarus fit canonicus Bremens. idem renuit Vicelinus, Magdeburgum concedens, ubi sacerdos factus,

operam suam consecrat Slavis ad frugem Christianam rediigendis.

rarii strenue coleret. Ad convertendas itaque trans Albim gentes intentus, ad Slavos Venedos, Holsatis ad mare balthicum vicinos, populum effrenem atque immanem plane, qui Wagriam, Raceburgum, Mecklenburgum atque adjacentes iis ditiones tenebant, atque ante 84. annos religionem ibi vigentem exstirparant penitus ædesque sacras Plœnæ, Oldenburgi, Lutjenburgi Lubecæ, alibique constitutas sibi vindicarant, ire decrevit.

§. 14.

Oldenburg. episcoporum primordia.

Notissimum vero est, Ottonem I. Rom. Imp. jam A. C. 948. & sequentibus episcopatum in Wagria Oldenburgensem matrem episcopatus Lubecensis instituisse, qui per 118. annos usque ad ann. 1066. ægre quidem sustentatus perduravit. Quorum episcoporum hanc seriem habe: 1) Marcus seu Marco, Ottonis M. Cancellarius, simulque episcopus Haddeburgensis s. Slesvicensis, qui præfuit annos XIX. 2) Eduardus s. Eggewardus itemque Edwaldus dictus, Ecwardus, Evagrius & Berwardus, forte Ewoldus, anno 971. annos XIV. mortuus 985. juxta alios 987. 3) Wago, forte Wigandus, ex stirpe nobili, sublatus ab affine suo Billugo. 4) Erico. 5) Volcquardus s. Folchardus, qui ob persecutionem acerbam in Norwegiam effugit, ibique Christianam promovit religionem, Bremæ tandem animam reddidit. 6) Rembertus, Reimbertus s. Reginbertus, Remertum puto. 7) Benno a. 1015. Hildesiæ decessit a. 1031. 8) Meinerus s. Meinhardus, ab aliis dictus Reinerus, Reinholdus & Reginoldus; præf. IV. annos; mortuus anno 1032. aliis 1033. 9) Abelinus circa annum 1036. 10) Ezo, circa ann. 1066. trucidatus. Jurisdictionem quondam exercebat episcopus Oldenburgensis per totam citeriorem ditionem Vandalicam a Sventina in finibus Holsatiæ usque ad Penam urbemque Deminum. Cum vero Adelbertus Magnus, natus comes Palatinus ad Rhenum, Friderici Palatini frater, archiepiscopi Hamb. & Brem. sustineret munus, post fata Abelini episcopatum hunc in tres alios dispertivit adjunxitque a. 1051. (aliis est 1058.) Raceburgensem & Mecklenburgensem; qui jam dicitur Swerinensis, tum ut dignitatem sibi conciliaret ampliorem atque patriarchatum stabiliret, quam ut molestos parasitos episcopos peregrinos aliorsum transmittens a se amoveret, siquidem ADAMUS *Brem.* ejus coævus L. 3. c. 22. & ex eodem ALBERTUS *Stadens.* p. 128. ad ann. 1058. ALB. CRANZIUS *L. 4.* Metrop. c. 39. & alii passim testantur, Abelini episcopi Oldenb. & Godscalci Venedorum principis ævo universam Wagriam ac terram Mecklenburgensem templis & religiosis utriusque sexus repletas fuisse, cum urbes Lubeca, Oldenburgum, Raceburgum, Lenzena cœnobiis gavisæ sint, inprimis vero Mecklenburga tantum tres illorum pro suis aluerit. Quamvis vero plures episcopi in Venedorum ditione constituti essent, incrementa tamen capere Christiana religio in signiora haud potuit; immo vero sub episcopo X. Ezone persecutiones adeo invaluerunt, ut Godscalcus Christianis favens trucidatus idolorum cultus antiquus reductus, episcopi & sacerdotes expulsi sint, & præsertim episcopatus Oldenburgensis per 84. annos ab omni cultu divino vacuus atque privatus exstiterit.

& series

Episcopatus hic divisus ejusq; ratio.

Res Christiana apud Venedos afflicta

§. 15.

Qua commotus Vicelinus,

Hæc mire affecerunt Vicelinum, cum videret tantam moram probe jam constitutæ rei Christianæ injici eamque pessumdari, omnia templa ac cuncta sacella prostrata jacere, ita ut circa annum 1124. inde ab Holsatiæ limite Swentina per totam Wagriam (præter quod Lubeca antiqua in Svartoviæ loco sita religionem servasset diutius) atque hinc porro per ditionem Raceburgensem & Mecklenburgensem juxta oram balthici maris ad Russiam usque ac longius, nullæ ædes sacræ vel Christinnæ religionis vestigia exstarent. Quod tristior hic sacrorum habitus, tanto magis misericordia atque eo sanctiori zelo ductus omni contentione id sibi agendum constituit Vicelinus, ut barbaram hanc gentem Holsatiæ vicinam fide rursus imbueret Christiana. Ansam institutum persequendi peroptatam illi dedit pium Henrici Ducis (qui filius est Godschalci) consilium, qui non obscure significarat, clericis se religionem dira patris morte pessundatam restauraturum & ditiones sibi subjectas Wagriam, Raceburgensem & Meckleburgensem in viam salutaris fidei reducturum. Rumor hic prænuncius quasi erat Vicelino, qui eum ad edocendum in his terris evangelium evocaret: hinc Bremam ad venerabilem episcopum Adelberonem secedens, cujus curæ res harum regionum religiosa demandata erat, illi mentem piam pluribus exposuit. Hic gaudens ejus institutum probavit & cohortatus sedulo eum ablegavit omni facultate instructum ad debellandam superstitionem & puriorem inculcandam religionem. Ingressus est viam ad Venedos plenus spe divini auxilii, sociosque laboris nactus est Rudolphum Hildesiensem & Ludolphum Verdensem utrumque Canonicum. Henricus Dux eo tempore degebat Lubecæ antiquæ, ubi ob frequentiorem ipsius commorationem unicam ædem sacram sibi suisque servarat. Hunc adeuntes licentiam rei divinæ inter barbaros promovendæ petiverunt. Hic quanquam Christianæ addictus erat religioni, subveritus tamen ob prostans cæsi sui patris exemplum est, ne subditis suis oneri esset, cum Clerici decimas quondam violentius extorquendo atque aliis vexationibus ad desperationem & rebellionem eos concitassent; lubens tamen & honorifice eos inter cœtum sibi exiguum suscepit, ac facile in id, quod dudum perfectum optarat, consensit. Ædem quoque ibi residuam eamque unicam ipsis aperuit, in qua huc usque ipse

Henrici Ducis & Adelberonis Archiepiscopi auspiciis

socius Rudolpho & Ludolpho

primum Lubecæ rei sacræ operatur

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ipſe devotioni indulſiſſet, ut in ea libere docerent cultumque divinum inſtruerent. Nec rem ſucceſſu deſtitutam, quin potius in cœtu ſuo devotionem egregie auctam viderunt; hinc gaudentes, e Saxonia plures accire doctores & collegium aliquod eorum ad erudiendos finitimarum regionum incolas adornare conſtituerunt. Ergo abeundi veniam petentes in Saxoniam concedunt, ea mente, ut redeuntes religioſum opus majori cum ſucceſſu urgerent & felicius perficerent. Sed ſpe fruſtrati nuncio mox allato, excesſiſſe e vita Henricum Venedorum Ducem filiosque ejus Sventopolcum & Kanutum denuo inter ſe digladiari acerrime, & cum pace religionem laborantem atque proſtratam decumbere tumultibusque omnia lacerari.

mox interpellatus.

§. 16.

Cum Archiepiſc. in Transalbingiam profectus

Non tamen ſpes, quæ gratia eſt divina, affulſit, cum Archiepiſcopus Adelbero Brema Hamburgum ſe conferret, ut in ora Albis boreali, quæ ratione tractus Bremenſis Transalbiana vocabatur Saxonia, eccleſias viſeret. Huic ſe anjunxit Vicelinus, novam, ubi operam ſuam collocaret, eccleſiam terras has perluſtrando quæſiturus. Cum vero Meldorpii in Ditmarſia commorarentur, advolant incolæ (cives dicuntur in *hiſtor. Archiepiſc. Brem.* num. XXII. *in vita Adalberonis*; in *Inſtrumento* vero *Actor. Bordesholm.* de a. 1349. oppidani in Novomonaſterio) Falderenſes ex Holſatia, qui proxime accolunt Venedos Vagricos circa Sventinam, oraturi epiſcopum, ut ſibi daret doctorem Chriſtianum, cujus ductu cognitione ſalutari imbuerentur, ſpondentes ei commodam ſtationem obedientiamque debitam. Archiepiſcopus Vicelino, cujus ipſi perſpecta erat virtus atque religionem propagandi zelus, hanc ſpartam demandavit, ſuaſitque eo magis, ut cum his hominibus bene affectis proficiſceretur, quo commodior is loci in finibus Holſatiæ & Wagriæ collocati ſitus eſſet, ut facile, ubicunque opus eſſet futurum, ad utriusque incolas Venedosque excurrere poſſet. Vicelinus, cum ſe promtum præberet, ad exſequendum, Archiepiſcopus iterum ex legatis Falderenſibus quæſivit, an ſerio poſtularent aptum egregieque doctum ſacrorum miniſtrum? his affirmantibus, manu adduxit Vicelinum, meliorique de nota eum commendavit Marcrado forte tunc Holſatiæ atque Stormariæ ſub Adolpho I. Comite provinciis præfecto ac reliquis legatis, fideique ipſorum & curæ eum committens juſſit, ut ſollicite digniſſimo huic viro de quibusvis commoditatibus proſpicerent. Marcradum ſive Marquardum hunc HELMOLD. & *hiſt. Archiep. Brem.* in vita Adalberonis eum vocant *præpotentem virum*, *forte jus dicentem* A. CRANZ l. 5. c. 29. *Saxon.* virum primarium; *poeta* noſter ſæpe citatus in *vita Vicelini* v. 234. de eo ita:

Falderenſibus ſacerdotes datur.

Filius Ammonis Marcradus erat regionis;
Præfectus patriæ prudens, vexillifer ipſe.

Tempus, quo Falderam ſive Neomonaſterium venit Vicelinus, ſecundum plerorumque computationem incidit in ann. 1124., cum ver ageretur, ut idem indicat *poeta*, lætumque id omen interpretatur: *a. 1124.*

Anno milleno centeno bis duodeno:
completo verbum, quo ſubluxit caro factum,
dum verno ſole poſt brumam progrediente
Cancri ferventis calor eſſet ſolſtitialis
Doctorem mirum Deus advexit Vicelinum. &c.

Cum vero in eo eſſet Vicelinus, ut pedem hic figeret, conſpexit procul ejus regionem ampliſſima planitie cingi, quæ horridior videbatur ob ariditatem ubivis conſpicuam; moribus rudes invenit ejus incolas atque a priſtina, quæ hic viguerat, deſciviſſe doctrina cujus quondam hic exiſtentis documentum erat ædicula, ibi jam ante Vicelini adventum exſtans, quæ & prima totius Holſatiæ habetur Chriſtianæ religioni dicata jam vero gentibus ſubdita erat, quæ & lucos, arbores, fontes aliasque res vanas divino in honore habebant ſuperſtitioneque omnia polluerant. Accedebat, quod vicini his incolis pejores, ad prædam intenti doctique, Venedi Vagrici late vagantes varia minitarentur pericula. HEMOLD. ſiquidem L. 1. c. 47, hanc *nationem* vocat *pravam & perverſam*; dictusque *poeta*;

Incolarum & finitimorum mores.

Qui (Adelbero) deſperatos medicum direxit ad ægros
Illuſtremque virum ſupradictum Vicelinum
Ad Nordalbingos transmiſit fraude malignos. v. 17. ſeqq.
Ex hoc argueret pravos, ſtultosque doceret. v. 25.

ALB. CRUMMENDYCK *Chron. Lubec.* hac de re durius ſcribit; eum ſcil. *miſſum in terram famis & egeſtatis, ubi erat ſedes ſatanæ & omnis ſpiritus immundi habitatio. Perfidi ob nimiam eorum duritiem*: Item *gens cervicoſa & agreſtis* audiunt *chron. Slavic.* edit. *Lindebr.* c. 5. 21. & 29.

§. 17.

Divino fretus auxilio rem proſpere gerit.

Quo magis ſe deſtitutum omni humano ſubſidio vidit Vicelinus, eo confidentiorem eſſe oportebat divini auxilii, quod & ſupplex exoravit. Divina enim gratia eorum permovit animos, ut diſſipatis ignorantiæ tenebris ſuperſtitionem ejurantes ſalutarem avide ſuſciperent doctrinam atque ad pœnitentiam agendam confluerent. Quod fiebat, ut magna Vicelini fama atque ſingularis in docendo vis ubique celebraretur. Frequens ille concurſus movit etiam longinquiores, ut ex Wagria Plœnenſes, Lutjenburgenſes veterisque Lubecæ incolæ, itemque ex Holſatia, Stormaria, Ditmarſia plurimi Falderam accelerarent, quo novum hunc præconem diſcendi cauſſa audirent, atque mox ſe ad Chriſtianorum ſacra ſuſcipienda accingerent. Vicelinus

linus vero tanto majori ſtudio accenſus curam extendit ad vicinæ Holſatiæ eccleſias eas circumeundo frequentius. Sed unus ille tanto labori, atque curæ ſingularum impar in ſocietatem operis vocabat plures. Unda *poeta:*

Plures advocat operis ſocios,

Clerum collegit fratres ſub jura redegit
Auguſtinus erat, hos qui perſcripta regebat:
nam normam vitæ clero determinat ipſe
v. 42.

Scilicet erat is Auguſtino dicatus ordo in primis ſermonum ad populum habendarum ſtudioſus; & quanquam Bremenſes Canonici eidem addicti cucullum monaſticum una cum regula ipſis præſtitura dudum abieciſſent, ipſe tamen habitum ejus externum junctum cum vitæ ſanctæ integræque ſtudio ex inſtituto Auguſtini ſervabat, ſociisque idem agendum præcepit. Selegit vero ſibi probatos, ſtrenuos atque induſtrios adiutores, Ludolphum, Epponem, Ludmundum, Volquardum aliosque plures. Præcipua illis cura erat circa ædificandas ædes ſacras atque cœnobium inſtituendum, ubi & cultus divini exercitium vigeret fratresq; tuto commomarentur. Sæpius dicta vero exilis illa lignea atque disjecta ædicula eodem loco Wippenthorpii ſita erat, quo jam ædes exſtat lapidea reſtaurata atque audaucta inſigniter: cœnobii autem locus deligebatur in vico majori, quid Faledera nuncupatur, proxime ad portam, quam jam vocitant Kilienſem; uterque hinc vicus in unum coaluerunt Novomonaſterii communi nomine inſignitus. Unde ille:

& Auguſtini ibi introducit ordinem.

Ædes ibi ſtructa,

Itemque cœnobium Auguſtinianum

Eccleſiaque locum, nomen mutavit & ipſum;
Quam modicam reperit, in majorem reparavit:
idque monaſterium bene convenientibus aptum
Chriſto devovit fieri, cui vivere novit.

Dedicata eſt illa ædes in honorem ſanctæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ, cœnobium vero a divo Auguſtino nomen retulit, deinde in præpoſituram evectum. Præter id, quod monachis deſtinabatur, aliud exſtruebant virginibus ſacris dicatum, ut per utrumque ſexum religio eo felicius propagaretur: quod quanto temporis ſpatio perfectum ſit, id quidem latet; exſtat tamen ejus memoria in documentis antiquis inprimis circa annum 1265. (aliis 1245.), cum 4. illi fratres Erp, Thidericus, Wulvoldus & Emico Enethorpa (forte Endorp cis Novomonaſterium ſita) oriundus *totam hereditatem ſuam, quam habuerunt ſuper rutam eccleſiæ Novimonaſterii, cooperante pari voluntate libere contulerunt, ſorore ipſorum Reinolde in ipſam monaſterium recepta, ita tamen, ut in aliquo allodio* (præbenda) *ejusdem eccleſiæ ſub habitu religionis Deo ſerviat & ibidem ſuſtentetur* (*vid.* diplom. ad ann. dict.) Neque illud mirum cuiquam videatur, cum varia inter Pontificios exſtent exempla, monachos & veſtales eodem cœnobio comprehenſos atque ſub eodem tecto conjunctos una habitaſſe vid. C. BRUSCH de *monaſter. Germ.* p. 53. *B.* ROSSOVII *chronic. Livon.* p. 45. b. *chron. Badesleb. in ſyntagm.* PAULLINI p. 273. 278. 279. & ibid. in *chronic. Hildesh.* p. 95. §. 32. p. 105. n. 42. & p. 121. ubi de reformatione cœnobii S. Michaelis hæc habentur:

ac aliud virginum ſacrarum.

Cum monachis monachæ vixerunt hactenus uno
Sub tecto, quæ res ſcandala multa dedit.
Sic non inſtituit Benedictus nec Berewardus:
Ergo prunas a ſtramine Papa locat (Johannes ſcil. III.)
Cautius ut poſthac & relligioſius illi
Vivant, & Michael ſit ſine labe bonus.

Atque ex læto hoc fratrum Valderenſium cum ſororibus convictu orta non nemini videtur clauſula illa cantiunculis, quæ in compotationibus adhibentur, ſubjuncta: Juch heyſa, Valdera lalla! Quamdiu Vicelinus quidem ſuperſtes fuit in egeſtate divinæ intentus rei fuit ille cœtus, poſtea tamen facile invaluerunt mores deperditi. De illo ſiquidem poeta vere:

Conjectura de cantiuncula cujusdam clauſula.

Diſciplinam melius quis rexerat illo
Vir prudens, caſtus, humilis patiensque modeſtus
In verbis certus pius & ſermone diſertus
In cura populi qui commiſſus foret, illi
Ex hoc argueret pravos ſtultosque doceret
Formam præberet morum &c. v. 21. ſeqq.

Poſtquam autem ſucceſſu temporis loci hujus fratres reditibus aucti prædiaque plura adepti eſſent atque, ut ait *Lindebrogius* poeta v. 138. & 143. *conventus bene cæpit habere proventum pro multis donis, quæ cauſa religionis;* leviorem in curandis eccleſiis laborem lautiſſimis penſarunt conviviis, & decedentibus ſenioribus gravitateque conſpicuis monachis ſubrogarunt juniores hilaresque, *quos bona paſtoris ſchola prima Monaſterienſis foverat infantes & noverat inſipientes* v. 261. hinc factum, ut poſt ejus fata degenerarint creſcentibus annis, huicque cantilenæ forte dederint anſam. Præterea junctum reperitur monaſterio noſtro xenodochium, ni fallor peregrinantibus religioſis atque incolis egenis dicatum. HELMOLDUS teſtatur circa ann. 1152. vel 1153. Thetmaro Vicelini diſcipulo diuturno comiti atque collegæ una cum Luthberto monacho ejus curam fuiſſe demandatam L. I. c. 74. In quibusdam documentis ut de anno 1266. ita habetur: *cum Gotſchalcus præfectus eſſet Holſatiæ R. canonicus Novimonaſterii emit ad utilitatem hoſpitalis, quod adjacet clauſtro a Tymone & Joanne fratribus de Roleveſtorpe pro ſeptem marcis & dimidia quartam partem molendini in Roleveſtorpe* &c. (vid. inter *documenta* ejus anni. In alio quodam anno 1237. memoratur *amminiſtrator* vel *magiſter caritatum*, item *magiſter domus hoſpitalis, qui pannum ad veſtium & calceos comparet, ut inter pauperes dividan-*

Xenodochium ibidem conſtitutum.

vidantur (vid. ibid. *docum.*) annoque 1349. priori ac *hospitalario* mandatum, ut ægris de legato quodam vestitum suppeditent. Deinde a. 1376. xenodochio Novimonasterii, jam Bardesholmum dicti, tres modii siliginis loco decimarum ex pago Westerbüttel legati sunt (vid. *docum.* ej. anni) atque in cœnobii translatione Bardesholmi quoque novum xenodochium, neutiquam vero virginum domicilium exstructum est, de quo deinceps.

§. 18.

Religiosor. Neomonasterii institutum.

Ut vero ad propositum redeam patres fratresque illi, ut dicuntur ordinis Augustini, HELMOLDUS sibi statuisse scribit solitariam cælibemque ducere vitam, precibus atque jejuniis strenue vacare, opera pietatis sedulo exercere, ægros convenire, egenos sustentare ac suam & aliorum salutem cupidissime promovere. In primis autem precibus a Deo indefessis efflagitabant, ut Venedis salutis viam aperiret, & fide instrueret salvifica atque etiam Neomonasterienſibus fratribus ejus rei spontaneis operariis ad gravissimum hoc opus vocatis dona largiretur necessaria: nec tamen illico ratas habuit Deus illorum preces, cum ut inquit ille, Amoritarum, Venedorum puta, scelus nondum consummatum erat tempusque adhuc aberat longius, quo Deus ipsorum misereri decreverat. Nulla eo tempore per totam Venedorum terram in Wagrico, Mecklenburgensi, Rostochiensi atque Stargardiensi tractu templa, nullique sacrorum Christianorum ministri aderant, præter illam veteris Lubecæ in Swartovia ædem, quæ trans fluvium in monte prope Travam exstructa erat, atque, ut supra memoravi, a Godscalci filio Henrico D. concessa Vicelino. Cum vero hic mox ea excidisset, eam jam repetere animo agitabat, & ad cultum divinum adaptare, cum ex novi monasterii collegio egregie aucto huic labori submittere posset, qui sacra rite curarent negotiumque hoc religiosum urgerent. Suentopolci vero & Canuti fratrum inter se agitatis litibus atque discordiis fiebat, ut sacrorum cura negligeretur plane, donec minimus natu Kanutus Lutjenburgi e medio tolleretur solusque Swentepolchus rerum teneret summam. Hunc cum Vicelinus mitius erga religionem puriorem ejusque adsecias oppressos affectum experiretur, eum adiit, & benigne ab eo auditus celebravit patris quondam in rem sacram merita promissaque egregie sibi facta; & tantam ejus sibi conciliavit benivolentiam, ut ipsi fieret potestas venerabiles Ludolphum & Volquardum Lubecam veterem ablegandi ut populum verbum Dei salutisque viam edocerent. Eamque occasionem lætus arripiens, his dimissis mox sperabat Plœnam, Lutjenburgum, Oldenburgum, vicinasque urbes alias largiori verbi salutaris lumine collustrare atque ignorantiæ caliginem discutere. Nec male res successit. A mercatoribus enim Henrici benignitate Lubecam allectis bene comiterque excepti sunt illi, primam ipsis sedem dante æde illa in conspectu Lubecæ sita, sed minus diu durarunt læta hæc auspicia, tristisque mox consecuta rerum conversio. Rugiani siquidem efrenes morte Henrici & introducta a Sventopolco, qui in ipsos sibi vindicabat imperium, rursus religione Christiana exagitati, maximo numero Travam flumen adversum subierunt urbemque subito invadentes una cum arce eam diruerunt, omnibus sibi obviis trucidatis, nec uni illi templo parcentes, id magna adorti vi jam unos ejus fores perfregerant, cum per alteros euaderent sacerdotes, fugaque præcipiti per saltus densos, qui ipsis saluti erant, capta Salderam repetiverunt. Aggravabat tristem hunc casum Suentepolci funesta cædes a Dasone nobili quodam Holsato perpetrata, quam mox filii Suineke ad oppidum Ertenborg s. Vigenburg trans Albim prope Lauenburgum similis consequebatur interitus. In Holsatia quoque Adolphus I. Schaumburgi comes Vicelini patronus atque terræ illius dominus occubuerat, filiusque ejus major natu Hartungus Lothario Imp. in Bohemia militans occubuerat, minor vero annis Adolphus II. erat: unde nulla humanæ opis spes Vicelino affulgebat.

Vicelinus Lubecensi ædi restaurandæ intentus,

quod & Suentopolco sibi conciliato perfecit,

ampliora molitus,

sed mox a Rugianis interpellatus,

atque patronorum obitu impeditus.

§. 19.

Forte fortuna tum accidit, ut Canutus Slesvicensis Dux Henrici ex avunculo filius, Venedorum imperio admoveretur, qui Regia Danorum ortus stirpe legitimusque borealium regnorum heres erat, sed a patruo R. Nicolao his frustratus fuit. Etenim cum Canuti pater Rex Ericus, qui bonus appellatur seu Eygod, in reditu ex Palæstina constitutus, mortem in Cypria insula oppeteret, hujus frater Nicolaus Daniæ regnum sibi vendicabat atque Canuto heredi ac successori legitimo permittebat ducatum Slesvicensem, qui una cum tota ejus vicinia sæpius Venedorum quidem incursionibus vastatus, imo etiam paullo ante Vicelini adventum ab Henrico superius sæpe dicto tentatus, a Canuto tamen fortiter defensus fuit. Cum itaque tota Henrici stirps jam intercidisset, Canutus a Lothario Imperatore Bardewici Wagriam, Mecklenburgum, Razeburgum, Rostochium, Stargardiam, Pomeraniam Rugiamque ditionis titulo obtinuit. Inclytus hic princeps confestim reliquos ex Henrici Ducis linea, ut vocatur, collaterali prognatos Nicolotum & Pribislaum capere jussit, deductosque Slesvicum detinuit, usque dum submissionem & obedientiam pollicerentur. Sic contigit Venetorum terræ princeps alius Christianus; cui religio curæ cordique erat. Ut tamen securitatem a gentibus ferocioribus sibi pararet cœptaque perficeret, montem excelsum quondam Alberg sive Edberg, dein Siegesberga dictum, munivit, militibus aptavit tuguria, præsidiisque ex fortissimis Holsatorum ibi collocatis arcem struere paravit, ut tam Venedos Wagros & Mecklenburgenses compescere & incrementa Christianæ religionis eo felicius atque faciliori negotio procura-

Canuto fuce cedente sublevatus.

curare posset. Vicelinus interea meritorum atque fidelitatis in docendo laude clarissimus, ac adeo cunctis acceptus, ut Rex Canutus etiam, quotiescunq; negotiorum caussa huc proficisceretur, semper ad Vicelinum Novimonasterii diverteret, de propaganda Christiana religione cum eo consilia capiens, Venedorum conversioni omnibus modis succurreret ansamque suppediteret: siquidem & ædem illam Lubecensem denuo per vener. Ludolphum dedicari & ad cultum religiosum adornari jussit.

Ædes Lubecensis restituta.

§. 20.

Sed & lætis his initiis mora interjecta est, dum Canutus Rex a Nicolao Daniæ Rege callido consilio ad convivium in Seelandiam evocatus, sed paullo post ejus adventum, ab istius filio Magno die 7. Januar. ad Ringstadium truculenter nullaque habita propinquæ cognationis ratione trucidatus est. Vicelinus eo cæso, opem atque auxilium desiderabat, & ecclesia hujus viri obitu graviter afflicta oneri quotidie ingravescenti jam succumbebat. Siquidem Wagrica Megapolitanaque ditiones ad dictos Pribislaum atque Niclotum Principes Henrici patrueles redibant, qui tum rudes perditique superstitionis cultores ejusque pessima labe infecti, Christianis infesti, exiguum restauratæ ecclesiæ cœtum facile labefactabant. Duæ hæ bestiæ truculentæ, ut quibusdam vocantur haud immerito, quosvis Christi nomen præ se ferentes crudeliter infectati reducebant pristinam superstitionem, atque restituentes idola Barowit, Bralbock, Krodo, Harvit, Miplezeth, Podaga, Porevit, Prono sive Proue, Pustrich, Radegast, Siwa, Swantewit, Triplat, Zedut, Zernebock, Zorbenwitz, Zuttiber, oves bouesque illis immolabant, immo vivorum hominum sangvine libabant eaque expiabant; Christianos in contumeliam atque crucifixi profanationem crucibus affigebant, capitibus apertis atque corporibus evisceratis eos deglubebant membrisque resolutis. Ædium Christo sacrarum loco, lucos, arbusta arboresque, fontes puteosque cultu prosequebantur religioso, & reducta gentili superstitione Christianam religionem prorsus aboleverant. Id quidem licet acerbissimum, æquo animo ferendum erat Vicelino, usquedum fortuna tandem Lotharium Imperatorem Bardewicum deduceret, quem adiens ille Venedorum iniquitatem summam atque horrendam impietatem, Christianorumque persecutiones diriissimas submisse exponit, supplex orans, ut has ipsorum afflictiones cordi habeat Cæsar atque autoritate sua potentiaque pericula atque ob religionem vexationes ab ipsis clementer averteret. Simulque montis peropportune in Wagria siti, quem Alberg vocabant, injecit mentionem, ex quo si munitione cingeretur, facile totam eam regionem compesci & in obedientia contineri egregiaque inde præsidia & emolumenta Christianæ religioni accessura esse, ac ejus ope gentes ad eandem facile redactum iri monuit. Kanutus vero

Canuto cæso, res sacra iterum labefactata.

Dira tam infestantibus Pribislao atque Niclote.

Lotharius tandem Imperator eam promovit.

quoniam bene cœpta fatis impeditus perficere non potuisset, confidere se ait, Cæsaræ Majestati id consilium ratum fore montemque munimento firmaturum. Lotharius benigne audita ejus oratione locum cum Vicelino adiit, ejusque natura probe perspecta, delectum ex accolis coëgit, qui arcem continuo struerent. Conatorum successus & spe-rata in futurum frequens bono cœtus Christianorum victoria ansam dedit ejus nomini Siegesberg, quod significat montem victoriæ. Durante ea structione adventabant Pribislaus atque Niclotus Cæsarique clientes submisse obsequium præstabant; ægre autem ferentes, hac arce suam infringi licentiam seque una cum civitatibus terrisque vicinis sub jugum missum iri, scisitabant, quisnam ejus rei suasor auctorque extitisset: Wagrorum quidam rei gnarus Pribislao indigitavit Vicelinum edixitque, hunc hominem parvulum atque calvum esse, qui hæc mala terris induceret totique Wagriæ & eis Travam Mecklenburgensi ditioni vexationes atque incommoda concitaret plurima. Interea structionis opus urgebatur strenue arxque perfecta præsidiis necessariis firmabatur, ac primum ei præfectus fuit quidam Lotharii Imp. ministrorum Hermannus. Quod ad rem religiosam, nove ædificabantur ædes sacræ, cultusque divinus adornatus, inprimis vero in aditu dicti montis templum exstructum est, redditusque additi ad sacris operantium victum cultumque divinum facilius instruendum privilegiisque est ornatum, quale est illud Lotharii Imperatoris eo anno datum. Anno 1137. vero collegii hic instituti dispositio atque moderatio Vicelini curæ demandata est, ut tam ædificiorum structuram ordinaret, quam viris idoneis huc accitis illud ornaret.

Segeberga munitur,

ac templum ibi exstructum.

§. 21.

Idem sibi agendum statuit Imperator cum æde Lubecensi, atque Pribislao minitanter præcepit, ut Vicelini curam sedulo gereret, eumque cum assecliis tueretur atque sustentaret, testatus majorem in modum se ejus ope totam gentem Venedicam ad Christum conversurum, huncque Dei servum constituendi inclytum episcopum consilium cepisse innuit. Quin *Chronic. Slavic.* jam tum eum vocat Pontificem magnum, quoniam extra limites Neomonasterienses ecclesiam Segebergensem atque Lubecensem & per maximam Wagriæ partem sacra moderaretur. Ille vero optimos quosque ex collegio suo ad hanc coloniam selegit, ac Ludolphum quidem, Hermannum & Brunonem sacris Lubecensium præfecit; Luthmundus autem cæterique Segebergæ sedem fixerunt. Sed detrimentum insigne horum contentioni atque industriæ allatum est, cum post Lotharii Imperatoris a. 1138. obitum res sacra inclinaretur, Vandalorum violentia, qui templis devastatis ac scholis disturbatis in has sævierunt regiones. Etenim Holsatia atque Wagria graviter concussa est

Imperatoris in provehenda Christiana religione studium.

Ejus obitu res sacra concussa.

isto bello pernicioſiſſimo, quod genero Lotharii Imp. Henrico ſuperbo, Bavariæ Saxoniæque Duci cum Marchione Alberto de Ducatu Saxoniæ intercedebat; totusque Saxoniæ inferioris tractus tumultibus miſere exagitatus fuit. Atque Adolphus II. comes Holſatiæ terra pulſus, Henricus vero Badevidenſis Marchionis ope ejus loco ſurrogatus, atque Segeberga arx ei conceſſa eſt. Wagri quidem priſtino addicti domino jugumque hoc novum detrectantes vi reſiſtebant: aſt Pribislaus Venedorum princeps Lubecenſiumque dominus cum prædonum manu libere vagabatur, Segebergamque armatus invadens ædem atque cœnobium in cineres redegit, locaque Saxonibus culta devaſtavit. Quidam ſacri ordinis Volckerus, aliis Volbertus dictus, vir ſingulari virtute atque pietate eminens, ſed ad arma minus exercitatus, defenſionem quidem templi ornatusque eccleſiaſtici moliebatur; ſed victus morte conatum luit ac mox jugulum præbere ſævienti barbarorum ferro debuit: reliqui periculo evadentes fuga ſalutem quæſiverunt, & Neo-monaſterium ad Vicelinum contenderunt. Nec in minore diſcrimine verſabantur Lubecenſes: plures enim, qui Chriſto nomen dederant, inſpectantibus ſacerdotibus tormentis ſubjici omnique ingnominia affectos carceribus mancipari, vinculisque conſtrictos abduci Pribislaus juſſit: attamen ſacrorum miniſtros paria ſibi timentes benignius habuit, quod prædicat ALB. CRANZIUS l. 6. *Saxon.* c. 9. p. 386. Nec longe aberat, cum cœpta hæc calamitas ingraveſcere atque augeri cœpit. Siquidem Venedorum quidam princeps, cui Race ſive Ratze nomen, e ſtirpe Cruconis Pribislaum ob ſummam rerum, quam tenebant, adortus marique advectus, Lubecam cepit armata manu, arceque exuſta ac nullo fere reſiſtente præda opima onuſtus cum ſuis abiit: Ludolphus & comites, qui eodem conceſſerant, fugam hinc capeſſiverunt, atque arundine deliteſcentes noctu ad Vicelinum feſtinarunt.

Adolphus II. exul agitur.

Segeberga atque finitima vaſtantur;

Lubecenſes vexantur a Pribislao.

Idem Ratze Venedorum principis violentia exagitantur.

§. 22.

Sic omnis denuo ſpes laborque rei ſacræ impenſus intercidit; hisque belli tumultibus regio Plœnenſis, Lutjenburgenſis, Oldenburgenſis vaſtata, arcesque Lubeca, Hamburgum, Segeberga deletæ incendio erant: tantum terra Falderam cingens furori atque rapinis Venedorum haud ſubnoxia vel deſolata fuit; malorum tamen ſatis in rem ſacram conjectum atque ædibus ſacris cœnobiisque diſjectis, ſuggeſtibus & altaribus deſtructis, cultu religioſo ſublato, opibus eccleſiarum attritis, prædiis peſſumdatis, ruſticis fugatis cæſisque, reditibus ademtis, annona ſubrepta, omnium rerum miſeranda erat facies. Hic opem Dei precibus efflagitabant pietatisque operibus ſummum numen ad miſericordiam flectere ſtudebant Vicelinus eiusque ſocii. Factum vero ut novi hujus monaſterii fama adeo inclareſceret Vicelini virtute atque vitæ ſanctitate, ut & gentibus aliquam incuteret reverentiam & ab illarum inſultibus liberum illud præſtaret. Ea enim virtute is præditus erat, ut ægrotis mederet facile, a dæmone obſeſſos ſanaret, & miraculoſa multa perpetraret; hinc a malo genio oppreſſorum tanta ad eum confluebat multitudo, ut negotium fere omnibus ejus ſociis faceſſerent, ad ſanitatem tamen redirent cuncti. Cujus rei hiſtoriam inſignem HELMOLDUS l. 1. c. 55. de virgine peſſime affecta affert, aliaque ejus generis addit.

Miſera rerum facies.

Vicelini virtus ſingularis.

§. 23.

Jam bello æſtuabat Dania, gliſcentesque ejus ſcintillæ etiam in Saxonia in flammam eruperant, cum Marchio Brandenburgenſis Albertus urſus cum Henrico Leonis patre de Saxoniæ ducatu dimicaret. Imprimis Venedi Saxonum progreſſibus infenſi frena omni laxabant violentiæ, Holſatiæque fines adeo vexabant, ut, quæ Neomonaſterio circumiacebat regio, cædibus, rapinis atque incendiis mox peritura videretur. Miſeris his temporibus tantisque imminentibus undique calamitatibus ſpem Deo nixam frequentioribus habitis ſermonibus cœtui ſuo parvulo accendere atque divinam liberationem precibus inter pietatis opera atque ieiunia continua fuſis efflagitare ſedulo Vicelinus ſtuduit. Res etiam proſpere ſucceſſit Henrico, qui abſente Adolpho comite Holſatiam moderabatur, otii impatiens bellaque alens; copiis vero ex Holſatia Stormariaque coactis, Wagriam hiberno invadebat tempore, omnesque ſibi obuios, qui reſiſtere audebant proſtravit & terram, quæ Plœnam, Lutjenburgum & Oldenburgum cingebat, totumque eum tractum inde a Swala ad mare balthicum & Travam usque a Venedis purgavit, atque uno impetu devaſtavit, tantum relictis locis munitioribus, quæ diuturniorem deſiderabant oppugnationem. Plœnam tamen caſtrum ſtrenua Holſatorum manus æſtate proxima ſine duce proprioque inſtinctu expugnavit; atque locus is munitiſſimus præcipuusque præter opinionem in eorum venit poteſtatem Venedique omnes ferro peremti. Ita Venedi fracti, Albertus Marchio exterminatus, Henricus Badevidenſis, qui Vagriæ obtruſus fuerat comes expulſus, Adolphusque II. junior in ditiones ſuas reductus. Dum vero Henricus Badewid. ægre diſcederet, incendio delevit Segebergam arcem; atque Hamburgenſe caſtellum muro firmiſſimo munitum parem experiri fecit fortunam. Adolphus hinc comes ſecuritatis ſibi parandæ cauſa Segebergam reſtauravit, arcemque mœnibus novis firmari curavit: in Wagriam etiam deſolatam manſvetiores atque tranquilliores adduxit incolas, quam eo tempore fuerant Venedi ac Mecklenburgenſes, totasque ex Flandria, Hollandia, Ultrajecto, Weſtphalia, Friſia, Holſatia & Stormaria advocavit familias, ac terram hanc pro nationis cuiusque ratione eis diſpertivit.

Sævum bellum omnia obruit

Henricus Wagriam ſubigit.

Segeberga atque Hamburg. arces incendio deletæ.

Adolphus illam reſtituit Wagriamq; colonis replet.

§. 24. Vi-

§. 24.

Segeberg. restituti ecclesiastici reditus.

Vicelinus vero rei sacræ invigilans, pristinos ab Adolpho Comite recuperavit fundos, quos Lotharius Imp. ædificationi cœnobii Segeb. & sacerdotum sustentationi attribuerat (HELMOLD c. 27.) Nundinis vero quotannis & per hebdomadem actis variaque mercatura ut & castelli tumultibus ac præsidiariorum strepitu fiebat, ut Vicelinus cœnobii locum commutandi iniret consilium, idque hinc in oppidum proxime vicinum atque ultra Travam situm Kuselinum sive, ut germanice dicitur, Hogelstorff transferendi majoris commoditatis gratia. Ad rem gerendam missus est Volquardus sacerdos laudatissimus, cui jungebantur alii viri industrii atque spectatæ fidei, ut opem & consilium ad ædis cœnobiique structionem conferrent: ac tum quoque ædes a foro dicta, ut templo inserviret primario, ad radicem montis exstrui cœpit.

Templum cœnobiumq; Segebgse alio transferunsur.

§. 25.

Ditmari huc delati laudes

Eodem tempore virtute præstans Thetmarus Vicelini quondam discipulus atque itineris Gallici comes, qui relicto & canonicatus & decanatus Bremæ munere Novummonasterium petit, ut ibi ætatem exigeret, cum jam rebus vanis nuncium misisset, ac pauperate sponte susceptа imbecillitati quorumvis commiserans occurrere edoctus tentationibusque probatus, vitæ sanctitate, beneficentia modestiaque adeo eminuit, ut supra humanam sortem positus videretur. Colonia vero eadem hæc Christiana mox gravi petebatur impetu, dum Albero Hamb. Archiepiscopus ac reliqui in Saxonia episcopi cum Henrico Leone aliisque comitibus ac magnatibus egregium armatorum conscriberent numerum ea mente, ut Mecklenburgenses superstitioni deditos atque vicinos populos adorti attererent. Verum Niclotus Venedorum Mecklenburgensiu nque tum princeps eorum consilium prævenit, excitatisque omnibus suis incolis Wagriam invadit, Lubecam classe obsedit, ejusque cives 300. trucidavit, in quorum numero fuit Rudolphus vir religiosus, de quo antea diximus, quem innumeris fere vulneribus illatis percusserunt barbari. Hinc in Segebergam sævientes ejus suburbium diruerunt; tractum item Dargunensem & infra Travam regionem, ubi tum incolebant novi isti coloni ferro flammaque vastarunt. Quæ vero ad occasum circa Swentinam ac Swalam Plœnam usque ac Eutinum Segebergæ vicina erant loca ab indigenis culta, ab iis tum quidem manus cohibuerunt. Fama fert, Holsatos invidia peregrinorum, quos huc adductos diximus, habitatorum commotos, quicquid id fuit mali conflasse barbarorumque hanc concitasse incursionem: unde factum, ut hac tempestate a jactura ipsi fuerint immunes. c. 63. p. 148. seqq. Locus tamen, qui Susela dicitur, Frisonum colonis attributus, tenui vallo cinctus erat atque a Gerlavo ibi sacerdote præsidio centum fere virorum adversus hostium 3 00. vim defendebatur fortissime; ut adeo hoc exemplo Adolphus comes motus ex provinciis delectum

maxima huic regioni clades concitatur.

Niclots invasore.

Vendi ab Adolpho Comite fugati.

habere atque Venedis occurrere auderet. Quo rumore perlato Venedi cum præda atque captivis Wagris mari domum confugerunt. Hic nuncius de temerario Venedorum ausu cum per Saxoniam atque Westphaliam increbesceret, maximarum copiarum concursatio facta est, quæ junctis sibi Danis Mecklenburgum invadentes Dobinum Deminumque valide, frustra tamen oppugnarunt: tandemque compositio amice facta est his legibus, ut Venedi Christianam susciperent religionem ac captivos redderent. Atque tum quidem plures eorum sacro fonte in speciem se tingi passi sunt, e captivis vero tantum seniores atque minus idonei dimissi: mox vero Christiana remota est religio, & prædæ terra marique iterum actæ sunt. Adolphus etiam comes cum Nicloto aliisque, qui ad orientem habitabant, principibus denuo pacem ferit, quanquam post frequentem ac nuperam demum ejusdem violationem vix fides illis esset habenda: jactutam passos comes solabatur, atque ad patientiam constantiamque cohortatus est, subjiciens, debere eos, qui ad fines incolunt, fortiter occurrere hostibus; nec minus paternum erga subjectos amorem in eo ostendit, quod captivos suis sumptibus in libertatem vindicaret.

atque sociorum opera fracti;

pax facta.

Vicelini & Thetmari beneficentia.

§. 26.

Vicelinus interim cum Thetmaro natura ad beneficentiam composito egestatem plurimorum sublevare nitebatur, usque dum cœnobiorum apparatus exhaustus ipsi fere egerent. Thetmarus tamen a dando intercluſus etiam clanculum subtraxit, quæ egenis suppeditaret. Invaluit mox a septentrione nova belli calamitas, cum post Erici Regis Daniæ obitum de regno inter se digladiarentur Sveno Erici, Waldemarus Canuti & Canutus Magni R., qui Canutum Ducem in Seelandia interemerat, filii. Pellexit vero Canutus in suas partes Adolphum comitem I: hinc Sveno utrique occurrens Wagriam invadit atque Oldenburgo flammis deleto oraque maritima desolata Segebergense suburbium vicinaque exussit. Adolphus vero Ethelerum Svenonis exercitus ductorem ad Eydoram prælio devicit. Quo bello finito in Wagria novi regiminis forma exorta est. Henricus enim Leo ut sensim ætate proficiebat, ita etiam viribus auctus est. Quoties itaque a Venedis lacessitus est, bello eos castigavit atque pro vita & patria, quicquid imperaverat, pendere coegit. Frequentiores vero bellorum expeditiones non tam religionis quam lucri atque quæstus causa susceptæ sunt. Henricus enim Leo facile sivit eos in veteri perstare superstitione atque piraticam in Danos facere. *Helmold.* p. 157.

Bellum Danicum.

Wagria invasa.

Henricus Leo Venedos sub jugum mittit.

§. 27.

Pace tandem facta Hartvicus Hamburg. Archiepiscopus episcopatus Oldenburgensem, Raceburgensem & Mecklenburgensem restituere omni opera studuit. Vacaverat vero episcopatus Oldenburg. jam 84. annos post decimi ibi præsulis fata. Hartvicus itaque in hanc dignitatem provexit Vicelinum jam gravem

Vicelinus fit Episcopus Oldenburg.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vem ætate atq; docendi munere in Holsatia jam 30. annos functum, inscio Henrico Leone atque Adolpho II. Holst. comite terræq; hujus principe: quod quidem factum gratiam, qua Vicelinus apud Adoldhum comitem, qui ipsum patris ante coluerat loco, plurimum valens non parum imminuit. Decimarum vero atque redituum reliquorum maxima parte sibi subtracta Vicelinus Henricum Ducem adiit deprecandi causa. Comiter quidem ab eo susceptus, sed increpatus etiam tandem jussus eam dignitatem a Duce accipere spe veniæ meliorisque rerum suarum successus. Sed Vicelinus deliberandi spatium impetrans apoplexia, qua deinceps usque ad vitæ finem laboravit, correptus est: convalescens quodammodo curru Falderam deportatus est, sed morbus cum ætate ingravescens labores ejus sacros non parum retardavit. Ex valetudine incommoda emergens Bremam contendit, ut ab Archiepiscopo atque ejus clero consilium exquireret, qui svaserunt, ne Duci se submitteret, quanquam ipse non invitus id facturus esset, cum, quoties eum adiret, gratiam ejus singularem experiretur. Vicelinus ergo Falderæ tranquille sibi vixit, muniaque in ecclesiis adjacentibus visendis docendoque obiit sedulo, reliqua parum curans temporique inserviens. Passim tamen aliquot struebantur ædes sacræ, qualis fuit illa Cuslini al. Hogelstorpii; Bornhovedensis vero ad Sventinam initiabatur. Etiam Lubecenses adiit, atque altari quodam condito eorum animos firmavit. Hinc ad Oldenburgenses perrexit, atque incolis ibidem gentilibus viam salutis annunciavit, exiguo tamen cum successu. Suis dein sumtibus ligna cædi, & juxta vallum Lubecæ antiquæ, quo frequens erat ad mercatum conventus, templum strui jussit. Cum vero Henricus in Bavariam pararet abitum, accessit ad eum Vicelinus susceptique, quod imperabat necessitas, ab eo episcopatum; cui etiam consensit Adolphus comes dimidiamque decimarum partem Vicelino concessit. Bosoviam pagum cum annexa Dulzanissa eidem contulit, ut ædem ibi atque domum sibi strueret: tam die vero in insula Bosow sub quercu hic degit, usque dum illæ una cum aliis ædificiis essent perfectæ. Quæ ad victum & agriculturam necessaria Hogelstorpio atque Novomonasterio illuc subvehebantur. Atque hæc iterata fuerunt episcopatus Oldenburgensis initia, licet tenuia & a comite exiguis circumscripta limitibus.

Indignationem Henr. Leonis atq; Adolphi comitis meruit

morbo tentatur,

tranquille munia obit,

ædes quasdam struendas curat,

§. 28.

Vicelinus cum Archiepiscopo ad Cæsarem profectus,

redux Ditmarum desiderat,

A. 1152. Hartwicus Hamburg. Archiepiscopus ad Imperatorem nuper electum Friderichum Barbarossam in comitia Martisburgensia profectus inter itineris comites adduxit Vicelinum ea mente, ut hic manu ipsius Imperat. in episcopatum inauguraretur Duci intentans vindictam. Sed renuit Imperator, ne Ducem irritaret magis, atque adeo infecta re Vicelinus ad suos rediens Thethmarum vitam cum morte commutasse atque Novimonasterii sepultum reperit, virum incomparabilem, cujus laudes pluribus celebrat HELMOLD. l. 1. c. 73. Ex quo impense mœrens Vicelinus magnam rei sacræ moram injectam sensit discordia Henrici Ducis atque Archiepiscopi: nec Adolphus quidem comes nimis favebat parti episcoporum. Hinc Bosoviam repetens docendo vacavit: jam enim circumjacentia incolebant Christiani, nec tamen satis securi degebant, castro Plœnensi nondum restaurato. Confirmatis tandem suorum animis spe meliorum sacrisque ibi præfecto Brunone, alibique aliis, rediit Falderam, atque intra octiduum ibidem gravissima correptus apoplexia, quæ mox totum latus dextrum occupavit, atque non pedum tantum & manuum, sed & lingvæ præstrinxit usum, duos & dimidium, annos ea laboravit; neque tamen permoveri potuit, ut publicis sacris deesset unquam, nisi ubi maxime incommoda eum urgeret valetudo; atque ardentissime ibi fusis precibus alios ad misericordiam pietatemque flexit. Præpositus tum Neomonasterii fuit Eppo vir de religione optime meritus, Hogerstorpiensis vero cœnobii curam Vicelinus jam ante demandaverat Ludolpho, cui & reliquæ in Wagria ecclesiæ erant addictæ c. l. p. 173. Anno 1154. in episcopatum Raceburgensem jam restitutum sufficitur Evermodus ab Henrico Polabo rum comite dotem ecclesiæ tulit 300. mansos. Cui donationi cum interesset Ludolphus una cum Adolpho comite, hunc eo exemplo movit, ut totidem largiretur ecclesiæ episcopali Aldenburgensi, atque Henricus Leo eam liberalitatem ratam habuit p. 172.

morbo gravissime decumbit.

Raceb. episcopatus restituitur & redditibus ornatur, hinc & Aldenburgensis ditatur.

§. 29.

At enim vero 2. idus Decembris anno 1154. e vita commigravit Vicelinus, atque in æde Neomonasteriensi sepultus est, præsente episcopo Raceburgensi, qui funeris solennia peregit. Apparitiones ejus plurimis post illius fata factas commemorat HELMOLDUS L. 1. c. 75. atque miracula patrata feruntur quorum plurima silentio involverunt scriptores. Cœnobio Falderensi inscripta hæc addidit *poeta* sæpius dictus:

Faldera Pontificis magni lætetur honore
Virtutes animo contegat, ossa solo.

Vicelini obitus.

Apparitiones & miracula ejus feruntur.

§. 30.

Ætatem produxit ad LXX. annos; quod conjectura pronum fit ex *Helmoldo*, qui refert, eum ad virilem ætatem pæne provectum, annum circiter agens 18. scil. a. 1104. Eversteiniam venisse: postea quamplurimis annis Paderbornæ M. Hartmanno discipulus operam dedit, quam ejus disciplinam 6. annorum numeramus ad a. 1110. Hinc adjutor in scholis regendis doctori suo adjunctus & in edocendi provincia ipsi collega factus, per 4. fere annos id muneris sustinuit ad ann. 1114. Quamdiu ecclesiæ Paderbornensi operas præstavit, id quidem haud definire nobis sumimus: *Helmoldus* vero refert, eum inde ad munus scholasticum Bremam evocatum; hinc emensis quampluribus annis academiam Parisiensem adiisse. Atque adeo ejus Bremæ factam commorationem si 6. annorum putemus, annum 1120. compie-

In ejus annos inquirit A.

vitaque ejus succincte exhibita,

plebimus. In Gallia, ut distincte tradit *Helmoldus*, triennium subsitit; quo exacto Germaniam repetens haud diu post ab Archiepisc. Magdeburgensi sacerdos inauguratus est. Tempus quod commigrationibus & passim facta commoratione interlapsum, annuum spatium si ponere cum quadam ratione liceat, ad ann. 1124. pertingimus. Sed ut propius rem conficiamus, ex Thethmari, qui ipsi comes fuit, vitæ rationibus, Vicelini ætatem facile divinabimus, qui Vicelino ad Bremensem scholam accedente puer sistitur: emensis vero quam pluribus annis paulo ante profectionem Parisios institutam, juvenis: confectis dein ibidem per triennium litterarum studiis venerabilis dicitur. Hunc itaque, cum Canonici munere insignire-tur, 24. vel 25. annos habuisse; Vicelinum vero ejus per plurimos annos præceptorem atque itineris comitem 12. annis ætate provectiorem fuisse ponamus. Qua ratione Vicelinum nostrum 36. annos eo tempore consecutum fuisse, haud sine ratione conjectabimus. Atque cum juxta *Helmoldi* discipuli & ipsi fere æqualis tradita a. 1154. post triginta annorum intervallum quod in Holsatia atque Wagria exegit, episcopus diem obiit supremum, saltim calculo ita ducto tota ejus ætas ad 66. & quod supra est, excurret annos, quia monente Helmoldo, cum episcopi Oldenburgensis susciperet dignitatem, ætate jam fuit grandis. Idem confirmat tempus Henrici IV, V, Lotharii, Conradi Suevi & Friderici Barboroſſæ ejus ævo imperantium. Ex Archiepiscoporum Hamburg. & Bremensium numero ipsi æquales fuerunt Humbertus, Fridericus, Athelbero & Hartwicus I. Terris his, ubi degit, tum præfuerunt Adolphus I. comes, aliique ac Henricus Leo Saxoniæ. Sed cum incertum adhuc sit, an XXX. annos Novimonasterii exegerit solum, an vero V. annos præterea in episcopatu Oldenburgensi separatim commoratus sit, sane septuagenarii ætati vix quicquam decedet. Quod si vero fides habenda ALB. CRANZIO atque *Presb. Brem.* quorum ille *Sax.* l. V. a. 1106. hic c. 13. p. 21. & c. 19. p. 44. edit. *Leibnit.* a. 1110. Vicelinum in his terris advenam ponit, annorum ipsius numerus insigniter augendus foret: cui rei illud suffragari videtur, quod, cum Lothario Imperatori auctor esset, ut Segebergam arcem castellum adversus Wagrios constitueret, incolæ ejus regionis homuncionis calvi convitio eum traduxerint, teste *Helmold.* L. 1. c. 53. p. 128. itemque *Presbyter Brem.* Helmoldi *continuat.* Wagris eum dictum fuisse parvum hominem ac despectum asserit c. 14. p. 24. edit. *Leibnit.* quod quidem illum jam seniorem ac statura parvum fuisse certo innuit.

& ex Ditmari fatis in numerum collecta.

& ipsi æqualium ratione habita,

tandem calculus ducitur.

§. 31.

Geroldus ipsi succedit.

Eppo delectus præpositus Novimonasterii,

In ejus locum successit Geroldus Henrici Leonis diaconus natione Suecus, vir probe doctus, schola Brunsuicensis magister ibidemque canonicus. Monachi vero Neomonasterienses novum sibi delegerunt Præpositum Epponem, virum sanctum teste *Helmold.* c. 79. atque iterum sese applicarunt ad Archiepiscopum Hamburgensem, cujus inspectioni illud cœnobium subtraxerat Vicelinus proprioque adjunxerat episcopatui. Cum enim maximi labores viris religiosis fratribus atque monachis Augustinianis Falderensibus facesserentur a rudibus atque semiferis Vandalis, archiepiscopi opem sibi necessariam duxerunt illi (HELM. c. 82). Hinc est, quod ita habeant litteræ antiquæ: *Honorabiles & religiosi viri præpositi, Prior totusque conventus canonicorum regularium ecclesiæ S. Mariæ in novo monasterio ordinis divi Augustini Bremensis diœces.* non vero *Oldenburgensis* vel *Lubecensis.* Facile autem connivebat Archiepiscopus, ut Vicelinus, dum viveret, cœnobii, cujus ipse esset autor atque institutor, curam gereret; sed post ejus fata id sibi vindicavit. Geroldus quidem profectus ad Archiepiscopum hujus gratiam ambiit, sperans, se cœnobium ad episcopatum Oldenburgensem reducturum, sed hic vana delusum spe verbis morabatur: præcepit tamen Epponi Præposito Neomonasterii, ut in ædificandis templis atque re sacra promovenda auxilio esset episcopo; accersivitque Neomonasterio Brunonem, atque eum redire jussit Oldenburgum, ut ibi populum edoceret, quod etiam hic fecit strenue, atque dirutis lucis & remotis superstitionibus gentis profanæ, plures Christianorum initiavit sacris atque amplissimam Oldenburgi ædificavit ædem, ornavitque eam libris, calicibus ac reliqua suppellectile necessaria; anno vero 1156. præsentibus Adolpho III. comite ejusque conjuge, eandem inauguravit Geroldus episcopus dicavitque S. Johanni. Atque restitutus hac ratione ibi sacrorum cultus est post 90. annorum intervallum. Hinc etiam Suselæ structa est ædes præfectusque ei Deilanus in opere religioso fideliter jam dudum versatus, itemque Lutjenburgi Ratkoviæque; atque porro per totam Wagriam & tractum Raceburgensem dein aliæ, cœnobia item, remotis Venedis indigenis, atque Saxonum coloniis in terram inductis.

atque Archiepiscopo Brem. iterum paruit cœnobium.

Bruno Oldenburgi docet;

ædes ibi structa;

item Suselæ, Lutjenburgi ac Ratkov.

§. 32.

Anno 1164. Henricus Leo Archiepiscopum Hartwicum I. Lubecam secum deduxit, ut ædem Geroldi episcopi auspiciis ibi exstructam initiaret, simulque per Falderam ducens ædem ejus inauguravit, Præpositoque ac monachis benignum se præbuit, sigillatim id addens, ut locus hic Faldera hucusque atque Wippenthorp dictus, inposterum vocaretur Novummonasterium. Fuit eo tempore post Epponis e vita excessum 1164. d. 1. Maji ibi Præpositus quidam Hermannus, cujus opera, Lubecæ, in destruenda barbarie egregia exstitit, atque Ludolpho Præposito Segebergensi ac Brunoni Oldenburgensium concionatori is quondam collega datus erat. Inaugurata Lubecensium æde optimates quidam ab Archiepiscopo efflagitarunt, ut novum monasterium iterum committerent episcopo Lubecensium; sed renuit atque recusavit hic prorsus. Eodem vero anno Adolphus II. Henrico Leoni adversus Venedos militans ad urbem Demi-

Hartwicus Archiep. ædem Lubecens. inaugurat.

Hermannus Præpositus Novimonasterii.

Adolphus II. occumbit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nam occubuit princeps juſtitiæ amantiſſimus, tranquillitatis ſtator atque religioſos fortiter tuens.

Scriptores de vita Vicelini.

Plura de Vicelino ejusque vita qui deſiderat, is adeat HELMOLD. L. I. *chron. Slav.* c. 41. ALB. STADENSEM ad a. 1133. 1138. ſeu 1149. 1154. CRANZII *metrop.* l. 6. c. 11. & 27. DANCKWERTH *chorogr. Holſ.* p. p. 192. 194. & c. 8. p. 224. *Diploma Adalberonis* a. 1164. EVERMOTUM *chronic. epiſc. Oldeb.* ALB. CRUMMENDYCK *chron. epiſc. Lubec.* ap. *Meibom. T. 2. rer. germ.* p. 394. LERBEKE *chron. Schaumb.* ap. Meibom. T. I. p. 498. PETERSEN *Holſteiniſche Chronick* L. I. c. 33. *autorem hiſtor. eccl. archiepiſcoporum Brem. vit. Adelb.* c. XXII. ap. *Lindebrog. ſcript. rer. germ. ſeptentr.* STAPHORST *Hamburgiſche Kirchen-Hiſtorie* Tom. I. inprimis p. 626. ARNKIELS *Cimbriſche Heyden-Religion* P. 4. p. 392. ej. *Heyden-Bekehrung* p. 244. 250. Poetam ap. LINDEBR. *hiſt. Archiep. Brem.* CYPRÆI *annales epiſc. Sleſv. L. I. c. 22. L. 2. c. 5. centur. 4. Magdeb. cent. XII.* præcipue *Diplomatarium Neomonaſterienſe* ſupra *Num. 1.*

Bordesholmum translati monaſterii annales.

Tranſiit dein cœnobium quod quondam Neomonaſterii fuit, Bardesholmum. Cujus translationis tempus, non ſatis accurate definiunt ſcriptores. Tutiſſimum erit documentorum atque litterarum antiquarum ſequi fidem, quippe quæ hoc argumentum inprimis illuſtrant, tacentibus ejus ævi reliquis.

Conſilium de ejus translatione quando initum?

Translationem vero illam jam ante a. 1290. fuiſſe decretam reperimus. Etenim cum Pape ſive Poppo Wulf miles de Kil ſive ex ſtirpe Küliorum, ut vocatur, a. 1290. m. Jun. a Præpoſito, Priore atque Capitulo eccleſiæ S. Mariæ Neomonaſterienſi litteras obtineret, quibus liberaliter ſibi conceſſis pago Eyderſtadt cum omnibus, quæ ad ipſum pertinebant, atque ſex modiis farris a mola Wackenbecke quotannis exſpectandis ſpondent, pro ipſius uxore Margaretha filioque Otttone ſacra piacularia facere; ſigillatim id additum: *Si eccleſiam noſtram (Novo-monaſterienſem) tempore futuro ſecundum utilitatem & voluntatem dominorum noſtrorum alias transponi contigerit, eorundem ſupradictorum corpora per expenſas eccleſiæ ſunt exhumanda & illic, ſicut hic, in monaſterio cum exſequiis debitorumque præſcriptorum exſecutione ſ. obſervatione omni tumulanda.* Quæ quidem litteræ a Johanne II. tum Holſatiæ comite (Adolphi monachi nepote) atque a cœnobio Neomonaſterienſi & Pape Wulff milite ſigillis additis firmatæ ſunt.

Conceſſio.

Deſtinata hæc translatio Archiepiſcopi Hamburgenſis atque Bremenſis Giſelberti privilegio, quod eodem dedit anno, corroboratur, quo ſingulari ductus gratia, ſociis cœnobii Neomonaſterienſis permittit, ut pro arbitrio commodoque ſuo, eadem tamen in diœceſi eodemque ſervato nomine, cœnobium transferant aliorſum addita privilegiorum præſentium ac futurorum confirmatione dat. Bremæ a. 1290. feria IV. poſt dominicam, qua cantatur Lætare Jeruſalem. Hinc a Johanne II. comite facta cœnobio eſt conceſſio, *ut ipſa ædificia & manſio clauſtri ad alium locum congruentiorem infra terminos noſtri dominii tranſeant. dat. Kyl. a. 1291. in octav. epiphan. Domini.*

In tempus translationis inquiritur.

Atque ita patet quidem transferendi conſilium: quando vero ipſa Bardesholmenſis molitio cœpta, perfecta atque inaugurata ſit, id quidem obſcurum eſt. Borchardus Brem. Archiepiſcopus cognomine Grelle in diplomate, quo Neomonaſterienſi cœnobio a Johanne comite anno 1324. Kilonii in die b. Martini in ædem divo Nicolao ibidem ſacram jus, patronatus conceſſum confirmat, memorat *jam anno 1328. idem monaſterium propter ipſius mutationem, qua proinde de loco, in quo prius ſituatum exſtitit, nunc ad aptiorem locum, utiliter eſſe translatum* cet. *dat. Bremæ 1328. in craſtino diviſionis ſanctorum Apoſtolorum.* Atque alio quodam, quo idem archiepiſcopus translationem eam ratam habet atque confirmat ita: *translationem ipſam confirmamus & locum, in quo transpoſitum eſt* PRIDEM *clauſtrum, novum monaſterium volumus & præcipimus appellari.* Dubium tamen adhuc, quousque PRIDEM illud reſpiciat: ſaltem ante a. 1328. id factum eſſe clare oſtendit atque ſatis ſero; cum a primo locum transmutandi conſilio, anno nempe 1290., usque ad a. 1328. anni effluxiſſent 38. aliquanto vero prius eam ædificationem eſſe perfectam credibile eſt. Concidunt hinc, quæ BANGERTUS in *not.* ad *Helmold.* l. I. c. 47. c. DANCKWERTH *chorogr. Sleſv. Holſ. part. 3.* c. 4. p. 91. MART. CORONÆUS aliique tradunt ex tabula quadam templi Bardesholmenſis; translatum ſcilicet illuc eſſe Novummonaſterium, anno MCCCXXXII. per Henr. Swineborch Lubecenſem, in ſerie præpoſitorum XV., quod fere decennio ſuperat calculum, quem ex documentis adſtruximus.

Translationis ratio.

Ratio hujus mutationis fuit varia. Inprimis vero videtur Novummonaſterium a Venedis ſæpius vaſtatum incendiisque præter opinionem illatis valde fuiſſe attritum; quod ſuperius jam indicavimus, planumque fit ex privilegio Johannis comitis Holſatiæ a. 1291. cit: *pro conſervandis eccleſiæ libertatis incrementis adverſus graſſatores quosque ſeu impugnatores & ſingulos & univerſos.* Gerhardus comes illius frater a. 1322. miſeratur, eccleſiam Novomonaſterienſem impiorum hominum vexationibus, prædis atque incendiis lacerari, vique atque injuria atteri, reditus ad victum pertinentes imminui atque ære alieno premi, ejus jura atque bona violari; cui ut ſubſidio eſſet, largitus eſt ei patronatum eccleſiæ Kilienſis cum ſchola ac omnibus, quæ ad eam pertinent, bonis. Quin & Burchardus litteris anno 1328. dat. innuit *quod prætactum monaſterium in medio nationis perverſæ poſitum hoſtilibus incurſibus, rapinis, incendiis & diverſis injuriis in ſuis bonis & juribus graviter dilapſum.* Neque tamen hic urgebimus *nationem* hanc *pravam & perverſam*, de qua jam ante Vicelinus ſub primordiis ſuæ eccleſiæ ejusque deinde

ſucceſ-

ſucceſſores conqueſti ſunt, quippe quam 2. milliarium intervallo remotiores effugere atque reliqua vitare haud poſſent incommoda, ut a. 1363. pluribus dicetur: quin potius meo quidem judicio regio arida & ſterilis ſitusque in ſicca planitie inamœnus translationi anſam dedit, *locusque*, ut vocatur, *congruentior, aptior & magis habilis* Borsholmum eos invitavit. *Propter ineptitudinem loci prioris ad locum magis congruum clauſtrum ſuum transtulerunt*, inquit Burchardus Grelle litteris 1335. datis. Ac Johannes quidem comes veras adducit cauſſas, ſcilicet *in temporalibus utilitatibus videlicet piſcium, lignorum, agrorum, paſcuorum, in ſpiritualibus monaſticæ diſciplinæ rigoribus, videlicet vita, ſolitaria contemplatione quieta, tranquillitate devota cum ceteris bonarum virtutum operibus*, cet. litteris anno 1291. datis. Burchardus archiepiſcopus ſpiritualia tantum reſpiciens vocat *locum quieti & devotioni clauſtralium aptiorem & cultui Dei magis habilem & a tumultu ſecularium alienum.* Loco hoc novo jucunditate ſitus commendabili inſtituta vita monaſterialis epiſcopali auctoritate pontificiorum more corroborata fuit. Atque initio quidem omnia ac ſingula privilegia Neomonaſterio huc translato firmabantur. Giſelbertus etiam archiepiſcopus jam ante translationem idem fecerat his verbis: *caritatem intendere volentes volumus, ut omnia privilegia veſtra habita & habenda ſicut hactenus, ita & de cæteroſtabilia in ſuo robore maneant & vigore, dummodo ſub eodem nomine licete transferatur novum monaſterium.* Johannes comes idem egit 1291. & præcepit, ut ipſum *clauſtrum jam translatum quidquid juris hactenus in proprietate & judicio totius villæ Novimonaſterii, ſicut in terminis ſita eſt, habuiſſe dignoſcitur, poſtmodum libere poſſideat & quiete - - - & ut emunitas primitivæ eccleſiæ cum omni utilitate diſponendi ad uſus ſuos tempore ſucceſſivo, cum translatio facta fuerit, infra ſepta ipſius dotis vel limites ſuo jure plenario gaudeat, tanquam ab ipſa fundatione usque nunc ibidem a fratribus eſt poſſeſſa.* Sic chartis quidem inſtructum hoc cœnobium majoris tamen momenti eſt, quod fecit archiepiſc. Borchardus, qui confirmatis omnibus ejus privilegiis, immunitatibus, bonis, cum annexa excommunicatione violentis invaſoribus intentata ſollicitus fuit *de promovendo idem clauſtrum omnibus, qui ad ſtructuram ibidem Novi monaſterii ſeu clauſtri manum porreverint adjutricem vel qui devotionis vel orationis cauſſa ibidem & quotiescunque cimiterium circumierint vel corpus domini in viſitatione infirmorum cum devotione ſecuti fuerint, ſalvis omnibus indulgentiis prædicto clauſtro prius datis, de omnipotentis Dei miſericordia & b. Mariæ ſemper virginis clementia, nec non beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis & auctoritate confiſi, confeſſis & contritis XL. dies indulgentiarum de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in domino relaxamus.* dat. Bremæ MCCCXXVIII. XIIII. Cal. Aug. Quibus indulgentiis atque peregrinationibus religioſis fiebat, ut eleemoſynarum collatione augerentur egregie res coenobii atque monachorum. Idem vero nomen cur utrique coenobio ſervatum fuerit, id quidem haud aſſequor: nec enim exceptio novationis aliquid ipſis inferre detrimenti poterat iidemque illis manebant reditus, qui quondam fuerant: niſi forte id metuerint, ne Archiepiſcopi Hamburg. & Brem. futuri, quibus tum parebat Holſatia religioſa, inde occaſionem arriperent 2. peculiares hinc præfecturas effingendi ac reditus dividendi. Atque hac ratione novum hoc coenobium cum veteri illo eodem venit nomine Novimonaſterii, usque dum ſucceſſu temporis diſtinctionis cauſa aliquid additum, dictumque in litteris antiquis *conventus novimonaſterii alias in Bardesholm*, DAT GADES-HUS TO NYENMÜNSTER; ANDERS GEHETEN TO DEM BARDESHOLM.

Cœnobii novi incrementa.

Hæc itaque fuere Bardesholmenſis coenobii primordia. An vero iſte locus quondam fuerit deſertus atque incultus, an vero ibidem ædicula quædam vel villa exſtiterit, ignoratur. Nominis; quod huic loco vulgo inditum, ratio in promtu eſt. *Martinus* quidem *Coronæus* paſtor quondam Flintbecenſis in *antiquit. Bordesholm.* MSctis inſulam Bardesholm dictam perhibet ab urſis ibi primum latitantibus, vi deinde expulſis: atque, ut robur quoddam ſuæ conciliet ſententiæ, provocat ad locum inter hoc coenobium & Smalſtedenſem molam interjectum, quem foveam ſive vallem juxta ſemitam vocat, ubi hæ feræ deinde latibulum invenerint, hinc que eum dictum putat urſorum foveam (Bären-Kuhl). Nunquam vero hunc coenobii locum dictum invenio Bährenholm nec a multis retro ſeculis in Holſatia ejusque vicinia uſi, quantum ego quidem ſcio, reperti fuerunt: foveam vero illam potius a familia Bæhriorum, quam a feris iſtis nomen traxiſſe facile quis conjiciat, exſtantque quamplura ejus generis nomina urbium atque virorum a BARD incipientia, inprimis vero fluviolus Barde prope Lipſiam habetur; ut inde conjectura pronum facile videri poſſet, lacum adjectum inſulæ nomen dediſſe. Quin & recentiſſimis poſt repurgatam religionem litteris dicitur Baersholm forte a percis, aliasque Bordesholm atque Borsholm; in antiquioribus tamen coenobii documentis ſemper Bardesholm vocatur. Sed quis rem ſatis definiverit, cum neſciamus, quis forte Bardus ante Monachorum adventum hic loci habitarit? *Bardesholmum unde dictum?*

Vicelini oſſa quo tempore huc deportata fuerint minus accurate ſcimus: facilis tamen eſt conjectura, id non diu poſt exſtructam ibidem factum eſſe; ſiquidem Vicelinus etiam poſt fata miracula patraſſe fertur. Hinc oſſa ejus huc allata cœnobio peregrinationes religioſas & eleemoſynas procuraſſe nullum eſt dubium. MART. CORONÆUS hic fabulam pro miraculo nobis venditat d. l. atque enarrat, currum, quo exuviæ ſive reliquiæ vehebantur, in via ſubſtitiſſe, nec potuiſſe loco move- *Vicelini reliquiæ huc transvectæ.*

moveri, usquedum vox prodigii plena jusserit xenodochium 12. pauperibus alendis struere; quo voto susceptо sine mora perrexerint, pagumque ibi exædificatum hinc monachos appellasse Mödebroeck. Sed facile hæc concidunt, cum ex chartis pateat, pagum illum antea dictum Muthenbroeck, dein Mühebroeck sive idiomate incolis hujus regionis familiarissimo Mödebroeck appellatum jam a. 1238. atque adeo 90. annis ante eam Vicelini ossium translationem conditum fuisse, comitemque Adolphum monachum, ac ejus affinem Gerhardum II. Bremensium archiepiscopum ex stirpe comitum Lippensium a. 1238. una cum aliis villis eo pertinentibus ecclesiæ Bordesholm. illum contulisse atque confirmasse binis litteris peculiaribus. Ossa vero illa Vicelini in sanctuarium juxta altare sepolsuerunt monachi addita episcopi imagine juxta plenam corporis mensuram cum hac inscriptione:

Ossa pii patris hic condita sunt Vicelini.

Bardesholm. cœnobio auctо; Novummonasterium vilescit.

Mox amoenus hic loci situs omnes religiosos Novomonasterio ad se invitavit, atque illud adeo cessavit fere coenobium, non nisi ædificiis servatis atque pauciſſimis retentis monachis usque ad tempora reformationis. Utrumque tamen Pontificiorum ævo sub uno eodemque fuit Præposito, nec ejus reditus divisi sunt. Quidquid etiam postea utrinque ædi vel ære comparatum vel donatum vel actum fuit, semper Novimonasterii id venit nomine. Post institutum novum hoc collegium:

Acceſſiones ejus potiores, aliaque juxta annor. ſeriem enumerantur.

A. 1328. Otto Wulvestorff addictam sibi in pago Brugge hereditatem una cum pertinentiis coenobio vendidit, servato tantum sibi jure clientelæ. Eod. a. Wulff Brokow. miles, pagum Flintbeck majus dictum obtinuit, pro cujus locario sive penso pagum Brokaw germanicum atque Brokow, (qui ni fallor jam Barkow appellatur,) parochialem itemque molam Haveckstorffensem, certis sub conditionibus coenobio concessit. Eodem anno Borchardus archiepisc. Brem. atque Hamburg. coenobio huic jus patronatus in ecclesiam parochialem Kiliæ, ipsi a Gerhardo com. a. 1322. in subsidium datum permisit, quo ædificationis sumtus ipsi sarcirentur.

A. 1329. confirmavit & ratam habuit Johannes comes liberorum quorundam ad Cranzmohr pertinentium agrorum a patruo b. m. Joanne a. 1291; coenobio Reynfeld factam venditionem. Eodem anno Borchardus archiepiscopus coenobio huic explanationem dedit de indigenarum decimis, quæ in controversiam venerant, ea ratione, ut posthæc, quo omni excusationi atque fraudi ansa præscinderetur, a singulo jugero majori (Pflug) loco decimæ primariæ *modiolos sex siliginis usualis mensuræ quolibet anno* penderent.

A. 1330. Wulf Brockow miles, amboque ejus filii Johannes ac Marquardus, coenobio vendunt tres jugeri partes in pago Bisticsee majori siti, tresque partes in pago Luderstorf, jugerumque majus aliud in pago, quod dicitur Hargen majus, pro 80. marcis Lubecensis monetæ dimidiumque mansi in Brugge. Albertus Dux Sax. Angr. ac Westphal. eodem tempore huic coenobio largitus est facultatem quibusvis justis modis possessiones hereditarias ac feuda jurisque dictiones acquirendi, præterea que a comite Holst. equestri ordini, clientibus aliisque vendita feuda commutandi in possessiones hereditarias.

A. 1331. die annunciationis Mariæ Hartwigus Reventlo miles & Jo. Schonbeck venderunt jugera maj. aliquot, ac mansos in pagis Luderstroff, Brugge & Radegestorf (jam Rastorf) cum judicio superiori & inferiori omnique, ut vocant, guardia. Eod. a. auxit eandem donationem comes Johannes additis aliis jugeribus maj. in iisdem pagis. Vexationes expertos fuisse hujus cœnobii circa hoc tempus fratres, forte inde quis conjectabit, quod Johannes XXI. Pontif. Rom. sequenti a. 1332. Neomonasterium nostrum una cum omnibus ejus personis possessionibusque legitimis & in futurum justo titulo acquirendis, in suam & S. Petri susceperit clientelam, sigillatimque addiderit decimas, terras, *vineas* (sed ubinam illæ in hac plaga boreali, quas Geographus noster forte pro Italiæ indole hic sibi finxit) cet. subjuncta excommunicatione. &c.

A. 1334. Johannes comes Holsat. cœnobio Neomonasterienſi vendidit tributa provincialia, quæ vulgo dicta Grevenschatte ex parochia Bredenberg ipsi pendenda pro 300. marcis, & remisit eidem omnes exactiones atque opera tributaria; ea tamen ratione, ut post decennium sibi eadem vindicare liberum ipsi esset. Eodem anno hoc cœnobium cum sacrorum apud Bruggenses ministro commutavit 4. jugera maj. in pago Blomenthal cum dimidio pago Schonhorst.

Anno 1334. sub quodam titulo reperiuntur literæ confœderationis inter nos & fratres de Jazenisse datæ Comyn. 1334. literæ postulationis præpositi ex Jasenisse 1334. Registrum bonorum in Jazenitz tempore Egardi, ac literæ confœderationis inter Barthol. & fratres & præpost: Jazenisse a. 1336.

A. 1335. Borchardus archiepisc. Bremens. coenobio Bordesholmensi ad levandos ipsi ædificationis sumtus atque ob hospitia quotidie magis ingravescentia, parochiam Bruggensem addixit, præsertim cum & ab aliquo inde tempore inundatione regionis circa Bysthorst in Marsia Wilstrienſi facta multum detrimenti passi essent Bardesholmenses.

Permutatio parochiæ Aslensis cum Bruggensi.

Paulo post idem archiepisc. parochiam Bruggensem cum Aslensi, quarum illa præpositi Neomonasterienſis, hæc Bremensis inservibat mensæ, permutavit, ita tamen, cum hujus largiores essent reditus, ut ex his quotannis 30. marcæ monetæ Lubecensis præposito Bremensi penderentur, vel ut hoc tributum 40. marcis redimatur, cujus pecuniæ usuris hinc frueretur ille. Antequam vero parochia Aslensis morte præsentis ibidem sacrorum ministri vacaret, quippe qui Bruggensi illud pretium solvere debeat, præpositus Bremensis a vicario Bruggæ constituto quotannis 15. marcas & residuum summæ a præposito vel coenobio Novimo-

vimonaſterienſi exigeret. Menſe dein Octobri permutatio hæc ita definita fuit, ut præpoſitus Brem. vicarium Bruggæ aleret, qui ibi commodis Bremenſium invigilaret: præpoſito vero Neomonaſterienſi in viſenda eccleſia Aslenſi conſtituto, liber eſſet Albis trajectus venienti vel redeunti, idemque ex reditibus ejus parochiæ profectionis ſumtus peteret, calamitate imminente tuto illuc confugeret, atque ibi ſua atque eccleſiæ ſuæ jura ac privilegia, quæ ſæpius violarentur, obſervaret. Ita utriusque conſenſu ſtatutum atque fixo illo 30. marcarum pretio pendendo cuique patronatus atque proprietas poſſeſſionis adſcripta eſt. Quænam vero archiepiſcopo circa hanc permutationem habita ſitus ratione utrique parti incommodam, cum præpoſito Bremenſi Aslenſis prope Stadam parochia eſſet vicinior ac præpoſito Bardesholmenſi atque monachis Neomonaſterienſibus Wilſtrienſis ac Crempenſis Marchia receptaculo aptior, mens fuerit, facile poterit divinari; ea nempe ni fallor, ut ipſe ejusque ſucceſſores aliquam jurisdictionis Bardesholmenſis ſibi vindicarent partem atque caverent, ne forte hi monachi, ut ante factum alii ſe committerent epiſcopo; atque cum liberum ipſis eſſet, præfectum, priorem atque alios miniſtros eccleſiæ eligendi jus, Bremenſes etiam ſucceſſu temporis patronatum atque plenam jurisdictionem in aliquas parochias ſibi ſumerent.

A. 1336. Johannes comes Holſ. Neomonaſterienſibus dedit molam Smalſtædenſem jure clientelari aliis concedendam; atque ad evitandas lites Joannes atque Timm nobiles de Smalenſted dicti eorumque fratres Vick atque Nicolaus cœnobio Bardesholmenſi certos conſtituerunt limites inter Smalſtedam atque Oldenzoram. Venerabilis quoque conventus Bardesholmenſis per priorem Eggardum cum ſenatu Kilienſi de ædis ædificatione, ſacellis, altaribus, vicariorum muneribus, pauperum ærario, cet. lites coram comite nobilibusque aliquot compoſuit.

A. 1337. Mola Smalenſtædenſis huic cœnobio ceſſit, quam vendiderunt ipſi pro 80. marcis fratres Henr. Detlevus, Timm, Fridericus, atque Nicolaus e ſtirpe Smalenſtædiorum una cum piſcationibus judicio ſuperiori & inferiori, omnibusque ad eam pertinentibus, excepto jure clientelari.

A. 1338. Conradus Hartvicus & Marquardus Wulfii fratres pro majorum ſuorum ſacris piacularibus faciendis legarunt ædi S. Nicolai Kilienſi vicariorum præmia XX. marcas, quæ quotannis redibant ex pago Vlintbeke *minori*, una cum judicio ſuperiori & inferiori, cujus patronatum cœnobio Bardesholmenſi ſponte contulerunt, atque canonice eam donationem a Borchardo archiepiſc. Bremenſi illi confirmari curarunt. Eodem tempore archiepiſcopus ſcripto interdixit, ne clerici Kilienſes ſine conſenſu cœnobii Novimonaſterienſis (excepto ſacello ſpiritus ſ. dicto) vel altaria ſtruerent, vicariorum præmia ſive præbendas formarent, vel miſſas aliaque ſacra celebrarent, ſub comminatione pœnitentiæ eccleſiaſticæ atque ſecuturæ excommunicationis.

A. 1339. Oppignoravit Jo. Brokow coenobio Bordesholm. jurisdictionem ſ. judicium in pagum Vlintbeck majus dictum, qui patri ejus Wulfio Brokow equiti ab Eggerto Soldhero antea pro centum marcis Lubec. pignori datus erat, eodem pretio, ſibi tamen reſervato jure redimendi; ſimulque Jo. Brokow atque Nicolaus Poggheviſch ſtipulabantur, amicorum ſuorum Hartvici & Warquardi Wulfii & Wulfii Poggeviſchii requiſitum conſenſum procurare.

Eodem anno Marquardus ejusque filius Joannes Rumohrii nobiles Conrado Wulfio jugerum maj. agri in Blomenthal vendiderunt atque ad evictionem præſtandam ſeſe obſtrinxerunt.

A. 1340. Otto, Detlevus & Marquardus fratres Schachtii ſ. ab Ho dicti, venerabili Henrico parocho Bruggenſi ac fratri ejus Nicolao Gothen hidio civi Lubecenſi eorumque heredibus totum ipſorum patrimonium ſitum intra limites pagi Hargæ minoris in dioecesi Neomonaſterienſi, cum omnibus pertinentibus judicio ſuperiori & inferiori, arvis, pratis, paſcuis, fruticetis atque paludibus, aquis omnibusque utilitatibus atque commodis proprietate & libertate vendiderunt pro 200. marcis Lubec. æris parari, cum ſponſione, intra annum & diem evictionem præſtandi, reſervata tamen ſibi juris dictione atque jure clientelari; quod firmatum ab ipſis proximisque eorum cognatis ſtipulata manu, debitisque litteris atque ſigillis.

Eod. a. Johannes comes Holſat. & Stormar. coenobio huic judicium ſuperius atque inferius in pagum Vlintbeck maj. hereditario jure poſſidendum tradidit. Eod. a Wolradus Walſtorff nobilis Ottoni ac Wulffio Smalſted villam ſuam in pago Fœrde ſitam oppignoravit. Eod. anno conventuales precio acquiſiverunt a Wulfio & Ottone Smalenſtediis fratribus pagum Tœtekendorf cum omnibus pertinentibus præter jus clientelare. Eod. a Johannes Kruſe diaconus Nienkerck. ad Albim cœnobio Neomonaſterienſi donavit agros ſuos in Lutteryngen prope Welnoviam ſitos, quos ipſi quondam vendiderat Henricus Zeveken nobilis.

A. 1343. Johannes Parthenonis Uterſenſis in Stormaria præpoſitus ſesqui jugerum maj. agri ſorori ejus Eliſabethæ, quæ Aſpæ majoris habitabat, quoad ætatem ageret, uſurpandum, poſt ejus vero fata coenobio Neomonaſterienſi dedit.

A. 1344. Siwerdus Smalſtede & conſortes firmabant venditionem molæ Smalſtedenſis factam a. 1336. & 37. Cum omnis juris renunciatione.

A. 1349. Fratres & patrueles e ſtirpe

Gryporum conventui Bardesholm. pagum Gryphes hargam cum pertinentibus pro 340. marcis Lubec. monetæ argenteæ vendiderunt & consuetam in his terris evictionem præstandam spospondérunt.

Eod. a. Johannes comes cœnobio judicium superius atque inferius in pagis Oldenzoren atque Totkendorf tradidit. Eod. anno vener. Henr. Gudethid dictus parochus Bruggensis pro se suisque parentibus sacrorum piacularium causa quotidie ante meridiem coram suggestu perpetuo habendorum legavit 24. marc. scilicet in pago Harga min. 3. marcas, sed sine juris dictione, Harga maj. XI. marc. una cum judicio superiori & inferiori atque omnibus reditibus, itemque ex 4. jugeribus maj. seorsim sigillatimque 1. marc. quod æs priori atque xenodochii magistro quotannis colligendum & inter missam facientes dispensandum; residuum vero in vestitum aliaque necessaria impendendum, hoc addito, quod si forte hæc pecunia inutiliter collocaretur, illæ 24. marcæ ad Pretzense virginum sacrarum cœnobium transirent hique monachi a sacris piacularibus celebrandis liberi essent; reliquas 4. marcas ex pago Grypersharga redeuntes, quæ aere Johannis Swanzen clerici episcopatus Lubecensis acquisitæ erant, post ejus fata in cœnobii Neomonasterienſis utilitatem legato convertendas statuit; præpositus vero teneretur hunc pagum æque ac reliqua bona parochialia tueri.

A. 1349. Lis exorta inter hujus coenobii fratres atque incolas quosdam Marsiæ Wilstriensis de quibusdam agris in Wilrehesmohr (quæ Wylrykismoer hic vocatur curia magna atque dein sublata dicta est Niendorp) sitis, quæ a senatu civibusque oppidi atque parochiæ Wilstriensis atque Ellerflethensibus coram diacono Hilgenstedensi ac Wilstriensi amice est composita.

A. 1350. Godefridus (L. B. ab Arnsburg) archiepiscopus Bremensis in gratiam coenobii Neomonasterienſis adversus clerum Kiliensem novam edidit constitutionem ejusdem argumenti cum illa Borchardi a. 1338.

A. 1351. Wulff & Otto Smalensted fratres Nicolao Splid dicto Mosegard vendunt villam Foerde ea conditione, ut cœnobio Bardesholmensi quotannis ex mola septem marcas Lubecens. penderet, confirmante id Johanne comite Holsat. præsentibus compluribus nobilibus.

A. 1357. Elertus Bisticsee nobilis renunciat reditui IX. marcarum annuo Harrigæ min., quas Henr. Godethid a. 1349. sacrorum piacularium perpetuo faciendorum caussa legaverat, ceditque eas cœnobio Bardesholm. ut testantur Joh. com. atque ab aliis nobilibus subscriptæ litteræ. Eod. a. Dose a Tymm de Godenthorp, Joannis militis filius, tria jugera Harrigæ minoris prope Bardesholm pro 50. marcis Lubec. sub renunciatione sponsionis ac testimonio plurium cognatorum coenobio vendidit. Circa idem tempus Henricus Gudentyd literis testatum dedit, Elertum Bisticsee nobilem, in pago Harrigæ min., quæ quondam Ottonis Schackii villa fuerat, nullam habere proprietatem.

A. 1358. Johannes & Adolphus comit. Holsat. pater ac filius lites inter præpositum Neomonaster. & Petrum Bockium parochum & vicarium Bruggensem agitatas de villa Schonehorst ejusque reditibus diremerunt.

A. 1361. Henricus atque Nicolaus fratres comites Holsat. & Stormar. coenobio Bardesholmensi, confirmant jam a. 1227. a. com. Adolpho in banno Saxonico ipsi concessos agros.

A. 1362. Adolphus comes Johannis filius in deliberationem adhibitis amicorum fidissimis coenobio Bardisholm. vendidit atque tradidit juris dictionem, judicium superius atque inferius colli ac manus cum omni dominio, emolumento atque libertate, pagum Harrige maj. pro 125. marc. Lubecens. nil quicquam sibi juris in eum reservans; dein Elertus Bisticsee nobilis, cum totum pagum Holbeke Adolphus comes loco solvendi aeris debiti ipsi cessisset, de unico ejus jugero, ut videtur, separato, quod a. 1308. ab Elerto Frese præfecto ære comparatum hucusque tranquille possederat, ac coenobium comesque ipsi servandum promiserant, cum coenobio ære transegit. Henneke vero Walstorp Jweni fil. dictus Zoepel juris dictionem, judicium supremum, medium ac infimum colli ac manus in quartam pagi Harrige *majoris* partem, prout ea ab Abele conjuge, Gotscalci de Velden junioris vidua titulo tributi vidualis in se collata erant, reverendo capitulo Bardesholm., quod jam ab Adolpho comite plenam in eam juris dictionem obtinuerat, vendidit pro 30. marc. Lubec. cum renunciatione omnis in eam juris atque præstandæ evictionis judicialis.

Eod. a. Marquardus & Henricus de Velden patrueles avunculo suo Detlevo Gryp consuli Kilienſi ejusque heredibus omnem ipsorum in tres partes pagi Harrige *majoris* juris dictionem cum mixto & mero imperio omnibusque annexis commodis, supremo, medio & infimo judicio colli manusque, ut & quibusvis evenientibus actibus judiciali & mulctis numerato vendiderunt atque cesserunt cum sponsione evictionis pro tota parochia præstandæ; emtorique faciunt potestatem reliquam ejusdem pagi partem pretio acquirendi, quod cum renuntiatione revocationis a multis prædibus atque amicis subscriptum atque firmatum est.

Eod. a. iidem Veldenii Grypio jam dicto conſ. Kil. datis litteris concesserunt ut quartam partem pagi Harrige majoris libere emat vel vendat, quæ quidem a Gotscalci, qui fuit

Mar-

Marquardi frater, vidua transiit ad Hencke Walstorf, cum jam Detlevo consuli reliquas tres partes permisissent, & quidem cum omnibus juribus ac privilegiis, ut adeo jam Detlevus Gryp totum illum pagum Harrige maj. quietus possideret, eumque pro arbitrio administrare ipsi liceret, prout ille Veldeniis eorumque majoribus a b. m. Joanne comite ritulo tributi vidualispro 110. marc. Lub. oppignoratus fuit.

Eod. anno Adolphus com. Holsat. ac Stormar. litteris datis se obstrinxit, se unum illud jugerum maj. intra limites Holenbeke situm, ad canonicos Bardesholmenses pertinens futura forte alienatione sive venditione neque oppignoraturum neque venditurum unquam, sed cœnobium hoc id agri cum omnibus utilitatibus superioritate ac juris dictione perpetuo servaturum atque usurpaturum esse.

Eod. a. inter Bardesholmense capitulum & vicarios beneficiariosque Kilienses ædis S. Nicolai, itemque sacelli S. Spiritus, S. Georgii ac S. Gertrudæ exoriebantur controversiæ de reditibus atque censibus, quæ ab archiep. ejus ævi Godfrido aliisque legatis sunt dijudicatæ.

Supra jam promisimus, nos circa ann. 1363. demonstraturos, novum hoc coenobium Bardesholm. ne hoc quidem loco a vexationibus fuisse liberum ; quemadmodum ratione violentiæ atque injuriæ isthic toleratæ quondam speraverant fratres. Siquidem Christianus eo tempore præpositus archiep. Godfrido clare indicat, quantis tribulationibus atque vexationibus hic afficiatur partim a terræ domino, hospitiis, mantionibus atque oneribus ejus ministrorum assidue sustinendis, quibus conficerentur, atque in suo monasterio non aliter ac in medio perversæ gentis in rerum divinarum exercitio interpellarentur; præterea eorum reditus valde attenuatos esse queritur, adeo ut prædia ad cœnobium pertinencia inculta atque deserta jaceant: & si qua a quibusdam pendendi tributi spes sit, rusticos tamen ære alieno gravatos non esse solvendo: qua re ad misericordiam commotus archiepiscopus coenobio concessit facultatem coenobii personas sejungendi atque aliorsum in loca tuta vel ædes ipsis addictas collocandi, ubi melius sustentari atque cultui divino majori cum industria ac devotione vacare possent.

A. 1367. Marquardus Wulf nobilis de Wapene, alias famulus s. Juncker dictus clericis Bordesholm. pagos Totkendorf, Nienzörn, Gripesharge, Grotenharge, duo jugera major. Vlintbecæ minor., 7. Blomendalii ac molam Smalstedensem cedit atque largitur, subsignantibus ambobus ejus filiis Marquardo & Ludero.

A. 1369. Detlevus Poggewisch præposito coenobioque Bardesholm, pro 24. marcis nummorum argenteorum vendidit prædium aliquod cum piscationibus majoribus in Bissee & Gryben omnibusque pertinentibus.

A. 1370. Elerus Bisticsee una cum ambobus ejus filiis Tymm atque Detlevo ædi Bardesholmensi dedit atque donavit jus atque jurisdictionem in 3. mansos pagorum Grypesharge & Rycklingen ad sacra piacularia pro ipsis eorumque parentibus habenda.

A. 1373. Bartramus Cremon episcop. Lub. transsumtum s. copiam, ut vocant, vidimatam super Johannis & Adolphi comitum traditione atque concessione Bissee majoris & Harrige majoris dedit, qua de re supra ad ann. 1248.

A. 1376. Coenobium Augustinianorum Segebergense pro publico censu ecclesiastico sex modios farris, qui proveniunt in pago Rycklingen dioeceseos Neomonasterienſis cum cœnobio Bardesholm. permutavit ; e quo numero jam Bardesholmenses 2. modios numerato comparaverant, quatuor reliquos vero pro uno modio farris ad mensam præpositi tribusque ad xenodochium Segebergense pertinentibus pro decimis in Westerbotel ex æquo libereque acceperunt, stipulata debita evictione.

A. 1380. Johannes præpositus Prezensis atque Alheyd ibidem sacrarum virginum antistites vendunt coenobio Neomonasterienſi mansos duos sitos in pago Luderstorff pro 20. marcis sub evictione consueta.

A. 1382. Nicolaus Splytt nobilis dictus Mosegarde limites definivit inter Joannem Bockwolde præpositum Bardesholm. & pagos Flintbecke maj. & min. Item Otto Rumor, dictus Reine, arbiter fuit limitum constituendorum inter Bardesholmum & amnem juxta trajectum (zu dem Vorde) ad Eydoram sub fide & religione.

A. 1383. Detlevus atque Gosche Godendorf, Tymmii Godendorf filii, venditionem, quam Tymm atque Dose Godendorf. a. 1357. inierunt, 3. mansorum agri Harrige minoris cum coenobio Bardesholmensi firmarunt cum renunciatione omnis in eos juris.

A. 1389. Præpositus atque prior coenobii Bardesholm. permutarunt cum coenobio sacrarum virginum Utersensi Benedictini ordinis in Stormaria mansum quendam cum omnibus ad eum pertinentibus ad pagum Halenbeke dioeceseos Utersensis situm & ad Neomonasterium pertinentem, ut lites inter utrumque coenobium ejusque ministros subjectosque sæpius ortæ sopirentur pro 3. marcis perpetui reditus monetæ Hamburgensis quot annis in festo S. Martini pendendis.

Eod. a. templi Norturffensis curatores publicis litteris coenobio Bardesholm. vicinam silvulam atque agrum, qui dicitur Kyffrode, de quibus disceptarant, plane tradiderunt juri suo in eas possessiones, quondam sibi vendicato, renunciantes.

A. 1390. Controversia inter coenobium Bardesh. atque Mettam Ottonis Rumor conjugem de 7. marcis annui census, quas fratres Smalstedii apud Nicolaum Splyten in venditione prædii Vorde a. 1351. pacti fuerant, agitata, arbitrio quorundam nobilium dijudicata est.

Eod. a. Nicolaus com. Holsat. diremit atque transegit litem inter coenobium ac quosdam incolas Wilstrienses de quibusdam agris in parochia Wesselsflet sitis, exortam.

A. 1391. Johannes Niendorp archiep. Brem. Alberti vicarius ſupremus & canonicus Hamburg. & Ramslohenſis, legati munere fungens Bernhardum Küle canonicum & diaconum quondam ſ. rectorem vicarium eccleſiæ Neomonaſterienſis cum ejusdem eccleſiæ curatoribus diſſidentem, de quibusdam reſiduis ipſi legatis pecuniis aliisque reditibus ita conciliavit, ut jam Bernhardo Kulio pro detrimento accepto ſumtibusque factis 24. aſſes; futuro vero ſacrorum miniſtro tertia pars omnis legatæ pecuniæ atque quorumvis redituum juxta ſtatuta Hamburgenſia plane penderentur; quod præſentibus plurimis teſtibus atque notariis decretum fuit.

A. 1392. Siverdus Smalſtede Bardesholmenſibus vendidit pagos Bockwolde majus, Smalſtedam, Grevenkrog in parochia Bruggenſi ſitos, item 9. marcas æris in pago Nienzören parochiæ Norturpenſis atque Blomenthalii pro 2300. marcis nummorum Lubecenſium, ſub ſponſione conſuetæ in his terris evictionis præſentibusque teſtibus plurimis nobilibus. Cujus venditionis iterum alias literas ſub pari evictione & coram pluribus teſtibus venditor dedit. Utræque illæ litteræ tertiis firmatæ ſunt, quibus ſimul pretii ſolutionem ſibi factam teſtibus multis adhibitis docet, prætereaque pro ſua, ſuorumque vita functorum atque viventium ſalute perpetuam vicariam X. marcarum altari angelorum in Bardesholm legavit. Quartum ante dicta bona & venditionis litteras Nicolaus ejusque frater Albertus a. 1393. confirmavit, reſervatis ſibi operibus tributariis atque cenſu.

A. 1394. Schack Rumor nobilis Nicolai filius manſum quendam Scerenæ ſitum altari Bardesholm. legavit, ut ex ejus reditibus vinum atque panis, quæ res ſacræ cœnæ celebrandæ inſerviunt, compararentur, teſtisque ſubſcripſit ejus frater Marquardus.

A. 1399. Hermannus Heyne Joachimo tum Bardesholm. præpoſito patrimonium Welnowiæ ſitum pro 100. marc. Lubecenſ. vendidit.

Eodem anno cœnobium Bardesholm. Wulfio Pogwiſch juniori, militi, atque Hartwigo Heſten, ad dies vitæ pagum Mönnike Richte conceſſit, quod litteris ambo hi teſtatum fecerunt.

A. 1400. Archiep. Bremenſ. Otto II., e domo Brunſuicenſi ortus, ordinationem atque præſcriptum cœnobii Bardesholmenſis contra clerum Kilienſem renovavit atque firmavit.

A. 1402. Borchardus Pleſſe nobilis Bardesholmenſibus patrimonium ſuum Feldhuſen cum omnibus ad id pertinentibus in parochia Stelnow præfecturæ Steinborgenſis ſitum vendidit.

A. 1404. Erneſtus Pogwiſch junior, miles, a coenobio Bardesholm. 250. marcas Lubec. æris ſibi concrediti contraxit.

A. 1405. Siverdus Smalſtede miles coenobio Bardesholm ex pago ſuo Chriſtoph-Harrige in parochia Bruggenſi 8. marc. reditus annui vendidit.

A. 1408. Swyn Quale nobilis coenobio Bardesholm pagum Chriſtoph-Harrige pro 540. marcis nummorum Lubec. vendidit.

A. 1409. Dietericus Bredenfleth nobilis renunciavit omni ſuo juri in villam Moncken-Recht parochiæ Bishorſtenſis.

A. 1410. Hartvicus Pogwiſch coenobio Bardesholm 62. marcis debiti æris obſtrictus eſt.

A. 1413. Henricus com. Holſat., Henrici ferrei filius, epiſcopus Osnabrugæ delectus, coenobio Bardesholm jurisdictionem, ſcilicet judicium ſupremum, medium atque infimum in pagum Loop parochiæ Nortropenſis dedit, ut pro ſe ſuisque majoribus bis quotannis vigiliæ atque ſacra piacularia celebrarentur.

Henrici comitis a monachis deceptі munificentia.

Huic Henrico, qui fuit 3. filiorum ex fratre in Ditmarſia cæſo ſuperſtitum tutor, memi-nit *continuator Helmoldi* apud *Leibnizium* c. 42. p. 108., monachos eam donationem callido conſilio extorſiſſe. Cum enim aliquando ad coenobium Bardesholm. diverteret, a monachis ipſi relatum eſt, ſub benedictione pronunciata frequentius angelorum vocem exaudiri, quæ non ab omnibus, ſed aliquibus tantum, jucundiſſime perciperetur; unde hic id ipſum experiri mire cupiens in templum ſe deportari juſſit; *debilis* enim, ita verba habentur, *in membris ſuis, videlicet podagricus & arthriticus, tamen utilis terræ fuit (hac quidem re).* Hoc effecto miraculo commotus comes vota nuncupavit, quod ſi ipſi hanc vocem auribus percipere contingeret, ſe in ſuam parentumque memoriam coenobium opipare muneraturum eſſe. Poſtquam vero eam, ut ſibi perſuadebat, vocem exaudiviſſet, votum perſolvit, coenobioque huic juris dictionem in pagum antedictum Loop largitus eſt, qua re pro ſua, parentumque ipſius animabus quotannis vigilias atque ſacra piacularia facere monachos obſtrinxit.

A. 1416. Jo. Slamſtorff archiep. Bremenſ. & Hamburg. rata habuit atque confirmavit omnia ac ſingula, quæ huic coenobio quondam conceſſa atque ab archiep. Athelberone ac Hartwico antea confirmata erant bona, omniaque ejus privilegia. Idem archiep. eod. a. firmavit Burchardi Grellen archiep. quondam confirmationem & approbationem cujusdam, ut vocant, vicariæ perpetuæ, quam Conradus, Hartwicus & Marquardus, fratres Wulfii dicti, altari XII. apoſtolorum in æde parochiali, quæ Kiliæ eſt, legaverant a. 1338. juxta omnia ejus momenta & clauſulas, ſcil. quod ad agros & prædia patronatum atque inveſtituram eccleſiaſticam & cultum ſacrum ejusque miniſtrorum ſubmiſſionem. Eod. a. Henricus comes venditionis litteras quas Henr. Kühlen nobilis coenobio Bardesholm. ſuper pagum & prædium Cronemore in parochia Itzehoenſi & varios cenſus comiti pluribus pagis ad Marſiam Wilſtrenſem ſitis pendendos dederat, firmavit.

Henr. C. Ducis Stormar. titulum præ ſe fert.

A. 1417. Henricus princeps Stormariæ comes Holſatiæ ac Schaumburg. literas antiquas, quas poſſidebant fratres Bardesholm. quibusque

busque decimæ ex palude Wickfleth ipsis erant adsignatæ, iterum confirmavit. Notanda vero circa hoc documentum occurrunt, 1) quod Henricus comes tutor hic se appellet principem Stormariæ, cum tamen tutoris tantum nomine eas administraret terras, nec ipse earum dominus esset; accedit & illud, quod a. 1474. Christiani R. Dan. atque com. Holsat. ac Stormar. tempore hæc ditio a Frider. Imp. atque adeo 50. annos post Henrici mortem demum Stormaria in ducatum fuerit evecta; vid ipsum diploma apud MEIBOM tom. III. *rer. germanic.* p. 213. Hujus adeo tituli ratio ignoratur. Quamquam enim comites principibus atque dominis sint annumeravdi, nunquam tamen claris verbis se nuncupare solent principes; sed comitis titulo contenti, eo utuntur, usque dum auctoritate cæsarea in majorem evehantur gradum. 2) Comes noster Henricus, qui electus erat episcopus Osnabrugensis, principis nomen si affectasset, facile foret adeptus: quoniam vero amore fratris liberorum impuberum ductus episcopatu se abdicaret, ut nepotibus suis adversus Daniæ regum insidias ditionum possessionem tueretur, non poterat ille, quippe qui eas sibi non habebat proprias, ex hac illarum administratione tutoria principis sibi vindicare titulum. 3 Cum Holsatiæ atque Schaumburgi ratione comitis speciatim retineat titulum, etiam cygnus coronatus Stormariæ insigne, quod usurbabat, ipsi nullum conciliabat dignitatis incrementum. 4) Nec ob ducatum Slesvicensem, quem in pupilli gratiam ab Erico Pomerano R. obtinerat, hunc titulum sperare poterat, quia speciatim hic appellatur Stormariæ princeps. Nec vero ægrum corpus atque articularis morbus ipsi spem successionis aliquam relinquebat atque se 3. illis adolescentibus dominis fore superstitem. An itaque instrumenti forte auctor sive scriba adulationis causa illud addiderit, id suo dijudicandum relinquimus loco.

Anno eod. idem tutor cœnobio Bordesholm. juris dictionem summam jusque patronatus in parochiam Nienbrocke diœceseos Hamb. cum omnibus pertinentibus largitus est. Hinc etiam novis litteris eandem parochiam cœnobio huic inferere jussit, multis gravissimis adductus causis; quarum præcipuæ quod hoc cœnobium ab improbis hominibus afflictum intolerabilibus mansionibus, hospitiis aliisque incommodis attenuetur, ut hinc cœnobii ædificia in ruinam atque in pejus vergant, bona ad victum præbendum dicata ære alieno aggraventur atque possessionum præcipue in Wilstrienſi, Krempensi ac Haseldorpiensi Marsia inundationibus jacturam fecerint non exiguam: porro quoniam Boresholmenses coloni plurimum inde abessent, se non posse ad aggeres molesque mari objiciendos, quæ faciunt ad servandos eos agros, mittere in distantia adeo loca ex suis. Quorum incommodorum levandorum causa comes pia commiseratione ductus, jus patronatus parochiæ Nienbrock in media illa Marsia sitæ cum omnibus juribus ac privilegiis, utilitatibus, agris, reditibus, decimis, censibus, tributis, immunitatibus, omnibusque eo pertinentibus huic cœnobio ejusque alimento largius procurando attribuit atque adsignavit, ut fratrum corona cultum sacrum eo tranquillius ac majori cum animi libertate obire posset, atque id illis perpetuo servari voluit. Hinc vero statis temporibus tam pro animabus comitis parentum quam pro sua ipsius salute sacra piacularia vigilias & memorias anniversarias speciatim eum in finem præstitutis canticis atque diebus certis accensisque candelis 6. librarum cereis celebrare obstricti essent cœnobii hujus socii. Ut autem omnia vivo adhuc comite effecta darentur, archiepiscopus Jo. Slamstorf, in cujus diœcesi atque præpositura hæc parochia Nienbrock erat sita, rogatus est eandem cœnobio Bardesholmensi adscribere atque inferere ejus reditibus mensæ fratrum attributis.

A. 1420. recognovit atque firmavit idem Jo. Slamstorf prædia quædam Bardesholmensia atque privilegia super illis data, quæ jam anno 1146. ab archiepisc. Athelberone confirmata atque autoritate munita erant sine præjudicio tamen iteratæ novationis.

Anno eod. cedit atque tradit Johannes Scholenfleth nobilis cœnobio Bardesholm inter alia etiam decimas 24. jugerum in Munckenrechte parochiæ Bishorstensis.

A. 1421. Cœnobium Bardesholm litteras publicas dedit, quibus profitetur, se pro ipsis facta largitione parochiæ Nienbrock promissa sacra piacularia aliosque ritus solennes Henrico com. præstituros.

Henrici C. obitus atque merita.

Eeod. anno Henric. com. diem obiisse supremum perhibet *chronicon Holsat.* edit. *Leibnit.* p. 108. postquam non solum de patria optime meruerat; sed etiam clero strenuus defensor, tutor atque patronus exstiterat. Quod etiam JO. PETERSEN chron. Holsat. p. 99. CYRIAC. SPANGENBERG *chron. Schaumburg. L. 3. c. 39. p. 169. J. J.* PONTAN. L. 9. hist. Dan. p. 565. M. MERIAN. *topograph. Sax. infer.* p. 41. memorant, eum nempe circa annum 1419. postquam patrueles suos in possessione terrarum Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ ac Wagriæ magna cura adversus belli discrimina strenue defendens terræ atque genti optimo rerum cum successu præfectus tutoris partibus satisfecerat plane, *licet claudus, tamen magnanimus*, ut quidam ait; cum vero ejus pupilli jam ad virilem pervenissent ætatem, ipse autem maximis sollicitudinibus atque belli laboribus senectutem gravem atque varia corporis ægritudine affectam molestiorem sibi reddidisset, civili imperio dimisso otio se dans pacatiorem vitam amplexus est, ac reliquum sibi temporis spatium, tranquillitati cultuique divino diligentius obeundo consecrans in hoc concessit cœnobium, præsertim cum electus episcopus Osnabrugensis sacro jam ordini esset adscriptus; atque

meo quidem judicio a. 1421. mortuus is eſt ac Itzehoe majorum ſepulcro conditus.

A. 1425. Cum inter Wulfium auctorem atque fundatorem vicariæ XII. apoſtolorum Kiliæ atque cœnobium Bardesholmenſe de diſpenſatione ejus beneficii aliqua oriretur diſſenſio; cœnobium tamen Bardesholm. habita plurimorum Wulfii erga ſe meritorum ratione amice profeſſum eſt atque conceſſit, ut quoties uſu veniret, familia Wulfiorum, quoad illa ſuperſtes foret, illi vacanti novum quendam præficiendi ſacerdotem gauderet facultate: hac addita conditione, ut ſi forte illa foret exſtincta, cœnobio tantum Bardesholm. eam alii conferre perpetuo liceret.

A. 1428. Hamburgi in ædibus capituli aliquibus hujus collegii atque ſenatus membris litis inter Ottonem com. Schaumb. ſive Pinneberg & conventum Bardesh. de decimis Marſicis asque bannoWicflethenſi agitatæ dijudicatio demandata, cauſaq; adjudicata eſt cœnobio.

Anno 1434. Adolphus com. (Dux Sleſv. atque comes Holſ. ſtirpis Schaumburg ultimus) ejusque conjux Margaretha cœnobio Bardesh. omnia prædia in pagis Chriſtoffer Harrige, Bockwolde mai., Smalſtede, Grevenkrog, Sœren, Totekendorp, partemque pagi Blomenthal zum Vörde cum mola Boyenhuſen, Molveſſe, Schulendorp, Milkendorp cum agro Belekendorp & pago Dodeke confirmarunt.

A. 1437. Benedictus Rumor Schacki fil. cœnobio Bardesholm. vendidit prædia ſua in pago Soeren ſita pro 60. marc. Lubec. ea ſub conditione, ut fratres ejus ſorori Berthæ Rumoriæ Margarethæ Meynerſtorpiæ ejus ex ſorore nepti quotannis & quoad illæ forent ſuperſtites X. marcas Lubec. dotalitii loco penderent.

A. 1439. Joannes Kale eccleſiæ Itzehoenſis vicarius cœnobio Bardesh. vendidit duos manſos agri Bunſingæ vicini pro 120. marc. cum conſveta evictione, hoc addito, ut fratres poſt ejus obitum ſuo memoriarum libro id inſererent atque ſtatas vigilies ac ſacra quædam piacularia præſtarent, cujus rei teſtes fuerunt conſules atque ſenatores Itzehoenſes.

A. e. Fridericus Abbas Reynefeldenſis ordinis Ciſtercienſium epiſcopus Lubec. chirographo dato teſtatus eſt, ſe a cœnobio Bardesholmenſi 400 marc. pro villa Cranzmohr cum omnibus ad eam pertinentibus huic vendita accepiſſe.

A. 1441. Adolphus comes Dux Slesvic. cœnobio Bardesholm. liberam conceſſit in omnibus cœnobii ſaltibus, arbuſtis, atque locis paluſtribus propriisque fundis venationem, prout ea quondam a ſuis majoribus Holſatiæ comitibus illi jam fuit permiſſa.

A. 1448. Hartwig Pogwiſch cœnobio Bardesholm ſex marcas cenſus annui in villa Rademerſtorp vendidit (forte vel Reſtorp vel Rayenſtorp).

A. 1451. Gerhardus III. archiep. Brem. ex ſtirpe comitum Hoyenſium cœnobio Neomonaſterienſi omnes ſingulasque conceſſiones, donata prædia, privilegia ſcripta, immunitates atque juris dictiones, quotquot huic cœnobio quondam ejus majores archiep. Brem. ac Hamb. largiti ſunt atque conceſſerunt, firmavit.

A. 1462. Chriſtianus I. Rex Dan. Norv. cet. tribuit atque ceſſit cœnobio Bardesholm. pagum Reigersworde, quem a Bened. Pogwiſch hujus ſocii pretio acquiſiverant.

A. 1465. Idem Rex firmat Adolphi Ducis Sleſvic. Holſat. huic cœnobio a. 1434. attributorum prædiorum confirmationem, excepto libero virorum miniſterio, communi armatorum præſtatione & quicquid præterea ditioni reliquæ forte præſtandum foret.

A. 1466. Margaretha Seeſtedia, Schackii vidua ſuperſtes cœnobio Bardesholm. 214. marcarum debito obſtricta eſt.

A. 1469. Goſche ab Ahlefeld cœnobio Bardesh. villas ſuas Blomendal, Schirenſee (alias dicta Wittenborg, Boningſtorp, Rumor &c.) Rumor, Sprengam cum vitriaria atque Benekenvelde parochiæ Nortorp atque Weſtenſee pro 3000. marcis nummorum. Vid. venditionis litteræ.

A. 1470. a Chriſtiano I. R. confirmatæ atque ſtabilitæ ſunt juxta omnia jura conceſſa, reſervatis tamen ditionis regalibus atque operibus præſtandis.

Eod. a. Henning Pogwiſche cœnobio Bardesholm. vendidit 60. marcas annui reditus in pagis Barichteheill & Ideſtede.

A. 1481. Controverſiæ de electione ſacerdotum aliisque rebus ſacris inter cœnobium Bardesh. atque ſenatum Kilienſem agitatæ per procuratores regios aliosque arbitros dijudicatæ ſunt ex commodo cœnobii.

A. 1482. Henric. III. archiep. Brem. ac Hamb. ſibi ſuisque ſucceſſoribus, quoniam canonici Neomonaſterienſes primum ex capitulo Hamburgenſi ſedem in Bishorſt, porro Valderam atque ultimo Bardesholmam transmoverint atque ibi fixerint, etiam ecclesias ejus cœnobii viſendas archiepiſcopis Hamb. ac Brem. vindicavit, nullique alii id concedendum ſtatuit.

A. 1488. Joannes Rex. Dan. Norweg. ac Fridericus Dux Sleſvic. & Holſ. fratres hoc cœnobium cum omnibus, quæ ad illud pertinent, tutandum atque defendendum ſuſceperunt, videlicet ejus incolas; villas, venationes, piſcationes, lignationes ac reliqua, itemque omnia ac ſingula ejus privilegia, juris dictiones, immunitates, cet. ac juxta ſententiam literarum priſtinarum confirmarunt.

Præpoſiti titulus cœnobio ſubtractus.

A. 1490. Fridericus Dux Sleſv. Holſat. titulum ac nomen præpoſiti ab hoc cœnobio ſuſtulit, atque conceſſo tantum prioris munere omnia huic privilegia ac jura, prout quondam præpoſitus iis gaviſus eſt, ſtabilivit atque firmavit. Hujus rei cauſa ni fallor fuit ſuperba iſta atque arrogantiæ plena formula, qua præpoſiti apud Pontificem uſi, majeſtatem regiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

giam offendere visi sunt, s. m: Nos Dei gratia Præpositus ac universus conventus, cet.

A. e. Bernhardus de Qualen ac Benedictus Pogwisch prædem dederunt Henningum Pogwisch pro 3150. marcis, quas ipsi solvere Joachimo ac Cajo Pogwisch debebant. Sed hæc nil quicquam ad cœnobii nostri rem facere videntur.

A. 1499. Wilstriæ in cœmiterio pactum atque liberam conventionem cœnobium Bardesholmense ac Wilstrienses de 28. jugeribus ad Kyles Wettering, juxta agrum, qui dicitur longus, sitis inierunt.

A. 1500. Borchardus Krummeydyck atque ecclesia Bardesholmensis de quibusdam ad Stilnoviam sitis prædiis & quæ circa eadem in certamen veniunt, itemque eorum decimis atque tributo regio convenerunt.

A. 1502. Joannes Rex Dan. Norweg. ut eo diligentius pro se ac majoribus suis preces faciant, cœnobii hujus omnia ac singula privilegia, immunitates, juris dictiones, cum omnibus, quæ ad illud pertinent, sc. reditibus, censibus, venationibus, piscationibus ac ceteris confirmat omnibus & singulis pagis adjunctisque parochiis & ditionibus earundem nominatim enumeratis, ita ut hoc documentum tabularum seu indicis totius regionis loco esse queat.

A. 1520. Johannes Stephani consul Itzehoensis parentibus literis Bardesh. cœnobio 5. marcas quotannis pendere se obstrictum profitetur.

Sub A. 1523. Marcum Groten civem Crempensem se cœnobio Bardesh. quotannis censum 4. marc. pendendi fidem adstrinxisse invenimus.

A. 1526. Bernhardus præpositus Bardesh. Joanni Ranzovio omnes pagos ac prædia, quæ inde a Münsterdorpio initium capiunt, & Stelnoviam usque patent, cum omnibus quæ eo pertinent, vendidit, cum a Friderico I. Rege ut æs alienum 4000. marcarum, quod cœnobium ipsi debebat, exsolvere cogeretur.

A. 1534. Inter cœnobium ac senatum Kiliensem de constituendo primario sacrorum ministro ac dispositione ita dicti certaminis sacerdotalis (Papenkamp) pactio facta est.

A. 1535. Cum Christianus III. ab hoc cœnobio 4000. marcas æris subsidiarii sibi pendendas efflagitaret, dictus Bernhardus præpositus Ioanni Ranzovio prædium Rensworden cum omnibus ad illud pertinentibus, ac præterea eidem 20. marcas annui tributi ab Uterssensibus præstandi vendidit.

A. 1542. Cœnobium Zismariense Detlevo Ratlowio literas, quibus pagum Bredekenhagen huic vendidisse testatur, traditas invenimus

A. 1543. Christianus III. iterum 3000. marc. Lubec. dispensatores hos Bordesh. rogavit; quo moti eidem Jo. Ranzovio prædia Bredenbeke atque Bustorp parochiæ Neomonasterienensis vendiderunt. Eadem quoque occasione Jasparo Wittorff Neomonasterienssi varios agros, item prata ac pascua 24. modiorum farris capacia cum area pro 300. marcis vendiderunt.

A. 1548. Dietericus Hohenberg civis Krempensis cœnobio Bardesholmi 4. marcas quotannis pendere spondet.

Cœnobii reformatio in Scholam a. 1569. & recensio chartarum usque ad originem academiæ Chilonienſis.

Anno 1562. præpositus Bordesholmensis atque Senatus Kilonienſis de limitibus convenerunt. Plura non addimus de cœnobii accessionibus nec de rebus aliis quicquam adjicimus, lectorem ad diplomatarium ipsum remittentes. Cum vero hoc epocham reformationis cœnobii, quæ anno 1566. incidit non transgrediatur, per summulam nunc indicabimus, quæ fide documentorum insecuta sunt. Anno nimirum 1566. Stammeri præpositi Bordesholmensis, rite tamen & canonice haud electi, fuga multas peperit contentiones, temperatas demum transactione quadam inter legatum Ducis *Paulum Tesmarum* & *Stammerum* de rebus e cœnobio subductis & hujus alimentis eodem anno Swollis inita. Pertinet huc *Pauli Tesmari* canonici Hamburgensis relatio de causa Stammeriana, adjuncto documento per notarium & testes consignato anno 1567. *Fratrum cœnobii Bordisholmensis* supplex libellus anno 1567. Cameræ Imperiali oblatus contra M. Stammerum pro obtinendo mandato pœnali sine clausula, ne senatus Lubecensis & Hamburgensis, item Rutgerus de Deventer, Hermannus Hermann, Albrecht Hackmann, Hier. Bremeri vidua, Heinrich de Kroge, Jac. Selmer, M. Joh. Ritzenberg, Heinrich de Zeven, Clara Bremern & Claus Melter aliquid usurarum vel fortis solvere audeant perfido Stammero: *Acta Priorum in Windesheim* pro Joh. Wichtenbeke, civeHamburgensi contra Joannem Holsatiæ Ducem ratione restitutionis in integrum anno *1568. Confirmatio* & testimonium capituli Windesheimensis, Marq. Stammerum esse legitime constitutum præpositum Bordesholmensem, contra vero Jo. Schwon ex eo cœnobio esse exclusum anno 1568. *Narratio succincta* de causa Marq. Stammeri profugi ex actis Cameræ Imperialis, ex repertis literis, narrationibus, documentis collectorum *anno 1568.* cum supplemento. Fuit ejus rei inquisitio, autoritate Cæsarei rescripti demandata *Ottoni* de *Luneborg*, Hans *Bernero*, præfecto Pinnebergensi, Licent N. *Angenstein* Decano collegii canonicorum Lubecensis, sed exitu caruit. *Anno 1570.* Stammerus sibi arrogavit, Joh. Pogwischio autoritatem impertiri juris patronatus Bardesholmensis. Eodem anno Hans Pogwisch Buckhagæ dynasta, litteris se obstringit remittendi Jo. Wichtenbeckio civi Hamburgensi debitum 5000. marcarum, autoritate profugi præpositi Bordesh. & cessione ejus rei data contractum. *Anno 1571.* Joannes Dux gravamina & vindicias juris superioritatis & patronatus ratione monasterii Bordesholmensis scribi curavit manuque sua subscripsit eodem anno d. 28. Augusti. *Anno 1572. Hans Pogwisch*, D. Valentino Heyde potestatem impertivit tractandi cum Joanne & Adolpho Ducibus Holsatiæ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

satiæ de lite Bordesholmensi. Eodem anno exstat brevis & vera relatio eorum, quæ Sereniss. Duci Adolpho nomine Joannis Pogwischii, Wulffii filii, Valentinus Heyde Jurium D. submissæ & amicæ compositionis causa de cœnobio Bordesholmensi proponere debeat. Eodem anno data est Adolphi Ducis responsio ad propositiones. *Anno 1576.* Hans Pogwisch preces obtulit Adolpho Duci pro concessione juris patronatus in præpositura Bordesholmensi. *Anno 1576.* Lucas Bacmeisterus Prof. Rostochiensis litteras Adolphum Ducem perscripsit, quibus, ut filio concedatur locus gratuitus in gymnasio Bordish. rogitat. *Anno 1577.* lata est sententia in Camera Imperiali ad mandatum Imperatoris subscripta a *Conr. Ffstero D.* de lite agitata inter Marq. Stammer præpos. Bordesholm. contra Joannem Ducem Holsatiæ & Senatum Hamb. & Lubec. ac consortes pro mandato de relaxando arresto. Quam sententiam insecuta sunt mandata alia de annis 1581. d. 4. Febr. 1584. d. 11. Jul. & 31. ej. 1585. d. 2. Mart. *Anno 1587.* renovata est novisque articulis instructa ordinatio reformationis scholæ Ducalis Bordisholm. jussu Sereniss. Christinæ Ducissæ Holsatiæ Hassiæque. *Anno. 1595.* Dux Jo. Adolphus ad litteras a Sereniss. matre Christina, de transferenda aliorsum schola Bordesholmensi acceptas respondet negative. *A. 1604.* d. 24. Maji de eadem transferenda D. *Nic. Jungius* ad Jo. Adolphum Ducem consilium defert, scrupulosq; a Duce ratione primæ fundationis obmotos evellere studet. *A. 1613.* Wilhelmus comes Palat. ad Rhenum & Dux Bavariæ ad Ducem Jo. Adolphum deferri curat litteras per Jo. Gislerum electoris Colonienſis ministrum, petendo, ut sibi ossa beati VICELINI & altare Bordesholmense ex ligno affabre sculptum tradantur: quas litteras cum responsione Ducis insertas vide in *Memorabilibus Bordesholmensibus* a *Dn.* NODTIO editis p. 49. seqq. adde CORONÆUM supra N. 11. p. 604. *Anno 1617.* Andr. Meisnerus Conrector Bordesholm. ad LAUR. LÆLIUM Ducis Cancellarium dedit litteras, quibus defensionem suam adversus accasationes quorundam sistit. Idem *anno 1619.* ad MARCUM SCHWENCK, Sereniss. Duci Holsatiæ a secretis litteras commendatitias scripsit pro Vulperto Cæsare Bremensi, ad obtinendum stipendium. Ejusdem *anno 1621.* ad Sereniss. Ducem Fridericum exstant litteræ de licentia sponsaliorum in spem muneris sacri celebrandorum & quercu quadam sibi donanda ad suppellectilem libraria adornandam. Adsunt ejusdem querelæ *anno 1624.* adversus scholares quosdam delatæ ad *Ægidium von der* LANCKEN, Ducis consiliarium intimum & præfectum. *Eodem anno* leges gymnasii Bordesholm. designatæ reperiuntur. *Anno 1625.* nova constitutio circa alumnos in scholam Bordisholm. imposterum recipiendos præscripta, & finito examine censura quædam in mores & profectus alumnorum Gottorpium transmissa est. *Anno 1626. Daniel Westermannus* Rector & *Jo. Schele* Conrector Bordisholm. referunt ad Ducem de duobus adolescentibus in viam redeuntibus. *Anno 1627.* Constitutio emanavit Friderici Ducis de ordine rei scholasticæ ex functionibus cujusque præfecti & ministri scholæ Bordisholmens. *Anno 1633. Jo.* VICOSTADIUS Pastor Chilonienſ. vocatus magnificentiam Principis Friderici carmine heroico effert, & per litteras de squalore scholastico & molestia concionandi ad populum præsentibus heterodoxis differit, additis precibus pro sublevatione ex reditibus præfecturæ. *Anno 1636.* mandatur Jo. Pundt præfecturæ scribæ, ut altare Bordish. per Marcum *Keding* Kilonienſem reſici curet. Eodem anno *Ericus Paisen* alumnus Bordesh. veniam petit a Sereniss. duce Friderico pro sacra concione coram Principe dicendi. *Anno 1639.* Sereniss. Dux litteras dedit commendatitias pro *Jo. Adolpho Beccero* ad academiam Rostochiensem de explorando ejus statu, propter octo alumnos illuc mittendos & ad tutum commodumque iter proficiscenti procurandum. An. eodem sereniss. Princeps rata habet omnia, quæ inter eo. *Johannem Adolph. Beccerum* & *Lucam Bacmeisterum* de instituendis & sustentandis octo alumnis Bordisholm. convenerant; quibus adduntur ipsa conventa. An. 1640. M. *Lucas* BACMEISTER Theol. Prof. Rost. literis sereniss. Ducem Fridericum sollicitat, ut augere ipsi velit pensionem. Eodem anno exstant 1) Sereniss. Ducis rescriptum ad parentes alumnorum de augendo Lucæ Bacmeistero præmio victus, 2) litterarum Lucæ Bacmeisteri, quibus de insolentia quorundam alumnorum Ducalium queritur potiora argumenta, 3) Ducis responsio & objurgatio duorum alumnorum. *Anno 1641.* Sereniss. Ducis litteræ ad senatum acad. Rostochiensis de vindicanda injuria & violentia duobus ejus alumnis illata. Eodem anno *Jo. Frid. ab Holstein* alumnus Bordisholmensis gratias demisse Principi agit pro beneficiis ipsi exhibitis, & nova petit. Eodem anno & sequenti idem submisse gratias agit pro Canonici munere impetrato atque aliis beneficiis. Anno 1641. *Ulr. Behr*, alumnus Bordesh. literas dedit ad *Christoph. Lauzaw* venationum in aula Gottorpiensi præfectum, quibus beneficia petita Principe sibi impetranda. Eodem anno scripta est constitutio, qua alumnis cæterisque scholam Bordisholm. frequentantibus interdicitur, ne citra veniam e schola discedant, vel in patriam ultra binas septimanas abeant. Eodem tempore ad reficiendam ornandamque ædem sacram Bordesholmensem census indicti sunt collectique. (qui item publico rescripto erogati sunt in eundem finem a. 1690.) Tandem scholæ Bordesholmensis vicissitudo imminuit haud infausta. Ex illa enim demum nata est Alma CHRISTIANO-ALBERTINA, reditibus scholæ Bordesh. dotata. Cujus rei originem annales referunt singularem, ab ALEXANDRO JULIO TORQVATO *in descriptione inaugurationis almæ Kilonienſis anno 1666. edita* silentio prætermissam. Cum enim anno 1640. Sereniſſimus princeps ac dn. FRIDERICUS III. in vicinia tractus Eidorastadensis partem terræ *Simens.*

Quæ a. 1642. a Friderico III initiata.

mensberg & Hecklauers-Koeg dictam, quæ a. 1634. diluvio Cimbrico absorpta erat, maris tyrannidi eripere ac habitationi & culturæ aptam reddere conaretur, oceanus vero aggeres rumperet; fecit laudatus princeps iterum anno 1641. istius rei periculum, sed frustra. Anno item 1642. aquas marinas excludere conabatur; ast & hac vice operam & oleum perdidit. Tandem desperatum hoc opus aggressus est suscepto pio voto, quo in Dei T. O. M. honorem omnes istius agri proventus & commoda dicavit instituendæ academiæ. Anno igitur 1643. voti compos factus pientissimus & bonarum artium amantissimus Princeps occasionem arripuit an. 1652. ad Augustissimum Imp. Ferdinandum III. comitia Ratisbonæ habenda indicentem ablegare consiliarium suum JO. ADOLPH. KIELMANNUM, qui recepto more, ut privilegia Universitatis instituendæ concederentur, Ducis nomine rogavit. Annuit igitur laudatissimus Imp. desiderio, ac solemni diplomate principis institutum, juraque & privilegia erigendæ Universitatis munivit a. 1652. d. 26. April. quod TORQVATUS d. l. p. 89. seqq. exhibuit. Impetratis a Imp. privilegiis impedimenta erigendæ academiæ injecit bellum quod in Cimbria a. 1657. subito exarsit & paulo post restinctum, sequenti autem a. 1658. recruduit. Quo composito & pace restituta novam remoram fecit secutus a. 1659. obitus Sereniss. Principis dn. Friderici III. supremi Ducis Slesvici, cui in regimine successit reverendiss. & seren. Princeps, CHRISTIANUS ALBERTUS. Laudatissimus hic Princeps non tantum de loco, sed etiam de perennitate univers. sollicitus fuit ac circumspexit. Nonnulli enim consiliariorum Slesvigam, alii vero Kiliam, Musis novis congruam sedem fore putarunt. Horum tamen, qui Kiliam commendabant, sententia, primas tandem partes obtinuit, addita causa, quod Academia Imp. privilegiis decorata in civitate Imp. Germ. subjecta esset fundanda. Ratione perennis fundi & dotis dubium movebatur & quæstio, unde salaria Prof. & Acad. ministrorum petenda eo casu & infortunio, si forte oceani septentr. impetus illum fundum nuper sibi ereptum & Universitati consecratum vindicaret aliquando & subverteret. Prudentiores itaque consultores exstiterunt, ut, qui hactenus scholæ Bordesh. destinati fuerant reditus, universitati vicinæ adjicerentur. Id quod jure meritoq; fieri posse constabat ex Recessu Imp. de a. 1550. §. 22. Als aus den Stædten der alten Religion &c. ubi de hujusmodi reditibus in usum piarum causarum, ecclesiarum, universitatum, scholarum & hospital. convertendis agitur. Placuit principi consilium, qui & ipse hos reditus suis auxit, adeo ut quotannis sex millia imperial. in speciebus, ut vocantur, universitati assignata fuerint. In hunc itaq; finem optimus Princ. CHRIST. ALBERTUS solemne in publicum emisit diploma fundationis academiæ manu ipsius & sigillo a. 1665. die Michaelis Archang. confirmatum; quod primarium tamen documentum a TORQVATO *d. l.* omissum est & adhuc ineditum. Ree etiam esse duxit illustr. princeps publico documento Gottorpii a. 1667 d. 3. Apr. scripto manifestare causas, quibus impulsus scholam trivialem Bordish. mutaverit e-

A. 1652. Cæsareo diplomate privilegiata.

Anno 1665. a Duce Christiano Alberto fundata & erecta.

Et e reditibus scholæ & veteris cœnobii Bordish. dotata.

vexeritq; in Acad. Kiliæ institutam, addita recensione redituum novæ Almæ ac determinatione salariorum cujuscunq; facultatis Professor. Quod ipsum docum. TORQVATUS *d. l.* prætermisit, ut de Ducalibus statutis, legibus & privil. acad. a. 1666. d. 2. Apr. scriptis horumq; declarationibus & supplementis, quæ eodem & seqentib. annis largissime accesserunt, nunc nihil adjiciamus.

Mantissa de MSctis Bibliothecæ Bordiholm.

Mantissæ vero loco hic subjungere libuit recensum quorundam MSctor. & Codicum rariorum Biblioth. olim Bordesh. nunc Acad. Kilonienſis; ac primo quidem eorum, quæ ad histor. sacram & civilem faciunt: Statuta præposituræ Hamb: Guidonis de columna chronica Trojana. Legenda de persecutione fidelium in Hamburg: Historia Alexandri Regis: Hist. Busca feuliber reform. & visitationum plurimorum monaster. utriusq; sexus ordinum diversorum: est vero is *Buschii* liber, quem Leibnitius cum accessionibus ex hoc ipso codice Kilonienſi desumtis edidit Tom. II. Rerum Brunsvicensium. Constantinopolitanæ urbis excidium per Gottfr. Langhen: Vitæ fratrum ordinis eremitarum S. Augustini lib. I. script. per Jordanum: Liber de viris illustr. ordinis canonicorum regul. capituli Windesemensis, it. de origine ejus monasterii & alia. Vita Brandani abbatis item Catharinæ de Senis. it. Huberti vitæ fratrum ac Thomæ de Aquino. Prærerea alia quam plurima manu exarata; ut sunt: Incertus in libros sententiarum per Lumbardum: Opus Concil. congregandorum Bonon. 1413. Jo. Meyeri seduli admodum scriptoris tabulæ s. repertorium super opera Banormitani, decreto Guidonis de Bayfio Archidiac. Bonon. & summam Anthonini Archiepiscopi Florent. Ej. quæst. metaphysicæ naturales & logicæ Rostochii *in colle artistarum* scriptæ 1462. Astaxami de casibus Voll. II. Loppo super instit. libri IV. scr. 1458: Variæ decisiones rotæ: Barthol. Brixiensis tr. super decreta: Pisani summa casuum: Vocabularius Lamb. Zwarten clerici Raceburg: scriptus in schola Itzehoensi 1410. cujus bina exstant exempla, parum inter se discrepantia: Herm. de Stildani introd. s. verb. Juris: Libri sentent. varii: Jo. Belrenhaupt tab. in scriptæ Bonavent. item perlustratio una cum textu, insertis quibusdam articulis in Anglia & Parisiis condemnatis ex omnib. fere facultatibus. Summa virtutum. Origenes super Genes., Exod., Lev., Num., Josuæ & Judicum. Jo. Chrysostomi sermones morales 25. & liber de compunctione cordis; ej. super Matthæum, pass. Christi cet. ej. in ep. ad Hebreos. Bernhardi sermones quidam, ej. epistolæ quædam & alia: Augustini de spir. & anima. Excerpta ex libris moralium b. Gregorii super Jobum: Gregorii pastorale super Apocalypsin cet. Fabula super variis scientiis: Conradi de Praga libellus artis medicatoriæ: M. Agathæi de Krakovia de alternatione vocis: Petri de Angharano repetitio decretalium: Biblia metrica: Summa sacrific. Yphonis: Jo. Scharpen quæstiones: de Ailliaco meditat. cet. Liber apum valde bonus; est liber moralis: Augustin. de conflictu vitiorum & virtutum, ej. tr. de honestate mulierum. Isidorus de summo bono: Passio Domini glossata. Sermones de tempore & sanctis varii. Sacræ Scripturæ expositio quadrupl., literalis, allegor. tropol. historica: Paparum catal.

Th.deAquino de perfectione vitæ ſpirit.Mologranat. (cujus autor eſt Matth.Abbas, bis extat Acta conc.Baſil:ep.princ. dæmonior.ad diverſ. ſtatus: Inſtit. & ſtatuta Carthuſ: Aurea legenda ſ. diſpoſitio evangel. & epiſtolar. c. 4.evangeliſtis: Conſolat. theologicæ;comment.in Boethii carmina;excerpta ex epiſt.Senecæ:Leg.de perſecutione fidelium inHamburg: Bartholomæi quæſt: dominical. vener. & jurid. G. Waltheri oratiuncula & ſermo pro licentia danda & petenda;aliaq; Gryphisw. 1466. IV.Evangeliſtæ quæſt.&meditt.Theol.M.Sam.Israelitæ Marocchit adR.Iſaac epiſt. ex Arab.in Latin.translata per Alphontium Hiſp. in qua probatur adventum Meſſiæ ſ. Chriſti fuiſſe & præceſſiſſe. De ſacerdot. fornicatione & continentia miſſale: Ambroſ. vel Origenes in Cantic: ej. med. ſacra: Caluani ſummula de eccleſ. interdictis. ſ. cenſura. Regulæ Cancell. Papæ aliaque: Geſta Romanorum:(liber moralis);fabulæ quædam Eſopi ſelectæ. Holcoth ſuper librum Sap. Jo. de Jenduno de cauſa rer. natural. ſuper Ariſtotel. de cœlo & mundo: Jo. Calandrini repertor. (juris): Hugunci vel Hugwicii) vocabul. peregrinorum explic: Jac. de Cracovia oculus conſummationis religioſorum: formula ſpiritualis vitæ emendandæ.Gerſonis opuſcula ſpir.varia:Card. Bonavent. meditatt. de Paſſ. J. C: Nic.de Orem tract. contra mendicantes. Herr. de Haſſia ſermones, homil. in evangel., variæ expoſitiones Decalogi:Sermones evangelici (germ.ſcr.): Jac. de Voragine ſerm. de temp.æſtivali & hyemali collecta ſuper evangelia Dominic. per annum ex dictis Jac.Vorag. Jo.deVilla Abb. Suidonis, Melliſſii,Conr.Mauritii & Jo.Dubbergoz:Serm. dominicales & ſacri varii: Jordani de Quedlinborch ſerm. de temp: it. Leonardi & alior. Sermones de conceptione,nat. J. præſ. circumciſione annunc.Mariæ,de Spir.S.Evangeliſtis, Apoſtolis,Martyr., Sanctis, Virginib., Confeſſ., dedicatione eccl.&novo ſacerdote,crucis invent. & exalt. nativ. & decollat. Jo.Baptiſtæ,Petro & Paulo,purif.& aſſumt.Mariæ cet. Leg. Sctorum & Confeſſ.,quas complevit Jo.cum Naſo de Plone Bardesh. a. 1510. aliorumq; Auguſtini ep. ad Cyrillum Hieroſ. de magnif. D. Hieronymi: Nic. de Hanapis lib.de exemplis S.Sæ: Thomæ comp.de hum. Chriſti:Liber, qui dicitur conſolatio Theol:Leg.GregoriiPapæ:Liber.hiſtoriar. de quibusd. Sctis: Arnoldi Weſtvael epiſcopi Lub.paſſ. Domini:Evangel.Nicodemi: Leon. de Vtino ſermo in feſto coronæ Dni: Th. Aquin. de admirabili quidditate & efficac.euchariſtiæ: Alberti M. epiſc.Ratisb. de euchariſtiæSacram. Nic.deLyra de idoneo miniſtrante & ſuſcipiente. Expoſitio orat. Domin. Anonymi: Jordani & alior. ſerm.de Corp.Chriſti: Prudent. c. comment: Liber grammatical., explicans originem quorundam vocabul.,cum indice locuplete, De arte faciendi ſerm: Vocabular. germ. lat.&lat. germ. juxta Alphabet. extractus ex Catholico aliisq; cet.Alanus de Rupe de Pſalterio b. v. Mariæ it.S.Trinit. ej.ſermo in quo veritas per judicia Dei occulta in miraculis declaratur; de dignit. ſacerdotali,de laudibus ſalutationis Angelicæ: Cæſarii Ciſterc.de Halſterbach dialogor. (Theol)libri: D. Rubenow proconſ. Gryphisw. paſſ. Dni extenſa cet.Hent.de Haſſia Omelia de lancea paſſionis & feſto clavorum(cum ej.hiſtoria ad notas muſ. decandanda:) Qu. Utrum metaphoræ a veris & fictis ſumtæ materiis utens poetria perſvaſ. ab oratorio diſtinguatur & rhetorica perſvadentibus duntaxat enthymematicis rationib: Auguſtini eremitæ ep.ad matrem: Alphabeticæ auctores ſec. ordinem cellarum *domus Legis Mariæ* propeRoſtock Jo.Zeleghen. Convivium b.Matthæi Apoſt.&Evang.ej.Epiſt. Marquardi Prioris domus orti.b MariæCartus. ord. prope Pragam de deſtructione domus ejusd. Qu. Utrum monachus poſſit habere peculium? Text. de anima per Jo.Franck c.n. Dionyſ.Areopagitæ ſup. paſſ. Dni cet. de Virtutib. lib. quadrip.Eſopi&Aviani fabulæ. tr. de ænigmatibus, inprimis arithmet. Biblia metrica de decretal. & libro Legum. Ordo Omiliarum b. Gregorii.Tabula hum.ſalvationis. Spec.peccatorum;liber ſynodalis.Bonavent. breviloquium de temp.Quomodo cauſæ ſint dicendæ. De imitat. C. allegoria V.&N,T.;repetitio de pœnit. Statuta antiqua ſatis rigida.Metra ſuper ſententias.Bonav.Poſtilla ſuper Evang.Johannis.Rhetorica regiſtrata ſ. tabulata ſ. correctoria & modus dictandi;it. excerpta viatici & ſarculus poetriæ novæ; forma quædam rhetoricalis. tr. de privil. Raymundi ſumma. Boccii de regimine & diſcipl.ſcholarium. Meditatt. Oratt. devotæ & ſermones.Spec. peccat.Sermones varii de reſurrect. & aſcenſ. Chriſti. Hugo de arca Noe. Teſtamenta XII. Patriarchar. Petri de Alliaco XII. honores Joſephi. Henr. de Haſſia Apolog. b.Bernardi.Martini V.Papæ de contractu. Tab. Confluentina.Herm.Schilditz&al. de immacul. concept. b. v. Mariæ cet. Franc. Maronis it. Jo. Gerſonis tr. de indulg., ej.forma abſol. ſacram. Henr.deHaſſia de contract. Moralitates&geſtis Roman,, cujus libri caput I. tractat de quadam virgine quinque cuſtodibus tradita, per quam anima intelligitur.Ciclus magnus76.it.deCiclo ſol. & lun. it. de epactis: Pauli ep. Salom.parab. Quædam exerpta de ſumma vitiorum. Franc. Nigri ars epiſtolaris:Ethicorum & polit. excerpta,vitior.& virtutum arbor. Vocabul.virtutum & vitiorum:Utrum omnes libri bibl.ſint divina revel. conſcript: de arte prædicandi: de pœnitent. & confeſſ.Dionyſius Carthuſ.de particul. judicio Dei.Hugo de conſcientia: Iſidori de inſtaur. bonæ vitæ:Bonav.de ligno vitæ.Matthæi deCracovia diſceptatio rat. &conſc.de euchariſtia: Th.deAquino de caſib. emergentibus circa euchariſtiam.Spec. peccat.it.virt. & vitiorum. Ulr.Molitoris de lamiis & phitnicis mulieribus. Manuale parochial. ſacerd. de regimine ruſtic. Dialogus ſponſi&ſponſæ.Adami deRupe ſermo in capitulo gen.ord.hab: tr.deSimonia: De electione prælatorum & alia:Alani deRupe expoſ. ſuper regulamAug. Spec. peccatric.de quadam ſor.Italica nomineBened.Sermo deS.Bernardo: Jo. Gerſ.tr. grammaticus: Dominici ſermo de vitiis. cet. Diſputt.corporis & animæ: Uſura damnanda: b. virg. Dorotheæ vita & paſſio. Tab. ſummorum Pontificum: Mundi ſtatus diverſus rhythmicus: Exempla S.Mariæ & aliorum. Adr. de Mera inſtructorium Pſalterii ſponſi & ſponſæ. Mich. Franciſci determinatio quodlibetatis. Roſarium b. Virginis. cum ſpeculo ejusd: Quinquagenæ de Pſalterio. b. Virginis.

Tabu-

Tabulæ Astronomicæ de divisione anni. s. intervallorum temporis: Horologium æternæ sapientiæ: Beringardi episc. sermo de foro provinciali: Bonaventuræ imago vitæ æternæ. Eusebius de obitu b. Hieronymi: Apparitio spiritus Guidonis: Anshelmi ep. de Trinitate cet. Augustin. de conscientia. Bernardi & alior plura; Proverbia Salom. ecclesiast. Cantic. Cant. Vocabularius ex quo: Speculum peccatorum: Textus evangeliorum: Bonaventuræ imago æternæ vitæ: Augustini episc. regula. it. miraculum de corde. ejusd. Hugonis comment. super regulas Augustini: Hug. de S. Victore de constantia, de instructione novitiorum de claustro materiali cet. Speculum peccatricis & peccatoris: b. Augustini manuale memoria mortuorum cet. Thomæ a Kempis alphabetum aureum: Mich. de Insula determinatio abbreviata de veritate fraternitatis rosarii cet. Alani scala religionis: Bonaventuræ de gradibus contemplationis. D. Bernhardi octo puncta cet. Paulus Eremita (lib. moralis). De reformatione varia ad Thuonem archipisc. Lundens. de eo quod fructuosum sit reformare: it ep. ad dom. Joannem Arhusiens. antistitem de eo, quare reformare religionem lapsam sit difficile: Epistola ad Dn. & Mag. Conradum ecclesiæ Slesvic. Archidiac. Juris Can. Licentiatum Dni Regis Christianissimi Christierni Camerarium & ad Dn. Danielem Decanum Hamb. & ej. principis Cancellarium summum & bene dignum a. M. CCCC. LXV. Ex rarioribus impressis super sunt: Ludolphi de Saxonia Carthusiensis Argentin. de vita Christi Nurenb. per Anton Koburger. a. 1478. ej. Leutholphi idem ibid. 1495. Fortalitium fidei sine mentione loci & anni. Jo. Janua Catholicon, Mogunt. 1460. S. Brigittæ de Suetia revelationes Lubecæ per Bartholom. Gothanum 1492. Platina de vita Christi & Pontificum omnium, Nurenb. per Koburger 1481. Conradi de Alemannia concordantiæ biblicæ sine ment. loci & anni: Menardi monachi notitia compendiosa librorum biblicor. ibid. 1480. Jo. Gritich de tem. & sanctis (sine l. & a. ejusdem quadragesimale 1484. Ray Nerii pantheologiæ l. summæ. Voll. II. ibid. 1477. Biblia German. Lubec. per Steffen Arends 1494. Gher. de Schueren Cancell. Duc. Cliv. vocabularius, qui intitulatur Teutonista der Teutschlander, Colon. per Anthon ther Horne finitus 1474. Ebrardi Græcistæ libri cum glossa Jo. Vincentii Grammat. est Latina). Alexandri aurea Grammatica puerorum dictis fulcita omnium majorum & præsertim Prisciani & Nic. Perotti Sipontini super textu D. Alexandri cet. Lub. 1480. Statuta Synodalia Egerdi episc. Slesvic. 1496. Historia Lombardica additis sanctor. multor. legendis per Richard. Paffroed. Colon. 1479. Breviarium ad consvetudinem Canonicorum regularium congregationis Windesemiensis, ejusdemque aliud exemplum impress. Antw. 1519. Bernardini de Busti (a Bustis) Mariale seu de singulis festivitatibus b. Virginis per modum sermonum tractans s. de excellentiis reginæ cæli, ut in fine vocatur, Argent. 1502. Ejusdemque Rosarium 1503. Jo. de Turre cremata expositio super toto Psalterio Moguntiæ per Petr. Schoyffer. 1474. Ordinarius divini officii pro ordine Canonic. regularium Capituli Windesem. 1521. Daventriæ ed. ac reliqua plura. Multa præterea alia exstiterunt. Copiosus enim admodum hujus suppellectilis fuit quondam librorum, quos monachorum pertinacia vel temporis injuria subduxit, apparatus; quemadmodum satis apparet ex veteri Bibliothecæ Bordesholmensis catalogo, qui inter residuos codices supersit. Tantum!

XXIII.

HENRICI DAV. KOEPKENII D. ET P. P. ROSTOCH. SOLENNIA MARTINALIA SVERINENSIA ADDITA CONJECTURA DE EORUM ORIGINE.

Mitto Tibi, V. C., opusculum meum de Martinalibus Sverinensibus, quod Tuis auxiliis debeo, Tuoque judicio submitto, ut resciam, quid in eo desideres. Dabis meo in Lubecenses affectui, quod Tuæ, quam mecum benevole communicasti, descriptioni solennium ampliora quædam & itineris singularia præmiserim. Conjecturis Tuis de rei originibus inhæreo, nec addere iis quicquam valui. Tibi vero me profitebor devinctissimum, si promissi memor, reliquas, quas ex moribus veterum Germanorum eorumque civitatum, ex jure feudali de servitiis aulicis & symbolis recognitionis, ex historia patria de ministerialibus S. Martini cultuque & servitiis ipsi præstandis, expromi posse putas, conjectiones delineaveris, exposueris, earumque mihi copiam facere haud dedigneris. Boceri panegyrin de nova dotatione & instauratione academiæ nostræ cum ipsius de Sverino ecloga gratus remitto. Placent ipsius scripta omnia, sed doleo, rara adeo illa esse, ut origines & res gestas Ducum Megapolensium hactenus non viderim. Ceterum vale.

H. D. Kopkenius D.

Iter delectorum ministrorum Lubecensium.

Ex ministris civitatis Lubecensis publicis, qui Consulibus omni tempore præsto sunt & hinc apparitorum nomine non immerito insigniuntur, quia semper illis apparent ad quemvis eorum nutum paratissimi, deligitur aliquis, corporis habitu admodum validus. Ei adjungitur unus alterque. Omnes tres, nisi me animus fallit, viri pragmatici & in causis juris sui non parum periti, prouti ejusmodi homines Romanis quondam pragmaticos appellatos esse Cicero testatur. Primo tamen illi liberum relinquit, an conjugem, quam domi ibidem relinquere, an vero illam itineris sociam habere velit, quo illa necessariam corporis ipsius curam agere possit. Non autem pedibus, ut demandatum negotium expediatur perficere coguntur, nec ut cum publico tabellario profici-

ficiſcantur opus habent: mox enim vehiculum adeſt e ligno firmiter conſtructum & ferramentis usque quaque probe munitum, etſi deſuper circumcirca patens, nec pellibus, ut ab aëris inclementia defendatur, contentum, ei ex civitatis ſtabulo quatuor generoſi equi junguntur; ſinguli ferreis ſoleis ita armati, ut ne clavulus quidem aliquis deſit, qui non debito loco ungulis firmiter impactus ſit. Etenim in his locis non infrequens eſt, ut inferioris conditionis homines quadrigis vectentur, quod ſecus eſſe in Hiſpania, obiter tantum notamus, ubi quadrigæ omnibus interdicuntur, exceptis meretricibus, id, quod teſtatum reliquit Petr. Matthæus hiſt lib. IV. p. 89. & Scheſferus etiam de re vehiculari veterum. Sed cum ejusmodi currus, quibus bina equorum paria adſtricta ſunt, in his regionibus frequentioris ſint uſus, tanto magis nuncio publico civitatis nomine profecturo, ejus generis aliquis deſtinari debebat. Quicquid jam neceſſariæ ſuppellectilis quisque domui ſuæ compoſuit, ciſtæ, ſarcinæ vaſaque viatoria, nec minus caniſtrum cibis refertum & lagenæ potu vulgari & generoſiori repletæ, in currum referuntur & ut eo rectius quieſcant omnia, nec quidquam perdatur, faſciis lorisque ſtrenue alligantur. Additur his vas quoddam ſeu dolium vino Rhenano melioris notæ refertum publico civitatis nomine ut infra audiemus, offerendum. Ita in paratum currum una cum ſociis aſcendit homo iſte nuncii partes ſuſtinens, quorum quisque petaſo, ocreis & penula indutus & ad iter ingrediendum commode accinctus, tum quoque liberali viatico inſtructus eſt. Non enim parce ac duriter in via vivere tenentur; ſed liberalius agere & genio indulgere poſſunt. Qui enim aliter fore crederemus, cum adeo præclaræ & omnium rerum affluentia abundantis reipublicæ nomine & mandato iter ſuſcipiant, quin iis de rebus non modo ad neceſſitatem, ſed ad voluptatem proſpiciat, & eo largius ideo numeretur viaticum. Denique quadrigarius ſellam occupat, & ſcutica, quam manibus geſtat, additisque barbaris quibusdam vocibus, vel etiam lingua palato incuſſa ſtridorem edens jumentis ſignum dat. Quo facto currus ſtatim movetur & iter nunc capeſſentibus ab amicis abitum amicorum expectantibus fauſtumque iter apprecantibus vale dicitur, quibus illi multam rurſum ſalutem comprecantur, & ut fieri ſolet, pileis forte etiam quaqua verſum agitatis votorum ſummam denunciant; ſic ex eorum conſpectu paulatim diſcedunt, nec multo poſt mœnia relinquunt, in apertos campos modo delati: interdum equi currum magna vi protrahunt, inſidentes, viatores; jucundis ſermonibus animos demulcent & *pro lubitu* equis permittunt, adeo ut per ſilvas & ſaltus, per colles ac calles, per pulverulentas ac paludoſas vias ſine tædio pertranſeant, & vel ipſi mirentur, qui tam facile eas confecerint. Quia vero præpropera feſtinatione opus non eſt, & ne jumenta magnis itineribus non adſveta nimis ſtatim fatigentur, mox ſub meridiem, poſteaquam viæ ſpatium aliquod abſolvere, in diverſorium forte præſens deflectunt, itineris curſum per aliquod ſpatium ibi remoraturi, ſeſſione per pauculas horas continuata inſolitus quidam ſtupor crura premere incipit, ita ut de ſella ſurgentes pedibus vix queant inſiſtere, quem tamen, dum terram aliquoties pulſant & ſemel iterumque deambulant, facile excutiunt. Non negligitur hic caniſtrum, ut cum ſtomacho alimentis vacuo & famis impatiente in gratiam redeant: quem in finem lagenæ etiam una cupide afferuntur. Animos curis omnibus laxatis jucunde oblectant, loci regionem circumſpiciendo oculos paſcunt, inprimis autem corpus carnibus ſapidis & tenerioribus aliisq; forte pluribus cibis palato gratis recreant, e crateribus ſubinde circumdatis avide haurientes & civitatis ſuæ ac propriæ ipſorum ſaluti litantes. Horologio interea temporis fugacitatem indicante poſteaquam cuticulam recte curarunt, *equis etiam neceſſario pabulo refectis, currui rurſus junguntur, rebus omnibus ſollicite collectis & quibusque ſuo loco repoſitis, deſiderato etiam pretio hoſpiti pronte numerato, quisque ſuam in curru ſedem repetit.* Ita redintegrato itinere abeunt & agros camposque multis paſſibus peragrant, ac pagos plurimos atque nobilium prædia prætervehuntur, unum alterumque oppidum etiam poſt ſe relinquentes, donec ſole inclinante ſpatium ſex milliarium hujus diei itinere forte emenſi ad hoſpitium aliquod deducantur. *Hic ſiſtitur curſus, & laxatis penulis de curru deſcenditur.* Equi impoſitis jugis ſoluti in ſtabulum coguntur. *Propiores facti advenæ neſcio quem culinæ nidorem ſentiunt:* hoc enim anni tempore omnis generis fructibus penuaria Mecklenburgica referta eſſe ſolent; ex quibus incolæ non modo ſibi & familiis ſuis proſpicere, ſed etiam multa ad paſtum neceſſaria cum aliis communicare poſſunt. *Sed quia in promtu ſunt fercula Lubecæ adhuc parata & condimentis pluſculis fragrantia*, iis famen pellere ſitimque conſvetis poculis reſtringuere inſtituunt. Quibus ad ſatietatem fructi depoſitis veſtibus, in ſtrata *culcitris & pulvinaribus molliora reddita* ſeſe recipiunt, diſcumbunt & ſtragulis veſtibusque, ne nocturnum frigus incurrat, corpora operiunt. Et molle ſtratum & imperatum ab hoſpite domeſticis ſilentium quietem brevi arceſſit, inprimis cum itineris moleſtia feſſos ſomnus facile complectatur. Quadrigarius, priusquam cubitum eat, jumentorum debitam rationem habet, & non modo neceſſarium paſtum potumque eis præbet, ſed & ſtramenta ſubiicit, in quibus quietem capiant, quam etiam diurno labore fatigata haud difficulter inveniunt. Alto omnes ſommo ſopiti in lucem condormiunt, *excepto auriga, qui ſummo jam mane, quin luce vix appetente*, caballis ſuis, quibus veſcantur, cibaria tempeſtive apponit, eos mangonizat, & quicquid ad ſolitum eorum cultum pertinet, præterea comparat: habenas etiam & lora, quibus currui eos iterum adſtringat, iisdem imponit, ne quid deinde abitum maturaturos remoretur; quem in finem *rotas* heſterna ariditate nimia *ſtridulas*

factas

factas axungia *liberaliter* inungit. Posteaquam enim sol plene illuxit, diem reddens B. Martini Lutheri nomini dicatum nuncius ille noster Lubecensis una cum comitibus cubitu surgit, sorditiem aspersi in itinere cineris & sudoris belle mundantes, vestibus semet induunt, sumtoque jentaculo res omnes sollicite conquisitas, in currum deportant, quantum argenti pro diversorio debeatur, flagitantes: quod simul ac percipiunt, reddunt, & in currum perfecte dispositum equisque jam junctum sese committunt. Iter nunc recta Suerinum duobus milliariis forte adhuc dissitum dirigitur. Cum vero interjectum non adeo magnum spatium intra statutum tempus commode absolvere queant, equos velociter nimis cursuros, magna vi sustinet auriga, & nonnisi æquis passibus incedere permittit. Medio die in conspectum dictæ civitatis jam adveniunt & jucundissimo ejus oblectantur spectaculo. Sita enim est urbs *Suerinum* loco longe omnium amœnissimo, cujusmodi in propioribus & remotioribus regionibus non facile invenias, velut in Chersoneso magni certi & piscosi lacus, undis undique alluentibus, cujus extremæ partes excultis admodum hortis, agris fertilitate conspicuis & ambeuntibus silvis mirum in modum superbiunt. Quæ omnia visa mentem sensumque jucundissime commovent. Sed sub aspectum etiam cadunt urbis ædificia, quæ, ut in aliis locis, ubi aulæ principum haberi solent, observare licet hic etiam magna instructa & satis bene ornata sunt. Eminet præ reliquis privatorum domibus templum cathedrale in media urbe ante quingentos & plures jam annos ab *Henrico Leone* Saxoniæ & Bavariæ Duce magna cura maximisque sumtibus ita magnifice ædificatum, cujus ædificii moles, amplitudo, fornicum sublimitas, columnarumque, quæ cameras sustinent, numerus & altitudo eminus jam prospicientes in magnam adducit admirationem. Præter hoc alterum novum quoddam templum e longinquo oculis noscitur, quod in ea civitatis parte, quæ a carecto nomen habet, celsissimus princeps ac dux Mecklenburgicus dominus Fridericus Wilhelmus gloriosæ memoriæ singulari & laudabili prorsus exemplo quam nitidissime exstrui curavit, & in quo sancte demortui principis exuviæ anno superiori 1714. conditæ fuerunt. Omnem hinc oculorum aciem in sui contemplationem trahit regium celsissimorum ducum Mecklenburgensium palatium, a civitate aliquot centenis passibus distinctum, spatioso ambitu insignique opere operisque elegantia ac splendore excellens, ac prorsus magnificum, tum natura loci ac circumductis densissimis mœnibus & obsepientibus vallis atque propugnaculis arte factis non parum firmiter munitum; situs autem opportunitate & amœnitate longe præstantissimum. Totum enim aquis undiquaque eam circumfusis innatat, nec nisi in magnum spatium excurrentibus pontibus cum continente solo utrobique connectitur. Quod sane ubi oculis subjicitur, admirabilem quendam præbet prospectum. Jam medio die propius absunt ab urbe, & pedetentim ad suburbium perveniunt: In quod ubi perferuntur, fabrum accersit auriga, qui currum & equos omnes accurate recognoscit, an omnia recte adhuc comparata sint, quo, si quid ejus operis necessum fuerit, ut ad reparationem obviorum forte defectuum, priusquam in urbem proficiscantur, adhiberi possit. Revisis omnibus &, quæ in via corrupta sunt, restauratis, cursum ad civitatem prosequuntur, jamque imminentes portæ a militibus in statione assignata excubantibus, armis militari more prehensis, salutantur: quibus debitum vicissim denudatis & inflexis capitibus honorem referunt. Quo facto in urbem intrant & ad consuetum non procul a civitatis porta, quæ a molis nomen habet & per quam introierunt, dissitum hospitium proveniuntur: adventantem autem nuncium nostrum obvia jam & adventum expectans magna puerorum grandium & minutorum turba, quibus etiam puellæ multæ immiscentur & non pauci adultiores quoque de trivio, de compitis, de plateis homines aggregantur publicis acclamationibus: *Hey! Marten!* &c. excipiunt. Quam primum autem nuncius noster una cum adductis itineris sociis de curru descendit & incertum quoddam conclave ab hospite deductus est, vasa omnia depromuntur & ad usum advenarum commodo loco deferuntur. Hic sine mora adventum gratulantibus ante fores ædium vel si continui imbres id prohibent, intra domum similas spirasque Lubeca secum adductas, poma item pira nucesque projicit, quæ omnia illi certatim rapiunt. Hinc brevi prandio refecti, & ampliorem convivii apparatum in ducali aula, ubi coena fruituri sunt, exspectantes, vestitu asperiori, quo, ut adversus aëris inclementiam, in via sese tutarent, amicti erant, exuuntur, & meliori habitu corpus exornant: interea quadrigæ una cum curru meliorem in modum expoliuntur, ut quæ innumerorum hominum oculis subjicienda & in publicum omnium spectaculum modo producenda sunt. Etenim ferias & vacationes ab opere per hanc meridiem tota fere sibi indicit civitas; nec ætatis & sexus aut rei familiaris cura, homines impediuntur, quominus in publicum prodeant & solemnitatem modo peragendam oculis intueantur. Mirum, quanta confluentis undique multitudinis fit concursatio, virorum, mulierum, puerorum & puellarum; sed magna quoque pars honestiorum matronarum, præstantiumque & gravium virorum ab utroque plateæ ad arcem deducentis latere in fenestris hæret, innumeram collectæ & circum vagantis plebis multitudinem avide observans & ipsam Lubecensis nuncii pompam cupide inspectura; exterorum, advenarum, civium & indigenarum similis ubique contentio, & honestæ curiositatis æmulatio, vestibula aliis tenentibus, aliis & conclavi prospicientibus, aliis in viarum stratis oberrantibus: non exigua multitudo magna contentione in aulam præcurrit, commodissima quævis loca occupans, unde omnem solennitatem oculis eo facilius terminare queant.

Adventus eorum apud Suerinenses.

Acclamationes, quibus salutantur.

Missilia intra domum aut ante fores.

ant. Ergo vel in ſcalis palatii Ducalis conſiſtunt, vel coronas ambulacra & projecturas ædium occupant, vel in media area morantur. Dum omnes in ſumma expectatione ſunt & omnia ad ſpectaculum recte diſpoſita, internuncius Lubecenſis linteum quoddam colare in multos ſinus & rugas contortum collo, & rubrum quoddam pallium ad genua circiter pertingens humeris injectum geſtans, quali habitu Lubecæ ſemper veſtitus eſſe debet, quando magiſtratui ſuo a ſervitiis eſt, primam in medio curru ſellam inſidet, ante pedes ſuos dolium iſtud vino generoſiſſimo repletum, a tergo autem & in altera pone ipſum conſtituta ſede teſtes duos ſtatim ad manus habens, ſub horam tertiam pomeridianam ad arcem, unde illa etiam die Schloſs-Straſse appellatur, recta contendit. Facile judicari poteſt, quanto impetu expectantis adventum populi cœtus currum circumeant & comitentur: quaſi nova miracula eſt inſolita monſtra viſuri & ſpectanda offerrentur, ita circumfuſi, proficiſcentes advenas contemplantur, & non modo viæ ſpatia obſepiunt, ſed & ipſi currui incumbunt, & tantum non rotis ejus implicantur, ut ideo non niſi lentius poſſit progredi. Ingentem tantæ multitudinis accurſu ſtrepitum fieri neceſſe eſt: ſed hic tamen non parum augetur ſublatis puerorum clamoribus & vociferationibus currum ubique circumſonantibus, quibus præ cæteris nuncio noſtro inclamant: Hey! Marten!

Solemnia in veſtibulo aulæ ejusque interiori via.

Martens Mann! &c. Quando relictis civitatis pomeriis & ponte civitatem ab arce Ducali ſeparante transmiſſo ad eum locum devenitur, ubi excubitorum manipuli cum tribuno ſuo ſubſiſtunt, en! milites omnes decenti ordine ſub dio collocati prætereuntes armis dextra accurate vibratis perhonorifice ſalutant, & non exiguo ſic honore afficiunt; quem ſibi habitum honorem omni reverentia illi viciſſim agnoſcunt. Paucis jam gradibus procedens internuncius aulæ Ducalis portam attingit, cujus binæ patentes tunc valvulæ omnibus liberiorem aditum concedunt: in hanc præſente domino nemini etſi generis aut muneris dignitati præſtanti curru proficiſci licet, ne excitato ſtrepitu celſiſſimis habitationibus moleſtia aliqua afferatur: curribus igitur ante portam relictis, pedibus in aulum concedendum eſt. Quod vero Princeps ſibi ſuæque ſerenisſimæ familiæ reſervatum eſſe vult, & non niſi legatis ad ſe aliorum Principum Miniſtris indulget, id huic tamen nuncio magnæ & prænobilisſimæ reipublicæ negotia peracturo illiusque erga ducem obſervantiam teſtaturo permiſſum eſt. Sed ſimulac in eam devehitur nuncius noſter, caput aperit pileo manu detracto & ſiniſtro brachio ſubdito, quam honoris celſiſſimæ Ducalis aulæ habitam indicationem uterque etiam teſtis, & ipſe quoque auriga ſtatim æmulantur: & ſic nudatis capitibus a lævo ad dextrum in interiore aula bis circumvehuntut, pueris hic etiam alta voce nuncio acclamantibus: Martens-Mann! & inter ejuscemodi clamores gravius incedentes equos, currumque vehementius paulo motitatum comitantur. Dum ita

Circumvectio in gyrum.

vehitur ſingulis vicibus nummos dejicit: in his colligendis quanta alacritas vigeat, dici non poteſt; ad prælia & pugnas puerorum animos inflammari videas. Alios enim animis atque manibus nummis jam incubantibus alii depellunt eosque intercipiunt, aliis obulos manibus jam tenentibus, alii eorum violente ſubducunt: quoque autem renitente & vim vi repellente mutuis verberibus ſeſe haud raro afficiunt, donec alter vapulando, alter verberando feſſus recedat & Lubecenſem pecuniam victori relinquat. Jamque currus ita circumactus in ea regione ſiſtitur, ubi aditus ad culinam patet; quo loco Ducalis palatii curator (der Haus-Vogt) una cum præfecturæ Suerinenſis Notario aliquo (einem Amts-Notario) nuncium operiuntur, qui una cum teſtibus ſuis curru deſcendit, Magiſtratus ſui & univerſæ reipublicæ Lubecenſis obſervantiam erga ſerenisſimum Ducem Mecklenburgicum regnantem omnemque ejus celſiſſimam familiam apertius modo declaraturus. Eum in finem illorum nomine Principi officioſiſſimam ſalutem denunciat, addens, quum diuturna conſuetudine dudum invaluerit, ut Magiſtratus Lubec. in teſtimonium venerationis ſuæ & inſerviendi promptitudinis, quam vicinitas (aus nachbarlicher Freundſchafft) flagitet, ſuorum aliquem quotannis hoc die Suerinum mittat, qui num ſalva adhuc ſit & incolumis principalis familia & optata fruatur proſperitate, decentiſſime exploret, ſeſe ab illis cum hoc mandato dimiſſum modo adveniſſe, ut ejus rei ſibi comparet notitiam. Quia tamen hanc nunciationem vicinitatis conſuetudine adornari ſolere dixit loquentem mox interpellat Ducalis palatii curator, debito jure ita fieri afferens; cui vero internuncius ille quam ſolenniſſime refragatur priora repetens intermiſcentur adhuc nonnulli ea de re ſermones; attamen cum in præſentiarum decidi non queant, utraque pars ſe controverſiam hanc ad dominum ſuum delaturam eſſe recipit; quam ob cauſſam Lubecenſis nuncius a præſente præfecturæ Suerinenſis Notario in teſtimonium diſceptationis modo inſtitutæ litteras publicas ſigillo munitas expetit, & ſimul vinum Rhenanum a Senatu Lubecenſi dono miſſum offert: ergo in currum ſtatim aſcendit quiſpiam cellæ vinariæ Ducalis curam gerens & per immiſſum in dolium ſiphonem, vinum extrahit; quod cum ab omnibus, quibus aliquid eſt negotii, deguſtatum & ſatis vinoſum repertum fuit, dolium illo repletum in terram provolvitur, & in cellam vinariam defertur. Interea dum hæc ita aguntur, eorum alii viſitant & ſtudioſe inquirunt, an omnia adhuc ſint integra, an vero aliqua confracta & dilacerata offendi queant ſive ligna ſive ferramenta: equorum etiam pedes levantur ut perſpiciatur, an ſoleæ ferreæ calcibus firmiter adhuc adhæreant: etenim ſi alicubi vel minimus obſervari poteſt defectus, currus ana cum equis amittitur; id quod aliquando obtigiſſe relatum accepi, ſed quæ ſingularis Ducum fuit benignitas, ne pœnam negligentiæ luere deberet nuncius & damnum acceptum civitati ſuæ reſti-

Miſſilia.

Declaratio obſervantiæ.

Ejusque interpretatio contentioſa.

Dono miſſa.

Currus & equorum viſitatio.

reſtituere, currus etiam & equi reſtitutionem meditanti reſtituti fuere. His ita ordine peractis Lubecenſis nuncius ille, itidemque teſtes ejus, alius poſt alium, in currum ſuum ſeſe iterum recipit, iisque qui ipſum exceperunt & in quorum præſentia commiſſum ſibi negotium expedivit, valedicit. Tum ſtatim auriga laxatis pauliſper habenis, equos loco decedere jubet; ſimul tamen eos ita flectit ut in orbem circumeant & currus tertia vice in area circumvehatur: pueris multo cum ſtrepitu currum rurſus cingentibus, denuo nuncius noſter pecuniam projectat, ex ſic tandem ſine mora ex aula diſcedit, ac eadem qua venit via, iisdem quibus cum acceſſerat, honoris ſignis, ab excubantibus militibus in tranſitu honoratus, hoſpitium ſuum repetit. En reipublicæ Lubecenſis obſervantiam ſingulari prorſus ratione & miris demandatæ & reſtitutæ legationis ceremoniis Ducibus celſiſſimis Mecklenburgenſibus declaratam; en venerationem univerſæ Sereniſſ. domui publica pompa & diligentiſſimo ſtudio comprobatam; en promptitudinem toti Vandalicæ genti & inprimis Regiæ Vandalicæ familiæ gratam pariter & acceptam. Tantum non mutuam hanc dicere poſſes obſervantiam, cum propenſionem ſuam erga Lubecenſes Sereniſſimus Dux Mecklenburgicus viciſſim ſignificare non intermittit: namque nuncius ille non modo, quando in urbem proficiſcitur & quando in aulam contendit, & in ipſa aula perhonorifice recipitur; ſed majoribus adhuc mactatur beneficiis poſtea quam enim ſol occidit, & veſpera omnia jam inumbrat, internuncius Lubecenſis & non minus ambo ejus teſtes a principalium adium curatore prælucente lampade in arcem deducitur, & in conclave quoddam culinæ contiguum die Küchſtube intromittitur; ibi in convivium ſplendide ac magnifice ornatum adhibentur, omniq; perfruuntur lætitia jucundis ſubinde colloquiis animos demulcentes: nec tamen appoſitis cibis & largius propinato mero ad ſatietatem modo, ſed & ad abundantiam usque obruuntur, ut, ubi ſint, præ poculis tandem ignorent, & nullum amplius membrum ſuo fungi queat officio totumque corpus vino & ferculis gravatum in omnes partes collabatur: itaque epulis indormiſcentes ad hoſpitium deducuntur aliorum adminiculantium manibus ſuſtentati, aliquando etiam nuncius ille ſellæ impoſitus a ſubornatis bajulis domum reportatur, in lectum hic veſtibus, qua fieri poteſt, ratione detractis e veſtigio dejecti gravi ſopore acquieſcunt, internuncii uxore, ſi forte præſens adſit, mariti & civium ſuorum ſedulam habente rationem & ſtragulis vinolentos diligenter admodum operiente, ne valetudinis jacturam faciant. Sed his nondum abſolvitur, principalis benignitas & favor Ducis Mecklenb. erga Lubecenſes longe ſingularis. Diei enim ſtatim ſequentis matutino jam tempore, cum heſterni convivii crapulam vix exhalarunt, ad lautum jentaculum denuo invitantur: nuncius noſter comitesque ejus nec recuſant munificentiam advenæ, ſed rogati eodem loco, quo heri convenerant, mox iterum comparent: accumbunt, edunt, bibunt jucunde, oppipare, apparate, ita ut vino incaleſcentes & bene poti ſui tamen compotes tandem diſcedant. Diſcedentibus autem e culina principali feræ nonnullæ beſtiæ, nimirum caprea vel potius dorcas ſeu pygargus, vulgo Rehbock & aper quidam traditur, & a præfectura Suerinenſi nummus aliquis ſemiuncialis exhibetur vetuſtioris ſcilicet monetæ, ex iis, qui Lubecenſium, Hamburgenſium, Lüneburgenſium & Wiſmarienſium ſigna præferunt, & a verbis in ambitu inſculptis *ſtatus marcæ Lubecenſis* nomen hodiernum obtinent; reddi is his muneribus pro antiqua conſuetudine Sereniſſ. Ducis Mecklenb. nomine ad Senatum Lubec. perferendis & humaniſſima ſalute renunciata internuncius noſter una cum teſtibus ſuis honeſte dimittitur; quem abeuntem nonnulli e convivis usque ad diverſorium omni cum favore proſequuntur; & ſic diſcedentes ſibi invicem proſpera quævis apprecantur. Quo facto apparato itinere Lubecam redit, Magnifico Senatui ſuo rem omnem, uti peracta fuit, veriſſime expoſiturus, & quæ accepit, recte traditurus. Percepiſtis ita, Aud. O. O. H., quibus ritibus, qua ſolennitate celeberrima Lubecenſium reſpublica Seren. Ducibus Mecklenb. ſuam quotannis teſtari ſoleat obſervantiam, ſed ita percepiſtis, ut longe jucundius tamen omnia coram obſerventur, ac ego verbis ea deſcribere & oratione ſignificare potui; quod ipſemet diffiteri nequeo, qui ante paucos annos totius proceſſionis ſedulus ſpectator exſtiti, & præcipuas rei, ut geritur, circumſtantias magna cum voluptate conſpicatus ſum. Singulis annis idem repetitur negotium idemq; celebratur ſpectaculum, ita enim multorum temporum decurſu hæc conſuetudo inveteravit, quam nunc celſiſſimi noſtri principes minime volunt abrogari. Quodſi nunc origo hujus inſtituti demonſtranda ſit, fatendum mihi eſt, cum omnes fileant annales nec ullibi ejus quoddam veſtigium appareat, non ſuppetere, quæ in hanc rem afferri poſſint. Hinc doctiſſimus Lochnerus originem plane incertam aſſerit; attamen e reverendi & doctiſſimi cujusdam amici litteris ſeſe accepiſſe teſtatur, perhiberi, ſereniſſimum quendam Ducem Suerinenſ. Mecklenb. Lubecæ ab Ampliſſimo Senatu convivio exceptum, vinum, quod bibebatur, vehementer collaudaſſe; id vero cum aſcultarent hoſpites, ſpoſpondiſſe ipſos, annuum ejus donum ſe Principi transmiſſuros, Principe rurſus pollicente ferinarum carnium mutuo munere ſeſe Lubecenſium vina compenſaturum. Quam traditionem tametſi in medio relinquam, in aliam tamen conjecturam ipſe anniverſariæ huic ſolennitati deſtinatus dies, qui eſt beati Lutheri natalis, memet adducit. Puto ergo finitis diſſidiis inter glorioſiſſimos Duces Mecklenb. Henricum Pacificum & Albertum cognomine Pulchrum atque Lubecenſium rempublicam magna animorum acerbitate agitatis hanc conſuetudinem demum cœpiſſe. Satis fuſe & copioſe eorum hiſtoriam tradidit b. Chytræus Saxoniæ ſuæ lib VI. Ex qua apparet, leviſſimæ pri-

Diſceſſus ex aula.

Invitatio & deductio ad cœnam in aula.

Et denuo ad jentaculum.

Oblatio ferarum & vetuſtæ monetæ.

Conjectura de origine horum ſolennium.

primum controverſiæ in funeſtum bellum poſtea exardeſcentis Lubecenſes primos ferme autores exſtitiſſe; ita tamen, ut rixæ inter nobiles quosdam Mecklenburgicos & cives Lubecenſes initio intercedentes, quæ gravioribus illis diſſidiis facem ſubjecerunt, utrinque ex cauſsis non ſatis cognitis ortum habuerint. Cum per biennium armis diſceptatum eſſet, Henricus Dux Brunſuicenſium certantium animos compoſuit, ut pace facta arma exuerent. Ambo Duces Mecklenburgici eo tempore juniori adhuc erant ætate; ſed Henrico illæ diſſenſionum moleſtiæ tantum belligerandi faſtidium moverunt, ut deinceps pacis ſtudium per univerſum regiminis ſui ſpatium conſtantiſsime coluerit, aliosque principes ad pacem ſervandam perpetuo incitaverit, & hinc etiam Pacifici nomine vocari meruerit. Quia vero inſpectio riparum Dravi & Stepnitii Mecklenburgicos agros alluentium a Lubecenſibus inſtituta, cujus quidem occaſione contentiones illæ natæ fuerant, & libertas piſcandi in conſiderationem paciſcentium forte veniebat, puto Lubecenſes, ut antiquo ſuo jure ſecure poſthac rurſus uti poſſent, recepiſſe, quod obſervantiam ſuam Ducibus celſisſimis Mecklenburgenſibus anniverſario ejusmodi ritu, qualis nunc quotannis obſervatur, eſſent ſignificaturi. At quia Dux pientisſimus Henricus divinæ voluntati a Luthero ſucceſſu temporis reſtitutæ addictiſſimus erat, ita ut terras Mecklenburgicas eadem etiam illuminari primus curaret, mox a Lutheri morte conventum eſſe exiſtimo, ut ſolennitas hæc eo die, qui natalis beati Lutheri creditus eſt, perageretur, quo non modo firmaretur conjunctio vicinitatis, ſed etiam ingens utrinque veritatis agnitio declararetur. Quæ ſi ita ſunt, nonnihil ſervitutis feudalis in hac conſuetudine forte deprehenditur; cujusmodi ſervitia feudalia plurimis locis vigere notum eſt. Sic enim in Franconia nobilis quidam in recognitionem feudi domino quotannis circa feſtum Martini regulum puſillam illam aviculam offerre tenetur. Saltem in aliquam compenſationem libertatis & privilegiorum, quibus per terras Mecklenburgicas Lubecenſes fruuntur, ſolennis iſta conſuetudo recepta fuit; quemadmodum alibi etiam in uſu eſſe conſtat. Sic civitates Norimberga, Wormatia & Bamberga quotannis tempore nundinarum autumnalium Francofurti immunitates a vectigalibus & aliorum privilegiorum, quæ hic obtinent, continuationem ab Imperialis & urbani judicii Prætore ſolenni ritu miſsis auletis petere & accipere debent, ita ut ſimul in compenſationem beneficii ipſis porro concedendi quælibet civitas Prætori exhibeat album quoddam poculum ex ligno confectum, piperis unum pondo, pileum ex candidis caſtoris crinibus contextum, par albarum chirothecarum albumque aliquem bacillum; id quod dicitur das Pfeiffer-Gericht. Similem in modum Norimbergenſis civitas, ut Bruxellis in Brabantia mercaturam libere perpetuo exerceat, dictæ huic civitati gladium quotannis reddere conſuevit. Eandem ob cauſſam Argentoratum ſingulis annis latiorem paullulo enſem, duas chirotecas ad ſiniſtram manum adaptatas & album quendam baculum mittit; de qua conſuetudine latius egit Wagenſeilius in commentar. de S. Imperii lib. civitate Norimb. Et quid dicam? vicinius exemplum allegare poſſumus, ſcilicet coenobii Rhenenſis jam quidem dudum diſturbati & deſtructi, quod Lubecæ item nulla de rebus ſive importantis ſive exportantis vectigalia pendere; at aliqualis compenſationis cauſſa quotannis die paraſceves (am ſtillen Freytag) vehiculum panibus refertum Lubecam mittere quondam debuit, prouti Latomus in Megalochronico ad a. 1244. memoriæ prodidit. Quamvis negari non poſsit, quod vel in unicæ memorabilis rei geſtæ memoriam ejusmodi ſolennitates nonnullis locis receptæ ſint, e. g. in Italia ea viget conſuetudo, ut patriarcha Aquilejenſis quovis anno ante jejunii Quadrageſimalis initium Venetias taurum quendam deduci curet, quem ibi in magnificentisſimo Proc. Marci foro innumerabili hominum concurſu quotidie frequentato laniones & fabri mactitant, & unico ictu caput ejus abſcindunt; idque in memoriam victoriæ anno 1162. ab Aquilejenſium Patriarcha reportata. Cum enim Fridericus Barbaroſſa Imperator Romano-Germanicus Venetos urgeret & premeret, finitimæ etiam civitates ex illorum detrimentis voluptatem capientes eos infeſtare & eductis militibus oppugnare cœperunt: Sed illi hoſtes adorti ea felicitate pugnabant, ut Odoricum Patriarcham Aquilejenſem una cum duodecim Canonicis captivum ducerent. Hos ergo non prius dimittere voluerunt, donec quotannis bovem & duodecim ſues Venetias mittere recepiſſent. Licet autem porci non amplius addantur; bos tamen ſingulis annis adduci debet. Et hæc ſunt, quæ de Martinalibus Suerinenſibus licuit commemorare & ad ea illuſtranda viſa ſunt pertinere. Tantum!

XXIV.

ABRAHAMI FRENCELII V. D. M. SCHOENAVIENSIS ETYMOLOGICA, VANDALICA ET SLAVICA MEGAPOLITANA

EX LITTERIS, AD R. GEORGIUM WESTPHALIUM P. PRIMAR. ET SEN. ECCLES. SVERINENSIUM SCRIPTIS, ERUTA.

I. Nomina virorum Vandalica.

Anthyrius. ANthyrius *Ender*, *Endter*, finiens, deſiſtens, effector, qui litem ſopit, cauſam componit. Vulgo etiam *Ender* dicitur *das Ende am Joch*, cornua jugi perforata, unde conjectura; Anthyrium cornua bovis vel caput tauri inſtar inſignium & pro indicio geſsiſſe, ſe demum effecturum, ut quaſſata & ſubjecta Megapolis ad libertatem & avitam dominationem redeat, jugumque excutiat.

Ana-

Anavas, Anfaſſer, Anfaſſender contrectans, manu apprehendens eſtque nobis *Anfaß* item *Faß an* lictor, aliquando etiam canis. *Alimer*, *Allmar*, *Aller Herr*, Allherr, τὸ πᾶν Syr. 43. 29. *Mar* enim dominus item Villicus veteribus Teutonibus; quomodo ab eodem dicatur *Chundmar*, *Ditmar* item *Marquard*, *Merwig*, *Volckmar*, *Woldemar*, vide *Spate* Lexicon germ. p. 1242. *Mar* vero eſt ab מרא dominus Dan. 2, 47. Targum habet מר absque א in fine. Lutherus vertit: Ein Herr über alle Kœnige. *Hutherus*, Hütter cuſtos, a hüten, cuſtodire, item pileo Huht. *Alaricus*, Allreich, per omnia dives. Dietericus (Theodoricus) *Dieterich* i. e. *Gottreich* Deo dives a *Teut*, *Teutones*, *Tyoth*, *Thuſco*, *Thot*, item *Deot*, *Deut*, *Dit*, *Diet*, unde & alia nomina propria; *Dietmar*, villicus Dei, *Diethold* i. e. Gottlieb, Deo charus, *Dietlind* Theodolinda ſeu Theudalinda i. e. divina lenitate pollens. Ab eodem provincia & loca *Dietmarſen*, *Duisburg Teutburg Teutleben*. *Tenericus* quaſi a *Tönern* aut *dönern*, figulinus a *Ton* aut *don* argilla, lutum, & a *Tenner* quod eſt *Tent* i. e. Gezelt: unde *Marquetenner*, gallice *Marquetan*, vulgo *Marquetenter*, ut a plurimis ſcribitur. *Albericus* (*Albert.*) *Alber*, ſimplex, ineptus, inſipidus; hoc autem a לבא, neglexit, non curavit inde quoque *Lupy* i. e. Alber Sorabis. *Gundericus*, *Günter*, *Günterich*, a *Gunſt*, gönnen, gegönnet, favere, bene velle, ſuadere, concedere, permittere. Spate Lexic. germ. p. 1582. Gunſtreich, Gundericus. *Genſericus*, *Ganzer*, totus, a *gantz*, unde & Gænzer, comparat: quod rarum quidem, pro quo vero dicimus mehr ganz & Gænzeſter, in ſuperlativo. *Hunericus* & Heinricus utrumque ab *Henne* vel *Hun*, gallina, uti Leo a leone, Urſinus ab urſo, Eberhart ab Eber, aper, Gallus a gallo gallinaceo, vide Gottom. Frœlichdanck: tract. von Teutſchen Tauff-Namen edit. Ulmæ ann. 1708. p. 25. ibique: *Henrich, davon auch Henrietta kommt, ſoll ſo viel heiſſen, als Hünerreich; wenn die Sylbe rich vor reich angenommen wird, ſo iſt das recht gedeut. Allein es heißt nicht mehr als Henne; rich iſt nur Wohlklangs halben beygeſetzet* &c. Sed *Henne* ab Ebr. חנן, gratioſus, miſericors fuit; a quo חן gratia & חנינה, quod idem, Jerem. XVI, 13. *Gundabundus* vel Gundamundus, *günſtiger Mund*, affabilis, ore placidus, quomodo Hoſeæ cap. 2. v. 24. ich will freundlich (על־לבה) ſuper cor, mit ihr reden. *Thraſimundus*, *Troſt-Mund*, os conſolans, ſic a Mund quoque Güldenmund, Chryſoſtomus, *Gar-Mund*, eloquens aut omni parte ſui juris; *Freymund*, os lætum delectabile; *Liebmund*, grata & amata loquens; *Roſemmund*, Roſemunda, os roſeum; *Siegmund*, Siegismundus, ore vincens; *Warmund*, Varamundus veritatem loquens. *Hildericus*, *Hildreich* oder *Heldreich*, *Held*, heros fortis, virtuoſus, antiquo enim *Hild*, idem quod *Held*; ex eodem Hildebrand, heros galeatorum. *Gilimer* ein *Geſellſchaffter*, a *Gill* voce Gothica antiqua, nobis hodie *Gilde*, ſodalitium, ſocietas, collegium, ſpeciatim collegium opificum, alias Zunfft ſive Innung, tribus, contubernium, quorum ſuperior vel ſenior *Gilde-Meiſter*, tribunus ſodalitatis, & *Gilde-Bruder* contubernalis, ſodalis. Spate Lexic. germ. p. 658. *Fredebaldus*, *Freude bald*, gaudium citiſſimum; aut a *Walt* unde *Freudewalt*, procreator gaudii; *walten* idem quod adminiſtrare, libere agere, poteſtatem habere; unde *Anwalt*, procurator, ſyndicus, orator, moderator, arbiter, *Verwalter*, diſpenſator, villicus, *Hoff-Verwalter*, aulæ inſpector, *Gott walte es*, ſive *das walte Gott*, Deus bene vertat, in nomine Domini. *Aribertus*, quaſi *Abrbar*, filius aquilæ, accipitris aut vulturis; nam *Abr*, vultur, aquila; a quo eſt tuum *Adelabr* ſive *Edelabr*, ciconia, dialecto Megapolitana *Fſchabr*, aquila marina, *Abrnburg*, domus aquilæ Roſtochienſis: ſed *Bar* filius ſæpe legitur im Helden-Saal ex Ebr. בר bar Pſalm. 2. v. 12. vid interpret. & lexica. *Udo*, proprie ex latina lingua; unde & principum epiſcoporumque nomen, qui latinæ eccleſiæ quondam adhæſerunt. Sic *Udo venerabilis Marchio* apud DITMARUM chron. Merſeburg. lib. 2. fol. 22. & alibi; *Udo comes* ibid. lib. 7. fol. 114. *Udo Aquitaniæ Dux* apud AVENTINUM annal. Bojor. lib. 3. fol. 212. *Udo Havelbergenſis epiſcopus* apud. CHYTRÆUM chron. Saxon. lib. 2. fol. 55. Recte duxiſti ab *Udo*, *Udonis*; quod eſt calceamenti genus, quo de multa JOANNES SELDENUS *de uxore Ebraea* lib. 1. c. 17. p. 75. 76. & 77. Sic german. Stiefler a Stiefel, & Sorabis *Skornia* a *Skorn*, Stiefel. *Godeſcalcus Gottſchalck* i. e. *Gottes-Diener*, ſervus Dei: Schalck enim olim ſervus dictus, vid. OPITIUS *animadver. in rhythm. de S. Adone* p. 9. GERARD. JO. VOSSIUS *de vitiis ſerm.* lib. 2. c. 17. p. 285. nec tamen Schalck quaſi *Schaleg* a *Schale*, phiala; quod placet Spate lexic. germ. p. 1717. ſed rectius ab ebræo שכל, ſachal, quod in Gih. prudenter agere, item animadvertere, attendere ſignificat; unde Schalck proprie prudens, ſapiens, animadvertens ſua, & per κατάχρησιν vafer, qui ſua abutitur prudentia & nequam aut fur eſt. *Canutus* a *Cann*, *Kante*, i. e. ora, angulus, extremitas maris; unde compoſitum Meer- ſive See-Kandte. Placet, quod in literis tuis, a *Kan*, deduxeris *Kantzel* ſuggeſta angulata vel excavata, unde *Kan*, *Kahn*, cymba, *Cancellarius*, olim ante Conſtantinum M. quæſtor palatii & Candidatus principis dictus, ab angulis & cancellis dictus dum Principi fuerit a latere. *Gunceli-nus*, *Künzel* contractum nomen: nonnullis videtur a *Cunrad* ſive *Cunradus*, aliis a *Cunduſius*. Spate lexic. germ. fol. 953. Kunz & Kün-

Anavas. *Alimer.* *Hutherus.* *Alaricus.* *Tenericus.* *Albericus Albert.* *Gundericus.* *Genſericus.* *Hunericus.* *Heinricus.* *Hildericus.* *Gilimer.* *Fredebaldus.* *Aribertus.* *Udo.* *Godeſcalcus.* *Canutus.* *Gunceli-nus.* *Gundabundus.* *Thraſimund*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& Künzel, homo ſapiens, expertus, peritus a Kund, & ita non eſt contractum a Cunrad ſed a *noſcendo* ſive ſciendo venit. *Zvenicke* diminutivum ex nomine *Sveno* quod Danis proprium, ut Saxo Grammaticus in hiſtor. Daniæ teſtatur; ſed unde *Sveno*, ſit, nolim ego explicare, quod linguæ Danicæ plane ignarus ſim; dabit autem vicina Dania ſignificationem. *Otto* eſt *Vater*, nam *At*, *Atta*, *Hatta*, *Tatta*, *Haddo*, *Hetto*, Otto, pro variis dialectis unum & idem ſunt, & patrem olim, quin etiam hodie ſignificat. *Richard*, *Reichert* noſtratibus, i. e. *ein vermögender Mann*, dives; ab eodem *Dietrich*, *Helmrich*, *Gunſtreich*, Gundaricus. *Waldemar* i. e. *ſilvarum dominus* a *Wald* ſilva & *Mar* dominus, vide ſupra in Alimer; poſſit etiam Waldemar idem ſonare, quod *Woldemar*, i. e. dominus benignus, a Wohl, bene. *Balthaſar* כלטאשצר i. e. אל טשיש אצר, Belus occultus abſcondit; Danielis nomen Chaldaicum Dan. 10.1. dicitur & כלטש אצר Aleph poſt medium Schin poſito Dan. 2.26. idemque eſt quod בל טשא אצר Belus abſconditus œconomus: MATTH. HILLERUS *in onomaſt. ſacr. p.* 607. *Wilhelm* der den *Helm* träget. *Rudolph*, *Rube-Hülff*, autor quietis: Hülffe enim olim *Olf* quoque dictum, unde & *Adolph*, i. e. Adelhilff, Adalulfus, nobilitatis defenſor; *Gangolf* & *Ganglof*, *Gang Hülff*, dux & comes viæ; *Ludolf*, der Leute Hülffe, auxilium populi. *Ericus*, quaſi *ehre ich*, honorem huic ego præſtandum putaverim. *Georgius* Γεωργὸς vel Γεωργικὸς, agricola *Ackermann*, Feldbauer. *Ludovicus*, der *Leute Weg*; aliis quaſi *Lud wikken*, ita autor tract. von Teutſchen Tauff-Namen. p. 16. Spate lexic. germ. p. 275. *Ludwig*. i. e refugium & ſolatium populi. *Carol*, *Kerl*, i. e. heros, animoſus, antiquis enim Kerl, fortis, fidelis, Gothis & Islandis, hodieque *Jarl* & *Jerl*, ac exponitur *comes*. Hoc *Kerl*, eſt nomen proprium, *Karolus* i. e. heros animoſus, inde & alia *Keralt*, *Keraldus*, der da hælt als ein Kerl, loco non cedens, quod etiam *Kerlat* per metatheſin dicitur. *Adolf*, *Adelbülff*. vid. in *Rudolph*: vel *Adolph* pater auxiliaris, ab *Atta* pater; & Ataulphus rex Gothorum, qui Romam expugnavit, Cæſaresque Ataulphos vocari ſanxit. *Wandalen*, *Vandali*, die *Wandelüden* proprie nomen Germanorum, docente Tacito de Germ. *Wandeln*, ambulare iter facere, approbat hoc etymon pluribus *l.* KIRCHMAIERUS *not. in Tacit. German. p.* 45. ſeqq. *Wenden*, Venedi, Slavi, Sorabi, quaſi *Wænde*, parietes; ſic dicti ſunt Sorabi a Germanis, *quod muti ſint tanquam parietes in reſpondendo*; ceterum jure retorſiones aut talionis id quidem excogitatum nomen dixerim, quod Teutones Sorabis *Nemetes*, *Niemzy* vulgo audiant, i. e. muti *ob ignorantiam*, *linguæ ſuæ*; *Niemy* enim *mutus* Sorabis; conf. D. THOM. REINESIUS *var. lect. lib. 1. cap. 14.* Alias conjecturas habent FRIDERICUS THOMAS *Rer. Guſtrov. Periodo I. p.* 11. HOEVELIUS *in Memor. Raceb. p.* 7. *Celtæ*, Leute mit *gelben Haaren* a חלת i. e. crocus & croceus, ita SAM. BOCHARTUS *Geograph. ſacr. lib.* 3. c. 6. p. 188. edit. Ffrt ad M. 1674. *Cæſar*, inquit, *ſi lubet Chaldæo more inflectere fiet* חלתא *chelta? unde Celtæ & Galatæ croceis capillis nomen debebunt.* Quem calculo ſuo approbat prolixe b. KIRCHMAIERUS *differt de lingua Scytho-Celtica & Gothica cap. 2. n. 2.* qui videndus omnino. Addatur HARSDOERFFER. *in ſpecimine philolog. germ. diſquiſit. 2.* p. 24. *Herulen* & *Werlen* eadem nomina: ſic dicti enim populi ſunt ab *Herula* ſeu *Werula*, urbe inclyta & perantiqua. Ita nos docet *Frideric.* THOMAS *in Analect. Guſtrov. period 2.* p. 50. NICOLAUS MARESCALCUS *in Comm.* & BANGERTUS *in Helmold. l. 1. c.* 12. p. 35. Herula autem ſive *VVerla* dicitur a fluvio *Varno*, quod ad ejus ripas fuerit condita: denique Varnus, Warne, Werna, Werle, an a Polonico *VVir* i.e. Vortex? quod ſit vorticoſum flumen. Quæ poſtrema derivatio opinabilis non eſt. Werle enim & Warnan ſunt nomina Vandalica: *Dluglojſio* Werle idem eſt ac crudele.

Otto. Richard. Balthaſar. VVilhelmus. Adolphus. Rudolphus. Ludolph. Ericus. Georgius. Ludovicus. Carolus. Adolph. VVandali. VVenden. Celtæ. Heruli & VVerle.

II. Nomina Urbium.

Hagenau, *Eichſtædt*, Hagen, lucus, locus ſeptus, virgultis & arboribus, maxime quercubus. *Nienkalden* Neuen Kalden, quaſi dixeris: *locus novus inteſtinorum*; *Kalden* enim ruſtica gens inteſtina vocat, quæ nobis Kaldauen vel Kaldunen, quod a *Kal* concretus, & *Dun* inflatus, quaſi viſcera turgida. Non tamen plane diſplicet, tua a *Calendaria Societate*, dem Kaland, derivata explicatio. *Stavenhagen*, Stavenhayn a *Stab* Saxon. & Belgic. *Staf*, baculus, ſcipio & Hagen lucus, ergo Stavenhagen idem ac *Holtzſtadt*, *Stabenheim*, wo Stæbe abgeſchnitten werden. *VVahrn* alii Waren, lat. Varenia, *ein verwahrter Ort für der offenen Muriz-See*, locus ſartus, tectus, nam wahren (unde bewahren) obſervare, cuſtodire, defendere ſonat: aut a Währ (Waſſer-Währ) ſeptum tranſverſum ad avertendum fluvii impetum; unde Wahren, eine *VVæbrſtadt* forte, quod aggere, catarracta, aut chelis aqueis gaudeat. *Brühl*, *trockene Stadt* aut *Waſſer-Stadt*; a *Brüll*, locus juxta aquas, item locus aridus ex aquis ſiccatis; ab eodem *Hirſchbrül* ſtatio cervorum circa loca aquoſa & virgultis amœna: *Brülicht* adjectiv. *ein brülichter Platz*, viridaria, ſilva nemoroſa, item ſiccata & ſucciſa. *Juenak*, Juenach, Juenacum ſonat quaſi *je wenn ach!* vel *ack!* i. e. *o ſi tantummodo*! *o ſi ſaltem!* quæ optantis formula; ſed rectius tamen ortum nomen putaſti ex voce antiqua Ee, Ev, Ew, quæ *legem* aut *fœdus* ſignificat, & *nach*, poſt, juxta; ut Juenach ſit, quaſi tu dixeris *Even-nach* vel *Ewenach*, i. e. ſecundum legem vel juxta fœdus, dem Bunde nach, dem Geſetze nach erbauet; ſic Eiſenach, Iſenacum ab Eiſen & nach. Ee vulgo Iſ & Ihe, conjugium, ducam a Syriaco אי, conſuevit, familiaris fuit, item diverſatus fuit, Arab. fœdus enim & leges in gratiam familiaris conſuetudinis ſanciuntur, & vulgo dicitur, *conſuetudo altera lex eſt.*

Hagenau. NienKalden. Stavenhagen. VVahrn. Brühl. Juenack.

III. No-

III. Nomina Slavica Regum & Principum.

Viſilaus. *Viſilaus* aliis Wiſislaus & contracte *Vitzan*, ut legitur apud BANGERTUM *in not. ad Helmold. Chron. Slav. lib. 1.* c. 12. p. 36. i. e. *pendens a gloria* germ. der nach Ehren ſtrebet, vel ſi mavis, der dem Lobe *anhanget; Wiſsu* enim Sorabis (Pol. Wiſſe) pendere, dependere &
Vitislaus. *Slawa* gloriam famamve ſonat. *Vitislaus* contra-
Vicelinus. cte *Witzel*, aliis Utislaus, *Vicelinus:* poſterius occurrit apud AVENTINUM *Annal. Bojor. lib. 4. fol. 337.* i. e. *clarus lenitudine*, φιλάνθρωπος germ. *Senffte*, Sanffter. Ex *Utiſsiti*, quod compoſitum a *Tiſchiti* vel *Tiſsti* Bohem. (Sorabi *czieschu* pronunciant) lenire, mollire,
Wiſimarus. mitigare, & *Slawa* gloria, fama, laus. *Wiſimar* olim Wiſimirus vel Viſimirus (Slavi enim *V.* litteram ut *W* pronunciant). Legitur ultimum apud ALEXANDRUM GVAGNINUM *in Sarmat. Europ. f. 5.* i. e. *Gern Fried, Friderich*, a *Wiſſu* Sorab de quo paullo ante, i. e. pendere, adhærere, & *mier*, quod pacem ſignat. Bohemi & Poloni *Mir* ſcribunt. Igitur vocabula *mir, mar* vel *mæhr* huc non pertinent, veluti quidem placet JOACH. MEJERO *diſſert. de Mejeris cap. 3. conſ.* ACT. ERUDIT. *Lipſienſ. ao.* 1701. p. 447. *Wizan*, lingua Heneta ap. HIERON. EMSERUM eſt *Witz*, ein Licht. H. MEIBOM. *in Bardew. deſcript. p. 129.*
Micislaus. *Miecislaus* apud BANGERTUM *ad Helmold. l. 1. c. 12.* Mislaus HELMOLDO *lib. 1. c. 13.* Misſizla: ALEXANDRO GVAGNINO *Sarmat. Europ. f. 14.* Mieczlaus & Miczlaus contracte Miesko & Meſcho: poſterius ſcribit DUBRAVIUS *hiſt. Boh. lib. 6. p. 160. & lib. 7. p. 188.* ſed Mieſco ALEX. GVAGNINUS *Sarmat. Europ. fol. 9. & 11.* porro hic quidem diverſa nomina eſſe Mieſco & Miecislaus ſentit fol. 9. inquiens: *Mieſco cum univerſa gente ſua alacriter baptiſatus eſt, anno Domini 965. Mieſconisque priori nomine immutato Mieczlaus appellatus eſt, quaſi gladio acquirens nomen clarum.* Aſt non placet mihi Guagninus, qui linguæ Slavicæ indolem forte neſciverit. Mieczislaus ergo vel Mieczlaus, *gladio clarus, Schwertner:* nam *Miecz* Sorabis & Po-
Radagaiſus. lonis gladius, enſis, & *Slawa* gloria. *Rhadagaiſus* apud PROSPER. AQUITAN. *in Chron. ad annum Chriſti* 402. *& ad ann. 407.* legitur: apud ZOSIMUM *lib. 8.* Ροδογαισος; apud ISIDORUM *Hiſp. & Freculphum epiſcopum Chron.* l. 5. c. 5. *Radagaiſus;* apud DITMARUM *Chron. Merſeburg. lib. 6. fol. 65. Riedegaſt*; apud HELMOLD. *chron. Slav. lib. 1.* c. 2. *Redegaſt* l. 1. c. 23. *Radigaſtus* & c. 52. *Radigaſt;* ſic & apud SCHNEIDERUM *chron. Lipſ. lib. 4.* p. 191. apud BANGERTUM *in Helmold.* p. 126. & MASIUM *libro de Diis Obotritor.* Radegaſtus. CHRONICON *Saxon. ad ann. 1133.* habet Ridegaſt apud ALBERTUM CRANTZIUM *in Vandal. lib. 3. c. 4.* & 37. Radegaſt: apud EMSERUM *in vita Bennonis*, c. 4. & JOANNEM SAUBERTUM *de ſacrificiis* c. 5. *Redegaſt* & *Radgoſt*; apud NICOL. PETREIUM. *de Cimbr. & Gothor. origin. lib.* 2. *p. 93.* Radegaſtus; Rhadagaſus apud NICOL. MARESCALCUM *in Annal. Herulor. & Vandalor. l. 1. c. 4*; Radagaſtus apud *Georg. Fabricium Orig. Sax.* lib. 2. fol. 159; denique & Radagaſtus apud SAUBERTUM *de Sacrific. c. 22. p. 552.* porro variant quoque circa etymon vocabuli. BANGERTUS *not. ad Helmold.* l. 1. c. 52. f. 127. ducit a *Gaſt* germ., quod hominem ad omnia promtum & habilem ſignificat: ita & D. MASIUS *lib. de Diis Obotritar. & Radegaſto c. 3. Radegaſt a Gaſt, i. e. homo omnium horarum & ad negotia quævis alacer & promtus, & raden* (ſ. rathen) *conſilium dare.* Clariſſ. TENZELIUS *in colloqu. menſtr. anno 1689.* p. 698. *Radegaſt heiſſet ein Gaſt* (Geiſt) *der einen Rath giebet.* Igitur nomen eſſe Teutonicum viſum his eſt: rectius ad Slavicam linguam retuliſti cum aliis quorum quidem tres ſunt opiniones. Vide Fratris mei diſſert. de Diis Slav. Ducam ego a *Rzad* vel *riad* i. e. gubernatio, regimen, adminiſtratio, item ordo, acies, copiæ, & *Kſiaze* i. e. princeps, dux; utraque vox Polonis, Bohemis, Sorabisque frequens eſt. Hinc itaque *Rzadekſiaz* olim & poſtea per antiſtæchon *Kſ* in *G* tranſimutatis *Radegias, Radaguiſius* &c. i. e. *princeps aut dux regimins, ordinis, aciei aut copiarum*, german. ein regierender Herr, Herr der Heerſchaaren, vel Heer-Fürſt; & hæc quidem nominis deductio & ſignificatio apprime idolo quoque competit, quia Radegaſtus Slavis pro *Marte* ſeu Deo aut præſide belli copiarumque & ordinum militarium Duce ac Imperatore habitus ſit, ſed de hoc plura nos libro MSto de Diis Slavorum. *Godogeſilus* ſonat, quaſi germanice dixeris *Gottes-Geiſſel, flagellum Dei;* quod genus quidem nominis ſumtum ex lingua Teutonica principi ſuo Slavi impoſuere, quod crederent flagellum eum fore genti, quam odio ipſi haberent; ſic contra Bohemis olim Primislaus *Ottocar* dictus, quaſi *Ottiſch-gar*, quod Ottoni Imperatori plane addictus eſſet. *Modogislus*, vox corrupta; legam *Mlodocieslaus, juvenis architectus* ein junger Zimmermann, a *mlody*, juvenis, & *Czieſla*, faber lignarius: Polonis *Czieſla* idem; ſic *Cieslaus* nomen proprium regis apud CASIMIRUM FRESCHOTUM *in memorandis Dalmatiæ cit. act. eruditor. Lipſ. anno 1688. p.* 43. vel Cislavus, quod legitur apud MAURUM ORBIN. *de regno Slavorum*, idem quod *Cieſla* faber lignarius. *Corſico* aliis *Gerſico*, it. *Girſico*, i. e. Georgius ex deminutiva voce *Gürzik* Bohem. Sorabi *Jürick* pronunciant, i. e. Jürglein, Georglein, hoc a *Juri*, quomodo Germani Jürge hoc eſt George, Georgius γωργὸς, agricola. *Thraſco* vel *Thraſteco*, aliis *Draſco* vid. BANGERT. *ad Helmolo. lib. 1. c. 12.* & GEORG. FABRIC. *Orig. Saxon. lib. 4. p.* 437. item THASCO apud eundem Fabricium fol. 433. a *trzaſkj* fragor, ſtrepitus; verbum *trzaſkam* concrepo digitis, Polon. Sorabis *traſkam*, laceſſo, territo minis, *trotzen.* Thraſco ergo *minax*,

Godogeſilus.

Ottocar.

Modogislus.

Corſico.

Thraſco.

Ceodrag. *contumax, arrogans*, ein Trotzer oder Trotziger, item Pocher. *Ceodrag* Sorabis *Czodrag*, tricornis, dreyſpitzig, in ſpecie placentula figuram ſiſtens radiantis ſtellæ viſæ a Magis, quam die trium regum pinſunt puellulæ: a *czio* vel *tzio* tres, & *drag* Polon. i. e. pertica, haſtile, cuſpis. *Billug*, & *Billung*, prius legas apud HELMOLD. *chron. Slav.* l. 1. cap. 12. p. 39. *Billungus* apud GEORG. FABRICIUM *Orig. Sax. l. 1.* f. 73; i. e. *biely* albus, candidus, german: *Weiſſe*, *Weiſsmann*. Sic & *Bielufchka* Sorabis nomen familiæ, i. e. Weiſſe; aliis, ut Chemnitio, Latomo, Simoni Pauli Billugus eſt *Bielke*. *Miſtovi*, *an Gottes ſtatt; Miſtiwoi* apud HELMOLD. l. 1. c. 16. *Miſtivojus* apud *Georg.* FABRICIUM *Orig. Saxon. lib. 2. fol.* 313. *Miſtibogius* apud DUBRAVIUM *hiſt. Bohem. lib. 3. p. 100. & 101.* rectius *Miſtibogus* vel MISTOBOG. i. e. qui vice Dei eſt, locum Dei tenet, & inſtar Dei colendus eſt, a *miaſto* vel *mieſto* locus, & *Bog* vel *Bob* Deus. Huc pertinet TERTULLIANUS *lib. ad Scapulam* c. 2. f. 88. *Colimus ergo & Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quicquid eſt a Deo conſecutum & ſolo Deo minorem.* Sic etiam Deus ipſe ad Moſen, Exod. 4. v. 16: Et tu eris illi (Aharoni) לאלהים *pro Deo.* LUTERUS ibi: Und du ſollt *ſein* Gott ſeyn. *Anadrach*: apud HELMOLD. *l. 1. c. 9. Anadrag;* BANGERTUS *in notis ibidem p. 58. Anatrog* & p. 59. *Anatrogus:* idem quod Sorabis hodie *Hundrag*, quod nomen familiæ eſt, i. e. *ſic* aut *vere haſtile!* german. *Spieſsmann; ano* enim eſt *ſic, ita, vero, nunc, ergo;* & *drag* haſtile. *Ratibor* apud ARNOLD. *chron. Slav. l. 4. c. 7. Ratibur.* apud DUBRAVIUM *hiſt. Bohem. l. 14.* p. 367. *Ratiborius* & paulo poſt *Ratiberius*, i. e. *qui expetit aut præoptat ruinam hoſtium, Gernſtörer*, a *rad*, libens, libenter, *gern*, & *boriti*, diruere, deſtruere, exſcindere: poſſit etiam verti *ſilva oraculo clara*, germ. *Rathwald*; *rada* enim conſilium, oracului Sorabis, & *bor* ſilva, pinea, pinetum Polonis. *Bogislav* Gottlob! *Deo laus;* Bohemis *Bohuslaus;* apud HELMOLD. l. 2. c. 4. *Bugezlavus* &, c. 6. *Buggeslauus;* apud ARNOLD. *chron. Slav.* l. 2. c. 31. *Buggislaus:* apud D. MAJERUM *in hiſt. verſion. Bibl. Luther.* c. 6. *Bugſlavus:* apud CHYTRÆUM *chron. Saxon. fol. 4.* 5. 6. 7. 8. 9. *fol. 157.* & 239. *Bogislaus* & fol. 141. *Bugslaus. Bog* vel *Bob* Deum & *Slawa* gloriam ſignificat. Claruit hoc nomine nuper *Bohuslaus Balbinus*, vir e ſocietate quam vocant Jeſu, ſcriptor rerum Bohemicarum, de quo plura act. erudit. Lipſ. an. 1682. 1685. 1687. 1688. &c. *Butue:* recte obſervaſti quod idem ſit ac Budivoius. Ita occurrit apud DUBRAVIUM *hiſt. Bohem. l. 10.* p. 256. i. e. *Sey Krieg* vel, er wird den Krieg führen, *ſit* aut *fiat bellum!* quomodo Sey Fried, *ſit pax*; a *bud* vel *budz*, eſto, quod a budu, fio, & *Wojuju*, bellum gero, milito. Sic Judic. 20, 18. Wer ſoll vor uns hinauf ziehen den Streit anzufangen mit den Kindern Benjamin? der HErr ſprach: Juda ſoll anfangen, ſonat: ergo quaſi Juda BUDIVOJUS i. e. bellator ſeu dux exercitus ſit. *Cruco* vel *Crito* idem quod Cracus, Crocus, aut Croccus, quod nomen ſic diverſo modo ſcriptum occurrit apud *Æneam Sylvium*, *Alexandr. Guagninum*, *Jo. Herbutum de Fulſtin* & alios: latine vertas *augur*, der aufs Vogel-Geſchrey Achtung giebet. Oritur enim ex garritu avium, quod *krakam* & *kracze*, crocitare in morem corvi ſignificat. DUBRAVIUS *hiſt. Bohem. lib. 4. p. 51. Crocus divinitatem* (adde & *nomen*) *ex divinatione augurioque collegerat. Burewin* de quo multa *Frideric.* THOMAS *in analect. Güſtrov. p. 44.* &c. aliis *Borivojus*, quod habet *Alexand.* GVAGNIN. *Sarmat. Europ.* p. 12. *Borvvorius*, DUBRAVIUS *hiſt. Bohem. l. 4.* p. 103. SYLVIUS *hiſt. Bohem. cap. 12.* ſcribit *Borſivojus;* i. e. *everſor belli aut eorum, qui militant*, Kriegs-Zerſtörer, der den Kriegern ſteuret, a *boriti* vel *borziti* diruere, deſtruere, Bohem. & *Wojuju* Sorab. *Wojuje*, Polon. bellum gero. *Suentepolc*, aliis *Suatopolcus, Suatoplucus, Suentopolcüs; Sivatopolgus, Suatopolgus Zuentepolch, Zuentopolcus* & *Zwentepolch*, vid. HELMOLD. *l. 1. c. 46.* & *48.* DUBRAV. *hiſt. Bohem. l. 4. p. 107. Alex.* GVANIN. *Sarmat. Europ. f. 12.* i. e. *cohors ſancta*, a *ſzwiaty* ſanctus, & *polek* ſeu *pulk*, cohors, phalanx, legio, *Polon.* Aut quaſi *Swiate plokani* ſancta lotio, heilige Waſchen *plokani* Sorab. & *plokanie* Polon. lotio, lotura; radix *plokam*, lavo. *Pribislaus* apud SAX. GRAMMATIC. *Dan. hiſt. lib. 14. fol.* 295. Pribizlaus apud HELMOLD. *l. 1. c. 82.* i. e. *creſcens gloria*, *Auguſtus*, mehr Ehre, Ehrenmehrer a *przybywam*, augeſco, creſco Polon. & *Slawa*, gloria. *Niclot*, *Niclous* apud *Helmold & Arnold* in chron. Slav. ſæpe: *Nucletus* apud *Sax. Grammat. hiſtor. Dan. l. 14. f. 292.* ſonat tanquam *non refrigerans*, ſeu *non umbra*, *ne umbraculum quidem*, kein Schatten, keine Kühlung; forſan quod hanc ſibi optarint parentes ejus, a *nie*, non, & *klot* vel *chlod* Sorab. & Polon. i. e. refrigerans aura, refrigerium, umbraculum, Schatten. *Wratislaw*, *Wertislan*, *VVratislaus*, *Wertizlaus*, tertium occurrit apud Æneam Sylvium, & Dubravium; reliqua Helmoldi ſunt, i. e. *qui cum laude & gloria revertitur*, kommet mit Ehren wieder; *wratiti* enim reverti, regredi, retroire ſonat, & Slawa gloriam. *Poppo*: credam ortum ex Pop i. e. ſacerdos *Sorab. Pol. Bohem. Moſcovit.* quod jure quidem ceu probroſum & dedecoroſum nunc haberi ſolet; perinde ut german. *Pfaffe*, ut pote quibus ſaltem plebs ruſtica & fex nullius commatis inimica ſervorum Dei vulgo utitur. Nec a *παππας* aut *Pape* vel *Papa*, quæ patrem ſonant, ducenda crederem *Pop* & *Pfaffe*; ſed Tibi aſſentior, quod ſit a *popa* latino vocabulo, quo denotatur victimarius, eo quod

Bogislaus. *Butue.* *Cruco vel Crito.* *Burewin.* *Sventepolc.* *Niclot.* *Wertislaus.* *Poppo.* *Pribislaus.*

quod patres latinæ ecclesiæ olim gentiles sacerdotes *popas* appellitarint: ab his autem in ora vulgi pervenit *popæ* vox, perinde ut alia multa ecclesiæ latinæ vocabula, e. g. altare, unde Germ. *Altar*, & Sorab. *Woltar*, calix, unde Kelch; templum, unde Tempel &c. ideoque haud facile hucusque dedisci potuit. *Obotriten* lat. *Obotriti*, *Obetriti* item *Abotriti* & *Obodritæ* apud GESNERUM *in Mithridate* p. 68. de origine nominis ita *Nicolaus Maresc. cus annal. Herul. & Vandalor l. 1. c. 4.* Carolus ille magnus, qui cum Herulis affinitatem & amicitiam se habuisse testatur in commentariis, quos moriens Ludovico filio reliquit, Herulos Obetritas nuncupat. Nam sic a polymitis variegatos appellare solent Græci; idem in commentario sub littera O. Obetritæ, nomen erat Ducum Megapolensium, quum reges adhuc essent, Teutones die Kœnige der Obetriten, quod secundum etymon græcum die bunte Rotte oder Garden. Hæc ille. Putarim Te recte divinasse *Obetriti* nomen esse Slavicum ex verbo compósito *Obtriti* Bohem. (Sorab. *Wobtru*) i. e. deterere, detergere, defricare, unde *obtrity*, i. e. detersus, defricatus, purgatus. *Obetritus* ergo, latine bene dixeris, *gentem detersam*, ein sauber oder gesäubertes Volck, forte quod regionem suam squalidam, nuper sordidam & horridam, cultiorem habitabilemque reddiderint, vel quod sua opinione non sex hominum sint & colluvies agrestium; sed gens culta, civilis & suum cuique tribuens. Reliquæ derivationes, quasi sint *Abgetretene*, *Abendreuter*, ingenii & vocabuli lusum arguunt.

Obotrita.

IV. Nomina Urbium Sclavica.

Sverin. *Sverin*, *Sverinum*, *Zverin*, apud HELMOLD. *l. 1. c. 87. & 92.* it. l. 2. c. 3. 7. & 14. *Nicolaus* MARESCALCUS *annal. l. 1. c. 4.* ita: HILIVONES *ut appellant Vandalici annales, Sverinum ambiunt, quod oppidum Cl. Ptolomæo μαζιωνις, Marionis; ubi stagnum piscolentissimum, milliarium non minus longitudine tertium, arx insignis, in qua & æstivare & hyemare nonnunquam principes solent.* Idem in comment. sub litt. *M: Marionis urbs Megapolensium auctore Ptolomæo, quæ Sverinum. Dicitur autem Marionis altera; nam Marionis prima est Luneburgum, teste Ptolemæo eodem.* Et paulo ante sub littera *H: Hilivones, populus Megapolensium, comitatus nunc Sverinæus. At urbis Sverini pars etiam Scilvones a barbaris, Teutonice die Schilffe.* Plura de Sverino HELMOLD. *chron. Slavic. lib. 1. c. 87. & lib. 2. c. 7.* inprimis *b.* CONR. SAM. SCHURTZFLEISCH *dissert. de rebus Mecklenburgic. edit. Witteb. 1677. num. 14. & 18.* Sine dubio nomen *Zverin*, unde *Sverin.* (Z enim ut litteram S pronunciant Slavi) est a *Zwerina*, Bohemis ferina, Polonis *Zwierzyna* & Sorabis *Swierina*, item: thema *zwire* Bohemis, *zwierz* Pol. *swierio* Sorab. fera, bestia, ein Wild; ergo Sverinum Tuum Germanice optime dixisti *Wildstadt* vel *Wildenau*, ideo quod feras agitandi capiendive hic sat aptum commodumve est spatium. *Bukaw* alii *Bukow* & *Buckow*, Buchstadt, wo viele, Buchen gestanden. *Buck* enim Sorabis Bohemis & Polonis fagus φηγὸς; unde *bukowy* adjectiv. faginus, fagineus, & *bukowina* seu *buczina* faginea silva, item arbor. *Daßau* idem quod Dessa, Dessau, Dessaw, Dissovie vel Dassov, urbs Saxoniæ ad littora Mildæ & Albis distans tertio lapide a Witteberga, hoc quidem *b.* MATTHESIO *in vita Lutheri* ab ebræo רשן, id est a pinguedine nomen accepisse videtur. Chronica urbis scribunt dici e verbis Caroli M. Imperatoris: *Dieſe Au* gefællt mir wohl. Ducam utrumque locum a *D. sam* Polon. i. e. stomachari, fremere, quomodo a *Strzelam* vel *Strelam*, *Strele*, Strela & Strelow. Dassau ergo *Stomachantium urbs*, Germ. *Wütenstadt*, *Zornburg*. *Güstr u*, *Gustrow*, *Gustrovium*, item *Gustraina* apud *Nicolaum* MARESCALCUM *annal. Herul. & Vandal. lib. 21. cap. 42.* caput Wendiæ sive Venedorum principatus. An a *guz* & *stravi*, i. e. frumine sano seu cerevisia bene cocta, vel a *gest* & *strowy*, i. e. *f. lubris locus?* Sic haud male quidem derivasti, quare Germanice vertas *Heilburg*. Ducam vero ego a Gestrab nam b & w litteræ συμεταβολοὶ i. e. *accipiter ἱέραξ*, item *falco*, ein Habicht, Bohem. Sorabis *Jeczziebar*, lege *Jetschebar*, idem: credam autem rationem imponendi nominis fuisse volitantem in aëre falconem, quo viso augures incrementa & felicia quæque urbi prædixerunt. Slavi enim more gentium auguriis quondam inhæserunt. Inde & falconis figura olim insigne fuit principatus Venedorum, quod docet *idolum Radegasti, cujus capiti falco alis explicatis immineat.* Aliter *Gustrow* olim *Guzstrowe* scribitur, compositum forte ex *Guz* lege *Gus* & *strowy* Pol. *strawy* i. e. frumen sanum vel *bene coquens*; *Guz* frumen, item tuber arboris & *uropygion*: *strowy* vel *strawy* adjectio: *sanus noxis.* An quod boves olim ibi inventi sint, pascentes se per herbas, frumini suo salubres? Hinc *bos* pastus, & *herba* urbis insignia facta. Inde *Cl. Friderico* THOMAS *in analect. Gustrov. p. 8-10.* observata vetere scribendi consuetudine, quam tabulæ & diplomata antiqua referunt, *Guzstrow* seu *Guzstraw* videtur conflatum esse e composito *Guzstrava*, ut prius *Gus* s. *Guz*, gibbum, tuber s. tumulum, posterius autem *Trawa* gramen Polonis significat; quasi primis conditoribus hic locus ob gramineos colles arrisisset indeque appellandi ansam dedisset. Id quod nec naturæ loci repugnat, præsertim, si pristinum urbis situm positumque spectes: nam extra portam molarem, qua ad villam proximam Suckow itur, ubi vetus Gustrovia olim stetit, etiamnum nil nisi lætos tumulos collesque compascuos & arva gibbosa conspicari licet, quæ primis cultoribus *Guztrawny* tumulus seu gibbus gramineus appellari satisque ad habitandum ac villas inibi condendas opportuna videri potuerunt. Vel si etiam ex *Gesty* (frequens, creber,) & *Row*, vadum, alveus, vocem

Bukau. *Daßau.* *Güstrau.*

vocem deduxeris, ut ideo Güſtrovia denotaſſet locum vadis & foſſis frequentem, hoc ab re non omnino alienum foret, cum ob Nebulæ fluminis & ſtagnorum proximorum confluentiam neque paludes neque vada adhuc deſint aut olim deeſſepotuerint; vel denique ſereni tas quædam cœli, temperiesque climatis videtur nomenpeperiſſe huic loco, quod vult *M.* jo. COLERUS, qui in *œconomia rurali ac domeſtica lib. 2. c. 4. ubi* de re cereviſiaria & ſpeciatim de *Kniſenaco Guſtrovienſi* agitur, obiter quædam de etymo noſtræ urbis interſerit, putatque Guſtrow apud Wendos idem ſonare quod apud Germanos *Schönwetter* ſive *Schönau*. Hactenus Dn. Thomas ſcil. ad vocem *jaſny* vel *gaſny* & *ſtrowy* Colerum reſpexiſſe crederem. Nam *jaſny* (*gaſne nebio*) ſerenitatem aëris & *ſtroowy* ſanum integrumque ſignificant. Eli-
Malchin. ge cui dicas, tu mihi ſola places. *Malchin*,
Malchau. Malchinum, Melicou & *Malachou* apud HELMOLD. l. 1. c. 87. & 92. *Malacha* apud *Nicol.* MARESCALC. *annal. Herul. & Vandal. lib.* 2. c. 40. *Malachinum* ibidem lib. 1. c. 4. & in Comment. ſub littera R. A. *Maluchny* Polon. i. e. puſillus, parvulus, thema *maly*, parvus exiguus; ergo *Malchin.* proprie *civitas parva*, kleine Stadt, veluti Bethlehem, Mich. 5. v. 2.
Schwaan. *Svan* alii *Schwan* a *Siwy* vel *Siwa*, fœm. i. e. vivens, vita, germ. Lebensſtadt. Huc Nicol. Mareſcalcus in comment. ſub littera *S:* Siva Dea Vandalorum (Venedorum) Venus ipſa; colebant illam Polabi cumprimis & Heruli, a qua Dea civitatula, quam tunc Siawn, nunc Swan appellant, ſupra Roſtochium. Sed Siva quaſi *Siwa* ſ. vitæ Dea, vide alia apud Tho-
Gnoyen. mam in analect. Güſtrov. p. 50. *Gnoye.* Bene THOMAS *annalect. Güſtrov. p. 8. Gnoje* a *Gnoy* fimus, ſive *Gnoie* ſtercoro, de ſtercorandis agris nomen accepit; ſed & Sorabis Luſatiæ inferioris *Gnoi* fimus, uti *Hnoi* Sorabis Luſat. ſuperioris idem, & *Hnoju* ſtercoro.
Marlau. *Marlau* an a *marnie-lowiu*, i. e. locus, ubi inaniter aut fruſtra venor, aucupor aut piſcor; *marnie* enim Polon. vane inaniter, & *lowin* Sorab. (Polon. *lowie*) aucupor, venor, piſcor,
Teterau. fangen. *Teterau*, *Tetrow*, *Tetterow*, *Tetrau* & *Tetra*. Tecum clariſſime harumque rerum ſcientiſſime Weſtphali id nomen duco a *Tetrew* i. e. *tetraon*, item urogallus, Bohemis Birckhahn & *Auerhahn*; ſic Græcis τέτραων & τέτριξ urogallus: dicitur vero Bohemis *Tetrew menſſi* tetraon, & *tetrew hluchy* urogal-
Krakau. lus. *Krakau*, *Cracow*, Schrey-Vogel oder Raben-Stadt a *krakam*, crocitare inſtar corvo-
Boitzenburg rum. *Boitzenburg*, *Boizenburgum*, *Boycenеburg*, apud ARNOLD. *chron. Slavor.* l. 4. c. 9. & *lib.* 7. cap. 13. a *bocian* Polon. (Sorab. *baizon*) ciconia, & voce germ. *Burg.* caſtrum; igitur Boizenburg proprie *Storchs-Burg*.
Plaw. *Plaw*, *Plawe*, *Plavia*. Nicol. Mareſcalc. in comment. ſub littera F. *Flavium civitatulæ Megapolenſium Plau*; dubium eſt, num ſit a *plaw*, i. e. concha, *cheme*, Polon. vel a *plawiti* aut *plowati* i. e. navigare, item natare; Bohemis Sorabis item *plowam* natare, γεύειν, ſchwimmen; bene etiam Thomas in analect. Guſtrow. p. 8. Plaw. a *plawa*, crates lignorum ſeu navigatio a præterlabentibus, cum Elda fluvio ratibus vel navigandi ſcaphisque vehendi opportunitate haud demere derivari poſſe nemo inficias ibit. *Parchin*, *Parchimum*, al. *Par-* *Parchim.*
chim, *Parchen* in tabulis Geographicis, *Parchunum* apud Nicol. MARESCALC. *in annal. lib. 1. c. 4.*, qui ſimul etymon vocis commonſtrat, inquiens: Quæ Ptolomæo ἀλισός, Aliſtus, nunc Parchunum, ab idolo, cujus adhuc conditum ſepulcrum ex auro ſolido proxime putant, Et in comment. ſub litt. A: Aliſtus urbs Megapolenſium, autore Ptolomæo, quæ vulgo *Parchunum*, ab idolo, quod ibi quondam colebatur Teutonis, Parcheym ſcilicet *Percunus*: quo de plura Hartknochius diſſertat. 7. de rebus Pruſſicis: *Deus tonitrus & fulguris*, a *percunos* Lithuan. i. e. tonitru, item fulgur, Pruſſis hodieque *Pernuns* tonitru & Polonis *piorun*, fulmen, *piorunek* brontia, itaque Parchim quaſi Donner-oder Blitz-Stadt. *Gra-* *Grabau.*
bau, *Grabow*, *Grabovia*. ARNOLDUS *chron. Slavic. lib. 7. c. 3. Grabbow* a *Grab*, carpinus arbor, ſpecies acerum. Hinc *grabowy* adject. carpineus, Polonis. Grabow ergo germ. Ahrenſtadt: ſuntque in Luſatia ſuperiori pagi Groſsgrabe und Grün Græbgen, Sorabis *Rabow* ſuppreſſo G pro *Grabow*. Quod in litteris Tuis ipſe bene notaſti. *Domitz*, *Domiti-* *Domitz.*
um & *Demicium* apud Nicolaum Mareſcalcum annal. l. 1. c. Plura de hac urbe *Conr. Sam.* SCHURZFLEISCH *diſſert. de rebus Mecklenburgic. num. 16.* & ANDREAS ANGELUS *chron. March. lib. 2. f. 136.* Nomen oritur a *Dym*, vapor, halitus, fumus terræ, Sorab. Polon. quod paluſtrem locum occupet, qui exhalationes vaporesve perſæpe diffundat. Sic *Dymize*, germ. Dömitz pagus Luſatiæ ſuperioris ex eodem *Dym*, i. e. ab exhalationibus terræ. *Lübz*, *Lübz.*
Lubiz a *Lub* cortex, Baumrinden oder Schalen, womit an etlichen Orten die Häuſer oben gedecket worden. Sic a *Dub* quercus, *Dubz*, *Daubiz* pagus Luſat. ſuperior. poſſit etiam Lubz a *labio* profundum dici; unde Lubiz germ. Tieffenſtadt. *Malchau*, *Malchow*, *Malkow*, *Malchan.*
olim *Malokowe*, *Malechovia* & *Molicou* apud Helmold. l. 1. c. 87. a *Malko*, pauxillum, modicum, ὀλίγον, wenig, nicht viel, Sorab. Radix *maly* parvus, minutus. Aut *Malkow*, ex compoſita voce Polon. *malooki*, ocellæ, ocelli, ein Ort, da man kleine Augen gehabt, als er angelegt worden. *Oko* oculus Polon., Sorabis *Woko* idem. *Crivitz*, *Cribitz*, *Gribitz*, *Crivitz.*
alii *Gribetium*, a ſitu ſic dictum; oppidum quod ad dorſum (collis forte) ſit collocatum, germanice Rücken-Stadt. Sorabis enim tergum *Kribet*, Polonis *Grzebet* & Bohemis *Hrbet* commutatis litteris K. G. & H. idem. Meminerint hic pii cives verborum Chriſti Pſalm. 139. v. 3. & Eſaiæ 50. 6. nec non eorum quibus eſt uſus Hiskias Eſaiæ 38. 7. אחתיך ה׳ שלכת כל־חטא ἀπέβριψας ὀπίσω μου τὰς ἁμαρτίας, projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea, du wirfeſt alle meine Sünde hinter

Ribbeniz. ter dich zurüke. *Ribnitium*, *Ribbeniz*, a Sorabico *Ryba* piſcis, vel adject. *Ribny* piſcoſus, tanquam locus piſcoſus, Fiſchdorff, Fiſch Haüſer, *Ribar* piſcator; placet hoc etymon quoque Thomæ in analect. Guſtrov. p.

Röbel. 8. *Röbel*: adfinia ſunt tria nomina linguæ Sorabicæ 1. *Röbel* paſſer, 2. *Rebel* vel *Riebel* ſcala, & 3. *Reblo* coſta. Secunda derivatio propter ſitum loci, ad quem Venedi præcipue in denominationibus reſpexerunt, vi-

Bützau. detur conveniens. *Bützau*, *Butzow*, *Buzzow*, *Buzovium*, oppidum Mechlenburgicæ terræ, differt a *Bucu*, *Buzu*, *Buzoe*, *Buzue*, BUZOE, *Boſaw* & *Buzowe* Helmoldi hiſtorici parochia: Hoc quidem *a fago* nomen traxit, *buk* enim fagus, *Sorab. Polon. Bohem.* ab eo *Buczina*, fagínea arbor; fuit autem fagus arbor frequens ibi, quorſum pertinet Helmoldus lib. 5. cap. 71.: *Vicelinus epiſcopus incolere cœpit inſulam, quæ dicitur Bozoe & habitavit ſub fago, quousque exſtrueret caſas, in quibus conſiſtere poſſent.* Illud vero BUTZOW ſonat quaſi *Buczowy* taurinus, quod eſt a ſubſtantivo Sorab. *buk*, i. e. taurus, bos admiſſarius, Polonis & Bohem. *byk* idem, & deminutiv: *Byczk* juuencus, bos junior. Adfine itidem *Bydzovium*, quod nomen eſt urbis Bohemicæ a *Bydo* conditore ſuo dictæ. vide PAUL. STRANSKY *de republ. Bohem. c. 2. p. 30.* *Bydus* autem a *Buda* i. e. taberna, Bohem. Sora-

Pentzlin. bica & Polonica voce. *Pentzelibn*, *Penzlin*, putas a *pien* Polon. (Sorab. *Penk*) truncus, ein Stock von Baum, item ein Kloz; ſic *Penz*, pagus Luſat. ſuperior: ex eodem; quaſi Stockſtätte (aut Penzelin quaſi *Pinzaliniana*, i. e. cella linoſa, Bein-Keller, *pinza* enim cella, & *liniana* adject., *lina* ſubſtantiv: i. e. limus, argilla Sorabis. *Rbe-*

Rhena. *na* a *roz* (lege *roſch*) Sorab. Bohem. *rez* ſecale, Korn; adjectivum *rzany* maſcul, & fœmin. *rzana* (lege *ana*) Bohem. *rezna* ſiligineus. *Rhena* igitur germanice: eine gute

Wiſmar. Korn-oder Getreydigt-Stadt. *Wiſmar*, *Vismaria* apud Nicolaum Mareſcalcum annal. lib. 1. c. 4. Idem ibidem: Aborea in oceani littore Wiſmaria *a Wiſmario* quondam *Herulorum & Vandalorum rege condita*, urbs munitiſſima, portu inſigni nobilitata, olim etiam emporio; quam a læva paludes cingunt, inſula hic nuncupata, leporibus frequentiſſima: a dextra milliario non longius dimidio μεγάπολις, Megapolis. *Et lib. 2. cap. 12. Viſmarus* (Herulorum & Vandalorum rex) Alberici filius, Amalaſuntham duxit uxorem, quæ erat filia regis Saxonum, e qua ſuſcepit Miſislaum filium. Condidit vero *Viſimarus urbem Viſmariam*, quæ ex lapide coctili in portu quondam ditiore etiamnum in Herulorum ditione exſtat, paſſibus quingentis a Megapoli Viſimarum ex Adſingorum ſtirpe prognatum Deuxippus ſcribit. Vandalos incoluiſſe Duce Wiſimaro, ubi Hermunduri nunc. Jornandes ad Caſtalium annotavit: ſecundum Mariſiam fluvium, qui in Danubium influit. Strabo lib. Geograph. 7. Mariſum nuncupat, per quem milites Romani vaſa neceſſaria devehere ſolebant. Et tempeſtate ea Gebericus Gothorum rex Herulos finibus illis exercitu maximo invaſit, a ſedibus illos deturbavit rege Viſimaro capto. Liberato vero eo Conſtantinus M. qui rerum tum potiebatur, Pannoniam inferiorem habitandam illis cum rege Viſimaro indulſit, ubi annis quadraginta amplius imperio obſequentes manſere, donec a Stilicone magiſtro militum ex conſule ſunt ſollicitati Gallias occuparent: erat autem Viſimarus rebus bellicis domi ac foris geſtis clariſſimus, qui regnavit annos octo & quadraginta. Et deflorat. Antiquit. lib. 5. Anno ſupra milleſimum & ducenteſimum trigeſimo octavo *Viſmaria* Herulorum a *Viſimaro* Vandalorum rege multis ante ſeculis *capta* a Guncelino comite Sverinæo primo vaſtata, jam Megapoli urbe quondam ampliſſima ibi proxima in urbis formam inſtaurari cœpit. CHYTRÆUS *chron. Sax. lib. 10. f. 286.* Urbis Wismariæ ad littus Balticum unius diei itinere a Lubeca verſus orium in ducatu Megapolitano ortæ originem exalto *a Wismaro rege* Vandalorum tempore Conſtantini M. florente anno 330. quidam repetunt: alii coloniam *Gothorum* ex *Wisburgo* Gottlandiæ metropoli eo deductam anno 1038. adfirmant. Sed paullo ante annum Chriſti 1240. (Chronic. Saxon. germ. fol. 327. habet ann. 1239.) ex ruinis vetuſtæ & amplæ urbis vicinæ *Mekelnburg*, quæ totidem tionis nomen dedit, a Guncelino comite Sverinenſi ſub Joanne Theologo Duce Megapolitano, Henrici Burewini, conditoris collegii Guſtrovienſis, filio, ſeu conditam ſeu amplificatam fuiſſe, Cranzii monumenta & reipublicæ privilegia omnia poſt annum 1250. data oſtendunt. Primus enim Henrihus Hieroſolymitanus D. Megapol., Johannis Theologi filius, jus Lubecenſe & jurisdictionem propriam civitati conceſſit A. C. 1266. brevi autem tempore incrementa miranda ex commerciis aliarum gentium, civitas ſumſit, portum maris commodiſſimum in toto hoc littore Balthico habens, oneratas naves, quantumvis capaces, recipientem & ſine ullis ancoris tutam præſtantem: unde nomen urbi non tam *a ſapienti præſide* quam certitudine marini portus Gewiſs-Meer) inditum veriſimile eſt. Cranzius Vandal. l. 7. c. 11. fol. 227: Die Stadt Wiſsmar woher ſie den Namen bekommen, weiſs ich nicht. Wenn ihr die Wenden den Namen gegeben hætten, wolte ich erachten, es hieſſe Cismar. Nun aber die Sachſen den Grund gelegt, bleibets ungewiſs, woher der Name gezogen; doch hab ich wohl von andern gehöret, Wiſsmar ſey ein Wendiſcher-Name, und kann vielleicht *ein Adelicher-Mann* allda gewohnet, und, ihr dieſen Namen gegeben haben, daſs ſie von *Wismaro Wiſsmaria*, gleichſam Rom von Romulo, genennet worden. Nomen Wismariæ ſi fit a conditore ſumtum, ſonat latine *pendens a pace* ceu altera Abela 2.

Sam.

Sam. 20. v. 19. Vide ſupra Wiſimarus. Alias ſonat quoque Wiſmaria, quaſi *Wyſe-morio*, i. e. *ſupra mare ſita urbs*. *Wyſe* Polon. *Woſche* Sorabis ſupra, & *Morio* Sorab. *morze* Polon. & Bohem. mare. Plura de Wiſmaria *Conr. Sam.* SCHURTZFLEISCH *diſſert. de rebus Mecklenb. num. 15.* *Stargard.* *Stargard*, *Stargardia* q. d. vetus caſtrum aut urbs antiqua. Huc Helmoldus l. 1. c. 12. *Altenburg*, quæ Slavica lingua *Starigard*, hoc eſt *antiqua civitas* dicitur: nam *Stary* vetus, antiquus, & *Grad* ſive *Grod* item *Hrod* caſtrum urbis Slavis, Polonis, Bohem. Sorabis. Recte huc retuliſti nomina *Novograd*, *Belgrad*. Addatur NICOL. MARESCALCUS *annal. l. 1. c. 4*: Ptolemæus lib. 3. Τῶν σαργατίων Sargatios „collocat inter Sarmatas ad montes Venedi„cos, ubi Amaxobii, a quibus quidam hos „oriundos exiſtimant. In Stargatiorum terri„torio civitatula etiamnum exſtat & arx in „monte edito, quæ vetuſtate & nemore ita „olim concrevit, ut ſit credita munere aliquo „divum reperta cervo veſtigia monſtrante. „Et in comment. ſub litt. S *Sargatii* populus „Megapolenſium, qui & *Stargatii* & *Stargardi*: nam Stargardia ducatus illorum eſt Star„gaditer. At lingva Vandalica Stargardia, Aldenburgum Teutonica: plura de *Stargardia Conr. Sam. Schurtzfleiſch*, diſſert. de reb. Mecklenb. num. 12. & 13. *Mirau.* *Mirau*, *Mirow*, *Miravia*, Friedſtadt, *ein Salem*; *mier* enim vel *mir* pax, ſecuritas, Sorabis, Bohem. & Polonis. *Nemerau.* *Nemerau*, *non-pax*, Unfriede, kein Fried, a *nie* non, & *mier* pax. *Roſtock.* *Roſtock*, *Roſtoch*, *Roſtogium*, *Roſtochium*, Bohemis *Roſtocky* & *Rozſtock* apud Helmold. l. 2. c. 14. *Nicol.* MARESCALCUS *annal. l. 1. c. 4.* Tra„ctu oceani a Viſmaria in exortum Laciburgum occurrit, quod Λακίβεργων Cl. Ptolo„mæo nunc *Rhoſtochium* academia nobili illuſtre. Vulgo nomen ortu Teutonicum eſſe credunt, quaſi dixerim Roſen-Stock: ſed rectius tu credis e' Slavica lingua compoſitum, quaſi *Rozſtocka*, i. e. *diffluentia aquarum*, wo die zuſammenflieſſende Waſſer von einander fallen, oder aus einander gehen. Aſſentior huic etymo. Nam *roz* (*roſ*) præpoſitio inſeparabilis i. e. *dis* & *Stoka* Bohemis confluens, Polonis item *Stek* colluvies, confluentia, & *Stoky* Bohemis elices, colliciæ, colliquia, Waſſer-Furchen ὑδρόῤῥοαι, dahin das Waſſer zuſammen flieſſet und fortlaufft. Sic & alii nobiſcum. MARTINUS OPITIUS *prolegom. ad rhythm. de S. Annone*: Roſtochium „Roſarum academia, quaſi nomen cum violis „roſisque natum, juventuti litteratæ audit, „Sclavis habitatoribus illorum locor. priſcis, „quorum reliquiæ longo a Sileſia ad extremum „usque Albim tractu etiamnum ſuperſunt, „*Rozſtak* ſolutionem glaciei aut aquæ deſignet, unde *oppidum Varnæ amni adſitum* „*vicinumque mari* dictum vero eſt ſimilius.„ *Cl. Dn.* THOMAS *analect. Guſtrov. p. 7.* „*Roſtock* aut veteri ſcribendi more, *Rozſtock* „denotare terram uliginoſam ſive diviſionem „aquarum, ab ipſis Polonis edoctus PETR. „LINDENBERGIUS *in chronico ſuo Roſtochienſi lib. 1. c. 6. n. 3.* item *in topograph. Roſtoch. ſub init.* tradit. conf. plura de Roſtoch. SCHURZFLEISCH *diſſert. de reb. Mecklenb.* *Teſſin.* *n. 17.* *Teſſin*, *Teſchin*, convenit quoad nomen cum Sileſiæ urbe *Teſchin* ſive Teſchinum, i. e. *ſolatii locus*; a *teſſeni* (*teſcheni*) ſolatium conſolatio, quod eſt a verbo *teſſti*, conſolari. Cum vero hic locus, monentibus Tuis literis, origine & ſitu ſuo, hunc ſignificatum ægre admittat, facile accedo Tuæ, quam ex MENINSKY *Theſauro* affers, derivationi a Teſny, Boh. & Sorabis *tiſchny* & *cziſny*, anguſtus, arctus, & verbum *tiſniti* ſeu *tyſchn* coarctare. *Wollege.* *Wollege*, forte a *wohl liegen*; placet tuum etiam etymon a *Wolek* diminut. ſeu juvencus, quod eſt a *Wol*, bos, *Wolak* ex eodem i. e. bubulcus; aut a *Wolawka*, i. eſt ardea avis, ein *Dobberan.* Reiger. *Dobberan*, optime V. Cl. vertis Eichſtætte a *Dub* Bohem. & *Sorab.* (*Dab* Pol.) quercus, *Dubrowa* idem; ſic *Dubrav* pagus Luſatiæ ſuperior: ex eodem item *Dubravius* & *Dubransky*, nomina propria, idem ſignificantia quod Eichner & Eichler Germanis. *Dob-* *Dobbertin.* *berthin*, locus beneficus, gutthætig a *dobroczinin*, benefacio, thue gutes; unde adjectivum *dobrocziwy*, Sorabis & Polonis *dobroczinny*, beneficus, item *Dobroczinnoſc*, beneficentia.

V. Commentariolus in Helmoldi tria loca ſæpius citata.

1) *L. 1. c. 52. Malum Deum* (Slavi) *ſua lingua diabolum* ſ. *Zcerneboch*, i. e. *nigrum deum*, *appellant*. Vocabulum *Diabol* ſeu diabolus adhuc hodie Sorabis in uſu eſſe ſolet. *Czernybog* autem vox altera ſcribatur, *czerny* enim ſive *Zernebock.* *czarny* aut *czorny* atrum & *Bog* Deum ſignat. D. REINESIUS tract. de Deo Endo- *Cuzalina.* vell. p. 43. 2) *Cuzalina* Libro 1. c. 58. teutonice eſt *Hagereſtorp* & paulo poſt *Hagereſtorph*, quæ & *Cuzelina*; legas utrinque *Cuzelina* & *Högelsdorff*: *Cuzelina* a *közel.* (kuſelo) i. e. tumulus, collis, ſic & Talmud כטלא *Kisla*, tumulus, vid. origin. lingu. Sorab. lib. 2. cap. 2. p. 665. ſeqq. Ergo Högelsdorff aut Hügelsdorff ab *Curitze.* Hügel, quod idem ac Küslin. 3) Lib. 1. c. 87. *Modius* (ein Scheffel) *autem Slavorum vocatur lingua eorum* CURITZE. Legas *Kozek* aut *kurez* vel korz; *korz* enim Sorabis, Pol. *Kurzec* & Bohemis *Korec*, modius; at *Kuritze* vel *Korzy* plur. modii. Denique *korz* ab Ebræo כר kor, corus, qua de menſura HAFENREFFER *in templo Ezechiel. fol. 55.* BUNTING *lib. de monet. & menſur. S. Scripturæ f. 22. ſeqq.* AR. MONTAN. *in Thubalcain lib. 2* & CASP. WASERUS *de antiquit. menſ. hebr. l. 2. c. 7.* poſteriores autores exhibet quoque opus Criticum Sacr. Tom. VI. fol. 651. ſeqq. & f. 1079. ſeqq. edit. Francofurt.

XXV.

RECENSIO STATUTORUM, FUNDATIONUM, NEGOTIORUM, PRIVILEGIORUM, JURIUM, BONORUM, REDITUUM, BENEFICIORUM ONERUMQUE ECCLESIARUM LUBECENSIUM E QVATUOR CODICIBUS CHARTARUM MEMBRANARUMQVE AUTHENTICARUM IN SUMMAM CONTRACTA.

In nomine Domini Amen! Regiſtrum præſens quatuor particulas continet. In prima namque reperiuntur *privilegia & ſtatuta*, PERSONAS *Eccleſiæ* LUBICENSIS *concernentia ſub titulis ſequentibus.*

I. De Privilegiis *eccleſiam* Lubicenſem *in ſpeciali reſpicientibus.* II. De *Privilegiis* Epiſc. Lubic. *in ſpeciali reſpicientibus.* III. De Præpoſito & *Privilegiis eum concernentibus.* IV. DeDecano & *privilegiis & ſtatutis eum tangentibus.* V. De Scholaſtico & *officio ejus & ſuis reditibus.* VI. De Cuſtode & *ejus reditibus.* VII. de Cantore & *officio ejus ac ſuis privil.* VIII. De diſtinctis præbendis. IX. De Præbenda magiſtrali *ſive* Doctoris ſeu Lectoris *in Theologia.* X. De Parochialibus eccleſiis & *earum* Rectorib. XI. De Capellanis *Eccleſiarum parochialium.* XII. De Camerario. XIII. De Campanario & *ejus officiis.* XIV. De Choralibus.

Secunda principalis particula continet varia & diverſa *Privilegia & Statuta concernentia* ECCLESIAM & *capituli* NEGOTIA ſub titulis ſequentibus.

XV. De *qualitate* Canonicorum *noviter recipiendorum.* XVI. De *his, quæ habebunt facere* Canonici *noviter recepti.* XVII. De *aſcenſu* præbendatorum. XVIII. De *diviſione reddituum prebendarum.* XIX. De *Curiis* Canonicorum & *expenſis eorum.* XX. De *Panibus* Canonicorum. XXI. De *ſervitiis refectorialibus.* XXII. De *abſentibus & ſtudentibus.* XXIII. De *Privilegiis* & *Statutis* offertoria *concernentibus.* XXIV. De choro & *pœnis negligentium officium* chori. XXV. De Capitulo. XXVI. De *officialibus Capituli.* XXVII. De *anno gratiæ & de ſervitio.* XXVIII. De Epiſcopo *Scholarum.* XXIX. De *Statutis* Vicarios *ſpecialiter concernentibus.* XXX. De *quarta afructibus*, prædicatoribus & minoribus Canonicis *debita.* XXXI. De indulgentiis *eccleſiæ Lubicenſi conceſſis.* XXXII. De *Statuto* Guidonis, *apoſtolicæ ſedis legati.* XXXIII. De *Fraternitate* inter *Lubicenſem* & *Hamburgenſem* Eccleſias. XXXIV. De *horis* b. virginis *in* eccleſia *Lubicenſi cantandis.* XXXV. De eccleſia *Uthinenſi.* XXXVI. De *diverſis.*

Tertia particula principalis continet *privilegia concernentia* BONA *eccleſiæ Lubicenſis* ex quibus cenſus eccleſiæ & Canonicorum colliguntur, ſub his titulis.

XXXVII. De *villis* eccl. Lubic. & *privilegiis ſuper illis.* XXXVIII. De *manſis* eccleſiæ Lubicenſis & *privilegiis* ſuper illis. XXXIX. De *molendinis* eccleſiæ Lubicenſis & *Privilegiis* ſuper illis. XXXX. De *decimis* Canonicis *debitis.* XXXXI. De *certis cenſibus annuis* Canonicis *debitis in communi reſpicientibus.* XLII. De *privilegiis* ſalinam Luneborgenſem *in communi reſpicientibus.* XLIII. De *ſartaginibus* in ſalina Luneburgenſi & Privilegiis ſuper illis. XLIV. De *choris ſ. li.* in ſalina Luneborgenſi & *Privilegiis ſuper illis.*

Quarta & ultima principalis particula continet *de* BENEFICIIS *ſive* VICARIIS *omnium eccleſiarum Civitatis Lubicenſis*, quis ſcilicet ſit earum fundator, quæ ſit dos earum, quæ onera unius cujusque & ad quos ſpectat Jus Patronatus earundem ſub titulis ſequentibus.

XLV. De Vicariis in Eccleſia *Lubicenſi.* XLVI. De Vicariis in Eccleſia *beatæ virginis Mariæ.* XLVII. De Vicariis in Eccleſia *beati Petri Apoſtoli.* XLVIII. De Vicariis in Eccleſia *beati Jacobi Apoſtoli.* XLIX. De Vicariis in Eccleſia *beati Aegidii.* L. De Vicariis in Monaſterio *beati Joannis Evangeliſtæ.* LI. De Vicariis in Capella *ſancti Clementis.* LII. De Vicariis in Capella *beatæ Gertrudis virginis.* LIII. De Vicariis in Capella *Megedebeke.* LIV. De Capella in *Schluckup.* LV. De diverſis in locis ſuis debitis ſupra neglectis.

Incipit Regiſtrum extractum per rubricas ex quatuor Regiſtris eccleſiæ Lubicenſis, in quo melius ponitur omnium ſtatutorum, privilegiorum, fundationum, ordinationum & aliorum diverſorum in dictis eccleſiæ regiſtris contentorum ordo. Et quamvis ſub compendio iſta *extracta* ſunt. *propria* tamen *verba* non omittuntur. Et ſi alicui libuerit materiam videre uniuscujusque in propria forma in originalibus regiſtris, hic quoto libro & numero, ut eo facilius potuerit *in originalibus* reperiri, annexum eſt. Sequitur

Privilegia Eccleſiam Lubic ſpecialim reſpicientia.

I. Privilegium ſuper principali dote præbendarum eccleſiæ Lubic., videlicet ſuper XVII. marcis ſolvendis de telonio Civitatis ſex navium ad eandem civitatem applicandum, & de quibus Canonici decimationem percipiunt. Et ſunt villæ *Laucowe*, *Gennin* & *Buſchowe*; vide plenius *in primo regiſtronum. II.* Adverte, quod villa *Laucowe* diviſa eſt in duas, quarum una vocatur *Joh.* FEILDE & alia *Hamberge*; de quo vide *in eodem reg. n. CLXXXVIII.* Item infra de numero villarum pertinentium ad minorum collecturam; item advertendum, quod pro iſtis decimationibus ſolvit Epiſcopus annuatim Capitulo certam ſummam pecuniæ, quæ diſtribuitur per eum, qui habet officium theſaurarii, & dicitur decima major Epiſcopi. Notandum, de majori decima Epiſcopi proveniunt XVI. tremodia ſiliginis pro XV. ſenioribus Canonicis, pro quolibet unum tremodium; & unum tremodium ſ. XVI. amplius veniet pro theſaurario; item proveniunt de ea-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dem decima VI. marcæ in pecuniis pro XII. Canonicis minoribus pro quolibet VIII. solid. & est decima in *Rutelow*, item de majori decima Episcopi proveniunt C. & XVI. marcæ, & distribuuntur pro V. senioribus Canonicis, & thesaurario pro quolibet V. marcæ & IV. sol. & XII. junioribus Canonicis pro quolibet II. marcæ & X. sol. Item privilegium de tribus marcis additis, ad XVII. marcas denariorum solvendorum de telonio pontis, de quibus partim in immunitatibus Canonicorum. Ita quod concessit dux *Henricus* fundator ecclesiæ, ut Canonici neque a dicti Ducis *Henrici* ac suorum successorum justitiariis sive a civitatis Lubicensis incolis, cuique villæ debent, exactionibus vel angariis gravari, nulla eis in structuris collectis, nec ad opus civitatis faciendum imponitur necessitas, nullis omnino præstationibus vel quibuscunque oneribus, quæ ratione civitatis exigi solent, astringi possunt, aut legari, sed plena gaudent immunitate & vacatione sub crimine læsæ Majestatis & pro magno beneficio habebit contravenies; si in centum libris auri condemnetur. vide plenius *in pr. reg. n. IIItio.* Advertendum quod hodie Consules Lubicenses per Camerarios suos solvunt in festo nativitatis *b. Mariæ virginis* singulis annis XXX. marcas Lubicens. de telonio pontis, ut reperitur scriptum in libro Camerariorum *fol. CXXI.* Privilegium Archiepiscopi *Hamborgensis* confirmatorium super præbendis Canonicorum *Lubicensium* in *pr. reg. n. VIto.* Item privilegium donationis factæ per *Adolphum* Comitem in *Schowenborg* ecclesiæ Lubic. super decimatione molendinarum in Lubeca, & super villa *Himmedorp* in *Lutkenbach*, & super certis aliis mansis *pr. reg. n.* X. It. privil. confirmationis & ratificationis privilegiorum eccl. Lubic. *Woldemari* Regis Daniæ in *pr. reg. n. CIII.* Privilegium ratific. privilegiorum eccl. Lubic. Comitis *Holsatiæ* in *pr. reg. n. CIV.* It. confirmatio *Honorii* Papæ super omnibus bonis ecclesiæ Lubic. & statutorum eccl. in *pr. reg. CLXXVI.* It. privil. Papale, ne Consules Lubic. faciant iniqua statuta contra ecclesiam Lubic. in *pr. reg. n. CLXXVII.* Item privil. compositionis inter *Albertum* Ducem Megap. & Capitulum eccl. Lubic. potissime *super exactionibus & talliis non imponendis* neque *servitiis neque precariis* ex quacunque causa vel necessitate, quocunque etiam quæsito colore, in bonis eccl. Lubicensis. Et quod dicti Duces *Magnipolenses* omnia bona Capituli in districtu eorum situata debeant sub plena eorum protectione capere & fovere & pluria alia vide *in IIdo reg. n. CXXVIII.* It. concordiam quandam factam inter Episcopum & Capitulum, & inter Consules & communitatem, in qua inter cetera de cloaca Canonicorum vide *in IIdo reg. n. XLIX.* Inter cetera etiam continetur, si contingat Clericum a quovis Laico occidi, vulnerari, aut enormiter verberari Advocatus & Consules, cum super hoc requisiti fuerint, secundum suæ civitatis jura municipalia judicabunt. Similiter judices ecclesiastici Laicis de suis malefactoribus conquirentibus juxta quantitatem delicti facient & exiguum justitiæ complementum. It. conservatorium perpetuum concessum Præposito, Decano & Capitulo Lubic. per *Johannem* Papam, in quo conservatoriales judicis obtenti sunt Magdeburgensium, Hildensenensium, ac S. Blasii Brunsv. eccles. Decani, cum facultate trahendi ad tertiam & quartam dictam & procedendi in causis, quæ indaginem judicialem requirunt summarie & de pleno & cum multis aliis clausulis derogatoriis in *IIdo reg. n. XXXIX.* it. extensionem conservatorii, quoad Reges vid. in *IVto reg. n. XXII.* It. indultum quoq; sedis apostolicæ super interdicto ponendo non obstante constitutione proinde, v. in *reg. IVto n. XXIV.* it. executorium constitutionum Imp. *vid. ib. n. 38.* Privil. donationis Episc. *Bertrami*, qui dedit omnia clenodia sua aurea & argentea ad armarium sive Sacristiam eccl. Lubic., ita quod successores ejus si de eis indiguerint, solum usum fructum habeant, insuper dedit Insulam Episcopalem per eum compararam, ita quod successores ejus extra civitatem Lubic. eum non deducant; Item dedit eccles. & Capitulo reditus *XL.* marc., v. *in IVto reg.* Et confirmationem *Bonifacii* super dicta donatione *v. n. XIV. in eod. reg. n. XIX.* & confirmationem *Conradi* successoris ejus *v. in reg. eod. n. XV.* It. Privil. *Bonifacii IX.*, quod Episc. non poterit visitare Capitulum seu Canonicos singulatim, sed in communi sine officiali, testibus, notariis & aliis quibuscunque personis interinixtis *in IVto reg. n,* XX. It. privil. aquæductus concessum per consulatum Dnis Episcopo, Præposito & XII. Canonicis pro curiis suis in perpetuum & plebano ad S. Ægidium vid. *in IVto reg. n. LX.* It. privilegium conservatoriale Dni *Sigismundi* Regis Romanorum, privilegiorum eccl. Lubec. in Consules & Proconsules civitatis Lubecensis, dantur executores, & subexecutores privilegiorum dictorum. Et præcipitur eis sub Imperiali Banno & mille marcarum auri puri pœna, qualiter prædictæ ecclesiæ Lubecensi, authoritate regia conservent, & manuteneant, etiam sub executione brachii secularis & datur eis autoritas præcipiendi etiam Principibus sub pœna duarum millium marcarum auri, ut hujusmodi per eos observentur, *in IIdo* reg. *circa finem.* Item Imperialis executorii Dni. *Sigismundi*, Imp. contra injurgiatores ecclesiæ prælatorum, & totius cleri civitatis Lubicens. &c. Imperiale privilegium exercendi ecclesiasticam Jurisdictionem, habentes subjectos suæ jurisdictioni speciali pro suorum excessum demeritis capere & in carcerare, & captos ducere per quasquis civitates, oppida & loca libere & alias debita correctione punire valeant, publice & occulte, sine cujuscunque impedimento sub Imperialis indignationis & centum marcarum auri pœna. Item Imperiale testimonium sub sigillo æreo Imperialis Majestatis & similiter sub bulla aurea Majestatis, de hoc *quod Comitatus & Dominium* Holsatiæ & Stormariæ, *sit de feudo Episc. ac ecclesiæ* Lub. *continens executores contra Comites alienantes, nec non Imper. conservatio Infeudationis factæ Domino* Adolpho *de* Comita-

miratu Holſ. & *Domino* Storm. *per Dominum* Johannem *Epiſc. Lubic.* Item Privilegium quod curiæ Canonicales & dotes gaudeant eccleſ. libertate, & dantur deſuper executores, vide hic & plura alia *in IV. reg. in ult. ſext. p. totum.*

Privilegia Epiſc. Lubec. ſpecialia.

II. Dux *Henricus* Bavar. & Sax. fundavit tres Epiſcopatus in *Transalbina Slav.*, quorum ſingulis tricentos manſos in dotem aſſignavit, & privil. dedit pro illis manſis, ut nulli in eis licitum ſit exactiones quascunque facere aut angarias requirere, ſed immunes ſint, ab omni exactione & gravamine & cenſu Ducis, & ordinavit, ut Epiſcopo decedente, nullus advocatus vel quæcunque alia perſona bona Epiſc. præſumat invadere, vel in uſus ſuos mancipare ſub pœna criminis ſacrilegii, vid. plenius *in Imo reg. n. 1.* Item Epiſc. noviter electus inter cætera jurat, quod Decano & Capit. Lub. contra ſuorum bonor. poſſeſſionum jurium, & perſonarum invaſores, conſilio & auxilio diligenter adſtabit, & quod fructus, reditus & penſiones ipſis & eorum cuilibet per prædeceſſores ſuos ſolvi & erogari conſvetos ſingulis annis ſine difficultate miniſtrabit, & quod Dnos Præpoſ., Dec. & Capitulum & al. Prælatos Eccleſiæ, & in eorum jurisdict. nunquam impediet, & majores cauſas ſine eorum conſilio & conſenſu non tractabit neq; judicabit & quod ſtatuta, conſvetudines & jura Eccl. Lub. licita & honeſta obſervabit, decedentis voluntatem non retractabit, unde plenius in primo reg. forma eſt juramenti in primo fol. poſt rubricas: It. privil. ſuper medietate decimæ in Pole Epiſ. Lub. debita & ſuper illa medietate per Epiſcop. Dno & Principi de Mechlingborch in feudis conceſſa *v. in pr. reg. n. X.* Item de medietate dec. *Epiſc. Lub.* competenti in *Ciſtermunde* v. *in pr. reg. n. XXXVIII.* & *LXXXVI. & CV.* It. de concordia facta per arbitros inter *Epiſc. Lub.* & quendam militem Dn. *Volraden de Lapide* ſuper liberatione advocati *Utbin in pr. reg. n. XLVII.* Item privilegium ſuper tertia parte villæ *Buſſowe* per *Epiſc.* emta *in pr. reg. n. L.* Item privil. ſuper molendino in *Swartow* empta per Epiſc. Lubec. *in pr. reg. n. LV.* Item privilegium Epiſcopi ſuper exactione generali, quæ *Grevenſchat* dicitur, a quo omnes coloni Epiſc. relexantur & privilegiantur per Comites *Holſatiæ* & de judicio *Utbin* in *Gendorpe* & *Jungurobenorden* de certis aliis *in pr. reg. n. LII.* It. de renunciatione manſionis Epiſc. Lub. in *Alden lubeke* facta civibus Lubic. per Epiſc. in *in pr: reg. n. LXXXV.* It. de regalibus per Epiſc. *Johannem* a Romanorum Rege recep. *in pr. reg. n. CLI.* Privilegium ſuper molendino in *Zuweſtorp* & villa *Memingſtorp* in *pr. reg. n. CLX. & XXXV. & CXIV.* It. decretum electionis Epiſc. *Johannis* in *pr. reg. n. CLVI.* Privilegium ſuper villa *Garſtenkamp* de Bockhold *n. CLIV.* It. quædam *concordia* inter *Epiſc. Lub. & Comitem Holſatiæ*, in qua fatetur Comes, *ſe vaſallum eſſe Epiſcopi & fore ſibi obligatum ratione homagii & debitæ fidelitatis defendere bona eccleſiæ in pr. reg. n. CLXXI.* Privilegium ſuper villa *Prikeſtorpe* per Epiſc. comparata, in *pr. reg. n. LXV. LXVII. & LXVIII.* it. privilegium ſuper villa *Cleve*, quam emit Epiſc. Lub. ab Abbate & Monaſterio Sti *Johannis* in Lubeck in *pr. reg. n. LXXVII.*

De præpoſito & privilegiis eum concernentibus.

III. Præpoſitus eccleſ. *Lub.* recipit annuatim ex parte ſuæ dignitatis iſtos reditus ſpeciales videlicet *agrariam decimam*, de agris civitatis Lubic. ſalva medietate Epiſcopi. Item de conſulibus recipit annuatim IV. marcas pro alia decima, quas *Hege* exhibere conſvevit. It. de *Sewerſtorpe* & de *Rogeſſe* recipit decimam agrariam. It. decimam in *Knegene*. It. decimam in *Geneſtowe*. It. unam marcam denar. habet annuatim de majori collectura in *pr. reg. n. CLXXVIII.* ſub rubrica de *præpoſitura & præpoſitis hujus eccleſiæ.* Item unam marcam denariorum de majori collectura. It. Privilegium ſuper arrha præpoſito per fundatorem eccleſiæ data, & de decimis ad præpoſituram ſpectantibus, v. *in pr. reg. n. IV.* Præpoſitus in ſua curia propria reſidebit, & qui propter occupationes cauſarum ad ſe pertinentium choro non poteſt frequenter ſervire, vicarium certum per ſe ſtatuit presbyt. vel diaconum, qui choro deſerviat, propter quod fructus præbendæ ſuæ integræ percipiet, in *pr. reg. n. CLXXXVIII. ſub rubrica: Hæc ſunt ſtatuta, quæ leguntur:* certum Canonicorum numerum &c. It. emit Capitulum a Dn. *Ottone* ſeptem choros ſalis in ſalina, de quibus pertinet ad præpoſituram eccleſiæ Lubec. chorus & dimidius *in pr. reg. n. CCXXXVI.* It. tres choros quivis futurus ſucceſſivis temporibus præpoſitus, antequam curiam præpoſituræ ad inhabitandum ingrediatur C. marcas denariorum in annuos reditus convertendas Decano & Capit. exhibebit, qui reditus, prout ſingulariter de ſingulis C. marcis fuerint comparati, in anniverſario cujuslibet præpoſiti mortui inter Canonicos in vigiliis & miſſa tunc precantes æqualiter dividentur in *pr. reg. n. CCXXVIII. XC.* Concordias inter diverſos Epiſc., præpoſitum & diverſos cives ſuper decimis hortorum, annulorum & de diverſis reditibus ad præpoſituram ſpectantibus vid. *in reg. IV. n. LIX. & LX.* Dn. *Bartholdus* dives præp. aſſignavit duobus Vicariis officiantibus aut presbyteris pauperibus, ut devote in eccleſia Lubic. ſingulis noctibus in perpetuum officium viſitare debeant matutinum, cuilibet quinque marc. reditus, qui aſſumendi ſunt per præpoſitum quotidie reſidentem, aliquin per Capitulum, & etiam per eos deponendi ſunt, ſi viſitationem hujusmodi devote non fecerint. Et aſſignavit eis duas cellulas in refectorio, ſcilicet quartam & quintam in ordine ab æſtuario computando, ſub expenſis ej. Dni Bartholdi inſtructus, *in IV to reg. circa finem n. LXXXIV.*

De Decano ejusq; privilegiis ac ſtatutis.

IV. Decanus primus & noviſſ. erit in choro & dormitorio, niſi ipſum infirmitas aut neceſſitas evidens excuſet. It. Canonici & Vicarii obedientes ſibi ſint, & ipſe eos & alios clericos civitatis & clericos aliunde venientes judicabit ſec. conſvetudinem hactenus obſervatam, ſalva tamen nihilominus obedientia, quam Epiſcopo repromittere conſveverunt. Apoſtatas Decan. de civitate ejiciat. Inſuper ſuper ſtatu Canoni-

ci sic procedat circa absentiam & neglig. Canonici non facientis debitum suum I. II. IIItio moneat eum, ut emendet, alioquin episc. eorum capitulo conveniat, ut se corrigat; quod si non fecerit, sec. consilium capituli puniatur. *In pr. reg. n. CLXXXVIII.* Inter capitula, quæ jurantur, per Canon. de novo receptum §. Decanus. Decanus ratione dignitatis percipit decimam agrariam in villis *Lubaze*, quæ habet X. mansos & *Brennebagen*. It. ab ecclesia *Ratzeb.* habet in villa *Johannisdorpe* annuatim unam lastam avenæ, videlicet IV. talenta siliginis, IV. hordei, & IV. avenæ. It. recipit unam marcam de communi collectura *in pr. reg. n. CLXXXVIII.* ubi habetur de prælaturis rubrica de reditibus Decani, ad vertendum, quod Epis. Ratzeb. solvit per decimam de *Johannisdorpe* in *Dorsowe* singulis annis VIII. marcas. It. Episc. *Lubic.* solvit Decano singulis annis de villis *Stove* & *Gustekow* Martini XIV. marcas, quæ emptæ sunt in istis villis pro usu decani. *in IIdo reg. n. CXXV. & III. IVto reg. n. I.* Borchardus *Episc. Lubic.* pro custodia malefactorum de concessu capituli ordinavit carcerem, cujus custodiam deputavit *Decano*, qui scholastic. juxdex est, & ordinavit quod Scholastici, qui pro tempore fuerint, dabunt *Decanis* annis singulis in festo *S. Michael.* V. marcas, & in festo *Paschæ* similiter V., quas decrevit custodiæ carceris perpetui deputatas. Advertendum, quod Scholastici hodie Decan. nihil solvant, sed Dn. *Nicol. de Insula* præpositus dedit ad carcerem observandum per *Decanum*, cum personaliter residet, in ejus absentia per ipsius locum tenentem C. & XLV. marcas, cum quibus emptæ sunt, hodie apud Consulatum in *Luneborch* IX. marc. & X. st. pro incarceratis & incarcerandis luendis, ut habetur in reg. redditum Dnorum. It. per Dn. *Martinum* Papam *Vtum* incorporata est perpetuæ *Decanatus* quædam *Vicaria* situata in ecclesia *B. Mariæ Virg.*, fundata de bonis *Arn. Calvi*, & si Decan. alibi, quam in negotiis eccl. aut de expressa licentia capituli, ab ipsa ecclesia se absentaverit, & in ea continuam residentiam non fecerit personalem, omnes & singuli fructus & proventus tam ex decanatu, quam ex vicaria hujusmodi absentis durantis provenientes, integre cedunt *Vice-Decano*, qui medio tempore omnia & singula *Decanatus* incumbentia onera subportavit. Tunc *Decanus* quoq; sive *Vice-Decanus* prædicti per aliquem idoneum presbyterum ad nutum eorum pro tempore deputandis & amovendis, tenentur & debent prædictæ Vicariæ facere debite in divinis deservire, vid. *in IVto reg. n. LXI.* Fundatio hujus vicariæ habetur in *2do reg. n. LXXXIX.* It. honorabilis Dn. *Albert. Rodenborch* de consensu capituli dedit curiam suam Canonicalem in platea *Fegefur* sita perpetuis futuris temporibus pro usu *Decani*. Ita quod quilibet *Decanus* novus tenetur solvere capitulo ad emendos reditus pro memoria immediati antecessoris sui LX. marc. *Lubic.*, it. tenetur solvere *Decanus* ratione dictæ curiæ singulis annis, absque spe redemtionis ad distribuendas pauperibus infra octavas paschæ IV. marcas, & infra octavas Michaelis IV. marcas, vid. plenius *in tertio reg. n. XCVII.*

V. Scholasticus in scholis *S. Jacobi* omnem auctoritatem & potestatem nullo prorsus articulo excepto super singulis circumstantiis obtinebit, quam in scholis majoris ecclesiæ dignoscitur hactenus habuisse, sed de scholis ædificandis nihil ad scholastic. in *Imo reg. n. LXIX.* Scholasticus recipit unam marcam denariorum de majori collectura. It. de mercede scholarium in utrisque scholis disponit & magistris condividit, ita ad suam habeat portionem, *in pr. reg. num. CLXXXVIII.* sub rubrica *de reditibus scholastici.* Ad officium scholastici pertinet, scholares regere in choro & in scholis, quantum ad disciplinam, mores & doctrinam attinet, Magistrum ipsorum & rectores statuet, sec. numerum scholarum, videlicet pro LX. scholaribus solventibus ad minus unum idoneum Magistrum; It. *Scholasticus* cavebit confusiones chori in choris & in aliis cantandis & legendis & excessus istos corriget, & faciet emendari. It. *Scholasticus* scribit literas ecclesiæ & omnia negotia eccl. tangentia, eaque deinceps si registranda fuerint, sciat registrare. It. *Scholasticus* omnes libros scholasticos, quos etiam habuit ad tempus vel in futuro habiturus est, diligenter reservabit, & de manibus suis hujusmodi libri requirentur, præcipue autem diligentiam de registro Ecclesiæ conservando adhibebit *in pr. reg. n. CLXXXVIII.* Sub rubrica: *Hæc sunt statuta quæ leguntur ff. ad officium scholastici.* Ad *Scholasticum* eccles. Lubic. pertinet scholarium ordinatio civitatis Lubicensis, ac dispositio libera de iisdem. Ita videlicet, quod potestatem habeat præficiendi magistros dictorum scholarium, qui eos instruunt in *Grammatica* & *Logica*; eosdem Magistros pro suo placito removendi, quod nemo potest ibidem actum docendi scholares assumere, nisi de ipsius Scholastici Lubic. speciali consensu, præterea jurisdictionem tam magistrorum quam scholarium ad sæpe dictum *Scholasticum* recognoscimus pertinere *in primo reg. num. CCXVII.* *Scholasticus* ecclesiæ Lubicensis reputatur & est simile officium hujus jurisdictionem hoc est disciplinarum jurisdictionem, non censuram ecclesiasticam, & ita intelligitur, & interpretatur statutum episc. *Borchardi* super Scholastico editum, de quo *statim infra in IV. reg. n. LXX.* Concordia per consulatum Lub. cum Domino *Herm. Diverch* scholastico, quod in civitate Lubic. esse debent duntaxat quatuor scholæ, vulgariter *Schrief-Schollen* appellatæ, in quibus scholares tam ad legendum & scribendum in Teutonico debent imbui & non in aliis. Et consulatus habebit Magistros illarum scholarum scholastico præsentare, qui præstitis per eos juramentis habebit instituere, si idonei sint, alias refutare & habebit potestatem amovendi, quoties sibi videbitur expedire, & debent esse idonei ad personaliter scholæ præessendi, & debent Magistri illi sine fraude & absque diminutione tertiam partem salarii scholastico præsentare, *in* 4to *reg.* n. *LV.* & ibi, vide *formam juramenti* ipsorum. *De Scholastico ejusque officio & reditibus.*

VI. Dignitati custodiæ collatæ sunt singulis annis VI. marcæ denariorum in festo purificationis *De Custode ejusque reditibus.*

tionis de villis tribus, ſcilicet *Moſtelinge*, *Nigendorpe*, & *Rekenome* decimarum eccl. pertinentium. *In pr. reg. n. CXXVIII.* Quomodo tamen hi reditus ad eccleſiam devenerunt vide *in eodem reg. n. CXXVIII.* *Cuſtos* habet annuatim de villa *Rellin* in terra Oldenborch XV. marcarum reditus ſibi donatos, per Dominum *Joh. Friſonem* Canonicum *Lubicenſ.* & ipſe cuſtos tenebit quendam ſacerdotem ad nutum ſuum removibilem ad *reliquias* exponendas & reſervandas easdem, qui ab eodem cuſtode ſingulis annis tres recipiat marcas pro ſuo labore. *In pr. reg. n. CLIV.* & de reditibus illis & aliis in prædicta villa Rellin, vid. *in eod. reg. n. CLII. & CLIII.* Cuſtos habebit annuatim quatuor meſas ſiliginis de decima Epiſc. in *Segeberge*, donec Epiſc ſibi aſſignaverit trium marcarum reditus in aliquo loco convenienti *in pr. reg. n. CLXII.* Cuſtos ſive theſaurarius habebit medietatem decimæ in villa Middelborch. *in pr. reg. n. CCXXX.* Cuſtos recipit unam marcam denariorum de majori collectura, item de oblationibus eccleſiæ, annuatim recipit III. marcas, it. VI. marc. de *Moyſſinge* pro decima, it. XV. marc. in villa *Rellin*, it. IV meſas ſiliginis in *Segebarge*, it. II. meſas avenæ in Middelborch, *in pr. reg. n. CLXXXIII.* locis neglectis n. I.

De officio & privilegio Cantoris.

VII. Privilegium inſtaurationis Cantoriæ, in quo aſſervatur ſibi una marca denariorum de excreſcentibus decimarum terræ *Oldenburg*, & X. meſæ ſiliginis electæ de molendino, in *Swratow* annis ſingulis in *pr. reg. n. XXIX.* Idem habetur in *eod. pr. reg. n. CLXXXVIII.* rubrica *de reditibus Cantoris.* Et ex illo textu in fine, ubi textus ſe refert ad privilegium: patet quidam textus, qui dicit, quod prælati ſcilicet *Præpoſitus*, *Decanus*, *Scholaſticus*, *Cuſtos* & *Cantor*, recipient quilibet unam marcam de communi collectura. Intelligitur de excreſcentibus decimarum terræ *Oldenb.*, quam decimam colligit Epiſcopus & ſolvit Prælatis illam marcam & nuncupatur Prælatis Pennyngt, ſcilicet ſolum præpoſito & decano ſolvit ex conſuetudine. Item de diverſis confirmationibus ſuper Cantoriam vid. in *pr. reg. n. XLIV. XLV. & XLVII.* Cantor percipiet decimas in *Dudeſchenpoſin in pr. reg. n. CCXXVI.* Cantoris officium eſt, ut *Cantor* & *Canonicus*, qui cum ipſo in cantando chorum recipit, cum baculis ſimilem formam habentibus incedant in his *Feſtis*: *Paſchæ Domini.* In octava *Paſchæ* Aſcenſionis *Domini*, Pentecoſtes, *Nativit. Joh. Bapt.* Aſſumtionis, *decollationis Nicolai*, Nativitatis Domini, *Purif. in die Palmar.* Item proviſionem & regimen habeat organorum, in generali capitulo pronunciabit de impoſitionibus librorum ad matutinas legendorum, de hiſtoriis cantandis, de quatuor temporibus obſervandis, item pronunciabit ſingulis hebdomadis, quis futurus ſit ſacerdos, quis *Diaconus*, quis *Sub-Diaconus* & quis *Cantor.* Item ſi aliquoties exſtiterit dubium, quid ſit cantandum a *Cantore* principaliter requiretur. *In pr. reg. n. XLI.* Idem habetur *in eod. reg. n. CLXXXVIII*, ſub rubrica: *hæc ſunt ſtatuta, quæ legentur ad officium Cantoris.*

De diſtinctis præbendis.

VIII. De fundatione Capellæ *St. Johannis* in arena, quæ hodie eſt incorporata præbendæ Comitis & de reditibus illius Capellæ, vid. *in pr reg. n. V.* de Jure Patronatus præbendæ Comitis, vide *in* rubrica *de diverſis in ſuis debitis locis, de memore dato* ad præbendam Comitis *vid. pr. reg. n. II.* Confirmatio Epiſc. *Lubic.* ſuper villa *Breslaure* ſpectante ad præbendam Comitis *in pr. reg. n. XII.* & de eadem villa vide *in eod. reg. n. XXXIV.* Privilegium ſuper quindecim marcarum reditibus extra portam urbis ſpectantibus ad præbendam comitis *in IV. reg.* in principio *qualiter præbenda Chriſtiana converſ. & tranſpoſita ſit* de vicaria in præbendam, & de conditionibus illius præbendæ, ſcilicet quod poterit Canonicus illius præbenda optare præbendam majorem, qua præbenda majori optata nihilominus percipiet fructus illius *præbendæ Chriſtianæ*, donec fuerit particeps in præbenda majori, & tunc ad omnia onera, ad quæ tenebatur, quanta erat vicaria. Ad miſſam ſub umbone non tenetur, unam in ſua prima inſtallatione dabit, memorias tollit, eo modo ſicut eas in ſtatu vicariæ tollere conſuevit, requirit continentiam reſidentium. In abſentia tenebit officiantem, qui tunc memorias cum vicariis tollet, *vide infra* e Rubrica §. *Statutum*: quod deinceps in ſequenti latere *in pr. reg. n. CCXL.* Dux Henricus *Epiſc. Lub.* fundavit duas præbendas, & dotavit quamlibet cum XL. marcar. reditibus percipiendis de univerſis redditibus villarum *Storec* & *Cuſtekow*, & ſolvit quilibet Canonicorum duarum illarum præbendarum VIII. marcas Lub. Martini Dominis Canonicis in augmentum memoriarum, Judicio & Dominio in dictis villis Epiſc. obſervato, Jus Patronatus aſſignavit ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis in perpetuum nemini conferre debent, niſi ſacerdoti vel in tali ætate conſtituto, qui infra annum poſſit in Sacerdotem promoveri. Quilibet ipſorum ad altare retro chorum medium & ſummum duas miſſas pro defunctis devote celebrabit. In II. *reg. n.* CXXIV. Uni iſtarum præbendarum eſt poſtea incorporata parochialis eccleſiæ in *Gennin* Lubic. Diœceſis, ratione cujus incorporationis, & Canonicus illius præbendæ, arctatur ad continuam reſidentiam, ſub amiſſione fructuum ejus, qui tunc temporis abſentiæ cedant fabricæ eccleſ. Lubicenſ. *in IV. reg. n. LXVI. & LXVIII.* *Volckmarus de Attendorn, civis Lubic.* fundavit unam diſtinctam & ſingularem præbendam, quam dotavit cum XI. manſis in loco dicto *Borchwolt* cum XI. caſis dicto loco, & manſis annexis & adjacentibus villæ *Nigenborch*, Swerinenſis diœceſis, ſolvere habebit Canonicus præbendæ villæ ipſius, annis ſingulis inter Canonicos VIII. marcarum reditus in augmentum memoriarum. Jus Patronatus hodie ſpectat ad Epiſcopum, vide infra ſub rubrica: *de diverſis in ſuis locis debitis neglectis n. VIII.* Licet prius ſpectabat ad *Decanum* & *Capitulum Lubic.* communiter & libere & licet ſtallum in choro mutabit aſcendendo, non tamen præbendam mutabit. In II. *reg. n.* LXXV. Literas ſuper bonis iſtis *vide in eod.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

reg. n. XLIV. Dominus *Joh. Livo* dictus, Decanus *Lubicenſ.* diſpoſuit in teſtamento ſuo de duobus beneficiis fundandis. Per *Borchardum* Epiſcopum inde factum executorem fundata ſunt de ejusdem bonis duo beneficia præbendalia, quæ ab aliis Canonicorum præbendis diſtincta manebunt, alioque jure in pluribus cenſebuntur, & recepti ad dicta beneficia, hi recipiantur in canonicos & in fratres ad ſummum altare, & choro in legendo & cantando more Canonici officient; ſua vice, loco, & voce in Capitulo non utentur. In ſtallo vero, in choro ſuperiores Vicariis & inferiores Canonicis inviolabiliter habebuntur. Nullus ad eas aſſumetur, niſi paratus ſacerdos exiſtat, vel in tali ætate, *vid. in pr. reg. n. CCXLVIII.* Jus Patronatus in ipſis ſpectat ad Decanum Lubic. *in II. reg. n. LXXII.* De extenſione Juris Patronatus præbendæ incorporatæ fundatæ per quendam *Brunonem Warendorp* civem Lubicenſem, vide *I. reg.* rubrica *de diverſis in ſuis debitis locis neglectis n. III.* Statutum eſt deinceps, quivis cujuscunque ſtatus, gradus vel conditionis exiſtat, qui unam de *Livonis*, aut *Chriſtianam præbendam*, quavis auctoritate etiam aſſecutus fuerit, teneatur ſemper in ea perſonaliter reſidere, ac divinis officiis in choro & proceſſionibus ſuo ſtallo inſiſtendo frequenter intereſſe, alioquin fructus hujusmodi præbendæ ſuæ careat omnino, & fabricæ & reditus Eccleſ. Lubicenſis aſſignentur. Ita quod, ſi apud Eccleſiam reſideat, & divina in choro & proceſſionibus non frequentet Decanus pro tempore & Capitulum juxta ſuum arbitrium pro neglectu ſecundum quod plus vel minus ſe exhibuerit, portionem de fructibus & non totales fructus fabricæ & prædictis debent aſſignare. *In IV. reg. n. LXVI.* in ſecunda parte ſtatuti. Fundata & inſtituta eſt quædam nova præbenda minor loco ſalinaris, Epiſcopali menſæ incorporata, quæ dotata eſt cum VIII. marcis Lubicenſibus annuo reditu ſolvendis per collectorem minorem Martini de communi collectura. Et ſtatutum eſt, quod capitulum poterit unum vel duos de illis, qui quinque præbendas minores obtinebunt, dum ad ætatem legitimam pervenerint, quam Capitulo hoc expedire videbitur, requirere, qui tenentur ſub pœna privationis, quam per Capitulum requiſiti fuerint, ad ſacros ordines promoveri, & perſonaliter reſidere debent. *In IV. reg. n. LXXVII.* ſtatutum eſt, quod quælibet minor præbenda de tribus minoribus præbendis inter minorem ultimo fundatam, de qua ſupra proxime, & Chriſtianam mediantibus percipere debeat omni anno in feſto Martini a collectore minore pro corpore præbendæ duas marcas currentis monetæ. *In IV. reg. n. LXXVII.*

De præben. da Magiſtri ſive Lectoris in Theologia.

IX. Præbenda una de majoribus & incorporatis deputata eſt per ſedem apoſtolicam perpetuis futuris temporibus pro Magiſtro & Lectore in Theologia in eccleſia Lubicenſi. vide *in IV. reg. n. XXIV.* & ſeqq. usque *ad n. XXXVII.* incluſive & ordinatum eſt in dicta incorporatione inter cetera, quod Decanus pro tempore exiſtens duos idoneos ſacerdotes ad nutum ſuum ponendos & amovendos ordinare habet, per quos deſervit Vicariis lecturæ Magiſtri incorporatis, quibus de fructibus & reditibus per magiſtrum neceſſaria miniſtrentur *vid. ibid. n. XXVI.* & etiam in bulla promiſſionis *n. XXVII.* Item ordinatum eſt, quod cedente vel decedente Magiſtro ſi ſtatim reperietur aliis idoneus Magiſter vel Baccalaureus formatus,, aut ejus deputatio differtur. Et tunc Capitulum corporalem poſſeſſionem dicti Canonicatus & præbendæ propria auctoritate apprehendere & retinere poteſt, donec aliis fuerit deputatus, & quod in abſentia Præpoſiti vel Decani, aut utriusque alium Capitulum poſſit deputare *vid. ibid. XXVII.* Et ſtatutum eſt per Epiſcopum & Capitulum & per ſedis apoſtolicæ confirmationem, quod Magiſter vel Baccalaureus, quam cito prædictam præbendam aſſequitur, debet ſtatim in ſua receptione omnes & ſingulos fructus ipſius præbendæ ſine aliqua diminutione integre percipere, & habere cum omnibus juribus, reditibus & emolumentis, ſtallo, loco & gradu, prout ſenior incorporatus Canonicus habere conſuevit, nec tenetur ad ſolutionem vinalium & aliorum onerum quorumcunque etiam in choro & ratione primæ piſſæ incumbentium. Ita quod illa præbenda omnino libera eſſe debet ab omnibus oneribus quolibet ſupportandis *in IV. reg. n. XXXVI.* De officio ſecundarii lectoris in Theologia *vide infra* in rubrica *de diverſis in ſuis debitis locis ſupra neglectis n. II.* De Capella aſſervata magiſtro in Theologia & pro aliis Canonicis celebrare volentibus vid. *in IV. reg. n. LI.*

De Parochialibus eccleſiis earum.

X. Privilegium donationis eccleſiæ forenſis ſcilicet *beatæ virginis* & eccleſiæ *St. Petri* & oblationem totius civitatis factæ per *Geroldum* primum eccleſ. Lubic. Epiſcopum & per *Conradum* immediatum ejus ſucceſſorem, quaſi in dotem eccleſiæ cum jure ſepulturæ pro voluntate petentium per totum Epiſcopatum vid. *in pr. reg. n. VII.* Canonici recognoverunt Burgenſibus tale jus in eccleſia forenſi, quale hactenus habuerunt, ita quod ad denominationem Burgenſium perſona de conſilio Epiſcopi ſtatuatur, poſt modum, ſi viſa fuerit inutilis, a Canonicis removenda. *In pr. reg. n. XXVIII.* It. perſona de Capitulo petita in Rectorem eccleſ. parochialis nequaquam debet ſtatim improvide conſentire, ſed poſtulare quindenas inducias, ut Capitulum & ſimiliter illa perſona deliberet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ *in pr. reg. n. CLXIV.* Nullus debet aſſumi in Rectorem alicujus parochialis eccleſiæ in *Lübeck*, niſi ſit in ſacerdotio conſtitutus, vel infra annum in ſacerdotem promoveatur, & in perſona propria ſacerdotis miniſterium exhibeat *in pr. reg. n. CLXXXVIII.* Rectores eccl. parochialium, qui nunc ſunt vel erunt in antea, poſſunt nutu & voluntate Capituli libere revocari, quam Capitulo videbitur, cum ſic ad Capitulum pertineat, quod vocare non potuerit, ſed earum cura reſideat principaliter apud Capitulum *in II. reg. n. XIV.* Parochiani eccleſiæ

ſan-

ſanctæ Mariæ, quotiescunque rectore caruerint, canonicum *Lubicenſem* denominabunt, quem recipient in plebanum, qui ab Epiſcopo in Eccleſia ſtatuatur, a Canonicis tamen removendus, qui inutilis reperitur vel a parochianis minus idoneus rationabiliter demonſtratur. Parochiani *Sancti Petri* & *Sancti Jacobi* habent etiam jus petendi Canonicos in Rectores, qui curæ commiſſionem recipient a Decano, Decanus cum conſenſu Capituli præfici & plebanum eccleſiæ *ſancti Egidii* ſimiliter ut ſupra amobilem, *in II. reg. n. XXXIII.* De his quæ dari debent cuilibet Rectori per ſeniorem illius Eccleſiæ capellanum *vid. in III. reg. in I. & II. folio*, rubrica, *onera facienda per ſeniorem Capellanum.*

De Capellanis ecclesiarum parochialium. XI. Formam juramenti quod præſtare habet Capellanus quolibet tempore Receptu-
ræ ſuæ vide *in III. reg. in principio.* Item ſalarium Capellanorum & onera facienda per Capellanos *beatæ Virginis*, *ſancti Jacobi*, *vide in eodem reg. pr. & ſec. folio.*

De Camerario. XII. Camerarius tenetur ad ſerviendum fructibus in dormitorio, & candelam tenetur competentibus horis in dormitorio ſubminiſtrare, propterea habet decimam in *Urecup* & decimam in *Wasmodesdorp*, in Pole decimam in *Lewen* & *Iſſeldorpe* propter duas meſas *in pr. reg. n. CI.*

De officio Campanarii. XIII. Campanario debetur annuatim una meſa ſiliginis de provincia *Aldenborch* de communi collectura majori vid. *in pr. reg. n. CXXX.* Iſtud officium Campanarii hodie eſt unitum domui Campanarii ſive ſtructuræ eccleſiæ Lubicenſis vide infra in Rubrica: *de diverſis in ſuis debitis locis neglectis n. I.* Campanarius tenetur mundam aquam & recentem quolibet die perpetuis temporibus omnibus & ſingulis in eccleſia *Lubicenſi* celebrantibus miniſtrare, pro quo habebit unius marcæ reditus de dono pertinente ad Vicariam Domini *Joh. Kraſen*, per eundem Dominum *Johannem* aſſignatas, Vicarius tamen dictæ Vicariæ dictos reditus unius marcæ cum XX. marcis Lubicenſi reemere poterit in alios reditus convertendos in *II. reg. n.* CLXXXIX. Campanarius, cum omnes campanæ ea ſolennitate pulſantur vicariis vel aliis presbyteris defunctis, habebit quatuor marcas, omiſſo vero pulſu funus, habebit duntaxat tres marcas, prout habet a Laicis in *III. reg. tertio folio.* Sub Campaniſta pro portatione feretri & aliis ſpectantibus ad ſuum officium, pro tumulatione funeris minus. Item pro candelabris funeris dabuntur duntaxat II. ſolid. cuſtodiæ armariæ *Lubicenſis* eccleſiæ. Succentor vero pro proceſſione facienda, pro funere habebit duos ſolidos, ſalvo, ſi ex gratia ſibi plus donetur; excepto, quando vadit pro funere mortui de eccleſia cathedrali, tunc enim nihil debetur. Ibidem *uti ſtatim ſupra.*

De Choralibus. XIV. Dominus *Ludolphus de Eſtorpe* in ſuo teſtamento legavit pro octo choralibus ad hoc deputatis, ut omnibus divinis officiis chori interſint duos choros ſalis in ſalina *Luneburgenſi*, ut proventus ſeu reditus inde provenientes inter eos æqualiter diſtribuerentur ſingulis ſeptimanis, de his vide *in II. reg. n. CCXXXVI. §. Item tres choros.* Jus autem aſſumendi tales clericos & removendi, ſimiliter & corrigendi, quatenus ad mores & vitam ac diſtribuendi reditus ſupra dictos ad *Cantorem* pertinebit, qui pro hoc labore & ſollicitudine diſtributionis unam marcam denariorum de præactis proventibus nomine ſalarii retinebit. Hæc tamen omnia de Decani conſilio exequentur; ſi vero dicti clerici in choro exceſſerint a *Scholaſtico* vel *Rectore Scholarium* corrigentur, *in pr. reg. n. CCXXIX.*

De qualitate Canonicorum recipiendorum. XV. Statutum eſt ſolenniter, quod nemo in eccleſia Lubicenſi in *Canonicum* recipiatur, niſi ſit de legitimo matrimonio procreatus, & cujus parentes ſui conceptus tempore matrimonialiter copulati exſtiterint, alius cujuscunque ſtatus, gradus ordinis, ſeu conditionis exiſtat, ad Canonicatus & præbendas qualescunque aſſequendas habilis ſit, & quod per præſens ſtatutum inhabilitatis etſi quod abſit, quamque aliter ut præfertur conceptum & natum quavis auctoritate recipi contingat, vel admitti, quod tales ſub pœna juramenti, quod de obſervandis ſtatutis & conſuetudinibus eccleſiæ Lubicenſis fecerat, in vim præſentis ſtatuti teneatur. Alioquin canonicum in præbenda hujusmodi ex hinc vacare decrevimus, & ille nihilominus perjurium incurrit, ipſo facto *in IV. reg. n. LXII.* Statutum eſt ſolenniter, quod deinceps nemo ad Præbendas ſive ad ſtipendia minora, media & majora in eccleſia Lubicenſi recipiatur, niſi viceſimum annum ætatis ſuæ attigerit, & ad minus per duos annos receptionem aut proviſionem hujusmodi ſuam proxime præcedentes cum eccleſiaſticis perſonis clericaliter & laudabiliter converſatus fuerit, quodque in alia ætate exiſtens, vel aliter converſatus, eo ipſo inhabilis ad præbendas & ſtipendia ſupra dicta referatur *in IV. reg. circa finem n. LXXXV.*

Et officiis non residentium. XVI. Quilibet Canonicus percipiens erit reſidens. Item quilibet Canonicus primo anno receptionis frequens erit in choro & dormitorio, ut diligenter diſcat conſuetudinem eccleſiæ. *In pr. reg. n. CLXXXVIII.* ſub Rubrica: *hæc ſunt ſtatuta eccleſiæ quæ legentur §. Item quilibet Canonicus.* Quicunque de cetero noviſſimam præbendam adeptus fuerit, altare beatæ virginis, quod ad radicem dicitur, tenebitur officiare & ſingulis diebus ibidem miſſam de beata Virgine per ſe vel alium celebrare, quod de ſingulis Canonicis de novo intrantibus & noviſſimum locum tenentibus, eſt obſervandum. Hæc eſt prima miſſa in eccleſia *in pr. reg. n.* CXLVI. Noviſſima præbenda ſic fundata eſt & dotata cum ſartagine ſalis, ut habetur *in eod. reg. n.* CXLV. Quilibet Canonicus de novo creatus in prima ſui receptione, iterum inſtallatione in majori eccleſia ſtipendii aſſecutione, cuilibet Canonico, qui tum unum ante dedit, duos ſolidos uſualis monetæ, & cuilibet prælato vel officium in eccleſia Lubicenſi habenti duplum, cum & ipſe de prælaturis & officiis unum ſolvere teneatur, vicariis vero ſingulis unum ſolidum infra octo dierum

ſpatium

ſpatium a tempore receptionis promotionis & proviſionis in manus dare & ſolvere teneatur, ſub pœna excommunicationis: exceptis Canonicis & Prælatis ſuper canonicalibus præbendis vel prælaturis ſuis litigantibus, qui ad præmiſſa non arctantur. *In. reg. II. n. XII.* Quicunque præbendam de novo ſeu fuerit una de minoribus vel mediis aut majoribus ſive diſtincta vel incorporata, quavis auctoritate in eccl. Lubic. aſſecutus fuerit, cappam unam vel decem marcas Lubic. monetæ loco ejusdem ad ipſius ornamenta infra ſex menſes a die hujusmodi aſſecutionis computandos dare & reſolvere eidem eccleſiæ debet; qui tamen unam præbendam dimittit, & quovis modo in eadem eccleſia promoveri vel aſcendere ad illam præbendam contigerit, ad hujusmodi onus nullatenus teneatur, ſub pœna excommunicationis, quam incurrit contraveniens ipſo facto *in II. reg. n. XIII.* Quivis Canonicus, qui deinceps in eccl. Lub. præbendam qualemcunque aſſecutus fuerit, a tempore aſſecutionis hujusmodi infra tres menſes ſolvere tenetur XV. marcas denariorum *Lubicenſium* in libertatis ipſius eccleſiæ defenſionem & onerum eccleſiæ ſupportationem ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ. *In II. reg. n. CLXXVII.*

De aſcenſu Præbendatorum.

XVII. Statutum eſt, ut voce in Capitulo, ſtallo in choro & majoris præbendæ aſſecutione nunc & in futurum ceteros antecedat, cum apud eccleſiam noſtram prius fuerat, & fuerit ſucceſſuris temporibus minoris præbendæ perceptio aſſignata. In primo regiſtro n. CIX. CX. Idem habetur in II. Regiſtro in primo fol. *ubi additur:* quod primo per quatuor minores præbendas aſcenditur ad chriſtianam & tunc ad incorporatas præbendas gradatim aſcenditur, non obſtante etiam, ſi aliquis præbendam Chriſtianam via permutationis ſit aſſecutus, quia nihilominus noviſſimum locum inter minores obtinebit. Quilibet Canonicus diſtincta & decreta præbendæ, præbendatus, ſi præbendam incorporatam unam de XXVII. præbendis quovis modo aſſecutus fuerit, tenetur gradatim aſcendere ſine præjudicio eorum, qui prius eo hujusmodi præbendas incorporatas fuerunt aſſecuti, *in pr. reg. n. CCLXIII.*

De diviſione reddituum præbendarum.

XVIII. Statutum eſt, quod undecim Canonici ſeniores in ordine præbendas in corporatas habentes juxta introitum ſuum & ordinem participant manſos ſingulos in villis *Gemyn* & *Buſſow* inferiori, & ſex *Canonici* præbendis incorporatis præbendati dictos undecim in ordine immediate ſequentes participent obventiones & reditus manſorum in villa, quæ *ſuperior Buſſow* dicitur, juxta conſuetudinem hactenus obſervatam. Argumentum hujus ſtatuti vide *in ultimo folio hujus regiſtri:* De pratis vero ordinatum eſt, quod viginti ſenioresCanonici in ordine habentes præbendas incorporatas participent obventiones de pratis provenientes. Ita quod ſeniores juxta ordinem introitus obtineant prata meliora. De redditibus vero ſalinaribus & oblationibus illi, qui de XV. Canonicis habentibus præbendas incorporatas ſeniores in ordine præſentes & reſidentes in eccl. Lub. fuerint, duplum percipiant. Illi poſt dictos XV. Canonicos juniores & poſteriores ſimplum, ſi præſentes extiterint, percipiant de prædictis. De memoriis vero & conſolationibus chori & refectorii omnes Canonici voces habentes in Capitulo æqualiter gaudere debent. *In II. reg. n. CCI.* De aliis reditibus Canonicorum, de quibus ſupra non eſt facta mentio, ſtatutum eſt, quod quidquid de prædictis reditibus fuerit collectum, in tres partes dividatur, & duæ partes inter omnes Canonicos incorporatos æqualiter dividantur, & tertia pars inter eos, quibus de XV. ſenioribus Canonicis portiones duplices debentur præſentes æqualiter dividatur. Inter quos etiam ſtatuimus proventus de precariis & judicio villarum *Gennyn* & utriusque *Buſſow* & omnes proventus villar. *Hamberge* & *Johannisdorpe* æqualiter dividentur. *In II. reg. n. CCXV.* Reditus, quos Capitulum Lubic. in ſalina Luneb. dignoſcitur habere, & oblationes & cotidianæ obventiones in civitate *Lubicenſi* inter Canonicos præbendas incorporatas habentes, eos ſcil., qui ſummæ miſſæ intererunt, ſingulis diebus dominicis per totius anni circulum dividantur. *in IIdo reg. n. II.*

De Curiis Canonicorum eorumq; expenſis.

XIX. Quotiescunque *Curiam Canonicalem* vacare contigerit, ille qui de XV. Canonicis ſenioribus incorporatas præbendas habentibus inferior in ordine exſtiterit, qui actualiter curiam Canonicalem non habuerit, ſi nullus Canon. ipſum in ordine præcedentium ipſum a tempore ſuæ vacationis infra menſem emerit, cum effectu ad emendum & perſolvendum curiam vacantem pro pretio, pro quo taxata extiterit, infra dimidii anni ſpatium a tempore vacationis ſit aſtrictus. Qui ſi infra dictum terminum prædicta diſtulerit, vel neglexerit adimplere, ipſum a perceptione omnium proventuum, qui pro Canonicor. ſunt deputati, pro medietate carere debet, quousque alia curia vacaverit, quæ per ipſum infra temporis ſpatium, quod prænotatum eſt, effectualiter comparetur. Quod ſi aliquem hanc pœnam ſubire contigerit, Canonicus præbendam incorporatam hujus, qui negligentem ſequitur in ordine immediato infra menſem, poſt lapſum dicti medii anni, ad emtionem prævaricatæ curiæ debet admitti, & duplicium præſentiarum, ſicut ſeniores Canonici præbendas incorporatas habentes, in ordine gradatim aſcendendo infra menſem gaudere debet, eod. privil., poſt quod ille, qui ipſum præcedit, in menſe ſibi deputato negligens reperitur. *In IIdo reg. n. CCXXV.* Quotiescunq; & quamcunq; curiam ſitam juxta capellam S. *Johannis* Evang. vacare aut venalem fieri contigerit, Decanus Lubic., qui tunc pro tempore fuerit in ipſius comparatione prior, ex hoc, tunc ſinguli Canonici gradatim ſec. ordinem ſtalli eorundem erunt pares aliis ſtatutis & conſvetudinibus eccl. Lubic. non obſtantibus. *In IIdo reg. n. CCXXV.* Advertendum, quod huic ſtatuto derogatum eſt, quod ad Decan. per aliud ſtatutum quod habetur *in IIItio reg. n. XCVII.* Quilibet Canonicus hujus curiam per duos annos integrationis ad expenſas proprias obligatur. Item

nullus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nullus Canonicus percipiens in ecclesia in persone suæ opprobrium cum Laicis, parentibus vel cognatis expensas habebit cum in areis ecclesiæ honeste & commode de suis proventibus valeat sustentari. *In pr. reg. n. CLXXXVIII.* sub rubrica: *Hæc sunt statuta perlegentur* §. Item *quilibet Canonicus hujus curiam* &c. Instrumentum super donatione curiæ Canonicalis per Dominum *Hartwicum Split* facta, vide *in IV. reg. n. XLII.* Donavit enim eam hoc modo, ut quicunq; illam curiam adeptus fuerit, debet ante ingressum ipsius solvere expedite Dn. Canonicis CXX. marc. Lub. in perpetuos reditus pro memoria immediati antecessoris sui in dicta curia convertendas. Ac etiam solvere debet singulis annis pro memoria dicti Dni *Hartwici* VI. marc. & debet dictam curiam in esse suo fideliter conservare ad præceptum & voluntatem capituli; sic quod dicta curia in ædificiis suis deterior non efficiatur, pro cujus diligenti conservatione omnes fructus, reditus & proventus præbendæ possessoris dictæ curiæ manebunt sine aliqua contradictione obligati, *vide plenius VI.*

De Panibus Canonicorum.

XX. *Borchardus* Episcopus Canonicis de excrescentiis LX. mesas siliginis de *Bussow*, si ibi colligi vel aliquatenus habueri potuerit & sub mensura de *Bussow* majoris modii alias in aliis locis congruis annis singulis deducendas, & ad muros civitatis sub expensis Episcopi putandas, quas LX. mesas tollet Cellarius, & pro labore suo & ministerio VIII. mesas & marcas a majori collectura dandas in usus suos convertat. Alias VI. mesas permanentes convertat in usum panum pro singulis hebdomadis ad fratrum consolationem solum Canonici integrati, percipientes, expensas habentes, & non alii prædictos panes habebunt, etsi pauci expensas habuerint, pone, quod unus vel duo, iste unus vel illi duo percipient omnes panes, qui solebant XI. præbendis ministrari. Et si de prædictis panes percipientibus aliquis pro suis negotiis gerendis petitam a Decano licentiam exigerit, & infra quindena non redierit, sicut oblatione, ita & panum consolatione carebit, relicta tamen portione eorum, quæ mittuntur; & in qualibet ebdomata talis panis bis preparetur, ut eo recentior & commodior habeatur *in pr. r. n. CXVII.* De institutione Cellarii, cujus collatio spectabit ad Episcopum, ad quem cellarium dictorum panum administratio pertinebit *vid. in I. reg. n. CC.* Mandat & statuit idem Dominus *Borchardus*, Episcopus, quatenus de cetero nulli panes dentur, nisi his tantum, qui secum in familia quatuor personas habent, ad serviendum habiles & honestas, parvulis citra XX annos, nec non his, qui pro pecunia tenent, in expensis non computatis. Distributorii supra dictorum panum in virtute sanctæ obedientiæ districtæ percipimus, quatenus de cetero nulli eosdem panes administret, nisi secundum ordinationem superius præmissam. *In II. reg. n. XC.* Per Dominum *Henricum* Episcopum salarium Cellarii qui habebit panes distribuere, augmentatum est cum VIII. mesis siliginis ex villa *Nigendorp.* Ita quod Episcopus ad panes pistandos dabit annuatim LXVIII. mesas siliginis, sub majori mensura. *In II do reg. n. LVIII.* Panes præbendales percipient solum XI. Canonici præbendati, præbendis incorporatis in ordine seniores, si residentes fuerint, & expensas proprias in curiis canonicalibus habuerint, nisi alicui illorum ex gratia concedantur. *In II. reg. n. CCI.*

De Servitiis Refectorialibus.

XXI. In die *Johannis* ante portam latinam solvet Canonicus Comitis I. marc. argenti annuatim pro servitio refectoriali, *In I. reg. n. II.* Idem Canonicus Comitis in die *Mariæ Magdalenæ* solvit II. marc. pro servitio refectoriali, quas recipit a Camerariis consulum ex parte telonii in *Travemünde in pr. reg. n. XXXIV.* Item Episc. *Johannes* ordinavit duo servitia refectorialia, unum in die *annunciationis:* aliud in die *anniversarii sui*, pro quibus assignavit V. marcar reditus in villa *Lubbrechstorpe. In pr. reg. n. CLXVI.* It. *Alexander* Cantor Lubicensis ordinavit unum servitium refectoriale in die *b. Wilhadi* de tribus marcis & II. solidis *in pr. reg. n. CXCVI.* Statutum est, ut de cetero quatuor fercula honesta & laudabilia, & non plura in refectorio habeantur. *In pr. reg. n. CXCIII.* Item Episc. *Ruchholt* ordinavit duo servitia refectorialia, unum in die *conversionis S. Pauli*, aliud in commemoratione ejusdem, & ad quodlibet assignavit X. marcar. reditus. *In II. reg. n. CLI.* in testamento ejus.

De absentibus & studentibus.

XXII. Statutum est de beneplacito omnium, ut qui Parisiis studeant, bursa præbendæ suæ gaudeant duobus annis & sex septimanis, & non amplius, videlicet tribus ebdomadis ad eundum & tribus ad redeundum & duobus annis ad standum. *Anno Domini MCCCCXXVIII. die Veneris quinta Nov.* hora & loco capitularibus, Domini de Capitulo antiquas consuetudines hujus ecclesiæ recensentes, capitulariter secundum easd. consuetudines declaraverunt quod absentia, de qua præsens statutum loquitur, nulli debetur, nisi qui primum annum suæ residentiæ apud eccles. Lubicensem compleverit, aut saltem tempore admissionis suæ ad perceptionem actu in aliquo studio generali studendo perseveret. *In pr. reg. CXC.* §. Item *de beneplacito.* Canonico qui de licentia *Decani* vel *Vice-Decani* pro negotiis suis privatis existens, per quindenam tantum quatuor in ann. præsentia clari debent. It. debet & infirmis in civ. *Lubicensi* decumbentibus, & de uno Canonico commensali Episc Lub. qui pro tempore fuerit, quibus sicut præsentibus in divino officio oblationis quotidianæ distributiones & præsentiæ dari debent. *In II. reg. n. II.* Canonicus in studio Parisiis vel alibi existens Vicarium habebit, cui *Decanus* de consilio Capituli marcas de præbenda absentis & studentis faciet provideri. *In pr. reg. n. CLXXXVIII.* Rubrica: *Hæc sunt statuta quæ legentur* §. Item *Canonicus in studio* &c.

De privileg. & statutis Offertoria concernentibus.

XXIII. Concordatum est inter moniales ad *S. Johann.* & *Canon.*, quod omnium oblationum in antea ad altare monial. pervenientium Can. eccl. Lub. medietatem recipiant, exceptis oblationibus, quæ fiunt, cum aliquis monial. investitur, vel corpora mortuorum de curia earum existentium sepeliuntur, quæ solis monialibus relinquantur, & de nullius sepultura, nisi præpositi eorum & suæ familiæ in curia earum manentium se intromittent, & præpositus earum confirmabitur ab Episc. & sibi faciet obedientiam, *in pr. reg. n. XXX.* Concordatum est inter Canon. Lubic. & moniales *S. Joban-*

Johannis, quod per nuntium eorum idoneum præsentari faciant distributoribus Capit., loco & tempore competentibus, medietatem omnium oblationum ad altaria dicti monasterii provenientium, exceptis certis festis & certis oblationibus *in II. reg. n. CXXIII.* It. ordinatum est de offertorio Lanificum in monasterio *S. Johannis*, quod oblationes, quæ ad dictum altare proveniunt, per sacerdotem a Lanificis nominandum & a Decano accessu altaris recipientem, dividantur in tres partes, & duæ partes oblationum quolibet ad prædictum altare provenientium præsententur distributoribus capituli, alia tertia pars pro usu cedat monasteri & altaris sacrificio *in IV. reg. n. LXXVIII.* Oblationes *S. Nicolai* in eccl. Lub. a duobus Can. quos Episc. ad hoc duxerit deputandos, & a duob. Laicis, quos Consules deputaverint, sed sub quatuor clavibus servabuntur, ita quod singuli singulas claves habeant, omnesq; oblationes & obventiones hujusmodi ad usum & decorem eccles. convertant *in pr. reg. n. XXXI.* Privilegium Papæ *Gregorii*, quod Laici Lub. se intromittere de oblationibus non debeant *n. CLXXXVIII. ff. Summa vero oblationum.* Oblationis chori Lub., & quæ sub umbone fiunt, debent Sacerdotibus & ministeriis chori officiantibus cedere. *In pr. reg. n. II.*

De choro & pœnis negligentium officium chori.

XXIV. Si quis in choro vices suas neglexerit legendo, aut cantando, Decan. per se pœnitentiam imponito in jejunio sextæ feriæ & eleemosynis, ita quod VI. denarios non transcedat orationibus quinquagenis; ita etiam quod Psalterium non transcedat: pœnam autem claustralem aut suspensionem ab officio vel subtractionem fructuum canon. sine consensu Capituli non imponet. It. Vicarios vel alios choro deservientes monebit, ut se corrigant & debitum suum faciant, alioquin eis coram aliquib. Canonicis, pœnam secundum, quod meruerint, imponat. *In pr. reg. n. CLXXXVIII.* sub rubrica: *hæc sunt statuta, quæ legentur. §. Decan. in marg.* Statutum est, quod deinceps quivis Canonicus, qui pro tempore Ebdomatar. chori exstiterit teneatur, vigiliis mortuor., quoties in choro Lub. cantantur. Similiter & primar. horis, singulis diebus a principio interesse & usque ad finem earund. vigiliarum & primar. in choro manere, absque eo, quod ipsum chorum ante finem hujusm. non exeat, nisi rationabili causa subsistente, & tunc si notabili intervallo abesse contigerit, alium suo loco teneatur subrogare. *in II. reg. fol. I.* Statut. est deinceps, quod quivis Canon., quoties ad ipsum Cantoris officium pro vice in dicta eccl. spectaverit, teneatur & in primis vesperis & matutinis & missa a principio usq; ad fines horar. hujusmodi cappa induciali cappatus interesse, absq; eo, quod durantib. ipsis horis cappam non exuat, & de horis non exeat, nisi rationali causa subsistente, quam si pro notabili mora habuerit, tenetur alium loco sui subrogare. *in II. reg. in II. fol.* It. statut. est, ut habeatur in armario una pixis, in qua Decanus habeat ponere denarios sex a quolib. Canonico exigendos, quoties ipse Canon. matutinum neglexerit, dum ratione missæ per ipsum celebrandæ aut Evang. seu Epist. lectionis maturius tenetur interesse, ipse quoq; Decanus super dicta negligentia etiam petat a Decano dispensationem; quod si non petierit, ad solutionem dupli sit adstrictus, præmissa præcedunt; salvo quidem in missa, quæ in ipsor. anniversariis celebr. consueta, dum in ead. ministrantes ad matutinum mediæ noctis minime sint astricti, sed sufficit eos in vigil. defuncti diei præcedentis interesse. Conclusum est, quod quivis Canon., qui ad altare summum ministrat. ad matutinas intraverit, teneatur in eis usq; ad finem permanere. *In II. reg. fol. III.* Si quis Canonic. in ordine sacerdotali sec. registrum chori existens nollet, vel temporal. f. perpetue præpeditus non posset celebrando suam servare septiman., sacerdos proxime sequens eund. ordine, si sibi intimatum, septim. illam tenebit. Et alius non celebrans septimanam, pro se tenenti dab. IV. sol. & obventiones chori, quæ in tali provenerint ebdom., qui proximus, si forte per hujusm. renunciarit celebr. septimanam, proximus post eum, si sibi fuerit intimatum, tunc illi septim. deserviet, & tunc ille celebr. ab utrisq; renunciantib. recipiet singulos quatuor solidos, cum obventionib. prælibatis. It. vero judicamus de tert. & de cet. in ordine sequentib. &, si forte deventum fuerit ad ultimum sacerd., ille de singulis vices septiman. non tenentibus recipere debet IV. sol. & obventiones sæpe nominatas; etiam Canon. chorales Lucones huic regulæ subjacebunt. It. si aliquis Canonicor. quocunq; casu conting. Missæ Evang., epist. lect. homiliæ, versus vel versuum cantatione, vices quas implere debet, quacunq; hora neglexerit, pro sola vice proximo sibi in ord. vices ejus in hac parte supplenti dabit dim. stopam vini hoc est VIII. sol. sic gradatim ad ultim. descendendo. *In fol. II. in LXXIV.* It. statut. est, quod Canon aliquis in ord. sacerd. existente, decedente, senior in introitu Diac. ad ordin. sacerdotii tunc proximis temporib. quatuor in locum provehitur decedentis, non obstante, si aliquis Canon., ex juniori f. posteriori in introitu divino ductus in sacerd. promoveatur. Si vero talis in dictis quatuor temporib. non fuerit ordinatus, ex tunc ab illo Sabbatho dictor. quatuor temporum iste Diac. Canon. sacerdotib. cum effectu eccl. in sacerdotali officio servientib. III. sol., int. tales dividendos expedite ministrabit, in qualibet septimana, quem ord. assumpsit, ante dictum loco decedentis Diac. proximus in introitu Sub-Diac. debet in qroximis temporibus quatuor ordinari, alioquin dabit ex tunc in qualibet septimana, cum si promotus esset, successu temporis contingente, cet. Can. in hoc ord. ministrantibus IV. sol. ea forma, sicut de sacerdotali est, permissum, nisi temporale & voluntarium impedimentum intretur, quod illos impediat in quatuor illis temporibus promoveri, tunc saltem in aliis proximis temporibus ordinetur. Et nisi in defectum cadat perpetuum, non suis meritis VI. sol. mutilationem seu quamcunq; similem, propter quod Canones modum prohibeant promoveri. Has autem pœnas Decanus auctoritate Episc., si principalis neglexerit exhibere, ipsas per distributores præsendarum, de præbendis negligentium ipsas faciat exhiberi. Quod si locum non habuerit, negligens, ut hujusmodi pœnas exhibeat, pro pœna suspensionis ab ingressu ecclesiæ poterit cohiberi. vide plenius, uti statim supra.

De Capitulo.

XXV. Nullus Canonic. ante perceptionem vocem habebit in Capitul. *in pr. reg. n. CLXXXVIII.* sub

sub rubrica: *hæc sunt statuta.* §. Item *nullus.* Statutum est, ut quotiescunque aliquis pro utilitate & ecclesiæ a pluribus de Capitulo ordinentur, non obstante contradictione unius duorum, trium vel saltem quatuor rata manebunt & inconvulsa, nisi dicti pauciores rationem ostenderint, id capitulo non expedire, & Episcopus dictam rationem infra quindenam duxerit approbandam & quod tunc factum est a pluribus, finnitate carebit, sub eadem rubrica: §. *ut litium materiæ.*

De Officialibus Capituli. XXVI. Officiati pro beneplacito Capituli mutabuntur feria sexta proxima post *Johannis Baptistæ*, si fuerint minus idonei: si autem idonei sunt, possunt rogare, ut in suis officiis perseverent. Nulli autem sunt cogendi, & eodem tempore computatio fieri debet de singulis *in pr. reg.* statim ante Rubricam *CLXXXVIII.* litera & est statutum *Bochardi.* Idem habetur *num. CXC.* in fine §. *Item statutum est.* Salarium Canonicorum officialium pro tempore, videlicet salarium distributionis illius, qui thesauro præest & salarium Salinarii vide *in IV. reg. n. LXXIV.* Et idem habetur, quantum habent Canonici quatuor vicibus in anno influentis de molendinis civitatis *Lubicensis*, videlicet *Egidii, Martini, Pauli & Viti*, & quinta vice scilicet *Ambrosii*, quod retinebant distributores in partem salarii sui. Idem habetur *n. CLXXXVIII.* sub rubrica: *hic videbis, quantum de molendinis.* Salarium familiarium officialium distribuentium, quantum scilicet ad minus dari eis debeat, scilicet familiaribus distributoris Salinarii minoris & majoris illorum, & thesaurarii de majori decima episcopali. *in IV. reg. no. LXXV.* Ordinatum est, quod cum deinceps alicui Canonico quid negotiandum ab ipso capitulo, vel seniore præcipiatur. Negotiatio eadem, si in civitate *Lubicensi*, sub pœna unius, si vero extra civitatem perficienda sit, sub duarum, aut si officium aliquod ecclesiæ sibi committatur, sub quinque marcarum currentis monetæ fabricæ ecclesiæ applicandarum pœna, quam incurrat ipso facto; nisi causam allegaverit ad minus a majori parte Capituli approbanda, quæ pœna a distributoribus de parte Canonici undecima debita, tradenda & fabricæ applicanda, per Decanum vel Vice-Decanum sine ullu contradictione exigenda. *In IV. reg. n. LXXIX.*

De anno gratiæ & deservito. XXVII. Canonicus Comitis habet annum gratiæ, sicut capitulo Lubicensi competit, ex antiqua consuetudine. *In pr. reg. n. XXXVII. & XL.* Vacante præbenda primus annus redit defuncto cum oblationibus unius mensis. Secundus annus integræ cum universis proventibus in thesauros ecclesiæ convertatur. Elapsis vero annis duobus percipit ille, cui præbenda fuerit assignata, præterea cum hujusmodi integrandi fuerint, duobus annis exspectabunt, primus enim defuncto, secundus annus ecclesiæ pertinebit. *In pr. reg. n. CLXXXVIII.* sub rubrica: *Hæc sunt statuta, quæ legentur.* §. Item *Vicarii præbenda.* Si aliquis vivens præbendam suam resignaverit, vel ad religionem transierit, sive ad majorem dignitatem assumptus fuerit, ita ut præbenda facet, etiam fructus illius percipiet per biennium in utilitatem ecclesiæ convertendos, excepto, si duo Canonici præbendati percipientes suos Canonicatus & præbendas invicem permutaverint, tunc statim ambo erunt percipientes, & ille, qui fuerit assecutus ex causa permutationis, unam præbendam de præbendis incorporatis. Iste erit infimus inter Canonicos capitulares, tam in gradu quam in ascensu etiam, quantumcunque antiquior fuerit primo in gradu, ascensu ante permutationem sub eadem rubrica: §. Item, *si aliquis præbendam.* Statutum est, ut quicunque sive per mortem, sive per religionis ingressum, sive per electionem in aliis ecclesiis de se factum, sive quocunque alio modo licite & honeste de nostris seu nostro consortio abierit, siquidem post diem *annunciationis* dominicæ & intra diem *b. Jacobi Apost.*, die ipsa computata, sibi cedat medietas fructuum beneficii, quod possedit. Sin autem post diem *St. Jacobi*, & inter terminum stipendii hoc acciderit, vel in ipso termino fructus beneficii, quod habuerat, integre accedant eidem, postea vero usq; ad diem annuntiationis dominicæ die ipsa computata, si ut dictum est, quisquam a nostro vel nostrorum collegio secesserit, cum adhuc præcedentis anni abundet, ex stipendiis habebit. *In pr. reg. n. CCXXXVIII.* Et est statutum *Borchardi* Episcopi & habetur etiam *in II. reg. n. L.* Statutum est, ut quicunque in antea Vicarius Vicarium hujus, qui domum annexam habuerit, universæ carnis viam ingressus fuerit; illius Vicarii domus hujusmodi eodem modo & taliter, sicut cæt. bonorum dictarum Vicariarum fructus in annogratiæ debet & deservito computari. Illo tamen provisо, quod si Vicarius successor defuncti, domum talem pro se & pro competenti pretio prædecessoris executoribus conducere voluerit, idem successor singulis aliis, cujuscunq; status etiam fuerit, omnino præferatur. *In IV. reg.* circa finem *n. LXXXVI.* Post mortem cujusl. Vicarii integri fructus beneficii sui per annum integrum cedent eidem, hoc tamen provisо, ut qui in vigiliis *Philippi & Jacobi*, aut etiam decimarum agrariarum, qui in festo *Jacobi* Apost. aut hinc aut census, qui in festo *S. Martini*, seu quorumlibet bonorum proventus, qui certo termino seu tempore secundum Jus terræ specialem in consuetudinem totaliter colligi & percipi consueverunt, si dictos reditus vivens attingerit, permissis temporibus, aut ipsis temporibus supra vixerit, pertactus proventus non debet sibi aliqualiter, sed in annum deservitum non immerito computari, unde jam dicti proventus sequent. annis debent pro anno gratiæ integraliter applicari. Si vero beneficium cujuslibet Vicarii mortui fructus salinares habuerit, qui de tempore in tempus de die in diem colligi aut percipi consueverunt, dictos reditus post mortem suam per annum integr. a die mortis usq; in diem anni revoluti computandos, pro rata temporis illius anni, pro anno gratiæ integraliter assequitur. A. MCCCCXXX. de m. Aug. visum Capitulo similiter pro rata temporis distribui debere, etiam bona sartaginalia, licet secundum consuetudinem oppidi *Luneborch* certo die scilicet *Nat. Christi*, promereantur, propter ingratitudinem tamen talis gratia vicariis gratiose per Episc. & Capitulum concessa tolli ab eis, aut aliquo ipsorum potest. *In pr reg. n. CCXXIII.*

De Episcopo Scholarium. XXVIII. Statutum est, ut Canonicorum quilibet, ad quem spectat ex ordine Episcopatui scholarium

rium providere, unum de choralibus habilem deputet, a ſcholaribus in Epiſcopum aſſumendum, cui & ipſius a Feſto *Nicolai* usq; ad Feſtum *Innocentium*, victum & veſtitum decentes ſcilicet tunicas procurabit, & ſcholaribus pro ſervitio faciendo, & aliis X. marc. *Lub.*, & ultra has amplius non præſtabit ſub pœna excommunicationis, quam incurrit ipſo facto & a qua non abſolvetur, niſi omnibus & ſingulis de Capitulo conſentientibus. *In II. reg. n. CV.*

De ſtatutis Vicarios concernentibus.

XXIX. De ordine Vicariorum, qui de mane miſſas dicere debent, qui primæ & qui ſimul æqualiter ſummæ miſſæ teneantur intereſſe; quod ſi non fuerint, per Decanum correctione debita corrigendi ſunt. Etſi Vicarius impeditus legitime non poterit celebrare, excuſabit ſe apud *Decanum* ſub pœna IV. denariorum in uſus ſtructuræ eccl. convertendorum. Et ſi Vicarii ſtatutis his præſumſerint obviare, pœna incarcerationis ad minus unius Ebdomadæ, vel ampliore, ſi meruerit contumacia repugnantis, quam Decanus non niſi aſſumtis duobus Canonicis poterit relaxare, puniuntur; tamen per hanc conſtitutionem non debet minui ordinaria poteſtas decani. vide plenius *in II. reg. n. LXXIV.* Nullus Vicariorum infra miſſam ſummam celebrabit quia illi omnes in choro tenentur omnibus modis intereſſe, item propter diverſas occupationes Canonicorum ſiti. Vicarii vel ab eis ſubſtituti ſucceſſive & ſuo ordine ad veſperas matutinas & ad miſſam & ad omnes horas die nocteque; ſed cum intervenerit duplex, Canonici tantum ad initiandum in veſperis matutinis & miſſa more ſolito erunt adſtricti, tenentur tamen Vicarii ad cantandum graduale & Allelujah. Hæc ſtatuta ſunt ſub incarceratione ad minus per ebdomatam vel majori pœna, ſecundum quod meruerit protervitas contumacis; quam pœnam Decanus ſine Capitulo non poterit relaxare, *in pr. reg. n. CXCI.* Vicarii ſingulis menſibus oblationes diſtributoribus Canonicorum præſentabunt, vel proteſtabuntur, ſe nihil recepiſſe *ibid.* Item Decanus ſtatuet ſacerdotem Vicario abſente, cui de reditibus Vicarii abſentis providebit, ſecundum ſtatutum Capituli, ad minus in tribus ſolidis ſingulis ſeptimanis. Item faciet, quicunq; ad aliquod altare mercenarius eſt Sacerdos. *in pr. reg. n. CLXXXIII.* ſub rubrica: *Hæc ſunt ſtatuta, quæ leguntur* §. Item *Canonicus in ſtudio.* Statutum eſt deinceps, quod in Civit. Lubic. nulla Vicaria aut aliud beneficium eccleſiaſticum fundari quovis modo debeat, niſi pro dote ejusdem XXX. marc. Lub. monetæ, quæ quinq; marcarum argenti puri valor ſunt, perpetui anni reditus in certis bonis & locis absque quacunque reemtionis gratia deputentur, ipſo beneficio fundando. *In IV. reg. n. LXIX.* Inſtrumentum tertiæ ſententiæ contra Vicarios Lubic. in cauſa cenſus II. marcarum & continet duas præcedentes ſummas & executoriam Domini *Martini* Papæ, illarum trium ſententiarum & proceſſus executoriales Epiſc. *Adriani* executoris contra Vicarios nec non Inſtrumentum concordiæ & pronunciationis Domini *Johannis* Epiſc. Lub. amicabilis compoſitoris, ab utraque parte electi & aſſumpti emologationis utriusque partis vid. *in IV. reg. n. LXX. LXXI. LXXII. & LXXIV.* Offitiantes deſervientes Vicariis ab debito ſalario ſine conſenſu Capituli carebunt in annualibus diſtributionibus Chori *in tertio reg. in tertio folio.*

De Quartâ a fratribus prædicatoribus & minoribus, Canonicis debita.

XXX. Conſtitutionem de quarta a fructibus rectoribus eccleſiarum exhibenda (& ponitur hoc in Clementinis ſub rubrica *de ſepultis*) *vid. in pr. reg. n. CCXLIV.* Commiſſionem *Bonifacii* vero ſupra dicta conſtitutione de quarta ſolvenda vide *in eod. reg. n. CCXXIV.* Notificationem ejusdem conſtitutionis factam eisdem fratribus per Epiſcopum Lubicenſem vid. *in eodem reg. num. CCXLV. Gardianus* & conventus fratrum minorum Civitatis *Lubic.* de quolibet funere apud ipſos ſepeliendo ſolvent expedite Dnis Canonicis III. florenos Lubicenſes, loco quartæ ſive Canonicæ portionis, ſi ipſius funeris exequiæ cum conſueta ſolennitate peragentur: Si autem ſepeliendus tantæ paupertatis exſtiterit, quod ipſius exequiæ cum ſolennitate conſueta peragi non poterint, & ipſis fratribus omnibus penſatis & computatis valor trium florenorum donari non poterit, & tunc ſolvent prædictis Dominis II. florenos expeditæ. Dictæ autem ſummæ trium vel duorum florenorum absque dilatione a fructibus perſolventur infra octo dies, poſtquam funus traditum eſt ſepulturæ *in IIdo. reg. n. CCXLIX.*

De indulgentiis eccl. Lubic. conceſſis.

XXXI. Conceſſi ſunt viginti dies indulgentiarum omnibus, qui viſitant eccleſiam in die decollationis ſancti *Johannis Baptiſtæ* & ipſo die manum eidem porrigentibus pietatis per Cardinalem *ſancti Theodori. In pr. reg. n. LXXXIX.* Similiter conceſſi ſunt XX. dies in die *ſancti Nicolai eodem reg num. LXXX.* Conceſſi ſunt ab *Honorio* Papa XX. dies indulgentiarum viſitantibus eccleſiam in die Johannis Baptiſtæ *in pr. reg. n. CLXXXVI.* Similiter conceſſi ſunt XX. dies in die ſancti Blaſii *in pr. reg. n. CLXXXVII.* Conceſſus eſt unus annus indulgentiarum per *Innocentium* Papam omnibus confeſſis & contritis viſitantibus eccleſ. Lubic. in die dedicationis eccleſiæ *in IV. reg. n. III.* Item conceſſi ſunt III. anni indulgentiarum & totidem quadragenæ omnibus, qui eccleſiam Lubic. viſitaverint in multis & diverſis feſtivitatibus *in IV. reg. n. IV.* De indulgentiis centum dierum conceſſis communicantibus, Sacramentum corporis Chriſt. concomitantibus infirmis miniſtrantes, & de feſto Corporis Chriſti æquiparato quatuor principaliter feſtivitatibus principalibus vid. *in IV. reg. n. LIII.* De ſeptem annorum indulgentiis in diverſis feſtivitatibus eccleſiæ Lubicenſi conceſſis, omnibus eccleſiam viſitantibus, & ad reparationem & conſervationem ejus manus adjutrices porrigentibus. *in IV. reg. n. LIV.* De VIII. annis indulgentiarum conceſſis per *Gregor. undec.* & tot carenarum & de XVI. annis indulgentiarum conceſſarum per *Bonifacium*, cunctis cum donatione inſpicientibus peplum *b. virginis*, cujus particula eſt in armario *Lub.* in monſtrantia imaginis beatæ Virginis de aurata & & literam teſtimonialem Dom. *Sigismundi* Imper. ſuper eo, quod ſit vera particula de peplo præfatæ beatæ Virginis per eundem Domino *Johanni Schelen* Epiſcopo Luibcenſi in *Ungaria* donata. vide *in IV. reg. n circa finem.*

XXXII. Sta-

De Statuto Guidonis Apostolicæ Sedis Legati.

XXXII. Statutum est Guidonis Card. Apostol. sedis legati per Provinc. Bremensem. Inter cetera capitula continet, primo, quod in conviviis suis & prandiis modestiam & mediocritatem observare debeant, superfluitatem indebitam resecans, & quod ebrietatem omnium vitiorum matrem evitent, it. si qui deprehensi fuerint de cetero detinere publice concubinas nisi infra mensem se ab eis seu ab earum consortio separaverint; Ita quod in domibus ipsarum a propriis aut aliis quibuscunq; non cohabitent, nec ad illas accedant, ex tunc beneficio ecclesiast. sint privati, & per eos, ad quos beneficiorum spectat collatio, personis idoneis conferatur. It. quicunq; personam ecclesiast. enormiter violaverit, mutilaverit, occiderit, aut captivaverit non nisi per sedem Apostolicam absolvatur, & *ipso feudo*, si quod tenebit, illud perdat, & ad utilitatem eccles. convertatur, adjicientes quod in illa diœcesi in qua aliquem Canonicum cathedr. eccl. vel in dignitate ecclesiast. constitutum, capi contigerit, vel captum detineri, usq; ad liberationem ipsius & exhibitionem debitæ satisfactionis, cessetur generaliter a divinis; similiter & illa parochia, in qua res Clericis violenter ablatas rapi vel detineri contigerit, usque ad restitutionem & satisfact. congruam a divinis cessetur. Præterea cum eccles. domus sit orationis, non armorum materialium, gladiorum, statuimus, ut quicunque ad eccl. convenerint, intra ipsas vel cimiteria earum arma non inferant, sed extra dimittant, cum tales his similes videantur, qui ad capiendum Christum cum gladiis & fustibus convenerunt. Transgressores hujus statuti per excomm. sententiam compescantur, alia plura v. *in eod. reg. statut. Imo reg. n. CLIII.*

De Fraternitate inter Lubicens. & Hamburgens. Eccles.

XXXIII. Fraternitas perpetua inita est inter Canonicos *Lubic.* ecclesiæ & *Hambgs.*, quæ in eis consistit, quod in causis Capitul. vel etiam personarum de Capitulo sibi mutuo consilium ministrabunt & favorem verbo & ope se invicem caritative prosequendo. In signum fraternitatis hujus duo sunt statuta, videlicet ut decedente Canonico *Lub.* memoria ejus in ecclesia *H mb.* solenniter peragatur & e converso. It. veniente Canonico *Lubic.*, qui percipiens est, ad ecclesiam *Hamb.*, debent ei, si visus fuerit, quinq; solidi ex bursa exhiberi, & e converso; qui autem nostræ aut illius eccl. pluries infra annum huc aut illuc transierit, semel tamen in anno consolationem percipiet antedictam, si etiam tempore refectoriorum venerit, ad refectorium debet invitari, & ipsi invitati se in suppellitiis vel alia specie religionis conformiter præsentabunt. *In Imo reg. n. CXXVI. §.* It. *eod. anno.*

De Horis B. Virginis in Eccl. Lubic. cantandis.

XXXIV. In Eccl. Lub. fundata sunt decem stipendia pro decem ministris, qui decantare habebunt horas b. Virg. in capella nova retro summum altare, ad quorum duo prima ministri per dnum Epis. Lubic., & ad septem alia per Decanum & Capitulum; & ad decimum per Decanum solum assumantur. Qui tamen ministri, cum Epis. placuerit, quoad duos etiam Decano & Capitulo placuerit quoad septem & Decano soli sept. decim. possint amoveri, & alii loco eorum assumi. Possunt quoque assumi Vicarii, dummodo reditus Vicar. suarum ultra dec. marc. importatis non habuerit, qui ministri in assumptione sua, si Vicarii non fuerint, juramentum præstare solitum per Vicarios in manibus Decani præstare, & sibi moribus & per omnia obedire teneantur; matutinas incipient in æstate in principio quartæ, & in hyeme in principio quintæ hor. horologii eccl. Lubic., sub uno contextu usque ad missam inclusive continuando, cum tribus lectionibus in matutinis & totidem responsoriis, pausatim & distincte devotius quo potuerint decantare, nisi per cantum majoris chori impediantur, aut alias per sermonem, & tunc submissa voce legere distincte & devote tenebuntur. Et qui missam in ordine cantare tenetur, potest se a dictis horis absentare, ut sit se eo aptius præparet. Potest etiam Decanus ordinare, cui in ordinatione cantus teneantur obedire, & debent omnia stipendia, postquam primi eorum possessores decesserint, aut cesserint esse simul; unita & æqualia, & inter eos fructus eorum æqualiter dividi, si reditus reempti fuerint, debent cum consilio & consensu Dec. & Capit. reimponi, summa capitali interim apud Capit. deposita, vide pl. *in IV toreg. n. XCVI.*

De Eccles. Utinens.

XXXV. Dn. *Herm. de Moris* Cantor Eccl. *Lub.* fecit testamentum in *Uthin*, tempore expulsionis Canon. *Lubic*, in quo inter cetera fundare voluit quatuor Vicarios in Eccl. *Lubic.*, dotandas quatuor chori salis & XXX. marc. reditibus, æqualiter inter eos dividendos; in eodem testam. jus Patronatus earundem assignando. Post mortem vero dicti dni *Hermanni* testatoris dn. *Borchardus* tunc Epic. Lubic. cum consensu Decani & Capit. Lubic. & executorum prædicti testamenti præfatam testatoris voluntatem mutavit, erigens eccl. parochial. in *Uthin* in Eccl. collegiatam ordinans ibi sex præbendas; primæ præbendæ assignavit XX. marc. reditus de fructibus dictæ eccl. parochialis, & X. m. de dictis fructibus assignavit Decano & XII. pro Capellano, & si quod residuum fuerit, assignavit pro distributione quotidiana inter fratres illos facienda. Quatuor aliis præbendis assignavit reditus deputatos, per præfatum D. *Hermannum* ad quatuor beneficia in eccl. Lubic. fundanda, juxta tenorem sui testamenti, sextæ vero præbendæ assignavit reditus XX. marc. per Dn. *Ludolph. Bardewick*, Canon. Lubic. etiam pro fundanda una vicaria in eccl. *Lubic.*, in suo testam. assignatos, ordinavit tamen hos reditus prædictos communibus expensis, horum sex Canonic. *Uthinensium* exigendos & inter se æqualiter dividendos & constituit omnes præbendas has sacerdotales & jurabunt tempore receptionis suæ de fidelitate eccl. Lubic. de his vide plenius in *Imo reg. n. CCLII.* It. Dn. *Herm. de Moris* præfatus assignavit in eodem suo testam. quinquag. duarum marc. reditus distribuendos denariatim inter pauperes, scil. qualibet septimana unum marcam, scil. in singulis diebus II. sol., in sexta feria quatuor solidos magis indigentibus & nemini servientibus dandos; & ad istam distributionem faciendam dedit Canon. Lubic. in perpetuum facult. duos Vicarios eligendi, de suis quatuor Vicariis magis idoneos, quibus pro labore legavit ultra alios reditus VI. marc. reditus, & disposuit, ut si quid supercresceret, illud interpauperes clericos chorum frequentantes, dividatur; & pro diligenti cura Decani in præmissa erogatione dedit ei in perpetuam, collationem ad unam illarum Vicariarum, ut supra præmittitur. v. *in eod. Test. n. CCL.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De diversis

XXXVI. Statutum est, ne quis Canon. Lubic. aut quis Vicar. perpetuus, cujusvis eccl. Lubic. Civitatis occasione primæ missæ suæ, ipso die celebrationis vel ante vel post per se vel per alium, directe vel indirecte in conviviis commessationibus vel potationibus expensas faciat, vel ad hoc consilium auxilium vel favorem præstet quovis modo sub excommunicationis pœna latæ sententiæ. *In IIdo reg. n. V.* It. bulla *Bonifacii* Papæ, quod sub excomm. aut irregularitatis pœna, neq; fructibus minoribus aut aliis religiosis aut secularibus, sit licitum tempore interdicti, publice ponere (ut unicuique pateat ad concernendos accessus) venerabile Dni. corporis sacramentum. *In IVto reg. n. V.* Ordinatum est per Capitul., quod nemo deinceps sive prælatus sive officialis, aut etiam advocatus eccl. *Lubic.*, quiscunque, quæcunq; ligna & qualiacunque silvarum & nemorum eccl. Lub. ubique consistentia, per se aut alium inscindere, aut alias de radice deponere, aut ex illis aliis donare debeat, quam nisi prius licentia totius Capituli ostensa, sub pœna carentiæ memoriarum distributionis chori Lubic., declaratione tamen dicti Capituli prius desuper præcedente. *In IVto n. LXXX.* Ordinatum est per Capit, quod nemo deinceps Canonicus Lub. pro factura seu pretio tabularum in fenestris curiarum plus quam decem solidos monetæ currentis pro una tabula exigat seu etiam recipiat, si offeratur. *In Vto reg. n. LXXXI.* Tenorem selennis testam. Dn. *Henrici de Locholte* Episc. Lub. v. *in IV. reg. n. CLI.* Promissum est Dno. *Adolpho* Duci Slesvic. & Comiti *Holsatiæ*, quod post mortem ipsius ejus memoria in eccl. *Lubic.*, cum vigiliis & missa mortuorum, ad instar anniversf. Dn. Ducis *Henrici* fundatoris ecclesiæ in perpetuum peragi debeat, eo quod Capitulo eccl. cum Judicio quinque villarum complacentiam fecit, v. *in IV. reg. num. LXXXIII.*

De Villis Ecclesiæ Lubic.

XXXVII. De villa *Lankow*, quæ divisa est in villam *Johannsfelde* & villam *Honberge*, & de villis *Gemyn* & *Bussow*, quæ donatæ sunt eccl. Lub. in dotem per primum fundatorem, v. *in pr. reg. n. II. & n. CCLXXVIII.* In rubr. de numero villarum pertinentium ad major. collectur. & in præsenti reg. *in pr. rubrica* in principio. In villa *Gemyn* hæreditas & ipsa ædificia sunt ecclesiæ. *in pr. reg. n. CCXXVIII. §.* De *Gemyn* proveniunt. De emptione Judicii quinq; villar., quod Capit. emit a Com. Holsat. cum potestate reemendi tamen quamcunque, scil. *Bussow inferiori* & *Bussow superiori*, *Gemyn*, *Johannsfelde* & *Hamberge* v. *in II. reg. n. CXII.* de simili emptione dicti Judicii ad sexaginta annos inde infra in Rubrica: *de diversis in suis debitis locis neglectis n. VII.* Unam notabilem pronunciationem factam per certos Cons. Civit. *Hamborch* & *Luneborch* super villa *Gemyn*, videlicet quod cives certi, qui tunc ibi curias certas habuerunt, solum tenent illa bona sicut pignus & Hure Guth, & quod servire teneantur capitulo sicut ceteri villani illius villæ & similiter sicut ceteri tenentur & debent pœnas excessuum *in pr. reg. num. LVII.* In villa *Johannisfelde* concordatum est, in ter Capit. & colonos dictæ villæ, quod dicti coloni in nominata villa ac omnibus suis attinentiis usum, utilitatem, & usum fructum habebunt. Canonic. quoque pro censu solvent & decima singulis annis XX. marc. Lubicens. in festo *Martini*, nec ampliorem in posterum debent Canonici exigere censum & coloni habebunt pascua communia cum colonis Capituli in villa *Hamberge* & licentiam secandi ligna exceptis quercinis ad ignis necessitatem. Et si aliquis colonorum bona sua, sive jus hæreditatem, vel commoditatem vendere decrevit, ea venalia primo exhibebit capitulo, quæ si capitulum vel persona de capitulo emere recusaverit, & tunc libere vendere poterit non curiali, non burgensi vel civi, sed tali duntaxat, qui in bonis illis resideat, ut colonus, nec debent mansos aliter dividere vel distinguere, quam modo sunt, nec nova tuguria propria ædificabunt, sine licentia speciali Capituli & in pratis *Hudelwisck* & *Herschewisk* & in prato magno nullum Jus sibi vendicabunt. *in pr. reg. n. CCXVIII.* It. Privil. super villa *Voderrode* v. *in IV. reg. n. XXXIX. XL. XLI. XLII.* It. confess. Com. *Henrici* Holst., quod villa *Viderode* cum omni jure & Judicio superiori, medio & inferiori spectat, ad Decanum & Capit. eccl. Lub. v. *in IV. reg. n. LVIII.* De villa *Dannow* sita in terra *Lutkenborch* in parochia *Nienkerken*, quam emit eccles. Lub. a Dn. *Marquardo* & *Godschalco* fratribus militibus dictis de *Helmenckstorpe*, quæ habet XX. mansos solventes, quinquag. marc. denariorum, cum omnibus libertatibus, excepta *Landtwere*, cum generaliter in terra imminet facienda. *in pr. reg. n. CCXI.* De villa *Poenstorpe* in Parochia *Renssefelde*, quam emit eccl. a *Timone Bockwolde*, quæ habet XIV. mans. solventes, pro censu XXX. marc., cum judicio majori & minori & cum omni libertate excepta *Landtwere. in pr. reg. n. CCXII.* De villa *Danckquerstorp* in Parochia *Susele*, quam Dn. *Papenwulff* miles vendidit Eccl. Lub., cum omni utilitate & libertate & *judicio majori & minori*, exactione seu *precaria* exceptis LANDTWERE & GREVENSCAT *in pr. reg. n. CCXXVII.* De villa *Bowerckendorpe*, quod emit Capit. a *Herm. Worsthomien* cive *Lubic.* cum omni judicio majori, medio & infimo, & cum plena libertate, ita quod ad nulla servitia, exactionis precarias, teneantur, *in IIdo reg. n. XVII. & XVIII.* De villa *Clawestorpe*, quam emit Capit. ab Abbate & conventu monast. in *Reynefelde* cum jure & judicio advocatiæ omniumq; culparum correctorii, ac cum omni temporali utilitate. *in IIdo reg. n. XIX. XX. XXI.* De villa *Düdeschen Nuchele* & VIII. marc. reditibus in villa *Ciretze* donatis per Dn. *Henricum* Episc. fundatorem unius novæ præbendæ incorporatæ *In IIdo reg. n. LIV. LV. LVI. & LVII.* & de ejus judicio in Capit. translato per Episc. *v. n. CCLXXVIII.* De villa *Heckendorpe* sita in terra *Oldenborch* XXX. marc. reditus habente, quam Capit. emit a Dn. *Johanne*, Com. *Holst.* cum Judicio majori & minori in *IIdo reg. n. XCIX* De villa Meynestorpe sita in parochia Uthyn quam emit Capit. a Dn. Johanne Com. Holsat. solvente XX. marcar. reditus cum omni judicio majori & minori & cum omni libertate, collectis, talleis, exactionibus in IIdo reg. n. C. & de emptione XI. marc. redituum in eadem villa *in eod. reg. n. CI.* De villa *Sebente* in parochia *Oldenborch*, quam emit Capit. a *Johanne* & *Adolpho* Comit. *Holst.* XI. mansos habente, quorum quilibet solvit annuatim III. marc. & II. modios hordei & XXVII. denarios,

rios,cum omni judicio ſupremo, medio & infimo, cum omnibus & plenis libertatibus.*in IIdo reg. n. CCLXXXIV.* De villis *Waſſkebuck* it. *Dannow*, quæ prius erant Epiſc.Lub.,ut habetur *in IIdo reg. n. CLII. CLIII.CLIV.CLV.CLVI.* & ceteris aliis bonis,quæ hodie ſpectant adCapit. permutatione facta cum Epiſc. cum ceteris aliis bonis ſive reditibus ſcil. in villa *Bockholte* & *Gammale* & *Sarnekow* & *Eyeſtorpe. in IIdo reg. n. CCLXXVIII. & IVto reg. n. II.* De villa *Wulffenſtorpe* in parochia *Gleſckendorpe*,quam emitDn.Epiſc.Lub.*Henricus* a Dno *Detlevo Haken* milite, & quam teſtam. ſui executores aſſignaverunt pro expeditione certorum ſuorum legatorum,cum quibusdam aliis bonis, videlicet XX. marc. reditibus pro confirmatione chori & XX. marc. reditus pro choralibus, & pro XLVIII. marcis capit. ad ſervitia refectorialia & diverſas memorias,ut habetur *in IIdo reg.n. CL.* poſt inſtrum. publicum teſtamenti dicti Dni *Henrici*,ſub rubrica: *Legatio Dni Hinrici ad memorias* & de hac villa *v. in eod. reg. n. CLI.* In eadem villa ſpectant V. manſi ad Vicar., quam fundavit Dn. *Hinr. Clutze*, quos vendidit idem Dnus *Hinricus* Epiſcopus ſibi, ut habetur *in eod. reg. n. CXLIII.* Et qualiter Dn. *Bertramus* Epiſc. dominium cum precariis & omnia de eadem villa Epiſc. competentia ultra præmiſſa transtulit per mutationem in Capit. vide *in eod. reg. n. CLXXVIII.* De villa *Scharſtorp* & bonis ejusdem, quæ fuerunt *Volcquini Parſowe*, quæ bona emta ſunt ab eodem *Volcquino* pro CCCXXX. marc.Lub., cum omnib. juribus & pertinentiis,tum agris cultis& incultis, &cum omni judicio ſuprem.&infim.manus&colli, & cum jud. intermediis,& habet annuatimXXVII. marc. Lubic. reditus & ſpecialiter in nemore *Hegeholt* dicto, *in IVto reg.n. XII.* Et confirmationem *Adolphi* Com. *Holſ.* vid.*n. XIII. & n.XLV.* & *XLVI.* De villa *Hanſtorpe* ſita in parochia *Oldenborch* cum molendino, & omnibus ſuis pertinentiis,quam emit Capit. a *Joh. Rikebreide*, pro mille & quingentis marcis cum omni judicio ſupremo & infimo manus & colli & omnibus judic. intermediis ac cum plena libertate, ita, quod villani neque principi nec alicui alteri quam Capit. ſervire teneantur. *In IVto reg. n. XLVII.* & de cujus pecun. emta ſit *v. n. LI.* De villa *Brodenſtorpe* in parochia *Grabenitze* ſolvente ſingulis annisLII. marc. reditus,quam emitCapit.pro medietate & aliam medietatem emit Dnus. *Johannes* Epiſc. Lub. cum omni Judicio ſupremo & infimo, & cum plena libertate,*in IIdo reg.n. CCIII. CCV. CCV.* & qualiter diſtribuuntur perCapit. fructus illius medietatis, ad conſolationes & memorias *vid.n. CC*VI. De villa *Qualcke*, ſita in parochia *Oldenborch*,quam emit Capit.,ab *Alberto* de*Crempa* armigero,continente XIII.manſos, de quorum quolibet ſolvuntur annuatim IV. marcæ, cum omni judicio ſupremo & infimo, libertateque ab omnibus oneribus ſervitiis & exactionibus.*In IIdo reg. n. CXXXVIII.* De villa *Nigendorpe* in terra *Gadebuſch* ſita, emta aDn.*Gottfrido de Bulow* per eccl. *Lub.* habente XVI. manſos cum omnibus attinentiis & cum omni libertate & in tertia parte Judicii colli & manus; & confirm. *Johannis* Domni Megap. vid. *in pr. reg.n. LXXIII.* De villa *Bogel.low*,quam emit eccl. a *Henrico* &*Alberto* Dominis Magnip., exceptis VII. manſis feudalibus cum judicio minori, & tertia parte Jud. colli & manus cum aliqua libertatione, non tamen plena. *In Imo reg. n. CXXX.CXXXI. CXXXII.* De illis ſeptem manſis except.,v. *in eod. reg. n. CCXLV.* De villa *Scornow* in parochia *Ecklenbarge* Swer. diœc. habente XXVI. manſos, quorum quilibet ſolvit III. marc. *Sclavicules* cum dimidia, quam emit eccleſ. a Dn. *Joh. de Cernyn* milite,cum plena libertate a collectis, exactionibus precar. & ſervitiis, & poſſunt Canonici ibi ponere proprium advocatum. *In Imo reg. n CCLXII.* & *in IIdo reg. n. XXX.* & *XXXVII.*De villa *Hungenbecke*,quam emit Capit. a quibusdam militaribus terræ Magnip., quæ habet XVII. manſos ſolventes LIV. marcas *Slavicalis* monetæ cum omnibus libertatibus ab omni onere exactionis & ab omni onere immunem; Habet capit. poteſtatem advocatum ibi ponendi, qui omnes cauſas judicabit & puniet, quarum pœna LX. ſolid. non tranſcendit. *in ſec. reg. n. XCVII.* & *XCI.* De villaVere in *Pole*,in qua plenam libertationem *Hinricus* Magnipol. Princeps Dnus contulit eccl.Lub.*In Imo reg. n.*XXIII. Et illius libertatis confirm. vid. *in eod. reg. n.* XXIV. & ib. habetur, quod poſſunt ibi Canonici proprium adv. ponere,& adhuc aliam confirmat. & plenam omniam illorum, v. *in eod. reg. n. CCXV.* De villis *Vorwerck* & *Malchow* in *Pole*, quas emit Capit. Lub. ab Abbate *in Cismar* v. *in ſec. reg. n.II. III. IV.* & *VII.* De villa *Sedorp* in terra *Darſſow*,in qua Dux *Johannes* Magnipol. contulit eccl. Lubic. plenam libertationem ab omni exactione& a cenſu porcorum a petitionibus & exactionibus cum tertia parte Judic. manus & colli *in Imo reg. n.* XXII. De villa *Johannisdorpe* in terra *Darſſow*,in qua idemDux *Magnipol.*plenam libertationem ab omni exactione & tertiam partem Judic. manus & colli eccl. Lub. contulit. *in Imo reg.n. XVIII.* De villa Capituli *Benckendorpe*, in qua *Henricus* Magnipol.Dominus remiſit eccleſiæ omne ſervitium, quod ibi hactenus facere conſueverunt vulgariter *Burwerck in Imo reg. n. CCLX.* De villa *Dudenſtume* in parochia*Biendorp* Ratzeb.diœceſis,quam Capit. emit a Do. *Henr. Rambow* milite, quæ habet XII. manſos, ſolventis ſingulis annis XXX. marc. *Slavicalis* monetæ, cum omni libertate & poteſtate ponendi ibi advocatum,qui omnes cauſas judicabit & puniet, quarum pœna LX. ſolidos non tranſcendit. *In IIdo reg.n. XXXVIII.* De villa *Gerſtenkamp* v.*in Imo reg. n. CXXVI.* ubi habetur *de præbenda Hildemari.*De villa *Rammeſſow* quam emit eccl. Lub. a Dno *Joh. Bromele*, continente XX. manſos, ſita in terra Uthin cum omni libertate & judicio majori & minori. *In Imo reg.n. CXXVIII.* & *CXXXIII.* De villis *Prececow*, *Carbow*, in provinc. *Guton*, quas Dnus. *Barnym* Dux *Pomeran.*, dedit Eccl. Lubic. in recompenſationem villæ *Bretzone in Imo reg.n. XIV.* de decima in eisdem villis, quam Epiſc. *Caminenſ.* contulit Eccl. Lub. *in Imo reg. n.* XX. & *XCIII.* De libertatione villarum illarum ab omni ſervitio, & de judicio mortis,ſanguinis & minori judicio eccleſiæ Lubic. collato, & de terminis dictarum villarum. *In Imo reg. n. LXX.*

De manſis Eccl Lubic. & privilegiis omni.ſuper illis.

XXXVIII. De duobus manſis,quos Capit. emit in villa *Puſſow*,ſita in terra *Oldenborch*,liberos ab

omnibus oneribus a Dn. *Johanne* & *Gerardo* Comitibus *Holſ.* & cum Judicio majori & minori, *in Imo reg. n. LXXXVIII.* It. de ſex manſis in eadem villa, v. *in eod. reg. n. LXXXI* & *LXXXII.* de quibus Vicar. altaris Sti *Bartholomæi* in eccl. b. Virginis habebit annuat. ſex mar. & expenſas in dote b. Virg. cum plebano, ut ibidem patet. De ſex manſis, quos emit Capit. a Dno *Gerardo* Com. *Holſ.* in villa *Gertzeke*, in terra *Oldenborch*, cum hæreditate & omni jure, judicio colli & manus, libertatis ab omni exactione, *in Imo reg. n. CXL.* De V. manſis in villa *Clenow* ſita in terra *Oldenborch*, quos emit Capit. a *Gerardo* & *Johanne*, Comitib. *Holſat.*, cum omni utilitate & libertate, cum judicio majori & minori libertatis ab omni exactione exceptis *Landwere* & *Grevenſchat*, *in Imo reg. n. CCLXXI.* It. de tribus manſis, quos emit Eccleſ. ab eisdem Dnis, in eadem cum eisdem conditionibus. *In Ildo reg. n. LX.* De duobus manſis, quos emit Capit. in villa *Timmendorp* in parochia *Ratekow* a *Gerardo* Com. *Holſ.* excepto Judic. mortis, ſanguinis, *Landwere Bruchwerck* & *Grevenſchat*, *in pr. reg. n. CCXXXVI.* de ſex manſis cum dimidio in villa *Gerwitze* in parochia *Lutkeborch* ſolventibus XVIII. m. annuatim, quos emit Capit. a Dn. *Godfrido de Gutow* milite, libertatis ab omnibus ſervitiis collectis talliis *in Ildo reg. n. CLXIV.* De V. manſis in villa *Gogelow* ſita prope *Wismariam*, quos emit Capit. a *Nicolao* dicto *de Gogelow* cum omni libertate, cum judicio minori usque ad XXIV. ſolid. monetæ *Slavicalis*, *in Ildo reg. n. XCVIII.* De tribus manſis in *Eminge*, quos contulerunt Eccl. *Lubic. Hartwicus* & *Henricus* Fratres de *Reventlowen* milites, pro ſalute animæ fratris ipſorum Iwani in Eccleſ. Lubic. ſepulti, in *Imo reg. n. LXVI.* De manſo uno in *Vilekyke* quem *Henricus* del Sernlo contulit eccl. Lubic. cum plena libertate ab omni exactione cum omni jure, ſcil. cenſu, decima & Judicio pro memoria ſua & uxoris ſuæ *in Imo reg. n. CXXII.* It. idem *Henricus* contulit dimidium manſ. in villa *Vorckmyle* ſub eodem modo *in Imo reg. n. XXXVII.* De uno manſo ſito in villa *Hollander Meyneſtorp* empto per Capit. a Dn. *Cæcilia* uxore *Henr. Hoykendorps in Ildo reg. n. CXVIII.* De cenſu V. meſar. avenæ exquiſitæ & electæ, quem emit Capit. in villa *Lubatze* a Dn. *Bartholdo de Rennow* milite *in Imo reg. n. CXVIII.* Recognitionem ſuper ſtagno & Anſchot prope villam *Dachmerſtorp* pertinente Eccl. & confirmationem Dni *Johannis* Com. *Holſ.* ſuper eidem *v. in Ildo reg. n. CLXVIII.* & *CLXIX.*

De Molendinis Eccl. Lub. & privilegiis

XXXIX. *Adolphus* Comes de *Schowenborch* aſſignavit Canon. Lubic. decimationem molendinorum in Lubeck *in Imo reg. n. X.* De qua decima recipiunt Canonici de duobus molendinis in *Lubeck*, certam annonam in quinque anni temporibus, videlicet in converſione *S. Pauli* XII. modios tritici XVI. modios braſii hordeacii, XX. modios ſiliginis, item in die *Ambroſii* totidem; in die *Viti* totidem. In die *Ægidii* totidem; in die *Martini* totidem. Hanc annonam, quam redimi permittunt, pro XVIII. marc. computant. *In Imo reg. n. CLXXXVIII. §. de duobus molendinis.* De medietate molendini in Vicenſe, quam contulit *Bonus Barbinus* Princeps *Magnipol.* eccl. *Lubic.* pro ſalute animæ ſuæ *in Imo reg. n. XXIV.* De molendino in *Seedorpe*, cujus medietatem *Albertus* Comes *Holſ.* contulit eccl. *Lubic.* ad illam medietatem, quæ jam eccleſ. erat ab antiquo *in Imo reg. n. XXXII.* De molendino præmia, ad quod præſens ita libere molent cives Lubic., ſicut in molendino proprio, civitate non obſtante, quod generaliter mandatum ſit civibus *Lubic.*, per Rectores civitatis, de communi voluntate, ne alicui civium liceat alibi molere, quam in molendinis civitatis *in Imo reg. n. CXXXVI.*

De decimis Canonicis debitis.

XL. Concordatum eſt inter Canonicos & Conſules de villa *Padelach*, *Droyen*, *Vorwercke*, quod de ſingulis manſis, de quibus Conſules ipſi partem vel totum acceperunt, dabunt Canon. VIII. ſolid. de dimidio manſo IV. ſolid. de quarta parte manſi II. ſol. & quicquid fuerit ibi inculcum, colonis locare ſtudebunt cum omni diligentia colendum. It. de jugeribus extra portam urbis & trans *Travenam* & portam *Holſatorum* ſituatis, de quolibet jugere ſeminando, pro decima ſolvent XX. ſol. annuatim, item de villis *Viſcento* & *Nigendorpe* & aliis villis conſtructum vel conſtruendum inter terminos civitatis, de quolibet manſo, de quo ipſi Conſules cenſum perceperint, in toto vel in parte VIII. ſol. ſolvent, pro dimidio manſo IV. ſol. de quarta parte II. ſolid. dabunt medietatem in Feſto *Andreæ* & medietatem in Feſto *purificationis b. Virginis*, vide plenius. *in Imo reg. n. XXXI.* & *n LXXXIII. LXXXVII.* De decima in terra *Oldenborch* Canon. debita, vide *in Imo reg. n. LXXVI.* ut ſcil. de quolibet manſo ſolvantur IV. modii puri ſiliginis, & talis, qualis pro cenſu ſolvi ſolet, vid. ibi plenius & ſignanter dicitur ibi, *quod ſi agros incultos quandoque dimittant agricolæ hoc eos a præſtatione decimæ non poterit excuſare, & eſt concordia* quædam hinc inde cum *Johanne* & *Gerardo* Com. *Holſ.* in perpetuum duratura & reſpicit declarationem privil., quod habetur *in eod. reg. Imo n. II.* Ubi decimatio totius provinciæ in *Oldenborch* per fundatorem eccl. Canon. tribuitur, cum certis aliis decimationibus, ubi enumeratur. Confirmatio Papalis ſuper decimis limitatur & aliis Epiſc eccleſ. Lub. debitis *in Imo reg. n. CLXXIX.* Dn. Abbas in *Reynefelde* ſingulis annis ſolvere tenetur Canonicis infra octavas *Sti Martini*, ſine difficultate intra civitatem tres meſas & dimidium electæ ſiliginis in conbambium & recompenſationem pro tertia dimidia meſa ſiliginis & una avenæ, quæ Canonicis debebatur ſingulis annis pro decima de villis *Weſenbarge* & *Glynt*. *In Imo reg. n. CL.* Privil. recognitionis, quod dec. agraria villæ *Ureſeneborg*, pertinet ad Capit Lubic. *in Ildo reg. n. CLXXIII.* Decima Panalis tempore *Clementis* Papæ in diœceſi *Lubic.* data & collecta fuit, & quantum tunc ſinguli Prælati, Canonici & alii beneficiati ſolvebant, vide *in Ildo reg. n. CXXII.*

De certis annuis cenſibus Canonicis debitis.

XLI. Oppidum *Lütkenborch* tenetur ſolvere ſingulis annis Canonic. Lubic. in Feſto *Sti Martini*, vel ſaltem in Feſto *b. Thomæ*, XVIII. marc. denariorum *Lubic.* expedite, ſine cujuslibet contradictionis ſcrupulo in recompenſum per Canonicos ad uſum oppidanorum, tradita eſt villa *Bynedorp*, eorundem territorio continua, & ſi rebelles aut negligentes in ſolvendo fuerint, poterit ſtatim oppidum illorum interdicti ſententia perpelli, *in Imo reg.*

reg. n. CXLVII. & VIII. De sex marc. reditus, quos assignavit Dn. *Henricus* Episcopus pro memoria Domini *Johannis de Tralow* antecessoris sui in villa *Lukebuske* in terra *Oldenborch*, *in secund. reg. num. LXXVII.* De XXIV. marcis reditus emptis a Domino *Borchardo* Episcopo in villa *Eckerdestorp in secund. reg. num. CXIII.* De II. marcis reditus in villa *Gennyn* in curia *Lubberti Bulow* ad memoriam *Conradi Campsoris*, quæ est in profesto *Marthæ in secundo reg. n. CCLIV.* Vicarius vicariæ, quam fundavit Magister *Hermannus Vos* Canonicus *Lubicensis* in capella *Sancti Georgii* extra murum *Hamburgensem* dotatæ cum LX. marcis, solvere tenetur omni anno in anniversario ejusdem Magistri *Hermanni* Canonicis & Vicariis in Eccl. *Lubic.* pro memoria sua ibid. per agenda sex marcas *Lubic.*, vide copiam literæ *in IV. reg. circa finem n. LXXXVIII.* De quibus arcis infra murum Civit. Lubic. annuatim census solvitur & quantum de qualibet arca vide *in pr. reg. n. CCLXI.*

De privilegiis salinam Luneburgensem in communi respicientibus.

XLII. Contentio inter Dominos *Brunsuicenses* & eorum successores ex una & inter multas eccl. & monasteria partibus ex altera, quod nunquam permittitur fieri, fodi vel exstrui, novus puteus salis sive salina infra civitatem *Luneburgensem* vel etiam extra in dominio *Luneburgensi* pro quo data est magna pecunia, vide *in pr. reg. n. CLX.* Confirmationem Papæ super eodem vide *in eod. reg. n. CLXI.* Privilegium *Bonifacii* Papæ continens concordiam inter ecclesiam *Lubic.* & Consules *Luneburgenses*, quod aquæ salinares novi fontis debeant fideliter distribui, in augmentum redituum antiquæ salinæ. Item quod non debent dicti Consules effodere vel facere novam salinam, intra vel extra oppidum Luneburgense sine pleno consensu omnium, quorum interest, & omnia bona salinaria dicti capituli *Lubic.* debent esse vel manere libera, ab oneribus communibus dicti oppidi, quæ tunc libera fuerunt, quam juraverunt dicti Proconsules & Consules pro se & successoribus eorum sacro sanctis Evangeliis tactis in præsentia procuratorum, prædicti Capituli *Lubicensis*; promittentes per corporale Juramentum; quod bona & reditus salinares ad ecclesiam *Lubic.* & personas ejusdem conjunctim & divisim pertinentes seu pertinentia nullo unquam tempore, quacunque occasione, necessitate vel causa volunt aut debeant, invadere, occupare, detinere, pejorare, vel impedire, aut gravare quovis modo vel ingenio publice vel occulte, sed quod volunt in omni jure & libertate absque dolo ea manutenere & defendere juxta omnem ipsorum possibilitatem, & quod volunt dictos dominos permittere redditibus salinaribus, universis & singulis fructibus & obventionibus gaudere integre, libere, pacifice, & quiete, & quod neminem volunt recipere ad consulatum, nisi sit receptum id ipsum, corporali suo juramento firmet & simile præstet juramentum. Subjicientes Jurisdictioni & cohibitioni ac censuræ Conservatoris & Sub-Conservatoris dictorum Dominorum, præpositi, Decani & Capitali Lubicens. vide *plenius in IV. reg. n. VI.* Privilegium Ducis *Brunsuicensis* datum ecclesiis *Lubicensi*, *Doberanensi*, & *Reyefeldensi*, de nunquam vendendo flumine aut aliquid attollendum.

de bonis eorum salinaribus *in pr. reg. n. CLXVII.* Executoriales literas ejusdem Domini *Bonifacii* super dicta sua confirmatione concordiæ, de qua statim supra *in eod. reg. num. VII.* Compositio quædam inter Capitulum *Lubicense* & Consules *Luneborgenses*, super certis articulis libertatem salinæ concernentibus & inter cetera habetur, quod magister putei ad utilitatem putei solum ad valorem mille marcarum & nequaquam ultra de salina habere debet & continet modum dividendi aquam salinæ. Item quod magister putei omni anno semel prælatis computationem facere debeat, & quod esse debet liber ab omnibus consulatus; *in eodem quarto reg. num. VIII.* Privilegium Ducum *Luneburgensium Wenceslai, Alberti & Bernhardi* super libertate novæ salinæ inventæ seu in futuris inveniendæ, intra vel extra oppidum Luneborgense, quod illa ducere possunt ad antiquam salinam ad augmentum fructuum ejus *in IV to reg. num. IX.* & ibi vide plenius.

De sartaginibus in salina Luneburgensi pro eccl. Lub., hujusque privileg.

XLIII De sartagine *Wechpamie* sita versus aquilonem in dono *Volquardinge* donata ecclesiæ Lubicensi per *Theobaldum* Canonicum Lubicensem, *in pr. reg. n. XV.* de eadem sartagine habetur etiam *in eod. reg. n. XVII. & XCVIII.* De sartagine in domo *Meltinge*, quam emit Ecclesia Lubicensis a Domino *Helmoldo* milite *in pr. reg. n. XCVI.* De sartagine, quam per viam Cambii sine cujusdam permutationis habet ecclesia in domo *Meltinge* ab *Ottone Groten* & *Wanero* fratre ejus pro villa *Primenart in pr. reg. n. XCVII.* Dabunt Canonici de ista sartagine in anniversario Ducis *Henrici* fundatoris III. marcas pro panibus pauperibus distribuendis, vide *in pr. reg. num. CCXXXVI.* Et de oneribus ad quæ tenetur Canonici ratione illius sartaginis, ad quæ tenebantur prius ratione villæ *Primenard. vid. in pr. reg. num. II.* Ubi habetur de villa ista. De sartagine *Wechpanne* in domo *Bordinge* versus domum *Wolterstinge*, quam emit Capitulum a quodam *Carolo* Burgensi in *Brunswick*, *in pr. reg. n. CXLI. & CXLII.* De sartagine in domo *Bordinge*, quam *Sigfridus de Bochholm* civis Lubicensis contulit ecclesiæ *in pr. reg. n. XC.* De uno dominio in domo *Clutange* superiori in sartagine *Weichpanne* ad dextram manum, cum dicta domus intratur, p. magistrum *Theodoricum Bromsen*, præpositum in *Medingen*, pro salute animæ suæ, parentum suorum in augmentum redituum salinarum præbendarum, sic quod reditus ejus inter Canonicos, sicut alii reditus salinares distribuantur, *in IV. reg. n. XVII.*

De choris salis Eccl. Lub. in Salina Luneburgensi & privilegiis huc facientibus.

XLIV. De duobus choris salis, uno sito in domo *Boninge* ad dextram manum, cum itur in ipsam domum in sartagine, quæ *Wechpanne* vocatur; Altero sito in domo *Wolquardi* juxta *Boninge* etiam ad dextram manum, cum itur ad ipsam domum in sartagine, quæ dicitur *Wechpanne*, similiter, quos choros emit Capitulum a Domino *Hildemaro* Lubicensi Canonico qui eos emerat a Domino *Johanne de Thune*, milite *in primo reg. num. CC.* De choro salis in sartagine *Junocpanne*, quæ sita est in domo *Beverdinge* ad sinistram manum, cum in domum eandem itur, quam emit ecclesia a Domino

mino *Weinaldo de Elforpe* milite, *in primo regiſt. num. CCXXXIX.* De tribus choris ſalis uno in tota domo, quæ *Guttinge* nuncupatur, in eadem domo, dimidius chorus item in domo *Ludolffinge* ad ſiniſtram manum introitus in ſartagine *Junopanne*, dimidius chorus, item in eadem domo Ludolffinge ad ſiniſtram introitus in ſartagine *Wechpanne* dimidius chorus. Item in eadem domo *Ludolffinge* ad dextram introitus dimidius chorus ſitus in ſartagine *Wechpanne*, quos tres choros Dominus *Hermannus de Morn* Lubicenſi eccleſiæ contulit. *In primo reg. num. CXXXIV.* De quatuor choris, quorum tres ſunt de domo *Bervoedinge* & unus de domo *Minſinge* emptis per capitulum a Domino *Ottone* Duce de Brunſwick & Luneborch. *In pr. reg. num. CCXLII.* De tribus choris ſalis in domo *Detbmeringe* & *Brockbuſen* quolibet flumine tollendis, quos emit eccleſia Lubicenſis ab eodem Domino *Ottone* Duce de Brunſwick & Luneborch *in pr. reg. n. CCXLIII.* De tribus choris ſalis in quolibet flumine exhibendis de quatuor ſartaginibus ſalis in domo *Hannover*, quos emit capitulum ab eodem Domino Ottone Duce de Brunswick & Luneborch, *in pr. reg. num. CCXLVII.* De uno choro & dimidio ſito in domo *Ebſinge* ad ſiniſtram manum, cum domus intratur in ſartagine *Wechpanne*, quam emit Dominus *Ludolphus de Eſtorpe* Canonicus ad utilitatem eccleſiæ Lubicenſis ab Abbate in *Schirbecke*. *In pr. reg. num. CCXLVII.* De choro uno ſalis collato capitulo per Dominum *Johannem Reſen* conſulem *Luneburgenſem* ad lumina diei panis & pro memoria ſua unum ſcilicet dimidium chorum de tota domo *Eninge*, de quatuor ſartaginibus ibidem poſitis & alterum dimidium chorum de tota domo *Volquardinge* inferiori *in quart. num. LVI.* De uno dimidio choro ſalis dato eccleſiæ per *Theodoricum Bromſen* pro memoria ſua ſequente die poſt *Epiphaniæ* peragenda, ſita in tota domo *Berninge* in quatuor ſartaginibus *in ſec. reg. num. CCVII. & CCVIII.* De uno plauſtro ſalis in domo *Ebſinge* ad ſiniſtram manum, cum domus intratur in ſartagine *Wechpanne*, empto a Domino *Alberto* dicto de Luneborch, milite *in pr. reg. num. CCV.* De denariis cuilibet dandis, de ſalina poſt nativitatem Domini ſingulis annis immediate quinque Sabbathis, quolibet Sabbatho quinque talenta novorum uſualium nummorum, quos emit eccleſia a quodam *Johanne de Bergen*. *In pr. reg. num. CCXLI.* De una marca, quam habet annuatim Capitulum in domo, quæ *Siſterdinge* dicitur, in ſartagine fratris *de Serkem* diſtribuendam in nocte animarum, quam contulit Dominus *Wilkinus de Molendino*, Canonicus Lubicenſis *in pr. reg. num. CXV.* De cenſu XXIV. ſolidorum in domo *Eginge* commutatis pro uno manſo in villa *Neoeſſe*, *in quart. reg. num. X. & XI.*

De Vicariis in Eccleſia Lubicenſi.

XLV. Prima Vicaria in Eccleſia, quam conferre habet Dominus *Præpoſitus Lubicenſis*, habet in *Pole* duos manſos, de quibus proveniunt V. tremodia hordei & VII. tremodia avenæ pro decima & ſervitio, hæreditas eſt ruſticorum; item de villa *Stolpe* in Parochia *Krempa* proveniunt XXX. modii avenæ pro cenſu & XXX. modii avenæ pro decima. Item in *Robele* habet medietatem decimæ agragriæ, item juxta Capellam *beati Johannis* in arena ſunt tres domus, quæ ſpectat ad iſtam Vicariam; item juxta *Klingenberg* habentur tres arcæ, de una proveniunt annuatim VIII. ſolid. de aliis duabus II. ſolid. Oblationes ad manus *Vicarii* hujus provenientes ſibi relinquuntur; alia non reperiuntur de hac vicaria in regiſtris, vid. *in prim. reg. num. CLXXXVIII.* ſub rubrica: *hæc ſunt ſtatuta, quæ legentur §.* Hi ſunt proventus vicariæ primæ. Dominus *Henricus Vullenpunt* Conſul fundavit duas Vicarias in capella magna intra librariam, quæ habent proventus conjunctim in Epiſcopatu *Ratzeburgenſi*; habent duas villas ſcilicet *Warnekow* & *Baleyſe*: *Baleyſe* ſunt XII. manſi, de quibus proveniunt XVIII. talenta ſiliginis, & XII. talenta hordei pro cenſu & ſervitio & proveniunt XL. pulli & linum, in *Warnekow* ſunt X. manſi, de quibus annuatim proveniunt XVI. talenta ſiliginis VII. modiis minus, & IX. talenta hordei & XL. ſolid. pecuniæ pro cenſu de qualibet domo. Pulli & linum & decima innovata, hæreditas eſt ruſticorum, Judicium eſt *Vicariorum* ſcilicet in cauſis, Capitalibus, duæ partes ſpectant ad dominum terræ tertia ad Vicarios; item in *Pole* prope eccleſiam habent duos manſos, hæreditas eorum libera Vicariorum, de quibus proveniunt IX. talenta hordei, item III. talenta ſiliginis, XII. talenta avenæ loco cenſus & decimæ; Item habent pro decima unius manſi in *Pole* III. tremodia hordei & avenæ; ſacerdotales ſunt, collatio ſpectat *ad Capitulum*. Tenentur *Vicarii* earum in die dedicationis capellæ, ſcilicet proxima dominica *poſt aſcenſionem Domini* ſingulis annis refectoriale præſtare ſervitium & ad tenendis ſingulis noctibus duas lampades ardentes, & tenentur celebrare quotidie poſt offertorium parochialium miſſæ; tenentur inſuper cuilibet de *Canonicis* volenti celebrare ad ipſorum altaria omnia ad celebrandum neceſſaria exhibere, vide *in pr. reg. num. XXVIII. & CXXXVIII.* ſub rubrica: *hæc ſunt ſtatuta, quæ legentur §. Himricus dictus Vulpunt. LXXXVII. & LXXV.* Dominus *Fridericus Stultus* alias *Dumme* miles fundavit unam *Vicariam* in capella ſuperiori, in latere auſtrali, quam fundavit cum media ſartagine in ſalina *Luneburgenſi* in domo *Volquardingo*, celebrabit poſt offertorium ſacerdotis ſub turri vide *in primo reg. num. CLXXI.* Hodie hæc Vicaria incorporata eſt menſæ Epiſcopali, ut habetur *in reg. Epiſcopi.* Dominus *Fridericus Bardewick* Decanus Lubicenſis fundavit duas *Vicarias*, quæ habent ſuos reditus conjunctim, & dotatæ ſunt cum villa, quæ appellatur *Chriſtone*, quæ habet IX. manſos, quorum quilibet ſolvit IX. modios ſiliginis ſingulis annis, & IX. modios hordei pro cenſu, & de quinque manſis colligunt decimam agrariam & ſolvuntur de iisdem V. manſis, pulli, linum & X. nummaria; In judicium villæ eſt *Vicariorum*. It. in *Pole* in Villa, quæ Vere dicitur, habent hæredita-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ditatem V. manſorum, quarta minus de his recipiunt annuatim IV. tremodia ſiliginis, octo tremodia hordei, & XII. tremodia avenæ, & habent *facultatem locandi* hujusmodi hæreditatem, cum *placuerit*, pro *ampliori*. Item habent in Luneborch unum chorum ſalis & unum plauſtrum & duas marcas, Jus patronatus ſpectat ad Epiſcopum, vide *in pr. reg. n. CCXL.* In rubrica: *Hæc ſunt ſtatuta, quæ legentur.* §. *Fridericus olim hujus eccleſiæ* &c. De bonis vide literas *in eodem reg. n. VI. cum ſequ. usque adn. CXIII.* incluſive. Harum vicariarum una verſa eſt poſtea in præbendam minorem, dictam *Chriſtianam*, jus habet optandi ſtipendium majus & de aliis conditionibus ejus vide ſupra in præſenti reg. ſub rubrica: *de diſtinctis præbendis*. Domini *Segebade* Præpoſitus & *Egehardus* fratres dicti *Schacken* fundaverunt unam vicariam, quam dotaverunt cum una ſartagine, in domo Cluninge ſubtracto uno plauſtro ſalis; tenetur Canonicis XIII. Febr. III. marcas pro memoria dicti Domini *Præpoſiti* vide *in pr. reg. n CLXXXVIII.* ſub rubrica: *hæc ſunt ſtatuta, quæ legentur* §. *alia Vicaria* & num. XX. Hæc vicaria verſa fuit in præbendam minorem dictam ſalinarem: hodie tamen reincorporata eſt pro menſa Epiſcopali: Epiſcopus tamen tenetur tenere presbyterum, qui tenetur ad chorum & ad divinum officium, ſicut tenebatur Vicarius, qui presbyter habebit præſentias chori cum Vicariis; & plenius habetur *in pr. reg. n. CCXL.* §. *Cæterum memoriale* & §. *obventiones*. Item Domini *Segebade* Præpoſitus & frater ejus *Egghardus* fundaverunt duas Vicarias ſub umbone, unam earum dotaverunt cum duobus manſis in villa *Suſſow* in terra *Oldenborch*, de quibus proveniunt VIII. marcæ. Item cum uno manſo in villa *Gobecke*, de qua proveniunt IV. marcæ, aliam dotaverunt cum quarta parte villæ *Rewegkeſtorpe*, addiderunt etiam utrique alia certa bona vide *in primo reg. num. CLXXXVIII.* ſub rubrica: *hæ ſunt ſtatuta; quæ legentur.* §. Item *dico Vicarii* & §. alius *ſub umbone*. Sacerdotales ſunt & ad reſidentiam tenentur *in eod. reg. n. CXX.* & *CXXI.*; collatio ſpectat ad Capitulum, ut habetur in *eod. reg. n. CXC.* §. per anni circulum & *n. CXX.* Item iidem fratres fundaverunt & quartam Vicariam, quam dotaverunt cum villa *Rewegſtorp*, ut habetur *in pr. reg. num. CLXXXVIII.* ſub rubrica: *hæc ſunt ſtatuta, quæ leguntur* §. *Segebalde*. Collatio ſpectat ad Capitulum *Lubicenſe*, ut patet in locis proximis allegatis, ubi fit mentio *de quatuor vicariis*. Dom. *Hinricus de Luckholte* Scholaſticus eccleſiæ *Lub.* fundavit unam *Vicariam*, quam dotavit cum uno choro ſalis in ſalina *Luneburgenſi*, ſacerdotalis eſt. Jus collationis ſpectat ad *Scholaſticum Lubicenſ.* perpetue. *In pr. reg. n. CCXIX.* literas ſuper choro ſalis vide *in eod. reg. n. CCLIV. CCLV.* & *CCLVI.* *Gotſchalcus* filius *Wilhelmi Wasburgis* fundavit unam *Vicariam*, quam dotavit cum duobus manſis in villa *Genite* ſolventibus ſingulis annis VIII. marcas, & duobus manſis in villa *Gozeke* ſolventibus ſimiliter VIII. marcas; ſacerdotalis eſt, Proviſio dictæ Vicariæ ad *Decanum* eccl. *Lubicenſis* cum diſcuſſione Capituli, perpetuo pertinebit. *In pr. reg. n. CCXXI.* Dom. *Jacobus* Rector in *Oldenborch* fundavit unam Vicariam in honorem *S. Jacobi*, quam dotavit cum duobus choris ſalis in Salina *Luneburgenſi*; ſacerdotalis eſt, dabit ſingulis annis unam marcam ad tenendam perpetue unam lampedam ante altare, juxta quod ſepultus eſt. Collatio ſpectat ad Epiſcopum & Capitulum alternatis vicibus. *In pr. reg. n. CCXXII.* Incorporata eſt pro integro in Theologia. Dominus *Gerhardus Czegenwange* presbyter fundavit unam *Vicariam*, quam dotavit cum CCC. marcis *Lubicenſ.*, cum quibus empti ſunt reditus in villis *Megneſtorp*, *Hamkendorp*; Jus Patronatus ſpectat ad Decanum, *in pr. reg. num. CCLXII. & CCLXIX.* Dominus *Nicolaus* Decan. eccl. *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum tribus manſis & dimidio in villa *Clenow* XIV. marcas ſolventibus & cum VI. marcis in *Salina Luneb.* ſacerdotalis eſt, Jus Patronatus ſpectat ad *Decanum. In pr. reg. n. CXCV.* Item Dom. *Nicolaus* fundavit unam aliam vicariam in honorem ſalvatoris, quam dotavit cum CC. marcis & L. manſis. Jus Patron. ſpectat ad Decanum, vid. *ibidem ut ſtatim ſupra.* De bonis Domini *Alexandri Simonis* Conſulis *Lubicenſis* fundata eſt una Vicaria, quæ dotata eſt cum villa *Iwendorpe* & II. marcis & V. ſolidis in villa *Crumbecke*. Jus Patronatus ſpectat ad *Decanum & Capitulum. In ſecund. reg. n.* XXVII. & *tribus ſequentibus*. Dom. *Henricus* Epiſcopus *Lubic.* fundavit unam Vicariam in honorem *S. Mauritii*, quam dotavit cum XXIV. marcis in villa *Padeluche* in terra *Oldenborch*, ſolvit Canonicis IV. marc. Jus Patronat. cum judicio & dominio bonorum ſpectat ad Epiſcopum *Lubicenſem*; ſacerdotalis eſt ſingulis diebus celebrabit & ſemel in ſeptimana pro defunctis *in ſec. reg. n. LI.* Dominus *Himricus* Epiſcopus *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum XXIV. marcarum reditibus percipiendis in villa *Suweſtorpe* ſita in terra *Oldenborgenſi*, Jus Patronatus cum judicio & dominio bonorum ejus ſpectat ad Epiſcopum *Lubicenſem*; ſacerdotalis eſt, ſingulis diebus celebrabit & ſemel in ſeptimana pro defunctis. *In ſec. reg. n. XXXV.* Dominus *Henricus* Epiſcopus *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam in honorem *beati Pauli* Apoſtoli, quam dotavit cum XXV. marcarum reditibus in oppido *Lütkenborch*, ſolvit Canonicis *Martini* IV. marcas; Jus Patronatus ſpectat ad Epiſcopum Lubicenſem, ſacerdotalis eſt, ſingulis diebus celebrabit, & ſemel in ſeptimana pro defunctis. *In ſec. reg. n. LII.* Dominus *Himricus* Epiſcopus *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam in honorem *beatæ Mariæ Magdalenæ* quam dotavit cum XXII. marcarum reditibus in *Padelache & Suweſtorpe*, ſolvit Canonicis IV. marcas Martini, Jus Patronatus cum judicio & dominio bonorum ſpectat ad Epiſcopum; ſacerdotalis eſt, ſingulis diebus celebrabit & ſemel in ſeptimana pro defunctis, *in ſec. reg. n. LII.* Dominus *Himricus* Epiſcopus *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam in honorem *Sanct. Philippi & Jacobi Apoſtolorum*, quam dotavit cum XXIV. marcarum reditibus in villa *Bollbrugga* in terra *Oldenborch*, Jus Patronatus cum judicio & dominio bonorum ſpectat ad Epiſcopum *Lubicenſem*, ſacerdotalis eſt, ſingulis diebus celebrabit & ſemel in ſeptimana pro defunctis: *In ſec. reg. num. LXIX.* Dominus *Himricus* Epiſcopus *Lubicenſis*

fundavit unam Vicariam in honorem *ſanctorum Auguſtini & Gregorii*, quam dotavit cum XXIV. marcarum reditibus de villa *Satelen* in terra *Oldenborch*, parochiæ *Nienkerken*, dabit Canonicis & Vicariis IV. marcas *Martini*, Jus Patronatus cum judicio & dominio bonorum ſpectat ad Epiſcopum *Lubicenſem*, ſacerdotalis eſt, celebrabit ſingulis diebus ſemel in ſeptimana pro defunctis. *In ſec. reg. n. CII.* Domini *Segebade* Præpoſitus & *Eggerhardus* fratres dicti *Schacken* fundaverunt unam Vicariam, quam dotaverunt cum uno choro ſalis & certis aliis bonis, & habet propriam domunculam & translata eſt ad Capellum Hacken; Jus Patronatus ſpectat ad Capitulum. *In ſec. reg. n. CXLVI. CXLVII. CXLVIII.* De bonis Magiſtri *Johannis Bulen*, Theſaurarii eccleſiæ *Lubicenſis* fundata eſt una Vicaria, quæ dotata eſt cum XIX. marcarum reditibus in villa *Cleve* in Parochia *Renſefelde* & ſolvet *Martini* IV. marcas, ſacerdotalis eſt, nec ſimul cum dicta Vicaria valet Vicariis aliud quodcunque beneficium retinere. Jus Patronatus ſpectat ad Theſaurarium eccleſiæ Lubicenſis. *in ſec. reg. n. XLV.* Copiam literæ ſuper villam Cleve, *vid. in eod. reg. n. LXVII.* Dominus *Johannes de Puteo* Canonicus eccleſiæ *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam in honorem *S. Annæ*, quam dotavit cum VII. manſis & dimidio in villa *Stromckendorpe*, ſolvet Canonicis IV. marcas Martini; ſacerdotalis eſt, Jus Patronatus ſpectat ad Decanum & Capitulum, *in ſec. reg. n. LXVI.* Literas ſuper villa, vid. *in eod. reg. num. LXIII. LXIV. LXV.* Dominus *Johannes Bulen* Canonicus *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam in honorem *b. Marthæ*, quam dotavit cum XVIII. marcis II. ſol. IV. aſſ. Lubec. in villa majori *Stromeckendorp* in Parochia *Oldenkerken Swerin.* diœceſi, Jus Patronatus ſpectat ad Decanum & Capitulum Lubicenſis eccleſiæ, ſacerdotalis eſt, ſolvet IV. marcas Martini *In ſec. reg. n. LXVIII.* Literas *ſuper bonis vid. n. LXX.* Dominus *Himricus de Hattorpe* Cantor eccleſiæ *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam in Capella ſua, quam dotavit cum duobus manſis in villa *Borchwerck* terræ *Pole*, ſolventibus annuatim II. tremodia hordei & IX. tremodia avenæ. Item cum VII. marcis in molendino *Swartow*; ſolvet Martini Canonicis IV. marcas, Jus Patronatus ſpectat ad Cantorem eccleſiæ *Lubicenſis*, ita quod uni de lectoribus chori, aut de choralibus, quem magis idoneum & diligentem æſtimaverit, debeat providere, ſacerdotalis eſt. *In ſec. reg. n. LXXXVIII.* literas ſuper bonis vid. *in eod. reg. n. LXXXII.* & *LXXXIII.* Domin. *Hermannus Schœnecke* fundavit unam Vicariam in Capella ſua, quam dotavit cum dimidia villa *Ivendorp* in Parochia *Travemünde*, poſtea augmentata eſt cum uno quartali agri unius manſi in *Tranſvemerem*; ſolvet Martini Canonicis & Vicariis IV. marcas. Jus Patronatus ſpectat ad ſcholaſticum, ita quod uni de Magiſtris ſcholæ *beati Nicolai* aut de majoribus ibidem aut de lectoribus chori, quem magis idoneum & diligentem æſtimaverit, infra annum ad ſacerdotium promovendum aut jam promotum, debeat illa providere, quo aliquo obmiſſo præſentatio ſpectabit iſta vice ad Decanum; celebrabit cotidie & bis in ſeptimana pro defunctis. *In pr. reg. n. CXXX.* Liter. ſuper bonis vide *n. CXIV.* cum quinque ſequentibus. Domina *Ida* relicta *Hildemari* fundavit unam *Vicariam* ex oppoſito Sacriſtiæ ad altare *S. Laurentii*, quam dotavit cum quinque manſis in *Vergemile*, qui ſolvunt XX. marcas; ſacerdotalis eſt, Jus Patronatus ſpectat ad Decanum, *in ſec. reg. num. CXXI.* Ad altare *Sancti Martini* ſub turribus fundata eſt una Vicaria, quæ dotata eſt cum certis reditibus in villa *Gogelow* Ratzeburgenſi diœceſi, & in villa *Overbuſſow* in parochia Gennyn, Jus Patronatus ſpectat ad Epiſcopum & Capitulum alternatis vicibus, *in ſec. reg. n. CXXXIV.* Domin. *Jacobus Plebanus* in *Oldenborch* fundavit unam *Vicariam*, quam dotavit cum IV. plauſtris ſalis in Salina *Luneburgenſi*; ſolvet *Martini* IV. marcas Canonicis & Vicariis; Jus Patronatus ſpectat alternatis vicibus ad Epiſcopum & Capitulum, *in ſec. reg. n. CXL.* de literis ſuperdictis IV. plauſtris *vid. num. CXL.* cum duobus ſequentibus. Incorporata eſt hodie pro ſecundario lectore in Theologia, vide infra in rubrica: *de diverſis in ſuis locis debitis neglectis n. pr.* Dominus *Himricus de Clutze* Canonicus *Lubic.* fundavit unam Vicariam in honorem Sanctorum *Coſmi* & *Damiani*, quam dotavit cum quinque manſis, ſitis in villa *Wulverſtorp*, ac cum quarta unius chori ſalis; ſolvet Martini IV. marcas Canonicis & Vicariis. Item in anniverſario Cardinalis de Senis ſolvet Canonicis II. marcas, Vicariis XXIV. ſol. & campanariis II. ſol. Item in anniverſario Domini *Himrici de Clutze* Canonicis II. marcas, Vicariis XXIV. ſol. & campanario II. ſol. participes ſunt Canonici Luconeſ. In eccleſia *Lubicenſi* fundatæ ſunt duæ Vicariæ, quæ dotatæ ſunt cum XX. marcarum reditibus in villa *Lubberſtorp* in parochia *Oldenborch* & cum certis aliis reditibus, Jus Patronatus unius ſpectat ad Epiſcopum, & alterius ad Decanum & Capitulum *in ſec. reg. n. CXX.* literas ſuper bonis *vid. n. CXIV.* cum quinque ſequentibus, Jus Patronatus ſpectat communiter ad Præpoſitum, Decanum & Capitulum, *in ſec. reg. n. CXLV.* Literas ſuper bonis prætactis *v. n. CC.* & *CXLIV.* Item habet X. marcarum reditus alibi. vid. *n. CC.* *Himricus Veeleler* civitatis *Lubicenſis* fundavit unam *Vicariam* in honorem *beatæ Barbaræ*, quam dotavit cum XXIV. marcarum reditibus, in terra *Imbriæ*, qui tamen reditus hodie reempti ſunt cum *CC.* marcis *Lubicenſibus*, quia *Imbria* fuit deſtructa & literæ prædictæ, cum quibus empti ſunt, XIII. marcarum & V. ſol. reditus in Luneborch, ſolvet Canonicis & Vicariis IV. marcas Martini, Jus Patronatus ſpectat ad Epiſcopum *in ſec. reg. n. CLXXIV. Matthias Emiſten* fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum IV. manſis & quartali in villa parochialis eccleſiæ terræ *Pole* & cum ceteris aliis bonis. Ibidem ſolvet *Martini* IV. marcas, celebrabit continue & chorum viſitare tenetur, Jus Patronatus ſpectat ad Epiſcopum; ſacerdotalis eſt. *In ſec. reg. n. CXCII.* Dominus *Tidemannus de Guſtrow* Proconſul *Lub.* fundavit unam Vicariam in Capella magna, prope armarium, quam dotavit cum XXV. marcarum & VIII. ſol. reditibus in villa *Papeckendorpe*, in parochia *Hogenwendorpe*, ſita prope *Wiſmariam*; tenetur Vicarius ſingulis annis proxima feria poſt *Martini* infirmis in domo Sancti Spiritus *Lubic.* tunc actu decum-

decumbentibus ad manus ſingulorum prout æqualius poterit miniſtrare ſub conſcientia ſua, ſolvet in profeſto *Eliſabeth* pro memoria *Johannis de Guſtrow* IV. marcas Canonicis & Vicariis, tenetur cum aliis Vicariis chorum viſitare horis competentibus. Jus Patronatus ſpectat ad Epiſc. Lubicenſem, *in ſec. reg. n. CCII. Johannes de Moris* Canonicus *Lubic.* fundavit unam Vicariam in capella ſua, quam dotavit cum certis manſis villæ majoris *Stromeckendorpe* in parochia *Odeskerken* Swerinenſis diœceſis, & certis aliis bonis; ſolvet *Martini* IV. marcas; Jus Patronatus ſpectat ad Epiſcopum *Lubicenſem*, ſacerdotalis eſt. *In ſec. reg. n. CXCVII.* Dominus *Johannes Lange* Presbyter *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum villa *Horſt*, habente VIII. manſos cum dimidio & certis aliis bonis; ſolvet *Martini* IV. marcas, chorum frequentabit; Jus Patronatus ſpectat ad Epiſcopum *Lubicenſem. In ſec. reg. n. CCXIX.* de bonis *vid. CCXX. & CCXXI.* Iſtud immutatum eſt vide infra in rubrica: *de diverſis in ſuis debitis locis, num. IV.* Dominus *Meinhardus Fredelandt* proconſul fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum IV. manſis & medio in villa *Malchow*; ſolvet *Martini* IV. marcas debitis horis ad chorum, *in II. reg. n. CCLXIV.* & *CCLV.* Dominus *Stigotus Andreæ* miles *Aroſienſis* diœceſis fundavit duas Vicarias in villa *Poltzen* & II. manſis ex parte unius manſi deficientis in villa *Scarvenſtorp* in parochia *Gicow*, quorum Vicariorum unus impulſu matutinarum ſub turri miſſam de beata virgine & alter pro defunctis infra pulſum primarum ſingulis diebus tam feriatis quam non feriatis; niſi cum feſtum II. lectionum & reſponſoria in veſperis evenerint, indeficienter per ſe vel per alium celebrabit, chorum continue celebrarunt; ſolvet quolibet *Martini* IV. marcas. Jus Patronatus unius Vicariæ, quæ miſſam de *beata Virgine* habet annexam, Epiſcopus *Lubicenſis*, alterius vero Decanus & Capitulum habebit, *in ſec. reg. n. CCXXXV.* de bonis, vide *n. CCXXXIV.* cum quatuor ſequentibus. De bonis *Oldenveren* fundata eſt una *Vicaria*, quæ dotata eſt cum VI. manſis, & uno quartali in terra dicta *Overlandt*, adjacente villa *Nigenhagen*, in parochia *Kalckhorſt*, Ratzeburgenſis diœceſis; ſolvet *Martini* IV. marcas, chorum viſitabit, collatio ſpectat ad capitulum, *in ſecund. reg. num. CCLIII.* de bonis *vid. n. CCLI.* & *CCLII.* Dominus *Johannes Wabrendorp* fundavit unam Vicariam in capellæ latere auſtrali, quæ dotata eſt cum villa *Plankow* in parochia antiquæ *Krempe* Lubicenſis diœceſis habente XIV. manſos cum quartali; ſolvet IV. marcas *Martini* & in vigilia *Jacobi*, pro memoria dicti Domini *Johannis* ſolvet Canonicis II. marcas & Vicariis IV. marcas; Jus Patronatus ſpectat ad Dominum *Jacob. Pletzkow* Proconſulem, de poſt addicti Domini *Jacobi* & *Brunonis Wabrendorp* Proconſulis filios usque ad ſecundam generationem, & ſemper ad ſeniorem inter ipſos. Quibus defunctis ad Decanum & Capitulum pertinebit, *in ſec. reg. num. CCLVII.* de bonis vide *n. CCLV. & CCLVI.* Dominus *Albertus Stralendorp* fundavit unam Vicariam in capella ex oppoſito Sacriſtiæ, quam dotavit cum medietate villæ *Bindendorp* & villa *Redingſtorp* exceptis reditibus in eccleſia *Zuzele* immediate dictæ villæ *Redingeſtorp* & cum curia dicta *Karlin* in parochia *Zuzele* Lubicenſis diœceſis: Reliqua medietas ſpectat ad unam præbendam in eccleſia *Uthinenſi*, ſolvet IV. marcas Martini & ſolvet IV. marcas Canonicis & Vicariis IV to Aprilis pro memoria Sagoti: Jus Patronat. ſpectat ad Capitulum Lubicenſe *in ſec. reg. n. CCLXVI.* de bonis vid. *n. CCLIX.* cum quinque ſequentibus. Magiſter *Johannes Bortin* fundavit unam *Vicariam* in Capella *beati Johannis ſuper arenam*, quam dotavit cum integra villa *Frenthorſt* & certis aliis bonis; ſolvet Martini IV. marcas, chorum eccleſiæ Lubicenſis frequentare tenetur: Jus Patronatus ſpectat ad Comitem *Holſatiæ*, *in ſec. reg. n. CCLXXIX.* de bonis vide *n. CCLXXX.* & *CCLXXXI.* Dominus *Hildemarus* Cantor *Lubic.* fundavit duas Vicarias, & habetur *in ſec. reg. n. CLXXXVIII.* Sed de fundationibus illarum nihil in regiſtris reperitur, de bonis earum *vid. num. CLXXXII.* cum quinque ſequentibus. Dominus *Albertus Stralendorp* Canonicus *Lub.*, fundavit unam Vicariam, quæ dotata & cum X. marcar. reditibus in villa *Danentze* in parochia *Gicow* Lub. diœceſ., & cum certis aliis reditibus; ſolvet *Martini* IV. marcas, & alias IV. marcas ſolvet in anniverſario dicti Dom. *Alberti* XIV. die Auguſti Canonicis & Vicariis; Jus Patron. ſpectat ad Dominum *Jacobum Buſcow* Pro-Conſulem & ad filios ſuos in linea maſculina usque in IV. generationem excluſive, & ſemper ſenior præſentabit; omnibus prædictis deficientibus ſpectat Collatio ad Capitulum; Sacerdotalis eſt; *In tert. reg. n. I.* de literis ſuper bonis *vide n. II. & III. Gerardus Uaget* civis *Lub.* fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum integra villa *Biwerſtorp* cum duobus manſis adjacentibus villæ *Frowenmarkede* in terra *Gadebuſch* Ratzeburg. diœc., medietatem tamen redituum de villis & manſis prædictus Vicarius ſuis uſibus applicabit, ſolvet *Can.* & *Vicar. Martini* IV. marcas, & ſolvet II. marc pro memoria Dni. *Marquardi Bermans* Canonici in vigilia *Matthæi*; Jus Patronatus ſpectat ad Dominos *Duces Magnopolenſes*; ſacerdotalis eſt, & ſi tunc non præſentabitur, ſpectabit ea vice ad Decanum *in tert. reg. n. IV. De bonis n. V.* Dom. *Jacobus Krumbecke*, Canonic. fundavit unam Vicar., quam dotavit cum XIX. marcar. reditibus ſolvendis per Conſul. in *Oldenborch*, ac cum XIV. marcar. reditibus in ſeptem quadralib. agri juncta *Papenpuſce* prope dictum oppidum *Oldenborch* & in quinque areis ſitis infra idem oppidum; ſolvet *Martini* IV. marcas, tenebit XV. lampades ardentes in certis feſtivitatibus ante chorum Lub., videlicet quando *Canonici* ſunt *Cantores* & in *Feſto Martini* miſſam ſingulis tertiis feriis de beato Nicolao cum collecta de patronis cantabit. Jus Patronatus ſpectabit *ad Præpoſitum, Decanum & duos ſeniores Canonicos* reſidentes, cum conſenſu unius Laici *de Wale* per lineam maſculinam, quibus deficientibus cum conſenſu præpoſiti in *Arendeshoken*, Sacerdotalis; In *tert. reg. n. VI.* ſuper bonis, literas, vide *n. LXIV.* & quatuor ſequentibus. Id quod de Jure Patronatus dimittitur hodie immutatum eſt, *v. n. LXIX.* &

LXX. *Jac. Buſchel* civis *Lub.* fundavit unam Vic. in capella magna prope armarium, quod dotavit cum XL. marc. reditibus in villa *Hagenfelde* in par. *Gicow* Lubic. diœceſis, & cum quatuor marcarum reditibus in villa *Hornſtorp* in parochia *Gronow* Ratzeburgenſis diœceſis; ſolvet *Martini* IV. marcas, alteri vicario ejusdem altaris differre tenetur in miſsis celebrandis choro intereſſe tenetur. Jus Patronatus ſpectat ad *Gerardum Waget* civem *Lubicenſem* & ad filios ſuos & filias usque in quartam generationem, quibus deficientibus collatio ad *Decanum & Capitulum* ſpectabit, hic tamen quod iidem Domini Decanus & Capitulum nulli eam conferant, niſi ſacriſto vel uni de Lectoribus ferialibus chori aut de chorialibus eccleſiæ Lubicenſis, quem magis idoneum repererint, qui eccleſiæ ad minus per medium annum ſervierit, *in IIItio reg. num. VII.* Dn. *Hartmannus Bodener* Canonic. *Lubic.* fundavit unam Vicariam, quæ totata eſt cum XLII. marcarum redditibus & VIII. ſolid.; ſolvet Canonicis & Vicariis Martini IV. marcas, chorum viſitabit, Jus Patronatus ſpectabit ad operarium, vulgariter dictum, *Werckmeiſter* eccleſiæ *Lubic.* cum conſilio *duorum* ſeniorum *Canonicorum* reſidentium. Conferri debet ſolum uni de choralibus aut lectoribus ferialibus chori caſtæ & bonæ vitæ, quem Decanus & Capitulum magis idoneum reputaverint, qui per integrum annum eccleſiæ ſervierit; ſacerdotalis eſt; ſecundam miſſam leget, poſt primam immediate quæ ex parte junioris Canonici ſervatur, ita quod quando ille ſe exuat, iſte ſtatim induat; & quoties hoc neglexerit, toties presbytero primam miſſam celebranti unum aſſem Lubic. dare tenetur, ſub carentia memoriarum chori per duas ſeptimanas etiam non requiſitus, niſi ſermo faciendus impediret; perſonaliter reſidere tenetur, & nullum aliud beneficium habere debet; alias ſi per integrum menſem abſens fuerit absque rationabili neceſſitate, vel aliud beneficium habuerit, ex tunc beneficio eſt privatus, nulla monitione præmiſſa, & alius præſentabitur: dabit clerico juranti in religione annuatim duas vel tres marcas ſub pœna 6. aſſ. & carentia memoriarum, ut ſupra. Tenetur tres candelas in nocte in refectorio aut III. candelas miniſtrare de nocte Vicariis in choro, aut ipſis Vicariis ad promiſſa III. marcas annuatim ſolvere & ſibi ipſis de candelis provideant, *in IVto reg. n. IX.* Dn. *Hermannus Roſtock* Canonicus *Lubicenſis* fundavit unam Vicariam ad altare XI. milium virginum, quam dotavit cum uno choro Salis & C. marcis Lubicenſibus, ſolvet *Martini* IV. marcas & celebrabit, quolibet die choro intereſſe tenetur. Jus Patronatus ſpectat *ad Decanum & quatuor ſeniores Canonicos capitulares reſidentes*, ita quod nulli debeant dictam Vicariam conferre, niſi uni de choralibus eccleſiæ Lubic. magis idoneo ex eis, qui ad minus per medium annum ſervivit, & eſt Sacerdotalis, *in tertio reg. n. LVI.* privilegium ſuper choro ſalis *vid. n. LIX.* De bonis *Henninkun Georgii* fundata eſt una Vicaria ad altare *beati Martini* ſub turre, quæ dotata eſt & ornata, ſicut aliæ duæ Vicariæ per eundem *Henninkum* in eccleſia beatæ Mariæ Virginis fundatæ. Jus Patronatus ſpectat ad perſonas illas, ad quas ſpectabit in illis duobus, excepto, quod illis Patronis omnibus deficientibus ſpectabit collatio *ad Epiſcopum Lubicenſem*, *in tertio reg n. XXV.* & vide in præſenti regiſtro infra rubrica: *de Vicariis b. Virginis num. XXXVI.* Dn. *Marquardus Hertze* Canonicus *Lubicenſis*, fundavit unam Vicariam, quæ totata eſt cum III. marcis, ſolvet Canonicis II. marcas ſeptimo die Julii & II. marcas Vicariis Martini, chorum quotidie viſitare tenetur, niſi impetitus fuerit. Jus Patronatus ſpectat ad Dn. *Marquardum Kruſem*, quo defuncto *apud Decanum & Capitulum* perpetuo remanebit collatio ejusdem, ſic tamen quod nemini conferri debeat, niſi uni de capellanis parochialium eccleſiarum civitatis Lubic. vel alteri presbytero in prædicationis officio exercitato, *per Decanum & Capitulum* concorditer aſſumendo, & ſi alteri conferatur, collatio ſit nulla; ipſo facto debet quoque Vicarius ille ſingulis feriis tertiis per ſe vel, ſi impeditus fuerit, per alium in eccleſia Lubic. ſub pœna unus marcæ, qualibet vice per Decanum cum effectu exigenda & in uſus pauperum convertenda, in vulgari prædicare verbum Dei nulla ſibi diſpenſatione iniqua qualibet ſuffragante & ſi redditus reemi contigerit, non ſine conſenſu & conſilio Capituli reimponantur. *In tertio reg. n. CXII.* Dn. *Johannes Schwantze* Canonicus fundavit unam vicariam, quæ dotata eſt cum IV. marcis Lubicenſibus; ſolvet Canonicis & Vicariis IV. marcas XXIII. die Martii, celebrabit ſingulis diebus ante miſſam animarum, chorum viſitare, & divinis choris intereſſe tenetur, ambo Vicarii capellam ſe conſervabunt, Jus Patronatus ſpectat ad *Nicolaum Reborſt*, & inde ad *Nicolaum Alexium Schonenberg*, quibus defunctis filii & filiæ ad eisdem deſcendentibus, ita quod ſolum ſenior inter eos præſentabit, quibus omnibus deficientibus ſpectabit ad *Operarium eccleſiæ Lubicenſis*, de conſilio & expreſſa voluntate Domini præpoſiti & ſenioris Canonici reſidentis, & in abſentia Domini præpoſiti, Dominorum Canonicorum; ſic tamen quod Sacerdotem, aut in tali ætate præſentabunt, & nemini conferant, niſi uni de lectoribus chori aut choralibus, Rectori Scholarum aut Succentori aut Organiſtæ, aut Sacriſtæ eccleſiæ Lubicenſis, qui in ſuo officio per annum ſervivit: Et magis idoneo & digno conferatur, *in tertio reg. num. CI.* Dn. *Borchardus* Epiſcopus Lubic. fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum VIII. marcarum reditibus in Riwekeſtorpe & XII. trimodiis hordei, decimæ villarum majoris *Brade* & minoris *Brade*, celebravit ſingulis diebus pro defunctis, exceptis diebus dominicis & certis ſolennitatibus agendo, memoriam omnium Epiſc., Canonicorum & omnium in atrio quieſcentium; Sacerdotalis eſt, Collatio ſpectat ad *Epiſc. Lubic.*, non eſt regiſtrata. Dn. *Wilhelmus de Molendiuo* Decanus eccl. Lubic. fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum manſo & dimidio in villa *Verchmile* & uno manſo in villa *Berowe* & cum certis aliis bonis; non eſt regiſtrata.

XLVI. In Eccleſia b. Virg. Mariæ *Alffwinus Niger* fundavit unam Vicariam ad altare S. *Bartholo-* *De Vicariis in Eccleſ. B. Mariæ Virg.*

tholomæi, qui mensam habet perpetuam, eum plebano b. Virginis singulis diebus cessante impedimento celebrabit, quando in civitate fit pulsatio matutinarum, in dote dormit, in tertia hebdomada infirmos visitabit, parvulos baptizabit, Sacerdotalis est, collatio spectabit *ad Capitulum, in Imoreg. n. LXXXI. & LXXXII. Hinrich Iserulo* fundavit unam Vicariam, quæ dotata est cum sex mansis in villa *Hemnetzdorp* in terra Domini *Werla*, celebrabit singulis diebus cessante impedimento, cum laico non stauit in expensis, nisi gratis cum consanguineis aut amico suo; sacerdotalis est, collatio spectat ad Decanum. *In Imoreg. n. CXXXVI & CXXXIX.* Istud immutatum est vide *infra in rubrica:* de diversis in suis locis debitus neglectis *num. VI.* Dn. *Detlevus de Bockwolden* miles fundavit unam Vicariam pro anima *Richardi* civis Lubic. per eum interfecti, quam dotavit cum CC. marcis, Tenetur Vicarius esse in loco ad singulas horas, singulis diebus celebrabit post missam pro defunctis duobus dominicis & festivis post silentium missæ. Non stabit cum Laicis in expensis, nisi gratis cum consanguineo vel amico, Jus Patronatus est *Decani in Imoreg. n. CLXXXIX. Joh. Frisonis* fundavit unam Vic. in honorem *Sti Andreæ*, quam dotavit cum villa *Ovendorp* X. mansos habente, in parochia *Rutekow* terræ Holsatiæ; sacerdotalis est, in æstate a IIda Feria Paschæ usque in crastinum Michaelis, celebrabit ante pulsationem matutinam singulis diebus, deinde usque ad pascha post offertorium missæ altaris, S. Catharinæ etiam singulis diebus, impedimento cessante, omnibus horis continue choro tenetur interesse, cum Laico non stabit in expensis, nisi cum amico aut consanguineo gratis. Collatio sive provisio spectat ad Decan. *in Imo reg. n. CXCIII.* de bonis *vid. n. CXCIV. Herm. Cleendist* fundavit duas Vicarias, unam in honorem b. Michaelis, quæ dotata est cum VII. mansis in villa Timendorp, alium in honorem Sti Andreæ Apostoli, quæ dotata est cum X. mansis sitis in villa Nigendorpe; singulis diebus dominicis & festivis celebrare tenetur, chorum frequentabunt, omnibus horis interesse tenebuntur, Collatio est Decani & Capit. *in IIdo reg. n. XXII.* & quatuor seq. *Joh. Gothoge* fundavit unam Vicar. in honorem *Sti Matthæi*, quam dotavit in villis *Essengnewendorpe & Techelenvitzendorpe* in terra *Oldenborch*; Jus Patronatus spectat ad *Decan. & Capit. In IIdo reg. n. XLI.* de bonis *v. n. XLII. LIX. Arn. Wlome* fundavit tres Vicar. in capella signi, quas dotavit cum XIV. mansis & dimidio in villa *Westgolvitz* sita in terra *Pole* & cum quarta parte villæ *Stromeckendorpe* sita in parochia *Odenskerken*, continente V mansos; fructus illorum bonorum tres Vic. æqualiter dividunt inter se; Primam istarum Vicar. singulis diebus, cum primum signum apud S. Mariam datum, alter hora quinta, tertia vero ultima missa finita in eccl. b. Mariæ Virginis diebus non ferialibus totaliter celebrabunt, nisi aliud magis congruum plebano videretur, primus solvet Canon. II. marc. IIda Januarii, sec. XVII. Febr., & tertius X. die Aug. II. marcas solvet Canonicis; Jus Patronatus spectat ad *Decan. & Capit.*; *in IIdo reg. n. XLVIII.* & literas super bonis *v. n. V.* & quatuor sequentibus; sec. Vicaria seu media incorporata est hodie mensæ Episcopali. *Albertus de Bardewick* civis Lub. fundavit unam Vic., quam dotavit cum medietate villæ *Redetyn* continente VII. mans. exceptis X. marcis, Jus Patr. spectat ad *Decan. & Cap. in IIdo reg. n. XLVII.* de bonis *vid. n. XLVIII. Arn. Calvi* fundavit unam Vicar., quam dotavit cum bonis salinaribus; solvet II. marcas Canon. XXV. Jun. pro memoria uxoris suæ & II. marcas pro memoria dicti Arnoldi Ima die Sept. Jus præsentandi est penes *Decan. & Capit., in IIdo reg. n. LXXXIX.* Incorporata est hodie pro Decanatu Dn. *Godfscalcus Warendorp* Consul fundavit unam Vicar., quam dotavit cum VIII. mansis & dimidio in villa *Ostergolvitze* in terra *Pole*, solvet Canon. & Vicar. XVII. Nov. IV. marc. pro memoria dicti Dni *Godfschalci*; Jus Patron. spectat ad *Decan. & Capit. In IIdo reg. n. CIX.* de bonis *vide CVI. CVII. CVIII. Joh. Geismer* oppidanus *Stockholmensis* fundavit unam Vic., quam dotavit cum integra villa *Gneveslorpe* in parochia *Travemünde* solvente annuatim XXIV. marc., & postea augmentavit eam cum duarum marc. reditibus & dimidia villa *Crumbecke*, solvet Canon. IV. marcas sec. Feria post Quasimod.; Jus Patr. spectat ad *Decan. & Capit.*, Vicarius dabit singulis annis VIII. sol. ad Domum S. Georgii pauperibus in anniversario dicti Johannis. *In IIdo reg. n. CXXXI.* de bonis *CXXVI.* cum quinque seqv. *Constantinus* civis Lubic. fundavit unam Vic., quam dotavit cum tribus mansis in villa *Ostergolvitze* in terra *Pole* solvente quatuor tremodia cum dimidio siliginis, VIII. tremodia hordei, & XIII. tremodia avenæ; solvet Canon. IV. marc. in Profesto Purif.; sacerdotalis est, Jus Patr. ad Decanum Lubic., ita quod uni de choralibus actualiter in eccl. Lub. servientibus, quem magis idoneum æstimaverit infra annum ad sacerd. promovendum, & hoc quando Decan. residet, vel in negotiis ecclesia absens est, alias ad seniores & Capit. illa vice spectabit, chorum frequentabit, *in IIdo reg. n. CCXII.* ac bonis *v. n. CCXXIII.* cum tribus sequ. *Marq. Boem* civis Lubic. fundavit unam Vicar., quam dotavit cum integra villa *Tanckemoth* in parochia *Provestorpe*; solvet Can. Martini IV. m., chorum frequentabit, & divinis interesse tenetur; Jus Patr. spectat ad dictum Dn. Marquardum deinde ad Marquard. filium ejus & ad Mechildem & Gertendem & filias ejus, & ad Joh. Langenbecke ad Gottfr. Schnakenbeken eorum nepotes, quibus defunctis ad Decan. & Capit. spectabit. *In sec. reg. n. CCXVII. Dn. Thom. Markerke* Proc. fundavit unam Vicar. quam dotavit cum medietate villæ curiæ & molendini in *Blistorpe* in parochia antiquæ Krempe Lub. diœcesis solvet Canon., IV. m. Martini chorum visitabit & divinis interesse tenetur Jus Patr. spectat ad *Thom. Conr. Gottschalcum & Albert. de Markerken*, fratres & uxorem Dni *Joh. Plescowen* Adelheidem sororem eorum, & ad eorum filias & filios, filior. & filiarum prædictorum, quibus deficientibus spectabit ad Capit., *in sec. reg. n. CCXL.* de bonis *v.* XXX*VIII. Godfschalc. Boysdorp & Heino Parwer* cives fundaverunt unam Vic. ad altare prope umbonem, quæ dotata est cum villa dicta *Wendeschenparyn* in par. *Rensefelde*, habente XV. mansos, quorum quilibet solvit II. m., & cum aliis certis

certis reditibus, ſolvit Canon. Martini IV. marc., chorum frequentare tenetur, ſacerd. eſt, & continuam reſidentiam requirit; Jus præſentandi ſpectat ad Cap. *Lub., inſec. reg. n. CCLXX.* de bonis v. *n.* CCLXVI. cum tribus ſequ. *Eberh. Klyngenberg* fundavit unam Vicar., quæ dotata eſt cum XXVIII. marc. reditibus; ſolvet Can. Martini IV. marcas, divinis horis intereſſe tenetur, ſacerdot. eſt; collatio ſpectat ad Capit., *in tertio reg. n. XXXII. Rotherus Cloth* fundavit unam Vicar., quæ dotata eſt cum quingentis & quinquag. marc. reditibus Lubic. ad altare *Gerhardi de Dalen*, ſolvet Canon. Mart. IV. marcas, quolibet die miſſam celebrare tenetur, & cum aliis Vicariis choro intereſſe tenetur, ſacerdot. eſt & perſonaliter reſidere, & ſi poſt debitam manſionem infra menſem non reſiderit, ipſo facto dicto beneficio eſt privatus, Jus Patr. ſpectat ad *Gerard. Cloth* & ad *Barbaram*, filiam *Vromoldi Caſtorpes*, & ad *Petrum* filium *Warneritropes*, quibus deficientibus ſpectabit ad IV. fructuarios eccl. Lubic., videlicet *duos* de Capitulo, & *duos* de Conſultatu, ita tamen, quod nullum niii unum de lectoribus chori aut unum de choralibus magis idoneum, qui ad minus per medium annum ſervivit, præſentabunt, *inſec. reg. num. XXXIII.* Dn. *Chriſtianus Nygenſtadt* & *Bernh. Steckemeſt* fundaverunt unam Vicariam, ad altare *S. Agnetæ*, quam dotaverunt XXXII. marc. redditibus pro CCCC. marcis emtis, & ſi redditus reemi contigerit ſine conſilio & conſenſu Decani & Capit. non ſunt reimponendi; ſolvet Canon. Mart. IV. marcas, quolibet die miſſam celebrabit & choro intereſſe tenetnr; Jus Patronatus ſpectabit ad *Bernh. Steckemeſt*, & ad *Ladekium Kosvelde*, & ad filios & filias eorum, & deinde ad filios & filias dictorum filiorum & filiarum, quibus omnibus defunctis collatio ad *Capit. & Decanum* in perpetuum pertinebit, *in IIItio reg. n. XXXIV Fraternitas corporis Chriſti* in capella Dni *Thomæ Markerken* Pro-Conſ. fundavit unam Vicariam, quæ dotata eſt cum XXVIII. marc. reditibus; ſolvet Canon. Mart. IV. marcas, quolibet die cum Vicar. ceteris tenetur choro intereſſe omni die vel per ſe ver per alium miſſam leget infra primam & ſigni miſſam & præcipue in hyeme a Feſto Martini usque ad Feſtum purific. de mane hora ſexta, & in æſtate a die Purific. usque ad Feſtum Martini hora V ta dictam miſſam continuabit; Jus Patron. dictæ Vicariæ ſpectabit prima vice ad *Bertoldum Segebange*, ſi vixerit, alioquin & filios ſuos duntaxat una vice, ſecunda vice vacationis ad Dn. *Thom. Murkerken*, ſi vixerit, alioquin ad ſeniorem filium ejus, ſi vixerit una vice duntaxat, tertia vice vocationis ad *Reinerum Rutewandt*, quarta vice ad *Ottonem Lentzeke* & filium ſuum, quinta vice ad *Adolphum de Veller*, quibus deficientibus, collatio ad Decan. & Capit. pertinebit, ſic tamen, quod illi nemini debent conferte, niſi uni de lectoribus familiaribus aut uni de choralibus magis idoneo, qui per annum continuum ſervivit ante vocationem hujusmodi, *in tertion. XXXV. Otto Lentzeke* fundavit unam Vicariam, quæ dotata eſt cum XXIV. marc. reditibus, tenetur ſolvere Mart. IV. marcas, & tenetur priori Vicario differre in celebrando, & choro cum aliis Vicariis intereſſe; Jus Patron. ſpectat ad *Margarethan* uxorem ejus & ad *Margarethan* filiam *Henrici Stregelin*, *Otton. Lentzken*, *Nicol. Paſchen* & *Joh. de Sagebarge*, & quilib. præſentat ſolus in ordine, prout ſupra nominantur redeundo ad primum, poſt mortem prædictorum filii & filiæ eorum omnium, & poſt eos iterum filii & filiæ a prædictis filiis & filiabus deſcendentes præſentabunt, ſic tamen, quod ſenior inter eos præſentet perſonam *Margarethæ* relictæ *Ott Lentzke* in linea conſanguinitatis attinentem, ſi ſuper eſt, alioquin alium præſentabit, quibus omnibus deficientibus, collatio ad Decan. & Capit. pertinebit, *in tertio reg. n. XXXVI. Albertus Junge* fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum IV. manſis & dimidio in villis *Malkow* & *Vorwerck*, ſolvet Vicar. Canon. IV. marcas, XXVI. die Aprilis, chorum viſitare & divinis intereſſe tenetur, collatio ſpectat ad Capit. eccl. Lubic. *in tertio reg. n. LXIII.* Dn. *Hinricus Runeman* fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum D. marcis, ſolvet Canon. IV. Marcas XXVI. die Aprilis, chorum viſitare & divinis intereſſe tenetur, & ſi redits reemi contigerit, in toto vel in parte ſine conſenſu & conſilio Decani & Capit., alii comparare non debent; Jus Patronatus ſpectat ad Dn. *Sim. Kiritz* & Dn. *Nicol. Wuneſtorpe*, ita quod primo præſentabunt *Joh. Bilffelt* & tunc de cætero, nec ipſi nec Patroni nec Capitulum ad quod devolvetur collatio, ipſis Patronis deficientibus, non poſſunt alium præſentare, quam unum de lectoribus familiaribus chori, vel ſacriſtam eccl. Lubic., quem Domini de Capitulo repræſentant magis idoneum nullum aliud beneficium habentem, nec aliud cum tali obtinebit, debet continuo reſidere, nulla diſpenſatione, quæ præmiſſa, ſuffragante, *in tertio reg. n. LXXXI.* Dn. *Matthias Boye* eccleſ. Lub. Vicarius, fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum CCCC. marc. Lub. ſolvet Canon. IV. marcas XIV. Sept., chorum viſitare, & divinis intereſſe tenetur, & ſi reditus reemi contigerit in totum vel in parte, non ſine conſenſu & conſilio Decani & Capituli alii reditus reemi debent; Jus Patron. ſpectat ad *Joh. Schelen* Juniorem, & *Catharinam* & *Margarethan*, ſorores dicti Johannis, deinde & filios & filias eorundem, & ad filios & ad filias ulterius ab ipſis deſcendentes, & poſtea ad illorum filios & filias, ita tamen, quod neminem præſentabunt, niſi unum de lectoribus familiaribus chori aut ſacriſtam eccl. Lubic., quem Decanus & Capitulum magis idoneum ad dictam Vicariam reputaverint. Nullum aliud beneficium obtinere debet, & in eo perſonaliter debet reſidere, nulla diſpenſatione in contrarium ſuffragante, & ſi ultra menſem abſens fuerit, ſine legitima cauſa, ſit beneficio eo ipſo privatus, & ipſo non vocato nec expectato poſſunt proponi infra menſem, alium præſentare; prædictis omnibus deficientibus collatio prædictæ Vicariæ ad Capit pertinebit, cum conditionibus præmiſſis, *in tertio reg. n. LXXXII.* Dn. *Johannes* & *Nicolaus* fratres dicti *Haſſe*, fundaverunt unam Vicariam, quam dotaverunt cum CCC. marcis Lubic., ſolvet Canon. IV. marcas XXIV. Jul. chorum viſitare & divinis intereſſe tenetur. Jus Patronatus ad dictos Dnos fratres, & eis defunctis ad filios & filias a dicto *Nicolao* deſcendentes & proximiores hæredes Dni *Johannis*

bannis usque ad tertiam generationem, inclusive, solus senior ex ipsis præsentabit. Quibus omnibus defunctis spectabit collatio ad *Decanum* & *Capitulum*, sic tamen quod nemini eam conferant, nisi uni de lectoribus, aut Organistæ, aut Sacristæ vel prædicatori tertiis feriis in ecclesia Lubicensi, seu uni de choralibus aut aliis servitoribus ecclesiæ, qui per annum serviunt, qui actu sit sacerdos, vel in tali ætate talis, & tenetur personaliter residere, nulla dispensatione in contrarium suffragante. *In tertio reg. num. LXXXVI. Ludekinus Niestadt* civis Lubicensis fundavit unam Vicariam quam dotavit cum XXIV. marcarum redibus, solvet Canonicis IV. marcas, XXVI. Januarii celebrabit singulis diebus per se vel per alium missam ad pulsum signi, chorum visitare, & divinis interesse tenetur, Jus Patronatus spectat ad præfatum *Ludekinum*, uxorem ejus, & ad filios & ad filias eorum usque ad tertiam generationem inclusive, & senior solus præsentabit. Quibus omnibus deficientibus collatio spectabit ad *Decanum & Capitulum*, sic tamen, quod nemini conferre debent, nisi uni de lectoribus, vel sacristæ aut organistæ, seu uni de choralibus, seu aliis servitoribus ecclesiæ seu Capituli, qui per integrum annum servivit, in suo officio, & qui actu sit sacerdos, vel in tali ætate, nulla sibi dispensatione contra præmissa suffragante. *In tertio reg. num. LXXXVIII. Albertus Grothe* civis Lubicensis fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum CCC. marcis Lubicensibus; solvet Canonicis IV. marcas, XXVIII. Septembris, chorum visitare & divinis interesse tenetur. Jus Patronatus spectat ad dictum *Albertum* & uxorem ejus & *Regnekium Kracht*, & ad filios & ad filias ac hæredes ipsorum usque ad tertiam generationem, ab ipsis fundatoribus computando, quibus omnibus deficientibus collatio spectabit ad Decanum & Capitulum, sic tamen quod nemini conferre debeant, nisi uni de lectoribus, Sacristæ aut Organistæ vel prædicatori tertiis feriis in ecclesia Lubicensi, seu uni de choralibus aut alteri servitori ecclesiæ vel Capituli, qui per integrum annum servivit, & qui actu sit sacerdos vel in tali ætate, & personaliter residere tenetur, nulla dispensatione in contrarium suffragante. *In III.to reg. num. XCV. Societas Institutorum* fundavit unam Vicariam in capella eorum prope chorum, quam dotavit cum XXX. marcarum reditibus singulis annis de communi pixide, eorum medietatem paschæ & medietatem Michaelis solvendis, chorum visitare, & divinis officiis ac summæ missæ diligenter interesse tenetur, Rectori ecclesiæ obediet in licitis & honestis, personaliter residere, est adstrictus, & nisi rationabili causa suadente, de licentia Rectoris ecclesiæ Sancti Petri ad tempus per eum moderandis, absens fuerit; Jus Patronatus spectat perpetuo ad quatuor seniores dictæ societatis Institutorum, ita quod clericum ex honestis parentibus ipsius societatis genitum bonæ indolis, ad minus XII. annos completos habentem præsententur, sic tamen inter natos ipsius societatis habetur, qui tamen postquam ad XXV. annum pervenerit, debet ad omnes ordines statutis temporibus promoveri, & si lapso XXV. anno promotus non fuerit, privatus sit beneficio ipso facto, ipso tamen prius monito, nisi ratione studii esset prolixum tempus de - - indulgendum: si vero talis inter genitos eorum inveniri non posset, eo casu licitum est eis præsentare aliam personam idoneam; actu in sacerdotio constitutam, vel in tali ætate.

De Vicariis in Ecclesia S. Petri Apostoli.

XLVII. Vicaria prima in ecclesia S. Petri Apostoli fundata est a Domino Woldemaro ab Attendorn habet I. Chor. salis & V. marc. ex villis Teschendorff & Techolwitz. Collator est Capitulum.

Vicaria secunda est Gertrudis Morgenweg habet tres choros salis NB. incorporata est mensæ episcopali.

Vicaria tertia Gerhardi de Dalen Pannicidæ fundata est in Teschendorff und Techolwitz habet XXV. marc. Collatores Pannicidæ.

Vicaria quarta Gerhardi de Castorff fundata est in villa Johannstorff prope Darssan in Meckelnborg habet XVI. marc. Collator Capitulum.

Vicaria quinta. Sifridi Went fundata est in villa Op- habet XVII. marc. VIII. sol. Collator Capitulum.

Vicaria sexta Johannis de Lesten II. chor. salis Collator Capitulum.

Vicaria septima Theodorici Witten L. m. ex villa Dinverstorff Collator Decanus.

Vicaria octava Maria Boim villa - - Collator Capitulum.

Vicaria nona Thomæ Moorkerken ex villa Bliestorff LII. marc. Coll. Capit.

Vicaria decima. Gotschalci Bostorff. Ex villa Kleinen Pein. XXXIII. marc. Collator Capitulum.

Vicaria XI. Everhardi Klingenberg XXVIII. marc. Coll. Capit.

Vicaria XII. Rottgerikloet XXII. marc. ex solutione Brunswicensium. Coll. Capit.

Vicaria XIII. Christiani Niestadt XXXII. marc. ex villa Garbeke sub prædio. Collator Capitulum.

Vicaria XIV. Fraternitas Christi habet a distributore majore Capituli II. marc. VIII. sol.

Vicaria XV. Ottonis Lensken a distributore majore XX. marc. item a Consulata Rostochiensi XX. marc. Coll. Capit.

Vicaria XVI. Alberti Jungen jam augmentata est usque ad XXXII. marc. a Senatu Lubicensi solvitur. Coll. Capit.

Vicaria XVII. Henrici Punemann Reditus hujus Vicariæ veniunt Hamburgo solvunturque ab Henrico von der Fehr ejusque hæredibus XXV. marc. Coll. Capit.

Vicaria XVIII. Domini Matthiæ Boyen

XXV. marc. a distributore majore. Collator Capitulum.

Vicaria XIX. Johannis & Nicolai Hessen a Senatu Lubicensi ex ejusdem Camera XXX. marc. & a civitate Wittenborg in Mecklenborg 5. marck Coll. Capitulum.

Vicaria XX. Ludekini Niestadt a distributore majore XV. marc. VIII. solid. Collator Capitulum.

Vicaria XXI. Alberti Groton a Domino Antonio de Stiben & hæred. XX. marc. Collator Capitulum.

Vicaria XXII. Institutorum August Joachimi Trechau. Antonii von Dingen, Joannis Meyer & Bernhardi Holtgesen XXVII. marc. Collatores quatuor institutiones & eorum hæredes.

Vicaria XXIII. Gerhardi Lenten XXV. marc. ex villa Robel. Collator: hæredes institoris.

Vicaria XXIV. Gerhardi V. Lenten ex villa Werberner item ex quadam domo in der Berg-Strasen XX. m. Collator. Pannicidæ.

Vicaria XXV. Gerhardi de Lenten. XL. marc. Collator. Die Bassedaun.

Vicaria XXVI. Henrici.

Vicaria XXVII. Henrici Kossen XXXV. marc. ex Camera Senatus Lubec. Collator Nicol Steck, & Bernhard Roymanne & hæred.

Vicaria XXVIII. Fraternitatis S. Barbaræ XIX. marc. ex villa Glemiscestorff ex XV. m. pro CCC. marc. Capitali ex Castro Stenborch.

Vicaria XXIX. Aurifabrorum. Aurifabri solvunt ex eorum crumena. Coll. Aurifabri.

Commendæ in S. Petri eccl. & Capella B. Mariæ.

Commenda I. de XX. marc.

Commenda II. de XX. marc. ex Camera Senatus Lubic. Bernhardi Holtzhusen.

Commenda III. Bertram Luneburg de XXVII. marc.

Commenda IV. Hieronymi Wannebocke de XXVII. marc.

Commenda V. Henrici Gerdes de XL. m.

Commenda VI. Henrici de Stiten. ex Stralf.

Commenda VII. Hartwici de Stiten XX. m. solvitur ex Capitali D. Marc. so die Stiten possediren.

Commenda VIII. Joachimi Hartzberg ex Camera Senatus Lubicensis. XX. marc.

De Vicariis in eccl. b. Jacobi Apostoli.

XLVIII. *Johannes Holt* civis Lubicensis fundavit unam Vicariam in ecclesia Sancti Jacobi, quam dotavit cum uno choro salis. Tenetur de aliis duobus plaustris salis unam marcam quam in die anniversarii dicti Johannis inter Vicarios Sti. Jacobi distribuatur & quod supersit de dictis duobus plaustris oblatum in dicto anniversario ejus inter pauperes dividatur. Jus patronatus spectat ad Decanum & Capitulum. *In sec. reg. n. XLIV.*

Dominus *Dethmarus Scholhop* Canonicus Sverinensis fundavit unam Vicariam quam dotavit uno choro Salis, in Salina Luneburgensi Divinis interesse tenetur Rectori obediet, in observando horam quam celebrabit. Jus Patronatus spectat ad Decanum & Capitulum. *In sec. Reg num. CXXXVI.* de choro salis *n. CXXXV. CCIX.*

Consulatus Lubicensis fundavit unam Vicariam ad altare juxta summum altare versus aquilonem quam dotarunt cum tertia parte sartaginis & uno choro salis in salina Luneburgensi solvit Canonicus II. marcas in die beati Dionysii & sociorum ejus, jurabit Capitulo & Decano, chorum frequentabit, Rectori ecclesiæ in licitis & honestis obediet sicut cæteri Vicarii, Jus Patronatus spectat ad Consulatum *in sec. reg. n. CCXVII.*

Dominus *Goschalcus Vellin* Consul fundavit unam Vicariam in capella quæ dotata est cum medietate villæ molendini, ac ceteris attinentiis in Blygstorpe in parochia antiquæ Krempe Lubicensis diœcesis, solvet quatuor marcas, Martini, Canonicis, & duas marcas Vicariis Sancti Jacobi pro memoria ejus. Jus Patronatus spectat ad certas & plures personas nominatas in fundatione quibus defunctis spectabit ad Capitulum eccles. Lubicensis. *In sec. reg. n. CCXXXIX.* de bonis *vid. num. CCCXXXVIII.*

Elerus de Czelle civis Lubicensis fundavit unam Vicariam sub turri quam dotavit cum CCCCXL. marcarum reditibus solvet Canonicis Martini IV. marcas, quolibet die celebrabit, choro interesse tenetur, sacerdotalis est & personalem requirit residentiam & si post debitam monitionem infra mensem non residierit ipso facto est privatus. Collatio spectat ad Capitulum sic tamen quod nulli, nisi uni de lectoribus chori aut uni de choralibus quem magis idoneum repererint & qui ad minus servivit per annum dictam conferant Vicariam *in tertio reg. n. XXXVIII.*

Arnoldus Sidentop civis Lubicensis fundavit unam Vicariam quam dotavit cum XXIV. marcarum redditibus solvet Canonicis IV. marc. Martini quolibet die primam missam celebrare & in Sabbatho de - - ad quam scholares chori sibi ministrabit cui dabit Martini unam marcam & choro interesse tenetur & nullum aliud beneficium cum illo retineat, & si requisitus & monitus infra mensem non residerit, beneficio est privatus ipso facto. Collatio spectat ad Decanum & Capitulum, sic tamen quod nulli eam conferant nisi uni de Choralibus aut lectoribus ferialibus chori magis idoneo qui continue per annum ecclesiæ servivit. *In tertio reg. n. XXXIX.*

Ulricus Niestadt & Dominus *Ulricus Frese* Presbyter in capella sua fundaverunt unam Vicariam quam dotarunt cum XXII. marcarum reditibus solvet Canonicis XXII. die Julii, IV. marcas, quolibet die celebrabit choro interesse tenetur, sacerdotalis est, continuam requirens personalem residentiam & nisi post legitimam monitionem infra mensem residerit ipso facto beneficio est privatus & si redditus reempti fuerint, pecunia reponi debet ad armarium & non reimponi sine consensu Capituli. Collatio spectat ad Decanum & Capitulum & nulli eam conferre debent, nisi uni de lectoribus ferialibus chori aut de choralibus magis idoneo qui servivit per annum continuum. *In. tertio reg. n. XL.*

Domi-

Dominus *Chriſtianus Gautzow* fundavit unam Vicariam quam dotavit cum XXI. marc. reditibus ſolvet Canonicis IV. marcas XXIV. die Februarii. Quolibet die celebrabit miſſam & choro intereſſe tenetur. Jus Patronatus ſpectat ad Hinricum Gantzow, Johannem Bunhoff, Hinricum Bremen, Marquardum Beier, Rottgerum Wegenberch & Joannem Cocci Clerum ſecundum ordinem, ut nominantur, quibus omnibus deficientibus ad rectorem eccleſiæ S. Jacobi pertinebit; ita tamen quod nullum præſentare debet niſi Scholarem chori aut officiantem ejusdem eccleſiæ S. Jacobi quem magis idoneum repererit, qui per dimidium annum prædictæ eccleſiæ ſervivit; ſacerdotalis eſt. *In tertio Reg. num. XLI.*

Radeken Stoltenot fundavit unam Vicariam quam dotavit cum DC. marcis denariorum; ſolvet Canonicis Martini IV. marcas quolibet die celebrabit, choro intereſſe tenetur, ſacerdotalis eſt, jus patronatus ſpectat ad Bernhardum Froudenrick & filios & filias ſuas usque in tertiam generationem quibus deficientibus ſpectabit ad Gottſchalcum Tralou & filios & filias ſuas usque in tertiam generationem, quibus omnibus deficientibus, ſpectabit ad quatuor Structuarios eccleſiæ Lubicenſis, ſic tamen quod nullum præſentabunt niſi ſacriſtam aut unum de lectoribus ferialibus chori aut unum de choralibus eccleſiæ Lubicenſis, ſic tamen quod nullum præſentabunt niſi ſacriſtam aut unum de Lectoribus ferialibus chori magis idoneum qui tamen ad medium annum ſervivit eccleſiæ *in tertio Reg. num. XLII.*

Fraternitas beatæ Virginis fundavit unam Vicariam quam dotavit cum XXIV. marcarum redditibus, ſolvet Canonicis Martini IV. marcas, non debent redditus ſi reemti fuerint reimponi ſine conſenſu Decani & Capituli, quolibet die choro intereſſe tenetur. Inſtitutio ſpectat ad Epiſcopum Lubicenſem, Jus præſentandi vero ſpectabit ad proviſores ſive ſeniores dictæ ſocietatis in perpetuum cum conſilio tamen & conſenſu Rectoris eccleſiæ Sancti Jacobi. In caſu tamen, quod fraternitas illa periret ex tunc collatio ſpectabit ad epiſcopum. *In tertio Reg. num. XLIII.*

Sadeke Freſe fundavit unam Vicariam in capella verſus dotem quam dotavit cum XXIV. marcarum reditibus, ſolvet Canonicis IV. marcas XX. die Septembris ſi reditus reemti fuerint cum conſenſu & conſilio Decani & Capituli reimponendi ſunt, quolibet die celebrare tenetur, omnes conſervationes Capellæ cum priori Vicario ſubire tenetur. Jus patronatus ſpectat ad Margaretham & Agnetam filias dicti Gottfridi, ita quod dicta Margaretha interim quoad vivit ſola, & poſt ejus mortem Agneta præſentabit, deinde filii & filiæ ab ipſis deſcendentes, ita quod filii & filiæ Margarethæ ipſis in vita exiſtentibus ſoli & ſimul & poſt omnium eorum obitum filii & filiæ Agnetæ deinde iterum filii & filiæ filiorum & filiarum Margarethæ quibus omnibus deficientibus executores teſtamenti domini Johannis Schuttis qui ſupervixerint, præſentabunt ſimiliter executores Margarethæ & Agnetæ & his omnibus & ſingulis deficientibus collatio ad Decanum & Capitulum pertinebit, ſacerdotalis eſt. *In tertio Reg. n. XLIV.*

Johannes Raven, Civis Lubicenſis fundavit unam Vicariam quam dotavit cum XXIV. marcarum redditibus ſolvet Canonicis IV. marcas XI. die Auguſti, redditus ſi reemti fuerint reimponendi ſunt conſilio & conſenſu Decani & Capituli ſingulis diebus celebrare & choro intereſſe tenetur. Jus patronatus ſpectat ad Johannem de Hamelen & Gertrudem ejus uxorem & filiam dicti fundatoris deinde ad eorum filios & filias & ſolus ſenior præſentabit quibus omnibus deficientibus ſpectabit ad Sweneken filiam Theodoris Raven Geſen Berlow & Tiltzen Brockmanns poſt ad earum filios & filias ultimo vero ad eorum filios & filias & ſolus ſenior præſentabit quibus omnibus & ſingulis deficientibus, collatio ſpectabit ad epiſcopum Lubicenſem *in tertio Reg. num. XLV.*

Fraternitas b. Virginis quæ peragitur in capella S. Clementis fundavit unam Vicariam in eccleſia S. Jacobi quæ dotata eſt cum XXVIII. marcarum redditibus ſolvet Canonicis IV. marcas XXVIII. die Auguſti pro memoria Joannis Berlyn & T. Hildenſem, celebrabit quolibet die, choro intereſſe tenetur. Nullus præſentetur niſi ſit actu ſacerdos, & perſonalis reſidere tenetur. Jus patronatus ſpectat ad Rectores beatæ Virginis & Sancti Jacobi & ad proviſores dictæ fraternitatis alternatis vicibus in hac parte fundatio de conſenſu Capituli eſt mutata, quia Dominus Johannes Gronhagen & Albertus Rethem Rectores eccleſiarum b. Virginis & Sancti Jacobi A. D. M. DLI. per obitum Marquardi Parſcentyn præſentarunt Dominum Nicolaum Lubicenſem Capellanum ſed prius ita erat quod Jus Patronatus ſpectabat ad Rectores beatæ Virginis & Sancti Jacobi & ad duos proviſores prædictæ fraternitatis ita quod omnes vel major pars præſentare debebat infra menſem: & ſi dictam fraternitatem perire contigerit, hinc ſpectare deberet jus patronatus ad eosdem duos Rectores & ad duos proviſores dictæ capellæ Sancti Clementis. *In tertio Reg. num. XLVIII.*

Conradus Johannes fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum cum XXIV. marcarum reditibus de uno choro ſalis in ſalina Luneburgenſi ſolvendis, ſolvet Canonicis IV. marcas IV. die Januarii chorum viſitare & divinis intereſſe tenetur, Jus Patronatus ſpectat ad Dominum Tidemannum Moorkerken conſulem & ad Brunonem Warendorp alternatis vicibus: ipſis defunctis ad filios &fi-

& filias eorum ab eis descendentes, ita quod primo filius cum filia Domini Theodorici senior, deinde filius vel filia Brunonis senior, quibus defunctis ad filios & filias eorum & deinde iterum ad eorum filios & filias alternatis vicibus & solum ad seniorem ex ipsis spectabit. Quibus omnibus deficientibus apud Decanum & Capitulum in perpetuum collatio permanebit sic tamen quod nemini conferre debent nisi uni de lectoribus ferialibus chori vel Sacristæ aut Organistæ seu uni de choralibus qui per integrum annum in tali officio servivit & qui actu sit sacerdos vel in tali ætate & persona lites debet residere nulla dispensatione in contrarium suffragante. *In tertio Reg. num. LXXXIV.* Literas super dicto choro salis *vid. in eod. reg. num. LXXXIII.*

Dominus *Hildebrandus Molne* miles fundavit unam Vicariam quam dotavit cum certis reditibus in villa Cellow & in villa Campetze, sacerdotalis est. Collatio spectat ad Decan. & Capitulum, *in tertio reg. num. XCIV.*

XLIX. *Consulatus Lubicenses* fundavit unam Vicariam in ecclesia b Ægidii ad altare sub Umbone quam dotavit cum tertia parte sartaginis & uno choro salis in Luneborch, solvet Canonicis in die Martini II. marcas, jurabit Capitulo & Decano, chorum frequentabit, Rectori ecclesiæ in licitis obediet sicut cæteri Vicarii. Jus Patronatus spectabit ad consulatum. *In sec. reg. num. CCXVII.*

De Vicariis in ecclesia B. Ægidii.

Everhardus Pauli fundavit unam Vicariam quam dotavit cum certis redditibus in terra Imbriæ, solvet Canonicis IV. marcas Martini, quolibet die celebravit & chorum cum aliis Vicariis visitabit, sacerdotalis est, collatio spectat ad Decanum & Capitulum sic tamen quod nulli nisi uni de lectoribus ferialibus chori qui per annum servivit magis idoneo conferatur. *In tertio reg. n. L.*

Nicolaus Tourdenst fundavit unam Vicariam quam dotavit cum XXI. marcarum redditibus in villis Priurtze & Clenou solvet Canonicis IV. marcas Martini quolibet die choro interesse tenetur. Jus Patronatus spectat ad Decanum Lubecensis ecclesiæ & rectorem Sancti Ægidii & ad Seniorem provisorem ejusdem ecclesiæ, sic tamen quod nullum nisi unum de lectoribus ferialibus chori aut unum de choralibus ecclesiæ Lubicensis aut choralem Sancti Ægidii magis idoneum qui tamen per annum medium servivit, præsentabunt, sacerdotalis est. *In tertio Reg. num. LI.* privilegium super isto *vid n. LVI. & LVII.*

Dominus *Petrus* von der *Lynden* fundavit unam Vicariam in Capella sua prope turrim in latere aquilonari quam dotavit cum XXVIII. marcarum redditibus emptis cum CCCC. marcis solvet singulis annis Canonicis IV. marcas in profesto S. Nicolai. Si redditus reemti fuerint per provisores Sancti Ægidii cum consensu & voluntate Capituli, alii reditus comparabuntur, tenetur Vicarius infra mensem post collationem personaliter residere & residentiam continuare sub pœna privationis & si ultra mensem absens fuerit ex tunc actu est privatus sic quod patroni statim possint alium præsentare: Quotidie celebrabit choro & divinis interesse tenetur exceptis a residentia personali IV. personis a fundatore nominandis. Jus Patronatus spectat ad provisores ecclesiæ Sancti Ægidii pro tempore existentes. Ita tamen quod primo quatuor personas per Dominum Petrum eligendas præsentabunt & illis quatuor personis defunctis neminem præsentabunt nisi actu presbyterum. *In tertio Reg. n. LII.*

Idem Dominus *Petrus* fundavit unam aliam Vicariam in Capella sua prope turrim in latere australi quam dotavit cum CCCC. marcis solvet Canonicis in profesto b. Luciæ IV. marcas redditus si reemi contigerit, Decanus & Capitulum cum Vicario alios redditus cum pecunia illa comparabunt, personalem exigit residentiam sub pœna privationis ipso facto, si per unum mensem absens fuerit, ita quod patroni mense elapso ipso non vocato alium præsentabunt. Jus Patronatus ad duos seniores Canonicos de Capitulo residentes & ad duos provisiores ecclesiæ Sancti Ægidii pertinebit, ita quod neminem nisi rectorem Scholarum aut succentorem aut unum de lectoribus chori vel Organistam vel Sacristam ecclesiæ Lubicensis magis idoneum qui per annum servivit & qui actu sit sacerdos præsentabunt a personali tamen residentia excipiuntur sex personæ per Dominum Petrum nominandæ, quibus dicti patroni primo tenentur conferre quolibet die hora septima celebrabit choro & divinis officiis interesse tenetur. *In tertio Reg. n. LXXII.*

Dominus *Johannes Sevene* Canonicus Swerinensis & Slesvicensis fundavit unam Vicariam quæ dotata est cum CCCC. marcis solvet Canonicis marcas quatuor XVIII. die Decembris singulis diebus celebrabit & choro & divinis interesse tenetur, Jus Patronatus spectat ad diversas personas in fundatione expressas usque in tertiam generationem inclusive, quibus omnibus deficientibus spectabit collatio ad Capitulum sic tamen, quod nemini conferatur nisi uni de lectoribus chori aut choralibus qui per annum servivit ecclesiæ, est Sacerdotalis continuam requirens residentiam post quam collatio devenerit ad Capitulum. *In tertio Reg. n. LIII.*

Holtdummer fundavit unam Vicariam quæ dotata est cum CCCC. marcis Lubicensibus solvet Capitulo IV. marcas in profesto Gregorii chorum visitare & Divinis interesse tenetur, singulis diebus leget missam ad pulsum signi post primam missam & singulis Sabbathis missam de beata virgine cantabit, quicquid vero offertur plebano fideliter sine omni diminutione porrigere tenetur, collatio spectat ad Decanum & Capitulum sic tamen quod nemini conferatur nisi uni de

Lecto-

Lectoribus aut sacristæ aut Organistæ aut prædicatori tertiis feriis in ecclesia Lubicensi seu uni alteri de ecclesia Lubicensi de servitoribus ecclesiæ, qui tamen per integrum annum in suo servitio servivit & qui actu sit sacerdos vel in tali ætate constitutus nulla dispensatione contra præmissa suffragante. *In tertio reg. num. LXXXIX.*

Gotkinus Heyse & totum officium sive societas sarcinatorum civitatis Lubicensis fundarunt unam vicariam quæ dotata est cum XXX. marcis Lubicensibus de communibus bonis dictis officii sive societatis & de eorum pixula communi annuatim solvendis oblationes & obventiones undecunque venientes ad altare ibidem rectori aut suo Capellano mediante suo juramento fideliter præsentabit. Tempore æstivali inter quintam & sextam tempore vero hyemali inter VI. & VII. horas & ad minus tres missas in hebdomada celebrabit. Lumen sive candelam ob reverentiam Dei ibidem ordinatum in accendendo respicere tenebitur. Officium vero sive societas de cera luminaribus & aliis necessariis ad missam & candelam de suis propriis providebit, chorum visitare & divinis officiis interesse tenetur, & personaliter residere debet, & Vicarius pro tempore præsentatus non existens in sacerdotio reditibus & fructibus beneficii carebit donec ad primum annum quoad presbyteratus ordinem se fecerit permaneri qui fructus medio tempore ad necessaria Vicariæ & ad ornamentum juxta consilium Decani & Capituli convertantur. Jus patronatus spectat ad Gotkinum dictum quoad vixerit & de post ad ejus proximiores heredes & consanguineos & ad quatuor seniores officii prædicti. Quibus vero Gotkino & ejus heredibus, suis consanguineis proximioribus de medio sublatis ad provisores ecclesiæ Sancti Egidii & seniores officii prætacti, alternatis vicibus permanebit in perpetuum, ita quod præsentatio semper præsentibus provisoribus fiat & infra terminum trium mensium: In quarto mense ipsi provisores dictæ ecclesiæ personam idoneam in servitio ejusdem ecclesiæ existentem præsentabunt absque consensu alterius cujuscunque *in IV. Reg. circa finem num. LXXXIX.*

Gertrud Vorradis fundavit duas vicarias in Capella sua magna quæ dotata fuerunt cum L. marcarum reditibus solvendis per Camerarios civitatis Lubicensis de villa Stegestorpe ac curia Morrigen ac certis aliis bonis, jus quoque patronatus concessum fuit Consulatui Lubecensi in perpetuum ut hæc habentur *in tertio reg. num. LIV.* & *LV.* hodie tamen istæ L. marcæ Lubicenses solvendæ sunt dictis Vicariis in perpetuum per Dominum Wilhelmum Calven Proconsulem Lubicensem ac filios legitimos heredes & successores villam prædictam & dicta bona possidentes & habentes, duobus terminis scilicet Paschæ & Michaelis. Et jus patronatus duarum vicariarum prædictarum ad dictum Dn. Wilhelmum quamdiu vixerit translatum est & post ejus mortem spectabit ad liberos ejus masculini sexus, & post eos, ad filios ipsorum recta linea descendentes in perpetuis generationibus primis, cognominis scilicet de Calven hereditarie perfruentes. Jus patronatus conjunctim obtinebunt & quamdiu aliquis filiorum Domini Wilhelmi & eorundem filiorum filii & cujuslibet eorum vixerit de hujusmodi præsentatione filiæ & earundem filii deinceps se non intromittent. Ipsis vero filiis omnibus de medio sublatis & nullo eorum amplius existente filiæ ipsius Wilhelmi & filiorum ejus & earum veri & legitimi heredes tam masculini quam fœminei sexus in recta linea ab ipsis descendentes jus præsentandi habebunt qui tempore fuerint seniores aliqua dictarum vicariarum vacante. Talibus aut heredibus ab ipso domino Wilhelmo & filiis & filiabus suis procreatis deficientibus jus præsentandi ad alios ejusdem Domini Wilhelmi ac filiorum & filiarum legitimos heredes de cognatione & affinitate sua natos & nascituros & præsertim patrueles masculini sexus cognomine de Calven legitime habentes quousque duraverint devolvetur. Et post omnes illos ad fœmellas si quæ fuerint ex eadem cognatione procreatæ seu procreandæ, ita quod senior in jure præsentandi præferatur. Nullo vero omnium talium hæredum & cognatorum, quam masculini tam fœminei sexus amplius permanente, Jus præsentandi apud Consulatum Lubicensem in perpetuum permanebit, personæ idoneæ præsentari debent, ac Vicarii isti interesse divinis tenentur, ita quod singulis diebus unus eorum aut alius idoneus nomine sui in dicta capella tempore hyemali in ortu diei, tempore vero æstivali in quinta hora primam missam legat, nisi causa legitima, impeditus, altero vero tempore congruo reliquam missam legat, per se vel per alium Decano obedientiam facient, ac jurabunt, sicut cæteri Vicarii rectori ecclesiæ in licitis obedient, *in reg. tertio num. CII.*

Dominus *Bertramus Vorrath* Proconsul Lubicensis, fundavit *unam* Vicariam, quam dotavit cum XXV. marcarum reditibus in villa Corbenisse, sita in parochia Glisskendorp Lubicensis diœcesis, ex VII. mansis & dimidio & ex certis aliis bonis, solvet Canonicum Lubicensem IV. m. in crastino Johannis ad portam latinam pro memoria dicti *divi Bertrami;* Jus Patronatus spectat ad eundem, & ad *Bertramum* & *Dietericum*, filios suos & ad filios & filias eorum & solus senior præsentabit, ipsis vero actu deficientibus collatio spectabit ad *Capitulum Lubicense.*

L. Dominus *Hermannus Mornweck* fundavit duas Vicarias, quas dotavit cum quodam *Gurgusio*, quod vulgariter *Were* dicitur, in stagno *Ratzeburgersi* posito, & cum X. marcarum reditibus in villa *Kokelen* quas *Abbatissa* & conventus sanctimonialium *Sancti Johannis* in *Lubeck* singulis annis e- *De Vicariis in monasterio B. Johannis Evangelistæ.*

rogare tenentur, Vicarii ſingulis diebus celebrare debent. II. marcas ſolvet quilibet capitulo in anniverſario Bertrami fundatoris; Jus Patronatus ſpectat ad dictum Dominum *Hermannum* & *Bertramum* filium ejus & *Wyndelen Eliſabeth Gretham* ſorores ejus & ad hæredes quorumlibet earum legitimos, maſculini ſexus ab eis linealiter deſcendentes, quibus omnibus deficientibus ſpectabit ad capitulum Lub. *In ſec. reg. n. LXXV.* de bonis *vide num. LXXIX. LXXX. & ſeq.*

Godſchalcus de Attendorn fundavit unam Vicariam in capella ſua prope chorum, quam dotavit cum medietate villæ *Nardſtorpe* in parochia *Portzellen*, Ratzenburgenſis diœceſis; ſolvet Canonicis pro memoria dicti *Godſchalci* II. marcas quinto Idus Julii & IV. marcas ſanctimonialibus ad ſervitium refectoriale; ſingulis diebus miſſam celebrabit ac choro intereſſe tenetur; Jus Patronatus ſpectat ad *Thomam*, *Conradum* & *Godſchalcum* & *Albertum* fratres dictos *Murkerken* & ad eorum ſorores *Albeiden* uxorem dicti *Johannis Plescauen* Conſulis, *Chriſtianam* uxorem *Godſchalci de Wickenu* & *Geſeken* uxorem divi *Johannis de Scheppenſteeden* ſucceſſive & poſtea ad prædictorum Virorum & Dominorum liberos ſeu veros hæredes usque in quartam generationem incluſive ab ipſis per lineam maſculinam deſcendentes conjunctim, quibus omnibus deficientibus ſpectabit ad Capitulum eccleſiæ Lubicenſis, *in ſecundo reg. num. CCXII.* de bonis *vide num. CCXI. & ſeq. Engelbertus Nachtigale* fundavit duas Vicarias, quas dotavit cum uno dominio ſartaginis in ſalina *Luneburgenſi*, ita quod de fructibus dictæ ſartaginis recipere debent LXIV. marcas æqualiter inter ſe dividendas, de quibus quilibet eorum ſolvet Canonicis in anniverſario Engelberti II. marcas & Vicariis in monaſterio ſancti Johannis ſolvet unam marcam, & de eo quod provenerit annuatim de dicto Domino ultra LXIV. marcas cedat pro vino, oblatis & candelis cereis ad horas beatæ Virginis in *eccleſia Lubicenſi*; non tamen ad hoc exponant ultra IV. marcas aut quicquid tunc huc ultra reſiduaverit de dicto dominio, hoc per dictos Vicarios inter infirmos & leproſos in hoſpitalibus *Sancti Spiritus* & *Sancti Georgii* manualiter & æqualiter quolibet anno duabus vicibus diſtribuatur; Requirunt beneficia perſonalem reſidentiam & quod nullum alium habeant Vicarii beneficium, quilibet ad minus III. miſſas in hebdomada celebrabit, choro, & divinis officiis intereſſe tenetur, ut ceteri Vicarii, & ſi alter Vicariorum ultra menſem abſens fuerit ſine ſpeciali licentia vel aliud beneficium aſſecutus fuerit & præmiſſa informis non diſtribuerit, eo ipſo ſit Vicaria privatus, ſic quod ipſo non vocato beneficium alteri poterit conferri, Jus Patronatus ſpectat ad *Capitulum Lubicenſe* & ad *Abbatiſſam* & *Prioriſſam* & Conventum monaſterii *Sancti Johannis* alternatis vicibus. *In tertio reg. num. LXXIII.* de dominio ſartaginis *num. LXXIV.*

Johannes Darthow Laicus fundavit unam *Vicariam*, quam dotavit cum XLVIII. marcarum reditibus; ſolvet Canonicis IV. marcas dominica prima adventus & II. marcas ſanctimonialibus & II. marcas Vicariis *ſancti Johannis*, Vicarius nullum aliud beneficium habere debet & perſonaliter reſidere tenetur; & ſi ultra unum menſem abſens fuerit ipſo facto eſt beneficio privatus, chorum viſitare tenetur; *Jus Patronatus* ſpectat ad *Capitulum Lubicenſe* & Abbatiſſam, Prioriſſam & conventum monaſterii beati Johannis, alternis vicibus, ita tamen quod Abbatiſſa & conventus neminem præſentabunt, niſi qui per duos annos in dicto monaſterio continue ſervivit, & Capitulum nemini conferat, niſi ei qui per duos annos continue in eccl. Lubic. ſervivit, & debet ſemper eſſe ſacerdos actu. *In tertio reg. n. LXXX.*

De Vicariis in Eccleſia S. Clementis Papæ.

LI. Magiſter *Albertus Witte* fundavit unam Vicariam in Capella *ſancti Clementis* & *Fraternitas beatæ Virginis* in dicta capella ſancti Clementis, quæ dotata eſt cum CCC LXXV. marcis Lubicenſibus; ſolvet Canonicus IV. marcas Martini, tenetur certis diebus cantare, & memoriam agere omnium de prædicta ſocietate ſive fraternitate publice & nominatim, Choro eccleſiæ ſancti Jacobi tenetur intereſſe; ſacerdotalis eſt & perſonaliter reſidere tenetur; Et ſi ſe abſentaverit per menſem, ipſo facto beneficio eſt privatus; *Jus Patronatus*, ſpectat ad rectores eccleſiarum *beatæ Virginis* & *Sancti Jacobi*, ad duos ſeniores vulgariter *Olderlüde* fraternitatis ſupra dictæ, ſic tamen quod infra menſem, poſtquam eis conſtiterit de vocatione, unum de prædicta fraternitate aut Filium unius fratris vel alium idoneum in ſacerdotio conſtitutum præſentabunt. *In tertio reg. n. XLVI.*

Johannes de molendino fundavit unam Vicariam, quam dotavit cum XXIV. marcarum reditibus; ſolvet Canonicis Martini IV. marcas quolibet die in ortu diei; primus in dicta Capella celebrare ac choro Eccleſiæ *Sancti Jacobi* tenetur intereſſe. *Jus Patronatus* ſpectat ad eundem *Johannem* & *Margaretham* Uxorem ejus & ad pueros ab eis deſcendentes & ad certos alios nominatos in fundatione. Quibus omnibus deficientibus ſpectabit *ad quatuor ſtructurarios eccleſiæ Lubicenſis*; ita tamen quod nullum niſi Sacriſtam aut unum de lectoribus ferialiaus chori ſeu de choralibus eccleſiæ Lubicenſis magis idoneum & qui per medium annum ſervivit, præſentabunt, *in tert. reg. n. XLVII.*

De Vicariis in Capella B. Gertrudis Virginis.

LII. *Conſulatus Lubicenſis* fundavit unam Vicariam, in Capella *Sanctæ Gertrudis*, quam cum certis redditibus dotare promiſerunt; *Jus Patron.* ſpectat ad *conſulatum* dictæ civitatis Lubic.; ſolvet Canonicis IV. marcas; fideliter colligere debet Vicarius oblationes ſuper altari factas & præſentare integraliter diſtributoribus Canonicorum, chorum & divina officia in eccleſia *S. Jacobi* frequentare debet, completa ſua

ſua miſſa in dicta Capella; aliæ oblationes factæ in dicta Capella non ad altare ſpectabunt, ſed ad ſtructuram & ad lumina dictæ Capellæ; *intert. reg. n. XLIX.*

De Vicariis in Capella Megedebe. ke.

LIII. Magiſter *Joh. Hertze* fundavit unam Vicar., in Capella *Megedebecke*, quæ dotata eſt cum CCC. marcis Lubic., Vicarius de offertorio Capellæ ſe intermittere non debet niſi quantum ſibi ad manum datur ratione miſſæ dicendæ medio ſuo Juramento per Dominos ſtructurarios eccleſiæ Lub., quoties viſum fuerit exigendo, omni ſeptimana ad minus ter celebrabit, ſcilicet dominica die feria III. & feria VIta, *Jus Patron.* ſpectat ad *advocatum domus in Uthin* de Conſilio *Canonicorum ſtructurariorum*; Inſtitutio vero ſpectat ad *Epiſcopum Lub.* Etſi reditus reemi contigerit, debet cum conſilio & conſenſu dictorum Dominorum Canonicorum ſtructurariorum reimponi *in III. reg. n. XCIV.*

De Capella in Schluckop.

LIV. Erecta eſt una nova Capella in villa *Schluckop* ſub nomine filii eccleſiæ *S. Jacobi* Lubic, cum omni jure parochiali præter Baptiſma puerorum, quod in ſignum ſubjectionis & honoris ad eccleſiam *S. Jacobi* perpetuo remanere debet, quæ dotata eſt cum DC. marcis, Rector Capellæ in qualibet ſeptimana tenetur ſeriis VI. vel præcedente die, ſi celebris fuerit, pro defunctis per ſe vel per alium decantare, & pro certis perſonis in fundatione expreſſis nominatim orare & intercedere & quolibet die dominico & feſtivo in umbone de ipſorum quolibet nominatim perpetuis futuris temporibus memoriam facere; tenetur quoque ſolvere *Capitulo Lubic.* inſignum ſubjectionis & honoris ac aliqualis recompenſationis juris parochialis ſingulis annis *in Feſto natalis Domini* de promptioribus reditibus Capellæ VI. marc. Lubic. quod in ſui admiſſione ſe facturum in manibus Capituli jure jurando firmabit; *Jus Patronat.* vero præfatæ Capellæ ad *Conſulatum Lub.* ſpectat, & *Inſtitutio apud Capitulum* perpetue permanebit, ita quod Conſulatus perſonam idoneam actu in ſacerdotio conſtitutam bonæ famæ & vitæ nullum beneficium habentem ad eandem Capellam præſentare tenentur, alioquin præſentatio ſit ipſo jure nulla; tenetur quoque perſona inſtituta continue apud Capellam ipſam perſonaliter reſidere nec aliud beneficium cum Capella habere debet ſub pœna privationis ipſo facto, *in quarto reg. n. XC.*

De diverſis ſupra negle-ctis ſupple-mentum.

LV. Campanariæ ſive Sub-Cuſtodiæ officium incorporatum eſt hodie & unitum domini Operarii ſive ſtructuræ *eccleſiæ Lubicenſis* & operarius *de Conſenſu ſtructurariorum* miniſtros ſive ſervitores idoneos deputet, ita ut nulla negligentia quoad ſingula ſervitia conſueta in pulſationibus diurnis & nocturnis, in armario, in choro & in aliis committatur. Domino vero Cuſtodi ſive Theſaurario reſervata eſt domus circa *S. Johannem* in arena, quæ fuit hactenus pro uſu Campanarii deputata, & domus *S. Nicolai* appellatur, cum omni commodo, proprietate, utilitate, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum una cum jure percipiendi annuatim, quicquid ſiliginis dicto Campanario obvenire ratione officii conſueverat, *in IV. reg. n. XCIII.* Conſtitutum eſt ſive creatum de novo in *eccl. Lubic.* officium ſecundarii in ſacra Theologia lectoris ſive ſecundarii verbi Dei prædicatoris, cui incorporata ſive unita eſt Vicaria cum quatuor plauſtris ſalis *Luneburgenſis* in Eccl. *Lubicenſi* per quendam Dom. *Jac. Plebanum* in *Oldenburg* fundata & dotata, ad quod officium nullus aſſumi debet, niſi in ſacra Theol. *Doctor*, *Licent.* vel *Baccal.* vel in ipſa intelligens, taliter quod in diſputationibus occurrentibus poſſit, & teneatur principali lectori vel alteri in dicta eccleſia diſputandi reſpondere & pro eodem lectore legere publice in Theologia cum abſentia principalis lectoris aut ejusdem valetudo expoſcat. Quod cum non occurret ſemel in ſeptimana, juxta ordinem Capituli legere teneatur, & quod talis ſit, qui in feſto patronor. vel alias aliquoties vel continue in die Martis, ſi opus fuerit, cum ad hoc a Decano vel Capit. requiſitus fuerit, verbum Dei eleganter ad populum poſſit & teneatur prædicare, & quod perſonaliter reſidet apud *eccleſiam Lubic.* ſub pœna privationis, quam incurrit, ſi ſine licentia Capituli per XIV. dies abſens fuerit, ipſo facto, & habere debet ſtallum primum poſt Canonicos, ſtatim cum ad poſſeſſionem admiſſus fuerit conſuetudine quacunque non obſtante; *Jus diſponendi* de hujusmodi ſecundarii officio, quoties vacaverit, Epiſcopo & Capitulo eſt reſervatum *in IV. Capitulo n. CXCI.* Jus Patron. præbendæ fundatæ per *Brunonem Warendorp* civem Lubic quondam prorogatum eſt anno Domini MCCCCXXVI. ad *Brunonem Warendorp* pronepotem ſuum & ad filios & nepotes ſuos & ſucceſſores ex linea maſculina deſcendentes, usq; ad quartam generationem, quibus omnibus defunctis reverti debet libere & perpetuo pertinere ad collationem *Decani & Capituli Lubic.*; non eſt regiſtratum, ſed reperitura litera prorogationis inter *fundationes Vicariarum eccleſiæ Lubic.*; Vicaria fundata in eccleſia Lubicenſi per *Joh. Longum* presbyterum, dotata cum integra villa Horſt, augmentata eſt & meliorata cum CCCC. marcis Lubic. de bonis quondam *Brunonis Springer* Civis Lubic. *Jus Patron.* quoque translatum ad Dominam *Margaretham* Dom. *Joh. Bruſckauen* Conſulis Lubicenſ. uxorem filiam dicti *Brunonis* & ad liberos ab eadem legitime procreatos usque in IV. generationem & ſi ipſam *Margaretham* absque liberis ab hac luce diſcedere contingeret & Dominum *Johannem* prædictum ad talia vota tranſire, & tunc ad liberos a dicto Domino legitime procreatos Jus præſentandi ad dictam Vicariam ſimiliter usque in generationem quartam devolvetur, ceſſantibus quoq; generationibus hujusmodi ipſius Vicariæ collatio ad *Epiſcopum Lubic.* perpetuo revertitur, ad quem etiam ſpectat inſtitutio durante Jure patronatus ſupra ſcripto, ſi quoq; reditus augmenti præfati redimi contingeret, de conſenſu & beneplacito Epiſcopi & dictorum Patronorum ad armarium *Eccleſiæ Lubic.* reponantur, & deinde reimponantur de ſimilibus conſenſu & beneplacito. *In IV. reg. n. XCII.*

Vicaria fundata in eccleſia beatæ Virginis per *Hinricum Iſerulo* dotata cum VI. manſis in villa Benitze parochia *Backholte*, inter oppidum *Roſtock*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Roſtock & caſtrum *Swaen* in terra Domini de *Werlen*, nunc vocatum de *Dudeſchehoven* augmentata eſt & meliorata per Societatem mercatorum *de Nowerdeß Farer* cum XXXIV. marc. ſolvet ſingulis annis Martini Decano Lubic. unam marcam pro cereis candelis ad ſuum altare figendis ac Canonicis IV. marc., ac in craſtino Martini omnium de dicta ſocietate defunctorum peragent memoriam cum vigiliis & miſſa; Requirit perſonalem reſidentiam, & ſi Vicar. ultra quindenam absque licentia majoris partis dictæ ſocietatis abſens fuerit, reditus dicti augmenti pro rata temporis abſentiæ, pro melioratione ornamentor. Vicariæ convertentur, ſacerdotalis eſt in choro eccl. b. Virginis divinis officiis tenetur intereſſe, Jus Patr. vero quod hactenus erat Decani, translatum eſt ad tres ſeniores proviſores dictæ ſocietatis in perpetuum, *in quarto reg. n.* - -

Jus Patr. Vicariæ fundatæ in eccl. b. Virginis per *Hinric. Vennth* civem Lubic. translatum eſt in *Himr. Diveß* civem. Lub. & ejus liberos & hæredes utriusq; ſexus usq; ad III. generationem incluſ. augmentationis fructuum dictæ Vicariæ per ipſum faciendæ, ita tamen ut ſemper ſenior & de maſculino ſexu in genealogia hujusm. repertus, quoad vixerit, ſolus absque requiſitione alior.; maſculino vero ſexu deficiente ex tunc ſimiliter ſenior de femineo ſexu absq; alicuj. conſenſu & requiſitione perſonam idoneam præſentabit. Quibus omnib. de medio ſublatis ac Dec. ad Capitulum collatio ſpectabit, *in IV. reg. n. LXXXVII. A. Dom. MCDXLVI.* In quadrag. illuſtr. Dn. *Adolphus* Dux *Sleſv.* & Com. *Holſ.* terminum non reemendi judic. ſupremum, medium & infimum quinq; villar. ſcil. *Genyn* &c. quod vendiderat Capit. pro *MCD. marc. Lub.* cum pacto non reemendi ante lapſum XII. annor., qui plene lapſi fuerant, extendit ad XL. annos, ita quod illis iterum integre transactis & non prius dictum Judicium reemere poterit pro ſumma ſupra dicta ipſe vel ſui ſucceſſores ad ipſorum utilitatem duntaxat & non alterius cujuscunq; dummodo reemptioni ad unum integr. annum in VIII. Martini ante intimare fecerit. Et ſi XL. annis lapſis per ipſum aut ſucceſſores legitime facta fuerit dicta reemtio & iterum idem judicium ipſe aut ſui ſucceſſores vendere aut impignorare voluerint quacunq; ratione non debet illud alicui impignorare aut vendere, niſi Cap. Lub. dummodo Capitulum illud pro MCD. marc. emere aut recipere voluerit; durante etiam dicta emptione debet ipſe & ſui ſucceſſores judicium illud defendere, & protegere in perpetuum, diem anniverſarii ſui, ad inſtar fundatoris eccl. peragi. Et ord. ſibi & ſucceſſor. ſuis præſentiandi *ad præbendam Comitis* in eccl. *Lub.* integre, quod ante habebant duntaxat alternatis vicibus cum *Epiſcopo Lub.* Collatio *præbendæ diſtinctæ*, quam fundavit *Volckmarus ille Attendorn* civ. *Lub.* & dotata eſt cum villa *Nienborg* Swerin. diœc., quæ ſpectabat libere ad *Decanum* & *Cap.*, translata eſt hodie in *Epiſcopum Lubic.* & ſucceſſores ſuos perpetue vice & loco; Jus præſentandi Canonicatus & præbendæ vocatæ Comitis, quorum diſpoſitio hactenus alternatis vicib. ad Epiſcopum Lub. pro tempore exiſtentem & Comitem Holſ. pertinere dicebatur ex favore Capit. in dictum Com. & ſuos ſucceſſores in perpetuum integre eſt translat. *In IV. reg. n. LXXXVII.* Jus Patr. Vicariæ fundatæ in Eccl. *S. Petri* p. *Joh. de Leſten*, quæ dotata eſt cum uno choro & medio translatum eſt in Dom. *Tidemannum Jungen*, Conſul. Lub. & ſuos filios, *Albertum*, *Everhardum*, *Swertingum*, & *Georgium*, usque ad vitam eorum & cujuslibet eorundem, quibus omnibus defunctis apud Decanum & Capitulum permanebit: non eſt regiſtratum; ſed literæ ſunt apud eos.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Figuræ & Effigies

Tomi Secundi

Monumentorum ineditorum pertinent ad sequentes paginas.

Tabula I. S. Vicelinus. pag. 1.

- - II. Humblus. Dan. Filius - - 708.
- - III. Juta Frisus &c. - - - 709.
- - IV. Celta Longobardus &c. - - 710.
- - V. D. Pontanus - - - 714.
- - VI. Christianus I. Rex Dan. - 717.
- - VII. Johannes I. Rex Dan. - - 842.
- - VIII. Christianus II. Rex Dan. - 976.
- - IX. Fridericus I. Rex Dan. - - 1075.
- - X. Christianus III. Rex Dan. - 1135.
- - XI. Fridericus II. Rex Dan. - 1192.
- - XII. Dux Teuto Græcus - - 1502.
- - XIII. Adolphus IV. Com. Schw. - 1584.
- - XIV. Dn. Besselinus - - - 1615.

EMENDANDA

In Tomo II. de Weſtphal. Scriptor.

In præfat. ita legas: p. 2. *lin.* 9. MIRÆVS, it. D'ACHERY. l. 36. curatioribus. l. 44. ſibi p. 5. *not.* h) l. 11. *del.* Saxones. p. 7. l. 8. æſtimandæ. l. 9. exigendæ. p. 8. not. q) l. 4. 1708. lin. 22. *del.* SC. p. 9. l. 34. cæſareorum. *not.* h) l. 11. *a fine* et. p. 10. *not.* c) l. 4. geminatione. *not.* e) l. 8. *a fine* effugiat. p. 11. l. 2. authentiam. p. 12. *not.* l. 4. *a fine* vernaculo. p. 13. l. 26. quadringenta. *not.* k) l. 4. *a fine* telonii. p. 14. *not.* l. 11. ad l. 13. *a fin.* videatur. p. 15. *not.* l. 2. Veſte brief. *not.* n) l. 3. diplomatici. *not.* o) l. 3. collatæ. *not.* p) l. 4. iuribus *adde* locorum. p. 18. *not.* *) l. 9. *a fin.* repertas. p. 22. l. 4. prope. p. 24. l. 9. HEMEREVS. *not.* r) *lin. vlt.* apud VGHELLVM. p. 25. l. 18. ſubiungenda. *not.* w) l. 3. HIEMLET. p. 28. l. 23. ſq. intercalaris. l. 8. *a fine* ſoluendus. p. 29. l. 1. iactione. p. 32. *not.* u) l. 7. *a fin.* dominii. p. 33. l. 15. HENNINGS. it. Kilonienſis. p. 35. *not.* a) l. 7. loci. p. 36. not. l) l. 2. exſoluendus. p. 37. *not.* t) l. 22. amplam. p. 38. *not.* y) l. 13. *a fine* deſint. p. 39 *not.* d) l. 4 conſona *add.* ſunt. p. 40. l. 28. Joannis *add.* fratris. p. 41. l. 21. Oldenburgica. *not.* o) l. 3. ac. p. 42. l. 9. *a fin.* Suecice. l. 7. *a fin.* hiſtoricæ. p. 43. l. 8. adiecta. p. 44. l. 38. querelam. l. 4. *a fin.* perfecerit. p. 46. l. 13. ſunt. p. 48. l. 15. annos. *not.* l. 9. *a fin.* Lyſchander, Dieſtius. p. 51. l. 8. ſubciſiuas. l. 12. *a fine* erga. l. 6. *a fin.* animam. p. 52. Ptolemaeus. l. 3. *a fin.* illuſtrium affecta. *not.* i) l. 1. Marſicis. p. 55. *not.* f) *in fin.* adde *repetit.* p. 59. *not.* c) l. 2. transactione. p. 62. *not.* l. 7. *a fin.* perplacuiſſe. p. 63. *not.* l. 7. *a fine* MELETIVS p. 66. not. l. 9. *a fine* ceu. p. 69. lin. 8. turmarum. p. 70. l. 1. magnatum. p. 71. l. 1. lapis. p. 72. *not.* l. *penult.* Cæſarum. p. 73. l. 16. forte *add.* licentia. p. 74. l. 3. tum cum ipſo. p. 77. *not.* l. 11. theotiſco. l. 12. Suecicum. p. 78. l. 1. etymol. *not.* l. 12. eum. p. 80. *not.* d) l. 16. ignobiles. l. 14. *a fine* Landbo Töffte. p. 81. *not.* l. 5. inueſtiuit. *not.* f) l. 3. redemerint. *ibid.* l. 4. *a fin.* TORFAEI. In SERIE CONTENTOR. *nr.* II. l. 1. Flintbecenſ. *nr.* VIII. l. 3. Landgraviorum. *nr.* XXIV. l. 2. Paſt. prim. In. *Diplomatar.* p. 11. *not.* l. 11. Bredenburgum. p. 21. *not.* l. 4. *a fin.* Idae. p. 23. *not.* l. 6. celebratae. p. 140. *dipl.* CLVIII. l. 16. ſi utile. l. 17. *pro* Conrado *leg.* Thomae. p. 1645. *not.* n) l. 2. ut. p. 1997. *not. lin. penult.* primordiis. l. 62. Godeſcalci. p. 2001. *not.* **) l. 11. gratias. p. 2021. *not.* l. 33. Bigaugienſe. ***) l. 7. acquiſiueritque. p. 2049. *not.* l. 3. vocab.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf